
NAZIONALE
14
7 G
20

ANTONII ROCCI
DE SCVRCVLA MARSORVM

Doctoris Philosophi, atque Theologi in Logicam, atq; vniuersam naturalem Philosophiam Aristotelis

PARAPHRASIS TEXTVALIS
EXACTISSIMA;

Nec non Quæstiones desiderabiles ad mentem Ioannis Duns Scoti Doctoris subtilis.

Quod quidem opus est lectura eiusdem Antonij habita in florentissima Academia Peripateticorum Innouatorum Venetijs, quam ipsemet olim auspicatò erexit, diùque feliciter rexit.

PETRO MAVROCENO

Reipubl. Venetiar. Senatori amplissimo, & integerrimo. D.D.







VENETIIS. M. DC. LIV.

Apud Franciscum Baba.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.







Illuſtriſsimo, & Excellentiſsimo D.

D. PETRO MAVROCENO

SENATORI AMPLISSIMO, AC INTEGERRIMO

Illuſtriſsimi atque Excellentiſsimi

IOANNIS FILIO.





Ltimas hominum voluntates ſeruandas non ſolum humanarum, ſed & diuinarum legum auctoritate compertum eſt; hinc vulgatum illud in iure, Diſponat teſtator, & lex eſto; & D. Paulus ad Galatas. *Confirmatum hominis teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat.* Cum itaque elapſo iam anni curriculo huius Operis Auctor Antonius Roccus eximius Philoſophus anno ætatis ſuæ circiter ſexageſimo ſexto, menſe Martio, ex hac vita decedens, mihi, meæque fidei ſuæ diſpoſitionem voluntatis commendaſſet, qua præſens Opus typis quam primum mandari iubebat; Ego, tum vt legi teſtamenti obtemperarem, tum vt tanti viri, ac Præceptoris mei, inueteratæque inter nos amicitiæ haud immemorem me oſtenderem, qua maiori potui diligentia, ac ſtudio prouinciam ſuſcepi, & expediui. Cum autem ex eodem teſtamento Auctoris voluntas perſpicuè colligatur, vt ſcilicet præſens Opus tibi, Illuſtriſsime, & Excellentiſsime Petre Maurocene dicaretur; huic rectiſsimæ voluntati ſatisfacere mearum eſſe partium duxi. Enimuero tibi iuremeritò hoc debebatur, quippe qui eiuſdem ingenuum te ſemper geſſeris Mecęnatem, & quamplurimis in ipſum collatis beneficijs ita tibi hominem ſuaptè natura beneficiorum

† 3 memo-

memorem, & gratissimum deuinxeris, vt frequenter eximium te benignitatis exemplar, rarumque virtutis portentum iactarit. Neque id quidem immeritò; tanto namque doctrinarum splendore coruscas, tuo vt in pectore musæum struxisse sibi videantur Pierides, tantamque clementiæ, prudentiæ, omniumque moralium segetem virtutum ostendis, vt maturo consilio Veneta Respublica, quam sapientiæ Atheneum, iustitiæ delubrum, politici custodem regiminis fama decantat, Te, atque Illustrissimum stipitem tuum tot muneribus decorauerit, ac maiorum in dies dignitatum titulis, honorum cumulis adaugeat, vt iam immortalitatis apicem fęliciter attigeris: tametsi celsiora adhuc virtutibus tuis debita te manent insignia, quæ tibi gratulabundus, iam nunc animus meus præsagit, præcaturque conceptis votis; Interim vero, quo mei qualiacumque pateant argumenta obsequij, si quid studij, sollicitudinis, aut laboris in hoc Opere typis commendando impendi, totum Excellentiæ tuæ Illustrissimæ libenti animo exhibeo, & consecro. Vale, diuque fęlix viue, & regna simul cum præstantissima domo tua.

Venetijs M DC L I V. Pridie Idus Maias.

Excellentiæ tuæ Illustrissimæ

Obsequentissimus, ac deuinctissimus Seruus

Ioannes Maria Lanzius Medicus Physicus.

A D



AD PRÆCLARISSIMOS PERIPATETICOS

Innouatos Auditores Auctoris.



PRÆFATIO.



VT vestris honestis petitionibus (Academici præstantissimi) satisfaciam, vestræque consulam vtilitati, & commodo, Naturalem Philosophiam, quam quotidie deambulando dicto, vosque non paruo cum labore scribitis, typis tradere decreui. Quod quidem cum per arduum, ac innumeris subiectum censuris sit facinus, quædam, quæ pluries cum ad Methodum tum ad excusationem pertinentia, viuæ vocis dictionibus protuli, hic pro vobis, & alijs iterum repetere non pigebit. Tali itaque methodo, ac ordine incedam; vt non tædio prolixitatis affecti, neque obscuritatis inuolucro perterriti, citò atque faciliter, assumptum opus ad optatum finem perducatis; quod quidem commodè fiet, si in Aristotelis textuum expositione (quem veluti omnium philosophorum Principem, Naturæque scrutatorem accuratissimum sequar) commentariorum prolixitate relicta, Paraphrastica vtar claritate; idque aptius profectò euadet, si in persona eiusdem Philosophi loquar, sic etenim quamplurima futilia verba facilius resecantur. At quoniam simplex textuum expositio, nimis ad exactam omnium rerum naturalium intelligentiam restricta videtur; ne aliquid desiderabile relinquatur, quæstiones ad mentem Scoti eadem breuitatis, & facilitatis methodo addam; nec alia de causa hunc potius, quam alios Doctores sequi decreui, nisi quia ipsius Doctrina, sicut alijs subtilitate præcellit, sic magis peripatetica firmaque (prout scio) redolet veritate. Nec omnibus concessum est eam, vel ex proprio haurire fonte, vel ab alijs plenè haustam ebibere; vnicuique enim subtilissima ipsius super Libros sententiarum scripta (in quibus solum continetur) legere, vel intelligere datum non est. Ab alijs vero abundè non haurient, quoniam vel partem tantummodo aliquam aliqui, vel solas præcipuas quasdam quæstiones alij tradiderunt, aut breue duntaxat compendium ab alijs est editum. Vel tandem Quæstiones Marsilij Inguen Nominalis super octo Libros Physicorum olim Lugduni Anno Domini 1513. à Ioanne Marion, nuper vero sub nomine Scoti (vel turpis lucri gratia, vel inanis gloriæ cupiditate, aut alia quauis parum honesta de causa, heus nimis indignè) impressas perlegent. Vt igitur nobilissimam quam inter omnes nouerim doctrinam vobis tradam, & vt prorsus quantum in me est eam in lucem ad communem vtilitatem adducam (non autem quod in ipsius verba iurauerim) vt dixi, procedam.

At hic latrantium canum multitudinem magnam aspicio. Alij etenim titulum hunc (Quæstiones) sic abhorrebunt, vt propterea me ab Aristotelica via, prorsus recedere, ad fratrum autem (quas ignoranter, ineptas, & rudes vocant) aduentare affirmabunt; quæ iam non minus communis quam insulsa calumnia, tam apud aliquos inualuit, vt germano proprioque quæstionum nomine in suis quæstionalibus operibus dimisso, quidam speculationes, alij Systemata, Theoremata alij, nec non disputationes quamplurimi, millibusque alijs similibus adulterinis nuncupant; quasi si vestem indumentum, vel gladium ensem vocemus, pristinam eorum naturam auferamus: & quasi Quæstionum terminus super omnes, proprijssimus maximève Aristotelicus non existat. Quid namque quæso, quid seuerius in principio tertij Metaph. exclamat, nisi quod in cuiusque difficultatis initio, argumenta præmittantur? hæc autem titulum, vel difficultatis quæsitum supponunt; Quare si re, & nomine, à quærendo, & procedendi modo Quęstiones dicuntur, cur sic eas non vocabimus? tantum ne ergo loquacium ineptorum hominum nugæ apud Philosophiæ professores valebunt? Aliqui quod passim paginas (vt est multorum, vel vsus, vel ostentatio) innumeris Doctorum auctoritatibus non impleuerim, arguent. At hic Doctorum Cathalogus sicut tædium (præter aliquos præcipuos, & necessarios) studentibus affert, sic potius inanem gloriam, quam experimentalem multorum librorum eruditionem ijs qui

† 4 iudicio

judicio pollent, præfefert. Quis etenim studiosorum ignorat, Locupletissimos Libros innumeras Doctorum Auctoritates cum locis, & capitibus adamussim referentes inueniri? Nam (vt cæteros omittam) Seminarium totius, cum Platonicæ, tum etiam Aristotelicæ Philosophiæ (à Ioanne Baptista Bernardo, in Serenissima Venet. Repub. Senatoriæ dignitatis, familiæ splendore, doctrinæ profunditate, honorum, virtutumque omnium Illustrissimo editum) sic accuratè, ac fideliter, Illustrium omnium Authorum sententias refert, vt solum pro omnibus circa hoc, vir tantus studuisse videatur. Neque deerunt qui opus hoc contumelijs afficient asserentes (quod sæpe non sine risu audiui) neminem nisi ex Scoti Religione ipsius doctrinam percipere; quasi Leucophæi coloris materialis pannus, intellectum homini, tribuat, vel auferat, at hi cum stolidis abeant. Non immeritò tamen, quod non ad vnguem in omnibus prorsus Subtilis Doctoris viam sim secutus reprehendent. Quibus dupliciter satisfacio, & quod id rarò, & solum iusta de causa effecerim; & quod quamuis non sic exactè sim executus, eatenus sum excusatione dignus; quatenus non sic viam ipsius sequendam elegi, vt nihil intellectui meo speculandum relinqueretur, vel sic lumen eius respicere conarer, vt proprijs non incederem pedibus; sit igitur, vt Magister, & lumen, non tamen huius Operis Auctor, vel auriga. Alij vero, quod grammaticalibus elegantijs, Ciceronianisque verbis non resperserim arguent. Sed hi cum petulantibus Pedagogis recedant: Finis etenim Philosophicæ veritatis est sententias rerum reconditas faciliter aperire; quod si obscurissimis, vel (vt volunt) elegantibus verbis non commodè, vel saltem non ad communem vtilitatem præstari poterit, faciliora, nec non vulgaria quoque sunt adhibenda; quod excellentissimi viri, & olim, & nostris quoque temporibus, ex industria magna cum laude perfecerunt. Quin, si ij quibus opus hoc ad manus peruenerit, subuli sint grammaticatione eruditi, communesque voces sibi nauseam inferant, modo sententias comprobent, vocabula ad libitum mutent, & in alia similia secundum ipsorum Stypticum stomachum vertant, quo pacto cum conuenienti doctrina, simul acutum latinum habebunt; nihilque detrimenti patientur. Sin tali præditi sint eruditione, tædiosum conterendi dictionaria laborem euitabunt; quare nemini penitus oberit. Neque silentio (ad rem contra prædictos) prætereundum est, me eam familiariter (vt semper loquor) dictasse; quamobrem duplici de causa Naturalis Philosophia non immeritò est dicenda, quia nimirum de rebus naturalibus agit, & quoniam est naturalis, non affectatus, non compressus, nec aliunde mutuatus, mei (qualiscumque sim) effectus; quod non solum de sermone, verum de doctrina ipsa multò magis veritatem habet. At vt verum fatear, nihil his, similibusque alijs detractionibus, vel tristor, vel assumpti oneris tædet, nec etenim sic mente capior, vt omni penitus reprehensibilitate doctrinam carentem allaturum fuisse existimem; hominum etenim operationes omnes sunt imperfectioni obnoxiæ; imperfectorum autem (qualis sum equidem) magis; neque sic omnium animos in me beneuolos censeo, vt solum amoris gratia à calumnijs desistere autumem, id etenim nullus mortalium est assecutus. Quibus igitur libuerit, dicant, maledicant, lacerent. Hoc tamen sat mihi erit si vobis Nobilissimi Academici pro quibus præcipuè efficitur, vt semper placuit placeat; sic namque optatum assequar finem, nec nobiliorem opto, aut facilè adipisci datum esset, vos etenim sicut vestræ Serenissimæ patriæ decore, cęteris (non secus atque Domini seruis) præcellitis; sic proprij generis nobilitate, bonarum honestarumque artium specimine, nemini succumbitis, quamobrem satis quæ mihi gloriosum (quocunque alio posthabito) finem proposui. Vos itaque plaudite; aduersarij oblatrent, at si homines sint non canes, ratione loquantur; atque priuatim, & publice, verbis, & scriptis, sibi pro viribus à me satisfiet. Valete.

INDEX

INDEX CAPITVM ET QVÆSTIONVM,

Quæ in toto hoc Volumine continentur.

Ex primo libro Introductionis Logicæ.

De

Index Capitum & Quæstionum.

Ex Prædicamentis in communi.

Ex Antepraedicamentis.

De Prædicamentis sigillatim.

De Postprædicamentis.

Ex Primo Posteriorum.

Cap.

Ex Secundo Posteriorum.

Indicis Capitum & Quæstionum totius Logicæ finis.

INDEX QVÆSTIONVM.

Quæ in octo Physicorum Libris continentur.

Quæstiones Proœmiales.

Quæstiones primi Libri.

Quæstiones Secundi.

Quæstiones Tertij.

Quæstiones Quarti.

Quæ-

Quæstiones Quinti.

Quæstiones Sexti.

Quæstiones Septimi.

Quæstiones Octaui.

INDEX QVÆSTIONVM In Libros de Cælo.

Quæstiones primi de Cælo.

Quæstiones Secundi.

Quæstiones Tertij.

Quæstiones Quarti.

QVÆSTIONES IN LIBROS
de Generatione, & Corruptione.

Quæstiones Primi.

Quæstiones Secundi.

QVÆSTIONES IN LIBROS
Meteorologicorum.

Quæstiones Primi.

Quæstiones Secundi.

QVÆSTIONES IN LIBROS De Anima.

Quæstiones Primi.

Quæstiones Secundi.

58 *An*

Quæstiones Tertij.

FINIS.

ANTO-



ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

INTRODVCTIONIS IN ARISTOTELIS Logicam.

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

De nomine Logicæ.



OGICA cum ex Græcis sapientibus (sicut quamplurimæ, & ferè omnes facultates) ortum habuerit, græcum quoq; retinet nomen, atque à logos dicitur, idemque logos valet quod sermo, vel ratio; Quamobrem nil aliud Logica significat, quam facultatem sermocinalem, seu rationalem, aut discursiuam; ita videlicet, quod omnes istæ tres interpretationes, idem quasi penitus denotent, atque non alia de causa sic nuncupatur, nisi quia circa sermones, vel discursus versatur. At si quis dicat, cur etiam Grammatica, Rhetorica, & Poetica nomen logicæ non sortiuntur, cum ipsæ quoque de sermonibus, seu ratiocinationibus agant? Respondetur, denominationem, vt plurimum, fieri à nobiliori; vt ciuitas, vbi Rex residet, ab ipso dicitur regalis, & si alij quoque illic habitent, & aliarum ciuitatum ipse sit Dominus; sic ad propositum, quadruplex est sermo, vel discursus, nempe congruus, qui ad Grammaticam, ornatus, qui ad Rhetoricam, delectabilis, qui ad Poeticam, & verus, qui ad Logicam attinet: quorum cum vltimus sit omnium nobilissimus, ea facultas, quæ ipsum considerat, velut sibi peculiare nomen Logicæ vsurpauit: quamobrem addendum est, ipsam esse facultatem, quæ circa sermonem verum versatur; & quamuis etiam de falsitate agat, atque consideret, hoc ad ipsius veri enucleationem efficit: sicut etiam Grammatica incongruum sermonem ad ipsum euitandum contemplatur. Nec prætereundum est, aliquos (vi huius ætymologiæ ductos) alias quoque facultates prædictas Logicam (largè tamen sumptam) appellare. Vocatur etiam ipsa Logica ex græco quoque idiomate Dialectica, à dia, & lexis, dia significat duo, lexis sermonem, vel disputationem, quasi sit duorum disputatio; neque credendum est, esse ex sua natura disputationem; sed ideo sic denominatur, quatenus per disputationem perfectè, ac faciliùs acquiritur, vel sine ipsa non benè, sicut si dicamus diem esse apparitionem Solis supra terram: hic enim dies non est ex se apparitio, sed ab apparitione causatur, sic Logica à disputatione. Verum tamen est, quod Dialectica olim non pro tota Logica, sed pro ea parte, quæ de inuentis iudicat capiebatur; aliam autem, quæ inuenit, Topicam dicebant; quod in ipsius diuisione melius patebit.

CAPVT II.

De natura, ac diuisione Logicæ in suas partes.

NAtura Logicæ talis apparet, quæ nec facilè explicari queat, nec determinate locus inter artes, vel scientias ipsi assignandus videatur; qua de causa à diuersis diuersimodè explicatur, vel definitur, quas definitiones breuiter hic recensebimus. Definitur ergo primò sic. Est ars artium, & scientia scientiarum ad omnium methodorum principia viam habens. Quam definitionem sic esse intelligendam puto, videlicet, eam tradere modum, vel regulas procedendi ordinatim, ac sine errore circa quascunque scientias, & practicas, & speculatiuas; ita vt per artes, non propriè artes, quas vocant mechanicas, sed scientias, quarum finis est opus, intelligere debeamus: artes namq; prædictæ, vsu, experientia, ac solo labore acquiruntur. In qua definitione nominatiuus supra genitiuum reflexus non excellentiam denotat (sicut accideret verbi gratia si diceremus rex regum) sed initium quoddam ad omnes scientias acquirendas; ita vt sit sensus. Dialectica est om-

nium scientiarum speculatiuarum, ac practicarū principium. Definitur sic etiam. Est facultas, quæ docet definire, diuidere, arguere, & verum à falso discernere. Itē, est scientia discretiua veri à falso. At hæc est præcedentis compendium; nam verum à falso per definitionem, diuisionem, & argumentationem præcipue discernitur: melius tamen præcedens sic fortè suppleretur. Est facultas rationalis, quæ docet definire, diuidere, arguere, ac circa omnes scientias verum à falso arguitiue discernere. Dicitur autem rationalis, quia considerat ea, quæ ab intellectu, vel ratione fiunt, scilicet argumentationes, syllogismos, &c. dicitur discernere arguitiuè (reliquæ particulæ sunt notæ) quia sic solum procedit: aliter vel omnes veritates cognosceret, quod est falsum, vel omnibus scientijs conueniret hæc definitio, eo quod omnes veritatem cognoscant, quod pariter est falsum; at ipsam veritatem per modum argumenti est ipsius Logicæ munus, ita nimirum, quod si aliæ scientiæ argumentatione Logica non vtantur, neque clarè, nec fortasse sine errore procedere poterunt. Hac ergo de causa & scientia, & ars, & instrumentum, diuersa tamen ratione, nuncupatur, nam quatenus per causas circa sua cognoscibilia procedit, dicitur scientia; pro vt vero disponit omnia, quæ ad alias capessendas scientias sunt necessaria, vocatur ars, est etenim proprium artis parare omnia, quæ ad aliquod opus extra mentem artificis requiruntur, vt patet de arte textoria, ædificatoria &c. at ex eo quod ipsa vtimur circa alias, est instrumentum, vel organum. Sed ad diuisionem in suas partes accedamus; potest ergo dupliciter diuidi, vno modo in vniuersali, & sic tres continet partes tribus intellectus operationibus correspondentes: ipse etenim intellectus, aut res simpliciter apprehendit, aut eas componit, & diuidit, aut circa ipsa discurrit: vt primò cognoscit hominem v. g. & est prima operatio; deinde dicit, eum esse animal, vel non esse asinum, & est secunda, vel tandem, ex eo quod est animal, colligit esse sensitiuum, & erit tertia: primæ itaq; operationi respondet liber Prædicabilium, & prædicamentorum, in quibus res solum aliquæ ad Logicam attinentes, quasi simpliciter considerantur. Secundæ respondent libri Perihermenias, vel de Interpretatione, in quibus agitur de propositionibus, quæ in compositione, & diuisione, seu in affirmatione, & negatione (quod idem est) consistunt. Tertiæ respondent libri Priorum, in quibus agitur de forma, & modo syllogismi, libri Posteriorum, in quibus tractatur de syllogismo demonstratiuo, libri Topicorum, vbi agitur de syllogismo probabili; ac tandem libri Elenchorum; vbi de sophistico determinatur. Horum autem librorum, hi, qui de Topicis inscribuntur, ad eam partem, quæ inuentiua dicitur, attinent; alij autem ad resolutiuam, nam in libris Priorum resoluitur syllogismus in suos terminos secundum modum, & figuram; in libris Posteriorum in propositiones necessarias; & in elenchis in errores euitandos. Quia tamen hæc resolutio infirmitatem ipsius syllogismi continere videtur; non nuncupantur hi libri resolutionum, vel analyticorum, sicut denominantur libri Priorum, & Post. vel fortè libri Elenchorum reduci possunt ad inuentiuam, pro vt sunt defectus syllogismi Topici. Circa quæ est aduertendum, quod non solum resolutio, sed etiam, & principalius compositio syllogismi in prædictis libris intenditur; Sed quia in resoluendo videtur quædam exactior perscrutatio eorū, quæ in compositione fuerunt, hinc accepta est denominatio. At si quis dicat: nonne vniuersa Logica in inuentiuam, & resolutiuam, seu (vt dicebant olim) in Topicam, & Dialecticam diuiditur? in qua ergo parte ipsius libri Prædicabilium, prædicamentorum, ac Perihermenias continebuntur? Respondetur, quod reducuntur ad resolutiuam, nam ex eis, termini, & propositiones cognoscuntur, atq; ex vtrisque syllogismi conficiuntur, & in eos vltimatè resoluuntur: particulariter vero ipsa Logica in decem, & octo partes diuiditur, quæ sunt, liber Prædicabilium, liber Prædicamentorum, duo de Interpretatione, seu Perihermenias, duo Priorum, duo Posteriorum, octo Topicorum, & duo Elenchorum; quorum ęthimologiæ, ratio, ac materia, (ne limites introductionis egrediamur) suo loco secundum opportunitatem examinabuntur.

CAPVT III.

De Inuentoribus, fine, officio, ac instrumentis Logicæ.

Logicæ inuentio ab aliquibus Zenoni, à quibusdam Architæ Tarentino, ab alijs verò Platoni tribuitur; sed fortè à primo prædicto incepit, & ab alijs incrementum sumpsit; quomodocunque tamen res se se habeat, rudis, & imperfecta ab ijs omnibus tradita fuit; atque ab Aristotele sic in exactam, atque absolutissimam formam redacta est, vt meritò solus eiusdem Auctor ab omnibus, vel quamplurimis censeatur. Istius autem inuentionis occasionem ad cauillationes sophystarum repellendas desumpserunt: suis namque argutijs notissimam veritatem confundebant; quapropter dialectica cognitione, qua errores manifestarentur, ac veritas elucesceret, opus fuit: ex quibus facilè finis, & necessitas eius colligitur, vt videlicet occultas, ac difficiles veritates circa quascunque scientias facilè percipere possimus, ac errores circa eas sophisticè incidentes remouere. At quoniam id commodè ab ipsa Logica præstari non poterat, nisi regulas determinatas, vel aptissima ad id instrumenta præberet, hinc colligitur eius officium; quod est tradere conuenientia instrumenta ad finem prædictum consequendum; ipsa autem instrumenta sunt tria, idest Definitio, Diuisio, & Argumentatio; quæ etiam modi sciendi dicuntur; de quibus ante omnia breuiter determinare oportet; nam si instrumentis necessarijs circa aliquod opus non polleamus, nec opus ipsum consequi poterimus. Solet etiam in principio de materia, & eius necessitate tractari; sed quoniam peculiares, ac non sine argumentis continent examinandas difficultates; pro quæstionibus referuntur. Nunc autem simpliciter dicamus; materiā ipsius Logicæ esse syllogismum; quia cuiusq; facultatis materia est, illa, circa quā talis facultas versatur; Logica vero omnia ad syllogismum efficiendum dirigit; quare ipse erit eiusdem materia, vt fusè in proprio loco dicetur. De necessitate etiam pro nunc sufficienter tetigimus. Ad instrumenta itaque redeamus.

CAPVT IIII.

De Definitione.

Definitio est oratio, quæ rei naturam explicat per partes essentiales, vel per genus, & differentiam. Dicuntur partes essentiales, quæ essentiam, vel naturam alicuius principaliter constituunt; vt anima, & corpus respectu animalis. Genus autem (pro nunc) dicitur natura vniuersalis, quæ pluribus, ac diuersis naturis particularibus conuenit, v. animal respectu hominis, leonis, equi, & aliorum animalium; omnibus namque his conuenit; Differentia vero est id, per quod aliquid ab aliquo differt. vt rationalitas est differentia hominis, quia per ipsam differt à cæteris animalibus; hinnibilitas equi, &c. Cum ergo, vel partes essentiales, vel genus, & differentia ad aliquid explicandum assumuntur; illa explicatio dicitur definitio; vt si velimus definire hominem, ac esse animal, ex anima rationali, & corpore constitutum, dicemus, erit hæc definitio per partes essentiales. At si dicamus, esse animal rationale, erit pariter definitio, sed per genus, & differentiam;

rentiam; inter quas definitiones hoc est discrimen; quod ea, quę ex partibus essentialibus conflatur, est magis particularis, atque physica vocatur; ea, vero quæ datur per genus, & differentiam est vniuersalior, & ab Arist. in primo de Anima vocatur dialectica; à quibusdam vocatur Metaphysica; nam & Dialecticus, & metaphysicus res magis vniuersaliter considerant. Ex prædicta definitione tria pro maiori intelligentia deduco corollaria; primùm, quod vna vox non poterit aliquid definire; nam neq; est oratio, nec plures partes explicat; secundũ, quod quæ carent partibus, seu sunt penitus simplicia, neq; definiuntur. Tertium, quod vniuersalissima, quæ non habent supra se aliquod genus, nec veram obtinebunt definitionẽm. Præter hanc definitionem dantur duo alia genera notificationis, quorum vnum vocatur Ethymologia, aliud Descriptio. Quæ quia veræ definitiones non sunt, & de ipsis tractabitur in locis topicis, nunc dimittantur, & ad veram definitionem melius explicandam iterum redeamus. Potest itaque etiam assignari definitio per causas, atque causalis vocabitur, sicut præcedens dicitur quidditatiua. Quæ causalis, vt clarius pateat, de ipsis causis, pro vt præsens fert institutum, breuiter aliqua dicamus. Sunt ergo causæ quatuor: idest efficiens, materialis, formalis, & finalis. Efficiens, est à qua aliquid fit, vt Deus, & homo sunt sic causa alterius hominis. Materialis, est ex qua aliquid fit, vt sanguis, caro, os, vel totum corpus est eiusdem hominis materialis causa. Formalis est, qua res habet esse completum, & perfectum secundum suam naturam; vt anima rationalis respectu eiusdem hominis. Finalis est, gratia cuius, vel propter quam aliquid fit, vt finalis eiusdem est fælicitas, vel bona actio, nam ad hoc natus est. Ex istis itaque causis quãdoq; definitio efficitur, vt docet Arist. 2. Post. & causalis vocatur; at re vera solum, quando datur per causam efficientem, & finalem, causalis nuncupari debet; nam si fiat per materialem, & formalem, dicitur, & est essentialis, quia materia, & forma sunt de essentia rei; quamobrẽ omnis definitio essentialis est causalis, sed non è contra; atque vt vna ab alia distincta appareat, ea, quæ datur per materiam & formam, quamuis sit causalis, essentialis dicitur (atque est perfectissima; sicut est ea, quæ constat ex genere, & differentia, quæ etiam essentialis vocatur) alia dicitur pure causalis, & non est ita perfecta. Potest autem causalis definitio per vnam, duas, tres, atque quatuor assignari causas; verum cum per vnam solam datur, vt plurimum est imperfectissima, & insufficiens, nisi vel aliquo modo adiuuetur, vel dicatur per vnam, eo quod illa sit in tali definitione principalior, & magis explicatiua; & si de quacunque sola causa hoc sit verum; verissimum erit de materiali, quæ nunquam sola naturam alicuius declarabit, nisi in quibusdam puris artificialibus, quorum ratio in mistione diuersarum materierum consistit, vt accidit de nonnullis potionibus, medicinis, &c. Sed ad exempla accedamus per causam itaque efficientem sic homo v. g. definietur, est animal ab homine sibi simili in natura genitum. Per materialem, domus est structura ex lapidibus, lignis, & calce confecta; oxymel est potio ex melle, & aceto. Ex formali, homo est animal rationali anima præditum; Ex finali, est animal ordinatum ad fęlicitatem. Si quis vero per plures definire velit; prædictas complicet (quod facilè est) & habebit intentum. Tres sunt conditiones bonæ definitionis, siue causalis, siue quidditatiuæ, prima, quod sit clarior definito, nam inuenta est ad illius naturam explicandam; quod efficere nequibit si sit obscurior, aut æque clara cum ipso. Hoc autem intelligendum est quo ad cognitionem distinctam, quæ est respectu partium, ita vt quando partes alicuius rei cognoscuntur, dicitur res illa distinctè cognita; nam respectu cognitionis confusę (quæ in cognitione nominis duntaxat consistit) definitùm potest esse clarius; magis etenim est ab omnibus, hoc nomen, homo, cognitum; quam definitio eius. Secunda cõditio, quod sit cũ suo definito reciproca; idest, quidquid vni cõuenit, & alteri conueniat; & quod non conuenit vni, neq; alteri, vt si homo sit coloratus, & animal rationale erit coloratum, & si homo non sit quadrupes, nec animal rationale. Quæ conditio intelligi debet de definitione, & definito, pro vt sunt in natura; quia quatenus sumuntur voce, vel mente, vel scriptura, conditio deficit: nam est verum dicere. Definitio est oratio, & tamen definitum non est oratio. Tertia conditio. In definitione nihil sit superfluum, nec diminutum, sed definito æquetur, ac solam ipsius naturam penitus explicet. Quare, si quis diceret, hominem esse animal, definitio est diminuta: quia non totam eius naturam explicat: cum sit etiam rationalis; Si vero dicat, esse animal rationale, pulchrum, erit excedens; quia pulchritudo non est de essentia, vel natura hominis. Si ergo omnes has tres conditiones simul definitio continebit, erit bona, si vero aliqua ipsarum deficiat, erit mala.

CAPVT V.

De Diuisione.

Diuisio est distributio totius in suas partes; quamobrem nihil diuidi potest, nisi partes habeat; nihil ve habet partes, nisi sit totum. Et quot modis dicitur totũ, tot erunt genera diuisionum; de quibus ex professò determinabimus in Topicis. Ipsa autẽ diuisio in communi est duplex, videlicet realis, & Logica. Realis est, qua aliquid verè in suas partes secatur, vt lignũ in frusta &c. quæ non pertinet ad scientias, licet super ipsam fundetur. Alia diuisio, logicalis est, quæ fit mẽte, voce, vel scriptura, nã partes alicuius solum mente diuisas concipere possumus; vel eas voce, aut scriptura enumerare. Atq; hæc quoq; est duplex, nempè rei, & nominis. Rei est, dũ aliquod totum in suas partes diuiditur, ita vt fiat consideratio supra rem ipsam, non supra nomen eius. Nominis itaq; est, dũ aliquod nomen, vel dictio plura habet significata, & ipsa in hæc resoluitur, sicut si diceremus; Gallus; auẽ, & hominem Galliæ significat. Quæ non tãtũ ad simplices dictiones, sed ad orationes quoq; plures sensus continentes extenditur, de quibus dicetur in fallacia de Amphibologia. Tres sunt vniuersales conditiones bonæ diuisionis; quæ videlicet omnes simul cuilibet diuisioni cõpetere debent; & præter has, est quædã alia, quæ solum aliquibus aptatur, vt patebit. Prima, quod quælibet pars, vel membrũ diuidens sit minus ipso toto diuiso, nã si sit æquale, vel ipsum diuisum excedat, diuisio erit mala; vt si diuidamus animal sic; Animalium, aliud rationale, aliud sensitiuum, non erit bona diuisio, quia sensitiuum est æque amplum cum animali, ita vt omne animal sit sensitiuum, & per consequens cum rationale sit etiam animal, erit etiam sensitiuum, nec intelligi poterit, vt ab ipso diuisum sit: vnde diuisio erit nulla; magis autem absurdum esset, si vnum membrum esset excedens; vt animalium, aliud rationale, aliud viuens: nam ipsum viuens in rationali, & in alijs animalibus, immo & in plantis quoque includitur, vnde non erit pars animalis, nec ab ipso diuisibile, vel separabile. Secunda conditio, quod omnes partes simul sumptæ sint æquales diuiso; ad hunc sensum, quod omnes ita exactè enumerentur, vt nulla desit, neque aliquid, quod non est pars totius diuisi, addatur; nam si desit, diuisio erit insufficiens, si sit superflua, non pertinebit ad diuisionem illã: Exemplum, dum aliqua pars desit. Elementorũ aliud ignis, aliud aer, aliud aqua, in qua deest terra. Exemplum, dum est superflua. Elementorũ aliud ignis, aliud aer, aliud aqua, aliud terra, aliud cęlum, ipsum namq; cęlum, elemẽtũ non est. Tertia conditio, quod membra, vel partes diuidentes ita sint inter se oppositæ, vt non possint secundum eundum modum esse simul; nam est magna repugnantia, quod aliquid sit

diuisum, & secundum eandem rationem sit simul cum eo, à quo diuisum, vel separatum intelligitur, v. g. hæc est bona diuisio: animalium, aliud rationale, aliud irrationale: quia rationale non potest esse simul cum irrationali. Similiter, hominum, alius doctus, alius indoctus, vel alius albus, alius niger. Sed si diceremus, hominum alius albus, alius doctus, vel alius doctus, alius diues, diuisio esset mala, quia aliquis potest esse simul albus, & doctus, atque doctus, & diues. Sed si quis diceret; non ne possumus diuidere hominem in suas passiones, quæ tamen sunt simul cum ipso; vt hominis alia passio est ira, alia concupiscentia, alia spes, alia timor, &c. Respondetur; quod licet istæ, atque huiusmodi aliæ passiones, vel hominis, vel alterius animalis sint simul in illo; tamen secundum se, vel suam rationem sunt oppositæ, quod sufficit; nam per ly non posse esse simul, non intelligimus semper de simultate loci, sed de repugnantia, & diuersitate, secundùm naturam talium partium: ita quod vna non possit esse alia. Quarta conditio, quod dum diuisum multas habet partes, ipsum prius in maiores diuidamus, deinde singulas eius partes in alias minores secemus (quod vocatur subdiuidere) aliter generaretur confusio; vt non videtur possibile, nec doctrinæ (quæ ordinem & distinctionem includit) consentaneum; quod statim homo v. g. in omnes, & singulas partes diuideretur. Sed accipiendo maiores, ordinem prædictum seruabimus, vt hominis, alia pars caput, alia collum, alia brachia, alia pectus, alia venter, &c. Deinde, capitis alia pars frons, alia oculi, alia nares, alia genæ, &c. postea aliud maiorum membrorum, eodem ordine accipiatur. Dum verò paucas partes diuisum continet, in omnes simul statim diuidi potest, vt planetarum, alius Saturnus, alius Iuppiter, alius Mars, alius Sol, alius Venus, alius Mercurius, alius Luna; Elementorum, aliud ignis, aliud aer, aliud aqua, aliud terra. Quidam aliam quandam addunt, videlicet, quod diuisio debeat esse bimembris; Sed hoc non est necessarium, nam tot membra accipi debent, quot sunt partes principales totius diuisi; nisi dicerent, quod vnum membrorum accipitur negatiuè, & aliud positiuè, vel affirmatiuè; vt animalium aliud rationale, aliud non rationale, vel, elementorum aliud ignis, aliud non ignis. At sicut negatio est nihil, sic neq; pars diuisi esse poterit, nec ad diuisionem attinere; quamobrem hæc conditio reijcienda est, & interdum duarum, quandoque trium, aliquando plurium partium diuisio esse poterit, vt in exemplis prædictis patet.

CAPVT VI.

De Argumentatione, & Consequentia.

ARgumentatio est oratio duas continens partes, quarum vna ex altera consequi denotatur mediãte nota illationis; prima pars vocatur antecedens, secunda consequens; atque illa particula, qua simul connectuntur, & vnum ex altero sequitur, nota illationis dicitur; quasi sit notitia, quod consequens ex antecedenti sequatur; vt hæc est argumentatio, homo est animal, ergo homo est viuens, in qua (homo est animal) est antecedens; (homo est viuens) est consequens, & (ergo, vel, igitur) est nota illationis: quæ est veluti forma, vel anima ipsius argumentationis, ita vt sine ipsa non diceretur argumentatio, sed duo dicta, vel propositiones. Vnica est bonæ argumentationis conditio, videlicet, quod consequens verè sequatur ex antecedente, siue antecedens sit verum, siue falsum nihil refert; vt hæc est bona, homo volat, ergo homo habet alas, nam hoc consequens à præcedente antecedenti rectè infertur; si autem non sequatur, quamuis vtrumque esset verum, argumentatio esset vitiosa, vt patet de hac, Homo est animal, ergo est rationalis; non enim ex animali sequitur rationale, aliter quicquid est animal, esset etiam rationale. Dum ergo verè sequitur consequens, dicitur argumentatio bona, eò quod in ipsa recta est consequentia, quæ nihil aliud est, quam illud sequi, quod neque voce, neque scriptura explicatur; atque a consequenti quam plurimum differt; nam consequens est illa expressa propositio, vel pars, quæ ponitur post notam illationis ac ex eo differre apparet, quod interdum cum optima consequentia falsissimum est consequens; vt patet in hac argumentatione; homo est asinus, ergo homo est irrationalis. Est itaque consequentia (vt definitiuè ipsam explicemus) habitudo consecutionis antecedentis ad consequens; idest nexus necessariæ vnionis vtriusque. Ipsa autem consequentia est duplex, videlicet materialis, & formalis. Dicitur materialis, dum aliquid ex alio inferimus, quatenus habet cum illo alio necessariam quandam vnionem, & inseparabilitatem; ita vt quoniam in illa natura materiali, vel existenti continentur, circa eandem in consequentiam, & argumentationem adduci possunt; vt quoniam in natura hominis necessariò includitur animal, rationale, risibile, flebile, &c. hinc bene arguimus, Plato est homo, ergo est animal, ergo est rationale, &c. Quæ tamen est bona; atque ipsius bonitas melius hac regula cognoscetur. Quicquid repugnat consequenti, repugnat antecedenti; & quicquid sequitur ad consequens, sequitur etiam ad antecedens; dummodo loquamur de ijs, quæ ex sua natura eis conueniunt, (vt excludamus, quę sibi competunt ratione accidentali, vel per intellectum) vt hæc est bona consequentia; Petrus est homo, ergo est animal; nã quæ repugnant animali, repugnant Petro, vt si animal non sit incorporeum, nec Petrus; si ei repugnet immortalitas, & Petro. Pariter quæ ipsum sequuntur, sequuntur etiam antecedens, vt Animal est viuens, ergo & Petrus; Animal est substantia, ergo & Petrus; vnde patet quod diximus. At consequentia formalis dicitur, quæ non ratione connexionis materialis, sed propter formam syllogisticam vnum ex altero sequitur; quæ sic est bona, vt quælibet sibi similis in eadem forma erit bona; vt omnis homo est lapis, Petrus est homo, ergo Petrus est lapis; hæc consequentia tenet virtute syllogismi, non ratione connexionis; Hæc autem est communis ferè omnium logicorum circa has consequentias recepta sententia; quæ pro tyronibus posset sic iniudicata dimitti, at si quis altius specularetur, fortè hæc non appareret inter vtramq; distinctio; nam in formali quoq; ratio concludendi est mediũ, quod in eadem connexione consistit, sed quatenus peculiarem dispositionem, vel formam respicit, ad differentiã alterius formalis dici posset; quod altius prosequi, posset captum adolescẽtium superare; ideò in aliud tempus reseruetur, & hæc secundum communia (sicut hic decet) dicta sint. Quatuor sunt species argumentationis, syllogismus, inductio, enthymema, & exemplum; de quibus suo loco, nẽpe in tractatu de syllogismo dicemus. Nunc ad prima eiusdem logicæ rudimenta redeamus.

CAPVT VII.

De Sono atque voce.

QVemadmodum Grãmatica ex literis (quas elemẽta vocant) incipit; sic Logica à quibusdam dictionibus, qui termini dicuntur (explicatis prius instrumentis, sine quibus nil aggredi commode posset) ortum habet; At quoniam præcipuè vocalibus terminis vtimur, de voce, & sono, qui ad hos terminos attinẽt, aliqua pauca (ex professo etenim est locus in 2. de Anima) dicenda sunt. Est igitur sonus qualitas causata ex percussione duorum corporum, vel vnius supplentis vicem duorum, atque per se propriè ab auditu perceptibilis, vt sonus cãpanæ ex ipsa, & malleo eius causatur; sonus zonæ ex ipsa,

& aere

& aere percusso; si vero vna pars zonæ aliā verberet, ibi tunc partes supplent vicē duorū. Quod autē sit qualitas quædā, ac solum ab auditu ex sua natura, & propriè percipi possit, supponatur nunc ab incipientibus, nam aliter esset simul diuersas scientias confundere, ac ordine præpostero res tradere, simulq; ipsorum capacitas superaretur. Diuiditur sonus in simplicem, & vocalem, simplex est, qui causatur ex corporibus non sentientibus, vel non per modum sentiendi operantibus, exemplum de non sentientibus, sonus campanæ, aeris, fragor arborum, &c. exemplum de eo, cui causatur à sentientibus, sed nō per modum sentiendi, strepitus pedum, manuū, sonus tubæ, sibilus, &c. sonus autem est vox, vel vox ipsa (idem enim sunt) est sonus ab ore animalis prolatus, naturalibus instrumentis formatus, ad aliquid repræsentandū; naturalia autē instrumenta ad ipsam formandam sunt decem, videlicet, guttur, lingua, palatum, quatuor dentes, duo labia, & pulmo; quod intelligitur ad vocem perfectā, & articulatam formandam, vt suo loco; nunc ad aliud secūdum nostrum propositum transeamus. Vox igitur diuiditur in significatiuam, & non significatiuā. Significatiua est, quæ præter se ipsam aliquid aliud audientibus repræsentat; vt hæc vox homo, non solum sonum illum, vel prolationem, sed naturam humanam audientibus denotat. At vox non significatiua est, quæ solum se ipsam audientibus repræsentat, sicut sunt voces inarticulatæ, nam præter talem sonum aliud nobis non manifestant. Vbi animaduertendum est, quod aliquę voces aliquibus sunt significatiuæ, quæ tamen alijs non sunt; quod non prouenit ex parte vocis; nā quando aliquid ex sua natura est tale, vbiq; tale erit: sed id accidit ex defectu audientis, vt patet de aliquo idiomate, quod non percipiatur; vel clarius, voces Hebraicæ callentibus tali lingua sunt significatiuæ, alijs verò nequaquam. Sed ad significatiuam, (quæ huius negotij sola interest) reuertamus. Vox autē significatiua est duplex, videlicet significatiua naturaliter, & ad placitum, seu voluntariè: Illa naturaliter significat, quæ ex instinctu naturæ aliquid præter se ipsam repræsentat; vt cantus auium, latratus canum, fletus infantium, gemitus infirmorum &c. Vox significatiua ad placitum est, quæ ex voluntate hominis aliquid præter se ipsam repræsentat; cuiusmodi sunt omnes voces, quibus vtimur in sermone; hæ etenim ex voluntate primorum instituentium non ex sua natura significant, qua de causa non eædem sunt apud omnes nationes. Sed sciendū est, quod significatio tàm naturalis, quàm ad placitū, non solum in vocibus, sed etiam in rebus reperiri potest; vt fumus est naturaliter significatiuus ignis; pulsus inordinata frequentia febris, &c. In volūtarijs verò sonus tubæ, vel tympani belli, campanæ, lectionis, ramus vini vendibilis signa sunt, &c. obseruandū est etiā, quod vox non significatiua potest significare se ipsā, vel etiā suum prolatorem, attamen quia præter hæc aliud non repræsentat, significatiua non dicitur. Nontandum est, etiam, quod vox significatiua ad placitū est, quæ propriè vocatur terminus, vnde qui diuidunt terminos in significatiuos, & non significatiuos, non bene faciunt, si quidem omnes termini significatiui, vel saltem consignificatiui sunt, consignificatiuos voco; qui non principaliter significāt, sed benè cum alijs; vt negationes, & quamplurima aduerbia; si ergo aliqua vox non significatiua sit, nullatenus terminus vocari debet, sed vox tantùm. Quæ omnia clarius patebunt, si ad ipsorum terminorum explanationem accedamus.

CAPVT VIII.

De Terminis.

TErminus est vox significatiua ad placitum, ex qua omnis oratio, vel discursus componitur. At quāuis solus terminus, qui voce profertur iuxta hanc definitionē verè terminus dici posset; attamen etiā qui mente, & scriptura exprimuntur iam ex communi vsu termini vocantur, & meritò, quia ordinē habent ad vocalē; ita vt mentalis sit ipsius vel causa, vel origo, & scriptus, eiusdem veluti imago, vel signum. Triplex ergo est terminus, mentalis, vocalis, & scriptus, mentalis, qui mente, vocalis, qui voce, & scriptus, qui calamo, seu scriptura profertur. At mentalis vocatur quoque conceptus, quasi primo ipse à mente concipiatur, & est duplex; videlicet vltimatus, & non vltimatus, vltimatus est, qui ad rem per talē terminum significatam fertur, & dicitur tunc vltimatus rectus, vel cū concipimus, aut cognoscimus nostrā cognitionē, & tunc est etiam vltimatus, sed reflexus. Non vltimatus est solius termini cognitio, vt si solū nomen hominis v. g. mediter, nihil de natura eius cogitando, est nō vltimatus terminus; quia finem, ad quē dirigebatur, non attingit. Hæc autem diuisio termini in mentalem, vocalē, & scriptum omnibus terminis aptari potest; immò & quibuscunq; sermonibus; nā omnes cōcipi, proferri, & scribi possūt: vnde iure ante alias terminorū acceptiones hanc posuimus. Ad alios itaq; accedamus. Terminorū itaq; alij sunt æquiuoci, alij analogi, alij vniuoci, alij synonymi. Equiuoci sunt, qui sub vna voce diuersas continent naturas, vel significata absq; ordine vnius naturæ ad aliam: vt hic terminus, Gallus, qui significat hominem Galliæ, & gallū gallinaceū. Analogi, qui pariter sub vna voce plures naturas significant, hoc tamen ordine, quod vna ab alia dependeat, & per cōsequens prius vna, quam altera significetur: vnde habetur regula, quod terminus analogus positus absq; restrictione, accipitur pro principaliori significato; vt hic terminus (sanum) est analogus respectu veræ sanitatis, quæ est in animalibus, & respectu aeris, dietæ, & medicinæ; nam dicitur sanum animal, sanus aer, sana diæta, & medicina: Sed hæc dicuntur sana in ordine, vel ad faciendam, vel ad conseruandam veram sanitatem animaliū, & præcipuè hominum: vnde si ponatur solus, dicendo v. g. in hac ciuitate est sanitas, de sanitate primo modo dicta intelligendum est. Terminus vniuocus est, qui sub vna voce vnam naturam pluribus conuenientem continet, vt homo, animal, &c. nam homo conuenit pluribus hominibus, animal pluribus animalibus, &c. Synonymi sunt, qui plures existentes idem penitus significant, vt vestis, & indumentum, ensis, & gladius, Marcus: Tullius, & Cicero. Terminorum, alius cathegorematicus, alius syncathegorematicus, alius mistus. Cathegorematicus est, qui per se solus aliquid significat, vt homo, leo, &c. Syncathegorematicus est, qui non significat nisi cum alio iungatur, vt omne, nullum, aliquod, &c. qui termini dicuntur signa. Mistus est, qui aliqualiter significat, vt benè, malè, & omnia aduerbia.

Terminorum item alius communis, alius singularis. Communis dicitur, qui plura vniuocè (vel secundum eandem naturā) significat, vt homo, qui significat omnes homines eandem humanam naturam participantes: quare si sit aliquod nomen, quod pluribus conueniat, nec naturam secundùm nomen cōmunem habeant, erit terminus æquiuocus: vt hoc nomen Petrus, vel Antonius, respectu omniū, qui eodē nomine vocantur, æquiuocus est, quia nullus participat eādem Petri, vel Antonij naturā, & si participent humanā: sed tunc in homine conueniunt, & homo erit terminus vniuocus respectu ipsorum, non autē Petrus, vel Antonius. Terminus singularis (qui etiam discretus dicitur) est, qui rē aliquā singularem significat; atque est quadruplex, videlicet determinatus, vagus, collectiuus, & ex suppositione. Determinatus est, qui per propriū nomen, vel per cōmune cū pronomine demonstratiuo rē ipsam singularē significat, vt Petrus, hic homo, ille homo. Vagus, est, qui vnū significat indeterminatè, nēpè mediāte termino cōmuni, & signo particulari; vt quidā homo, quidā equus, & solet vocari terminus particularis, qui paulisper est am-

plior singularis. Collectiuus est, qui rem aliquam singularem ex diuersis rebus collectam significat, vt Roma, p.ataium, & alia nomina vrbium, oppidorũ, castrorum, rurium, &c. Ex suppositione dicitur terminus, qui ex sua natura est communis: sed per casumq; aut suppositum (quod idem pro nunc sit ad intelligentiam) non habet, nisi vnum singulare sub se. v. g. Filius Petri est terminus communis, quia de omnibus eius filijs verificari potest, at si per suppositum non sit, nisi vnicus ipsius filius, est tunc ex supposito singularis: quo pacto Sol, Luna, Phœnix sic singulares sunt.

Item diuiduntur termini in complexos, & in incomplexos. Dicuntur complexi duo termini se habentes per modum substantiui, & adiectiui, vt homo albus, homo niger. Incomplexi sunt, qui per se accipiũtur soli, vt homo, vel albus. Terminorum alius concretus, alius abstractus. Concretus est, qui alium cõcernit, & ab alio denominatur, vt homo respectu humanitatis, album respectu albedinis; nam homo dicit humanitatem, & ab ipsa humanitate denominatur, & sic dicitur concretus, quasi sit humanitas coniuncta cum alio, vel albedo cum re alba. Abstractus est, qui consideratur quasi separatus, & qui denominat aliud, vt humanitas est abstractus respectu hominis, albedo respectu rei albæ; nam humanitas veluti ab homine diuisa intelligitur, ac ipsum denominat.

Item alius absolutus, alius connotatiuus. Absolutus dicitur, qui per se solum vnam naturam significat, siue concretè, siue abstractè, vt homo, humanitas, albedo. At connotatiuus est, qui principaliter aliquid significat, sed secundariò connotat aliud: vt album præcipue significat albedinem, sed secundariò rem habentem albedinem: quare, ad hoc vt aliquis terminus verè dicatur connotatiuus, debet esse concretus accidentalis, vt album, nigrum, doctum, &c. & sic omnes connotatiui sunt concreti, sed non è contra, nam homo est terminus concretus, non autem connatatiuus. Item alij conuertibiles, alij non conuertibiles. Conuertibiles sunt, quorum vnus infert, & ab illo infertur, vt homo, & risibile, homo, & rationale, nam valet dicere, est homo, ergo est risibile, & est risibile, ergo est homo, pariter de rationali, & de quacunque proprietate, & differentia respectu illorum, quorum sunt proprietates, & differentiæ, idem de definitione, & definito dicatur; alij sunt nõ cõuertibiles.

Terminorum item alij limitati, alij transcendentes; limitati dicuntur, quicunq; rem aliquam determinatam significant. Transcendentes sunt, qui significant res omnes diuersorum generum, vt ibi, ens, res, aliquid, vnum, bonum, verum, actus, potentia, &c. qui verò res vnius prædicamenti significant, sunt limitati.

Item alij sunt primæ intentionis, alij secundæ. Dicuntur termini primæ intentionis, qui res veras, seu reales significant; vt homo, leo, &c. Sed secundæ intentionis sunt, qui significant res logicales, vel grammaticales: vt oratio, syllogismus, definitio, diuisio, fallacia, genus, species, &c.

Diuiduntur denique termini in pertinentes, & in impertinentes. Pertinentes dicuntur, qui ad bonam argumentationem affirmatiuam, vel negatiuam attinent: ad affirmatiuam pertinent, qui ex alijs inferuntur, vt animal, risibile, viuens, substantia, & alij respectu hominis: nam si homo est, animal, & risibile, & viuens, & substantia est; quamobrem dicuntur pertinentes sequela, pro vt vnum alius sequitur; pertinent ad negatiuam, qui sic se habent, quod posito vno, remouetur alter, ac dicũtur propterea pertinentes repugnantia, & sunt quintuplices, nempè contrarij, contradictorij, relatiui, priuatiui, & disparati; contrarij, vt album, & nigrum, calidum, & frigidum, humidum, & siccum, &c. cõtradictorij, quorum, vnum sine negatione, & alter, vel idem cum negatione ponitur, vt homo, non homo. Relatiui, qui ad inuicem referuntur, vt pater & filius, æquale, & aliud æquale, &c. Priuatiui sunt, quorum vnus significat habitum, vel formam, alter carentiam illius, vt visus, & cæcitas, auditus, & surditas. Disparati sunt qui significant naturas diuersas, vt homo, & equus. Qui omnes sic se habent, quod posito vno ipsorum, remouetur alter, & sic negatiuam bonam argumentationem efficiunt; vt in cõtrarijs, hoc est album, ergo non est nigrum: in contradictorijs; hic est homo, ergo falsum est quod sit non homo, in relatiuis: hic est pater Antonij, ergo non est filius eius; sic namq; respectu eiusdem sumi debent; nam respectu diuersorum: idem potest esse pater, & filius, in priuatiuis, hoc est videns, ergo non est cęcum: in disparatis, hic est homo, ergo non est equus: impertinentes dicuntur, qui neq; ad affirmatiuam, neque ad negatiuam argumentationem attinent, ita vt, neque inter se connexionem, neque repugnantiam habeant; vt album, & doctum, nigrum, & ignorans, diues, & sapiens, &c. hi enim nec necessariò conueniunt, neq; repugnant; non enim valet arguere, hic est albus, ergo est doctus, neq; est albus, ergo ignorans. Circa quos omnes, hoc vnum est animaduertendum, quod idem terminus diuersa consideratione poterit multipliciter dici: vt terminus incomplexus erit vniuocus, æquiuocus, abstractus, concretus, &c. nisi faciamus comparationem inter significata repugnantia; quæ contemplatio facilè applicari poterit, vt æquiuocus non potest esse vniuocus, neque cõmunis singularis, &c.

Terminorum tandem, alij essentiales, alij accidentales. Essentiales, qui pertinent ad essentiam alicuius, vt rationale, & animal respectu hominis, &c. Accidentales, qui eidem essentiæ accidentaliter competunt, vt album, nigrum, &c.

CAPVT IX.

De nomine, & verbo.

INter omnes terminos præcipuè sunt nomen, & verbum, ita vt alij ferè omnes ab Arist. dimittantur, & definitio, quam de termino tradit his duobus duntaxat conuenire videtur; ait enim in primo priorum capit. 1. Terminum autem voco, in quem resoluitur propositio, vt prædicatũ, & de quo prædicatur: sensus est, Terminum esse dictionem, ex qua componitur propositio tanquam ex subiecto, & prædicato, atque in ipsum resoluitur, vnde ly (de quo prædicatur) subiectũ significat: quæ omnia facilè clarescent in sequentibus, dum de propositione dicemus: Hi ergo duo termini, vt alijs principaliores exactius examinãdi sunt. Vterque itaque in primo perihermenias cap. 2. & 3. definitur nomen sic; Est vox significatiua secundum placitum, sine tempore, cuius nulla pars significatiua est separata, finita, & recta; quæ duæ particulæ vltimæ ex his, quæ in cap. illo sequuntur, habentur, sed singulas explicemus. Dicitur ergo primum, nomen esse vocem significatiuam ad placitum, nam voces non significatiuæ, vel quæ solum naturaliter significant, nomina non sunt; dicitur sine tempore, quoniam nullum tempus per ipsum designatur, vel potius non denotat actionem, nec passionem, quæ in tempore fiunt; Dicitur, quod nulla pars ipsius separata sit significatiua, quia constat solum ex syllabis, quæ significationem per se non habent, & si interdum accidat, quod partes nominis significatiuæ sint, vt patet in hoc nomine equiferus: hoc non conuenit eis, quatenus partes sunt talis nominis; sed pro vt alia ratione ex se dictiones sunt. Dicitur finita, i. quod sit vox determinata, & sine negatione; nam voces, vel nomina, quæ cum negatione sunt, (atque propter hoc infinita, vel indeterminata dicuntur) vt non homo, non leo, nomina non sunt, sed potius nomen ipsum negant. Dicitur denique, quod sit vox recta, idest casus nominatiui, quia alij casus, pro vt ab ipso nominatiuo dependent, nõ dicuntur principaliter nomina, sed casus nominis, quamuis, vocatiuus etiam dicatur

rectus,

rectus, vnde ad rationem nominis reuocari posset.

Verbum est, quod consignificat tempus, cuius pars nihil significat seorsum, & est semper eorum, quæ de altero prædicantur nota. In qua definitione subintelligitur vox significatiua ad placitum, cum illis duabus particulis finita, & recta, vt elicitur, ex eodẽ c.3. primi Periher. quare sic clarius pro iuuenibus exponatur. Verbum est vox significatiua ad placitum cum tempore, cuius pars separata nil per se significat, finita, & recta, atque est nota eorum, quæ de altero dicuntur. Dicitur significatiua ad placitum, vt excludantur (sicut in nomine) voces non significatiuæ, & naturaliter significantes. Dicitur cum tempore, ad differentiam nominis; nam verbum ipsum significat actionem, vel passionem, quæ præsenti, præterito, vel futuro tempore fiunt; dicitur finita, vt excludantur verba infinita, vt non amo, nõ lego; quia (vt dictum est de Nomine) verba non sunt. Dicitur recta, idest præsentis temporis indicatiui modi; alia enim tempora casus verbi sunt; pro vt videlicet cadunt, vel dependent à præsenti tempore indicatiui; cuius ratio est, quia nullum tempus veritatem habet, nisi interdum ad præsens reducatur, vt hoc præteritum (Petrus cucurrit) ideo est verum, quia aliquo tempore præsenti cursum arripuit, & pariter docebo, verum erit, si in tempore aliquo actualiter verificetur. Dicitur, nota eorum, quæ de altero dicuntur; nam ipsum verbum est nexus prędicati, & subiecti, seu est forma propositionis, in qua vnum prædicatur de alio (vt inferius dicetur,) & sic est nota, vel notitia huius prædicationis, & connexionis. At contra illam particulam (cum tempore) se se offert difficultas, nam etiam quædam nomina videntur cum tempore significare, vt patet de istis, dies, annus, hora, &c. Respondetur, hæc significare tempus, non autem cum tempore, nam significare tempus, est per terminũ ipsum tempus, vel aliquam partem eius repræsentare. At significare cum tẽpore, est actionem, vel passionem, quæ in tempore fiunt denotare: vnde illud nominibus, hoc solum verbis competit: dantur etiam quædam alia nomina, quæ non immediatè tempus significant, sed ipsum potius secundariò connotant, vel important; vt cęna, prandium, completorium &c. ex vsu enim, quod hæ operationes determinatis quibusdam horis fiunt, operationes ipsæ tales horas, vel tempora important.

CAPVT X.

De Oratione.

ORatio est vox significatiua ad placitum, cuius aliqua pars separata est significatiua, sed non vt affirmatio, vel negatio. Quæ definitio sic intelligi debet, quod oratio ipsa sit significatiua ad placitũ ratione suarum partium, non quod omnes eius partes sint solæ significatiuæ, sed sat est, vt aliqua earum sic se habeat, aliæ verò sint consignificatiuæ, & hac de causa Arist. in primo Periher. cap.4. vbi eam definit, solum aliquam eius partem significatiuam appellat, quãuis negari non possit, quod interdum ex omnibus per se significatiuis constitui possit; vt hæc (homo est animal) hæc autem solum ex quibusdam; (nullus homo est non animal) quia ly nullus, & ly non, sunt termini syncathegorematici, & per consequens non sunt significatiui, nisi cum alijs, & tamen sunt etiam partes orationis licet nõ principales. Dicitur, quod pars aliqua separata sit significatiua, sed non vt affirmatio, vel negatio, quia affirmatio ipsa, & negatio non possunt in vnica dictione consistere, sed solum in tota oratione. At præcipuè circa ipsam orationem obseruandum est, quod in eius definitione non ponitur, quod significet neque cum tempore, neque sine tempore; nam aliquæ cum tempore, & aliæ sine ipso confici possunt; de ijs, quæ fiunt cum tempore, non est difficultas, sed quæritur, quæ nam sine tempore fiant? nam si quãplures termini sine verbo ponantur; vel erunt omnes substantiui, vt homo, leo, iustitia, &c. vel omnes adiectiui, vt album, dulce, amarum, &c. vel substantiui, & adiectiui simul, vt homo albus, doctus, fortis, &c. primò modo, & secundò sunt termini diuersi, & incomplexi, quos vocare orationem, esset error circa principia; Tertiò verò modo sunt termini complexi, quos neque videtur consentaneum orationem appellare: quæ ergo oratio sine verbo, vel tempore erit? Respondetur, re vera instantiam esse efficacissimam, nec aliud dici potest, nisi quod solum definitio sit oratio, vt docet Arist. 1. Top. cap.4. in qua quidem non est verbum, vel tempus, vt animal rationale est definitio hominis, & si ponatur cum est, tamen ipsum est non pertinet ad definitionem. Et si dicatur; non ne animal, & rationale se habent vt substantiuum, & adiectiuum, & per consequens sunt vnus terminus complexus, & non oratio? Respondetur negatiuè, nam propriè substantiuum, & adiectiuum sunt substantia, & accidens, quia solum accidens adiacet (vt alibi) & consequenter nec est vnus terminus complexus, licet grammaticaliter, & substantiuũ cũ adiectiuo complexus terminus dici possint, at logicaliter dicantur termini hi omnes, & alij huiusmodi contractiui, & contrahibiles; ij namque, qui adiectiui videntur, contractiui sunt, alteri contrahibiles. Orationum alia perfecta, alia imperfecta; perfecta est, quæ explicat cõceptum dicentis, & animum audientis quietat; Imperfecta è contra, quæ videlicet nec illius conceptum explicat, neque istius animum quietat, sed restat aliquid interrogandum, sic se habent omnes orationes subiunctiui modi, quæ vnico verbo conficiuntur, vt si veneris, cum ambulaueris, licet hic disputet, &c. Perfecta est duplex, videlicet non enunciatiua, & enunciatiua: Non enunciatiua est, quæ licet explicet, & quietet, nihil veri, vel falsi dicit, sic se habent omnes imperatiui, & optatiui modi, si etenim dicam, Petre stude; vtinam essem sapiens, &c. in prima solum impero, in secunda desiderium denoto; nec aliquod verum, vel falsum assero. Enunciatiua est, quæ dicit verum, vel falsum, vt homo est animal, homo est lapis. Quæ quidem enunciatio, propositio, præmissa, & quæstio vocatur; si etenim sola ponatur, dicitur enunciatio, quasi simpliciter veritatem, vel falsitatem nunciet; at si ponatur in syllogismo, dicitur propositio, quasi pro alio ponatur, & re vera ponitur pro inferenda conclusione; Dicitur tunc pariter præmissa, quatenus conclusionem ipsam præcedit; Dicitur autem quæstio, pro vt est dubitabilis propositio nata fieri euidens per vim argumenti. Vsus tamen communis iam hoc ablato respectu ipsam enunciationem propositionem nuncupat, quem nos quoque sequendo sub eodem nomine ipsam, & ea, quæ illi conueniunt, determinabimus.

CAPVT XI.

De propositione Cathegorica.

PRopositio est (vt diximus) oratio verum, vel falsum significans; atque est duplex; videlicet Cathegorica, & Hypothetica. Cathegorica dicitur, quæ habet subiectum, prædicatum, & copulam tanquam partes principales sui. Subiectum est terminus, qui ponitur ante copulam, & sic definitur, est, de quo aliud dicitur; quia de ipso dicitur prædicatum. Prædicatum est, quod ponitur post copulam, & definitur sic; est, quod dicitur de alio, quoniam dicitur de ipso subiecto. Copula est verbum, quod subiectum, & prædicatum coniungit; vt homo est animal; in hac propositione homo est subiectum, animal prædicatum, & verbum, est, copula. Circa quod est sciendum, quod interdum explicitè, quandoque

doque solum implicitè copula ponitur. Explicitè, vt in præcedenti exemplo, implicite, vt homo currit, homo vincit, &c. & vt tunc cognoscatur, resoluitur in participium, vt homo est currens, homo est vincens, &c. Notandum est etiam, quod interdum fit propositio cum prædicato, quandoque vero solum cum copula, cum prædicato, vt homo est animal; sine, vt homo est. Prima propositio vocatur ab Arist. de est tertio adiacente, quasi ipsa copula prædicato, quod tertio loco positum fuit, adiaceat, vel ipsum copulet. Alia dicitur de est secundo adiacente, pro vt copula ipsa absque alio prædicato subiecto sit secunda. At si quis diceret; ergo definitio propositionis non est bona: quia non omnis propositio constat ex subiecto, prædicato, & copula. definitio autē competere debet omnibus contentis sub definito. Respondetur, quod etiam in prædicta propositione potest intelligi prædicatum; vt homo est, intelligitur, homo est ens, vel existens. Sic ergo ex histribus omnis Cathegorica propositio, tanquam ex partitibus principalibus constat, & notanter dicitur, tanquam ex partibus principalibus; quia etiam vt partes non principales multi alij termini ad ipsam constituendam pertinēt, vt signa, negationes, aduerbia, interiectiones, coniunctiones, &c. At ad alias eius conditiones accedamus. In propositione itaque hac assignatur materia, forma, quantitas, & qualitas. Materia eius vno modo accipitur pro terminis ex quibus componitur, & sic non est difficultas. Alio modo pro materia, vel re supra quam veritas, & falsitas ipsius propositionis fundatur; & cognoscitur per habitudinem, vel connexionem, quam habet prædicatum ad subiectum; atque sicut triplex hæc est habitudo, triplex ipsius est materia, nam vel prędicatum est de natura subiecti, vel est sibi accidentale, vel ab eo alienum, seu repugnans. Primo modo est materia naturalis, secundo contingens, tertio remota. Sunt ergo omnes propositiones in naturali materia, quarum prædicatum est de essentia, vel natura subiecti; siue sint propositiones affirmatiuæ, siue negatiuæ, nihil refert; vt homo est animal, homo est rationalis, vel homo non est animal, homo non est rationalis. Verum affirmatiuæ sunt necessariæ; negatiuæ impossibiles. In materia contingenti sunt omnes, quarum prædicatum potest inesse, & non inesse subiecto, vt homo est albus, homo currit; vel non est albus, aut non currit. In qua tam affirmatiuæ, quàm negatiuæ sunt contingentes, idest possunt esse veræ, & falsæ, ac prædicatum potest subiecto conuenire, & non conuenire. In materia remota sunt omnes, quarum prædicatum repugnat subiecto, siue sint affirmatiuæ, siue negatiuæ, vt homo est asinus, homo non est asinus. Attamen affirmatiuæ sunt impossibiles, & negatiuæ necessariæ; Impossibiles dicuntur, quæ nunquam possunt esse veræ, vt homo est lapis, &c. Necessariæ, quæ nunquam possunt esse falsæ, sed sunt æternæ veritatis, vt homo est mortalis, &c. Cōtingentes, quæ possunt essæ veræ, & falsæ, vt homo est albus, &c. Forma propositionis est copula, nam ab ipsa habet esse; quæ interdum in vnica propositione potest esse duplex, sed vna principalis, alia minus principalis, illa est principalis, quæ sensum propositionis terminat, ita vt alia ab ipsa dependeat, & sit resolubilis in modum subiecti participij: vt qui est studiosus erit doctus; ly erit, est copula principalis, nam ly est, potest remoueri, & ad subiectum redigi, dicendo studiosus, vel studens erit doctus. Quantitas eius est, quod sit vniuersalis, particularis, indefinita, & singularis. Propositio vniuersalis est, cuius subiectum est terminus communis signo vniuersali determinatus. Signa vniuersalia sunt hæc, omne, nullum, semper, nunquam, vbique, nusquam, &c. vt omne animal est viuens, semper cœli mouentur, &c. Propositio particularis est, cuius subiectum est terminus communis signo particulari determinatus; vt quidam homo currit, aliquis homo non currit. Signa particularia sunt hæc; quidam aliquis, quidam non, aliquis non, quandoque, alicubi &c. Indefinita est, cuius terminus communis est eius subiectum sine aliquo signo, vnde dicitur indefinita, idest nullo signo determinata; vt homo vincit, homo studet. Hæc autem si fiat in materia naturali, æquiualet vniuersali; vt homo est animal, idem valet, quod omnis homo est animal. Propositio singularis est, cuius subiectum est terminus singularis; vt Petrus legit; hic homo ambulat, in quibus omnibus (vt patet ex ipsarum definitionibus) quantitas attenditur solum ex parte subiecti, quomodocunque se habeat prædicatum; vt hæc est singularis: Franciscus est omnis homo, quia subiectum est terminus singularis, licet prędicatum sit commune cum signo vniuersali. Qualitas denique ipsius est, quod sit affirmatiua, negatiua, vera, vel falsa. Affirmatiua dicitur, dum copula principalis non est negata; negatiua, dum principalis negatur, etiā si minus principalis sit sine negatione, vt hæc est affirmatiua, qui non studet, est iners, hæc autem negatiua, qui studet, non est iners; quare neque si negentur termini absque negatione copulæ, erit propositio negatiua, vt patet de hac, non homo currit, quæ affirmatiua est. Vera dicitur, si sic respondet in re, sicut per ipsam significatur; vt hæc est vera, ignis est calidus; quia in re sic est. Falsa, si alio modo res se habeat, vt hæc, ignis est frigidus, vel ignis non est calidus; nam veritas, & falsitas sequuntur naturam rei, de qua loquimur, siue affirmatiuè, siue negatiue.

CAPVT XII.

De oppositione propositionum Cathegoricarum.

PRopositiones Cathegoricæ, si secundum diuersam quantitatem, vel qualitatem, vel vtramque adinuicem comparentur, inter se repugnant, atque oppositæ dicuntur. Est igitur oppositio hæc duarum propositionum vtroque extremo participantium ordine eodem, secundum quantitatem, vel qualitatem, vel vtramque, repugnantia. Dicitur, esse repugnantiam duarum propositionum participantium vtroque extremo: idest, quæ habeāt idem subiectum, & idem prædicatum, (hęc namque extrema, vel termini propositionum dicuntur) quare, quæ eisdem, vel vno ipsorum extremorum caret, non repugnabunt; vt patet de his, homo est animal, lapis non est animal; vel homo est rationalis, lapis non est viuens. Dicitur eodem ordine, hoc est, quod subiectum vnius, sit etiam subiectum alterius, & pariter, quod est in vna prædicatum, sit etiam in alia; quæ vero non sic se habent non repugnant, vt patet de istis, Petrus est homo, homo non est Petrus. Dicitur, quod repugnent in quantitate, vel qualitate, vel vtroque modo; ex quibus colligitur, quod signa, & negationes variari debent, immo ex istorum varietate repugnantia ipsa attenditur, vt patebit, dum ad exempla descendemus. Quod prius quàm conficiamus, notandum erit, quod in ipsis oppositionibus seruetur vniuocatio terminorum, idem locus, tempus, & modus; nam si termini non sint vniuoci, sed æquiuoci, non erit verè repugnātia, vt si dicamus: Gallus est homo Gallus nō est homo: Pariter si muretur locus, vt magister legit in schola, magister non legit in platea: vel tempus; vt legit nunc, non legit heri; vel modus, vt homo non videt oculis clausis, homo non videt; his namque omnibus, vel aliquibus variatis non erit vera oppositio. Sunt igitur quadrupliciter repugnantes; vel secundùm qualitatem tantùm, ita tamen, quod conueniant in quantitate vniuersali, & sic sunt contrariæ; vel secundùm quantitatem, & qualitatem, & sunt contradictoriæ, vel secundùm quantitatem tantùm, & sunt subalternæ, vel secundùm qualitatem etiam, sed conueniant in quantitate particulari, & sunt subcontrariæ.

Con-

Contrarię igitur sũt vniuersalis affirmatiua, & vniuersalis negatiua, vt omnis homo currit, nullus homo currit; quæ sic se habent quo ad veritatẽ, & falsitatem, quod in materia naturali, & remota semper si vna ipsarum est vera, altera est falsa, & è contra: at in materia contingenti vtraque potest esse falsa, vt patet de istis, omnis homo est albus, nullus homo est albus; at quod ambæ sint veræ in nulla materia est possibile.

Contradictoriæ sunt vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua, vt omnis homo est albus, quidam homo non est albus; pariter vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua, vt nullus homo est albus, quidam homo est albus; quæ nunquam possunt ambæ esse simul veræ, nec simul falsæ in quacunque materia, sed semper si vna est vera, altera est falsa, & è contra.

Subalternæ sunt vniuersalis affirmatiua, & particularis affirmatiua, vt omnis homo currit, quidam homo currit; Item vniuersalis negatiua, & particularis negatiua, vt nullus homo currit, quidam homo non currit; quæ subalternæ dicuntur, quia vna sub altera ponitur, & in materia naturali, & remota semper sunt simul veræ, vel simul falsæ; in contingenti autem si vniuersalis est vera, particularis erit vera; at non oportet, quod si sit vniuersalis falsa, quod particularis sit falsa. Sed particularis, tàm affirmatiua, quàm negatiua potest esse vera, existenti vniuersali falsa; at si ipsa particularis, tàm affirmatiua, quàm negatiua est falsa, etiam vniuersalis erit falsa; Subcontrariæ sunt particularis affirmatiua, & particularis negatiua, vt quidam homo currit, quidam homo non currit; quæ nunquam possunt esse simul falsæ, sed bene simul veræ.

C A P V T XIII.

De conuersione Cathegoricæ propositionis.

QVoniam interdum Cathegoricæ propositiones sunt obscurę, quandoque vero ex vna in aliã consequentiam valere putamus, quæ tamen, vel non valet, vel si valeat, valere nescimus; vtraque hac de causa Logici regulas quasdam ad eas mutandas, sine errore, cum bonitate consequentiæ, & claritate inuenerunt; quas conuersiones appellauerunt. Est itaque conuersio in communi necessaria consequentia duarum propositionum vtroque extremo participantium, ordine conuerso. Requiritur ergo ad ipsam, quod vtraque propositio, tàm videlicet prima, (quæ dicitur conuersa) quàm secunda (quæ vocatur conuertens) habeant eadem extrema, idest eosdem terminos principales, cum hoc discrimine, quod subiectum vnius fiat prædicatum alterius, & prædicatum subiectum, signa autem possunt variari, vt patebit, dum ad exempla descendemus. Ante quorum notitiam, sciendum est; differentiam esse inter conuersionem, conuertentiam, & conuertibilitatem; conuersio enim est proprietas propositionum, & consequentia vnius ad aliam, vt dictum est. Conuertentia est proprietas relatiuorum; ita videlicet, quod sicut vnum refertur ad aliud, ita è contra; vt pater refertur ad filium, & filius ad patrem. At conuertibilitas est proprietas quorundam terminorum, quos conuertibiles appellauimus; ita videlicet, quod vnus possit dici alius, & è contra, vt rationale, & homo; hinnibile, & equus; rugibile, & asinus; nam rationale est homo, & homo est rationalis, & equus est hinnibilis, & hinnibile est equus, & (vnico verbo) omnes propriæ passiones, & propriæ differentiæ sunt conuertibiles cum suis subiectis, & mutuò de se inuicem in recto prædicantur, vnde differunt à relatiuis, quæ non prædicantur de se inuicem, nisi in obliquo; est autem prædicari in recto, dum subiectum, & prædicatum sunt nominatiui casus, vt homo est animal, vel albus &c. & denotatur tunc vnio prædicati cum subiecto in aliqua natura, quam significant. At prædicari in obliquo est, quando, vel prædicatum, vel subiectum non est casus nominatiui; vt pater dicitur filij pater, & dominus serui dominus, in qua prædicatione non sic denotatur vnio in vna natura, sicut in prædictis, vt de se patet; non enim pater, vel dominus simul in vna natura particulari vniuntur. Sed ad rem redeamus. Conuersio itaque triplex est, nempè simplex, per accidens, & per contrapositionem. Simplex est, dum ex prædicato fit subiectum, & ex subiecto prædicatum, non variando neque quantitatem, neque qualitatem; & propterea dicitur simplex; in alijs namque fit maior variatio, secundum quam duo genera propositionum conuertuntur, videlicet vniuersalis negatiua in vniuersalem negatiuam, vt nullus homo est asinus, conuertitur, nullus asinus est homo; & particularis affirmatiua in particularem affirmatiuam, vt quidam homo est albus, conuertitur, quoddam album est homo. Conuersio per accidens est, dum subiectum mutatur in prædicatum, & è conuerso, cum mutatione quantitatis; ita vt vniuersalis fiat particularis, & è contra, Secundum quam duo genera propositionum pariter conuertuntur, scilicet, vniuersalis affirmatiua in particularem affirmatiuam; vt omnis homo est animal, conuertitur; ergo quoddam animal est homo, & vniuersalis negatiua in particularem negatiuam, vt nullus homo est lapis, ergo quidam lapis non est homo. Circa quam conuersionem duo sunt adnotanda; aliud est, quod licet ab vniuersali ad particularem valeat consequentia; è conuerso tamen non est bona, vt notum est; quia valet dicere, nullum animal est album, ergo quoddam album non est animal, at si dicamus, quoddam animal non est album; ergo nullum album est animal, non valebit. Idem dicatur in affirmatiua; vt omnis homo est animal, ergo quoddam animal est homo, valet. At quoddam animal est homo, ergo omnis homo est animal, non valet; quare vocari potest conuersio non reciproca. Sed quamuis non valeat ratione consequentiæ, tamen in reductione syllogismorum imperfectorum ad perfectos est in vsu, & valde necessaria, vt illic patebit. Secundo notandum, quod non est inconueniens, vt vna propositio duabus conuersionibus conuertatur; vt patet: nam negatiua vniuersalis conuertitur simpliciter, & per accidens. Conuersio per contrapositionem est, dum fit mutatio prædicati, & subiecti sine variatione quantitatis, & qualitatis; sed solum termini finiti in infinitos mutantur: Dicuntur termini finiti, qui ponuntur sine negatione, & sic sunt determinati; vnde idem est hic finitum, quod determinatum, vt homo, leo &c. Infiniti, qui ponuntur cum negatione, vt non homo, non leo, & sic dicuntur, quia sunt indeterminati, quasi nullum certum significatum habeant, & differunt à terminis negatis, in hoc, quod in terminis negatis solũ negatur terminus post negationem; vt non homo, si sit terminus negatus, homo solum negatur: sed in terminis infinitis cum negatione termini intelligitur affirmatio cuiusque alterius rei ab illo; vt non homo currit, si ly non homo teneatur infinitanter, intelligitur, quod omne aliud ab homine currat, & propositio erit affirmatiua; at si teneatur negatiuè solum, homo à cursu tantum remouebitur. Et cum isti termini infiniti sic se habeant, etiam hoc retinent, quod quanto negatio additur termino magis vniuersali, tanto particularius, vel restrictius significat, & quanto additur magis particulari, eo vniuersalius, vel magis amplè significat; vt dicendo, non substantia currit: significo, omnia alia à substantia currere, quæ sunt pauca; at si dicam, non homo currit; significo, omnia alia ab homine currere, quæ quidem sunt plura, quam non substantiæ. Quamobrem horum terminorum differentiæ, iudicio, & ratione solum innotescunt, & si non desint aliqui, qui ex parte vocis inter eas differentiam quoque constituat, asserendo, quod termini infiniti breuiter, & coniunctè

per modum vnius dictionis proferri debeant, vt non homo, negati longè, & diuisim per modum duarum dictionum. Dum itaque termini finiti in infinitos variantur, est conuersio per contrapositionem, qua etiam duo genera propositionum conuertuntur, s. vniuersalis affirmatiua in vniuersalem affirmatiuam, & particularis negatiua in particularem negatiuam, vt omnis homo est animal, conuertitur, omne non animal est non homo; quidam homo non est albus, conuertitur; quoddam non album non est non homo. Hæ autem conuersiones per quosdam consuetos versiculos facilè memoriæ mandantur, & retinentur; sunt autem hi.

Simpliciter (feci) conuertitur (eua) per acci
(Asto) per contra: sic fit conuersio tota.
Asserit A, negat E, sed vniuersaliter amba,
Asserit I, negat O, sed particulariter amba.

In quibus accipiendæ sunt tres illæ dictiones, Feci. Eua, Asto cum quatuor vocalibus A, E, I, O, & sic in Feci; est, e, & i, vnde cum, e, significet vniuersalem negatiuam, denotatur, quod in eandem negatiuam conuertatur, i, particularem affirmatiuam, quæ pariter in se ipsam vertatur, & sic de alijs. Circa quas est adhuc animaduertendum, ne fiat aliqua variatio, vel æquiuocatio, interdum vero maximè in obliquis debet variari constructio, quousque ad rectam locutionem reducatur, vt miles est in bello; conuertitur, quidam in bello existens est miles.

CAPVT XIIII.

De æquipollentia earundem propositionum.

Æquipollentia pariter ad obscuritatem propositionum vitandam inuenta fuit. Propositiones itaque omnes oppositæ, præter subcontrarias, & si diuersum habeant sensum, ac repugnantem veritatem, virtute tamen diuersarum negationum eandem habent virtutem significandi, & hoc æquipollere dicimus; est igitur æquipollentia duarum propositionum vtroque termino participantium ordine eodem vnius ad aliam consequentia, propter negationem præpositam tantum, vel postpositam tantum, vel præpositam, & postpositam simul subiecto. Quare primo æquipollent contradictoriæ, si subiecto vnius earum præponatur negatio; vt istæ sunt contradictoriæ: omnis homo currit, quidam homo non currit, si dicas, non omnis homo currit, idem erit, ac quidam homo non currit; vel, non quidam homo non currit, idem erit, ac omnis homo currit. Etiam istæ sunt contradictoriæ, nullus homo currit, quidam homo currit. At dicendo, non nullus homo currit, idem erit, quod; quidam homo currit & non quidam homo currit, idem erit, quod, nullus homo currit. Contrariæ æquipollebunt, si subiecto vnius ipsarum postponatur negatio; vt istæ sunt contrariæ, omnis homo currit, nullus homo currit, at si dicamus, omnis homo non currit, idem erit, quod nullus homo currit, vel nullus homo non currit, idem valebit, quod omnis homo currit. Subalternæ æquipollebunt, si subiecto vnius ipsarum præponatur, & postponatur simul negatio; vt istæ sunt subalternæ; omnis homo currit, quidam homo currit; at dicendo, non omnis homo non currit, idem erit, quod quidam homo currit; vel non quidam homo non currit, idem erit, quod omnis homo currit; paritas namque negationum affirmat, sicut imparitas negat. Istæ pariter sunt subalternæ: Nullus homo currit, quidam homo non currit; at dicendo non nullus homo non currit, idem erit quod quidam homo non currit; particulari autem non commodè apponuntur duæ aliæ negationes: licet, si apponerentur, eandem fortirentur virtutem. Vt autem facilius has, cæterasque terminorum æquipollentias cognoscere possimus, quosdam versus Logici inuenerunt.

Præ, contradic, post contra, præ, postque subalter.
Non omnis, quidam non, omnis non, quasi nullus.
Nonnullus quidam, sed nullus non, valet omnis.
Non aliquis, nullus non quidam non, valet omnis.
Non alter, neuter, neuter non, præstat vterque.

Subcontrariæ autem nunquam æquipollere poterunt, quotcumque eis, vel alteri ipsarum apponantur negationes; ratio est, quia æquipollentia est conuenientia in aliqua eadem significatione, at conuenire non poterunt, quæ nullam habent communitatem; quare cum ambæ subcontrariæ particulares sint, ad hanc vnionem reduci minimè poterunt, quod exemplis declaremus; nam accipiamus has duas subcontrarias, quidam homo currit, quidam homo non currit, tunc negationes, quot modis addi possunt, vni ipsarum addamus, & nunquam propterea æquipollentiam videbimus: nam si præponamus primæ, dicendo, non quidam homo currit, idem erit, quod nullus homo currit; si vero eidem postponamus, dicentes; quidam homo non currit, erit penitus eadem cum sua subcontraria; at propositiones æquipollentes debent habere eandem virtutem, & non esse penitus eædem, quia sic esset vna sola, bis prolata; si vero negatio eidem præponatur, & postponatur dicendo, non quidam homo non currit, idem erit, quod omnis homo currit; si vero secundæ præponatur negatio, dicendo, non quidam homo non currit, idem pariter erit, quod omnis homo currit, postponi, ac simul præponi, & postponi non potest, vt dictum est de subalterna particulari negatiua, & etiam si fieret dicendo sic, non quidam homo non currit, non esset æquipollentia, sed idem valeret, quod nullus homo currit, quia non quidam, non valet omnis, & si alia postponatur negatio, dicendo, omnis non, idem erit, quod nullus. Et per hæc etiam æquipollentia particularis negatiuæ subalternæ sit exposita.

CAPVT XV.

De propositione Hypothetica.

Propositio hypothetica est, quæ constat ex duabus, vel pluribus Cathegoricis per aliquam coniunctionem vnitis: Et sicut triplex est communis coniunctio, nempè, &, vel, si, sic triplex est hypothetica propositio, videlicet copulatiua, disiunctiua, & conditionalis. Copulatiua est, cuius partes per hanc particulã (&) coniunguntur, vt Petrus currit, & Antonius legit; quæ, vt sit vera, debet habere omnes partes veras, & compossibiles; si enim vna sit falsa, tota dicetur falsa, quia propter falsitatem illius partis non intelligitur bona copulatio cum alijs, & per consequens ratio copulandi, ac copulatiua ipsa non est bona. Pariter, si debeat esse necessaria, omnes partes ipsius erunt necessariæ, ita vt si vna solum sit contingens, dicetur hypothetica contingens, si vna impossibilis, dicetur impossibilis. Ad hanc reducuntur omnes propositiones de aduerbio similitudinis; vt Plato fuit doctus, sicut Arist.; Temporis, vt quando tu studes, etiam ego studeo; Loci, vt ego fui, vbi tu fuisti; Quantitatis, vt tanti valet frumentum, quanti vinum: tantus est campanilis, quanta est turris. Qualitatis, vt benè egi, sicut tu, &c. Disiunctiua est, cuius partes vniuntur per hanc particulam (vel) vt Petrus studet, vel non studet; atque ad eius veritatem, & necessitatem requiritur, quod partes sint incompossibiles, & habeãt quandam repugnantiam immediatam, ita videlicet, quod necessariò vna, vel altera pars sine medio recipiat prædicatum, vt patet de præcedenti: nam necesse est, vt studeat, vel non; immo hac de causa dicitur disiunctiua,

quia

quia videlicet disiungit, vel separat sensus partium, ita vt simul esse non possint, eadem alia ratione, scilicet vocis, vel orationis est coniuncta, & hypothetica, quæ nil aliud significat, nisi vnionem propositionum, ab hypos, quod significat sub, & thesis, quod est positio; quasi vna sub altera, vel post alteram coniuncta ponatur. Ex dictis inferimus, quod si aliqua fiat disiunctiua ex partibus non repugnantibus; erit solum voce, non re talis, & per consequens æquiuocè, quia re vera sensus non disiungit; vt patet de hac; homo est doctus, vel albus, est enim falsa locutio, nec sensus disiungit; ab aliquibus tamen dicitur coniunctiua contingens; sed fortè non benè. Conditionalis est, cuius partes vniuntur per hanc particulam (si) homo currit, homo mouetur, ad cuius veritatem, vel (potius) bonitatem (non enim verum, vel falsum per omnes partes dicit) requiritur, vt antecedens verè, & in bona consequentia inferat consequens, vt patet de prædicta; si autem non inferat, licet vtrumque sit verum, erit mala conditionalis; vt patet de hac, si homo est animal, homo est rationalis; vnde ipsa est simul propositio hypothetica, & argumentatio quædam, nisi quod loco notæ illationis ponitur illa particula (si). At si consequens contingenter sequatur, poterit vocari cōtingens, vt si studebitis, euadetis docti; si inebriabimini, in rixas incidetis, &c. Si vero consequens nullatenus sequatur, erit impossibilis, vt si homo est, irrationalis est. Ex dictis infertur, quod non omnis propositio hypothetica ex propositionibus constat: quia propositiones dicunt verum, & falsum, sed in hac conditionali respectu antecedentis non est verum, nec falsum; immo dicitur communiter, conditionalis nihil ponit in esse; hoc est nihil affirmat, neque negat; qua propter, dum dicitur, hypotheticam ex pluribus Cathegoricis constare, intelligatur, quod constet ex pluribus orationibus perfectis, & dicitur ex pluribus, quia quot volumus, poni possunt, quæ recipiunt denominationem à principali particula vniente; vt si duæ conditionales vniantur per particulam (&) erit tota locutio copulatiua, & si copulatiuæ per (vel) erit disiunctiua, per (si) cōditionalis, vt facilè quiuis ex se videre poterit. Ad conditionalem reducitur rationalis, & causalis. Rationalis est, in qua loco illius particulæ (si) ponitur, (ergo) non tamen in principio; vt, homo volat, ergo habet alas. Causalis est, dum ponitur hæc particula (quia) vt quia homo volat, habet alas. Exemplificamus in impossibilibus, vt per hoc conspiciatur, in his omnibus solum bonitatem consequentiæ attendi. At circa omnes hypotheticas duo sunt obseruanda: primum est; quod si debeant fieri negatiuæ, negatio apponatur particulæ vnienti; nam hæc se habet in hypotheticis, sicut copula in Cathegoricis; vt ista est negatiua. Non si homo studet, est doctus; hæc autem affirmatiua, si nullus homo currit, nullus homo mouetur, & sic dicatur de alijs. Aliud notandum, quod non dicuntur nec vniuersales, neque particulares, nisi ratione suarum partium; ita vt, si propositiones, ex quibus componuntur sint vniuersales, vel particulares, tales censeri debent hypotheticæ; si verò vna sit vniuersalis, alia particularis dicetur mista, vel indefinita. At circa omnes prædictas propositiones tàm videlicet Cathegoricas, quàm hypotheticas dantur propriæ interrogationes, & responsiones; ita vt si fiat interrogatio per quod, respondebitur per diuersas propositiones, vt quæ propositio est ista? dicatur; cathegorica, vel hypothetica; per quale, secundum qualitatem, vt qualis est hæc propositio? Responde; Affirmatiua, vel negatiua; & iterum, vera, vel falsa. Per quantum, responde per ipsius quantitatem, vt quanta est hæc propositio. Responde, vniuersalis, vel particularis, indefinita, vel singularis. vnde versus.

Quæ, ca. vel hyp. Qualis, ne, vel af.
Quanta, par, in, sin.

CAPVT XVI.

De propositionibus modalibus.

Propositiones omnes, in quibus simpliciter subiectum, & prædicatum absque vlla restrictione, vel limitatione ponuntur, siue sint cathegoricæ, siue hypotheticæ, de inesse dicuntur, quasi prædicatum simpliciter subiecto insit, verum hypotheticæ dicuntur tales secundariò, quatenus videlicet ex cathegoricis constant. At aliæ quorum prædicatum, vel subiectum limitatur, vel restringitur, modales vocantur; vt hęc est simpliciter de inesse, homo currit; at si dicamus, homo velociter currit, erit tunc modalis, pro vt non cursum simpliciter de ipso homine affirmamus, sed cum modo, vel determinatione, nempè cum velocitate, quare nil aliud est modus (ad propositum) nisi determinatio adiacens, vel coniuncta rei: hæc autem fieri potest per adiectiua, & per aduerbia; per adiectiua, vt homo albus currit, nam ly albus restringit hominem, vt solum de albis verificetur, per aduerbia, vt homo currit velociter; verum adiectiua determinant subiectum, & aduerbia prædicatum. At quamuis sic modales fieri possent, & ferè innumerabiles constituerentur, vsus iam Logicorū est, vt solum per quatuor construantur modos; nempè per hos, possibile, contingens, impossibile, & necesse (olim erant in vsu alij hi duo, scilicet verum, & falsum, sed nunc recesserunt) qui & nominaliter, & aduerbialiter proferri possunt, vt possibile, & possibiliter, contingens, & contingenter, &c. consuetudo tamen est, vt nominaliter ponātur, quod ad maiorem distinctionem efficitur, construuntur itaque hæ modales propositiones per infinitiuum, quod dictum vocant, hoc pacto, hominem currere est possibile, hominem esse animal est contingēs, &c. Sed notandum est, quod quamuis quatuor tantum sint modi, ex eis tamen sexdecim fieri possunt propositiones, quatuor videlicet ex quolibet; nam vel fiet propositio sine vlla negatione, & erit prima, vt hominem currere est possibile; vel cum negatione dicti, & erit secunda; vt hominem non currere, est possibile; vel cum negatione modi, & erit tertia; vt, hominem currere non est possibile; vel tandem cum negatione vtriusque, & erit quarta; vt hominem non currere, non est possibile. Idem dicatur de alijs variādo modos; vt hominem currere est contingens; hominem non currere est contingens, &c. At si quæratur, quis nam sit vsus harum propositionum? Respondetur, in eis implicari sensum duplicem, qui nisi cognoscatur, in errores incidemus; cognoscetur autem, si ipsæ bene percipiantur. Sensus autem est, qui dicitur compositus, & diuisus. Compositus est, dum simul, videlicet eodem tempore, vel loco dictum, vel prædicatum subiecto conuenire potest; vt sedentem scribere est possibile; nam simul aliquis potest sedere, & scribere. Sensus autem diuisus est, dum non simul, sed alio tempore, vel loco prædicatum de subiecto verificari potest; vt iuuenem e le senem est possibile, sedens possibiliter currit, &c. quia nec iuuenis esse simul senex, nec sedens simul currere potest, sed diuisim, idest alio, & alio tempore. Alter est vsus consequentiæ, & claritatis, quæ claritas præcipuè apparebit in æquipollentia: circa alias cōditiones ipsarum modaliū idem ferè quoad materiam, formam, qualitatem, & quantitatem dicendum est, quod diximus de cathegoricis; nam illa limitatio, vel modificatio non tollit penitus vniuersalitatem, vel formam, vt hæc est in materia naturali, hominem esse animal, est necesse; est etiam vnius copulæ, vel formæ, sicut hæc est duplicis, homo qui studet, possibile est euadere doctum. Hæc vero est vniuersalis, omnem hominem currere, est possibile, & affirmatiua; hæc vero particularis, & negatiua, Petrum currere, non est

est possibile. Diximus esse non penitus, sed ferè easdem conditiones, vel requisita; nam quo ad qualitatem, videlicet, quo ad affirmationem, negationem, veritatem, vel falsitatem, necessitatem, vel impossibilitatem, est aliquod discrimen; nam affirmatio, & negatio in istis attenditur potissimum ex parte modi, vnde modales dicuntur, sed quo ad veritatem, vel falsitatem attenditur sensus compositus, & diuisus, sed quoad necessitatem, impossibilitatem, vel contingentiam; omnes sunt necessariæ, vel impossibiles, nulla vero contingens; quod sic declaratur. Propositio necessaria est, in qua prædicatum est de essentia, vel de natura subiecti. Impossibilis, in qua prædicatum repugnat subiecto; at omnes istæ sic se habent; nam si dicamus; hominem currere est possibile, vel contingens, idē est, ac si dicamus; homini contingenter conuenit cursus; & sic est propositio necessaria: quia necesse est, vt cursus contingenter ei cōueniat: quia esse non potest, vt aliter sibi conueniat. Si vero dicamus, hominem currere, est necesse, est impossibilis: quia dicimus, quod homini necessariò conueniat cursus, quod quidem impossibile est, quia cursus esset de natura hominis, nec esset homo, nisi curreret; sic exemplificetur de alijs. Quare multum refert dicere, aliquas propositiones esse necessarias, vel de necessario; contingentes, vel de contingenti, impossibiles, vel de impossibili. Nam necessaria sunt, quæ non possunt aliter se habere sed æternam continent veritatem; de necessariò autem, in quibus apponitur hæc dictio, necessariò, quæ possunt quandoque esse impossibiles, vt patet de hac, hominem currere, est necesse. Pariter contingentes sunt, quæ possunt esse veræ, & falsæ, vt homo currit. Impossibiles, quæ numquam possunt esse veræ, vt homo est lapis; at de contingenti, & impossibili dicuntur, in quibus ponuntur modi prædicti, nempè contingens, & impossibile, quæ secundum veritatem, vel sunt necessariæ, vel impossibiles, vt dictum est. Sed de ipsarum ęquipollentia aliquid breuiter dicamus: possunt itaque modales omnium quatuor modorum, virtute negationum, & cuiusdam ordinis inter se æquipollere. Quod facilè cognoscetur, si quibusdam dictionibus ad id aptissimis a Logicis inuētis, vtemur. Dictiones sunt istæ, Purpurea, Iliace. Amabimus, & Edentuli: in quibus quatuor vocales obseruabimus, nempè A, E, I, V. A denotat, quod propositio sibi respondens sit totalis affirmatiua, E, quod sit negatiua de dicto, I, negatiua de modo, V, negatiua de vtroque: qua habita obseruatione, omnes, quæ sub vna dictione sunt, inter se æquipollebunt, & quæ sunt in alia pariter inter se, & sic de singulis. Disponantur autem hoc ordine, quod semper in quacunque dictione primo loco ponatur possibile, secundo contingens, tertio impossibile, & quarto necesse: vnde omnes, quæ sunt in Amabimus, idem valebunt, quæ in Edentuli, pariter, & similiter, quæ in Purpurea, & Iliace; at quæ sunt vnius dictionis, cum ijs, quæ sunt alterius opponūtur modo quodam simili cum oppositione cathegoricarum, vt Purpurea, & Iliace opponuntur, vt contrarię; Purpurea, & Edentuli, vt contradictoriæ: item Iliace, & Amabimus, eodem modo; Purpurea, & Amabimus, vt subalternæ, & eodem modo, Iliace, & Edentuli; denique Amabimus, & Edentuli, vt subcontrariæ. Quæ omnes æquipollentiæ, & oppositiones sequenti figura innotescent.

Æqu pollentes.		Æquipollentes.
Petrum non legere non est possibile. Petrum non legere non est contingens. Petrum non legere est impossibile. Petrum legere est necesse.		Petrum legere non est possibile. Petrum legere non est contingens. Petrum legere est impossibile. Petrum non legere est necesse.
Purpurea.	Contrariæ.	Iliace.
Subalternæ.	Contra dictoriæ. Contradictoriæ.	Subalternæ.
Æquipollentes.	Subcontrariæ.	Æquipollentes.
Petrum legere est possibile. Petrum legere est contingens. Petrum legere non est impossibile. Petrum non legere non est necesse.		Petrum non legere est possibile. Petrum non legere est contingens. Petrum non legere non est impossibile. Petrum legere non est necesse.
Amabimus.		Edentuli.

Alio modo, & alijs dictionibus secundùm Aristot. etiam disponuntur, nam primo modo ponitur necesse, secundo possibile, tertio contingens, & quarto impossibile.

Dictiones autem sunt istæ quatuor, Argutule, Festigia, Mutabatis, & sine metu, vocales sunt eædem cum præcedentibus, puta A, E, I, V, vnde nil aliud restat, nisi figura.

Æquipollentes.		Æquipollentes.
Petrum currere est necesse. Petrum non currere non est possibile. Petrum non currere non est contingens. Petrum non currere est impossibile.		Petrum non currere est necesse. Petrum currere non est possibile. Petrum currere non est contingens. Petrum currere est impossibile.
Argutule	Contrariæ.	Festigia.

Æquipollentes.	Subcontrariæ.	Æquipollentes.
Petrum non currere non est necesse. Petrum currere est possibile. Petrum currere est contingens. Petrum currere non est impossibile.		Petrum currere non est necesse. Petrum non currere est possibile. Petrum non currere est contingens. Petrum non currere non est impossibile.
Mutabatis.		Sine metu.

Finis primi Libri.

scus est species; neque ex parte superiorum; vt homo est species, ergo animal est species.

Suppositio personalis est acceptio termini pro suo mediato significato, videlicet non sic in communi, & immutabiliter, sed variabiliter pro inferioribus, & superioribus distribuitur, vt homo currit, ly homo non homini in communi, sed particularibus aptatur, vt homo currit, ergo Petrus, vel Franciscus currit, pariter superioribus, vt animal currit, substantia currit &c. Hæc autem, si fiat per terminum singularem, vel discretum, dicitur discreta, vt Petrus currit, & tunc solum ad superiora fit distributio, vt Petrus currit, ergo homo currit, animal currit, &c. Si autem eius subiectum sit terminus communis, vocatur suppositio communis, vt homo currit, & admittit distributionem circa superiora, & inferiora, vt dictum est; quod quidem contingit tam propositionibus affirmatiuis, quam negatiuis, vt homo non currit, ergo neque hic, neque ille, & pariter, ergo vel hoc, vel illud animal non currit. Similiter poterit vocari suppositio naturalis, si propositio sit in materia naturali, accidentalis, vel contingens, si sit in materia contingenti, & remota, si in materia remota, circa quas facilè est propositiones formare.

Ipsa autem communis, propria, & personalis suppositio in quacunque materia sit, est quadruplex, scilicet distributiua, determinata, copulata, & confusa. Distributiua est acceptio termini communis cum signo vniuersali affirmatiuo, vel negatiuo, qui terminus omnibus suis inferioribus per hypotheticam copulatiuam distribui possit; vt omnis homo currit, nullus homo legit, ly homo distribuitur, ergo hic homo currit, & hic homo currit, &c., & hic homo non legit, & ille homo non legit, &c., quæ quidem distributio vocatur descensus copulatiuus. Est autem descensus distributio alicuius communis in sua inferiora, & sibi opponitur ascensus, qui est progressio ab inferioribus ad vniuersale, vt Petrus currit, Antonius currit, & sic de alijs, ergo omnis homo currit, qui etiam vocatur inductio, sicut discensus deductio, & vterque est quadruplex sicut quadruplex est personalis suppositio, videlicet copulatiuus, disiunctiuus, copulatus, & disiunctus, quid sit copulatiuus dictum est; de alijs secundum ordinem suppositionum dicetur.

Suppositio determinata est, dum propositio est indefinita, vel particularis; vt homo currit; quidam homo legit, & distribuitur subiectum harum propositionum pro suis inferioribus per hypotheticam disiunctiuam; vt, ergo vel hic homo currit, vel ille homo currit, &c. Pariter, vel hic homo legit, vel ille homo legit, &c. vnde pro vno solo sufficit, vt subiectum verificari possit ad veritatem talis indefinitæ propositionis. Hæc autem distributio dicitur descensus disiunctiuus. Suppositio copulata, est dum in aliqua propositione ponuntur termini numerales, vt quatuor, quinque, &c. vt omnia elementa sunt quatuor, prædicamenta sunt decem, prædicabilia sunt quinque, &c. In quibus propositionibus subiectum non potest distribui, sed omnia inferiora eius debent sigillatim colligi, & postea eis tribuendum est prædicatum; vt elementa sunt quatuor; non dices ignis est elementum, ergo est quatuor. Sed sic, ignis, aqua, aer, & terra sunt elementa, ergo sunt quatuor; vel prædicabilia sunt quinque, ergo genus, species, differentia, proprium, & accidens sunt quinque; quæ distributio vocatur descensus copulatus, & propositio, quæ distributionem omnium continet, dicitur de subiecto copulato; vt est illa, ignis, & aer, & aqua, & terra sunt quatuor.

Suppositio confusa est acceptio termini communis pro suis inferioribus indistinctè, ita videlicet, quod quodcunque inferius accipiatur sub ipso, potius ei non conuenire, quam conuenire videatur prædicatum; vt Romæ, & Venetijs, venditur piper; non benè distribuitur, ergo vel hoc piper venditur Romæ, vel hoc piper venditur Venetijs &c., nam demonstrato quocunque pipere, potest esse falsa; quamobrem ad veritatem eius confusè quoque descendimus; nempè per descensum disiunctum sic, ergo hoc, vel illud, vel aliud, vel aliud piper Romæ, & Venetijs venditur, & hæc propositio dicitur de prædicato disiuncto. Neque multum differt à suppositione determinata, nisi secundum minorem quandam distinctionem. At si diceremus confusam suppositionem attendendam esse solum ex parte prædicati in propositionibus affirmatiuis, forsitan aliquid benè diceretur, & à determinata ipsam distingueremus, nam re vera in subiectis difficilè est hanc suppositionem inuenire, sicut è contra, prædicata semper confunduntur. Præter has suppositiones dantur duæ aliæ, quæ quia ad prædictas reduci possunt, non videntur numerum ipsarum augere; hæ autem sunt suppositio, quæ dicitur accommoda, & alia quæ vocatur mista. Accomoda dicitur, quæ refertur ad præcedentem sermonem, ita videlicet, quod subiectum, licet ponatur interdum vniuersale, non tamen vniuersaliter, vel distributiuè pro omnibus, quæ simpliciter sub ipso continentur, supponit; sed solum pro illis, de quibus antea facta fuit mentio, & secundum præcedentem explicationem; vnde dicitur; vocabula secundum subiectam materiam accipienda esse, verbi gratia Aristoteles in primo Phys.text.56.habet hæc verba, Tria igitur dicere elementa esse, &c. Ibi elementa non debent accipi simpliciter, ita vt credamus, elementa quomodocunque sumpta, & vniuersaliter esse tria, sed solum debemus intelligere de ijs elementis, vel principijs, de quibus ipse locutus est, vnde est suppositio accomoda, & distributiua secundum præcedentem sermonem. Eadem est suppositio 3.Phys.tex.5. vbi ait; motus, & mutationis species tot sunt, quot entia; nam ly entia referenda sunt ad præcedentia, vbi loquutus est de entibus mobilibus. Similiter omne animal fuit in arca Noe; ly animal non supponit simpliciter distributiuè: sed accomode, & respondenter præcedentibus, puta de animalibus perfectis, & terrestribus secundum omnes species, non autem secundum omnia specierum indiuidua, vnde est destributio pro speciebus singulorum perfectorum terrestrium, non autem pro singulis omnium specierum.

Suppositio mista est, dum in aliqua propositione contingit ex vna parte copulatiuè, ex alia disiunctiuè distribuere; quod potissimum accidit, dum in propositionibus ipsis ponuntur hi termini, alter, neuter, vterque, &c. nam semper dupliciter supponunt: vt alter oculus est dexter, sic copulatiuè, & disiunctiuè descenditur, ergo istorum duorum iste, vel ille, est dexter, & istorum duorum iste, vel ille &c. Neuter oculus est dexter, sic ergo istorum duorum, nec iste, nec ille est dexter, vel istorum duorum, nec iste, nec ille. Vterque est dexter, ergo istorum duorum & iste, & ille est dexter; vel istorum duorum, & iste, & ille. Sic exemplificetur circa alia; At est aduertendum, quod in quacunque propositione affirmatiua, dum fit descensus, numquam aptè distribuitur prædicatum, nisi ratione confusa, vt dictum est supra, & hinc est, quod suppositio ex parte subiecti à nobis sumpta fuit; vt si dicas, omnis homo est animal, non benè distribuitur, ergo hic homo est hoc animal, & ille homo est hoc animal &c., multo minus, si prædicatum fiat vniuersale, vt omnis homo est omne animal; nulla namque est magis falsa propositio, quam hæc. At in propositionibus negatiuis, posset quoque negatiuè distribui prædicatum, tamen non est in vsu; vt benè diceretur,

nullus homo est lapis; ergo neque hic homo est hic lapis, nec ille homo est ille lapis &c. Ratio diuersitatis est, quia negatio est malignantis naturæ, ita vt quicquid post se inuenit, destruat, etiam alias negationes, vnde duæ negationes affirmant, quatenus prima ab altera virtutem aufert. Affirmatio autem, vel signum vniuersale affirmatiuum solum terminum se immediatè sequentem respicit,

CAPVT II.

De Ampliatione.

AMpliatio est extensio termini à minori suppositione ad maiorem; quod vt intelligatur, sciendum est, quod interdum subiectum sic determinatè supponit, vt nullam diuersitatem, nec extensionem admittat, & tunc in tali suppositione non potest reperiri ampliatio; vt si dicamus, Petrus studet, nec respectu termini, nec ratione diuersorum temporum aliquid moueri potest. Sed est propositio, & suppositio in suo statu, in qua de Petro tantum pro tempore præsenti verificatur cursus. At si contingat fieri variationem, ampliatio erit; quæ quot modis contingat, dicamus. Est igitur triplex ampliatio, videlicet ex parte termini, ex parte temporis, & ex parte formæ accidentalis. Ex parte termini, quando ipse est communis, & subiectum propositionis indefinitæ, vel particularis, vt homo currit; ampliatur, ergo vel hic, vel ille, vel alter homo currit, pariter, quidam homo legit, ergo, vel hic homo legit, vel alter, &c. & diximus notabiliter, si sit terminus communis; quia singulares non ampliantur, nisi æquiuocè, quæ non est vera ampliatio; vt Petrus currit, non ampliatur, ergo hic Petrus currit, &c. pariter si sit terminus communis cum signo vniuersali, tàm affirmatiuo, quàm negatiuo, vt omnis homo currit, nullus homo currit, non erit propriè ampliatio; quia virtute illorum signorum iam prædicatum intelligitur omnibus distributum, vel affirmatiuè, vel negatiuè, vnde non restat ampliandi locus. Ex parte temporis fit ampliatio secundum præteritum, futurum, possibile, & imaginarium. Tempus præteritum recipit ampliationem ex parte subiecti, etiam pro præsenti; vt homo amauit, ampliatur sic, ergo homo, qui fuit, vel est, amauit; quæ ampliatio extenditur etiam ad terminos singulares, sicut omnes aliæ, quæ per tempus fiunt, vt Antonius studuit; ergo Antonius, qui fuit, vel est, studuit. Tempus futurum ampliatur etiam ad præsens, vt homo amabit, ergo qui est, vel erit, amabit. Tempus possibile, quod videlicet explicatur per possum, vel etiam per nomen, possibile, &c. ampliat ad præsens, futurum, & possibile, vt homo potest currere, ergo qui est, vel erit, vel potest esse, potest currere, aliqui dicunt, quod ampliet etiam ad præteritum, sed non benè; quia ad ipsum præteritum non est potentia, vt docet Aristoteles; nec est verum dicere, homo potest currere, ergo homo, qui fuit, potest currere; quia cum non sit, nec erit, potentiam aliquam nec habet, nec habere poterit. Secundum modum imaginarium fit ampliatio in terminis, qui significant actionem intellectus, voluntatis, vel phantasiæ, vt respectu intellectus, intelligere, speculari; respectu voluntatis, appetere, odio habere; respectu phantasiæ, somniare, fingere; hæc itaque verba omnia ampliant ad præteritum, præsens, futurum, possibile, & imaginarium, vt Petrus appetit vitam fælicem; ergo eam, quæ fuit, est, erit, possibile est, vt sit, vel imaginatur esse, appetit; similiter intelligo rosam, ampliatur, quæ fuit, est, erit, potest esse, vel imaginor esse. Ex parte formæ accidentalis fit ampliatio, dum tàm subiectum, quàm prædicatum sunt, vel includunt terminos connotatiuos; (non autem per tempus præsens, nam hoc omnem auffugit ampliationem) vt doctum fuit ignorans, ampliatur sic, ergo qui est, vel fuit doctus, fuit ignorans, & sic doctrina pro præsenti, vel futura, secundum futurum, vel præsens tempus ampliatur, licet fortè posset hæc ampliatio ad eam, quæ est temporis reduci, sed propter vsum communem ponatur. At circa omnes has ampliationes, duo adnotanda sunt, aliud est, quod licet fiat ampliatio ex parte subiecti in terminis cōmunibus, & secundum tempora in ipsis, & singularibus quoque, tamen respectu prædicati nunquam fit, sed accipi debet secundum tempus in propositione positum; vt homo cucurrit, ampliatur ad tempus præsens, & futurum respectu hominis; at cursus semper intelligitur præteritus. Pariter homo amabit, ad præsens, & futurum extenditur respectu hominis, sed actio amandi semper erit futura. Aliud obseruandum, quod terminus amplus est veluti superior respectu non ampli; quare sicut a superiori distributo ad sua inferiora valet arguere affirmatiuè, & negatiuè, ita à termino magis amplo ad minus amplum, vt homo potest currere, ergo homo, qui est, potest currere, homo non potest currere, ergo neque homo, qui est, currere potest. Pariter potuit currere, ergo, qui est, potuit currere; vbi aduertendum est, ne varietur verbum, ita vt de possibili transitus fiat ad actum, quia non esset modus ampliationis, sic, homo potest currere, ergo currit; nam esset argumentatio à termino vniuersali non distributo ex parte prædicati ad particulare, quæ est mala argumentatio, vt hæc, est animal, ergo est Petrus: præterquam quod, non benè distribuitur affirmatiuè prædicatum, vt dictum est; quare, cum ly potest, se teneat ex parte prædicati, non conuenienter distribuitur. At negatiuè secus dicendum est, vt non potest currere, ergo non currit; quia (vt etiam diximus,) negatio totum negat, totumque, quod sub se est, distribuit. At à termino non amplo ad amplum argumentatio valet, vt Petrus currit, ergo potest currere, sicut ab inferiori ad superius. Interdum in termino minus amplo, vel non distributo oportet ponere constantiam subiecti. Dicitur talis constantia propositio de aliquo formata per est secundò adiacens; sic ergo efficitur, omnis homo potest currere, Petrus est homo, & Petrus existit, ergo potest currere. Sed fortè hæc secunda propositio non ampla pendet ex veritate antecedentis, ita vt sicut in illa sumitur veritas, sic in ista absque alia constantia, sed liceat consuetudinem antiquorum, vel sequi, vel exponere, vel non reprobare.

CAPVT III.

De Restrictione, Diminutione, Alienatione, & Appellatione.

REstrictio est coarctatio termini de maiori ad minorem suppositionem, sic videlicet; quod terminus, qui pro pluribus supponebat, per restrictionem pro paucioribus teneatur: hæc autem restrictio fit per adiectiuum, nec non quandoque per aliud substantiuum immediatè præcedenti termino applicatum, vt homo albus, restringit hominem, vt solum de albis verificetur; pariter poeta Virgilius, libri Platonis. Diximus notanter, quod adiectiuum substantiuo applicetur, quia aliter non esset restrictio, vt patet de hac, homo est albus, nam ly albus non restringit hominem, &c. In qua restrictione obseruandum est, quod restrictio non auferat naturam sui substantiui, nec eam diminuat; vt patet de hac, homo albus,

bus, nam albus non aufert naturam hominis, sed eam ad pauciores restringit. Circa ipsum à termino restricto ad suum non restrictum bene arguimus, vt homo albus currit, ergo homo currit. Sed hę argumentationes pertinent ad eum locum topicorum, qui est totius in modo; ideò pro tunc reponantur.

Diminutio est suppositio, quæ per terminum restringentem transfertur terminus primarius, de proprio ad improprium significatum, vel ad significatum secundum quid; vt Æthiops est albus secundum dentes, Petrus est niger secundum oculos, vel capillos, &c. in quibus nec ratio albedinis in Æthiope, nec nigredinis in Petro verè saluatur, nisi secundum quid, vel secundum partem; vnde arguere à dicto sic diminuto ad ipsum simpliciter, fit error, vt dicetur in fallacia de secundum quid ad simpliciter; non enim valet, hic est albus secundum dentes, ergo est albus. At obseruandum est, quod quædam accidentia determinant sibi aliquam partem corporis, ita vt alijs partibus competere nequeant, vt crispitudo respectu capitis, simitas respectu nasi, lippitudo respectu oculorum, &c. & tunc valet à termino restricto ad ipsum simpliciter, vt hic est lippus secundum oculos, ergo est lippus, est crispus secundum caput, ergo est crispus, sed fortè hæ non sunt locutiones restrictiuæ, nisi secundum vocem; quia re vera terminus restringens nil restringit, cum alteri conuenire nequeat tale accidens; similiter omnes termini, qui imperfectionem, vel priuationem dicunt, restrictionem non faciunt, sed ab ipsis ad simplex argui potest, vt Petrus ægrotat capite, ergo ægrotat, vulneratus est in manu, ergo vulneratus est, &c. Ratio est, quia ad hoc vt aliquid sit imperfectum, sufficit quicunque defectus, vnde vnus potest ipsum imperfectum denominare. Sed ad perfectionem non sat est vnum requisitum ponere, sed omnia requiruntur, & sic neque per vnum potest fieri denominatio.

Alienatio est abstractio à propria natura, quæ fit per appositionem adiectiui suo substantiuo repugnantis, vt homo marmoreus, leo pictus; nam per ly pictus, & marmoreus, natura hominis, & leonis aufertur, vel fit alia, nempè picturæ, vel statuæ. Appellatio autem est applicatio alicuius termini ad alium, secundum formale significatum, quod ex ipsorum vnione prouenire debet, verbi gratia si dicamus, Aristoteles fuit magnus Philosophus: Petrus est Monachus albus: per ly magnus excellentiam in Philosophia, & per ly albus albedinem habitus intelligere debemus; in qua substantiuum dicitur terminus appellatus, & adiectiuum appellans; vsus vero, vel acceptio significati, appellatio; & simul hi termini (vt plurimum), poni debent, aliter rationem appellationis non haberent, vt patet de hac, Aristoteles Philosophus est magnus. nam ly magnus sic positus non oportet, vt ad Philosophiam referatur; hæ autem appellationes si varientur, fallaciæ compositionis, vel diuisionis accidunt, vt patet de hac, hic puer est magnus logicus, ergo est magnus, & est Logicus, est enim error, vt dicetur suo loco. Consistit itaque vera appellationis ratio in significando significatum formale rei; vnde interdum non solum per substantiuum, & adiectiuum, vt diximus, sed alio modo fieri possunt appellationes, nempè per propositiones, ita vt appellari sit respectu verbi ad prædicatum; quod præcipuè habet veritatem in his propositionibus, in quibus ponitur verbum, quod actionem animæ significat, vt video, intelligo, cognosco, &c. circa quæ talis est iam vsus Logicorum receptus, vt respectu termini passiui, & sequentis sit appellatio significati formalis, at respectu antecedentis sit materialis, verbi gratia si dicamus vidi Papam, significatur, me vidisse ipsum Papam existentem: pariter cognosco venientem, denotat me cognoscere eum sub ratione venientis, ita vt eum moueri, & ambulare cognoscam, & si ignorem eum esse, vel Petrum, vel alium. At si dicam, Papam vidi, vel venientem cognosco, denotatur me cognoscere eum, qui venit, licet non sub ratione veniendi, & vidisse eum, qui est Papa, licet non esset Papa, dum eum cognoui, & hæc materialis significatio dicitur. Qui quidem modus potius vsu, & antiquorum auctoritate, quam aliqua probabili ratione fulcitur.

CAPVT IV.

De Exclusiuis, & Exceptiuis.

Fiunt interdum propositiones, tam cathegoricæ, quàm hypotheticæ, tàm modales, quàm de inesse non ex subiecto, prædicato, & signis, aut ex pluribus propositionibus, vel cum aliquo modo, sed quibusdam alijs terminis, qui ad claram notitiam expositione indigent; quare & propositiones, quæ ex ipsis fiunt, ac ipsi quoque termini exponibiles dicuntur; qui tamen, quia in gratiam propositionum exponuntur, non possunt sine illis explicari, vnde ipsæ cum illis simul declarandæ sunt. Hi autem principales sunt exclusiui, exceptiui, reduplicatiui, relatiui, differt, aliud, & diuersum, &c. de quibus sigillatim, & breuiter. Termini itaque exclusiui sunt isti, tantum, solum, dumtaxat, &c. & possunt esse exclusiui respectu numeri, vel respectu rei; vt si dicam, quatuor homines tantum currunt, est exclusio numeralis, si vero dicatur, tantum homo est risibilis, est exclusio rei. Possunt pariter poni ex parte prædicati, & ex parte subiecti; magnumque erit (si hoc, vel illo modo ponantur) discrimen, præcipue si sint exclusiui numerales: nam ex parte prædicati numerum subiectorum agentium, vel patientium, vel alio modo se habentium determinant, at ex parte subiecti, numerum talem solum illis subiectis conuenire connotant, verbi gratia si dicamus, elementa sunt tantum quatuor, denotatur, ipsa non excedere numerum quaternarium, & est verum. At si dicamus, tantum elementa sunt quatuor, designamus, numerum quaternarium solum elementis conuenire, pariter prædicamenta sunt tantum decem, vel tantum prædicamenta sunt decem, &c. Cum itaque ex parte prædicati talis dictio apponitur, facilis est expositio, quæ efficitur per remotionem termini exclusiui, cum additione hac, & non plura, vel non aliud, vt prædicabilia sunt tantum quinque, exponitur, sunt quinque, & non plura. Pariter, homo est animal rationale tantum, exponitur, homo est animal rationale, & nil aliud. At quando sunt propositiones de subiecto exclusiuo non sic facile exponuntur, sed ad quasdam regulas recurrendum est. Sciendum est ergo, quod quatuor modis fieri possunt, vel quatuor sunt exclusiuæ propositiones de subiecto. Prima quando est totaliter affirmatiua, vt tantum homo est rationalis. Secunda quando est negatiua de signo, vt non tantum homo est rationalis. Tertia quando est negatiua de copula, vt tantum homo non est rationalis. Quarta quando est negatiua de vtroque, vt non tantum homo non est rationalis. Prima exponitur per particularem affirmatiuam, & vniuersalem negatiuam, quæ habeat subiectum oppositum cum præiacenti, vel præcedenti, sic, homo est rationalis, & nullum aliud ab ipso est rationanale. Secunda exponitur per particularem pariter affirmatiuam, & aliam similiter particularem affirmatiuam de subiecto opposito, sic, homo est rationalis, & aliquid aliud ab ipso est rationale. Tertia exponitur per particularem negatiuam, & vniuersalem affirmatiuam de opposito subiecto, sic, homo non est rationalis,

tionalis, & omne aliud ab ipso est rationale. Quarta exponitur per vniuersalem negatiuam, & particularem negatiuam de subiecto opposito, sic, nullus homo est rationalis, & quodam aliud non est rationale. Circa quas duo sunt obseruanda; primum est, quod per dictionem exclusiuam nunquam excluditur id, quod est cum subiecto realiter idem, vel coniunctum; vt si dicamus, tantum homo currit, non excluditur risibilitas, nec alia passio, nec accidens, nec vestes eius, licet re vera non currant, sed tamen motu illo participent; quod intelligendum est dummodo dictio exclusiua non sit in propositione comparatiua, quia tunc excluduntur omnia alia, licet sint idem cum subiecto, dummodo aliquam admittant distinctionem; vt potentiarum animæ, sola voluntas est libera: hic namque excluditur intellectus, qui licet sit idem realiter cum voluntate, habet aliquam distinctionem, & sumitur comparatiuè ad ipsam. Pariter, si diceremus, tantum intellectus agens est incorruptibilis, quia fit comparatio ipsius ad possibilem, hic excluderetur. Aliud est obseruandum, quod si terminus exclusus sit singularis, non excluduntur nisi ea, quæ sunt eiusdem speciei, alia vero nequaquam, vt si dicamus, tantum Petrus est in domo, excluduntur omnes alij homines, non autem canes, feles, &c. Si autem sit terminus specificus excluduntur ea, quæ sunt eiusdem generis propinqui, non alia; vt si dicamus tantum homo est in horto, excluduntur cætera animalia, non autem herbę, vel plantæ. Interdum tamen omnia alia excludi intenduntur, vt tantum homo est discursiuus, excluditur omne aliud, sed quidem impropriè, quia propriè non excluditur ab aliquo, nisi quod aliquo modo aptum erat, vt includeretur; vnde puerum non dicimus propriè exclusum à pontificatu, quia non est adhuc aptus includi, nec lapidem excludimus à visu, quia non est aptus videre. Exceptiua propositio est, quæ modificatur per has dictiones, prætet, nisi, excepto, præterquam, dempto, &c. & sempet est vniuersalis, vel affirmatiua, vel negatiua, vt omnis homo præter Antonium currit, vel omnis homo, nisi Antonius, aut excepto, vel dempto Antonio, currit. In quibus propositionibus terminus, qui excipitur necessariò debet contineri in subiecto, & excludi à prædicato; vt omnis homo præter Petrum currit, in hac propositione Petrus debet contineri in homine, & excludi à cursu, aliter non esset bona locutio; vnde non benè diceretur, omnis homo præter hunc equum currit, Pariter omnis potentia animæ præter intellectum est corruptibilis; hic intellectus includitur in potentijs, & excluditur à corruptibilitate. Hæ autem quadrupliciter fieri possunt; prima sine negatione, vt omnis homo præter Petrum currit; secunda cum negatione signi, vt non omnis homo præter Petrum currit; tertia cum negatione copulæ, vt omnis homo præter Petrum non currit; quarta cum negatione vtriusque, vt non omnis homo prætet Petrum non currit, & omnes sic facilè exponi possunt. Prima sic, omnes homines currunt excepto Petro. Secunda sic, quidam homo non currit, & Petrus pariter non currit. Tertia sic, solus Petrus inter omnes homines currit. Quarta sic. Quidam homo currit, & Petrus non currit; Quidam quibusdam alijs vtuntur expositionibus, in quibus, nec vniuersaliter veritas, nec simpliciter claritas repetitur.

CAPVT V.

De Differt, incipit, desinit, inquantum, Relatiuis, Comparatiuis, & Superlatiuis.

NOn desunt, præter prædictos, quamplures alij exponibiles termini, quorum præcipui sunt hi: differt, incipit, desinit, inquantum, item relatiua, compara iua, & superlatiua. Propositio itaque de differt sic formatur, homo differt ab equo, sic autem exponitur: homo est, & equus est, & homo non est equus; quare semper ea, inter quæ ponitur differentia, debent aliquo modo esse, nam differentia ipsa super nihil fundari non potest. Incipit autem, & desinit possunt applicari rebus permanentibus, vt sunt homines, equi, lapides &c. & successiuis, vt sunt, motus, & tempus; in permanentibus ipsum incipit, sic ponitur; Nunc Petrus incipit esse; sic autem exponitur, Petrus nunc est, & immediatè ante hoc non erat. Si autem dicamus, nunc desinit esse, sic exponitur, nunc est, & immediatè post hoc non erit. In successiuis sic, Nunc incipit motus, exponitur, nunc non est, & immediatè post hoc erit motus. Nunc desinit motus. Nunc est, & immediatè post hoc non erit, & si re vera secundum doctrinam Aristotel. in sextò phys. in motu non detur, nec prima, nec vltima pars; tamen sic pro quadam rudi intelligentia, & secundum communem vsum liceat exponere. At in rebus instantaneis, in quibus non datur successio, vel duratio, vt sunt illuminatio, intellectio, visio, & præcipuè ipsum instans, vel nunc, sic exponitur: Nunc est instans, & immediatè ante hoc non erat, nec post hoc erit, quod applicari potest tam respectu ipsius incipit, quam ipsius desinit. Sunt alij termini qui dicuntur reduplicatiui nempè hi, in quantum, quatenus, prout, &c. Qui quando vere reduplicatiuè tenentur, propositio ex ipsis constituta infert vniuersalem conuertentem, vt rationale, in quantum rationale, est discursiuum, infert hanc, ergo omne discursiuum est rationale; pariter si diceremus secundum veritatem, & reduplicatiuè, ignis, prout ignis, est calidus, valeret; ergo omne calidum est ignis, aliter non esset bona reduplicatiua; quæ ideò sic dicitur, quia reflectit effectum in suam causam, ita vt denotetur talem effectum immediatè, & solum à tali causa prouenire, ita vt ab alia prouenire non possit, & sic sicut causa est sola respectu huius effectus, sic ipse ab ipsa sola dependet, & omnis talis effectus ad ipsam refertur. At quandoque tenetur solum specificatiuè, seu expositiuè, & hoc est, quando non sic denotatur adæquata causa, sed solùm modus quidam considerandi declaratur, & tunc non infert vniuersalem conuertentem; vt si dicamus, homo, in quantum homo, est species, non valet, ergo omnis species est homo; sed specificatur solum, hominem sub illa consideratione vniuersali vocari speciem; Item ignis, quatenus ignis, est calidus, solum specifico ex sua natura illi competere calorem &c. Relatiuum est sui antecedentis memoratiuum (loquimur autem hic de relatiuis grammaticaliter) atque est duplex, scilicet substantiæ, & accidentis, & vtrumque est vel identitatis, vel diuersitatis, & pariter reciprocum, vel non reciprocum. Relatiuum substantiæ dicitur id, quod refert eamdem naturam, quæ expressa fuit in suo antecedenti, siue fuerit substantia, siue accidens, nihil refert; vt Petrus, qui est homo, est iustus, virtus, quæ est qualitas, est honesta; Atque erit identitatis, si idem referat, quod posuit antecedens, vt patet in prædictis exemplis: diuersitatis vero, si aliud referat, vt homo est rationalis, & aliud est equus. Relatiuum itaque identitatis exponitur per hypotheticam copulatiuam cum eo-

dem antecedenti; vt Petrus, qui est homo, est iustus, sic exponitur. Petrus est homo, & Petrus est iustus. Diuersitatis pariter per hypotheticam exponitur, sed in eius parte posteriori ponitur negatio, vt Petrus est homo, & aliud est asinus: sic exponitur, Petrus est homo, & asinus non est homo. Idem dicatur in relatiuis accidentis. Relatiuum reciprocum est, dum verbum in propositione positum importat actionem, vel significatum reflecti supra suum subiectum; vt quilibet diligit semetipsum, nemo odit se, omnis mater diligit filium suum: in primis duobus generibus relatiuorum fit expositio per suum antecedens, vt quilibet diligit se; sic exponitur; ergo Socrates diligit Socratem, &c. in tertio vero non sic vniuersaliter valet; vt mater diligit filium suum, non valet, ergo diligit filium matris. Comparatiua sunt; quæ in aliquo conueniunt, ita tamen, quod in hoc vnum excedat aliud, & hoc propriè secundum quemdam vsum dicitur comparatiuum; vt Achilles fuit fortior Hectore, & exponitur sic, Achilles fuit fortis, & Hector fuit fortis, sed ille magis, quam hic, vnde ambo debent conuenire in eo, in quo comparantur: nisi sit relatio abusiua, vt hæc, Cygnus est nigrior niue. Superlatiua dicuntur, quæ ad inuicem comparantur, sed ita quod vnum summum excessum respectu alterius connotet, & hoc dicitur superlatiuum, vt Achilles fuit fortissimus Græcorum, & possunt exponi negatiuè, & affirmatiuè; si negatiuè, admittere possunt æquale, nunquam superius; si affirmatiuè, etiam æquale excludunt, vt negatiuè sic. Achilles fuit fortis, & nemo fuit fortior illo, affirmatiuè sic. Achilles fuit fortis, & omnes alios fortitudine superauit, quare etiam semper debent ipsa superlatiua, vt comparatiua conuenire circa positiuum, nisi pariter sit abusus.

CAPVT VI.

De Syllogismo in communi, nempè de definitione, materia, & forma ipsius.

SYllogismus ab Aristot. 1. Priorum cap. 1. sic definitur. Est oratio, in qua positis quibusdam, alterum quid à positis necesse est contingere, eo quod hæc sint. Quę definitio ad clariorem intelligentiam sic redigi pôtest. Syllogismus est oratio, in qua positis duabus propositionibus ritè dispositis, necesse est ex ipsis alteram sequi. Dicitur syllogismum esse orationem, vt per hoc intelligamus in vnico verbo consistere non posse, & quemadmodum oratio est mentalis, vocalis, & scripta; sic mente, voce, & scriptura formari potest syllogismus. Dicitur positis quibusdam in plurali, idest duabus propositionibus, vt sciamus, ex vna propositione, quæ aliam infert, non confici propriè syllogismum, licet fiat argumentatio. Dicitur necesse esse alterum contingere, vel sequi, eo quod hæc, (nempè propositiones) sint; vt cognoscamus, ipsam conclusionem, quæ ex præmissis sequitur, esse ab eis distinctam, necessariò tamen illatam, ob prædictam duarum propositionum dispositionem. Hæc itaque est syllogismi definitio: at materia eius sunt ipsæmet præpositiones ex quibus conficitur, & ipsarum termini sunt materia, qui etiam syllogismi materia erunt, verum remota, propositiones autem ipsæ propinqua. Tres itaque in summa propositiones constituunt syllogismum, quarum prima vocatur maior, secunda minor, tertia conclusio: ipsæ autem tres ex tribus terminis constant, quorum vnus bis sumitur ante conclusionem, & vocatur medium, alij duo in conclusione pariter, & in præmissis ponuntur; quorum vnus vocatur maior extremitas, & alter minor extremitas. Maior extremitas est terminus, qui in maiori propositione cum medio ponitur. At minor extremitas est, qui ponitur in minori propositione cum eodem medio, v. g.

Omne animal est substantia.
Omnis homo est animal.
Ergo omnis homo est substantia.

In hoc syllogismo animal est medium, substantia est maior extremitas, homo est minor extremitas; maior propositio est prima, nempè omne animal est substantia, minor est secunda, vltima vero est conclusio, in qua iterum ponitur maior, & minor extremitas, vt de se notum est. At de forma dicamus. Forma itaque syllogismi est eiusdem syllogismi dispositio secundum figuram, & debitum modum. Figura est dispositio trium terminorum secundum debitam subiectionem, & prædicationem medij; quare quot modis hæc medij subiectio, & prædicatio variari potest, tot constituuntur figuræ. Vno itaque modo accipitur medium sic, quod sit subiectum maioris propositionis, & prædicatum minoris, & constituit primam figuram, vt.

Omne viuens est corporeum,
Homo est viuens
Ergo homo est corporeus.

Secundo modo ponitur prædicatum vtriusque, videlicet maioris, & minoris propositionis, & est secunda figura, vt.

Nullus lapis est animal.
Omnis homo est animal.
Ergo nullus homo est lapis.

Tertio modo earundem maioris videlicet, & minoris propositionis subiectum ponitur, & fit tertia figura, vt.

Omnis homo est animal.
Quidam homo currit.
Ergo quodam animal currit.

Tres ergo sunt secundum Peripateticam receptam iam ferè ab omnibus doctrinam syllogismorum figuræ, neque plures, neque pauciores; verum à quibusdam, & maximè à Galeno admittitur quoque quarta, in qua videlicet medium sit prædicatum maioris, & subiectum minoris propositionis, vt.

Omne animal est substantia.
Omnis substantia est per se existens.
Ergo omne animal est per se existens.

Hæc autem quarta figura in sequentibus, vel approbabitur, vel reijcietur. Nunc sufficiant, quæ dicta sunt; Hoc tamen est obseruandum, quod aliæ figuræ præter has quatuor nec esse, nec cogitari possunt. At de modo dicamus. Modus itaque syllogismi est dispositio prædictarum propositionum secundum debitam quantitatem, & debitam qualitatem. Debita quantitas est, quod saltem vna ipsarum sit vniuersalis, debita qualitas, quod saltem vna pariter ipsarum sit affirmatiua, vt ex regulis in sequentibus patebit.

CAPVT VII.

De quibusdam regulis consequentiæ, & syllogismi.

PRiusquam ad ipsius syllogismi figuras, & modos particulariter explicandum accedamus; non inutile erit aliquas regulas bonæ consequentiæ, & eiusdem syllogismi iuxta Logicorum consuetudinem tradere. Sit ergo pro consequentijs prima regula. In bona consequentia, si antecedens est verum, necesse est, vt etiam consequens sit verum. Secunda si consequens erit falsum

sum etiam antecedens erit falsum. Tertia, ex antecedenti falso sequi potest indifferenter verum, & falsum consequens. Vt homo est Leo, ergo homo est viuens; vel, homo est leo, ergo homo est irrationalis. Quarta, ex antecedenti possibili, aut contingenti, vel necessario, sequitur consequens pariter possibile, contingens, vel necessarium. Quinta, ex antecedenti impossibile sequi potest consequens possibile, impossibile, & necessarium, vt ex hoc antecedenti, homo volat, sequitur hoc consequens possibile, ergo mouetur, & hoc impossibile, ergo habet alas, & hoc necessarium, ergo est animal. Sexta regula: Si consequentia sit bona, contradictorium consequentis infert contradictorium antecedentis; vt, homo est viuens, ergo est substantia; non est substantia, ergo non est viuens; non tamen è contra; non est viuens, ergo non est substantia. Septima. Quicquid sequitur ad consequens, sequitur etiam ad antecedens; vt homo est animal, animal est viuens, ergo homo est viuens, & ex quocunque sequitur antecedens, sequitur etiam consequens, vt Petrus est homo, ergo Petrus est animal, ita vt sicut ex Petro sequitur homo, sic ex ipso sequitur animal. Nunc de regulis vniuersalibus syllogismi dicamus. Sciendum est itaque, quod syllogismorum alij sunt affirmatiui, alij negatiui. Affirmatiui dicuntur, quorum præmissæ, & conclusio affirmatiuæ sunt. Negatiui vero, qui conclusionem cum vna præmissarum negatiuam habent. Affirmatiui, vt sint boni, regulari debent per dici de omni; negatiui per dici de nullo. Regulari itaque per dici de omni est, quod qui cquid dicitur de subiecto in maiori propositione, dicatur de quolibet contento sub ipso subiecto in conclusione; vt si dicamus; omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo est animal, in hoc syllogismo, quicquid sub homine assumitur in minori, recipiet prædicationem ipsius hominis in conclusione. At regulari per dici de nullo est, quod quicquid negatur de subiecto in maiori propositione, negabitur de quolibet contento sub ipso in cõclusione: vt nullum animal est lapis, homo est animal, ergo homo non est lapis. In quo syllogismo, quia lapis negatur de animali in maiori, in conclusione negatur de homine, qui sub animali in minori positus fuit. At animaduertendum est, quod hæ duæ regulæ sunt tantum pro quatuor primis modis primæ figuræ: nam in alijs non habent sic exactam veritatem, vt discurrenti per singulos patere poterit, verum quia omnes alij modi ad hos reducuntur; hinc est quod sicut euidentiam ex istis hauriunt, sic quoque his principijs participant. Sint ergo duæ regulæ, vt dictum est. Tertia regula: Ex propositionibus purè particularibus, indefinitis, & singularibus, non fit bonus syllogismus, ratio est, quia termini extremi debent communicare cum medio, vt inter se connecti possint, hæc autem communicatio fit solum per modum vniuersalis, quod vtrisque conueniat, quare, &c. Quarta, ex propositionibus purè negatiuis pariter non fit bonus syllogismus; ferè eadem de causa; nam ex eo quod omnes propositiones negatiuæ sunt; nulla potest esse causa colligantiæ, vel connexionis, vnde nihil concludi potest: nam negatio super affirmationem fundatur, vt ideo est verum, hominem non esse asinum, quia est homo; quare si omnia negentur, non erit fundamentum negationis, & per consequens processus syllogisticus erit vanus. Quinta: Si vna ex præmissis fuerit particularis, conclusio erit particularis, aliter argueretur à non distributo ad distributum, sicut hic homo currit, ergo omnis homo currit, quod in bona consequentia fieri nequit; nec non quoniam in particulari propositione non continetur vniuersalis, vnde ex ipsa inferri non potest: sed particularis bene continetur in vniuersali. Sexta, medium nunquam poni debet in conclusione: quia conclusio non differret ab vna præmissarum, & quoniam extrema solum in conclusione connecti debent, aliter medium non esset medium. At in his obseruandum est, quod quandoque fiũt syllogismi, particulares, singulares, & negatiui, quam videntur concludere, habentque ambas propositiones, & conclusionem etiam veram; tamen hoc est per accidens: quia videlicet contingit, vt omnes illæ propositiones sint veræ; si etenim esset ex necessaria connexione, omnes in eadem forma fieri possent, quod patet esse falsum. Pariter ponitur quandoque medium in conclusione, non pro vt medium est, sed ad explicationem. Vt omnis homo est beatificabilis, Petrus est homo, ergo hic Petrus, qui est homo, est beatificabilis; tamen non bene, nec secundum regulas fit.

CAPVT VIII.

De prima figura, eius regulis, & modis.

PRima figura (vt diximus) est in qua medium est subiectum maioris propositionis, & prædicatum minoris. Cuius duæ sunt peculiares regulæ; prima, minori existenti negatiua, nihil sequitur: quia ex parte maioris extremitatis argueretur à non distributo ad distributum, vt patet in hoc syllogismo. Omne nigrum est visibile, nullus Cygnus est niger, ergo nullus Cygnus est visibilis. Secunda regula, maiori existenti particulari, nihil sequitur; nam ex medio particulari non potest aliud sub ipso sumi. At obseruandum est, quod hæ regulæ valẽt solum pro primis quatuor modis, non autem pro alijs. Nouem ergo sunt modi primæ figuræ. Videlicet, Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum. Quorum quatuor primi directè concludunt: reliqui vero indirectè. Est autem directè concludere, maiorem extremitatem prædicari de extremitate minori in conclusione, sed concludere indirectè est minorem extremitatem prædicari de maiori in conclusione, quod exemplis sequentibus perspici potest. At circa hos, & alios sequentes aliarum figurarum modos primo notandæ sunt quatuor litteræ vocales, nempè A, E, I, O, per A, denotatur, quod talis propositio sit vniuersalis affirmatiua, per E, vniuersalis negatiua; per I, particularis affirmatiua, per O, particularis negatiua; ita vt prima vocalis cuiusque dictionis primæ, vel maiori propositioni respondeat, secunda minori, tertia conclusioni; vnde Barbara, v. g. quia ex tribus A, constat ex tribus vniuersalibus affirmatiuis fieri denotatur. Aliud est notandum, quod cum solum quatuor primi modi primæ figuræ perfecti sint, alij omnes eiusdem, & aliarum figurarum ad ipsos reducuntur, hoc ordine; quod qui incipiunt per B, reducantur ad Barbara, qui per C, ad celarent, qui per D, ad Darij, & qui per F, ad Ferio; vnde istæ quatuor litteræ B, C, D, F, hac de causa quoque obseruandæ sunt, nec aliæ seruiunt; nam omnes modi per vnam illarum, non autem per alias incipiunt. Verum quia hæc [illegible]orum reductio fit diuersis modis, ideo vt cognosci possit, quatuor aliæ consonantes intermediæ notari debent, videlicet S, P, M, C, per S, denotatur, quod propositio sibi immediatè præcedens conuerti debet simpliciter, per P, quod conuertatur per accidens; per M, quod maior fiat minor, seu per transpositionem præmissarum, per C, quod fiat reductio per impossibile. In quibus modorum dictionibus, est etiam animaduertendum, quod in quibusdam reperiuntur plures vocales, quam tres, vt patet in Frisesomorum, & alijs; sed tunc assumuntur solum tres primæ, reliquæ sunt pro metro; nam in quatuor versiculis hos omnes pro memoria prisci, collexerunt. Sed ad exempla per singulos modos accedamus.

Omne animal est substantia. Barbara.

Omnis

Omnis homo est animal,
Ergo omnis homo est substantia,

Nullus lapis est animal.
Celarent. Omnis adamas est lapis,
Ergo nullus adamas est animal.

Darij. Omnis homo est viuens.
Quoddam album est homo,
Ergo quoddam album est viuens.

Ferio. Nullum animal est lapis.
Homo est animal,
Ergo homo non est lapis.

Baralipton. Omne animal est substantia,
Omnis homo est animal
Ergo quædam substantia est homo,

Indirectè concludit, & reducitur ad Barbara conclusione conuersa per accidens, nempè ex particulari fit vniuersalis.

Celantes. Nullum animal est planta.
Omnis equus est animal.
Ergo nulla planta est equus.

Indirectè concludit, & reducitur ad Celarent conclusione conuersa simpliciter.

Dabitis. Omnis homo est viuens,
Socrates est homo.
Ergo quoddam viuens est Socrates.

Indirectè concludit, & reducitur ad Darij conclusione conuersa simpliciter.

Fapesmo. Omne animal est substantia,
Nulla arbor est animal.
Ergo quædam substantia non est arbor.

Indirectè concludit, & reducitur ad Ferio maiori conuersa per accidens, minori simpliciter, & per transpositionem præmissarum.

Frisesomorum. Quidam homo est doctus.
Nullus leo est homo:
Ergo quoddam doctum non est leo.

Indirectè concludit, & reducitur ad Ferio maiori, & minori conuersis simpliciter, & per transpositionem præmissarum.

CAPVT IX.

De secunda, & tertia figura, earum regulis, & modis.

SEcunda figura (vt dictum est etiam) est in qua medium est prædicatum maioris, & minoris propositionis, cuius tres sunt regulæ, & quatuor modi. Prima regula. Maiori propositione existente particulari non fit bonus syllogismus, nam ex parte maioris extremitatis argueretur à non distributo ad distributum, vt aliquis homo est doctus, nullus ignorans est doctus, ergo nullus ignorans est homo. Secunda regula. Ex puris affirmatiuis nihil benè sequitur, quoniam medium non assumeretur vniuersaliter in aliqua præmissarum, vnde ritè extremis communicari non poterit, vt omnis homo est animal, omnis equus est animal, ergo omnis equus est homo. Tertia regula. Conclusio semper est negatiua; nam (vt dictum est) ipsa conclusio sequitur debiliorem partem, quare si in hac figura syllogismus ex affirmatiuis non constat, habebit vnam præmissarum negatiuam, quam necessariò sequetur conclusio. Modi autem eiusdem figuræ sunt hi, Cesare, Camestres, Festino, Barocco, qui omnes directè concludunt, ad quorum exempla accedamus.

Nullus lapis est animal.
Cesare. Omnis homo est animal.
Ergo nullus homo est lapis,





Reducitur ad Celarent maiori conuersa simpliciter.

Camestres. Omnis homo est animal.
Nullus lapis est animal.
Ergo nullus lapis est homo, reducitur ad Celarent minori, & conclusione conuersis simpliciter, & per transpositionem præmissarum.

Nullus lapis est animal.
Festino. Homo est animal.
Ergo homo nō est lapis, reducitur ad Ferio maiori conuersa simpliciter.

Barocco. Omnis homo est animal.
Lapis non est animal.
Ergo lapis non est homo, reducitur ad Barbara per impossibile, hoc modo. Accipitur contradictorium conclusionis pro minori, seruata maiori, & contradictorium minoris pro conclusione, & dicitur reductio ad impossibile, quia ex hac reductione infertur impossibile, quod fit contra negantes conclusionem, vt ipsos ad absurdum manifestum, vel ad concedendam nostram conclusionem inducamus.

Tertia figura est, in qua medium est subiectum maioris, & minoris propositionis. Duæ sunt ipsius regulæ, & sex modi. Prima regula. Si minor sit negatiua non fit bonus syllogismus, quia ex parte maioris extremitatis arguitur a non distributo ad distributum; vt omnis homo est visibilis, quidam homo non est doctus, ergo quoddam doctum non est visibile. Secunda regula. Conclusio semper est particularis; nam si esset vniuersalis ex parte minoris extremitatis argueretur à non distributo ad distributum, vt omne animal est viuens, omne animal est substantia, ergo omnis substantia est viuens. Modi eius directi concludunt, & sunt hi, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferison, quorum syllogismorum exempla sic ostendi possunt.

Omne animal est substantia.
Darapti. Omne animal est viuens.
Ergo quoddam viuens est substantia,
Reducitur ad Darij minori conuersa per accidens.

Nullum animal est lapis.
Felapton. Omne animal est substantia.
Ergo quædam substantia non est lapis,
Reducitur ad Ferio minori conuersa per accidens.

Disamis. Quidam homo est albus.
Omnis homo est rationalis.
Ergo quoddam rationale est album,
Reducitur ad Darij maiore, & conclusione conuersis simpliciter, & per transpositionem præmissarum.

Datisi. Omnis homo est rationalis.
Quidam homo est albus.
Ergo quoddam album est rationale
reducitur ad Darij minori conuersa simpliciter.

Brocardo. Quidam homo non est doctus.
Omnis homo est viuens.
Ergo quoddam viuens non est doctum, reducitur ad Barbara per impossibile, accipiendo contradictorium conclusionis pro maiori, & contradictorium maioris pro conclusione seruata minori.

Ferison. Nullus homo est equus.
Quidam homo est albus.
Ergo quoddam album non est equus, reducitur ad Ferio minori conuersa simpliciter. Modi autem omnes prædicti his quatuor versibus continentur.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton.
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisosomorum.
Cesare, Camestres, Festino, Barocco, Darapti.
Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferison.

CAPVT X.

De quarta figura, & de quibusdam potestatibus syllogismorum.

QVarta figura est, in qua medium est prædicatum maioris propositionis, & subiectum minoris. Quę quidem

quidem nec ab Arist. expresse traditur, neque vniuersaliter ab alijs recepta est; verum à Galeno admittitur; & quoniam mihi videtur, neque Aristotelicæ doctrinæ, neque rationi repugnare, eam in medium adducere decreui, de qua quatuor modi principales effici possunt, nempè Bamana, Camene, Dimai, Fimeto, qui omnes indirectè concludunt, & pariter omnes per solam præmissarum transpositionem ad quatuor primæ figuræ modos, iuxta primam dictionis literam reducuntur, nempè Bamana ad Barbara, Camene ad Celarent, Dimai ad Darij, & Fimeto ad Ferio. Accedamus ad exempla.

Bamana. Omnis homo est animal.
Omne animal est viuens.
Ergo omnis homo est viuens.

Omnis homo est rationalis.
Camene. Nullum rationale est equus.
Ergo nullus homo est equus.

Quidam homo est animal.
Dimai. Omne animal est substantia.
Ergo quidam homo est substantia.

Quidam homo est doctus.
Fimeto. Nullum doctum est irrationale.
Ergo quidam homo non est irrationalis.

Quod autem rationi, & Aristotelis doctrinæ sit hæc figura conueniens, declaratur, & primo de modis affirmatiuis. Omne itaque, quod prædicatur per se de alio, prædicabitur de quocunque illud aliud dicitur, iuxta Arist. regulam ante prædicamentalem. Quando alterum de altero prædicatur, &c. at in syllogismis affirmatiuis huius figuræ hæc regula saluatur, vt patet intuenti, ergo erunt boni. Negatiui autem super aliam regulam logicalem fundantur, nempè super hanc, quicquid remouetur à consequente, remouetur etiam ab antecedenti, vt quia animal non est incorporeum, nec homo, dummodo loquamur in prædicatis per se, quæ exceptio (ne videatur euasio) etiam in alijs syllogismis seruari debet, aliter committitur fallacia figuræ dictionis, vel accidentis: super hanc ergo regulam negatiui syllogismi huius figuræ fundantur, quare sunt boni. Amplius fortè de medio tollendi sunt, quia facilem ad primam figuram reducuntur, at si hoc esset sufficiens, aliæ quoque figuræ interimendæ essent, cum ad primam reducantur. Præterea, melius est amplam facultatem regulatam tamen præbere discurrentibus, vel syllogizantibus, vt ex improuiso facilius circa quamque materiam ratiocinari possint, quod quidem efficitur, si aliæ rationales figuræ tradantur. Denique, sicut propositiones fiunt plures, & diuersæ secundum diuersas negationes, vel copulas; sic syllogismorum figuræ secundum diuersa medij subiectionem, & prædicationem; si ergo potest ritè in maiori prædicari, & in minori subijci, cur hæc remouenda est ordinatio? Et licet expresse ab Arist. non habeatur, non tamen suæ doctrinæ repugnat, sed vel vt decorē, qui in varietate consistit in suis disciplinis, ostenderet, sub aliud nomen, vel consequentias eam contineri permisit, vel quia facilè per primam figuram intelligitur, omittendam esse decreuit. Hæ ergo sunt in summa omnium syllogismorum figuræ, & modi. Circa quos aliquas potestates obseruabimus. Prima. Syllogismus, qui infert conclusionem vniuersalem, potest etiam particularem inferre, vt si inferat, omnis homo est rationalis, poterit inferre, quidam homo est rationali; ratione consequentiæ ab vniuersali distributo ad suum particulare. Secunda. Qui infert vnam conclusionem, poterit inferre suam conuertentem, ex vi consequentiæ conuersionis, vt, qui infert, quidam homo non est lapis, inferre, vel conuertere poterit, quidam lapis non est homo. Tertia. Circulariter syllogizando, vt omnis homo est risibilis, omne rationale est homo, ergo omne rationale est risibile, fit circulus sic, omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis. Quarta est syllogizare per impossibile, vt in reductione per impossibile dictum est. Quinta est ex oppositis; vt nullus homo est viuens, omnis homo est viuens, ergo homo est viuens, & non viuens, quæ est adhibenda contra eos, qui propositiones oppositas posse esse simul veras defendunt. Sexta tandem est ex falsis syllogizare, vel concludere verum, & falsum, vt in regulis syllogismorum diximus.

CAPVT XI.

De syllogismo hypothetico, modali, expositorio, & ex obliquis.

SYllogismus si ex propositionibus cathegoricis fiat, dicitur cathegoricus, si ex hypotheticis, hypotheticus, si ex modalibus, modalis. Diximus huc vsque de cathegorico, nunc igitur de reliquis dicamus. Hypotheticus itaque, vel copulatiuus, vel disiunctiuus, vel conditionalis, sicut sunt ipsæ propositiones, esse potest. Exēplum de copulatiuo. Omnis homo, & omnis equus currit. Socrates est homo, & Bucephalus est equus, ergo Socrates, & Bucephalus currunt. Exemplum de disiunctiuo. Omnis homo, vel est rationalis, vel irrationalis, non est irrationalis, ergo rationalis. Exemplum de conditionali: si homo volat, habet alas, sed volat, ergo alas habet; circa quos syllogismos nihil aliud dicendum puto, quia sunt quædam consequentiæ, quæ & per regulas præhabitas, & lumine intellectus facilè cognosci possunt. Syllogismi vero modales secundum quatuor modos fieri possunt, nempè de possibili, contingenti, impossibile, ac necesse; qui quidem modi, vel in omnibus præmissis, & in conclusione etiam poni possunt, vel in vna præmissa tantum, & in conclusione, exemplum de omnibus; omnis homo necessariò est animal, Socrates necessariò est homo, ergo Socrates necessariò est animal. Exemplum secundi modi. Omnis homo necessariò est animal, Petrus est homo, ergo Petrus necessariò est animal. Circa quæ tres sunt obseruandæ regulæ. Prima, in quacunque figura, & modo, si ambæ præmissæ sint modales, conclusio quoque erit modalis. Secunda, si vna præmissarum sit modalis, & alia de inesse, sequitur conclusio modalis. Tertia. In secunda figura ex vtraque de contingenti non ritè concluditur. Syllogismus expositorius est, qui conficitur ex terminis singularibus, & præcipuè ad similitudinem tertiæ figuræ, vt Socrates est doctus, Socrates est homo, ergo quidam homo est doctus, qui vocatur expositorius, quasi sit potius terminorum expositio, quam aliqua vera, & bona syllogizatio; nam syllogismus non constat ex propositionibus singularibus, vt dictum fuit. Fiunt quoque syllogismi ex terminis obliquis. Vt de rebus naturalibus est scientia, Cœli sunt res naturales, ergo de ipsis est scientia: in quibus quandoque fit conclusio ex terminis obliquis, interdum ex rectis secundum ordinem discursus; quod quia quisque mediocris etiam intellectus ex se videre, & experiri potest, nil aliud dicamus. Præter syllogismum sunt tres aliæ species argumentationis, nempè, Inductio, Enthymema, & Exemplum. Inductio (quæ enumeratio quoque vocatur) est à singularibus sufficienter enumeratis ad vniuersale progressio; vt hic Cygnus est albus, ille Cygnus est albus, alter Cygnus est albus, ergo omnis Cygnus est albus, dummodo non appareat instantia ita videlicet, quod aliquis Cygnus videatur non albus. Quæ quidem inductio fieri potest etiam negatiuè, vt hic coruus non est albus, neque hic, &c. Similiter circa terminos vniuersales, sed in ordine ad vniuersaliorem; vt homo est substantia, leo est substantia.

stantia, equus est substantia, &c. ergo omne animal est substantia. Huic inductioni opponitur deductio, vel descensus, qui fit ab vniuersali ad singularia. Enthymema est syllogismus truncatus, vel imperfectus, in quo videlicet ex vna propositione statim infertur conclusio, vt homo currit, ergo mouetur. Cui si addatur altera propositio, erit syllogismus. Exemplum est de vno, vel pluribus singularibus ad aliud, vel alia illatio, vel consequentia propter similitudinem inter ipsa, vt Catilina, quia patriam euertere voluit, interfectus fuit, ergo alij euersores pariter interficiendi sunt, &c.

CAPVT XII.

De arte inueniendi medium, & de terminis, in quibus omni, & in quibus nulli.

QVoniam tota vis syllogizandi à medio dependet, ideo quo pacto ipsum facilè inueniendum sit, inuestigare oportet. Sciendum est itaque, duplicem esse viam hoc consequendi, prima est sine determinatis regulis, sed per quoddam lumen, atque iudicium intellectus; ita videlicet, quod si affirmatiuè concludere velimus, accipiendum est pro medio id, quod maiori, & minori extremitati conclusionis conuenit, siue sit prædicatum aliquod essentiale, siue definitio, siue proprium, siue ęthymologia, siue aliud. Ad concludendum negatiuè sumendum est aliquod, in quo ipsa extrema conclusionis conueniant, & aliquod, in quo differant; verum quia hoc simpliciter non sufficit, ideo vel à ratione hæc accommodanda sunt, ita quod inspiciatur ratio consequendi, vel ad aliquas determinatas regulas recurrendum est. Quare has ponere melius, & facilius erit. Sunt igitur sex regulæ, quæ ex primo, priorum eliciuntur. Prima. Ad concludendam propositionem vniuersalem affirmatiuam in Barbara, sumendum est medium, quod sit antecedens ad prædicatum, & consequens ad subiectum. Secunda. Ad concludendum, particularem affirmatiuam in Darapti, Datisi, & Disamis, sumi debet medium, quod sit antecedens ad subiectum, & prædicatum. Tertia. Pro vniuersali negatiua in Celarent, & Cesare, sumere oportet medium consequens ad subiectum, & extraneum ad prædicatum. Quarta. Pro eadem vniuersali negatiua in Camestres, & Celantes sumendum est medium extraneum ad subiectum, & consequens ad prædicatum. Quinta. Pro particulari negatiua in tertia figura, aut indirectè in prima sumitur medium antecedens ad subiectum, & extraneum ad prædicatum. Sexta. Pro particulari affirmatiua in Baralipton, & Dabitis, sumendum est medium antecedens ad subiectum, & consequens ad prædicatum. Dicitur autem consequens omne superius, vel differentia, vel propria passio, vt respectu hominis animal, rationale, risibile, & alia huiusmodi sunt consequentia. Antecedens dicitur, quod aliud infert: vt homo in prædicto exemplo. Extraneum, quod alicui repugnat, vt lapis respectu hominis, vel equi, &c.

Nunc pro maiori facilitate, & vt melius memoriæ teneantur, sunt pro prædictis sex regulis, sex dictiones obseruandæ; videlicet Fecana, Cageti, Dafenes, Hebare, Gedaco, & Gebali; ita vt prima dictio sit pro prima regula, secunda pro secunda, & sic de alijs. In ipsis ergo dictionibus primum obseruare debemus quatuor vocales, nempè A, E, I, O, quarum vltima semper erit pro conclusione; sic nimirum, quod A, significet conclusionem vniuersalem affirmatiuam, E, vniuersalem negatiuam, I, particularem affirmatiuam, O, particularem negatiuam. Sed quando A, & E, non sunt in fine dictionis, sed circa medium, ipsum A, significat prædicatum, & ipsum E, significat subiectum. Sed I, & O, nunquam sunt in medio, sed solum in fine pro conclusione. Obseruandæ sunt etiam sex literæ consonantes, idest B, C, D, F, G, H. Quarum tres primæ sunt pro prædicato, & aliæ tres pro subiecto. B, ergo significat, quod medium sit consequens ad prædicatum. C, eiusdem prædicati antecedens. D, verò extraneum. At ipsum F, denotat, quod medium sit consequens ad subiectum, G, antecedens, H, extraneum, v. g. in Fecana, quia vltima litera est A, sumenda est conclusio vniuersalis affirmatiua, vt omnis homo est substantia; quæ vt bene syllogizetur, accipiatur medium, quod sit consequens ad subiectum, vt denotatur per F, & antecedens ad prædicatum, vt denotatur per C, quod erit v. g. animal, nam ipsum animal consequitur hominem, & antecedit substantiam, & sic fiat syllogismus. Omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia. In Cageti conclusio erit particularis affirmatiua, vt quidam homo est animal, accipiatur medium antecedens ad prædicatum, & ad subiectum, vt rationale, sic. Omne rationale est animal, quidam homo est rationalis, ergo quidam homo est animal; eodem modo in Disamis. In Dafenes. Nullus homo est lapis. Sume medium extraneum prædicato, & consequens subiecto, vt animal, sic. Nullum animal est lapis, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis. In Hebare. Nullus homo est lapis, sume medium extraneum subiecto, & consequens prædicato, vt insensibile, sic. Omnis lapis est insensibilis, nullus homo est insensibilis, ergo nullus homo est lapis. In Gedaco sume medium antecedens ad subiectum, & extraneum ad prædicatum, vt si velis concludere. Quidam homo non est doctus, sume ignorans, sic. Nullum ignorans est doctum, quidam homo est ignorans, ergo quidam homo non est doctus. In Gebali. Quidam homo est doctus, sume medium antecedens ad subiectum, & consequens ad prædicatum, nempè discursiuum, sic. Omne discursiuum est doctum, quidam homo est discursiuus, ergo quidam homo est doctus. Vbi aduertendum est, quod termini conuertibiles, nempè definitiones, differentiæ, & proprietates possunt esse indifferenter antecedentia, & consequentia respectu illorum, quorum sunt, vt definitio hominis, rationalitas, risibilitas, flebilitas, &c. pro antecedentibus, & consequentibus sumi possunt in ordine ad ipsum hominem, & sic de alijs. At præter prædictas sex regulas, atque dictiones, aliæ tres cogitari possunt, quæ tamen sunt inutiles; nempè Febas, Heda, Hecas, in quibus ideo non ponitur tertia vocalis, vel conclusio, quia ex medio secundum consonantes ibi dispositas, non ritè infertur; nam in Febas denotatur medium consequens ad subiectum, & prædicatum, quare esset syllogismus affirmatiuus in secunda figura, qui non est bonus. In Heda pariter inutiliter concluditur: quia sumitur medium extraneum subiecto, & prædicato, quare de vtroque negaretur, & sic fieret syllogismus ex puris negatiuis. Pariter in Hecas, quia sumeretur medium extraneum subiecto, & antecedens prædicato, quod fieri nequit; nam vel fieret in prima figura, & tunc esset minor negatiua, quod huic figuræ repugnat, præcipuè modis directè concludentibus. Vel in tertia figura, & esset syllogismus cum minori negatiua, quod pariter esse non potest, v. g. si velimus concludere hoc. Lapis non est animal (omnis namque dictio, in qua ponitur litera significans medium extraneum, respicit conclusionem negatiuam,) accipiatur homo, hic namque est extraneum subiecto, & antecedens prædicato, sic itaque arguemus, omnis homo est animal, lapis non est homo, ergo lapis non est animal, in prima figura, vel in tertia, sic. Omnis homo est animal, homo non est lapis, ergo lapis non est ani-

animal. Hæc autem medij inuentio pons asinorum vocatur, eo quod, qui tardi ingenio sunt, ipsam difficile consequantur. Cognoscuntur autem combinationes syllogisticæ inutiles, dando terminos in quibus omni, & in quibus nulli; vt in hoc vltimo syllogismo videtur primo aspectu bona consequentia, & est veritas omnium propositionum, nam prædicatum in conclusione conuenit omni contento sub subiecto, & hoc significat in quibus omni, tamen si esset bonus in omnibus terminis, & in eadem forma valeret, quod tamen est falsum, ideo ad hanc falsitatem ostendendam, sistendo in eadem forma argumentationis, inueniamus terminos, qui in conclusione repugnabunt, ita videlicet, quod prædicatum nulli eorum, quæ sub subiecto continentur conueniat, & isti dicuntur termini in quibus nulli. Vt omnis homo est animal, homo non est asinus, ergo asinus non est animal, ecce eadem forma, & conclusio falsa cum præmissis veris, ergo, & hoc fieri potest in affirmatiuis, & negatiuis syllogismis. De negatiuis patuit exemplum. De affirmatiuis sit hoc. Omne rationale est sensitiuum. Omnis homo est sensitiuus, ergo omnis homo est rationalis. Dentur termini in quibus nulli, sic, omne rationale est sensitiuum, omnis equus est sensitiuus, ergo omnis equus est rationalis.

Pons Asinorum,

Seu Ars inueniendi medium in quacumque figura, singulisque modis syllogismorum, cum terminis in quibus omni, & in quibus nulli pro eorundem regulis ad lancem veritatis comprobandis.

Modi vtiles. Inutiles.

Fecana, Cageti, Dafenes, Hebare, Gedaco, Gebali, Febas, Heda, Hecas.

IN quibus omnibus primò obseruandæ sunt quatuor vocales in fine cuiusque dictionis, nempè A.E.I.O, A. denotat conclusionem probandam esse vniuersalem affirmatiuam, E. vniuersalem negatiuam, I. particularem affirmatiuam, O. particularem negatiuam. Vt in Fecana conclusio erit vniuersalis affirmatiua, in Cageti particularis affirmatiua, &c.

Vnde in tribus modis inutilibus nempè Febas, Heda, Hecas, non ponitur tertia vocalis, quia non ritè concludunt, & sic est inanis syllogizatio per ipsos. Et si interdum valeat in ipsis conclusio, est per casum, & non ratione bonæ consequentiæ, quæ semper similis, vel in eadem forma, ac modo est æterna, & inuariabilis absque vlla instantia. Iccircò ad probandum argumentationes in præhabitis modis esse inutiles, ponuntur termini in quibus omni, & in quibus nulli. In quibus omni dicuntur dum ex præmissis veris sequitur conclusio vera, siue affirmatiuè, siue negatiuè. In quibus nulli, dum in eadem prorsus forma cum præmissis veris infertur conclusio falsa, & sic dicitur prædicatum in quibus nulli tàm affirmatiuè, quam negatiuè, hoc est prædicatum nulli competens eorum, quæ sunt sub subiecto, quare liquet fuisse combinationes inutiles, vel formas syllogisticas inualidas. Quæ omnia exemplis infrà patebunt.

Obseruandæ sunt etiam pro omnibus prædictis modis sex consonantes nempè B. C. D. F. G. H. Quarum primæ tres ponuntur pro prædicato, aliæ tres pro subiecto. B. igitur denotat, quod medium inueniendum sit consequens ad prædicatum propositionis probandæ. C. eiusdem prædicati antecedens. D. Extraneum. F. Significat, quod medium eiusdem propositionis sit consequens ad subiectum. G. Antecedens. H. Extraneum. Obseruandæ sunt etiam duæ vocales nempè. A. E. non in fine, sed in medio dictionis. A. denotat præcedentem sibi consonantem inseruire pro prædicato, E. pro subiecto. Adducamus vnicum exemplum in Fecana, vbi primò accipiatur vltima vocalis A. Et denotatur, quod conclusio syllogizanda sit vniuersalis affirmatiua. V.G. Omne animal est viuens. F. Iuxta. E. quod medium sit consequens ad subiectum, & C. Iuxta. A. Antecedens ad prædicatum sumatur sensitiuum sic; omne sensitiuum est viuens, omne animal est sensitiuum, ergo omne animal est viuens. Sed ad praxim accedamus.

Fecana.
Omnis homo est animal. { Medium. Rationale.

Omne rationale est animal.
Omnis homo est rationalis. Barbara.
Ergo omnis homo est animal.

Omnis homo est rationalis.
Omne rationale est animal. Bamana.
Ergo omnis homo est animal.

Cageti.
Quidam homo est doctus. { Medium. Sapiens.

Omnis sapiens est doctus.
Quidam homo est sapiens. Darij.
Ergo quidam homo est doctus.

Omnis sapiens est homo.
Omnis doctus est sapiens. Baralipton.
Ergo quidam homo est doctus.

Omnis sapiens est doctus.
Omnis sapiens est homo. Darapti
Ergo quidam homo est doctus.

Omnis sapiens est doctus.
Quidam sapiens est homo. Datisi.
Ergo quidam homo est doctus,

Quidam sapiens est doctus.
Omnis sapiens est homo. Disamis.
Ergo quidam homo est doctus.

Dafenes.
Nullum animal est lapis. { Medium. Viuens.

Nullum viuens est lapis.
Omne animal est viuens. Celarent.
Ergo nullum animal est lapis.

Nullus lapis est viuens.
Omne animal est viuens. Cesare.
Ergo nullum animal est lapis.

Omne

Omne animal est viuens.
Nullum viuens est lapis. — Camene.
Ergo nullum animal est lapis.

Gebare. — Medium. Vitium.
Nulla virtus est vituperanda.

Nullum vitium est virtus.
Omne vituperandum est vitium. — Celantes.
Ergo nulla virtus est vituperanda.

Omne vituperandum est vitium.
Nulla virtus est vitium. — Camestres.
Ergo nulla virtus est vituperanda.

Gedaco. — Medium. Rationale.
Quidam homo non est lapis.

Nullum rationale est lapis.
Quidam homo est rationalis. — Ferio.
Ergo quidam homo non est lapis.

Nullus lapis est rationalis.
Quidam homo est rationalis. — Festino.
Ergo quidam homo non est lapis.

Nullum rationale est lapis.
Omne rationale est homo. — Felapton.
Ergo quidam homo non est lapis.

Quoddam rationale non est lapis.
Omne rationale est homo. — Brocardo.
Ergo quidam homo non est lapis.

Nullum rationale est lapis.
Quoddam rationale est homo. — Ferison.
Ergo quidam homo non est lapis.

Omne rationale est homo.
Nullus lapis est rationalis. — Fapesmo.
Ergo quidam homo non est lapis.

Quoddam rationale est homo.
Nullus lapis est rationalis. — Frisesomorum.
Ergo quidam homo non est lapis.

Quidam homo est rationalis.
Nullum rationale est lapis. — Fimeto.
Ergo quidam homo non est lapis.

Omnis homo est rationalis.
Quidam lapis non est rationalis. — Barocco.
Ergo quidam lapis non est homo. — Conuertatur.

Gebali. — Medium. Prudens.
Quidam homo est felix.

Omnis prudens est homo.
Quidam felix est prudens. — Dabitis.
Ergo quidam homo est felix.

Quidam homo est prudens.
Omnis prudens est felix. — Dimai.
Ergo quidam homo est felix.

De Modis inutilibus.

Pro prima regula prima figura.

Minori negatiua, nihil sequitur.

Hecas. — Medium. Homo.
Nulla planta est animal.

Termini in quibus omni.
Omnis homo est animal.
Nulla planta est homo.
Ergo nulla planta est animal.
In quibus nulli.
Omnis homo est animal.
Nullus asinus est homo.
Ergo nullus asinus est animal.

Secunda regula prima figura.

Maiori particulari nihil sequitur.

Termini in quibus omni.
Quoddam animal est viuens.
Omnis homo est animal.
Ergo quidam homo est viuens.
In quibus nulli.
Quoddam animal est auis.
Omnis homo est animal.
Ergo quidam homo est auis.

Prima regula secunda figura.

Maiori particulari nihil sequitur.

In quibus omni.
Quoddam animal est viuens.
Nullus lapis est viuens.
Ergo quidam lapis non est animal.
In quibus nulli.
Quidam homo est doctus.
Nullus ignorans est doctus.
Ergo quidam ignorans non est homo.

Pro secunda regula secunda figura.

Ex puris affirmatiuis nihil sequitur.

Febas. — Medium. Animal.
Omnis homo est rationalis.

In quibus omni.
Omne rationale est animal.
Omnis homo est animal.
Ergo omnis homo est rationalis.
In quibus nulli.
Omne rationale est animal.
Omnis asinus est animal.
Ergo omnis asinus est rationalis.

Pro tertia figura prima regula.

Minori negatiua nihil sequitur.

Hecas. — Medium. Homo.
Quoddam immortale non est animal.

In quibus omni.
Omnis homo est animal.
Nullus homo est immortalis.
Ergo quoddam immortale non est animal.
In quibus nulli.
Omnis homo est viuens.
Nullus homo est asinus.
Ergo quidam asinus non est viuens.

Pro secunda regula tertia figura.

Conclusio est semper particularis.

Termini in quibus omni.
Omnis homo est animal.
Omnis homo est rationalis.
Ergo omne rationale est animal.
In quibus nulli.
Omnis homo est animal.
Omnis homo est viuens.
Ergo omne viuens est animal.

Pro quarta figura.

Maiori negatiua nihil sequitur.

Hecas.

Nullus homo est irrationalis.   { Medium. Asinus.

In quibus omni.
Nullus homo est asinus.
Omnis asinus est irrationalis.
Ergo nullus homo est irrationalis.
In quibus nulli.
Nullus homo est asinus.
Omnis asinus est viuens.
Ergo nullus homo est viuens.

Prima regula vniuersalis.

Ex puris particularibus non fit bonus syllogismus.

Prima figura in quibus omni.

Quidam homo est doctus.
Quidam rationalis est homo.
Ergo quidam rationalis est doctus.
In quibus nulli.
Quoddam album est homo.
Quidam Cycnus est albus.
Ergo quidam Cycnus est homo.

In secunda figura.

In quibus omni.
Quidam coruus est niger.
Quidam homo non est niger.
Ergo quidam homo non est coruus.
In quibus nulli.
Quoddam animal est quadrupes.
Quidam homo non est quadrupes.
Ergo quidam homo non est animal.

In tertia figura.

In quibus omni.
Quidam homo est viuens.
Quidam homo est musicus.
Ergo quidam musicus est viuens.
In quibus nulli.
Quidam homo est albus.
Quidam homo est niger.
Ergo quidam niger est albus.

In quarta figura.

In quibus omni.
Quidam homo est animal.
Quoddam animal est bipes.
Ergo quidam homo est bipes.
In quibus nulli.
Quidam homo est albus.
Quoddam album est cycnus.
Ergo quidam homo est Cycnus.

Secunda regula.

Ex puris negatiuis non fit syllogismus.

In prima figura.

Heda.

Nullus asinus est lapis.   { Medium. Homo.

In quibus omni.
Nullus homo est lapis.
Nullus asinus est homo.
Ergo nullus asinus est lapis.
In quibus nulli.
Nullus homo est lapis.
Nullus marmor est homo.
Ergo nullus marmor est lapis.

In secunda figura.

In quibus omni.
Nullus lapis est animal.
Nullum lignum est animal.
Ergo nullum lignum est lapis.
In quibus nulli.
Nullum animal est lapis.
Nullus asinus est lapis.
Ergo nullus asinus est animal.

In tertia figura.

In quibus omni.
Nullus homo est planta.
Nullus homo est asinus.
Ergo nullus asinus est planta.
In quibus nulli.
Nullus homo est lapis.
Nullus homo est inanimatus.
Ergo nullum inanimatum est lapis.

In quarta figura.

In quibus omni.
Nullus homo est asinus.
Nullus asinus est inanimis.
Ergo nullus homo est inanimis.
In quibus nulli.
Nullus homo est asinus.
Nullus asinus est rationalis.
Ergo nullus homo est rationalis.

Finis secundi Libri.

AN-



ANTONII ROCCI

de Scurcula Marſorum.

INTRODVCTIONIS

LIBER TERTIVS.

De locis topicis, & de fallacijs ſyllogiſmorum.

CAPVT PRIMVM.

De diuerſitate ſyllogiſmorum ratione materiæ.



Yllogiſmus ſi ſecundum modum, & figuram ſpectetur in tot diuiditur ſpecies, quot modi ſyllogiſmorum ſtatuũtur, atq; hæc eſt forma ipſius. Si verò conſideretur ſecundũ materiam, ſeu ſecundum propoſitiones ex quibus cõficitur, tres ſpecies erunt; quemadmodum tria ſunt genera propoſitionum; aliæ namque ſunt probabiles, aliæ falſæ cum apparentia veritatis; & aliæ deniq; neceſſarię. Probabiles dicuntur, quæ vel ab omnibus, vel à multis, vel à ſapientibus, vt veræ, vel approbatæ dicuntur, non enim eodem modo omnes probabilitatem habent, vnde hæ ab omnibus conceduntur, omnis mater diligit filium ſuum, amicis eſt benefaciendum, &c. Hæ autem à multis. Diuitiæ ſunt parandæ, honores ſunt expetendi, &c. iſtæ verò à ſapientibus. Ex nihilo nihil fit. Non datur vacuum. Sol eſt maior terra, &c. Cum ergo ex his fiat ſyllogiſmus probabilis, Topicus, & Dialecticus dicitur; ſiue vna ſola, ſiue ambæ ſint probabiles nihil refert. Propoſitiones falſæ cum apparenti veritate ſunt, quæ duplicem, vel varium habent ſenſum, vnde ad errorem inducere poſſunt; ſed earum falſitas potius in conſtitutione ſyllogiſmi, quam in ipſis propoſitionibus ſeorſum ſumptis conſiſtit, atq; ex iſtis conficitur ſyllogiſmus ſophyſticus. Et ab Ariſt. primò Top. cap. primo, ſic definitur. Syllogiſmus litigioſus eſt ex ijs, quæ videntur probabilia, non ſunt autẽ. At propoſitiones neceſſariæ ſunt, quæ in ſe continent æternam, & immutabilem veritatẽ, & ſunt omnes illæ, in quibus prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti, vel ei neceſſariò conuenit, aut in negatiuis ab ipſis neceſſariò remouetur, vt ſunt omnes iſtæ. Omnis homo eſt animal, omnis homo eſt riſibilis, rationalis, corruptibilis &c. Vel nullus homo eſt lapis, nullus homo eſt equus, & ſimiles; ex ijs igitur fit ſyllogiſmus, qui dicitur demonſtratiuus, ſeu demonſtratio, ac etiam ſcientialis: de quo fusè agemus in libris Poſt. hic autem de dialectico, & ſophyſtico determinabimus, & prius de dialectico. Ipſe igitur, eo quod ex probabilibus propoſitionibus conficitur, vtramque partem contradictionis concludere, atque diſputare poteſt, vt diuitias eſſe expetendas, & non expetendas, quare problematicus etiam dicetur; eſt etenim problema quæſtio contradictionis vtramq; partem amplectens. Et quæſtio eſt dubitabilis propoſitio, quæ poſtquam argumentis determinata eſt, vocatur concluſio, vnde ipſa concluſio ſic definitur, eſt argumento, vel argumentis approbata propoſitio. Et ipſum argumentum eſt ratio rei dubiæ faciens fidem, ideſt medium probans concluſionem, & differt ab argumentatione, nam ipſa eſt argumenti per orationem explicatio, v. g. hæc erit argumẽtatio, omne rationale eſt diſcurſiuum, homo eſt rationalis, ergo eſt diſcurſiuus, in qua rationale dicitur argumentum, vel medium, totus diſcurſus argumentatio, licet hic ſit ſyllogiſmus, nil tamen refert, ſiquidem omnis ſyllogiſmus argumentatio ſit. Hæc itaque de iſtis dicta ſufficiant. Ad ſyllogiſmum topicum redeamus. Vt igitur ſuam retineat, quam ſpopondit probabilitatem, aliquibus inniti debet fundamentis, quæ loca dicuntur. De his igitur locis in ſequentibus determinare oportet.

CAPVT II.

Quid, & quotuplex, ſit locus topicus in vniuerſali.

LOcus itaque topicus vniuerſaliter ſumptus eſt ſedes argumenti, vel id vnde ad propoſitam quæſtionem conueniens trahitur argumentum; ſeu locus eſt nota, vel ſignum commune, in quo argumentationes fundantur, & ex quo probabilitatem, aut vim concludendi eliciunt; atque dicitur locus per ſimilitudinem ad res naturales: nam quemadmodum illæ in locis naturalibus producuntur, fouentur, & cognoſcuntur; ſic argumentationes ex his locis topicis fiunt, in his earum veritas fundatur, & cognoſcitur. Diuiditur locus in communi in locum maximam, &

ad interpretationem, circa quæ eisdem maximis vti debemus.

De locis à concomitantibus substantiam.

CAPVT IIII.

De toto vniuersali, & integrali.

Alij sunt loci intrinseci, qui dicuntur à concomitantibus substantiam, quatenus videlicet argumenta sumuntur ab ijs, quæ non rei totam naturam, sed vel partes eius, vel causas, vel aliud ad ipsam pertinens, respiciunt: sunt autem in summa octo: nempè à toto, à parte, à causa, ab effectu, à generatione, à corruptione, ab vsibus, & à communiter accidentibus. De locis à toto, & partibus prius quàm de alijs, & simul de ipsis propter indissolubilem connexionem determinemus. Totum igitur, pro vt ad præsens spectat, dicitur sex modis, & totidem dicuntur partes, & per consequens etiam loci argumentandi vtrisque communes. Aliud igitur est totum vniuersale, aliud integrale, aliud in quantitate, aliud in modo, aliud in loco, aliud in tempore. Totum vniuersale est quodlibet superius respectu sui inferioris, vel quodlibet commune respectu suorum particularium, siue sit substantia, siue accidens, nihil refert; vt animal respectu hominis, color respectu albedinis &c. partes autem huius totius sunt omnia inferiora eius, atque dicuntur partes subiectiuè, quatenus in debita prædicatione subijciuntur. Hoc autem totum ab Aristoteles vocatur genus, & partes species, atque proportionaliter sic quoque loca dicuntur, nempè à genere, & specie. Arguitur, ergo ab hoc toto ad partes primo negatiuè ad omnes, vel singulas ponendo ipsum ex parte subiecti, vt animal non currit, ergo neque homo, neque leo currit. Maxima. Quod negatur de toto vniuersali, etiam de qualibet eius parte negatur. Secundo modo etiam negatiuè ponendo ipsum ex parte prædicati pariter ad omnes, & singulas partes. Vt lapis non est animal, ergo neque rationale, neque irrationale. Maxima. A quocunque remouetur totum vniuersale, remouetur quælibet pars ipsius. Tertio modo affirmatiuè ponendo ipsum ex parte subiecti ad partes disiunctiuè. Vt animal currit, ergo hoc, vel illud, vel aliud currit. Maxima. Quicquid dicitur de toto vniuersali dicitur de aliqua eius parte, dummodo non sint prædicata secundæ intentionis; non enim valet, Animal est genus, ergo hoc, vel illud animal est genus. Quarto modo etiam affirmatiuè, sed ponendo ipsum vniuersale ex parte prædicati, ad partes pariter disiunctiuè, nempè ad hanc, vel illam, vt Bucefalus est animal, ergo rationale, vel irrationale. Hoc est elementum, ergo vel ignis, vel aer, vel aqua, vel terra. Maxima. De quocunque dicitur totum vniuersale, de eodem verificatur aliqua pars ipsius. A partibus ad totum pariter quadrupliciter arguitur. Primo affirmatiuè ex parte subiecti, vt homo currit, ergo animal currit. Maxima. Quicquid dicitur de parte subiectiua, dicitur de toto vniuersali, sistendo pariter in prædicatis primæ intentionis, quia non valet, homo est species, ergo animal est species. Secundo affirmatiuè quoque, sed ponendo partem ex parte prædicati, vt Petrus est homo, ergo Petrus est animal. Maxima. De quocunque prædicatur pars subiectiua, vel species, de eodem prædicatur genus. Tertio negatiuè ex parte subiecti, sed ab omnibus partibus ad totum: vt ignis non est incorporeus, aer non est incorporeus, aqua non est incorporea, terra non est incorporea, ergo elementum non est incorporeum. Maxima. Si aliquid remouetur ab omnibus partibus subiectiuis; remouebitur à toto vniuersali; in primis intentionibus quoque. Quarto modo pariter negatiuè ex parte prædicati; ab omnibus partibus ad totum, vt, Cælum non est ignis, nec aer, nec aqua, nec terra, ergo non est elementum. Maxima. A quocunque remouentur omnes partes subiectiuè, ab eodem remouebitur totum vniuersale.

Totum integrale est, quod est compositum ex partibus habentibus quantitatem, vel ad quantitatem attinentibus: vt homo pro vt componitur ex capite, pectore, corde, & alijs membris dicitur totum integrale primo modo, & numerus, quatenus constat ex vnitatibus, est pariter integrale secundo modo, quia vnitates non sunt, quantæ, cum sint indiuisibiles, & tamen ex ipsis fit numerus, qui est quantus. At circa ipsum totum integrale aduertendum est, quod aliquæ ipsius partes sunt principales, sine quibus ipsum non potest consistere vt cor, caput, pectus &c. respectu hominis, similiter paries, tectum, & fundamentum respectu domus, aliæ sunt minus principales, sine quibus totum existere potest, vt digitus, vel manus, vel pes in comparatione ad hominem: ianua, vel fenestra, vel angulus in ordine ad domum. A toto itaque integrali ad singulas eius partes principales secundum existentiam arguitur affirmatiuè, vt domus est, ergo paries, & fundamentum, & tectum sunt, maxima. Posito toto integrali, ponuntur partes eius principales. Et dicitur secundum existentiam, vel secundum esse secundò adiacens, quia aliter non valet; non enim benè arguimus, domus est quadrata, ergo & fundamentum, vel triangulus habet tres angulos, ergo & lineæ eius tres angulos habent. Ad partes minus principales non valet; non enim benè arguimus. Domus est, ergo fenestra est &c. At in numero, quia omnes partes sunt principales ad singulas vnitates argumentum tenet, vt numerus est, ergo & quælibet vnitas eius est. Ab ipso toto ad partes negatiuè arguere non possumus, non enim dicemus, domus non est, ergo paries non est. Sed à partibus principalibus ad ipsum totum tenet argumentum negatiuè tantum, vt paries non est, ergo domus non est; cor non est, ergo homo non est. Maxima. Remota parte principali totius integrali, remouetur totum; de minus principalibus non valet; neque ritè ab omnibus affirmatiuè ad totum vt fundamentum, paries, & tectum sunt, ergo domus est, non est bona consequentia, quia hæc possunt esse, vel separata, vel non debitè disposita, vt etiam notum est, si membra animalis. veluti diuisa sumantur. At si quis diceret; hæc est bona argumentatio à parte integrali ad totum. Pars lapidis, vel ligni, vel aquæ est, ergo lapis; vel lignum, vel aqua est. Respondetur, ibi fieri prædicationem totius vniuersalis, non autem totius integralis; nam si ipsum integrale in his rebus similaribus acciperetur, sumendum esset cum tota quantitate, & hæc est integritas eius, & argumentum deficeret; vt pars aquæ est, ergo tota amphora aquæ est, quod patet esse falsum.

CAPVT V.

De locis à toto in quantitate, in modo, in loco, & in tempore.

Totum in quantitate est terminus communis cum signo vniuersali, vel affirmatiuo, vel negatiuo, vt omnis homo, nullus homo, partes eius sunt inferiora, vt Petrus, &c. Ab hoc toto ad singulas partes tam ex parte prædicati, quam ex parte subiecti affirmatiuè, & negatiuè arguitur. Vt omnis homo currit, ergo hic, & ille, & alter currit; nullus homo currit, ergo, neque hic, neque ille, neque alter currit, & ponitur tunc totum ex parte subiecti, vt patet. Maxima. Quicquid prædicatur de toto in quantitate, vel ab ipso remouetur; prædicabitur, vel remouebitur à qualibet parte eius.

Ex parte prædicati, sic. Video omnem hominem, ergo hunc, illum, &c. Video nullum hominem, ergo neque hunc, neque illum, &c. Maxima. Cuicunque conuenit totum in quantitate, eidem conuenit quælibet pars eius. Alia. A quocunque remouetur totum in quantitate, omnes partes remouentur. A partibus ad totũ pariter quatuor modis arguitur. Primo ab omnibus partibus affirmatiuè ex parte subiecti, vt Petrus currit, Franciscus currit, &c. ergo omnis homo currit. Maxima. Quicquid dicitur de omnibus partibus totius in qantitate, dicitur de ipso toto. Secundo eodem modo, sed negatiuè; vt Petrus non currit, neque Franciscus currit, nec alter currit; ergo nullus homo currit. Maxima. Quicquid negatur de omnibus partibus totius in quantitate negabitur de ipso toto. Tertio modo ponendo partes ex parte prædicati affirmatiuè, pariter ab omnibus ad totum; vt cognosco ignem, aerem, aquam, & terram, ergo cognosco omnia elementa. Maxima. De quo omnes partes affirmantur, & totum affirmatur. Quarto negatur, vt non cognosco ignem, nec aerem, nec aquam, nec terram, ergo nullum elementum cognosco. Maxima. De quo omnes partes remouentur, ab ipso totum remouetur,

Totum in modo est vniuersale sumptum sine determinatione, sed in comparatione ad seipsum, quando sumitur determinatè, vt homo est totum in modo respectu hominis albi, quæ pars in modo vocatur. In qua modificatione cauendum est, vt modus ipse, vel determinatio non repugnet naturæ totius, sed solũ ipsam restringat, aliter non esset pars in modo, sed distrahens, vel alienans, vel diminuens, vt patet de his, homo pictus, homo irrationalis, homo albus secundum dentes, &c. Circa quas determinationes non locus dialecticus, sed sophyisticus fieret. Arguitur à toto in modo ad suas partes, & à partibus ad totum, sicut arguebatur à toto vniuersali ad suas partes, & ab illis ad ipsum, vt negatiuè primo ex parte subiecti, sic. Homo non currit, ergo nec homo albus, nec niger, nec alter currit. Maxima. Quicquid negatur de toto in modo, negabitur de qualibet parte ipsius. Affirmatiuè ad partes disiunctiue, vt homo currit, ergo vel albus, vel niger, vel alter currit. Ex parte prædicati. Petrus est homo, ergo vel est homo albus, vel niger, &c. Lapis non est homo, ergo neque albus, neque niger, &c. pariter à partibus: homo albus currit, ergo homo currit; nec homo albus, neque niger, neque aliter coloratus currit, ergo homo non currit. Maximę sumantur sicut ibi, mutando nomina, &c.

Totum in loco est aduerbium, quod significat omnem, vel nullum locum, vt vbique, nusquam; pars in loco est aduerbium, quod significat locum aliquem particularem, vel affirmatiuè, vt hic, illic, intus, foras, &c. vel negatiuè, vt non hic, non illic, &c. Arguitur à toto ad suas partes affirmatiuè, & negatiuè, vt Deus est vbique, ergo est hic, illic, &c. Chimera est nusquam, ergo neque hic, neque illic, &c. Maxima. Posito vel remoto toto in loco, ponuntur, vel remouentur omnes partes eius. A partibus ad totum, si omnes sumantur pariter affirmatiuè, & negatiue arguitur, vt Deus est hic, illic, & alibi, atque alibi, &c. ergo est vbique. Chimera non est hic, neque illic, neque alibi, ergo nullibi. Maxima, positis, vel remotis omnibus partibus totius in loco, ponitur, vel remouetur totum. Est alius quoque modus arguendi à partibus, nempè à positione vnius, ad negationem totius negati; vt Petrus est hic, ergo falsum est dicere, eum esse nusquam. Vel à negatione partis ad negationem totius affirmati: vt Petrus non est hic, ergo non est vbique.

Totum in tempore est dictio, vel aduerbium comprehendens omne, vel nullum tempus, vt semper, nunquam; partes eius sunt aduerbia, vel tempora particularia, vt hodie, heri, cras, olim, &c. A toto in tempore ad suas partes arguitur affirmatiuè, & negatiuè, sicut à toto in loco. Vt semper Cęli mouentur, ergo, & nunc. Nunquam potest esse vacuum, ergo neque olim, neque nunc. Pariter à partibus ad totum, vt olim, nunc, & in futurum est motus cęlestis, ergo semper. Nec olim, neque nunc, neque in futurum potest esse chimera, ergo nunquam. Pariter. Petrus est nunc, ergo falsum est dicere, nunquam esse. Plato non est nunc, ergo falsum est, eum semper esse. Maximæ sumantur sicut à toto in loco, & partibus, variatis nominibus, &c. Præter hæc tota, alia quinque à nonnullis assignantur, videlicet totum copulatiuum, & est, quod explicatur per hypoteticam copulatiuam, vt homo studet, & equus currit; aliud est disiunctiuum; quod explicatur per hypotheticam disiunctiuam, vt Petrus currit, vel non currit. Aliud est potestatiuum, quod continet plures potentias, vt anima respectu suarum virtutum, &c. Aliud est totum successiuum, vt motus, & tempus. Aliud est denique totum collectiuum, vt populus ciuitas, exercitus, &c. De quibus non fit principalis mentio, quia ad prædicta alia reducuntur, nempè copulatiuum, potestatiuum, & collectiuum ad totum integrale. Sed disiunctiuum, & successiuum ad totum vniuersale. Circa quæ eadem sumuntur argumenta, &c.

CAPVT VI.

De locis à causis.

QVatuor sunt causæ, nempè, efficiens, materialis, formalis, & finalis, quorum communis definitio, atque rationes, & conditiones singulares ad secundum Phys. attinent; nunc solum de eis, provt ad argumentationes sat est, determinabimus. Causa itaque efficiens est, à qua incipit motus, vt ædificator est causa efficiens domus, &c. Atque est duplex, videlicet naturalis, & voluntaria, naturalis, quæ ex instinctu naturæ, atque necessariò operatur, vt ignis sic est causa caloris; & hæc est quoque duplex, altera adæquata, sic videlicet, quod effectus eius ab alia causa produci non possit, quo pacto Sol est causa diei; altera est inadæquata, quia effectus eius ab alia produci potest, vt ignis sic est causa caloris; nam calor non ab igne tantum, sed ab aliis quoque produci potest. At ipsa causa adæquata interdum est, non solum respectu ipsius effectus, sed etiam respectu conseruationis, ita vt neque effectus, neque conseruatio eius sine ipsa esse possit, vt Sol respectu diei, rationalitas respectu risibilitatis, &c. At causa voluntaria est, quæ ad libitum agit; vt ædificator respectu domus, &c. A causis itaque naturalibus adæquatis, & necessarijs quo ad esse, & conseruationem effectus arguitur affirmatiuè, & negatiuè ab earum esse ad esse effectuum, & è contra, vt Sol est, ergo dies est, non est Sol, ergo neque dies, vel est dies, ergo Sol, &c. Maxima. Posita, vel remota causa adæquata, &c. ponitur, vel remouetur effectus; & posito effectu ponitur causa. In causis necessarijs inadæquatis arguitur à positione tantum ipsarum, ad positionem effectuum, vt ignis est, ergo calor est, sed ab effectibus ad causas arguitur negatiuè tantum, vt non est calor, ergo neque ignis, in causis verò voluntarijs, arguitur ab ipsarum esse ad possibilitatem effectus, vt ædificator est, ergo domus potest esse datis alijs requisitis. Et hæ causæ, quæ actualiter non operantur, dicuntur in potentia; quæ vero operantur, dicuntur in actu. Arguitur quoque à quacunque causa efficienti ad suum effectum ratione bonitatis, vel malitiæ, vt magister est bonus, ergo & discipulus, ædificator est malus, ergo & domus. Maxima. Cuius causa efficiens est bona, vel mala, ipsum quoque bonum, vel malum est.

lum est. Qui quidem loci sunt, vt plurimum, inefficaces.

Causa materialis est, ex qua fit aliquid cum insit, atque est duplex, nempè permanens, & transiens. Materia permanens est, quæ post rem factam in composito remanet, vt lapides in domo, &c. Transiens est, quæ non remanet in composito, vt aqua, & farina respectu panis, vel filix respectu vitri. Ab vtraque autem ad possibilitatem effectus arguitur: vt farina, vel lapides sunt, ergo panis, vel domus esse possunt. Maxima. Posita causa materiali, effectus est possibilis. Sed ab effectu ad causam secus in vno, quam in alio arguitur, nam ad causas permanentes arguitur secundum tempus præsens; vt domus est, ergo lapides, ligna, &c. sunt. Sed ad transeuntes arguitur secundum tempus præteritum; vt panis est, ergo farina fuit. Arguitur pariter à conditionibus materiæ ad conditiones effectus; vt homo constat ex partibus dissolubilibus, ergo est mortalis, &c.

Causa formalis est, qua res habet esse completum; atque est duplex, substantialis, vt anima respectu viuentium, & accidentalis, vt albedo respectu rei albæ, & ab vtraque ad suum effectum arguitur affirmatiuè, & negatiuè, & è contra ab effectu ad causam. Vt anima est, ergo viuens est, albedo est, ergo & res alba. Vel anima non est, ergo neque viuens. Pariter viuens est, ergo & anima, vel hoc non est, ergo neque illa. Maxima. Posita causa formali, ponitur effectus, & remota remouetur, pariter, posito effectu, ponitur causa, &c.

Causa finalis est, gratia cuius aliquid fit, vt sanitas est causa finalis medicinæ, vel dietæ, hæc autem media effectus ipsius dicuntur. Arguitur itaque à causa finali ad sua media, affirmatiuè, & negatiuè secundum bonitatem, & malitiam, & secundum alia ad ipsum finem consequendum requisita. Vt sanitas est bona, ergo & medicina, si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Si vis esse doctus, studijs operam nauabis, &c. Interficere est malum, ergo & parare insidias. Maxima. Cuius finis est bonus, vel malus, ipsum quoque medium bonum, vel malum est; dummodo non sit finis abusiuus. Vt si quis furetur, vt det eleemosinam, fine abutitur, vel medio. Item maxima. Media sequuntur conditionem, vel necessitatem finis.

CAPVT VII.

De locis à generatione, corruptione, vsu, & communiter accidentibus.

Generatio est progressio de non esse ad esse, à qua arguitur affirmatiuè, & negatiuè ad rem genitam, & è contra, vt generatio hominis est bona, ergo homo bonus est, vel homo bonus est, ergo & generatio eius. Commissio sceleris est mala, ergo & scelus est malum. Maxima. Cuius generatio est bona, vel mala, ipsum quoque bonum, vel malum est. Corruptio est progressio de esse ad non esse, & arguitur ex opposito eius ad coruptum, & è contra. Vt corruptio hominis est mala, ergo homo bonus est. Corruptio latronis est bona, ergo ipse est malus. Vel latro est malus, ergo corruptio eius est bona. Maxima. Cuius corruptio est bona, ipsum est malũ, & cuius corruptio est mala, ipsum est bonum. Vsus est operatio rei, vt secare est vsus ferræ, equitare equi, &c. & arguitur affirmatiuè, & negatiuè, vt equitare est bonum, ergo equus bonus est. Interficere hominem est malum, ergo ad hoc vti gladio malum est. Maxima. Cuius vsus bonus, vel malus est, ipsum quoque bonum, vel malum est. Vbi cauendum est, ne pro vsu abusus sumatur, vt gladio interficere hominem malum est, ergo gladius malus est; hic etenim non est vsus, sed abusus gladij, & sic dicatur de alijs.

Communiter accidentia sunt in duplici discrimine, quædam sunt, quæ se consequuntur, non tamen necessariò, nec semper, vt baccanalia, & rixæ, bibere, & inebriari, ludere, & irasci, &c. & ab his sumitur debilis arguendi locus: ad quæ reducuntur, quam plurima potius ad Oratores, quam ad Logicos attinentia, cuiusmodi sunt omnia loca, quæ ab ipsis Oratoribus remota dicuntur, vt fama, testes, præiudicia, rumor, iusiurandum, tormenta, & tabulæ. At alia communiter accidentia, quorum si vnum est, præcedens necessariò fuit, vt si virgo peperit, necessariò concepit, si arbor fructum effecit, germinauit; & secundum hanc considerationem hic esset consequentia necessaria, at quoniam accidit vt posterius ex priori sequatur, hinc sumpta ethimologia, communiter accidentia, & locus ab his nuncupatur. Horum autem maxima est. Si communiter accidentium posterius inest, & prius infuit. Vbi notandum est, quod licet hæc accidentia communia sint, & dicantur, tamen ab Antiquis inter intrinseca loca connumerantur, quia naturam rei ostendere intendunt. Si quis autem quædam ipsorum ad externa loca reuocaret, non irrationabiliter faceret. Sed pro nunc sat sit adolescentibus hanc rudem, & vsitatam priscorum introductionem tradere.

CAPVT VIII.

De locis externis.

Svnt externa loca (vt etiam dictum est) dum argumenta sumimus ab ijs, quæ sunt extra naturam rei, de qua differere volumus; atque sunt nouem; scilicet ab oppositis, à disparatis, à maiori, à minori, à simili, à proportione, à trasmutata proportione, à transumptione, & ab auctoritate.

Opposita dicuntur, quæ adinuicem repugnant, & sunt quadruplicia, videlicet relatiua, contraria, priuatiua, & contradictoria. Relatiua sunt, quæ ad inuicem referuntur, vt pater, & filius, Dominus, & seruus &c. Circa quæ duplex est arguendi modus. Primus, à positione, vel negatione vnius ad positionem, & negationem alterius, vt pater est, ergo filius est: pater non est, ergo neque filius. Maxima. Relatiua posita se ponunt, & perempta se perimunt. Quæ argumentatio tenet ratione non oppositionis, sed illationis. Alter modus est ex parte oppositionis, & sic arguitur à positione vnius ad negationem alterius respectu eiusdem, vt Petrus est filius Francisci, ergo non est pater eius. Maxima. Posito vno relatiuorum circa idem, & eodem modo, remouetur aliud.

Contraria sunt, quæ ab eodem subiecto mutuò se expellunt, vt calor, & frigus, dulce, & amarũ, &c. Quorum alia dicuntur immediata, alia mediata. Immediata sunt, quorum vnũ, vel aliud necessariò inest proprio subiecto, vnde inter ipsa non datur medium, vt sanitas, & ægritudo respectu animalis, omne etenim animal est vel sanum, vel ægrum, pariter par, & impar respectu numeri, curuum, & rectum lineæ, &c. ex ijs itaque à positione vnius ad negationem alterius, & è contra arguitur; vt hoc animal est sanum, ergo non est ægrum. Non est ægrum, ergo sanum. Maxima. Posito vno contrariorum immediatorum, remouetur aliud, & remoto vno, ponitur aliud. At contraria mediata sunt, quorum alterum non necessariò inest proprio susceptibili, sed medium aliquod inesse potest; vt album, & nigrum, non enim necesse est, omne corpus esse album, vel nigrum, sed potest esse alio medio colore affectum, vt rubedine, viriditate, &c. & in his arguitur à positione vnius ad negationem non tantum alterius contrarij, sed etiam medij; vt hoc est album, ergo non est nigrum, nec rubeum, &c. Maxima. Posito vno contrariorum mediatorum, remouetur

mouetur alterum, simul cum medio. In vtrisque his contrarijs tam immediatis, quam mediatis est alter quoque arguendi modus, à proprietatibus, vel effectibus, vel conditionibus vnius ad alias oppositas alterius cum conuenientibus verbis. Vt virtus est laudabilis, ergo vitium est damnabile. Iustitia est amplectenda, ergo fugienda est iniustitia. Pariter ab vna illarum proprietatum, ad alterius negationem arguitur: vt reddere cuique quod suum est bonū, ergo auferre est malū &c. Maxima. Positis proprietatibus alicuius contrarij, eæ, quæ sunt alterius remouentur, vel contrariorum contrariæ sunt proprietates, & conditiones. Priuatiua sunt, quorum vnum significat habitum, vel formam, alterum verò carentiam eiusdem, vt visus, & cæcitas, auditus, & surditas, &c. In quibus obseruandum est, quod ad hoc vt aliqua dicatur verè priuatio, debet esse carentia in subiecto, quod natum erat talem habere formam, & quando, & quomodo; vnde lapis non dicitur cæcus, vel priuatus visu, quia non est aptus ipsum habere; pariter catulus ante nonum diem non dicitur cæcus, quia tunc non est aptus videre, similiter nec si quis non videat tempore nocturno, vel oculis clausis &c. Arguitur à positione vnius ad negationem alterius, vt est videns, ergo non est cæcus, est cæcus ergo non est videns. Sed à negatione habitus, ad positionem priuationis non valet argumentatio, nisi seruatis conditionibus temporis, modi, &c. non enim rectè arguitur, catulus non est videns, ergo est cæcus. Sed dicendum est, non videt quando, & quomodo est aptus videre, ergo est cæcus. Contradictoria sunt opposita, inter quæ non datur medium essendi, vel non essendi, sed si vnum est, aliud necessariò non est; & explicantur per affirmationem, & negationem; vt homo, non homo; circa quæ arguitur a positione vnius, ad negationem alterius, & è contra; vt Petrus est homo, ergo falsum est eum non esse hominem. Maxima. Si vnum contradictorium est verum, alterum est falsum, &, e contra. Disparata dicuntur duæ naturæ diuersæ, & adinuicem circa idem incompossibiles; vt homo, & equus, rationalitas, & irrationalitas &c. & in his arguitur pariter a positione vnius ad negationem alterius, vt Petrus est homo, ergo non est equus. Maxima. Posito vno opposito disparato, remouetur alterum. Quidam dicunt: ab istis argui solum abstractiuè, vt hæc est albedo, ergo non est quantitas: nam concretiuè non sequitur, hoc est album, ergo non est quantum, tamen hoc non benè dicitur; quia hoc pacto omnia pertinerent ad disparata, quia nihil in abstracto prædicatur de alio, nisi fortè ens, vt patet de his, quæ minus videntur, hæ etenim sunt falsæ prædicationes, rationalitas est animalitas, homo est humanitas, &c. quare deberent esse disparata, quod absurdum, & ridiculum est: dicatur itaque, vt supra: nempè disparata esse naturas diuersas, & incompossibiles siue in abstracto, siue in concreto.

Locus à maiori est habitudo eius, quod videtur magis probabile, vel verisimile, ad id quod minus tale videtur: vnde maius hic sumitur, pro magis probabili, &c. & arguitur ab ipso ad minus negatiuè tantum, vt vir non potest vincere leonem, ergo neque puer, seu aliquis non potest interficere lupum, ergo neque leonem; in vtrisque enim ex eo quod magis probabile, vel verisimile, ad id quod minus tale est, arguitur. Maxima. Si id quod magis videtur inesse, non inest, neque id quod minus videtur inerit. Locus à minori opposito modo sumitur, nempè ab eo, quod videtur minus probabile, ad id quod magis probabile videtur, & tenet solum affirmatiuè. Vt puer potest vincere leonem, ergo & vir. Aliquis potest superare leonem, ergo & lupum. Maxima. Si id quod minus videtur inesse, inest, & quod magis videtur, inerit.

Similia dicuntur, quæ in aliqua qualitate, vel virtute, vel vitio, vel cōditione cōueniunt: vt Cygnus, & nix in albedine, leo, & aquila in magnanimitate, duo latrones in delicto, duo nobiles in conditione, &c. inter quæ arguitur affirmatiuè, & negatiuè, vt latro ille suspensus fuit, ergo & hic debet. Vir ille nobilis est venerabilis, ergo & hic. Maxima. De similibus idem est iudicium. Ad hæc autem pertinent æqualia, vel in quantitate, vel in potentia, vel in viribus. Maxima, de æqualibus idem est iudicium. Potest quoque sumi locus à dissimilibus, & sunt quæ habent diuersam qualitatem, vt iustus & iniustus, fortis, & pusillanimus, & arguitur sic. Iustus est laudandus, ergo iniustus vituperabilis &c. Maxima. De dissimilibus, vel inæqualibus dispar est iudicium.

Proportio est rerum diuersarum eadem habitudo, vnde differt à similitudine, quoniam, quæ sunt similia, debent in aliqua qualitate conuenire, sed proportionabilia nequaquam, immo satis est, quod aliquis modus, vel ordo se habendi sit eis communis; quo pacto Deus in vniuerso habet suo modo proportionem cum Rege in regno, & rector nauis, cum rectore scholæ. Inter quæ proportionalia est idem modus arguendi, qui erat à similibus, vt sicut se habet Deus in vniuerso, sic Rex in regno. Sed ille iustitia, & sapientia ipsum vniuersum regit, ergo hic ita quoque regnum regere debet. Maxima. De proportionabilibus idem est iudicium.

Transmutata proportio est transposita habitudo quatuor terminorum comparabilium in proportione; in omni etenim proportione (vt notum est) quatuor sunt termini, quorum duo primi constituunt antecedens, reliqui vltimi consequens, vt in præcitato exemplo. Deus, & vniuersum sunt primi, Rex, & regnum reliqui. Si itaque primus ad tertium, & secundus ad quartum comparentur, erit trasmutata proportio. Vt sicut se habet Deus in vniuerso, ita Rex in regno, ergo sicut se habet Deus ad Regem, ita vniuersum ad Regnum; nam sicut duo primi sunt regentes, & domini, ita duo vltima sunt recta, & dominia: pariter, sicut se habet homo ad risibilitatem, ita equus ad hinnibilitatem (semper namque prius oportet ponere proportionem, vt trasmutetur, & ex vtrisque integram construere argumentationem.) ergo sicut se habet homo ad equum, ita risibilitas ad hinnibilitatem: nam primi duo termini sunt subiecta, vel species, secundi proprietates ipsorum; & in numeris sic. Sicut se habent quatuor ad octo, ita sex ad duodecim, ergo sic se habent quatuor ad sex, ita octo ad duodecim, nam sicut inter primos erat proportio dupla, sic inter transmutatos est proportio sesqui altera. Dicitur proportio dupla, dum vnum excedit aliud in duplo, vt quatuor respectu duorum, at sesqui altera vocatur, dum aliquod excedit aliud in dimidio, vt sex sic excedunt quatuor, nam in numero senario continentur duæ vnitates plures, quam in quaternario, hæ autem sunt ipsius quaternarij dimidium. Maxima. Quæ per proportionem transmutantur, rectè se inferunt, & de eis est par iudicium.

Transumptio est, vel translatio vnius significationis in aliam, propter aliquam similitudinem. vel mutatio vnius nominis in aliud rei eidem conueniens. Exemplum primæ, prata rident, vel iuuentus floret, aut viret; exemplum secundæ, sapiens pro philosopho, primus motor pro Deo, &c. In prima transumptione, quia non accipitur simpliciter veritas, sed metaphorica, non fundatur locus dialecticus, sed sophysticus, vel si formetur, erit debilis, atque poeticus. Sed in secunda benè fundatur topica argumentatio; vt Deus est omnipotens, ergo & primus motor. Maxima. Quod alicui conuenit sub vno nomine, eidem conuenit sub alio. Vbi est notandum, hunc locum differre ab interpretatione, quia hic non exponitur nomen, sed aliud sumitur: differt pariter à synonimia, quia hic non accipiuntur termini sub ratione penitus eadem, vt

patet,

patet, sed solum quod in connotato conueniant.

Auctoritas (ad nostrum propositum) est iudicium, vel sententia, vel dictum sapientis in sua scientia, & valet solum affirmatiuè, i. quod ipse dixerit hoc, vel illud, siue affirmando, siue negando; vt Aristot. dixit, decem esse prædicamenta, ergo sunt decem. Dixit, nō dari vacuum, ergo non datur. At si diceretur. Arist. Nihil dixit de Demonibus, ergo non dantur, argumentum non valeret, quia sumitur negatiuè. Maxima. Vnicuique experto in sua scientia est credendum. Ad hunc locū ego (saluo meliori iudicio, & vsu) reducerem omnia, quæ remota ab oratoribus dicuntur, & de quibus meminimus in loco de communiter accidentibus.

CAPVT IX.

De locis medijs.

LOca media dicuntur, quæ nec de intrinseca ratione, neque penitus externa sunt rei, circa quam arguimus, & sunt quinque; videlicet à coniugatis, à casibus, à comparatione, ab appositis, & à diuisione.

Coniugata dicuntur abstractum, & concretum, vt albedo, & album, iustitia, & iustus, scientia, & sciens, &c. In quibus arguitur affirmatiuè, & negatiuè: vt logicus est sciens, ergo Logica est scientia, iustitia est virtus, ergo iustus est virtute præditus; album est coloratum, ergo albedo est color. Iniustitia non est virtus, ergo iniustus non est virtuosus; vel hic non est virtuosus, ergo illa non est virtus. Maxima. Sicut abstractum affirmatur, vel negatur de abstracto, ita concretum de concreto, & è contra. Hæc autem dicuntur coniugata, quasi simul iuncta in principali significato; nam tam iustitia, quàm iustum, v. g. eandem qualitatem (modo tamen diuerso) præcipuè significant. Atque fieri possunt hæ argumentationes subijciendo, vel abstractum, vel concretum, vel aliud, de quibus facillima sunt exempla. Casus dicuntur nomen, & aduerbium ab ipso desumptum, vt iustum, & iustè, doctum, & doctè, &c. circa quæ est idem arguendi modus, qui est à coniugatis, immo & coniugata ipsa simul ad vnam argumentationem cum casibus trahi possunt; vt iustitia est bona, ergo iustus est bonus, & quod iustè fit, bene fit; sed a casibus tantum sic arguitur, iustus est bonus, ergo quod iustè fit, bene fit. Maxima. Sicut nomen verificatur, vel negatur de nomine, sic aduerbium de aduerbio: Et dicuntur casus, quatenus aduerbium, & pariter nomen adiectiuum (à quo potissimum, & immediatè sumitur aduerbium) à primo substantiuo cadunt, vel descendunt, vt iustum; & iustum à iustitia cadunt.

Comparatiua dicuntur, quæ in aliquo conueniunt, ita quod vnum aliud excedat, id vero in quo conueniunt vocatur positiuum, & excedens comparatiuum, vt Petrus est fortior Paulo, ly fortior, dicitur propriè comparatiuum, sed fortitudo, vel potius forte in concreto, est positiuum. A comparatiuo igitur ad suum positiuum arguitur affirmatiuè tantum; vt leo est fortior equo, ergo leo est fortis. Maxima. Relatiuum supponit suum positiuum. Vbi aduertendum est, ne fiat comparatio abusiua, quia tunc non valeret; non enim bene arguitur; agnus est fortior musca, ergo agnus est fortis, quia in neutro horum animalium, reperitur vera fortitudo; & in hoc consistit comparatio vera; quod videlicet in veritate adsit positiuum, vel eius verum esse. Sicut abusiua, dum adest secundum quid, vel ironicè, quo pacto dicimus, meliorem fuisse Caium Caligulam Nerone, vel meliorem esse febrem, quam pestilentiam, &c. Ad locum comparatiuorum reducuntur superlatiua, vt Achilles fuit fortissimus Græcorum, ergo fuit fortis; cum maxima præcedenti, & sine abusu. Est autem alter modus arguendi à positiuo ad comparatiuum, & superlatiuum addendo proportionaliter excessus. Vt iustus est bonus, ergo iustior est melior, & iustissimus est optimus. Maxima. Dum aliquid est tale, quod magis excedit est magis tale, & quod maximè, est maximè tale.

Apposita dicuntur, quorum vnum habet esse tale propter aliud, vt si diligamus proximū propter Deum. Quæ ideo apposita dicuntur; quia vnum apponitur, vel vnitur alteri ad hoc, vt sit tale. Circa quæ sic arguitur; Lignum est calidum propter ignem, ergo ignis est magis calidus. Maxima. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Quæ tamen maxima non debet sic (pingui Mineruâ) intelligi, nam aliquas requirit conditiones, vt sit vniuersaliter vera, quas examinandas relinquamus pro primo Post. Nunc solum sufficiat, quod in causis finalibus, & cum hoc verbo amo, vel diligo, apparet forsitan semper vera; vt diligo dietam, vel medicinam propter sanitatem, ergo sanitatem magis diligo. Diligo Petrum propter amicum, ergo magis diligo amicum, &c.

Diuisio quid sit, in principio huius operis declarauimus. Quotupliciter autem fiat ex multiplici acceptione totius cognosci potest; nihil namque diuiditur, nisi sit totum, & omne totum diuiditur; quare nunc solum de modis arguendi circa ipsam determinabimus. Quod tamen commodè fieri nequibit, nisi aliqua breuiter recapitulabimus. Fit itaque diuisio, vel per negationem vnius membri, seu partis, vel sine vlla negatione; vt homo est rationalis, vel non rationalis, aut est rationalis, vel irrationalis, prima erit per negationem, secunda nequaquam. In diuisione itaque per negationem (quæ tamen nō est propriè diuisio per partes, cum negatio non sit pars (vt dictum est alibi) arguitur à positione vnius membri, ad negationem alterius, & è contra, vt Petrus est homo, ergo non est non homo, vel lapis non est homo, ergo est non homo. Maxima. Posito vno membrorum diuidentium per negationem remouetur aliud. Quæ quidem diuisio non respicit simpliciter totum, sed omne disiunctiuum, vel contradictorium; vt de quocunque verum est dicere, quod sit ens, vel non ens, &c. Diuisio autem, quæ fit per partes positiuas, vel sine negatione tot modis dicitur, quot ipsum totum. Et ne videantur eadem loca, hæc, cum locis à toto, sciendum est, quod hic non intendimus arguere à toto ad partes, vel contra, vt illic arguebatur, nam frustra id fieret, & loca hæc ab illis non distinguerentur. Sed argumentationes, & loca hæc sumentur inter partes tantum; quæ quidem, quoniam vna non est de essentia alterius, nec penitus sunt inter se extranea, media loca sunt; & cum locis à toto non confundentur. Diuisio ergo, quæ per partes positiuas efficitur, vel est totius per se, vel totius per accidens. Totum per se est, quod constat ex partibus pertinentibus ad eandem naturam, & est totum essentiale, vniuersale, integrale; & quo ad hoc, totum in tempore, & in loco, pariter per se sunt, pro vt partes ad idem, & secundum idem pertinent, vt omnia tempora ad tempus, omnes loci ad locum. Totum in modo est per accidens: sed vniuersaliter totum per accidens est, quod constat ex partibus ad eandem naturam non attinentibus essentialiter, vt albedo, & nigredo, respectu hominis, &c. & vnico verbo dicitur totum per accidens, quod ex sua natura, & accidentibus constat, secundum quod fit triplex diuisio, videlicet subiecti in accidentia; vt hominum, alius doctus, alius ignorans, alius diues, alius pauper. Secundo accidentium in subiecta, vt sanorum aliud homo, aliud brutum. Tertio, accidentium in accidentia, vt sanorum, alius diues, alius pauper. Totum autem, quod plura significata continet, & dicitur totum æquiuocum, & eius diuisio dicitur vocis in significata, ad totum per se pertinet; nam est de natura æquiuoci plura significata continere. Inter hæc ergo membra

omnium

omnium prædictorum totorum, hic est vniuersalis arguendi locus, à positione vnius membri ad negationem omnium aliorum; vt hæc est aqua, ergo non est ignis, nec aer, nec terra, & a negatione omnium aliorum, ad positionem vnius, sed includendo totum, vt hoc est elementum, & non ignis, nec aer, nec terra, ergo aqua. Maximæ, posito vno membrorum diuidentium, remouentur alia. Item. Negatis omnibus membris, dempto vno cum positione totius, ipsum necessariò ponitur.

De fallacijs, seu sophystico syllogismo.

CAPVT X.

Quid sit syllogismus sophysticus, quæ meta, sophystæ, & quot fallaciarum genera.

SYllogismus sophysticus est, qui peccat in materia, vel forma, vel vtraque, sic nimirum, quod apparenter peccare non videatur, alıter sophysticus, seu deceptorius non est; non enim decipit, qui notoriam falsitatem pronunciat. Est igitur defectus ex parte materiæ, si propositiones sint falsæ, sed primo intuitu veræ appareant; vt omnis canis est animal, quoddam sydus celeste est canis, ergo quoddam sydus celeste est animal. Ex parte formæ, si in debita figura, & modo non disponatur; vt omnis homo est animal, omnis equus est animal, ergo omnis equus est homo. Ex parte vtriusque si præmissæ sint(vt dictum est) falsæ, & mala terminorum dispositio, vt omne quod ridet habet os, omnis statua habet os, ergo omnis statua ridet; in quibus omnibus conclusio semper esse debet manifestè falsa, ita vt credatur ex vi præmissarum concedenda. Finis itaque sophystarum est videri sapientes, quemadmodum sophystæ sunt secundum apparentiam sapientes, & in veritate ignorantes, vnde apud sapientes sunt infames; & vt ipsorum cauillationes remoueantur, non autem pro vsu, hæc ars sophysmatum tradita fuit. Ipse autem sophystarum finis (qui meta quoque vocatur) est quintuplex, videlicet, Redargutio, Falsum, Inopinabile, Solecismus, & Nugatio; quę omnes sunt veluti media ad consequendum finem vniuersalem apparentis sapientiæ. Est itaque Redargutio prænegati concessio, vel præconcessi negatio in eadem disputatione, vt fallacium argumentorum; & dicitur in eadem disputatione, quia in diuersis non esset Redargutio, dicitur vi argumenti sophystici. quia si vi verborum, vel clamoris, aut minis id fieret, pariter, neque error hic esset. Falsum dicitur, quod nullam continere veritatem omnibus circumstantibus notum est, vt homo volat, &c. Quod si pariter argumentorum fallacium vi concedatur, habetur à sophysta intentum. Inopinabile est contra opinionem communem, vel saltem adstantium, vt coram sapientes, si concedatur dari vacuum, contra rudes, Solem esse maiorem terra, &c. Solecismus est defectus orationis contra regulas Grammaticæ; vt si quis sic argueret, omnis homo est coloratus, mulier est homo, ergo est coloratus. Nugatio est eiusdem, & ex eadem parte inutilis repetitio, vt omnis homo est homo rationalis homo, &c. Quæ interdū fit ad maiorem expressionem, & tunc non est nugatio; vt veni, veni, Deus, Deus meus, &c. pariter in diuersis partibus, neque est nugatio. Ad omnes itaque metas prædictas vel aliquas, vel vnam, dum sophysta respondentem inducit suum finem, assequitur. At interdum sine sophysmatibus contra rudes id consequimur, & tunc est defectus, vel inscitia respondentis, non autem arguentis deceptio. Ipsæ autem fallaciæ vniuersaliter sumptæ sunt tredecim, quarum sex sunt in dictione, & septem extra dictionem: Dicuntur in dictione, quarum apparentia non ex parte rerum, circa quas versantur, sed circa voces, vel dictiones, seu orationes, aut syllogismos ipsos sumitur. Extra dictionem dicuntur, quarum falsitas simul cum apparentia ex parte rerum, de quibus syllogizatur, desumitur. Pro cuius tamen intelligentia sciendum est, quod in qualibet fallacia est quædam similitudo veri, quæ causa apparentiæ vocatur; & est veri diuersitas, quæ vocatur causa falsitatis, seu non ens, pro vt verum non est. Et ex causa apparentiæ sophystæ sumunt maximas quoque apparentes; non quidem alias, sed eas quibus vtuntur Dialectici, deceptoriè tamen applicatas; per quas suas argumentationes confirmare ostendunt. Fallaciæ itaque in dictione sunt Æquiuocatio, Amphibologia, Accentus, Compositio, Diuisio, & Figura dictionis. Extra dictionem sunt, Antecedens. Secūdum quid ad simpliciter, Ignorantia Elenchi, Petitio principij, Consequens, Non causa vt causa, Secundum plures interrogationes, vt vnam; De quibus sigillatim dicamus.

CAPVT XI.

De fallacijs Aequiuocationis, Amphibologiæ, & Accentus.

FAllacia æquiuocationis est deceptio proueniens ex vna voce, quæ plura habet significata; in qua causa apparentiæ veritatis est conuenientia in voce; at causa falsitatis est diuersitas in significatis, & tres sunt modi ipsius. Primus modus à terminis æquiuocis, vel analogis sumitur, ad quem reducitur diuersitas causarum; exemplum de puris æquiuocis. Omnis gallus est auis, omnis Parisiensis est gallus, ergo omnis Parisiensis est auis. Exemplum de analogis. Omne sanum est animal, diæta est sana, ergo diæta est animal. Exemplum de causis. Omnis homo est ex semine, semen est inanimatum, ergo homo est inanimatus. Fit namque transitus de causa materiali ad formalem: pariter Deus est vbique, at vbique est aduerbium, ergo Deus est aduerbium. Item, omne expediens est bonum, malum quandoque est expediens, ergo malum quandoque est bonum. Secundus æquiuocationis modus à transumptione sumitur, nempè dum accipitur aliquid ad significandum aliud, quod tantum per similitudinem tale est; quo pacto, prata ridere dicimus, vt quicquid ridet habet os, prata rident, ergo prata habent os, pariter. Quicquid currit habet pedes, fluuius currit, ergo habet pedes. Tertius modus prouenit ex dictione, quæ composita, plura significat; partes autem eius separatæ vnaquæque significat vnum, vt hæc dictio incorruptibile, nam significat aliquid non posse corrumpi, & aliquid posse non corrumpi. Circa quam sic discurri potest. Omne incorruptibile est perpetuum, omne potens non corrumpi est incorruptibile, ergo omne potens non corrumpi est perpetuum.

Amphibologia est multiplicitas orationis eiusdem, ita videlicet, quod sub vna oratione plures contineantur sensus, & dicitur ab amphi, quod est dubium, & bole, quod est sententia, quasi sit dubia sententia. Fallacia itaque eius est deceptio, quæ prouenit ex oratione plures patientes sensus, & causa apparentiæ est vnitas orationis; sed erroris, aut non existentiæ est sensuum diuersitas; neque in alio differt hæc fallacia à præcedente, nisi quod illa ab vno termino tantum, hæc autem ex connexu plurium in oratione positorum sumitur: sic nimirum, quod aliquis ipsorum cum præcedenti, vel cum sequenti, vel cum diuersis casibus construi potest, at diuersimodè hinc inde construatur, fit error. Vt ibis, redibis, non morieris in bello, vbi si ly non, teneatur cum verbo redibis, non moriturum esse ostenditur, si cum verbo morieris, oppositum. Pariter. Omnes asini sunt Episcopi,

scopi, isti tres sunt asini, ergo sunt Episcopi; in qua, Episcopi, in prima acceptione, est casus genitiui, in secunda, nominatiui; quod fieri nequiret sine oratione; vnde est fallacia Amphibologiæ. Pariter. Quicquid est Aristotelis possidetur ab illo; hæc est Logica Aristotelis, ergo possidetur ab illo. Amphibologica quoque sunt responsa cuiusdam oraculi, vt hoc, Domine stes securus, quia inimici tui fuaniter intrabūt ciuitatem, & subiicientur domui tuæ. In quo victoria, & exitū illius belli continetur secūdum diuersas interpretationes. Pariter. Aio te Romanos Eacidā vincere posse. Et Cresus Halim ingressus, quamplurima regna ruent. In quibus committitur fallacia, dum de vna significatione ad aliam fit transitus, atque tales locutiones vocantur etiam ænigmata, vel ænigmaticæ. Fit pariter hic error, dum mutatur persona grammaticalis, vt quodcunque vides, videt, sed lignum vides, ergo videt. Item. Qui bene viuūt, saluabuntur, diuites bene viuunt, ergo saluabuntur. Pariter. Tempus vitæ totum ab omnibus desideratur, sed tempus in quo non est delectatio, non desideratur, ergo ipsum non est tempus vitæ. Accentus est certa lex, vel regula ad eleuandam, vel deprimendam syllabam cuiusque dictionis; ita videlicet, quod si diuersimodè aliquid proferatur, vel scribatur, committitur fallacia accentus; quare & scriptura, & verbis fieri potest; immo aliquando erit fallacia in voce, non autem in scripturis, interdum è contra. Fit itaque vno modo per diuersam prolationē mediante aspiratione, seu hac littera H, vt quicquid hamatur, hamo capitur, mulier amatur, ergo mulier hamo capitur. Fit secundò per diuersam pronunciationē, vt omnis populus est arbor, gens est populus, ergo gens est arbor; cuius syllogismi in maiori populus est dictio, cuius penultima syllaba est longa, & in minori breuis. Fit tertiò, quando vna dictio separatur in plures, vt quicquid Deus facit inuitè, facit coactè, sed facit vitam in vite, ergo facit vitam coactè. Item. Tu es, qui es, at quies est carentia motus, ergo tu es carentia motus. Pariter. Metuo longas pereunte noctes Lidia dormis. Vbi, ly metuo, potest teneri disiunctim, & coiunctim, & diuersos facit sēsus, &c.

CAPVT XII.

De fallacia Compositionis, Diuisionis, & Figuræ dictionis.

VT compositionis, & diuisionis fallaciæ intelligantur (simul namque propter mutuam connexionem, & relationem explicandæ sunt) sciendum est, quod ea componi dicuntur, quæ simul secundum rigorem sermonis, & veritatem sibi respondētem esse debent; & ea diuidi dicuntur, quæ solum separata secundum veritatem intelligi possunt, & quando ea, quæ solum diuisa vera sunt, vt composita sophysticè accipiuntur, est compositionis fallacia: dum verò, quę simul composita esse debent, vt diuisa assumuntur, est fallacia diuisionis, v.g. Aliquem esse monachum album simul intelligi debet, ita vt intelligatur albedo habitus, vel tunicæ, & sic arguatur. Hic est monachus albus, ergo est monachus, & est albus, est fallacia diuisionis. E contra, est albus, & monachus, ergo albus monachus, est fallacia compositionis. Pariter. Quinque sunt duo, & tria, ergo quinque sunt duo, & quinque sunt tria. Item, homo est anima, & corpus, ergo homo est anima, & homo est corpus. Si vero dicatur. Album potest esse nigrum, ergo album erit simul, & nigrū, vel iuuenis potest esse senex; ergo erit iuuenis, & senex; erit fallacia compositionis. Fit quoque hęc fallacia, dum de vno membro diuidentium ad aliud transitur sic; omne animal est rationale, vel irrationale, sed non omne est rationale, ergo omne est irrationale: pariter, dum vna dictio, vel oratio plures potest habere sensus, secundū quas potest in ipsos diuidi, vel cum ipsis componi; vt quicquid viuit, semper erit, homo viuit, ergo homo semper erit, vbi ly semper, construi potest cum ly viuit, & tunc maior est vera, vel cum ly erit, & est falsa; sed has diximus potius ad amphibologiam pertinere. Fortè tamen non inconuenit secundum diuersos respectus errores diuersos sub diuersis fallacijs continere; vt hæc sub Amphibologia ratione dubiæ, & obscuræ sententiæ sub diuisionis fallacia, pro vt est in illos sensus diuisibilis, & sic de alijs.

Fallacia figuræ dictionis est similitudo vnius dictionis cum alia circa finem; quæ tamē non idem penitus significant; vt quia Musa, & Poeta eodem modo desinūt, occasionem errandi secūdū dictionem nobis præbent. Vt sicut se habet Musa, ita se habet Poeta, sed illa est feminini generis, ergo & Poeta, similiter omnis aqua est humida, fluuius est aqua, ergo fluuius est humida. Omnis homo est coloratus, mulier est homo, ergo est coloratus. Secundo modo fit, dum res vnius prædicamenti in rem alterius mutatur, vt quicquid emisti, comedisti, sed emisti carnem crudam, ergo carnem crudam comedisti; in quo paralogismo est defectus, eo quod in maiori, ly quicquid, significat substantiam, & in minori qualitatem, nam cruditas est qualitas quædam. Pariter. Quicquid heri vidisti, hodie vides, sed vidisti album, ergo album nunc vides, dato casu, quod id, quod erat album, sit denigratum. Fit tandem, dum variatur suppositio; vt animal est genus, homo est animal, ergo homo est genus. Rosa est pulcherrima florum, hic flos est rosa, ergo est pulcherrimus florum. Ad hanc quoque pertinet inualida argumentatio, quę fit à pluribus determinatis ad vnam determinatā, vt hic homo est hoc animal, & hic homo est hoc animal, & hic homo est hoc animal, ergo omnis homo est hoc animal. Hæc autem fallacia fundatur in multiplici phātastico. Triplex namque est multiplex, supra quod quamplures fallaciæ fundantur, videlicet actuale, potentiale, & phantasticum. Actuale dicitur; quod actualiter sub suo nomine immediatè continet plura significata; vt est id, super quod fundatur fallacia æquiuocationis: Potentiale est, quod sub se plura continet, sed primum vnum significatum, per quod est in proxima potentia ad significandum aliud; ad quod pertinet analogia, pariter Amphibologia, & aliæ, quas non est difficile cognoscere. At multiplex phantasticum est, dum vna dictio significat vnum, & videtur aliud significare propter similitudinem, quam habet cum alia dictione, vt intelligere, sentire, amare, &c. significant passionem, sed per modum grammaticalem videntur actionem significare, super hanc ergo hæc, & similes aliæ fallaciæ fundantur.

De fallacijs extra dictionem.

CAPVT XIII.

De fallacia accidentis, secundum quid ad simpliciter, & ignorantia Elenchi.

VT Fallacia accidentis intelligatur, sciendum est, quod aliqua possunt in aliquo conuenire, & in aliquo differre, vt homo, & animal rationale conueniunt in eadem natura, sed differunt modo Logico, quia homo est constitutum, animal rationale constituens, homo est definitum, animal rationale definitio, &c. Pariter homo, & risibile conueniunt, & differunt, quia homo est species, risibile est proprium, homo est quid compositum, risibile est simplex, & sic de alijs. Quando itaque arguitur ab eo, in quo aliqua conueniunt ad id, in quo differunt, est fallacia accidentis, & accidens ad propositum definitur ab Arist. esse extraneum in parte idem, & in parte diuersum. Sic itaque fiunt paralogismi. Homo, & animal rationale sunt idem, at homo est definitum, ergo animal rationale est definitum. Item omnis homo est risibilis, omne risibile est proprium, ergo omnis homo

mo est proprium: pariter, homo est species, Petrus est homo, ergo Petrus est species. Omne æs est naturale, statua est æs, ergo statua est naturalis. Item. Mihi notus est Socrates, at ipse habet Mathematicam, ergo mihi nota est Mathematica. Hic canis est pater, & est tuus, ergo est pater tuus, &c.

Fallacia de secundum quid ad simpliciter fit, dum arguimus à dicto diminuto, vel alienante, aut distrahente, vel secundum quid ad idem simpliciter sumptum; vt Æthiops est albus secundum dentes, ergo est albus. In platea sunt duo leones marmorei, ergo ibi sunt duo leones; non licet comedere carnes in die veneris, ergo non licet comedere carnes. Febricitanti non expediunt vina, ergo non expediût, &c. Quæ quidem fallacia habet causam suæ apparentiæ à similitudine, quã habet cum parte in modo in comparatione ad suum totum, vnde iisdem vtetur maximis, at causa falsitatis est diuersitas.

Elenchus est syllogismus contradictionis circa idem, re, & nomine, secundum idem, & eodem tempore, qui ex concessis prouenit absque petitione principij. Vnde Elenchus est optimus syllogismus, qui tamen ex concessis ab aduersario, ipsum in veram contradictionem inducimus: si autem aliqua conditio ad contradictionem requisita desit, tunc est malus Elenchus, vel fallacia, aut ipsius Elenchi ignorantia. Conditiones itaque veræ contradictionis, vel Elenchi, sunt quatuor. Videlicet, quod sint contradictoria ad idem, re, & nomine. Secunda secundum idem. Tertia secundum eundem modũ. Quarta eiusdem temporis: Ex defectu quarum quatuor modis ignorantia Elenchi committitur. Primo, dum contradictoria non sunt ad idem; vt duo sunt duplum vnius, & non sunt duplum trium, ergo sunt duplum, & non duplum. Secundo contra secundam; vt hoc est maius illo secundum longitudinem, & non est maius secundum latitudinem, ergo est maius, & non maius. Tertio contra tertiam. Vt Petrus dormit oculis clausis, & non dormit oculis apertis, ergo dormit, & non dormit. Quartò contra quartam: vt non licet comedere carnes in die Veneris, & licet alio tempore comedere, ergo licet comedere, & non licet, ad quem modum pertinet locus; vt non licet in Ecclesia vti matrimonio, & licet extra Ecclesiã, ergo licet vti, & non vti. Hæc autem fallacia, si latè extendatur, quamplures sub se continebit; nam in multis contingit error ex diuersa, & repugnante acceptione significatorum, quæ repugnantia ad contradictionem, vel Elenchum reduci potest; & hac de causa Arist. libros de fallacijs Elenchorum appellauit, quasi omnes contradictionem sophysticam, vel fallaciam Elẽchi, per verum tamen Elenchum diruendam, contineant.

CAPVT XIV.

De fallacia Consequentis, Petitionis principij, secundum non causam vt causam, & secundum plures interrogationes vt vnam.

Consequens dicitur, quod benè ex antecedenti infertur; quo pacto animal, risibile, rationale, viuens, &c. sunt hominis consequentia, quia posito homine, omnia prædicta sequuntur; dum ergo verum consequens ponitur, est optimus arguendi modus; at quando ipsum consequens, vel ponitur pro antecedenti, vel ex ipso non sequitur, aut alio modo fit mala consequentia inter ipsum antecedens, & consequens; est consequentis fallacia. Quare primo modo fit arguendo à destructione antecedentis ad destructionem consequentis; vt si homo est, animal est, ergo si homo non est, animal non est. Vel à positione antecedentis distributi ad consequens pariter distributum, vt omnis homo currit, ergo omne animal currit; vel à positione consequentis non distributi, ad positionem antecedentis; vt animal currit, ergo homo currit. Item. Qui dicit te esse equum, dicit te esse animal; at qui dicit te esse animal, dicit verum, ergo qui dicit te esse equum, dicit verum. Fit pariter ex insufficienti inductione, vt Petrus est albus, Franciscus est albus, Ioannes est albus, ergo omnis homo; vel sic. Petrus est animal, & è contra, Franciscus est animal, & è contra, Ioannes est animal, & è contra, ergo omnis homo est animal, & è contra. Tandem fit inter communiter accidentia; vt sunt bacchanalia, ergo erunt rixæ, hic est comptus, ergo adulter, &c. loquendo de his accidentibus, quæ non necessariò se consequuntur.

Petitio principij est, dum id quod probare intendimus, assumimus pro principio in aliqua præmissarum, vel sumimus id, quod parum differt ab ipsa conclusione probanda, aut est æquè notum, aut minus cum ipsa: ac dicitur petitio principij, quatenus sic arguens iterùm principio probandæ conclusionis indiget, vel postulat. Atque hic arguendi modus non ducit in errorem, sed est puerilis, atque inutilis; & fit vno modo, dum per definitionem aliquid definito competere intendimus; quod tamen est æquè notum, vel ignotum, quod competat, vt si velimus probare hominem currere, sic. Omne animal rationale currit, homo est animal rationale, ergo currit. Dum verò per definitionem aliquas proprietates à forma, vel differentia fluentes probare intendimus, non est tunc petitio, sed demonstratio, vt omne animal rationale est discursiuum, omnis homo est animal rationale, ergo. Fit secundò, dum conclusionem particularem per vniuersalem probabimus, vt quidam homo non currit. Sic. Nullus homo currit, ergo quidam homo non currit. Fit tertiò, si vnum relatiuorum per aliud probetur; vt Petrus est pater, nam habet filium, & denique quoties id, quod probari debet, non probatur, sed indiget probatione noua.

Fallacia de secundum nõ causam, vt causam, est, dum conclusionis alicuius falsitas tribuitur alicui præmissæ, quæ re vera non erat causa illius falsitatis, & propterea negatur ea, quæ non erat neganda, vnde incidit in errorem, non ex parte arguentis, sed ex inepta respondentis; quamuis ambiguæ à Sophysta formentur quandoque propositiones, vt respondens ad hoc inducatur inconueniens. Potest itaque sic argui. Anima, & vita sunt idem, at vitæ contrariatur mors, hæc autem est corruptio, ergo ex opposito vita, & anima erit generatio, sed hoc est falsum, quia illæ non sunt generationes, sed res genitæ. Si quis crederet, illam conclusionem, vita, & anima erit generatio, sequi, eo quod minor sit falsa, non autem maior, deciperetur, & fit præcipuè hæc fallacia in syllogismis ad impossibile; in quibus propositiones habeant apparentem veritatem ad inferendam conclusionem; aliter non esset deceptio.

Fallacia secundum plures interrogationes vt vnam, fit, dum arguens plura simul, vel in plurali, vel in singulari postulans, vnicam quærit responsionem; vt(demonstrato vidente, & cæco) sunt ne hi vidẽtes, vel çeci quærat; si respondeatur, videntes, inferet, ergo çeçus est videns; si cæci, ergo videns est cæcus. Pariter, homo, & equus sunt rationales, vel irrationales, &c. cui satisfaciendum est per duas responsiones; nam licet sit vna formaliter interrogatio, tamen virtualiter sunt plura quæsita; & sic de çeço çeçum, de vidente videns pronunciabit, &c. Circa alias omnes fallacias responsiones adhibebir secundum proposita, nempè negando aliquam præmissarum, distinguendo, vel respondendo, &c.

Introductionis Finis.

ANTO-



ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum:

TRACTATVS

De Secundis Intentionibus.



Voniam ea, quæ in Logica tractantur, vel sunt secundæ intentiones, vel res ad ipsas directè, vel indirectè pertinentes, ne pluries idem inutiliter, atq; nugatoriè (quod sine confusione diuersarum materierum fieri nequiret) diuersis in locis repetatur, ante ipsius Logicæ initium breuiter, sed tamen sufficienter, atq; faciliter pro Adolescentium captu de eis determinare opus est. At quoniam sub ente rationis continentur; de hoc, pro vt ad præsens spectat, antequam ad secundas intentiones descendamus, aliqua dicemus; posterior enim de proprijs speculatio ea, quæ de cōmunibus est. ex 3. phys. text. 2.

Ens itaque rationis (sumpta communi æthimologia) est quicquid à ratione, vel ab intellectu aliquo modo in fieri, vel esse per cognitionem dependet, atque vocatur ab Aristotele ens in anima; sicut omne aliud ex opposito ens reale, & extrà animam dicitur. At peculiariter pro faciliori intelligentia ipsum ens rationis sic communissimè sumptum diuidi potest in ens rationis subiectiuè, effectiuè, directiuè, & formaliter, seu obiectiuè, aut quidditatiuè, hæ autem tres vltimæ dictiones pro eodem supponunt. Ens rationis subiectiuè est, quod in ipsa ratione, vel intellectu tanquam in proprio subiecto est; vt sunt omnes scientiæ, omnes opiniones, omnia sophismata, omnes artes, discursus, contemplationes, nec non species intelligibiles rerum &c. Hæc etenim omnia non possunt alibi, quàm in intellectu existere; Quamobrem sicut accidentium quædam vocantur materialia, quatenus in subiecto materiali existunt; alia verò spiritualia, pro vt sunt in subiecto spirituali; sic quoque prædicta entia rationis à præfato subiecto dicuntur. Ens rationis effectiuè dicitur, quod ab eadem ratione tanquam à principali causa efficienti producitur. Cuius generis sunt pariter omnia præcitata, demptis speciebus intelligibilibus, quarum potissima causa est obiectum, vel res cognita; Quamobrem quæcumque ab intellectu fiunt, in ipso quoque manent; non autem quæcumque in ipso sunt, ab eodem facta fuerunt; vt de eisdem intelligibilibus speciebus diximus. At ens rationis directiuè est, quicquid tanquam à certa, & infallibili regula per lumen, vel cognitionem intellectus dirigitur; huiusmodi sunt omnes virtutes morales, quæ quidem in intellectu tanquam in proprio subiecto non sunt, sed eorum immediatum susceptiuum est voluntas; tamen ipsa ex se sola nihil boni efficeret, nisi ab intellectus lumine dirigeretur. Sed ens rationis formaliter est quidam terminus, vel effectus, qui ab intellectu solo producitur, neque repræsentat in se aliquod absolutum, nec extra intellectum principaliter reperiri potest, licet fundamentaliter in rebus externis fundetur, atque interdum eas denominet. Dicitur, quod sit terminus, vel effectus operationis intellectus, non autem operationes, quia ipsæ operationes sunt actiones, vel qualitates reales, atque solum in fieri consistunt; dicitur, quod neq; repræsentet in se aliquod absolutum, vt distinguatur à multis qualitatibus, vel habitibus, qui pariter per operationem intellectus fiunt, atq; in ipso recipiuntur; sed hæ sunt absolutæ qualitates, & entia realia; dicitur, quod principaliter extra intellectum reperiri non possit, nam sic esset ens extra animam: dicitur, quod fundetur in rebus, nam ex ipsis elicitur, atq; eis tribuit denominationem, vt in processu patebit. Hoc itaque est formaliter, vel quidditatiuè ens rationis; nam in se consideratum totum esse à ratione habet; atq; dicitur ens rationis obiectiuè, quatenus ab intellectu factum non inest illi veluti qualitas quędam, sed ipsi obijcitur considerandum: & quamuis re vera in ipso intellectu insit, cum extra non reperiatur, tamen in eo non manet, nisi dum actualiter consideratur, & si cognitio, vel scientia de ipso in eodem manere possit: Ex quibus patet, quomodo ab alijs entibus rationibus nuper dictis differat, & potissimum, quia alia prædicta non sunt entia rationis, nisi secundum quid, & extrinseca denominatione, sed distinctionis, & vberioris doctrinæ gratia, sic connumerata, atq; exposita fuerunt. Diuiditur hoc ens rationis in verum, & fictitium. Dicitur verum, quod habet immediatè fundamentum in rebus, quasi possimus veritatem de eius origine, & natura assignare; vt sunt hæc, genus, species, differentia, vniuersale, &c. Quorum quædam res reales denominant, vt patet de prædictis: nam istæ locutiones sunt veræ, homo est species, animal est genus, rationale est differentia, substantia est vniuersale, &c. Quædam verò non denominant, vt patet de ipsomet ente rationis, intentione, &c. de nulla etenim re reali dicere possumus, quod sit ens rationis, vel intentio, &c. illa autem denominatio fit per operationem intellectus ip-

ſam rebus tribuens, quaſi eis hoc ens inhæreat. At ens rationis fictitium eſt, quod veritatem non habet, ſeu non fundatur ita in rebus exiſtentibus, vt de illis verificari poſſit; huiuſmodi autem ſunt chimera, hyrcoceruus, cęteraque à nobis ficta, ſed impoſſibilia, vt ſint. Quæ tamen remotè etiam in rebus fundantur; ita videlicet, quod hyrcoceruum, vel monſtrum ex incompoſſibilibus partibus conſtitutum fingere non poſſemus, niſi partes ſal em ſeparatas, atque in diuerſis repertas intelligeremus. Quare quodcunque ens rationis in reali fundatur, &c. non tamen penitus, ita videlicet, quod ſicut vnum duo cogitamus, ſic res cogitata ſit duo, ſed ſufficit fundamentum etiam indiſtinctum, ſuper quod intellectus fabricet; quo pacto dextrum, & ſiniſtrum in columna, vt diſtinctas poſitiones concipimus, quæ tamen ſola ratione differunt; ſic conſideratur Petrus, vt ſubiectum, & prædicatum, &c. Ad ens rationis reducuntur negatio, atque priuatio, ita vt, quod ſi negatio, vt non lapis, non equus, &c. non comprehendantur per intellectum, ſint purum nihil, ſed ab intellectu apprehenſa ſunt ens rationis, idem dicatur de priuatione, vt de cæcitate, ſurditate, &c. quamuis hæc in ſubiecto dicat aptitudinem, ſed nihil refert. His itaque ſic breuiter declaratis, ad ſecundas intentiones accedamus.

Secundæ intentiones, ſi vniuerſaliter ſecundum æthimologiam ſumãtur, idem penitus ſunt cũ ente rationis, ipsũ ens rationis; nam quodcunque ſit, ſecũdariò intelligitur, nunquã enim circa ipsũ poteſt intellectus tẽdere, vel operationes dirigere, niſi prius rebus realibus intellectis, quãobrem ipſæ res reales primæ intentiones; & hæ ex conſequenti ſecundæ dicẽtur; neque circa hoc poterit aſſignari inſtantia, ſi quis rectè intueatur. At quamuis res ita ſe habeat, vſus tamen communis Logicorum preſſius ipſas ſecundas intentiones conſiderat; immo tantùm ea, quæ ad veritates, & rerum contemplationẽ pertinent, hoc nomine vocare dignãtur, &(vt vnico explicem verbo) Logicalia dũtaxat; ſic nuncupant; quare, & ſi aliæ facultates, nempè Grammatica, Rhetorica, & Poetica etiam circa ſecundas intentiones verſentur, hoc tamen communiter eis ab ipſis Logicis non tribuitur; quoniam non ſic ad veritatem indagandam ordinantur; atque ad placitum ferè ſunt illa nomina potius, quam rerum naturas ſequantur. Secundæ ergo intentiones iuxta conſuetudinem nunc propriæ illæ dicuntur, quæ ex rerum natura natæ ſunt elici ſecundum aliquam proprietatem in eis repertam, virtute cuius conformitatem, prædicationem, & aliqua prædicata communia (vt dicetur) aptæ ſunt habere. Et dicuntur ſecundæ ordine naturæ, ita videlicet, quod ſicut naturaliter numerus binarius ſequitur primam vnitatem, ſic ſecundæ intentiones primas ſequuntur, non tamen ſine intellectus operatione; ita vt aptitudo ſit in natura, completio per intellectum, & ſecundum hanc doctrinam (quæ iure eſt recipienda) omnia alia, quæ ab intellectu fiunt ex fundamentis naturæ non elicita, ſolum entia rationis dicantur; quia re vera hunc ordinem, vel locum ſecundum non potiuntur. Vt autem melius, quæ dicta, ac dicenda ſunt, eluceſcant, primæ & ſecundæ intentionis diſtinctionem, & definitionem aſſignemus. Dicitur itaque prima, & ſecunda intentio dupliciter, videlicet formaliter, & obiectiuè. Formaliter prima intẽtio eſt illa actualis tendentia, vel intelligentia, vel conatus, aut operatio ipſius intellectus circa res reales cognoſcibiles. At prima intentio obiectiua eſt res illa, quæ veluti obiectum intellectui obijcitur cognoſcẽda. Pariter ſecunda intentio formalis eſt illa attentio intellectus circa ens rationis. Sed obiectiua eſt ipſum ens rationis cognoſcibile, pro vt eſt ex natura educibile per intellectum, &c. Verùm eſt tamen, quod prima intentio vtroque modo eſt ens reale. Sed ſecunda obiectiua eſt ens rationis, formalis eſt quoque ens reale, nempè phyſica intellectus operatio. Vtraque autem definitur à Scoto primo ſentent. diſtinct. 23. quæſt. vnica. Eſt itaque ſecundum ipſum) prima intentio res cognita, vel cognoſcibilis non cauſata per actum comparatiuũ noſtri intellectus, ſuper quam nata eſt fundari ſecũda intentio. Pro cuius intelligentia ſciendum eſt, quod res reales tripliciter conſiderari poſſunt, vno modo quatenus exiſtunt extra cauſam, & ſic eis conuenit eſſe ſingulare. Secundo modo pro vt habent naturã pluribus communicabilẽ, & ſic eis conuenit eſſe quidditatiuũ, vel definibile. Tertio quatenus sũt cognoſcibiles, & ſic eis conuenit eſſe cognitũ, vel intẽtionale. Vnde homo v.g. nec quatenus exiſtit, nec prout eſt animal rationale, ſed ſolũ pro vt eſt cognoſcibilis, vel cognitus dicitur prima intentio; quæ cognoſcibilitas ex parte rei quoque ei conuenit, nam eſt paſſio cuiuſque entis, & licet quodcũque ens cognitum reale vocari poſſit prima intentio, eſt tamen hæc quædam denominatio impropria, ita vt pro prima in tentione, rem primò intellectam intelligamus; ſicut quandoque rem actam, actionem dicimus per Metonymiam. Aliud notandum, quod triplex eſt actus intellectus, nempè rectus, reflexus, & collatiuus, ſeu comparatiuus. Rectus eſt, quo directè fertur ad aliquod cognoſcendum. Reflexus, quo ſe ipſum, vel ſe cognoſcere, intelligit. Collatiuus, quo vnum obiectum cognitum cum alio confert. Prima itaque inten io, & per actum rectum, & per reflexum fieri poteſt, per collatiuum nequaquam; ratio eſt, quia per ipſam res intelligi debent in ſe, eo modo quo ſunt; at actus collatiuus non ſic ſe habet, ſed ſupponit præcedentem cognitionem, aliqua etenim conferre ſimul non poſſumus, niſi prius cognita fuerint, quare ante collationem erunt primo intenta, vel erit prima intentio. Sic ergo res primæ intentionis, quatenus cognitæ ſunt, immediatum fundamentum ſecundarum exiſtunt.

At ſecunda intentio eſt reſpectus rationis cauſatus per actum comparatiuum noſtri intellectus, vel per actum alterius potentiæ collatiuæ; Vt poſtquam intellectus Petrum, & hominem cognouit, facit comparationem inter ipſos, atque Petrum ſub homine contineri, hominem vero particularibus eſſe communicabilem cognoſcet, ſuper quas veritates duos reſpectus à ſe ipſo effectos, ſed ex natura rerum fundamentaliter elicitos fundabit; ex parte Petri, quod ſit ſingulare, vel inferius, vel indiuiduum; ex parte hominis, quod ſit vniuerſale, vel ſuperius, vel ſpecies; quamobrem hi reſpectus à ratione ſunt, & ſuper primam cognitionem fundantur; & ſic meritò ſecundę intentiones dicuntur, & etiam patet, quod ſint ab intellectu cauſatæ. Circa quam cauſalitatem aliqui dicunt, intellectum non eſſe veram cauſam, ſed potius ab ipſo relinqui ex præhabita comparatione, ſicut ex rota figuli relinquuntur fragmenta ad vas efformandum non pertinentia. Sed iſti (parcant) decipiuntur. Quoniam fragmenta figuli, licet derelinquantur à figulo, ſic nimirũ, quod non ſit eius intentio ea efficere, tamen effectiuè, verè, & realiter ab ipſo efficiuntur, & ſic habent cauſam per ſe efficientem: cũ itaque hæ intentiones ab intellectu fiant, erit ipſarum vera cauſa efficiens. Immo per ſe etiam ab ipſo fieri poſſunt in genere cauſæ finalis, quoniam poteſt eas ex propoſito, vel determinata voluntate facere: præterquam quod omnis cauſa per accidens reducitur ad cauſam per ſe, ex 2. Phyſ. text. 66. ergo eis cauſam per ſe aſſignare debemus. Neque eorum ratio aliquid valet; dicunt namque, quod cum intellectus ſit ens reale, non poterit producere ens rationis; hoc inquam eſt falſiſſimum, quoniam non quælibet cauſa producit effectum ſibi ſimilem, vel eiuſdem perfectionis, vt omnibus notum eſt de cauſis æquiuocis, vt alibi, &c. Circa illam particulam (vel per actum alterius potentiæ collatiuæ) ſciendum eſt, quod inter omnes animæ potentias præter intellectum, ſola phantaſia eſt collatiua, ipſa etenim multa ſimul

com-

componit, diuidit, & per consequens comparat, vt patet in somnijs, in quibus vel sola, vel maximè viget. Verùm cum hæc sit potentia corporea, & sensitiua non poterit ea, quæ ad discursum attinent, attingere, quare neque verè causabit secundas intentiones; nisi accipiamus eas vniuersaliter pro quocunque ente rationis, vt prius dictum est, sic namque potest; & sic etiam in definitione prædicta intelligendum est. Posset quoque dici, voluntatem participatiuè esse collatiuam potentiam; quatenus videlicet, & intellectui imperat, & super omnia, quæ ab ipso cognita fuerunt potest suas exercere operationes volitionis, & nolitionis, vel amoris, & odij: tamen cum conferre sit propriè cognoscere, id autem ei non conueniat, non erit simpliciter collatiua, sed solum eo modo quo dictum est; qui tamen saluari potest. Sequitur ex prędictis; aliquos recentiorum philosophantium non benè dicere, dum asserunt, ipsas secundas intentiones per quemcunque actum intellectum fieri posse; Nam collatio per actum nec rectum, nec reflexum effici potest. Sed notandum est. Quod istæ secundæ intentiones cum in rerum natura fundamentum expostulent, non poterunt ad libitum quæcunq; super quascunque res fundari, sed iuxta rerum proprietates: vt si aliqua natura sit aliquibus communicabilis, super ipsam fundabitur ratio vniuersalis: si pluribus, magis vniuersalis; si nullis, particularis, &c. Quarum peculiaria exempla, rationes, & diuersitates, &c. in quæstione de numero prædicabilium, & alibi quoque passim, pro vt se se occasio præbebit afferentur. Aliud notandum, quod cum ipsæ inuentæ sint ad repręsentandas secundum methodum, & breuitatem res reales, sunt habendæ, veluti ipsarum imagines, & hac de causa sicut quicquid tribuitur imagini, de re cuius est imago verificatur; sic quoque, quæ secundis intentionibus tribuuntur, verificantur de rebus; vt si dicamus species prædicatur de pluribus indiuiduis; verificatur in hoc, quod Petrus sit homo, Ioannes sit homo, &c. Verum obseruare debemus, quod non poterit hoc fieri, si vtamur prædicatis, quæ ponant differentiam inter ipsas secundas intentiones, & primas, sicut neque in rebus realibus; vt si dicamus vniuersale est ens rationis, Homo est vniuersalis, ergo est ens rationis, non benè dicitur, quia ly ens rationis est proprium prædicatum huius secundæ intentionis (vniuersale.) per quod differt à rebus realibus, sicut si diceremus de imagine, esse figuram, vel picturam, &c. hoc de illo, cuius est imago, verificari non posset. Applicantur autem non solum rebus, sed alijs secundis intentionibus, cum hoc tamen discrimine; scilicet, quod rebus applicantur, vt modus; intentionibus & vt modus, & vt quid. Est autem applicari vt modus prædicari accidentaliter, & secundum modum considerandi, vt in hac prædicatione, homo est species, ly species, vt quędam consideratio est, vel sicut modus, at prædicari, vt quid, est prædicari essentialiter. Quare cum prædicationes secundarum intentionum de primis non sint essentiales; patet quod dicimus. At inter ipsas secundas intentiones potest esse prædicatio superioris de inferiori, vt species est vniuersale, vel secunda intentio, vel ens rationis, & sic est prædicatio vt quid. Vel secundum aliquam considerationem, vt genus est species vniuersalis, &c. & tunc est, vt modus. Est aliud quoque discrimen, quod quotiescunque ipsas secundas intentiones quidditatiuè, vel essentialiter de primis prædicari asserimus, sicut dum dicimus species prædicatur in quid de pluribus indiuiduis, &c. intelligendum est, quod tales prædicationes sint solum in actu signato, seu tanquam signa, non tanquam natura rerum, atque verificentur in primis intentionibus per prædicationes in actu exercito. Fiunt autem actus signati per hæc verba, dicitur, prædicatur, affirmatur, negatur, verificatur, &c. Sed actus exercitus fit solum per verbum, sum, es, est, & sic ista prædicatio. Species dicitur in quid de pluribus (quæ est prædicatio in actu signato) verificatur sic. Ergo hic equus est equus, ille equus est equus &c. Tamen, si prædicationes non sint essentiales, etiam in actu exercito verificantur; vt homo est species, homo est vniuersalis &c. Vtræque tamen prædicationes inter primas intentiones, & pariter inter secundas verificari possunt. Exemplum de primis. Homo est animal, & animal dicitur de homine. Exemplum de secundis, species est vniuersale, & vniuersale dicitur de specie. Hæc sic breuiter de his pro nunc dicta sufficiant, in sequentibus autem secundum exigentiam, quæ sint desiderabilia, supplebimus.

Finis Tractatus de secundis intentionibus.





ANTONII ROCCI

de Scurcula Marſorum.

QVÆSTIONES

Procemiales in Logicam.

QVÆSTIO PRIMA.

An Logica ſit ſcientia.



Ogicam non eſſe ſcientiam defendunt Alexander, Ammonius, Ægidius, & alij quam plures tum veterum, cum recentium Philoſophorum. Quorum opinio his fulciri poteſt argumentis.

Primum. Omnis ſcientia acquiritur per demonſtrationem, nam ſcire eſt per demonſtrationem intelligere ex primò Poſt. cap. 2. at Logica per demonſtrationem acquiri non poteſt; quia ipſa demonſtratio ſolum in Logica traditur, quare oporteret vt ante Logica eſſet alia Logica, &c.

Secundum. Modus ſciendi non eſt ſcientia, ſicut neque modus videndi eſt viſus. At Logica eſt modus ſciendi ex 2. Metaphyſ. text. 15. iuxta expoſitionem Auerrois. Vnde etiam vocatur organum, vel inſtrumentum.

Tertium. Omnis ſcientia debet procedere ex proprijs, & neceſſarijs principijs, ex primo Poſt. cap. 6. Logica non procedit ex proprijs, ſed ex communibus, ex primo phyſ. text. 8. & ex probabilibus, ex primo Top. cap. primo.

Quartum. Omnis ſcientia habet determinatum ſubiectum; Logica hoc non habet, ex primo Poſt. cap. 8. text. 27. & 4. Metaph. text. 5. ergo.

Quintum. Scientia eſt de neceſſarijs, & incorruptibilibus, ex primo Poſt. Logica verò agit de ijs, quæ à noſtra ratione, & voluntate, & in fieri, & in eſſe dependent.

Sextum. Scientia eſt habitus, vel qualitas realis, & realiter exiſtens in anima; ſed Logica non poteſt ſic eſſe, ergo. Probatur minor; nam omnis ſcientia cauſatur ab obiecto; at obiectum Logicæ eſt ens rationis, ergo ab ipſo non poterit cauſari qualitas realis, aliter cauſa efficiens eſſet nobilior ſuo effectu.

Septimum. Ariſtoteles primo lib. Rhetoricorum ad Theodectem c. 2. aſſerit Rethoricam eſſe quandam particulam Dialecticæ, & neutram eſſe ſcientiam, ergo.

Octauum. Ab Ariſt. 6. Metaph. tex. 3. diuiditur ſcientia in Metaph. Mathematicam, & Phyſicam, inter quas non connumeratur Logica, ergo.

Nonum. Ipſa connumeratur inter artes liberales, ergo eſt ars.

Decimum. Quæ continet errores, non eſt ſcientia, Logica eos continet, nempè fallacias, ergo.

Pro reſolutione ergo ſit primò notandum, quòd duplex eſt Logica ex Ariſtoteles primo Rethor. cap. primo, videlicet naturalis, & artificialis. Naturalis eſt agilitas, vel promptitudo naturæ, qua facilè aliquis abſque ſtudio de noto ad ignotum ordinatè diſcurrit, & arguit; Quæ quidem agilitas eſt qualitas quædam ſecundæ ſpeciei, videlicet naturalis potentia; neque verum eſt (vt quidam aſſerunt) eam eſſe inclinationem; quia cum inclinatio ſit idem realiter cum illo, cuius eſt inclinatio, vt docet Scot. in 4. ſen. d. 49. quæſt. 10. ſequeretur, omnes ſecundum hanc Logicam eſſe Logicos, quia quod eſt idem realiter vni indiuiduo, conuenit toti ſpeciei; Hæc autem naturalis agilitas non eſt tantum reſpectu Logicæ, ſed etiam in comparatione ad alias facultates, verùm magis ad vnam, quam ad aliam; vnde aliqui Rethoricam, quidam Poeticam, nonnulli Philoſophiam naturalem, alijque alias habent ſcientias, vel artes; & ſi omnes imperfectè, niſi artificialiter perficiantur; quæ neque ſimpliciter ſcientiæ, vel artes nuncupandæ ſunt. At Logica artificialis eſt, quæ per determinata principia, debitas regulas, artem, atque methodum procedit, atque ſtudio, & labore acquiritur. Et eſt duplex, ſcilicet docens, & vtens; docens eſt, quæ prædicto modo per principia, regulas, &c. procedit. At vtens eſt eadem ſic acquiſita, ſed quatenus in vſum adhibetur, verbi gratia. Aliquis didicit Logicam; hic eam habet, vt docentem, vel doctrinalem, ſed ei poſtea cõtingit diſcurrendo, ſeu diſputãdo vti ijs, quæ in logica didicit, videlicet, ſyllogiſmis, definitioni-

tionibus, &c. & hic vsus dicitur Logica vtens, vel vsualis.

Secundò notandum, quod scientia verè, & propriè dicta (de qua solum est quæstio, & difficultas) est cognitio certa, euidens, infallibilis, per proprias, & immediatas causas, & de obiecto necessario. Cuius omnes partes, & conditiones, in primo Post. & in prima quæst. procemiali Phys. fusè tradentur. Nunc solum est animaduertendum, quod necessitas eorum, quæ per scientiam cognoscuntur, non est necessitas existentiæ, sic nimirum, quòd res ipsæ cognitæ, vel earum causæ necessariò existant; sed est necessaria connexio prædicatorum essentialium cum suis subiectis; vt cognitio, quod rosa sit flos, est hoc pacto de re necessaria, quia flos essentialiter conuenit rosæ, & existenti, & non existenti: sic quoque, quod syllogismus sit oratio, demonstratio sit syllogismus &c. Verùm hæc omnia debent habere fundamentum necessarium in natura, ita vt ex rebus ipsis naturalibus eliciantur; aliter omnes facultates essent scientiæ, si quidem huiusmodi definitiones, & attributa in omnibus reperiuntur: at quoniam sunt solum ad placitum, vt patet de Grammatica, Rhetorica, & Poetica, ideo nec fundamentum inuariabile retinent, nec scientiæ ratio eis conuenit. Quamobrem, & si interdum scientiæ dicantur, est acceptio scientiæ communis. Immo nec propriè dici possunt artes; nam ars est recta ratio, vel regula rerum factibilium, atque dicuntur res factibiles, quæ sunt extra nos, vt ædificium, bellum, &c. At quoniam ars interdum capitur vniuersalissimè pro quacunq; facultate, quæ ordinatim per regulas procedit, sic comprehendit quoq; scientias, immo in primo Metaph. ipsamet Metaphysica ars vocatur, & sic nomen artis etiã prædictis accomodatur: sed accedamus ad cõclusiones.

Prima Conclusio. Logica naturalis non est scientia, probatur, nam scientia est habitus: hic autem acquiritur ex frequentatis actibus, non ex puro naturæ instinctu, ergo. Amplius. Omnis scientia est artificialis, nullum naturale est artificiale, sicut nulla natura est ars, ergo nullum naturale est scientia. Hæc autem applicari possunt omnibus cognitionibus, quæ naturaliter circa quamuis materiam habentur.

Secunda Conclusio. Logica docens est scientia. Hęc est sententia. Scoti prima quæst. vniuers. & 1. Elench. q. 1. D. Thomæ 4. Metaph. lect. 4. Suessani 4. Metaph. tex. 5. & aliorum multorum. Probatur. Illa est vere scientia, quæ principales proprietates, vel passiones eorum, quæ in ipsa tractantur, per demonstrationem ostendit. Sic autem se habet Logica, nam vniuersalia dici de pluribus, pro vt in re naturam communicabilem supponunt, ostendit; prædicamenta, & distincta, & adinuicem ordinata ex fundamento naturæ esse; syllogismum per dici de omni, & de nullo, concludere; demonstrationem procedendo ex veris efficere scientiam; syllogismum dialecticum ex probabilibus opinionem, sophysticum ex male acceptis errorem, &c. demonstrat, ergo. Neq; necesse est, omnes partes scientiæ esse demonstratiuas, sed sat est de principalibus, vt patet de qualibet scientia. Amplius. Vbi tota adæquata, quidditatiua, & causalis ratio, vel natura scientiæ reperitur, ibi esse veram scientiam asserendum est; alitet natura scientiæ sibi repugnaret; vnde esset scientia, non scientia; at in Logica, nempe in libris Post. hæc ratio est, igitur. Denique. Logicus est verè sciens, ergo Logica est verè scientia, consequentia tenet à concretis ad abstracta in prædicatis per se, seu respectu inferioris, & superioris; vt hæc, Album est coloratum, ergo albedo est color. Antecedens est Arist. in primo Post. c. 8. asserentis contra demonstratorem non fieri instantias, eo quod certè scit; at demonstrator est Logicus, ergo.

Tertia Conclusio. Logica vtens non est scientia. Hãc etiam sustinet Scotus loco supra citato Vniuersalium, probatur: nam operatio non est scientia, sed vsus est operatio, ergo: vel, applicatio rei non est penitus res ipsa, sed Logica vtens est applicatio Logicæ docentis, ergo. Amplius. Scientia est cognitio rei per causas, sed in vsu, vel applicatione non considerantur causæ, ergo. Et licet sit eadem Logica docens, & vtens materialiter, tamen modus considerandi sufficit ad hanc diuersitatem. Quemadmodum idem homo, si consideretur, vt corruptibilis, pertinet ad Physicam, si vt sanabilis ad Medicinam, &c. Nunc Argumenta soluamus.

Ad primum negatur minor, nam licet demonstratio solum in Logica tradatur, tamen eidẽmet applicari potest, & licet hoc non fiat in principio, vel ab incipientibus, nihil refert, neque in ipsis tunc habet rationem perfectæ scientiæ, sed dispositionis, quæ tandem in habitum scientificum vertitur. Aliqui dicunt, sufficere Logicam naturalem, sed errant, quia ea, per quam acquiritur scientia, debet esse demonstratiua.

Ad secundum respondetur ad maiorem, Logicam non esse modum sciendi quidditatiuè, vel essentialiter, sed materialiter, vel concomitanter, quatenus per ipsam habetur methodus, vel modus sciendi; & hac etiam de causa organum, vel instrumentum appellatur.

Ad tertium dicitur ad minorem, Logicam, quo ad eam partem, quæ Dialectica, vel Topica dicitur, & de qua loquitur Philosophus, procedere ex communibus non circa suas proprietates, sed pro vt axiomata ibi tradita sunt communia, & ferè omnibus alijs scientis applicabilia.

Ad quartum dicitur ad minorem, duplex esse obiectum Logicæ, videlicet propinquum, & remotum; propinquum, quod immediatè in ipsa consideratur, & hoc est determinatum, vt dicetur; remotum sũt res omnes, quatenus circa ipsas discurrere, vel syllogizare potest.

Ad quintum dicitur ad minorem, ea, quæ in Logica tractantur, verè à nostro intellectu, & ad libitum fieri, & sic quoad hoc fieri, vel esse non sunt necessaria, sicut neque res naturales corruptibiles; sed habent necessitatem, quoad prædicata essentialia, & quoad fundamentum cognitum, super quod fixè, & immutabiliter fundantur.

Ad sextum negatur minor; ad probationem dicitur, quod licet obiectum Logicæ sit ens rationis, tamen intellectus habet principalem rationem causalitatis, virtute cuius producitur scientia, & ens reale, coadiuuante ente rationis.

Ad septimum dicitur, ibi Arist. Loqui de Topica, & quatenus est vtens.

Ad octauũ respondetur, Philosophũ ibi diuidere solũ scientias reales speculatiuas, Logica vero est rationalis.

Ad nonum dicitur; inter artes liberales connumerari Logicam vtentem, quæ eatenus ars dicitur, pro vt à ratione scientiæ recedit: vel dicatur, ibi sumi artes largè, vnde inter eas connumeratur etiam Astrologia, quæ est vera scientia.

Ad decimum negatur minor; ad eius probationem dicitur, Logicam non continere errores, sed eos tradere ad euitandos.

QVÆST. II.

An logica sit vna scientia, rationalis, communis, & sermocinalis.

IN hac quæstione quatuor sunt partes, quarum quælibet ex se dijudicanda est. Prima est de vnitate scientiæ, Pro cuius itaque notitia sciendum est, quod hæc vnitas potest attendi dupliciter, videlicet intrinsecè, & extrinsecè. Primo modo sumitur à propria differentia, sic videlicet, quod sicut Socrates est vnus per suã constituentem

uentem indiuidualem differentiam, & hæc albedo pariter per suam; sic quoque quælibet scientia se habet; at differentiæ illæ potissimum in his accidentibus sunt incognitæ, neque aliam maiorem distinctionem in ipsis discernimus, quàm a subiecto cum ordine ad aliud, sic videlicet, quod tot sint numero scientiæ, vel Logicæ, quot sunt scientes, vel Logici; quæ tamen distinctio non sufficit; nam si solum subiectum efficeret identitatem, vel diuersitatem in accidentibus sufficienter, quæ sunt in eodem subiecto, erunt idem accidens, quod est absurdum; nam dulcedo, & albedo in lacte, scientia, & sanitas in homine, immo omnes scientiæ in eodem existentes essent vna; quare intrinseca (vt dictum est) eis assignanda est differentia; quæ quia est incognita, debet ab obiecto sumi, nam ipsum, sicut est causa efficiens scientiæ, saltem partialis (nam principalis est intellectus) distinguere potest, & secundum ipsius distinctionem poni debet in scientijs diuersitas. Obiectum itaque scibile, vel erit vnum vnitate transcendentali, vt ens in Metaph. vel vnitate analogiæ, vt corpus sanabile in Medicina, vel vnitate generica, vt corpus naturale in Physica, vel specifica, vt demonstratio in libris Posteriorum; Secundum igitur has vnitates, scientiæ quoque vnitatem habebunt. Aliqui tamen dicunt; non esse sumendam vnitatem ab obiectis, pro vt sunt genera, vel species in natura, sed pro vt sunt scibilia, sed errant, nam scibile sequitur esse, & eo modo quo sunt, scibilia sunt, & sic quemadmodum habent vnitatem naturæ, vel esse, sic quoque scibilitatis. Ad rem igitur, Logica est vna vnitate generica, & potentiali; quia obiectum eius, quod est syllogismus, est veluti genus ad omnia, quæ in ipsa tractantur. Hæc est sententia Scoti q. 3. prol. dub. 2. Vbi tria sunt animaduertenda, primum est; quod non oportet obiectum alicuius scientiæ esse simpliciter genus prædicamentale, sed sat est esse vniuersale, quod sub se plura ad modum specierum contineat: secundum quam considerationem dicitur genus scibile; non autem, quod non sibi respondeat vniuersalitas, vt prædicti somniabant, & sic est ad propositum, nam syllogismus de quo tractat Logica, non est prædicamentale genus, cum prędicamenta sint entia realia. Aliud notandum, quod non omnia, quæ sub tali obiecto sunt, debent esse propriè species, sed sufficit, vt aliqua sint species, alia principia, vel partes, vel proprietates, &c. quæ omnia simul collecta vnam integrant scientiam, vel habitum, sicut ex pluribus partibus, & principijs corpus. Tertio notandũ est, quod vnitas numeralis respectu obiecti dari non potest, quia de singularibus non est scientia; & si interdum actualis cognitio alicuius conclusionis, sic dicatur; sed hæc melius dicatur partialis, & actualis scientia, &c.

Quo ad secundam partem, si Logica sit rationalis, facilis erit solutio, si ea quæ diximus de ente rationis in memoriam reducantur; poterit itaque vocari rationalis subiectiuè, pro vt est in ratione, & sic non ipsa tantum, sed omnes aliæ simul cum artibus, &c. dici possunt rationales. Alio modo effectiuè, quatenus fit a ratione, & sic quoque alijs conuenit. Tertio obiectiuè, pro vt agit de obiecto, quod est formaliter ens rationis, & sic solum est rationalis, nam aliæ facultates, vel non sunt scientiæ, vel non agunt de ente rationis.

Tertia autem pars est, an Logica sit communis, pro cuius intelligentia sciendum est, aliquam facultatem dici posse communem dupliciter, videlicet per communitatem sui subiecti, ita videlicet quod de subiectis pluriũ scientiarum prædicari possit; quo pacto ens, quod est Metaphs. subiectum hanc habet communitatem, nam de omnibus alijs dicitur, & præcipuè de subiectis realibus, vnde etiam ipsa Metaph. ab Aristotele, primo Phys. vocatur scientia communis, & hac ratione Logica non est communis, quia syllogismus de subiectis aliarum scientiarum non prædicatur. Secundò modo dicitur communis per applicationẽ; quatenus videlicet ipsa sciẽtia, vel quæ in ea tractantur, sunt omnibus applicabilia, & sic Logica est communis, non tantum quo ad aliquas partes, sed quo ad omnes, quia quæcunque in ipsa traduntur sunt alijs scientijs applicabilia; verum est tamen, quod per quandam attributionem Topica communis dicitur, pro vt videlicet axiomata ea tradit, quæ ad vnguem omnibus aptari possunt. Quidam dicunt, etiam aliquam scientiam posse dici communem per prędicationem sui ipsius, ita quod ipsa dicatur de omnibus, vel alijs quibusdam scientijs, quo pacto, nec Logica, nec alia scientia est communis; immo hæc communitas non est imaginabilis, nam scientiæ non essent diuersæ, sicut animal, quod prædicatur de homine, non dicit vnum quid diuersum ab eo. Est igitur Logica communis per applicationem; immo hoc pacto sic communis existit, vt cum omnibus aliquo modo fiat eadem, & hoc est maximè animaduertendum, nam ex hoc aliqui ponunt, eam ab alijs scientijs distinctam non esse, sed decipiuntur. Dicamus ergo nos; Logicam ipsam vtentem eudere quodammodo omnes alias scientias, quibus applicatur, ad hunc sensum, quod ex forma, vel discursu Logicę, cum materia illarum scientiarum, ipsæ scientiæ integrentur, nec materiam solam ad eas pertinere asseramus, sicut ex argento, & figura fit eadem statua, at quoniam figura non est penitus idem cum materia, sed informat, & ad constitutionem concurrit, sic Logica suam retinens quidditatem alias suo modo scientias format, communemque recipere potest modo prædicto denominationem.

Sed quo ad quartam partem. Logica potest dici sermocinalis, vel quia vtitur sermone, & sic omnis scientia esset sermocinalis, vel quia considerat sermonem, & sic etiam Grammatica, Rhetorica, & Poetica sunt sermocinales, vel quia sermonem verum, vel falsum contemplatur, & sic sola rationalis dicitur; ita quod sicut verum, & alijs attributis præcellit, nempè congruo Grammaticæ, ornato Rhetoricæ, & delectabili Poeticæ, ita hoc nomen sermocinalis Logicæ per Antonomasiam tribuatur; vel dicatur, ipsam esse solum sermocinalem scientiã, alias simpliciter sermocinales facultates.

QVÆST. III.

An Logica sit scientia practica, vel speculatiua,

ARguitur primò, quod sit practica. Facultas, cuius finis est operatio, est practica, vt dicetur. At dialecticæ finis est operatio, nam tota ipsius cura circa constructionem syllogismorum, vel alios modos differendi versatur, ergo.

Secundo. Aristotel. 2. Metaphys. cap. 1. asserit subiectum scientiæ practicæ duas habere conditiones: prima, quod sit res contingens; secunda, vt principium efficiendi ipsum sit in artifice, non autem in natura. Sed ambæ hæ conditiones conueniunt subiecto Logicæ. Nã subiectum eius ad libitum fit a nostro intellectu, & sic quatenus fit ad libitum, fit contingenter, & pro vt fit, habet in efficiente principium, quare, &c.

Tertio. Scientia moralis est practica, eò quod præscribit modum rectè operandi per voluntatem; sed Dialectica tradit modum operandi sine errore per intellectum, ergo est ipsa quoque practica.

Quarto. Illa scientia est practica, quæ non est gratia sui, sed alterius. Logica sic se habet, nam est propter alias scientias, ergo; probatur maior. Nam ordinari ad aliud est quasi subijci, vel seruire, hoc autem est practicè, & quasi mæchanicè operari.

Quintò. Omnis scientia speculatiua est nobilior quacunque practica, ex primo Metah. cap. 2. Sed Logica

non est nobilior scientijs practicis, vt patet si comparetur ad morales, ad medicinam, &c. hæ etenim de se bonum magnum intendunt, sicut è contra Logica entia diminuta, & nullius forte bonitatis (sicut est ens rationis) considerat; quare, &c.

Logicam esse scientiam practicam nonnulli recentiorum philosophantium tenent; quorum præcipuè rationes, vel ab ipsis in medium adductæ, vel quæ adduci possunt, sunt quæ in præcitatis argumentis habitæ sunt. At Scotus in Prologo sent. q. 4. d. 7. Aureolus, Bacchonus, & alij quàplures oppositam sustinent sententiam; quam, vt rationi magis consentaneam, nos quoque sequemur. Pro intelligentia sit igitur notandum, quod scientia in communi diuiditur in practicam, & speculatiuam, ita vt quælibet scientia sub vno istorum membrorum cadere debeat. Speculatiua est, quæ solum rerum veritates, & ea, quæ ad ipsas intelligendas attinent, contemplatur. At practica est cognitio, quæ ad opus dirigitur; nam praxis, à qua dicitur practica, nihil aliud est, nisi operatio. Tota autem difficultas est, si qualibet cuinsque potentiæ operatio à praxi denominetur, si etenim hoc verum est, quæcunque facultates, vel cognitiones circa quascunque operationes versantes practicæ denominari poterunt, & per consequens Logica practica quoque dicetur. Si autem res non ita se habeat, secus determinandum erit. At quoniam tota hæc veritas ex conclusione, & eius confirmatione pendet, ad ipsam accedamus.

Conclusio. Logica non est scientia practica, sed speculatiua: probatur prima pars, ex cuius probatione altera erit de se nota. Illa non est scientia practica, quæ ad nullum opus extra intellectum dirigitur. Logica sic se habet, ergo. Minor ab omnibus conceditur, nam ipsa vel circa contemplandos, vel circa efficiendos syllogismos, aliaque Logicalia (quæ solum ab intellectu fiunt) versatur. At maior ab aduersarijs negatur, nam dicunt, omnes operationes dicendas esse practicas, & precipuè, quæ a voluntate, & ab intellectu dependent, ideo probemus, operationes intellectus practicas non esse, & secundum veritatem, & contra ipsorum positionem intentum habebimus. Quod ergo nulla intellectus operatio sit verè practica, habetur expresè ab Arist. in 3. de anima text. 34. vbi ait, intellectum tunc esse in actione, vel practicum, cum dixerit alicubi (puta in obiecto) esse iucundum, aut molestum, atque dictat de prosecutione, vel fuga, sed iucundum, & molestum, prosecutio, vel fuga non potest esse circa res Logicales, ergo intellectio, seu scientia, aut Logica, quæ de ipsis est, non est practica; probatur minor. Nam iucundum dicitur, quod confert ad aliquod bonum addiscentis; molestum, quod ei repugnat, ex quibus sequitur prosecutio, vel fuga. At in logicalibus hæc non reperiuntur, immo neque imaginabile est; nisi aliquis diceret, iucunditatem sumi ex illa intelligentia, tristitiam ex nescientia, sed hoc ineptè dicitur, neque est in vsu apud Philosophum sic ea sumere; Immo si sic esset, quæcunque scientia esset practica, cum in omnibus hæc reperiantur. Præterea. Idem Philosophus eodem 3. de Anima text. 49. ait, intellectum per extensionem fieri practicum; quod est dicere, tunc dicitur practicus, cum circa opera aliarum potentiarum cognitionem dirigit; nam in suis operationibus, vel in seipso penitus manens, non est verum, quod extendatur. Præterea. Si operatio aliqua intellectus esset in se practica, nulla daretur scientia speculatiua; hoc autem est contra veritatem, ergo. Probatur consequentia; nam vnaquæque per operationes intellectus acquiritur; & super quamlibet formari possunt ex proprijs principijs directi, & reflexe discursus, sicut in Logica; Amplius. Effectus omnes alicuius potẽtiæ naturalis, qui sint eiusdem ordinis, nisi aliunde varientur sunt eiusdem rationis, vt omnes calefactiones, vel caliditates ignis, &c. At intellectus est potentia naturalis, ergo omnes eius operationes sunt eiusdem rationis, & sic omnes, vel sunt practicæ, vel omnes sunt speculatiuæ; at non est verum (vt vnusquisque fatetur) omnes esse practicas, ergo omnes sunt speculatiuæ. Et diximus notanter, operationes in se esse eiusdẽ rationis, nisi aliunde varientur; sic namque recipere possunt externam denominationem, quo pacto cum ipsæ intellectiones ordinentur ad aliquod extra intellectum, dicuntur ab illo practicæ, & variationem suscipiunt: sed in ipso sistentes non habent vnde hoc sumant; nisi dicant, quod operatio addita operationi, vel contemplatio contemplationi ipsum variat; sed hoc tantum abest, vt potius oppositum inferat, ita vt si calor calori addatur, non aufertur, sed potius augetur calor, & eius ratio, sic contemplatio per additionẽ contemplationis, vel discursus, vel syllogismi cõstitutionem potius ad maiorem speculationem accedit. Præterea. Finis scientiæ speculatiuæ est veritas; practicæ autem opus. At nuncupare opus, quod solum per intellectum completur, communis abhorret loquendi vsus. Tenendum est ergo, nullam puram intellectus operationem esse practicam; at per consequens cum logicalia limitem istarum intellectualium operationum nõ egrediantur, solum ad speculatiuam pertinebunt, nisi diceremus, syllogismos ore, & scriptura confici, quæ non sunt intellectus operationes; at hoc est pueriliter dictum; quia omnes aliæ scientiæ sic quoque se habent; atque in intellectu manent scientiæ ipsæ, & solum velut per signa verbis, & scriptura ostenduntur. Neque est prætereundum, alios asserere ipsam Logicam esse practicam, & speculatiuam simul, sic videlicet, quod quatenus syllogismum, & alia contemplatur sit speculatiua, pro vt efficit, est practica, sed isti decipiuntur, & per præcedentia reijciuntur; quia quæque talis operatio intellectus est speculatio pura. Ex quibus elicitur, praxim simpliciter, & propriè dici dumtaxat de operatione, quæ est alterius potentiæ ab intellectu, vt optimè docet Scotus, & nos fusè in 2. q. proœm. phys. declarauimus, quò recurrendum est, si aliud desideratur; hæc tamen pro præsenti sufficiant. Sed argumenta soluamus.

Ad primum dicitur ad maiorem; facultatem, cuius finis est opus extra intellectum, esse practicam, alias nequaquam, nec ea denominatio à praxi est sufficiens, vt declaratum est.

Ad secundum respondetur, illas conditiones supponere tertiam, quæ est eiusdem Philosophi in 3. de Anima, videlicet, quod sit etiam extra intellectum id, quod à scientia practica est intelligibile, quæ est principalis conditio, & deest obiecto Logicæ. Vel posset dici, quod licet logicalia fiant ab intellectu quo ad esse, & sic esse contigentia: tamen prædicata essentialia, neque contingentia sunt, neque ipsa logicalia, sic fiunt omnino ab intellectu, quia fundamentum habent in natura. Neque sic, vt iacet (pro declaratione) ea, quæ dicit Philosophus, sunt intelligenda; quia dari potest subiectum scientiæ practicæ, quod neque sit contingens, neque eius principium sit in nostra potestate; vt si Deus, vt amandus, alicuius scientiæ statueretur subiectum (quem simpliciter Scotus in Sacra Theologia ponit) Quinimo corpus humanum sanabile, quod est Medicinæ subiectum, neque est contingens in sua ratione, neque eius principia sunt in potestate Medici. Sed intelligendus est Arist. quod vel obiectum scientiæ practicæ in particulari sit contingens, vt accidit in moralibus, cuius quoque principium est in nostra potestate, vel quod sit contingens operatio circa quodcunque subiectum scientiæ practicæ, & operatio ipsa sit in nostra potestate. Quare etiam in expositione, & recta intelligentia deficiunt.

Ad tertium negatur consequentia, vel similitudo; immo concludit oppositum; sicut sunt diuersæ potentiæ, voluntas scilicet, & intellectus.

Ad quartum respondeo; seruire per intellectum, re

vera

vera dicere quandam subiectionem, quia tamen limites speculationis non egreditur, ad praxim non accedit.

Ad quintum dicitur, omnem scientiam speculatiuam realem naturalem (vt excludamus sacram Theologiam) esse nobiliorem quacunque practica, quatenus alteri, sicut practica non subijcitur, at de rationali non est verum, quia nobilitas sumitur ex parte obiecti præcipuè, ex primo de anima tex. primo. Logicæ autem obiectum aliquod est ens rationis, quod est omnium infimum, vnde eam esse omnibus alijs scientijs ignobiliorem, non est negandum.

QVÆST. IV.

An Logica ad alias scientias acquirendas necessaria sit.

Arguitur primò, quod non. Vnaquæque scientia habet principia sufficientia, per quæ ad determinatas conclusiones accedit, ergo Dialectica non est eis necessaria.

Secundò, Sequeretur, quod ipsa esset omnibus scientijs nobilior, quod est falsum; Probatur consequentia, nam aliæ indigerent, & dependerent ab ipsa, non autem è contra.

Tertiò. Si esset necessaria, &c. sibimetipsi necessaria esset, cum sit scientia, quare ante se addiscenda foret.

Quartò. Si necessaria esset, ante alias esset addiscenda, sed hoc non ritè fieri posse videtur, cum nostra cognitio incipiat a notioribus, ex primo physicorum, ipsa vero sit difficillima, & obscurissima.

Quintò. Ius Canonicum, & Ius Ciuile sine Logica acquiritur; & Mathematicæ Platonis, & Arist. temporibus, ante Logicam addiscebantur, & quamplures etiam peritissimi in diuersis scientijs, vt Thales Milesius in Moralibus, Æsculapius, & Hippocrates in Medicina, & alij in his, & alijs (vt ex historijs apparet) sine hac extiterunt, ergo.

Pro resolutione sit primo notandum; quod necessarium dicitur dupliciter, videlicet simpliciter, & ex suppositione: necessarium simpliciter est duplex, vel incomplexum, seu existentiæ; aliud vero in comparatione ad causam efficientem, vel finalem. Necessarium incomplexum, vel existentiæ est, quod sic necessariò existit, vt per quamcunque vim non possit non esse, quo pacto solus Deus hanc habet necessitatem, & secundum ordinem naturæ omnia incorruptibilia, vt Angeli, Celi, &c. At necessarium in comparatione ad causam efficientem est effectus, qui necessariò à tali causa profluit; vt dies respectu Solis, calor respectu ignis, &c. In ordine ad causam finalem est id, sine quo finis nullatenus acquiri potest, vt ad vitam est simpliciter necessarius cibus, ad sanitatem adequatio humorum, &c. Sed necessarium ex suppositione est, quod alicui non simpliciter est necessarium, sed solum ex aliquo supposito, vel ad benè esse. Quo pacto, si quis velit commode, & opulenter viuere, sibi sunt necessariæ diuitiæ. Si absque incommodo iter complere, est necessaria equitatio. Quod quidem necessarium ex suppositione, si cum supposito accipiatur, erit quoque necessarium simpliciter; vt ad commodè viuendum, sunt simpliciter diuitiæ necessariæ; sed in comparatione ad rem ipsam dicitur necessarium ex supposito, quare obseruandæ sint res, & modi loquendi.

Aliud notandum; quod scientiæ possunt acquiri dupliciter; videlicet perfectè, & imperfectè; perfectè acquiruntur, si omnia principia, vel saltem maior, & principalior ipsorum pars, cum conclusionibus, causis, & alijs requisitis debito ordine teneantur, rationesque circa difficultates adducere sciantur, &c. At imperfectè habentur scientiæ dupliciter, vno modo si indistinctè, & sine debitis rationibus, & euidentia omnia, vel multa, quæ sunt in scientia cognoscantur, & tunc in his, qui sic sciunt, hæc non erit scientia, sed opinio. Alio modo si aliqua ignorentur, cognitis tamen reliquis, eo modo quo in tali scientia cognoscenda sunt; vt si quis nesciat, aliquam peculiarem propositionem, vel definitionem, &c. primum est ignorantia secundum totam scientiam, alia secundum partem. Ex quibus duæ eliciantur conclusiones.

Prima. Ad imperfectè acquirendas scientias Logica non est neque simpliciter, neque ex suppositione necessaria. Probatur, nam imperfectio cuiusque rei ex quocunque defectu prouenire potest, si quidem multis modis a fine deuiare contingat, vnico tantum ipsum attingere.

Secunda conclusio. Ad perfectè acquirendas aliquas partes aliquarum scientiarum non est simpliciter necessaria Logica artificialis docens; nam contingit, vt aliquæ ipsarum sint solo lumine intellectus cognoscibiles, vt notum est de quibusdam axiomatibus Mathematicis, & de quamplurimis alijs; requiritur tamen dialectica naturalis, vel illa discurrendi agilitas. Hæc autem conclusio desumitur a Scoto 2. Metaph. q. 12.

Tertia. Ad perfectè aliquam scientiam secundum omnes, & singulas partes, & debito modo, atque ordine habendam. Logica artificialis est simpliciter necessaria. Probatur, nam in qualibet totali scientia, demonstrationes, consequentiæ, syllogismi probabiles, atque sophystici accidunt; qui plenè absque Logica, in qua eorum cognitio traditur, cognosci nequeunt. Nunc ad Argumenta.

Ad primum negatur consequentia; non enim sufficiunt simpliciter principia; sed ordo syllogisticus, & aliæ dispositiones logicales propter ordinem requiruntur.

Ad secundum pariter negatur consequentia, quia ab obiecto sumunt scientiæ nobilitatem; & etiam quia hoc est potius ministerium, quam dominium; quare & si Dominus seruis indigeat, non est eis ignobilior.

Ad tertium respondetur, re vera sibimet inseruire per applicationem vnius partis ad aliam, vt dictum est in solutione primi argumenti primæ quæst.

Ad quartum negatur minor; ad probationem dicitur, a notioribus esse incipiendu, nisi necessitas ad aliud cogat; vel dicatur, Logicam non esse sic difficilem, &c. vt dictum est in principio Phys. de ordine addiscendi partes Philosophiæ.

Ad quintum, quo ad primam partem respondetur, Ius Canonicum, atque Ciuile non esse scientias, sed Principum decreta; quorum causæ si inuestigentur, pertinent ad Philosophiam moralem. De Mathematica autem dicitur, quoad aliqua notissima principia sine Logica esse acquisibilem, non autem totam, vel dicatur, aliquas scientias solum aliquam partem Logicæ requirere, nempè modum demonstrandi, quæ in earum traditione miscetur, &c. & sic accidit in Mathematica.

QVÆST. V.

De subiecto Logicæ.

Vnaquæque facultas determinatam habet materiam, vel subiectum circa quod versatur, & per quod ab omnibus alijs distinguitur; immò & partes eius principales suum pariter distinctum habent, quo ab alijs eiusdem facultatis partibus internoscantur; & harum partium partiale, totius vero totale, vel adæquatum dicitur; ita tamen, quod sicut plura membra ad vnũ constituendum corpus concurrunt, sic ista ad hoc totale subiectum

biectum: & quemadmodum inter corporis membra, vnum alijs omnibus præcellit, sic inter partialia hæc subiecta accidit, atque hoc dicetur partiale, & perfectionis subiectum; reliqua partialia simpliciter, & aliud simpliciter totale, vel adæquationis. De hoc itaque est præcipua difficultas, videlicet quid sit totale vniuersæ Logicæ subiectum. Pro cuius intelligentia notandum est, quod tres sunt ipsius subiecti conditiones. Prima. Quod de ipso habeatur, si est, & quid est, ex primo Post. Per si est, intelligitur, quod suo modo sit, vel esse possit in natura, ita videlicet, quod nō sit purum nihil, vel fictitium, quia de hoc non est scientia, neque intelligendum est sic esse in natura, vt sit quid reale extra intellectum penitus existens, nam si de quibusdam hoc sit verum, tamen alijs sufficit, vt in natura fundamentum habeant, eo modo, quo diximus de secundis intentionibus. Per quod est, intelligitur, quod sit definibile, vel alio modo explicabile, ita nimirum, quod fiat cognitum, nam ex ignotis non ritè addiscimus.

Secunda conditio, quod per definitionem eiusdem subiecti passiones eius in tali scientia demonstrentur, nam omnis vera demonstratio ex definitione, vel forma sumitur, vt dicetur in lib. Post. Vbi animaduertendum est, quod per ipsam definitionem subiecti immediatè ipsius proprietates demonstrantur, non autem aliæ eorum, quæ in tali scientia traduntur, nisi fortè remotè ad definitionem pertinent omnia principia, & causæ eiusdem.

Tertia conditio. Quod sub ipso subiecto sic omnia in tali scientia considerata contineantur, vt omnia ad ipsum reducantur, vel aliquo modo pertineant; aliquo inquam modo, quia non omnia ipsum æqualiter respiciūt; quædam etenim possunt esse partes, alia species, alia genera; alia principia, vel propinqua, vel remota, quædam fundamenta, alia proprietates, alia accidentia, aliqua priuationes, vel negationes, &c. Et ex hac conditione tria sequuntur. Primum, quod de ipso in nulla alia scientia tractetur, nec ipsa scientia alia consideret, nisi, quæ ad ipsum pertinent; qua de causa dicitur adæquatum. Secundum, quòd sit vniuocum, vel analogum, analogia attributionis, sic videlicet, quod non sit necessarium habere eandem naturam omnibus ijs, quæ sub ipso continentur indifferenter communicatam, sed sat est, vt veluti in vnam quandam naturam cætera ei conueniētia concurrant, vel tribuantur; sicut diæta, cibus, &c. ad corpus sanabile. Tertium, quòd non debet directè prædicari de ijs omnibus, quæ in tali scientia sunt, nam hæc prædicatio est solum superioris respectu suorum inferiorum, seu vniuersalis respectu suorum particularium. Alia, quæ ad subiecti cognitionem attinent, in quæst. de subiecto Naturalis Philosophiæ fusè tractantur. Quid ergo nunc statuendum sit Logicæ subiectum non est omnium Philosophorum eadem sententia. D. Thom. in 4. Metaph. lect. 4. ens rationis pro subiecto statuit, cuius potissima ratio est, quia omnia in Logica videntur ad ens rationis pertinere, & Arist. 9. Metaph. text. 5. ait. Dialecticum considerare ens, sicut Metaphys. at Metaphysicus considerat ens in communi, & reale; ergo Logicus ens rationis. Ad hanc reducitur ea, quæ ad Boetij, nempè Logicam habere pro subiecto secundas intentiones. At vtraque opinio in hoc est insufficiens, quia & si ens rationis, vel secundæ intentiones considerentur in Logica, non tamen vt adæquatum subiectum, quia ad plura se extendunt, quam ad Logicalia, vt in præcedentibus dictum est, nec ex Arist. auctoritate concluditur; nam verum est, quod Metaph. ens reale, & Logicus ens rationis considerat; tamen nec ille, omne ens reale, neque iste, omne ens rationis; nec est attendenda omnimoda conuenientia, vbi est solum aliqua similitudo. Nonnulli autem ex recentioribus, vt prædictam opinionem defendant, dicunt, non ens rationis simpliciter pro subiecto à D. Thom. statui, sed ens rationis Logicum, & sic extra ipsam Logicam non vagatur. Sed hi in fallaciam petitionis incidunt; quia ens rationis Logicum est, quod ad Logicum attinet, hoc autem est subiectum, de quo quærimus quid sit; dicere autem esse ens rationis Logicum, nihil aliud est dicere, nisi, id esse Logicæ subiectum, quod ad Logicum attinet. Alia est opinio Auicennæ, Alberti, Algazelis, & aliorum, qui argumentationem pro subiecto statuit, nam omnia ad ipsam dirigi in Logica videntur. Quæ opinio est etiam falsa, & propter excessum ipsius argumentationis, nam etiam in Rethorica consideratur: & quia ipsa veluti genus reducitur ad speciem, vt imperfectum. Alia est opinio Ammonij, qui demōstrationem statuit, quatenus omnia logicalia tanquam ad perfectissimam partem ad ipsam ordinari videtur, sed hæc non consideratur in tota Logica. Quarta est aliquorum, qui orationem statuunt, sed hæc quoque limites Logicæ transcendit, vt de se notissimū est. Quinta est recentiorum quorundam ponentium tres operationes intellectus, quæ sunt simplicium apprehensio, compositio, & diuisio, & discursus, ita vt ad primam operationem pertineant liber Prædicabilium, & Prædicamentorum, ad secundam libri Perihermenias, seu de Interpretatione, ad tertiam libri Priorum, Post. Topicorum, & Elenchorum; & sic adæquatè eis correspondet. Sed si hi accipiant has operationes formaliter, quatenus videlicet actiones intellectus sunt, sic pertinent ad libros de Anima. Si verò obiectiuè, nimirum prout per illas producitur ens rationis, & sit ipsius intellectus obiectum in scientia rationis, sic pariter errant; nam ad plura, quam ad Logicalia se extendunt, nempè ad omne ens rationis, vt notum est. Alij verò dicunt, subiectum Dialecticæ esse modum sciendi, Qui quidem est ratio faciens deuenire de notitia noti ad notitiam ignoti. Sed neque hoc esse potest, quia neque de eo fit mentio ab Arist. neque est solius Logicæ, immo modus hic procedendi traditur in alijs facultatibus, iuxta cuiusque principia, & fines, quod expresse patet in physicis. Sit ergo

Conclusio determinata cum Scoto q. 3. Vniuers. Logicæ adæquatum subiectum esse syllogismum, hæc autem patet ex sufficienti diuisione, cum etenim nullum prædicatorum sit subiectum, nec aliud poni potest, relinquitur syllogismus. Amplius ei conueniunt tres conditiones subiecti superius assignatæ; nam habetur eius definitio in primo Priorum, quæ supponit ipsum esse; habet quoque fecunda, quia multæ proprietates eius illic de ipso per eandem definitionem ostenduntur, ac etiam tertia; nam omnia, quæ in Logica tractantur ad ipsum pertinent, nec alibi de ipso agitur, &c. Sed contra. Omnis scientia habetur per syllogismum; ergo, si de syllogismo fit scientia, tanquam de subiecto, erit per syllogismum; tunc quæro, ille syllogismus est notus, vel ignotus, si notus, ergo per alium syllogismum, & sic de illo quæratur in infinitum, si ignotum, ex eo nihil scietur. Concl. 1 Arg.

Secundò. Syllogismus est subiectum Librorum Priorum, ergo non totius Logicæ.

Tertiò. Syllogismus non est intelligibilis, ergo neque scibilis; probatur antecedens, quia nihil est intelligibile, vel in intellectu, quin prius fuerit in sensu, ex Arist. in lib. de sensu, & sensili; at syllogismus non fuit vnquam in sensu, cum sit ens rationis, ergo.

Quartò. Multa tractantur in Logica, quæ non pertinent ad syllogismum, ergo. Probatur antecedens; nam diuisiones, definitiones, suppositiones, item prædicabilia, prædicamenta, &c. ad eum non attinent.

Quintò. Subiectum cuiusque scientiæ constituitur ex materiali, & formali; ita vt materiale sit res considerata, formale sit modus considerandi, vt patet de subiecto naturalis Philosophiæ, quod est corpus naturale, in qua corpus, est materiale, naturale autem est formale, & sic de alijs: syllogismus autem non sic constituitur, ergo.

Ad

Ad primum dico, syllogismum per quem habetur scientia de syllogismo, esse notum quoad illationem, & euidentiam ex præmissis, non autem ex alio syllogismo, sed ex terminis, lumine intellectus, & dispositione, quare non per alium syllogismum, & sic non proceditur in infinitum. Sed quoad alias passiones syllogismi in communi non est notus, sed ab eadem cognitione communis syllogismi notificatur.

Ad secundum dicitur ad maiorem; quod diuersa consideratione non inconuenit idem esse subiectum totius, & partis. Sic in Libris Priorum, syllogismus est subiectum sub ratione communi, quia ibi de forma, & communibus eius proprietatibus agitur; in alijs partibus Logicæ de alijs ad ipsum attinentibus tractatur, nempè vel de principijs, vel speciebus, &c.

Ad tertium, negatur antecedens; ad probationem dicitur, quod illa propositio Aristotelis est vera, de eo, quod primo intelligitur; hoc enim ex sensu elicitur; at quod intelligitur secũda, vel sequenti intellectione non sic se habet, & sic contingit de syllogismo; qui post res intellectas ab intellectu fit, & intelligitur.

Ad quartum negatur antecedens. Ad probationem dicitur; diuisiones pertinere ad syllogismum inuestigandum, immo ad eundem diuisiuum. Definitio est eius medium, & præcipuè demonstratiui; sic suppositiones ad cognoscendas fallacias, prædicabilia, & prædicamenta, vt fundamenta, & termini, ac partes eius remotæ erunt.

Ad quintum dicitur, tunc subiectum habere materiale, & formale, quando potest pluribus modis considerari, vnde indiget restrictione; at quando simpliciter in se consideratur, nec restrictione indiget, tunc hoc necessarium non est; & sic accidit de syllogismo.

Secunda conclusio. Demonstratio est subiectum perfectionis in Logica; probatur, nam ipsa est perfectissimus syllogismus ex necessarijs procedens, ac scientiæ generatiuus.

Quæstionum Proœmialium Finis.



AN-



ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN LIBRVM PORPHYRII de quinque Vniuersalibus Paraphrasis, & Quæstiones.

Porphyrij ad Chrysaorium de necessitate huius operis.

PRÆFATIO.

QVoniam cognoscere quid sit genus, quid differentia, quid species, quid proprium, & quid accidens est necessarium (ò Chrysaori) ad doctrinam prædicamentorum Arist. (nam ipsa prædicamenta ex generibus, speciebus, & differentijs adinuicem ordinatis constituuntur) item ad definitionum assignationem; (quia bona definitiones ex genere, & differentia constant) pariter ad ea, quæ de diuisione, & demonstratione cognoscenda sunt: quoniam diuisionum potissima sunt generum in species per differentias, & demonstrationes vtuntur pro medio definitione, & pro conclusione proprio) atque speculatio horum, nempè prædicamentorum, definitionis, diuisionis, & demonstrationis est valdè vtilis; ideò compendiosam tibi prædictis vniuersalibus nempè de genere differentia &c. traditionem faciens; tentabo breuiter, velut introductionis modo ea, quæ circa hæc ab Antiquis dicta sunt explanare: Vnde ab altioribus quæstionibus abstinebo; quæ verò sunt simpliciores, vel faciliores mediocriter quasi per coniecturam tractabo (sic enim decet introducentem) postea circa genera, & species dicere illud recusabo, videlicet si subsistant in natura, seu in solis, & nudis intellectibus posita sint: & si detur, quod subsistant, an sint corporalia, vel incorporalia, & vtrùm sint separata à rebus singularibus sensibilibus, aut in his sensibilibus posita sint, & alia circa hæc accidentia; altissimum enim est hoc negotium, & alterius maioris egens inquisitionis, quam sit introductio. Illud verò, quod tibi explicare promissi, sic nunc monstrare tentabo, quemadmodum de his, & de alijs propositis Antiqui, & precipuè Peripatetici tractauerunt.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm vniuersale sit ens, & prius de eius multiplici acceptione.



EST Arist. doctrina in 2. Post. de rebus scibilibus primò quærendum esse, an sint, vel esse possint, & potissimum de eis, quarum esse non est omnibus manifestum, vel ab vnoquoque admissum, cum autem sic se habeat vniuersale, meritò hæc quæstio à Scoto alijs omnibus præponitur, in qua idem est quærere, si vniuersale sit ens, & si sit, nam quicquid est ens, est, & quicquid est, ens erit. Pro resolutione ergo supponenda, atque explicanda est communis ferè omnium distinctio, videlicet, quod duplex est vniuersale, scilicet, complexum, & incomplexum. Complexum sunt vniuersales propositiones, tàm affirmatiuę, quàm negatiuę, vt omnis homo est animal; nullus homo est lapis, & de hoc non est hic ad propositum. At vniuersale incomplexum est, quod per vnum tantum terminum significatur, & est sextuplex, scilicet in causando, in significando, in distribuendo, in repræsentando, in essendo, & in prædicando; Vniuersale in causando est, quod multorum effectuum causa esse potest, vt Deus, Sol, Cæli, &c. Cuius consideratio est Philosophica. Vniuersale in significando est terminus communis, vt homo, leo, &c. In distribuendo sunt signa vniuersalia, vt omne, nullum, semper, quæ ambo pertinent ad Logicum, vt termini; nec habent difficultatem. Vniuersale in repræsentando sunt species, vel imagines intelligibiles, quæ in intellectu manentes

ei mul-

ei multa cognoscenda repræsentat; vt species intelligibilis hominis plures repræsentat homines, &c. cuius cognitio attinet ad libros de Anima. At vniuersale in essendo est natura quædam, quæ sine intellectus operatione potest pluribus conuenire; vt natura humana, equina, &c. quod quidem vniuersale potest intelligi dupliciter, vno modo, quod in natura sic detur, quod à singularibus sit, vel esse possit separatum, vt arbitrabatur Plato de Ideis, alio modo quod sit necessariò cum singularibus iunctum, cum ipsis identificatum, & solum sit commune per indifferentiam; & horum consideratio, quamuis negotium Logicum excedere videatur, attamen propter vsum, & ad veram intelligentiam horum vniuersalium in sequentibus habebitur. At vniuersale, quod vocatur in prædicando, est vniuersale secundæ intentionis; ita videlicet, quod ab vniuersali in essendo, vt ab humanitate, v. g. per quandam intellectus operationem concipiatur, vel fiat quidam conceptus vniuersalis rationis fundatus in prædicto, & conueniens pluribus; & hæc ratio conuenientiæ prædicabile, vel vniuersale in prædicando dicitur. De quo solum est præsens quæstio; nam cum primariò Logicus secundas intentiones consideret, de eis est primò inuestigandum. Sed priusquam ad conclusionem deueniamus; animaduertendum est, quod dum quærimus, an vniuersale sit ens, per ens nihil aliud intelligitur, nisi id, quod non est neque nihil, neque fictitium, non autem quod sit ens reale, vel existens in natura; vnde sufficit, quod sit ens rationis verum. Notandum est etiam, quod etiam vniuersale in essendo potest dici per attributionem in prædicando, vel prædicabile, sed distinctionis gratia sic dictum sit, & melius inferius patebit.

Conclusio ergo sit hæc. Vniuersale est ens. Probatur. Omne, quod verè definitur est ens, quia non entis non est definitio, at vniuersale definitur ab Arist. primo Perihermenias, ergo. Amplius vniuersale secundæ intentionis applicatur primis intentionibus per Boetium, sed quod non est, applicari non potest, ergo. Amplius, quod est modus intelligendi res intelligibiles, est ens, vniuersale sic se habet; nam res omnes reales intelligi possunt sub modo, vel ratione vniuersali, ergo.

Sed contra hanc conclusionẽ sunt aliquæ obiectiones.

Prima. Omne quod est, ideò est, quia vnum numero est per Boetium. At vniuersale non est vnum numero, ergo.

Secunda. Omne, quod est aliud à prima, seu singulari substantia, aut dicitur de ipsa prima substantia, aut est in illa; ex cap. de subst. sed vniuersale est aliud à prima substantia, nec dicitur de illa, quia solum secundæ substantiæ de ea dicuntur, vt ibidem docet Philosophus: neque est in illa, quia ipsam denominaret, sicut albedo, quæ est in pariete, denominat ipsum album, quod quidem esse non potest; quia dicere primam, vel singularem substantiam esse vniuersale, est repugnantia in adiecto.

Tertia. Si vniuersale est, vel est à natura, vel ab intellectu, vel ab vtroque, non à natura, quia esset ens reale, & singulare; nam omnis actio naturalis est respectu singularium, & realium, non ab intellectu, quia esset ens fictitium, non ab vtroque, quia esset ens per accidens, quod non est scibile.

Quarta. Omne quod est, vel est substantia, vel accidens, sed ipsum non est substantia, quia non per se existit, neque accidens, quia nec est quantitas, nec qualitas, nec aliud nouem prædicamentorum, quæ omnia sunt entia realia, ergo.

Ad primam obiectionem respondetur, omne quod in natura, & absque vlla intellectus operatione est, esse vnum numero, seu singulare, vel per se, vel per contractionem (vt melius inferiùs dicetur) at hoc vniuersale non est in natura, neque sine intellectus operatione.

Ad secundam dicitur, quod vniuersalia sunt in primis substantijs solum originaliter, ideò non opus est, vt eas denominent, nam ad denominationem plus requiritur, verbi gratia, quia anima brutorum originaliter est in semine, ideò nõ potest dici, semen simpliciter animatum; sic neque prima substantia dicetur vniuersalis.

Ad tertiam respondetur, fundamentaliter esse à natura, completiuè ab intellectu, neque propter hoc est ens per accidens, quia non concurrunt naturale, & intellectuale, vt partes, (quod requiritur ad constituendum ens per accidens) sed vt fundamentum, & res fundata.

Ad quartam dicitur, solum ens reale esse substantiam; vel accidens; hoc autem est ens rationis, ideò neutrum est; vel dicatur esse accidens intentionale, quod inter realia connumerandum non est.

QVÆST. II.

Quid sit, vbi sit, à quo sit vniuersale, & quomodo à prędicabili differat.

VT sufficienter præsens agitetur quæstio, de vniuersali tàm primæ, quàm secundę intentionis intelligenda erit; ipsa namque duo vniuersalia, seu potius ipsum vniuersale dupliciter sumptum, non potest distinctè, atque benè vno tantum modo considerari; immo cum vnum sit propter aliud, vnum tantum videbitur; & de facto sic vnum aliud respicit, vt vel eius radix existat, vel imago alterius videatur, atque quod vni tribuitur, alteri conuenire videtur, non tamen penitus, sed eo modo, quo diximus de secundis intentionibus in ordine ad primas, vel de imaginibus in comparatione ad id, cuius dicuntur imagines. Sic ergo vtrique eadem aptabitur definitio, quæ talis est. Vniuersale est, quod pluribus ex sua natura aptum est inesse, ex 7. Metaphys. text. 45. vel Vniuersale est, quod in pluribus prædicari natum est; vt homo quidem vniuersalium est, &c. ex primo Perihern. c. 5. quarũ prima principaliter intelligitur de vniuersali, secunda de prædicabili; vel prima videtur dari de vniuersali primæ intentionis, secunda de vniuersali secundæ intentionis; nam prædicari est terminus secundæ intentionis. Attamen vtraque definitio vtrique vniuersali conuenit; nam vniuersale primæ intentionis, vt homo, animal, &c. natum est esse in multis, & prædicari de multis, nempè de hoc, & illo particulari, vt notissimum est; & vniuersale secundæ intentionis actualiter per intellectum in multis, & de multis intelligitur: ita vt ex fundamento prædicto, eliciatur hæc intentio, quæ sine eo esset fictitia. Intelligendæ sunt itaque ambæ definitiones de vtroque vniuersali, (sicut omnes aliæ definitiones secundarum intentionum) ita vt fundamentaliter conueniant rebus, sed actualiter, vel formaliter intentionibus secundis.

At quo ad secundam partem, videlicet, vbi sit vniuersale, maior est difficultas, & de vtroque pariter determinanda est. Pro vniuersali itaque primæ intentionis, ponatur hæc distinctio; quod aliud sit remotum, aliud propinquum, vel aliud in potentia, aliud in actu, quod idem est; vniuersale remotum, vel in potentia (quod etiam vocatur natura communis) est id, quod cuiusque vniuersalitatis est radix, origo, vel fundamentum, vt humanitas, equinitas, &c. hæ namque naturæ non sunt particulares, nec actu vniuersales, sed ad vtrumque indifferentes. De hoc ergo vniuersali sit talis conclusio.

Vniuersale remotum, seu natura communis datur absque vlla intellectus operatione. Probatur; si hæc natura communis non daretur seclusa quacunque intelle-

ctus

ctus operatione, dum ipſam communem; vel pluribus communicabilem intelligeremus, ſub modo illi repugnanti conciperetur, ſicut ſi diceremus, Petrum pluribus conuenire, at cum hoc ſit falſum, ſequitur, quod verè ſit communis. Amplius. Remota quacunque intellectus operatione, plus conueniunt duo homines, quam homo hic, & quidam aſinus; non conueniunt in nihilo; quia hoc non eſt conuenire, non in ſingularitate, quia per hanc differunt, ergo in natura communi, nempè in humanitate. Præterea. Scientiæ, definitiones, nec non quamplurima eſſentialia prædicata, vel attributa non verificantur de ſecundis intentionibus, ſed de primis, atque omnia hæc ſunt de vniuerſalibus. Denique. Relatio eſt ens reale, cum ſit vnum prædicamentum, & tamen fundatur in vnitate communi ex parte naturæ, abſque intellectus opere, ergo. Probatur; nam duo ſimilia ſunt huiuſmodi ſine intellectu cogitante, nec conueniunt, niſi in qualitate communi, &c. In Petro itaque verbi gratia eſt humanitas, & ſingularitas, humanitas eſt communicabilis per indifferentiam, Petreitas nequaquam, &c.

At contra hanc poſitionem non deſunt obiectiones. Prima. Si daretur hæc natura communis, ſingulare eſſet vniuerſale, vel commune, quod contradictionem implicat; probatur conſequentia, quia ſi in Petro eſt humanitas, quæ eſt communis, & Petreitas, quæ eſt ſingularis, ipſe Petrus ratione humanitatis eſſet communis, & ſingularitatis ſingularis, ergo.

Secunda. Vel hæc natura communis eſt idem cum ſingularibus in quibus exiſtit, vel diuerſum; ſi idem, ergo ſingularia ſunt communicabilia, ſicut illa, quod eſt inintelligibile, & falſiſſimum; ſi eſt quid diuerſum, ad ipſorum naturam non pertinebit eſſentialiter, & ſic Socrates v. g. poſſet eſſe ſine humanitate.

Tertia. Omne quod poteſt generari eſt ſingulare, nam actiones, & generationes ſunt ſingularium, ex primo Metaph. ſed indiuidua cum tota natura, quæ in ipſis includitur, generari poſſunt, ergo ſicut ipſa ſunt ſingularia, ſic ea natura, quæ cum illis generatur.

Quarta. Ariſtoteles 5. Metaph. cap. 6. triplicem ponit vnitatem, nempè genericam, ſpecificam, & numeralem, at natura communis non eſt vna, neque generica, neque ſpecifica vnitate, quia illæ ſunt per intellectum. Sicut genera, & ſpecies, ergo eſt vna numero, ergo non communis ſine intellectus operatione. His tamen non obſtantibus veriſſima eſt præcedens doctrina, & prædictas obiectiones ſoluere difficilè non eſt.

Ad primam negatur conſequentia, ad probationem reſpondetur dupliciter, vno modo, illam naturam non eſſe ſimpliciter vniuerſalem, vel communem, per actualem participationem, ſed per indifferentiam, (vt dictum eſt in primo phyſ. quæſt. 4. vbi prolixius hanc materiam tractauimus) quod non ſufficit, vt id in quo eſt, dicatur ſimpliciter commune, vel vniuerſale. Alio modo, quod ea quæ faciunt differentiam inter ipſa, & id in quibus ſunt, non dant denominationem, vt patet de definitione, & definito, quæ licet ſint idem realiter, habent tamen aliqua prædicata, per quæ diſtinguuntur, vt definitio eſt conſtituens, definitum eſt conſtitutum.

Ad ſecundam reſpondetur, hanc naturam eſſe idem realiter, cum ſingularibus diſtinctam tamen formaliter, quod ſufficit, ne eodem modo ſint communicabilia, cuius ſimile videri poteſt in genere, & differentia; nam ipſum genus per differentiam contrahitur, & vna realis conſtituitur natura, vt ex animali, & rationali, homo, non tamen ratio, vel communicabilitas, generis eſt eadem cum ea, quæ eſt differentiæ.

Ad tertiam dicitur, quod aliquid dicitur ſingulare tripliciter, videlicet conſtitutiuè, & primò, vt differentiæ indiuiduales; ſecundò quidditatiuè, vt ipſa indiuidua conſtituta, tertiò identicè, vel concomitanter, vt naturæ communes, & ſic generatio eſt circa ea, quæ aliquomodo ſunt ſingularia, & præcipuè circa indiuidua, non excludendo alia.

Ad quartam dicitur Ariſtoteles ibidem de veris, & completis vnitatibus locutum fuiſſe; hæc autem, quam nos ſtatuimus, eſt vnitas potentialis minor vnitate numerali, & maior ſpecifica, atque generica; vt eſt videre primo phyſ. loco præcitato.

Secunda concluſio. Vniuerſale propinquum primæ intentionis, vt homo animal, &c. eſt ſubiectiuè in vniuerſali remoto, & per conſequens etiam in ipſis ſingularibus, ſed obiectiuè in intellectu, ita videlicet, quod in ſingularibus ipſis non ſit completum vniuerſale, ſed hoc complementum habet ab intellectu, vt homo verbi gratia, ſine inferioribus non reperitur, ſed ab hominibus ſingularibus per abſtractionem recipit eſſe, & hoc eſt eſſe obiectiuè in intellectu.

Circa quam concluſionem hac noſtra tempeſtate nulla eſt difficultas, nec controuerſia. Olim verò Plato ponebat ipſum à ſingularibus ſeparatum, incorruptibile, atque Ideam, vel exemplar ſingularium omnium; cuius duplex erat principalis ratio; nempè vt haberetur ſcientia, quæ non eſt de ſingularibus, & propter generationes, quarum vniuoca, vel eiuſdem naturæ cauſa non videtur; vt ſi quandoque generetur rana, vel ignis, aut aliud, non à rana, nec ab igne, &c. ab hoc exemplari (vt ſimile à ſimili generetur) generari dicebat. Quæ quidem poſitio eſt penitus falſa, & inintelligibilis. Nam vniuerſale eſt de quidditate, & eſſentia ſuorum particularium, vt homo eſt de eſſentia Petri, Pauli, &c. ſed quod eſt ab alio ſeparatum non poteſt eſſe de eſſentia eius. Verùm eſt tamen, quod Seneca, & Aug. non ſic Platonis opinionem intelligendam eſſe exiſtimant; ſed quod loquatur de Ideis in mente diuina, ad cuius ſimilitudinem omnia fiunt, ſed de his ex profeſſo proſequi eſt opus Metaphyſici.

Tertia concluſio. Vniuerſale ſecundæ intentionis eſt in natura communi, vel in vniuerſali remoto, tanquam in remoto fundamento; in vniuerſali propinquo, & primæ intentionis, vt in fundamento propinquo, & obiectiuè in intellectu. Quod fundetur in natura communi probatur, nam niſi haberet fundamentum vniuerſalitatis eſſet chimericum. Quod etiam requiratur vniuerſale propinquum, vt immediatum eius fundamentum, patet, nam ideò dicimus, vel cognoſcimus, hominem eſſe ſpeciem, vel prædicari de pluribus, quia à pluribus abſtractum, atque ipſis communicabile conſideramus; quare conſideratio hæc hoc abſtractum commune immediatè reſpicit. Quod verò obiectiuè ſit in intellectu, ex eo manifeſtum erit, quod ab ipſo intellectu ducitur ad perfectionem, & vt obiectum ſibimet conſiderandum proponitur. Ex dictis facilè ſoluitur tertia pars propoſitæ difficultatis, à quo videlicet fiat vniuerſale, nam Vniuerſale remotum fit ab agente naturali, vt aſinitas ab aſino generante, &c. Sed vniuerſale tàm propinquum primæ intentionis, quàm ſecundæ initiatiuè fit à natura, ſed completiuè, & formaliter ab intellectu; cùm hoc diſcrimine, quod ipſum vniuerſale primæ intentionis ſingularizatum, vel ſumptum in particulari, habeat in ſe totam, completam, & quidditatiuam naturam, vt homo eſt penitus in Petro, Paulo, &c. Sed vniuerſale ſecundæ intentionis non reperitur in indiuiduis ſecundùm ſe.

Quo ad quartam quæſtionis partem; breuiter dicendum eſt; vniuerſale, & prædicabile, ſi vniformiter ſumantur, ſe habere, vt ſubiectum, & propriam paſſionem; ita videlicet, quod vniuerſale ſit ſubiectum, & prædicabile ſit paſſio, vel proprietas eius; probatur, nam paſſio eſt, quæ fluit à natura ſubiecti, & eſt conuertibilis cum ipſo; ſic autem ſe habet prædicabile. Quoniam ex eo quod aliquid eſt aptum eſſe in multis, ſequitur, quod

sit aptum prædicari, vel dici de multis, & quia dicitur vere de multis, natum quoque est esse in multis, vnde dicitur, quod ad esse, in, sequitur dici de; & sic erit tàm vniuersale, quàm prædicabile, remotum, & propinquum, primum, & secundæ intentionis &c. Verum, quia prædicabile est magis terminus secundæ intentionis, quam vniuersale, hac de causa, hic liber Porphyrij potius prædicabilium dicitur, vt denotetur, intentionem eius non esse loqui de vniuersalibus realibus, nam hoc est munus aliarum, immò omnium scientiarum, sed de istis secundis intentionibus, quæ tamen sine fundamento intelligi nequeunt, ideò de alijs quoque differitur, & maximè, quia ad eorum intelligentiam sunt ordinatæ. Dicitur quoque liber quinque vocum, hac eadem de causa, vt scilicet non de rebus ipsis, sed de intentionibus per voces significatis, esse sermonem hunc cognoscamus.

QVÆST. III.

An vniuersale sit per se intelligibile.

Cvm de vniuersalibus scientia tradatur, necesse est videre an ipsa intelligibilia sint, nihil namque scibile est, nisi intelligibile sit. At priusquam ad resolutionem deueniamus, notandum est, quod non est difficultas de vniuersali reali, vel primæ intentionis tàm remoto, quam propinquo, quinimo omnis scientia est de vniuersalibus istis, vt notum est; tota itaque difficultas est de vniuersali secundæ intentionis; quod itaque non sit intelligibile, probatur.

Omnis nostra cognitio incipit à sensu, sed huius non potest à sensu incipere, ergo non datur, nam cuius non est initium, neque erit completio. Probatur minor, quia sensus non percipit nisi res sensibiles, vel materiales. ergo. Amplius.

Omnis potentia passiua præsupponit suum obiectum in actu, priusquam ipsum percipiat, vt patet de visu, qui præsupponit colores, auditus sonos, &c. at vniuersale non præsupponitur ab intellectu, sed ab ipso efficitur, ergo cognosci non potest. Præterea.

Obiectum mouet ad sui cognitionem potentiam, vt color mouet visum, &c. At vniuersale non potest mouere intellectum, quia mouere est agere, quod enti rationi non conuenit.

Pro intelligentia sciendum est, quod intelligi aliquid ab intellectu contingit dupliciter, videlicet motiuè, & terminatiuè. Motiuè id intelligitur, quod ex se emittendo species, vel imagines in sensus, eas quoque vsque ad intellectum defert, quare intellectus ipse mouetur, atque tales species recipiendo, intelligit. At intelligi terminatiuè, est solum recipi in intellectu per modum cognoscibilis, siue facta motione ab extra, siue non, & sic quæcunque ab ipsius intellectus virtute fiunt, solum terminatiuè intelliguntur, & cum his alia omnia, quæ propriam speciem non habent; de quibus fusiùs prosequi ad librum tertium de anima attinet; Nunc tantum hoc sit animaduertendum; quod esse terminatiuè in intellectu, est in ipso recipi per modum termini, vel formæ; quare cum omnia, quę moueant, etiam terminent, erunt in intellectu motiuè, & terminatiuè, non autem è contrà. Ex dictis ponitur talis conclusio.

Vniuersale est per se intelligibile. Probatur. Quicquid definitur est per se intelligibile, vniuersale definitur. ergo. Amplius. Intellectus percipit res sub ratione vniuersali, & particulari, atque ponit differentiam inter vtrumque, ergo vtrumque cognoscit. Præterea. Nisi vniuersale esset per se cognoscibile, ideò esset, quia est ens rationis, at hoc nihil obstat, quia cum Logica circa ens rationis versetur, tota periret. Sed hic notandum est, quod licet vniuersale sit per se intelligibile, non tamen est per se primò, & principaliter tale, cum hoc conueniat primariò enti reali, sed secundariò, sicut Petrus est per se risibilis non autem primò, neque adæquatè. At si quæratur, quid propriè significet esse per se intelligibile. Respondetur nil aliud, nisi quod formetur conceptus positiuus, vel cognitio, qua ab alijs positiuè, & non implicitè percipiatur; quare omnia entia positiua, siue realia, siue rationis sic se habent, & negationes, & priuationes ab hac cognitione excluduntur, quędã tamen sunt intelligibilia cum alijs, vt relationes, proprietates, &c. Sed hoc non opponitur ad intelligi per se, sed ad intelligi solum. Vnde quando dicimus aliquid esse per se intelligibile, ly per se opponitur ad per accidens, non autem ad per aliud, alìter pauca essent per se intelligibilia. Est autem per accidens intelligibile id de quo conceptum verum, & positiuum formare non possumus. Sed argumenta soluamus.

Ad primum respondetur dupliciter, vno modo, non esse necessariam omnem cognitionem à sensu incipere, sed habere veritatem solum de cognitione rerum sensibilium. Secundò, quod hæc etiam à sensu incipiat, non tamen vt est talis, sed ab intellectu perficitur.

Ad secundum respondetur, duplicem esse intellectum, videlicet agentem, & passiuum, ab agente fit vniuersale, & à passiuo supponitur, atque recipitur, quod sufficit. Si etiam diceretur, intellectum non esse simpliciter passiuum, non male diceretur, sed fortè in idem recideret.

Ad tertium respondetur, non quodlibet obiectum mouere, sed aliquod solum terminare, neque hoc mouere est verum, & physicum, sed metaphoricum.

QVÆST. IV.

De difficultatibus à Porphyrio motis circa vniuersalia.

Qvamuis Porphyrius aliquas, quas proposuit de vniuersalibus difficultates ad alias scientias pertinere dixisset, & hac de causa insolutas reliquerit, tamen eas breuiter resoluere, neque est penitus contra institutum logicum, neque præter recentium consuetudinem. Harum autem solutio iam pluries habitam distinctionem de vniuersalibus primæ, & secundæ intentionis supponit. Est igitur prima difficultas: An genera, & species subsistant in natura, vel in solis nudis intellectibus posita sint, & quod dicitur de genere, & specie de alijs quoque vniuersalibus intelligendum est. Cui quidem difficultati plenè quoad vtrumque vniuersale in quæstione secunda satisfactum fuit; immo ferè tota circa hoc versabatur; nunc tantum gratia ordinis denuò fit hæc habita mentio. Secunda difficultas. An sint corporalia, vel incorporalia. Cui sic satisfiat, nempè, vniuersalia rationis non esse corporalia, neque incorporalia, si secundum vsum loquamur; nam corporale, & incorporale sunt differentiæ substantiæ, quæ sic diuiditur; quamobrem cum ipsum vniuersale non sit substantia, non erit pariter, neque corporale, neque incorporale, seu neque corporeum, neque incorporeum; pro eodem etenim nunc accipiuntur; ipsorum autem differentiam alibi videbimus. Verùm quandoque capitur incorporeum negatiuè, videlicet pro omni eo, quod corpus non habet, & sic incorporea dici possunt. At vniuersalia primæ intentionis aliqua sunt corporea, aliqua verò incorporea; illa etenim, quæ de singularibus corporeis prædicantur corporea sunt, vt homo, animal, planta, &c. Quæ autem prædicantur de incorporeis sunt incorporea, vt albedo, nigredo, sapor, &c. Ratio est, quia vniuer-

vniuerſalia ipſa dicunt eandem naturam, quæ eſt ſingularium, vt homo in communi, dicit naturam totam, quæ eſt in Socrate, Platone, &c. Sic albedo naturam huius, & illius albedinis, &c. Neque credendum eſt, ipſa vniuerſalia corporea, ſic corporea eſſe, quod ſint quædam corporeæ moles ab ipſis ſingularibus ſeparatæ, ſed ſenſus eſt, quod ſicut conſideramus hominem v. g. in communi, ſic ſecundum hanc communitatem eſſe eſſentialiter corpus, vel corporeum non autem quid ſpirituale concipiamus: vnde quemadmodum ipſe communis homo non reperitur niſi in ſingularibus, ita hæc ipſius corporeitas. Tertia difficultas. An hæc vniuerſalia ſint à rebus ſenſibilibus ſeparata, an in ipſis poſita. Cui ex dictis pariter in ſecunda quæſtione facilè eſt ſatisfacere; nunc verò epilogando dicimus, vniuerſalia, quæ ex ſenſibilibus abſtrahantur eſſe in ipſis ſenſibilibus fundamentaliter, (ſunt autem ſenſibilia ea ſingularia, quæ à noſtris ſenſibus, nempè à viſu, tactu, &c. percipiuntur, vt homines, equi, plantæ, &c.) ſed obiectiuè in intellectu. At vniuerſalia, quæ ab inſenſibilibus abſtrahuntur, in ipſis pariter fundamentaliter exiſtunt, & obiectiuè ſimiliter in intellectu. Hæc autem inſenſibilia ſunt res ſpirituales, vt ſcientia, ſapientia, ars, prudentia, & omnes habitus, atque virtutes animæ, immo, & anima ipſa, & Angeli, Cum ergo ab hac, & illa ſcientia abſtrahitur ſcientia in communi, ipſa fit vniuerſalis, ſed reperitur in illis particularibus, &c.

QVÆST. V.

De ſubiecto huius Libri Vniuerſalium.

Ea quæ diximus de ſubiecti natura, & conditionibus tam in principio huius operis, quàm in tractatu de ſubiecto naturalis Philoſophiæ hic repetenda non ſunt, ſed quoniam aliquas particulares difficultates, id quod ponetur huius libri ſubiectum inuoluit, & præcipuè quod non ſit adæquatum, neque vniuocum, neque proprietates aliquas habeat. Ideò pro determinatione tres ſtatuamus concluſiones.

Prima. Vniuerſale eſt adæquatum huius libri ſubiectum. Probatur, nam quæcunque in ipſo tractantur ad vniuerſale aliquo modo pertinent, vt intuenti manifeſtum erit. Præterea, habet conditiones, quæ adæquato ſubiecto conueniunt, quod patebit ex ſolutione argumentorum.

Secunda concluſio. Vniuerſale eſt vniuocum tanquam genus ad quinque vniuerſalia. Probatur prima pars, nempè quod ſit vniuocum. Nam prędicatur nomine, & ratione, ſeu definitione de iſtis quinque: tam etenim genus, quàm ſpecies, &c. dicuntur vniuerſalia, (ecce nomen) & definitio ipſius vniuerſalis omnibus competit; nam omnia ſunt apta eſſe in multis, & dici de multis. Probatur ſecunda, videlicet, quot ſit tanquam genus. Nam iſta quinque vniuerſalia ſpecie inter ſe differunt, vt genus eſt vna ſpecies vniuerſalis; ſpecies eſt alia ſpecies, differentia pariter &c. ſi quidem quodlibet ipſorum prædicatur de pluribus ſuis indiuiduus, vt genus de hoc & illo genere, differentia de hac, & illa differentia, &c. & vniuerſale in quid prædicatur de illis, nam ſi quæratur quid eſt genus, reſpondetur vniuerſale, quid eſt ſpecies, vniuerſale, &c.

Tertia concluſio. Vniuerſale habet aliquas proprietates. Probatur, nam ex eo quod eſt aptum eſſe in multis ſequitur, quod ſit prædicabile de multis, & ſic prædicabile eſt adequata eius proprietas. Amplius.

Omnia quinque vniuerſalia conueniunt in ratione ipſius vniuerſalis, & differunt inter ſe, cum ergo in natura conueniant, paſſionem aliquam communem habebunt, hæc autem erit ipſius vniuerſalis propria, ſed ſi quæratur, quæ nam ſit præter prædicabile, difficilè eſt reſpondere, eſt enim tam paucæ entitatis, vt vix ipſum (ne dicam proprietates eius) ſit cognoſcibile; ſi tamen diceretur eſſe producibile per intellectum, ab ipſo tantum terminatiuè conceptibile, &c. eſſe eius proprietates, aliquid diceretur. Sed contra prædictas concluſiones non deſunt argumenta, & primum contra primam.

1. Argum. Vniuerſale conſideratur in Libris Top. & in Metaph. ergo non eſt huius libri ſubiectum adæquatum.

Secundum. Præterea. In hoc libro agitur de Indiuiduo, quod non attinet ad vniuerſale, immo potius ſibi repugnet, nam indiuiduum, & vniuerſale opponuntur. Contra ſecundam concluſionem.

Tertium. Si vniuerſale eſſet vniuocum quinque vniuerſalibus tanquam genus, iſtæ eſſent veræ prædicationes: genus eſt ſpecies, differentia eſt ſpecies, &c. vnde omnia quinque eſſent ſpecies, & ſic ſola ipſa dicenda eſſet vniuerſale; quia vbi multa propter vnum, ibi videtur vnum tantum. Præterea.

Quartum. Vna ſpecies diuerſa, vel oppoſita, non poteſt de alia prædicari, falſum namque eſt, quod homo ſit equus, aut albedo ſit nigredo, at ſpecies ipſæ vniuerſalium ſunt diuerſæ, ergo, non poteſt fieri hæc prædicatio, genus eſt ſpecies, &c. Item.

Quintum. Genera, & ſpecies pertinent ad prædicamenta, hæc autem vniuerſalia cum ſint entia rationis, ad prædicamenta, quæ ſunt realia non attinent; quare neq; vniuerſale erit genus, neque alia vniuerſalia erunt ſpecies ipſius, vel alia prædicamenta rationis ſtatuenda eſſent contra Ariſtot. doctrinam iam ab omnibus receptam. Coutra tertiam concluſionem.

Sextum. Si vniuerſale haberet aliquas proprietates, vel eſſent ſingulares, vel vniuerſales, non ſingulares, quia cum ipſo non conuerterentur, neque vniuerſales, quia tunc verum eſſet dicere, hæc proprietas vniuerſalis eſt vniuerſale; & ſic non eſſet proprietas, quæ a ſubiecto ſe ipſa differt, ſed idem, quod vniuerſale.

Septimum. Sequeretur, quod ipſum vniuerſale non eſſet neque magis, neque minus amplum, quam proprium, quod eſt ipſius ſpecies, quod quidem eſt impoſſibile, ſicut quod animal ſit æquè amplum cum homine. Probatur conſequentia; nam propria paſſio alicuius eſt æquè ampla cum illo; omnis autem propria paſſio eſt proprium, ergo ipſum proprium cum vniuerſali adæquaretur, &c.

Octauum. Omnis paſſio eſt minus ens ſuo ſubiecto, at nihil poteſt eſſe minus ens ipſo vniuerſali, ergo. Maior eſt nota: probatur minor; nam vniuerſale eſt ens rationis, quod autem eſt minus ente rationis eſt purum nihil. Sed iſtę obiectiones præcedentem ſententiam non inficiunt, ideò facilè ſoluentur.

Ad primum ergo argumentum dicendum; in Topicis determinari de his non ex ſua natura, ſed ad conſtituendam diuerſa problemata, neque inconuenit in eadem ſcientia ſub diuerſa ratione in diuerſis partibus eius aliquid conſiderari. Metaph. autem conſiderat vniuerſale reale; nos verò de intentionali ſolum agimus.

Ad ſecundum dicitur, indiuiduum attinere ad vniuerſale vt fundamentum, nam ex ipſis indiuiduis, vel ſingularibus elicitur, vt dictum eſt.

Ad tertium dicimus, illas eſſe veras prædicationes, ſed denominatiuas, vel accidentales, vt iſtæ, homo eſt albus, homo eſt ſpecies &c. quare non ſequitur, quod omnia prædicabilia ſint eſſentialiter ſpecies; ſicut homo non eſt eſſentialiter albus.

Ad quartum dicitur; maiorem eſſe falſam in ſecundis intentionibus, nam ipſæ non ſolum rebus realibus, ſed enti quoq; rationis applicabiles ſunt; vnde ſi vna intentio ſumatur vt quid, alia vt modus, de ſe prædicari poſſunt, non autem eſſentialiter, dum ſunt ſpecies diſparatæ.

Ad quintū dicitur, re vera, hæc genera, & ſpecies, cū

aliis vniuersalibus in gratiam prædicamentorum inuenta esse; vnde in ipsis ordinata intelliguntur, præcipuè pro connotatis: non tamen sequitur, quin aliqua ordinatio inter secundas intentiones ad modum prædicamentorum reperiri possit, quæ tamen inter prædicamenta connumeranda non est, sicut ens rationis non connumeratur cum ente reali; & sic non alteratur prædicamentorum numerus. Vnde à Scoto ponitur vnum prædicamentum sub ente rationis. Cuius transcendens est ens. Genus verò generalissimum est secunda intentio, subalternum vniuersale, species verò sunt vniuersalia quinque, immo indiuiduum, &c. de cuius veritate suo loco dicetur.

Ad sextum dicitur, tales proprietates esse vniuersales, non sic, quod penitus idem absque vlla distinctione cum vniuersale, quod est ipsarum subiectum, sint, sed eo quod conuertuntur cum illo, accipiunt denominationem hanc, quo pacto ipsa vniuersalia species dicuntur, vt declaratum est in solut. quarti.

Ad septimum negatur consequentia, ad probationem dicimus vt suprà, nempè proprietates vniuersalis vocari proprias denominatiuè, vt genus vocatur species, quare reliqua non sequuntur.

Ad octauum dicitur, quod sicut in entibus realibus dantur gradus entitatis, sic in ente rationis; quamobrem passiones eius sunt pariter entia rationis, sed pauciores habent entitatis gradus, id autem est nihil, quod existens minus ipso ente rationis, nullum includeret gradum ipsius.

QVÆSTIO VI.

An vniuersalia sint tantùm quinque.

ARguitur primò, quod sint plura, nam etiam definitio est vniuersale, quæ tamen non fuit inter hæc connumerata, ergo.

Secundò. Ens prædicator pariter de pluribus, & est in illis, ergo.

Tertio. Indiuiduum vagum vt quidam homo, quidam leo, dicitur de pluribus, nempe de hoc, vel illo. Et indiuiduum simpliciter prædicatur de omnibus indiuiduis; vt Petrus est indiuiduum, Franciscus est indiuiduum, &c.

Quartò. Existentia rei pariter de quocunque singulari prædicatur per hoc verbum est secundò adiacens, vt Petrus est, Plato est, &c.

Quintò. Quot modis dicitur vnum oppositorum, tot dicitur alterum; vt si dicatur lumen mentis, ei opponitur cæcitas, vel tenebræ mentis: pariter sanitas corporis, & infirmitas corporis, diuitiæ nummorum, paupertas eorundem, & sic de aliis sine instantia: sed vniuersale & singulare, opponuntur; ergo quot sunt singularia, tot vniuersalia.

Sexto. Genus est distinctum vniuersale à specie, quia ipsum genus de speciebus prædicatur, species verò de indiuiduis. Sed datur differentia, quæ de speciebus prædicatur, & vocatur generica, vt sensitiuum de homine, leone, &c. & specifica, quæ prædicatur de indiuiduis, vt rationale de Petro, Paulo, &c. ergo sicut genus, & species duo constituunt vniuersalia, sic differentia generica, & specifica duo alia constituere debent. Idem dici posset de proprio, quod pariter est genericum, & speficicum.

Septimò. Quod sint pauciora. Quot sunt prædicata tot sunt prædicabilia, quia prædicatum non videtur aliud à prædicabile; nisi quod actualiter prædicetur. At prædicata ipsa ab Aristotele 1. Top. cap. 3. assignantur solum quatuor nempè Definitio, Genus, Proprium, & Accidens, ergo.

Octauo. Quæ eodem modo prædicantur non sunt distincta vniuersalia, vel prædicabilia, sed genus, & species prædicantur eodem modo, videlicet in quid, ergo.

Pro resolutione sit primò notandum, quod vniuersalia hæc secundæ intentionis ideò inuenta, & ad hunc ordinem, atq; numerum redacta fuerunt, vt eis loco rerum in scientiis, atque sermonibus vti possimus, quamobrem si de naturis quibusdam loqui velimus facilè, & breuiter id efficimus per hæc, quod alioqui efficere non possemus; vt si sub aliquo communi quamplurima contineri ostendere velimus, ea enumerare difficilè, & fortè etiam impossibile esset, quemadmodum si hominem, leonem, equum, &c. Sed si dicamus omnes species cuiusq; generis sub ipso contineri, facilè intentum consequimur. Quamobrem de ratione horum vniuersalium est, quod sint limitata, & sic transcendentia vt ens, bonum, verum, aliquid, &c. excluduntur, ipsa etenim cum omnibus conueniant, nullam poterunt peculiarem admittere distinctionem, & sic licet vniuersalissima, vel communissima sint; inter hæc connumerari nequeunt.

Aliud notandum, quod genus, species, & differentia, debent esse vniuoca pro connotatis, aliter non fundarentur in re, sed in nomine, ita videlicet, quod animal, quod est genus, vniuocè de homine, leone, & aliis dicatur. Pariter homo, qui est species eodem modo dicatur de hoc, & illo homine, & similiter rationale, quod est differentia. At proprium, & accidens, cum respiciant id cuius sunt veluti subiectum non sic dicuntur vniuocè, sed vniformiter; ita vt proprium quodcunque æqualiter respiciat suum subiectum, & vnumquodque accidens suum, quæ vniformitas, si largè vocaretur vniuocatio, esset secundum vsum modernorum, licet non penitus secundum veritatem.

Tertio notandum, quod prædicabile, prædicatum, & prædicamentum differunt; nam prædicabile est, quod dicitur de pluribus &c. prædicamentum, est ordinatio rerum vniuersalium secundum debitam prædicationem, & subiectionem vsque ad indiuidua, vt melius suo loco dicetur. Sed prædicatum rigorosè sumptum dicitur ab Aristotele 1. Topic. cap. 2. 3. & 4. quod sumitur in propositione dialectica ordinata ad dialecticum syllogismum; in quo vniuersales propositiones sunt præcipuè, & sic dicitur prædicatum respectu subiecti, quod in propositione est terminus communis, vt homo est animal, &c. quæ verò sunt singularium, sic non dicuntur. Verùm si æthimologia spectetur, prædicatum est, quod actualiter dicitur de subiecto, vnde non tantum prædicabilia, sed etiam singularia includit.

Quartò notandum, quod sufficientia prædicabilium sumi potest, & ex modis essendi, & ex modis prædicandi. Ex modis essendi sic. Quicquid in rerum natura natum est conuenire pluribus, vel dicit partem essentiæ illorum, ita videlicet, quod sit ad illa contrahibile, & in potentia, quasi materia, & sic est genus, vt animal respectu hominis, &c. Vel dicit totam singularium essentiam completam, & sic est species; Vel est aliquid, quod ipsum genus, vel materiam restringit ad illam essentiam specificam, & est differentia; Vel ab ipsa specie necessariò, & conuertibiliter fluit, & est proprium; Vel denique prouenit ex ipsa natura, sed non necessariò, neque conuertibiliter, & sic est accidens. Quæ distributio, & sufficientia non tantum respectu substantiæ, sed etiam ipsorum accidentium sumi possunt; nam in vnoquoque prædicamento omnia hæc quinque reperiuntur, vt in qualitate verbi gratia qualitas ipsa est genus, scientia est species, euidentia est differentia, excludere errores est proprium, esse in hoc, vel illo est accidens, quæ omnia sint causa exempli. Ex modo prædicandi sic sufficientia sumitur, Omne quod prædicatur, vel prędicatur in quid, vel in quale. Si in quid, vel per modum partis, & est genus,

genus; vel per modum totius, & est species. Si in quale, vel essentiale, vel accidentale; si essentiale, est differentia, si accideutale, vel conuertibiliter, vel non conuertibiliter; primo modo est proprium, secundo est accidens. Quæ omnes positiones clarius elucescent in proprijs & singulis locis. Ex dictis facile est ad quæstionem respondere. Vnde sit hæc conclusio.

Concl. Vniuersalia sunt tantum quinque, neque plura, neque pauciora; patet, nam neque plures, neque pauciores sunt, vel cogitari possunt secundum veritatem modi essendi in pluribus, & de pluribus prædicandi. Ad Argumenta.

Ad primum dicitur, definitionem esse quid complexum, in qua clauditur genus, & differentia.

Ad secundum dicitur, ens esse transcendens, prædicabilia verò esse debent limitata.

Ad tertium dicitur, indiuiduum vagum indeterminate verificari de vno solo, nempè de hoc, vel illo, ideò non potest esse vniuersale. At indiuiduum secundæ intentionis reuera prædicatur de pluribus, sed solum denominatiuè, ita quod ei non respondet prædicatio exercita communis prædicati, & per hoc deficit à ratione vniuersalis; verbi gratia in his prædicationibus Petrus est indiuiduum, Paulus est indiuiduum &c. fit exercita prædicatio sic; Petrus est Petrus, Paulus est Paulus &c. Quare nulla erit communitas rei, sed solum intentionis, & sic ipsum indiuiduum erit species, & vniuersale quoddam secundæ intentionis, non autem primę; immo quamplures aliæ huiusmodi sunt species, vt syllogismi, definitionis, diuisionis, &c. quæ tamen fundantur in primis intentionibus, non autem sub ratione alicuius naturæ communis, & sic sub istis vniuersalibus non continentur, sed seriem secundarum intentionum respiciunt.

Ad quartum dicitur, existentiam esse idem cum illo cuius est, & sic non facit aliquod diuersum prædicabile. Vel dicatur, existentiam esse solum singularium, pro vt singularia sunt, vnde prædicatio vniuersalis sibi non conuenit.

Ad quintum dicitur, tot modis dici vnum oppositorum, quot, & alterum, quo ad significationem, non quo ad supposita, vel singularia; ita videlicet, quod sicut datur fælicitas animi, sic quoque infælicitas, & sicut dantur diuitæ, ita paupertas; non autem oportet, tot esse fælices, quot infælices, vel tot diuites, quot pauperes. Sic non opus est, tot esse vniuersalia, quot particularia.

Ad sextum, respondetur, genus, & speciem non esse propter hoc distincta prædicabilia, quod vnum de pluribus, aliud de paucioribus prædicetur, sed quia genus dicit partem essentiæ materialem, species totam, quod non accidit differentijs, vtraque enim partem formalem dicit. Sic proprium eadem ratione prædicatur.

Ad septimum patuit in tertio notabili; atque dici potest, in definitione includi speciem, vt rem definitam, & genus, & differentiam, vt partes definientes, & sic in eundem numerum recidunt.

Ad octauum dicatur sicut ad sextum, nempè differre genus & speciem, non per modum dicendi in quid, sed in ratione partis, & totius.

De Genere.

CAPVT I.

Videtur autem, quod neque genus, neque species vnico tantummodò dicantur, sed pluribus (quare prius de ipsis distinguendum, quam determinandum est, quod in hoc capite de Genere efficiemus, in sequenti autem de specie) Genus itaque tripliciter dicitur. Vno modo dicitur genus collectio aliquorum quodammodo se habentium ad vnum aliquod principium, & pariter ad se inuicem; (ita videlicet, quod ab vno principio ortum habuerint, & inter se cognationem aliquam, vel leges, vel Religionem retineant,) secundum quam significationem dicitur genus Romanorum, ab habitudine vel dependentia vnius principij (dico autem Romuli) & à connexione multitudinis ipsorum Romanorum, qui habent aliquo modo adinuicem eam cognationem, quam ab illo (scilicet à Romulo) traxerunt; atque dictum est genus secundum diuisionem quam ab alijs generibus habet; Romani namque, pro vt ab vno principio descendunt, & inter se prædictam habent cognationem ab alijs populis, vel generibus distinguuntur. Tres ergo conditiones ad hoc genus requiruntur; prima quod sit ab vno principio, secunda quod sit inter ea, quæ cognatione, lege, vel Religione sint colligata; tertia, quod ab alijs generibus distinguatur; quæ fortè est potius appendix, vel sequela; quamobrem solum inter homines propriè hoc genus reperitur, & à quibusdam vocari solet genus ciuile. Secundo modo dicitur genus, quod est vniuscuiusque generationis principium, vel ab eo qui genuit, vel ab eo loco in quo quis genitus est; & sic ratione generantium, pater, & mater genus dicuntur; ratione loci, patria; vnde in ordine ad Patrem Orestem dicimus à Tantalo habere genus. Hylum autem ab Hercule. At in comparatione ad patriam, Pindarum quidem Thebanum esse genere, Platonem verò Atheniensem dicimus: & sic patria principium quoddam est cuiusque generationis, quemadmodum pater, vel mater. Horum autem duorum prædictorum generum, huius nuper dicti est propryssima, vel principalissima significatio: quia aliud ab hoc dependet, nam Romani ideo dicuntur genus, quia descendunt ex genere Romuli, & Cecropidæ, qui à Cecrope, & sic de alijs. Amplius prius dicitur genus, quod est vniuscuiusque generationis principium, & ab ipso postea multitudo, quæ à tali principio prouenit genus apellatur, vt Romani à Romulo, quam quidem collectionem diuidentes, & ab alijs separantes genus (vt etiam dictum est) appellamus, & hoc genus secundo modo dictum à nonnullis dicitur Physicum, quatenus est naturalis origo eorum, quæ ab ipso dependent. Tertio modo dicitur genus cui supponitur species, vt animal est genus hominis, quia ipsi animali homo vt species, vel eius inferius supponitur (& dicitur genus logicum) & fortasse ad similitudinem duorum prædictorum, nam sicut genus secundo modo dictum est principium multorum, ita hoc est principium multarum specierum, quæ sub ipso sunt, & quomadmodum genus primo modo continet collectionem, vel multitudinem, sic istud specierum pariter, quæ sub ipso sunt multitudinem continet. Tripliciter ergo cum dicatur genus, solum de tertio apud Philosophos est sermo, de alijs distinctionis gratia determinatum sit. Hoc autem Antiqui describentes dixerunt. Genus est quod de pluribus, & differentibus specie in eo quod quid est prædicatur, vt animal de Homine, Leone, &c. Quæ quidem generis assignatio vt clarius elucescat: sciendum est, quod eorum quæ prædicantur, quædam de vno solo dicuntur, sicut indiuidua, vt Socrates, hic, hæc hoc, &c. alia verò dicuntur de pluribus, vt genera, species, differentia, propria, & accidentia, quæ communiter non autem propriè alicui accidunt: & exemplificando, genus est vt animal, color: species, vt homo, equus: differentia, vt rationale, irrationale: proprium vt risibile, hinnibile: accidens, vt album, nigrum sedere, iacere, Istis habitis, nunc prædi-

ctam generis assignationem esse bonam ostendamus, supponendo hoc, eam esse perfectam alicuius notificationem, quæ sic illius naturam explicat, vt ab omnibus alijs distinctum appareat. Habuimus itaque in prima particula, quod genus prædicetur de pluribus, & per hoc differt ab indiuiduis, quæ de vno solo prædicantur: Differt etiam per alias particulas ab alijs vniuersalibus, quæ de pluribus quoque prædicantur, & per illam particulam (differentibus specie) à specie differt, quæ licet prædicetur de pluribus, non tamen de speciebus, sed de indiuiduis, vt homo de Socrate, & Platone, qui non specie differunt, sed numero: animal verò cum sit genus de homine, & boue, & æquo prædicatur, qui differunt à se inuicem specie, non numero solum. Per eandem particulam (differentibus specie) differt à proprio, quod de vna sola specie, & eius indiuiduis prædicatur, vt risibile de homine, & de particularibus hominibus. Per illam particulam (in eo quòd quid est) differt à differentia, & ab accidentibus communibus, quæ prædicantur in quale, licet etiam prædicentur de pluribus differentibus specie. Quod verò genus in quid, hæc autem in quale prædicentur, probatur: nam prædicari in quid est conuenienter respondere interrogantibus per quid; quare si quæratur, quid est illud quod prædicatur de specie, respondebimus genus, vel quid est homo, respondebimus animal, non autem respondebimus per differentias, aut accidentia, vt neque dicemus ad prædictam interrogationem esse rationale, vel albũ. Quod autem hæc prædicetur in quale, probatur, nam ritè per ipsa respondebimus interroganti per quale, vt interroganti quale quid est homo, dicimus, quod rationale, & quale quid est ceruus, dicimus, quod nigrum: est autem rationale quidem differentia, nigrum verò accidens. Epilogando itaque ea quæ diximus. Genus differt ab indiuiduis per prædicari simpliciter de pluribus, à speciebus, & proprio, per prædicari de pluribus speciebus per prædicari in quid à differentijs, & communiter accidentibus: Hæc namque in quale, vel quomodo se habet prædicantur. Nil igitur superfluum, vel diminutum prædicta descriptio notificationis generis continet.

Genus esse dicentibus, quod de pluribus, &c.

QVÆST. I.

An in definitione generis definiatur intentio, aliquid, vel res.

QVod non definiatur intentio probatur; Quod ibi definitur est de quidditate, vel essentia speciei realis; at nulla intentio sic esse potest, ergo; minor est nota; probatur maior; nam clarè patet, quod genus non est de essentia speciei secundę intentionis, aliter hæc propositio esset vera, & quidditatiua, species est genus.

Amplius species adinuicem disparatæ sic se habent, quod vna non prædicatur de alia, & præcipuè quidditatiuè; sed genus, & species sunt species disparatæ ipsius vniuersalis, vt visum est, ergo. Denique, exempla Porphyrij sunt semper de rebus realibus, nempè de animali, &c.

Pro intelligentia sciendum est, quod genus, & quælibet alia secunda intentio possunt considerari dupliciter, vno modo formaliter, & abstractè; alio verò materialiter, & concretè; primo modo considerantur si simpliciter eius natura, vel entitas perspiciatur, sicut si consideraretur albedo, nulla habita consideratione de subiecto. Secundo modo considerantur, prout habent ordinem, & fundamentum in natura, quam videlicet (veluti naturalis imago) nata est repræsentare; in qua quidem consideratione, ipsa natura realis non est quasi pars intentionis, ita vt ex vtraque fiat ens per accidens, sed est fundamentum eius quo ad existentiam, & terminus, quo ad cognoscibilitatem. Exemplum erit satis accomodum de artificialibus imaginibus, si etenim ipsę secundum quod cælos figuræ his, vel alijs lineamentis dispositæ sunt, considerentur, erit formalis, & abstracta contemplatio; at quatenus sunt huius, vel illius imagines, erit concreta, atque omnia, quæ imagini tribuentur, de illo cuius sunt imagines verificabuntur; atque actus prædicationis signati inter intentiones secundas in primis exercebuntur. Et quoniam præcipuus harum intentionum finis est ad res naturales repræsentandas, sicut alibi diximus, cõsequens est, vt hoc quoque pacto considerentur, aliter finis intentus non attingeretur. Sit ergo conclusio.

In definitione generis definitur ipsum, pro vt secunda intentio concretiuè sumpta, probatur; nam illud à Logico definiri debet, quod per se considerat; sed considerat secundas intentiones, ergo, neque definit rem, & intentionem simul, quia esset aggregatum per accidens. Amplius; quod hic definitur vniuocè conuenit rebus omnium generum, vt substantiæ, quantitati, colori, &c. Sed nullum genus reale sic conuenit, vt notum est, ergo. Præterea, tantum illud definitur, cui per se primo inest definitio; sed in hac definitione sunt tantum intentionalia, vt prædicari in quid, &c. ergo. Ad Argumenta.

Ad primum dicitur, quod esse de essentia, vel quidditate contingit dupliciter, videlicet in actu signato, & in actu exercito, primo modo secundę intentiones sunt, vel esse possunt de quidditate rei, quia hoc est esse veluti signum, sed secundo modo nequaquam, & illo, non hoc modo dicimus se habere hanc definitionem, &c.

Ad secundum dicitur, quod si acciperentur species simpliciter abstractè, vera esset maior, & minor, at concretiuè, vtraque est falsa.

Ad tertium dicitur, ideò Porphyrium de rebus realibus exempla afferre, ne credamus intentiones illas puras definiri, sed modo prædicto, vnde hæc nostra positio ex eius doctrina elicitur, & corroboratur.

Genus esse dicentes, quod de pluribus, &c.

CAPVT II.

An definitio generis sit bona.

ARguitur primò, quod non. Omne accidens definitur per substantiam ex 7. Metaphys. text. 4. At genus ipsum est accidens quoddam intentionale, & tamen in eius definitione nulla apponitur substantia, ergo.

Secundò. Nullum concretum definitur ex 7. Metaphys. tex. 2. Genus autem est concretum, vt supra declaratum est, ergo.

Tertiò. Definitio est solius speciei, genus non est species, ergo; Probatur maior, nam quod definitur constat ex genere, & differentia, hoc autem est sola species.

Quartò. Omnis definitio debet dari per priora, nempè per partes, vel causas, hæc autem datur per speciem, quæ est ipso genere posterior.

Quintò. A Porphyrio ipso in calce capitis descriptio vocatur, ergo non est definitio.

Circa hanc quæstionem sit primò notandum, quod optima definitio, & præcipuè ea, quæ modo logicali datur debet constare ex genere proximo, & differentia;

ratio

ratio est, quia internam naturam ex partibus propinquis constantem explicare debet, quamobrem si genera remota, vel remotas differentias sumeremus, ipsam non explicarent, vt si definientes hominem, diceremus esse substantiam sensitiuam, insufficiens esset definitio; verùm est tamen, quod dum differentiæ sunt incognitæ supplentur per proprietates, & ideò etiam à pura definitione declinant; & in ipsis definitionibus veris licet ponatur solum propinquum genus, alia tamen includuntur, & subintelligenda sunt, vt licet in definitione hominis ponatur pro genere animal, tamen includitur viuens, corpus, & substantia; immo cognosci etiam debent, vt patebit in lib. Post.

Aliud notandum, quod sicut in entibus realibus genera realia tam remota, quam propinqua reperiuntur, nec non etiam transcendentia, ita quoque in entibus rationis, vt prius diximus, & sic suo modo definitiones illic, atque hic ex genere, & differentia constare debent; & per consequens vtrobique sola species definitur, quæcunque autem sit, siue videlicet specialissima, siue subalterna, nihil refert, vnde simplices entitates nullibi definiuntur.

Tertiò notandum, quod hæc definitio, de qua loquimur est essentialis, & quidditatiua, quæ vel includit simpliciter genus, & differentiam, & vocabitur purè quidditatiua, vel præter hæc ad maiorem intelligentiam aliquid additur, & dicitur quidditatiua cum additamento, quo pacto accidentia ferè omnia tam realia, quam rationis definiuntur, quia non benè sine subiecto intelligi possunt. Ilis sic declaratis de mente Scoti ponitur hæc conclusio.

Definitio generis est quidditatiua cum additamento. Probatur prima pars. Illa est vera, & quidditatiua definitio, quæ prædicatur per se, & conuertibiliter, non autem vt proprium de re definita; sic autem se habet definitio generis, nam omnia, quæ definitionem ipsam integrant simul sumpta cum genere conuertuntur, & nullum ipsorum est proprium, vt intuenti patere potest, ergo. Amplius, in ipsa est genus nempè vniuersale (quod subintelligi debet) & differentia, nempè prædicari de pluribus speciebus in quid. Præterea. Porphyrius in capite de specie vocat hãc definitionẽ simul cum illa speciei rationem, quæ idem valet, quod definitio. Amplius. Ea est vera definitio, quæ datur ex prædicatis per se, nec in ipsa ponitur per se subiectum, (sicut accidit in definitione passionum) ex 7. Metaphys. tex. 11. & 13. hæc autem sic se habet, ergo. Probatur secunda pars, nempè, quod ibi sit additamentum; nam species cõcretiuè sumpta, quæ ponitur in eius definitione est quid additum, nec essentialiter pertinens ad naturam generis, sicut nullum ens reale est de natura entis rationis; quod autem species accipienda sit concretiuè ex eo patet, quia genus solum de speciebus realibus verificatur, vt olim dictum est; At quatenus vtrumque est secunda intentio sunt relatiua, & per hoc mutuò in definitionibus ponuntur, vt dicetur in cap. de specie. Ad Arg.

Ad primum dicitur; duplex esse accidens, aliud quod immediatè in fieri, in esse, & conseruari à substantia dependet; & hoc per substantiam definitur: aliud est, quod licet fundamentum substantię requirat, tamẽ quia completur per intellectum non opus est, quod per substantiam definiatur, & sic se habet genus. Vel dicatur, subintelligi semper subiectum, quod intenditur in specie, vel in ipsomet genere reali, & fundamentali.

Ad secundum dicitur; duplex esse concretum, nempè ex partibus diuersarum naturarum, quod est aggregatum per accidens, vt album nigrum, &c. & hoc non definitur, quia vnam naturam non dicit. Aliud est concretum ex partibus, vel requisitis ad eandem naturam, vt homo, animal (cuius abstracta sunt humanitas, animalitas, &c.) & hoc definitur, atque sic est concretum genus; quia natura, quam concernit, ad ipsum per se pertinet.

Ad tertium negatur minor; nam genus est species vniuersalis, vt visum est; sed quæritur, an sit species specialissima, vel subalterna, respondetur, esse specialissimam; quoniam quatenus genus secundę intentionis est, prædicatur de hoc, & illo genere; quæ solum numero differunt; nam sunt intentiones singulares in singularibus intellectibus existentes, quamuis in modo repræsentandi vniuersales sint.

Ad quartum dicitur, eam partem, quæ est additio in definitione posse esse posterius, quia non est pars principalis. Vel dicatur esse ipsius generis correlatiuum, quod non est esse posterius.

Ad quintum dicitur, descriptionem esse terminum genericum, vel communem, qui etiam de definitione dicitur, atque idem valet, quod explicatio, vel notificatio; & si quandoque sumatur pro definitione accidentali, quæ acceptio est in vsu, prout magis communia aptantur, veluti propria nomina, particularibus; sic animal simpliciter loquendo de irrationali dicitur, quamuis, & rationalis sit quoque animal.

Etenim principium quoddam, &c.

QVÆST. III.

An genus sit principium specierum.

ARguitur primò, quod non. Principium non prædicatur de principiato, sicut neque pars de toto, vt patet, nam falsum est dicere, homo est anima, vel homo est materia, at genus prædicatur de specie, ergo nec pars, nec principium eius erit. Item. Totum est potius principiatum, quam principium, sed genus respectu speciei est totum, vt docet Porphyrius in cap. de specie circa finem, ergo. Amplius. Quando vnum est idem realiter cum alio, non potest esse principium illius, sed genus est idem cum speciebus, vt animal cum Homine, Leone, &c. ex 7. Metaph. text. 43. ergo. Probatur maior; nam idem esset principium sui ipsius. Pro responsione sciendum est primò, quod genus, & species hic accipi debent pro substrato, seu pro generibus, & speciebus realibus, vt pro animali, homine, &c. nam pro vt sunt secundę intentiones vnum non est principium alterius, sed æqualiter species vniuersalis disparatæ, & si ad inuicem referantur. Aliud sciendum, quod duplex est essentiale principium speciei, videlicet ex parte rei, quod nimirum est pars talis naturæ constitutiua, vt anima, & corpus in comparatione ad viuens, materia, & forma in ordine ad res compositas materiales, &c. Aliud est principium secundum rationem, vel abstractionem; ita videlicet, quod ex realibus illis principijs intellectus formet duos conceptus per modum concreti, quorum vterque natus sit repræsentare, vel significare totam illam speciem, hoc seruato discrimine, quod vnus ipsam significet per modum materiæ, vel entitatis potentialis, aliud per modum formæ, vel entitatis actualis, v. g. in constitutione hominis concurrunt anima rationalis, & corpus, intellectus itaque ex rationalitate ipsius animæ format rationale, & ex corpore simul cum anima concipiat animal, ita videlicet, quod tam rationale, quàm animal, per modum totius repræsentent hominem, vt dictum est. Cum ergo vtrumque totum diuerso modo repræsentent, non poterunt ab ipso realiter distingui, sicut è contra accidit de principijs in re ipsa; nam sunt simpliciter partes per modum partis, vnde totum præcedere debent, & ab ipso distingui. At si quis diceret; si hæc principia per intellectum fiunt, non attinebunt ad

speciem

speciem realem; sed potius ad intentionalem. Respondetur, id esse verum, si per comparationem intellectus fierent, sicut secundæ intentiones; sed fiunt per abstractionem, in qua non est mendacium, neque quod est reale, mutat naturam, vt euadat ens rationis, vt patet si abstrahamus albedinem à pariete; tunc enim est etiam eadem realis albedo, quia nil accipit ab intellectu, nihilvè de ipsius natura diminuitur, sed ex parte considerationis variatur modus, nempè abstrahendo. Sed contra; nam dictum est, quod accipitur genus, vel principium concretè, nunc autem dicitur esse abstractum; nonnè concretum, & abstractum opponuntur? Respondetur de rigore esse simpliciter concretum; nam à rationalitate, quæ est abstractum formatur rationale, vt ab albedine album; tamen dicitur abstractum secundum quid, pro vt ex ipsa rationalitate, v. g. intellectum trahit rationale, non magis abstrahendo, sed ab ipsa trahendo copulat, & facit concretum, ita vt concernat, & denominet ipsum hominem, atque idem accidit de animali in comparatione ad animam, & ad hominem. Nunc autem resolutio statuatur.

Genus est principium specierum. Probatur. Nam quod est essentiale principium cognoscendi, est etiam tale ratione constituendi, siquidem in hoc cognitio sequitur esse. Sed species, quæ solum vere definitur, vel essentialiter cognoscitur, sic se habet respectu generis, ergo. Amplius; quod est in potentia ad aliquid ad quod contrahi debet veluti materia ad formam, id est principium illius sicut materia rerum materialium; sed genus sic contrahitur ad speciem, vt patebit in cap. de Differentia, ergo. Est igitur ipsum genus principium specierum simul cum differentia, ita vt genus sit veluti materia, differentia veluti forma. Ad Argumenta.

Ad primum dicitur, principium ac partem inexistendo, seu in re, & non sumptam per modum concretionis, re uera non prædicari de toto, sed principium rationis, & concretum aliter se habere, nam in concretione supponit pro toto, vt animal pro habente animam.

Ad secundum dicitur, genus in ratione prædicandi esse totum, quatenus est magis vniuersale, quam species; sed in definiendo est pars; etiam dici posset, esse totum potentiale, & partem essentialem. Idem namque diuersa ratione potest esse totum, & pars.

Ad tertium dicitur, maiorem esse veram de principio ex parte rei simpliciter, non autem de eo, quod per rationem assumitur.

Genus autem non de vna specie prædicatur, &c.

QVÆST. IV.

An genus necessariò requirat multas species.

Arguitur primò, quod sic. Quod ponitur in definitione alicuius ei necessariò conuenit, sed plures species in definitione ponuntur, ergo eas requirit.

Secundò. Genus est diuisibile per duas differentias, quarum vtraque est constitutiua speciei, ergo duas alteram requirit.

Tertiò. Aristot. 4. Top. cap. 1. Si species prædicatur de æqualibus cum genere, interimitur; si itaque genus vnam tantum speciem requireret, de tot ipsum prædicaretur, de quot prædicatur species.

Pro intelligentia sciendum est, quod genus plures requirere species potest intelligi tripliciter, scilicet secundum actum, secundum potentiam, & secundum aptitudinem; secundum actum esset, si verbi gratia sub animali necessariò essent plures species animalis ponendæ, ita vt si esset vna tantum, natura ipsius animalis generica destrueretur; secundum potentiam intelligitur, quod ex sua natura necessariò possit esse in pluribus speciebus, & si esse non posset, naturam generis amitteret. At secundum aptitudinem, quod habeat inclinationem, vel naturam, quæ pluribus communicetur. Differt autem potentia ab aptitudine, quia potentia dicit ordinem ad actum, ita videlicet, quod ad ipsum reduci potest; sed aptitudo hunc actum non respicit; quamobrem multa habent potentiam, & non aptitudinem, & multa aptitudinem, & non potentiam; vt lapis habet potentiam vt feratur sursum, non tamen aptitudinem, nam cum sit grauis, eius aptitudo est ad motum deorsum; e contra cæcus habet aptitudinem, non autem potentiam ad videndum. Sed obseruandum est, quod si potentia accipiatur pro quacunque non repugnantia, verissimum est, quod diximus, & exempla sunt ad propositum. Si verò accipiatur pro facultate naturali, tunc omnis potentia est aptitudo, non autem è contra, non etenim imaginabile est, aliquid verè posse, & non habere aptitudinem ad id, quod potest. Aptitudo verò dicit solum capacitatem fundamentalem in natura; ideò si ei aliæ conditiones, vel dispositiones ad operandum deficiant, à ratione potentiæ deficit. Quibus habitis ponuntur quatuor conclusiones.

Prima. Genus actu non requirit multas species. Probatur, nam si solus homo esset in Mundo, in eo tota & perfectissima ratio, & natura animalis saluaretur; de natura etenim eius est, quod sit substantia animata sensitiua, & non aliud.

Secunda. Genus in potentia necessariò requirit multas species. Probatur. Quia cum ipsum genus sit communicabile pluribus, atque in natura non deficiant causæ agentes, & redu[...]ntes, & disponentes aliquod ad actum ad quem ordinatur; per ipsas fit necessariò potens, vt plurificetur, & sic habet hanc necessariam potentiam ad plures.

Tertia. Genus aptitudinaliter plures requirit species. Probatur, quia ei hoc non repugnat, in definitione ipsius ponitur, & à Porphyrio passim confirmatur, præsertim in cap. de specie. Amplius. Omnis naturalis potentia includit aptitudinem, vt declaratum est, sed genus habet potentiam, ergo aptitudinem. Præterea. Vniuersale definitur per aptum esse in pluribus, genus est vniuersale, ergo ei hæc aptitudo respectu specierum in ordine ad quas dicitur vniuersale conuenit.

Quarta. Tres prædictæ conclusiones possunt tam de genere primæ, quam secundæ intentionis verificari. Probatur, nam secunda intentio in hoc à prima dependet. Præterea. Definitur, & assignantur requisita generis secundæ intentionis, quatenus sunt applicabilia primis, ergo indifferenter applicari debent. Id autem quod diximus de speciebus, de differentijs ipsarum intelligi etiam potest. Ad Argumenta.

Ad primum dicitur, in definitione intelligendum esse secundum actum. Eodem modo dicatur ad secundum, & ad tertium.

De Specie.

CAPVT II.

Species dicitur dupliciter, vno modo de forma, seu pulchritudine, cuiusque secundum quam dictum est, prima, vel præstantissima quidem species digna est imperio. Secundo modo dicitur species ea natura, quæ sub aliquo determinato genere ponitur, secundum quam, hominem

minem speciem animalis, & ipsum animal genus appellare solemus, pariter albedinem speciem coloris, & triangulum figuræ dicimus. At si quis dicat, in assignatione generis facta fuit mentio de specie, dum scilicet dictum fuit, quod de pluribus speciebus prædicatur; & nunc in definitione speciei de genere quoque meminimus, dicentes, speciem esse sub determinato genere; quod fieri non potest, nam idem non potest definiri per aliud, & è contra, quia esset nugatio, & idem notius, & ignotius, si quidem definitio est notior, definitum ignotius. Respondetur, quod cognoscere oportet, genus, & speciem esse correlatiua, vtrumque vtriusque; nam genus est speciei genus, & species generis species; idcircò necesse est in definitionibus vtrorumque, vtrisque vti; nam relatiua ipsa mutuo se definiunt, neque in ipsis est inconueniens secundum diuersam rationem idem esse notius, & ignotius.

Assignant etiam speciem sic. Species est, quæ ponitur sub genere, & de qua genus in eo, quod quid est prædicatur. Amplius antem sic quoque. Species est, quæ de pluribus, & differentibus numero in eo, quod quid est prædicatur. Sed hæc assignatio est solius speciei specialissimæ, aliæ verò duæ sunt etiam subalternarum. Id autem quod dicitur, manifestum erit hoc modo. In vno quoque prædicamento, sunt quędam generalissima, quædam specialissima, & quædam intermedia, quæ dicuntur species, & genera. Est autem generalissimum quidem supra quod non est aliud superueniens genus. Specialissimum autem est post quod non est alia inferior species. Inter hæc autem sunt subalterna, quę respectu diuersorum sunt simul genera, & species. Fiet autem quod dicimus in prędicamento substantię manifestum. Substantia itaque sit genus, sub ipsa sit corpus, sub corpore viuens, sub hoc animal; sub animali rationale animal, sub hoc homo, sub homine Socrates, & Plato, & alij particulares homines. Horum igitur substantia est generalissimum, homo specialissimum, ac corpus est species substantiæ, & genus viuentis; viuens est species corporis, & genus animalis, rursus animal est species viuentis, & genus rationalis animalis; sed animal rationale est species animalis, & genus hominis; homo verò species est quidem rationalis animalis, non autem genus particularium hominum, vnde erit solum species, non autem genus; idem dicatur de quocunque alio, quod ante indiuidua propinquè prædicatur. Quemadmodum ergo substantia cum suprema sit est generalissimum, sic homo cum infimum sit, ita vt in alias species non diuidatur erit solum species, vel specialissimum; diuiditur namque solum in indiuidua. Indiuidua autem sunt Socrates, Plato, hoc album, &c. Alia verò intermedia sunt species eorum, quæ ante ipsa sunt, & genera eorum, quæ sunt sub ipsa. Quare hæc subalterna ad superiora, & ad inferioru referuntur. Generalissimum autem ad inferioru tantum refertur. Specialissimum pariter solum ad superiora habitudinem habet; nã respectu indiuiduorum, de quibus dicitur, non habet aliam rationem, ita vt propter hæc dicatur genus, sed semper est species, tamen in comparatione ad ipsa dicitur continens, sed in ordine ad sua superioru dicitur contentum.

Determinatur itaque generalissimum, quod non potest esse species, nec habet aliud genus supra se. Specialissimum, quod nõ potest esse genus, nec habet aliam speciem sub se. Intermedia verò (quæ dicuntur subalterna) possunt esse genera, & species respectu diuersorum, vt dictum est: quemadmodum in familijs, aliquis est pater tantùm, & assimilatur generalissimo: quidam est, solus filius, & comparatur specialissimo, alij sunt patres, & filij, & habent similitudinem cum subalternis, vt Iouis fuit pater Tantuli, hic autem Pelopis, hic verò Atrei, & tandem hic Agamennonis. Hoc tamen differt, quod in familijs plerique ad vnum solum omnes reducuntur, vt in præcedentibus ad Iouem; in generibus verò, & speciebus non est vnum commune genus, neque si assignaretur ipsum ens: sed posita sunt (vt dicit Aristoteles) prima decem genera, quasi prima decem principia. Quæ quidem decem principia, & si quis omnia dicat esse ens, tamen ipsum ens non erit eis commune genus, & vniuocum, sed sub hac ratione æquiuocè nuncupabitur. Si enim vnum omnium veluti genus esset ens commune, vniuocè omnia sub ipso continerentur, cum autem sint decem prima, communitatem secundum nomen solum habebunt. Decem igitur generalissima quidem sunt; specialissima verò determinata sunt, non autem infinita. Indiuidua autem sunt infinita. Quapropter Plato iubebat, vt ij, qui ex generalissimis ad specialissima per differentias specificas diuidentes descendebant, in specialissimis quiescerent, ita vt ad indiuidua non deuenirent; nam cum infinita sint, relinquenda sunt, neque eorum potest esse scientia. Dum igitur ex generalissimis ad specialissima descenditur, ex vnitate ad multitudinem itur, quando autem ex ipsis specialissimis ad generalissima proceditur, multitudo in vnum colligitur, species namque est collectiua multorum in vnam naturam, & multò magis genus, at particularia è contra, id quod est vnum in multitudinem diuidunt, quare participatione speciei plures homines sunt vnus homo, & in comparatione ad particulares, vnus homo est plures homines. Cùm ergo quid sit genus, & quid species determinauerimus, atque dictum etiam sit, quod vnum genus plures requirat species, nunc obseruare debemus, quod genus quidem semper de specie prædicatur, sicut omnia superiora de suis inferioribus, species autem de nullo genere. Oportet enim omnem conuenientem prædicationem esse vel æqualis de æquali, vt hinnibilis de equo, vel maioris de minoribus, vt animalis de homine: minoru verò de maioribus non ritè prædicabuntur: non enim benè dices animal esse hominem, quemadmodum hominem esse animal, quare prædicationes hæ inferiorum de superioribus sunt indirectè, & vanæ, nisi superius restringatur, vt quoddam animal est homo. Est etiam hoc obseruandum, quod de quibuscumque species prædicatur, de eisdem prædicabitur etiam genus, tàm subalternum, quàm generalissimum, vt Socrates est homo, ergo animal, ergo viuens, ergo substantia: & sic species prædicatur de indiuiduis, genus subalternum de specie: & generalissimum de omnibus, puta de generibus subalternis, de speciebus, & de indiuiduis. Indiuiduum autem de vno solo particulari; quod quidem erit, Socrates, hoc album, & hic veniens Sophronisci filius, si solus, vel vnicus sit ei filius, nempè Socrates, v. g. si enim essent plures, non esset filius eius indiuiduum, quare est tale ex suppositione. Indiuidua autem dicuntur talia, quoniam vnumquodque eorum ex talibus aggregatis simul proprietatibus consistit, vt hæc horum proprietatum collectio nunquam in aliquo alio eadem erit: Socratis namque proprietates nunquam in aliquo alio particulari eædem erunt. Eæ verò proprietates, quæ sunt speciei, ut hominis in communi, erunt eadem in pluribus, videlicet in omnibus hominibus particularibus, quatenus homines sunt. Indiuiduum igitur continetur sub specie, species autem sub genere. Genus ergo est totum respectu

specie-

specierum pars; at species est pars respectu generis, & totum in comparatione ad indiuidua; & quatenus est pars dicitur alterius; prout est totum dicitur non alterius, sed in alijs, nempè in indiuiduis, uel partibus.

De genere igitur, & specie, & quid generalissimum, & quid specialissimum, & quæ genera eadem, & species sint, quæ etiam indiuidua, & quot modis genus, & species dicantur, sufficienter dictum est.

QVÆST. I.

An species sit benè definita.

ARguitur primò, quod non. Vnius rei est vnica definitio, ex 6. Topic. quia definitio explicat essentiam, quæ est vna tantum vnius. Cur ergo tres, vel duæ saltem à Porphyrio traduntur?

Secundò. Definitiones, quæ repugnant rei definitæ non sunt bonæ. Sed illæ duæ primæ ipsius speciei sibi repugnant, ergo. Probatur minor. Nam de essentia, seu natura speciei est esse vniuersale; & per consequens prædicari de pluribus, & in duabus illis definitionibus ponitur subijci, vel poni sub, quod opponitur ad prædicari.

Tertiò. Illæ duæ primæ difinitiones, vel non differunt inter se, vel tota prima continetur vt pars in secunda, ergo vna ipsarum est superflua.

Quartò. Contra tertiam definitionem. Relatiua mutuo se definire debent, genus, & species sunt relatiua, vt docet Porphyrius in litera, & tamen in hac definitione nulla fit mentio de genere, ergo.

Quintò. Multæ sunt species, quæ non prædicantur de pluribus singularibus, vt Sol, Luna, Phęnix, Mundus, &c. & multa de his prædicantur, quæ non sunt species, vt anima, (quæ est pars speciei) prædicatur de hac, & illa anima; punctum (quod est terminus) de hoc, & illo puncto; priuationes, quæ non habent esse positiuum, quare nec reale, nec specificum, vt cæcitas de hac, & illa cæcitate; Passiones (quæ sunt specierum effectus) de hac, & illa passione, &c. quare definitio præcedens est insufficiens, nempè non reciproca cum definito.

Sextò. Species non est prædicatum ex. 1. Top. ergo non prædicatur neque de indiuiduis, neque de alijs.

Septimò. Etiam genus de pluribus differentibus numero prædicatur, vt animal de hoc, & illo animali; pariter definitio, ergo non solum species.

Pro intelligentia sciendum est, quod duplicia sunt definibilia, nempè absoluta, & relatiua; quæ in hoc ad rem potissimum differunt, quod sicut natura, vel essentia absolutorum ad nullum ordinatur, sed in se sola est talis, sic ei respondebit definitio vnica tantùm, quæ ipsam explicet; at relatiua ipsa, quemadmodum plura correlatiua, quandoque respiciunt, sic plures possunt habere definitiones: quia possibile non est, relatiuum aliquod sine suo correlatiuo definire; vt duplum refertur ad multiplex, & ad simplum, æquale ad mediocre, & excedens, ideò diuersimodè explicari possunt.

Aliud notandum, quod id quod alteri directè, & immediatè subijcitur, ita vt prædicationem illius in actu exercito recipere potest, necessariò eius natura participat, vt quia Petrus subijcitur homini, & eius recipit prædicationem, erit verè homo. Denique obseruandum est, quod species ipsa est relatiuum secundæ intentionis, verificabile tamen in primis, quæ quidem duplicem includit respectum, nempè ad genus, & indiuidua, tanquam ad duo sua correlatiua, hoc tamen discrimine, quod ad genus referatur per suam peculiarem naturam, ita vt ipsum sit suum per se primum correlatiuum; ad indiuidua verò ratione sui generis, ita videlicet, quod de ipsis dicatur, quatenus est vniuersale; & vtroque modo semper includit vniuersale ipsum, vt partem essẽtialem, & genus per se, quod de ea in recto, & actu exercito predicatur, sic species est vniuersale; nam genus quod est de essentia sui inferioris, per quodcumque relatiuum auferri non potest. Quibus habitis, ponitur hæc conclusio.

Definitiones speciei sunt optimæ, ita vt primæ dentur in ordine ad genus, vltima in comparatione ad indiuidua, probatur; nam quælibet ipsarum per proprium correlatiuum assignatur, atque suum vniuersale includunt, & penitus ipsius speciei naturam explicant; hoc autem ad definitionem est satis. Sed animaduertendum est, duas primas definitiones non esse verè duas, sed secundam esse supplementum alterius, vt benè probat tertium argumentum; ita vt solum sint duæ definitiones. Prima erit hæc; Species est, quæ ponitur sub genere, & de qua genus in eo quod quid est prædicatur, quæ intelligi debet, per se, directè, immediatè, & actualiter, ita vt per illam particulam (per se) excludatur totum in modo, vt homo albus, homo niger, quod per se non ponitur sub genere, per illam particulam (directè,) excluduntur differentiæ, quæ lateraliter sub genere constituuntur; per particulam (immediatè) excluduntur indiuidua, quæ solum mediante specie sub genere collocantur; per particulam (actualiter,) seu formaliter excluduntur partes, vel passiones eiusdem speciei, quæ solum reductiuè sub genere sunt; quæ doctrina clarius habebitur in ordinatione predicamentorum: nunc pro ipsius speciei natura explicanda hæc sint satis. Sed remanet quædam dubitatio. Cur species non accipitur tripliciter, sicut genus; nonne sunt opposita? & quot modis dicitur vnum oppositorum, & aliud. Respondetur non esse opposita, nisi in tertia acceptione, & sic æqualiter dicuntur, vt genus, sicut dicitur generalissimum, sic species specialissima, sicut illud subalternum, ita hæc; vel quemadmodum datur genus substantiæ, sic species, &c. Aliæ acceptiones generis sunt æquiuocę, neque relatiua, sed potius nomina absoluta, & ad placitum. Ad Argumenta. Concl.

Ad primum patet, quomodo relatiua plures habere possint definitiones.

Ad secundum respondetur, quod subijci vniuersali, est esse essentialiter vniuersale, vt subijci animali est esse animal, licet non tàm amplè, vt dictum est, & sic materialiter subijci, & prædicari diuersa ratione non opponuntur, licet sub illa formalitate terminorum repugnantia aliqua appareat.

Ad tertium iam dictum est, secundam esse alterius complementum.

Ad quartum dicitur, in illa definitione supposita relatione ad genus, attenditur altera relatio ad indiuidua, in ordine ad quæ alia assignatur definitio.

Ad quintum dicitur, de ratione speciei (sicut de quolibet alio vniuersali) non est, quod actualiter plura contineat, sed solum aptitudinaliter, vel per non repugnantiam, & sic se habent illæ prædictæ, & aliæ species, quæ solum vnicum respiciunt actuale indiuiduum, in quo possunt saluari, eo modo, quo genus in vnica specie absque discrimine. Ad secundam partem respondetur, duplicem esse speciem, nempè physicam, & hæc constat ex partibus, atque vocatur propriè subijcibilis, & sic pręedicta, quæ posita sunt in secunda parte argumenti non sunt species. Alia est species logica, quæ videlicet prædicatur in quid de pluribus, & vocatur simpliciter species prædicabilis, & sic illæ sunt species.

Ad sextum dicitur, speciem non esse prædicatum, quod videlicet de alijs vniuersalibus dicatur, sed benè est tale respectu indiuiduorum.

Ad septimum dicitur, genus mediante specie de indiuiduis

diuiduis

diuiduis dici, non autem immediatè, vt species.

Ad aliam partem respondetur, definitionem esse prædicatum complexum; nos verò de incomplexis loquimur.

Participatione speciei plures homines sunt vnus homo.

QVÆST. II.

An hoc sit verum.

ARguitur primò, quod non. Si etenim verum esset, hæc propositio esset vera simpliciter, plures homines sunt vnus homo, quæ tamen est falsa; nam sua contradictoria est vera, nempè hæc, nullus homo est plures homines; tenet consequentia à parte in modo ad suum totum, vt hæc. Petrus est homo albus, ergo est homo; sic plures homines participatione speciei sunt vnus, ergo sũt vnus, quia per ly participatione denotatur solum modus, qui non aufert consequentiam simpliciter.

Secundò. Si prædicta propositio esset simpliciter vera, tunc homo, & alij termini vniuersales essent collectiui, quod etiam videtur dicere Porphyrius, habet namque collectiuum esse vniuersale, &c. at hoc est falsum; nam termini collectiui significant aggregationem diuersarum rerum, vel naturarum in vnum, & non vnam naturam simplicem, vt patet de istis Roma, Venetię, &c. termini autem communes vnam immistam naturam significant, vt homo humanam, &c.

Pro intelligentia sciendum est, quod vnum dicitur quinque modis, videlicet numero, specie, genere, transcendentia, & proportione. Vnum numero dicitur res singularis, vt Petrus, hic lapis, hæc albedo, &c. quod sic nuncupantur, quia singularitas, vel vnitas simpliciter est in natura principium numeri, vnde sensus est, vnum numero esse, quod ad numerum efficiendum ordinatur. At si quis diceret, nonnè potest etiam ex vnitatibus specificis, & genericis constitui numerum? vt equus leo, & ceruus nonnè faciunt numerum ternarium? pariter substantia, quantitas, & qualitas, & alia?

Cur ergo eadem de causa non dicuntur hæ vnitates numerales? Respõdetur, quod sicut res per intellectum abstractæ non habent, vt sic veram existentiam in natura, sic neque ea, quę super ipsas fundantur, dicenda sunt simpliciter talia; quamobrem licet alij numeri ab ijs, qui fiunt per singularia formentur, non erunt simpliciter numeri; sicut illę non sunt simpliciter vnitates, sed potius communitates, & per intellectum abstractæ. Vnum specie dicuntur ea, quæ in vna natura specifica quidditatiua, vel definibili conueniunt; vt omnes homines in natura humana, equi in equina, &c. Vel vnum specie est natura communis apta cõuenire pluribus singularibus immediatè, & quidditatiuè explicabilis, vt homo in vniuersali, equus, &c. Vnum genere est quoddam commune, quod pluribus diuersis speciebus natum est competere vniuocè, vt animal in ordine ad equum, leonem, &c. Et ea dicuntur vnum genere, quæ in tali generica natura conueniunt, vt equus, leo, &c. sunt vnum genere in animali. At vnum transcendentia est, quod rebus diuersorum generum aptatur, vt ens, res, aliquid, bonum, verum, & ipsummet vnum; hæc namque omnia sunt transcendentia, & rebus omnibus impertiuntur: & omnia hac participant vnitate. Sed vnum proportione est cõuenientia in aliqua habitudine, vel comparatione; vt os, & spina sic vnum dicuntur; quia sicut se habet os in animalibus terrestribus, ita spina in piscibus. At si quæratur, cur natura communis, quam in pręcedentibus posuimus, suam non ponit vnitatem? Respondetur, eam esse indifferentem ad vnitatem specificam, & ad numeralem, ideò ad vtranque reuocari potest; nam quatenus est simpliciter in natura, identificatur cum singulari, provt vero per intellectum complectur, ad vnitatem specificam reuocatur.

Aliud notandum, quod vnitates illæ sic se habent; quod maior omnibus est numerica, deinde specifica, postea generica, deinceps transcendentalis, & minima omnium proportionalis. Ratio est, quia eo magis sunt, & dicuntur aliqua talia, quo plus participant natura, vel definitione illius, quod eis appellationem tribuit; vt qui magis participarent definitionem, & naturam coloris, ij magis essent colores. At ratio, vel definitio, aut natura vnius est esse indiuisum à se, & diuisum à quolibet alio; quamobrem, quantò magis est indiuisum, vel singulare, eo plus est vnum, & sic patet, quod dicimus; nam incipiendo ab vno, quod est tale vnitate numerali, ad magis commune, minusque, per consequens indiuisum pergitur. Vnde in ordine consequentiæ, sic prædicta se habent, quod quæ sunt vnum numero, sunt vnum specie, genere, transcendentia, & proportione, loquendo in primis intentionibus, & pro connotato; nam in secundis, & formaliter contra distinguuntur; vt Petrus, qui est vnus numero, est etiam homo, animal, ens, & sibimet secundum diuersas partes, humores, vel temperiem, proportionalis, & si quoad hoc sit forsitan difficultas; Si autem è contra procedamus, non solum non se inferunt, sed erit falsitas, & consequentis error: non enim valet, est homo, ergo est Petrus; vel est animal, ergo est homo, sic neque rectè dicitur, sunt vnum specie, ergo numero, vel genere, ergo specie, &c. Quibus habitis ponitur hæc conclusio.

Prædicta propositio est vera. Probatur. Nam quęcũq; habent eandem definitionem per participationem speciei sunt vnum, eo quod definitio speciei est; sed omnes homines eandem habent definitionem, ergo. Amplius. Si in participando speciem plures homines non essent vnus, ergo essent plures, vel diuersi specie, & sic non omnes essent homines, quia qui specie differunt, eandem naturam specificam, vt humanam, ad propositum participare nequeunt. Ad Argumenta. Concl.

Ad primum negatur consequentia, ad probationem dicitur, ibi non argui à parte in modo ad totum, sed à consequenti ad antecedens, quare est consequentis fallacia; & ly participatione speciei abstrahit, vel alienat ab vnitate simpliciter, & sic non est modus, sed alienatio.

Ad secundum dicitur, terminos dici collectiuos dupliciter, nempè per aggregationem rerum diuersarum, & sic illi termini non sunt collectiui, alio modo per continentiam plurium inferiorum sub vna natura, & sic dici possunt. Verùm quia aliter hi possunt explicari, videlicet appellando eos communes, & vniuersales, hinc factum est, vt alijs appropriatè hæc denominatio relicta sit.

Indiuiduum autem de vno solo, &c.

CAPVT III.

An indiuiduum rectè assignetur.

ARguitur primò, quod non. Solum vniuersalia sciuntur, & definiũtur, ex primo Post. ergo indiuiduum neque scitur, nec definiri potest, & per consequens neque ritè assignari.

Secundò. Indiuiduum substantiæ, vt Socrates, v. g. nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto, & indiuiduum accidentis, vt hæc albedo licet sit in sobiecto, non

tamen

tamen dicitur de subiecto, vt habetur ex Arist. in secunda diuis. antepraedicamentorum, ergo nullum indiuiduum praedicatur, vel dicitur, neque de vno solo, quia sic verè de subiecto diceretur.

Tertiò. Si indiuiduum praedicatur de vno solo, in talibus propositionibus nullum assignari posset subiectum congruum, vnde propositiones non essent. Probatur consequentia; nam debitum praedicationis subiectum debet esse inferius, ita vt assimiletur materiae, sicut praedicatum assimilatur formę; at nil est inferius indiuiduo; nihilque potest esse simul forma, & materia sui ipsius, ergo ipsum de se ipso non praedicatur.

Pro intelligentia sit primò notandum; quod indiuiduum potest sumi dupliciter, videlicet formaliter, vel quatenus est secunda intentio applicabilis rebus realibus, & singularibus, & nihil aliud est, nisi illa ratio indiuisionis, quae in quolibet singulari reali fundatur; & hoc pacto est vniuersale, & definitur, quod praedicetur de vno solo. Alio modo accipitur connotatiuè, & realiter, nempè pro Socrate, Petro, &c. & sic nullo pacto definitur, quia quaecunque assignentur de Petro, vel sibi tribuuntur pro vt Petrus est, & sic sunt solum accidentia, vel alia, quae ad existentiam eius pertinent variabilia, & defectibilia sicut est ipsa existentia; scientia verò, vel definitio est inuariabilis, & aeterna, vel sibi tribuuntur, vt homo, & sic non ipse, sed natura humana specifica consideratur. Tamen praetereundum non est, quod etiam singularitas realis vniuersaliter sumpta assignari potest, quo pacto de principio reali indiuiduationis formantur difficultates, & quaestiones scibiles; at sic non est explicare hoc, vel illud particulare indiuiduum, sed pariter in communi; quod vt plurimum describitur, per diuersas proprietates, quae alicui singulari simul collectae conueniunt; vt si dicamus; Socratem esse Atheniensem, talis staturę, figurae, aetatis, morum, sapientiae, vocis, &c. Quae quidem descriptio in vniuersali recipitur, & a Porphyrio traditur; sed particularizata est defectibilis, sicut conditiones, vel dispositiones illae sunt auferibiles; vnde semper erit verum; quod singulare vel indiuiduum pro substrato non est desinibile. Quae quidem positio, vt melius intelligatur.

Sit secundò notandum, quod ad hoc vt aliquid sit verè, & pura quidditatiua definitione definibile, debet habere sex conditiones, nempè, quod sit reale, vniuersale, compositum, per se vnum, limitatum, & substantia. Debet esse reale, nam entia rationis per fundamentum definiri debent. Vniuersale, quia definitio attinet ad scientiam, quae solum de vniuersalibus est. Compositum, quia definitio est oratio ex partibus constans, quae in definito veritatem retinent. Per se vnum; nam entia per accidens, vt homo albus, vel homo niger vnam non dicunt naturam, quare nec vnicam, nec aliquam (pro vt talia sunt) habent definitionem. Limitatum, quia quod definitur habet genus, & differentiam, vnde est in genere, & in ipso limitatur. Substantia, quia accidentia definiuntur per subiectum, vnde eorum definitio non est purè quidditatiua, sed cum additamento; quamobrem definitiones omnes quibus aliqua harum deest conditio, vel sunt per additamentum, vel descriptiuae.

Tertiò notandum, quod indiuiduum sumptum intentionaliter diuiditur in vagum, determinatum collectiuum, & ex suppositione; (vt visum est in introductione) sic tamen quod istae acceptiones (vt aliae omnes secundę intentiones) natae sint verificari de ipso indiuiduo reali. Sed si consideretur, vt reale est, diuiditur in singulare, in suppositum, & personam; quae quidem diuisio debet accipi praecisiuè, aliter membra non essent contradistincta, sed vnum aliud inferret. Singulare itaque est, quaecunque res indiuisa, siue sit substantia, siue accidens, vt hic homo, haec albedo; quod singulare dicitur, quia ob eius existentiam signari, vel quasi digito ostendi potest. Dicitur quoque vnum numero, pro vt vnitatem, quae numerum format retinet; & indiuiduum (applicetur pro nunc hoc quoque nomen) quatenus diuidi nequit in plura. At suppositum est indiuiduum completum in genere substantiae, vt hic lapis, hic homo, &c. Quod definitur sic. Suppositum est ens incommunicabile, vt quo, & vt quod. Communicari vt quo est participari ab alio, vt forma, vel essentialis, vel accidentalis, vel etiam, vt materia, vel pars, quare nulla forma, nulla materia, & nulla pars suppositum esse possunt. At communicari vt quod est communicari secūdum totam suam naturam, ita vt, quod sic communicatur praedicetur de illo, cui communicatur, vt omne vniuersale respectu suorum particularium; & sic quoniam indiuiduum non est vniuersale, non erit neque hoc modo communicabile. At persona addit ad singulare, & suppositum rationalitatem, vel intellectum; ita quod solum in intellectualibus, nempè in Deo, Angelis, & hominibus indiuiduum dicatur persona, non autem in brutis, neque in plantis, neque in alijs quaecunque sint. Definitur autem persona à Richardo sic. Est intellectualis nature incommunicabilis subsistentia. Seu indiuiduum per se subsistens. Est igitur talis ordo; quod singulare, vnum numero, & indiuiduum sint idem, vel termini synonymi, secundum diuersam ęthymologiam, vt dictum est; è contrà autem omnis persona est suppositum, singulare, indiuiduum, & vnum numero, non è conuerso. Quibus sic declaratis ponitur haec conclusio.

Indiuiduum ritè à Porphyrio assignatur. Probatur, nam per ipsam qualiscunque sit notificatio eius natura in ratione praedicandi, vel essendi debitè, & sufficienter traditur. Ad Argumenta.

Ad primum dicitur, indiuiduum pro formali habere rationem vniuersalis, vt dictum est.

Ad secundum dicitur, indiuiduum non dici de subiecto, vel de alio praedicatione scientifica, & praecipuè loquendo de indiuiduo primae intentionis; at quod non sit vera praedicatio non est dicendum; immò Boetius ait, nullam esse veriorem praedicationem ea, in qua idem praedicatur de se ipso. Si autem praedicetur indiuiduum secundae intentionis de indiuiduo primae, vt Petrus est indiuiduum, est praedicatio denominatiua, si verò idem de alio pariter secūdae intentionis, erit praedicatio quidditatiua, vt hoc indiuiduum est indiuiduum, sicut haec, hic homo est homo, quia ipsum indiuiduum in communi est superius ad particularia.

Ad tertium respondetur, subiectum, & praedicatum in propositionibus distingui solum ratione, vnde non inconuenit, vt hac quoque distinctione idem diuersas habeat habitudines, quia hoc non est esse verè formam, nec materiam, aut inferiùs, & superiùs, sed tantum diuersimodè per intellectum concipi.

CAPVT III.

De differentia.

Differentia dicitur tripliciter, scilicet communiter, propriè, & propriissimè. Communiter differre dicuntur, quae alteritate, vel diuersitate quacunque differunt. Differt enim Socrates à Platone alteritate hac, quatenus vnus ipsorum est albus, alter niger, &c. Et idem Socrates differt à seipso, puer, & vir, operans, & quiescens, & semper dum alio modo se habet quam prius. Propriè autem differre dicuntur, quae per accidens inseparabile differunt; inseparabile verò accidens est, vt caecitas oculorum, nasi curuitas, aut cicatrix, quae ex vetusto vulnere callū fecerit: sic itaque si aliquis sit caecus, alter

alter aquilinus, vel simus, differre dicuntur propriè. Proprijssimè autem ea differre dicuntur, quæ differunt essentialiter per specificam differentiam, quo pacto homo differt ab equo per rationalitatem. Vniuersaliter ergo omnis differenia alteratum facit, hoc est aliquo modo differre id cui additur: sed differentiæ communes, & propriæ alteratum simpliciter faciunt. At differentia proprijssima facit aliud, idest essentialiter diuersam. Quæ quidem igitur differentiæ aliud faciunt, specificæ vocantur: at quæ faciunt alteratum solum, dicuntur simpliciter differentiæ; vt animali adueniens differentia rationalis, facit ipsum aliud; sed eidem adueniens moueri, quiescere, & stare facit alteratum. Secundum autē has differentias, quæ aliud faciunt fiunt diuisiones generis in species; atque definitiones, quæ ex genere, & differentia constant constituuntur. At secundum eas, quæ alteratum faciunt solum, alteritates & permutationes aliquæ efficiuntur. A superioribus autem rursus de differentijs in communi agentes, diuidemus eas inseparabiles, & in inseparabiles. Separabiles sunt communes, inseparabiles propriæ, & proprijssimæ. Inseparabilium autem aliæ sunt per se, aliæ per accidens, per se sunt proprijssimæ, per accidens propriæ. Quæ igitur per se sunt in definitione accipiuntur, & faciunt aliud; quæ vero per accidens neque sic accipiuntur, nec aliud faciunt, sed alteratum solum. Aliud est discrimen, quod differentię per se non suscipiunt magis, nec minus; eæ vero quę sunt per accidens, siue separabiles, siue non, vtrumque patiuntur. Probatur, nam neque genus pręedicatur de eo cuius est genus secundum magis, & minus, ergo neque generis differentia, vt neque animal, neque rationale dicuntur secundum magis, vel minus de homine; at aquilinum, vel simum, & coloratum (quę differentię per accidens sunt) magis, & minus suscipiunt. Cum igitur tres sint species differentię, nempè separabiles, inseparabiles (ambę tamen per accidens) & per se pariter inseparabiles, hę quę per se sunt inseruiunt ad diuisionem generum, & constitutionem specierum, ita vt eadem sit simul generis diuisiua, & speciei constitutiua; vt omnes istę sunt differentię animalis, animatum, sensitiuum, rationale, irrationale, mortale, & immortale. Animatum ergo, & sensitiuum sunt ipsius animalis constitutiuę, (est namque animal substantia animata sensitiua) alię vero diuisiuę sunt; vnde si diuidatur animal per rationale mortale, & irrationale, & mortale, prima differentia constituit hominem, secunda brutum; rationale vero, & immortale, Deum. Sic vero cum suprema substantia diuiditur per has differentias, inanimatum, & animatum, hæ rursum animal constituunt, sed animatum, & insensitiuum plantam. Cum ergo eędem aliquomodo acceptę sint diuisiuę, & constitutiuę, omnes specificę vocantur, loquendo semper de differentijs per se, non autem de alijs. Hęc autem per se differentia (alijs relictis, quę scientificę non sunt, sed distinctionis gratia appositę) sic definitur. Differentia est qua species abundat à genere, vt homo per rationalitatem plus habet quam animal, videlicet rationalitatem, mortalitatem, risibilitatem &c. quorum nullum habet animal. Sed dubitatur, vnde species has habeat differentias; non etenim videtur eas habere à genere, quia oppositę differentię simul in eo essent, quod non est possibile; neque à nullo, quia sicut ex nihilo nihil fit, sic neque ex nullo educi possunt hę differentię. Respondetur, potentialiter contineri in genere non autem actualiter. Secundo modo sic quoq; differentia definitur. Differentia est quę de pluribus differentibus specie in eo quod quale quid est pręedicatur, vt rationale, & mortale sic pręedicantur. Nam pręedicari in quale est conuenienter respondere ad interrogationem factam per quale, sic autem respondebimus per differentias, ergo. Vnde differentia assimilatur formę, genus autem materię. Tertio modo sic differentia assignatur. Differentia est, quod aptum natum est diuidere ea, quæ sub eodem genere sunt, vt rationale, & irrationale hominem, & equum, qui sub genere animalis sunt, diuidunt. Quarto modo sic etiam assignatur. Differentia est qua differunt à se singula, namque homo, & equus secundum genus non differunt, sumus enim animalia nos, & equi, sed additum nobis rationale disiunxit nos ab illis, & rationales sumus nos & dij, sed nobis mortale appositum; disiunxit nos ab illis. Hi autem qui exactius differentiam considerant, tertiam assignationem corrigunt; neque enim sufficit diuidere ea, quæ sub eodem genere sunt ad differentiam constituendam, namque aptitudo ad nauigandum diuidit homines à brutis, neque est ipsorum hominum differentia, quare dicunt sic. Differentia est quæ diuidit ea, quæ sub eodem genere sunt, & ad esse essentiale conducit, atque ipsius essentiæ, & rei pars est; sic autem non se habet aptitudo ad nauigandum, sed est passio, vel proprietas quędam, vnde neque erit specifica differentia, sed solum illæ sunt tales quæcumque aliquam constituunt speciem, & in eius quidditatiua definitione accipiuntur. Et de Differentia quidem tot sufficiant.

Differentia verò communiter, &c.

QVÆSTIO I.

An diuisio Differentiæ in communem, propriam &c. sit bona.

ARguitur primò quod non. Omnis diuisio est alicuius totius in suas partes. Hic autem nullum assignatur totum, si quidem ipsæ tres differentiæ (vt patet) nullam habent inter se communitatem.

Secundò. Differentia communis, & propria sunt accidentia, vt notũ est, ergo ad accidētis prædicabile attinēt.

Tertiò. Contra id quod dicitur circa differentiam communem; Socratem virum differre à se ipso puero. Relatio requirit extrema in actu; differentia verò est relatio, & tamen hic extrama non sunt actualia, quia quando Socrates existit vir, tunc non est puer.

Quartò. Si Socrates vir differt à se ipso puero, ergo sunt multi, vel saltem duo, quia differentia est species multitudinis ex 10. Metaph. tex. 10. 12. & 17.

Quintò. Contra id quod dicitur. Omnem differentiam alteri additam facere alteratum. Facere alteratum est facere differre accidentaliter; hoc autem competere nequit differentiæ proprijssimę, quæ essentialiter differrè facit, ergo.

Sextò. Contra id quod dicitur. Differentias per se, vel proprijssimas non suscipere magis, nec minus. Differentiæ sequuntur naturam, & conditiones illorũ, quorum sunt differentiæ; sed quamplurima horum suscipiũt magis, & minus, vt patet de qualitatibus, de actionibus, de passionibus; ergo & ipsorum differentiæ.

Pro intelligentia sciendum est, quod differentia formaliter, & vniuersaliter sumpta, tàm primò, quàm secundò intentionaliter est relatio; nam semper est rerum differentia, & insurgit interdum absque vlla mutatione (quod est proprium relatiuorum) vt aliquis albus differt à nigro, eo quod ille ex albo niger factus sit, nulla facta mutatione in præcedenti, quamobrem super omnia, quæ diuersitatem aliquam habent fundari potest, loquendo potissimum de differentia largè sumpta, pro vt etiam diuersitatem includit. Quartũ discrimen videbitur postea.

Hac ergo de causa multiplex erit, & specialiter triplex, vt docet Porphyrius, nam vel fundatur super accidentia communia, & dicitur tunc communis; nempè ab hac communitate, & ex vsu, vel cognitione communi omnium; vel innititur accidentibus proprijs, & vocatur propria, vel tandem naturæ, & erit proprijssima. Si autem de connotatis loquamur, differentia ipsa, & potissimum proprijssima dicit entitatem quandam contrahentem, vel actuantem essentialiter, sicut aliæ entitatem pariter suo modo accidentaliter contrahentem denotant; hac ergo de causa sub nomine differentiæ comprehenduntur, & ad idem prædicabile attinent, licet principaliter differentia proprijssima, & per reductionem aliæ, nam sicut ipsa facit simpliciter, & essentialiter differre, sic quoque est simpliciter differentia, & hoc prædicabile constituit, & aliæ sût secundum quid; vnde meritò de eis mentionem Porphyrius fecit. Et sufficienter assignasse ipsarum diuisionem ex prædictis facilè colligitur. Vbi notandum erit, quod est diuisio Analogi in sua analogata, sic nimirum, quod diuisum ipsum principaliter dicatur de differentia proprijssima, secundariò de propria; & denique de communi, quæ analogia fortè potius cum vniuocatione, quam cum æquiuocatione manet, præcipuè sumendo rationem formalem differentiæ ab eo, quod est facere differre, nam omnes suo modo hoc faciunt. Ad Argumenta.

Ad primum negatur minor; totum namque est differentia in communi, quomodocunque in altas diuidatur.

Ad secundum dicitur, omnes differentias pro formali esse differentias, pro connotato diuersas entitates, vt dictum est, quod sufficit.

Ad tertium dicitur, ad relationem non requiri semper actualitatem extremorum, sed sufficit actualitas referendi cum aliqua aptitudine existendi; vt patet de priori, & posteriori, quæ quidem sunt relatiua, nec tamen simul existunt.

Ad quartum negatur consequentia, sufficit namque, quod sint duæ realitates, super quas fundatur differentia, vt in proposito est pueritia, & virilitas.

Ad quintum dicitur, quod alteratum accipitur dupliciter, vno modo propriè, vel strictè, & idem valet, quod accidentaliter differre, & sic conuenit communi, & propriæ differentiæ; alio modo communiter, quod significat aliter se habere, & sic tribus differentijs prædictis aptatur.

Ad sextum dicitur, illam conditionem esse propriam differentiæ substantiæ, de alijs autem argum. concludit.

Differentia est qua species abundat, &c.

Q V Æ S T. II.

An definitiones Differentiæ sint bonæ.

Arguitur primò contra primam. Id magis quam aliud abundare dicitur, quod plura continet, at genus plura continet quàm species, ergo per differentiã species à genere non abundat, & sic definitio est mala.

Secundò. In hac definitione ferè nihil ad differentiam attinẽs ponitur, sed solum ad genus, & speciem vt patet.

Tertiò contra secundam definitionem. Rationale est differentia hominis, & tamen non prædicatur de pluribus differentibus specie, sed de vna sola; idem dicatur de quacunque alia differentia specifica.

Quartò contra eandem. Prædicari in quale est proprium qualitatis, differentia non est qualitas (nisi in qualitatibus, quod nihil refert) ergo.

Quintò contra eandem. Quod est pars quidditatis non prædicatur in quale, sed in quid; at differentia est pars quidditatis, ergo.

Sextò contra tertiam, & eius additionem. Tota hæc definitio competit formæ; nam forma nata est diuidere ea, quæ sub eodem genere sunt, ad esse conducit, & quidditatis, & rei pars est, ergo.

Septimò contra quartam. Non solum per differentiam, sed per se ipsa quædam, alia per genera, nonnulla per respectum differunt, ergo non benè dicitur; differentiam esse, qua differunt à se inuicem singula. Probatur antecedens quoad singulas partes, nam simplicia omnia, quæ differentijs carent, vt ipsemet differentiæ, propriæ passiones, & prima principia absque differentijs differunt. Quo ad secundam partem, animal, vel viuens differunt à colore, quia illa sunt substantia, color est qualitas, ecce differentia per genus. Quo ad tertiam. Simile differt ab æquali, quia ad aliud simile, hoc ad aliud æquale refertur.

Octauò. Nullum simplex definitur, Differentia est simplex, ergo.

Pro intelligentia sciendum est, primò, quod differentia essentialis, & primæ intentionis (de qua est principalis difficultas, eò quod ex eius intelligentia alia, quæ est secundæ intentionis pendet) potest considerari quinque modis, nempè in se, in ordine ad speciem, quam constituit, ad genus, quod contrahit, & ad species à quibus speciem constitutam diuidit, atque differre facit, ac denique pro vt substat secundæ intentioni vniuersalis, per quam rationem vniuersalis fundamentaliter sortitur. Neque mirum est tot modis ipsam considerabilem esse; si quidem cum sit quid non absolutum, vel per se existens simpliciter, sed ad alia, atque alia ordinatum, diuersas habebit rationes, vt in exemplis melius patebit. Si ergo in se consideretur est entitas actualis simplex, & incompleta. Si verò consideretur in ordine ad speciem est ipsius constitutiua, atque pars quidditatis, & præcipua eius ratio formalis, per quam ab alijs speciebus distinguitur.

At in ordine ad genus est eiusdem actus atq; contractiuum, itaut quod erat vniuersale, & in potentia efficit particulare, & in actu, ipsum coarctando ad naturam speciei. In ordine, vel comparatione ad species, quæ ab alia specie quam ipsa constituit, differunt, vocatur propriè differentia, pro vt eas differre facit; quamobrè hoc nomẽ differentię in comparatione eius cuius differentia dicitur, est improprium, & ex abusu, atque vocabulorũ penuria receptũ; malè enim dicitur id esse, vel diuersitatem, vel differentiam alicuius, quod eius interna, & essentialem naturam perficit; nam differentia diuersitatem, & alteritatem quandam insinuat, sed melius diceretur, esse quod dat esse, & alia ab eo cui esse dat differentia facit; tamen sic est vsus, & sic dicatur. Comparatur tandem ad secundam intentionem, & sic respiciendo plura de quibus apta est dici, nomen, & naturam recipit vniuersalis; & secundum omnes, vel aliquas istarum considerationum diuersas potest habere notificationes; immo cum ipsa ob suam paruam entitatem parum sit nota, his aliunde sumptis notitijs ad eam tamen diuersimode attinentibus indiget.

Aliud notandum quod qualificare, idem est, quod aliud determinare, siue hoc fiat essentialiter, siue accidentaliter, quare quod essentialiter determinat qualitas essentialis, vel differentia, vel forma vocari potest: id verò quod solum accidentalitet id efficit, simplex vocetur qualitas, atque accidens, & quod determinat primo modo, dicitur quale quid, quasi qualitatem ad quidditatem attinentem tradat; aliud dicitur quale tantum.

Tertiò notandum, quod duplex est differentia, videlicet generica, & specifica; generica est, quæ constituit genus vel generalissimum, vel subalternum, vt existere per se est hoc modo differentia substantiæ, quæ est generalissimum; sensitiuum animalis, quod est subalternum. Tamen quia differentiæ specificę (quę etiã dicuntur vltimæ in comparatione tamen vniuersalium, nam dantur quoque

quoque differentię indiuiduales) sunt vt plurimum incognitæ, supplentur, vel per plures simul collectas, vt Porphyrius rationale, & mortale simul hominis, irrationale, & mortale brutorum, ac rationale, & immortale Deorum esse differentias docet, & hac de causa solam genericam differentiam definiuit; vel fortè etiam; quia habita definitione generica, facilè est eam specificis, vel particularibus aptare. Sed ad resolutionem accedamus.

Secundum diuersos respectus omnes assignationes
Concl. differentiæ (quę quatuor sunt) ritę traduntur. Prima ergo in qua habetur. (Differentia est qua species abundat à genere) datur de ipsa differentia primæ intentionis, quatenus est speciei constitutiua: atque ipsam speciem a genere distinguit. Cuius sensus est. Differentia est qua species, quæ per ipsam constituitur plura quam genus essentialiter, & actualiter continet; nam continet ipsammet differentiam, nec non genus, & ea omnia, quæ sunt propria ipsius speciei, vt homo per rationalitatem, ipsam, & animal continet, nec non risibilitatem, flebilitatem, discursiuitatem, &c. quorum nullum actualiter est in genere. Secunda definitio, quæ est hæc (Differentia est, quæ de pluribus differentibus specie in eo, quod quale quid est prædicatur) datur de differentia pro vt est vniuersale, & secunda intentio verificabilis tamen de primis; & est definitio solius differentiæ genericæ. Si autem assignare velimus definitionem, quæ genericæ, & specificæ conueniat, dicatur. Differentia est, quæ de pluribus prædicatur in quale quid. Tertia definitio nempè hæc (Differentia est, quæ nata est diuidere ea, quæ sub eodem genere sunt, & ad esse conducit, & ipsius quod quid erat esse, & rei pars est) datur partim secundum se, quatenus dicitur esse partem ipsius quod quid erat esse, & partim in comparatione ad alias species, quas à sua specie constituta diuisas ostendit. Quarta tandem in qua dicitur (differentia est qua differunt à se inuicem singula) est veluti æthimologia, vel interpretatio ab effectu, attamen, quia ipsa quoque accommode, & propriè sumitur, est bona. Quamobrem non est credendum, omnes esse veras definitiones, sed sunt assignationes, vel notificationes ad rem satis sufficientes; dempta secunda, quæ in ratione vniuersalis est vera definitio; cuius genus est vniuersale ipsum, reliqua pro differentia sumuntur; est namque differentia secundæ intentionis species vniuersalis, quæ ex genere, & differentia constat. At arg. soluamus.

Ad primum dicitur, genus in potentia plura continere, sed in actu, & essentialiter exceditur à specie.

Ad secundum dicitur, differentiam ex sua natura genus, & speciẽ respicere, & sic in ordine ad ipsa, explicari.

Ad tertium patet in tertio notabili.

Ad quartum patet in secundo.

Ad quintum similiter, nam quædam est pars quidditatis determinans, & hæc prædicatur in quale quid; alia verò est solum determinabilis, & hæc solum in quid prędicatur, vt accidit de genere.

Ad sextum dicitur, differentiam esse quidem formam, vel ab actualitate formæ sumi, vnde non est inconueniens si eadem vtrique aptari possit definitio, cum aliquo tamen discrimine, & hoc præcipuè, quod forma non genus, sed materiam respicit, quæ tamen generi assimilatur, vel hoc ipsi.

Ad septimũ dicitur, ea quæ se ipsis differunt vocari nõ differentias, sed diuersitates, & illa, quæ sic distinguũtur vocantur diuersa: Est autem discrimen inter diuersitatẽ, & differentiam, quia diuersitas est cuiusque rei, quæ cum quacumq; altera non est idem, sed differentia est solũ rei cõpositæ, vel modum compositionis habentis; quare ea, quæ cõpositionem nõ habent, simplex sibi nomen diuersitatis retinent; at re vera, omnis differentia est diuersitas, & omne differens diuersum, non autem è contra.

Ad aliam partem dicitur, quę per genera differunt, habere rationem differendi potissimum à differentia generica; & in relatiuis correlatiuũ differentiæ locum tenet.

Ad octauum dicitur, differentiam secundæ intentionis non esse simplicem, sed speciem vniuersalis, quæ ex genere, & differentia constat. Sed differentia realis, quę per alias notificationes assignatur, non propriè definitur, quidditatiuè, & rigorose, vt dictum est.

Rebus enim ex materia, & forma, &c.

QVÆST. III.

Quomodo Genus à materia, & Differentia à forma sumantur, & quam speciei compositionem efficiant.

QVoad primam partem istius quæstionis sciendum est, quod res naturales corruptibiles ex materia, & forma componuntur; quæ duę partes sic se habent, quod materia est quid magis imperfectum, & ex sua natura in potentia, vt ad hanc, & illam, atque alias, & alias formas cõtrahatur, informetur, & restringatur; forma autem ipsã materiam sic perficit, vt ad aliquam naturam particularem eam ducat, & sic determinatam, & actuatam alias recipere formas non sinat. Ex hac itaque naturali compositione aliam quandã sibi similem Logici seu potius Metaphysici inuenerunt; cui duas prædictis respondentes partes assignarunt; nempè genus, quod materiã reprę sentet, & differentiã, quę formam ęmulatur; cum hoc discrimine, quod illæ partes reales nempè materia, & forma, semper sumuntur vt partes, & à toto realiter differunt; hæ autem sumuntur per modum totius, & numquam à toto sic possunt realiter distingui.

Sic ergo à materia hominis v. g. abstraxerunt animal, à forma rationale, atq; ex vtraq; parte hominem constituerunt. Verùm in hoc quoq; est dispar ratio; quod non semper genus, & differentia à materia, & forma sumuntur, sed à diuersis gradibus entis; quorum alter materię, alter formæ assimilatur. Illum magis materiei similẽ esse dicimus, qui erit magis vniuersalis, & per consequens magis in potentia vt contrahatur ad plura, sicut materia ad formas. At qui magis erit cõtractiuus, & actualis hic formam repræsentabit, v.g. homo est rationalis, animal, viuens, substantia; quæ omnia non sunt diuersæ formæ, immo ab vnica tantum hæc ipsa fiunt; tamen alia est ratio vel conceptus, vel gradus, aut entitas rationalitatis, alia animalis, alia viuentis, & alia tandem substantiæ, vt ex ipsorum notificationibus patere poterit; atq; animal cum ex sua natura sit aptum conuenire pluribus quam rationale, & multo magis viuens, & substantia; hæc genera, & materiei similia dicemus, contrahentia dicemus differentias, & formæ assimilabimus, & hac de causa reperiri poterit genus, quod spirituali, & materiali commune sit, vt substantia Angelis, & hominibus, non enim est vera materia, sed tenuem cũ ipsa similitudinẽ habet.

Quo ad secundam partem est nõ parua inter Philosophos dissentio; si hæc cõpositio speciei ex genere, & differẽtia sit realis, vel rationis. Quod priusquam determinetur aduertendum est, sermonem esse de genere, specie, & differentia realibus, vt an homo componatur verè ex animali, & rationali, tanquam ex rebus, vel partibus realibus; vel solum hęc compositio ex diuersa intellectus intelligentia fiat. Videtur namq; esse solum intellectus operationem, aliter res simplices essent compositæ, & in vnica simplici re plures essent entitates, & formæ, quod videtur impossibile, & omnẽ captum, ac veritatem superare; quis nãq; percipere poterit, albedinem quamplures in se tales retinere entitates, &c.? Respondetur tamen hanc esse realem, & veram compositionem non tamen physicam, sed metaphysicam, quod est dicere, illas non esse verè partes essentiales distinctas realiter, & realiter separabiles (quod in Physica compositione accidit) esse

tamen reales, & veras entitates graduales, ita inter se distinctas, vt seclusa quacumq; intellectus operatione vna non sit altera, quæ quidem distinctio ex natura rei dicitur; vt entitas animalis non est penitus eadem cum entitate rationalis, neque viuentis, neque substantiæ; aliter vbicunque esset animal, vel viuens, ibi quoque esset rationale, quod est absurdum; probatur consequentia, quia quæ sunt penitus idem, sunt penitus quoque inseparabilia; habent itaque gradus ij in composito eodem distinctionem ex natura rei, non autem realem, vel separabilitatem, quia fiunt, vel fieri possunt ab vna met forma; at in diuersis quia proueniunt à formis diuersis, realiter distinguuntur, vt rationalitas ab animalitate hominis non distinguitur realiter, sed benè ab ea, quæ est equi. Amplius; nisi ex natura rei in eodem genus, & differentia distinguerentur omnis definitio esset nugatoria, vel genus, & differentia essent termini synonymi. Vel si ab intellectu solum hæ entitates fierent, entia rationis essent, & sic ad rem realem definitam essentialiter non attinerent, & omnes huiusmodi definitiones dialecticæ, & vanæ essent. Neque aduersariorum argumenta concludunt: nam species quæcunque non sunt ita vnquam simplices, vt hos entitatis gradus excludant, qui tamen non plures requirunt formas, sed vnica est sufficiens, immo neque semper debet esse vera forma, sed sat est cuiusque entitas, vel limitata natura; vt neque in Angelis, nec in accidentibus est propriè forma, sed talis natura, vel actus qui has continet entitates. Patet ergo quid sit dicendum.

At pro vberiori doctrina obseruandum est, quod quemadmodum forma est nobilior materia, ita differentia est nobilior genere, nam est quasi forma ipsius; & differentia inferior est quoque semper nobilior sua superiori, vt rationalitas sensibilitate; nam quo magis res sunt vniuersales, eo sunt magis potentiales, & minus existentes, quæ nobilitati, & perfectioni repugnant.

QVÆST. IV.

An differentia superior de inferiori, & vtraque de genere, vel de specie prædicari possint.

PRo istius quæstionis solutione sciendum est, quod per differentiam superiorem genericam, per inferiorem specificam denotamus, vt sensitiuum, & rationale v. g. neque est difficultas in secundis intentionibus, sed in primis; nam omnis differentiæ secundæ intentionis in ratione differentiæ conueniunt, & numero solum differunt, nisi accipiantur secundum aliquam inter se coordinationem veluti prædicamentalem; quia tunc cum hac de ijs, quæ sunt primæ intentionis difficultate determinandæ sunt. Idem dicatur de genere, & specie, nam quoad hoc, non est differentia. Aliud est obseruandum, quod hæc genera, species, & differentiæ primæ intentionis possunt materialiter, & formaliter considerari, seu in concreto, & in abstracto; vt in differentijs rationale, & rationalitas, sensitiuũ, & sensitiuitas, & in genere, & specie, animal, & animalitas; homo & humanitas, &c. Si itaq; in concreto, vel materialiter considerentur, nulla est difficultas, facillimaque est quæstionis pro parte affirmatiua determinatio; ita videlicet quod omnia indifferenter prædicari possunt, videlicet genus de specie, differentia superior de inferiori, atq; omnes de specie ipsa; vt homo est animal, rationale est sensitiuum, homo est rationalis, & sensitiuus: species autem de genere, vel differentia inferior de superiori non prædicantur nisi indirectè, de qua prædicatione non est ad propositum. Quod autem hæ prædictæ prædicationes sint bonæ ex eo patet; quod cum simul ad vnum constituendum repe-riantur, atque concretè sumantur, de eodem prædicari poterunt; vt albedo quia est in re alba concretè sumpta de ipsa dicitur; vt hæc res est alba. Amplius concretum non dicit solum partem simpliciter, sed per modum totius; ergo in prædicatione poterit de ipso toto verificari. Sed quod in abstracto prædicentur non est facilè determinare, Aliqui etenim affirmatiuam partem sustinent, quam auctoritatibus, & rationibus probant. Prima auctoritas est Aristot. 7. Metaph. tex. 43. qui ait, in definitione non esse opus omnes differentias ponere, quia vltima, vel inferior includit omnes alias superiores, vt rationale includit sensitiuum, animatum, &c.

Secunda eiusdem ibidem, vbi docet, quod ad inueniendam vltimam differentiam alicuius speciei debemus superiorem per duas differentias diuidere; vt bipedem per fissos, & non fissos pedes habentem. Cùm ergo diuisum vniuersale prędicetur de membris diuidentibus, & differentia ipsa superior de inferiori prædicabitur.

Rationibus sic arguunt. Humanitas, vel est corporea, sensitiua, &c. vel non; si est, ergo prædictas includit differentias, si verò non, erit incorporea, & non sensitiua, quæ suæ naturæ repugnant. Amplius, Quæcunque sunt essentialiter vera in primo modo per se, in quacunque abstractione sunt vera, nam quæ sic se habent, essentiam constituunt, quæ est penitus inuariabilis. Cùm ergo sic verę sint hæ prædicationes, homo est animal, rationale est sensitiuum, &c. Etiam erunt veræ istæ; humanitas est animalitas, rationalitas est sensibilitas, &c. His tamen non obstantibus, oppositum statuendum est: videlicet nullum istorum in abstracto de alio secundum veritatem affirmatiuè prædicari. Probatur. Quæ accipiuntur, vt penitus contradistincta non possunt, vt sic de se inuicem, vel vnum de alio prædicari; nam prædicatio vera affirmatiua fit ex aliqua identitate, vel conuenientia prædicati cum subiecto; sic autem accipiuntur prædicta si formaliter considerentur, ergo. Amplius. Si humanitas esset animalitas adæquatè (sicut esse deberet si de ipsa humanitate prædicaretur) nullum esset inter eas discrimen; & sic vbi esset vna, reperiretur altera etiam in distinctis suppositis. Amplius specialiter de differentijs; si vna in abstracto de altera prædicaretur, conuenirent in aliquo, & necessario etiam differrent; quod esse non posset nisi per differentias, vnde differentiarum esset differentia, & illarum altera in infinitum. Denique est expressa sententia Aristotel. 4. Topic. cap. 2. ait namque. Manifestum igitur, quoniam non participat genus differentia. Sed argumenta soluamus.

Ad primum dicitur, differentiam concretè sumptam, & alias superiores continere, & ipsarum prædicationem recipere, vnde hoc modo nulla est difficultas, rationale namque est sensitiuum, &c. Sed nos loquimur de ipsis acceptis formaliter.

Ad secundum, vel eodem modo respondendum est; vel dicatur, differentias diuidendas tenere locum generis, vt incorporeum, quod est differentia substantiæ denotat genus spiritualium, &c.

Ad tertium dicitur, humanitatem, vel rationalitatem formaliter sumptas non esse corporeas, nec incorporeas actualiter in suo puro, & præciso conceptu, sed ab omnibus his abstrahere; verum existenter connotatiuè, & concomitanter sunt corporeæ, sensitiuæ, &c.

Ad quartum dicitur, in his abstractionibus, quæ sunt naturæ à suppositis maiorem non habere veritatem, sed in alijs nempè superioris ab inferioribus, vel essentiæ ab existentia, aut subiecti ab accidentibus, autè contrà est vera. De quibus abstractionibus, dicetur alibi.

De

CAPVT IV.

De proprio.

PRoprium dicitur quadrupliciter. Vno modo, quod vni tantum speciei conuenit, sed non omnibus eius indiuiduis; vt esse Medicum, vel Geometram est sic proprium homini; quia hæ facultates solum humanæ naturæ conueniunt, non autem omnibus particularibus hominibus. Secundo modo, quod conuenit omnibus indiuiduis alicuius speciei, sed non vni speciei tantum, vt esse bipedem omnibus particularibus hominibus conuenit; non autem homini solum, sed etiam auibus, &c. Tertio modo dicitur, quod conuenit vni speciei, tantùm, omnibus eius indiuiduis, sed non semper; vt canescere solum humanæ competit speciei, & omnibus eius particularibus, non autem semper, sed solum in senectute. Quarto modo dicitur quod conuenit vni speciei tantum, omnibus eius indiuiduis, & semper; vt risibilitas sic conuenit homini, & omnibus eius indiuiduis. Et licet non semper rideat, tamen risibilis dicitur, quia semper est aptus ridere, & hoc est ei semper connaturale, quemadmodum equo esse hinnibile. Hæc autem propria in quarto modo verè, & propriè dicuntur propria, quoniam non tantum de vna specie prædicantur, sed conuertibiliter; vt si homo est, risibile est, & si risibile est, homo est: idem dicatur de equo, & hinnibile, de leone, & rugibile, & sic de alijs.

QVÆST. I.

An proprium rectè assignetur.

ARguitur primò, quod non. Nam proprium primò, secundò, & tertiò modo dictum non est verè proprium, sed accidens; quod confirmatur ab ipsomet Porphyr. circa finem cap. asserentis, propria quartò modo esse propriè propria, ergo alia sunt propria impropriè, ergo cum proprio non sunt connumeranda, & sic vana est determinatio.

Secundo. Proprium opponitur vniuersali, ergo inter ipsa connumerari non debet. Probatur antecedens, nam vniuersale idem valet, quod commune, proprium verò communi opponitur, vt de se notum est; ergo.

Tertiò. Omnia vniuersalia sunt de principali significato secundæ intentionis; sic autem non se habet proprium, ergo nō ritè assignatur, maior alibi declarata est. Probatur minor, nam vniuersalia secundæ intentionis definiuntur per prædicari de pluribus, hoc autem modo non definitur proprium. Confirmatur, quia nulla secunda intentio prædicatur verè, & in abstracto de re primæ intentionis, vt hæc est falsa, homo est intentio, homo est vniuersalitas, & aliæ omnes similes; tamen proprium sic prædicatur, vt risibilitas est proprietas, ergo non est secunda intentio, ergo neque ens rationis, nec per consequens inter vniuersalia connumerandum, neque ad Logicam attinens.

Pro intelligentia sit primò notandum, quod proprium accipitur dupliciter, vno modo prout opponitur improprio, quo pacto dicimus. Socratem viuum esse propriè hominem, mortuum verò impropriè; & sic non capitur hic à Porphyrio, quia hoc proprium sic sumptum omnibus competeret, quatenus æquiuocè acciperentur. Alio modo accipitur inquantum opponitur communi, & sic consideratur hic. Circa quam considerationem obseruare debemus, quod quemadmodum ea, quæ sunt communia possint esse magis, & minus talia, sic eis opposita propria respondentur, se habebunt; verùm cum ex opposito ad commune dicatur, quo magis sibi opponetur, eo magis, & verè proprium dicitur, & hac de causa, quod plus accedit ad particulare magis erit proprium. Et dicimus notàter, quod ad particulare, vel singulare accedat, non autem quod ipsum sit particulare, vel singulare, quia hæc ad scientias non attinent. Quamobrem, quia omnia propria in litera assignata à communi, diuersa ratione, recedunt, sic nuncupata fuerunt, inter quæ minus proprium est id, quod ponitur secundo loco, sequitur id quod est in primo, deinde in tertio, ac tandem proprijssimum est quartum. Attamē, quia omnia prędicta communi opponuntur, fas erat ad rationem proprij omnia reuocare, & si fundamentaliter, (vt dicetur,) potius sint accidentia, quā propria. Sed notare debemus, quod proprium primo modo accipi debet, vel secundum actum, vel secundum quandam propinquam aptitudinem; nam si secundum capacitatem, vel inclinationem naturalem sumeretur, conuenitet omni, soli, & semper, & conuertibiliter, & per consequens esset in quarto modo. At proprium secundo modo accipi debet secundum aptitudinem; nam de facto non est necesse (vt ibi dicitur) verificari. Proprium tertio modo non indiget limitatione, nisi fortè in illo exemplo de canescere; nam de alijs quibusdam animalibus ab homine idem dicitur, & forsitan secundum easdem causas, quod tamen alij vocāt (ad distinctionem) grisceseere, sed nomine tantum difficultatem soluunt. Dicamus ergo nos (quicquid sit de horum veritate) exempla non poni vt simpliciter vera, sed ad claritatem: at si ipsa vera, & absq; instantia quæramus, accipiamus proprij quarti modi pro tertio operationes; vt ridere hominis, hinire equi, rugire Leonis sunt propria in tertio modo. Hæc autem omnia assignantur ab Arist. 1. Top. cap. 4. ita videlicet, quod proprium quarto modo appellet proprium simpliciter, proprium tertio modo vocet proprium quando, (quatenus solum in aliquo tempore inest) at primo, & secundo modo vocat ad aliquid, seu secundum quid, pro vt non sic vt decet communi opponuntur.

Secundò notandū, quod proprium, vel proprietas est nomen, tam primæ, quàm secundæ intentionis, quod accidit ex penuria vocabulorum, neq; sibi solum hoc contingit, sed etiam differentię, & accidenti. Dum ergo primo intentionaliter sumitur est passio, quæ ab essentia, vel forma specifica fluit, si sit proprium quarto modo, vel ab alijs naturis, vel formis vniuersalibus, si sit aliorum modorum. At proprium *secundæ intentionis* est ratio, vel modus prædicandi, qui super prædicta fundatur; & hoc pacto est quid respectiuum sicut cætera vniuersalia, vel secundæ intentiones; atque refertur per se primò ad speciem, vel ad genus si sit in quarto modo, ad naturas alias quatum est proprium, si sit in alijs modis; secundariò verò refertur ad illa singularia: supponendo tamen semper pro proprio primæ intentionis.

Aliud notandum; quod ipsum proprium definitur vt ens reale, quia ex hoc facilè est in ratione intentionali ipsum intelligere. Si verò ad definitionem claram reducatur; sic definiatur. Proprium est vniuersale, quod prędicatur de specie in quale accidentale, & conuertibiliter; secundariò verò etiam de indiuiduis non autem conuertibiliter (quod intelligi debet de proprio specifico, nam est aliud genericum, vt dicetur) quæ quidem definitio in ea, quæ est Porphyrij fundatur, & idem fere penitus valet. Atque est proprij in quarto modo, nam hoc est maximè proprium, & constituit hoc quartum prædicabile, reliqua per attributionem dicuntur, & ad ipsum reducuntur. At si quis dicat, Vniuersale debet dici immediatè de suis particularibus; quomodo ergo proprium dicitur de Specie, quæ non est eius inferius, sed æquale? Respondetur, non esse necessarium, quod vniuersale immediatè de suis inferioribus dicatur, sed sat esse mediatè, vel immediatè, dummodo non primò

de aliquo singulari prædicetur; quia sic ei adæquaretur, & singulare esset. At nunc sciendum est, proprium esse duplex, idest genericum, & specificum, genericum quod cum genere conuertitur, vt sensitiuum cum animali, visibile cum colore, &c. immo datur etiam transcendens, vt veritas, & bonitas dicuntur proprietates entis, sed cum generico conuunteratur. Specificum est, quod conuertitur cum specie specialissima, vt risibile cum homine, hinnibile cum equo, &c. Et huic generico aptari possent, si subtiliter res perpendatur, ea quæ ad proprium secundi modi attinent. At specificum verè proprium dicitur ratione prædicta quatenus communi magis opponitur, & solum hoc à Porphyrio definitum fuit. Si autem vtrumque in communi definire velimus, dicamus. Proprium esse vniuersale, quod prædicatur in quale accidentaliter, & conuertibiliter de illo cuius est proprium, & de suis inferioribus. Ex his sic habitis facilè est quæstionem resoluere. Sit ergo conclusio.

Proprium benè assignatur, & quoad diuisionem, & quoad definitionem; nam ea membra neque coincidunt, neque aliquod extra propositum continent. Et proprium quarto modo, & specificum ritè etiam definitur pro vt est in re, vt patet si singulas eius particulas aliquis examinabit. Ad Argumenta.

Ad primum dicitur, ea propria non sic esse accidentia quin rationem proprietatis includant aliquomodo, vnde secundum hanc considerationem ad proprium reducuntur.

Ad secundum negatur antecedens; ad probationem dicitur, proprium opponi communi magis amplo, sed respectu alterius esse ipsum quoque commune; vt risibilitas est communis omnibus hominibus, sed dicitur proprium in comparationem ad ea, quæ non solum homini competunt, vt sensitiuum, corporeum, &c.

Ad tertium patet ex prædictis, nam definitur proprium primæ intentionis, & sic quoque ex vsu in abstracto prædicatur, sicut etiam dicitur, color est qualitas, &c.

QVÆST. II.

An proprium sit distinctum vniuersale ab Accidente.

ARguitur primò, quod non. Quicquid est, vel est substantia, vel accidens. At proprium non est substantia, ergo accidens, & sic ab eo non distinguitur, & per consequens diuersa prædicabilia non constituunt.

Secundò. Omne quod aduenit enti in actu est accidens. Proprium aduenit enti in actu, vt risibilitas intelligitur aduenire homini ex corpore, & anima rationali constituto, ergo.

Tertiò. Id in cuius definitione ponitur subiectum, constituit secundum modum dicendi per se, in quo videlicet proprium de subiecto prædicatur ex 1. Post. cap. 4. sed tàm in definitione proprij, quàm accidentis subiectum ponitur, ergo vtrumque habet rationem proprij, ergo non distinguuntur.

Quartò. Vel accidens inest per se subiecto, vel per accidens. Si per se, est proprium, si per accidens hoc est contra naturam accidentis, cuius est per se inesse.

Pro resolutione sciendum est, quod prædicabilia, quamuis sint entia rationis, & per consequens vt sic sola rationis distinctione distinguatur; tamen maiorem in re diuersitatem supponunt; atque de hac est controuersia; quomodo videlicet ea entitas, quæ accidens vocatur ab ea, quæ proprium dicitur, differat. Quæ difficultas vt euacuetur; sciendum est, quod eorum distinctio dupliciter attendi potest, nimirum fundamentaliter, & formaliter. Primo modo erit si diuersas ipsarum causas, radices, vel fundamenta ponamus. Secundo si eas entitates in se, quatenus sunt notificabiles, vel definibiles differentes agnoscamus. Sit ergo (vt breuiter, & ordinatim procedamus) conclusio. Proprium distinguitur realiter ab accidenti, & per consequens in ratione secundarum intentionū duo sunt distincta prædicabilia.

Hæc conclusio duas continet partes. Prima, quod in esse reali realiter distinguantur. Secunda, quod ex hoc sint distincta vniuersalia.

Probatur ergo prima pars, tàm ex parte fundamenti, quàm ex parte ipsarum formalitatum. Ex parte fundamenti sic, proprium fluit ex forma specifica si sit specificum, ex generica si sit genericum; ita vt risibilitas fluat ex rationalitate, sensibilitas ex anima sensitiua, &c. at accidens sequitur solum dispositiones materiæ; vt hoc esse album, vel nigrum ex tali, vel tali qualitatum mistura in materia prouenit. Ex his sequitur aliud discrimen, quod proprium inest omnibus indiuiduis, accidens aliquibus. Item proprium inest inuariabiliter, vel non suscipiendo magis, nec minus; at accidens siue separabile sit, siue non, variationi alicui subijcitur; vnde dicitur commune, quasi peculiare subiectum immutabile (vt facit proprium) non sibi vendicet. At ex parte formalitatis sic eadem distinctio probatur. In definitione, vel conceptu proprij includitur pro subiecto forma, vel quidditas. At in conceptu accidentis includitur materia, vel ratio materialis. Amplius. Proprium concipitur sic cum essentia cuius est proprium, vt ipsam cum opposito intelligere implicet contradictionem; accidens verò potest cum opposito intelligi absque repugnantia, vt melius dicetur.

Ex dictis secunda pars conclusionis est nota, nam si fundamenta sunt diuersa, etiam ipsæ intentiones secundæ aliquam diuersitatem habebunt, & sic ratione distinguuntur; neque opus est æqualem esse distinctionem inter fundamenta, & ea quæ fundantur super ipsa, sed potest indifferenter ab hac, vel illa parte excedi. Ad Argumenta.

Ad primum dicitur ad maiorem; accidens dupliciter capi, vno modo pro quacunque entitate, quæ non est de essentia alicuius, ita nimirum quod ipsum non constituat vt pars; & sic omne quod est, vel est substantia, vel accidens, & proprium pariter accidens dicetur, alio modo pro ea entitate, quæ non est de essentia, atque etiam potest remoueri sine corruptione subiecti, & sic neq; propositio est vera, neque proprium est accidens.

Ad secundum respondetur eodem modo, videlicet, quod aduenit enti in actu esse accidens, vel primo, vel secundo modo dictum; non autem secundo modo tantùm.

Ad tertium dicitur, non quodcunque subiectum positum in definitione illius cuius est subiectum constituere secundum modum dicendi per se. Sed solum subiectum formale, vel cuius forma, aut quidditas principalis prædictam adiuuet definitionem; quod solum de subiecto proprij contingit.

Ad quartum dicitur, quod per se intelligitur dupliciter, vno modo vt idem sit quod immediatè, & sic omne accidens per se inest, quia non mediante alio. Alio modo vt idem sit, quod inseparabiliter, & essentialiter, & sic solum proprium per se inest.

QVÆST. III.

An proprium à specie distinguatur, & quomodo.

PRæsens quæstio solum de proprio, & specie realibus excitatur, vt an risibilitas distinguatur ab homine, &c. nam de secundis intentionibus satis dictum est solū ratione distingui. Pro determinatione ergo, sciendū est, quod

quod diſtinctio eſt alietas, vel diuerſitas aliquorum, inter quæ aliqua poteſt cadere contradictio, quæ quidem diſtinctio, quatenus eſt rerum diſtinctarum diſtinctio, atque formaliter ſumitur eſt proculdubio relatio, quemadmodum diſtincta ſunt eodem modo ſumpta relatiua; non enim diſtinctum aliquod niſi ab alio, vel alterius diſtinctum intelligi poteſt. Diuiditur autem in ſeptem genera diſtinctionum, quibus totidem identitatum reſpondent, de quibus fuse dicetur in primo Phyſ. quæſt. 6. Nunc ſolum de tribus præcipuis, & ad rem attinentibus dicamus; hæ autem ſunt diſtinctio rationis, realis, & formalis. Diſtinctio rationis eſt inter ea, quæ per ſolam operationem intellectus diſtinguuntur, vt dextrum, & ſiniſtrum in columna; quæ ſic dicuntur diuerſa, quatenus à nobis diuerſimodè conſiderantur. Qua diſtinctione omnia, quæ ab intellectu fiunt diſtinguuntur, nec non entia quoque priuatiua, & negatiua, vt alibi. Diſtinctio realis eſt inter ea, quorum vnum poteſt eſſe ſine alio, ſiue mutuo, ſiue non. Siue per vtriuſque exiſtentiam diſtinctam, ſiue per alterius corruptionem, qua diſtinctione diſtinguitur Petrus à Paulo, cauſa realis, & phyſica à ſuo effectu, ſubſtantia ab accidentibus, &c.

At diſtinctio formalis eſt inter ea, quæ nec à ratione fiunt, vel dependent, neque ſunt à ſe inuicem ſeparabilia; vt intellectus à voluntate, homo ab intellectu, &c. Aliud notandum, quod propria, vel proprietates, ſeu paſſiones (idem namque hæc ſignificant) ſunt duplicia, nempè disiuncta, & ſimplicia.

Proprietates disiunctæ ſunt, quarum vna, vel altera (numquam vtraque ſimul) neceſſe eſt eidem ineſſe; vt actus, vel potentia, ſimplex, vel compoſitum, neceſſarium, vel contingens reſpectu entis; aut ſenſitiuum, vel inſenſitiuum reſpectu viuentis, &c. Aliæ verò ſunt ſimplices, quæ ſine disiunctione ſumuntur, vt riſibilitas hominis, hinnibilitas equi, &c. De disiunctis ſi ſine disiunctione ſumantur, non eſt difficultas, nam vna earum non neceſſariò ineſt, vt aliquod ens non eſt neceſſarium, & ſic neceſſitas ab ipſo aufertur; at ſi ſimul ſumãtur eandem cum ſimplicibus difficultatem habebunt, ideò inter ipſas, & has ſic acceptas non diſtinguamus. Sed per tres concluſiones quæſtiones reſoluamus.

Prima concluſio. Proprietates non diſtinguuntur à ſpecie ſolum diſtinctione rationis. Probatur, nam riſibilitas ſecluſa quacunque intellectus operatione diſtinguitur ab homine, ſiquidem eius aptitudinem ad riſum, non autem formaliter ipſius naturam dicat. Amplius propria paſſio eſt effectus, qui de ſpecie demonſtratur, & à qua fluit, ergo erit inter ipſas aliqua vera diſtinctio, aliter nullus eſſet fluxus, nugatoriaque demonſtratio.

Secunda. Propria paſſio non diſtinguitur realiter à ſpecie, vel ſuo ſubiecto (loquimur namque indifferenter de paſſione ſpecifica, & generica) probatur; nam quæ ſic diſtinguuntur, contingit vt ſeparentur. Præterea. Si diſtingueretur realiter, data vnius ab altero per quamcumque potentiam ſeparatione, vel ſubiectum haberet aptitudinem ad opus ſuæ paſſionis (vt homo ad ridendum v. g.) vel non. Si haberet, iam non eſſet ſeparata, ſi non haberet, non poſſet neque diuinitus naturaliter ridere, quia id dicitur naturaliter tale, ad quod res ipſa habet aptitudinem.

Tertia concluſio. Proprietas ipſa diſtinguitur formaliter à ſuo ſubiecto, & ab alia quacunque paſſione in ipſo exiſtente, vt riſibilitas ab homine, à flebilitate, &c. Probatur ex ſufficienti diuiſione, quia non diſtinguitur ratione, nec realiter, ergo formaliter. Amplius, habet diuerſam conceptibilitatem ex ſe à ſubiecto; ergo diſtinctionem, nam diuerſitas conceptuum ſumitur ab aliqua diuerſitate rei. Præterea. Secluſa omni intellectus operatione, de ipſis verificantur contradictoria, vt propria paſſio eſt ſimplex, ſubiectum non eſt ſimplex, ergo.

At quamplures, & præcipuè Thomiſtæ eam realiter à ſubiecto diſtingui arbitrantur, ideò pro ſua poſitione, & contra noſtras duas vltimas concluſiones inſurgunt; quorum præcipua argumenta ſunt illa.

Primum. Omne accidens diſtinguitur realiter à ſubſtantia; ſed paſſio eſt accidens, videlicet de tertia ſpecie qualitatis, ergo. 1. Arg.

Secundum. Omnis effectus diſtinguitur realiter à ſua cauſa, aliter idem eſſet cauſa ſui ipſius, at paſſio eſt effectus ſui ſubiecti, ergo. Secundum.

Tertium. Quæ ſunt idem realiter eandem habent naturam, & definitionem; non ſic autem ſe habent hęc, nam ſubiectum eſt ens completum, prius, & verè definibile, paſſio incompletum poſterius, & non definibile, ergo. At nil noſtræ efficiunt poſitioni ſi ritè intelligatur, & ſoluantur. Tertium.

Ad primum igitur negatur minor, niſi acciperetur accidens pro quocunque, quod non eſt de eſſentia, ſed non eſt ad propoſitum, quia quædam horum ad ſubſtantiam pertinent, quæ cum identificetur realiter cum ſubiecto, ad ipſum reducuntur, vt imperfectum ad perfectum; ad probationem reſpondetur, non paſſionem ſimpliciter, quæ ſequitur formam eſſe ſpeciem qualitatis; ſed quandam mobilem, & ſuperuenientem diſpoſitionem, quam Ariſt. vocat facilè à ſubiecto mobilem, quod dici non poteſt de proprio; quod ſi ipſi benè perpendiſſent, ſic inconſulte locuti non fuiſſent.

Ad ſecundum dicitur, duplicem eſſe effectum, nempè phyſicum, qui per motum producitur, & hic à cauſa realiter diſtinguitur; alter eſt metaphyſicus, qui neque producitur per motum, neque eſt verè effectus illius cui attribuitur; ſed vtrumque ſimul ab efficiente fit; hoc tamen naturæ ordine, vt vnum ſit alterius fundamentum, ex quo pariter alterius dependeat cognitio; vnde a quibuſdam non malè, vocatur cauſa cognoſcendi, non autem ſimpliciter eſſendi, & ſic propria paſſio in comparatione ad ſubiectum ſe habet, non enim riſibilitas fit à rationalitate, ſed ab eo à quo rationalitas efficitur, & ſi ab ipſa dependeat, &c.

Ad tertium dicitur, non opus eſſe ea, quæ realiter ſunt idem, in omnibus (vt argumentum aſſumit) conuenire; nam ratione formalis diſtinctionis, circa prædicta, vel alia differre poſſunt; vnde proprietas habet eandem naturam identicè cum ſubiecto, non autem penitus formaliter, & quidditatiuè, eo autem modo ſufficit. At hic eſt aduertendum, quod non ſolum paſſio ſubſtantiæ ſic ſe habet ad ipſam, ſed vnaquæque in comparatione ad ſuum ſubiectum, vel proprium fundamentum; neque debemus accipere pro ſubiecto ipſam ſubſtantiam, niſi in proprio genere, ſed proportionaliter, vt paſſio quantitatis habet quantitatem pro ſubiecto, qualitatis qualitatem, &c.

C A P V T V.

De Accidente.

Accidens autem eſt, quod adeſt, & abeſt à ſubiecto præter ſubiecti corruptionem. Atque eſt duplex, videlicet ſeparabile, vt dormire, ſedere, &c. & inſeparabile, vt nigredo corui, & Aethiopis. At ſi quis dicat, ſi accidens in communi eſt, quod adeſt, & abeſt, quomodo ergo aliquod accidens poterit eſſe inſeparabile; huic etenim repugnabit abeſſe, uel ſeparari, & per conſequens uel mala erit accidentis definitio, uel hoc ſub ipſa non claudetur. Reſpondetur, ſat eſſe, ut ſine repugnantia poſſit unumquodque accidens per intellectum à ſubiecto abeſſe,

abesse, vel separari; & sic omne accidens sub tali comprehendetur definitione, Potest namque sine implicatione intelligi coruus albus, & Aethiops nigredinis colorem abijcens absque ipsorum corruptione. Definiunt sic quoque ipsum accidens. Est quod contigit eidem inesse, & non inesse. Tertiò sic. Accidens non est genus, neque differentia, neque species, neque proprium, semper autem est in subiecto subsistens, seu inhærens. Cùm ergo de omnibus, quæ proposuimus, à nobis determinatum sit (dico autem de genere, specie, differentia, proprio, & accidente) dicendum est, quæ eis sint communia, & quæ propria.

QVÆST. I.

An accidens benè assignetur.

ARguitur primò contra definitionem eius. In hac definitione nulla fit mentio de vniuersale, ergo non benè definitur, quia vt vniuersale definiri, & considerari debet.

Secundò. Prædicta definitio conuenit formæ substantiali, ipsa namque adest, & abest à subiecto absque ipsius corruptione, vt omnibus Philosophis notum est.

Tertiò. Non conuenit omnibus accidentibus, ergo est insufficiens. Probatur antecedens, nam mors, cæcitas, infirmitas, &c. sunt accidentia, quæ tamen subiectum corrumpunt, imo idem efficiunt calor, frigus, &c. ergo.

Quartò. Secunda definitio non videtur à prima differens, ergo est superflua.

Quintò. Tertia definitio datur per negationem, dicendo, accidens non esse genus, nec speciem, &c. ergo non est bona.

Sextò contra diuisionem. Nullum accidens est separabile ex 1. Phys. text. 14. ergo non benè diuiditur in separabile, & in inseparabile.

Septimò, contra id quod dicitur, omne accidens posse abesse, vel separari per intellectum. Si hoc namque sufficeret, proprium etiam accidens esset, quia sic per intellectum est separabile; immò & quamplura prædicata essentialia, vel principia; quia possumus intelligere animal absque homine; & principia essentialia absque eo cuius sunt principia; vt materiam, & formam absque composito: quare vel omnia hæc essent accidentia, quod est absurdum, vel dicendum est, non esse sic per intellectum accidens separabile, vnde inepta est Porphyrij determinatio.

Pro resolutione sciendum est primò, quod accidens accipitur quinque modis; Primò, pro quocumque contingenti in paucioribus, vt inuentio thesauri, productio monstri, &c. & de hoc non est hic ad propositum. Secundò, pro qualibet entitate, quæ aduenit enti in actu, quo pacto etiam ipsum proprium comprehendit, vnde neque de hac communitate hic considerandum est. Tertiò, pro quocunque extraneo, secundum quod committitur fallacia accidentis, quod quandoque potest esse substantia, vt Socrates respectu hominis, ideò neque de eo est hic ad propositum. Quartò modo sumitur sic vniuersaliter, vt comprehendat omnia, quæ non sunt de essentia illius, quorum dicimus esse accidentia, siue sint entia realia, siue rationis, siue positiua, siue priuatiua, vel negatiua; secundum quam considerationem omnia nouem prædicamenta, nempè quantitas, qualitas, &c. omnes secundæ intentiones, omnes priuationes, & negationes amplectuntur: vnde etiam limites præsentis speculationis egreditur. Quintò consideratur, quatenus est quedam entitas realis, quæ sic alicui aduenit, vel inhæret, vt per suum aduentum, vel inhærentiam ipsum neque in esse constituat, neque per ipsius recessum destruatur, sed sibi contingenter, ac variabiliter contingat. Quæ quidem entitas si secundum se spectetur est realis, atque nouem prædicamentis aptatur, ita videlicet, quod omnia ipsa sint accidentia, & hoc accidens fundamentaliter est in hoc loco considerandum, & à Porphyrio definitur; atque super istud fundatur accidens secundæ intentionis, quod ex prima fundamentali definitione sic definiri potest. Accidens est vniuersale, quod prædicatur de pluribus in quale accidentale non conuertibiliter, sed transmutabiliter. Vt igitur aliquid verè, & propriè secundum germanam considerationem sit accidens, debet necessariò esse ens positiuum aduenìens enti in actu, & contingenter, vt dictum est; quod sic confirmatur. Ens reale positiuum, & actuale diuiditur in substantiam, & accidens ex 3. Phys. tex. 3. ergo vtrumque ipsam entis actualem, & positiuam, & realem naturam participare debet; nam diuisum, quando est totum aliquod vniuersale, (vt accidit in proposito) in quolibet membro diuidente secundum se totum clauditur, vnde ea, quæ non sic se habent æquiuocè cum istis dicuntur accidentia, & quod sic sub tali ente contradistinctum à substantia continetur est verè accidens.

Secundò notandum, quod ipsum accidens potest considerari in ordine ad sua inferiora, & sic neque dicitur accidens, neque prædicatur in quale; vt qualitas non est accidens albedinis, sed eius genus, & de ipsa prædicatur in quid; at si consideretur in ordine ad subiectum, tunc dicitur verè accidens, & in quale prædicatur, vt ipsa qualitas in ordine ad substantiam, & alia omnia accidentia, quæ alijs contingenter conueniunt, siue illa, quibus conueniunt sint substantia, siue accidens; vt linea, vel quantitas est accidens substantiæ; at esse visibile, vel coloratum est accidens quantitatis; vnde non solum substantiæ, sed aliorum accidentium datur accidens. At si quis dicat. Accidens non est subiectum accidentis ex 4. Metaphys. Respondetur, id intelligendum esse de subiecto vltimato, fundamentali, & remoto, non autem de propinquo, eo etenim modo solum substãtia est subiectum. Sic itaque in ordine ad subiectum siue ipsum sit substantia, siue accidens, in quale accidentale accidens ipsum prædicatur. Vbi duo obseruare debemus. Primũ, quod ipsum accidens sumatur in concreto, non autem in abstracto; non enim ritè dicimus, homo est albedo, sed albus; qui tamen modus considerandi est alijs quoque, vel omnibus, vel quamplurimis prædicationibus communis. Secundum, quod per prædicari in quale debemus intelligere contingenter, & variabiliter absque conuertibilitate, non autem sic in quale simpliciter: nam quantitas, quæ est accidens prædicatur per quantum, vel quot, &c. similiter actio, vel passio per quomodo, &c. At quæstionem per conclusionem resoluamus.

Accidens ritè assignatur in littera. Patet, nam omnibus accidentibus, quæ sub nouem prædicamentis clauduntur, (si quis diligenter consideret) aptari potest. Alia verò præter hæc non sunt accidentia ad propositum. Quod sic præter ea, quæ in præcedentibus diximus confirmatur. Ens prius quam diuidatur in substantiam, & accidens diuiditur in ens reale, & ens rationis, item in ens positiuum, & priuatiuum, atque in actu, & potentia; & ipsum in actu diuiditur in decem prædicamenta, atque hoc accidens à Porphyrio consideratum, sicut alia vniuersalia, ad ipsa decem prædicamenta ordinatur, vt dictum est in Procemio, ergo solum de ipso determinatur, & per consequens accidentia intentionalia priuatiua, & negatiua excluduntur, quod confirmatur; nam in subdiuisione omnia excluduntur, quæ ad aliud membrum primæ diuisionis attinebant; vt si diuidamus animal per rationale, & irrationale, deinde subdiuidamus Concl.

irratio-

irrationale, tunc quæcunque sub ipso accipiuntur a rationali excluduntur; sic ens primo prædictis diuisionibus diuiditur; denique in subdiuisione accipitur ens reale in actu, & positiuo, ergo alia excludenda sunt, solum ergo nouem prædicamenta (vt diximus) comprehendit; quæ sic prædicari facilè est cognoscere, vnde assignatio erit bona, quæ tamen datur de accidente reali, ex quo facilè ipsum intentionaliter sumptum designatur. Atque eius bonitas ex argumentorum solutione clarius apparebit. Quod prius quam efficiatur, prætereundum non est, quod accidens idem specie respectu diuersorum potest esse separabile, & inseparabile, vt nigredo est inseparabilis a coruo, & a quibusdam alijs inseparabilis; quod iure accidit, nam hæc separabilitas, vel inseparabilitas, non ex natura accidentis prouenit; sic namque omnibus vbique & eodem modo competeret; sed contingit ex diuersa dispositione, vel tenacitate subiecti. Ad Argumenta.

Ad primum patet, definitur namque accidens reale, ex cuius definitione facilè est aliá elicere, vt dictum est.

Ad secundum dicitur, subiectum accidentium esse ens completum, formæ verò incompletum, & illud magis propriè dici subiectum, quod non conuenit huic, quare neque ab eo abest, nec ei propriè adest forma, vel dicatur, quod ibi per adesse intelligatur inhærere, quod est accidentium tantùm; & sic forma substantialis non adest, & ex opposito neque sic abest.

Ad tertium negatur antecedens, ad probationem dicitur mortem, corruptionem, febrim, &c. non esse accidentia, sed priuationes. Quidam dicunt, subiectum ipsorum esse materiam primam, quæ non corrumpitur, sed nesciunt quid dicant; nam in ipsa hæc accidentia non immediatè recipiuntur, numquid ipsa est cæca, vel ægrota, &c. Alij dicunt per intellectum esse separabilia sine corruptione, sed neque benè, nam intelligendo mortem, vel corruptionem adesse, integrum eius subiectum non possumus intelligere, quare dicatur vt supra. Ad aliam partem de calore, frigore, &c. respondetur dupliciter, vno modo, quod possunt intelligi eorum subiecta sine ipsis absque corruptione, & absque repugnantia; ita vt sit sensus, accidens est, quod neque adueniens constituit essentiam alicuius, neque recedens diruit; sine in natura aliud contingat, siue non, quæ est etiam sententia Porphyrij, nec eam reijcio, licet sit ampla nimis, atque ad multa extra accidentis assignari naturam (vt intuenti patet) se extendit. Dicerem itaque (saluo meliori iudicio) accidentia respectu proprij subiecti posse adesse, & abesse sine eius corruptione, vel saltem variari, puta intendi, & remitti; at respectu aliorum quædam sunt extranea, & corruptiua, vnde per ipsa corruptiones, & generationes fiunt, vt patet in libris de generatione. Sic calor non corrumpit ignem, sed glaciem, frigus non aquam, sed ignem, &c, & sic illa definitio intelligenda est de subiecto proprio, & naturali.

Ad quartum dicitur, re vera eam à præcedenti parum differre, sed aliorum esse, quam Porphyrius non reprobat.

Ad quintum dicitur, illam definitionem non esse per puram negationem; sed sensus est. Accidens est entitas inhærens subiecto à genere, specie, differentia, & proprio differens.

Ad sextum respondetur, accidens dici separabile dupliciter, vno modo, quod separatum à substantia per se existere possit, & sic nullum naturaliter est separabile. Alio modo, quod destruatur subiecto remanente, & sic quædam sunt separabilia, quædam non.

Ad septimum respondetur, accidens sic posse per intellectum separatum intelligi, vt cum opposito eius subiectum absque repugnantia percipi possit, vt Aethyops, vel Cygnus niger; non sic se habent proprium, nec alia, quæ in argumento allata fuerunt, neque enim homo cum opposito risibilitatis, vel animalis, vel suorum principiorum intelligibilis est.

QVÆSTIO II.

An quod vni est proprium alteri possit esse accidens, & è contrà.

Arguitur primò, quod sic. Vnumquodque ens reale, & naturale habet determinatam causam a qua procedat, vnde est commune proloquium; nihil est ortum sub cęlo, cuius causa legitima non præcesserit; nimo aliter fieret à casu; accidens ergo hanc causam habebit, at respectu illius erit proprium; quia ab eius essentia per se fluit, aliter non esset per se, & determinata eius causa, vt supponimus, respectu verò aliorum, quibus mutabiliter conuenit erit accidens, & sic patet intentum.

Secundò. Qualitates primæ elementorum sunt eis propriæ, nam ipsarum formas consequuntur, alijs verò accidens, ergo.

Tertiò. Lux in corpore luminoso est proprium, alibi verò accidens; nam ex illius forma fluit, & istis adest, ab eisque abest sine illorum corruptione.

Pro intelligentia sciendum est, quod proprium sic debet ab essentia, vel forma, vel quidditate illius cuius est proprium emanare, vt cum ea conuertatur, & realiter identificetur, aliter proprium non esset, quamobrem habet ab eadem sic adæquatam causam, vt ab alijs causis produci sit impossibile, aliter illa esset adæquata, & non adæquata. Verùm non est negandum, immo necessarium, quod proprium superioris etiá inferioribus aptetur; vt omnes proprietates, sicut omnia prædicata per se animalis etiam homini, leoni, & alijs competunt: non tamen ipsis inferioribus adæquatè, nec conuertibiliter, vt notum est; est enim homo sensitiuus, non tamen solus, ecce inadæquatio, nec valet è contra, sensitiuum est homo, ecce non conuertibilitas. Sed hoc, quod superius diximus non infringit; quia & si proprium vniuersalis, vel superioris etiam inferioribus conuenit, tamen hoc est ratione eiusdem quidditatis superioris, quæ ab inferioribus participatur, nam sicut homo participat naturam animalis, sic sensibilitatem; vnde illa passio semper hæret prædictæ essentiæ vbicumque reperiatur, & solum alijs inest, quia in ipsis talis essentia est, & sic numquam ab illa separatur, sed per se tanquam cum necessaria causa est iuncta; vnde intentum melius confirmatur. Sit ergo conclusio.

Quod vni est proprium alteri non potest esse accidens. Probatur, nam proprium de sua natura, & essentialiter habet causam adæquatam cum qua conuertitur, si igitur alij quoque conueniret, iam adæquatam hanc causam non haberet, & sic esset proprium, & non proprium. Amplius ab Arist. Porphyrio, & alijs omnibus Philosophis ponuntur duo prædicabilia distincta, ergo etiam in rebus realibus distinctionem habere debent; quia ipsæ secundæ intentiones in primis fundantur. Si autem res ipsę reales sic confunderentur, vt naturam secundum varietatem prædicandi variarent, non essent nec distinctę, nec distinctorum prædicabilium fundamenta. Item. Variare naturam solum in comparatione ad aliud est proprium relatiuorum; vt aliquid respectu vnius est maius, respectu alterius minus. Sed proprium, & accidens realiter sumpta (vt loquimur) non sunt formaliter relatiua (nisi fortè in relatiuis ipsis) quæ non sufficiunt eorum naturam construere) ergo. Ex dictis elicitur, quod si alicubi assignatur proprium alicuius, quod ei tantum adæquatè, & suis inferioribus per participationem non conueniat (quod sæpè fit ab Arist.) non est

pro-

proprium in quarto modo, sed in alijs. Ad Argumenta.

Ad primum dicitur, vnumquodque ens reale sic habere determinatam causam, vt debitas dispositiones, & virtutem causandi habeat, non autem sit determinatum hoc, vel illud agens in omnibus, potissimum in accidentibus; vnde est determinatio modi agendi, non autem agentis; quod sufficit, vt res ipsæ à casu non fiant.

Ad secundum negatur antecedens, ad probationem dicimus, eas qualitates non simpliciter sequi formas elementorum; sed formam in tali materia, vnde sequuntur materiam subiectiuè, & dispositiuè, formam ratione finis, neque etenim dum dicimus, accidentia sequi materiam, proprium formam; in illo formam, in hac materiâ excludimus; quasi hoc vel illud à nuda forma, vel nuda materia oriri possint, sed intelligitur modo prædicto.

Ad tertium dicitur, lucem esse proprium corporum luminosorum, & nulli accidens, at lumen in ipsis, & in illis est accidens, differt autem lux à lumine, vt dicetur in secundo de Cælo, q. 14.

QVÆST. III.

An inhærentia sit de essentia Accidentis.

INhærentia est vnio, qua imperfectum, & incompletum aliquid, vt existere possit alicui alteri perfectiori, & completo iungitur. Ex qua definitione duo eliciuntur; alterum est, quod ipsa inhærentia formaliter sumpta sit relatio, nam est inhærentis inhærentia, sicut ipsa vnio pro formali est etiam relatio; sed pro connotato importat res vnitas, vel inhærentes, & id cui inhæret.

Secundum. Quod inhærentia est solum accidentium, & propriorum, nam ipsa tantum sic imperfecta sunt, vt alterius indigeant, & ab altero dependeant in existendo; quare nec forma materiæ, nec ipsa materia formæ, nec compositum vtrique propriè inhæret, nisi vocabulis abutamur. Differt autem ab vnione, sicut species à genere, ita vt omnis inhærentia sit vnio, non autem è contra; sic ergo materia, & forma vniuntur, non tamen vna alteri inhæret, vel inest (idem namque valet inhæsio; & inhærentia, sicut insum, & inhæreo) &c. Duplex est inhærentia, videlicet actualis, & aptitudinalis. Actualis est, qua actualiter ipsum accidens subiecto coniungitur; atque est vltimus ipsius modus intrinsecus per quem in natura existit; sicut subsistentia est vltimus modus etiam substantiæ completæ, per quem pariter in esse reali subsistit. Sed inhærentia aptitudinalis est aptitudo ipsorum accidentium ad actualiter inhærendum subiecto; & se habent sicut risibilitas, & ridere, ipsa namque risibilitas dicit aptitudinem ad ridendum, risus actum, sic inhærentia aptitudinalis risibilitati, actualis risui assimilatur. De vtraque ergo potest esse difficultas, si de essentia accidentis existat. Quæ per hanc conclusionem resoluatur.

Concl. Neutra inhærentia videlicet, nec actualis, nec aptitudinalis est de essentia accidentis. Quo ad primam partem omnes conueniunt, & præcipuè Theologi, qui accidentia saltem absoluta à Deo separari posse à subiecto affirmant, quare actualis inhærentia non erat de essentia illorum; nam, quæ sunt de essentia non possunt, neque per diuinam potentiam ab eo, cuius sunt (ipso remanente) separari. Præterea quilibet actus ab aliquo proueniens est veluti effectus eius; at nullus effectus est de essentia suæ causæ, ergo neque illa actualis inhærentia, quæ est accidētis actus. Sed idem probemus de aptitudinali sic. Nullum posterius est de essentia sui prioris, sed omnis aptitudo est posterius eo cuius est aptitudo, siquidem ab ipso manet, ergo. Amplius, nihil dicitur aptum ad aliquid, nisi supponatur esse, ergo ab illa aptitudine non accipit ipsum esse; nam accipere, & supponere sunt opposita; accipitur namque quod non habetur, & supponitur quod habetur; si ergo ab ea non accipitur esse, neque erit de essentia, quia esse ipsum ab eo, quod est de essentia sui sumitur. Amplius, nullum absolutum constituitur per relatiuum, sed quamplurima sunt accidentia absoluta, & omnis inhærentia tàm videlicet actualis, quàm aptitudinalis sunt formaliter relatiua, ergo. Præterea. Modus rei non constituit rem ipsam, sed inhærentia quæcunque est modus, vel proprietas accidentium, ergo. Benè verum est, ipsam aptitudinalem inhærentiam esse idem essentialiter cum accidentibus, sicut quodlibet proprium in quarto modo cum illo, cuius est proprium, neque est idem aliquid esse idem essentialiter cum alio, & esse de essentia: nam esse essentialiter est identificari, vel non distingui realiter, aut essentialiter ab illo cuius est; sed esse de essentia est constituere aliquid tanquam pars essentialis, vel tanquam genus, vel differentia. Sed est dubitatio de inhærentia aptitudinali accidentium relatiuorum; an sit de essentia, &c. Respondetur eodem modo, quia etiam in ipsis passio est quid posterius, &c. & licet sit relatiuum quid etiam ipsa, est tamen ab ipsis, vt passio relatiua dependens. Sed contra hanc determinationem tres se se offerunt instantiæ. Prima Aristot. 7. Metaphys. text. 2. ait. Accidentia non sunt entia, sed entis, quod est dicere, eo esse quatenus ipsa inhærent, ergo inhærentia ponit ipsa accidentia in esse, & per consequens eis esse tribuit, & de essentia est.

Secunda. Differentia constitutiua est de essentia eius cuius est differentia, sed inhærentia aptitudinalis sic se habet respectu accidētium, ergo. Probatur minor, nam ens tanquam per duas differentias diuiditur in esse per se, & esse in alio; prima differentia constituit substantiam, secunda accidens, ergo.

Tertia. In definitione accidentis ponitur adesse, quod est inhærere, ergo est de essentia eius; nam definientia sunt de essentia.

Ad primam dicitur, Arist. vocare accidentia non entia, sed entis; quatenus sunt entia imperfecta ad substantiam ordinata, & ab ipsa dependentia, quæ nisi ipsi substātiæ inhærerēt non posset esse in natura; non tamen propter hoc sunt simpliciter non entia, vel illa inhærentia est de essentia illorum; quia quæ pertinent ad simplicem existentiam non est necesse vt sint de essentia; immo neque existentia ipsa est de essentia illius cuius est, vt aduersarij quoque fatentur, vnde vnico verbo dicatur, accidentia esse entis dependenter, non autem essentialiter constitutiuè.

Ad secundam negatur minor, ad probationem dicitur, eas non esse differentias, sed proprietates, quæ quia sunt notiores, & differentiæ minus cognitæ, loco illarum accipiuntur.

Ad tertiam respondetur eodem modo, sumitur namque passio pro differentia: neque enim facilè est in istis verām differentiam inuenire.

CAPVT VI.

De communitatibus, & proprietatibus prædicabilium.

IN præcedentibus de prædicabilibus secundum se, & sigillatim egimus, consequens est, vt quomodo adinuicem conueniant, & ab inuicem differant differamus. Est itaq; vna prima inter omnia comparatio, deinde decem peculiares inter se. Commune est igitur omnibus de pluribus prædicari, nempè genus de speciebus, & indiuiduis,

duis, & pariter differentia generica; species specialissima solum de indiuiduis; at proprium specificum de specie cuius est proprium, & de eius indiuiduis, sicut genericum de genere, & de eius inferioribus. Sed accidens de speciebus, & de indiuiduis; cùm hoc tamen discrimine à proprio, quod ipsum accidens licet prædicetur de specie, & indiuiduis; principaliter de indiuiduis dicitur, quàm de specie: proprium verò è contrà; cuius ratio est, quia proprium fluit ab essentia, vel natura, ideò ipsam respicit: sed accidens à materia, quæ indiuidua concernit. Nunc ad particulares communitates, & differentias accedamus.

Prima itaque comparatio accipiatur inter genus, & differentiam (quod ideò fit, quia differentia est veluti forma, quæ ipsum genus quasi materiam contrahit ad speciem, vnde hac de causa hic comparationem speciei cum eodem genere præcedit) Commune est itaque generi, & eius genericæ, atque diuisiuæ differentiæ continere potentialiter species, non tamen æqualiter, quia genus plures, quam ipsa continet; vt quemadmodum animal continet deos (more Gentilium) & homines, sic rationale, quod est eius diuisiua differentia easdem species continet, non autem species brutorum, vnde patet excessus generis. Hac ergo de causa, sicut quæcunque prædicantur per se de genere, etiam de eius speciebus prædicantur; quæcunque de prædicta differentia dicuntur, de speciebus dicentur; vt quia de animali dicitur viuens, substantia, &c. hæc omnia dicentur de homine. Et quia de rationali dicitur ratione vtens, idem de homine dicetur. Conueniunt secundò in hoc, quod sicut ad destructionem generis, destruuntur species, & indiuidua, sic ad destructionem differentiæ. Nunc ipsorum differentias examinemus. Differunt ergo primò in hoc, quod genus de pluribus prædicatur, quam differentia, vt animal de rationali, & irrationali, sed differentia, vt rationale, de rationalibus solum, immo quo ad hoc genus excedit omnia alia prædicabilia, neque enim species, nec proprium, nec accidens, ita amplè prædicatur, vt ipsum. Secundò differunt, quod genus continet potentialiter suas diuisiuas differentias (de ijs enim loquimur,) vt animal rationale, & irrationale; differentiæ verò non sic continent genus, sed potius actualiter. Differunt tertiò, quia genera sunt priora differentijs; vnde destructo genere, differentiæ deficiunt, non autem è contrà; si etenim non sit animal, non erit neque rationale, neque irrationale, sed sine his differentijs saluatur animal, est namque ex sua natura substantia animata sensitiua, siue sit rationalis, siue irrationalis (quod intelligi debet abstractiuè, & quo ad essentiam, nam secundum existentiam non potest dari animal, quin sit rationale, vel irrationale. Quartò differunt, quia genus prædicatur in quid, differentia in quale. Quintò genus est vnum vnius speciei, sed differentiæ possunt esse plures, vt solum animal est genus hominis (loquendo de genere immediato) sed ipsius differentiæ sunt rationale, & mortale, susceptiuum disciplinæ, &c. Sextò, quia genus assimilatur materiæ; differentia formæ. Hæ sunt ipsorum præcipuè communitates, & proprietates. Ad alias accedamus.

Secunda comparatio erit inter genus, & speciem specialissimam. Commune est igitur vtrique de pluribus prædicari, vt dictum est, nec non esse priora his, de quibus prædicantur, atque vtrumque respectu suorum inferiorum est quoddam totum potentiale, vel vniuersale. Differunt autem multis modis. Primò, quia genus continet speciem potentialiter: species autem ipsa non sic continet genus; & hac de causa de pluribus ipsum genus prædicatur quàm species; (licet actualiter species etiam genus contineat, vt in homine actualiter includitur animal.) Secundò differunt, nam genera sunt priora speciebus, immò ipsa genera per specificas differentias ad species contrahuntur, atque destructis generibus, destruuntur species, non autem è contrà: immò posita specie, ponitur genus, non autem posito genere ipsa ponitur. Tertiò differunt, quia genus vniuocè de speciebus prædicatur, non è conuerso. Quartò, quia genera abundant speciebus quas potentialiter continent: species verò abundant differentijs, quas continent actualiter. Quintò, quia sicut nunquam genus potest fieri species specialissima, ita nunquam species fieri potest generalissimum.

Tertia comparatio est inter genus, & proprium. Primò igitur conueniunt in hoc; quod vtrunque sequitur, vel infertur à specie; sicut namque valet dicere, est homo, ergo est animal, sic quoque, est homo, ergo est risibile. Secundò conueniunt in hoc, quod æqualiter genus de suis speciebus prędicatur, & proprium de indiuiduis suę speciei: vt æqualiter (hoc est non secundum magis, nec minus) homo, & bos sunt animal, sicut Cato, & Cicero risibiles. Tertiò conueniunt in prędicando vniuocè: nam sicut genus vniuocè de proprijs speciebus dicitur, sic proprium de ijs, quorum est proprium. Differunt autem primò, quoniam genus est prius proprio, nam prius est animal, v.g. quàm diuidatur per differentias, & per proprietates. Secundò, quia genus prædicatur de pluribus speciebus, proprium de vna sola (loquendo semper de proprio specifico.) Tertiò, quia proprium prædicatur conuertibiliter de sua specie; genus verò hoc modo de nulla. Quartò, quia proprium inest vni speciei tantùm, & omnibus eius indiuiduis, &c. genus autem pluribus conuenit speciebus. Quintò, quia destructo proprio, non destruitur genus, sed benè è contrà, destructo namque genere, destruuntur omnes species eius, & per consequens etiam proprietates, quæ in ipsis speciebus fundantur.

Quarta comparatio est inter genus, & accidens. Conueniunt ergo in hoc, quod accidens tàm separabile, quàm inseparabile de pluribus speciebus prædicatur, quod etiam conuenit generi. Differunt autem primò, quod genus est prius speciebus, de quibus dicitur, accidens autem est suo subiecto posterius, siue sit separabile, siue non. Secundò, quia genus æqualiter participatur à speciebus, sed accidens secundùm magis, & minus. Tertiò, quia genera, & species sunt priora indiuiduis, & accidens in illis est. Quartò, quia genus prædicatur in quid, accidens in quale, vel quomodo. Genus itaque ab alijs quatuor prædicabilibus differt, vt dictum est, nunc de alijs dicetur.

Videntur autem viginti esse communitates, & differentiæ, propterea, quod vnumquodque prædicabile ad alia quatuor collatum, viginti videtur efficere comparationes, nam quater quinque viginti efficiunt, vt notum est. Attamen res non ita se habet, sed solum decem existunt; ratio est, quia genus comparatur ad alia quatuor; differentia verò, quia in prima comparatione collata fuit cum genere, non comparabitur amplius ad ipsum, sed ad tria, scilicet, ad speciem, proprium, & accidens. At species, quoniam ad genus, & differentia in prædictis collata fuit, comparabitur ad duo, puta ad proprium, & accidens; & ipsum proprium eadem de causa solum comparabitur ad vnum, nempè ad accidens, quare à genere quatuor sunt comparationes, à differentia tres; à specie duæ, & vna à proprio, vnde sunt decem.

Quinta comparatio est inter differentiam, & speciem,

conue-

conueniunt ergo in duobus, primò, quod æqualiter participantur à suis inferioribus, hoc est non secundum magis, nec minus. Secundò, semper adsunt ijs, quæ eis participant; vt Socrates semper est homo, & rationalis: quod est verum tàm quoad existentiam, quàm quoad essentiam, vel quidditatem. Differunt autem primò, quia differentia prædicatur in quale, species verò in quid. Secundò, quia differentia (scilicet generica) conuenit pluribus speciebus, at species (nempè specialissima) pluribus indiuiduis tantum. Tertiò, quia differentia generica est prior specie, vnde ipsa ablata, aufertur species, non autem è contrà, vt ablato rationali aufertur homo, sed ablato homine, remanet rationale in dijs. Quartò, differentiæ adinuicem componuntur ad constituendam speciem; vt rationale, & mortale ad constituendum hominem. Sed duæ species nequaquam, nam quamuis equa, & asinus ad generandum mulum (qui ab eis specie differt) concurrant: non tamen ex essentia, vel natura, vel definitione asini, & equi natura muli constituitur.

Sexta comparatio est inter differentiam, & proprium. Conueniunt ergo in duobus; primò, quod æqualiter participantur. Secundò, quod semper, & omnibus illis, quorum sunt, adsunt. At differunt primò, quia differentia (supple generica) de pluribus dicitur speciebus. Proprium autem (specificum) de vna; si autem vtriusque genericum, vel specificum sumeretur, sic non differrent. Secundò differunt, quod differentia (pariter generica) non conuertitur cum specie. Sed proprium specificum (quod est verè proprium, vt dictum est) conuertitur.

Septima comparatio est inter differentiam, & accidens. Est igitur eis commune de pluribus prædicari. Atque accidentia inseparabilia semper, & omni insunt sicut differentiæ, vt omnis homo, & semper est rationalis, & omnis coruus, & semper est niger. At differunt primò, quoniam differentia continet species; sed accidentia, quamuis in ratione prædicandi aliquo modo contineant, tamen prout subiectum est susceptiuum ipsorum, ab ipso quoque continentur. Secundò, quia differentiæ non suscipiunt magis, nec minus, sed benè accidentia. Tertiò, quia differentiæ contrariæ numquam miscentur in eodem: at contraria accidentia possunt, vt calidum, & frigidum in tepido, album, & nigrum in fusco, &c.

Octaua comparatio est inter speciem, & proprium. Commune igitur est vtrique de se inuicem conuertibiliter prædicari, vt homo est risibile, & risibile est homo. Secundò, æqualiter ab indiuiduis participari. Differunt autem primò, quia species (nempè subalterna) potest alterius genus esse, at proprium aliarum specierum esse proprium non potest, si sit (vt decet) specificum, aliter non. Secundò, quia species præcedit proprium, prioritate videlicet naturæ, vt homo est prior risibilitate.

Tertiò, species secundum totum suum esse adest subiectis, vel indiuiduis. Proprium verò nequaquam: quia actus, vel operatio eius non semper adest; vt quamuis homo sit semper risibilis, non tamen semper actu ridet.

Quartò. Termini vel definitiones vtriusque sunt differentes; quare, & ipsa differunt.

Nona comparatio est inter species, & accidens commune. Quæ quidem in hoc tantùm conueniunt, quod de pluribus prædicantur. Raræ autem sunt aliæ ipsorum communitates, propterea, quod valde distant ab inuicem. Differunt autem primò quod species prædicatur in quid, accidens in quale, vel quomodo. Secundò, quia vnaquæque substantia singularis vna tantùm specie participat pluribus verò accidentibus, tàm separabilibus, quàm inseparabilibus. Tertiò, quia species præcedit accidentia. Quartò, quia species æqualiter participatur ab indiuiduis, sed accidens secundum magis, & minus.

Decima comparatio est inter proprium, & accidens: Est igitur accidenti inseparabili, & proprio commune, vt ipsorum subiecta sine eis non existant, vt neque homo præter risibilitatem, neque coruus præter nigredinem. Secundò, quod sicut omni indiuiduo alicuius speciei semper adest proprium; sic inseparabile accidens. Differunt autem primò, quod proprium vni speciei tantùm accidit, sed accidens inseparabile pluribus, vt nigredo coruo, carboni, ebeno, &c. Secundò, quia proprium prædicatur conuertibiliter de specie, accidens verò inseparabile nequaquam. Tertiò, quia proprium æqualiter participatur, sed accidens secundum magis, & minus.

Aliæ possent communitates, & proprietates eorum prædicabilium assignari; sed quoniam istæ sunt principales, & ex his reliqua intelligi poterunt, sufficiant.

Finis Liber Vniuersalium.





ANTONII ROCCI

de Scurcula Marſorum.

IN LIBRVM PRÆDICAMENTORVM Ariſtotelis Paraphraſis textualis, & Quæſtiones.

QVÆSTIO PRIMA.

De inſcriptione fine, vtilitate, ordine, & diuiſione huius Libri.



Vamplura in principio cuiuſque operis examinanda proponuntur, ſed aliquibus ferè inutilibus, vel parum ad rem attinentibus dimiſſis, ea tantùm, quæ in titulo quæſtionis propoſuimus breuiter, & ſine cauillationibus determinabimus. Inſcriptio ergo, vel titulus huius libri eſt categoriarum, & latinè idem ſonat quod prædicamentorum; atque huius inſcriptionis ratio eſt, quia hic conſiderantur res non ſimpliciter prout tales ſunt, ſed ſub ratione vniuerſalitatis, & particularitatis, vel (alijs verbis) quatenus vna nata eſt prædicari de alia, & alia nata eſt ſibi ordinatim ſubijci; quæ quidem prædicationes, & ſubiectiones licet formaliter ſumptæ per intellectum fiant: habent tamen in natura fundamentum, vt melius infra dicetur. Et ſi quis dicat, Cur ergo non denominatur hic liber ſubijcibilium potius, vel æque benè ſicut prædicamentorum, cum etiam quæ ſubijciuntur conſiderentur, atque ſint multo plura ijs, quæ prædicantur, quemadmodum plura ſunt inferiora, quàm ſuperiora, vel particularia, quàm vniuerſalia? Reſpondetur; denominationem fieri hic à principaliori, ſed prædicari, vel prædicatum, aut prædicamentum eſt dignius ſubijci, vel ſubiecto, vel ſubijcibili; nam ipſum prædicatum aſſimilatur formæ, ſubiectum materiæ; quæ eſt ignobilior ipſa forma.

At quoad aliam partem, finis huius operis eſt duplex, nempè non vltimatus, & vltimatus. Finis non vltimatus eſt omnium entium finitorum naturas ſic ordinatas oſtendere, vt omnia vniuerſalia, quæ ad ipſas pertinent, & per quę ab alijs diſtinguuntur cognoſcantur, atque modus prædicandi, & ſubijciendi pariter habeatur. At finis vltimatus eſt demonſtratio, nam ipſa eſt totius Logicæ, quamobrem etiam hoc opus ad ipſam dirigi conueniens eſt, ita videlicet, quod per prædicata eſſentialia, quæ in prædicamentis traduntur conficiantur definitiones, immo, & diuiſiones, aſſignentur differentiæ, & proprietates, ex quibus ritè cognitis facilè eſt demonſtrationem conſtruere. Verùm ſi finis huius libri ſimpliciter in ſe ſpectetur ille erit, quem non vltimatum aſſignauimus. Sed ſicut alicuius membri nou aſſignatur vltimatus finis niſi in ordine ad totum corpus, ita neque hic aliter dicendum erit, quam vti diximus. Vtilitas autem ex fine ſumitur, ſicut namque finis eſt optimum, ſic quæcumque reſpectu ipſius bona ſunt ab ipſo ſunt talia; quare vtilitas, quæ eſt de genere bonorum ex ipſo elicitur, vnde addefiniendum, diuidendum, demonſtrationemq; conficiendam, hæc doctrina vtilis erit.

De ordine autem dicimus, eum meritò in ſecundo loco, ideſt poſt librum prædicabilium collocandum eſſe, quia quæ pertinent ad ſimplicem operationem intellectus, ca quæ ad alias duas pertinent præcedere debent. Sed tam liber prædicabilium, quàm prædicamentorum ad primam nempè ad ſimplicium apprehenſionem pertinent, ergo. Sed hic duæ ſeſe dubitationes offerunt. Prima. Quomodo liber prædicabilium ad primam intellectus operationem pertineat, ſi ſecundæ intentiones fiant per actum comparatiuum intellectus, qui non eſt ſine diſcurſu, atque ipſa prædicabilia ſecundæ intentiones ſint: vt alibi dictum eſt. Secunda; Cur liber prædicamentorum cum agat de rebus, quæ ſunt priores, & fundamentum ſecundarum intentionum non præcedat librum prædicabilium, qui ſolum de ſecundis intentionibus agit. Ad primam dicitur, re vera prædicabilia, & alias intentiones ſecundas per actum comparatiuum intellectus fieri; tamen ibi non conſiderari diſcurſum, ſed effectum eius, qui quidem poteſt eſſe ſimplex, nam ex diſcurſu cauſatur hæc intentio, genus verbi gratia, tamen ipſa ſimpliciter conſideratur. Ad ſecundam dicitur, prædicamentorum librum non agere de rebus ſimpliciter, ſed prout ſunt ordinabiles in modum prædicandi vniuerſaliter, & particulariter; at hic modus cognoſci non poteſt niſi de vniuerſalibus aga-

tur, quare de ipsis prius actum est.

At quoad diuisionem, secatur hic liber in tres partes, in prima agitur de quibusdam necessario præmittendis ad cognitionem prædicamentorum, quæ antepraedicamenta dicuntur; in secunda de prædicamentis ipsis, & in tertia de quibusdam alijs, quæ ad maiorem notitiam eorum, quæ dicta fuerunt, referunt, atque post prædicamenta vocantur.

QVÆSTIO II.

De subiecto huius Libri.

Liber hic de prædicamentis inscribitur (vt diximus) atque de ipsis, vt de principali, & adæquato obiecto per consequens determinabit; difficultas tamen est, quomodo hæc omnia prædicamenta (quæ decem sunt) pro subiecto statui possint.

Vnius namque scientiæ est vnum subiectum tantum; si quidem ab ipsius vnitate ipsa quoque vnitatem trahit, vt alibi dictum est, ergo non hæc decem. Præterea.

Scire est per causam cognoscere ex primo Posteriorum, hæc autem non habent causam, ergo non sunt scibilia, ergo neque sunt subiectum, cum subiectum ipsum sit scibile. Probatur minor. Causa est prior eo cuius est causa, sed istis nihil est prius, cum ipsa sint omnium principia, ergo.

Tertium. Amplius. Tractatio de istis pertinet ad Metaphys. quia sunt entia realia abstracta, & re vera de eis determinatur ab Aristot. 5. & 7. Metaph. ergo non debent considerari in Logica, vnde neque doctrina neque subiectum aliquod est hic inquirendum.

Quartum. Item. Prædicamenta ipsa non sunt aliud quam ordinationes generum, specierum, & aliorum vniuersalium, ergo ad librum vniuersalium attinent, & per consequens neque tractatus diuersus, neque aliud subiectum est pro ipsis inuestigandum.

Pro intelligentia sciendum est primò, quod quæcunque in aliqua facultate tractantur licet multa, atque inter se diuersa videantur, sub vna aliqua communi ratione considerari debent: ratio est, quia à tali communi vnitate scientiæ vnitas sumitur: quare si hanc non haberent, tot quot sunt res tractandæ, constituendæ forent facultates. Hęc autem communitas non opus est, vt semper sit realis præcipuè in scientia rationali, sed satis est, quod eis per intellectum cum fundamento in natura tribuatur. Atque hæc quoque prędicamentis hoc loco inuestiganda, ac inuenienda est. Sit ergo secundò notandum, quod prædicamenta ipsa possunt dupliciter considerari, videlicet fundamentaliter, & pro formali; Primo modo sunt entia realia, atque decem communissima principia limitata, sub quibus omnia Vniuersi comprehenduntur, & ad Metaph. attinent, quibus aliquod quoque commune assignatur, nempè ens.

At formaliter sumpta sunt entia rationis, nam nil aliud dicunt, nisi ordinem prædicationis, & subiectionis vnius rei in comparatione ad aliam; quo pacto ad Logicam pertinent, & eis commune subiectum quærimus. Aliud denique notandum est, quod licet subiectum cuiusque facultatis debeat esse vnum, & incomplexum, ad hoc videlicet, quod sit definibile, vel alio modo explicabile: interdum tamen ob vocabulorum penuriam per plures voces circumscribitur, secundum quod aliqui dicunt vniuersale ordinabile in genere supplere locum innominati subiecti huius libri. At & si hoc interdum verum existat, in proposito tamen hoc fingere non est necesse; quia omnia ipsa prædicamenta sub vno incomplexo, puta sub ratione prædicamenti in communi continentur. Quamobrem sit hæc conclusio responsalis.

Subiectum huius libri est prædicamentum in communi. Probatur, nam omnia, quæ hic tractantur sub ratione prædicandi, vel subijciendi traduntur; hæc autem est ratio prædicamenti, ergo. Amplius, quamuis de substantia, qualitate, &c. hic determinetur, solum modo prædicto efficitur; qua de causa Aristoteles cum realibus proprietatibus (quę ad maiorem explicationem attinent) intentionales miscuit, vt patet potissimum de substantia, cui assignauit non esse in subiecto, significare hoc aliquid, vel quale quid, &c. quæ omnia sunt entia, vel proprietates rationis. Sed si dicatur; non ne de subiecto oportet præsupponere si est, & quid est? Cur ergo de his nullam facit mentionem Aristoteles? Respondetur; has suppositiones non esse semper explicitè tradendas, sed quandoque ad iudicium discentis, vel potius docentis remittuntur; sat namq; est, quod habeant, vel habere possint, explicentur, vel sint explicabiles. Nos ergo quoad si est, dicimus, hæc prædicamenta sic se habere, sicut aliæ secundæ intentiones, sunt etenim per intellectum in ratione formali. At ipsorum quid est examinabitur infra, nunc Argumenta soluamus.

Ad primum patet, nam prædicamentum in communi est quid vnum, & subiectum.

Ad secundum respondetur, non opus est, omnia, quę sciuntur habere causas, nam causæ et ipsæ sciuntur, non tamen per alias causas; verum tamen est, quod causæ in scientia requiruntur, & sic subiectum est suarum passionum causa.

Ad tertium respondetur, hæc omnia pro vt sunt entia realia à materia, & motu abstracta à Metaphysico considerari, sed quatenus sunt ordinabilia in genere, vel ratione prædicationis, & subiectionis considerantur à Logico.

Ad quartum dicitur, quod ordinatio hæc est quid diuersum ab vniuersalibus ipsis, ideò est alia doctrina; quamobrem illic vniuersalia in se considerantur; hic autem secundum ordinem ad fundamenta ordinabilia per subiectionem, & prædicationem. At si aliquis instaret: ergo scientia prædicamentorum subalternatur scientiæ vniuersalium, quod tamen à nullo asseritur. Respondetur hoc non esse verum, quia hæc non sumit principia ab illa, quod tamen est necessariũ adhoc vt aliqua sciẽtia alteri subalternetur, vt ex professo dicemus in primo Post.



TRA-

TRACTATVS PRIMVS

De Antepraedicamentis.

CAPVT I.

De Æquiuocis, Vniuocis, Denominatiuis, & Diuisionibus.



Ntepraedicamenta sunt documenta ad doctrinam praedicamentorum facilius habendam, quorum vsus infra patebit; & sunt specialiter septem, nempè Aequiuoca, Vniuoca, Denominatiua, dua diuisiones, & dua regula.

Aequiuoca dicuntur, quorum solum nomen commune est, & secundum illud nomen ratio substantia, vel natura est diuersa, vt animal viuum, & pictum; vtrumque etenim habet commune nomen, ratio autem vtriusque est diuersa; nam si aliquis vtriusque rationem assignet sub hoc nomine animalis propriam vtriusque assignabit; ita videlicet, quod pictum nihil de natura animalis participabit, sed solum nomen. Idem de homine viuo, atque de picto dicatur, &c.

Vniuoca verò dicuntur, quorum nomen est commune, & secundum illud nomen ratio substantia, vel natura est eadem, vt animal respectu hominis, & bouis: ipsum namque animal, & secundum nomen, & secundum naturam ab homine, & boue participatur; ita vt in ratione animalis eandem habebunt definitionem; nam vtrumque est substantia animata sensitiua, qua est animalis definitio.

Denominatiua verò dicuntur, quacunque ab aliquo differunt casu, nempè fine, vel cadentia dictionis, sed secundum significatum illius nominis habent appellationem: vt Grammaticus est denominatiuum à Grammatica, fortis à fortitudine.

Prima diuisio est vocum, secunda rerum; ad primam itaque accedamus. Eorum qua dicuntur (nempè vocum) alia quidem secundum complexionem dicũtur, vt homo currit, homo vincit, &c. alia verò sine complexione, vt homo, bos, currit, vincit. Qua diuisio eadem est cum ea, qua est terminorum in complexos, & in incomplexos.

Secunda est diuisio rerum, qua talis est. Eorum qua sunt (puta rerum) quadam de subiecto aliquo dicuntur, & non sunt in subiecto; vt homo in vniuersali dicitur de quodam subiecto, scilicet de hoc, & illo homine particulari, non autem est in aliquo subiecto. Alia verò in subiecto quidem sunt, de subiecto autem nullo dicuntur, vt quadam Grammatica in subiecto quidem est, scilicet in anima, non autem dicitur de aliquo subiecto; & hac albedo in subiecto quidem est, nempè in corpore (omnis, enim color in corpore est) de subiecto autem nullo dicitur. Alia verò de subiecto dicuntur, & in subiecto sunt, vt scientia in communi, hac namque est in anima, tanquam in subiecto; & de subiecto dicitur; nempè de hac, & illa scientia, vt de Grammatica, &c. Alia verò neque in subiecto sunt, neque de subiecto dicuntur, vt quidam homo, quidam equus. Vt autem ea, qua dicta sunt intelligantur, sciendum est, quod esse in subiecto est sic inhaerere alicui, vt id quod sic haeret non sit pars illius cui inest; sed tamen sine illo esse non possit, quo pacto se habent omnia accidentia; ita quod esse in subiecto sit proprium, & solum accidentium. Sed dici de subiecto est superius, vel vniuersale praedicari de suo inferiori, vel particulari; quare aequiuocè capitur subiectum vtrobique, nam in prima acceptione (eorum videlicet, qua sunt in subiecto) accipitur pro subiecto accidentium, quod est solum substantia, & in secunda capitur pro quocunque inferiori, siue sit substantia, siue accidens. Regula itaque ex dictis sic facilius explicari potest. Accipiatur substantia vniuersalis, & singularis, vt homo, & Socrates, & pariter accidens vniuersale, & particulare, vt albedo, & hac albedo. Substantia ergo vniuersalis, non erit in subiecto. quia hoc est tantum accidentium. Sed dicitur de subiecto, nempè de particularibus substantijs. At substantia singularis nec erit in subiecto, cum non sit accidens, neque de subiecto dicetur, cum non sit vniuersalis; nam nullum singulare dicitur de subiecto. Sed accidens vniuersale, vt albedo est in subiecto, quia est accidens, & dicitur de subiecto, vt de hac & illa albedine, quia est vniuersale. Accidens denique singulare, quia accidens est in subiecto est, sed quia est singulare de subiecto non dicitur, quorum omnium exempla ex pradictis sunt manifesta.

CAPVT II.

De Regulis, & quadam subdiuisione in decem generalissima.

DVæ sunt regulæ antepraedicamentales. Prima est hæc. Quando alterum de altero prædicatur vt de subiecto (siue de suo inferiori) quæcumque de eo, quod prædicatur dicuntur, omnia etiam de subiecto dicuntur: vt homo de quodam homine prædicatur, animal verò de homine, ergo & de quodam homine, quare quidam homo, & homo est, & animal. Quæ regula veritatem habet, si prædicata sint essentialia; quare è contrà non valet, animal est genus, ergo homo est genus, &c. posset autem sic breuius tradi. Quicquid per se, vel essentialiter dicitur de superiori, dicitur quoque de inferiori.

Secūda regula talis est. Diuersorum generum, & non subalternatim positorum diuersæ sunt species, & differentiæ. Vt quia animal, & scientia sunt diuersa genera non subalterna, nam animal est de genere substantiæ, scientia verò de genere qualitatis, etiam species, & differentiæ ipsorum sunt diuersæ, animalis enim differentiæ sunt, gressibile, bipes, volatile, &c. (per quas diuersæ constituuntur species, vnde habetur intentum) scientia verò nulla earum est, neque enim scientia vna differt ab alia, eo quod sit bipes, vel gressibilis, &c. Diximus autem diuersorum generum non subalternatim positorum; quia genera subalterna easdem possunt habere differentias, & species; nam sicut genera superiora prædicantur de suis inferioribus, sic quoque superiores differentiæ; quare quotcunque differentiæ superioris fuerint, etiam inferiorum erunt, loquendo de differentijs constitutiuis, vt quia differentia constitutiua substantiæ est per se existere, qualibet substantia per se quoque existet, & differentia animalis est sensitiuitas, & homo erit sensitiuus, & leo, &c. Nunc ad subdiuisionem accedamus: Prima itaque diuisio fuit in ea, quæ dicuntur complexè, vel incomplexè. Complexis, itaque dimissis; incomplexa sic iterum diuidantur. Incomplexorum vnumquodque, aut significat substantiam, aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut vbi, aut quando, aut situm esse, aut habere, aut agere, aut pati. Est autem substantia quidem, (vt exemplificando dicatur) vt homo, equus. Quantum, vt bicubitum, tricubitum. Quale, vt album, grammaticum. Ad aliquid vt duplum, dimidium, maius. Vbi, in foro, in Lycio. Quando autem, vt heri, superiori anno. Situm esse, vt iacet, sedet. Habere vt calceatum esse, armatum esse. Agere, vt secare, vrere. Pati vt secari, vri. Singula autem horum secundum se nec affirmationem, nec negationem includunt. Sed affirmatio, vel negatio fit, si adinuicem complectantur. Ratio est, quia omnis affirmatio, & omnis negatio est vera, vel falsa, sed incomplexa non sunt vera, neque falsa, si quis etenim simpliciter aliquem istorum terminorum pronunciet, homo, album, currit, vincit, &c. nihil affirmabit, neque negabit.

QVÆSTIONES

Antepraedicamentorum.

Æquiuoca dicuntur, &c.

QVÆSTIO I.

An æquiuoca ritè assignentur.

ARguitur primò, quòd non. Æquiuoca definiri non possunt, quia definitio est vnius naturæ, in æquiuocis verò includuntur plures, & diuersæ, ergo.

Secundò. Nihil potest in plurali definiri, quia plurale est singulare geminatum, seu copulatum per hanc particulam (&) quæ autem sic copulantur sunt diuersa, quæ vnicam habere non possunt definitionem, ergo.

Tertiò. Quæ dicuntur sunt voces, at æquiuoca non sunt voces, ergo non dicuntur,

Quartò. Contra exemplum de animali viuo, & picto; Si etenim hæc essent æquiuoca in animali, ferè in omnibus esset æquiuocatio, cùm possint figurari, & sic quilibet sermo, atque dictio distinguenda esset.

Quintò. Contra idem; nam quę sunt æquiuoca pertinent ad fallaciam æquiuocationis in sophismatibus; sed homo vel animal viuum, & pictum attinent ad fallaciam de secundum quid ad simpliciter.

Sextò contra idem, quia licet animal pictum æquiuocè diceretur animal, tamen viuum animalis naturam participat; vnde æquiuocum non est, quare malè ambo dicuntur æquiuoca.

Septimò. Æquiuocatio reperitur non solum in nominibus, sed etiam in verbis, aduerbijs, & ferè in omnibus dictionibus, vt quilibet videre potest; ergo malè dicitur, nomen ipsorum esse commune.

Octauò. Reperitur pariter vniuocatio inter accidentia, igitur non benè dicitur, æquiuoca habere rationem substantiæ diuersam.

Pro intelligentia sit primò notandum; quod æquiuoca possunt considerari dupliciter, videlicet formaliter, & pro connotato; formaliter sunt rationes, vel conceptus abstracti, quibus sub vno nomine, & vno diuersitatis conceptu vniuocè plura continentur; ita vt hoc pacto æquiuoca sint vniuoca, vnam habent naturam, & definitionem. Quod sic facilius declaratur. Ratio vel natura vniuersalis æquiuocorum talis est, vt omnibus æquè conueniat, quod autem sic conuenit est quid vniuocum; ergo æquiuoca ac consideratione sunt necessariò vniuoca. Verum est tamen, quod hæc consideratio logica, & secundæ intentionis, quod satis est, & ad propositum magis. At æquiuoca pro connotato sunt res ipsæ significatæ cum ordine ad aliquod nomen commune, vt homo Galliæ, & gallus gallinaceus respectu huius nominis (gallus) in quibus res significatæ dicuntur æquiuoca æquiuocata; & nomen, vel dictio dicitur æquiuocum æquiuocans.

Aliud

Aliud notandum, quod æquiuoca ipsa sic dicuntur quatenus æqualiter voce tantùm participant. Quæ verò vocem, & naturam eandem habent dicuntur vniuoca. At quę diuersis vocibus, diuersisque gaudent naturis, vocãtur diuersiuoca. Et quę vnam naturam, & diuersa retinent nomina dicuntur synonyma.

Tertiò notandum, quod duplex est æquiuocum, nempè à casu, & à consilio. Dicitur à casu, quia nomen ipsum absque ordine super plura significata cadit, vel quoniam nulla habita præcedenti ratione, vel discursu, aut collatione ad alia, quasi per casum pluribus impositum fuit; vt gallus respectu hominis, & auis. Sed æquiuocum a consilio est, dum nomen, vel vox aliqua prius vni, deinde ratione, vel consilio ducti alteri eam imponimus; sic autem se habent omnia nomina propria; spe etenim, vel memoria hunc Petrum; illum Antonium, vel alio nomine nuncupamus, sperando videlicet, quod præcedentibus eisdem vocatis nominibus similentur; vel vt præteritorum memoriam recentem seruemus. Idem accidit in quamplurimis alijs, præter propria nomina, vt facilè quiuis ex se cognoscere potest.

Quartò notandum, quod aliqua possunt sub vna voce esse æquiuoca, & sub alia vniuoca, vt canis marinus, terrestris, & cælestis sunt æquiuoca sub nomine canis; at sub ratione substantiæ, vel corporis sunt vniuoca; quia nomen, & natura substantiæ, atque corporis æqualiter eis conuenit. Quamobrem vt cognoscamus quæ, & sub qua voce sint verè æquiuoca, obseruare debemus tria: primum quod habeant vnum tantùm nomen; secũdum, quod habeant diuersas definitiones, vel descriptiones, non etenim semper est necessaria vera definitio, vt statim dicetur. Tertium, quod hæ distinctæ definitiones sint in ordine ad illud nomen, non autem ad aliud.

Quintò notandum, quod in definitione ipsorum æquiuocorum per nomen non debemus simpliciter, vel in rigore solum nomen intelligere, sed quamcumque dictionem; nam re vera in omnibus dictionibus, & præsertim in significatiuis potest æquiuocatio reperiri. Pariter per rationem non debemus simpliciter definitionem intelligere, si quidem nõ in omnibus, in quibus potest dari æquiuocatio aptabitur vera diuersa ęquiuocatorum definitio, cùm non omnia hæc ex genere, & differentia constent; sed sat est diuersa descriptio, vel conceptus, vel notificatio. Pariter per substantiam non simpliciter substantiam accipere debemus, si quidem etiam in accidentibus æquiuocatio datur, sed idem illic valet substantia, quod natura, vel entitas. Quæ omnia in hoc vltimo notabili dicta applicentur proportionaliter vniuocis. His habitis, ponitur conclusio hæc.

Concl. Æquiuoca benè assignantur, & potissimum pro formali, ita vt verificentur de connotatis, sicut accidit de alijs secundis intentionibus, quorum definitio sic breuiter, (& epilogando) intelligi debet. Æquiuoca sunt conceptus rationales, quibus pro connotato vna dictio est communis, & secundum illam notificatio naturæ est diuersa. In qua conceptus habet locum generis, cætera pro differentia ponuntur; neque exactior definitio est in huiusmodi secundis intentionibus expectanda. Ad Argumenta.

Ad primum dicitur; æquiuoca pro formali vnam dicere naturam.

Ad secundum dicitur, maiorem esse veram de absolutis; at ea, quæ ordinem, vel relationem habẽt ad aliud secus se habent; neque verum est, ea quæ per dictionem copulatiuam vniuntur esse semper sic diuersa, vt eandem naturam participare nequeant; sat enim est, quod sint aliquo modo distincta.

Ad tertium dici potest, quod per ly dicuntur, intelligi debet concipiuntur: Vel quod quatenus in ipsis æquiuocis necessariò includitur nomen, seu dictio, in definitione quoque adhibenda est.

Ad quartum dicitur, ea esse æquiuoca à consilio, quæ in multis reperiri possunt, non tamen de eis est distinguendum, quia in talibus semper est verificatio de primario significato; vel dicatur, esse exempla, de quibus non multum curat Arist.

Ad quintum dicitur, ęquiuoca solũ à casu ad fallaciam æquiuocationis ea attinere; at quæ sunt à consilio nequaquam.

Ad sextum respondetur, æquiuoca à consilio sic se habere, quod æquiuocata ipsa non dicantur mutuò æquiuocata, sed vnum tantùm sic se habeat; sicut è contra, quæ sunt à casu sunt æquiuoca mutuò, vel æqualiter.

Ad septimum, & octauum patet in vltimo notabili.

Vniuoca dicuntur, &c.

QVÆSTIO II.

An vniuoca benè assignentur, vbi aliqua de Analogis quoque dicentur.

Arguitur primò, quòd non. Prædicta Vniuocorum notificatio secundum se tota conuenit etiam denominatiuis, ergo non est bona. Probatur antecedens; nam album secundum nomen, & rationem prædicatur de re alba; non etenim res ipsa solum nomine albedine, sed natura eiusdem participat, vt de se notum est.

Secundò. Quorũ natura est eadem, illa non differunt, sed natura vniuocatorum est eadem, vt patet per definitionem, ergo non differunt; & sic idem esset homo, & equus, nam in animali vniuocantur.

Tertiò. Analoga saltem aliqua sunt verè vniuoca, vt declaratum est in primo Phys. q. 4. & tamen eis hæc vniuocorũ definitio aptari non potest; nam vniuoca æqualiter participant nomen, & rationem eandem, sed analoga secundum prius, & posterius.

Pro resolutione sciendũ est, quod ipsis vniuocis multa, quæ de æquiuocis diximus applicanda sunt, videlicet, quod accipiantur primò & secundò intentionaliter; in ratione primæ intẽtionis sunt res, quæ in aliquo nomine, & in aliqua natura communi per nomen significata conueniunt, vt homo, atque bos in nomine, atque natura animalis. Sed vniuoca secundæ intentionis sunt conceptus illi ex rebus desumptis cum ordine prædicandi; ita vt hæc ratio, vel conceptus vniuocorum omnibus rebus tàm realibus, quàm rationibus (si in nomine, & re cõueniant) aptari potest; atque non tantùm per nomina, sed per verba, aduerbia, participia, &c. explicari possunt. In quibus nomen dicitur vniuocum vniuocans, & res vniuoca vniuocata; & in eorum definitione nomen accipitur pro dictione, ratio pro notificatione, & substãtia pro natura, vnde etiam in accidentibus ipsis vniuocatio reperitur; sicut namque animal vniocè dicitur de homine, & leone, sic color de albedine, & nigredine. Quamobrem in hoc potissimum differunt ab æquiuocis, quod in istis non solum nomen, sicut in illis, sed natura per nomen significata æqualiter à suis vniuocatis participatur. Multa alia de his vniuocis dicenda sunt; sed vsq; ad quartam quæst. primi Phys. reponantur: ibi etenim de entis vniuocatione differẽtes, multiplicitatem, & gradus eius vniuocationis examinabimus. Ad analoga accedamus.

Analoga igitur dicuntur, quæ nomen, vel etiam quandoque naturam aliquam simul ordine quodam participant. Et sunt duplicia videlicet attributionis, & simplicis proportionis. Analoga attributionis sunt, quæ ordinem, vel dependentiam ab aliquo principali habent, & dicuntur attributionis pro vt ipsi tribuuntur, vel ad ipsum ordinentur, vel ab ipso dependent; & eadẽ de causa dicuntur analoga ad vnum, vel ab vno. Et sunt duplicia, nempè

 à simi-

à similitudine, & à causa. A similitudine dicuntur, dum vnum similitudinem alterius participãdo etiam nomen eiusdem accipit; quod contingere potest per formam, & per actionem; vt homo pictus ratione accidentalis formæ, vel figuræ est analogum similitudinis ad hominem,& dicitur homo. Ab actione,sapientes Salomones; continentes Socrates; epulones Sardanapali; crudeles Nerones per analogiam dicuntur.

Analoga verò à causa sunt, quæ ab vno, quod est illorum causa dependent, denominantur, vel ordinantur, & sunt vel à causa efficienti, vel à materiali, vel à formali, vel à finali.

Ab efficienti medicina, v.g. dicitur sana,quia est effectiua sanitatis; A materiali humores sani dicuntur, quia sunt materia, vel receptaculum sanitatis, idem dici potest de membris, vel de toto corpore. A formali dicitur sana humorum benè disposita temperies; nam hæc est ipsius sanitatis forma, vel quidditas. A fine denique dicitur sana dieta, exercitium, &c. quia ad consequendam sanitatem tamquam ad finem diriguntur. At analoga simplicis proportionis sunt quæcunque habitudinem aliquam inter se habent; est enim proportio rerum differentium eadem habitudo, vt cor in animalibus perfectis est sic proportionale ad aliud membrum in alijs; item os in eisdem,& spina in piscibus. Pariter punctum in linea, principium in demonstratione, & fundamentum in domo; vel rex in regno; paterfamilias in domo, & idem dicatur de proportionalibus. Inter hæc autem, & alia hoc est discrimen, quod in illis omnibus semper ratio, vel forma propter quam conueniunt principalius in vno,quam in alio reperitur; in istis hoc non est necessarium, sed possunt æqualitatem, & diuersitatem seruare. At per duas conclusiones quæstionem resoluamus.

Prima. Vniuoca benè assignantur; quorum descriptio talis est. Vniuoca sunt conceptus,quibus eadem dictio,& eadem natura secundum talem dictionẽ est communis. In quibus conceptus est veluti genus,reliqua vicem differentia supplent. Atque datur hæc notificatio in ratione secundæ intentionis. Eius autem bonitas ex argumentorum notificatione magis patebit.

Secunda. Analoga possunt esse vniuoca, & æquiuoca, sic nimirum, quod aliqua sunt vniuoca, & alia æquiuoca. Probatur,nam inter idem, & diuersum non datur medium, sicut neque inter idem, & non idem, ac inter quæcunque contradictoria; ergo analoga habent eandem naturam, vel diuersam, (seruato eodem nomine) si eandem sunt vniuoca; si diuersam sunt æquiuoca, vt patet ex ipsorum æquiuocorum, & vniuocorum definitione; confirmatur, nam homo viuus, & pictus sunt æquiuoca analoga, pariter sanitas,& dieta; at infinitum, quod ab Arist.3.Phys.text.70. analogum ponitur respectu magnitudinis motus,& temporis, seruat eandem naturam, & definitionem,vt ibidem patet. Et ens vniuocè cum quadam analogia de substantia, & accidente dicitur,vt in primo Phys.q.4. fusè dicemus. Præterea Arist. nullam de analogis ab æquiuocis, & vniuocis distinctis mentionem habet; ergo ab eis non distinguitur, aliter fuisset diminutus. At si dicatur, cur ergo omnes, & nos simul cum alijs de ipsis agimus? Respondetur, in analogis seruari à posteriori quemdam ordinem, qui ad accidentalem distinctionem sufficit, semper etenim significatum nominis analogi prius de vno, & postea de alijs verificatur, quod non accidit neque de vniuocis, neque de æquiuocis;at hic ordo non est ex parte nominis communis, sed analogatorum, vt ens quatenus est æqualiter in omnibus reperitur, sed ratione peculiaris perfectionis est magis, & minus perfectum in diuersis. Ex dictis infero; Analoga cum vniuocis habere in ratione sua præcisa, & communi vnum abstractum conceptum ab omnibus inferioribus diuersum sicut ipsa vniuoca. Cùm æquiuocis solùm nomen, &c. Ad Argumenta.

Ad primum negatur antecedens. Ad probationem respondetur; denominatiua prædicari nomine, & re, sed accidentaliter; at vniuoca prædicantur nomine, & ratione, idest essentialiter; hoc namque significat ratio in ipsorum definitione. Aliqui dicunt, vniuoca vniuocè prædicari, sed denominatiua esse vniuoca tantùm prædicata,non autem prędicari vniuocè; quorum differentia reseruetur pro 4.quæst. primi Phys.

Ad secundum dicitur, vniuoca in illa ratione communi esse eadem, vel non differre, vt homo, & equus in animali sunt idem. At inferre,ergo etiam sub particularibus, & proprijs rationibus non differunt, est fallacia consequentis.

Ad tertium patet; Analoga namque possunt esse vniuoca, & æquiuoca sub ratione illa communi nil habent prius, nec posterius, sed solùm in particularibus, quod non officit.

Denominatiua dicuntur, &c.

QVÆSTIO III.

An Denominatiua benè assignentur.

ARguitur primò,quòd non. Nullum concretum definitur; denominatiua sunt concreta, vt patet de albo, nigro, &c. ergo. Probatur maior, nam definitio est vnius naturæ; in concretis sunt duæ, nempè forma accidentalis, & subiectum, vt in albo,albedo, & res,quæ dicitur alba, quamobrem est ens per accidens,quod pariter definiri nequit.

Secundò. Nullum transcendens definitur. Denominatiua sunt transcendentia, ergo. Probatur maior; nam definitio est naturæ alicuius limitatæ. Probatur minor; nam denominatiua idem significant,quod concreta;hæc autem per omnia vagantur, ergo sunt transcendentia.

Tertiò. Quamplura sunt aliorum denominatiua,quę tamen non solo casu, vel cadentia differunt; vt studiosus denominatur à virtute, prauus a vitijs,&c.

Pro resolutione sciendum est primò; quod denominatiua possunt (quemadmodum æquiuoca,& vniuoca) dupliciter considerari, nempè formaliter, & connotatiuè. Primo modo nihil aliud sunt, nisi conceptus rationis, nempè illa abstracta quidditas, vel modus denominandi,verificabilis tamen in primis intentionibus,vel de connotatis, quo pacto sunt vniuoca vnius conceptus,atque vt aliæ secundæ intentiones definibilia. Immo non tantùm hæc, sed quamplurima alia,quæ non esse definibilia dicuntur, hac ratione definiuntur; definimus namque singulare, ens per accidens, contingentia, fortuita, impossibilia, chimerica, &c. quæ tamen pro connotato scibilia non sunt. At denominatiua connotatiuè sunt res ipsæ denominatæ,siue reales,siue intẽtionales,vt album, nigrum, definibile, &c. quo pacto definiri non possunt, vt probat primum argumentum. Verùm definitio prædicta his aptatur in actu exercito.

Secundo sciendum, quod denominatio ipsa fieri potest per omnes quatuor causas, vt per efficientem dicitur actio humana ab homine, per materiam dicitur lapis, vel aliud materiale per formam, viuens dicitur animatum ab anima,quæ est eius forma,per finem dicimus sanam dietam, honorabilem Philosophiam, quia illa ad sanitatem,hæc ad honores dirigitur. Verùm, & si omnibus prædictis, & alijs quoque modis forsitan fieri possunt denominationes, tamen propriè denominatiua dicuntur, quæ à forma accidentali denominantur, quæ est duplex intrinseca, & extrinseca. Dicitur intrinseca,quæ hæret rei denominatæ,vt albedo rei albæ,nigredo nigræ,

& quæ

& quæ interdum potest esse etiam priuatio, vt cæcus à cæcitate, &c. quæ ad formam accidentalem reducitur, saltem sub hac ratione denominandi, vt docet Philosophus 2. Phys.tex.15. Extrinseca autem alteri inest, vt res temporalis dicitur à tempore, quod quidem non ipsi, sed cælesti motui inest; locata à loco, qui locus pariter non sibi, sed circundanti corpore hæret. Quicquid tamē sit de harum denominationum multiplicitate; solū propriè, & verè ea hic, & in rigore denominatiua dicūtur, quæ ab accidentali forma, vel intrinseca, vel extrinseca, vel positiua, vel priuatiua denominantur. Circa quæ duo sunt obseruanda; alterum est; quod denominatiuum principaliter significat formam, secundariò subiectum, vel formam significat, subiectum verò connotat; vt album significat albedinem, connotat autem rem albam. Secundū, quod in istis non sit æquiuocatio. Vnde (vt breuitati consulam) quatuor eis assignantur conditiones. Prima, quod conueniant in principali significato, vt album, & albedo in colore, vel ratione albedinis. Secunda quod conueniant in principio vocis. Tertia quod differant in fine. Quarta quod forma ipsa abstracta sit quid diuersum à concreto, vt albedo differt ab albo. Hæ autem conditiones intelligendæ sunt de denominatiuis re, & voce; nam triplicia sunt, nempè re tantum, vt studiosus à virtute; nomine tantum, vt studiosus a studio; re & nomine simul, vt à fortitudine fortis, & hęc sunt proprijssimè denominatiua, & solum ipsa ab Arist. definiuntur, reliqua sunt talia per attributionem, vel reductionem ad prædicta.

Aliud sciendum, quod denominatiua ipsa differunt à concretis, vt inferius à superiori, omnia namque denominatiua sunt concreta, non autem è contrà, nam denominatiua ipsa sunt concreta accidentalia, sed concreta in communi de essentialibus, & accidentalibus dicuntur; vt homo ab humanitate fit concretus, & ab ipsa denominatur album ab albedine, &c. Vnde aliqui concreta essentialia, essentialia denominatiua dicunt, alia verò accidentalia. Sed quæstionem resoluamus.

Concl. Denominatiua ritè assignantur. Patet, nam omnibus ipsis hæc definitio aptari potest, & alteri non conuenit, vt discurrenti notum erit; & melius soluendo argumenta patebit.

Ad primum respondetur, concretum accidentale ratione prædicta non definiri; & sic non definiuntur neq; connotatiua, sed concretum essentiale definitur; quare cum in ratione communi, & logica ipsa denominatiua sint vnus conceptus suo modo essentialis, & concretus definiri possunt.

Ad secundum dicitur, denominatiua secundæ intentionis non esse transcendentia, sed contineri sub ente rationis, & sub secundas intentiones; neque esse penitus idem cum concretis, vt dictum est. Neque credendum est; hanc esse definitionem specificam, sed bonam, eo modo quo decet, ita vt penitus rei definitæ naturam explicet, &c.

Ad tertium respondetur, ea non esse denominatiua re, & nomine, sicut ab Arist. definiuntur.

Eorum quæ dicuntur, &c.

QVÆSTIO IV.

An duæ diuisiones sint bonæ.

ARguitur primò contra primam. Prædicamenta sunt entia realia, ergo opus non est ad ipsorum, vel constitutionem, vel introductionem, vel declarationem terminos exponere, qui sunt entia rationis; quare frustra est diuisio vocum, vel terminorum.

Secundò. Currit, vincit, &c. qui dicuntur termini incomplexi non sunt incomplexi, quia possunt esse integra oratio perfecta, quæ sine complexione esse non potest; vt si quæratur; quid faciat Petrus, & respondeatur, currit; ly currit est tunc oratio. Ergo.

Tertiò. Contra secundam diuisionem. Hæc diuisio est eadem cum illa, quæ est entis in substantiam, & accidens, ergo vel est superflua, vel saltem breuius explicanda erat, dicendo, eorum quæ sunt alia sunt substantia, alia accidentia, semper etenim nugatio est euitanda.

Quartò contra eandem, dictum est, neque substantiam vniuersalem, neque particularem esse in subiecto; sed hoc est falsum, quia vniuersalis est in suis particularibus, veluti in proprio subiecto, vt homo in Petro, Paulo, &c. & aliquæ particulares substantiæ sunt in subiecto, vt omnes animæ in corpore, omnes aliæ formæ in materia, quæ est verè, & propriè subiectum, vt habetur ab Aristot. 1. Phys. tex. 82. & alibi.

Pro intelligentia sciendum est, quod prædicamenta quamuis sint entia realia.) vt dicetur infra) tamen ad ipsorum cognitionem, & ad logicam considerationem multa expostulant, & præcipuè terminos aliquos, atque modum prędicandi, vnde etiam prędicamenta dicuntur. Ad terminos ergo cognoscendos, & ipsis applicandos prima diuisio tradita fuit; ad modum diuersum prędicandi tradita fuit secunda, quarum vsus infra explicabitur; nunc solum eas esse sufficienter traditas concludamus; nec aliam adducemus ad hoc probationem, quia non est necessarium; si quæ etenim erit difficultas ex argumentorum solutione euanescit; ipsa igitur soluamus. Concl.

Ad primum respondetur; quod quamuis prædicamenta sint entia realia, indigent tamen terminis, qui in prædicamentis adhibentur vt signa, ideò declarandi sunt, & præcipuè incomplexi, & complexi.

Ad secundum negatur prædictos terminos non esse incomplexos, nomina enim, & verba omnia ex se incomplexa sunt: ad probationem dicitur; nunquam verba esse posse orationem, si secundum se sumantur; si vero in comparatione ad aliud, non est inconueniens, sed tunc est aliorum præcedentium virtute; quo pacto etiam nomina ipsa orationem quandoque virtualiter vi præcedentium continent; vt si quęratur, quis cucurrit, & respondeatur, Petrus, tunc ly Petrus virtualiter præcedentem sermonem refert; at hoc non est ex propria virtute, vnde erit semper terminus incomplexus.

Ad tertium dicitur, pro connotato, vel materialiter hanc diuisionem ab ea, quæ est entis in substantiam, & accidens non differre; tamen differt in modo, quia hic insinuatur quomodo res subijciantur, prędicentur, sint in subiecto &c. quę consideratio maximè ad prędicamentorum ordinationem conducit; immo habetur substantia vniuersalis, & particularis, pariter vniuersale, & particulare accidens, de quibus nulla fit mentio in alia. Vel dicatur, hanc non esse diuisionem simpliciter in substantiam, & accidens, sed modi essendi, vel prædicandi ipsorum.

Ad quartum respondetur; substantiam vniuersalem esse quidem in particularibus, sed hoc non est esse in subiecto, (plures namque sunt modi essendi in alio, vt dicetur in 4. phys.) sed vt in singularibus. Pariter nulla forma substantialis est propriè in subiecto, sed in materia, quæ licet subiectum dicatur, nihil tamen refert: est etenim diuersæ rationis à subiecto propriè dicto; illa namque est pars, & eius incompletum: hoc autem est totum, & completum. Posset etiam dici, neque substantiam completam, neque materiam esse in subiecto, cum ipsa sit omnium subiectum, sed de forma non esse inconueniens. At prima responsio est vniuersalior, & melior.

Quando

Quando alterum de altero, &c.

QVÆSTIO V.

An duæ Regulæ prædictæ sint veræ.

ARguitur primò contra primam. Animal prædicatur de homine, & genus prædicatur de animali, non autem de homine; ergo non est vera; si dicatur, quod valet solum in prædicatis essentialibus, non tamen soluitur argumentum, nam genus est essentiale prædicatum, quia prædicatur in quid.

Secundò. Si est verum, quod quicquid dicitur essentialiter de prædicato, dicitur etiam de subiecto, hæc propositio esset vera, subiectum est prædicatum. Probatur consequentia, nam prædicatum prædicatur essentialiter de prædicato, dicendo prædicatum est prædicatum, ergo, & de subiecto; & sic subiectum erit prædicatum.

Tertiò contra secundam. Corpus est de genere substantiæ, & de genere quantitatis, ergo diuersorum generum sunt eędem species, & per consequens etiam differentiæ, quia in speciebus differentiæ clauduntur.

Quartò. Figura est in genere quantitatis, nam per se consideratur à Geometra, qui solas quantitates considerat, & ab Arist. ponitur in genere qualitatis.

Quintò. Motus est in quatuor generibus, videlicet in substantia, quantitate, qualitate, & vbi, ex 3. phys. ergo diuersa genera habent easdem species. Immo ibidem connumeratur idem motus cum actione, & passione.

Sextò. Duplum, & dimidium sunt quantitates, & relatiua; pariter simile, & dissimile sunt relatiua, & qualitates, vt ex ipsorum definitionibus patet; quæ in cap. de quantitate, & qualitate videbuntur.

Pro intelligentia primæ regulæ sciendum est, quod ipsa erit vera tribus conditionibus obseruatis; prima, quod sit de prædicatis essentialibus; defectu cuius non valet. Homo est animal, animal est genus, ergo homo est genus: quoniam genus ipsum cum sit quid intentionale non est de essentia animalis. Secunda, quod non ponantur prædicata, quæ inter prędicatū ipsum, & subiectum differentiam ponant; vt si dicatur, homo est animal, animal est communicabile pluribus animalibus, ergo homo est communicabile pluribus animalibus; nam per esse communicabile pluribus differt ab homine; pariter prædicatum prædicatur de prædicato, ergo & de subiecto; per quod soluitur secundum argumentum. Tertia conditio; quod prædicationes in secundis intentionibus, quæ fiunt per actum signatum verificentur in primis per actum exercitum; vt genus prædicatur in quid de specie, non valet, ergo species est genus: sed homo est animal, vel albedo est color, &c. & per hanc, & per primam conditionem soluitur primum argumentum. Regula igitur (epilogando) talis est. Quando aliquod superius essentialiter in actu exercito prædicabitur de suo inferiori, quicquid essentialiter de ipso prædicabitur, dummodo non sit differentia inter ipsum, & suum inferius, etiam essentialiter de inferiori dicetur; Ex qua regula deducitur modus arguendi de primo ad vltimum, vt de se patet.

Pro secunda regula duo sunt notanda. Primum, quod aliqua possunt esse diuersorum generum quadrupliciter, primo si ambo sint generalissima, vt substantia, & quantitas. Secundò. Si ambo sint sub diuersis generalissimis; vt animal & scientia; nam illud est sub genere substantię, hæc autem sub genere qualitatis. Tertiò, si ambo sint sub eodem genere, sed tamen inter se sint disparata, vel non subordinata, vt animal, & lapis sub genere substantiæ, vel corporis. Quartò, si vnum sub altero continentur, (quæ vocantur subalterna) vt animal sub viuente in genere substantiæ. Aliud notandum, quod quædam sunt differentiæ constitutiuæ, quædam diuisiuæ, item aliæ essentiales, & aliæ accidentales, de quibus fusè dictum est in c. de differentia, tunc tamen ad rē applicentur. At quęstionem hanc per quatuor conclusiones resoluamus.

Prima. Diuersorum generum generalissimorum diuersæ sunt species, & differentiæ. Probatur: nam prædicamenta ipsa sunt decem, prima principia impermixta, ita quod vnum non participat naturam alterius, ergo quæ sub ipsis continentur debent pariter esse immista, quia ex ipsis generalissimis constituuntur. Amplius. Sicut vna essentia, vel natura non potest esse alia; sic neq; quæ sunt vnius generis possunt esse alterius, quia quæ sub talibus generibus sunt, suam habent naturam ab ipsis, & per ipsa.

Secunda. Quæ sunt sub diuersis generalissimis, non possunt habere nec easdem species, neque easdem differentias. Hæc conclusio potest probari vt præcedens, nam quatenus sunt sub diuersis generalissimis nihil habebant, vel permistum, vel commune.

Tertia. Quæ sunt disparata sub eodem genere, & si habeant genera superiora communia, vt animal, & lapis habent corpus; tamen species, & differentiæ essentiales, & inferiores non habent communes; probatur; nam sicut ipsa sunt disparata, vel diuersa, sic quæcunque ab eis essentialiter dependent diuersa erunt, & dicimus notanter essentialiter, quia de accidentalibus non est difficultas; potest namque, & animal, & lapis conuenire in colore, vel alijs qualitatibus; verùm hæc sunt accidentia, vel accidentales differentiæ, non autem essentiales.

Quarta conclusio. Diuersa genera subalterna easdem habere possunt species, & differentias; vt quia animal est genus subalternum viuentis, species, & differentiæ animalis erunt quoque viuentis, & omnes differentiæ constitutiuæ superioris, vel subalternantis generis, erunt etiam inferioris, vel subalternati; vti quia animatū est differentia viuentis, erit etiam animalis; verùm illius adæquata, illius autem inadæquata. Ad Argumenta.

Ad primum, & secundum patet in præcedentibus.

Ad tertium dicitur, quòd corpus æquiuocè dicitur de corpore substantiæ, & quantitatis, illud namque est substantia nata esse quanta, & mobilis; hoc autem est quantitas ipsa molea, nempè longa, lata, & profunda.

Ad quartum respondetur, figuram vno modo accipi pro superficie figurata, vel terminata, & sic est quantitas; alio modo pro ipsa figuratione, vel terminatione, vel modo, & est qualitas; quare patet, quod non sit eadem.

Ad quintum dicitur, motum formaliter sumptum esse solum in genere quantitatis, sed materialiter est transcendens, nec in vno aliquo genere; de quo fusius, & ex professo in 3. Phys. pariter non est idem cum actione, & passione, neque in eodem genere, vt ibid.

Ad sextum respondetur, duplum, & dimidium, æquale, & inæquale, esse relatiua simpliciter, & in genere relationis, sed ipsorum fundamentum est quantitas. Pariter simile, & dissimile, quorum fundamentū est qualitas.

QVÆSTIO VI.

Quid sit prædicamentum, quæ & quomodo res in ipso reponantur: ad cuius rei propositum de vsu Antepredicamentorum dicetur.

PRædicamentum est ordinatio rerum realium inter se sub modo prædicationis, & subiectionis à supremis vniuersalibus limitatis vsque ad indiuidua inclusiuè.

Ex

Ex qua descriptione elicitur, res ipsas in prædicamentis non esse nisi per intellectum; ita vt eas in prædicamentis esse, non sit aliud quam ad inuicem modo prædicto ordinatas concipi: & prædicamenta formaliter, vel obiectiuè sumpta sunt conceptus ab anima fabricati; fundamentaliter sunt res ipsæ. Quæ omnia magis nota erunt, si reliqua in titulo quæstionis proposita determinabuntur, nec enim seorsum considerari possunt propter mutuam ipsorum connexionem. Reponuntur igitur in prędicamento principaliter, & fundamentaliter res primæ intentionis, limitatæ, compositæ, vel componibiles. Dicitur res primæ intentionis, quia prædicamenta sunt entia realia; dicitur limitatæ, quia transcendentia, vt ens, bonum, res &c. in aliquo prædicamento non reponuntur, sed per omnia vagantur; dicitur compositæ, vel cõponibiles, quia prædicamenta ipsa sunt res, ita inter se ordinatæ vt omnia, vel sint superiora, vel inferiora, vel totum, vel partes, quare vel erunt compositæ vt patet de inferioribus, & toto, vel componibiles vt notum est de superioribus, & partibus; vbi per partes etiam principia, & proprietates intelligimus. Quare, quæ neq; composita, neque cõponibilia sunt, in prædicamento nõ erunt, vt Deus &c. de quo infra. Diximus notanter fundamentaliter, & principaliter res in prædicamento reponi; quoniam secundario, secundæ intentiones vt modi, vel imagines, vel instrumenta rerum in prædicamentis sunt; vnde dicimus, prædicamenta continere genera, species, vniuersalia &c. pariter termini in prædicamentis sunt veluti signa.

Res itaq; verè, & propriè in prædicamento ponuntur, quod quidem quatuor modis contingit, videlicet directè, indirectè, reductiuè, & per accidens. Sunt autẽ res in prædicamento directè, quæ positæ, quasi in quadam recta linea se habent, vt superiora, & inferiora, quo pacto ordinantur genera, species, & indiuidua, neque credendum est in vnico prædicamento vnicam esse lineam prædicamentalem, sed tot sunt quot multiplicari possũt constitutiuæ differentiæ; v.g. substãtia diuiditur per corpoream, & incorpoream; sub corporea continetur substantia viuens, & non viuens; illa continet plantas, & omnium animalium genera, quę directè sunt in prędicamẽto substantiæ. Sub incorporea omnes substantiæ immateriales, finitæ pariter directè sunt. Verum est tamen, quod omnium linearum rectarũ origo est vnum supremum genus generalissimum; ita quod in genere substantiæ ipsa substantia communiter sumpta est omnium aliarum principium. Indirectè, seu lateraliter sunt in prædicamento omnes differentiæ, tàm constitutiuæ, quam diuisiuæ, vt rationalitas est in prædicamento in quo est homo, &c. Reductiuè sunt quęcunq; ad illius naturam necessariò attinent; nempe principia, partes, & proprietates; quare non opus est ad hoc quod aliquid sit in aliquo prędicamento, vt formaliter participet naturam, vel prædicationem eius; sat namq; est vt ad ipsum attineat, quare punctum reducitur ad prædicamentum quantitatis, licet non sit formaliter quantitas, &c. Per accidens in Prædicamento sunt, quę ad rem huiusmodi prędicamenti nullatenus attinent, sed benè ab ipsa dependent, & in ipsa fundantur; sic se habent omnia priuatiua, sunt namque in prædicamento, cuius sunt priuationes; vt cæcitas est vbi reponitur visus, surditas vbi auditus, corruptio vbi est generatio &c. Et dicitur notanter esse per accidẽs in tali prædicamento, quia etiam per accidens ad ipsum attinent. Hæc autem omnia, quæ diximus facilius cognoscentur, si de vsu Anteprædicamentorũ breuiter aliqua dicemus, ad hoc namq; ordinantur. Æquiuoca ergo quatenus talia sunt non possunt in prædicamento poni, nisi distinguantur, sed tunc non sunt æquiuoca; vt sanum quatenus de animali, & exercitio dicitur in prædicamẽto non est, sed data distinctione, illud in genere substantiæ, hoc in prędicamento actionis collocatur. Quandoq; autem æquiuoca ad idem attinent prædicamentum, sed sub diuersis lineis, vt canis quatenus dicitur de terrestre, & cælesti; ille enim sub viuente, hoc sub inanimato continetur; verùm habita distinctione, aliter nullo modo, sed tunc sunt veluti termini transcendentes, vel indeterminati. Vniuoca sunt simpliciter in prędicamento, dummodo sint limitata, patet ex opposito æquiuocorũ; hæc namq; vnam naturam significant, vnde vnam respiciunt coordinationem. Denominatiua in prædicamentis non sunt pro vt talia, sed resolui debent in subiectum, & formam, & cuiq; suum prædicamentum assignare; vt albũ resoluatur in subiectum, & albedinem, & illud in genere substantiæ, hæc in genere qualitatis statuatur; & si quandoq; Arist. hæc in prædicamento collocet, intelligendus est ratione formæ; vt album pro albedine, &c. Quare accidentia non reponuntur in prædicamento secundũ esse concretum respectu subiecti, vt patet, sed abstractè, vt non album, sed albedo &c. E contra accidet de substantijs, vt non humanitas, sed homo principalius est in prędicamento, si quidẽ ipsa concreta substantialia prędicationem recipiunt, verùm sunt etiam abstracta, sed reductiuè vt principia; homo namq; per humanitatem tanquam per principium constituitur. Per primam diuisionem, quæ est terminorum, intelligere debemus, quod termini ipsi complexi, neq; res per ipsos significatæ sunt in prędicamento, quia plures, & diuersas naturas significant; termini autem incomplexi vt signa benè in prædicamento collocantur, res vero significatę pariter vt res; Per secundam diuisionem, (eorum quę sunt &c.) hoc intelligendum est, quod nunquam ea quę sunt verè accidentia quinti prędicabilis, & dicũtur esse in subiecto, sint in eodem prędicamento cum suo subiecto. E contra verò, quę de subiecto, vel de inferiori dicuntur in eodem sunt prędicamento. Per primam regulam. (Quando alterum de altero, &c.) obseruare debemus, ea quę in debita ordinatione essentialiter prędicantur, & idem prędicamentum, & eandem lineam rectam respicere. Per secundam (Diuersorum generum &c.) ne prędicamenta misceantur docemur. Sed quod sint inpermista, & distincta. Vnum tamen pro huius quęstionis complemento est animaduertendum, videlicet, quod ea quę in prędicamento collocantur non est necesse quod actualiter existant; probatur, nam prędicamenta sunt rerum secundum esse cognitum; immo pertinent ad scientiam, quę est abstractorum; quare Petrus verbi gratia siue sit, siue non, est in prędicamento substantię. Immo abstractiuè loquendo hęc propositio est vera; Petrus est homo, etiam ipso Petro non existente; quia prędicationes essentiales abstrahunt ab omni existentia.

At si quis dicat; Arist. 3. phys. tex. 3. entia solum in actu in prędicamento collocat, ergo ea quę non existunt ibi poni non debent. Respondetur; ibidem vocari entia in actu, quę vt determinata concipiuntur, non autem propter hoc debent necessariò existere.

Eorum quæ secundum nullam complexionem dicuntur, &c.

QVÆSTIO VII.

An prædicamenta sint tantùm decem: & inter se realiter distincta.

ARguitur primò contra primam partẽ. Ens diuiditur per substantiam, & accidens; ergo qua ratione substantia constituit vnum prædicamentum, & accidens vnum aliud solum constituere debet. Quod confirmatur; nam magis diuersæ substantiæ differunt inter se, quam

quam inter se quoque accidentia diuersa, eo quod ipsæ substantiæ separatæ existere possunt, vt patet de animalibus, & lapidibus &c. quare ex eis fieri possunt facilius quam ex accidentibus diuersæ ordinationes, vel genera.

Secundò. Omnis multitudo reducitur ad vnum ex 5. Top. cap. 15. ergo omnia hæc ad vnum reducentur, & hoc erit prædicamentum, quia in ipsa veluti in sua inferiora poterit secundum prædicationem, & subiectionem ordinari, & sic erit vnum tantum.

Tertiò. Quamplurima alia à prædictis possunt ordinari sub modo vniuersalis, & particularis, seu prædicationis, & subiectionis, in quibus ratio prædicamenti consistit, ergo sunt plura; Antecedens patet de secundis intentionibus, de rebus priuatiuis, atque etiam de chimericis, seu fictitijs.

Quartò. Contra secundam partem. Quæ sunt vnum numero non sunt distincta realiter, sed prædicamenta sunt vnum numero, ergo. Maior videtur nota. Probatur minor. Quæ sunt in eodem subiecto sunt vnum numero, sed omnia nouem prædicamenta accidentium sunt, vel esse possunt in eodem subiecto, nempè in substantia aliqua, ergo. Confirmatur auctoritate Aristotelis 3. phys. tex. 19. asserentis, actionem, & passionem esse vnum motum numero; ergo saltem hæc duo neque inter se, neque à motu distinguuntur, ergo non omnia distincta sunt.

Quinto. Modus, vel gradus alicuius rei non distinguitur realiter à re ipsa, sed vel formalitet, vel ratione, si quidem tales gradus sunt eiusdem entitatis, vt gradus albedinis est eiusdem naturæ cum albedine: At accidentia sunt gradus, vel modus substantiæ, vnde dicuntur non entia, sed entis, ergo.

Pro intelligentia sciendum est primò, quod difficultas tàm de numero, quam de distinctione prædicamentorū intelligenda est de ipsis pro vt sũt entia realia; ita vt sit sensus; An coordinationes reales, quæ prædicamenta dicuntur sint tantum decem; & an substantia, quantitas, qualitas &c. distinguantur realiter, nam si formaliter, & sub modo secundæ intentionis loqueremur, non esset ad propositum: si quidem (quo ad primam partem) solum genera, species, ac differentiæ, & alia prædicabilia in istis clauduntut; quæ decem esse non possunt, nam numerum prædicabilium non excedunt. Et (quo ad secundam partem) entia rationis sola ratione distinguuntur, vt alibi dictum est; quare frustra quæreretur, si distinguantur realiter. Secundo notandum, quod prædicamenta ipsa fundamentaliter sumpta possunt considerari vt sunt quædam entitates, ac rerum omnium limitatarum principia, & sic vnumquodque ex propria natura, definitione, vel conceptu ab alijs distinguitur, & cum alijs numerum facit, verùm quia hæc non facilè cognoscuntur nisi adinuicem ordinata, neque vt sic ad Logicum pertinent, ideò in ratione prædicandi (quæ est à posteriori, & à qua denominantur prædicamenta) numeranda, atque distinguenda sunt, intelligendo semper ipsa fundamenta; ita vt si sint decem modi diuersi prædicandi, intelliguntur decem res, &c. si distincti sint modi, & naturæ ipsæ distinctæ intelligantur. At ne nimis prolixè procedamus, ad conclusiones accedamus.

Prima Conclusio. Prædicamenta realia sunt tantum decem. Probatur. Substantia est fundamentum omnium rerum; ergo primò ipsa secundum diuersas suas prædicationes, & subiectiones considerari debet, & est vnum prædicamentum, nempè substantiæ, cuius proprium est prædicari in quid respectu lineæ rectæ prædicamentalis, vel in quale essentiale, aut conuertibiliter, respectu aliarum linearum; cætera prædicamenta non sumuntur nisi in ordine ad ipsam substantiam; ita vt quot modis de ipsa prædicari possunt, vel eam realiter afficiunt; tot sunt prædicamenta si namque in ordine ad ea, quæ in ipsis singulis collocantur, considerentur, omnia prædicantur in quid, vel in quale essentiale, conuertibiliter &c. sicut ipsa substantia; nam sicut se habent genus, differentia, & proprium substantiæ ad ipsam, ita genus, differentia, & proprium quantitatis ad quantitatem, qualitatis ad qualitatem, & sic de alijs. Si autem sit entitas diuersa à natura substantiæ, vel ei intrinsecus inhæret (est namque ipsa substantia fundamentum omnium) & sic sumuntur tria alia prædicamenta, nempè quantitas, qualitas, & relatio; nam hæc entitas conuenit ipsi substantiæ ad modum cuiusdam secundæ materiæ eam determinantis ad capacitatem, vel receptibilitatem aliorum, & est quantitas. Vel sibi conuenit in ratione absoluta formali, & operatiua, & sic est qualitas.

Si autem ei conuenit in comparatione ad aliud, tunc est relatio. Si verò ipsa entitas non formaliter substantiæ sit, sed quasi vel extrinsecè, vel per modum fluxus tunc sumuntur sex alia prædicamenta. Quoniam si sit entitas, quæ à substantia in aliud fluat est actio; Si quæ sibi ab alio fluat est Passio, si pro vt ab alio continetur immobiliter est Vbi. Si verò modus continendi est Situs. Si autem pariter contineatur, sed mobiliter est Habitus. Si tandem sit duratio eius est Quando. Modi verò prędicandi sunt isti. Substantia prædicatur in quid, vęl quale essentiale. Quantitas in quantum, vel quot, aut quorum. Qualitas in quale accidentale. Relatio in cui, vel ad quod. Actio in quo. Passio à quo. Vbi in vbi, vel quo, vel vnde. Situs in qualiter, vel quomodo situatum. Habitus in qualiter habituatum. Quando, in quando. Ex quibus eo modo quo potest colligitur prædicamentorum sufficientia; exactè etenim eam colligere, omnium rerum perfectissimam cognitionem opus esset adhibere.

Secunda conclusio. Prædicamenta omnia inter se sunt realiter distincta. Probatur. Nam sunt decem prima principia immista, ergo realiter distinguuntur; quæ enim sunt idem, realiter immista non sunt. Amplius. Nihil est idem realiter cum alio nisi sit genus, vel differentia, vel proprietas eius. Sed vnum prædicamentum nec genera, nec differentias, nec proprietates easdem cum alijs, vel cum alio habet, ergo; maior est nota; minor verò quo ad genera, & differentias patet per secundam regulam, nempè, Diuersorum generum, &c. quod verò sint etiam diuersæ proprietates facilè est videre, nam ipsæ à differentia, vel natura constituta ex ipsa, & genere fluunt, ergo si illa est in diuersis diuersa, & istæ. Denique. Quæ sunt idem realiter, sunt eodem modo variabilia, sic autem non se habent prędicamenta; vt per singula discurri potest, non etenim eodem modo variatur quantitas, & substantia, vel quantitas cum qualitate, &c. Ad Argumenta.

Ad primum negatur consequentia: nam omnes substantiæ vnam quidditatem communem, & vnum modum prędicandi respicere possunt; non autem omnia accidentia in comparatione ad ipsam substantiam, quare diuersa ratio existendi non est ad hoc sufficiens.

Ad secundum dicitur; hanc multitudinem reduci ad ens, quod quia est transcendens, non est prædicamẽtum.

Ad tertium dicitur, aliquas ordinationes in secundis intentionibus non esse negandas, sed nos hic loquimur de rebus realibus. Priuatiua verò ad hæc reducuntur, Chimerica autem sunt entia rationis.

Ad quartum dicitur, ea quæ sunt vnum numero subiectiuè solum, vel per concomitantiam non esse idem realiter, sic autem se habent decem prędicamenta, quare in vnica substantia quandoque omnia reperiri possunt. Et sic actio, & passio sunt vnum in motu non autem essentialiter, vel quidditatiuè.

Ad quintum respondetur, duplicem esse modum, nempè intrinsecum alicuius, & hic non semper distinguitur. Sed accidentia, & inter se, & in ordine ad substantiam sunt extrinseca.

TRACTATVS SECVNDVS

De Prædicamentis sigillatim.

CAPVT I.

De Substantia.



Vbstantia autem est, quæ propriè & principaliter, & maximè substare dicitur, quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est, vt quidam homo, & quidam equus. Hæc est prima, vel singularis substantiæ assignatio, secunda autem substantia (diuiditur namque ipsa in primam, & secundam) dicuntur species; in quibus speciebus prima substantia potentialiter continentur, vt quidam homo, qui est prima substantia continetur in specie, nempè in homine; neque tantùm species, sed etiam genera substantiarum dicuntur secundæ substantiæ, vt non tantùm homo, sed animal, viuens, &c. quæ substantiæ diuisio sic ad duo membra reuocari potest. Substantiarum alia singularis, alia vniuersalis. Quod autem vniuersalis substantia sit verè substantia, manifestum est ex his, quæ dicta sunt in præcedentibus, videlicet in prima regula antepræd. ibi namque, ea quæ de alijs essentialiter prædicantur esse eiusdem rationis cum suis subiectis declarauimus; quare cum secundæ substantiæ de primis secundum nomen, & rationem (seu essentialiter) prædicentur, erunt veræ substantiæ. Quod autem sic prædicentur, probatur, non enim homo tantùm, sed ratio, vel definitio quoque eius de quodam homine dicitur, dicuntur igitur secundæ substaneiæ de primis essentialiter; non tamen sunt in illis veluti in subiecto; nam eorum, quæ sunt in subiecto vt plurimum quidem neque nomen, neque ratio prædicatur de subiecto, si abstractè sumantur: vt albedo, quæ est in corpore, vt talis, neque secundum nomen, neque essentialiter de ipso dicetur, est namque falsum dicere, corpus esse albedinem. In quibusdam autem nomen prædicatur (si concretè sumatur) vt corpus dicitur album; at ratio, vel definitio albedinis quidditatiuè de ipso non dicitur. Cùm autem secundæ substantiæ, & nomine, & ratione dicantur de primis, in ipsis, vt in subiecto esse minimè poterunt. Prima itaque substantiæ sunt omnium tàm substantiarum, quàm accidentium fundamenta; ita vt secundæ substãtiæ de ipsis dicantur, & accidentia in ipsis sint, vt in subiecto. Quod quidem manifestum erit per singula discurrendo, vt animal (quod est secunda substantia) prædicatur de homine (qui est pariter secunda) ergo de quodam homine, (qui est prima) nam si de nullo particulari diceretur, neque prædicaretur de homine in communi. Pariter; color (qui est accidens) in corpore est, ergo & in aliquo corpore; quia si non esset in aliquo singulari (quod est prima substantia) neque in communi esset. Quare omnia, vel de primis substantijs dicuntur, vel in ipsis tãquam in subiecto sunt. Ipsis ergo primis non existentibus, impossibile est aliquid aliorum esse.

At inter secundas substantias hæc est obseruanda differentia, quod species, vel substantiæ minus vniuersales sunt magis substantiæ, quam genera, vel substantiæ vniuersaliores. Probatur; nam si quis quærat de prima substantia quid sit: conuenientius respondebitur per speciem, quam per genus; vt si quæratur, quid sit Socrates, vel hæc arbor; familiarius illi hominem, quam animal, & huic arborem, quam plantam assignabimus: quare sunt propinquiores primæ, & verissimæ huic substantiæ, & sic sunt magis subsantiæ. Amplius. Primæ substantiæ, ideò maximè substantiæ dicuntur, quia omnibus subijciuntur, & omnia de ipsis dicuntur, ergo inter secundas substantias, ea magis tales dicentur, quæ pluribus subijciuntur, & plurium prædicationem suscipiũt; sic autem se habent subsantiæ minus vniuersales, nam recipiunt prædicationem ipsorum vniuersaliorum; & pluribus accidentibus subijciuntur, scilicet specificis, & genericis. Quare ex his manifestum est, species esse magis substantias, quam genera. Sed inter species ipsas specialissimas vna non est magis substantia, quam alia, vt non magis est subsantia homo, quam bos. Pariter vna prima substantia nõ est magis substantia, quam alia prima, vt quidam homo, quam quidam bos. Post primas ergo substantias species, & genera ipsarum substantiæ dicuntur; nam de primis prædicantur nomine, & ratione; & sicut ipsæ primæ omnibus subijciuntur, & omnium prædicationem recipiunt; ita secundariò istæ ad alia se habent; ita vt sicut quidam homo dicitur Grammaticus,

maticus, sic homo, & animal, quæ sunt secundæ substantiæ, &c.

Sex sunt proprietates substantiæ. Prima. Commune est omni substantiæ in subiecto non esse: Probatur, nam prima substantia nec est in subiecto, neque de subiecto dicitur, vt ex eius definitione patet. Secundæ autem substantiæ licet dicantur de subiecto, vt homo de quodam homine, non tamen sunt in subiecto. Amplius. Quod est in subiecto non prædicatur nomine, & ratione, seu essentialiter de ipso subiecto, sed secundæ substantiæ sic prædicantur de primis, ergo. Hæc autem proprietas non conuenit solum substantiæ completæ, sed etiam ipsarum differentijs, vt bipes, & gressibile de subiecto quodam dicuntur, non tamen in ipso, vt in subiecto, sunt; nam ratio ipsarum differentiarum de substantijs primis dicitur, sicut ratio secundarum substantiarum; quare si illæ non sunt in subiecto, neque istæ. At si quis dicat, partes substantiarum sunt in ipsis quasi in subiecto, ergo aliqua substantia est in subiecto. Respondetur, hoc nos turbare non debere, quia alius est modus essendi partium in toto, alius in subiecto; sunt ergo illæ vt in toto, non sicut in subiecto. Secunda proprietas. Substantiæ secundæ, & earum differentiæ secundum omnia, quæ eis essentialiter competunt, vniuocè prædicantur de primis substantijs, nam eàm animal, quàm sensitiuum, tam homo, quàm rationale essentialiter, vel secundum nomen, & rationem de indiuiduis prædicantur; immò genera, & differentiæ ipsorum vniuocè, quoque dicuntur de speciebus. Tertia proprietas. Substantia prima significat hoc aliquid, idest substantiam per se existentem, & singularem. sed substantia secũda significat quale quid, idest substantiam vniuersalem, & pluribus communicabilem; non autem simpliciter quale, vt album, sic namque esset accidens; Verùm est tamen, quod propter modum loquendi ipsa vniuersalis substantia videtur hoc aliquid significare; nam dicimus, homo currit, ac si esset singularis, sed in rigore verùm non est, cum ipsa sit vniuersalis, quæ plura comprehendit, & veluti ad se terminet, vel claudat; vt dicens animal plus complectitur, quam dicens hominem. Quarta proprietas. Substantiæ nihil est contrarium; neque enim primæ, neque secundæ est aliquod contrarium, vt discurrenti patere potest: nam contrarietas est inter qualitates primas. Non est autem hoc proprium solius substantiæ; nam multa alia contrarium non habent: bicubito namque, tricubito, numero denario, & quantitati ipsi contrarium aliquod non est. Nisi fortè quis dicat, multum esse contrarium pauco, & magnum paruo, quæ sunt quantitates. Quid autem sit de hoc (infra enim discutietur) hoc sit satis, quod determinatis quantitatibus, vt prædictis, &c. contrariũ non est. Et dicatur nunc ea esse relatiua in quantitate fundata, non autẽ formaliter quantitates, & sic verùm est, quantitati non esse contrariũ. Quinta proprieeas. Substantia non suscipit magis, nec minus. Dico autẽ non quod vna substantia non sit magis substantia, quam altera, sicut diximus de modo pluribus, vel paucioribus subijciẽdi. Sed quod substantia ipsa, vel ad se, vel ad alias comparatæ non dicuntur vnquam magis, nec minus tales, vt homo non est magis substantia, quam bos, neq; hic homo, quam alter, neque seipso; eo modo videlicet, quo aliquid dicitur magis album, quam aliud, vel etiam magis album, quam ipsummet olim fuerit. Sexta proprietas. Substantia vna, & eodem numero existens est susceptiua contrariorum: successiuè tamen, vt quidam homo cum vnus & idem sit, aliquando quidem albus, aliquando fit niger, & calidus, & frigidus, & prauus, & studiosus. Quæ quidem proprietas est solius substantiæ, ita vt in nullis alijs reperiri possit; vt idem color non poterit dici modo albus, modo niger, neque eadem actio modo praua, & modo studiosa, & sic de alijs, quæ substantiæ non sunt. Nisi quis forsitan instet, dicens, quod etiam oratio, & opinio suscipiunt contraria: nam eadem numero oratio est modo vera, modo falsa; vt hæc, Socrates sedet, ipso sedente est vera: eodem autem stante est falsa; idem de opinione dicatur. At si quis benè inspiciat, differt hic modus suscipiendi contraria à prædicto; nam in substantia fit susceptio per mutationem eiusdem substantiæ; at opinio, vel oratio nihil mutatur; immò ipsis maneneibus, res solùm quæ per eas significantur, mutantur. Quapropter dicatur substantiam per sui mutationem esse contrariorum susceptiuam, & erit eius vera proprietas. Vnde oratio, & opinio in præcedenti mutatione nihil mutantur, sed solummodo res, vt diximus. Substantia verò ipsa languorem, & sanitatem in se recipte, quare verè secundum se mutatur. Et sic patet ei tantùm hoc conuenire. De substantia quidem hæc dicta sunt.

Substantia autem est, quæ propriè, &c.

QVÆSTIO I.

An assignatio, & diuisio substantiæ sit bona, & quædam alia dubitationes circa hoc.

ARguitur primò contra assignationem. Quidam homo, & quidam equus non sunt primæ substantiæ, quia prædicantur de pluribus, nempè de hoc, vel illo, sed primæ substantiæ sunt singulares, quæ de pluribus prædicari non possunt, ergo.

Secundò. Quædam substantiæ singulares non maximè substant, sed aliud in quibus sint, vel per quod substent.

ftent, fupponunt, vt omnes formæ fubftantiales, quæ in materia fundantur.

Tertiò contra diuifionem. Prima, & fecunda fubftantia non funt oppofitæ, ergo non debent accipi vt membra contradiftincta. Probatur antecedens; nam fecunda fubftantia prædicatur de prima, & eft idem cum ipfa, vt Petrus eft homo, &c.

Quartò. Vniuerfale eft prius fingularibus ex poftprędicam.cap.de Priori, ergo fecundæ fubftantiæ, quæ funt vniuerfales debent vocari primæ.

Quintò. Habetur, primam fubftantiam effe magis fubftantiam, quam fit fecunda. Contrà. Vniuerfalia funt perfectiora, vel nobiliora fingularibus ex primo Poft. ergo fubftantia fecunda, quæ eft vniuerfalior eft nobilior, & magis talis.

Sextò. Habetur, inter primas fubftantias, & inter fpecies vnam non effe magis fubftantiam, quam fit alia, quia videlicet æqualiter fubftant. Hoc autem eft falfum, quoniam multæ primæ fubftantiæ, & quamplures etiam fpecies pluribus tam prædicatis effentialibus, quam etiam accidentibus fubftant, quam aliæ, vt hic homo, vel etiam homo in communi pluribus accidentibus fubftat, & pluribus prædicatis effentialibus, quam hic lapis, vel lapis; vel hæc aqua, aut aqua, nam quoad accidentia notiffimum eft; fiquidem innumerabilia funt in homine, quæ non funt in prædictis, vt videre, audire, cogitare, amare, fcire, &c. de prædicatis pariter patet; nam eft rifibilis, rationalis, viuens, animal, &c. quorum nullum conuenit prædictis, ergo.

Septimò, contra id quod dicitur. Deftructis primis fubftantijs impoffibile eft aliquid aliorum remanere. Quod non dependet ab alio, non deftruitur ad deftructionem eius. Sed fecundæ fubftantiæ non dependent à primis: ergo primis deftructis non opus eft eas deftrui. Probatur minor, nam prius non dependet à pofteriori, at fecundæ fubftantiæ funt priores primis, ficut quodlibet vniuerfale eft prius fuo particulari, ergo.

Pro intelligentia fit primò notandum, quod fubftantia poteft dici altera alterius prima tripliciter: nempè origine, natura, & perfectione. Primo modo principia effentialia ipfius fubftantiæ funt prima in ordine ad fubftantiam totam completam, & generabilem, vt materia, & forma fic præcedunt compofitum. At prima fecundum naturam dicitur ea à qua non conuertitur effendi confequentia, quo pacto fe habent fubftantiæ vniuerfales in comparatione ad fingulares, vt homo eft hoc modo prior Socrate, quia valet, eft Socrates, ergo eft homo, fed non è contrà; quod dicitur prius natura, nam ipfa natura, vel caufarum naturalium congeries, prius commune, quam fingulare producere, & conferuare intendit; vt in generationem hominis non Petrum, vel Paulum primariò, fed hominem producere ftatuit, quamuis in fingularibus. Sed prima fecundum perfectionem eft, quæ alias, atque ipfarum perfectiones, & plus quoq; continet, fic autem fe habent fubftantiæ fingulares completæ; vt hic homo eft perfectior homine, atque etiam anima, & corpore eiufdem, quia in fe continet hominem ipfum communem cum omnibus fuis perfectionibus, & præter has etiam exiftentiam, nec non fingulares, ac proprias perfectiones; eft pariter perfectior fuis prædictis principijs, ficut totum eft perfectius partibus. Ex dictis elicio, quod per primam fubftantiam, quæ hic ab Arift. definitur, hanc primam fingularem, & completam intelligere debemus; nam cum fit prior perfectione, ei primò prima primitas abfq; limitatione conuenit, vnde fimpliciter primum dicendo, hoc nomen ei aptatur; & eæ, quæ origine, vel natura funt priores, partes huius exiftunt. Quod autem de hac loquatur Arift. patet ex his, quæ fubdit; videlicet, quod omnia accidentia in ipfa fint, & omnia vniuerfalia prędicata de ipfa dicantur. At non funt accidentia in nuda materia, neque in fimplici forma, (vt alibi dicetur) neque prædicationes de ipfis ordinatæ, & prædicamentales fieri poffunt; vt nec anima, nec corpus funt animal, vel rationale, vel rifibile, &c. Ipfa autem prima, & fingularis fubftantia definitur eo modo quo poteft, videlicet in ordine ad ælia, puta ad accidentia, & prædicata effentialia, quia per hæc, veluti per notiora nobis, facilius innotefcit; vnde non eft habenda vt exacta, vel quidditatiua definitio, fed fat eft effe fatis commodam, & explicatiuam, in qua ponuntur negationes, nempè non effe in fubiecto, neque dici de fubiecto ad fupplendā eius cognitionem, per remotionem namque aliquorum, & pofitionem aliorum res facilius clarefcit. Secundæ autem fubftantiæ funt vniuerfales, fiue fint fpecies, fiue fint genera.

Secundò notandum; quod fubftantia ipfa diuidi poteft multis modis, & primò in fpecies, fi vniuerfaliffimè, & genericè fumatur, quod fit per differentias iftas, nempè per corpoream, & incorpoream. Sub incorporea continentur Intelligentiæ, & animæ rationales. Corporea diuiditur per inanimatam, & animatam; fub inanimata comprehenduntur Cœli, elementa, & mifta quædam, vt lapides, metalla, &c. Animata diuiditur per infenfitiuam, & fenfitiuam. Sub infenfitiua continentur arbores, herbæ, radices, virgulta, frutices, &c. Senfitiua diuiditur in rationalem, & irrationalem; rationalis comprehendit homines, irrationalis animalia bruta, nempè aerea, aquea, & terreftria. Vbi notandum eft, quod iftæ diuifiones funt vel per fpecies fubalternas, vel fpecialiffimas, quod fat eft, vt per fpecies fieri dicantur. Secundo modo diuiditur fubftantia in partes effentiales, vt in materiam, & formam, quemadmodum homo in animam, & corpus, quæ diuifio non eft, nifi fubftantiæ completæ, & corruptibilis, fiue fit prima, fiue fecunda. Tertio diuiditur (pariter completa, & prima, & fecunda) in genus, & differentiam, vt homo in animal, & rationale; quæ quibufdam etiam incorruptibilibus fubftantię, vt Angelis, & cęlis conuenit, vt infra dicetur. Quartò diuiditur in partes entitatiuas, quæ diuifio per integrales intelligi poteft; vt fi diuidatur animal in caput, pectus, &c. nam fub qualibet iftarum partium quantarum eft etiam entitas fubftantię, atque competit cuilibet fubftantię corporeæ, tam particulari, quàm vniuerfali; immò & partibus quoque effentialibus; non enim totum tantummodo, fed materia, & forma diuidi fic poteft, vt dicetur in 1. Phyf. Quintò diuiditur in potentias; vt potentiarum animæ, vel etiam animalis, alia eft nutritiua, alia generatiua, &c. Sextò in proprietates, vt animalis, alia proprietas eft fenfibilitas, alia generabilitas, &c. Septima eft per modos; funt autem modi quędā determinationes, vel contractiones, quæ interdum cum fundamento naturæ ab intellectu fupplentur, & fic diuiditur ab Arift. fubftantia in primam, & fecundam, feu in fingularem, & vniuerfalem; nam primum, & fecundum, feu fingulare, & vniuerfale, funt termini, vel modi concipiendi, qui aliquomodo ad confiderationem logicalem attinent, vnde non immeritò hæc erit logicalis diuifio. Ex dictis patet, quid ad vtramque quæftionis partem dicendum fit. Videlicet, bonam effe fubftantiæ affignationem, & diuifionem, quare fufficiet bonitas ex prædictis colligatur. Sed Argumenta foluamus.

Ad primum dicitur, quod licet modo logicali quidam homo prędicetur de pluribus, fupponit tamen pro vno folo, quod fufficit.

Ad fecundum dicitur, eas non effe propriè primas fubftantias, fed partes quarumdam ipfarum.

Ad tertium negatur antecedens; ad probationem dicitur, quod debent fumi cum modis oppofitis, nempè fub ratione primæ, & fecundæ, & fic non prædicantur de fe inuicem, quia prima non eft fecunda.

Ad quartum dicitur, vniuerfales fubftantias effe prio-

res natura particularibus, non autem perfectione, de qua prioritate loquitur Arist.

Ad quintum dicitur, vniuersalia esse nobiliora, vel perfectiora in ordine ad cognitionem scientificam, vel demonstrationem, quæ est de vniuersalibus; non autem in se, vel in modo existendi, vel simpliciter.

Ad sextum dicitur, quod substare pluribus, vel paucioribus accipitur dupliciter, videlicet extensiuè, & sic concludit argumentum, nam vna substantia ad plura prædicata, & accidentia, quam altera extendi potest, vt notum est; alio modo dependenter, vel independenter, & sic omnes primæ æqualiter substant, quia nulla in substando ab alijs pendet, & pariter omnes species specialissimę, quia æqualiter à prima dependent, seu à nullis alijs dependent. Alię magis, & minus vniuersales; prout plus, vel minus à prima dependent, magis, vel minus substant.

Ad septimum negatur minor; ad probationem dicitur, quod illa prioritas est secundum esse cognitum, sed secundum esse reale, & existentiæ à prima dependet, sicut in ipsa fundatur.

QVÆSTIO II.

An Deus, Angeli, & Cæli sint in hoc genere: & quid sit ipsius generalissimum.

QVod Deus sit in hoc genere; probatur. Omnis substantia sub genere substantiæ collocatur, aliter eius ordinatio esset insufficiens, Deus autem est substantia, ergo.

Secundò. Nisi esset in genere, ideò esset, quia est infinitus; at hoc nil officit; quoniam si daretur linea infinita, vel infinita qualitas, illa in genere quantitatis; hęc verò in genere qualitatis collocaretur; ergo & si Deus sit secundum suam essentiam infinitus, in prædicamento tamen collocari potest.

Tertiò. Potest probari, quod non sit infinitus, sic. Sicut quod ita est hic, quod non alibi, est determinatum, vel finitum secundum locum; ita quod sic est hoc, quod non aliud est finitum secundum naturam. Deus autem sic se habet, quia est ita Deus, vel diuinam habet naturam, quod non sit aliud, nec aliam habeat, ergo est finitus, ergo in genere.

Quartò. Quod Angeli non sint in prædicamento, Probatur. Omne, quod est in prædicamento, vel est compositum, vel componibile. At Angeli nullam habent compositionem, ergo. Probatur minor, quia vnumquodque compositum natum est resolui in partes componentes, & sic ipsi essent resolubiles, vel corruptibiles, quod est falsum; quia solum res materiales, & corporeæ sic se habent.

Quintò. Quod neque cęli in genere sint; probatur. Corruptibile, & incorruptibile differunt genere, ex 10. Metaph. text. 26. cœli sunt incorruptibiles, ergo non sunt in genere hoc, in quo res corruptibiles sunt, quare neque in alio, siquidem alia genera sint accidentium. Hoc autem argumētū etiam de Angelis formari potest.

Quomodo, & quæ res in genere collocentur fusè suo loco determinauimus, ideò opus non est ea repetere; tantum hoc obseruabimus, quod quærimus si prædicta sint in genere substantiæ, quoniam si in hoc non sint, neque in alijs esse poterunt, sunt etenim entia nobilissima quæ inter accidentia connumerari non debent, quare si concluderimus in hoc genere non reperiri simpliciter, asserere poterimus, in genere non esse. Ad conclusiones ergo accedamus.

Prima. Deus non est in genere. Probatur, quicquid est in genere aliquo, vel est genus, vel species, vel indiuiduum, vel differentia, vel proprietas illius. At Deus nullo istorum modorum se habere potest, non enim est genus, quia ipsum est pars speciei, vnde dicit imperfectionem; idem dicatur de differentia, neque est species, quoniam ipsa cōponitur ex genere, & differentia. Deus autem est simplicissimus, vel purissimus actus; eadem ratione non est alicuius generis indiuiduum, multo minus est proprietas, nam hæc est entitas imperfecta, quæ a natura cuius est, fluit. Amplius. Quod eminenter omnia continet in aliquo genere esse non potest, nam genera sunt limitata; Deus omnia in sua infinita essentia continet, ergo. Ex dictis elicitur, quod neque ea, quæ in Deo sunt, vel de ipso dicuntur sunt in genere; quoniam sunt omnia hæc propter suam infinitatem, & summam simplicitatem penitus idem cum ipso, & sic neque sapientia, neque bonitas, neque intellectus, voluntas, &c. quatenus ipsius sunt, in genere collocantur.

Secunda conclusio. Angeli sunt in prædicamento hoc substantiæ. Probatur, nam sunt entia finita, & limitata; Item substantiæ immateriales, quarum genus est substantia ipsa; immaterialis verò est differentia. Præterea. Arist. in Metaph. text. 5. diuidit substantiam prædicamentalem in sensibilem, & in insensibilem; atque per insensibilem intelligit Angelos, vel Intelligentias, vt ibidem patet, ergo.

Tertia conclusio. Cęli sunt pariter in hoc prædicamento. Quæ quidem positio confirmari potest aliquibus ex prædictis rationibus. Amplius. Substantia prædicamētalis diuiditur per corpoream, & incorpoream, ergo cum cęli sint corporei sub substantia continentur. Preterea est expressa Arist. sententia 5. Metaph. tex. 15. vbi cęlum, astra, Solem, Lunam, ac Dęmonia quoque in prædicamento substantiæ collocanda esse ait.

Quarta conclusio. Supremum genus cathegoriæ substantiæ est substantia in communi finita, & limitata, contrahibilis per differentias ad omnes finitas substantias, tam corporeas, quam incorporeas; seu tam sensibiles; quam insensibiles; idem namq; valet corporeum quod sensibile, & incorporeum, quod insensibile. Probatur conclusio. Nam ipsum genus generalissimum debet sub se omnia eiusdem generis continere, ergo vt omnes substantias contineat debet esse illis commune, & indifferens, vt dictum est. Amplius. Nisi ipsa sic vniuersaliter sumpta esset supremum genus, duo essent genera substantiæ, videlicet corporea, & incorporea; quod ferè à nullo admittitur. Ad Argumenta.

Ad primum dicitur, quod substantia dici potest à substando, vel à subsistendo. Substare est esse accidentium subiectum. Subsistere est non inesse alteri, neque vt accidens, neque vt pars. Hæc autem quæ subsistit est duplex, aliqua namque per se, & in se, non autem à se subsistit, quæ etiā accidentibus substat, sicut sunt omnes primæ substantiæ, & completæ substantiæ. Quædam per se, in se, & à se subsistit, quæ accidentibus non substat, est infinita, nec in genere collocatur, & est Deus ipse. Vel dicatur, solam substantiam limitatam esse in genere, non autem infinitam sicut est diuina.

Ad secundum dicitur, re vera Deum in genere non esse ob infinitatem; ad improbationem respondetur, non esse parem rationem de infinita linea, vel qualitate, aut alio; quia hæc essent infinita secundum quid, cum determinata entitate quantitatiua, vel qualitatiua, &c. at Deus est simpliciter infinitus.

Ad tertium respondetur, id quod sic est hoc, vt non sit aliud, posse esse entitatis, vel naturæ determinatæ formaliter: at eminenter, virtualiter, & immensiuè non est necessarium; sic autem se habet Deus, in cuius natura eminenter omnia continentur, de quo fusius Theologiæ est opus.

Ad quartum negatur minor; componuntur namque ex genere,& differentia. Ad probationem respondetur, etiam in prædictis entitates resolui posse; non tamen sunt corruptibiles; quia istæ sunt compositiones conceptuum, vel entitatum non realiter distinctarum, circa quas non datur realis resolutio, quare neque corruptibilitas, sed solum per intellectum.

Ad quintum dicitur; corruptibile,& incorruptibile non semper differre genere logico (quod est non conuenire in aliquo conceptu limitato, & generico) sed benè genere Physico, quod est non cõuenire in materia trãsmutabili, vel in eadem specie specialissima, & materiali. Immò aliqua incorruptilia, incompleta videlicet, vt animæ rationales etiam in genere Physico conueniunt; quare de completis est verum, quod differunt genere solum Physico à corruptibilibus.

Commune autem omni substantiæ in subiecto non esse,&c.

QVÆSTIO III.

De tribus primis proprietatibus substantiæ.

NE aliquid desiderabile intactum relinquatur, tres primæ ipsius substantiæ proprietates breuiter discutientur; breuiter inquam, quia vel paruas habent difficultates, vel alibi secundum occasionem de eis dictum fuit, & præcipuè in Anteprædicamentis. Quo ergo ad primam. Sciendum est, quod aliquid esse in subiecto contingit tripliciter, vno modo veluti in inferioribus, vel singularibus, & sic substantiæ secundæ sunt in subiecto; attamen non sic accipitur propriè, & in rigore subiectum, quamuis inferiora ipsa subiecta dicantur. Secundo modo est esse veluti in proprio susceptiuo, seu in propria materia, quæ passim ab Aristot. subiectum dicitur, & sic omnes formæ substantiales in subiecto sunt; neque est sic ad propositum hæc acceptio, quia non esset vniuersalis proprietas cuiusque substantiæ; nisi diceretur, quod Aristot. solum loquatur de substantijs completis tam primis, quam secundis, non autem de partibus; quæ forte non est inepta responsio, vel euasio. Tertio modo esse in subiecto est sic substantiæ inhærere, vt neque sit pars eius, neque per se existere possit id, quod in subiecto est, & sic est solius accidẽtis, sicut è contra substantiæ in subiecto nullatenus sunt, siue sint primæ, siue secundæ, siue totales, siue partiales, nam substantia vniuersaliter sumpta, & prout omnes prædictas comprehendit est ens per se existens, seu alteri non inhærens, sicut inhæret accidens. Patet ergo quomodo hæc prima proprietas substantiæ sit accipienda; & hoc tertio modo accepta est sic ipsius substantiæ proprium, vt omnibus substantiis solis, semper, & conuertibiliter competat. Quo ad secundam proprietatem; sciendum est, quod prædicari vniuocè sumitur vno modo quidditatiuè, & sic differentiæ secundarum substantiarum vniuocè de primis non dicũtur, sed in quale essentiale,&c. Alio modo idem valet prædicari vniuocè, quod essentialiter, & sic vniuocè prædicantur. Vbi obseruandum est, quod hæc proprietas non est ipsarum secundarum substantiarum, & earum differentiarum pro connotato, seu quatenus sunt substantiæ quædam in natura existentes; nam prædicari est secundarum intentionum, nulla autem secunda intentio, vel ens rationis potest esse proprietas entis realis, sed accipiantur secundæ substantiæ cum earum differentijs modo abstracto, vel logicali, sic namque secundas intentiones sapiunt, & prædicantur; ita tamen quod istæ prædicationes in actu signato verificentur de rebus realibus in actu exercito. Vel dicatur, secundas substantias, & earum differentias esse de essentia primarum substantiarum, & hoc significare, & prędicari vniuocè, est vera proprietas in quarto modo proprij, ita vt nec alteri conueniat, sed ipsis solis semper, & conuertibiliter aptetur.

Circa tertiam proprietatem duæ se se offerunt difficultates. Prima. Significare est proprium terminorum. Ergo non substantiæ, neque primæ, neque secundæ. Secunda. Substantiæ secundæ non significant quale quid, quia in quale quid prædicarentur, quod est proprium differentiarum. Ergo. Pro resolutione sciendum est, quod significare contingit dupliciter, vno modo formaliter, principaliter, & per modum veri signi; à quo significare denominatur) & sic est propriũ terminorum maximè vocalium, & scriptorum, sunt namque ipsi notę, vel signa earum, quæ sunt in anima passionum. Alio modo accipitur significare fundamentaliter; quod est esse fundamentum talis significationis, & sic etiam rebus competere potest. Vel dicatur vt supra, nempè primam, & secundam substantiam formaliter dicere secundas intentiones, vt declaratum est, & sic verè significant substantias, scilicet singulares, & vniuersales; fundamentaliter verò ipsas res significatas. Et pro vt formaliter sumuntur habent hanc proprietatem eis tantum conuenientem semper, & conuertibiliter, diuisim tamen; ita vt primæ substantiæ sit proprium significare hoc aliquid, nempè substantiam singularem completam, & subsistentem; secundæ, quale quid, videlicet vniuersalem specificam, vel genericam. Ad secundam difficultatem respondetur, quod quale quid sumitur dupliciter, vno modo, vt idem valeat, quod essentiale per modum contrahentis, & sic est solius differentiæ, vt probat argumentum, alio modo, vt idem sit, quod prædicari in quid vniuersaliter, & per modum contrahibilis, & sic est proprium secundarum substantiarum completarum; potissimum si accipiantur modo formali, & secundo intentionaliter, vt dictum est; nam significatio non conuenit propriè rebus. Sed ipsis secundis substantijs primæ intentionis, loco prædicandi in quale quid aptetur, esse partem essentialem, & contrahibilem primarum, & erit verè ipsarum proprium.

Inest autem substantijs nihil esse contrarium,&c.

QVÆSTIO IV.

De tribus alijs proprietatibus.

SI substantiæ sit aliquod contrarium, determinatum à nobis fuit in 5. Phys. q. 3. & si ipsa suscipiat magis, & minus in primo de gener. & corrupt. pariter determinauimus, ideò vel illuc recurratur, vel vsque ad illud tempus harum exacta cognitio reseruetur. Ad tertiam nunc accedamus.

Quod itaque sola substantia prima non sit susceptiua contrariorum; probatur. Nam etiam quantitas ipsa sic se habet, eadem namque superficies modo est alba, modo nigra, nunc calida, nunc vero frigida,&c. Amplius non tantum Petrus, vel hic homo dicitur, nunc calidus, nunc frigidus; sed etiam homo, vel animal, ergo non tantum primæ, sed etiam secundæ substantiæ hæc proprietas conuenit. Pręterea. Eadem albedo modo potest esse intensa, modo remissa, ergo recipit contraria, & tamen est qualitas. Denique multæ primæ substantiæ contraria suscipere non possunt, ergo non est proprietas in quarto modo; probatur antecedens de corporibus cęle-

ftibus, & de intelligentijs, ac substantijs omnibus spiritualibus. Hæ namque cum incorruptibiles sint, nullas qualitates contrarias suscipere possunt; si quidē hæ qualitates ad corruptionem disponant.

Pro intelligentia sciendum est, quod magnum est discrimen inter habere contrarium, & esse contrariorum susceptiuum; nam habere contrarium est directè respicere aliquod à quo natum sit à subiecto expelli, & etiam illud expellere, sicut se habent caliditas, & frigiditas, humiditas, & siccitas, &c. quo pacto cum nulla substantia sit in subiecto contrarietatem veram habere nequit: & dicimus notanter veram, quia alijs oppositionibus (quæ quandoque ab ipsomet Arist. vocantur contrarietates) non caret; in ea namque est oppositio priuatiua, vt forma, & priuatio; item contradictoria, vt homo non homo. Et etiam relatiua, vt idem, diuersum.

Aliud notandum, quod contrarietas à tribus prædictis alijs oppositionibus distincta, sumitur tripliciter, nempè proprijssimè, minus propriè, & communiter. Primo modo est inter quatuor primas elemētares qualitates, quæ sunt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, & per participationem ipsarum in alijs quoque, vt inter dulce, & amarum, album, nigrum, odoriferum, & fetidum, &c. Secundò modo est inter nonnulla alia accidentia, vt inter actiones, passiones, motus, &c. motus namque sursum contrariatur motui deorsum, in actionibus frigefactio, & calefactio, & in passionibus, frigefieri, & calefieri, &c. quæ cum sint inter entitates positiuas, (vt decet veram contrarietatem) non erunt oppositiones neque contradictoriæ, neque priuatiuæ; & quoniam non includunt relationem, neque erunt relatiuæ; quare sunt verè contrarietates, cum repugnantia, expulsione, &c. At communiter reperitur contrarietas etiam inter differentias substantiales, ait namque Arist. in primo Phys. in vno quoque genere esse vnam primam contrarietatem, videlicet primarum differentiarum, quæ ipsum diuidunt; & omnium primam esse in genere substantiæ, sicut ipsa est primum genus omnium, quia tamen istæ differentiæ non sunt natæ recipi in eodem, neque ab eodem se expellere, vt de alijs contrarijs accidit quamplurimum à vera contrarietate recedunt; vnde simpliciter asserere possumus, nullā substantiā habere verè, & propriè contrarium. At substantia completa siue prima, siue secunda omnem excludit contrarietatem.

Tertiò notandum, quod esse contrariorum susceptiuū contingit dupliciter, vno modo fundamentaliter, & independenter, ita vt quòd suscipit sit primum fundamentum receptionis, & quod nulli alteri innitetur virtute cuius recipiat. Alio modo immediatè, sed dependenter, ita videlicet, quod ipsa cōtraria recipiantur quidem immediatè in ipso; sed ipsum recipiens alteri innitatur, vel in alio quoq; recipiatur. Primò modo substantia tantum est contrariorum susceptiua. Secundò etiam quantitas, & post ipsam forsitan alia quædam accidentia: vt intensio, & remissio in qualitate, v.g. non solū in substantia, & quantitate, sed in ipsamet qualitate recipitur. Ex dictis facilè est quæstionem resoluere; sit ergo conclusio.

Proprium est primæ substantiæ principaliter, & fundamentaliter esse contrariorum susceptiua; probatur; nam ipsa est omnium tam secundarum substantiarum, quam etiam accidentium radix; ergo contrarietatum quoque receptiua erit. Præterea. Omnia in ipsa fundantur, & de ipsa dicuntur, ergo nihil prius ipsa est, & per consequens nihil est primum aliorum susceptiuum. Ad Argumenta.

Ad primum patet, quantitas namque suscipit solum immediatè, & dependenter; sed substantia prima fundamentaliter, atque independenter.

Ad secundum dicitur, secundas substantias non fundamentaliter suscipere, sed secundariò, & ratione primarum; vnde homo in communi non est albus, nec niger, sed particularis tantum; & si dicatur homo albus, vel niger, ideò est, quia est hic, vel ille homo talis, & sic non suscipit contraria, nisi existens, & singularis.

Ad tertium patet ex prædictis: nam albedo non primariò, & fundamentaliter suscipit, &c.

Ad quartum dicitur; corpora cęlestia esse susceptiua diuersorum motuum, & luminum; quæ non opus est, vt sint contraria corruptiua; solum namque primæ qualitates sic se habent, non alia contraria: vnde propter hoc ipsa cęlestia corpora corruptilia non sunt. Pariter. Intelligentiæ diuersarum intellectionum, vel volitionum sunt capaces. Si autem diceretur, soli substantiæ conuenire recipere contraria successiuè, non autem omni; fortè non malè diceretur, & omnis difficultas facilè tolleretur; & quamuis Arist. dicat esse maximè proprium substantiæ, vt contraria recipiat; tamen intelligendum est hoc in comparatione ad alias duas prędictas proprietates, quæ non sic propriæ substantiæ conueniunt, quin quibusdam alijs generibus aptentur. Immò hæc potest vocari etiam maximè propria in comparatione quoque ad omnes alias; quia hæc respicit veram substantiam realem, & realiter existentem, absque vllo modo Logicali, sicutè contra accidit in tribus primis, nam non esse in subiecto, prædicari vniuocè, & significare quale, quid, vel hoc aliquid modum logicalem, vel rationis continent.

CAPVT II.

De Quantitate.

Quantitas diuiditur in discretam, & continuam; & iterum in quantitatem, quæ constat ex partibus, quæ adinuicem habent positionem, & in eam cuius partes hanc positionem non habent. Quantitatis discreta duæ sunt species, videlicet numerus, & oratio. Continua autem quinque, scilicet, linea, superficies, corpus, locus, & tempus. Quod autem numerus, atque oratio sint discreta quantitates; probatur: nam dicitur quantitas discreta, cuius partes non copulantur per terminum aliquem communem, seu non sunt adinuicem continuata. Sic autem se habet numerus, nam tria & septem, aut alij quinis numeri nullam talem retinent copulationem. Similiter se habet oratio, nam quatenus ex syllabis breuibus, vel longis constituitur, non continuatur, sed syllaba ipsa semper discreta, vel distincta sunt: & loquor de oratione vocali. Quod autem è contra, linea, superficies, & corpus sint quantitates continua: probatur; nam omnes ipsarum partes per aliquem communem terminum copulantur (hac namque est ratio continua quantitatis) vt partes linea per punctum, superficiei per lineam, corporis verò per superficiem. Quod verò etiam tempus sit continuum, patet, nam partes eius nempè præteritum, & futurum per ipsum Nunc copulantur. Est etiam continuus locus: nam ipse continet absque discontinuatione partes

partes corporis locati, nempè superficiales; quare cum ipsa ad communem terminum copulentur, & sint continua, sic quoque partes loci se habebunt. Quantitas autem ipsa in communi diuiditur adhuc (vt etiam dictum est) in eam cuius partes habent positionem adinuicem, & in eam cuius partes hanc non habent. Est autem habere positionem sic esse alicubi situatum, vt possimus partes eius distinctè sumere, quare ad hoc vt aliqua quantitas sit talis debet esse continua, & permanens; de quo genere sunt linea, superficies, corpus, & locus, in omnibus etenim prædictis hanc facilè est assignare positionem, vel situm, & partium permanentium distinctionem. In his verò, quæ vel non permanent, vt tempus, vel non sunt continuæ, vt numerus, atque oratio, positionem hanc assignare non poterimus; sed benè in ipsis reperitur ordo, nempè prius, & posterius; vnde hæc sunt de genere eorum, quæ positionem non habent; & sic patet diuisio. Hæc autem omnia sunt propriè, & per se quanta: alia autem, quæ quanta dicuntur, sunt per accidens, idest per coniunctionem, vel comparationem ad has species; vt albedo dicitur tanta, & quanta non ex se, sed ratione superficiei cum qua iungitur, & actio dicitur tanta, vel longa ratione temporis in quo fit, vnde dicitur annua, quia fit in anno, & sic de alijs.

Tres sunt proprietates quantitatis Prima non habere contrarium, quæ circa prædicta manifesta est: vt lineæ, superficiei, corpori: item bicubito, tricubito, &c. nihil est contrarium. Sed aliquis diceret multum esse contrarium pauco, & magnum paruo; quæ tamen quantitates sunt. Cui respondetur: horum nullum esse quantitatem; sed potius de genere relatiuorum, quæ super quantitatem fundantur. Quod patet: nam nihil eorum secundum se dicitur magnum, vel paruum, aut multum, & paucum, sed tantum in comparatione ad aliud: vnde aliquis mons dicitur paruus in comparatione ad maiores; & granum milij dicitur quandoque magnum in comparatione pariter ad alia grana minora: ergo non absolutè dicuntur, sed relatiuè. Pariter in vico dicimus esse multos homines, Athenis verò paucos, cùm tamen pauciores sint in vico. Quod aliunde non accidit, nisi ex relatione; quæ etenim in se, & absolutè sunt talia, in comparatione ad quodcunque aliud semper talia sunt. Amplius, siue hæc ponantur quanta, siue non; tamen nihil eis erit contrarium; quia quod non est absolutum, sed in ordine ad aliud dicitur, contrarium non habet, nisi oppositionem relatiuam contrarietatem vocaremus. Amplius, si magnum, & paruum, multum, & paucum essent contraria; idem simul contraria susciperet, nam idem est magnum, & paruum, multum, & paucum, respectu diuersorum ergo. Quod autem nihil possit simul contraria suscipere, patet; immò ipsa substantia, quæ est contrariorum susceptiua, nec simul suscipit, vnde nullus est simul sanus, & æger. Amplius, idem esset sibimet ipsi contrarium, quia idem est magnum, & paruum, in ordine tamen ad diuersa, quod nil obstat. Quare si quis ponat prædicta in genere quantitatis, non autem relatiuorum, non propter hoc erunt contraria. Sed videntur loca esse contraria vt sursum, & deorsum (vocatur sursum extremitas versus cælum, deorsum centrum, vel medium Mundi) probatur; nam contraria dicuntur, quæ sub eodem genere posita plurimum à se inuicem distant; sic autem hæc loca se habent, & sunt de genere quantitatis, ergo. Respondetur tamen, distantiam contrariorum non intelligendam esse de locali, sed de virtuali, & qualitatiua. Posset etiam dici, sursum, & deorsum comparatiuè, & relatiuè dici vniuersaliter, vt aliquid est alicui sursum, & alteri deorsum; & si in prædictis non contingat, ob vniuersi terminationem, tamen ex se non repugnat; quod sufficit. Secunda proprietas. Quantitas non suscipit magis, nec minus: vt patet si per singulas prædictas species discurramus; neque enim bicubitum magis vnum quam alterum dicimus, neque lineam, neque corpus, vel numerum, &c. Tertia proprietas. Secundum quantitatem res dicuntur æquales, & inæquales; vt æqualis, & inæqualis linea; æqualis; vel inæqualis numerus, locus, tempus, &c. Quæ quidem proprietas est, ita ipsius quantitatis propria, vt alteri generi non competat: sed secundum qualitatem res dicuntur similes, vel dissimiles, secundum substantiam, eædem, vel diuersa, &c. Solùm autem secundum quantitatem æquales, & inæquales dicuntur, vt dictum est.

Quanti autem aliud quidem, &c.

QVÆSTIO I.

An genus quantitatis, & ipsius diuisiones rectè assignentur.

ARguitur primò, quod non benè assignentur. Ante diuisionem ipsius quantitatis in continuam, & discretam debebat communis eiusdem definitio, vel notificatio assignari; sic enim omnia vniuoca explicanda sunt, quod cum non fecerit, defecit.

Secundò. Concretum accidentale non est, nec verè definibile, nec verè scibile; ergo Arist. non benè fecit loquendo de quantitate in concreto, dum asserit, quanti aliud discretum, aliud continuum, &c. Antecedens patet, nam ipsum accidentale concretum est quid per accidens, vt homo albus, homo niger, &c.

Tertiò. Quantitas ipsa non est vnum genus per se, ergo non debet inter genera connumerari. Probatur antecedens, quia nullum genus prædicatur denominatiuè de suis speciebus, sed in quid; at quantitas prædicatur

denominatiuè de suis speciebus,népè in concreto(concreta autem accidentiũ sunt denominatiua vt albũ, dulce &c.)vt linea est quanta, superficies est quanta, &c.

Quartò. In omni genere vno est vnum primum,& minimum, quod est aliorũ mensura ex 10. Metaph. tex. 12. At in quantitate hoc non est, nulla namque est ratio communis ad continuam, & discretam, immò in illa est punctum, in hac vnitas.

Quintò. Contra diuisionem. Quantitas continua, & discreta non sunt oppositæ, ergo mala diuisio; probatur antecedens; nam in quantitate continua possumus assignare diuersas partes verè in ipsa existentes, & inter se distinctas, vt in homine, alia pars est caput, alia pectus, &c. quare continua erit discreta.

Sextò. Contra secundam diuisionem. Positio est per se distinctum prædicamentum à quantitate, & ab alijs; ergo ad ipsam quantitatem non attinet,& sic incongruè diuiditur in quantitatem habentem positionem in partibus, & non habentem.

Priusquam de his, quæ ad quantitatem attinent determinemus, aliquid de ordine eius ad substantiam breuiter dicamus. Sciendum est ergo, quod substantia cum sit omnium aliorum perfectissima, atque ipsis accidentibus prior natura, tempore, & cognitione, ante omnia de ipsa tractandum erat. Post cuius determinationem sequitur tractatus de quantitate; ratio est, quia in rebus potissimum corporeis primum accidens, quod in substantia recipiatur est quantitas; vt sit eiusdem substantiæ veluti terminus, & circumscriptio,& vt alia accidentia in ipsa recipi possint, immò vt substantia ipsa suas possit edere operationes; nam omne agens naturale corporeum agit per contactum, hic autem est quantitatis solius. Vt igitur substantiam terminet, vt accidentia recipiat, & vt actio fieri possit, quantitas in natura prius substantiæ inest, quam alia, & per consequens prius de ipsa determinandum est post substantiam,& quamuis in substantijs spiritualibus non sit quantitas, sed immediatè qualitas, nihil refert; quia si ibi quantitas esse posset, alia accidentia præcederet, sicut in corporalibus, vnde ex se semper nata est esse prior, siue de facto in aliquibus sit, siue non.

Aliud notandum, quod quantitas est duplex, scilicet molis, & virtutis; dicitur molis, quæ extensionem habet, vel ab ipsa causatur, vel aliquomodo ab ea dependet; primo modo est linea, superficies, corpus,& locus; secundò est numerus, & oratio, hæ etenim cum sint quantitates discretæ, à continuis causantur, vel ab eis causari intelliguntur, quod sufficit, vt dicetur infra. Tertiò modo est tempus, cui addatur motus; hæ namque à continua permanenti quantitate suam recipiunt continuam successionem, vt motus est quantus, & continuus a magnitudine, vel spatio, aut loco super quem fit; Tempus autem, quia est ipsius mensura, vel duratio. Omnia itaque in hoc prædicamento Quantitatis contenta ad quantitatem molis attinent. At quantitas virtutis est vis, vel facultas operandi, quæ etiam in rebus non quantis reperitur; vnde tantam esse ignis actiuitatem, quantam aquæ resistentiam dicimus; at magnum Deum appellamus ab hac virtutis magnitudine. Et sicut hæ quantitates inter se differunt, vel dupliciter accipiuntur, sic eis distinctæ sub eodem nomine respondent proprietates, vt dicemus dum de ipsis proprietatibus tractabimus.

Aliud notandum, quod ad hoc, vt aliquid sit verè, & vniuocè genus debet habere vnam communem rationem per quam his, quæ sub ipso collocantur vniuocè communicetur. Hęc autem ratio, vel conceptus dicitur minimus, & aliorum mensura; minimus inquam, quoniam omnibus, & singulis eiusdem generis aptatur, & aliorũ est mensura, quia secundum quod plus, vel minus ipso participant, eo perfectiora, vel imperfectiora in tali genere posita cognoscuntur; hoc autem est mensuram, vt in substantia est per se existere. At quoniã accidentia ex substantia quo ad esse, & quoad cognitionem dependent, in ordine ad ipsam hanc quoque rationem retinent, saltem quoad nostrum modum cognoscẽdi, nam re vera in se, sicut sunt tales entitates, sic proprias habẽt rationes. Ipsa ergo quantitas mensurat, & diuidit substantiam, immò facit eam finitam, vel infinitam, æqualem, vel inæqualem; quamobrem ex aliqua istarum proprietatũ ratio eius sumenda est; à priori namq; non poterit facilè assignari, si quidem differentiæ constitutiuæ, vt plurimum sunt incognitæ, sed per proprietates supplentur. De duabus autem est difficultas, an videlicet ratio mensuræ, vel diuisibilitatis sit eius adæquata ratio, nam aliæ ab his pendent. Quam vt soluamus ad aliquas conclusiones deueniamus.

Prima. Adequata ratio quantitatis non est ratio mensuræ, sed diuisibilitatis; probatur prima pars; nam ratio hæc adæquata æqualiter, & immediatè debet speciebus conuenire, vt animal sic conuenit homini, & brutis. Sed ratio mensuræ prius conuenit quantitati discretæ, nam in ipsa reperitur simpliciter minimum, nempè vnitas, & à minimo sumenda est mensura. Immò secundum hoc ipsa discreta quantitas esset prior continua, eo quod ratio constitutiua prius in ipsa fundaretur; quod tamen est falsum, nam ipsa causatur ex diuisione continuæ, & sic est posterior. Probatur secunda pars; nam diuisibilitas æqualiter continuæ, & discretę conuenit, quia tam linea, quam superficies, numerus, tempus, &c. sunt quantitates diuisibiles. Immò etiam ipsi vnitati in ordine ad substãtiam aptari potest; nam per ipsam efficitur actualiter diuisa à quocumque alio, vnde sat est, quod sit diuisibilis, vel ratio diuidendi. Ex dictis, quæ sit ipsius communis quantitatis definitio facile colligitur. Definitur igitur dupliciter, primò sic. Quantitas est ens per se diuisibile in partes, quæ sibi insunt, quarum quælibet, vel vnaquæque per se apta est existere separata; dummodo videlicet maneat in subiecto; nam sine ipso nullum accidens existere valet. Quæ quidem definitio elicitur ex 5. Metaph. text. 18. Alio modo definitur sic. Quantitas est secundum quam, quanti, quot, vel quoti esse dicimur. Quanti refertur ad quantitatem continuam, quot ad discretam, & quoti ad ordinem, qui in numeris, orationibus, & tẽporibus reperitur. Ex omnibus prædictis concluditur principale intentum, nempè quod benè assignetur sic genus quantitatis, quæ omnibus suis inferioribus est communis ratione prædicta.

Secunda conclusio. Diuisio quantitatis in continuam, & discretam est bona; nam ipsa quantitas, vt quid vniuersale, de vtraque dicitur; & inter se, si præcisè sumantur, sunt membra opposita; atque est diuisio generis in suas species subalternas.

Tertia conclusio. Secunda diuisio in quantitatem habentem positionem, & non habentem, est pariter bona: quia membra æqualiter, sufficienter, & ex opposito ipsam communem quantitatem diuidunt. Verùm hæc est diuisio non generis in species, sed subiecti in accidentia, nam positio, partium inter se est accidens quoddam, cuius oppositum est negatiuum, quod tamen bonæ diuisioni non officit, nam supponit aliquod positiuum, puta, quantitatem non habentem positionem, sed Argumenta soluamus.

Ad primum dicitur, dimissam fuisse ab Arist. notificationem quantitatis in communi, quia de ipsa ex professo ad Logicum non attinet, quare eam in Metaphys. tradit.

Ad secundum dicitur, hoc esse peculiare, & solum ipsius quantitatis non tantum de substãtia, sed de suis speciebus prædicari, & in concreto essentialiter sumi. Cuius ratio est, nam est idem quantitas, quod habere partes integrales, & sic idem est dicere quantum, quod tales habens partes, vnde in concreto benè explicatur.

Et

Et quidam ob hoc ratione ipsius quãtitatis,non modum mensuræ, nec diuisibilitatem,sed habere tales partes esse dicunt: tamen quia hoc videtur synonymum cum ipsamet quantitate, ideò non erit ponendum.

Ad tertium respondetur per prædicta, non enim denominatiuè, sed concretè prædicatur de speciebus.

Ad quartum pariter patet ex prædictis, nam diuisibilitas est quantitatis minima, & communis ratio.

Ad quintum dicitur, in quantitate continua solum esse partes distinctas, non actualiter diuisas, quare neque erit actualiter discreta.

Ad sextum dicitur: positionem accipi dupliciter; vno modo pro situ, vel ordine partium corporis ad partes loci, & hæc est per se distinctum prædicamentum, alio modo pro ordine ipsarum corporis partium inter se, & sic est quoddam quantitatis accidens.

Est autem discretum quidam &c.

QVÆSTIO II.

An duæ species quantitatis discretæ, nempè numerus, oratio benè assignentur.

ARguitur primo contra primam speciem. Aggregatum per accidens non est species alicuius generis, sed numerus est quid per accidens aggregatum, nempè plures vnitates,vt plures homines,plures leones, &c. hi etenim cum sint actuales, non efficiunt per se vnum, nam per se aliquid fit ex actu, & potentia, vt docet Arist. 2. de Anima, & alibi. Confirmatur auctoritate eiusdem Arist.qui 3.Phys.tex.68.ait;Numerus autem est vna plura, & quanta quædam.

Secundò. Quod fit per intellectum non est species entis realis. At numerus fit per intellectum; nam re vera non existunt nisi diuersæ vnitates, quæ ab intellectu simul conceptæ dicuntur decem, vel nouem, &c.

Tertiò. Vnumquodque accidens sibi aliquod vnum subiectum determinat, aliter esse non potest. Sed numerus non determinat sibi vnum subiectum, sed tot, quot sunt eius vnitates, ergo.

Quartò. Omnis species constituitur in esse per propriã differentiam, sed nullã in numeris assignare possumus; quam etenim assignabimus in numero denario? non omnes vnitates, quia ipsæ sunt eius materia, non vltima, quia est eiusdem rationis cum alijs, ac per consequens etiam ad materiam attinet.

Quintò. Reperitur numerus etiam extra quantitatem, immo in omnibus rebus, dicimus namq; duas substantias,duas relationes,duo entia, pariter tria,quatuor, &c. ergo non est quantitatis species.

Sextò contra orationem. Nulla oratio potest esse quantitas; ergo. Probo antecedens, nam oratio est triplex, nempè mentalis, vocalis, & scripta. At mentalis est in mente, vbi nulla est quantitas, cum ipsa mens sit spiritualis. Vocalis est qualitas per se ab auditu perceptibilis ex 2. de Anima. Scripta est quædam figurata substantia, ergo.

Septimò. Si oratio esset species quantitatis discretæ, ideò esset, quia (vt docet Arist.) syllabæ sunt inter se distinctæ, & ad nullum communem terminum copulatæ. At hoc modo nullatenus à numero differret, sic namque etiam omnes vnitates se habent; neque pura vox esset ad hoc sufficiens, quia sic aliæ numerorum materiæ secundum ipsarum diuersitatem diuersas constituerent species discretæ quantitatis, vt alia esset species numeri denarij, equorum, alia leonum, &c.

Pro intelligentia sit primò notandum, quod quantitas discreta est cuius partes non copulantur per aliquem terminum communem, sed semper quæcunque sumantur, intelliguntur vt actu separatæ, & distinctæ. Ipsa autem quantitas dicitur causari ex diuisione continui: quoniam si diuidamus lignum, vel aliquid aliud, plura sunt ligna, vel alia, vnde quæ erat continua quantitas, per hanc diuisionem, efficitur discreta; attamen non est credendum, omnes huiusmodi discretas quantitates ex prædicta diuisione causari; decem namque homines,vel decem equi, &c. hanc habent quantitatem discretam, neque vnquam facta fuit aliqua diuisio à continuo, modo prædicto. Sed sensus est, quod omnis quantitas discreta causetur ex diuisione continui, quatenus videlicet omnia, quæ sub ipsa continentur sic terminata,vel ab inuicem diuisa sint, & intelligantur, vt nullam includant continuationem, sed quasi ab ipso continuo diuisa, & separata percipiantur; quamobrem hoc modo etiam discreta posterior cõtinua intelligitur. Sed cur prius Arist. de discreta determinauit? Respondetur; hanc quoad partes determinatas esse notiorem; facilius namque decem vnitates numeri denarij, quam omnes partes continui cognoscimus, ex notioribus autem incipiendum est.

Aliud notandum, quod ipsius discretæ quantitatis duæ sunt species subalternæ, nempè numerus, & oratio. Est autem numerus multitudo ex vnitatibus aggregata. Vnitas autem est entitas penitus in se indiuisa, & à quocunque alio diuisa, quæ tamen accipi debet formaliter, nam materialiter poterit esse diuisibilis, sed tunc non diuiditur vt vnitas, sed vt quantitas continua; vt vnus homo pro vt vnus est,est penitus indiuisibilis,scilicet in plures homines; pariter vna aqua in plures aquas,quæ videlicet sint penitus plures, ita vt habeant eandem omnino æqualitatem, & similem vnitatem,quod quidem est impossibile: tamen, & homo, & aqua in suas partes sunt diuisibiles, & tunc diuiduntur materialiter, vt quædam continua. Species autem specialissimæ ipsius numeri sunt omnes numeri particulares; vt denarius, ternarius &c. & omnes ex vnitatibus componuntur, ita tamen quod ipsa vnitas non sit numerus, sed pars, & principium eius.

Tertiò notandum, quod omnes species per se alicuius generis debent per aliquam formalitatem in vltimatam perfectionem reduci, quæ quidem vt plurimum est vera differentia, vt homo per rationalitatem, & requiritur, quod hæc formalitas sit actus, & alia pars sit in potentia. Quam tamen distinctionem actus, & potentiæ non possumus in omnibus æqualiter assignare, immo in quibusdam partes omnes sunt æquæ, & mutuo in actu, & in potentia simul, vt patet de integrantibus; non enim magis vna quam altera pars est ad alteram in potentia, vltima tamen adueniẽs videtur habere rationem actus. Sic quoque de numeris dicendum est; sunt namque omnes vnitates ex sua natura æqualiter adinuicem, & mutuo vnibiles, & sic in re natæ sunt efficere numerum, sed vltima quæ aduenit, complet, vt si octo vnitatibus adueniat altera, nouenarium specificum numerum facit. Non tamen credendum est, ipsam vltimam esse magis in actu quam alia, vt dictum est: vnde de facto complementum accipit numerus ab vltima vnitate, sed formalitas eius ex tali ratione nummerica sumitur; vt numerus ternarius à ratione,vel quidditate trinitatis,quæ quidem ratio non facilè nobis nota est, sed eam circumloqui debemus.

Aliud notandum; quod duplex est numerus, videlicet prædicamentalis, & est qui fundatur super res quantas actualiter diuisas, & est species per se quantitatis discretæ; qui tamen accipiendus est semper formaliter, nempè sub his terminis quatuor, quinque, &c. nam si aliud addatur, erit alterius prædicamenti, vel in hoc variabuntur species; vt decem homines pro connotato sunt in prædicamento substantiæ, sed denarius ille numerus ab

ipsis

ipsis abstractus est sub quantitate; Similiter decẽ quantitates continuę pro formali sunt species numeri, pro connotato quantitates continuæ, sic decem lineæ, decem superficies, &c. Alter est numerus qui vocatur transcendentalis; & est qui per omnia prædicamenta, & supra ipsa quoque reperiri potest, secundum quem duas substantias, duas vel tres albedines, actiones, passiones, entitates, bonitates, &c. dicimus, hic autem non est in hoc prædicamento, sed in illo in quo est res cuius est numerus, vt duæ albedines in prædicamento qualitatis, duæ substantiæ in genere substantiæ &c. ratio est, quia est idem realiter cum illo cuius est numerus, vt vnitas albedinis est idem cum ipsa. Si verò sit rerum simpliciter transcendentium, in nullo est prædicamento, quemadmodum neque transcendentia ipsa.

Aliud notandum, quod oratio non facilè distingui potest à numero; tamen si fas est per accidentia, nec non etiam per coniecturam in re tam ardua differentiam indagare, dicendum est, eam a numero esse speciem quantitatis distinctam, nam quidditas numeri in vnitatibus penitus indiuisibilibus consistit, at orationis (de vocali tantum loquimur) in ipsis sic indiuisibilibus est, vt in hac sua indiuisibilitate extensionem indiuisibilem claudant, nam fundatur super syllabas longas, & breues, hæ autem syllabæ sunt inter se discretæ, & sub ratione syllabarum indiuisibiles, & tamen essentialiter longum, & breue includunt, quod in sua ratione diuisibile est. Ex istis ergo differentiis quæcunque sint, propria, & vera à numero distincta colligimus; sic namque ex notioribus, & ex pluribus accidentibus, quod quid est colligimus. Ex dictis pro faciliori intelligentia duas eliciamus conclusiones.

Prima. Numerus est species per se realis quantitatis discretæ, & realiter à rebus numeratis distinctus; loquendo de numero prædicamentali. Quod sit species per se realis quantitatis, probatur, nam Aritmetica, quæ est scientia realis, & nulli subalternata considerat per se numerum, ergo ipse est realis, & per se, nam à realitate obiectu scientiæ dicuntur per se reales; & quia ipsa obiecta sunt per se non autem per accidens, dicuntur non subalternatæ, vt patet ex 1. Post. Id confirmatur ab Arist. hic & alibi, quem ferè omnes sequuntur. Quod verò à rebus numeratis distinguatur realiter, probatur, nam omne accidens commune absolutum, & limitatum distinguitur realiter à substantia, sic autem est numerus, ergo. Præterea sint tres guttæ aquæ separatæ, & vniantur, tunc numerus ille trinitatis corruptus est, nec tamen corrupta est aqua: ergo distinguebatur realiter ab ipsa.

Secunda conclusio. Oratio vocalis est species quantitatis discretæ à numero distincta. Probatur nam eorum sunt differentiæ diuersæ, vt satis visum est in vltimo notabili. Ad Argumenta.

Ad primum negatur minor; ad probationem dicitur, vnitates numeri non esse tùm actuales, quia mutuò sunt in potentia, vt visum est; & Arist. loquitur connotatiuè, non formaliter; quod est dicere, numerum fundari super plura, quanta, vel vna.

Ad secundum similiter negatur minor, concipit namque intellectus, & spiritualiter format, quod erat in re; quarę nullo intellectu cogitante decẽ lineę sunt in re, &c.

Ad tertium dicitur, maiorem non esse vniuersaliter veram, sed fallit, & in numeris, & in relationibus.

Ad quartum patet solutio in tertio notabili.

Ad quintum patet in quarto.

Ad sextum respondetur, in oratione vocali duo esse, nempè sonum, vel vocem, & hæc est qualitas, & extensionem terminatam, & est quantitas, vt dictum est.

Ad septimum patet in vltimo notabili.

Linea verò continua est, &c.

QVÆSTIO III.

An species quantitatis continua benè assignentur.

ARguitur primò, quod non. Termini alicuius rei non sunt species. Sed linea est terminus superficiei, hæc autem corporis, ergo; probatur maior, nam species est quid per se completum ex genere, & differentia; termini verò indiuisibiles, & incompleti, & simplices sunt.

Secundò. Si linea, & superficies sunt species quantitatis, pariter punctum, & vnitas esse deberent, quod tamen a nullo asseritur. Probatur consequentia; nam sicut linea est terminus superficiei, hæc autem corporis, ita punctum lineæ, & vnitas numeri.

Tertiò. Locus est superficies corporis continentis, ex 4. Phys. ergo non est alia species quantitatis ab ipsa superficie distincta.

Quartò. Tempus est quantum per accidens, nempè per motum ex 5. Metaph. text. 18. ergo non est per se species quantitatis.

Quintò. Etiam motus est species quantitatis, cum habeat partes continuas, & successiuas, & tamen inter has non connumeratur, ergo insufficienter.

Sextò. Figuræ vt circuli, trianguli, &c. pariter pondera, mensuræ &c. sunt quantitates ab alijs prædictis distinctæ; de quibus tamen nulla fit mentio.

Pro intelligentia sciendum est, quod quantitas continua est cuius partes copulantur per aliquem terminum communem, & diuiditur in permanentem, & successiuam, permanens est quæ non consistit in fieri, sed omnes eius partes sunt simul, & alicubi situatæ; cuius quatuor sunt species, nempè linea, superficies, corpus, & locus. Linea est longitudo sine latitudine, & sine profunditate, quæ quidem potest esse recta, vel circularis; si recta eius extrema sunt duo puncta, si circularis extrema actualiter non habebit; ad rectam reducatur quæcunque alia terminata, quomodocunque tortuosa, vel obliqua: ad circularem omnis interminata, & angulis carens, vt oualis, cucurbitalis, &c. Est autem punctum terminus indiuisibilis ipsius lineæ, atque ab Euclide definitur sic. Punctum est cuius pars non est, quod idem est dicere, ac esse terminum indiuisibilem, & interdum est terminus duarum partium, vt accidit de omnibus punctis intermedijs; quandoque vnius, vel potius totius, vt accidit de extremis, & intermedia dicuntur in potentia, extrema vero actualia. Superficies est longitudo cum latitudine, & sine profunditate, cuius extrema sunt vna, vel plures lineæ, vna in superficie circulari, vel angulis carente; plures in alijs, vt in triangularibus, quadrangularibus, &c. Corpus est longitudo cum latitudine, & cum profunditate, cuius extrema sunt vna, vel plures superficies; vna in corpore circulari, vel sine angulis, plures in alijs. Locus est vltima superficies corporis continentis, vt locus meus nunc dicitur vltima aeris superficies, quæ me circundat, sed accipiebatur ab Antiquis pro spatio in quo recipiuntur corpora, secundum quam acceptionem species distincta à superficie ponitur; nec etenim hic de prædicamentis exactam doctrinam expectare debemus: sunt enim altioris speculationis. Sed vsum, & opiniones communes sequendo, vel potius transeundo, intentum finem syllogizandi, vel discurrendi prosequi debemus. Quantitas successiua est cuius partes adinuicem per terminum communem copulantur,

pulantur, sed solum in fieri consistunt, nunquamvè permanent, nec alicubi situatæ sunt; cuius duæ sunt species, nempè motus, & tempus. Motus est actus entis mobilis, quatenus mobile est. De ipso tamen hic non meminit Philosophus, quia multas species, quamplures acceptiones, innumerasvè difficultates physicas continet; vnde hac de causa de ipso agit in postprædicamentis, veluti de aliquo multipliciter distinguibile, & quoniam hic non est locus per se, sicuti neque de alijs, determinadi vt dictum est. Partes ipsius motus copulantur per momentum. Quod verò sit species quantitatis, ex eo patet, quod habet partes, saltem si de successiuo sit sermo, sed instantaneus, ad ipsum pertinet, vt vnitas ad numerum. Amplius. Tempus accipit, suam quantitatem, vel successionem à motu, ergo motus est prius quantus. Tempus autem est mensura, vel duratio motus cælestis, & præcipuè primi mobilis; cuius partes copulantur per nunc, vel instans.

Secundò notandum, quod alio modo Logicus, alio verò Physicus species, & genera rerum considerant. Ille namque per modum entis rationis quęcunque de pluribus speciebus in quid prædicari possunt, genera appellat: quæ vero de pluribus indiuiduis, species. At Physicus solum naturas completas, quæ non sint aliorum partes vocat species, & partes vocat species, & partes simpliciter materiales, vel potentiales genera: reliqua, vel potentias, vel passiones, vel terminos &c. Quare Logicus ipse risibilitatem, flebilitatem, prout de hac, & illa dicuntur, species appellabit: quas tamen Physicus passiones dicit. Et ad propositum, quoniam linea de hac, & illa linea in quid prædicatur, superficies de hac, & illa superficie pariter dicuntur in quid species vocat: quod secundum solidam philosophicam speculationem fieri non debet. Cum Logicis quo ad hanc abstractionem concordant Geometræ, ipsi namque has quantitatis species recipiunt: & re vera ad diuersas eorum figuras efformandas vtilis (ne dicam necessaria) est hæc quãtitatis in hæc veluti in species, distinctio. Sed est dubitatio; cur etiam punctum, & vnitas à Logicis non ponuntur species, si quidem illud de hoc, & illo puncto, hæc vero de hac, & illa vnitate in quid prædicantur. Respondetur, hæc nullatenus esse quanta, ideò nec species quantitatis; verum vt termini, vel principia ad ipsam attinent, & in hoc prædicamento reducuntur, ea tamen species prædicabiles appellare neque Logicus ipse dedignaretur.

Tertiò notandum, quod quantitas continua, & discreta in aliquibus conueniunt, & in aliquibus differunt; conueniunt primò in hoc, quod vtraque est diuisibilis in partes integrales; secundò quod vtraque est augmentabilis in infinitum. Tertiò quod in vtraq; fundatur æqualitas, & inæqualitas, & modus mensuræ. Differunt antem primò. Quod quantitas continua est diuisibilis in infinitum, ita vt omnes eius partes sint diuisibiles. Discreta nequaquam, sed in diuisione sit status ad vnitatem, quæ est indiuisibilis, vnde etiam ipsa quantitas discreta ex indiuisibilibus constat, de qua possumus dicere, quantum constare ex non quanto. Sicut oppositum de continua asseritur; quantum solum ex quantis constat. Secundò differunt, quod nec ratio mensuræ, nec æqualitas, aut inæqualitas eodem modo in ipsis fundatur, nam mẽsura est prius in discreta, æqualitas, & inæqualitas magis in continua, si quidem in omnibus eius partibus aptari potest. At in vnitatibus, quæ sunt partes numeri hæc non sunt, sed benè in partibus orationis. Nam duæ syllabæ sunt vel esse possunt æque breues, vel longæ; ex quo sumitur alia quædam differentia e numero. Differunt denique pro nunc, per suos terminos, nam termini quantitatis continuæ sunt puncta, quæ præterquam in extremis sunt solum in potentia, & situata, vnde dicitur primo de Anima, punctum est vnitas habens positionem in continuo. At partes discretæ quantitatis sunt vnitates, quæ simul sunt termini, & partes, nec aliquam habent positionem. Ex quibus quid sit ad quæstionem dicendum facilè patet, tamen de more propter ordinem conclusionem statuamus.

Species quantitatis continuę pro vt sat erat logico instituto sufficienter traduntur, quarum sufficientia, & ratio ex dictis liquidò constat. Ad Argum. Concl.

Ad primum respondetur, has esse species logicales, vt visum est in secundo notabili.

Ad secundum negatur consequentia, quia puncta, & vnitates nullam includunt quantitatem.

Ad tertium patet in primo notabili.

Ad quartum dicitur, quod ly per accidens idem valet, quod per aliud, hoc autem non tollit veram alicuius quidditatem; vt motus est quantus per magnitudinem, & tamen verè quantus.

Ad quintum patet in primo notabili.

Ad sextum dicitur, figuras pro connotato esse lineas, vel superficies, vel corpora, & sic de genere quantitatis, at pro formali sunt qualitates; pondera materialiter sunt corpora naturalia, & substantiæ, formaliter sunt qualitates, nempè grauitates, similiter mensuræ pro connotato sunt quantitates, sed quidditatiuè sunt relationes.

QVÆSTIO VI.

Digressio quædam de motu locali instantaneo.

Quoniam in octauo phys. quæst. 9. motum localem instantaneum, ac quietem pariter sibi respondentem ferè incidentaliter ad soluendam quãdam ingentem difficultatem posuimus, nec omnibus quibus opus erat rationibus, hanc positionem roborauimus; quam plures passa est difficultates, oppugnationes, & calumnias; ideò quia nescio si alibi commodior se se debeat offerri disputandi occasio: hic vbi aliqua quoque de motu dicimus, eam inserere decreui, & si sit negotium physicum, ac difficillimum; poterit tamen à tyronibus dimitti. Pro resolutione igitur sciendum est, quod motus localis est transitus de loco ad locum, siue fiat per translationem totius corporis de vno loco in alium, vt dum lapis verbi gratia proijcitur, siue per transmutationem partium, vt accidit in motu circulari, in quo non totum corpus transmutatur de vno in alium locum, sed partes tantum, quod sufficit.

Aliud notandum, quod locus naturaliter sumptus est superficies, vt ex eius definitione patet in 4. phys. ipsa autem superficies secundum profunditatem est penitus indiuisibilis.

Tertiò notandum, quod indiuisibile in genere quantitatis continuæ additum alteri non facit maius continuum, nam continuum non constat nisi ex partibus quantis, cum autem indiuisibilia non sint quanta etiam si infinita sumerentur, quantum aliquod non componerent, dummodo fiat appositio ex ea parte qua indiuisibilia sunt, vt puncti additum puncto non facit lineã quomodocumque imaginemur apponi, quia est omnino indiuisibile. Linea verò si per longum alteri addatur facit lineam maiorem, vel longiorem, sed per latitudinem nullam efficiet ampliorem extensionem, & pariter superficies ex parte planitiei, vel (secundum modum cogitandi) ex parte profunditatis nil maius faciet, & diximus notanter, nullam indiuisibile ex parte qua est indiuisibile facere maius continuum; quia in genere quantitatis discretæ secus dicendum est: si namq; vnum punctum duobus addatur facit ex binario ternarium: similiter linea tribus additis facit ex ternario quaternarium, &c.

Quartò

Quartò notandum, quod loca naturalia ſpecie diſtincta ſumuntur ex corporibus naturalibus, & præcipuè ex elementis, vnde ſicut quatuor ſunt eleméta nempè ignis, aer, aqua, & terra; ſic quatuor ſunt ſpecies locorum naturalium inter ſe diſtinctorum, vt fusè declaratur in libris de Cælo: loquimur autem hic de locis ſublunaribus, nam de cæleſtibus non eſt vel da rem, vel neceſſe.

Quintò notandum, quod licet locus ſit vltima ſuperficies corporis continentis, & indiuiſibilis ſecundum profunditatem; tamen quia debet continere, hinc eſt, quod intra ipſum, intelligitur ſpatium interceptum, quod videlicet ſecundum imaginationem reſpondeat corpori locato, & ei adæquatur; & hac de cauſa ab Antiquis locus ipſe dicebatur ſpatium, & ab ipſomet Ariſt. ſæpe ſæpius præſertim in 6. Phyſ. hac eadem de cauſa vocatur magnitudo.

Sextò notandum, quod locus eſt duplex, nempè totalis, & partialis, vel adæquatus, & inadæquatus. Totalis, vel adæquatus eſt plena circundatio ſuperficiei, in cuius medio recipitur corpus, & vbi ipſum eſt intelligimus, vel imaginamur quoddam ſpatium inſtar corporis quanti, longum inquam, latum, & profundum. At locus inadæquatus eſt, quæcunque pars ipſius continentis ſuperficiei, quæ tamen verè dici poteſt locus, nam ſicut quælibet pars ſuperficiei eſt ſuperficies, ſic quælibet pars loci eſt locus, principaliter tamen, & ſecundum vſum accipitur locus pro totali, ſiue ex vna ſuperficie vnius corporis integretur, ſiue ex pluribus, & diuerſis, nihil refert: ex vna, vt ſi aliquod corpus penitus, & vndique ab aere, vel aqua aut alio circundaretur, ex pluribus ſi partim eſſet in aqua, partim in aere, vel alibi, & hæc de duplici hoc loco diſtinctio eſt maximè animaduertenda.

Septimò notandum, quod quæ ſunt diuerſæ ſpeciei non poſſunt continuari adinuicem, ſed licet per extremas ſuperficies ſe tangant, non tamen eſt vna ſuperficies, ſed duæ: quæ tamen ex ea parte, qua ſe tangunt nihil faciunt maius, & ex duabus ſimul reſtat indiuiſibile quid, ac ſi tantum vna eſſet, verbi gratia, ſi aqua tangat terram, ita vt nihil inter ipſas mediet, vltima ſuperficies aquæ erit diſtincta ab vltima terræ, nam ſuperficies ipſæ erant termini intrinſeci, qui per purum contactum non variantur, neque cum aliud intercidat poterit fieri aliquod maius, nec magnum, vt patet, ex tertio notabili, ex dictis duas elicio concluſiones.

Prima. Motus localis, qui fit ad locum totalem, & adæquatum, (& dicitur quaſi per excellentiam ſimpliciter motus localis) non poteſt fieri in inſtanti, probatur, nam hic motus dicit acquiſitionem ſic circundantis ſuperficiei, vt intra ipſam detineatur aliud corpus (non enim datur vacuum) quod quidem ab adueniente, & moto expelli debet, & ſecundum eandem magnitudinem fit ſucceſſio, quare occupatur ſpatium æquale corpori, & per conſequens diuiſibile. At magnitudo diuiſibilis non poteſt in inſtanti tranſiri, nam magnitudo, motus, & tempus eodem modo ſe commenſurant, vt fusè docet Philoſophus in 6. phyſ. Hanc eandem concluſionem ſtatuimus in præcitato 6. phyſ. q. 3. immo motum hunc eſſe inſtantaneum ſic implicare diximus, vt neque per diuinam potentiam fieri poſſit. Et rationes omnes, quas in eodem libro Philoſophus adducit, nedum ſunt veræ, ſed validiſſimæ, & quamplures demonſtratiuæ; ideò pro hac roboranda concluſione illuc recurretur.

Secunda concluſio. Motus localis, qui eſt tranſitus de vno loco naturali, ad alium partialem, nempe ad immediatam, & primam ſuperficiem alterius naturalis corporis continentis eſt neceſſariò inſtantaneus, vt dum lapis ex vltima aeris ſuperficie ad primam, & immediatam, quæ tranſit, in inſtanti tranſit, probatur, nam indiuiſibile non poteſt tranſiri in tempore, ſed in Nunc vel in inſtanti; illæ autem duæ contiguę ſuperficies ſunt indiuiſibiles, ex parte profunditatis, qua fit tranſitus, (quia nil faciunt maius, vel quantum, & per conſequens nil diuiſibile) & tamen re vera tranſeuntur, ergo. Amplius. Motus localis eſt tranſitus de loco ad locum, hic autem ſic accidit, nam ex vna ſuperficie altera acquiritur, ergo. Amplius, in 6. phyſ. Ariſt. arguens contra Zenonem affert, quod ſi linea ex punctis, vel magnitudo ex indiuiſibilibus conſtaret, motus fieri poſſet in inſtanti; at hic ſumuntur ſolum contigua indiuiſibilia, ergo in inſtanti per ipſas fit motus. Præterea datur neceſſariò quies inſtantanea, ergo & motus, nam cuique priuationi ſuus reſpondet habitus, probatur antecedens; quia mobile quieſcit in termino reflexionis, vt docet Ariſt. in 8. Phyſ. & tamen in aliquibus reflexionibus non eſt tempus, vt patet ſi ſaggita in arborem nauis velociſſimè currentis contra ſe infigatur; reflectitur namque ſaggitta, nulla data, neque per imaginationem, quiete in naui, ergo ipſa ſaggitta ſolum in inſtanti quieuit, vt in 8. Phyſ. q. 9. declarauimus. Amplius. Diuerſitas ſpecifica motuum ſumitur eſſentialiter ex parte terminorum, vt in 5. Phyſ. docet Philoſophus, etiam ſi ſimul adeſſet tempus, vel duratio; ita vt tranſitus de non ente ad ens, dicitur generatio, de albo in nigrum alteratio, licet vnaquæque iſtarum mutationum eſſet inſtantanea, ſicut de facto aliqua eſſe poteſt: at in prædicto motu eſt horum terminorum diuerſitas, ergo. Confirmatur, nam motus, qui non ſunt ad terminos eiuſdem ſpeciei nunquam ſunt vnus, ſed contigui, quomodocunque ſe habeat tempus, ex 5. phyſ. text. 40.

Hæc autem concluſio ſic intellecta, nec eſt difficilis, nec magnas patitur obiectiones, immo eſt Ariſtotelicę; & naturali veritati conſentanea, & per ipſam magnas euitare poſſumus difficultates. Tamen vt melius roboretur, quaſdam contra eam adducamus inſtantias. Prima. In indiuiſibili, & in nunc nihil moueri poteſt, ex 6. Phyſ. ſed illæ duę ſuperficies ſunt (vt dictum eſt) ex parte profunditatis indiuiſibiles, ergo. Neque dicatur, nihil poſſe moueri ad locum adæquatum, quia negatio totum negat; ſi ergo aufertur motus omnis, & hic quoque auferri debet, vel hic non erit motus, vnde fruſtra, & in æquiuocum laboramus. Secunda, In eodem inſtanti plura tangere non eſt moueri, nam moueri eſt aliter ſe habere nunc, quam prius, ſed illæ ſuperficies ſimul, vel in eodem inſtanti tanguntur, ergo. Tertia. Moueri eſt relinquere terminum à quo, & accedere ad terminum ad quem, ſed in hoc caſu ſimul vterque habetur, abſque dimiſſione, vel habetur, & non habetur, quod implicat, ergo. Quarta. Omnis motus poteſt eſſe velocior, & tardior ex 6. Phyſ. text. 15. hic autem eſſe non poteſt, quia in velociori, & tardiori includitur maius, & minus tempus, ſed hic eſt ſolum inſtans, ergo.

Quinta. Quilibet motus diſtinguitur ab alio per quietem mediam, nam finis eius per quietem eſt. At in hoc nullam quietem aſſignare poſſumus, quoniam cum ſit motus inſtantaneus, in eodem inſtanti eſſet motus, & quies, quod implicat, ſicut ſi aliquis ſit ſimul cæcus, & videns. Denique omnes rationes, & ferè vniuerſa Ariſt. doctrina ex 5 & 6. Phyſ. contra hanc nouam, & inauditam poſitionem militat. His tamen non obſtantibus, veriſſima eſt prædicta poſitio, quæ adhuc clarius, ex Argumentorum ſolutione eluceſcet.

Ad primum igitur optimè reſponſum eſt; dum verò inculcatur, dicimus, negari motum ſolum ad locum adæquatum fieri in inſtanti, non alium, & ſi ſit verè motus; & licet negatio totum neget: hoc eſt verum de his quibus præponitur; quare ſi de motu ad locum adæquatum loquimur Philoſophus hunc ſolum negare debet in indiuiſibili eſſe, non alium.

Ad ſecundum dicitur, plura ſimul permanenter tangere non eſt moueri; ſed in fieri licet inſtantanei eſt benè moueri, & ſic accidit ad propoſitum.

Ad ter-

Ad tertium dicitur, quod non opus est, vt terminus à quo in motu actuali sit actualiter à mobili derelictus, immo debet esse in ipso cum tendentia ad alium; & in mobile diuisibile partim est in vno, partim in alio, sic ad rem est in vtroque, sed à termino à quo, vt descedens licet simul, in alio vt accedens: neque implicat, quia non est totaliter in ambobus, immo secundum punctum indiuisibile vtrique respondet; sicut in eadem linea vnum punctum duabus respondet partibus ab ipso cōtinuatis.

Ad quartum respondetur vt supra, quod currit de motu ad locum totalem.

Ad quintum negatur minor, nam inter hos motus intercidit pariter instantanea quies; neque est inconueniens in eodem instanti temporis esse plura instantia naturæ; sunt autem huiusmodi naturæ instantia præsuppositiones fundamentales, vel ordinales vnius ab alio; quo pacto dicimus, rationalitatem esse priorem risibilitate; solem sua luce, &c. quæ tamen sunt simul tempore. Sic quoque dum lapis, verbi gratia, de aere ad fundum aquæ descendit, quando ad vltimam aeris superficiem peruenerit, ibi terminatur motus eius per aerem factus ab instantanea quiete, cui eodem instanti temporis succedit motus de illa vltima superficie aeris ad primã aquæ, ex qua postea sequitur acquisitio totalis loci in ipsa aqua, & sic motus isti non determinantur per motus, sed per quietes, & ordine naturæ non autem temporis fit variatio. Rationes autem omnes Arist. sunt pro motu ad locum totalem. At si quis diceret, hunc motum à mutatum esse non differre, & per consequens non esse motum, negatur assumptum; nam mutatum esse non respicit nisi vnum terminum, hic autem sunt duo actualiter distincti, quorum vnus est à quo, & dimittitur, alter ad quem, & acquiritur, licet in eodem instanti, quare non est mobile in ipsis per modum quiescendi.

Amplius quanto nihil, &c.

QVÆSTIO V.

An proprietates quantitatis benè assignentur.

Arguitur primò contra primam. Omnis motus est de contrario in contrarium ex 5. Phys. sed in quantitate est motus, vt ibidem dicitur, ergo.

Secundò contra secundam. Vna quantitas est maior altera, ergo quantitas suscipit magis, & minus.

Tertiò contra tertiam. Secundum virtutem, vel fortitudinem, vel potentiam res dicuntur æquales, & inæquales, ergo non solum secundum quantitatem.

Quartò. Præter prædictas proprietates aliæ sunt ipsius quantitatis, vt esse finitum, & infinitum, esse diuisibile, &c. de quibus tamen Arist. non meminit, ergo.

Pro intelligentia est memoriæ mandandum, quod alibi de prædicamentis diximus; nimirum in Logica ex sua natura non esse consideranda, sunt namque realia, & abstracta, & per consequens de consideratione metaphysica, sed sat est pro Logica aliquas rationes communes assignare, & quæ sunt notiores, siue secundum Antiquorum siue secundum veram positionem; qua de causa veras proprietates Aristot. dimittit, & quasdam quasi vulgares communitates affert; vt patet de duabus primis assignatis, nam quantitatem non habere contrarium, nec est eius proprium, neque sic simpliciter asserendum, si quidem oppositum docet in 5. Phys. text. 18. & si non contineat hoc falsitatem, vt dicemus. Pariter secunda, puta non suscipere magis, neque minus, est alijs communis, & demonstratione indiget. Quia tamen eius positio saluari potest, & Logico sat est, sic iuxta intentum finem benè dixisse dicamus, & sit responsalis conclusio: quæ sic confirmatur. Contrarietas propriè, & strictè sumpta est inter qualitates, quæ mutuò ab aliquo subiecto se expellunt, at quantitas, neque est qualitas, neque habet actiuam virtutem aliquid expellendi, ergo non habet verè contrarium. Pro secunda sic discurramus. Suscipere magis, & minus est recipi in eodem subiecto cum maiori, vel minori intentione absque variatione situs, vt si in eodem lapide absque extensione magis, vel minus augeatur albedo. Sed hæc susceptio in quantitate sine hac extensione dari non potest, vt de se notum est, ergo. Pro tertia sic. Æqualitas, & inæqualitas dicunt modum mensuræ eundem, vel diuersum, sed mensura est proprium quantitatis, ergo. Est autem æqualitas rerum differentium eadem quantitas. Inæqualitas est rerum differentium diuersa quantitas. Inter has ergo proprietates, duæ primæ sunt in secundo modo proprij, tertia verò in quarto, dummodo seruetur æqualitas, & inæqualitas molis; nam sicut datur quantitas molis, & virtutis, ita vtriusque datur æqualitas, & inæqualitas; & molis in quantitate molis, hæc autem in virtute rerum fundatur, & in multis extra genus quantitatis reperitur. Præter has ergo prædictas proprietates aliæ quatuor, & sibi verè conuenientes assignantur. Prima esse mensuratiuam, vel mensurabilem; nam est mensuratiua substantiæ, & aliorum, atque ipsa est etiam mensurabilis. Secunda, quod sit diuisibilis. Tertia quod sit augmentabilis, & diminuibilis. Quarta, quod sit finita, vel infinita, loquendo pariter de infinitate, vel finitate molis; nam alio modo alibi hæc reperiri possunt, vt secundū essentiam, vel naturam omnia creata sunt finita; non tamen omnia sunt quanta, & secundum essentiam quoque Deus est infinitus, non tamen hac molis quantitate quantus. Vniuersaliter, ergo duæ sunt eius communitates, & quinque proprietates; quæ videlicet in alijs generibus non reperiuntur, & si forte non omnes omnibus aptari possint quantitatibus; vt facile erit per inductionem videre. Ad Argum.

Ad primum dicitur, in quantitate esse contrarietatem, quæ ad motum requiritur; nempè quod partes eius sint paulatim acquisibiles, quarum vna sit terminus à quo, altera terminus ad quem, sed vera contrarietas, quę est inter qualitates, vel formas actiuas in ipsa non est, vt probauimus, & de hac loquitur Arist.

Ad secundum dicitur, discrimen esse inter suscipere magis, & minus; & suscipere maius, & minus. Primo modo diximus, & etiam quod ipsi quantitati non competat. Sed suscipere maius, & minus est esse plus, vel minus extensum in quantitate continua, vel habere plures, vel pauciores vnitates in discreta, & hoc quantitati conuenit, immo est fortè idem quod inæquale, & propterea non ponitur, vt alia proprietas.

Ad tertium dicitur, eam esse æqualitatem, & inæqualitatem virtutis, quæ in quantitate molis non fundatur. Sed hic notandum est, quod æqualitas, & inæqualitas formaliter sumptæ sunt relationes, sed ex quantitate, veluti ex proprio fundamento insurgunt; sicut etiam magnum, & paruum, multum, & paucum, &c.

Ad quartum patet ex prædictis.

CAPVT III.

De Relatiuis.

Relatiua (vel ad aliquid) talia dicuntur, quæcumque secundum suum esse aliorum dicuntur, siue per casum genitiuum, siue alio modo.

modo. Vt maius relatiuum dicitur, quia secundum suum esse alterius dicitur, nempè minoris, pariter duplum respectu dimidij, &c. At verò præter prædicta hæc etiam sunt relatiua, habitus, dispositio, sensus, scientia, & positio; nam aliorum dicuntur, & non sunt in se aliud quidam, nempè absolutum; vt habitus alicuius dicitur habitus, & scientia alicuius scientia, & alia quoque similiter. Sunt ergo relatiua, quæ secundum suum esse aliorum esse dicuntur, vt dictum est. Quo pacto mons magnus refertur ad paruum, simile ad simile, &c. Inter relatiua connumeranda sunt etiam hæc, accubitus statio, & sessio, quæ sunt positiones aliquæ; at positio de genere relatiuorum est; Si verò omnia prædicta in concreto sumantur, vt iacere, stare, vel sedere non quidditatiuè, sed solum denominatiuè positiones erunt.

Quinque sunt proprietates relatiuorum. Prima, habere contrarium, vt virtus contrariatur vitio, & scientia ignorantia, quæ omnia sunt relatiua. Non tamen hæc proprietas omnibus competit relatiuis: vt duplici, vel triplici nihil est contrarium.

Secunda proprietas. Relatiua suscipiunt magis, & minus, vt aliquid dicitur magis, & minus simile, vel æquale, &c. Neque hæc omnibus relatiuis conuenit, vt duplum non dicitur magis, vel minus duplum, &c.

Tertia. Relatiua dicuntur ad conuertentiam; idest, sicut vnum dicitur esse alterius, ita è conuerso; vt seruus domini seruus, & dominus serui dominus: & duplum dimidij duplum; & dimidium dupli dimidium. Quæ tamen sub modo referendi casu differre possunt; vt scientia dicitur scibilis scientia, scibile per genitiuum, &c. At hæc proprietas interdum non videtur vera; si in assignando correlatiuum fiat error: vt si quis alam credat esse relatiuum auis; non benè assignabit, quia alia quædam, quæ non sunt aues alas habent, vt apes, vespes, muscæ, &c. Sed vt benè assignetur, debet pro correlatiuo alæ, sumi alatum; vt ala alati ala; Quare dum non sunt clara nomina correlatiuorum oportet ea fingere; vt si credamus, remum referri ad nauigium, decipiemur, nam sunt aliqua nauigia sine remis, sed nomen imponamus dicendo remigatum, & tunc ad conuertentiam dicentur, vt remigatum remo remigatum, & pariter decipietur, si quis credat, caput referri ad animal, sunt namque multa animalia sine capite; sed assignetur capitatum, sic, caput capitati caput. Sic ergo ad conuertentiam relatiua dicentur, si ei quod non est nomen impositum debitè, & in ordine ad primum relatiuum imponatur; & proprium assignetur correlatiuum. Dico autem hoc, quoniam neque in relatiuis ambobus cognitis contigit, vt ad conuertentiam dicantur; si loco vnius relatiui aliud, quod est secum iunctum, & ipsi relatiuo veluti extraneum, vel accidentale sumatur. Vt seruus refertur ad dominum, cum quo interdum iungitur homo, ita vt homo sit dominus, at si dicamus, seruus hominis seruus, non benè dicimus. Pariter si dicamus, seruus, bipedis, vel animalis seruus, &c. Vt autem facilè, & sine errore verum correlatiuum cognoscatur; hæc regula obseruanda est. Remoueantur per intellectum quæcunque iuncta sunt cum eo, quod correlatiuum putamus, & si ad ipsum adhuc relatiuum refertur, erit proprium correlatiuum; si autem non refertur, non erit proprium, verbi gratia seruus referatur ad dominum; & per intellectum auferamus, eum esse hominem, bipedem, animal, rationale, &c. relicto solo domino: quia adhuc ad ipsum refertur, est verè, & proprium correlatiuum. E contrà verò, si credamus, seruum referri ad hominem; & ab ipso homine auferamus dominum; non amplius ad ipsum refertur seruus; quare homo eius relatiuum non erat. Similiter si ala assignetur aui, quia remoto alato, non refertur, eius correlatiuum non erat. Quare oportet assignare conueniens relatiuum vt ad conuertentiam dicantur; & si sit nomen positum, facilis est assignatio, si autem non sit, fortaßè necessarium erit nomen fingere.

Quarta proprietas. Relatiua sunt simul natura: quæ proprietas in plurimis, non autem in omnibus relatiuis vera est, vt duplum, & dimidium, dominus, & seruus sunt simul natura. Nam dicuntur simul natura, quæ posita se ponunt, & perempta se perimunt; at posito duplo, ponitur dimidium, & pariter posito domino, ponitur seruus, & è contrà; atque vno ipsorum remoto, aufertur aliud, ergo. Quod autem omnibus relatiuis hæc proprietas non conueniat, probatur: nam scibile refertur ad scientiam, neque sunt simul, nam vt plurimum acquirimus scientiam de scibili præexistenti, rarò autem aliquid est simul scibile, & scientiam de ipso habemus. Præterea, illud est prius alio, quo remoto, aliud remouetur (dummodo hoc aliud ab eo dependeat, vt contingit in proposito) sed remoto scibili, aufertur scientia: remota verò scientia, non propter hoc remouetur scibile, nam quadratura circuli est scibilis, nec tamen hucusque de ipsa est scientia: Amplius remoto quocunque animali, nulla erit scientia, nec cognitio,) sola namque ipsa cognoscunt vel sciunt) & tamen multa sunt scibilia. Idem dici potest de sensu, & sensibili, videlicet, quod sint relatiua, & non simul natura; sensibile namque ad sensum refertur, & è contrà, tamen ipsum sensibile est prius natura sensu, ipso etenim sublato, aufertur sensus, non è conuerso. Probatur, nam sensus est circa corpus, vel in corpore fundatur, ergo remoto

moto corpore, remouetur sensus: sensibile autem omne corpus includit, & plura. Præterea, sensus est solum in animalibus; sed remoto quocunque sensibili, etiam animalia auferuntur, siquidem sensibilia sunt. Sed remoto quocunque sensu, vel etiam animalibus ipsis, in quibus sensus fundantur multa alia sensibilia remanent, vt ignis, aer, aqua, & alia, ex quibus animal constituitur. At est quædam dubitatio. Si aliqua substantia sit ad aliquid, seu referatur, vel non; & præcipuè est dubitatio de secundis substantijs: de primis namque clarum videtur, quod non referantur, neque ipsæ, neque partes: vt quidam homo non dicitur alicuius quidam homo, nec quædam manus alicuius quædam manus pariter nec secunda substantiæ hanc patiuntur difficultatem: non enim homo dicitur alicuius homo, vel bos alicuius bos, &c. Tamen partes ipsarum difficultatem faciunt: vt caput alicuius dicitur caput, & manus alicuius manus, &c. Respondetur; quod si præcedens definitio (quæ Platoni tribuitur) sufficienter tradita sit, vel impossibile, vel difficile erit saluare aliquas substantias non esse ad aliquid. Si verò non sit bona, (vt quidem non est) nulla substantia est ad aliquid. Recta ergo relatiuorum assignatio erit hæc. Ad aliquid sunt, quæ secundum totum suum esse ad aliquid quodammodo referuntur. Differt autem à præcedenti, quia in illa dicitur, ea esse relatiua, quæ aliorum esse dicuntur, vndè relatiua solum secundum dici, vel secundum quid constituit, atque est nimis vniuersalis: ferè enim omnia aliorum aliquomodo esse dicuntur: quare omnia verè relatiua à nobis nuper definita aliorum quoque dicuntur, non autem è contra; & sic definitio illa continetur in hac nostra, vt vniuersalis in particulari.

Quinta proprietas (quæ ex nunc dictis sequitur) est hæc. Relatiua sunt simul cognoscibilia; ita vt si quis vnum eorum determinatè cognoscit: & aliud definitè cognouerit. Si namque aliquis ignorabit, aliquod relatiuum ad aliud referri, nesciet ipsum esse relatiuum, vt si quis definitè nouit aliquid esse duplum, & cuius duplum est definitè nouit. Pariter si quis cognoscat aliquod melius, necessariò cognoscet esse aliquo peiore melius. Si autem hoc non cognoscat, solam habebit suspitionem, non cognitionem determinatam; vnde nil erit deterius ipso, ratione ignorantia, & infirmitatis intellectus. Verùm est ergo, quod si quis definitè cognouit vnum relatiuorum, definitè quoque cognoscet aliud. Vnde cum nulla substantia sic se habeat, sed vnaquaque sit sola, & absque relatione cognoscibilis, sequitur, quod nulla ipsarum sit ad aliquid: quare confirmatur responsio, vel dubitationis solutio.

Hæc de Relatiuis dicta sufficiant; de quibus fortasse difficile est aliquid vehementer, vel certissimè asserere propter ipsorum difficultatem, quæ ex parua entitate prouenit, nisi sæpè pertractata sint, quare quæ de eis dicta sunt, non penitus, vt resoluta habeantur, sed per modum dubitandi, de quibus sic dubitasse non est inutile.

QVÆSTIO I.

An genus relatiuorum sit vnum, & quæ sub ipso contineantur.

ARguitur primò, quod non sit vnum genus. Nam quod comprehendit ens reale, & ens rationis non potest esse vnum genus, immò quid transcendens, vel potius æquiuocum; at sub relatiuis relatiua realia, & relatiua rationis continentur, ergo.

Secundò. Genus generalissimum relatiuorum, vel refertur ad aliud, vel non. Si ad aliud, ergo illud quoque erit genus, & sic duo erunt generalissima. Si verò non refertur, erit quid absolutum, quod suę naturę repugnat.

Tertiò. Hoc genus, vel est substantia, vel accidens, non substantia, vt de se patet; neque accidens, quia proprium eius est esse in subiecto. Relatiuorum verò dici, vel referri ad aliud.

Quartò. Quòd in pluribus prædicamentis reperitur non est genus aliquod ab ipsis distinctum; sic autem se habet ad aliquid; nam est in prædicamento substantiæ, vt idem, & diuersum; quantitatis vt æquale, & inæquale; qualitatis vt simile, &c. Pro intelligentia sit primò notandum; quod Aristot. post tractatum de quantitate statim de Relatiuis egit; quoniam quantitas est fundamentum æqualitatis, & inæqualitatis; magnitudinis, & paruitatis, multitudinis, & paucitatis; atque aliarum multarum relationum, quas opus erat cognoscere antequam vltra procederetur; & sic non ordine dignitatis, sed naturæ, & doctrinæ processit. Oppositum tamen seruauit in Metaph. vbi post tractatum de quantitate, statim de qualitate peregit; ipsa namque cum sit ens absolutum est dignius relatiuo, & sic talem dignitatis ordinem secutus, illic modo prędicto de eis determinauit. Hæc pauca de ordine sufficiant; ad propositum intentum redeamus.

Sit ergo 2. notandũ, quod relatio communissimè sumpta est duplex, nempè rationis, & realis. Relatio rationis est inter ea, quæ fiunt per solam operationem intellectus, & ad inuicem referuntur; vel etiam inter ens reale positiuum, & priuatiuum, vel negatiuum. Exemplum primi, genus refertur ad speciem, definitio ad definitum, quæ omnia ab intellectu fiunt; pariter cæcitas refertur ad visum; tenebræ ad lumen, quorum vnum est ens reale positiuum, aliud non ens, vel priuatiuum; quæ dicitur relatio rationis, quatenus alterum extremum reale deest, non autem quod per intellectum fiat. At relatio realis est inter entia realia in actu, vel in potentia, præterita, vel futura, realiter distincta, vel non; in actu, vt pater refertur ad filium, in potentia, vt generabile ad generatiuum; præterita verò referuntur ad futura, vt prius ad posterius. Hæc autem relatiua realia sic communissimè sumpta sunt transcendentia, & per consequens secundum diuersas rationes in pluribus prædicamentis reperiri possunt; vt patebit distinguendo. Diuiduntur ergo primò in Relatiua secundum esse, & secundum dici. Secundum esse sunt, quæ ex tota sua natura ad aliud referuntur, ita vt nihil præter ordinem ad aliud de ipsis formaliter acceptis intelligere possimus; vt pater hoc modo refertur ad filium, dominus ad seruum, &c. quia sub ratione patris aliud in-

telligere nequimus, niſi quod ad filium refertur, & ſub ratione domini ad ſeruum, &c. licet fundamentaliter, & connotatiuè ſubſtantiam intelligamus, At relatiua ſecundum dici ſunt, quæ de principali ſignificato non referuntur, immò ſunt entia abſoluta, quæ ſecundariò ad aliud dicuntur; quo pacto ſcientia refertur ad ſcibile: nam ipſa in ſe eſt qualitas; ſed ſecundariò eſt ad aliquid, pariter poſitio, habitus, ſenſus, diſpoſitio, & vitium, virtus, ignorantia, &c. quæ vel cauſa exempli, vel ſequendo definitionem Platonis (quæ eſt relatiuorum ſecundum dici) Ariſtot, circa principium capitis enumerauit; & vt in ſumma dicam; relatiua hæc ſunt relatiua ſecundum quid, quaſi ſic dicantur, ſed non ſint. Relatiua autem ſecundum eſſe diuiduntur in intrinſecus, & extrinſecus aduenientia, Intrinſecus aduenientia ſunt, quæ ex interna natura rei inſurgunt, licet vnum extremorum in quacunque etiam infinita diſtantia (per impoſſibile) reperiretur, vt ſimile, diſſimile, æquale, &c. nam dato hic aliquo albo, ſi nunc in quacunque regione alius albus naſcatur, eſt ei ſtatim ſimilis; pariter æqualis, vel inæqualis, &c, At extrinſecus aduenientia ſunt, quæ non ſimpliciter ex natura extremorum inſurgunt, ſed extrinſecum aliquod requirunt, nempè approximationem, vel remotionem impedimenti, vt actio nata eſt referri ad paſſionem; non tamen ei actualiter referretur, vel ipſa paſſio non ſequetur, niſi agens, & patiens ſic approximentur, vt illud agere, hoc autem pati poſſit, quæ differentiæ, & ſi ab extrinſeco ſumantur, & accidentales appareant, internas tamen atque eſſentiales, nobis occultas, circumſcribunt. Sed ad clariorem intelligentiam, quæſtionem per aliquas concluſiones reſoluamus,

Prima. Relatiua rationis non ſunt in aliquo prædicamento. Patet, nam prædicamenta ſunt entia realia, quæ entia rationis (niſi fortè vt ſigna) continere minimè valent. Sed ipſa cum entibus rationis connumerentur; non tamen credendũ eſt, omnia entia rationis eſſe relatiua.

Secunda. Relatiua ſecundum dici non ſunt in aliquo determinato genere, immò potiſſimum in his tribus abſolutis reperitur, nempè in ſubſtantia, quantitate, & qualitate. In ſubſtãtia caput dicitur alicuius caput. In quantitate numerus eſt rei numeratæ numerus. In qualitate, ſcientia, &c. immò fortè diuerſa ratione in alijs quoque prædicamentis eſſe poſſunt.

Tertia concluſio. Relatiua ſecundum eſſe, & extrinſecus aduenientia conſtituunt ſex vltima prædicamenta; nempè Actionem, Paſſionem, &c. Nam omnia hęc ſunt verè relatiua, & ab extrinſeco ſupplentur, vt Actio refertur ad Paſſionem, & è contra, & neutra fit, niſi per approximationem, & ſic de alijs; de quibus ſigillatim dicetur ſuo loco.

Quarta concluſio. Relatiua ſecundum eſſe, & intrinſecus aduenientia conſtituunt hoc vnum prædicamentum ab alijs omnibus diſtinctum; probatur; nam alter eſt modus prædicandi eorum à quolibet alio. Amplius, Aliæ ſunt ſpecies, & differentiæ horum ab alijs, vt in ſequenti dicetur. Ad Argumenta.

Ad primum patet; nam hæc relatiua, quæ hoc genus conſtituunt, ſunt ſolum entia realia, limitata ſecundum eſſe, &c.

Ad ſecundum dicitur, relatiua ſumenda eſſe in plurali, ſicut etiam definiuntur, & ſic ſũpta genus conſtituunt, & in communi adinuicem referuntur, vt relatiuum ad aliud relatiuum; quia tamen in vtroque ſaluatur eadem ratio ſe referendi, vnicam vniuerſalem habent eſſentiam, & vnicum conſtituunt prædicamentum.

Ad tertium dicitur; eſſe accidens, quod eſt in ſubiecto, & pręter hoc habet depẽdentiam relationis ab alio.

Ad quartum dicitur ad minorem. Relatiua non ſic cum pluribus prædicamentis eſſe, vt de ipſorum naturis participent; ſed in ipſis ſecundum exiſtentiam fundantur, & propriam, & diſtinctam retinent ab alijs quidditatem, vnde diſtinctum faciunt prædicamentum.

QVÆSTIO II.

De conditionibus, modis, & ſpeciebus Relatiuorum.

QVoniam Relatiua ob ipſorum paruam entitatem difficilè cognoſcuntur, ad ea, quæ ad hanc cognitionem nos conducere poſſunt in primis recurremus. Sciendum eſt ergo primum. Quod in omnibus relatiuis quinque reperiuntur, videlicet ſubiectum, fundamentum, extrema, medium, & termini. Subiectum eſt ipſa ſubſtantia, quæ omnium accidentiam eſt ſuſceptiua. Fundamentum eſt potentia immediata ex qua relatiuum educitur. Extrema ſunt ipſa correlatiua. Medium eſt relatio, vel ratio referendi. Termini ſunt fundamenta ipſa ſub alia ratione, ita videlicet, quod fundamentum vnius, ſit ratione alterius terminus, vt in exemplis patebit. Accipiamus ergo hæc duo correlatiua, nempè pater, & filius. Subiectum ergo patris eſt ſubſtantia, ſcilicet animal; fundamentum eſt potentia actiua generandi, ſuper quam immediatè fundatur relatio; extrema ſunt ipſe pater, & filius. Medium eſt ratio referendi, vt paternitas reſpectu patris; filiatio reſpectu filij, ſed termini ſunt in comparatione ad patrem potentia paſſiua generandi; in filio, & in ordine ad filium potentia actiua generandi in patre, nam paternitas licet ordinetur immediatè ad filiationem, tamen terminatur vltimatè ad eius paſſiuam potentiam. Ex parte autem filij, animal eſt ſubiectum, potentia paſſiua generandi eſt fundamentum, pater eſt extremum, filiatio medium, & potentia actiua generandi in patre eſt terminus. Et in ſimilibus, ſubſtantia eſt ſubiectum, qualitas fundamentum, ſimilia extrema, ſimilitudo medium, & duæ qualitates diuerſa ratione ſunt termini. Aliqui tamen terminos ab extremis non diſtinguunt, ſed melius eſt ſic dicere. Ex dictis elicitur. Relatiua ipſa diuerſimodè de diuerſis prædicari poſſe; nam in ordine ad ſubſtantiam cui inherent prædicantur denominatiuè, veluti alia accidentia; ſicut namque hæc eſt denominatiua prædicatio, homo eſt albus; ſic iſta homo eſt pater, vel dominus, &c. & ſecundum hanc conſiderationem non ſumitur ipſorum ratio prædicamentalis, quia vt ſic cum alijs accidentibus conueniunt; omnia namque inhærent, In ordine ad correlatiua prædicantur in obliquo, & per modum ad aliud; vt pater filij pater, vel pater refertur ad filium, &c. & ſic ſumitur eorum eſſentia ab alijs accidentibns diſtincta, & modus diuerſus prædicamentalis conſtituitur, qui etiam mediatè, vel immediatè ſubſtantiam reſpicit, Tertio modo in ordine vniuerſalis ad particularia, & ſic prædicantur in quid, ſicut quodlibet ſuperius reſpectu ſuorum inferiorum, vt pater dicitur quidditatiuè relatiuum, & paternitas relatio; qui quidem modus neque eſt iſtis peculiaris, vt de ſe patet. Sed hoc eſt animaduertendum, quod relatiua concreta, ſicut cætera concreta accidentia, cum duo includant, nempè ſubiectum, & relationem, non reponuntur in prædicamento; quare non pater, ſed paternitas, non ſimile, ſed ſimilitudo in hoc genere collocatur, & ſi ad clariorem intelligentiam perſæpè concreta ſumantur.

Secundò notandum, quod Ariſtot. in 5. Metaphyſic. cap. 15. tres tradit modos relatiuorum. Primus eſt eorum, quæ fundantur ſuper vnum, & multa, vt idem, & diuerſum, æquale, & inæquale, ſimile, & diſſimile. Nam idem fundatur ſuper vnam ſubſtantiam, illa namq; ſunt eadem; quorum ſubſtantia eſt eadem. Diuerſa ſuper

ſubſtan-

substantias diuersas, vel multas; æqualia, quæ habent vnam quantitatem; inæqualia, quæ multas; similia, quæ vnam qualitatem; dissimilia, quæ aliam, & aliam, & sic patet. Vbi non est accipienda vnitas strictè pro numerica, sed quæcunque vnitas sufficit, nempè & specifica, & generica, & in prædictis exemplis nunquam numerica substantia, vel quantitas, vel qualitas accipitur, sed specifica, duæ namque res eandem quantitatem numericam habere non possunt, pariter neque eandem qualitatem, &c. Secundus modus relatiuorum est, qui fundatur super potentiam actiuã, & passiuam; ita vt duorum relatiuorum vnum super actiuam, alterum super passiuam potentiam fundetur; vt pater, & filius; dominus, & seruus, magister; & discipulus; nam paternitas super potentiam actiuam generandi in patre, filiatio super passiuam, vt generetur in filio fundatur. Pariter ratio magistri super virtutem actiuam docendi, discipuli super passiuã, vt doceatur, &c. Tertius modus est eorum, quæ fundantur super mensuram, & mensurabile, vt scibile, & scientia, sensibile, & sensus, &c. nam scibile est mensura scientiæ; tantæ namque perfectionis eam dicimus esse, quantæ est obiectum, & pariter sensum perfectum ex obiecto cognoscibile cognoscimus, & omnem potentiam quoque. Tertiò notandum, quod ex prædictis modis, duo eliciuntur genera subalterna ipsorum relatiuorum, quæ immediatè sub generalissimo continentur, & in quæ potest diuidi; videlicet Æquiparantiæ, & Disquiparantiæ. Dicuntur relatiua Æquiparantiæ, quæ æquale supponunt fundamentum in ratione virtutis, & sic omnia relatiua primi modi, vt idem, & diuersum, eandem, vel diuersam supponunt substantiam absque excessu vnius ad aliam, æquale, & inæquale eandem, vel diuersam quantitatem: Sic simile, & dissimile, qualitatem, &c. At relatiua disquiparantiæ sunt, quæ inæquale supponunt fundamentum, & sunt relatiua secundi modi; vnde in patre respectu filij est excessus; filius autem exceditur, & ex parte excedentis dicuntur relatiua suprapositionis, ex parte excessi suppositionis; vt pater, dominus, magister, &c. sunt suprapositionis; Filius, seruus, & discipulus sunt suppositionis. Tertius modus se extendit ad relatiua secundum dici, & non mutua, quare ad explicationem, & intelligentiam relatiuorum communissimè sumptorum pertinet, non autem ad constitutionem huius prædicamenti. Dicuntur relatiua non mutua, quorum vnum refertur ad aliud, non autem è contrà, seu ea, quæ non sunt simul natura, vt scibile, & scientia, sensibile, & sensus; nam scientia refertur ad scibile, non è contrà; quod exactius videbitur infrà. At Relatiua mutua sunt, quæ vicissim referuntur, vt pater ad filium, & è contrà. Ex dictis, quid sit ad quæstionem dicendum patet, videlicet, quinque esse requisita relatiuorum, subiectum, fundamentum, termini, extrema, & medium, tres modos, & duo genera subalterna.

Inest autem contrarietas, &c.

QVÆSTIO III.

An benè assignentur Relatiuorum proprietates.

ARguitur primò contra primam proprietatem. Oppositio relatiua est diuersa ab oppositione contraria. At relatiua relatiuè opponuntur, ergo non contrariè.

Secundò, ex 5. Phys. in prædicamentis. Ad quæ habent contrarium potest esse motus; ad relatiua non est motus, vt dicitur ibidem, ergo.

Tertiò contra secundam. Vltimæ, vel infimæ entitates omnium aliud suscipere non possunt; siquidem non essent vltimæ, sed aliorum fundamenta. At ipsa relatiua sunt vltima, vnde adueniunt absque mutatione, ergo non suscipiunt magis, nec minus.

Quarto contra tertiam. Omnis propria passio conuertitur cum suo subiecto, vt risibile cum homine, hinnibile cum equo, &c. & tamẽ hæc non sunt relatiua, ergo dici ad conuertentiam non est proprium relatiuorum.

Quintò contra quartam. Quod est causa alterius non est simul, sed prius natura illo. At relatiuorum (eorum inquam, quæ in litera simul natura ponuntur) sic aliqua se habent, vt pater est causa filij, Creator creaturę, producens producti, &c.

Sexto contra quintam. Quę sunt realiter, & essentialiter distincta, non est necesse, vt eadem cognitione cognoscantur; nam gratia talis distinctionis diuersam habent notificationem; at relatiua sic sunt distincta, saltem quamplurima, vt pater à filio, dominus a seruo, &c. Adde etiam, quod eadem non est definitio patris, & filij, domini, & serui, &c. ergo neque eadem cognitio.

Pro intelligentia sciendum est primò; quod prima proprietas relatiuorum sequitur positionem, vel definitionem primam, quæ est Platonis, vnde non oporteret, quod verificaretur de Relatiuis definitis ab Aristotele, & vnico verbo, ea, quæ illic contraria ponuntur, & prius quoque definita fuerunt, sunt relatiua secundum dici; vt patet de virtute, & vitio, de scientia, & ignorantia, quæ quidem possunt esse verè contraria, accipiendo vitium pro habitu positiuo malè operandi, non pro simplici priuatione, vel carentia virtutis, & pariter ignorantiam pro habitu prauæ dispositionis, hę namque sunt contrariæ qualitates, licet non primæ, sed tamen pro nunc sufficit. Si verò loquamur de relatiuis secundum esse, secus dicendum est; videlicet inter ipsa esse oppositionem solum relatiuam; quod est, quasi se ex directo opponi, vel è conspectu (per modum intelligendi) contraponi; vt pater quasi à directo respicit filium, & è contra; vel dicatur, omnia extrema aliquomodo vocari opposita, sic autem se habent relatiua; est igitur (vnico verbo) inter relatiua adinuicem comparata relatiua oppositio, ratione prædicta; neque sat est vnum non posse esse aliud, ita vt propter hoc contrarientur, vt quidam dicunt, quia sic omnia diuersa hanc haberent contrarietatem. Si autem aliqua relatiua disparata sumantur; ratione fundamenti possunt esse contraria: vt simile, & dissimile, quia in contrarijs qualitatibus fundantur, erunt secundariò contraria, non opposita relatiua, quia inter se non referuntur, & sic patet ad primum argumentum.

Pro solutione secundi, sciendum est, quod motus fit inter ea, quæ habent, vel verè contrarium, vel talem incompossibilitatem terminorum, vt post vnum alius acquiratur, siue ordine temporis, siue naturæ: relatiua autem non sic acquiruntur, nam motum non terminant, sed ex motu acquisito insurgunt, & sic ex se non habent veram contrarietatem, vt argumentum probat, sed solum modo prædicto.

Pro solutione tertij argumenti, sciendum est, quod diuersitas relatiuorum prouenit ex variatione fundamenti, vt duo æqualia fiunt inæqualia, si mutetur quantitas vnius; & inæqualia, & dissimilia per mutationem pariter quantitatis, & qualitatis variantur; vnde receptio alicuius entis absoluti fit ex parte fundamenti, licet relatio, vel modus relationis varietur; neque est inconueniens modum hunc super relatiua fundari; nam quamuis in ordine ad entia absoluta relatiua sint minimæ entitatis, non tamen comparatione ad suos modos: dantur namque inter ipsa gradus.

At hic notandum est, quod non omnia relatiua suscipiunt magis, & minus, vt in litera visum est; immò

quædam in indiuisibili consistunt; quare aliquo apposito, vel remoto ex parte fundamenti, in aliud transeunt; vt patet de æqualibus, & similibus, si enim vni ipsorum aliquid apponatur, vel remoueat, statim fiunt inæqualia, & dissimilia, licet per abusum dicantur magis, vel minus.

Ad quartum diximus in Introductione, passionem cum subiecto conuerti, sed hoc non est dici ad conuertentiam, vnde conuersionem, conuertentiam, & conuertibilitatem in cap. de conuersione propositionis catheg. non parum differre diximus.

Pro solutione quinti sciendum est; quod relatiua concretè sumpta supponunt pro subiecto, vt pater pro animali, quod aliud animal genuit; & sic vnum potest interdum esse causa alterius. At si vtrumque simul formaliter sumantur, non habent hanc causæ, vel prioritatis rationem; statim namque, quod est pater, est filius, & è contra, & remoto vno, remouetur alter, vt patet.

Pro solutione sexti sciendum est, quod alia ratio cognoscendi est in rebus absolutis, alia in relatiuis: illa etenim quemadmodum habent esse non in ordine ad aliud, sic quoque independenter retinent cognoscibilitatem. At quoniam relatiua secundum totum suum esse ab alio dependent, sic etiam quo ad cognitionem; ita vt hæc sit vera ipsorum proprietas; & si cognoscatur confusè vnum, & aliud eodem modo, similiter cognito vno distinctè; aliud cognoscitur etiam distinctè; vt si scio patrem esse animal, quod genuit filium, & filium esse animal à patre genitum intelligo, & Magistrum esse hominem docentem discipulum, & discipulum esse hominem, qui à Magistro docetur, intelligitur eo quidem modo, quo, per actiuum intelligo passiuum sesum, & è contra; vt tu amaris à me, intelligitur, ego amo te, &c. Vbi notandum est, quod relatiua ipsa cum solum in concreto benè definiri possint, vt referantur, (relationes namque, vel abstracta non referuntur, sed sunt rationes referendi) debent non per sola correlatiua definiri, sed per fundamentum, vel subiectum, ac terminum; vt similia sunt, quæ in qualitate conueniunt, & mutuo referuntur; equalia, quę in quantitate; pater est animal, quod genuit aliud animal sibi simile in natura, &c. nec sufficit ponere tantum correlatiuum, quia idem esset notius, & ignotius, vel æquè nota, aut æquè ignota, vt pater est, quod habet filium; simile, quod refertur ad simile, &c.

QVÆSTIO IV.

Examinantur quædam curiosa difficultates circa relatiua.

RElatiuorum exacta cognitio ad Metaphys. pertinet; tamen pro adolescentium, & curiositate, & captu, quædam hic breuiter, & faciliter inferere, nec inutile, nec præter consuetudinem erit. Sunt itaque aliquæ difficultates. Prima. An relatiua distinguantur realiter ab absolutis. Secunda. An idem possit referri ad plura. Tertia. An in parte habente plures filios sint plures paternitates. Quarta. An pater, & mater sint vnum correlatiuum filij, vel duo; ita vt in ipso respondeant duæ relationes, Quinta. An vnum relatiuum possit esse fundamentum alterius. Ad primam ergo dubitationem respondent aliqui, relationes quasdam transcendentales non distingui realiter à suis subiectis, vel fundamentis; probant, nam transcendentia sunt veluti superiora, quæ cum inferioribus sunt idem realiter; vt ens cum quolibet ente, bonum cum bono, hoc, & illo, &c. & sic ista relatio in fundamento substantiæ est substantia, in fundamento accidentis, est accidens; sicut ens in substantia est substantia, in qualitate, vel alijs accidentibus accidens. Quod verò detur relatio transcendens, patet; nam ens prius quam in decem prędicamenta descendat, in absolutum, & respectiuum diuiditur. Sunt autem tales relationes, creatio, productio, dependentia, inhærentia, &c. vnde creatio passiua in creatura, quę ad creatorem refertur est idem realiter cum ipsa, dependentia cum eo, quod dependet, &c. quam positionem sic probatur; nam non potest esse, neque intelligi creatura sine creatore, neque dependens, sine eo à quo dependet, &c. Sed tamen oppositum sustinendum est; nam creatio est actio transiens, & creatura pro suo esse absoluto est permanens. Præterea, eadem ratione generatio esset idem cum re genita, &c. quare dicamus, omnes relationes secundum esse distingui realiter ab absolutis, aliter essent partim absoluta, partim relatiua; neque verum est, omnia transcendentia esse idem realiter cum inferioribus. Neque valet, non potest intelligi creatura sine Creatore, ergo est idem creatio cum illa; quia accipiunt tunc creaturam sub modo relatiuo; nam absolutè est homo, vel equus, &c. & est suum argumentum simile huic, non potest intelligi filius sine patre, ergo filiatio est idem cum homine, qui est filius; sed benè cum filio formaliter, & relatiuè sumpto, nam est de eius quidditate. Dicerem tamen, creabilitatem, sicut generabilitatem, corruptibilitatem, &c. non distingui realiter à suis subiectis, sed hæ non sunt relationes, sed proprietates, & relationes secundum quid.

Ad secundam dubitationem respondetur, secundum diuersam rationem non esse inconueniens vnum ad plura referri; vt species ad genus, & ad indiuidua; ita tamen, quod in vna ipsarum relationum non sit adæquata, & totalis causa referendi, quia sic essent contradictoria circa idem; vt si species, v. g. secundum adæquationem ad genus referretur, nihil sibi relinqueretur, vt referretur ad speciem, & sic referretur, & non referretur. Sic ergo refertur ad genus, vt ad superius, ad indiuidua, vt ad inferius. Sic duplum refertur ad dimidium, & ad multiplex.

Ad tertiam pariter affirmatiuè respondetur. Nam remoto vno filio amplius ad ipsum non refertur, & tamen refertur ad alios, ergo. Amplius, qua ratione per vnũ filium accipit vnam paternitatẽ, ita per alium aliam. At si quis diceret omnis paternitas constituit vnum patrem, ergo erunt tot patres, quot paternitates. Negatur antecedens; ad multiplicationem namq; accidentium, non oportet multiplicare supposita substantiæ. Sed benè è conuerso.

Ad quartam problematicè respondetur; videlicet, posse defendi, ea esse duo correlatiua in diuerso genere, vel modo causandi totalia, & in filio duas respondere relationes, vnde ablato patre, adhuc dicitur filius respectu matris. At posset obijci, quia sic esset bis filius, tamen semel genitus. Respondetur vnum esse filium, qui tamen duo potest respicere correlatiua. Alio modo dici potest, patrem, & matrem simul vnam totalem causam supplere, & vnius totalis correlatiui vicem habere; ad quos veluti ad duas partiales causas filius refertur, vt vnicum correlatiuum; sicut quilibet effectus, qui à pluribus depẽdet causis, & vna destructa ad aliam veluti ad partialem refertur.

Ad quintam similiter respondetur affirmatiuè, dummodo de proximo fundamẽto loquamur; vt super duas proportiones fundatur proportionabilitas, super duas similitudines, conuenientia, vel disconuenientia; identitas, vel diuersitas super omnia. Quare relatiua præsertim transcendentaliter sumpta omnia circuunt, in omnibus fundari possunt, per omnia vagantur.

CAPUT IV.

De Qualitate, & quali.

Qualitas est secundum quam, quales quidam esse dicuntur. Sunt autem ipsius quatuor species, vel modi.

Prima igitur species est habitus, & dispositio. Differunt autem in hoc, quod habitus est permanentior, diuturnior, & difficulter mobilis à subiecto, vt scientiæ, virtutes, nempè iustitia, temperantia; hæ namque nisi magna facta mutatione, vel ab ægritudine, vel ab alio, non facilè remouentur. Dispositiones verò sunt facilè mobiles, vt calor, infrigidatio, ægritudo, sanitas, &c. Si autem aliqua ipsarum radicatur, & fiat difficulter mobilis, iam facta est habitus. Quare quæ non immutabiliter hærent, solum dispositiones sunt, vt qui incipiunt discere sunt tantum dispositi, & citò disciplinam amittunt. Omnes autem habitus sunt, vel vocari possunt dispositiones: quatenus, qui habituati sunt habent facilem, & promptam operandi dispositionem; non autem dispositiones sunt habitus.

Secunda species qualitatis est naturalis potentia, vel impotentia; est autem naturalis potentia facultas à natura insita, qua quis facilè operari potest, impotentia, qua quis hac caret facilitate operandi; vt qui ex natura facilem habent currendi, vel pugnandi facultatem, potentes sic dicuntur, & cursores, & pugillatores; quare ea facultas, quæ per vsum, vel artem acquiritur, non est de hoc genere. Pariter dicuntur salubres, qui habent naturalem potentiam, vt nihil facilè à quibusdam patiantur, è contrà, qui facilè patiuntur, impotentes, & insalubres nominantur; similiter durum dicitur, quod habet naturalem potentiam, vt non facilè secetur; molle, quod impotentiam hanc habet.

Tertia species qualitatis est passio, & passibilis qualitas. Sunt autem passiones dulcedo, amaritudo, austeritas, albedo, nigredo, &c. quæ qualitates dicuntur, quatenus ea, quæ ipsas recipiunt ab ijsdem vocantur qualia; vt mel dicitur dulce, vel quale; quia dulcedinem recepit, & corpus album, quoniam suscepit albedinem, &c. At passibiles qualitates non dicuntur solum ex eo, quod aliquid ab ipsis dicatur quale; sed ratio earum in ordine ad sensum sumitur, ita vt videlicet, quod omnes illæ qualitates, quæ nata sunt afficere sensus, vel ex eorum affectibus fieri, passibiles sunt qualitates, sic autem se habent, color, sapor, sonus, calor, frigus, odor, &c. nam color visum, sapor gustum, sonus auditum, calor, & frigus tactum, odor olfactum mouent, vel afficiunt. At alia sunt passibiles qualitates, quæ non mouent sensus, sed ex ipsorum mutationibus natæ sunt fieri; vt rubedo fit ex verecundia, pallor ex timore, quæ quidem sicut ex prædictis accidentibus fiunt, sic ex natura fieri dicendum est, si similes adsint causæ. Quare omnes istæ qualitates prædictæ si sint difficulter mobiles dicuntur passibiles qualitates; & res ab ipsis vocantur simpliciter quales; si verò sint facilè mobiles, & transeuntes, dicuntur passiones, & aliquid ab ipso non denominatur simpliciter quale; quod quidem verum est de qualitatibus, tam corporis, quàm animæ, vt si quis sit naturaliter rubeus, vel pallidus, dicitur rubens, vel pallidus simpliciter, & per consequens simpliciter qualis. At si ex verecundia aliquis fiat rubeus, non dicitur rubeus simpliciter, neque simpliciter pallidus, qui ex timore quandoque pallorem accipit. Circa animam quoque dicendum est; qui enim à natura sunt vel fatui, vel iracundi; quales simpliciter dicuntur; qui autem ex ira, vel contristatione sic fit, non dicitur simpliciter talis, vel qualis. Est itaque passibilis qualitas, quæ nata est mouere sensus, vel ex eorum mutationibus, aut similibus fieri, & difficiliter mobilis. Passio autem nihil diuersum dicit ab ipsa, nisi facilem mutabilitatem.

Quarta qualitatis species (seu subalternum genus) est figura, & forma; figura sunt rectitudo, curuitas, triangulus, quadrangulus, &c. nam secundum ipsas res dicuntur quales. Forma autem est pulchritudo, vel speciositas rei. Aliquis autem putare posset, rarum, & spissum, asperum & lene esse qualitatis species, sed decipitur; immò dicunt potius positionem; nam spissum dicitur, quod habet partes propinquas, rarum verò distantes; & lene cuius partes æqualiter in rectitudinem iacent; asperum, quod sint inæquales, ita vt vna sit eminentior altera. Fortasse sunt alij modi, vel species ipsius qualitatis, sed præcipui sunt prædicti. Hæc igitur omnia, quæ dicta sunt, qualitates dicuntur. Nunc de his, quæ dicuntur qualia dicamus.

Qualia verò sunt, quæ ab his qualitatibus denominantur, vt à candore candidus, à Grammatica Grammaticus, &c. Verùm est tamen, quod in aliquibus non datur determinatum nomen, vnde non fiunt tunc denominationes à nominibus qualitatis, vt pugillator, & cursor non proueniunt ab aliqua qualitate, quæ dicatur pugillatoria, vel cursoria; nec à virtute dicitur virtuosus, sed studiosus, hoc tamen nihil refert, sed est solum nominum defectus.

Tres sunt proprietates qualitatis. Prima habere

bere contrarium, vt iustitia contrariatur iniustitia, albedo nigredini, &c. Immò ratione contrariarum qualitatum, ea quæ dicuntur qualia, etiam contraria sunt; vt iustum iniusto, album nigro. Hæc autem proprietas non conuenit omnibus qualitatibus, vt rubro, pallido, & alijs medijs coloribus nihil est contrarium. Hoc tamen animaduertendum est: quod contrarium de genere qualitatis non habebit aliud contrarium alterius generis, vt discurrenti per singula prædicamenta notum erit: quare si vnum contrarium fuerit quale, & reliquum erit quale; sicut quia qualis est iustitia, etiam iniustitia erit, &c.

Secunda proprietas. Qualia recipiunt magis, & minus: vt aliquid dicitur magis, & minus iustum, vel candidum, &c. Tamen non quomodocunque sumantur qualitates hoc recipiunt: nam iustitia abstractè sumpta dubium est si dicatur magis, vel minus iustitia, pariter Grammatica, &c. Verùm ea, quæ qualitates recipiunt, dicuntur secundum ipsam magis, vel minus talia; vt quis dicitur iustior, vel grammaticior altero: &c. Pariter figura magis, & minus non recipiunt; vt triangulus non dicitur magis, nec minus triangulus; immò omnes trianguli eandem trianguli essentiam æquè participant, si verò accipiantur ea, quæ non recipiunt eandem definitionem, non est dicendum suscipere magis, nec minus, sed penitus ab ipsa sunt excludenda, vt circulus, quia non continetur sub quadrangulo, non possumus dicere, ipsum habere alteram partem minus, vel magis longam, sicut de quadrangulis dicere possumus, & sic omnia qualia magis, vel minus recipiunt, vt de figuris patet, &c. Harum itaque proprietatum, quæ dictæ fuerunt, nulla est sic qualitatis propria, quin alijs quibusdam conueniat.

Tertia proprietas est, quod secundum qualitatem res dicantur, similes, & dissimiles, ita vt secundum nullum aliud genus hoc contingat. At si quis dicat, cur de qualitate tractantes, sæpè sæpius relatiua cum ipsa miscuimus, cum sint prædicamenta diuersa? diximus namque nunc de simili, & dissimili, olim de habitu, dispositionibus, &c. quæ relatiua sunt. Respondetur dupliciter; primò, quod ferè in omnibus qualitatibus genera sunt relatiua (scilicet secundum dici) licet singularia, vel particularia relatiua non sint: vt disciplina cum sit genus scientiarum, relatiuum est, est enim alicuius disciplina; at scientiæ particulares nequaquam, neque etenim Grammatica, nec Musica alicuius Musica est, sed fortè secundum genus hæ quoque ad aliquid dicuntur, vt Grammatica est alicuius disciplina, licet non alicuius Grammatica. Quapropter qualitates singulares, vel particulares non dicuntur relatiuæ, neque secundum ipsam referimur, sed dicimur solum quales: sed genera ipsarum referuntur, quod sufficit, vt de relatiuis facta fuerit mentio. Secundo modo respondetur, quod cum aliquid diuersa ratione possit esse quale, & ad aliquid, nullum est inconueniens in vtrisque generibus enumerari. Vbi notandum est, quod essentialiter nihil potest esse in diuersis generibus, sed solum denominatiuè, vt scientia est essentialiter in genere qualitatis, secundariò quatenus super ipsam fundatur relatio, denominatur relatiuum, & est in genere relatiuorum, aliter idem esset absolutum, & respectiuum: & diuersa genera generalissima non haberent diuersas species, & differentias, immò prædicamenta ipsa non essent impermixta, & distincta.

Qualitatem verò dico, &c.

QVÆSTIO I.

An qualitas in communi benè assignetur.

Arguitur primò, quod non. Non tantum secundum qualitatem, sed etiam secundum essentialem differentiam dicimur quales, ergo si prædictæ definitioni nihil aliud addatur non erit bona. Secundò. Omne genus generalissimum diuiditur per duas differentias; qualitas autem non sic diuiditur; immò statim quatuor species eis assignantur, ergo non erit genus, & per consequens non ritè inter genera ponitur.

Pro intelligentia sit primò notandũ, quod qualitas accipitur tripliciter, vno modo pro quacũque entitate, quę ad modum formæ, vel termini substantiam contrahit, vel limitat; & sic omnia accidentia, immò & differentiam substantialem includit, vnde ipsa definitur, quod prædicetur in quale, &c. Alio modo accipitur pro quacunque entitate, quæ neque est de essentia substantiæ, neque proprium eius. Et sic omnia prædicamenta (excepta substantia) includit. Vnde dicitur, accidens est, quod prædicatur in quale accidentale non conuertibiliter, quę definitio omnibus prædicamentis præterquam substantiæ conuenit. Tertiò modo accipitur pro entitate absoluta accidentali determinante substantia non ad modum materię, vel termini quanti, sed ad modum formæ, & sic capitur hic.

Aliud notandum, quod Aristot. exactam definitionem in his prædicamentis non tradit, quod duplici de causa efficit, videlicet, quia ex professo ad Logicum non attinent, & quia cum sint generalissima, non facilè definiri possunt; præter quam quod sat est, vt ad finem à Logicis intentum per quamcunque simplicem notificationem dirigat, quod autem ipsius qualitatis notificatio, non sit sufficiens, ex eo patet, quia est ab effectu, & ita communis, vt solum qualitatis nomine in alia mutato omnibus aptari potest; vt Quantitas est secundum quam dicimur quanti. Relatio secundum quam dicimur ad aliud; Actio secundum quam dicimur agentes, &c. Poßet autem sic fortè explicari. Qualitas est accidens absolutum determinatiuum substantiæ per modum formæ accidentalis, secundum quam res dicuntur accidentaliter quales. In qua definitione accidens supplet locum generis (non enim verum genus in generalissimis est exquirendum) reliqua locum tenent differentiæ; per absolu-

abſolutum diſtinguitur non tantum à genere ad aliquid, ſed à ſex vltimis prædicamentis, quæ omnia relationem includunt, vt dicetur; per illam particulam (determinatiuum ſubſtantiæ per modum formæ (diſtinguitur à quantitate, quæ etiam ſubſtantiam accidentaliter determinat; ſed per modum materiæ, quia tribuit ipſi ſubſtantiæ extenſionem, & capacitatem paſſiuam ad recipienda accidentia, quæ quidem capacitas materiæ eſt conueniens.

Tertiò notandum, quod qualitas ſub ſe ferè innumerabiles continet ſpecies, quas difficillimum eſt ad aliquas genericas oppoſitas differentias reducere, quare ſolũ modi vniuerſales, qui ab omnibus ſpeciebus diuerſa ratione participentur ab Ariſtotele aſſignantur. Si autem ipſam qualitatem in ſpiritualem, & materialem diuideremus, ex notioribus procedendo, ipſum qualitatis genus in duas oppoſitas differentias diuideremus. Sunt autem qualitates ſpirituales, quæ rebus ſpiritualibus conueniunt, vt intelligere, velle, item omnes ſcientiæ, omnes virtutes, opiniones, artes, &c. hæc namque omnia ſolum intellectui competunt. At qualitates materiales ſunt, quæ conueniunt rebus materialibus, vel corporibus, vt color, frigus, ſapor, ſonus, ſiccitas, &c.

Aliud notandum, quod qualitatum, quędam vocantur primæ, quædam ſecundæ, & quædam neutræ. Primæ dicuntur, quæ ad generationem, & corruptionem ordinantur, & ſunt quatuor, nempè caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas, quæ etiam dicuntur elementares, nam ab elementis, nempè ab igne, aere, aqua, & terra originem primam habent. Secundæ vocantur, quæ ab iſtis fiunt, vt ſapor, odor, color, &c. nam hæ ex diuerſa miſtione prædictarum inſurgunt. At neutræ ſunt, quæ neque a primis, neque à ſecundis dependent, & poſſunt eſſe illis priores, & poſteriores ſecundum diuerſam rationem, vt lumen, ſonus, nec non omnes quas ſpirituales appellauimus.

Denique notandum eſt, quod vt qualitas ab alijs accidentibus diſtincta cognoſcatur, hæc obſeruanda ſunt, videlicet, quod non determinet per modum quanti, non referatur ad aliud, neque ſit quid extrinſecum ſubiecto quod denominat, ſed ipſi intrinſecè inhęreat, atque ſecundum ipſam poſſit alteri ſimile, vel diſſimile ſubiectũ ipſum appellari; per quas obſeruationes penitus ab alijs diſtinctam cognoſcemus. Ex dictis quid ad quæſtionem dicendum ſit patet. Eſt namque ſuo modo benè aſſignata, prout videlicet Logico ſat eſt. Ad Argum.

Ad primum dicitur, quod ſecundum differentias eſſentiales dicimur quales eſſentialiter, ſed per qualitatem accidentaliter, & modo prædicto.

Ad ſecundum patet in tertio notabili.

Vna quidem igitur ſpecies qualitates, &c.

QVÆSTIO II.

An ſpecies qualitatis benè aſſignentur.

ARguitur primò contra primam ſpeciem. Habitus eſt prædicamentum per ſe à qualitate, & ab alijs diſtinctum, ergo non eſt qualitatis ſpecies.

Secundò contra ſecundam. Naturalis potentia eſt idem realiter cum illo cuius eſt potentia, vt intellectus cum homine, &c. ergo eſt in illo prædicamento in quo eſt ſuum ſubiectum, non autem in hoc.

Tertiò, contra tertiam. Paſſio pariter eſt aliud prædicamentum à qualitate diſtinctum, ergo.

Quarto contra quartam. Figura eſt quantitas vt patet de triangulo, quadrangulo, &c. ergo non eſt ſpecies qualitatis. Et forma reperitur in omnibus prædicamentis, ita vt in genere ſubſtantiæ ſit forma ſubſtantialis, & alia omnia accidentales dicuntur formæ.

Quintò. Aſſerit Ariſtoteles in textu, quatuor eſſe ſpecies qualitatis, & tamen enumerat octo.

Sextò. Habitus à paſſibili qualitate non differt, nec diſpoſitio a paſſione, vt ex ipſorum aſſignatione patet, eſt namque paſſibilis qualitas difficulter mobilis ſicut habitus, & paſſio faciliter ſicut diſpoſitio.

Pro facili atque breui reſolutione horum, quæ examinanda proponuntur, aliquas ſtatuamus concluſiones.

Prima. Species qualitatis, quæ enumeratæ ſunt non ſunt verè ſpecies, nec ſpecialiſſimæ, nec ſubalternæ, ſed ſunt ipſius qualitatis modi. Differt autem ſpecies à modo; nam dicitur ſpecies entitas completa, quæ ſub aliquo determinato genere poſita, ex ipſo, & ex differentia conſtat; neque poteſt eſſe pars alterius, ita vt integra maneat, ſic autem in genere ſubſtantiæ ſe habent homo, & leò; in genere quantitatis, numerus ternarius, & quaternarius. At quis obijciet, quia ternarius eſt pars quaternarij. Reſpondetur, eſſe partem materialiter ſumptam, nam formaliter, vel in ſua quidditate non manet, ſic namque intelligi debet, dum dicimus, ſpeciem non eſſe partem; materialiter namque ferè quamplurima accidentia de genere qualitatis miſceri poſſunt, vt patet de coloribus, odoribus, ſaporibus, &c. tamen nunquam ratio vnius eſt pars, vel modus alterius; vt quidditas albedinis ad nigredinem non attinet, nec aliæ ad alias ſpecies, niſi forte etiam illæ ob miſturam materialem materialiter ſumantur; vt quoniam color fuſcus verbi gratia ex albo, & nigro conficitur, per illos definietur, non tamen, vt ſic quidditatiuè, ſicut loquimur nunc. Modus autem eſt determinatio, vel accidentalis quædam additio, vel conditio, quæ ex ſe non eſt ſpecies, neque pars alicuius, vt intẽſio, & remiſſio in albedine, maior, & minor radicatio ſunt eius modi. Quod igitur, quæ ab Ariſtot. enumerantur non ſunt veræ ſpecies, ſed modi. Probatur, nam ferè omnes, vel quamplurime coincidere poſſunt; vt qualitas minus radicata eſt diſpoſitio, ipſa autem magis eſt habitus, pariter paſſio, & paſſibilis qualitas, & modo prædicto differunt, & ex parte afficiendi ſenſus, vel ab ipſis effluendi; qui quidem omnes ſunt modi diuerſi; neque etenim hæ extrinſecę, & aduentitiæ, ac variabiles diſpoſitiones ſpecificam naturam conſtituere poſſunt. Amplius, vna ſpecies per maiorem intenſionem non euadit alia; immo ipſamet in ſua natura corroboratur, vt albedo per plures gradus non fit nigredo, ſed diſpoſitio per eoſdem, vel ſimiles actus fit habitus, ergo non ſunt ſpecies diuerſæ; confirmatur auctoritate eiuſdem Philoſophi, qui eas modos appellat.

Secunda concluſio. Hi omnes modi ſic ſe habent, vt qui ſunt ſimul combinati magis inter ſe conueniãt, quam cum alijs; vt plus conuenit habitus, & diſpoſitio, quam habitus, & naturalis potentia; nec alia de cauſa ęos ſic coniunctos Ariſt. poſuit, immo ſi bini ſumantur, forſitan nullam habet difficultatem, quod diximus: ſicut è contra, omnes ſimul mutuò collati dubitationem afferunt, & fortè ſic vnuſquiſq; non eſt modus alterius: omnes tamen ſunt modi qualitatis, vt habitus dicit immobilitatem acquiſitæ qualitatis, diſpoſitio mobilitatem, Naturalis potentia facilitatem naturalem ad operandum, impotentia difficultatem; paſſio, & paſſibilis qualitas modum afficiendi ſenſus, vel ab ipſis fluui mobiliter, vel immobiliter; Figura eſt determinatio qualitatis ad terminos. Et forma dicit præter ipſam ſpecioſitatem ſuperadditam; quia tamen ſpecies vniuerſaliſſimæ qualitatis ſunt incognitæ, hi modi, nomen, vicem, & vſum ipſarum ſupplent, atque & ſpecies, & genera liceat eos appellare. Qui vt clarius cognoſcantur, breuiter ſingulas eorum notificationes adducamus; non enim in litera exactè definiti fuerunt, & gratia diſtinctionis, & ordinis ſit.

Tertia

Tertia conclusio. Habitus est qualitas difficiliter mobilis à subiecto, qui ex frequentatis actibus generatur; & ad consimiles producendos facile, ac delectabiliter allicit, vnde vocatur etiam secunda natura, & extenditur ad bonos, & malos, seu habitum virtutis, & vitij. Dispositio autem est imperfecta huius qualitatis acquisitio; vnde ab habitu differt, quia neque est sic immobilis, neque tantam facilitatem, & delectabilitatem ad operandum habet, sed ad hæc disponit; vnde est habitus imperfectus, sed quatenus etiam habitus disponit, vocatur & ipse dispositio, non tamen simpliciter, sed cum additionibus prædictis.

Naturalis potentia est quędam à natura insita agilitas ad facile operandum, vnde non dicit simpliciter potentiam, sed facilitatem superadditam, & hac de causa est verè accidens: si namque puram potentiam diceret, in omnibus, quæ sunt eiusdem speciei reperiretur, vt patet de intellectu, voluntate, &c. cuius tamen oppositum docet Philosophus in litera; ibi enim cursores, & pugillatores, salubres, & insalubres nominat; nec non facilè, non simpliciter posse operari meminit; quare neque intellectus, neque voluntas, nec aliæ naturales simplices potentiæ sunt sub hac specie collocandæ, vt quidam inconsultò dicunt, sed solum, quæ facilitatem præseferunt. Naturalis autem impotentia est eadem potentia imperfecta, si materialiter sumatur, vel est eiusdem priuatio, si accipiatur formaliter, quæ ad potentiam, vt priuatio ad habitum pertinet. Passio est qualitas, quæ passionem infert in sensus, vel ex eorum passionibus nata est fieri, facilèque permutabilis. Passibilis verò qualitas est passio difficulter mobilis. Vbi notandum est, quod hæ qualitates in alijs quoque, quam in animalibus reperiri possunt; tamen ab ipsis animalibus sumuntur, vt ex eis quomodo in alijs sint; vel fiant, cognoscatur; quare neque erunt ipsarum exactæ definitiones, sed explicationes ex notioribus. Figura est, quæ termino, vel terminis clauditur, termino, vt circulus, & quælibet alia figura sine angulis; terminis, vt triangulus, quadrangulus, & aliæ quæ angulos habent: quarum quædam sunt linearum, quædam superficierum, quædam corporum, ita vt ipsæ figuræ sint modi qualitatis circa quantitatem. Forma est eiusdem figuræ speciositas. Ad Arg.

Ad primum dicitur, habitum, qui est prędicamentum, esse respectum indumenti ad rem vestitam, non autem qualitatem, vt ibi clarius dicetur.

Ad secundum dicitur, potentiam simpliciter re vera esse idem cum illo, cuius est potentia, & in eodem genere, sed hæc est agilitas, vel accidens quoddam a natura superadditum, & est qualitas.

Ad tertium dicitur, passionem, vt est effectus, vel respectus ab actione prouenientem esse quidem distinctum genus ab hoc, sed quatenus est entitas accidentalis manens, & sensus afficiens &c. est qualitas.

Ad quartum dicitur, figuram esse qualitatem super quantitatem fundatam; & formam pro pulchritudine solum ad qualitatem attinere.

Ad quintum dicitur, hos modos, vel species, vel genera subalterna (quomodocunque vocentur,) accipiendos esse copulatim; nempè habitum, & dispositionem pro vno: naturalem potentiam, & impotentiam simul pro alio, & sic de alijs.

Ad sextum respondetur, esse modos, qui secundum diuersam rationem variari possint, vt dictum est.

Inest autem contrarietas, &c.

QVÆSTIO II.

An proprietates qualitatis sint benè assignatæ.

TRes assignatę fuerunt proprietates qualitatis, nempè habere contrarium, suscipere magis, & minus, & secundum eam dici simile, & dissimile. Primam proprietatem dictum fuit non conuenire qualitatibus, vel coloribus medijs, vt fusco, vel pallido (inquit) nil est contrarium. Contra. Vbicunque fieri potest motus ibi est vera contrarietas, & præcipuè si sit alteratio, sed ad qualitates medias fieri potest motus, ex 5. phys. ergo.

Secundò contra secundam. Vbi est magis, & minus, ibi fieri potest motus, ex eodem 5. phys. tex. 19. Sed ab eadem in eandem speciem non fit motus, nam ipse est inter terminos contrarios, vt ibidem dicitur; ergo neque qualitas eiusdem speciei suscipit magis, nec minus.

Tertiò contra tertiam, res dicuntur similes, & dissimiles per similitudinem, & dissimilitudinem, sicut albæ, vel nigræ per albedinem, & nigredinem, non ergo per qualitatem.

Pro resolutione primi argumenti sciendum est, quod contrarietas propriè dicta est præcipuè inter qualitates, & potissimum inter primas, & extremas, quia ipsæ sunt actiuæ, & natæ ab eodem subiecto mutuo se expellere; si autem aliquæ sint qualitates, quæ talem non habeant actiuitatem, hæ contrarium non habent, vnde non omnibus hanc proprietatem competere docuit Arist. ita vt esse possint aliquæ, quæ neque ex se neque ex parte aliarum repugnant, sicut forsitan forma, & figura, &c. At aliæ licet ex se contrarietatem non habeant, ratione tamen, vel participatione primarum non omnem contrarietatem excludunt; vt tepor ex se non habet contrarium, neque frigus, neque calorem, tamen gradus caloris, qui ibi sunt, frigiditatis gradibus contrariantur, & ratione huius participationis, ibi potest esse motus, vt optimè probat argumentum.

Pro secunda proprietate sciendum est primò, quod nulla qualitas in abstracto suscipit magis, nec minus, vt vna Grammatica, vel albedo non dicitur magis Grammatica, vel albedo, quam alia, ratio est, quia vt sic simplex essentia, vel quidditas ipsarum consideratur, vt essentiæ, vel quidditates consistunt in indiuisibili, ita vt penitus sint inuariabiles, nam homo in communi, & quidditatiuè est tantum animal rationale; quicquid auferas, vel addas extraneum, non amplius est homo; sic albedo, & omnis alia qualitas abstracta est solum albedo, vel puram definitionem albedinis includit; & quicquid ei addatur, vel remoueatur naturam ipsius dirimit, quod quidem de omnibus rebus dicatur. At in concreto, seu in subiecto, secus dicendum est; nam cum vna qualitas sit cum alia eiusdem speciei composibilis in eodem situ, si plures gradus eiusdem addantur, magis suscipit, si remoueantur, recipit minus. Vnde formalis, ratio vel causa talis susceptionis est ex ipsorum graduum aduentu, vel remotione, non autem ex maiori, vel minori radicatione in subiecto, vt nonnulli arbitrantur; dicunt namque eam qualitatem esse magis talem, quæ magis est in subiecto radicata, eam vero minus, quæ minus, sed profectò decipiuntur, nam quis intensiorem ephimeram, vel diariam febrim habet, quam aliquis quartanam, & tamen illa est minus radicata; dicatur ergo vt supra.

Secundò notandum, quod quando in eadem specie est magis, & minus, ibi est ratio ferè duarum specierum, & recessio, & accessio quasi duas species diuersas concernit, vt quando itur de magis in minus album, est quasi transitus de albo in nigrum, & de minus in magis, est accessio de nigro in album, vnde sicut extremis participant, sic eorundem ratione motum subeunt, non tamen primariò, & perfectè.

Ad tertiam difficultatem respondetur; res formaliter, vel actualiter, aut immediatè dici similes, & dissimiles per similitudinem, & dissimilitudinem, sed fundamentaliter per qualitatem, ita vt similitudo, & dissimilitudo non sint qualitates, sed duæ relationes, quæ immediatè super ipsam qualitatem fundantur.

De

CAPVT V.

De Agere, & Pati.

Agere & Pati, seu Actio, & Passio duas habent proprietates; nempè habere contrarium; vt in Actione calefacere, & frigefacere, in Passione calefieri, & frigefieri, & delectari, & contristari. Secunda proprietas est suscipere magis, & minus; vt in Actione est magis, & minus calefacere, in Passione magis, & minus calefieri, vel tristari. De his igitur tot dicuntur.

CAPVT VI.

De cæteris Prædicamentis.

De situ dictum est in cap. de Relatiuis, videlicet, quod quæ situata sunt, sic denominantur à positionibus. De reliquis verò, idest de Quando, Vbi, & Habitu, propterea quod manifesta sunt, nihil aliud de ipsis dicitur, quam quæ in principio (nempè in Antepradicamentis) dicta sunt: videlicet, quod Habere quidem significat calceatum esse, armatum esse. Vbi, vt in Lycio, in foro, & alia quæcunque de his diximus. Igitur de omnibus generibus, quæ proposuimus, sufficiunt, quæ dicta sunt.

QVÆSTIO VNICA.

De Actione.

QVoniam (vt alibi sæpè diximus) prædicamenta secundum suum esse reale ex professo ad Logicum non attinent, ideo neque de ipsis exactè ab eodem determinandum est; quapropter de quatuor primis secundum Logicum institutum, determinatione habita, sex vltima, per ea quæ dicta sunt, intelligenda esse vult Arist. & præcipuè, quia sic sufficit, & de eis, & in Physicis, & in Metaph. agitur. Nos autem aliqua, quæ præsens negotium non excedent, de singulis pro tyronibus breuiter dicemus. De ipsa igitur Actione tria videbimus, nempè quid sit, quotuplex sit, & quot sint eius proprietates. Quo igitur ad primam partem Gilbertus Porretanus Scriptor Græcus, qui Auctor sex principiorum, nempè sex vltimorum prædicamentorum dicitur (omnia namque prædicamenta principia sunt, vt visum est) sic Actionem definit; Actio est secundum quam in id quod subijcitur agere dicimur; vt quis dicitur secans, eo quod aliquid secet, &c. Quæ definitio sic est intelligenda; Actio est respectus extrinsecus adueniens, mediante quo aliquid dicitur in aliud agere, nempè in passum. Vbi notandum est, quod duo sunt in actione, videlicet fluxus, vel operatio illa realis, quæ fit ab agente, vt calefactio, frigefactio &c. & hæc quidem non est relatio, sed verè, & proprius motus, vel instantaneus, vel successiuus: quod quidem, & in 3. & in 5. phys. fatetur Arist. nam in tertio, Actionem, & Passionem vnum, & eundem motum esse fatetur, & in 5. ad Actionem esse motum negat, quia ad motum motus non est, quid clarius? quod verò formaliter sit relatio, probatur, quia per ipsam agens formaliter refertur ad patiens; & Actio est illatiua passionis. Immo, si non est relatio extrinseca, dicant qui aliter sentiunt, quid sit? proculdubio nihil aliud dicent, nisi motum, & conditiones omnes motus ei tribuunt, videlicet, quod sit successiua, vel instantanea, animæ, vel corporis, & sic ipsam nisi dicant esse relationem, à motu distinctam ponere non possunt, quod tamen si esset verum, reponeretur in eo genere in quo est motus, nempè in genere quantitatis, vel esset in post prædicamentis, & non prædicamentum a se distinctum: quod tamen cum non sit verum, dicendum est, vt nos dicimus, & ipsi quoque balbutientes confitentur, asserendo esse secundario relationem, & principaliter motum, sed decipiuntur, confundēdo relationem cum fundamēto, vel eos pudet (eo quod iurauerint in verba Magistri) sua opinione relicta veram aliorum doctrinā sequi. Hoc tamen obseruandum moneo, quod quemadmodum multa tribuimus relatiuis, quæ eis non conueniunt nisi ratione fundamenti, quo pacto dicimus, patrem habere potentiam generandi esse priorem filio, causam esse nobiliorem effectu, dominum seruo imperare &c. sic quæ tribuuntur actioni, ei ratione fundamenti conueniunt; vt per actionem omnia fiunt, est opus naturæ, & principium &c. quæ motui, qui est eius fundamentum, aptantur, quæ si considerassent aduersarij, non quærerent, quomodo per respectum regenerantur, corrumpuntur, alterantur, &c. hoc namque quærere, idem est, ac si quæratur, quomodo dominus, qui est respectus, creauit cœlum, & terram; quomodo pater generat, nutrit, reprehendit filios, vel quomodo respectus, (nempè pater, vel relatiuum) loquitur, manducat? sunt quidem rudes speculationes. Est itaque actio formaliter respectus super motum fundatus, sicut æqualitas, & inæqualitas super quantitatem; cuius correlatio est actio, fundamentum est potentia actiua generantis, subiectum substantia, terminus potentia passiua patientis. Ita vt sit talis ordo; Agens, & patiens sunt correlatiua; vt pater & filius: Actio, & passio sunt relationes, vt paternitas, & filiatio. Potentia actiua agentis est fundamentū actionis, & terminus passionis, vt potentia generatiua est fundamentum paternitatis, & terminus filiationis. Substantia agens est subiectum actionis: patiens passionis, sicut in prædictis substantia singularis patris, & filij. Differunt in hoc, quod ea sunt relatiua intrinsecus, hæc autem extrinsecus aduenientia. Sed est dubitatio, nam actio est ratio referendi agens ad patiens, ergo ipsa non est relatiuum ad actionem: quia relatio, vel ratio referendi non refertur. Respondetur, relationem comparatam ad relatiua concreta esse solam rationem referendi, vt paternitas est ratio vt pater referatur ad filium, & ipsa non refertur; Sed comparata ad aliam relationem, quandoque potest referri non per aliam, sed se ipsa; vt paternitas se ipsa ad filiationem refertur, quia simpliciter simplicia sunt ex se talia, & sic dicatur de Actione, & Passione. Hæc de ipsius natura dicta sufficiant. Ad aliam partem accedamus.

Diuiditur itaque Actio in instantaneam, & successiuam, loquendo fundamentaliter, & cū respectu. Instantanea, quæ sine temporis successione fit, vt illuminatio, intellectio, visio, &c. Successiua, quæ fit cum temporis duratione; vt deambulatio, natatio, volatio, &c. Diuiditur secundò in Actionem animæ, & corporis. Actiones animæ sunt, quæ ab ipsa principaliter incipiunt; vt amare, intelligere, velle, &c. (ponantur autem pro nunc secundum vsum Actiones, alibi enim de eis exactius dicetur) actiones autem corporis sunt, currere, ædificare, scribere, texere, &c. quæ licet ab anima incipiant, tamen quia eius adæquatum receptiuum est corpus, ei tribuuntur,

tur,

tur, quod si alicui non placet, nihil curo de exemplis, possunt accipi aliæ, vt motus, vel calefactio ignis, frigefactio acquæ, &c. Aliter diuidi potest in permanentem, & transeuntem. Permanens, quæ remanet in agente, vt cogitatio, cursus, &c. Transiens, quæ in ipso non manet, vt ædificatio, aratio, &c. Similiter in actionem substantialem, & accidentalem; substantialis, quæ ad substantiam generandam, corrumpendam, vel nutriendam dirigitur, vt generatio, corruptio, nutritio; aliæ sunt accidentales. Alio modo etiam diuidi potest Actio in corruptiuam, & perfectiuam; vt combustio, vulneratio, &c. sunt corruptiuæ, nutritio, augmentatio, &c. perfectiuæ, Pariter aliæ sunt voluntariæ, aliæ violentæ, aliæ naturales, aliæ artificiales. Quatuor sunt eius proprietates, duas assignat Aristot. (non curando de reliquis ratione prædicta) alias affert Gilbertus. Prima habere contrarium, vt calefacere est contrarium ei, quod est frigefacere, quæ proprietas intelligi debet ratione terminorum; videlicet, quod si termini actionum sunt contrarij, & actiones contrariæ sunt, vt quia frigefactio ad frigiditatem, calefactio ad calorem terminantur, ideò sunt actiones contrariæ, quare hæc non conuenit omni actioni, vt patet de generare, corrumpere, &c. hæ enim sunt actiones ad substantiam, in qua non est contrarietas; sufficit tamè eo modo actionem habere contrarium, sicut habent inter se motus. Secunda. Suscipit magis, & minus, vt magis, & minus calefacere, &c. quæ proprietas pariter intelligenda est ex parte formæ, quę per actionem acquiritur, vt quia intensior est calor, qui per hanc actionem acquiritur, dicitur sic magis actio, vel agere (in abstracto namque nil suscipit magis, nec minus) quamobrem neque hæc omnibus competit actionibus; cum non omnes formæ, quæ per ipsam acquiruntur suscipiant magis, nec minus, vt etiam patet de substantia; in quantitate autem sufficit maius, & minus. Tertia actionis proprium est esse in motu; Vnde confirmatur, quod diximus. Quarta, actio infert passionem; idest ad eam refertur, & ex hac proprietate natura eius, & quæ de ipsa diximus colliguntur. Patet ergo quid sit dicendum. Vnica tamen restat difficultas contra definitionem; dictum namque fuit, Actionem esse secundum quam dicimur agentes in id quod subijcitur, sed hoc pacto creatio non esset actio, quia nihil ei subijcitur; pariter neque intellectiones, &c. Respondetur, rem creabilem dum creatur, simul creari, & creationi subijci, & pariter rem intelligibilem intellectioni, quod sufficit.

QVÆSTIO VNICA.

De Passione.

PRiusquàm ad passionem (quæ vnum ab alijs distinctum Prædicamentum constituitur) explicandam accedamus; multiplicem eius acceptionem (ne in æquiuocum laboremus) explanabimus. Dicitur, ergo passio septem modis. Primò de quacunque receptione, quo pacto Arist. in 2. de Gener. asserit, proprium materiei esse pati, idest recipere formam. Secundò de operationibus, & intellectus, & sensuum, vnde in libris de Anima sentire, & intelligere esse pati à Philosopho asseritur, nam in istis operationibus, & intellectus, & sensus à proprijs obiectis patiuntur; vt illic declarandum est. Tertio accipitur pro qualitate non permanenti, quæ in sensus mutationem infert, vel ex eorum affectibus innascitur, & est qualitatis modus. Quartò pro omnibus affectibus animæ, vt amare, odisse, irasci, misereri, sperare, confidere, timere credere, verecundari, tristari, gaudere, &c. quæ ad modum qualitatis quoque reducantur, quatenus videlicet sunt animæ. Quintò appropriatè sumitur passio pro qualitate lædente; vt sunt dolores, infirmitates, tribulationes, &c. Sextò pro proprietate, vt passio hominis est risibilitas. Septimò tandem pro respectu, qui ex actione insurgit, & sic est ad propositum, atque est genus per se ab alijs distinctum, & ab eodem Gilberto sic definitur. Passio est effectus illatioq; actionis; secundum quam hæc quidem patiuntur magis, illa minus. Quod autem passio sit formaliter respectus, efficacissimè probatur: habetur namque, passionem esse effectum, & illationè actionis; si itaq; rebus absolutis diceretur, tunc omnia præter Deû essent quidditatiuè passiones, nam omnia sunt actionis absoluti effectus. Præterea per illam particulam, illatio, vera insinuatur relatio; imò nec esse, nec intelligi potest passio sine actione, & quid aliud est? vel quomodo aliter cognoscitur relatiuum? Dicamus ergo, fundamentaliter esse motum receptum in patiente; vt calefactio quatenus ab agente prouenit est actio, quatenus recipitur in patiente dicitur passio materialiter. At formaliter est respectus extrinsecus adueniens: vnde omnia, quæ tribuuntur ipsi, est ratione fundamenti, nempè motus; qui quidem est huius vtriusque respectus, videlicet actionis, & passionis fundamentum, & ad hoc propositum, quæcunque de actione diximus passioni applicentur; sunt namque correlatiua, & eandem proportionaliter fortiuntur naturam; & sine discrimine auctoritates Arist. pro vtraque sunt; ambæ namq; sunt vnus motus; ad neutram est motus, &c. similiter alię sunt animæ, & aliæ corporis, aliæ successiuæ, aliæ permanentes, & vnico verbo; quot modis dicitur vnum correlatiuorum, & aliud; applicando actiuè actioni, & passiuè passioni. Pariter, quatuor sunt eius proprietates, & eodem modo proportionaliter, nempè habere contrarium, suscipere magis, & minus, esse simul cum motu, & huius inferri ab actione. Vbi notandum est; actionem, & passionem non sumendas esse grãmaticaliter pro operationibus, quæ per verba actiua, vel passiua significantur; nam sunt aliqua verba, quæ nullam actionem significant, vt sum, es, existo, adsum; alia quæ sunt actiua, & significant passionem; vt amo, odi, intelligo, &c. & quędam passiua, quæ non significant passionem, vt videor, intelligor, &c. Sed hæc sunt altioris speculationis. Debent autem proferri, vel in abstracto, vt actio, passio, vel per infinitiuum, vt agere, pati; nam dicendo agens, vel patiens, principaliter rem agentem denotamus; cuius oppositum accidit de multis alijs relatiuis; dicitur namque pater, filius, &c. Sed est dubitatio, in quo prædicamēto sint duo primi modi passionis. Respondetur, primum modum formaliter pertinere ad hoc, quia receptio est passio, quæ refertur ad actionem, sed fundamentaliter dicit capacitatem, vel potentiam passiuam, quæ est in eo genere, in quo est potentia. Secundus modus pertinet ad primam speciem qualitatis; sunt etenim illæ qualitates, vt dicetur in 2. de Anima. Sextus est in prædicamento cuius est passio; de alijs patet.

QVÆSTIO VNICA

De Quando.

QVando est, quod ex adiacentia temporis in re temporali derelinquitur, quæ definitio ex Gilberto, & alijs desumpta sic intelligenda est. Quando est respectus extrinsecus adueniens, qui ex tempore adiacente, seu mensurante rem temporalem insurgit. Quod autem ipsum quando sit respectus, probatur, quia derelinquitur ex tempore, & re temporali; hoc autem est proprium respectuû; est pariter extrinsecus adueniens, quia tempus debet actualiter mensurare, vel adiacere rei temporali, vt insurgat. Amplius. Nisi ipsum quando

esset

esset formaliter respectus; quæro quid aliud, vel esse, vel cogitari posset? profectò nisi, vel tempus, vel pars, vel passio, vel terminus eius; at nullum istorum esse potest; quia hæc reponuntur simul cum tempore in eodem genere, videlicet quantitatis, sed Quãdo est per se predicamentum distinctum. Amplius, omnia quę per se ad tempus pertinent non debent dici in ordine ad aliud, cum tempus sit entitas absoluta, sed Quãdo dicitur in ordine ad aliud, nempè ad rem temporalem, ergo neq; audiendi sunt, qui aliter arbitrantur. Dicunt enim, ideo hoc cum alijs sequentibus prædicamentis non esse relatiua, quia non referuntur ad terminum, sed ad subiectum, licet extrinsecum, & quia aliud relatiuum non denominatur ab alio correlatiuo, vt pater non denominatur à filio, sed à paternitate, sed locatum denominatur à loco, & ab habitu vestitum. Sed non ne vident, quod confitendo relationem, solum diuersitatem in modo referendi ponunt? & hoc quidem volumus, nam ideò à relatiuis de genere ad aliquid differunt, quia diuersum modum referendi addunt; & sic inter hæc, & alia prædicta relatiua non distinguentes, in errores incidunt. Addunt etiam, valde dignos esse reprehensione, qui asserunt, omnia ista sex vltima prædicamenta esse relatiua; quis enim vnquam sibi persuadet; (dicunt) esse vestitum, esse in loco esse tantũ relationes? Sed eis dicamus. Quis vnquam sibi persuadet; esse vestitum, esse purum accidens, num accidens ipsum est artis materia, est graue, est per se existens, diuisibile, mobile, separabile, &c. vt sunt habitus? & tamen omnia prædicamenta præter primum sunt accidentia; debent ergo dicere esse substantiam, & sic habitus est de genere substantiæ. Dicamus ergo nos, has esse formaliter sumptas relationes, quæ ex extremis absolutis insurgunt, & quæ eis tribuuntur mirabilia, sibi ratione fundamenti competunt, vt diximus de actione, neque enim habitus materialiter sumptus est hoc prædicamentum; sic namque est substantia, sed respectus eiusdem, & rei habentis habitum hoc genus efficit, & ad propositum de Quando (sunt namque ferè omnia eodem modo hæc examinanda, ideo ad claritatem aliqua misceri possunt (ipsum non est tempus, nec res temporalis, sed ex vtrisque extrinsecus insurgit, vt ex eius definitione liquidò constat. Et quoniam hi respectus ob modicam ipsorum entitatem non facilè cognoscũtur species, & proprietates eorum ex fundamentis desumuntur. Diuiditur itaque Quando in simplex, & compositum. Simplex dicitur, quod respondet instanti, vel nunc indiuisibili in tempore, ita vt ex Nunc, & re sibi respondenti insurget, vt si aliquid generetur in instanti, ex hoc instanti, & re sic genita insurgit Quando, quòd dicitur simplex, vel indiuisibile. At quando compositum est, quod respondet tempori successiuo, vt quãdo fiunt cursus, vel lucta, &c. quia fuerunt in tempore vero, vel successiuo; his dicimus respondere quando cõpositum. Et hac quoque de causa, videlicet ob eius paruam entitatem diuiditur sicut tempus, & per tempus recipit responsionem ad interrogationem de ipso factam; vt quo ad diuisionem, dicitur Quando præsens, præteritum, & futurum, & quo ad interrogationes; si quæratur, quando fuit bellum; respondetur heri, nudius tertius, &c. pariter diuiditur in actiuum, & passiuum. Quando actiuum est respectus temporis ad rem temporalem, quam mensurat. Passiuum est respectus ipsius rei ad tẽpus, quæ sub quando communi continentur. Est itaque Quando respectus fundatus in tempore, & terminatus in rem temporalem, siue hanc, terminum, siue subiectum appellare velimus. Tres sunt ipsius proprietates. Prima, non suscipere magis, nec minus, vt non minus, nec magis heri, quam hodie dicitur Quando. Secunda, non habere contrarium. Tertia, quando reperitur solum in illis, quæ incipiunt esse in tempore, & hæc est eius proprietas vera; aliæ duæ sunt communitates. At si quis dicat; non ne etiam de Deo, qui nunquam incepit esse verificatur Quãdo? vt si quæramus, quando Deus creauit Adam, &c. Respondetur, tunc esse Quando ex parte rei temporalis, & si alio modo ei applicetur est per modum nostrum intelligendi, & dicitur Quantum imaginarium, vt dicetur in 4. Phys. vbi agemus de tempore.

QVÆSTIO VNICA.

De Vbi.

VBI, est circumscriptio corporis à loci circumscriptione proueniens. Quę definitio sic intelligi debet. Vbi est respectus extrinsecus, qui ex loco circundante corpus, & ex corpore à loco circundato, prouenit. Quod verò sit respectus probari potest vt supra de Quando; insurgit namque ex duobus extremis, neq; est locus, quia locus ipse est species quantitatis, hoc autem est per se genus distinctum. Et ad id, quod aliqui dicunt, respectum videlicet non posse terminare motum, at Vbi terminat motum localem, quare non est respectus. Respondetur, relatiuum hoc extrinsecus adueniens, esse à relatiuis motum non terminantibus excludendum. Ex dictis duplex Vbi assignatur, nempè actiuum, quod se tenet ex parte loci circundantis, & passiuum ex parte corporis circundati, quæ sub vno communi continentur. Pro maiori tamen intelligentia, sciendum est, quod Vbi à Gilberto definitum conuenit ipsi, quatenus solum fundatur in loco quanto, & correspondente corporibus, vt ex definitione patet, & potest vocari Vbi compositum, vel circumscriptiuum. At est aliud Vbi simplex, & definitiuum, quod videlicet respondet rei indiuisibili, seu non quantæ, aut locum non occupanti; vt puncta, hæc namque sunt in linea absque circunscriptione, & res spirituales pariter absque occupatione loci. Species autem eius, & determinationes sumuntur à fundamento, nempè a loco, nam super ipsum fundatur, & ad rem locatam terminatur; quare sicut locus diuiditur in sursum, deorsum, ante, retro, dextrum, & sinistrum, sic quoq; Vbi; & si quæratur, Vbi fuisti, per locum respondetur, nempè in platea, in templo, &c. Duæ sunt eius proprietates, videlicet non suscipere magis, neque minus. Et non habere contrarium.

QVÆSTIO VNICA.

De Positione.

POsitio est quidam partium situs, & generationis ordinatio. Quæ definitio sic intelligi debet. Positio est ordinatio, vel respectus extrinsecus adueniens, qui ex partibus loci, & partibus corporis locati secundum generationem, vel naturam oritur: Vbi tria obseruare debemus. Primum, quod positio differt ab ipso Vbi, in hoc, quod Vbi solam illam circundationem loci in ordine ad rem locatam respicit, nihil respiciendo partes, vt quis dicitur esse in foro, vel in domo, siue sedeat, siue iaceat, &c. At situs dicit modum, & ordinem partium corporis locati ad partes loci; quare est alter respectus à prædicto, vt sedere, iacere, stare, &c. non simpliciter à loco contineri significant, sed modũ partium ipsius corporis ad partes loci denotant, & sic sunt duo prædicamenta. Aliud notandum, quod duplex est positio; nempè partium inter se, quo pacto caput supra collum, & hoc super scapulas situatum esse dicimus; & hæc est quędam passio quantitatis, vt ibi visum est. Alia est harum

ad partes loci, & hæc hoc prædicamentum constituit. Tertiò notandum, quod hæc positio est duplex, videlicet naturalis, & accidentalis. Naturalis est quam vnumquodq; animal a natura recepit, vt quod aliqua sint erectæ staturæ, alia prona, alia iacentia, vel serpentia &c. quæ videtur a Gilberto definiri, dum dicit esse ordinationis generationem; idest ordinem á natura per generationem acquisitum. Sed accidentalis est, quæ fit ad libitum, vt sedere, iacere, stare, &c. in animalibus; in alijs vero, extendi in rectum, vel curuum, vel latum &c. Verum quoniam hæ inclinationes sunt quoq; á natura; omnes hi situs sub eadem definitione comprehendantur; verum melius in abstracto, quam in concreto; vt sessio melius quam sedere, statio, quam stare, &c. nam in concreto includunt subiectum, quod ab ipsis denominatur. Quod quidem non in omnibus accidentibus, nec absolutis, nec respectiuis est æqualiter obseruandum, sed secundum vniuscuiusque naturam, & conditiones. Fundatur itaque positio super partes corporis locati, & ad partes loci terminatur: & species eius suppleri possunt per hæc, statio, sessio, accubatio, erectio, pronitas, &c. Tres sunt eius proprietates. Prima non habere contrarium. Et si quis dicat, nonnè sedere, & stare sunt contraria. Respondetur, negatiuè, quia vnum vni est contrarium, sed ipsi stare contrariatur sedere, iacere, curuari, &c. quare sunt positiones disparatæ. Secunda, non suscipit magis, nec minus. Tertia substantiæ proximè assistit. Nam partes in substantia fundantur: & sunt substantiæ; quare & positio, quæ partes immediatè sequitur substantiæ proximè assistit.

QVÆSTIO VNICA.

De Habitu.

HAbitus capitur quadrupliciter; vno modo pro qualitate ferè immobiliter subiecto inherente, & sic est ipsius qualitatis prima species, vel modus. Alio modo pro quacunque habitudine habentis ad rem habitam: quo pacto ad multa se extendit, vt habere annulum, habere possessionem, &c. & sic est post prædicamentum, de quo illic tractabimus. Tertiò pro quacunque forma, quæ opponitur priuationi, vt visus respectu cæcitatis, &c. & est postprædicamentum. Quartò pro respectu extrinseco, qui ex vestibus, armis, torquibus, annullis, alijsue rebus ad ornatum attinentibus, & ex re sic ornata insurgit; & sic á Gilberto describitur. Habitus est corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt adiacentia. Sensus est. Habitus est adiacentia, seu respectus, qui ex corporibus, vt ex his, quæ sunt circa ipsum insurgit. Ex qua definitione duo notanda eliciuntur, primum, quod habitus materialiter sumptus non est de hoc genere, cum sit substantia; secundum, quod iste habitus materialis non est verè, & actualiter habitus, sed solum fundamentaliter, & aptitudinaliter: quod aduersarij nolentes intelligere, magna dicere arbitrantes, nugas, & ineptias proferunt. Est itaque habitus formaliter sumptus respectus super habitum materialem, fundatus, & ad rem habituatam terminatus, seu super vtrumque fundatus; nil namque inconuenit diuersa natione idem esse fundamentum, & terminum eiusdem relationis, vt alibi diximus. Species eius intelliguntur per habitus materiales; vt arma, vestes, annulli, clypei, loricæ &c. Tres sunt ipsius proprietates. Prima. Suscipit magis, & minus; vt aliquis potest magis, & minus armatus, vel vestitus esse, &c. Secunda. Non habere contrarium, vt vestitum esse non contrariatur ad armatum, vel calceatum esse, &c. Vbi notandum est, quod suscipere magis, & minus hic accipitur impropriè, pro quacunque additione, vel diminutione; aliter haberet quoque contrarium: nam ex 5. Phys. tex. 19. suscipere magis, & minus prouenit ex maiori, vel minori admistione contrarij. Tertia proprietas. Habitus semper est in pluribus, nempè in habente, & in re habita. Quod est dicere: esse respectum, qui super habitum materialem, & rem habituatam fundatur: quod quia maiorem videtur hic efficere difficultatem, quam alio, eo quod videtur quid absolutum, & substantia, Auctor clarius expressit: vnde etiam patet, quod non est hic sermo de habitu materiali: quia hic non est inter alium habitum, & rem habituatam, aliter procederetur in infinitum. Sed est dubitatio; quomodo videlicet habitus, qui est res artificialis sit prædicamentum, quod solum de rebus naturalibus est. Respondetur, quod licet habitus materialiter sumptus sit artificialis, tamen ille respectus est naturalis. Dicitur secundò, etiam res artificiales si per se, & non per accidens sint esse in prædicamentis, vt patet de figuris quamplurimis, nec non de multis actionibus, &c. quare non est verum solum res naturales esse in prædicamento, sed omnia realia, limitata, per se, vniuoca, &c. Et si aliquando hoc dicatur, sumatur in hunc sensum; quod res naturales, idest non aggregatæ per accidens, artificialiter, nec ab intellectu simpliciter fabricatæ sunt in prædicamentis.



TRA-

TRACTATVS TERTIVS

De Postprædicamentis.

CAPVT I.

De Oppositis.

DE Oppositis autem, nempè quot modis aliqua soleant opponi, dicendum est. Quadrupliciter ergo altera alteris opponi dicuntur: nempè relatiuè, vt duplum dimidio. Contrariè, vt malum bono; priuatiuè, vt cæcitas, & visus, & contradictoriè, vt sedet non sedet. Ea igitur, quæ vt relatiua opponuntur: secundum suum esse ad suum oppositum referuntur, vt duplum dicitur dimidij duplum, scientia scibilis scientia, vel alio modo. Quæ verò vt contraria opponuntur, licet sibi inuicem contraria dicantur, tamen non referuntur vt relatiua; non enim bonum dicitur mali bonum, sed ei contrarium, quare oppositio hæc contraria à præcedenti, quæ est relatiua differt. Contraria autem sunt duplicia, nempè immediata, & mediata. Immediata sunt quorum vnum, vel aliud necessariò inest ei cui natum est inesse, & de quo natum est prædicari, vt ægritudo, & sanitas respectu animalis; nam omne animal est, vel sanum, vel ægrum, similiter par, & impar respectu numeri; rectum, & curuum respectu lineæ, &c. Mediata sunt, quorum neque vnum, neque aliud necessariò inest, sed aliquod medium inesse potest, vt album, & nigrum respectu corporis; non etenim est necesse, omne corpus esse album, vel nigrum, sed poterit esse fuscum, viride, &c. Similiter prauum, & studiosum respectu hominis; nam non quilibet homo est prauus, vel studiosus; sed datur aliquis, qui neque prauus, neque studiosus est. Et horum mediorum, quædam determinata nomina habent, vt medium inter album, & nigrum, dicitur fuscum, vel pallidum. Quædam verò non habent, vel non est facilè eis hoc assignare; sed suppletur per negationem vtriusque extremi, vt inter bonum, & malum, dicitur medium, quod non est neque bonum, neque malum. Priuatio verò, & habitus sunt semper circa idem, vt visio, & cæcitas circa oculum, vnde vniuersaliter dicitur, in quo natus est habitus esse, circa hoc dicitur vtrumque fieri, nempè etiam priuationem. Vbi obseruandum est, quod non dicimus aliquid priuari aliquo, quia simpliciter illud non habet; sed si natum sit illud habere, & non habeat, quando aptum est, vt habeat, vt edentulum, vel dentibus priuatū non dicimus simpliciter de eo, quod dentes non habet, sed quod non habet, quando natum est habere, vt pariter neque dicimus aliquod esse cæcum, quia non videt, sed si aptum sit videre, & non videat, quando aptum est; quare aliqua à natiuitate non habentia dentes, vel visum, non tamen propter hoc dicuntur edentula, vel cæca, vt patet de catulis ante nonum diem. At hic obseruandum est, quod non est idem priuari, & priuatio, vel habitus, & habere habitum; nam habitus, v.g. est visus, priuatio verò cæcitas; at habere visum non est visus, nec habere cæcitatem est cæcitas. Amplius, si essent idem, de eodem prædicarentur, quod tamen est falsum; nam homo dicitur quidem cæcus, vel videns, non autem dicitur cæcitas, vel visio. Verùm est tamen, quod sicut priuatio, & habitus opponuntur priuatiuè, ita priuatum, & habituatum, vt sicut opponuntur visus, & cæcitas, ita videns, & cæcum. Hoc autem non est huius oppositionis proprium, sed etiam oppositionis contradictoria, ita vt quod est sub affirmatione, & negatione, non est affirmatio, & negatio ipsa; nam hæ sunt, vel orationes affirmatiua, vel negatiua, illa verò sunt res per ipsas significata. Tamen res ipsa eodem modo opponuntur, puta contradictoria. Quod autem opposita priuatiua non opponantur vt relatiua; probatur; nam priuatiua ad se inuicem non referuntur, vt visus non est cæcitas visus, licet cæcitas dicatur esse ipsius visus priuatio, quare cum non dicantur ad conuertentiam vt relatiua, patet, quod sunt oppositiones diuersæ. Quod autem hæc, quæ vt habitus, & priuatio opponuntur differant ab his, quæ sunt contraria, sic probatur. Contraria namque (vt diximus) sunt duplicia, videlicet immediata, & mediata. Immediata sic se habent, quod vnum ipsorum, vel aliud semper necessariò inest proprio susceptibili, vt omne animal est sanum, vel ægrum; sed habitus, & priuatio non sic se habent circa proprium susceptibile, quia dantur aliqua, quæ nec habitum, nec priuationem habent; vt catulus ante nonum diem non est videns, neque cæcus, & puer, neque edentulus,

lus, neque dentatus, & sic patet. Mediata verò sunt, quorum neutrum necessariò inest, sed aliquod medium; nisi vnum eorum sit à natura determinatum, vt calidum, aut frigidum, album, aut nigrum non sic se habent, quod vnum ipsorum insit; nam quædam possunt esse tepida, & sic neque calida, neque frigida; pariter quædam fusca, & sic nec alba, nec nigra, præterquam in his, in quibus vnum contrariorum ex sua natura sequitur; tunc namque neque medium, neque aliud contrarium eidem competere potest, vt ignis semper, & necessariò est calidus, nec frigidus, nec tepidus, &c. vnde quædam cõtraria mediata respectu aliquorum subiectorum, nec medium, nec contrarium aliud vnquam admittunt. Differunt itaque habitus, & priuatio à contrarijs mediatis vtroque modo dictis; primò ab illis, quæ verè suscipiunt medium; nam nullum ipsorum in nullo tempore necessariò conuenit, vt non est necesse, quod aliquod corpus sit album, vel nigrum. Sed opposita priuatiua respectu proprij subiecti, & secundum aliquod tempus sic se habent, quod unum ipsorum necessariò inest, vt catulus post nonum diem, uel est uidens, uel cæcus. Differunt quoque à contrarijs mediatis, quorum unum necessariò ex determinatione naturæ inest, quia hoc contrarium sic tale subiectum sibi determinat, ut eius oppositum nunquam eidem subiecto competere possit. Sed priuatiua etiam determinato tempore sunt indifferentia, ut aliquis uidens, potest fieri cæcus. Amplius inter contraria mediata, quorum vnum non necessariò inest, est possibilis mutuus transitus, vt sanus potest fieri æger, ut æger sanus, & candidum nigrum, & frigidum calidum, & prauus studiosus: ipse namque prauus ad meliores exercitationes deductus, quamuis paulatim incrementum sumat, tamen potest ad perfectionem reduci. At in oppositis priuatiuis hæc mutua transmutatio est impossibilis; de habitu namque ad priuationem est facilis transitus, vt uidens facilè fieri potest cæcus, & comatus caluus. A priuatione verò in habitum regressus est impossibilis; neque etenim aliquis factus cæcus, rursus uidit, neque caluus factus est comatus, aut edentulus dentes iterum accepit. Quod autem opposita contradictoria ab omnibus alijs differant, probatur. Nam solum in istis contradictorijs reperitur uerum, & falsum, in alijs nequaquam, quia verum, & falsum sunt solum cum affirmatione, & negatione, & hæc solum in contradictorijs sunt, vt est homo, uel non homo, &c. At si quis dicat, etiam alia opposita possunt cum affirmatione, & negatione proferri, vt Socrates est sanus, vel æger. Ergo hæc differentia nulla est. Respondetur tamen, magnum esse discrimen inter veritatem, quæ in contradictorijs fundatur, & eam, quæ fundatur in alijs oppositionibus. Nam vnum aliorum oppositorum erit verum, dum existit subiectum, neque semper, licet existat; sed contradictoria sic se habent, quod vnum ipsorum semper est verum, aliud falsum, siue subiectum sit, siue non sit; vnde vnum ipsorum semper verificatur de quacunque re etiam imaginaria, vt licet sit verum, Socratem languere, vel sanum esse (quæ sunt opposita contraria, sicut sanitas, & ægritudo) dum ipse est: ipso tamen non existente, nec languet, neque sanus est. At per contradictionem loquendo erit hoc æternæ veritatis, vel languet, vel non, uel est sanus, vel non; quia si non adest, non languet, neque erit sanus. Eodem modo dicatur de priuatiuis, videlicet, quod verificentur, existente subiecto tantum, & secundum determinatum tempus, vt de visu, & cæcitate dictum est. Et quando ipsum subiectum non existit, neutrum uerum est, vt mortuus non est videns, neque cæcus. Vnde proprium erit affirmationis, & negationis, seu contradictoriæ oppositionis, ut semper alterum eorum sit uerum, alterum falsum. Nunc de ipsis contrarijs aliqua iterum dicamus. Bono igitur de necessitate est contrarium malum, vt sanitati languor, iustitiæ iniustitia, fortitudini timiditas, &c. At obseruandum est, quod licet vt plurimum bonum contrarietur malo; tamen ipsi malo aliud malum contrarium esse potest, ut superabundantia, & defectus, seu prodigalitas, & auaritia sunt mala, & adinuicem contraria, & pariter contrariantur mediocritati, quæ est bonum. Hoc autem in paucis accidit, sed ut plurimum malum est contrarium bono, & è contrà. Amplius contraria sic se habent, quod si unum ipsorum sit in natura, non necesse est alterum esse, ut omnibus existentibus sanis, uel albis, non erit ægritudo, uel nigredo. Amplius. Contraria non possunt simul eodem inesse, ergo. Socrate existente sano, non poterit simul esse æger, quare si unum contrariorum est, aliud non necessariò est. Hoc etiam est obseruandum, quod omnia contraria nata sunt fieri circa idem, uel specie, uel genere; ut languor, & sanitas circa corpus animalis; albedo uerò, & nigredo circa corpus in communi, & genericum, iustitia uerò, & iniustitia circa animã hominis. Omnia autem contraria necessariò sunt, vel in eodem genere, vel in contrarijs generibus, vel ipsa genera sunt, ut albũ, & nigrum in eodem genere, nempè coloris, sunt; iustitia verò, & iniustitia in contrarijs generibus; nam illius virtus, huius autem vitium genus est: Bonum verò, & malum nõ sunt in genere, sed ipsa sunt genera eorum, quæ bona, & mala existunt. Vbi notandum est, quod iustitia, & iniustitia sub eodem genere generalissimo qualitatis sunt, immò etiam sub habitu. Tamen continentur sub di-

uersis

uersis generibus subalternis, & inter se disparatis: sicut sunt virtus, & vitium, potissimum in comparatione ad qualitates morales. Bonum autem, & malum sunt etiam genera, quæ vt disparata sub qualitate continentur (accipiendo malum non priuatiuè, sed pro qualitate noxia) tamen dicuntur genera, quatenus sunt vniuersaliora prædictis, nam se extendunt ad bona, & mala etiam naturalia; sed virtus, & vitium moralia tantum respiciunt.

CAPVT II.

De Priori.

Prius dicitur quinque modis. Primò secundum tempus, quod videlicet est antiquius, vel vetustius altero. Secundò dicitur prius natura, & est illud à quo respectu alterius non conuertitur existendi consequentiam; vt vnum hoc pacto est prius duobus; nam si duo existunt, necessariò vnum est; at si est vnum, non est necesse, vt sint duo, quare hoc est prius; ex eo namque, quod sine alijs esse potest, & alia non sine ipso, ab ipsis non dependet, sed è contrà: quæ autem dependent ab alio sunt ipso posteriora, & è contrà ipsum est prius. Qua prioritate omne vniuersale est prius suis particularibus, vt animal homine, homo Socrate, &c. Tertiò modo dicitur prius ordine, quod videlicet in rebus regulatis aliã præcedit, quo pacto in Grammatica litera sunt priores syllabis; in scientijs principia sunt priora conclusione; & in oratione exordium narrationem præcedit. Quartò modo dicitur prius dignitate, quod namque melius, atque honorabilius est prius dignitate alijs dicitur, vt dux ciuibus, Imperator exercitus militibus, &c. qui modus est omnium alienissimus, & interdum ad libitum. Quintò dicitur prius causalitate, & conuertibilitate simul, & hoc est, quod est adæquata causa alterius; ita vt ab ipso ad suum effectum valeat consequentia, & è contrà, vt res vera est causa veritatis orationis, vt si homo est, oratio, quæ dicit hominem esse, est vera. Et si oratio, quæ id affirmat est vera, etiam res vera est; tamen res est causa orationis, non autem è contra, ab eo namque, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa. Ad hanc proprietatem reducitur omne subiectum respectu suarũ positionum; vt homo est sic prior risibilitate, equus hinnibilitate, &c. Secundum igitur quinque modos alterum altero prius dici potest.

CAPVT III.

De Simul.

Simul dicitur tribus modis, videlicet tempore, natura, & diuisione. Simul tempore dicuntur quorum generatio est in eodem tempore, ita vt neque prius, neque posterius alterum altero generetur, vt duo gemini, ad quam simultatem reduci possunt, quæ eodem tempore viuunt, vel existunt, &c. Simul natura dicuntur quæcumque adinuicem conuertuntur quidem secundum consequentiam, sed vnum non est causa alterius, vt duplum, & dimidium; nam si duplum est, dimidium est, & è contra, neutrum tamen est causa alterius, cuius simultatis sunt omnia relatiua. At simul diuisione sunt, quæ æqualiter è diuerso aliquod genus diuidunt, vt rationale, & irrationale respectu animalis; nam per hæc immediatè simul diuiditur, quæ sic diuidentia sunt quoque simul natura, à quibus tamen non valet conuertendi existentia, ideò vt à relatiuis (quæ simpliciter simul natura dicuntur,) distinguantur, solum simul diuisione dicantur. Hæc autem sunt simul natura inter se, sed posteriora ipso genere, quod diuidunt. Patet ergo, quod simul tripliciter dicitur, videlicet tempore, natura, & diuisionẽ.

CAPVT IV.

De Motu.

Motus autem species sunt sex, scilicet, generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, & secundum locum mutatio. Generatio est progressio de non esse substantiali ad esse substantiale, vt dum ex non homine fit homo. Corruptio est pregressio de esse substantiali ad eius non esse; vt dum ex homine fit non homo, vel dum moritur. Augmẽtatio est acquisitio maioris quantitatis. Diminutio est quantitatis minoramentum. Alteratio est mutatio de vna qualitate in aliam, vt de albedine in nigredinem, &c. Motus localis est transitus de loco ad locum. Qui quidem motus, quod inter se diuersi sint non est dubitatio, præterquam de alteratione; nam omnibus notum est, generationem à corruptione augmẽtationem à diminutione, & omnes simul à motu locali, & inter se differre. At de alteratione est difficultas; nã fortè id quod alteratur alijs mouetur motibus. Quod tamen neque verum est; nam per omnes qualitates alterari possumus, absque eo quod alio motu

moueamur; nam quod alteratur non est necesse, vt augeatur, neque vt diminuatur, neque alijs mutationibus moueatur. Et sic patet, quod alteratio sit motus ab alijs omnibus prædictis distinctus; aliter omne quod alteratur alijs mutaretur motibus; & quod alijs motibus mouetur necessariò alteraretur, quod falsum est. Dubitatio tamen videtur de augmentatione, quæ fieri non posse videtur absque alteratione, & per consequens ab ipsa distincta non apparet. Respondetur tamen, etiam augmentationem absque alteratione fieri; vt quadratum per appositionem gnomonis augetur, nulla facta alteratione: nam remanet penitus eadem figura, vt exemplis patere potest, quare diuersi motus sunt abinuicem. Motui autem vniuersaliter sumpto est quies contraria. Si autem sumantur motus particulares, est in eis particularis oppositio, vt generationi est contraria corruptio, augmentationi diminutio, motui locali quies in loco; & alter localis motus, vt motui sursum, is qui fit deorsum. In alijs autem motibus contrarios motus assignare difficile est; tamen motui ad qualitatem assignetur contraria quies in qualitate, ad quantitatem, quies in quantitate; immò, & contrarij motus, vt ad contrarias qualitates, vel diuersas quantitates: sicut motus locales, qui sunt ad contraria loca.

CAPVT V.

De Habere.

Habere dicitur multis modis; vt habere habitum, vel dispositionem, aut aliam qualitatem. Aut habere quantitatem, vt magnitudinem bicubitam, tricubitam, &c. Aut habere vestimenta, vt tunicam, arma, &c. quod contingere potest etiam circa partes, vt habere in manu annulum. Aut habere partem, vt manum, vel pedem. Aut vt continere, sicut vas habet vinum, & modius triticum. Aut habere possessionem, vt domum, vel agrum. Dicitur pariter virum habere vxorem, & vxorem virum, qui tamen modus est alienissimus, nam nihil aliud est virum vxorem habere, & è contra, nisi simul habitare. Fortè alij sunt modi ipsius habere, sed qui magis in vsu sunt, dicti fuerunt.

QVÆSTIO VNICA.

De Oppositis.

Circa opposita non desunt difficultates: quarum aliquas ex principalioribus examinabimus, alias pro alijs occasionibus reseruantes. Tria ergo in hac quæstione faciemus. Primum de oppositis in communi determinabimus. Secundum diuersas adducemus, dubitationes circa ea, quæ de ipsis Aristot. dixit. Et Tertium de vsu, vel applicatione ipsorum ad prædicamenta.

Pro intelligentia primæ partis, sciendum est primò, quod postprædicamenta sunt documenta, quæ ad doctrinam prædicamentorum a posteriori habendam maximè sunt vtilia. Vel sunt declarationes aliquorum terminorum, & rerum, ex quarum intelligentia clarior, atque exactior prædicamentorum doctrina redditur, vt ex vsu cuiusque sigillatim patebit.

Ad opposita ergo accedamus. Sit igitur secundò sciendum. Quod oppositio est duplex, nempè complexa, & incomplexa; Complexa est, quæ fit per propositiones, atque diuiditur in contrariam, contradictoriam, subalternam, & subcontrariam, de qua in Introductione dictum est. At incomplexa est, quæ reperitur inter terminos, & fundamentaliter inter res, quæ per ipsos terminos significantur; & de ista loqui intendimus hic. Sed aliquis quæret, nonne hæc ad illam reduci potest, vel è contra; respondetur negatiuè; ratio, quia oppositiones complexæ sunt modi considerandi, vel complicandi terminos in forma propositionum, atque vt sic omnibus rebus, & intentionibus aptari possunt, ita videlicet, quod quælibet illarũ oppositionũ, cuilibet istarum, & omnibus alijs rebus vniuersaliter, vel particulariter sumptis aptentur, vt discurrenti notum erit. Et exemplificetur de vna harum oppositionum, vt in relatiuis dicere possumus, omnis homo est pater, nullus homo est pater, ecce oppositio contraria. Pariter. Nullus homo est pater, quidam homo est pater, ecce contradictoria. Omnis homo est pater, quidam homo est pater, ecce subalterna. Quidam homo est pater, quidam homo non est pater, ecce subcontraria. Sunt ergo opposita complexa modi enuntiationum, quæ ad veritatem inuestigandam omnibus conuenire possunt. At istę oppositiones incomplexæ determinatam rem aliquam respiciunt, præterquam contradictoria, quæ per omnia ipsa quoque vagatur; vnde in hoc cum prædictis conuenit, sed differt ratione diuersæ quantitatis, quia in complexis ratio vniuersalis, & particularis seruatur, hic autem minimè.

Aliud notandum, quod oppositio ipsa potest sumi materialiter, seu pro connotato, & sic non potest, neque sub definitione, neque sub vno conceptu cadere; nam per ipsam importantur res non solum diuersæ, & diuersorum prædicamentorum, sed includuntur etiam non entia, quod in oppositione contradictoria, & priuatiua accidit. Alio modo sumuntur pro formali, nempè pro conceptu illo, vel intentione logica, quæ pluribus secundum rationem repugnantiæ conuenit; & sic potest describi, oppositionem esse repugnantiam duorum, quæ simul de eadem verificari non possunt, quæ quidem notificatio est tam ampla, & per intellectum abstracta, vt omnibus speciebus oppositionis, (quamuis aliquæ sint reales, aliæ minimè) aptari potest. Sunt autem reales, oppositio relatiua, & contraria, quia sunt inter terminos, qui significant res reales, vel saltem eas significare possunt, quia de facto hoc nõ est necessariũ; nam etiam inter entia rationis reperiuntur relationes, & per consequens opposita relatiua, & suo modo etiam contraria. At contradictoria, & priuatiua dicuntur opposita rationis, quatenus vnum ipsorum extremorum non habet esse reale in quacunque materia, ob cuius defectum rationis appellatur, non autem quod per intellectum fiat, vt alibi dictum est. Sed ad secundam partem accedamus.

Est itaque prima dubitatio contra numerũ oppositionum. Contradictio includitur in quacunque alia, ergo nõ est species oppositionis ab alijs distincta: sicut animal,

quia

quia includitur in rationali,& in irrationali, non ponitur quid ab ipsis specifice, vel generice distinctum. Probatur antecedens, nam in relatiuis dicitur de patre, & filio,pater, & non pater; In contrarijs calidum, & non calidum; in priuatiuis, cæcum,& non cæcum; ergo in omnibus clauditur. Secunda, Relatiua dicuntur de eodem, vt idem potest esse pater, & filius, ergo non sunt opposita. Tertia, Contraria immediata non dantur; probatur. Nam inter omnia contraria fieri potest motus,inter hæc autem non potest, ergo. Probatur minor, nam in motu paulatim acquiritur terminus, vel forma, vt dum aliquis fit ex frigido calidus paulatim, vel successiuè acquirit calorem, & sic per medium peruenit ad extrema, at cum in istis nullum sit medium statim acquireretur extremum, & sic nulla esset successio, immo mobile simul esset in ambobus, vt si aliquis sine medio de ægritudine transiret ad sanitatem (quæ ab Arist. vocantur contraria immediata) hoc statim fieret, quod experientiæ repugnat; & eodem tempore esset æger, & sanus, & sine medio. Quarta. Contra id quod dicitur de contrarijs mediatis; videlicet, aliqua ipsorum interdum sic à natura in subiecto determinati, vt eius oppositum eidem subiecto conuenire nequeat, vt ignis est ita calidus, vt non possit esse frigidus, & nix sic alba, vt esse non possit nigra, &c. Si hoc esset verum, contraria non essent contraria, nam dicuntur contraria, quæ nata sunt fieri circa idem, & ab eodem subiecto mutuò se expelli, cum autem frigiditas non possit recipi in igne, ea caliditas, quæ in igne est, nullam habebit frigiditatem contrariam, & pariter albedo, quæ est in niue, nullam contrariam nigredinem. Quinta, contra id quod dicitur de priuatiuis, nempè, de priuatione ad habitum non dari regressum, nam de infirmitate ad sanitatem, de tenebris ad lucem; nec non quandoque de cæcitate, & surditate, ad visum, & auditum est regressus vt experientijs innumeris est ferè quotidie videre. Hæ igitur sunt præcipuè circa hanc materiam difficultates, ad quarum solutiones descendamus. Ad primam respondetur, re vera oppositionem contradictoriam, (quia est vniuersalissima) inferri à quacunque alia, vt probat argumentum, non tamen præcisè sumpta est idem cum alijs: nam ratio eius formalis consistit in negatione, & affirmatione, neque hoc modo se habent aliæ. Ad secundam facilè est respondere, nam relatiua possunt quidem dici de eodem,non autem respectu eiusdem; vt idem est pater, & filius, non eiusdem, quod sufficit, immo etiam priuatiua, contraria, & contradictoria nata sunt esse circa idem, sed vel non simul, vel non eodem modo. Ad tertiam negatur antecedens, & pariter eius probationis minor: dicimus namque, ad ipsa fieri posse motum, nam dantur gradus, qui successiuè acquiri possunt; vt tota sanitas in pluribus gradibus consistit, & hi paulatim acquiruntur; pariter sunt gradus in infirmitate: non tamen habent simpliciter medium; ita vt aliquis sit penitus neque sanus, neque infirmus, & sic negatur medium, quod sit quid distinctum, & separabile ab extremis,si ut in coloribus, fuscum est ab albo,& à nigro separabile, sed non negantur quædam medietates inseparabiles, quæ in magis, & minus, vel in gradibus consistunt. Et si in quibusdam contrarijs neque hoc reperiri posset, vt patet de rectitudine, & curuitate lineæ, de pari, & impari in numeris, quæ tamen sicut in indiuisibili consistunt, sic absque motu acquiruntur. Ad quartam respondetur, contraria à natura determinata posse ab alijs contrarijs remitti, vt caliditas in igne à frigiditate aquæ, quod sufficit vt contraria sint circa idem, non enim oportet, vt secundum totum suum esse vtrumque contrarium in eodem subiecto integro recipiatur, sed in plena receptione contingit quandoque corruptio: vt superante frigiditate ignis extinguitur. Ad quintam dicitur: duplicem esse priuationem: quædam est, quæ aufert actum, & potentiam simul, & de hac non est regressus, vt patet in cæcis à natiuitate; quædam solum facultatem proximam, & actum ob aliquod impedimentum tollit, & de hac est regressus; vnde cæci qui naturaliter ad lucem redeunt, non penitus potentiam visiuam amiserant, sed impedimentum aliquod circa ipsam habebant; ratio autem, cur de perfecta priuatione ad habitum non detur regressio est, quia potentia ipsa principalis est quædam partialis constitutio naturæ, vnde sicut natura totalis solum per generationem acquiritur, ita vt ex tota temperie resultet; sic ista suo modo, & sic nulla additio eam restituere potest. Pro tertia huius quæstionis parte sciendum est, quod vsus huius postprædicamenti talis est; videlicet, quod opposita vniuersaliter sumpta in nullo sunt prædicamento, immo sunt communia omnibus, vel quam plurimis rebus tam realibus, quam intentionaliter sumptis; peculiariter tamen relatiua secundum esse sunt in genere relatiuorum, de quibus fusè diximus in tractatu de relatiuis. Contraria sunt in genere Qualitatis, item actionis & passionis. Priuatiua in omnibus ferè generibus: datur namque priuatio formæ substantialis, & accidentalis; pariter ipsa contradictoria per omnia vagantur; quamobrem, quia multis indigent distinctionibus, tam hæc, quàm alia postprædicamenta, sic vniuersaliter sumpta, nullum determinatum genus sibi vendicant, ideò vt sic aliam requirunt doctrinam, quæ postprædicamentalis dicitur; at distincta, singularizata, & pro connotato, sicut sunt particulares entitates, sic determinatum respiciunt genus, dummodo sint entia realia.

QVÆSTIO VNICA.

De Priori, & Simul.

QVod prius non benè assignetur, probatur. Nam in 5. Metaph. text. 10. alios præter istos assignat Aristoteles modos prioris, nempè prius secundum locum, secundum cognitionem, &c. Ergo hic insufficienter loquitur.

Secundò. Vbi nullum est principium, ibi non potest esse prius, nec posterius, quia prius est, quod est principio propinquius ex 5. Metaph. tex. 16. At in tempore non est principium ex 8. Phys. ergo non datur prius, & posterius tempore.

Tertiò. Contra prius natura. Vniuersale est posterius singularibus, ex primo de Anima text. 8. ergo non est prius natura illis. Immo hac eadem de causa ab Aristotele in cap. de substantia, substantiæ singulares vocantur primæ, & vniuersales secundæ, quia hæ sunt illis posteriores.

Quartò. Contra modos ipsius simul. Quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur reliquum, sed simul opponitur ad prius, ergo si quinque sunt modi prioris, tot esse etiam debent ipsius simul. Pro intelligentia sit primò notandum, quod prius est proprium, & adæquatum correlatiuum posterioris, quare sicut vnum post prædicamentum illius, sic aliud istius ponendum videbatur; tamen quia correlatiua ad eandem pertinent cognitionem, vnius tractatus pro vtroque sufficiat, in quo fit denominatio à nobiliori, vnde solum de priori inscribitur.

Aliud notandum: quod prioritas, & posterioritas quæcunque potest reperiri in quolibet genere: vt in genere substantiæ, vnus homo potest esse prior altero, tempore, & in eodem substantia vniuersalis est prior natura particulari: & principia substantiæ sunt priora ordine,

quam sit substantia ex ipsis constituta. Et vna substantia est nobilior, vel prior altera prioritate dignitatis: atque vna est causa alterius, vel saltem illarum potentiarum, vel proprietatum, & est prioritas quinti modi, idem proportionaliter dici potest in quolibet genere, & in comparatione ad ea, quæ sub ipso collocantur, & in ordine etiam ad alia; immò substantia ipsa omnibus his prioritatibus est omnibus accidentibus prior.

Aliud notandum, quod prius, & posterius formaliter sumpta sunt relatiua rationis: ita videlicet, quod sint quidam conceptus à ratione abstracti, quorum fundamenta in entibus realibus, & rationibus consistere possunt: & vt sic nullum respiciunt prædicamentum: at si sumantur pro connotato, nempè pro rebus, quæ dicuntur priores, & posteriores, per omnia prædicamenta vagantur. Vnde ponitur post prædicamentum, cuius applicatio est, vt quotiescunque prima considerantur, licet ad posteriora referantur; non tamen credendum est, vel ipsa esse de genere relatiuorum, vel ad vnum prædicamentum attinere, quæcunque sint: sed ipsorum natura est diligenter examinanda, & postea secundum propositum est prædicamentum proprium inueniendum.

Notandum est denique, quod ea, quæ dicuntur simul, sicut priora, & posteriora examinanda sunt; videlicet, quod formaliter sumpta sunt entia rationis, & in nullo prædicamento, adinuicem tamen referuntur; ita vt simul aliquod intelligere nequimus, nisi aliud simul intelligamus; Vnde simul ad simul refertur, non autem per se, neque primariò ad prius, vel posterius, nisi fortè per accidens, vel secundariò. Quod autem non referantur necessariò ad prius, vel posterius, probatur; nam vbicunque daretur simul, ibi quoque necessariò intelligeretur prius, & posterius, & è contra; hoc autem est falsum: nam in prioritate ordinis non solum non potest intelligi simul, immò hoc ei repugnat, nam essentialis ratio ordinis in priori, & posteriori consistit: at quæ sunt priora, & posteriora non sunt simul, ergo. Hęc itaque de istis breuiter, & pro vt ad præsens sat est, dicta sufficiant. Ad Argumenta.

Ad primum dicitur, non omnes modos Prioris hic ab Aristot. recenseri, quia sat est, vt quomodo res, quę dicuntur Priores, & Posteriores in prædicamentis sint, cognoscamus, vnde satis fuit de aliquibus per modum exemplum determinare.

Ad secundum dicitur; quod in tempore potest signari aliquod principium, vel Nunc, & secundum approximationem, vel elongationem ab illo aliqua dicuntur priora, & posteriora, sed respectu temporis præteriti dicuntur priora, quæ sunt à Nunc præsenti remotiora; respectu verò futuri, quæ sunt eidem nunc propinquiora.

Ad tertium dicitur; Vniuersalia completa, & abstracta, quæ per intellectum fiunt esse posteriora singularibus sub illa ratione abstractionis; sed vniuersalia remota, & realia, & in natura sunt ipsis singularibus priora secundum naturam; vt animal respectu hominis cuius est pars, prius est, sicut pars toto; & quamuis vt vniuersale quoddam completum intelligatur, & sic quoque dicatur prius, hoc est solum ratione fundamenti, & modo prædicto.

Ad quartum patet ex prædictis; non etenim simul ad prius, sed ad aliud simul opponitur; & sic æqualiter dicuntur, vt quod est simul tempore, aliud in eodem tempore Simul respicit; quod est simul natura, aliud eadem simultate simul, &c.

QVÆSTIO VNICA

De Motu cum quadam digressione, & de Habere.


MVlta de Motu dicenda essent; at quia ad Physicam attinent, in ipsa determinanda sunt; nunc tantum de eo tractabimus, quatenus cum postprædicamentis connumeratur. Sciendum est ergo, quod ipse motus dupliciter consideratur (vt alibi quoque dictum est) vno modo formaliter; & sic est quædam entitas, quæ consistit in fieri, & in prædicamento quantitatis reponitur. Alio modò materialiter, videlicet pro quacunque forma, quæ consideratur in fieri, siue instantaneo, siue successiuo, v. g. fit calefactio, quæ est motus alterationis, in hac reperitur calor ille in fieri, qui videlicet non est perfectè acquisitus, sed paulatim acquiritur; & hic calor hoc modo consideratus est motus materialiter sumptus; sed ille fluxus, vel successio est motus formalis, & sub hac ratione non est postprædicamentum, sed bene sub modo materiali, sic namque tot genera respicit, quot formæ, vel entitates per ipsum acquisibiles sunt; quare si acquiratur, vel deperdatur substantia, pertinebit ad prædicamentum substantiæ, & erit generatio, & corruptio; si acquiratur, vel deperdatur quantitas, erit in prædicamento quantitatis, nempè augmentatio, & diminutio. Si acquiratur, vel deperdatur qualitas erit alteratio, & in genere qualitatis. Et tandem si sit motus localis, erit in prædicamento Vbi, & hac de causa inter postprædicamenta connumeratur, non alia ratione.

Est autem quædam non spernenda difficultas circa ipsum motum, quæ & si ad secundum Physicorum attineat, hic tamen (paulisper digrediendo) eam apponere, & soluere volo. Difficultas igitur est hæc. Natura est principium internum motus, ita vt solum ea, quæ mouentur sint entia naturalia, & solum entia naturalia mouentur, vt ab omnibus conceditur, quo pacto ergo saluabimus motus violentos? vt dum lapis, v. g. sursum projicitur: non enim potest motus ille esse naturalis, quia naturæ lapidis repugnat, quæ est moueri deorsum; neque dicetur naturalis ab agente, vel projciente, quia sic nullus daretur motus violentus, cum vnusquisque ab agente naturali fiat; præterquamquod, natura dicitur principium motus eius in quo est ipsa natura, videlicet, illius motus, qui est in mobile, & quo mouetur, & sic tale principium erit in lapide; & ex alia parte sibi repugnat, quare dicendum videtur, vel quod natura non sit principium cuiusq; motus, quod aures abhorrent; vel quod natura sit principium effectus sibi repugnantis, nempè violenti, quod est contra naturam; quod similiter est incredibile, & paradoxum; vel, quod naturalis dicatur motus ab agente externo, quod est (præter aliud absurdum, quod adduximus) contra definitionem ipsius naturæ. Fateor hoc argumentum magnam vim apparentiæ præseferre; & multi vt ipsum soluerent in diuersas inciderunt ineptias, contradictiones, & ambages; & si primas, publicasq; celeberrimorum Gymnasiorum cathedras ascendant. Est igitur talis solutio; duplicem esse naturam cuiusque corporis naturalis corruptibilis, videlicet particularem, vel determinatam, & vniuersalem, vel indeterminatam; particularis est propria forma, & per hanc habet peculiarem inclinationem ad particularem motum, vt terra ad motum deorsum; ignis sursum, &c. Sed vniuersalis atque indeterminata est materia, secundum quam est indifferens ad omnes motus; vnde per ipsam corruptiones quoque naturales dicuntur. In comparatione ergo ad materiam, quæ est etiam verè natura, omnis motus à natura intrinseca prouenit,

uenit, & vnusquisque largè loquendo dici potest naturalis; sed respectu formæ, quæ peculiarem inclinationem præbet, solus, qui ex ipsa prouenit naturalis appellatur; & quoniam ipsa est principaliter natura, pars formalis, & quidditatis rei, materia verò indifferens ad plura: hinc iure factum est, vt motus, qui ex ipsa prouenit, naturalis appelletur, & qui ei repugnat, (licet ex parte materiæ naturaliter quoque conueniat) violentus dicatur. Quare forma ipsa immediatam inclinationem, capacitatem, dispositionem, potentiam, & aptitudinem ad motum præbet: sed materia solam remotam capacitatem, fundamentalemque potentiam, quod tamen sufficit. Omnis itaque motus à natura prouenit, vnusquisque est naturalis, nullus alijs rebus, quam naturalibus, & ex naturalibus principijs competit. Sed numquid in cęlo assignare poterimus has duas potentias, vel naturalia principia? Respondetur; cęlum esse simplicem substantiam, quæ ex se ad particularem circularem motum subeundum inclinationem præbet; non relinquendo fortè capacitatem ad violentum, vel solum non repugnantiam, aut potentiam obedientialem habet. Sed ad vltimum postprædicamentum redeamus.

Habere itaque multis modis dicitur, sicut in litera visum est; neque aliud de ipso dicendum erit, nisi quod in hoc ad prædicamenta attinet, vt secundum res habitas distinctiones adhibeamus, & conueniens circa hoc eligamus prædicamentum; & vt in summa dicam, Habere est in eo prędicamento, in quo est res habita; vt habere vestes, in genere habitus, domum in genere substantiæ, seruum in genere relatiuorum, possessionem pariter in genere substantiæ, &c. Cuius ratio esse potest, quia fundamentaliter ipsum Habere dicit rem, quæ habetur, etsi formaliter sit quidam respectus habentis ad rem habitam. Vel quoniam ipsum Habere est concretum accidentale habitus, at tale concretum reducitur ad abstractum; vt album ad albedinem, & sic Habere ad rem habitam, vel ad eiusdem prædicamentum reducitur, vel collocatur.

Libri Prædicamentorum Finis.



AN-



ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN I. LIBRVM POSTERIORVM Analytichorum Aristotelis Paraphrasis textualis, & Quæstiones.

QÆSTIO PROOEMIALIS VNICA.

De Inscriptione, ordine, subiecto, & dignitate horum Librorum.



Voniam horum librorum inscriptio, vel titulus, aliquam præsefert difficultatem, ab ipsius explanatione incipiendum erit. Inscribuntur Libri. De Posteriori Analysi, seu Post. Analyt.

Duo ergo videnda sunt, videlicet cur Analytici, & cur Posteriores dicantur. Quo ad primum sciendum est, quod Analysis græcè significat latinè resolutionem, vnde & Analytici, & resolutorij inscribuntur, & ratio est, quia resolutionem syllogismi demonstratiui in sua principia declarant: nam resoluere aliquid modo intellectuali, & scientifico, est eius principia, vel partes contemplari, & quamuis etiam compositionem eiusdem syllogismi tradant: tamen quia exactior contemplatio in examine distincta cuiusque partis consistit, potius ex resolutione, quam ex compositione appellandi sunt. Quo ad alium terminum videlicet (posteriores) sciendum est, quod circa syllogismum duplicem compositionem, duplicemque respondentem resolutionem efficere possumus: prima est vniuersalis, quæ consistit in modo, & figura, de qua tractauit Arist. in Lib. Priorum Analyt. Alia autem est particularis, quæ videlicet propositiones tantum principaliter inuestigat. Cum autem secundum conuenientem doctrinę ordinem, vniuersalia sint priora particularibus, libri qui de modo, & figura syllogismorum determinant Priorum resolutionum: hi autem qui de materia, vel necessarijs propositionibus agunt Posteriorum nuncupantur. Sed hic duæ se se offerunt dubitationes. Prima, cum libri Topicorum, & Elenchorum etiam de partibus materialibus syllogismi agant, videlicet Topicorum de propositionibus probabilibus, Elenchorum de falsigrafis, sicut libri hi Post. de necessarijs, cur illi quoque Analytici non dicuntur? Secunda. An hi libri solam syllogismorum materiam, vel etiam formam considerent. Ad primam respondetur; Libros Priorum per se, immediatè, & potissimum principia formalia syllogismi (quæ sunt modus, & figura) considerare. Et eodem modo in libris Post. agitur de eius materia; vnde meritò resolutorij appellantur. At libri Topicorum modum, & viam inueniendi principia, vel loca probabilium syllogismorum potius, quam simplicem examinationem præmissarum declarant, & hac de causa inuentiui dicuntur; sicut libri Post. vocantur iudicatiui, quatenus per doctrinam in eis contentam infallibiliter, & sine errore de scibilibus iudicare possumus. Libri autem Elenchorum pariter errores potius (vt euitentur) syllogismorum tradunt; quam præmissas ex se principaliter speculentur; Ad secundam dicitur; etiam formam hos libros considerare, vel saltem supponere, vt notat in præcedentibus, quod non est eam à præsenti consideratione excludere, sed vt notam recipere: & probatur, quia non est possibilis consideratio materiei sine forma, vt fusè, & eleganter docet Philosophus in 2. Phys. quare libri Priorum materiam, & formam vniuersalem syllogismi considerant. Libri Post. supposita cognitione formæ de necessitate, quæ ex materia pendet, determinant. Libri autem Top. de materia probabili, & præsertim de inuentione. Elenchorum de materia inutili, & præcipuè de erroribus, qui tamen omnis formæ contemplationem, vel supponunt, vel includunt, vel quandoque etiam expressè continent; vt in ijsdem operibus est videre.

De ordine autem propterea, quæ dicta sunt pauca dicenda super sunt. Erit itaque talis; primo loco poni debent ea, quæ pertinent ad primam operationem intellectus, quæ est simplicium apprehensio; quare in hoc prędicabilia, & prædicamenta collocata fuerunt; prædicabilia verò ante ipsa prædicamenta, prout tradunt modum vniuersaliter cognoscendi; sine qua cognitione prædicamenta intelligi nequeunt. Secundo loco poni debent ea, quæ ad secundam intellectus operationem (videlicet ad compositionem, & diuisionem) attinent, & sic sequitur libri Perihermenias, vel de interpretatione, vbi

vbi agitur de propositionibus, earum proprietatibus, principijs &c. Tertiò deniq; loco ea statuenda sunt, quæ ad tertiam intellectus operationem, (nempè ad discursum) attinent; & sic agitur de syllogismo, cuius doctrina sic in quatuor partibus diuidi debet. Prima in qua vniuersaliter de vniuersali materia, & forma ipsius agitur, & sunt libri Priorum. Secunda vbi determinatur de necessitate, quæ pendet potissimum ex parte materiæ, & sunt duo libri Post. postea de eius contingentia, de qua agitur in octo libris Top. ac tandem de erroribus, de quibus in duobus Elenchorum differitur: vnde ordo hic sic faciliter, & benè comprobari potest. Vniuersalissima cognitio alias omnes præcedit ex 3. Phys. tex. 2. Necessaria præcedit contingentem; Et contingens, eam, quæ solum errores (licet ad euitandos) speculatur. Quare primo loco ponuntur libri Priorum in quibus vniuersalissima; Secundo, Post. in quibus necessaria, tertio Topicorum, in quibus probabilis; & quarto Elenchorum in quibus sophystica syllogismorum cognitio habetur.

De subiecto autem nulla ferè est controuersia, si quidem ab omnibus, (paucis duntaxat exceptis) syllogismus demonstratiuus, seu demonstratio statuitur; nam quicquid in ipsis determinatur, ad demonstrationem dirigitur, vel reducitur. Atque est eiusdem Arist. expressa sententia; si quidem in primo Priorum cap. 4. in his libris se de demonstratione acturum esse pollicetur. Verum contra hanc determinationem sunt duæ instantiæ. Prima. In secundo huius operis agitur de definitione per se, quomodo videlicet sit efficienda, &c. ergo non omnia, quæ in his duobus libris considerantur ad demonstrationem attinent. Secunda, cognitio, quæ habetur per definitionem est nobilior ea, quæ habetur per demonstrationem, ergo non illa in gratiam istius, sed potius è contrà ordinari debet. Probatur antecedens: nam per definitionem scimus quid aliquid sit; per demonstrationem quale sit, vel quæ sint eius proprietates: at nobilius est scire quid, quam quale ex 7. Metaphys. tex. 4. ergo. At hæ obiectiones non officiunt. Ad primam igitur dico; Definitionem licet per se (hoc est secundum id quod ad suam naturam attinet) in secundo huius operis consideratur; tamen quia ipsa est instrumentum sciendi, ad demonstrationem (quæ est scientiæ effectiua) vt minus principale, ad principale reducitur. Ad secundam negatur antecedens, ad probationem dicitur; per demonstrationem, & quid, & quale cognosci; nam in ipsa includitur definitio, & causarum, & proprietatum cognitio.

De dignitate huius scientiæ in ordine ad alias partes Logicæ facilè est determinare, ipsa namque est solum scientiæ productiua, vel parens: quare sicut scientia ipsa omnibus alijs cognitionibus præcellit: sic facultas in qua de ipsa differitur, alijs omnibus præponenda est. Amplius omnes aliæ partes Logicæ ad hanc tamquam ad potissimum finem ordinantur; hæc ergo erit nobilissima, nam finis est nobilior ijs, quę sunt ad finem, sed contra. Nam scientia de vniuersalibus est nobilior ea, quæ est de particularibus, vt videbimus in primo huius, ergo libri Priorum in quibus agitur de syllogismo in vniuersali sunt nobiliores istis, vbi de particulari tractatur. Præterea; Ea facultas vbi agitur de forma est nobilior ea, in qua agitur de materia, sicut forma est nobilior materia, sed in libris Priorum agitur de forma, hic autem de materia syllogismi, ergo. Ad primam dicitur, scientiam de vniuersalibus esse nobiliorem ea, quæ est de particularibus: non autem de minus vniuersalibus, & sic est ad propositum. Vel dicatur, vniuersaliorem esse nobiliorem quoad extensionem, vel continentiam potentialem, non autem quo ad obiectum. Ad secundam patet, nam hic quoque de forma, prout sat est determinatur: præter quam quod specialiter sumenda est nobilitas ex parte finis, hic autem in his libris est scire, quod omnes alias cognitiones excedit.





ARISTOTELIS STAGIRITÆ

Peripateticorum Principis Poſteriorum Analyticorum.

LIBER PRIMVS.

Summa Libri.

Agitur in hoc libro de natura, principijs, conditionibus, differentijs, ſpeciebus, figuris, terminis, erroribus, & de alijs multis ad demonſtrationem pertinentibus.

CAPVT PRIMVM.

Quæ, & quomodo ante ſcientiam cognoſcenda ſint.

Text. 1. *Mnis doctrina, & omnis diſciplina diſcurſiua ex aliqua ſit præcedenti cognitione. Hoc autem nobis manifeſtum erit, ſi circa omnes ſpeculabimur; mathematica namque ſcientia ſimul cum alijs quibuſcunque ſpeculatiuis, immo & vnaquæque artium, vel ſcientia practica in hunc modum procedit; nam quælibet iſtarum ex proprijs præcognitis principijs effectus, vel proprietates, vel intentas concluſiones colligit. Immo non ſolum in ſcientijs realibus, tam ſpeculatiuis, quàm practicis hoc veritatem habet, vt declarauimus, ſed conſimiliter dicendum eſt circa rationales, & præſertim circa logicam, quæ per ſyllogiſmum, & per inductionem procedit; ambæ enim hæ procedendi methodi, vel viæ (nempè ſyllogiſmus, & inductio) per ea, quæ præcognoſcuntur, faciunt doctrinam. Illa etenim (puta via ſyllogiſtica) accipiunt cognitam concluſionem, tanquam ex cognitis præmiſſis. Iſtæ verò (nempè inductiones) per cognita ſingularia vniuerſale monſtrant. Nec tantum ſcientiæ prædictæ, ſed Rhetoricæ quoque per præcognita perſuadent; nam in ſuis orationibus, exemplis, vel enthimematibus vtuntur. Sed exempla reducuntur ad inductionem, (eo quod ipſa exempla ex pluribus ſingularibus ferè ſicut inductiones ſint) enthymema verò eſt ſyllogiſmus truncatus, quare cum inductio ex præcedenti cognitione ſingularium, ſyllogiſmus ex præmiſſis præcognitis procedat; etiam Rhetoricæ ipſæ hoc modo ſe habebunt, & ſic prædicta propoſitio (Omnis doctrina, & omnis diſciplina &c.) eſt vniuerſaliter in omnibus ſcientijs, artibus, & facultatibus intellectualibus, vel diſcurſiuis vera.*

Dupliciter autem neceſſarium eſt præcognoſcere, & præſertim in cognitionibus diſcurſiuis: nam de quibuſdam ad ipſum diſcurſum attinentibus oporte præcognoſcere quod ſunt, vel eſſe poſſunt; de alijs intelligere oportet quid eſt quod dicitur; (nempè quid ſint, vel quæ eorum definitio) De alijs autem ambo, videlicet, & quod ſint, & quid ſint. Vt autem hæc omnia intelligantur, ſciendum eſt, quod in demonſtratione tria potiſſimum ſunt: ſcilicet ſubiectum (quod etiam dicitur datũ,) Text. 2.

paſſio

passio de ipso demonstrabilis (qua vocatur quoque prædicatum, & quæsitum) & propositiones, vel præmissæ. De præmissis ergo, seu etiam de dignitatibus, aut maximis, quibus ipsæ præmissæ iuuiuntur, (vt de hac, de quolibet est verum asserere, aut negare,) præcognoscere debemus quòd est, videlicet quod sit vera. De passione autem (vt si triangulus esset hæc passio demonstrabilis in aliqua conclusione geometrica) præcognoscendum est quod hoc significat, vel quid significetur per hoc nomen tiangulus. De subiecto autem, (& sit causa exempli vnitas) ambo præcognoscere debemus, nempè quid significat, & quòd est; vnũquodq; enim istorum, quæ diximus non est eodem modo nobis manifestum; immo neque ad eandem demonstrationem attinent; vt dignitas illa; (de quolibet est verum &c.) est Metaphysica; triangulus (qui pro passione ponitur) est Geometria. Et vnitas Aritmetica. Si autem ad vnam demonstrationem omnia hæc applicare velimus, conficiamus ipsam demonstrationem sic. Omne rationale est discursiuum, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est discursiuus. De duabus ergo præmissis, præcognoscendum est, quod sint vera. De passione autem nempè de discursiuo præcognoscere oportet, quid per eius nomen significetur; non etenim habet veram definitionem. De subiecto autem scilicet de homine, quid est, & quod est; seu debemus ipsius definitionem prahabere, & etiam cognoscere debemus, quod sit, vel esse possit, itaut non sit quid chimericum, vel impossibile; cum ergo hæc tria, nempè præmissa, passio, & subiectum diuersimodè sint cognoscibilia, etiam diuerso modo nobis sunt manifesta, variaque sunt ipsarum præcognitiones.

Tex. 3. *At est notandum, quod non in omnibus cognitionibus prædictæ præcognitiones requiruntur: sed in quibusdam accidit vt cognoscens ex alijs prius cognitis cognoscat; quorundam vero simul (idest sine alia præcognitione) cognitionem accipiat, vt si cognoscere debeat ea, quæ sunt sub vniuersalibus, seu quæ ex vniuersalium cognitione dependent, ex præcognitis cognoscet, nempè ex vniuersalibus ipsis; vt si cognoscere velit, quod omne triangulum habet tres angulos æquales duobus, necessariò aliud præscinit. At si hoc triangulum singulare, quod sit verbi gratia in semicirculo aliquo descriptum cognoscere velit nõ ex præcedenti cognitione id faciet, sed simul inducens, vel numerans cognoscit.*

Text. 4. *Quorundam igitur in hunc modum disciplina, vel cognitio est, videlicet, quod non per medium aliquod, vel per præcognitionem ipsum extremum, seu res vltimatè cognoscibilis cognoscitur, & hæc quæ sine præcognitione innotescunt sunt (vt in summa dicam) omnia singularia, quæ de aliquo subiecto, vel inferiori non dicuntur; At circa ea cognoscibilia, quæ ad sui perfectam cognitionem præcognitionem requirunt, obseruandum est, quod tales præcognitiones non debent sic completa, atque perfecta existere, vt ipsis habitis, conclusio cognoscenda penitus habeatur: sed antequam facta sit inductio) si cognitio est inductiua) aut complens fuerit syllogismus, si fuerit cognitio syllogistica) aliquo quidem modo fortasse dicendum est, nos conclusionem ipsam scire, aliquomodo non. Si etenim simpliciter, vel nullatenus sciamus, triangulum verbi gratia esse, ita vt nihil de ipso cognoscamus: quomodo concludere poterimus, quod duos rectos augulos simpliciter contineat? manifestum est ergo, quod vniuersaliter, & virtualiter in ipsis præmissis scimus; simpliciter autem, vel in propria forma, seu determinatè minimè, aliter iam conclusio ipsa haberetur, antequam syllogismus complens esset; præscimus igitur conclusionem in vniuersali, non autem in propria forma.*

Si vero non hoc modo præcognoscamus; dubitatio (quæ fit à Platone in dialogo loquente tunc Menone) contiget, seu vim habebit. Credebat etenim ipse Plato, nos nihil de nouo scire posse, sed quod vocamus addiscere esse dicebat reminisci, nam (aiebat) vel scimus, quod ante cognoscebamus, vel quod non: si quod ante, iam non est scire, sed reminisci; si vero quod nullo modo, neque hoc scire poterimus; nam ex ijs, quæ sunt penitus incognita, nulla generatur cognitio, & sit hoc eiusdem Platonis exemplum. Si quis quærat seruum fugitiuum, ita vt nunquam ipsum antea aliquo modo cognouerit; nunquam eum inueniet, aut si inueniet, non cognoscet; si ergo ipsum inueniat, ideo est quia prius cognoscebat; vnde hæc alia inuentio, vel cognitio est præcedentis memoratio, vel confirmatio, & sic aut nihil aliquis addiscet, aut solum quæ nouit. Si autem dicamus ut supra; nempè rem, quam cognoscere, uel scire volumus non esse penitus cognitam, nec omnino ignotam, sed cognitam uniuersaliter, & quasi confusè, incognitam uero distinctè, & in propria forma, hanc ipsius difficultatem fugiemus; neque nostrum discere erit purum reminisci; neque ex penitus ignotis procedemus. Sic igitur hæc soluenda est dubitatio; neque enim dicendum est eo modo quo alij quidam ipsam conantur soluere. Quærabant namque aliqui Platonici ab istis. Cognoscitis ne uos, quod omnis numerus binarius est par, uel hoc non cognoscitis? Cum autem ipsi se cognoscere affirmarent; attulerunt eis quemdam numerum binarium absconditum, ita ut non existimarent esse binarium, & per consequens neque parem, & uolebant (ut quasi uaticinantes) eum esse binarium, & parem cogno- Text. 5.

gnosce-

gnoscerent; aliter eis obijciebant, non esse verum, quod cognoscerent, omnem binarium esse parem. Quam quidem obiectionem soluebant dicentes, se non scire omnem binarium esse parem, sed solum eum binarium parem esse quem cognoscebāt prius esse binarium.

Tex. 6. *Hi igitur qui hoc modo soluunt, non benè soluunt, nam si sciunt, debent quidem scire rem cuius demonstrationem habent, & cuius principia ad demonstrandum apta acceperunt. Sed acceperunt, vel accipere debebant talia, quæ conueniant non solum omni, quod vtique ipsi noscant; verbi gratia de hoc triangulo, vel de hoc numero ab eis cognito, sed simpliciter, vel vniuersaliter de omni numero, & de omni triangulo. Nulla enim propositio accipitur in demonstratione, quam tantum tu, vel ille cognoscat, quod sit verbi gratia numerus, vel recti linea, &c. sed quæ sit de omni, vel vniuersalis quibuscunque. Quare dicendum est vt supra, nempè vniuersaliter, vel in communi de omni scire; non autem in propria forma. Vnde puto nihil prohibere, quod aliquis aliquo modo sciat, alio modo ignoret id quod addiscit. Absurdum namque esset non si cognoscat, quod addiscit aliquo modo tantum, sed si inquantum addiscit, sic & eodem modo ignoret, vel quod eodem modo sciat, & nesciat.*

Omnis doctrina, & omnis disciplina, &c. Text. I.

QVÆSTIO I.

An prædicta propositio sit vera.

ARguitur primò, quod non. Si enim omnis doctrina ex alia præcedenti fieret; aut fieret ex alia intellectiua, aut ex sensitiua, si ex intellectiua, illa pari ratione ex alia fieri deberet, & illa ex alia, vnde esset processus in infinitum. Neque fit ex alia sensitiua, quia cognitio sensitiua est singularium, quæ ad scientiam non attinent.

Secundò. Sicut se habet sensus ad sensibilia, sic intellectus ad intelligibilia, sed sensus percipit sensibilia absque præcedenti cognitione, ergo sic intellectus potest intelligibilia cognoscere, vel de eis doctrinam habere.

Tertiò. Intellectus ex se est tanquam tabula rasa ex 3. de anima; ergo in ipso dari debet aliqua prima cognitio intellectiua, quæ ex alia non fiat.

Quartò. Doctrina, vel cognitio primorum principiorum est verè scientia, & tamen ex alia non fit, quia ipsa principia sunt per se nota, ergo. Quod ipsorum cognitio sit verè scientia, probatur, nam ab ipsis causatur scientia; quamobrem si non esset ipsorum cognitio scientia, ex non scientia fieret scientia, & effectus esset nobilior sua causa.

Pro intelligentia sciendum est primò, quod Aristoteles acturus de natura, principijs, & proprietatibus scientiæ, ea quæ ipsam præcedunt scientiam, veluti necessariò præcognoscenda, proponit, ac vniuersaliter pro quibuscunque facultatibus discursiuis prædictam præmittit propositionem (Omnis doctrina, &c.) quam tamen cum tota expositione, quæ in eodem cap. habetur etiam contra quosdam priscos Philosophos statuit. Plato namque asserebat, hominem ab initio suæ formationis, scientiam omnium rerum, & virtute naturalis agentis, & mediantibus separatis ideis in anima recipere, sed ob quam plurima impedimenta, quæ ex sensibus, & organis procedere dicebat; eam actualiter scire posse negabat; quibus impedimentis per vsum, & laborem sublatis, veluti ex obliuione ad rem prius cognitam reuertebatur, & sic addiscere esse purum reminisci asserebat. E contra vero Heraclitus, & Cratillus, quia omnes res esse singulares, & in continuo fluxu existimabant, nullam de eis esse immutabilem, ac scientificam cognitionem arbitrabantur. Contra quos ipse Arist. media quasi via incedens, nec scientiam nobis à natiuitate traditam cum Platonicis admittit; neque cum alijs penitus eam de medio tollit, sed modum quo ipsa acquiratur ostendere nititur, atque ex prædicta propositione propositum sapientissimè aggreditur. Vbi est pariter obseruandum, quod per doctrinam, & disciplinam non intelligit diuersos habitus, vel notitias, sed eandem, quæ prout est in docente, vel ab ipso, dicitur doctrina, quatenus vero recipitur in discipulo, dicitur disciplina; vnde sensus est, quod quæcunque scientia, siue sit in doctore, & per propriam inuentionem, siue in discipulo, ita vt ipsa ei ab alio tradatur, aliam supponit cognitionem.

Secundò notandum, quod si legatur solum discursiua, ex se clarissima est propositio, & omnes difficultates soluuntur, nam discursus completus, & doctrinalis, immo & quilibet alius ex multis partibus præcedentibus constat; doctrinalis vero ex præmissis. Si vero legatur solum intellectiua, (vt legit Auerroes) aliqua est difficultas, quæ vt vniuersaliter, & secundum adolescentium captum intelligatur, aliud obseruabimus.

Sit ergo tertiò notandum, duplicem esse cognitionem, videlicet intellectiuam, & sensitiuam. Et intellectiua est triplex, videlicet simplex, complexa, & discursiua. Simplex, in simplici apprehensione consistit nihil affirmando, neque negando. Complexa in affirmatione, & negatione. Discursiua verò ex vno cognito ad aliud non sic manifestum efficitur. Sensitiua autem, vel est sensuum internorum, sicut memorari, phantasiari, imaginari, &c. vel externorum, vt videre, audire &c. Quibus sic breuiter declaratis, quæstionem per aliquas propositiones ordinatas resoluamus.

Prima. Omnis cognitio discursiua fit ex præcedenti complexa. Patet, nam discursus formatus, qui in forma syllogistica (si sit bonus) consistit, ex propositionibus efficitur.

Secunda. Omnis cognitio complexa fit ex alia præcedenti simplici, quia nihil possumus componere, vel diuidere, aut modo complexo (quod idem est) cognoscere, nisi apprehensis terminis.

Tertia. Omnis cognitio simplex, & intellectiua fit ex præcedenti cognitione internorum sensuum, probatur. Nam intellectus noster intelligit ex phantasmatibus, vt dicetur 3. de Anima. Hæc autem ex sensitiua externorum sensuum procedit; ipsi namque sunt quasi ianuæ, per quam primò quęlibet notitia in animam ingreditur. Vnde ab initio cognitionis incipiētes. Primò obiectum cognoscibile se externis sensibus præsentat, vt color visui, sonus auditui, &c. Hi autem ipsum præsentant sensibus internis, nempè imaginatiuæ, phantasiæ &c. Et ab his simpliciter primum ab intellectu apprehenditur, & est eius prima operatio. Secundò circa ipsum componit & diuidit, & est secunda, ac tertio tandem loco succedit discursus, & sic quacunque ex parte incipiamus in infinitum non proceditur, & per hæc patet ad quæstionem. Ad Arg.

Ad primum patet, videlicet, quod discursiua non fit

ex

ex alia discursiua, sed ex complexa; hæc autem ex simplici, & illa ex sensitiua, quæ licet sit ex se circa singularia, tamen ab intellectu completur, & fit vniuersalis.

Ad secundum dicitur, quo ad hoc similitudinem non valere, quia sensus sunt ianua, qui immediatè obiectum respiciunt, ideò aliam cognitionem non supponunt; at intellectus per phantasmata procedit.

Ad tertium dicitur, re vera in ipso dari primam simplicẽ cognitionem, quæ ex alia intellectuali nõ efficitur.

Ad quartum dicitur, cognitionem primorum principiorum fieri ex cognitione terminorum; sunt namque principia propositiones per se notæ, vt dicetur, neque eorum cognitio dicitur propriè scientia, sed intellectus, vt etiã patebit, & est re vera nobilior, vel certior, quam sit notitia, quæ scientia vocatur.

Bifariam autem necessarium est præcognoscere, &c. Text. 2.

QVÆSTIO II.

An tantum duæ sint præcognitiones.

ARguitur primò, quod non. Tot esse debent præcognitiones quot sunt præcognita; hæc autem sunt tria, scilicet dignitates, subiectum, & passio, ergo. Probatur antecedens, nam præcognitio est rei præcognitæ præcognitio, ergo.

Secundò. Sicut res est quid, ita est qualis, quanta, &c. ergo iuxta hæc aliæ sunt assignandæ præcognitiones.

Tertiò. De singularibus non possumus præsupponere neque quid est, neque si est, cum non sint definibilia, neque necessariò existant, & tamen per ipsa acquiritur scientia, ergo vanæ sunt in hoc tales præcognitiones. Probatur minor auctoritate Arist. in hoc primo cap. huius libri text. 2. vbi habita doctrina de præcognitionibus, habet hæc verba. Ante verò quam inductum sit, aut acceptus fuerit syllogismus; modo quidem aliquo fortasse dicendum est scire: modo autem alio non, quare tam per inductionem, quam per syllogismum scientiam acquiri posse fatetur.

Pro intelligentia sit primò notandum, quod præcognitio dicitur solum in ordine ad conclusionem cognoscendam; ita videlicet, quod aliqua ante ipsam cognoscenda sint, aliter non posset ritè, & ordine scientifico cognosci. Ea autem quæ ante ipsam sunt cognoscenda, dum actualiter cognoscuntur, simpliciter cognosci, non autem præcognosci dicuntur.

Secundò notandum, quod ipsæ præcognitiones possunt vniuersaliter sumi, ita vt solum significatum nominis applicemus, & sic duæ tantum assignantur, videlicet si est, & quid est. Si verò accipiantur particulariter, plures erunt, nam quid est dicitur dupliciter, scilicet nominis, & rei; nominis est ipsius nominis interpretatio, vel simplex notitia. Interpretatio, si ipsum exponamus, quod quidem circa hoc nõ est necessarium, nec ad propositum; simplex autem notitia, si significatum nominis confusè, vel sine definitione cognoscamus, quo pacto rustici equum à boue distinguunt, vtriusque significationem ignorantes, & hæc nominis quidditas, dũ præcognitio appellatur (vt dicetur) est necessaria, nõ autem alia. Quid rei est definitio, non semper purè quidditatiua, sed eo modo quo rei definibili competere potest. Pariter duplex est quod est, seu si est, videlicet complexi, & incomplexi: si est complexi nihil aliud est, nisi præpositiones esse veras, sed incomplexi est rem talem existere, vel existere posse, quare concludendo dicimus. Duas esse præcognitiones vniuersaliter sumptas, nempè quod est, & quid est, tria autem præcognita, scilicet præmissæ, subiectum, & passio. De præmissis ergo præcognoscendum est, si est, seu si sint veræ, quia nisi hoc præcognoscamus, neque conclusionem esse veram cognoscere poterimus, & per consequens neque veram, & certissimam scientiam ex ipsis hauriemus. De subiecto præcognoscendum est primo si est, videlicet, quod sit, vel esse possit in natura; nam si esset quid fictitium, vel impossibile, non haberet proprietates, neque principia, vnde non esset scibile, non tamen requiritur, quod actu existat, sed sat est, quod existere possit, & aliquando verè fuerit; aliter de eius possibili existentia, & quidditate solam imaginariam notitiam haberemus, quod est absurdum; nam cognitio scientifica ex rebus ortum habet. At quo ad quid est aliter dicendum erit, nam vel volumus de ipso demonstrare internas proprietates, quæ videlicet ex sua natura, vel forma fluant, vt risibilitas de homine, &c. vel aliquem effectum, qui sibi quidem conueniat, & necessariò, non tamen ab intrinseco, vt eclipsis respectu Lunæ, habere tres æquales duobus rectis de triangulo, &c. si primo modo, de subiecto ipso debemus præcognoscere quid nominis, & quid rei; quid nominis non per interpretationem, sed per simplicem notitiam, hac etenim cognitione sublata, omnia quæ sequuntur, recedunt. Est etiam præcognoscendum quid rei, vel eius definitio, quoniam cum internæ passiones potissimum ex essentia fluant, nisi illa per definitionem explicetur, neque origo ipsarum passionum percipietur, quare etiam ipsæ erunt incognitæ. At si considerentur passiones, quæ ex propria natura non oriuntur; credo (saluo meliori iudicio) sat esse præcognoscere quid nominis, vt ad cognoscendum eclipsim Lunæ, non opus est eam definire, sed causas circa hoc cognoscere. Pariter ad cognoscendum triangulum habere tres æquales absque ipsius definitione, sed Geometricis mensuris commodè præstari poterit. Amplius, Philosophus in secundo huius operis ostendit, quod per quamlibet causam fieri potest demonstratio, immò & vna per aliam ostendi, & tamen nec quælibet ingreditur quidditatiuam definitionem, nec vna est de quidditate alterius. Dicerem tamen, eam demonstrationem, quæ ex vera quidditate subiecti tanquam ex medio conficitur esse alijs potiorem, sed de hoc ex professo in sequentibus. De subiecto igitur, quod est, & quid nominis, vel quid rei, vel vtrunque præcognoscendum est.

De passione autem simplicem notitiam, vel apprehensionem, seu quid nominis præcognoscere debemus, vt quid significet, v. g. risibilitas, vel corruptibilitas, &c. non etenim quærere possemus, si alicui conueniat, vel non, si nullam notitiam de ipsa haberemus; quid autem rei non est inuestigandum, quia passiones non sunt definibiles, & si aliquam habeant notificationem, ex quidditate subiecti pendet; pariter, neque de ipsis est præcognoscendum si est, quia esse ipsorum est in subiecto existere, quare per completam demonstrationem ostendendum est. Præmissæ autem quoniam sunt entia complexa, quæ ab intellectu fiunt, nullum habent quid; nam complexa nullatenus definiuntur nec re, nec nomine, neque hac eadem ratione habent, si est existentiæ, sed solum veritatis, vt declaratum est. Ad Argumenta.

Ad primum negatur maior, nam sicut vnus modus cognoscendi pluribus rebus aptatur, sic duo præcognoscendi diuersa ratione, & distinctione possunt conuenire tribus, vt declarauimus.

Ad secundum negatur consequentia, nam quid distinctè cognitum est demonstrationis principium, sed quale & quantum, vel sunt effectus demonstrabiles, vel accidentia communia, quæ demonstrari non possunt.

Ad tertium respondetur dupliciter, vno modo, quod per inductionem intelligit Aristoteles syllogismum, cu-

ius vna præmissa cum conclusione est particularis, quatenus videtur inductioni assimilari: Alio modo, quod non solum scientia propriè dicta, sed qualibet cognitio intellectiua, & discursiua ex præcognitionibus fiat, & sic est inductio, quæ non expostulat, vt singularia præcognoscenda sint per quid rei, sed nominis, neque quod actualiter existant, sed aliquãdo extiterint, quod sufficit.

QVÆSTIO III.

Dubitationes quædam principaliores circa Caput Primum.

VT prolixitatem euitemus, nihilque necessarium intactum relinquamus, nonnulla quæ formatis quæstionibus à quamplurimis agitari solent, per modum dubitationum breuiter proponemus, & soluemus. Est igitur prima dubitatio.

An docens, vt agens principale causet in intellectu addiscentis scientiam. Secunda. An sit vna numero scientia docentis, & addiscentis. Tertia. An cognitis præmissis, simul cognoscatur conclusio. Quarta. An illis cognitis sit in potestate intellectus conclusionem cognoscere, vel non. Quinta. An Platonis opinio de reminiscentia sit probabilis. Ad primam dicitur: duplex esse agens principale in quibusdam, videlicet vel applicationis, vel simplicis operationis, quæ quidem distinctio maximè habet veritatem in operationibus, quæ ab agentibus naturalibus per artem, vel voluntatem applicatis proueniunt. Sic namque in combustione domus, agens principale applicationis est, qui ignem iaculatus fuit, sed operationis est ipsemet ignis. Doctor ergo est quidem principale agens primo modo; nam discipulo applicat ordinatim, & per debitas regulas, quæ ei addiscenda sunt; quare quo distinctius, ac facilius hoc efficiet, eo melius aget, & perfectior alijs existet. At in operando, principale agens est intellectus addiscentis: ipse namque circa obiecta scibilia speculans, cognitionem ex eis elicit. Quod confirmatur, quia non alia de causa plures sub eodem doctore discentes, & æqualiter studijs operam dantes, non tamen æquè proficiunt, nisi quia intellectus ipsorum impares, vel non æquè potentes in addiscendo sunt; se habet autem doctor, vt videns, qui cæcum ducit, quamuis namque eum per viam dirigat; motus tamen, vel ambulatio ab ipso cæco efficitur, sic ducit Magister discipulum ad scientias dirigendo, sed sibi conuenit motus, vel intellectus operatio.

Ad secundam dubitationem dicitur, quod si scientia sumatur presè pro illa qualitate, quæ est in anima, proculdubio non est vna numero scientia doctoris, & addiscentis, nam sicut sunt duæ animæ, sic duæ quoque sunt scientiæ. At si sumatur distinctio (vt sumenda est) ex parte obiecti; vnica est vtriusque, immò omnium, qui idem obiectum scientificè cognoscunt, vnde vnica dicitur hoc modo Philosophia, & si innumerabiles essent Philosophi, quæ tamen non est vnitas purè numerica, sed secundum vnitatem obiecti, vt dictum est, quæ tamen differt secundum maiorem, vel minorem perfectionem, vel certitudinem ex parte addiscentium. Et epilogando, scientia Doctoris, & discipuli est vna obiectiuè, vel repræsentatiuè, non autem subiectiuè, nec formaliter.

Ad tertiam dubitationem respondetur, quod si præmissæ adinuicem benè ordinatæ, & cum attentione intellectus cognoscantur, eodem tempore necessariò cognoscitur conclusio. Probatur, nam in ipsis essentialiter includitur; at distincta, & ordinata cognitio non potest esse, nisi cognoscantur essentialiter inclusa. Verum est tamen, quod semper est prioritas naturæ, quia conclusio ex principijs sequitur.

Si autem præmissæ tantum secundum se, ac si essent quædam diuersæ, & disparatæ enuntiationes considerentur; tunc ante, & sine conclusione cognosci possunt, immò intellectus potest ab assensu conclusionis se ipsum diuertere.

Ad quartam patet solutio ex prædictis, cui tamen addatur, quod intellectus dicitur liber ratione voluntatis à qua dependet circa hoc, & cum qua in vna anima identificatur; hæc autem libertas (vndecunque sibi proueniat) est duplex, videlicet contradictionis, & contrarietatis. Dicitur contradictionis, quæ respicit actum, & non actum, ita vt ipsum possit producere, & non producere, vt intelligere, & non intelligere. At contrarietatis est, si possit velle hoc, & oppositum, seu contrarium, vt intelligere ignem esse frigidum, & calidum; prima itaque libertate intellectus potest non percipere conclusionem, etiam præmissis perceptis, si non sint debitè ordinatæ, vt dictum est. At secunda non potest, quia deberet intelligere conclusionem repugnantem præmissis ex ipsis sequi; & sic falsum, & impossibile intelligeret, quod non esset intelligere præmissas sine conclusione; immò intelligendo hoc conclusioni contrarium, ipsam quoque conclusionem intelligeret, quia contrariorum, eadem est disciplina, vel cognitio.

Ad quintam dicitur, opinionem Platonis (naturaliter loquendo) non esse probabilem, quia cum anima, & corpus sint partes essentiales ipsius hominis, ambo ad producendos effectus perfectiuos concurrere debent, & sic ex parte corporis sensus, & ex parte ipsius animæ intellectus requiritur. Amplius, anima non producitur à corpore separata, sed in ipso, sicut aliæ formæ, ergo semper fuit cum ipso corpore vnita, & per consequens habuit semper eadem impedimenta, quæ secundum Platonem obliuionem causabant, & sic non fuerunt ei ab initio species rerum, vel ipsarum cognitiones traditæ, sed paulatim ex notioribus, sensibus adiuuantibus, cognitiones adipiscitur.

CAPVT II.

Quid sit scire, quid demonstratio, conditiones, atq; principia ipsius, cum alijs quibusdam ad ipsam attinentibus.

SCire autem vnumquodque tunc arbitramur simpliciter, (idest verè, per se, & demonstratiuè) sed non sophistico modo, qui est secundum accidens (sophista namque ex accidentibus syllogizant, atque scire arbitrantur, vt omnis fur est nocturnagus, ille est nocturnagus, ergo est fur) cum causam existimamus cognoscere propter quam res est (ita videlicet, quod sit talis rei causa immediata, & quod illius causa est, nempe vt ad ipsam rem cognoscendam applicetur) & non possit aliter se habere; sed sit ita necessariò causa, vt ipsum effectum infallibiliter producat, nec ille ab alio produci possit. Quod autem tale sit scire, manifestum est ex communi omnium tam sapientum, quam ignorantium, vel sophistarum assensu; nam vtrique scire putant, cum per causam cognoscere credunt, cũ hoc tamen discrimine; quod ignorantes, & sophista solum credunt causam cognoscere, Text. 7.

sed

sed eam non cognoscunt, scientes verò, & credunt, & re vera cognoscunt.

Text. 8. *Quare id cuius est scientia, erit simpliciter necessarium, & impossibile quod aliter se habeat, vel quod varietur; Hic igitur est propriè, verè, & per se sciendi modus, si autem alter erit (nempe vel ab effectu, vel per definitionem, vel cognoscendo prima principia) posterius dicemus. Definitur autem ipsum scire alio modo sic. Scire est per demonstrationem cognoscere. Demonstratio autem est syllogismus epistemonicon, seu scientialis: dico autem illum esse scientialem syllogismum, secundum quem acquirimus scientiam; & à sophistico, & dialectico differt.*

Text. 9. *Si itaq; ipsum scire est quale definiuimus: necesse est, demonstratiuam scientiam ex veris esse, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, & causis conclusionis. Si enim omnia hæc obseruentur, habebimus vera principia eius quod demonstratur. At sine istis conditionibus non erit vera demonstratio, & per consequens neque faciet scientiam, quamuis possit esse syllogismus; ipse namque hæc non requirit, sed solum dispositionem in modo, & figura. At singulas particulas declaremus.*

Text. 10. *Vera quidem igitur oportet esse demonstrationis principia, quoniam quod non est verum, non contingit scire, vt non possumus scire; diametrum esse æqualem lateri, quia est falsum, vnde talis assertio esset erronea, & non scientialis. Debet pariter demonstratio ex primis, & indemonstrabilibus procedere, quoniam si per mediata procederet nihil sciremus, nisi aliam demonstrationem ipsorum principiorum haberemus, & sic procederetur in infinitum, quia pari ratione illa per alia principia, & hæc per alia demonstranda essent: nam verè scire aliquid per se, & non per accidens est per demonstrationem scire, si hæc principia sint mediata, & per consequens scibilia, aliam expostulant demonstrationem, quod cum sit inconueniens, dicendum est, hæc principia esse immediata, vel demonstrabilia.*

Text. 11. *Causas quoque, & notiora oportet esse principia demonstrationis, immo etiam priora. Causas quidem quoniam scire est per causam cognoscere, atque ipsum scire est per demonstrationem, ergo in ipsa includuntur causæ. Debent pariter esse priora, nam de ratione cuiusque causæ est esse prius. Similiter debent esse notiora, vel præcognita, non solum vno modo, videlicet, quod præintelligantur cognitione nominis; sed etiam quod præcognoscantur esse, & sic causæ ipsæ debent præcognosci præcognitione quid nominis, & præcognitione si est.*

Text. 12. *At est animaduertendum, quod aliqua dicuntur priora, & notiora dupliciter, videlicet nobis & natura; non enim idem est prius & notius simul natura, & nobis. Dico autem nobis esse priora & notiora, quæ sunt propinquiora sensui; simpliciter autem, seu secundum naturam sunt priora, & notiora, quæ longius sunt ab ipsis sensibus. Sunt autem longissimè quidem ipsa maximè vniuersalia, proximè verò ipsa singularia; quæ vniuersalia, & singularia sub hac ratione vniuersalitatis, & singularitatis opponuntur sibi inuicem. Cum ergo dicimus, ex prioribus, & notioribus demonstrationem esse, intelligere debemus de prioribus, & notioribus natura, quia demonstratio ex vniuersalibus, non autem ex particularibus, vel singularibus procedit. Sed hic duo sunt notanda. Primum quod hæc, quæ natura priora, & notiora dicuntur, non sunt nobis incognita, nam ex ipsis nihil scire possemus; sed dicuntur notiora natura, quatenus ipsa natura si cognosceret à causis, & vniuersalibus prius cognitionem inciperet; nos autem ab effectibus singularibus sensibilibus, per quos tamen etiam causæ ipsæ fiunt notæ, & eas ad demonstrandum assumimus.*

Aliud est notandum, quod vniuersalia dicuntur dupliciter, videlicet in prædicando, & sic sunt nobis minus nota, & in continendo, quæ videlicet plures partes, vel prædicata, vel causas continent, & sic nobis sunt notiora, vnde soluitur contradictio huius loci, cum ijs, quæ dicta sunt in proœmio Physic. nempe, vniuersalia esse nobis primò nota; ibi etenim est sermo de vniuersalibus in continendo, hic autem in prædicando, vt illic quoque exposuimus.

Ex primis autem est, quod ex principijs proprijs est; idem enim dico primum, & principium, Text. 13. *quare dum diximus, demonstrationem ex primis constare, idem voluimus, quod ipsa fiat ex proprijs principijs, videlicet non ex dignitatibus, vel propositionibus vniuersalissimis, quæ dicuntur axiomata, & pluribus demonstrationibus aptari possunt. Vnde principium hic nihil aliud est, nisi demonstrationis propositio immediata, ex qua videlicet immediatè sequatur conclusio. Propositio autem est quadam pars, vel species enuntiationis, quæ vnum de vno enuntiat; hoc est, quæ non accipitur cum disiunctione, sed cum simplici subiecto, & prædicato, siue affirmatiuè, siue negatiuè, vt homo est animal, homo non est lapis, per quam vnitatem à dialectica enuntiatione differt. Est itaque dialectica quidem, quæ similiter accipit vtramuis partem, tam videlicet affirmatiuam, quam negatiuam, tam veram, quam falsam: vt an diuitia sint appetendæ vel non; sic ergo cum disiunctione sumpta dicitur dialectica enũtiatio. At enuntiatio demonstratiua est, quæ non vtramuis partem, sed determinatè veram accipit. Sed*

enuntiatio in communi (quæ est quasi genus ad omnia prædicta (est in qua cõtinetur utrauis particula contradictionis; hoc est, quæ est indifferens, ut sit affirmatiua, negatiua, vera, & falsa; secundum se autem nihil est harum, nisi permissiuè, & potentialiter, sicut animal in sua communitate non est neque rationale, neque irrationale; at contradictio est oppositio, cuius non est medium secundum se ipsam, hoc est, quæ constat ex duabus partibus, quarum una, vel altera necessariò est vera, vt Socrates est homo, vel non homo. Et dicitur notanter secundum se, quia ratione fundamenti medium quandoque admittit, vt si dicamus aliquid esse cæcum, vel non cęcum, accipiendo pro non cęco videns; tunc esset medium, quia lapis, v. g. non est cæcus, nec videns, at hoc non est ex vi contradictionis. Ea autem pars contradictionis, quæ aliquid de aliquo enuntiat, dicitur affirmatio, quæ verò aliquid ab aliquo diuidit, vocatur negatio.

Text. 14. *Principium autem immediatum syllogisticæ demonstrationis diuiditur in Positionem, & Dignitatem. Positio quidem dicitur, quæ non est demonstrabilis (saltem in illa scientia) neque necesse est, vt addiscens eam præcognoscat; sed in processu poterit vel inuestigari, vel à Docente explicari, vt sunt definitiones, vel alia propositiones circa particulares materias particularium scientiarum. Dignitas autem est principium quidem indemonstrabile, sed addiscens necesse est, vt ipsum præcognoscat, vel sine alia expositione cognitis terminis percipiat, ut patet de hoc, omne totum est maius sua parte; De quolibet est vera affirmatio, vel negatio, &c. sunt enim quædam talia, quibus hoc nomen dignitatis consueuimus dicere. Ipsa autem positio diuiditur in suppositionem, & definitionem. Suppositio dicitur principium, quod accipit vtramuis partem enuntiationis, nempe affirmationem, & negationem, ita vt sit vera propositio per se nota affirmatiua, uel negatiua. Quæ uerò positio est sine affirmatione, & sine negatione, dicitur definitio. Definitio enim positio quidem est, quatenus (accipiendo Ethimologiam positionis) ponitur, uel accipitur sine demonstratione, vt Aritmeticus ponit unitatem (eam definiendo) esse indiuisibile secundum quantum, idest non habere partes, in quas diuidatur. Hæc autem definitio non est suppositio, nam per suppositionem debemus ponere copulam, dicendo, v. g. unitas est, uel non est. At definitio ipsa solam dicit quidditatem, unde sicut quidditas unitatis, & esse ipsius non sunt idem, sic neque definitio, & positio. Sed est quædam dubitatio. Nam dictum est in superiori textu, principium esse propositionem immediatam, &c. propositio autem est cum affirmatione, & negatione, quomodo ergo definitio, quæ species principij hic ponitur, potest esse sine affirmatione, & negatione? Respondetur. Definitionem dici principium non secundum omnes conditiones principij, sed iuxta hanc, quod sit immediata, uel indemonstrabilis. Vel, quod propositio in assignatione principij non est sic pressè sumenda, ut solum orationibus affirmatiuis, uel negatiuis competat; sed quod se extendat ad omnem orationem per se notam. Dicitur etiam à quibusdam definitionem, ut affirmationem includat, & sic principium, & propositio sumendam esse cum definito; sed contra, nam tunc pura definitio non esset positio. His itaque ad demonstrationem diuersimodè attinentibus declaratis, nunc ad probandum principia demonstrationis esse notiora, uel credibiliora conclusione, accedamus.*

Quoniam autem oportet credere, & scire rem per conclusionem significatam, eo quod habemus de ipsa syllogismum demonstratiuum; hic autem ideò est notus, & credibilis, eò quod propositiones, uel principia ex quibus conficitur sunt nota, & credita, necesse est non solum hæc principia, aut omnia, aut aliqua præcognoscere (vt dictum est.) sed magis quam conclusionem; nam semper id propter quod aliquid est tale, in se magis tale est, vt quia aliquid amamus propter amicum, magis ipsum amicum diligimus. Text. 15.

Quare si quidem scimus, & credimus conclusionem propter certitudinem primorum principiorum, & ipsa principia magis scimus, magis ve credimus, quoniam per illa cognoscuntur posteriora, nempe conclusio ipsa. Nam fieri non potest, vt aliquis ex ijs, quæ scit, magis credat ijs, quæ non est verè sciens, neque melius dispositus, quam si circa eadem esset verè sciens, & dispositus: hoc autem accidet, nisi aliquis credentium per demonstrationem, magis credet, & præcognoscet principia, quam cõclusionem, quia dispositio, & certitudo conclusionis est ex præmissis, unde si ipsi conclusioni magis crederet remota cognitione, vel dependentia à præmissis plus crederet ei de quo est minus dispositus, & minus sciens. Magis itaq; necesse est credere principijs, aut omnibus, aut quibusdam, quam conclusioni, & dicitur (aut quibusdam) propter præmissas particulares, quæ enim ab vniuersalibus dependeant sicut conclusio, fortè non sunt notiores conclusione. Text. 16.

Qui autem habiturus est scientiam per demonstrationem, non solum debet principia magis cognoscere, magisque ipsis credere, quam conclusioni, quæ monstratur (vt dictum est.) Sed neque aliud vllum principiorum, quæ sunt opposita his nostris, (& ex quibus oppositis fit syllogismus contrariæ deceptionis) debet esse ei notius, uel credibilius, siquidem oportet, vt sciens sit simpliciter imper- Text. 17.

impermutabilis à credulitate, quam per scientiam acquisiuit, quare si principia opposita principijs demonstratiuis ab eo extimarentur credibilia, iam ipsa demonstratiua non essent certissima, vel infallibilia, duorum namque oppositorum, si vnum est simpliciter verum, aliud est falsum, & si illud aliud potest esse verum, vel credibile, suum oppositum non erat aeternæ, vel immutabilis veritatis, & sic per ipsum non fieret scientia, sed opinio, vel error.

Scire autem, &c. Text. 7.

QVÆSTIO I.

An definitio ipsius scire sit bona.

ARguitur primò, quod non. Prima principia verè, & propriè sciuntur, vt habet Arist. hic in text. 16. inquit enim, quare si quidem scimus per prima, & illa scimus, &c. Sed ipsa prima non possunt sciri per causas, vt idem docet in text. 10. quod confirmatur, nam causa est prior effectu, nihil autem est prius primo, ergo non omne scire est per causam.

Secundò. Causæ (vt plurimum) sunt ignotæ, sed ex ignotis nihil cognoscitur, ergo scire non est per causam.

Tertiò. Contra illam particulam (& quoniam illius est causa.) Si namque hoc esset verum, sequeretur, quod in qualibet demonstratione deberet reduplicari causa; dicendo, v. g. omne animal rationale est risibile propter animam rationalem, &c. quod tamen videtur contra vsum, & etiam contra ipsummet Aristot. vt patebit in sequentibus.

Quartò. Contra illam (& non contingit hoc aliter se habere. Nam habemus scientiam de rebus corruptibilibus, & de his, quæ non sunt semper, sed raro, vt de eclypsi Lunæ, de terræ motu, &c.

Aliqua diximus de natura, & conditionibus scientiæ in principio Logicæ, sicut necessarium erat, sed quam plura de eisdem in principio Naturalis Phylosophiæ q. 1. determinauimus, quare hic aliqua dicenda, vel potius repetenda supersunt. Sciendum est ergo primò, quod dupliciter ab Aristot. in litera definitur scire, vno modo sic; Scire autem vnumquodque, &c. quæ quidem definitio est expressa, & reduci potest ad clariorem hoc modo; scientia est notitia certa, & euidens alicuius obiecti necessarij, & nata causari per discursum syllogisticum, & demonstratiuum, vnde quatuor sunt eius conditiones. Prima, quod sit cognitio certa, per quam distinguitur ab opinione. Secunda, quod sit euidens, videlicet per causas, & per hanc distinguitur à fide. Tertia, quod sit de obiecto necessario, per quam distinguitur à cognitionibus intuitiuis de rebus caducis. Quarta, quod fiat per discursum syllogisticum, seu quod causæ effectui applicentur. Secundo modo definitur scire, quod sit per demonstrationem intelligere, quæ non est alia definitio à præcedenti, sed eiusdem compendium. Et ad eandem breuitatis methodum solet sic quoque redigi. Scire est per causam cognoscere; intelligendo tamen virtualiter alias particulas. Secundò notandum, quod sicut quatuor sunt causæ sic per omnes scire contingit; non tamen per singulas æque perfectè, sed proportionaliter, imò interdum, nec vna sola sufficit, & potissimum materialis, quæ cum sit imperfectissima, erit vt plurimum parum apta, nisi forte ad eas proprietates, quæ materiei naturam sequuntur. Neque credēdum est, in qualibet scientia omnes has causas requiri; sed iuxta cuiusque determinatum modum procedendi. Vnde naturalis Philosophus omnes considerat. Metaphys. materiam dimittit; Mathematicus solam formam considerandam assumit, & Logicus pariter omnes contemplatur, sed potius vt eas applicet, quam principaliter. Tertiò notandum, quod hæc definitio est scientiæ propriè dictæ, videlicet, quod sit cognitio effectus per causam, seu conclusionis ex principijs procedentis; nam sunt aliæ quædam certissimæ cognitiones, nempe principiorum, rerum existentium, &c. quæ propriè non dicuntur scientiæ. Sed cognitio principiorum vocatur intellectus aliorum alio nomine, vt in prima prædicta quæstione primi Phys. Sed ad conclusionem accedamus.

Optimè definitur ipsum scire, cuius genus suppleri potest reducendi ipsam definitionem ad nomen, sic. Scientia est cognitio, &c. in qua ipsa cognitio est genus, reliqua differentiam supplent. Sed est difficultas. Nam Metaphysica est perfectissima scientia, nec tamen per causas demonstrat; si quidem Deus ens, & alia vniuersalissima causis carent. Respondetur, in Metaphysica accipi pro causis principia prima complexa, seu axiomata quædam, quæ sunt causæ cognoscendi, quod sufficit. Ad Argumenta. Concl.

Ad primum dicitur, quod principia dicuntur perfectè sciri, vel cognosci, prout sunt notissima, non prout ex causis cognoscantur. Vnde scientia, vel scire non eodem modo de cognitione ipsorum, & conclusionis dicitur.

Ad secundum dicitur, quod causæ ignotæ inuestigantur per effectus, & cognitæ ad vere sciendum postea applicantur.

Ad tertium dicitur, illam reduplicationem si fiat verbis esse nugatoriam, ideò dimittenda est; tamen per intellectum forte est admittenda.

Ad quartum respondetur, corruptibilia, & alia præcitata, licet existentiæ necessitatem non habeant; habent tamen necessitatem essentiæ, seu prædicatorum essentialium, quę nata sunt semper de eis verificari, vt semper homo est corruptibilis, rationalis, &c.

Demonstrationem verò dico, &c. Text. 8.

QVÆSTIO II.

An benè assignetur demonstrationis definitio.

ARguitur primò, quòd non. Demonstratio est ens rationis, sicut quilibet alter syllogismus, ergo non est causa scientiæ, quæ est ens reale, nempè qualitas primæ speciei.

Secundò. Multa non sunt vera, quæ tamen sciuntur, ergo demonstratio non est ex veris. Probatur antecedens; nam oppositorum eadem est disciplina, ergo, qui scit aliquid sub ratione veri, debet quoque scire, quomodo sibi opponatur falsum.

Tertiò. Datur demonstratio per effectum, & per impossibile, quarum neutra procedit per causas, ergo.

Quartò. Idem est primum immediatū, notius, prius, & causa, vt discurrenti patet; ergo magna est nugatio dicendo; demonstrationem esse ex primis immediatis, notioribus, prioribus, & causis conclusionis.

Pro intelligentia sit primò notandum, quod scientia principaliter causatur ab intellectu, & ab obiecto tanquam à duabus causis effectiuis totalibus in suo genere, & essentialiter subordinatis, licet in ordine ad ipsam totalem scientiam sint quasi causæ partiales, &

ferè eo quidem modo concurrunt, quo pater, & mater ad generationem prolis, ac intellectus est agens principalius, obiectum minus principale, & veluti particulare, quod tamen ab ipsa scientia repræsentatur, & ipsum illam distinguit. Attamē sicut causæ naturales non agunt, nisi sint dispositæ, & conuenienter approximatæ; sic neque scientia in intellectu causabitur, nisi ipsius obiecti causæ, (per quas perfecta elicitur notitia) ritè ordinentur; hæc autem ordinatio est discursus demonstratiuus, qui quidem pro connotato dicit causas ipsas dispositas, pro formali est ens rationis ipsarum causarum repræsentatiuum, & vt sic, est purum instrumentum, sed quidem ratione fundamenti necessarium; Intellectus ergo, & obiectum, vt causæ principales, demonstratio, vt instrumentalis, ad scientiam producendam concurrit.

Aliud notandum, quod demonstratio ipsa sic ex causis procedens potest comparari ad conclusionem, quam inducit ad scientiam, quam producit, & ad scibile, vel obiectum quod ordinatim repræsentat. Si ad conclusionem, est causa materialis; nam præmissæ ipsæ sunt materia syllogismi, ex 2. Physic. text. 31. Si comparetur ad scientiam est causa efficiens instrumentalis, nam est instrumentum intellectus. Si tandem ad rem scibilem, potest ad quamlibet causam pertinere, sicut ex vnaquaque demonstrare contingit, vt dicetur. Et sic secunda definitio, in qua dicitur, demonstratiuam scientiam ex veris prioribus, &c. procedere ad omnes modos prædictos, diuersa ratione (vt diximus) reuocari potest. At quoniam in se simpliciter sumpta est instrumentum, in ordine ad finem ad quem dirigitur definienda est, & sic eius habetur peculiaris assignatio, quod sit syllogismus scientialis, vel faciens scire; in qua definitione, syllogismus est pro genere, scientialis pro differentia, & hæc est vera eius breuis definitio, in alia namque clauditur scientia, vnde habetur: demonstratiua scientia est ex veris, &c. at scientia est eius effectus; verum quia vt in causa, nempè in ipsa demonstratione clauditur, & sibi, & demonstrationi particulæ illę aptantur. Sed tunc accipi debet demonstratio cum vltima eius particula principaliter, nempè cum conclusione; ipsa namque est, quæ ex primis prioribus, & causis procedit, non autem præmissæ, quæ potius sunt causæ primæ, &c. Vel dicatur, demonstrationem ipsam rationalem totam habere vim ex rebus repræsentatis, quæ vt sic sunt causæ, principia, &c. istius integræ demonstrationis, & præsertim conclusionis. Ex dictis elicitur conclusio, videlicet, benè assignatas fuisse ambas definitiones demonstrationis; si quidem, quæ ad ipsam essentialiter attinent per eas declarantur, quod melius patebit ex argumentorum solutione. Concl.

Ad primum dicitur, ens rationis posse esse instrumentalem causam entis realis.

Ad secundum dicitur, falsum pro formali esse verum & scibile; ad hunc sensum, quod sciamus quid sit, & quomodo sit falsum, & qua ratione verò opponatur, sed sicre falsum, vt falsum, sub ratione veri, hoc est penitus impossibile, & implicans.

Ad tertium dicitur, demonstrationem ab effectu esse demonstrationem secundum quid; nos verò loquimur de simplici. Demonstratio autem ad impossibile innititur principijs verissimis, vt suo loco patebit.

Ad quartum negatur, illas omnes particulas esse penitus, & eadem ratione idem. Nam quædam possunt esse vera, & non prima, vt notum est. Quædam autem sunt prima, nempè vniuersalissima, non tamen immediata, ita vt ex ipsis immediatè fluat effectus. Quædam autem sunt notiora non autem immediata, vt patet de remotis quibusdam; pariter, & si omnes causæ sint priores, vel hoc non est omnibus notum, vel non valet è contrà, quare singulæ particulæ proprium habent significatum, nullaque est superflua, vel inutilis, atque omnis aufertur nugatio, vt etiam in expositione textuum declaratum est.

Immediata verò, &c. Text. 13.

QVÆSTIO III.

Quæritur de propositione immediata, & aliæ quædam dubitationes circa hoc caput secundum.

TRes pro complemento huius secundi capitis restant examinandæ dubitationes. Prima quid, & quotuplex sit propositio immediata. Secunda. An magis principijs, quam conclusioni credendum sit. Tertia. An illa propositio, propter quod vnumquodq; tale, &c. sit vera. Quoad primam partem definitur ab Aristot. in text. 12. Propositio immediata sic; est, qua non est altera prior. Sensus est, eam propositionem esse immediatam, cuius prædicatum sic subiecto conuenire denotetur, vt non per aliam causam, vel medium sibi competat, sed ei primo, & per se inhæreat; quo pacto omnes propositiones, in quibus prædicatur definitio, vel pars definitionis immediatæ sunt, quia nil intimius, vel immediatius alicui competere potest, quam definitio, vel pars definitionis. Sunt pariter immediatæ, in quibus effectus adæquatus prædicatur de sua causa, vt rationale est risibile; compositum est dissolubile; genitum ex materia est corruptibile, constans ex partibus quantitatiuis est quantum, &c. Sed animaduertendum est, quod licet hæ propositiones sint immediatæ in comparatione ad propriam, & adæquatam causam, per alias tamen rationes, vel per notitiam sensitiuam, vel effectum, vel per experientiam ostendi, vel declarari possunt, quæ tamen cognitio, vel declaratio non est simpliciter demonstratiua, & si interdum fieret modo syllogistico, & per propositiones necessarias. Ex dictis sequitur, duplicem esse propositionem immediatam, videlicet per se notam, & non per se notam. Per se nota est, quæ absque extranea aliorum cognitione ex terminis cognitis, mediante lumine intellectus cognoscitur, vt patet de hac. Omne totum est maius sua parte; nam cognito quid significet totum, & pars, statim propositioni assentimus. At non per se nota est, quæ maiorem, quam sit terminorum apprehensio, requirit expositionem, vel declarationem, non tamen simpliciter demonstratiuam, aliter non esset immediata. Sed notandum est, quod esse per se notum non est proprium, & solius immediatæ propositionis; immò sunt quamplures notissimæ, & tamen non sunt immediatæ, sed demonstrabiles, vt illæ, motus est, plura entia sunt, quas esse per se notas docet Arist. in 2. Physic. tamen motus cum sit effectus rerum naturalium est demonstrabilis, licet hæc demonstratio esset frustra, vt dicit ibidem Philosophus. Pluralitas etiam rerum ab ipsomet Aristit. contra Parmenidem, & Melissum in primo Phys. ostenditur. Sunt, & aliæ propositiones, quæ dicuntur notæ sapientibus, & in diuersis facultatibus, & artibus, quæ tamen non debent simpliciter per se notæ vocari, sed solum respectiuè. Vnum tandem est aduertendum, quod propositiones immediatæ non per se notæ, dum in scientijs sine aliqua probatione recipiuntur, dicuntur suppositiones. Si verò earum petatur ab addiscenti expositio, dicuntur tunc petitiones.

Secunda dubitatio ex eo difficultatem habet, quòd si magis sit credendum principijs, quam conclusioni, videtur,

videtur, quod in conclusione ipsa contineatur aliqua falsitas, quod tamen est repugnans naturæ demonstrationis. Respondetur tamen, quod sicut in multis rebus naturalibus reperitur magis, & minus non per admistionem contrarij, sed per diuersos gradus, vt vnus calor est intensior altero propter plures gradus caloris, non quod in alio sit frigus. Sic se habent principia in comparatione ad conclusionem: sunt namque illa credibilia magis, eo quod prædicata immediatè subiectis proprijs conuenire cognoscimus, vnde statim assentimus. Sed conclusio hoc habet ab eis, vnde est minor assensus. Quare qui diceret hanc diuersam horum nostram credulitatem, vel assensum, non ex parte rerum, sed ex nostri intellectus imbecillitate prouenire, quatenus non benè hanc sicut illa cognoscit, non male diceret.

Quo ad tertiam partem, propositio illa propter quod vnumquodque tale, & illud magis, ponitur vera non simpliciter, sed tribus conditionibus obseruatis. Prima quod prædicatum circa quod fit comparatio conuenire possit vtrique extremo quod comparatur; defectu cuius non sequitur, homo est mortuus propter venenum, ergo venenum est magis mortuum, vel est ebrius propter vinum, ergo vinum est magis ebrium. Secunda conditio, quod causa, & effectus suscipiant magis, & minus; ob cuius defectum non valet; Petrus est homo propter patrem suum, ergo pater suus est magis homo. Tertia, quod causa sit totalis, ex cuius defectu non valet, homo est corruptibilis propter materiam, ergo materia est magis corruptibilis; hæc est communis ferè omnium huius propositionis limitatio; quæ tamen si subtiliter perpendatur, adhuc claudicat. Si autem diceremus, eam esse veram in quibusdam actionibus intellectus, & voluntatis, & potissimum in istis, credo, intelligo, diligo, odio habeo, &c. fortè absque instantia esset verissima, & etiam ad mentem Aristotelis. Vt credo homini propter Deum, ergo magis Deo: vel conclusioni propter principia, ergo magis principijs; similiter diligo magistrum propter discipulum, ergo magis discipulum diligo; odio habeo seruum propter dominum, ergo multo magis dominum. Et ratio vniuersalis est, quia ea quæ ex alijs secundariò creduntur, intelliguntur, amantur, vel odio habentur, habent hoc ex participatione suæ causæ, quare in ipsa erit principaliter hæc ratio, radix, vel conditio, quod specialiter est verum in comparatione ad causam efficientem, & finalem.

C A P V T III.

Adducuntur, & confutantur duo errores circa scientiam demonstratiuam.

Text. 18. *ALiquibus igitur videtur, quod scientia non detur, quatenus oportet scire prima principia ex quibus ipsa scientia prouenit. Alijs autem videtur quidem, quod sit scientia, sed dicunt, omnium esse demonstrationem, tàm videlicet principiorum, quam conclusionis; quarum positionum ratio neutra neque vera est, neq; necessaria. Qui igitur dicunt, nullatenus esse scientiam, sic suam positionem probant. Non possumus scire posteriora per priora, seu conclusionem per principia, nisi etiam principia ipsa sciamus; quamobrem illa per alia principia scienda sunt, & illa similiter per alia vsque in infinitum, at ipsum infinitum non potest pertransiri, seu per intellectum percipi, (& circa hoc benè dicunt) ergo nihil scire contingit.*

Si verò dicatur, quod non oportet in infinitum procedere, sed debemus stare in principijs. Contra (inferunt) nam hæc principia essent incognita, cum demonstratio de ipsis principijs non tradatur; nec alio modo scire contingit quam per demonstrationem. Quare si prima scire non possumus, neq; quæ ex ipsis sunt poterimus simpliciter scire; sed solum ex suppositione, videlicet si illa sunt, seu supponendo, vel credendo tantum ea esse vera, vel scita, & si in veritate non sint. Text. 19.

Alij autem confitentur, quod detur scientia, & quod sit solum per demonstrationem acquisibilis, sed addunt, nihil prohibere, quod omnium sit demonstratio, & quod fieri possit circularis, interea quæ ad se inuicem habent ordinem, ita nimirum, quod sicut conclusio per principia monstratur, sic è conuerso possint monstrari principia per conclusionem. Text. 20.

Nos vero dicimus (contra primam opinionem) non omnem scientiam per demonstrationem acquiri, sed eam, quæ est principiorum immediatorum per demonstrationem non esse; cum ipsa principia sint indemonstrabilia. Quod autem hoc, quod dicimus necessarium sit, patet; nam si contingit scire hæc, ex quibus est demonstratio, & aliquando sunt immediata, per demonstrationem non poterunt sciri. Hæc igitur principia ita dicimus cognosci, (nempè sine demonstratione) & non solum de ipsis esse scientiam, sed etiam quod ipsa sint scientiæ principium quoddam; mediante quo terminos, (seu vltimos scientiæ effectus, nempè conclusionem) cognoscimus. Text. 21.

Quod autem impossibile sit demonstrare circulariter, (ita vt sicut conclusio per præmissas, ita præmissæ per conclusionem ostendantur, vt dicebat secunda opinio) manifestum est; nam demonstratio esse debet ex prioribus, & notioribus natura; at impossibile est, quod eadem sint priora, & posteriora respectu eiusdem. Quare cum causa, vel præmissæ sint priores, & notiores conclusione, si ipsa conclusio loco præmissarum, vel vnius præmissæ poneretur, & altera præmissarum pro conclusione, conclusio quæ est posterior præmissis esset prior illis, & præmissæ essent posteriores, cum tamen sint prima, vnde idem esset prius, & posterius respectu eiusdem, quod quidem cum sit impossibile, auferenda est hæc circularis demonstratio. Text. 22.

Nisi diceretur, quod dupliciter aliqua dicuntur priora, & notiora, scilicet, vel quo ad nos, & simpliciter, seu quo ad naturam; (vt suprà per inductionem notificauimus,) & sic non esse inconueniens (inferatur) aliqua esse priora, & notiora, & pariter posteriora, & ignotiora alijs diuersa ratione, vt præmissæ sunt priores, & notiores natura; Text. 23.

con-

conclusio nobis; & hac duplici prioritate demonstratio circularis saluetur. At contra, nam si sic benè diceretur, ipsum scire simpliciter, (seu per se) non esset benè desinitum; videlicet, quod sit per causas (quæ sunt notiores natura, sed esset duplex scire, scilicet ex causa, vel principijs, & ex effectu, vel conclusione; quod cum sit absurdum, dicendum est, quod altera demonstratio, videlicet, quæ fit ex notioribus nobis, non est simpliciter, & vera demonstratio; quare licet per ipsam regressio fiat ad principia, non propterea verè ipsa sic demonstrantur.

Text. 24. *Hi autem qui ponunt, demonstrationem circularem, non solum in errorem, quem nunc diximus, incidunt, sed conantur fateri per talem demonstrationem nihil aliud concludi, quam quod hoc est, si hoc est, seu quod est causa, si sit causa; sic autem omnia facilè esset monstrare; nam de quacunque re dicere possumus ipsam esse, si est. Quod autem hoc dicere cogantur, manifestum est, si ponamus tres terminos, quorum primus intelligatur, vt causa secundi, & secundus tertij, (nam facere hanc reflexionem, vel circularem demonstrationem per multos, aut per paucos terminos, aut etiam per duos tantum, nihil refert, & præcipuè ad exemplificandum) figuentur itaque termini isti per has tres literas A. B. C. Quando igitur A existit, necessariò existet etiam ipsum B; & ipso existente, etiam C. erit, nam effectus necessarius necessariò ex causa sequitur. Ipso ergo A existente, existet B. & C. ergo si valet è contrà; existente B. vel C; A etiam existet (hac namque est circularis demonstratio,) & sic sicut A. erat causa ipsius B. & C. ita hæc erunt causa ipsius A.*

Text. 25. *Ponatur autem (pro clariori intelligentia) A. vbi ponitur C. tunc si dicamus, quod ex eo, quod existente B. existit etiam A. idem est, ac si diceremus, quod existente B. existat C. nam sicut B. ponitur causa ipsius C. & ex ipso B. sequitur C. sic etiam, si A sequatur ex eodem B. erit effectus eius, sicut est ipsum C. Quare demonstrationem circularem ponentes; dicere coguntur, nihil aliud per ipsam concludi, nisi quod cum A est, est A. vel quod posita causa, ponatur causa, aut quod idem sit causa sui ipsius, vel causa, & effectus simul respectu eiusdem; nam si quemadmodum A est causa ipsius B. vel C. sic B. & c. essent causa ipsius A. tunc A. esset causa sui ipsius; nam quicquid est causa causæ, est causa causati; & sic dicendo A est causa B. & B. est causa ipsius A. erit dicere A. est causa A. Sic autem facilè esset omnia monstrare, vel potius sub nomine demonstrationis omnia confundere.*

Text. 26. *Verum neque hæc circularis demonstratio est possibilis præterquam in his terminis, qui se inuicem consequuntur, vel conuertuntur, quemadmodum propria, differentiæ, & diffinitiones, (hi namque omnes sunt termini inter se conuertibiles) In quibus tamen obseruandum est, quod si vnus tantum terminus, vel etiam vna sola propositio ex duobus terminis constituta ponatur, nunquam necesse est, quod alter ex altero in forma syllogistica sequatur, vt in 2. Priorum monstratum est, nam syllogizatio quæcunq; ex duabus primis propositionibus ad minimum, & ex tribus terminis efficitur. Si ergo A. sequatur ex B. & etiam ex ipso C. & è contra, ita vt omnes isti tres termini sint inter se conuertibiles, sicut homo, rationale, & risibile; solum hac petita, vel sic accepta demonstrari possent in primo modo primæ figuræ, vt declarauimus in tractatu de syllogismo; ibi autem monstrauimus, quod in alijs figuris, aut non fit talis syllogismus conuertibilis, aut si fiat, non fit ex his, quæ in ipsis figuris accipiuntur, sed solum per reductionem ad primum modum primæ figuræ. Ratio autem est, quia secunda figura concludit semper negatiuè. Tertia verò particulariter, sed negatiua propositio non potest conuerti cum affirmatiua, nec particularis cum vniuersali, & tamē termini illi affirmatiuè, & vniuersaliter sumendi sunt; vt omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis, sic etenim habent veritatem reciprocam, & demonstratiuam.*

Quæ autem non prædicantur conuertibiliter, nullo modo demonstrari possunt circulariter; quare quoniam pauca sunt talia in demonstrationibus, manifestum est, quod vanum, & impossibile est dicere, demonstrationem esse ex ijs, quæ ad inuicem conuertuntur, & quod hac de causa omnium rerum sit possibilis demonstratio. Text. 27.

Circuloque quod impossibile sit demonstrare simpliciter, &c.
Tex. 22.

QVÆSTIO VNICA

An sit bona demonstratio circularis.

ARguitur primò quod sic. Nam ipsemet Philosophus in primo phys. ex notioribus nobis ad notiora naturæ procedere docet, atque in eodem de causis ad effectus dicit similiter esse procedendum, quare ex hac doctrina habetur, quod sicut effectum per causam demonstramus, ita causam per effectus ostendere possimus, hoc autem est circulariter demonstrare, ergo.

Secundò. Per effectum necessarium causam necessariam infallibiliter, & syllogisticè ostendere possumus. At hic syllogismus non est dialecticus, neque sophisticus, ergo demonstratiuus, ergo sicut per causam effectum hunc demonstrauimus, sic è contra, & habetur demonstratio circularis.

Tertiò. Asserit Arist. in tex. 27. ideo non esse ponendam demonstrationem circularem, quia si daretur, non esset

esset nisi in terminos conuertibiles; qui cum pauci sint, non est propter ipsos vnum genus demonstrationis statuendum, at in sequenti cap. tex. 36. veram demonstrationem ex terminis tantum conuertibilibus conficiendam esse statuit, ergo & sibi contradicit, & ratio eius est nulla, & per consequens necessariò datur demonstratiuus circulus.

Pro resolutione sciendum est, quod demonstratio circularis potest contingere tripliciter; vno modo, quod sicut per causam demonstramus effectum à priori, & propter quid, ita eodem modo, & vniformiter per effectum causam ostendamus, ita quod sicut causa est verè causa, & prior effectu, ita effectus sit prior, & causa eiusdem causæ, & hoc modo est penitus impossibile, nam idem esset prius & posterius, causam & causatum respectu eiusdem; immo idem esset causa sui ipsius, vt optimè probat Arist. in litera; hanc ergo demonstrationem de medio (contra Antiquos ipsam ponentes) tollendam esse docet. Secundò modo, quod per effectum causam inuestigemus, & ostendamus; deindè per eandem causam eundem pariter demonstremus effectum, non tamen vniformiter, sed difformiter, seu non eodem genere cognitionis, sed per effectum existentiam causæ cognoscimus, & per causam ipsam distinctam eiusdem effectus causalem originem percipimus; vnde cognitio ab effectu dicitur imperfecta, inuestigatiua, coniecturalis, & à posteriori; Sed à causa, dicitur perfecta, resolutiua, demonstratiua, & à priori. Quod autem sic detur, hæc circularis demonstratio efficacissimè, & insolubiliter probant duo argumenta in principio quæstionis. Et ab eodem Philosopho non tantum ferè per vniuersam Philosophiam adhibetur, sed specialis de eadem conficitur tractatus in hoc primo Post. Verùm demonstratio, quæ per causas procedit dicitur demonstratio simpliciter, & vera, vel propter quid: alia ab effectu dicitur secundum quid, vel demonstratio quia. Aliqui autem eam, quæ fit hoc modo vocant Regressum, ac ponendum esse fatentur; aliam autem (quæ ab Arist. refellitur, vt declarauimus) circularem vocant, atque etiam simul cum Arist. & alijs negant, sed quoad hoc circa nomina laborant. Est tamen quędam dubitatio. Si ex effectu cognito causa cognoscitur, effectus ipse videtur nobilior causa, nam habet rationem principij cognoscibilitatis. Præterea videtur superflua, & frustratoria cognitio eiusdem per causam, siquidem sine ipsa iam habita fuit. Respondetur; cognitionem quam habemus de causa per effectum esse imperfectam, & manuductiuam, vel dispositiuam tantum, ideo propter hoc, non sequi effectum esse sua causa perfectiorem; eam autem quam per causam habemus esse perfectiorem, vnde neque eodem modo antea, & post effectus ipse cognoscitur; & sic neque secunda cognitio est frustra. Tertiò tandem modo contingit demonstratio circularis, quando vna causa monstratur per aliam in diuerso tamen genere causarum, ita videlicet, quod per causam efficientem verbi gratia demonstremus finalem, & per finalem efficientem; & hæc necessariò datur, & ponitur expresè in 2. Post. & in secundo Phys. In Physicis namque vnam causam esse alterius causam in diuerso genere docet, vt deambulatio in genere causæ efficientis est causa sanitatis; & sanitas in genere causæ finalis est causa deambulationis; at causæ assumuntur ad demonstrandum, ergo. Præterea, idem in hoc libro, demonstrationem facere scire (quod est finis eius) ostendit per hoc, quod procedat ex veris, immediatis &c. (quæ sunt eius materia) & ex eo quod facit scire, demōstrat, quod ex prędictis procedat; & sic per causā materialem demonstrationis finalem ostendit, & per finalem materialem. Si autem omnes istæ sint æqualiter demonstrationes potissimæ, vel non, in sequentibus dicetur. Patet igitur quid sit dicendum ad quæstionem. Ad Argumenta.

Ad primum, & secundum patet.

Ad tertium dicitur, illam rationem Aristot. quo ad hoc, non esse simpliciter ad tollendam demonstrationem circularem (quam alijs rationibus reiecerat;) sed esse specialiter contra id quod Prisci asserebant, de omnibus esse demonstrationem circularem. Respondet ergo Philosophus, hoc non esse verum, quia non omnes termini sunt conuertibiles, sed pauci; quare remouendæ essent demonstrationes, quæ particulariter, & quæ negatiuè concludunt, quæ licet non sint ita principales, vt illæ, quę ex conuertibilibus fiunt; non tamen sunt reijciendæ.

C A P V T IV.

Demonstrationis propositiones sunt necessariæ, de omni, de per se, & de Vniuersali.

QVoniam autem id de quo est simpliciter, seu Text.28. *per se scientia non potest aliter se habere, sed est impermutabile, hoc ergo quod per demonstratiuam scientiam est scibile, necessarium simpliciter vtique erit. Scientia autem demonstratiua est, quæ per demonstrationem acquiritur, ergo etiam ipsa demonstratio ex necessarijs propositionibus fiet. Nunc specialiter videndum est, ex quibus, & qualibus propositionibus demonstrationes constent.*

Primum autem determinemus quid dicitur de Text.29. *omni, quid per se, & quid vniuersale, ex istis nāque demonstrationes conficiuntur. De omni quidem igitur dico, quod sit vtique propositio, cuius prædicatum non conueniat alicui tantum eorum, quæ sub subiecto continentur; & alicui non, neque aliquando sic, aliquando non, sed omnibus, & semper; vt quia animal prædicatur de homine, de quocunque verum est dicere, quod sit homo, erit etiam animal, & si nunc, vel alio tempore alterum dicemus esse hominem, erit quoque animal; & pariter quod in omni linea, & semper sit punctum. Signum autem, quod hoc sit verè de omni, est; quoniam interrogati ab aliquo, vt concedamus aliquam propositionem tanquam sit de omni: ei ferimus instantiam, aut si in aliquo contento sub subiecto ipsum prædicatum non reperitur, aut si, non semper, quare ex hoc communi modo, vel vsu procedendi, patet, quod de omni, semper, & omnibus conuenit.*

Per se autem dicitur quadrupliciter, seu qua- Text.30. *tuor sunt modi per se. Primo modo dicuntur per se prædicata quæcunque ponuntur in definitione quidditatiua, vt linea respectu trianguli, & punctum respectu lineæ: nam substantia, seu essentia lineæ ex punctis, essentia vero trianguli ex lineis est; & hæc nempè puncta, & lineæ in definitione quidditatiua illorum insunt, puncta videlicet in definitione lineæ, & lineæ in definitione trianguli.* Text.31.

Secundus autem modus per se est proprietatum in-

inexistentium ipsis quibuscunque proprijs subiectis;ita quod ipsa subiecta sint in definitione quidditatiua ipsarum; quemadmodum rectum, & circulare inest lineæ; impar, & par, & pariter primum, & compositum numero (est autem numerus primus, qui ex alijs numeris non componitur, sed ex vnitatibus tantum, vt binarius: alij omnes sunt compositi), item habere latera æqualia, vel inæqualia inest triangulo. Subiecta namque harum proprietatum insunt in definitione ipsarum; vt linea in definitione recti, & circularis; numerus in definitione paris, & imparis, primi,& compositi; ac triangulus in definitione æquilateris, & altera parte longioris, & sic de alijs; quæcunque igitur proprietates de proprijs subiectis dicuntur, per se in secundo modo sunt.

Text.32. Prædicata verò, quæ non sunt secundum aliquem duorum prædictorum modorum sunt accidentalia, veluti musicum, & album de animali.

Text.33. Tertius modus per se est eorum, quæ non dicuntur de aliquo alio subiecto ab ipsorum natura diuerso, (eo videlicet modo, quo dicuntur accidentia de substantia) vt ambulans, vel album verbi gratia non sunt in hoc modo, quia ambulatio, & albedo dicuntur de quodam alio subiecto existente; substantia vero, vel vniuersalis, vel quæcunque alia singularis non existunt per aliquid aliud ab ipsis diuersum, & per consequens neque de alio subiecto dicuntur, sed per se existunt; quæcunque igitur non de subiecto modo prædicto dicuntur, sed per se existunt; ad hunc modum per se pertinere dico; quæ autem de subiecto dicuntur sunt accidentia, & non per se; vnde subiectum capitur hic pro vero subiecto accidentium, quod est ens completum; non autem pro inferiori, vt alibi capiebatur.

Text.34. Quartus autem modus est, quando quidem effectus sic de causa verificatur, vt propter ipsam causam, & per se non autem per accidens insit. Quod autem non per causam sic inest, dicatur per accidens; vt si aliquo ambulante, fulgurauit, hæc fulguratio est per accidens; quia fulguratio ipsa non euenit propter ambulationem, sed a casu dicimus hanc fuisse. Si autem propter causam aliquid eueniat, tunc est hic modus per se; vt si quid iugulatum interijt, & secundum iugulationem, tunc ipsum interijsse per se dicitur, quia verè à iugulatione, tanquam à per se causa prouenit, & eidem causæ tribuitur: neque est per accidens iugulatum interire.

Text.35. Modi igitur per se sunt quatuor (vt dictum est): at qui conueniunt simpliciter, & verè scibilibus sunt tantum duo; qui videlicet sic se habent, vel sic per se sunt, vt subiecta insint in prædicatis, & in ipsorum definitionibus (& est secundus modus) aut illa prædicata insint subiectis, vt definitiones, & talia subiecta per ipsa sint, vel constituantur (& est primus modus.) Et ex necessitate in vtroque modo prædicatum subiecto, vel subiectum prædicato conueniat, ita vt non contingat non conuenire, & præsertim in secundo modo, vbi passio de subiecto dicitur (de primo namque non est difficultas, sed est notum, quod necessariò definitio conueniat definito.) Hæc itaque passio aut simpliciter, aut modo opposito, vel disiunctiuo ex necessitate proprio subiecto conuenit, vt in passionibus disiunctis, rectum, vel curuum necessariò inest lineæ, par, vel impar numero. Probatur, nam contraria immediata priuatiua, & contradictoria nata sunt esse in eodem genere, vel susceptiuo, ita quod vnum, vel aliud ipsorum oppositorum necessariò insit. At par, vel impar in numeris contradictionem includunt, vt par est, quod non impar (& dico esse contradictoria non simpliciter, sed in quantum ex positione, vel affirmatione vnius sequitur negatio alterius, & è contra quod sufficit.) Quare si de contradictorijs necesse est vnum asserere, vel ponere, & aliud necessariò negare, vel remouere; necesse est vnum, vel aliud ipsorum per se inesse, & sic numerus necessariò est par, vel impar, &c. De passionibus simplicibus nihil aliud dicimus, quia maiorem habent claritatem, quod necessariò insint, vt risibilitas homini, hinnibilitas equo, &c. Quod igitur de omni, & per se determinatum sit in hunc modum. Nunc de vniuersale dicamus.

Vniuersale autem id esse dico, quod vtique de omni sit, & per se, & secundum quod ipsum, seu adæquatum, vel primum, aut conuertibile cum eo cuius est vniuersale, vel prædicatum. Cum igitur sic se habeat vniuersale (vt dictum est) manifestum est, quod quæcunque sic sunt vniuersalia, ex necessitate insunt rebus, quarum vniuersalia sunt. At ad clariorem intelligentiam sciendum est, quod secundum quod ipsum, seu prædicatum vniuersale conuertibile est idem cum prædicato per se, (licet non è contra, vt homo est idem cum animali) vt quoniam linea, secundum quod linea est inest punctum, & rectum, per se quoque hæc sibi inerunt. Et pariter, quia triangulo secundum quod triangulum est, duo insunt anguli recti (secundum externam commensurationem) & per se ei inerunt; nam triangulum per se est æquale duobus rectis. Text.36.

Vniuersale igitur (exactius explicando) est tunc quando in qualibet inferiori reperiatur, & de superiori, vel communi primò, seu adæquatè, aut conuertibiliter dicatur, vt habere tres angulos æquales duobus rectis, quamuis de figura monstrari possit, non est ipsius figuræ vniuersale, quia de qualibet monstrari non potest, nec in qualibet figura hoc reperitur; vt quadrangulum figura est, Text.37.

est, non autem habet angulos duobus rectis æquales. Quodcunque verò æquicrus habet tres angulos sic æquales duobus rectis (est autem æquicrus triangulum, cuius duo latera sunt æqualia) sed non primò aut adæquatè, sed triangulum habet sic primò. Id igitur de quo primò, & adæquatè monstratur, quod duos rectos angulos habeat, hoc est verè subiectum, cui primò, vel adæquatè inest vniuersale; & demonstratio propria, & per se secundum rationem vniuersalis est de hoc; de alijs vero est, sed aliquo modo non per se, seu non sic vniuersaliter, & conuertibiliter; vt si de æquicrure demonstremus habere tres angulos æquales duobus rectis, non erit demonstratio de ipso secundum vniuersale, vel prædicatum conuertibile, sed ipsum prædicatum (puta habere tres angulos æquales) est in plus, nam excedit ipsum æquicrus, & se extendit ad omnes triangulos. Quare vniuersaliter loquendo de quocunq; vniuersale, id tale esse dicimus, quod cum aliquo communi adæquatè, vt prædicatum conuertitur, ita vt non excedat, nec ab ipso excedatur.

QVÆSTIO VNICA.

Dubitationes aliquæ præcipuè circa caput quartum.

PRima circa text. 28. An demonstratio ex necessarijs procedat.

Secunda circa text. 29. An propositio de omni differat à propositione vniuersali, & quomodo.

Tertia circa text. 30. Quæ pertineant ad primum modum per se.

Quarta circa eundem. Quomodo natura, vel essentia lineæ ex punctis constet.

Quinta circa tex. 31. An passiones possint quidditatiua definitione definiri.

Sexta circa eundem. An proprietates ipsæ, & accidentia quædam per subiectum definiantur, & quomodo.

Septima circa eundem. An proposit io in qua passio prædicatur de definitione subiecti sit in secundo modo per se, vel in alio.

Octaua. Quomodo hi quatuor modi ad demonstrationem attineant.

Nona. An propositio per se conuertatur in propositionem per se.

Decima. An propositiones negatiuæ possint esse per se.

Vndecima. circa text. 36. Quomodo Vniuersale hic assignatum differat ab alijs vniuersalibus.

Duodecima. Qui sint modi per accidens.

Tertia decima. An propositio demonstrabilis sit necessaria, & immediata.

Quartadecima. Quomodo propositiones de omni, de per se, & de Vniuersali differant.

Ad primam dubitationem respondetur demonstrationem ex necessarijs propositionibus procedere, ita vt causæ ipsæ sint necessariæ fundamentaliter, & realiter; propositiones autem secundariò, & quasi signa; nam sicut orationes omnes super res ipsas fundantur, & ab eisdem veræ dicuntur; sic etiam accipiunt necessitatem. Quod autem ipsa demonstratio ex causis, & propositionibus necessarijs procedat; probatur, nam si hæc necessaria non essent, cognitio, quæ ex ipsis elicitur esset variabilis, & sic non scientia, sed opinio esset. Amplius ex definitione ipsius scire hoc quod dictum est colligitur: habetur namque, scire sic esse per causas, vt non contingat eas posse aliter se habere, sed scire est effectus demonstrationis, ergo hæc necessitas in ipsa demonstratione clauditur. Sed notandum est, quod non in omnibus demonstrationibus est æqualis necessitas attendenda, sed quædam sunt simpliciter necessaria, ita vt per nullam potentiam possint variari, vt quod homo sit rationalis, homo sit viuens, &c. Alia sunt necessaria in ordine ad naturalem potentiam, vt quod cœli moueantur, ignis sit leuis, terra grauis &c. Quædam habent necessitatem secundum quid, vt quod tempore hyemis sit frigus, estatis calor, &c. Alia tandem ex suppositione, vt eclipsis Lunæ si terra inter ipsam, & Solem interponatur. Iuxta quas necessitates quatuor quoque conficiuntur genera demonstrationum; quorum primum est perfectissimum, alia vero magis in vsu, ex quibus vt plurimum naturales, & morales Philosophi procedunt. Ad secundum gradum necessitatis reduci possunt quædam propositiones in quibus accidens de subiecto dicitur, sed immutabiliter, aut secundum æternam veritatem; vt omne corpus est quantum, coloratum, alicubi, &c.

Pro solutione secundæ dubitationis sciendũ est, quod duplex est de omni, nempè prioristicum, & posterioristicum. Prioristicum dicitur, quod vniuersaliter de aliquo affirmantur, siue verè, siue falsò, siue necessario, siue contingenter, & sic vocatur quatenus pertinet ad libros Priorum, seu ad conficiendos syllogismos, de quibus in libris Priorum determinatur; quare sicut syllogismi ex omnibus propositionibus, tàm inquam veris, quam falsis confici possunt; sic de omni proportionaliter se habet. At dici de omni posterioristico est, quod determinatur ad materiam, vel propositiones necessarias, vt omnis homo est animal &c. Quidam autem sic distinguunt, quod si sit propositio vniuersalis affirmatiua contingens fit prioristicum, vt omnis homo est quantus, vel coloratus; si sit necessaria fit posterioristicum; si problematica, vt diuitiæ sunt parandæ &c. fit dialecticum; si autem falsa cum apparentia veritatis fit de omni sophisticum; vt omne quod fit inuitè, fit coactè, &c. Ad omnia hæc pertinent dici de nullo; quando videlicet propositiones ex eadem materia erunt negatiuæ, vt sicut hæc est de omni prioristico, omnis homo est albus; sic ista, nullus homo est albus; & sic de alijs. Verum in propositionibus de omni posterioristico non debemus assumere falsas, sed negatiuas necessarias, vt nullus homo est lapis, &c. propositio autem vniuersalis differt à propositione simpliciter de omni, pro vt ipsa vniuersalis est affirmatiua, & negatiua, sed de omni est affirmatiua tantum. Verũ si ad eam, quæ est de omni, reducatur de nullo, nulla erit differentia. Sed benè est cõsuetum, quod de omni non accipiatur pro integra propositione, sed pro prædicato eius, quod omnibus conuenit cõtentis sub subiecto &c. & secundum primam acceptionem diuidetur propositio in prioristicam, posterioristicam, dialecticam, & sophisticam, sicut ipsum de omni, & in secunda consideratione de omni est, veluti pars, vel terminus eius.

Ad tertiam dubitationem respondetur, quatuor esse gradus propositionis per se in primo modo. Primus, quando tota definitio quidditatiua de suo definito prædicatur; vt homo est animal rationale. Secundus, dum pars definitionis de eodem definito dicitur, vt homo est rationalis, homo est animal. Tertius, dum quodcunque superius de suo inferiori prædicatur, vt homo est viuens, homo est substantia, homo est ens &c. Quartus dum idem prædicatur de se ipso, vt homo est homo, Socrates est Socrates, &c. quæ propositio licet non sit scientialis, est tamen verissima, & maximè necessaria.

Ad quartam dicitur, quod puncta non pertinent ad lineam veluti partes, sed sicut termini; qui tamen sic ad continuum attinent, vt sine eis nec esse, nec intelligi possit, & sic etiam ad definitionem, & quidditatem attinēt; omnia enim, quæ essentialiter, & intrinsecè ad rei constitutionem pertinent, licet non sint propriè partes, de essentia, & definitione eiusdem rei sunt. At lineæ in triangulo sunt verè partes, & sic non est vtrorumque adæquata, & totalis in omnibus conditionibus similitudo.

Ad quintam dicitur, quod si definitio quidditatiua presse sumatur, pro vt videlicet ex genere, & differentia, vel ex partibus essentialibus constet, proculdubio passiones definiri quidditatiuè non possunt; nam neque sunt species, neque constituta ex partibus. At interdum vocatur quidditatiua definitio quæcunque non est pura ethimologia, nec accidentalis descriptio, sed quæ datur per ea, quæ sunt rei definiendæ magis intima, immediata, & ad ipsam per se pertinentia, & hæc comparatiuè dici potest quidditatiua definitio.

Ad sextam respondetur, proprietates (vt dictum est) per proprium subiectum definiendas esse; vt risibilitatem per hominem, hinnibilitatem per equum &c. quia cum ab ipso dependeant, nec in se veram rationem definibilitatis claudant; non poterunt alio modo exactius explicari. Accidentium autem, quædam sunt inseparabilia, & ex rei natura determinatum subiectum sibi vendicant; vt simitas respectu nasi; crispitudo capillorum, lippitudo oculorum, claudatio pedum, &c. & hæc per proprium subiectum, eadem ratione, qua proprietates, definienda sunt.

Alia sunt accidentia communia, & separabilia, vt albedo, nigredo, &c. & hæc solum vniuersalissimè (definiendo, videlicet ipsum accidens, quod adest, & abest) per subiectum definiuntur, quoniam etiam ab ipso dependent, sicut alia prædicta. At si definiantur accidentia particularia, vt sonus, sapor, color, &c. in eorum definitionibus particulare subiectum non necessariò ponitur, & ratio est, quia cum sint communia, huic, & alteri subiecto competere possunt, & sic si vnum, vel alterum poneretur, posset esse falsitas; neque ipsum commune subiectum explicitè ponitur, sed debet subintelligi, vt si dicatur. Qualitas est secundum quam quales esse dicimur; intelligendum est esse in subiecto, a quo possit adesse, & abesse, &c.

Ad septimam dubitationem aliqui dicunt; huiusmodi propositiones in quibus passio de definitione subiecti dicitur (vt animal rationale est risibile) esse in quarto modo per se. Cuius hanc rationem assignant; quia quartus modus est in quo effectus prædicatur de sua causa, vt interemptus iugulatione interijt. At sic accidit in proposito, quia propria passio est effectus definitionis, ergo. At salua istorum pace, oppositum statuendum esse censeo, videlicet, quod tales propositiones sint in secundo modo. Probatur, nam quæcunque conueniunt definito conueniunt etiam definitioni, & eodem modo, nisi sint prædicata ponentia differentiam inter vtrumque, quod non accidit in proposito, ergo eodem modo passio de subiecto, & de ipsius definitione prædicabitur, nec aliud est secundum rectam rationem statuendum, quare ad eundem modum attinent, Præterea. Aristoteles primò phys. text. 29. in definitione passionum definitionem subiecti ponendum esse statuit, hic autem dicit subiectum ponendum esse, quod non est aliud dicere quam eundem esse modum prædicandi passionem de subiecto, & de ipsius definitione; dempta quadam differentia maioris, & minoris claritatis. At contra, quoniam sic esset maxima nugatio in demonstratione, vel eadem esset maior propositio, & conclusio, vel istæ duæ, omne animal rationale est risibile (quæ assumitur pro maiori, & omnis homo est risibilis, quæ accipitur pro conclusione) non differrent. Respondetur negando consequentiam, nam in secundo modo per se diuersi sunt gradus, iuxta quorum diuersitatem, diuersæ, & non eædem formantur propositiones. Gradus autem sunt quatuor. Primus, dum passio prædicatur de suo adæquato, & conuertibili subiecto, vt risibilitas de homine. Secundus, de eius definitione, vt risibilitas de animali rationali. Tertius, dum passio superioris prædicatur de inferiori, vt sensibilitas de homine, risibilitas de Petro. Quartus, dum passio inferioris prædicatur de superiori, vt risibilitas de animali. Amplius ad principale Aristoteles in hoc libro tex. 35. solum duos primos modos per se esse verè scibiles, & demonstratiuos docet; at si passio prædicatur de definitione subiecti, est vera propositio ad demonstrationem attinens, vt notissimum est, ergo vel erit in primo, vel in secundo modo; non in primo, vt patet, ergo; & hæc ratio est quidem efficacissima. Ad argumentum dicitur, quartum modum esse dum effectus de causa efficienti physica secundum vtriusque existentiam prædicatur, non autem secundum necessariam, æternam, & conuertibilem habitudinem. Econtra vero dum passio dicitur de definitione subiecti, non est prædicatio effectus physici, & solum vt existentis, sed metaphysici, & cum perpetua mutua vtriusque habitudine, vt notum est; & sic est magnum inter vtrumque modum discrimen, vt intuenti patere potest.

Circa octauam dubitationem, si ea quæ dicit Aristoteles in hoc lib. tex. 35. perpendamus, primos duos modos tantum ad demonstrationem necessarios esse dicemus. Sunt namque solum ipsi simpliciter necessarij, & impermutabilem continent veritatem; alij verò duo ab hac scientiali seueritate recedunt, nam tertius solum modum existendi, quartus actualiter causandi conditiones continet; at demonstratio, & scientia ab his rationibus considerandi præscindunt; eo quod simpliciter necessaria, & æterna contemplantur. Si vero minus rigorose loqui velimus; omnes quatuor ad ipsam demonstrationem proportionaliter reducemus. Primus ergo, & secundus ad ipsam formandam attinebunt, & præsertim si sit demonstratio potissima, ita vt secundus modus in primo gradu sit pro conclusione, & in secundo gradu pro maiori, & primus modus pro minori, syllogizando in primo modo primæ figuræ; in quo aptissimè fiunt demonstrationes, vt dicemus, quæ omnia hoc exemplo patebunt. Omne animal rationale est risibile. Omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis. Tertius vero modus quatenus substantiam dicit, erit veluti fundamentum, & radix totius demonstrationis; nam quemadmodum ipsa substantia in existendo est omnium aliarum rerum subiectum, sic quoque se habebit in cognoscendo, vel demonstrando, siue propinquè, siue remotè, quoniam non oportet, vt in omnibus expressè ponatur; vt patet dum de aliquo accidenti passio demonstraretur, sed bene semper supponitur. At quartus modus potest vocari demonstratiuus per participationem, pro vt videlicet ex causa actuali, & actualiter sine impedimento operante sequitur necessariò effectus, vnde est necessarius, atque euidens discursus, & per consequens magis ad demonstrationem, quam ad aliud genus cognitionis attinens. Dicamus, ergo epilogando, omnes hos modos aliqualiter ad demonstrationem pertinere, vt diximus; & primus dicitur modus prædicandi, secundus inhærendi, tertius existendi, & quartus causandi. Qui sumuntur ex parte rei sic. Nam vel res ipsa consideratur, vt existit, & sumitur tertius modus, vel in ordine ad prædicata essentialia, & est primus, aut ad proprias passiones, & est secundus, vel denique ad operationes, & est quartus.

Ad nonam negatiuè respondetur. Et ratio est, quia impossibile est, vt aliquid sit constituens, & constitutum, passio, & eiusdem subiectum, ac tandem causam, & effectus respectu eiusdem, quæ omnia impossibilia acciderent,

rent, si propositiones per se, in propositiones per se conuerterentur, quod distinctè declaratur. In primo modo per se, definitio, vel partes constituentes prædicantur de definito, ac ideo per se sic dicuntur, & prædicantur, quia ipsum definitum ex ipsis partibus est. Si vero è contrà definitum per se de definitione, vel eius partibus diceretur; ipsum definitum constitueret definitionem, & sic esset constituens, & constitutum. Pariter propria passio ideo per se de subiecto, & de eius definitione dicitur: quia ex illius natura fluit, & veluti in proprio subiecto fundatur. Ergo si è contrà subiectum, vel definitio eodem modo de passione diceretur ab ipsa flueret, & in ipsa fundaretur, vt in subiecto; & sic idem esset passio, & subiectum &c. similiter in quarto modo, si quemadmodum effectus tribuitur causæ, & de ipsa verificatur, ita accideret è contrà; idem esset causa, & effectus, &c. De tertio modo non est ad propositum, quia nullam facit propositionem, nec prædicationem. Sed animaduertendum est, quod licet propositiones de per se non conuertantur in alias propositiones per se; tamen bene conuerti possunt in propositiones necessarias, vt homo est animal rationale, ergo animal rationale est homo, quæ ambæ sunt necessariæ propter eandem essentiam, & identitatem, sed prima est directa, secunda indirecta. Idem dicatur de istis, homo est risibilis, & risibile est homo; homo est animal, & quoddam animal est homo. Est autem propositio directa, in qua superius de inferiori, definitio, vel pars definitionis de definito, passio de subiecto, & accidens de substantia dicuntur. Indirecta quando fiunt prædicationes contra, vt si inferius de superiori prædicetur, &c.

Ad decimum negatiuè respondetur, Nam si propositiones negatiuæ essent per se, vel essent in primo, vel in secundo, vel in quarto modo; (Tertius non constituit propositionem) non in primo, quia quod remouetur ab alio non est de essentia eius, at in propositionibus negatiuis prædicatum remouetur à subiecto, ergo; pariter, quod remouetur non est passio, nec effectus, ergo. Amplius, de eodem subiecto possunt infinita prædicata negari, vt homo non est lapis, nec aurum, nec planta, &c. At impossibile est infinita per se alicui competere, quia per se ad naturam pertinet; & ipsa paucis, & positiuis constituitur. Dicimus tamen, quasdam propositiones negatiuas esse necessarias; omnes videlicet, quæ fiunt in materia remota; vt homo non est lapis, quantitas non est qualitas, quia impossibile est rem aliter se habere. Dicimus secundò, nullam propositionem negatiuam esse immediatam; quia dependet ab affirmatiua, per quam etiam demonstrari potest; vt ideo est verum, substantiam non esse quantitatem, quia substantia est tale ens per se existens, cum autem hanc habeat naturam, impossibile est aliam habere, at sic non erit neque quantitas, neque qualitas, &c. Amplius. Impossibile est infinita prædicata immediatæ propositionis ab vno subiecto dependere, sed prædicata negatiua etiam si essent infinita de eodem subiecto negarentur, vt diximus, ergo. Dicimus tertiò, propositiones ipsas negatiuas, & necessarias posse vocari per se notas cognitione imperfecta, & quasi secundum quid, vel in comparatione ad facilitatem, nam facilius est negatiuas cognoscere, quam affirmatiuas, vt quilibet scit, hominem non esse lapidem, vel equum, non autem quid sit, vel hic, vel ille. Amplius, facilius est destruere, quam construere, at negare est destruere, affirmare construere. Præterea, ad affirmationem multa requiruntur bene ordinata, & conuenientia, ad negationem solum defectus. Item, facilius est ex infinitis aliquod colligere, quam ex paucis, sed negationes ex infinitis fieri possunt, non autem affirmationes, ergo. Imò in rebus difficillimis ad inueniendam facilitatem ex negatiuis procedimus, sic namque definimus infinitum, vacuum, materiam, &c. Ex dictis colligitur, quod quanto est facilior negatio, tanto est etiam affirmatione imperfectior, & infinitæ negationes alicuius essentiam non declarant. Dicatur ergo per se nota aliqua propositio negatiua, quæ videlicet ex terminis euidentibus componitur, & est necessaria, pro vt facilè, & vera cognoscitur, & forsitan posset dici nota ad sensum; & ex communi modo cognoscendi; licet in rigore ab affirmatiua dependeat.

Ad vndecimam dubitationem breuiter respondetur, vniuersale hic accipi pro natura, vel proprietate, quæ conuertibiliter conuenit alicui subiecto, & per consequens, quæ non possit esse nisi definitio, vel propria differentia, vel propria passio. At vniuersale Porphyrij, omne quod prædicatur directè, & limitatè de pluribus, comprehendit; quare hoc vocetur vniuersale posterioristicum, & demonstratiuum; illud vero simpliciter vniuersale.

Ad duodecimam dicitur, cuilibet modo per se suum per accidens respondere; & tunc est, quando vice assignati prædicati aliquod illius prædicati accidens subiecto tribuimus, vt hæc est in primo modo, homo est animal; si autem animal dicatur album, & ex hoc dicatur, homo est albus, est modus per accidens, pariter quando loco passionis in secundo modo sumimus ipsius passionis accidens, & subiecto tribuimus, vt si loco huius (homo est risibilis) diceremus, homo est simplex, quia risibilitas est simplex passio. Vnde interdum, dum modum per se variantur in accidentia, fiunt accidentis fallaciæ; vt homo est animal, animal est genus, ergo homo est genus &c. Tertio modo existendi respondet modus per accidens, quod est concretum accidentium; vt si loco hominis, ponatur Grammaticus, vel Musicus. Quarto tandem modo pariter causa per accidens respondet; vt hæc est per se in quarto modo, ædificator ædificat; at si dicamus, album ædificat, est per accidens huius quarti modi. Aliqui dicunt, modos per accidens esse tres, videlicet. Primus in quo accidens dicitur de subiecto, vt homo est albus. Secundus in quo subiectum dicitur de accidenti, vt album est homo. Tertius in quo accidens de accidenti; vt album est dulce. Qui quidem modi, & si per accidens sint, non tamen sufficienter, & proportionaliter quatuor prædictis respondent: sed omnes ad vnum primum reducuntur; quia nil aliud denotant, nisi quod prædicatum sit accidentale subiecto in modo prædicandi; at primus dicitur prædicandi, quare, &c.

Ad tertiamdecimam dicitur, propositionem demonstrabilem (vt homo est risibilis) esse quidem necessariam; quia est terminus, conclusio, & perfectio demonstrationis: quare si ipsa necessaria non esset, neque esset necessaria demonstratio. Amplius in tali conclusione prædicatum sic ex natura subiecti prouenit, vt aliter se habere non possit per quamcunque potentiam, ergo. Quoad aliam partem dicitur, eam ratione causæ esse mediatam, quia est demonstrabilis per definitionem sui subiecti, & hæc est medium; at immediatione subiecti est immediata; quatenus videlicet absque alio extraneo medio in ipso fundatur, & ab ipso fluit, sed est aduertendum, quod loquimur solum de conclusione potissimæ, vel perfectissimæ demonstrationis, quæ ex primo, & secundo modo solum conficitur.

Ad quartamdecimam dicitur, omnem propositionem de vniuersali posterioristico esse de omni, & de per se, vt patuit in litera; similiter omnes propositiones de omni posterioristico esse de per se, sed non de vniuersali. At propositiones de per se non oportet, quod semper sint de vniuersali, vel de omni; vt patet de hac, Petrus est rationalis, vel risibilis, &c. Et sic vniuersale, de omni, & per se sunt sic ordinata, vt homo, animal, viuens.

CAPVT V.

Quotupliciter circa Vniuersale contingat errare, & quomodo perfectè cognoscatur.

Tex. 38. *Oportet autem scire, quod sæpè contingit errare in assignatione vniuersalis, ita vt id, quod credimus esse primum, vel adaquatum vniuersale quod demonstramus, non sit. Decipimur autem hac deceptione tripliciter. Primo. Quando alicuius superioris, vel natura communis, non possumus accipere, nisi vnum singulare, eo quod plura non habeat. Secundò, si in rebus, qua specie differunt sit quidem aliquod vniuersale commune, sed tamen innominatum.*

Tex. 39. *Tertiò. Si totum, vel vniuersale ipsum contingat esse in quo monstratur, tanquam in parte, & non vt in adaquato subiecto. Partibus namque subiectiuis alicuius inerit quidem demonstratio pradicati superioris, & erit de omni; sed tamen hac demonstratio non erit harum partium, veluti huius primi subiecti, quod adaquatè huic demonstrabili vniuersali pradicato respondere deberet. Dico autem, demonstrationem esse huius primi secundum quod huius primi est; quando fit primò vniuersaliter, vel adaquati subiecti prædicatum. Sed ad exempla omnium trium pradictorum errorum accedamus, & incipiamus a tertio. Si quis igitur monstrauerit, quod linea recta aquè distantes non coincidunt, (seu nunquam se tangent) videbitur vtique huic esse huius rei veram demonstrationem, eo quod tale pradicatum (puta non coincidere) in omnibus rectis lineis aquè distantibus inest. At in veritate non est, nec adaquatum pradicatum, nec demonstratio ex vniuersalibus, & conuertibilibus, si quidem non quoniam sic recta aquales sunt in distantia fit hoc non coincidere, sed secundum quod quomodocunque aquales, siue circulariter, siue rectè, siue etiam tortnosè; dummodo aqualiter distent; & sic vniuersale pradicatum alicui parti, vel speciei tribuendo fit error hic tertius.*

Tex. 40. *Exemplum primi erroris. Si triangulorum non esset aliud nisi aquicrus, seu isosceles (cuius dua linea sunt aquales) & aliquis crederet, quod habere tres angulos aquales duobus rectis inesset adaquatè huic aquicruri secundum quod est aquicrus, deciperetur. Vbi notandum est, quod magnum est discrimen inter hunc primum, & tertium errorem, & si primo aspectu parum, vel nihil differre videantur, quoniam in primo errore, eo quod vnum tantum singulare alicuius natura conspicimus, ei rationem vniuersalis conuertibilis pradicati tribuimus. At in tertio licet cognoscamus aliquam speciem, vel naturam particularem habere pradicatum sibi, & alijs commune; tamen eo quod eidem semper necessariò, & omnibus eius inferioribus conuenit, credimus esse verè vniuersale, & adaquatè demonstrabile: & sic ignoramus eam conditionem vniuersalis, quod sit secundum quod ipsum, vel conuertibile, quare est crassior error. Exemplum secundi erroris. Proportionale, quod etiam alternatim, (seu secundum transmutatam proportionem) conuenit numeris secundum quod sunt numeri, & lineis secundum quod sunt linea, & corporibus secundum quod corpora, & temporibus secundum quod tempora: si quemadmodum monstrabatur aliquando seorsum de vnoquoq; istorum tanquam de particulari inadaquato subiecto; sic contingat vtique de omnibus simul, tanquam de adaquato subiecto vnica demonstratione demonstrari: ita videlicet, quod quoniam hac omnia differunt specie, & non sunt vnum quid nominatum seorsum prius accipiebantur; nunc autem de omnibus simul tanquam de vniuersaliter monstratur, eo quod tale proportionale non inest eis secundum quod sunt numeri, vel linea &c. sed secundum hoc aggregatum ex omnibus, quod supponunt esse vniuersale, est error; quia hac aggregatio ex pluribus non dicit simpliciter vnum, & per consequens non est adaquatum, & conueniens subiectum pradicti pradicati vniuersalis; & sic ex defectu nominis, & cognitionis alicuius vnius communis iste secundus error committitur, licet omnia particularia in vnum, & quasi vnum colligerentur, siue de singulis seorsum, siue de omnibus simul monstraretur.*

Propter hoc, si aliquis de singulis triangulis, nempe de aquicrure, gradato, aquilatere &c. monstrauerit vna, vel pluribus demonstrationibus, quod habeant tres angulos aquales duobus rectis, nondum verè nouit triangulum secundum suam naturam, quod duobus rectis sit aquale, sed solum sophistico modo,) hoc est non adaquatè vniuersaliter, & per se, sed solum in particularibus, & inadaquatè) licet prater hac singularia pradicta nullum esset alterum triangulum: quia non nouit secundum triangulum: immo neque omne triangulum nisi secundum numerum, sed secundum speciem non omne: quanquam in veritate nullum esset, quod non cognosceret: & ratio est, quia ignorauit rationem, & quidditatem illam communem specificam, in qua tota vis doctrina fundatur. Tex. 41.

Quaritur autem; quando aliquis non nouit vniuersaliter; & quando simpliciter, vel perfectè atque vniuersaliter nouit? Respondetur. Quod si pra- Tex. 42.

si prædicatum scibile sit idem adæquatè cum suo subiecto, (vt si triangulum esset idem hoc modo cum æquilatero, aut cum alio, vel etiam omnibus alijs triangulis) manifestum est, quod perfectè sciret. Si autem hoc prædicatum non sit idem conuertibiliter, sed alterum, licet eis insit secundum se, non perfectè nouit; vt quia habere tres angulos æquales duobus rectis inest secundum triangulum in communi: si de aliquo particulari triangulo aliquis hoc demonstrauit, non perfectè, neque scientificè nouit.

Tex.42. *Cum autem aliquod prædicatum conuenit superiori, & inferiori; vtrum conueniat secundum quod superius, vel secundum quod inferius? & quando secundum hoc inest primò, vel adæquatè? Vt quoniam habere tres angulos est prædicatum trianguli, & æquicruris (quod est eiusdem trianguli inferius, vel species) vtrum igitur hæc passio insit secundum quod triangulum, aut secundum quod æquicrus? & quando vtrique secundum se insit; quæritur cui secundum se insit primò, seu adæquatè, & conuertibiliter? Quæ quidem dubitatio potest in hanc formam redigi; cuiusnam vniuersaliter sit demonstratio? an videlicet proprietatis de superiori, vel de inferiori? Respondetur; Vniuersale hoc, de quo primò, & adæquatè fit demonstratio hac regula cognosci: videlicet, quod quando ablatis quæcunque sibi coniuncta sunt, ipsum tamen remanet cum suo subiecto conuertibile, erit vere eius prædicatum demonstrabile, & illud ipsius erit subiectum adæquatum, & conueniens: quemadmodum æquicruri æneo triangulo, inerunt quidem duo anguli recti: tamen esse difficultas si ei insint, vt æquicruri, vel sicut æneo, aut sicut triangulo. Si tamen per intellectum remoueamus, quod sit æquicrus, & æneum; quia adhuc duos rectos habet; signum est, quod hoc ei non inerat, vt æquicruri, vel æneo, sed vt triangulo; quare hoc erit prædicatum, vel passio trianguli, pro vt triangulum est, & ipsum erit huius prædicati subiectum. Vbi animaduertendum est, quod in tali remotione non possumus remouere, quæ sunt essentialia ipsi subiecto; vt a triangulo remota figura, vel termino (seu termino claudi, quod est essentia figuræ) non erit triangulus, neque duos rectos habebit; tamen istis essentialibus non existentibus primis, seu immediatis, adæquatis, & conuertibilibus subiectis huius demonstrabilis prædicati, licet ad remotionem eorum tollatur ipsum, non sequitur, quod sint adæquata subiecta. Quæritur ergo, quo adæquatè, & primò hoc prædicatum subiecto, & suis inferioribus conueniat. Respondetur, id esse tale per quod alijs conuenit, vt si habere duos rectos æquales inest secundum se triangulo, & secundum hoc triangulum inest alijs triangulis particularibus, hoc erit adæquatum huius prædicati subiectum, & huius vniuersaliter erit demonstratio; voco autem demonstrationem vniuersaliter, quæ est de vero Vniuersali posterioristico in superioribus assignato.*

QVÆSTIO VNICA.

De causis trium prædicatorum errorum.

PRo exacta huius capitis intelligentia sciendum est, quod ratio trium prædictorum errorum est hæc. In omnibus singularibus completis alia est ratio naturæ communis, alia singularitatis, vt in Socrate differt humanitas, & ipsius Socratis singularitas: nam humanitas, vel etiam (concretè loquendo) homo dicit naturam pluribus communicabilem, sed ipsa singularitas nequaquam; quamobrem aliquæ passiones ipsi singulari conueniunt vt singulari, aliæ vero pro vt communem naturam includit, quæ ei inquantum est singulare conueniunt, sunt accidentia communia, variabilia, & a scientifica demonstratione aliena. At quæ sibi conueniunt sub ratione communi sunt æternæ veritatis, & per consequens ad scientiam attinentia. Dum ergo alicui singulari proprietatem, quæ ei conueniebat solum sub ratione communi, vt singulari tribuimus, committimus accidentis fallaciam, & per consequens male demonstramus, licet illius communis naturæ vnum tantum singulare reperiretur, & committitur primus error ab Arist. in litera assignatus, eadem ferè ratione committitur secundus, quoniam dum aliquod commune non est nominatum, si ipsius proprietates eius inferioribus tribuantur, vt causæ adæquatæ, fit transitus de causa ad non causam; siue hec inferiora sint singularia, siue minus vniuersalia nihil refert. Tertius autem error eandem prorsus habet causam, quoniam si alicui minus vniuersali proprietatem vniuersalioris tribuimus, ipsi proprietati adæquatam causam non assignamus. Ex dictis duo elicio corollaria. Primum, quod necessariò natura communis debet a singulari ex natura rei, seu absque vlla intellectus operatione distingui; aliter, omnes penitus indistinctas haberet proprietates, & quicquid de vna demonstraretur, de alia quoque ostendi posset: vnde nullus posset committi error circa assignandum vniuersale; nisi diceretur, quod per intellectum hæ proprietates singulari, & naturę communi ad libitum tribui possint, quo nihil est absurdius: loquimur namque de rebus, & proprietatibus realibus, quæ per demonstrationem sciuntur. Secundum, quod cum natura communis, & ipsius singularia sint idem essentialiter, cum præcedenti tamen distinctione; si ambo concretè sumantur, quia mutuò se continent reales proprietates, & accidentia vnius alteri tribuuntur, & è conuerso, vt quia homo est risibilis, Petrus est risibilis, & quia Petrus est albus, homo quoque dicitur albus: & hæc mutua inclusio est causa deceptionis in multis. At hic contra prædicta se se offert non paruipendenda dubitatio. Nam quædam proprietates videntur singularibus primò, & secundariò naturæ communi conuenire: vt patet de istis, generabilitas, corruptibilitas, mobilitas, &c. nam solum singularia generantur, corrumpuntur, mouentur, &c. actiones namque sunt tantum singularium, vt docet Aristoteles 1. Metaph. cap. 1. ergo. Respondetur, non esse verum, quod singularia primò generentur, corrumpantur, &c. immo, quæ hæc patiuntur sunt ipsæ naturæ cõmunes existentes cum singularitate; ita vt ratio omnium ha-

rum proprietatum sit natura communis, & conditio est singularitas, sic tamen necessaria, vt sine ipsa nulla sequatur actio; vtraque igitur hæc patitur, sed primò natura, secundò singulare; nec aliud insinuat per prædicta verba Philosophus. Ex quibus sequitur, quod qui ponunt essentiam realiter distinctam ab existentia, decipiuntur: quia omnes prædictæ proprietates dicuntur de essentia rei a qua fluunt, quæ tamen ei competere nequeunt, nisi sit existens, vel singularis vnica; & tamen si realiter ab existentia differret, ei absque illa per se competere possent, & ad actum reducerentur, quod est in intelligibile.

CAPVT VI.

Demonstratio est ex ijs, quæ sunt per se, & necessarijs.

Tex. 44. *Si igitur est demonstratiua scientia ex necessarijs principijs, (quod enim scitur non potest aliter se habere) & solum quæ per se existunt, (vel in primo modo, quando insunt in definitione quidditatiua, vel in secundo, dum insunt subiecta in definitione passionum, vel simplicium, vel disiunctarum, quarum disiunctarum alteram oppositam necesse est inesse, sicut par, & impar respectu numeri) sunt rebus necessaria; manifestum est quod ex talibus quibusdam per se vtique sit demonstratiuus syllogismus; probatur minor, nam quicquid inest alicui, vel ei inest per se, vel per accidens; si per se, ex suæ natura immutabiliter inest, & sic necessariò, quæ vero insunt per accidens non sunt necessaria.*

Tex. 45. *Aut igitur sic simpliciter, & absque alia ratione dicendum est, quod demonstratio sit necessaria, & per se, & id quod demonstratum est (nempe conclusio) pariter sit necessaria, seu non possit aliter se habere, aut aliquod aliud principium, vel ratio præter prædictam ponenda est ad id comprobandum, pro his ergo, qui prædictæ rationi non acquiescunt, alias infra adducemus. Nunc autem ex præcedenti concludamus, quod ex necessarijs debet esse syllogismus demonstratiuus. Ex veris autem potest quoque alter syllogismus fieri, qui non erit demonstratio: at ex necessarijs syllogizare non est nisi demonstrantis, & ex eisdem procedere iam proprium est demonstrationis.*

Tex. 46. *Signum autem, quod demonstratio ex necessarijs procedat est hoc, quoniam ad eos qui credunt demonstrare, si existimemus, quod propositiones suarum demonstrationum omnino possunt aliter se habere, vel licet hoc non credamus, sed solum sermonis, & contentionis gratia contradicere velimus; eis ita instantias ferimus, quod non sit necesse id quod per tales demonstrationes assumitur aut denotatur, & sic intentum concludimus.*

Ex dictis autem manifestum est, quod fatui sunt qui se existimant rectè accipere principia demonstrationis; si hæc principia sint tantum propositiones probabiles, & veræ, eo quidem modo quo faciunt sophistæ; ipsi namque, & præcipuè Protagoras ad suum intentum sophisticè concludendum assumunt pro principio necessario, & quidditatiuo scientiæ, quod scire sit scientiam habere; (quæ est tantum quædam nominis expositio) quod licet fortè sit verum, vel probabile, non tamen sufficit: non enim propositio probabilis, vel non probabilis est principium demonstrationis, sed debet esse prima, necessaria, immediata, & illius generis circa quod fit demonstratio; quare non satis est vt sit verum principium, sed debet esse proprium demonstrationis, & rei demonstrabilis; at non omne verum est sic proprium; quare neque omne verum est sufficiens. Tex. 47.

Quod autem ex necessarijs debeat esse demonstratiuus syllogismus, manifestum erit ex his. Si enim aliquis in demonstratione non habeat causam, vel propter quid conclusionis, non est verè sciens, at hanc causam non habebit nisi præmissæ, in quibus ipsa clauditur, sint necessaria, ergo ex necessarijs vtique demonstrare debet; probatur minor. Supponamus, quod conclusio demonstrationis sit (sicut esse debet) necessaria, in qua videlicet A de C, seu risibile de homine ex necessitate dicatur, B vero, seu medium per quod talis conclusio demonstratur non sit necessarium, tunc non verè sciuit propter quid; quia hæc conclusio non sequitur propter prædictum medium, nam ipsum medium potest non esse, & conclusio ponitur necessaria, at necessarium non sequitur demonstratiuè, & scientificè ex contingenti. Poterit autem hic syllogismus in quo conclusio sit necessaria, & medium contingens sic formari. Omne discurrens est risibile; homo est discurrens, ergo est risibilis; hic namque conclusio est ex se necessaria, non autem propter medium, quare per ipsum non scio propter quid, & per consequens neque demonstratiuè. Tex. 48.

Præterea. Aliquis potest non scire, vel quia ipse corruptus, vel quia res scita mutata est, vel quia est oblitus, vel tandem quia medium, vel causa per quam scire putabat mutata fuit. Ponamus ergo quod aliquis sit saluus, res scibilis inuariata, & pariter sit salua eius ratio, vel memoria, vel discursus; si tamen medium, vel causa per quam sciuit est contingens, poterit non scire, quia con- Tex. 49.

contingens est variabile, ergo neque prius sciuerat, nam erat idem medium. Si autem dicatur, illud medium non esse corruptum, nihil refert, quia sat est, vt possit corrumpi, & sic quod ex ipso accidit, vel sequitur, esset pariter contingens, vel possibile. non autem hac ratione necessarium; at impossibile est, vt qui ita discurrit, vel syllogizat per hoc medium verè sciat. Sed est obseruandum, quod quando conclusio est necessaria, nihil prohibet medium per quod ipsa monstrata, seu conclusa, vel syllogizata fuit (accipitur namque hic monstrare pro concludere) esse non necessarium: nam necessarium potest ex non necessarijs syllogizari, sicut etiam verum ex non veris; at per hoc non fit demonstratio, neque scientia. Sed est dubitatio, nam ex causa contingenti sequitur necessariò effectus necessarius, ergo per ipsam poterit verè fieri demonstratio, quod est contra prædicta; probatur antecedens, nam est contingens vt aliquis accendat ignem, tamen necessariò sequitur, quod sit calidus, leuis, &c. pariter, quod aliquis interficiatur, & tamen necessariò sequitur mors, quæ in æternum durat. Respondetur; has esse contingentias existendi, vel si abstractiuè (vt decet in scientijs) loquamur, posita causa, necessariò est effectus: & si sit effectiua est effectus positiuus, vt patet de igne, si defectiua est priuatiuus effectus, vt accidit de morte, &c.

Text.50. Quando autem medium est necessarium, conclusio etiam erit necessaria; quemadmodum ex propositionibus veris semper verum concluditur. Si enim A de B, seu substantia de animali ex necessitate dicatur, & ipsum B, seu animal de C, nempe de homine, clare patet, quod etiam ipsa substantia necessariò de homine dicetur, sic syllogizando. Omne animal necessariò est substantia, omnis homo necessariò est animal, ergo omnis homo necessariò est substantia. Quando autem conclusio non est necessaria, neque medium necessarium potest esse. Ponamus ergo quod A insit C non ex necessitate, vt quod albedo insit homini, ita vt hæc sit conclusio, homo est albus, medium autem albedo ipsa ex necessitate (per suppositum) insit, ita vt ambæ præmissæ sint necessariæ, tunc quoque conclusio erit necessaria, & tamen posita fuit non necessaria, & sic est contra id, quod suppositum fuerat, & per consequens, si præmissæ sunt necessariæ, ipsa etiam necessaria erit, & potest sic syllogizari. Omne animal necessariò est album (supponimus namque præmissas necessarias) homo necessariò est animal, ergo necessariò est albus quare; vel hæc conclusio erit necessaria (quod est absurdum) vel dicendum est esse contingentem, ac ideo ex contingenti maiori sequi (à qua remoueatur illa dictio necessariò) non autem ex necessarijs: sufficit autem vt vna propositio sit contingens ad hoc, vt conclusio, & syllogismus dicatur ex contingentibus.

Quoniam igitur conclusio, quæ demonstratiuè scitur, oportet talem esse, vt prædicatum ex necessitate sibi insit, & per consequens sit necessaria; manifestum est, quod demonstratio per quam ipsa concluditur per medium necessarium procedere debet; aliter demonstrare præsumens non scient ipsam conclusionem, neque propter quid, siue per causam, neque quod necesse sit ipsam esse, seu quoad simplicem existentiam, vel ab effectu. Sed si suspicetur necessarium esse medium, quod necessarium non est, tunc existimabit se scire, qui est verè non sciens. Si vero neque existimabit, quod per necessaria media propter quid, & per immediata procedat, tunc neque in veritate, neque secundum ipsius suspitionem sciet. Text.51.

De Accidentibus vero, quæ per se non insunt subiecto, (eo videlicet modo, quo determinata sunt per se, vel in primo, vel in secundo modo) non est scientia demonstratiua: quia non possumus conclusionem, in qua accidens de subiecto dicitur, per medium necessarium monstrare: nam accidens contingit non inesse; quare necessariam causam immutabiliter inhærendi non habebit, & de tali accidenti, quod potest adesse, & abesse loquimur. Text.52.

Sed aliquis fortasse dubitare posset; quæ de causa de his accidentibus oportet interrogare hæc (videlicet quomodo ex ipsis fiat syllogismus) si non necesse est conclusionem esse. Nam hoc modo interrogare, nihil differt ab eo, quo quis interrogatus quæcunque contingentia, & à casu, postea respondens dicat quamcunque conclusionem, seu nihil differt ab interrogatione, & responsione ad placitum, hæc autem non pertinet ad scientiam. Respondetur, quod oportet interrogare, non tanquam conclusio necessaria sit propter interrogata, vel præmissas, sed quoniam necessarium est dicenti, vel respondenti ad ea interrogata verè dicere, si vera tales propositiones existant, hoc est, quod si propositiones contingentes sint vera, etiam conclusio erit vera, licet non necessaria, & sic fiet syllogismus dialecticus, quod non contingeret si indifferenter quodlibet interrogaretur, vel ad libitum. Hæ autem interrogationes sic fieri possunt; An homo sit coloratus, &c. Responsiones autem sic; coloratus est, quia omne corpus est coloratum, homo est corpus, ergo coloratus; in quo syllogismo ex vna contingenti sequitur conclusio contingens, in qua accidens dicitur de subiecto; & syllogismus est dialecticus. Text.53.

Accidentium verò non per se, &c. Tex. 52.

QVÆSTIO VNICA

An de accidentibus sit scientia.

ARguitur primò, quod sic. Nam omnia prædicamenta præter primum sunt accidentia; de quibus tamen est scientia, ergo.

Secundò. In Naturali Philosophia agitur, de motu, de loco, tempore, pariter de sapore, odore, sono, caliditate, frigiditate, & alijs innumeris accidentibus, ergo.

Tertiò. Si de eis non esset scientia, ideo esset, vt habetur in litera, quia possunt non inesse; at hoc non est verum nisi de accidentibus separabilibus, ergo de alijs erit scientia.

Pro intelligentia sciendum est, quod loquimur hic solum de accidentibus communibus, tam separabilibus, quam inseparabilibus; vt accidentia propria, seu proprietates excludamus: ipsę etenim sunt verè demonstrabiles, & verè scibiles de subiecto.

Secundò notandum, quod hæc communia accidentia possunt quadrupliciter considerari; primo modo in ordine ad suam quidditatem, seu definitionem; secundò in comparatione ad suas passiones; tertio in ordine ad subiecta communia; & quartò ad particularia. Vt sonus verbi gratia primo modo consideratur, vt est qualitas quædam, quæ ex ictu duorum corporum causatur. Secundò quatenus est motiua auditiuæ potentiæ. Tertiò prout a corporibus efficitur, & in ipsis recipitur. Quartò tandem, quatenus est vel in vitro, vel in campana, &c.

Tertiò notandum, quod demonstratio vniuersaliter accipi potest dupliciter, & pariter duobus modis respondentibus accipiatur scientia, quæ est ipsius effectus. Vno modo accipitur strictè pro eo syllogismo, qui fit ex necessarijs propositionibus conflatur, vt non tantum ipsæ sint necessariæ, sed sint immediata, & potissima causa effectus, qui in conclusione exprimitur; immediata, inquam, & necessaria, non solum necessitate illationis (hæc namque necessitas est in quolibet bene disposito syllogismo) sed sic essendi in re, vt per ipsas significatur; ita vt quæ per præmissas explicantur sint veræ causæ immediatæ, & per se eorum, quæ significantur per conclusionem, vel potius per ipsius conclusionis prædicatum, & hæc dicitur vera, & potissima demonstratio, quæ ab Arist. in primo huius operis tex. 9. definita fuit. At alia est demonstratio, quæ solum ex propositionibus necessarijs procedit, siue hæ significent causas remotas, siue sint per effectus, siue per signa, vel alio modo, dummodo necessariam, & immutabilem habeant connexionem. Per causam itaque remotam sic demonstramus. Omne ex semine productum est animatum, planta ex semine producta est, ergo est animata. Per effectus sic; Omne quod orbiculariter illuminatur est sphæricum, Luna sic illuminatur, ergo. Per signa sic. Omnis mulier, quę peperit, concepit; hęc peperit, ergo. Vbi notandum est, quod duplex est signum, quoddam necessarium, & est in naturalibus semper effectus, quod signum dicitur prout causam signat, vel ostendit, & vocatur effectus, pro vt est factum, vel a tali causa productum; & hoc est quod in demonstratione assumitur; alia sunt signa etiam naturalia, sed solum probabilia, vt nubes sunt signa pluuiæ, pallor timoris, &c. quæ possunt quandoque esse causæ, interdum verò effectus; & pertinent ad syllogismum topicum; alia sunt signa voluntaria, vt ramus est signum vini vendibilis, quæ non sunt causæ, neque effectus, sed pura signa, quæ ad argumentationem non attinent, vel ad dialecticam ex vsu reduci possunt. Alio modo fiunt demonstrationes ex omnibus quibuscunque necessarijs propositionibus; vt omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia. Quod autem omnes istæ sint aliquo modo appellandæ demonstrationes, probatur, nam magis cum syllogismo demonstratiuo, quam cum dialectico, vel sophistico conueniunt. Amplius Arist. in præcedenti cap. potissimam vim ad probandam aliquam esse demonstrationem sumit ex hoc, quod ex necessarijs procedat; sic autem se habent omnes prædictæ, ergo. Sed quæstionem per aliquas conclusiones resoluamus.

Prima. Accidentia quo ad suam quidditatem sunt scibilia; patet, nam ferè omnia, & præsertim quæ sunt species definiri possunt. At si quis dicat, definitiua cognitio non est scientifica, ergo. Respondetur, non dicere plenam rationem scientiæ definitionem, sed principalem, ex qua ad completam peruenimus.

Secunda. Accidentia ipsa sunt scibilia etiam quo ad proprietates; patet, nam ex definitione proprietates cognoscuntur. Præterea Aristoteles in prædicamentis, & alibi proprietates quantitatis, qualitatis, & aliorum accidentium assignat, & in Physicis sæpe demonstrat.

Tertia. In ordine ad subiecta communia accidentia sunt etiam scibilia; probatur, nam efficacissimis rationibus ostendere possumus, omnem substantiam materialem esse quantam, omne corpus esse coloratum, &c.

Quarta. In comparatione ad subiectum determinatum accidentia communia non sunt verè scibilia per demonstrationem potissimam, sic nimirum, quod non possumus scire per causam adæquatam per se, & immediatam, hominem esse album, doctum, nigrum, &c. probatur, nam hæc accidentia non fluunt ex ipsius essentia, sed ex diuersis dispositionibus, vnde sunt variabilia. Preterea, eo quod ipsa sunt communia non possunt in aliquo particulari habere adæquatam causam, immo committeretur tertius error circa assignationem vniuersalis.

Quinta. Nullum est inconueniens vt etiam de ipsis accidentibus communibus in ordine ad aliquod particulare subiectum habeamus aliquam firmam cognitionem, quæ sensitiuæ notitiæ innititur; vt quod nix sit alba, ignis calidus, terra grauis &c. quæ ob hanc certissimam, & infallibilem notitiam a nonnullis vocatur demonstratio coniecturalis, & re vera est maior notitia, quam sit probabilis, & per consequens ad demonstratiuam reuocari posset, sed Argumenta soluamus.

Ad primum, & secundum patet, nec sunt contra ea quæ diximus.

Ad tertium respondetur, quod licet quædam accidentia sint inseparabilia, tamen quia adæquatam, & necessariam causam non habent in talibus subiectis, per potissimam demonstrationem cognosci non poterunt, & si alia notitia, vt dictum est, sint cognoscibilia.

CAPVT VII.

Demonstratio constat ex proprijs, neque fieri potest transitus de genere in genus.

QVoniam autem quæcunq; circa vnumquodque genus, vel subiectum scibile per se, & se- Tex. 54

& secundum quod ipsum (seu conuertibiliter) insunt, ex necessitate insunt; hae autem quae sic insunt sunt per se: manifestum est, quod de ijs, quae sunt per se, fiunt, & constant scientiales demonstrationes; nam quae insunt per accidens, vt accidentia ipsa non sunt necessaria.

Tex.55. *Quare non est necesse conclusionem ipsorum accidentium scire propter quid; neque si ipsa accidentia semper inessent, dummodo non inessent per se; sicut etenim per se non insunt, sic neque per se sciuntur, sed alio modo, veluti per syllogismum, qui procedit à signis, vt omnem Cygnum esse album, vel Coruum nigrum hoc modo cognoscimus; at qui sic per signa procedit, non tantum circa accidentia haec, sed neque circa alia demonstratiuè cognoscet; immò quod per se est, non per se sciet, neque propter quid, quia propter quid scire est per causam cognoscere, non autem per signa.*

Tex.56. *Propter hoc igitur in vera demonstratione oportet, quod medium tertio (nempe minori extremitati) & primum (scilicet maior extremitas) medio insit, per se videlicet, ita vt haec tria, nempe maior extremitas, minor extremitas, & medium eidem naturae, & generi scibili conueniant, quare non contingit, ut aliquis de vno genere in aliud transcendens demonstret, vt genus geometricum non potest per principia Aritmeticae ostendi.*

Tex.57. *Tria enim sunt in demonstrationibus, vnum quidem est conclusio, quae demonstratur, non autem quod tota conclusio demonstreetur, sed hoc quod demonstratur in conclusione est, quod inest alicui generi, seu subiecto per se, & nihil aliud est, quam passio, ratione cuius dicitur demonstrari conclusio. Aliud autem sunt dignitates, quae quidem dignitaees sunt principia, ex quibus demonstratio conficitur. Tertium est genus, seu subiectum, cuius passiones, idest per se accidentia, seu proprietates declarat demonstratio.*

Tex.58. *Dignitates igitur, ex quibus quidem demonstratio efficitur, contingit in quibusdam scientijs, easdem esse (in ijs videlicet, quorum subiectum, vel genus vnius sub genere alterius continetur) quarum autem scientiarum subiectum est diuersum, hoc non contingit, quemadmodum accidit Aritmeticae, & Geometriae; non enim Aritmeticam demonstrationem possumus coaptare ad ea, quae accidunt magnitudinibus, quae a Geometra considerantur, nisi diceremus, quod magnitudines sint numeri, quod falsum est; quod quidem accidit, quia Aritmetica, & Geometria diuersum habent genus. Hoc autem (videlicet haec applicatio dignitatum ad diuersas demonstrationes) quomodo quibusdam scientijs contingat, posterius magis exactè dicetur.*

Tex. 59. *Aritmetica verò facultas semper habet proprium genus circa quod versatur demonstratio, & alia scientia consimiliter; quare si demonstratio ipsa de vno subiecto in aliud transcendere debet, vel id fieri debet inter ea, quae simpliciter sub vno communiori genere continentur (sicut passiones de animali, v. g. possent de homine, leone, atque alijs ostendi) vel saltem inter ea, quae aliquo modo continentur sub vno, & si alia ratione differant; aliter autem est impossibile, quod sic manifestum fiet. Ea enim quae ad demonstrationem attinent debent esse per se, & eiusdem naturae, tam videlicet media cum extremis, quam extrema cum medijs: si enim non essent sic per se, accidentia essent, quae ad demonstrationem non faciunt. At ea, quae sunt diuersi generis, non possunt esse eiusdem naturae, ergo de vno in aliud transire non licet.*

Propter hoc Geometriae non licet monstrare hanc propositionem, contrariorum vna est scientia, sed hoc est opus Metaphysici, vel etiam Dialectici; immò neque eidem Geometriae conuenit ostendere hanc propositionem, duo cubi efficiunt vnum cubum, quia in corporibus, quae a Geometra considerantur est falsa, & habet veritatem in cubis numerorum, qui ad Aritmeticam attinent. Est autē cubus in corporibus corpus sex habens aequales superficies vel latera, vt taxillum, at in numeris illi dicuntur cubitis, qui ex bina, vel trina, aut alia sic multiplicatione resultant, vt numerus viginti septem est cubicus, quia ter tria, ter ipsum constituunt, pariter octonarius, quem bis duo bis constituunt, modo ex numero cubico fieri potest alter pariter cubicus, sed maior in eadem tamen proportione, at ex cubo corporeo non fit cubus, sed trabs. Quare quod cubicus numerus ex duobus cubis fiat ad Geometram non attinet, quia est alterius scientiae. Sicut vniuersaliter non attinet ad aliam scientiam demonstrare, quod est alterius, nisi in ijs scientijs, quae sic se habent, vt subiectum vnius sub altero contineatur, quemadmodum Perspectiua respectu Geometriae, & Musica respectu Aritmeticae; nam Perspectiua habet pro subiecto lineam visualem, quae continetur sub linea simpliciter a Geometra considerata, & Musica habet pro obiecto numerum sonorum, qui continetur sub numero, qui est Aritmeticae subiectum. Tex.60.

Non igitur vna scientia, ea, quae sunt alterius, & penitus diuersa ostendere potest; immò neque ab ipsa consideranda sunt omnia, quae suo subiecto competunt, vt si quid inest lineis non per se, seu in ratione lineae, neque ex proprijs principijs non sunt a Geometra consideranda, quemadmodum se haberent hae propositiones; linea recta est pulcherrima linearum, vel si linea circulari sit aliquod contrarium, vel non; nam haec quaesita Tex.61.

non

non sunt secundum proprium genus, vel naturam linearum, sed secundum aliud commune; pulchritudo namque, & habere contrarium pluribus quam lineis aptari possunt: unde non erunt propria Geometriæ.

CAPVT VIII.

Demonstrationis conclusio est perpetua, neque de corruptibilibus est demonstratio, nec definitio.

Text. 62. *Manifestum autem est, quod si fuerint propositiones universales (nempe de universali posterioristico) ex quibus fit syllogismus demonstrativus, necesse est conclusionem talis demonstrationis perpetuæ esse veritatis, nec inquam huius tantum, sed demonstrationis simpliciter: nam aliæ quæ perpetuam non habent conclusionis veritatem demonstrationes non sunt. Non est igitur demonstratio, neque simpliciter, & vera scientia de corruptibilibus, sed si aliqua de eis habeatur cognitio, erit scientia secundum accidens, quoniam non erit proprietatum universalium, & quæ immutabiliter insint, sed quæ insint aliquo modo, & aliquo tempore, quod est contra veram rationem scientiæ.*

Text. 63. *Quando autem in aliqua demonstratione (dicatur hic demonstratio solum secundum æstimationem) fit conclusio corruptibilis: necesse est, quod saltem una ex propositionibus sit corruptibilis, & non universalis, vel immutabilis veritatis. Corruptibilis inquam esse debet, quoniam conclusione existente corruptibili, non potest ex ambabus præmissis necessarijs, vel incorruptibilibus sequi; debet pariter ipsa conclusio non esse universalis, quoniam in corruptibilibus (ex quibus ipsa educitur) hoc quidem significatum, vel subiectum erit, illud verò non; quare non poterimus per hac syllogizare universaliter (cum non semper omnia sint) sed solum quod nunc, seu quando sunt.*

Text. 64. *Consimiliter autem se habet circa definitionem, videlicet, quod neque ipsa sit corruptibilium, & singularium; probatur, quoniam definitio aut est principium demonstrationis, & per consequens eiusdem conditionis quoad hoc, aut est tota demonstratio differens solum positione, seu ordine, aut modo, & figura syllogistica, quod accidit dum in ipsa definitione assumimus expositionem subiecti; & proprietatis, vt homo est animal rationale aptum ad ridendum) aut est quædam conclusio demonstrationis, quæ pariter debet esse demonstrationi similis; quod quidem accidit, dum per definitionem unius causæ definitionem alterius ostendimus, cuius usus patebit in secundo huius operis.*

At aliquis contra prædicta obijcere posset, nam multa per demonstrationem sciuntur, quæ tamen non sunt perpetua, vt patet de eclipsi Lunæ, Solis, &c. Respondetur, quod eorum quæ sæpe fiunt, possunt esse demonstrationes, & scientia, non quoad existentiam talium effectuum, quia sic non semper necessariò sunt, sed quatenus a tali causa sic posita necessariò semper sequuntur, vt Lunæ defectus manifestum est, quod secundum quod tales sunt (seu sic a Luna per obiectionem terræ nati sunt fieri) semper sunt. At quatenus non sunt semper, tunc non accipiuntur sic in universali, & in ordine ad talem necessariam causam, sed accipiuntur defectus ipsi particulares, & secundum existentiam. Quemadmodum autem ipsi defectus sic se habent respectu Lunæ, vel sic ei (prout sciuntur) conveniunt; similiter alij effectus alijs causis ad rem aptentur. Text. 65.

CAPVT IX.

Demonstratio non constat ex communibus.

Quoniam autem manifestum est, quod non licet demonstrare quamcunque rem, nisi ex proprijs principijs; ideò si id quod demonstrare intendimus non insit suo subiecto secundum quod illud; (seu ex illius natura adæquatè, & convertibiliter) non erit hoc verè scire. Text. 66.

Et licet ex veris, immediatis, & indemonstrabilibus principijs fieret hac syllogizatio, nisi fieret ex proprijs, non esset demonstratio. Hoc etenim pacto monstraremus eo modo, quo Bryso demonstrare credebat quadraturam circuli; rationes namque eius non per propria, sed per communia, & principia, quæ alijs competunt procedunt; quocirca & alijs rebus diversis tales rationes aptari poterunt. Igitur sic discurrendo non scit secundum quod ipsum, seu per rationes adæquatas, sed secundum accidens, nempe tantum in communi; si enim per propria principia procederet, eius demonstratio non posset in aliud genus coaptari. Demonstratio autem ipsius Brysonis erat hæc. Vbicunque datur maius, & minus, ibi datur æquale, sed datur quadratum maius circulo, & datur minus, ergo potest dari æquale, & hæc æqualitas dicitur circuli quadratura: ad hunc tamen sensum, quod accipiatur linea circularis, & quæ constituunt quadratum, & illa sit in longitudine æqualis omnibus istis simul, deinde illa in quadratam figuram; Text. 67.

ram: hac autem in circularem redacta, sit vtraque aqualis continentia, vel capacitatis: at quia ex communibus Bryso procedebat, erat quadam cognitio per accidens, vt dictum est, ita vt idem sit hic per accidens, & per communia.

Tex. 68. *Vnumquodque autem scimus non per accidens, quando ipsum cognoscimus prout inest ex proprijs principijs, ita vt hac principia sint eiusdem effectus causa, quatenus talis effectus est, vt habere tres angulos aquales duobus rectis, tunc hoc modo cognoscitur, si cognoscamus subiectum, cui inest per se, & ex principijs huius subiecti fluat, vt dictum est.*

Tex. 69. *Quare si id quod alicui subiecto inest per se, & adaquatè ei insit, necesse est, quod medium demonstrandi hanc inhaerentem passionem sit eiusdem cognationis, vel natura cum subiecto, & passione ipsa. Si verò hac passio non sic se habeat, sed insit alicui alteri subiecto superiori vt adaquato, per ipsum superius ostendi debet, quemadmodum musicalia per ea, qua pertinent ad Aritmeticam, nam musica sub Aritmetica continetur. Talia autem, qua sub alio continentur monstrantur quidem similiter, sed differenter ab alijs; ipsum namque quòd (seu effectus) est alterius scientia, nempe inferioris, nam subiectum de quo monstratur est aliud a subiecto superiori. At ipsum propter quid, vel causa est superioris scientia, cuius per se passiones talis subiecti sunt considerandae; vnde hac scientia superior verè demonstrat, cum propter quid, vel adaquatam causam contempletur, alia verò nequaquam. Quare ex his manifestum est, quod non contingit vnumquodque simpliciter, seu potissimè demonstrare, sed tantum ea, qua ex principijs proprijs vniuscuiusque cognoscuntur.*

Tex. 70. *At notandum est, quod hac principia propria cuiusq; scientia habent aliud commune, per quod etiam ostendi poterunt; hoc autem est axioma quoddam, vel plura a quibus veritates quamplures dependent, vt, de quolibet est affirmatio, vel negatio; duo contradictoria non possunt esse simul vera, nec falsa, &c. Si verò manifestum est hoc, quod dicimus de his communibus principijs, manifestum quoque erit, quod non possumus principia cuiusque scientia demonstrare; nam illa principia communia praedicta, qua in aliqua scientia etiam considerantur, erunt aliorum principiorum principia, & scientia illorum erit domina omnium, quare cum illa alijs principijs careant, & ipsorum scientia nulli alteri subijciatur, omnem effugiant demonstrationem, demonstratio namque est ad aliquid sciendum: sed non possumus magis scire, quam per praedicta; namque & magis scit, qui ex superioribus causis scit: tunc etenim scit ex prioribus (quod est proprium demonstrationis) cum sciat ex causis non causatis ab alijs, seu penitus primis, & independentibus; sic autem accidit in proposito, ergo. Quare si magis aliquis scit per causam, quam alio modo, & maximè sciet, si per causas penitus primas sciet, & si magis illa esset scientia, qua causas considerat, ea qua maximas causas contemplatur, esset vtique maximè scientia, qua quidem sic maxima, & domina est Metaphysica, vt habetur 4. Metaphysicorum capite 31.*

Non igitur vna demonstratio potest in aliud genus coaptari, nisi (vt dictum est) in ijs, quarum vna scientia continetur sub alia, vel subiectum vnius sub subiecto alterius, & sic Geometrica demonstrationes coaptantur ad Perspectiuas, & mechanicas, & Aritmetica ad harmonicas. Tex. 71.

Sic ergo fiunt demonstrationes, sic etiam per ipsas scientia acquiruntur. At animaduertendum est, quod difficile est cognoscere, si aliquis sciuit, aut non; ratio est, quia difficile est cognoscere si sciuit ex proprijs principijs, aut non; hoc namque est verum scire. Interdum tamen existimamus scire, si habeamus cognitionem syllogisticam ex quibusdam veris, & primis, seu indemonstrabilibus: at hoc non sufficit, sed oportet, vt ea qua sciuntur sint cognata, vel propria, seu eiusdem natura cum primis, vt dictum est. Tex. 72.

C A P V T X.

Principiorum scientiarum, & demonstrationum alia sunt communia, alia verò propria.

Principia cuiusque generis ea sunt, qua non contingit monstrare esse, sed vt nota accipiuntur. Vbi notandum est, quod respectu cognitionis nominis, tam ipsa prima principia, quam proprietates, qua ex ipsis fluunt pracognoscenda sunt. At quoad esse, principia quidem necesse est pracognoscere, alia verò nempe proprietates ipsas monstrare, vt tam de vnitate (qua ponatur hic pro principio, vel subiecto) quam de recto, & de triangulo (qua pro proprietatibus ponuntur) pracognoscimus quid nominis; at de vnitate ipsa, & de magnitudine, & de quocunque alio subiecto, vel principio etiam pracognoscimus esse; altera verò, nempe praedictas proprietates monstramus. Tex. 73.

Sunt autem principia, quibus vtimur in demonstratiuis scientijs alia quidem propria cuiusque scientia, alia verò communia multis, loquendo potissimum de principijs complexis; communia autem secundum proportionem, vel limitationem Tex. 74.

per

per determinatum modum particularibus contrahuntur, quoniam vtile est sic ea applicare, quantum decens est id fieri in eo genere, vel subiecto, quod sub talem scientiam particularem est. Propria quidem sunt, quæ in vna tantum scientia considerantur, vt in Geometria lineam esse talem (nempe longitudinem sine latitudine) & rectum, cuius extrema non exeunt a medio, &c. sunt ipsius principia propria. Communia verò sunt, quæ (vt dictum est) pluribus aptantur, vt si ab æqualibus æqualia auferantur, sequitur, quod reliqua sunt æqualia. Hoc namque (& similia) est commune principium, nam vnumquodque horum principiorum sufficiens est ad demonstrandum si approprietur in quolibet genere particulari; nam idem faciet, vel eodem modo efficacissimè monstrabit sic contractum, ac si vniuersaliter maneret, vt si ipsum non de omnibus acceperit aliquis, sed solam in magnitudinibus, vel in numeris contraxerit eandem efficaciam habebit. Vnde Geometra ipsum contrahit ad magnitudines sic, si ab æqualibus magnitudinibus æquales auferas, quæ remanent sunt æquales. Aritmeticus autem id facit in numeris, vt si ab æqualibus numeris, &c.

Tex. 75. *Præter propria principia complexa cuiusque scientiæ, dantur etiam propria incomplexa. Sunt igitur propria quidem, de quibus supponitur esse, & circa quæ scientia speculatur ea, quæ eis per se insunt; sic autem se habent vnitates in Aritmetica, in Geometria verò puncta, & lineæ, & vniuersaliter hæc principia sunt determinata subiecta demonstrationis, & scientia. De his ergo principijs, vel subiectis, demonstratores supponunt esse, & hoc esse, seu quod sint, & quid significent. At de his, quæ sunt per se horum passiones, supponunt quidem quid nominis, seu quid vnaquæque significet; at has passiones esse monstrant, & per communia indemonstrabilia principia, & etiam ex proprijs, & demonstratis, v. g. Aritmetica quidem præcognoscit, quid significet par, aut impar, quid numeri quadratura, vel cubus, & alias sui subiecti passiones. Est autem numerus quadratus, qui ex quatuor æqualibus partibus constat, vt sexdenarius. De cubo dictum est in text. 60. Geometria verò etiam præcognoscit quid significet irrationale, aut refrangi, aut concurrere, quæ sunt passiones lineæ, vel quantitatis continuæ. Est autem irrationale incommensurabile secundum partes æquales, æqualiter in numero, & magnitudine acceptas, vt diameter respectu lateris, Refrangi est ab eodem puncto reflecti, vt linea per angulum flexa; concurrere autem est ad punctum vnum approximari, vt quę ad angulum tendunt. Hæ autem omnes passiones ab Aritmetica, & a Geometria monstrantur esse, & supponunt quid nominis, & Astrologia similiter sic procedit. De subiectis autem, & esse, & nominis significatum supponunt.*

Quæ omnia, vt clarius elucescant, ea quæ in Tex. 76. *principio huius libri tetigimus, clarius explicemus Omnis igitur demõstratiua scientia circa tria est. Primum circa ea videlicet, quæ ab ipsa aliquo modo esse ponuntur, seu præcognoscuntur. Hæc autem sunt genus, seu subiectum, cuius proprias passiones ipsa demonstratio speculatur. Secundum sunt principia communia, quæ vocantur dignitates, ex quibus principaliter demonstrantes demonstrant. Et tertium sunt passiones ipsæ, quarum omnium trium quid significet demonstrator accipit, vel præcognoscit. At circa hæc animaduertendum est, quod nihil prohibet, vt aliqua scientia aliquam istarum præcognitionum inuestigationem despiciant, v. g. si subiectum, vel genus manifestum est, quod sit, non oportet per aliquam expositionem ipsum supponere esse (sic nimirum, quod declaremus formaliter hanc eius præcognitionem, sed absque alia mentione supponatur.) Quæ quidem suppositiones secundum diuersitatem scientiarum, & ipsarum subiectorum magis, vel minus supponi, vel declarari debent, sicut magis, vel minus subiecta prædicta sunt nota; non enim est æqualiter manifestum, quod detur numerus (respectu Aritmeticæ) & quod detur calidum, & frigidum (in ordine ad Physicam) quare diuerso modo sunt præcognitiones adhibendæ. Idem dicatur de passionibus videlicet, quod si sint planæ, non oportet earum significationem per expositionem accipere, quemadmodum neque ipsa communia, seu dignitates non sunt inuestigando præcognoscenda si nota sint, vt quoniam hoc principium, si ab æqualibus æqualia demas, &c. notum est, non est immorandum in eius præcognitionis expositione. Quomodocunque tamen hæc se habeant, nihil minus ex natura demonstrationis tria hæc prædicta reperiuntur, videlicet subiectum circa quod demonstrator demonstrat, & ea, quæ ipsemet monstrat, nempe passiones, & ex quibus demonstrat, videlicet dignitates.*

CAPVT XI.

Differentia inter Dignitates, Suppositiones, Petitiones, & Definitiones: Ideoque propter Demonstrationem ponendę non sunt.

QVoniam in præcedentibus de principijs demonstrationis locuti sumus, nunc ea distinguere Tex. 77.

stinguere oportet, & præcipuè Dignitatem, Suppositionem, Petitionem, & Definitionem (quæ omnia suo modo sunt eiusdem Demonstrationis principia.) Principium ergo illud quod est, est per se necessarium, ac etiam necesse est, quod vt necessarium cognoscatur, non est suppositio, neque petitio, neque definitio, sed dignitas, ita videlicet, quod nihil aliud est dignitas ipsa, nisi principium, & in se, & apud omnes necessarium, & notum. At si quis dicat; contra, nam aliquis poterit ipsum negare. Respondetur, quod hoc posset efficere solum voce, non autem mente: quod nihil refert; non enim ad extrinsecum vocalem discursum ordinatur demonstratio (vel hoc ipsius principium) sed ad rationem, quæ est in anima, quoniam neque syllogismus in communi in voce consistit, sed in mente. Semper enim ad discursum extrinsecum, & vocalem instantias, & contradictiones adducere possumus, sed ad intrinsecam rationem non semper. Hæc ergo de Dignitate dicta sint, nunc de alijs dicamus.

Tex.78. Quæcunque igitur propositiones sunt demonstrabiles, & accipiuntur sine demonstratione, vt vera, si discenti videantur tales, & admittantur, sunt suppositiones, non tamen simpliciter, sed ad addiscentem solum. Si verò ipse addiscens in nulla sit opinione, vel credulitate ipsarum, aut etiam contrariam opinionem habeat, & eas propositiones accipit, vel percipit, vocantur petitiones, quatenus à demonstrante petitur, vt pro tunc admittantur, ad hoc quod vltra in demonstrando progredi possit. Et in hoc differt suppositio, & petitio, nam petitio est propositio, quæ potest esse contraria opinioni addiscentis. At suppositio est propositio demonstrabilis quidem, sed accipitur vt vera, & tam addiscens, quam docens ea sine demonstratione vtuntur.

Tex.79. Termini quidem igitur (seu definitiones, quæ termini dicuntur, quatenus naturam rei definitæ terminant, vel adæquatè claudunt) non sunt suppositiones, quia non dicunt esse, vel non esse, seu non sunt affirmatiua, vel negatiua, sicut propositiones, sed ipsę suppositiones in propositionibus consistunt, atque affirmationem, & negationem continent; at ipsos terminos solum simplici, sed distincta notitia intelligere oportet; at hoc quod sic se habet non est suppositio, nisi impropriè aliquis ipsum simpliciter audire, vel intelligere suppositionem vocaret. Sed suppositiones sunt illa, ex quibus fit conclusio, eo quod ipsę sint tales, seu sunt propositiones, quę in syllogismi formam redactę conclusionem inferunt.

Tex.80. Suppositiones autem scientiales debent esse verę, vnde neque Geometra falsa supponit, vt aliqui ei falsò tribuerunt, & ipsum increpantes dicebant, quod non oportet in scientijs falsò principio vti, vel supponere, ac Geometram ipsum mentiri asserebant, quatenus interdum supponit lineam non pedalem esse pedalem, aut non rectam, rectam, sed in veritate non bene ipsum reprehendunt; nam per hanc lineam, quam ipse Geometra locutus est, vel designauit nihil concludit, sed concludit ea, quæ per has lineas tanquam per exempla ostenduntur, quare solum ad exemplificãdum non ad simpliciter concludendum vtitur non recta pro recta, & sic non supponit falsum.

Præterea, ad principale intentum, videlicet, quod definitio à suppositione, & petitione differat sic probatur. Omnis petitio, omnisve suppositio, aut est in toto, seu vniuersalis, aut in parte, seu particularis; at definitiones neque sunt vniuersales, neque particulares, sed simplices distincti conceptus, ergo. Tex.81.

Quo igitur suppositio, petitio, & definitio differant, dictum est; sed hic duo notabimus; primum, quod ista sunt species positionis, de qua diximus in tex. 14. Aliud, quod suppositiones, & petitiones possunt esse circa materias necessarias, & erunt demonstratiua, vel ad demonstrationem attinentes, & circa probabiles, & erunt dialectica: definitiones verò semper necessitatem habent. Ex prædictis ergo diuersimodè consideratis demonstratio constituitur; immediatè verò, & principaliter ex vniuersalibus, & necessarijs propositionibus. Vbi obseruandum est, quòd si demonstratio sic erit, non tamen propter hoc necesse est dari formas, vel ideas separatas, vt in Parmenide inquit Plato (ibi namque Ideas species quasdam vniuersales à singularibus separatas, & incorruptibiles ponebat, per quas scientias immutabiles acquiri putabat) neque eadem de causa ponendum est vnum vniuersale præter multa singularia, vt idem Plato in Simposio, & Timæo docet (asserit etenim in his duobus locis, Ideas esse notiones in mente Dei existentes, quæ sint penitus vnum & idem cum Deo, ad quarum similitudinem omnia efficit, quod licet sit verum; attamen propter scientiam demonstrationis habendam non est necessarium) esse enim verum dicere, quod vnum commune dicatur de multis, necessarium est: nisi etenim hoc daretur, non esset vniuersale, & per consequens neque medium demonstrationis, neque demonstratio ipsa; oportet igitur aliquod vnum commune, & idem in pluribus singularibus esse, quod quidem non æquiuocè, sed vniuocè de ipsis dicatur, & ab ipsis non sit separatum, vel separabile, vt Plato arbitratur.

CA-

CAPVT XII.

Quo pacto in scientijs vtamur principio contradictionis.

Tex. 82. *Principium, vel axioma contradictionis (vt hoc, v.g. Non contingit idem simul asserere, & negare) in nulla demonstratione ostensiua ponitur, nisi contingat cum hoc eodem axiomate conclusionem monstrare. Quando autem in conclusione ipsum monstratur, accipitur primum, seu maior extremitas, quæ affirmatiuè secundum veritatem de medio dicatur: ipsum autem negare de eodem non sit verum, hoc pacto. Omne animal rationale est risibile, & non est verum, quod non sit risibile, omnis homo est animal rationale, ergo est risibilis, & non est verum, quod non sit risibilis. De medio autem nihil refert hoc modo ipsum principium accipere; consimiliter autem neque de tertio termino, siue de minori extremitate. Nam dato in maiori extremitate, quod homo verè de ipsa dicatur, & pariter quod non sit non homo, si in medio, & minori extremitate solum hominem ponamus, conclusio sequitur. Causa autem cur in prædictis non debet sic poni, est: quoniam maior ipsa extremitas non solum de medio dicitur, sed de alio, quod sub medio continetur, eo quod ipsa maior extremitas de pluribus verificatur, quare siue in medio ponatur idem, & non idem, seu hoc contradictionis principium nihil refert. Si autem poneretur in medio, esset proportionaliter sumendum, vt omne rationale est risibile, & non risibile, omnis homo est rationalis, & non rationalis, &c. Prædictum ergo contradictionis principium in demonstratione ostensiua poni non debet, nisi modo prædicto, qui tamen modus, vel est parum vtilis, vel præter consuetudinem loquendi.*

Tex. 83. *At demonstratio ad impossibile hoc aliud pariter contradictionis principium; de quolibet est verum asserere, vel negare accipit, ita vt ipsum ingrediatur, vt suo loco patebit. Tamen neque semper, sed quantum sufficiens est; sufficiens autem est in genere, nempe circa materiam, de qua efficit demonstrationes, sicut prius dictum est, ita vt in Aritmetica v.g. applicetur numeris, in Geometria magnitudinibus, &c.*

CAPVT XIII.

De communitate principiorum: De interrogationibus, & de diuersa ampliatione medij.

Tex. 84. *Communicant autem omnes scientiæ inter se secundum communia principia. Communia autem hic ea solum dico, quibus omnes vtuntur, tanquam ex his cætera demonstrantes; non autem voco communia subiecta propria scientiæ, de quibus proprietates demonstrant, neque ipsas quas monstrant proprietates. Et vt ad exempla accedamus, ea sunt hoc modo communia principia, quæ Dialectica omnibus alijs scientijs subministrat, nempe axiomata, quæ in Topicis habentur; hæc namque vt vera, & notissima accipiuntur a qualibet facultate; licet aliqua scientia, nempe Metaphys. non simpliciter omnia hæc accipiat, vt indemonstrabilia, sed aliqua ipsarum sic communia monstrare tentet, videlicet hæc: De vnoquoque est verum asserere, aut negare, & æqualia ab æqualibus dempta, æqualia relinquunt, & nonnulla alia huiusmodi, quæ in 4. Metaph. probantur.*

Dialectica verò (illa videlicet pars Logicæ, quæ Topica dicitur) non est ita determinatarum quarumdam rerum, neque alicuius vnius subiecti, & hac de causa prædicta axiomata alijs impertitur. Si etenim aliquod determinatum genus sibi præfigeret, non interrogaret, & responderet de diuersis oppositis probabilibus; nam solum quæ ad tale genus pertinerent, consideraret, & demonstraret: demonstrans enim non interrogat, eo quod idem demonstrans non demonstrat ex oppositis, sed ex eis, quæ per se insunt, opposito tamen modo Dialecticus procedit, quæ quidem omnia declarata sunt in ijs, quæ diximus de syllogismo in libris Priorum. Nunc de interrogatione aliqua dicamus. Si igitur interrogatio syllogistica (ex qua videlicet syllogismus, vel dialecticus, vel sophisticus, vel demonstratiuus componitur) est idem cum propositione contradictionis, (ve an diuitia sint expetenda, vel non in dialectico; an currens quodlibet habeat pedes in sophistico; an homo sit corruptibilis in demonstratiuo) & propositiones ipsæ contradictionis sint propria in unaquaque scientia, ex quibus pariter syllogismi proprij ad talem scientiam attinentes fiunt, erunt vtique in vnaquaque scientia interrogationes propriæ scientiales (seu ad talem scientiam attinentes) ex quibus proprius fiat prædictæ scientiæ syllogismus. Sed est dubitatio, nam paulò ante in hoc textu dictum fuit, demonstrantem non interrogare, quomodo ergo hic dicitur, quod dentur etiam interrogationes demonstratiuæ? Respondetur, quod demonstrator non interrogat sic, quod vtramque partem interrogationis accipiat, vt efficit Dialecticus, sed vt vnum solum demonstret, vt an homo sit generabilis, vel ingenerabilis, non disputat pro vtraque parte resoluendo, sed pro vna tantum, quæ interrogatio fit post determinationem conclusio. Tex. 85.

Ex dictis manifestum est, quod non omnis interrogatio Tex. 86.

terrogatio Geometrica erit, neque medicinalis, nisi fiat ex terminis ad tales scientias attinentes; similiter autem dicendum est in alijs; Sed solum illa sunt geometrica, ex quibus monstratur aliqua conclusio geometrica, aut aliquid aliud ex eisdem Geometriæ principijs, licet non sit hoc purè geometricum, quemadmodum se habent conclusiones Perspectiuæ, quæ per prædicta principia ostenduntur; Id quod de Geometria diximus, consimiliter se habet in alijs scientijs. De ijs autem, quæ ad Perspectiuam attinent, ratio est assignanda ex geometricis principijs, ex quibus dependent: imò non tantum ex ipsis, sed etiam ex geometricis conclusionibus, quia conclusiones scientiæ subalternantis, vel superioris possunt assumi pro principijs subalternatæ, vel inferioris, vt hæc est conclusio Geometriæ, latera circuli difficilius vniuntur; est autem principium Chirurgiæ cum contractione, sic, vulnera circularia difficilius vniuntur, vel sanantur.

Tex.87. *At de ipsis principijs Geometriæ non est assignanda ratio à Geometra, in quantum Geometra, sed ab alio, nempè à Metaphys., vel Physico, vel potius à cognitione per se nota; nam principia non demonstrantur in illa scientia, cuius sunt principia. Quod diximus de Geometria consimiliter in alijs scientijs reperitur. Neq; igitur vnusquisq; scientificus omnem interrogationem interrogare debet, nec de vnoquoque interrogato respondere, sed solum de ijs, quæ secundum suam scientiam interrogata sunt. Vnde si aliquis disputabit cũ Geometra de rebus geometricis in quantum ille est Geometra, & si ex his, quæ ad Geometriam attinent, respondeat, aut aliquid monstret, manifestum est, quod benè vterque faciet: si autem non sic procedent, non benè.*

Tex.88. *Planum autem est, quod qui redarguit Geometram ex malis responsionibus eorum, quæ ad Geometriam non attinebant, eum non benè redarguit, sed per accidens, seu extra propositum, quia ea ad ipsum non attinebant, nisi fortè per accidens, quatenus videlicet alia facultate, vel arte pollebat. Quare in facultatibus non geometricis non erit de Geometria disputandum, qui enim sic disputabit, latebit, si sit prauè, vel benè disputans; consimiliter autem in alijs scientijs se habet. Sed tres remanent difficultates. Prima, cum dentur geometricæ interrogationes, quæritur, an dentur etiam circa ipsam Geometriam non geometricæ, seu ageometricæ, & sic de alijs scientijs, vt an in Physica, sicut fiunt interrogationes physicæ, sic quoque fiant non physicæ; Secunda si sunt tales interrogationes non geometricæ, vel non physicæ, &c. quæritur secundum qualem ignorantiam fint. Pro solutione de tertia huic annexa quæritur, nempe, vtrum syllogismus, qui fit ex propositionibus non geometricis in Gemetria sit syllogismus, qui fit ex oppositis, nempè ex propositionibus falsis, & peccans in materia. vel potius sit paralogismus, id est peccans in forma. Ad primam respondetur, quod interrogatio Geometriæ potest fieri in eadem facultate, vel secundum Geometriam, nempe ex eius principijs, aut ex alia arte, vt si quis de rebus musicis in Geometria quæreret, esset interrogatio non Geometrica de Geometria. Si verò aliquis putaret, lineas coalternas, seu aequè distantes coincidere, & iuxta hoc suppositum interrogaret, esset interrogatio geometrica aliquomodo, prout videlicet fit ex terminis geometricis; alio autem modo non esset geometrica, quatenus scilicet falsum geometria supponit.*

Duplex namque est ingeometricum, quemadmodum irrhythmicum, seu informe; nam aliud est quæsitum ingeometricum, eo quod non habet aliquid Geometriæ, neque terminos, vt irrhythmicum vno modo dicitur, quod penitus vacat forma; alterum verò est non geometricum, eo quod male habet, (quia videlicet supponit falsa, vel impossibilia) vt informe, vel irryhthmicum, quod turpem habet formam. Quare hæc ignorantia, quæ ex falsis procedit contraria est alteri, quæ procedit ex oppositis principijs. Et quæ procedit ex falsis dicitur ignorantia, praua dispositionis, quæ ex oppositis, vel alterius scientiæ, aut ex non intelligentia terminorum, dicitur pura negationis. Sic igitur omnes tres prædictæ difficultates soluuntur; nimirum, quod interrogationes, & syllogismi non pertinentes ad scientiam ex duplici contingunt ignorantia, & quanam hæc duplex ignorantia sit. Tex.89.

Sed obseruandum est, quod non in omnibus facultatibus æqualiter cõtingit errare, vnde in Mathematicis non fit paralogismus, vel syllogismus deceptorius, sicut in Dialectica. Ratio est, quia medium in Mathematicis semper est duplex, seu duo vniuersaliter, & vniuocè respicit: nam de ipso in maiori propositione dicitur omne, vel prædicatum vniuersale; & ipsum rursus dicitur de omni, quod continetur sub extremitate minori: vt omne rationale est discursiuum, omnis homo est rationalis, &c. Vbi obseruandum est, quod prædicatum nunquam debet poni cum hoc signo omne, vt homo est omne animal, &c. Sed id fit solum circa subiectum; Cum igitur in Mathematicis medium sic se habeat, hæc quæ sic sciuntur, sic clara sunt, ac si intellectu viderentur. In rationibus autem, seu discursibus dialecticis non est notum, vtrum v. g. omnis circulus sit figura, &c. nam circulus ipse sic vniuersaliter sumptus non tantum de figura, sed etiam de carmine quodam, quod ordine præpostero legi potest, ad similitudinem Tex.90.

tudinem huius, Sacrum pingue dabo, nec macum sacrificabo; sic ergo vniuersaliter erit occasio deceptionis; si verò descripserit aliquis ipsum circulum more mathematico; planum est, quod ambiguitas tollitur: fortè enim carmina erunt hic circulus? manifestum quod non sunt, vnde qualibet aufertur aquiuocatio.

Tex.91. Ad cognoscendum autem si demonstrationes sint bona, vel non, afferuntur instantia, seu opposita propositiones; vt si quis ponat, omne corporeum esse corruptibile, fit instantia, dicendo, calum esse corporeum non autem corruptibile, & sic propositio illa pro demonstratione assumpta apparebit ad id inepta. Non oportet autem instantiam contra ipsum, qui malè demonstrat, afferre per propositiones inductiuas, vel singulares; nam syllogismus demonstratiuus est ex vniuersalibus propositionibus; quare quemadmodum neque propositio demonstratiua est, qua non est in pluribus, seu in omnibus; sic neque demonstratiuus syllogismus, neque dialecticus, & sic nostra instantia, qua oppositam demonstrationem cōficere debeant (si enim ex instantijs oppositam non conficiamus demonstrationem, poterunt esse singulares, vt ad destruendum, omne corpus esse corruptibile, sufficeret de vno tantum oppositum ostendere) vniuersales necessariò erunt; nam instantia, & propositiones idem sunt, quia ipsa instantia, qua per modum redarguendi efficitur, potest fieri propositio, vel demonstratiua, vel dialectica, si videlicet sumatur cum alia propositione ad inferendam conclusionem, sed illa sunt vniuersales, ergo, & instantia.

Tex.92. Contingit autem quosdam non syllogisticè discurrere, sed errores committunt, eo quod accipiunt pro medio consequens ad subiectum, & pradicatum, vnde fit syllogismus ex puris affirmatiuis in secunda figura, qui non est bonus, quemadmodum quidam Philosophus, qui vocabatur Canens facit; hic namque volens probare, quod ignis in multiplicata proportione generetur (est autem sic generari ex parua aliqua materia aliquod maius nimis efficitur, vt multus fumus ex paruo humido) sic syllogizat, quod in multiplicata proportione generatur citò generatur, ignis citò generatur, ergo generatur in multiplicata proportione. (Est autem citò generari consequens, vel superius ad ignem, & ad generari in multiplicata proportione) sic autem non benè fit syllogismus, nisi termini sint conuertibiles, ita quod multiplicata proportio conuertatur cum eo, quod est citò generari, & è conuerso. Aliquando quidem igitur in secunda figura non contingit syllogizare ex acceptis, seu ex propositionibus affirmatiuis, nonnunquam verò contingit, videlicet quando termini sunt conuertibiles, sed non videtur bona syllogizatio, & de facto non est: quia & si rectè concludatur, non est ex vi, vel forma syllogistica, sed ex talium terminorum connexione.

Si autem impossibile esset ex falso verum sequi, sed ipsum verum solum ex veris colligeretur, facilè vtique esset resoluere, vel conclusionem ex pramissis colligere; conuerteretur etenim conclusio ipsa cum pradictis pramissis ex necessitate quo ad veritatem, ita vt si ipsa esset vera, & illa pariter. Sit namque A, tale ens, vel conclusio demonstrabilis; hac autem conclusione existente vera, & ex veris, hac principia, vel pramissa, vt B, verbi gratia, (quas noui quod sunt huius conclusionis principia) pariter sunt vera; ex his itaque monstrabo, quod illud B, vel conclusio est, & ex conclusione illorum veritatem colligam. Tex.93.

Conuertuntur autem magis conclusiones cum pramissis, qua sunt in Mathematicis, quam qua in Dialecticis; quoniam syllogismi Mathematica nullum accidens ad syllogizandum accipiunt, sed suarum rerum definitiones, vnde per hoc differunt ab ijs syllogismis, qui fiunt in dialecticis disputationibus, qui per accidentia, vel per probabilia, vt plurimum, procedunt. Quod autem dialectica syllogizationes sic a Mathematicis differant, probatur, nam Mathematica ipsa demonstrationes augentur quidem, non autem per diuersa media, quasi extranea, vel probabilia tantum, vt dialectica, sed ex eo quod assumunt principium, & ea, qua ab ipso dependent, (quod dicitur augeri in post sumendo) vel passionem aliquam superioris de diuersis inferioribus per diuersa media probant (quod vocatur augeri in latus) Exemplum de post sumendo, vt A, dicitur de B, hoc autem de C, hoc de D, in infinitum, sic v. g. substantia dicitur de corpore, hoc de viuente, viuens de animali, animal de homine, &c. qua in formas syllogisticas hoc pacto redigantur. Omne per se existens est substantia, corpus per se existit, ergo corpus est substantia; deinde ad probandum viuens esse substantiam accipiatur conclusio pręcedentis syllogismi sic, omne corpus est substantia, omne viuens est corpus, ergo omne viuens est substantia; pariter ad probandum animal esse substantiam; conclusio pracedens sumenda est, nempe, omne viuens est substantia, omne animal est viuens, &c. vnde pro medio semper assumitur conclusio, qua est post principia, & hac de causa dicitur augmentum post sumendo, & bene fit in Mathematicis propter connexionem essentialem pręedicatorum. In latus autem sic fit augmentum. A, seu numerus quantus, vel infinitus, (nempe non determinatus ad aliquem particularem sed communis) dicatur de C, & de B, nempe de numero pari, & impari, tunc de vtroque per diuersa media

media demonstrari potest, vt de pari sic. Omne quaternarium est numerus, par est quaternarium, ergo est numerus; de impari sic, omnis ternarius est numerus, impar est ternarius, ergo est numerus, in quibus demonstrationibus, quia ternarium, & quaternarium, quæ sunt media non subordinata, sed diuersa, & quasi differentia laterales numeri, hæ dicuntur augmentationes in latus assumendo, quæ pariter per connexa, & necessaria procedentes veram efficiunt demonstrationem.

CAPVT XIIII.

De demonstratione quòd, & propter quid. Tex.95.

Tex.95. D*Iffert autem scire Quod, seu Quia ab ipso scire propter quid, nō solum in diuersis scientijs, sed etiam in eadem, in qua quidem scire dupliciter contingit. Vno modo si syllogismus non fiat ex causa immediata, sed remota, & hoc scire est tantum secundum quid; non enim in ipso accipitur prima, seu proxima, & adæquata causa. At scire propter quid est scire per primam, & immediatam causam. Fit igitur scire Quod, seu Quia vno modo per causas remotas, vt dictum est.*

Tex.96. *Alio autem modo si hoc scire fiat quidem per immediata, non tamen per causas, sed per effectus notiores, qui quidem cum causa ipsa conuertuntur. Nihil enim prohibet aliquos eorum effectuum, qui conuersim de sua causa prædicantur esse notiores ipsa causa, quare tanquam per notiora poterit per ipsos causa demonstrari. Vt quod planetæ sint propè nos, per hunc effectum, quòd non scintillant, sic syllogizando; omnes Stellæ, quæ non scintillant propè sunt; planetæ non scintillant, ergo propè sunt, pro ipsis ponuntur literæ, vt A quod significat propè esse, B non scintillare, & C, planetas. Hic autem effectus nempe non scintillare cognitus sit per sensum, aut inductionem, vnde per nota procedamus. Hic itaque discursus non est propter quid, seu per causam, sed est ipsius quod est, seu effectus; non enim ipsi planetæ propter scintillare propè sunt; sed propterea, quia propè sunt non scintillant, nam scintillatio accidit propter distantiam, eo quod noster visus non potest sic longe ferri, sed tremit, vnde astra distantia tremere, vel scintillare videntur.*

Tex.97. *Quare euenit vt melius per alterum alterum monstremus, nempe non scintillare planetas, eo quod propè sint, & tunc erit demonstratio propter quid, & accipietur prima causa, quæ est propè esse, cuius effectus est non scintillare, sic syllogizando. Omnes Stellæ, quæ propè nos sunt non scintillant; planetæ sunt propè nos, ergo non scintillant.*

Rursus fit etiam demonstratio Quia, vel ab effectu, quemadmodum Lunam monstrant esse sphæricam, quia circulariter augetur, vel illuminatur, sic syllogizantes, omne quod augetur circulariter est sphæricum, Luna sic augetur, ergo; Sic igitur fit syllogismus ex parte effectus. E conuersò autem fieri potest ponendo medium, quod est causa, & propter quid ipsius augmenti; non enim quia sic augetur est sphærica, sed quia sphærica est, sic augetur: vnde augeri circulariter est effectus sphæricitatis. Sic igitur fiat syllogismus. Omne, quod est sphæricum illuminatur circulariter, Luna est sphærica, ergo; pro Luna ponatur C, pro sphærico B, pro augmento A. In quibus autem media, vel causæ non conuertuntur cum effectibus, & id quod non est causa (scilicet effectus ipse) est nobis notius; fiunt quidem demonstrationes quia, non autem propter quid, vt per progressiuum probamus animal, tanquam per effectum, non autem per animal progressiuum, quia sunt aliqua animalia non progressiua. Tex.98.

Amplius, secundo modo fiunt demonstrationes, quia, seu quòd: in quibus non ponitur medium, vel causa propinqua, sed extra, vel remota, etenim in ijs non est demonstratio propter quid, sed quòd; non enim hæc dicitur propriè, & adæquatè causa: Vt si quæramus propter quid non respirat paries, & dicamus, quoniam non est animal, ita vt credamus ipsum non animal esse causam adæquatā non respirandi, non erit hoc per causam immediatam, sed per remotam, si enim non animal esset adæquata causa non respirandi, ipsum animal esset adæquata, & immediata respirandi: nam si negatio est causa negationis, & affirmatio est causa affirmationis, seu si ex remotione causæ remoueatur effectus, ad positionem eius effectus ponitur, præcipuè in causis necessarijs adæquatis; vt quia calidum, & frigidum cum alijs qualitatibus sunt improportionata, sanitas non est; si verò proportionata sint, est sanitas, & sic vniuersaliter si affirmatio est causa affirmationis, & negatio negationis, & e contra; at in prædictis res non ita se habet, quia non omne animal respirat, & sic animal non est necessaria adæquata causa respirandi, quare neque non animal non respirandi. Syllogismus autem per hāc causam remotam fit in secunda figura sic. Omne quod respirat est animal, paries non est animal, ergo paries non respirat. Ponatur loco animalis A, loco parietis C, & pro respirare B. Assimilātur autem tales causæ remotæ ijs, quæ secundum excessum dicuntur, nēpe prædicatis superioribus inadæquatis, vt animal respectu hominis, hoc nāq; plus dicit, vel ad plura se extendit Tex.99.

quam medium proprium demonstrationis. Sunt pariter tales causæ, vt illud dictum Anacharsidis Scytha Athenis commorantis, hic enim interrogatus; Si in Scythia essent tibicines, seu auletrides (sunt fœmina pra nimio vino saltantes) respondit, quod in Scythis non sunt vites; at vites sunt causa remota huius actionis, cuius demonstratio in formam syllogisticam sic redigi potest. Vbicunque sunt tibicines ibi sunt vites, in Scythia non sunt vites, ergo neque tibicines. Secundum igitur eandem scientiam, iuxta diuersitatem mediorum (quatenus est a causa remota, vel propinqua, vel ab effectu) differt syllogismus demonstratiuus quòd, ab eo, qui est propter quid.

Tex.100. *Alio autem modo differt demonstratio propter Quid & Quia, quatenus ad diuersas scientias attinent; tales autem scientia sunt, quarum vna est sub alia, vt Perspectiua est hoc modo sub Geometria, & Mechanica sub Stereometria (est autem Mechanica hoc loco facultas extruendarum Machinarum; Stereometria verò, qua corpora solida contemplatur) & Musica sub Aritmetica; & Apparentia, seu Nautica sub Astrologia (dicitur autem Nautica apparentia, quatenus Stellas apparentes considerat) Quod autem vna considerec propter quid, & altera quia, fiat vnico saltem exemplo manifestum. Perspectiuus igitur dicit absque probatione res ad maiorem distantiam visas apparere minores; Geometra verò huius effectus causam, seu propter quid assignat; nam res a longe visa sub minori angulo perspiciuntur. Ha autem qua considerant propter quid dicuntur subalternantes, qua verò considerant quia, vocantur subalternata, & vtraque indifferenter subalternę. Sunt autem pradicta quamplures ferè vniuoca, nam in subiecto communi, & materiali conueniunt, vt Astrologia in communi (qua dicitur etiam Mathematica) & Nautica, & pariter Musica speculatiua (qua etiam vt sic est Mathematica, nempe ea pars, qua pertinet ad Aritmeticam) & Musica practica, qua est secundum auditum, seu per citharas, vel chordas; nam ha secunda, videlicet Nautica, & Musica per auditum sub subiecto pradictarum continentur, Nautica videlicet, sub Astrologia, & Musica per auditum sub Musica speculatiua.*

Tex.101. *In his verò facultatibus subalternatis ipsum quidem quod, seu effectum, qui per sensus cognoscitur contingit scire; causa autem, vel propter quid ad subalternantes, & Mathematicas pradictas attinet. Hi namque Mathematici habent demonstrationes per causas, & plerumque non sciunt effectus ad scientias subalternatas attinentes, quemadmodum vniuersale speculantes, multoties aliqua singularia nesciant, quia circa ipsa non aduertunt. Sunt autem ha facultates quorum professores sic se habent, quacunque cum sint diuersa ex sua natura ab alijs, vtuntur formis, nempe speciebus, & cognitionibus abstractis; scientia namque pracipuę, & ab alijs non dependentes circa tales formas, vel species vniuersales sunt, vt Geometria ipsa (qua de numero harum est) non est de aliquo subiecto singulari sensibili; si autem de aliquo tali esset, hoc non esset quatenus Geometria est, sed prout contracta, vel ad Perspectiuam, vel ad Chirurgiam, &c.*

Ea autem scientia, qua est de Iride se habet ad Perspectiuam, vt Perspectiua ipsa ad Geometriam; ita vt quemadmodum Perspectiua Geometria subalternatur, ita scientia de Iride (qua habetur in Physicis) subalternatur Perspectiua. Vnde scire quòd, vel effectum ipsum Iridis est proprium Physici, propter quid verò Perspectiui, aut simpliciter, aut secundum Mathematicam, seu Geometriam, cui ipsa Perspectiua subalternatur. At obseruandum est, quod multa alia scientia non subalterna sic se habent, quod propositio aliqua vnius per principia alterius probatur, vt Medicina respectu Geometrię. Quod enim vulnera circularia tardius sanentur Medici est scire sine probatione, vel causa; at causam assignare est Geometrę. Tex.102.

Talia autem sunt quæcunque sic se habent inuicem, vt sit alterum sub altero. Tex. 100.

QVÆSTIO VNICA.

De subalternatione scientiarum.

VNam scientiam sub altera poni, docet Aristot. in litera, at quot modis id fiat, & quando rationem subalternationis retineant, ex ijs, quæ ipse dixit non est penitus clarum. Sciendum est ergo; quod vna scientia sub alia poni contingit quatuor modis; Primò secundum se totam, ita videlicet, quod vna sit inferior alia; vt homo animali, & hoc est penitus impossibile, sed ad clariorem distinctionem ponatur, quod autem impossibile sit, probatur; nam tunc superior de inferiori diceretur, quod tamen est falsum, nulla enim scientia de altera dicitur, vt Logica non est Physica, &c. Verum est tamen, quod quandoque plures scientiæ communé, & abstractum nomen sibi vendicant, vt quamplures Morales, Naturales, Mathematicæ, &c. Secundo modo vna scientia sub alia collocatur, quatenus vtitur ipsius notissimis principijs, & sic ferè omnes sub Metaphys. & sub Logica, præsertim sub ea parte, quæ dicitur Topica collocantur, diuerso tamen modo, quia sub Metaphysica continentur veluti sub principaliori, vnde vocatur Domina omnium; sed sub Logica instrumentaliter tantum. Tertio modo vna sub alia continetur ratione subiecti, ita videlicet, quod subiectum eius sub subiecto alterius sit, & sic simpli-

ſimpliciter loquendo omnes ſcientiæ reales ponuntur ſub Metaphyſ. nam ſubiectum eius eſt ens, quod omnia entia comprehendit, tribus igitur prædictis modis non dicitur aliqua ſcientia alteri ſubalternari, licet omnes ſimul in vnum colligerentur. Quartò itaque modo, aliqua eſt ſcientia alteri ſubalternata ſi tres habeat conditiones. Prima, quod ſubiectum eius ſit ſubiecto alterius, quæ verò non ſic ſe habent dicuntur diſparatæ. Secunda, quod principia ſcientiæ ſubalternatæ probentur per principia ſubalternantis, ſeu (quod idem eſt) concluſiones ſubalternantis ſint principia ſubalternatæ. Tertia, quod ſubiectum ſubalternatis contrahatur ad ſubiectum ſubalternatæ per differentiam accidentalem, v. g. Perſpectiua eſt ſcientia ſubalterna reſpectu Geometriæ, quia linea viſualis (quæ eſt Perſpectiuæ ſubiectum) continetur ſub linea ſimpliciter, quæ eſt ſubiectum Geometriæ. Amplius propoſitiones, quas veluti principia in Perſpectiua aſſumuntur, per principia Geometriæ probantur. Pariter viſualitas, quæ eſt differentia accidentalis lineæ (eſt namq; per accidens, vt viſui ſubiaceat) eſt contractiua lineæ. Sed contra tres prædictas conditiones, tres ſe ſe offerunt inſtantiæ. Prima contra primam. Superius, & inferius ad eandem ſcientiam attinent, ergo ſi ſubiectum ſcientiæ ſubalternatæ continetur ſub eo quod eſt ſubalternantis, erit ipſius inferius, & ſic ad vnam tantum ſcientiam attinebunt. Probatur antecedens; nam ſuperius includitur eſſentialiter in ſuo inferiori, vt animal in homine, id autem quod aliud eſſentialiter includit non poteſt ſeorſum ab eo diſtinctè cognoſci. Secunda contra ſecundam. Si principia ſcientiæ ſubalternatæ probarentur per ea, quæ ſunt ſubalternantis, ipſa ſubalternata, vel non eſſet ſcientia, (quia omnis ſcientia eſt per indemonſtrabilia prima, immediata, &c.) vel habens ſcientiam ſubalternatam, neceſſariò quoque deberet habere ſubalternantem. Tertia contra tertiam. Ens per accidens non eſt ſcibile, ergo ſubiectum ipſum, quod per differentiam accidentalem contrahitur ſcibile non erit, & per conſequens nullam ſcientiam conſtituet. Ad primam dicitur, ſuperius, & inferius ſimpliciter, & incontractu ad eandem ſcientiam attinere, vt omnes ſpecies animalis ad eam, quæ de animali in communi eſſet; attamen ſi ipſum ſuperius per aliquam differentiã, vel rationem conſiderandi reſtringatur, aliam poteſt conſtituere ſcientiam, vt corpus contractum per naturale eſt ſubiectum Phyſicæ, per quantum Mathematicæ, &c. ſic per alias reſtrictum ſubalternata conſtituitur. Ad ſecundam negatur vtraque conſequentia, ad primam dicitur, omnem ſcientiam procedere per prima, immediata, &c. vel ad ipſa reduci, ſic enim declarat Ariſt. in hoc libro tex. 75. vbi aſſerit, quod eſſe paſſionum (ſeu concluſionum) monſtratur, & per communia, & ex demonſtratis. Ad ſecundam dicitur, non opus eſſe, vt qui habet ſcientiam ſubalternatam etiam ſubalternantem habeat; nam principia hæc prima, quæ in ſubalternante probantur ſunt pauca, & poſſunt ab ipſa ſcientia mutuari, relinquendo multa alia, quæ per hæc non probantur. Non tamen eſt negandum, eam eſſe imperfectiorem ſubalternante. Ad tertiam reſpondetur, ens per accidens duplex eſſe; aliud quod purum aggregatum ex diuerſis naturis eſt, ita quod vnum alteri accidẽtaliter vniatur, vt homo albus, homo niger, &c. Aliud eſt ſic ex diuerſis aggregatum, quod vnum ſe habeat veluti determinabile, aliud veluti determinatiuum eiuſdem, ita vt ex hac data compoſitione aliqui effectus neceſſariò ſequantur; & hoc eſt verè ſcibile, v. g. linea, & viſibilitas ſic adinuicem ordinata ſunt, vt ſi linea ſub colore, vel ratione viſibilitatis, vt determinabile ponatur, neceſſarij effectus ad Perſpectiuam attinentes ſequuntur. Pariter ſi numerus per ſonum determinetur, diuerſas neceſſarias, & immutabiles natus eſt efficere proportiones harmonicas, & hoc pacto ens per accidens eſt verè ſcibile, & in ſubalternatis ſcientijs ſubiectum, ſi autem pro differentia formali eſſentialis differentia, vel propria paſſio ſumeretur, non ad aliam, ſed ad eandem ſcientiam attineret, quia eiuſdem facultatis eſt conſiderare ſubiectum, & eius differentias, & proprietates.

C A P V T XV.

Prima Figura maximè eſt demonſtrationi ſcientiali accommodata.

Tex.103.

INter figuras ſyllogiſmorum maximè ad ſcientialem demonſtrationem accommodata eſt prima, & præſertim primus modus ipſius. Nam Aritmetica, Geometria, Perſpectiua, & alia Mathematica ſcientiæ, imò & omnes, quæ per cauſas procedunt per hanc demonſtrant; nam vel omnino, vel vt plurimum, & in plurimis facultatibus fit ſyllogiſmus propter quid in hac figura, vnde erit maximè ſcientialis: nam proprium ſcientiæ eſt ſcire propter quid. Amplius cognitionem definitionis inueſtigare per hanc ſolam figuram poſſibile eſt: Nam in ſecunda figura non fit ſyllogiſmus affirmatiuus, definitionis autem cognitio affirmatiua eſt (nempe ſine negatione, non ad ſimilitudinem propoſitionis: ſic namque nec affirmatiua, neque negatiua eſt definitio, vt ſuperius tex. 79. diximus.) In tertia autem figura fit quidem ſyllogiſmus affirmatiuus, ſed ſemper concluſio eſt particularis, at definitio eſt vniuerſalis: non enim animal bipes, vel rationale (quæ pro hominis definitione ponatur) aliquomodo, vel aliquibus tantum hominibus conuenit, ſed omnibus) neque eſt intelligendum, definitionem eſſe vniuerſalem, vt eſt propoſitio, quia pariter hoc repugnaret ijs, quæ dicta fuerunt ſupra in tex. 81. Sed quod omnibus conueniat ſine ſigno vniuerſali.) Amplius. Hæc prima figura non indiget alijs, ſed bene è contra, nam illæ per hanc condenſantur, & augentur quouſque ad immediata venerint, hoc eſt ad iſtam reducuntur per conuerſionem, & ſic quia multi modi ad vnum iſtius reducuntur, addenſari dicuntur, & pariter augeri, quia alter ad quem reducuntur eis additur, & quia ſunt nota ea, quæ aſſumuntur in prima figura ad immediata veniunt, præſertim ſi ſit ipſius primus modus. Manifeſtum itaque eſt, quod ad ſciendum maximè propria eſt prima figura.

Tex.104.

At obſeruandum eſt, quod quemadmodum contingebat dari propoſitiones affirmatiuas immediatas, ita etiam negatiuas, vt ſicut dicebamus A, ſeu animal ineſſe ipſi B, ſeu homini, v.g. indiuiduè, ſeu immediatè, ita contingit, vt

immediatè lapis ei non insit. Vnde indiuiduè inesse, vel non inesse, eidem est, quod immediatè aliquid affirmari, vel negari de aliquo: sic namque non erit inesse, vel non inesse per aliud, sed absq; medio. At quoniam solum per modum exempli aliqua ad id probandum adduximus, ad exactam doctrinam immediatarũ negatiuarum propositionũ accedamus. Quatuor igitur modis fiunt negatiuæ propositiones. Primò, quando prædicatum non est sub aliquo prædicamento, subiectum verò est, vt albedo non est substantia. Secundò, quando subiectum non est sub prædicamentum, prædicatum verò sic, vt substantia non est albedo. Tertiò, cum vtrumque sub diuersis est prædicamentis, sed species, vt albedo non est linea, numerus non est color, &c. Quartò, cum vtrumque est generalissimum, vt substantia non est quantitas. Hæ igitur omnes propositiones licet sint negatiuæ, non tamen omnes sunt immediatæ, ideo quæ sint, & quæ non declaremus.

Tex.105 *Quando igitur, vel solum prædicatum, vel solum subiectum, aut ambo sub aliquo prædicamento sunt, non contingit prædicatum immediatè de subiecto ipso prædicari. Sit igitur prædicatum (& est exemplum primi modi) aliquod totum, ita videlicet, quod sit generalissimum aliquod; ipsum verò subiectum sit sub alio genere (contingit namque esse in alio) poterit fieri syllogismus, quod tale prædicatum subiecto non conueniat, sumendo ea, quæ subiecto conueniunt pro medio, vt patet de hac propositione, albedo non est substantia, sic namque probari potest. Nulla qualitas est substantia, albedo est qualitas, ergo albedo non est substantia, & sic negatiuæ primi modi non sunt immediatæ.*

Tex.106. *Consimiliter autem si subiectum generalissimum sit, & prædicatum nequaquam, sed sub alio genere, non erit immediata propositio negatiua; nam poterimus assumere ad ipsam probandam ea, quæ prædicato conueniunt, vt hæc propositio substantia non est albedo (& est exemplum secundi modi) sic. Omnis albedo est qualitas, substantia non est qualitas, ergo non est albedo.*

Tex.107. *At vero si contingit, ipsum subiectum non esse in eodem prædicamento in quo est prædicatum, sed vtrumque sub alio, & alio contineatur, clarè patet, quod talis propositio neque erit immediata, vt albedo non est linea, sed ex diuersis coordinationibus, vel prædicamentis in quibus sunt probari possunt, assumendo quæ sunt vnius, & ab altero remouendo; non enim prædicamenta commutantur in se inuicem, sed quæ sunt vnius ab altero remouentur, vt nulla qualitas est linea, albedo est qualitas, ergo albedo non est linea, & est tertius modus. Ad hunc modum reducitur propositio negatiua, in qua prædicatum & subiectum sunt species diuersæ eiusdem prædicamenti, vt homo non est equus, albedo non est nigredo, nam per naturam, vel prædicata affirmatiua vnius, aliud alteri non conuenire ostendere possumus, & sic non erit immediata.*

Si verò neque subiectum, neque prædicatum in aliquo sit genere, sed vtrumque sit generalissimum, vt substantia non est quantitas, erit tunc propositio immediata negatiua. Si enim erit aliquod medium ad ipsam probandam, necesse est vt assumatur in syllogismo vna propositio, cuius prædicatum sit in toto, seu dicatur de omnibus, & sit affirmatiua, tam si fiat in prima, quam in secunda figura; verum in prima minor necessariò erit hæc affirmatiua; in secunda verò maior, vel minor esse poterit, ex puris autem negatiuis non fit syllogismus. Sed in propositione affirmatiua sumitur aliquod, quod dicatur de subiecto, de generalissimo autem nihil potest dici, quia non habet aliud supra se, & sic cum deficiat vna propositio affirmatiua, non erit medium hanc demonstrandi, quare erit immediata. De tertia verò figura, quia conclusio est semper particularis, non fit mentio, nam loquimur de vniuersali negatiua. Manifestum est igitur, quod prædicatum contingit alicui indiuiduè, seu immediatè inesse, & quando contingit, & quomodo, diximus. Tex.108.

QVÆSTIO VNICA

Dubitationes circa cap. 15.

Circa hoc caput duæ se se offerunt difficultates. Prima contra id quod diximus in Quæstione vnica cap. 4. in solutione decimæ dubitationis; ibi etenim nullam propositionem negatiuam immediatam esse declarauimus; hic autem totum oppositum omni conatu Arist. docet.

Secunda contra id, quod nuper dictum est, videlicet, quod non potest probari propositio negatiua, in qua generalissimum de generalissimo negatur, eo quod debet assumi vna affirmatiua, quæ ideò assumi nequit, quia generalissimum nullum habet supra se prædicatum. Hoc autem nihil valet, quia licet non admittat superius, nisi transcendens: attamen & eius descriptiones & proprietates pro medio benè, & sufficienter assumi possunt, vt ad probandum; substantiam non esse quantitatem, sic syllogizare possumus. Nullum per se existens est quantitas, substantia per se existit, ergo non est quantitas. Pariter. Quod non est in subiecto, nec dicitur de subiecto non est quantitas, sed substantia non est in subiecto, nec dicitur de subiecto, ergo non est quantitas.

Ad primam respondetur, propositionem negatiuam dici immediatam dupliciter, vno modo quod prædicatum immediatè, & ante omnia negetur de subiecto, ita vt nihil supponat prius affirmatiuè, & negatiuè aliud prædicatum non possit sic immediatè de subiecto negari, & vtroque modo immediata propositio negatiua est remouenda; nam quo ad primam partem, nunquam erit verum, substantiam non esse quantitatem, nisi quia

prius fuit verum, substantiam esse substantiam, vel tale ens; omnis namque affirmatio est prior negatione ex 2. de Cœlo tex. 18. Si ergo est prior propositio affirmatiua, patet quo ad hoc, negatiuam non esse immediatam, quia immediatum nil supponit, hoc namque immediationem tolleret. Neque alia ratione potest esse negatiua immediata propositio; quia sicut quantitas negatur de substantia, sic quoque qualitas, relatio, actio &c. quare nulla erit immediata adhunc sensum; nam immediatum, aliud, vel proximius, vel æquè proximum non admittit, vt patet ex vi vocabuli. Et sic intelligenda est nostra determinatio in præcitata dubitatione. Alio modo dicitur propositio immediata, quatenus non habet medium conueniens vt demonstretur, & sic tales propositiones prædictæ possunt dici immediatæ, vt docet hic Aristoteles, nam medium propriè dictum debet esse causa adæquata, immediata, & conuertibilis; quam quidem hæc generalissima habere nequeunt; nam si accipiatur ens erit transcendens, omnibusque rebus conueniens,& per consequens non commensuratum istis. Descriptiones autem illorum generalissimorum sunt quædam notificationes à posteriori, vnde non erunt nec veræ definitiones,nec verè causæ;pariter proprietates possunt assumi ad syllogizandum, non tamen possunt esse media demonstrationis,cum sint effectus, & demonstratione indigeant. At si dicatur, sicut superius potest sumi pro medio ad probandum aliquid de inferiori, vt animal ad probandum, hominem esse sensitiuum; cur ens sic pro medio assumi non potest ad prædictas propositiones probandas? Respondetur, superius illud, quod de vno negari de alio affirmari potest, assumendum esse ad negatiuam probandam, sed quod de vtroque extremo, tàm videlicet de subiecto, quàm de prædicato verificatur, non potest; sic autem se habet ens, & per hæc patet solutio ad secundam dubitationem.

CAPVT XVI.

De duplici ignorantia, & quo pacto sensus sint ad habendam scientiam necessarij, vel non.

Tex. 109. *Postquam in præcedentibus de his, quæ ad demonstrationem attinent differuimus, consequens est, vt de erroribus, qui circa ipsam incidunt, determinemus: neque etenim perfectè aliquid scire poterimus, nisi errores euitemus. De ignorantia ergo cum alijs quibusdam in sequentibus dicemus. Duplex igitur est ignorantia, videlicet negationis, & praua dispositionis. Negationis, est dum aliquid simpliciter non cognoscimus, vt cæci à natiuitate hanc habent de coloribus ignorantiam. At praua dispositionis est, dum aliquid malè intelligimus, vt supra etiam tetigimus. Ignorantia igitur, quæ non secundum negationem, sed secundum prauam dispositionem dicitur est quidem deceptio, quæ fit per syllogismum. Hæc autem siue negatiuè, siue affirmatiuè fiat est duplex, videlicet, vel per simplicem propositionē, dum arbitramur aliquod esse falsum quod est verum, vel è contrà, aut per syllogismum. Ea ergo quæ est per propositionem est simplex, vel vna, sed quæ per syllogismum est plures, quatenus plures continet præmissas. Si igitur aliquod prædicatum de nullo subiecto immediatè dicatur, vt hac, nulla substantia est quantitas; & ad probandum quod dicatur, accipiatur aliquod medium falsum, erit error, sic omnis qualitas est quantitas, omnis substantia est qualitas, ergo omnis substantia est quantitas.*

Contingit quidem igitur in prædicto errorē, quod vtraque propositio sit falsa, & etiam quod vna tantum. Si enim in maiori, & minori propositione prædicatum non conueniat subiecto, & e conuerso credatur, quod conueniat, ambæ falsæ erunt. Euenit namque vt idem prædicatum vtrisque de vtrisque subiecto falsò enuncietur, vt patet in prædicto syllogismo. Tex. 110.

Sed etiam contingit quod vna sit vera, altera falsa propositio, non tamen ad libitum, sed maior poterit esse vera, minor necessariò erit falsa, quia ipsum medium ad falsè concludendum in prima figura, de qua est ad propositum necessariò remouebitur secundum veritatem à minori extremitate; si autem ipsum medium prædicaretur de vtroque extremo erit in secunda figura ex puris affirmatiuis, quare nulla extremitas verè concludetur de alia; debet ergo in prima figura esse minor falsa sic. Omne corpus est substantia, omnis qualitas est corpus, ergo omnis qualitas est substantia. Nihil autem refert si tales propositiones sint immediata, vel non. Sic igitur fit deceptio in prima figura affirmatiuè. Tex. 111.

Negatiuè vero fit error, & in prima, & in secunda figura. Primum itaque dicamus quomodo fiat in prima, & ex quibus propositionibus. Contingit igitur fieri ex vtrisque falsis, vt si aliquod prædicatum immediatè, & verè insit duobus, & è contra ipsum de eis negetur, vt animal respectu equi, & asini sic. Nullus equus est animal, omnis homo est equus, ergo nullus homo est animal. Tex. 112.

Contingit etiam si vna tantū propositio sit falsa, siue maior, siue minor; nam medium potest de vno extremo esse verum, de altero falsum; vt animal respectu hominis, & lapidis, sic. Nullus lapis est animal, omnis homo est lapis, ergo nullus homo est animal: Si autem ambæ præmissæ essent vera, & conclusio vera esset. Tex. 113.

Sed minorem contingit veram esse, maiori existente falsa, vt nullum corpus est animal, omne viuens est corpus, ergo nullum viuens est animal. Planum igitur est, quod siue vna propositio sit falsa, siue vtraque sit falsus syllogismus. Tex. 114.

In secunda autem figura ambas propositiones esse in totum falsas non contingit; nam si medium, quod assumitur in affirmatiua omnibus inferioribus conueniat, idem non poterit ab omnibus diuersa natura negari; oportet namq; in hac figura Tex. 115.

acci-

accipere propositionem vnam affirmatiuam, alteram negatiuam, quare vna erit vera, altera falsa, aliter oppositum sequeretur, videlicet quod ex ambabus falsis sequeretur verum, quod est impossibile. Dicuntur autem propositiones in toto falsa, in quibus pradicatum remouetur ab omnibus inf.rioribus subiecti; vt ista omne animal est lapis. Sed falsæ secundum partem quando non sic ab omnibus remouetur, vt patet de hac, omne animal est bipes, vel gressibile, &c. exemplum de vna vera, & altera falsa, ex quibus falsum concludatur. Nullum animal est lapis, omnis asinus est lapis, ergo nullus asinus est animal.

Tex.116. *In parte autem falsas esse ambas nihil prohibet, vt falsum concludi possit, sic, omne animal est gressibile, nullum terrestre est gressibile, ergo nullum terrestre est animal; & eodem modo fiet, si accipiatur maior negatiua sic. Nullum animal est gressibile, omne terrestre est gressibile, ergo nullum terrestre est animal.*

Tex.117. *Et fieri etiam potest in eadem figura, vt vna sit vera altera falsa: nam sumi potest prædicatum quod quibusdam omnibus conueniat, & ab alijs remoueatur; vt omnis color est qualitas, nulla albedo est qualitas, ergo nulla albedo est color.*

Tex.118. *Rursus si maior sit falsa in eadem secunda figura sic; Omnis color est substantia, nulla albedo est substantia, ergo nulla albedo est color.*

Consimiliter fieri potest, si maior sit negatiua

Tex.119. *vera, & minor affirmatiua falsa, vt nullum animal est perpetuum, omnis homo est perpetuus, ergo nullus homo est animal.*

Tex.120. *Et rursus contingere potest, quod negatiua maior sit falsa, & affirmatiua minor vera, sic. Nullum animal est corruptibile, omnis homo est corruptibilis, ergo nullus homo est animal. Ex dictis manifestum est, quomodo fiat error praua dispositionis in syllogismis, qui fiunt ex propositionibus negatiuis immediatis.*

Tex.121. *In propositionibus autem mediatis, tàm affirmatiuis, quàm negatiuis, quando fit syllogismus per medium proprium, ita vt conclusio sit falsa, non possunt amba propositiones esse falsa, sed maior tantum; voco autem medium proprium, quod est de natura subiecti, & si ad oppositum (vt est ad propositum) negatiuè sumatur fit contradictionis syllogismus, nempe talis, in quo oppositum veritatis concluditur.*

Tex.122 *Insit igitur substantia homini per medium quod sit animal, ex quibus fiat bonus syllogismus, tunc necesse est maiorem esse veram, pariter & minorem, & quoniam minor non conuertitur, seu non mutatur: maior vero in negatiuam mutari debet, vt fiat syllogismus ignorantiæ; ideo illa maior erit falsa, & minor vera, vt sic fiat bonus syllogismus. Omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia; sic prauus. Nullum animal est substantia, omnis homo est animal, ergo nullus homo est substantia.*

Tex.123. *Eodem modo maior erit falsa, si medium non sit ita essentiale, sed proprium: quia hoc nihil aufert, vt si risibile pro medio ad eandem conclusionem probandam assumatur sic. Nullum risibile est substantia, omnis homo est risibilis, ergo nullus homo est substantia.*

Tex.124. *Si vero efficiatur syllogismus ignorantia non per proprium medium, sed per id quod conuenit vni extremo, & ab alio remoueatur; atque e conuerso accipiatur, nempe quod remoueatur ab eo cui conuenit, & alteri tribuatur, erit ex ambabus propositionibus falsis, eo quod è contrà accipiuntur, quam accipi deberent; vt nullus equus est animal, omnis homo est equus, ergo nullus homo est animal.*

Tex.125. *Potest quoque maior esse vera, & minor falsa, vt, nulla planta est sensitiua, omnis equus est planta, ergo nullus equus est sensitiuus.*

Tex.126. *Sed cum per secundam figuram efficitur deceptio, non contingit ambas propositiones esse in toto falsas; cuius ratio superius assignata fuit, nempe in textu 115.*

Tex.127. *At in eadem figura vna poterit esse falsa, siue maior, siue etiam minor. Exemplum de maiori. Nullum animal est sensitiuum, omnis homo est sensitiuus, ergo nullus homo est animal.*

Tex.128. *Exemplum de minori. Omne animal est sensitiuum, nullus homo est sensitiuus, ergo nullus homo est animal.*

Tex.129. *Quomodo igitur fiat syllogismus deceptorius negatiuus dictum est.*

Tex.130. *Si vero fuerit affirmatiuus, & per proprium medium impossibile est ambas esse falsas; vt prius dictum est.*

Tex.131. *Pariter quando fit syllogismus non per medium essentiale, dictum est prius, quod vna etiam præmissarum erit falsa.*

Tex.132. *At quando fit syllogismus deceptorius non per proprium medium, potest maior esse vera, & minor falsa, si videlicet sub maiori extremitate sumatur aliquod cui ipsa conueniat, & à minori remoueatur. Si vero opposito modo res se habeat maior erit falsa, & minor vera. Si vero hoc medium nulli extremitatum conueniat, vtraq; falsa esse poterit, & etiam vna ad libitum, nempe uel maior, uel minor.*

Tex.133. *Quot igitur modis, & per qua fieri contingat error in syllogismis, & mediatis, dictum est.*

Tex.134. *Manifestum autem est, quod si sensus aliquis nobis à natiuitate deficiat, necesse est, ut etiam deficiat scientia de obiecto talis sensus; ut si deficiat uisus, non poterimus habere scientiam de*

colore;

colore; si auditus de sono &c. probatur, nam omnis scientia acquiritur, vel per inductionem, vel per demonstrationem; si per demonstrationem, erit per propositiones vniuersales; hæ autem non cognoscentur nisi per singularia, à quibus non sunt separabilia, ac singularia per sensum cognoscuntur, ergo remota hac cognitione, ipsa vniuersalia cognosci non poterunt; pariter neque per inductionem, cum hæc ex singularibus procedat immediatè; quare &c.

Planum autem est, quod si quis sensus deficiat, &c. Tex. 134.

QVÆSTIO VNICA.

An deficiente aliquo sensu, possimus habere scientiam de obiecto illius.

Arguitur primò, quod sic. Intellectus cum sit substantia immaterialis, nec in esse, nec in operari à sensibus dependet, ergo intelligere, & scire sine sensuum ministerio poterit.

Secundò. Quemadmodum de multis rebus, quæ à sensu non percipiuntur cognitionem, & scientiam habemus, vt de Deo, de Intelligentijs, de ente, de secundis intentionibus, &c. sic quoque de obiecto sensuum, & si ipse deficiat.

Tertiò. Quamplures à natiuitate cæci doctissimi sic fuerunt, vt non solum coloris natura eis cognita fuerit, sed disertissimè de ipsa tractauerint, ergo.

Pro intelligentia sciendum est; quod intellectus noster quamuis sit immaterialis est tamen pars hominis, & cum sensibus sic ligatus, vt eis in omnibus operationibus saltem in principio indigeat.

Aliud notandum; Quod aliquid à sensu cognoscitur dupliciter, videlicet immediatè, & mediatè. Primo modo id ab ipso cognoscitur, quod per se percipitur, vt color à visu, sonus ab auditu &c. Secundo modo, dum cognoscuntur effectus sensibiles, ex quibus intellectus ad alia cognoscenda dirigitur; vt ex motu cognoscitur motor, ex accidentibus substantia; ex effectibus causa, &c.

Tertiò notandum, quod obiecta sensuum in se possunt tripliciter cognosci. Vno modo distinctè sub proprio, & quidditatiuo conceptu, vt color prout est color, &c. Alio modo sub conceptu communi, nempe quod color sit qualitas, accidens, ens. Tertio tandem per fidem, vel credulitatem; vt ea quæ ab alijs recensentur, memoriæ teneantur; ac discursus quoque super prædicta fiant, & amplificentur. Quibus habitis per tres conclusiones, quæstionem resoluamus.

Prima. Deficiente sensu, non possumus distinctam quidditatiuam, & propriam cognitionem de eius obiecto habere, probatur; nam tales cognitiones terminantur ad propriam speciem, quæ per sensum cognoscitur. Amplius. Intellectus noster accipit cognitionem à rebus externis, hæ autem cum sint materiales, non possunt sibi immediatè præsentari, ergo hoc efficiet per sensum, ergo.

Secunda. Deficiente sensu, possumus habere cognitionem communem, nempe sub ratione qualitatis, vel accidentis, aut entis de obiecto eius; probatur, nam intellectus habet pro obiecto ens in quantum ens, ergo sub hac ratione omnia cognoscere potest. Præterea. Ex cognitione aliorum obiectorum potest per similitudinem, vel per opposita, aut alio modo arguendo, vel conferendo discurrere, & sic illam notitiam habere.

Tertia. Deficiente sensu, per fidem de obiecto eius multa cognoscere possumus. Quæ quidem conclusio est de se nota; vt sicut fides non est scientia, sic neque contra primam conclusionem aliquid per hanc determinamus. Ad Arg.

Ad primum dicitur ad antecedens, intellectum sic esse immaterialem, vt pro hoc statu sit pars rei materialis, vnde saltem in primis operationibus ab ea dependet.

Ad secundum respondetur dupliciter; vno modo quod de prædictis habemus cognitionem sensitiuam effectuum, vel aliorum, per quam ad ipsorum cognitionem ducimur. Secundò, quod neque ipsa sic distinctè, vel quidditatiuè à nobis pro hoc statu cognoscuntur.

Ad tertium patet, nam prædicti, vel cognitionem confusam, vel fidem de huiusmodi obiectis habent.

CAPVT XVII.

Syllogismus constat ex tribus terminis; qui in infinitum abire non possunt.

Est autem omnis syllogismus per tres terminos; qui sunt maior extremitas, minor extremitas, & medium; siue ipse syllogismus sit affirmatiuus, siue negatiuus; verum in affirmatiuo medium conuenit vtrique extremo in negatiuo; vni conuenit, & ab altero negatur. Cum autem sic se habeat syllogismus in vniuersali, sic quoque erit demonstratiuus, cuius exempla facilè adduci possunt. Tex. 135.

Qui igitur dialecticè syllogizant solum ex probabilibus procedunt; vnde licet interdum in his syllogismis sit verum medium, & necessarium, si non cognoscatur vt tale; adhuc erit probabilis, seu dialecticus. Tex. 136

Hi autem syllogismi, licet non sint demonstratiui, erunt quoque boni, si ex propositionibus non omnino falsis procedant; quare vt cognoscantur, vt veritatem propositionum, ex quibus sunt oportet considerare. Se habet autem hæc veritas sic. Aliquod prædicatur de aliquo dupliciter; videlicet per se, & per accidens. Per se, si dicamus homo est albus, quia subijcitur, quod subijci debet, & quia albedo immediatè inest homini;) vnde non loquimur de per se, modo demonstratiuo, sed vt dictum est) per accidens, vt album est homo, quia re uera homo non inest albo; Ex his igitur duo intendimus, aliud est; quod dialecticus syllogismus non sit ex his, quæ per accidens modo prædicto sunt. Aliud uero, quod non sit processus in infinitum neque in hoc, neque in demonstratiuo syllogismo. Tex. 137.

Sit igitur aliquod subiectum, quod de nullo alio dicatur, ut Socrates uerbi gratia huic autem aliquod prædicatum primò, seu immediatè conueniat, vt homo; an ipsi quidem homini aliud prædicatum Tex. 138.

catum conueniat huic, aut aliud, vsque in infinitum, vel potius standum est ad vnum.

Tex.139. *Et rursus si aliquod supremum prædicatum accipiatur, de quo nullum aliud prædicetur; an sub illo sumi possint infinita subiecta, vel inferiora, vel etiam necesse sit stare. Differt autem hæc difficultas à priori, quia prior, est, an fiat ascensus in infinita prædicata, vel non, hæc autem, an fiat in infinitum descensus ad subiecta.*

Tex.140. *Amplius. Dato quod subiectum, & prædicatum extrema non procedant in infinitum, an media inter ipsa extrema infinita esse possint, an hoc sit impossibile. Quæ quidem dubitatio idem est, ac si quæramus, vtrum demonstrationes in infinitum procedant, sic, quod vnum demonstrari possit per aliud, & illud per aliud in infinitum; an ad se inuicem terminentur; ita vt, per vnum medium interdum aliud monstretur, sed tandem ad immediata, vel indemonstrabilia deueniatur.*

Tex.141. *Consimiliter autem quæritur de syllogismis, ac propositionibus negatiuis; an videlicet sicut vnum prædicatum negatur de alio, sic de alio in infinitum, vel sit status ad immediatas propositiones.*

Tex.142. *In terminis autem conuertibilibus nulla est difficultas: in ijs namque non datur nec primum, nec vltimum prædicatum, aut subiectum, sed eodem modo se habent, & se mutuò terminant, vnde non est difficultas, nec infinitus processus. Verum, non eodem modo est conuersio, sed quando passio, vel differentia (hi namque sunt termini conuertibiles) de subiecto dicitur est prædicatio per se; dum autem e contrà, est per accidens.*

Tex.143. *Quod autem neque prædicata intermedia possint esse infinita; si extrema ex parte sursum, & deorsum sint finita, manifestum est. Dico autem extremum sursum esse prædicatum magis vniuersale. Deorsum magis particulare subiectum. Si igitur infinita sunt intermedia inter hæc, sequeretur quod de hoc subiecto ad hoc prædicatum nunquam peruenire possimus, quia infinita non possunt pertransiri: quare hæc non essent determinata, quod est contra suppositum. Neque refert, quod aliqua istorum intermediorum sint mediata, vel immediata; semper namque si infinita sint, idem sequetur absurdum.*

Tex.144. *Manifestum autem est, quod si in demonstratione affirmatiua non contingit in infinitum ire, neque ex parte prædicati supremi (est autem hoc de quo nullum aliud dicitur) neque vltimi subiecti (& hoc est quod non dicitur de alio (neque in negatiua continget. Hoc autem quod dicimus per omnes tres figuras syllogismorum ostendi poterit. Sit ergo ostensio in prima figura sic. Si in ipsa in prædicatiua demonstratione deueniendum est ad immediata prædicata, vt ostensum est, ergo & in negatiua, quia illud idem prædicatum, quod affirmatur de vno in vna præmissarum, negatur de alio; quare cum illa affirmatiua sint finita, eadem erunt negatiua, vt nullum animal est lapis, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis.*

Rursus in secunda figura; ferè eadem ratione idem accidet, quia in ipsa ex puris affirmatiuis non fit syllogismus, neque ex negatiuis omnibus; quare assumenda est vna affirmatiua, & altera negatiua, vt omnis homo est animal, nulla planta est animal, ergo nulla planta est homo. Tex.145.

Tertius vero modus id ostendendi est in tertia figura, vt nullus homo est lapis, omnis homo est sensitiuus, ergo quoddam sensitiuum non est lapis; quare cum ad negatiuè concludendum, & affirmatiuam, & negatiuam propositionem requirat; poterit sicut de prædictis ostendi, quod in infinitum non procedatur. Tex.146.

Manifestum est igitur, quod tam in vna figura, quam duabus, vel tribus finitæ sunt viæ affirmatiuè demonstrandi, quare etiam negatiuè finitæ erunt. Tex.147.

Quod autem in affirmatiuis prædicationibus non sit processus in infinitum per rationes logicas, seu vniuersales manifestum erit. Omnes igitur prædicationes affirmatiuæ sunt, vel de essentia, seu quidditate rerum, vel accidentales. Si primo modo, clarum est, quod non proceditur in infinitum, quia vnumquodque definibile est cognoscibile per ea, quæ ad ipsius quidditatem pertinent; quare si hæc essent infinita, ipsum cognoscibile nõ esset. Si secundo modo, sic vniuersaliter discurramus. Ea quæ sunt per accidens sic se habent, quod vel accidens de accidente prædicatur, vt album ambulat, vel subiectum de accidente, vt magnum est lignum, vel accidens de subiecto, vt lignum est magnum: Quæ autem sunt per accidens primo, & secundo modo non faciunt veras, & ordinatas prædicationes, quia neque accidens accidenti, neque idem accidens subiecto subijci potest; sed fiunt supposito aliquo alio subiecto, quare cum non ritè procedant dimittantur. Alia ergo prædicationes in quibus accidens de subiecto prædicatur sunt determinandæ secundum nouem genera accidentium, videlicet secundum quantitatem, qualitatem, ad aliquid &c. quæ prædicamenta cum sint determinata, & prædicationes terminatæ erunt: & sic vel essentiales, vel accidentales omnes in infinitum procedere minimè possunt. Hæ autem essentiales in quolibet genere constitui possunt, & sunt vniuersaliter, dum superius, vel differentia de inferiori, aut de eo cuius est differentia prædicatur; pariter accidentales, dum aliquid vnius prædicamenti de aliquo alterius dicitur: unde quomodocunque sint, per ipsa prædicamenta, & mo- Tex.148.

& modo directo procedentes finita erunt. Quod intelligi debet dummodo accipiantur vera prædicata, quæ sunt genus, differentia, species, proprium, & accidens: nam accipiendo indiuidua, vel species de specie, aut alia præter hæc, & præter ordinem, tam affirmatiuè quam negatiuè oppositum dicendum esset.

Tex.149. Amplius prædicationes, quæ substantiam significant, vel notant ipsam totam substantiam, vt definitiones, vel partem tantum, vt genera, & differentia. Quæcunque vero non substantiam, vel eius partem significant sunt accidentia, vt album respectu hominis. Quæ igitur significant substantiam, vel partem, eo quod termini sunt, finem habent. Accidentia vero, quia determinatum subiectum sibi vendicant, pariter existentiam, & per consequens modum prædicandi determinatum requirunt; Idea autem accidentium separata, quæ subiectum non expostulant; (vt arbitrabatur Plato) recedant; sunt namque teretismata, nempe entia fictitia, seu dissonantia; & licet darentur, nihil tamen ad præsentem sermonem attinerent: nam demonstrationes sunt de talibus, quæ sunt in re, non autem separata. Amplius, si hoc prædicatum non est qualitas, vel accidens huius subiecti, & è contra, tàm in vniuersali, quàm in particulari, impossibile est mutuò prædicari, (nempe accidens de subiecto, & e contra,) quare neque sic erunt infinita prædicationes; & licet interdum essent vera, vt homo est albus, & album est homo, quia tamen non sunt æqua, directa, & naturales, non faciunt ad propositum.

Ideæ.

Tex.150. Aut enim quod prædicatur de alio, prædicatur, vt genus, vel sicut differentia: hæc autem monstrata sunt non esse infinita, neque ex parte prædicati, seu sursum; neque ex parte subiecti, seu deorsum, nam omnis substantia est definita, & terminabilis. Neque possunt accipi prædicationes è conuersò, ita quod subiectum fiat prædicatum, & è contra, sic namque genus fieret species, & è conuersò, quod est absurdum; non igitur in infinitum, vt substantia erit prædicatio.

Tex.151. Neque vtique qualis, aut aliorum vllum accidentium prædicamentum; nisi essent prædicationes per accidens, seu ordine præpostero. Si vero erit prædicatio directa, necessariò terminata erit, sicut determinata sunt accidentium prædicamenta. Suppositum namque fuit, quod in prædicationibus essentialibus vnum de vno prædicetur, hoc est, vnum prædicamentum solum de suis inferioribus, accidentia vero plura de vno; sed sicut illud per se, ita hæc per accidens, quæ cum ratione prædicamentorum, & etiam ratione subiecti cui insunt, terminum respiciant, in infinitum non abibunt. Quare dabitur status ex parte sursum, & ex parte deorsum. Vnus igitur modus demonstrandi, quod non sit processus in infinitum in prædicationibus, & demonstrationibus est hic.

Amplius autem alius modus est. Si enim quæ habent superiora prædicata per ipsa demonstrari possunt, & non est aliud melius scire quam per demonstrationem; manifestum est, quod hæc superiora prædicata debent nobis esse nota, quia per incognita non fit demonstratio, at nota esse non poterunt, nisi etiam sua essentialia prædicata innotescāt; si vero sint infinita nec cognosci, nec pertransiri poterunt, quare non in infinitum in demonstrando procedemus, sed ad immediata prædicata deueniendum est, aliter, vel nullatenus sciremus, vel solum ex suppositione, vel credulitate. Tex.152.

Logicè igitur, seu per rationes communes speculantes, non dari processum in infinitum ex prædictis colligere possumus. At resolutiuè, seu per proprias rationes demonstratiuas, id magis manifestum erit. Demonstratio igitur propriè dicta, conficitur ex propositionibus primi, & secundi modi per se. At ista in infinitum procedere non possunt, nam in secundo modo passio de subiecto dicitur, at si verè dicitur, alicui determinato inerit, vt impar in quodam determinato numero, & sic nec subiectum, nec prædicatum in infinitum tendent. Tex.153.

Neque etiam, quæ pertinent ad primum modum per se infinita sunt: quia cum hæc sint attinentia ad definitionem; nihil vtique definire possemus. Si ergo cum primi, tum secundi modi, prædicata, & subiecta finita sunt, etiam intermedia finita erunt, quæ enim terminis duobus clauduntur, infinita esse non possunt; quare neque omnium est demonstratio, vt dicebamus in principio contra quosdam, aliter nunquam perueniremus ad immediata, sed semper divideremus per mediata, seu in infinitum procederemus, quod quidem est impossibile, & licet possint augeri demonstrationes postsumendo, & in latus assumendo, quia tamen istæ assumptiones fiunt intra, seu per ea, quæ sunt de essentia, vel continentur inter extrema prædicata, & extrema subiecta, patet, quod non erit processus in infinitum; aliter duorum terminorum essent infinita intermedia, quod impossibile est. Cum prædicamenta stent sursum, & deorsum, quodquidem logicè, & resolutoriè monstratum fuit. Tex.154.

CAPVT XVIII.

Quo pacto mediatæ propositiones ad immediatas reducantur.

His autem prædictis sic declaratis, manifestū est, quod si aliquod vnum prædicatum duobus Tex.155.

bus

bus subiectis diuersis, vel disparatis insit, quæ videlicet alterum de altero, vel nullatenus prædicentur, vel non vniuersaliter; non semper hoc prædicatum per aliud commune eis inerit, sed poterit immediatè inesse; vt habere duobus rectis æquales angulos inest æquicruri, & gradato (est autem gradatus triangulus, cuius omnes tres anguli sunt inæquales) non per aliud medium, sed quatenus vnusquisque figura triangularis est. Non tamen semper hoc ita se habet, sed in quibusdam per aliud eis inesse potest; nunquam propterea procedetur in infinitum, & præcipuè si loquamur de prædicatis per se, aliter inter duos terminos, nempe inter subiectum, & prædicatum extremum essent infinita media, quod est impossibile, nam necesse est accipere terminos ex eodem genere, & ex eisdem propositionibus immediatis, neque transire de genere in genus, & sic in infinitum non procedetur, vt alibi probatum est.

Tex.156. *Manifestum autem est, quod quando aliquod prædicatum inest alicui subiecto; si hoc accident per aliquod medium, possumus monstrare tale prædicatum inesse tali subiecto per hoc medium; quod quidem medium vocatur elementum, seu principium, & tot quot sunt media, tot sunt elementa, hæc autem sunt propositiones immediatæ, vel omnes, vel saltem vniuersales (singulares namque aliquæ sunt immediatæ notitiæ sensitiuæ, vt quod hic ignis sit calidus, non tamen ad demonstrandum sunt sicut vniuersales bonę). Si autem non est aliquod medium, sed immediatè aliquod prædicatum inest, non est huius demonstratio, sed via, vel principium demonstrationis est propositio hæc, quæ ex tali subiecto, & immediato prædicato constat.*

Tex.157. *Similiter autem si aliquod prædicatum alicui subiecto non insit; si est aliquod medium per quod prius non insit, etiam per hoc demonstrabile erit; & pariter erunt elementa, & principia negatiua, tot, quot sunt termini, vel extrema immediata prædicata. Et sic quemadmodum dantur principia, & elementa immediata affirmatiua, ita etiam negatiua.*

Tex.158. *Quando autem oportet aliquid affirmatiuè monstrare, accipiendum est medium, quod proximius conueniat subiecto, nec sit extra ipsum, quousque deueniamus ad immediata, tunc namque fit vnum prædicatum cum subiecto absque medio, vt ad probandum hominem esse substantiam, accipiendum est animal, deinde vt idem de animali probetur, accipere debemus viuens, postea corpus, & fiet immediata propositio; atque hic processus vocabitur condensatio. Vnde quemadmodum in alijs facultatibus id est principium, quod est simplex, vt in cantu diesis, seu semitonus, in pondere, mina, seu mensura minima: sic in syllogismis est propositio immediata; in demonstratione, vel scientia est intellectus, seu cognitio primorum principiorum indemonstrabilium; pro propositione immediata syllogismi accipiatur vniuersalis, cuius singulares sunt nota ad sensum; vt omnis nix est frigida.*

In demonstratiuis igitur affirmatiuis syllogismis, non sumi debet medium extraneum. In negatiuis vero, in quibus assumitur etiam semper vna propositio affirmatiua, ex hac parte non debet sumi medium penitus extraneum vtrique extremitati, sed extraneum vni, & alteri conueniens; de quibus facilè est in qualibet figura exemplificare, vt satis ex prædictis patet. Tex.159.

CAPVT XIX.

Demonstratio vniuersalis est nobilior particulari.

CVm vero demonstrationum, alia sit vniuersalis, alia particularis; item aliam affirmatiua, alia negatiua; dubitatur, quæ sit melior, & eadem est dubitatio de demonstratione ostensiua, & de ea, quæ ducit ad impossibile. Tex.160.

Primum igitur de vniuersali, & particulari determinabimus, postea verò de alijs. Videbitur igitur alicui sic discurrenti, quod particularis sit melior. Illa est melior demonstratio secundum quam magis scimus, (hæc enim est virtus demonstrationis, (at magis scimus cum aliquid scimus secundum se, quam secundum aliud, vt melius scimus Coriscum esse musicum, si sciamus sic se habere, quatenus est Coriscus, quam quatenus est homo, &c. At demonstratio vniuersalis non ostendit aliquid de aliquo secundum quod ipsum, sed secundum quod aliud, vt de æquicruri ostendit habere tres angulos, non prout est æquicrus, sed prout est triangulus. E contra verò demonstratio particularis secundum quod ipsum monstrat, quare si quæ sic demonstrat est melior, patet, quod particularis sit potior vniuersali. Tex.161.

Amplius. Si vniuersale quidem non est aliquid præter singularia; vniuersalis autem demonstratio facit credere, quod hoc vniuersale sit separatum, vt triangulum vniuersalem præter singulares, vel numerum præter numeros, &c. quare in errorem ducet, quod quidem non accidit de particulari, quare vniuersalis erit de non ente, & deceptiua, particularis de ente, & verax, ergo hęc est melior illa. Tex. 162.

Si igitur vniuersalis demonstratio est de eo, quod est minus ens, minusve existens, atque facit opinionem falsam, qua videlicet credimus vniuersalia Tex.163.

uersalia esse separabilia, prior vtiq; erit particulari. At hac nihil concludunt; & prima ratio quidem non magis est pro particulari demonstratione, quam pro vniuersali, imò è contra; si enim habere tres angulos inest aquicruri, non quatenus aquicrus, sed quatenus est triangulus, melius sub hac ratione vniuersali trianguli hanc passionem cognoscemus, quam sub ratione aquicruris, & sic illa demonstratio particularis de aquicruri reducenda est ad vniuersalem, nec est verum, quod sic in particulari sit secundum quod ipsum, vt ratio supponit. Quamobrem si secundum triangulum hoc sciamus, & per hoc vniuocè etiam alijs applicemus, & hoc est scire vniuersaliter; hac vniuersalis demonstratio erit particulari potior.

Tex.164. Amplius; neque secunda ratio concludit, nam licet esset aliqua ratio, vel natura communis, seu vniuersalis vniuoca, non tamen propter hoc esset separata, vel minus ens, quam singularia, sed magis ens, quatenus est incorruptibilis, & particularia sunt corruptibilia. Neque necesse est, vt aliquis suspicetur, hac vniuersalia separata esse, si de eis habeamus demonstrationem, & scientiam: nam etiam de alijs, qua non significant substantiam, sed quantitatem, vel qualitatem, vel alia accidentia scientiam habemus, nec tamen ea separata à substantia esse arbitramur, quare si aliquis sic existimabit, non erit demonstratio causa huius erroris, sed qui audit, vel addiscit.

Tex.165. Amplius. Demonstratio est syllogismus qui per causam procedit: at vniuersale est magis causa, quam particulare, vnde demonstratio vniuersalis erit melior. Quod autem vniuersale sit magis causa, probatur: nam ei primò, & per se inest effectus; vt risibilitas primò inest homini, quam Socrati, quare &c.

Tex.166. Praterea vsque ad hoc quarimus propter quid, & tunc opinamur scire, cum peruenerimus ad extremam, & immediatam causam; vt si quaratur cuius causa venerit creditor aliquis, vt scilicet recipiat argentum, vt reddat cui debet, & tandem vt iustitiam seruet, hic est status, & hac est causa finalis; sic ergo quoque accidit in alijs causis, nec vnquam ad verum vltimatum propter quid perueniemus, nisi ad causam vniuersalem peruenerimus; Vt si quaramus, cur aquicrus habeat tres angulos equales quatuor rectis externis, & dicamus, quia est aquicrus non est adhuc adaquata ratio; deinde addamus, quia est triangulus; ac quia est figura triangularis rectilinea, tunc verè scimus, nec amplius quarimus; & sic ad vniuersale semper deueniendum est, ergo vniuersalis demonstratio est melior.

Tex.167. Amplius, qua procedunt versus infinitum sunt minus scibilia: sic autem se habent particularia; vniuersalia uero colliguntur in unum simplex, ergo sunt magis, & facilius cognoscibilia, & per consequens demonstratio de ipsis erit melior: eorũ enim, qua sunt ad aliquid sic comparantur, ut unum excedat aliud secundum nobiliorem terminum, & pracipuè in relatiuis disparatis; ut pater, & filius, nam terminus patris est finis actionis, filij passionis, sed uniuersale, & particulare sic sunt correlatiua, & obiectum, uel terminus uniuersalis est magis scibilis, uel nobilior, ergo & demonstratio quoque, qua naturam obiecti demonstrabilis sequitur.

Amplius. Illa est melior alia, secundum quam suum proprium, & alterius effectum cognoscimus, quam ea secundum quam solum suum percipimus, at per demonstrationem vniuersalem particulares effectus cognoscimus, non autem è contrà, ergo. Probatur minor, nam qui cognoscit, animal esse sensitiuum per vniuersalem demonstrationem, per eandem, vel sub ipsa idem de homine cognoscet. Tex.168.

Amplius. Ea est potior demonstratio, qua est per principium magis immediatum, vel per id, quod huic principio est proximius; sic autem se habet vniuersalis demonstratio, ergo. Probatur minor, si velimus monstrare A. de D, nempe substantia de homine per plura media; necesse est deuenire ad vniuersalius. Tex.169.

Sed ex his rationibus, qua diximus, aliqua sunt logica, seu dialectica ex probabilibus procedentes, & pracipuè tertia, & quarta; tamen sunt vtiles. Maximè autem manifestum est hac ratione, quod vniuersalis demonstratio sit potior. Nam qui habent propositiones demonstratiuas vniuersales, habent quodammodo saltem in potentia cognitionem particularium; at qui habent particulares, nec in potentia, nec in actu vniuersales habent, vt si quis nouit, quod omnis triangulus habet tres aquales duobus rectis; nouit quodammodo hoc quoque de aquicrure, non autem è contra. Amplius vniuersale per intellectum cognoscitur; singulare per sensum; sed cognitio intellectiua est nobilior sensitiua, ergo. Quod igitur vniuersalis demonstratio sit nobilior particulari, tot nobis dicta sint. Tex.170.

CAPVT XX.

Demonstratio affirmatiua est nobilior negatiua, & magis ad sciendum idonea.

Qvod autem affirmatiua demonstratio sit melior negatiua sic probatur. Illa est melior Tex.171.

O demon-

demonstratio quam altera, quæ citius facit scire, seu quæ ex paucioribus principijs procedit, cæteris tamen paribus, ita videlicet, quod vtriusque sint immediata, necessaria, æquè nota &c. Ratio autem, quod hæc propositio sit vera, videlicet, quod ea demonstratio sit melior, quæ ex paucioribus procedit, hæc est, (supponendo tamen media ipsarum demonstrationum esse priora, & notiora natura) sit ergo aliqua demonstratio per tria media, vt quod homo sit substantia, per animal, viuens, & corpus; & eadem per duo, vel vnum medium monstretur erit melior, nam citius, & immediatius scitur, vt per corpus, vel per viuens, quam per animal, nam etiam de ipso animali monstrabitur substantia per prædicta: ea autem, quæ sunt causa, vt alia cognoscantur, sunt notiora, & immediata; vnde patet quod est melior ea demonstratio, quæ ex paucioribus, quam quæ ex pluribus procedit. Sed demonstratio affirmatiua procedit ex paucioribus, nam licet tàm ipsa, quàm negatiua per tres terminos, & duas propositiones fiant, tamen affirmatiua sumit tantum aliquid esse, sed negatiua accipit esse, & non esse, per plura igitur, quare, & peior est.

Tex.172. *Præterea monstratum est, quod non potest fieri syllogismus ex puris negatiuis; ergo requiritur vna affirmatiua; quare cum negatiua demonstratio ab aliqua affirmatione dependeat erit ignobilior affirmatiua, quæ alterius non indiget.*

Tex.173. *Amplius, ad hoc iterum probandum oportet accipere hoc fundamentum, quod demonstrationes affirmatiuæ etiam si augeantur necesse est semper fieri ex pluribus, seu ex ambabus affirmatiuis propositionibus, sed in syllogismo negatiuo impossibile est, quod sint plures negatiuæ quam vna, quare altera erit affirmatiua, & per consequens negatiuus ipse affirmatiuo indiget, sicut negatiua propositio eget affirmatiua, vnde ab eo dependet, & ignobilior existet; de ijs autem syllogismis facilè est exemplificare. Si igitur id per quod aliud monstratur est notius, & credibilius alio, & negatiua demonstratio monstratur per affirmatiuam, & non è contra, erit vtique affirmatiua melior.*

Tex.174. *Amplius. Si principium syllogismi demonstratiui est propositio immediata, affirmatiua videlicet in affirmatiuo, & negatiua in negatiuo, & affirmatiua est prior, & nobilior negatiua, etiam affirmatiuus syllogismus erit negatiuo potior.*

Tex.175. *Et quemadmodum esse est prius non esse; sic affirmatio est prior negatione, quare melius est principium affirmatiuæ demonstrationis, quam negatiuæ, ergo illa erit melior: nam melior est quæ melioribus principijs vtitur. Amplius est principalior, quia sine ipsa non potest fieri negatiua, vt dictum est.*

CAPVT XXI.

Demonstratio ostensiua est melior ea, quæ ducit ad impossibile.

*Q*VONIAM *autem affirmatiua demonstratio melior est negatiua, manifestum est quod ostensiua est melior ea, quæ ducit ad impossibile, oportet autem scire, quæ sit differentia inter ipsas, & sic propositum comprobabimus. Est igitur demonstratio ostensiua, quæ simpliciter per vnicum syllogismum tàm affirmatiuè, quàm negatiuè aliquid demonstrat: vt negatiuè (affirmatiuè est facilius) Nullum animal est lapis, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis; sic igitur acceptis propositionibus est demonstratio ostensiua. Ad impossibile autem fiet sic, si velimus monstrare, quod lapis ipsi homini non insit debemus assumere impossibile, vel oppositum, videlicet, quod lapis omni homini insit, vel quod omnis homo sit lapis; deinde quod homo verbi gratia sit rationalis, & notum sit, quod rationali ipsi sit impossibile, vt conueniat lapis, & per hoc etiam probabimus, nec homini conuenire; sic syllogizando. Omnis homo est lapis, omne rationale est homo, ergo omne rationale est lapis: at hæc conclusio est manifestè falsa, & impossibilis, ergo aliqua præmissarum, nam falsum ex falsis solum sequitur, non minor, ergo maior, ergo sua opposita (nempe nullus homo est lapis) erat vera, quia duæ contradictoriæ, vel etiam duæ contrariæ in materia naturali non possunt esse simul falsæ, & sic ducitur ad impossibile ex concessis, quare hæc argumentatio est ad hominem, nempe ex male concessis. Termini igitur vtriusque syllogismi consimiliter ordinantur: differunt autem, quia ostensiua pura ex veris procedit, at alia ex vna propositione falsa, & ex duobus syllogismis: vnde cum ostensiua sit in omnibus partibus vera, & breuior, neque ex suppositis, melior vtique erit.* Tex.176.

Amplius illa est melior, quæ est prior natura, alia, sic autem se habet ostensiua respectu illius, quæ est ad impossibile, ergo, probatur minor; nam in demonstratione ad impossibile propter ablationem, vel falsitatem conclusionis non remouentur præmissæ ostensiuæ, sed bene ex variatione istarum illa variantur, vt in exemplo prædicto patuit, ergo ad impossibile dependet ab ostensiua, & sic ipsa est posterior, illa vero prior, si igitur, quæ ex prioribus, & notioribus procedit est præstantior, ostensiua est melior, licet vtraque habeat propositiones credibiles; ostensiua vero priores, alia posteriores. Si autem ostensiua negatiua est melior Tex.177.

lior ea, qua ducit ad impossibile, & ostensiua affirmatiua erit quoque melior, nam ipsa est potior negatiua, quod autem est melius alio, est etiam melius eo, quod est peius ipso.

CAPVT XXII.

Quæ sit certior scientia, quomodo vna, & ab alijs diuersa, & quomodo eiusdem possunt esse plures demonstrationes.

Tex.178. *Scientia autem est certior si sit propter quid, & quia, seu si consideret causas, & effectus, quam sit eadem, quæ solum effectus consideret; si tamen vna, vel eadem consideret quod, seu effectus; alia vero, vel eadem consideret propter quid, seu causas, hac vtique erit nobilior. Pariter ea scientia, quæ non est de aliqua determinata materia, seu subiecto erit nobilior ea, quæ circa determinatum, seu magis particulare subiectum versatur; sic namque plura accidentia consideranda sunt, vnde difficilior fit consideratio; vt Aritmetica est certior Musica, nam Aritmetica numerum simpliciter, Musica vero ipsum, vt sonorum contemplatur; quare vniuersaliter ea est certior, quæ ex paucioribus principijs procedit, quam ea, quæ ex appositione, vel additis, vt Aritmetica est etiam hac de causa certior Geometria, nam hac habet principia ex additione ad Aritmeticam: vnitas enim, quæ vt principium in Geometria consideratur, est substantia, seu natura, vel entitas quædam sine positione; punctus verò qui est principium Geometriæ est entitas cum positione, quia est vnitas in continuo, quare hoc erit principium cum additione, vel appositione.*

Tex.179. *Vna autem scientia est, quæ est vnius generis, seu obiecti scibilis, ita videlicet, quod si tale subiectum sit genericum, erit vna vnitate generica; si specificum, vnitate specifica, &c. ad quod quidem genus pertinent ea quæcunque ex primis eius principijs componuntur, pariter partes eiusdem generis, & ipsius proprietates. Diuersa autem scientia ab altera est, cuius principia sunt diuersa, neque conclusiones ex eisdem principijs sumuntur, neque ex alijs conclusionibus illius. Signum autem, quod scientia sint eadem, uel diuersa, est, deuenire ad prima principia indemonstrabilia: hæc namque sunt eiusdem naturæ cum his, quæ monstrantur, quod quidem ueluti aliud signum cognoscetur ex affinitate ipsorum cum illis; quare quæ talia principia habent communia, eiusdem sunt generis, quæ uero non, minimè.*

Tex.180. *Plures autem demonstrationes de eadem re fieri possunt, non solum accipiendo media ex eadem coordinatione prædicamentali, quæ quidem media non sint continua, seu immediata omnia rei demonstrabili, sed etiam ex alia coordinatione; ut ad probandum, hominem esse nutribilem, possumus assumere niuens, & animal. Sed ad probandum, omnem latantem transmutari, (quatenus uidelicet sensibiliter exultat) possumus assumere hæc duo diuersi ordinis, nempe moueri, & quiescere, sic. Omne quod mouetur transmutatur, latans mouetur, ergo transmutatur; Item omne quiescens, seu ad quietem tendens transmutatur (hoc namque significat quiescere) omne latans ad quietem tendit, ergo. Quæ tamen media diuersa non sic esse debent extranea, ut neutrum de neutro prædicetur, sed in aliquo conuenire debent, considerandum autem est per alias quoque figuras, quot modis circa idem fieri plures syllogismos contingat.*

CAPVT XXIII.

Eorum quæ sunt à fortuna non est scientia; neque per sensum scientia ipsa acquiritur.

Eius autem effectus, qui à fortuna prouenit non est scientia demonstratiua. Nam quæ à fortuna fiunt, neque semper, neque frequenter eueniunt, sed rarò. Demonstratio autem est eorum quæ semper, vel frequenter fiunt, atque si propositiones ipsius sint simpliciter necessaria, sic se habebit conclusio; si autem significent aliquid vt plurimum, hoc quoque modo conclusio erit. Si ergo, quæ à fortuna fiunt, neque vt plurimum, neque necessariò eueniunt, de eis (vt diximus) non erit demonstratio, nec scientia. Tex.181.

Neque per sensum possibile est scire, nam licet sensus non sit circa hoc singulare determinatum, est tamen circa singulare quoad actum, vnde ipsum sentire necessariò est circa aliquod singulare, singulari tempore, & loco. Vniuersale autem, quod nullum locum occupat, & est in omnibus suis singularibus impossibile est sentire; ipsum namq; neque hic, nec alibi, aut in aliquo determinato nunc existit, sed ab ipsis abstrahit, vnde vniuersale dicimus esse, quod est semper, & vbique. Cum ergo demonstrationes sint vniuersales, & vniuersale non possit sentiri, manifestũ est, quod neq; per sensũ est scire. Imò licet per sensũ causã alicuius rei perciperemus, vt cur triangulus habeat tres angulos æquales duobus rectis, adhuc non esset scire, sed demonstrationem vniuersalem quæremus, & scientia consistit in cognoscendo vniuersales causas, & si alij oppositum teneant. Quare, & si supra Lu- Tex.182.

nam essemus, & videremus ipsam ob interpositionem terræ eclipsari; non utique verè sciremus causam talis defectus, sed solum pro nunc, unde ad universales rationes recurrendum esset, quas non percipit sensus; bene verum est, quod ex pluribus singularibus ipsum universale veluti nati ad demonstrationem manuducimur, ex pluribus namque singularibus fit manifestum universale.

Tex.183. Universale autem dignum est quoniam est causa singularium; quare cognitio de talibus universalibus est nobilior cognitione sensitiua, imò etiam intellectiua, quæ per causam non habetur, dummodo sit rei habentis causam, nam de primis principijs alia est ratio; ipsa namque sine causa cognoscuntur, & tamen ipsorum cognitio est nobilior. Manifestum igitur est, quod impossibile est per sensum demonstratiuè scire; nisi aliquis abusiuè diceret, scire per demonstrationem, nil aliud esse quam sentire. Tamen aliqua non possunt sciri propter defectum sensuum, unde ob hoc fiunt diuersa problemata; quædam etenim si viderentur, scirentur, quæ tamen ob hunc defectum ignorantur; ut si vitri foramina videremus non esset difficultas, quomodo lumen transit per ipsa (putabant namque Antiqui secundum quorum opinionem loquimur, lumen esse corpus, & vitrum quamplurima foramina, per quæ transiret, habere) quia vero non videntur non scimus causam; similiter nescimus cur radij in speculo concauo comburunt. &c. Attamen non est verum, quod simus unquam scientes, eo quod aliquid videmus, sed benè ex hoc elicimus uniuersalem causam, sic ergo quia seorsum in pluribus singularibus id fieri conspicimus, per intellectum concludimus in omnibus sic esse, & scientiam facimus; prosunt igitur, imò, & sunt necessarij sensus ad scientiam acquirendam, sed per ipsos tantum non acquiritur.

CAPVT XXIIII.

Non omnium syllogismorum eadem sunt principia.

Tex.184. Eadem vero principia omnium esse syllogismorum est impossibile, quod primum quidem per rationes logicas, seu communes sic probabimus. Syllogismorum alij sunt veri, alij falsi, ergo verorum vera, falsorum falsa sunt principia; & licet ex falsis verum interdum syllogizari possit, ut omnis lapis est animal, omnis homo est lapis, ergo omnis homo est animal; attamen nec est universaliter verum, neque in prosyllogizatione hoc euenit; nam si prædicta propositiones falsa probari velint, ex falsis utique medijs probabuntur, nam omnis conclusio falsa est ex falsis, vera autem ex veris in prosyllogizato, vel ordinato discursu; licet in alijs sint vera, & falsa.

Postea, neque omnium falsorum possunt esse eadem principia, quia sunt aliqua falsa inter se repugnantia, & impossibilia, ut quod iustitia sit iniustitia, homo equus, &c. alia alio modo. Tex.185.

Ex positis autem veris principijs sic quoque probemus intentum; neque enim verorum omnium eadem sunt principia, nam aliqua ipsorum non conueniunt in omnibus, ut puncta, & unitates, nam puncta habent positionem in continuo, unitates nequaquam. Tex.186.

Si etenim conuenirent, vel conuenirent in medio, vel in maiori, vel in minori extremitate, aut sic conuenirent, ut unum esset intra aliud, seu de natura alterius, aut extra, nempe ut disparatum, sed nullo modo esse potest, quia quatenus sunt prima, in nullo conueniunt; neque ut disparata sumi possunt, quia hæc disparata sunt natura particulares, quæ a primis dependent, & ex ipsis solum fit syllogismus negatiuus. Tex.187.

Sed neque aliqua principia communissima, (ut de quolibet est affirmatio vel negatio) possunt omnibus conuenire, quia hæc restringi debent per aliquod determinatum genus, circa quod fit demonstratio, genera enim entium sunt quantitas, qualitas, &c. quibus communia aptantur. Tex.188.

Amplius. Principia proxima, & immediata non sunt multo pauciora, quam conclusiones, nam ipsa principia sunt propositiones, quæ quidem propositiones sunt, vel ex natura termini medij assumpti in prima figura, aut extra, seu immisso in secunda, & tertia; quare ad variationem conclusionum diuersa quoque, & non eadem sunt principia. Amplius conclusiones sunt innumerabiles, termini vero ex quibus constituuntur sunt finiti; quare ipsi termini diuersimodè accepti (ut accidit de literis in ordine ad dictiones) conclusiones, & principia constituunt, ergo secundum hanc varietatem diuersificari debent, & per consequens non omnium sunt eadem. Amplius. Alia sunt principia necessaria, alia contingentia. Ex dictis itaque facilè patet, impossibile esse, quod omnium sint eadem principia, siue conclusiones sint finita, siue per casum infinita. Tex.189.

At aliquis dicere posset; uerum est quod non omnium sunt eadem principia, sed aliud est Geometriæ, aliud proportionum, aliud Medicinæ. At hoc modo nihil aliud est dicere, quam omnium scientiarum esse principia, & sic omnia principia in ratione principij conueniunt, & hoc modo sunt eadem. Sed decipiuntur, quia dicere quod sint eadem sub hoc nomine principij, & propterea sint eadem simpliciter, ridiculum est; quo- Tex.190.

quoniam sic etiam ipsa scientia essent eadem, fiunt namque eadem ex identitate principiorum.

Tex.191. Sed neque si dicat aliquis, ex omnibus principijs monstrari quamlibet conclusionem, & ideo omnium esse eadem principia, verum est; imò sic asserere fatuum est; neque enim in mathematicis doctrinis, neque in alijs demonstrationibus ex omnibus omnia monstrantur, nam propositiones immediatæ sunt principia, unde si assumatur altera præmissa, quæ immediatam præcedentem cõtrahat (ut fieri debet) fit alia conclusio, & sic semper conclusiones, & principia quoque contracta variantur.

Tex.192. Si vero aliquis diceret; primas vniuersalissimas propositiones immediatas eadem esse omnibus demonstrationibus principia; hoc non est verum, nam vna in vnoquoque genere est, quia semper contrahi ad determinatum genus debet. Si vero neque ex omnibus distributiuè fiunt demonstrationes, tanquam per singulas oporteat demonstrare quodcunque, neque itaque ex altero, vel vno tantum principio omnia ostenduntur: sed fiunt sic diuersa demonstrationes, & diuersa supponuntur principia, tanquam vnaquaque scientia sit ab altera diuersa. Vnde solum relinquitur, principia esse omnium eadem ratione cuiusdam cognationis, seu proportionis, quatenus videlicet in omnibus est idem modus principiandi, & hoc non est esse simpliciter omnium eadem, sed ex his principijs hæc quidem demonstrantur, ex illis alia, &c.

Tex.193. Manifestum autem est, quod non contingit ex eisdem simpliciter omnia monstrari, nam monstratum fuit, quod principia eorum, quæ genere differunt sunt etiam ipsa genere differentia. Principia enim duplicia sunt, nempe ex quibus (puta propositiones per se nota) & circa quod, nempe subiectum considerationis. Quæ quidem igitur dicuntur ex quibus, comunia sunt (saltem aliqua, & per analogiam) quæ autem circa quod, propria, vt in Aritmetica est numerus, in Geometria magnitudo.

CAPVT XXV.

De scientia, & scibili, opinione, & opinabili, atque etiam de Solertia.

Tex.194. SCibile autem, & scientia differunt ab opinabili, & opinione. Quoniam scientia quidem circa vniuersalia, & necessaria (quæ videlicet non possunt aliter se habere, sed sunt æterna veritatis) versatur; sunt autem aliqua vera, quæ non sunt sic æterna, sed aliter se habere possũt, & circa hęc non versatur scientia, nam cum ipsa solum sit circa necessaria, essent vtique necessaria, quæ non sunt.

Verum enim vero neque intellectus (dico autẽ intellectum principium scientia) neque ipsa scientia, vel propositio quæcunque indemonstrabilis, & immediata est circa ea quæ possunt aliter se habere. Quare patet quomodo scientia ab opinione, & scibile ab opinabili differat, nam (epilogando) scientia est circa necessaria, & ipsum scibile necessarium est; opinio circa contingentia, & opinabile est contingens. Conueniunt autem in hoc, quod tam intellectus, quam scientia, & opinio vera possunt esse, & circa verum versari; at opinio etiam falsum respicere potest, nempe contingens, quod verum, atque falsum esse potest; attamen etiam ipsa opinio habet suas propositiones immediatas, non tamen necessarias, sed probabiles, vt quædam axiomata topica. Tex.195.

Quod autem talis sit opinio confessum est apud omnes: fatentur namq; eam esse circa apparentia, & incerta, ac talem esse naturã ipsius. Præterea. Nemo opinatur opinari, quando cognoscit ea, quæ non possunt aliter se habere, sed quando ea quę aliter se habere possunt, cognoscit, tunc opinari arbitratur, tanquam hæc sit opinionis natura. Tex.196.

Est igitur scientia ipsa de necessario obiecto. At hic insurgit dubitatio. Quomodo videlicet idẽ non possit per opinionem, & per scientiam cognosci; seu, an eiusdem rei possit esse opinio, & scientia. Et videtur, quod sic, nam ponere possumus, omnia, quæ quocunque modo nouimus posse opinari. Imò tam sciens, quam opinans consequentur hanc cognitionem eodem modo, nempe per media aliqua, quæ ad immediata suo modo resoluentur, quare eodem modo cognoscet, & eam opinans, quam sciens ad propter quid reducent, vnde hæ cognitiones non differunt. Tex.197.

Respondetur. Quod si aliquis suspicabitur, principia ex quibus cognoscit non contingere aliter se habere, sed esse sicut definitiones per quas fiunt demonstrationes, non habet tunc opinionem, sed scientiam. Si vero existimabit, hæc principia vera esse, non tamen ex natura eorũ esse sic necessaria, opinabitur, & non verè sciet; quæ quidem cognitio si erit circa causas, erit opinio propter quid, si circa effectum, erit opinio quia, ferè eo modo quo diximus de demonstratione propter quid, & quia. Tex.198.

Eiusdem vero opinio, & scientia penitus nõ est, sed aliquo modo tantũ, sicut videlicet opinio vera, & falsa pariter sunt circa idem; quare sicut absurdum est, eadem esse opinionem veram, & falsã, licet circa idẽ, ita similiter idem esse opinionẽ, & scientiam respectu eiusdem est inconueniens. Imò si opinio falsa esset idẽ cum vera (vt nõnulli quidẽ dicunt) inter alia absurda, hoc contingeret, quod opinio falsa nõ esset opinio, sed ad veram reduceretur. Tex.199.

Quoniam vero idem cognoscibile pluribus modis dicitur; ideo aliquo modo contingit, quod de Tex.200.

eodem sit opinio & scientia, vel opinio vera, & falsa, alio modo non. Dicitur ergo idem cognoscibile simpliciter, vt scilicet tale obiectum est, alio modo cum tali proprietate; vt diameter simpliciter, vel diameter incommensurabilis; circa obiectum igitur simul cum proprietate impossibile est simul habere scientiam, & opinionem, aut opinionem veram, & falsam; vt opinari diametrum esse commensurabilem, est falsa opinio, quæ non poterit esse vera: at circa ipsum diametrum simpliciter, & opiniones veræ, & falsæ, & scientiæ quoque versari possunt, & sic in ratione obiecti conueniunt, at circa modum considerandi, & in ratione formali prædicti habitus differunt; & sic potest esse opinio, quod homo sit tale animal, alia vero, quod tale &c. & sic aliquo modo differunt, aliquo vero conueniunt.

Manifestum autem est ex his, quod idem; &
Tex.201. *circa idem, eodem modo, ab eodem non contingit simul opinari, & scire; nam simul contingeret, vt aliquid posset se aliter habere, & non se aliter habere, vt quod aliquis esset simul homo, & non esset, &c. in diuersis autem hoc non inconuenit, quia nulla esset contradictio.*

Reliqua vero, quæ ad diuersas attinent cogni-
Tex.202. *tiones, & scientias, quomodo oportet distribuere, vel diuidere in diuersos habitus, vel operationes; nempe in discursum, scientiam, artem, prudentiam, & sapientiam, partim ad moralem, partim ad naturalem Philosophiam attinet. Solertia vera est bona quædam, & facilis coniectatio medij ad concludendum aliquid, seu ad inueniendam causam alicuius effectus tempore imperceptibili, seu statim; vt si quis videat, quod Luna semper habet splendorem ex ea parte qua respicit Solem, atque ipsam a Sole hunc splendorem accipere, statuet, solers erit. Pariter si quis videat pauperem cum diuite altercantem, ac statim colligat, diuitem ipsi pauperi feneratum fuisse, vel duos olim inimicos, nunc autem amicos, quia facti sint inimici alicuius tertij; hæc facilis, & ferè instantanea medij inuentio, solertia dicitur. Videns namque statim medias causas, summas, vel vltimas cognouit, quare solers vtique erit.*

Scibile autem, & scientia differunt. &c. Tex. 194.

QVÆSTIO VNICA.

An de eodem possit ab eodem simul haberi scientia, & opinio, cum duabus alijs dubitationibus.

PRo resolutione huius quæstionis sciendum est primò, quòd opinio vno modo acipitur pro actu opinandi, quæ potius deberet vocari opinatio, sicut actus speculandi est speculatio, quæ si sit sine aliqua ratione nullatenus est scientifica, sed quædam imperfecta credulitas, nempe sine plena assertione, si verò cum ratione probabili acquiratur est verè opinio, & à scientia distinguitur, quatenus non procedit per necessaria, sed per probabilia. Alio modo accipitur pro habitu, qui ex frequentatis actibus pluribusque rationibus probabilibus assensum in nobis genuit, & de hac propriè loquimur, licet actualis ab hac non differat, nisi secundum maiorem, & minorem mobilitatem à subiecto. Opinio itaque ipsa necessario in sua ratione formali includit aliquam formidinem, vel necessitati opponitur; hęc autem formido, vel contingentia se potest tenere, vel ex parte obiecti, prout videlicet est verè contingens, vt si quis opinetur, cras futuram esse pluuiam, vel ex parte medij, pro vt videlicet rationes quibus cognitio innitur non sunt necessariæ, quamuis sint de obiecto necessario, vel tandem ex parte addiscẽtis, qui circa obiectum necessarium per rationes necessarias discurrens, eas arbitratur esse tantum probabiles, vel contingentes. At quomodocunque sit, Conc.
resoluendo dicimus, nullo modo de eodem posse simul, & semel, & eodem modo esse opinionem, & scientiam; probatur: nam scientia omnem formidinem, omnemve contingentiam, tam ex parte obiecti, quàm medij, & scientis excludit, sicut oppositum de opinione accidit. Verum est tamen, quod circa rem scibilem ad maiorem confirmationem adducuntur quoque rationes probabiles, quæ tamen nec scientiæ ipsi inficiant, nec esse simul de eodem scientiam, & opinionem insinuant; pariter opinio potest fieri scientia, nam rationes necessarię, quæ non cognoscebantur antea vt tales, possunt cognosci, & sic sunt demonstratiuæ, sed non erit amplius opinio. At duæ supersunt circa textum dubitationes. Prima, quomodo sit verum, affirmationem esse priorem negatione. Secunda, an de casu, & fortuna sit scientia. Ad primam dicitur, quod si per prioritatem intelligamus maiorem notitiam, propositio prædicta non est vniuersaliter vera; facilius namque cognoscimus, hominem non esse equum, quam esse rationalem. &c. Si autem intelligamus independentiam existendi, sic est vera; ita nimirum, quod prius aliquid sit, & postea prædicata affirmatiua, deinde negatiua de ipso verificentur; vt prius est homo, seu esse hominis, & animalis, quam sit non leo, non lapis &c. hæc namque de aliquo existenti negari debent. Dici etiam potest, quod in particulari negatio præcedit, vt prius est non homo, postea fit homo, sed vniuersaliter ens, vel prima causa omnia præcedit; quæ doctrina est bona, sed nec textui, nec demonstrationi quadrat; nam solum de demonstratione in quam ingreditur prima causa verum esset, quod affirmatiua sit potior negatiua. Ad secundam dubitationem respondetur de casu, & fortuna quo ad definitionem, & vniuersales conditiones esse scientiam, quam tradit Philosophus in 2. Phys. Sed quo ad effectus fortuitos, & casuales nequaquam, & sic loquitur hic, vt in Physicis melius patebit.

Primi Libri Posteriorum Finis.



ANTO-



ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN II. LIBRVM POSTERIORVM Aristotelis Paraphrasis textualis, & Quæstiones.

SVMMA LIBRI.

De quæstionibus scibilibus, quomodo definitio ad demonstrationem attineat. De diuisione causarum, & de ipsarum vsu in demonstratione. De modo venandi definitionem, & causas, & de cognitione, ac differentia principiorum indemonstrabilium.

CAPVT PRIMVM.

De quæstionibus scibilibus, & quomodo omnes reducantur ad quæstionem de medio.

Tex.1. *Væstiones verè scibiles sunt æquales numero rebus ipsis, quas post quæstiones scimus. Sunt autem ipsę quęstiones quatuor, videlicet. Quod, propter quid, si est, & quid est. Quęstio, quod (quę etiam vocatur Quia) quęrit de proprietate rei, vt an homo sit corruptibilis, &c. Quęstio propter quid de causa huius proprietatis, vt propter quid est corruptibilis. At quęstio si est, de existentia rei, vt an hyrcocerus sit. Sed quęstio quid est de essentia inuestigat, vt quid est hyrcocerus. Quę quęstiones differunt, quoniam dum quærimus per quæstionem Quòd, efficimus quæstionem in numerum ponentem, quatenus videlicet includit duo, nempe prędicatum, & subiectum, vt vtrum deficiat, vel eclipsetur Sol, vel non; quod autem hac quæstio Quòd, quęrat de proprietate rei, signum est, quod cum talem proprietatem inuenerimus cessamus quęrere, & si à principio sciremus, v g. quod Sol deficit, non quęremus vtrum deficiat. Cum autem scimus ipsum Quod, vel proprietatem, tunc quærimus propter quid, vt scientes, quod Sol deficit, aut quod terra moueatur, quęrimus propter quid deficit, aut propter quid mouetur.*

Aliqua verò alio modo quærimus, nempe per Tex.2. *quæstionem si est, vt an sit Deus, vel centaurus. Vnde dum quærimus, si aliquid est, vel non, fit quęstio simplex, seu non ponens in numero, eo modo quo ponit ea, in qua quæritur, si homo est albus, vel non; pariter neque ponit in numero quæstio quid est. & sic duæ sunt ponentes in numero, nempe quòd, & propter quid, duæ verò non ponentes, scilicet si est, & quid est.*

Istæ autem duæ nempe si est, & quid est sic se Tex.3. *habent, quod quęstio si est præcedit, cum enim cognouerimus si est Deus, quærimus quid est. Quæ igitur quęrimus, & quę post inuentionem scimus, hęc & tot sunt. Quærimus autem cum quęrimus in prædicta quęstione, quod vel si res ipsa simpliciter sit semper de medio, pariter dũ cognoscimus,*

quòd

quod, vel si est, vel simpliciter, vel in parte rursus quærimus propter quid, & quid, & tunc etiã quærimus de medio, vel causa.

Tex.4. *Dico autem Quòd esse dupliciter, nempe in parte, & simpliciter; in parte dum quærimus de aliquo prædicato, vel proprietate, vt, an Luna deficiat, vel augeatur (& dicitur in parte quatenus quærimus de prædicato, quod est aliquo modo pars, siue per se, siue per accidens subiecti) simpliciter, dum quærimus de est secundo adiacente, vt, an sit Luna, vel nox, &c. Vnde ipsa quæstio Quod est, æquiuocè dicitur de quæstione, qua quærimus, si res sit, & de ea, qua quærimus de ipsius proprietate, & si ad distinctionem illa dicatur si est, hæc verò quia est.*

Tex.5. *Contingit itaque in omnibus quæstionibus quærere an sit medium, aut quid est medium, seu propter quid, &c. nam semper quærimus de causa, quę nil aliud est, quam medium ipsum, vt an deficiat Sol, de causa saltem implicitè quærimus; deinde expressè quærimus propter quid, quare omnis quæstio est quæstio medij.*

Tex.6. *Est autem propriè medium causa rei, qua quidem causa est duplex, nempe essentialis, quæ est causa non vt res sit hoc, vel illud, seu hoc, vel illo modo affecta, sed quod sit simpliciter substantia, vel talis natura. Alia est causa non simpliciter, vel essentialis rei, sed est causa eorum, quæ per se insunt tali rei, sicut sunt proprietates, & etiam aliorum accidentium. Dico autem simpliciter causam esse, quæ est causa Lunæ, v. g. Solis, trianguli, &c. at causa secundum quid est, si quærimus de defectu Lunæ, vel Solis, de æqualitate, & inæqualitate trianguli, si terra sit in medio Mundi, vel non, &c. At hoc est obseruandum, quod quædam quæstiones de quid est non differunt a quæstionibus de propter quid, & potissimum dum aliquæ passiones per suas causas definiuntur: in omnibus namque his manifestum est, quod idem est quid est, & propter quid est, vt si quæramus, quid est eclipsis Lunæ, respondetur, esse priuationem luminis à Luna, propter terrę oppositionem, & pariter si quæratur, propter quid eclipsatur Luna, respondemus propter terræ oppositionem. Quid est consonantia? Est proportio numerorum in sono acuto, & graui; propter quid consonat acutum, & graue? propter proportionem numerorum, vel sic, nunquid possunt acutum, & graue consonare; idem est, ac si quæramus, nunquid proportio ipsorum consistat in numeris. In quibus quęstionibus prius quærimus de esse, & cum hoc cognouerimus, quærimus, quæ sit causa istorum.*

Tex.7. *Quod autem omnis quęstio sit quæstio medij, significant ea, quorum medium est sensibile: si etenim medium ipsum sensibus non percipiatur, quærimus de ipso, cum autem ipsum perceperimus, desistimus quærere: veluti accidit de eclipsi, si est, & cur; si verò essemus supra Lunam, hac non quæreremus, sed vtrumque esset nobis manifestum, nam oppositionem terrę inter ipsam, & Solem perciperemus, ex qua sensitiua cognitione non fit propriè scientia, vt supra dictum est, sed ab intellectu accipitur ratio vniuersalis, & scientia. Est igitur in quibusdam idem scire quid est, & propter quid; siue quæramus de re simpliciter, & non existenti, an videlicet sit, vel esse possit, siue de ijs, quę alicui insunt, vt sunt proprietates, vt an duo recti sint æquales, vel vtrum aliquod corpus sit maius, vel minus, &c.*

Quod igitur omnes quæstiones sint de medio, manifestum est: quomodo autem definitio monstretur, & quis modus ipsam inuestigandi, & quid sit, & quorum, dicamus, positis prius aliquibus dubitationibus circa hac. Tex.8.

Quæ quæruntur sunt æqualia, &c.
Tex. 1.

QVÆSTIO VNICA.

An quatuor tantum sint quæstiones scibiles.

ARguitur primò, quod non. Tot sunt quæstiones scibiles quot sunt scibilia, vt habetur in litera; hæc autem sunt plura, quam quatuor, imò ferè innumerabilia, ergo.

Secundò. Omnis quæstio scibilis terminatur ad scientiam, sed aliquæ istarum ad ipsam terminari non possunt, ergo. Probatur minor; nam scire est effectum, vel proprietatem per suas causas cognoscere, sed in quæstione si est, & quid est res non ita se habet, ergo.

Tertiò. Omnis quæstio est quæstio medij, at quid est non habet aliquod medium, quia ipsum non est demonstrabile, vt diceimus.

Quartò. Si est, & quid est sunt præcognitiones, vt in primo cap. primi Libri visum est; ergo non possunt esse quæstiones, quia quæstio est dubitabilis, & nata fieri euidens; præcognitio autem supponitur, vt nota.

Pro intelligentia sciendum est primò, quod quæstio est duplex, videlicet problematica, & scibilis; problematica est propositio, quæ pro vtraque opposita parte per argumenta terminari potest, vt an diuitiæ sint expetendæ, an honor sit vitæ preponendus, &c. At quæstio scibilis est propositio necessaria, dubitabilis tamen, nata fieri euidens per demonstrationem, & tunc vocabitur conclusio; est autem dubitabilis ad hunc sensum, quatenus causam de eius veritate est ante demonstrationem incognita.

Secundò notandum, quod ordine naturæ hæ quęstiones sic ordinari debent, quod primo loco sit quæstio si est, secundo quid est, tertio quia est, & quarto propter quid; nam prius quærere debemus, si res sit, vel esse possit, secundò quid sit, tertio de eius proprietatibus, ac tandem de causa ipsarum. Quem tamen ordinem, ideò non est secutus Arist. quia non indifferenter circa omnia omnes moueri possunt; de rebus namque notis-

notissimis frustra est quærere si sunt, vel si est, pariter de ijs, quorum proprietates, vel definitiones sunt manifestę, ideò quoad si est, de hircoceruo exemplificat.

Tertiò notandum, quod quæstio si est non quærit simpliciter de existentia, vel esse actuali rei, quia hoc rebus creatis est contingens, sed quærit de aptitudine, an videlicet, hoc, vel illud sit aptum, vel possibile esse.

Quarto notandum, quod omnis quæstio dicitur quæstio medij, quatenus videlicet quælibet si sit scibilis debet ad causas reduci, quæ quidem causæ non eodem modo sunt in omnibus expetendæ; nam in quæstione si est recurritur ad causam possibilitatis, vel non repugnantiæ, vt an sit possibile, quod sit hircoceruus, & vnde possibilitas proueniat. Quæstio verò quid est, potest per alias causas demonstrari, vt dicetur in sequentibus. At quæstio quia est, ex se imperfecta, quare vel dependet à quæstione propter quid, vel ipsa suo modo sine ea est per effectus determinabilis, vnde non in omnibus eadem ratio scientiæ, vel causæ reperitur, sed sat est, quod sint quæstiones scibiles, idest sic firmiter determinabiles, vt earum cognitio nec erronea sit, nec opinatiua. Istis habitis ponitur hæc conclusio.

Quæstiones verè scibiles sunt tantum quatuor, nempe si est, quid est, quia est, & propter quid est. Quæ conclusio sic accipienda est, quod ipsæ quæstiones accipiantur secundum diuersam rationem formalem rebus correspondentem; nam secundum simplicem numerum res fortè aliter se haberet, vt ex vi argumentorum patet. Quod autem sint solum quatuor, probatur; nam vnaquæque res nihil aliud includit, nisi quidditatem, existentiam, proprietates, & causas; & licet in ipsa etiam communia accidentia insint, tamen hęc non sunt, vt sic, verè scibilia, sicut in præcedentibus dictum fuit.

Ad Argumenta.

Ad primum dicitur, res scibiles secundum entitatem esse quidem plures, & multas, sed sub hac ratione scibili ad quatuor modos prædictos reducuntur.

Ad secundum negatur minor, ad probationem patet in quarto notabili.

Ad tertium pariter responsum est ibidem.

Ad quartum dicitur, quæstionem si est, & quid est esse præcognitiones in ordine ad quæstionem quia, & propter quid, sed dum de ipsis est dubitatio, sunt quæstiones, in quibus sufficit solum præcognoscere quid nominis; verum quia quæstio quia, & propter quid veram scientiam efficiunt per vsum, vel attributionem, aut solum in comparatione ad ipsam, istæ dicuntur præcognitiones.

C A P V T II.

Demonstratio, & definitio non sunt eiusdem.

Tex.9. *PRincipium autem determinandi de sequentibus (quæ quidem dubitatio erit conueniens præcedentibus sermonibus) erit apponere, & soluere aliquas dubitationes, & prima; An idem eodem modo cognosci possit per definitionem, & per demonstrationem. Cui negatiuè respondetur. Nam omnis definitio est vniuersalis, & affirmatiua, sed non omnes demonstrationes sunt vniuersales, & affirmatiuæ, imò in secunda figura sunt omnes negatiuæ, in tertia particulares.*

Tex.10. *Præterea, neque omnium quæ affirmatiuè monstrantur in prima figura est definitio, sicut patet dum passiones ostenduntur de subiecto, vt omnem triangulum habere tres angulos æquales, &c. Huius autem ratio est, quia hæc sciuntur solum per demonstrationem, quare si etiam per definitionem eodem modo scirentur, frustra esset demonstratio, vnde quod per demonstrationem est scibile, esset sine demonstratione scibile, quia nihil prohiberet, vt solum per definitionem sciretur.*

Tex.11. *Sufficiens autem est fides ad hoc, idem comprobandum ex inductione; nam vnquam per definitionem nouimus proprietates, quæ per se rei insunt, nec accidentia, sed illas per demonstrationem, hæc autem alio modo.*

Tex.12. *Amplius; Definitio est solius substantia, seu essentiæ simplicis, sed quæ demonstrantur non sic se habent, imò sunt proprietates cum subiecto, ergo.*

Tex.13. *Quod igitur non omnis, cuius est definitio sit demonstratio, manifestum est: dubitatio tamen est è conuerso, an eius cuius est demonstratio sit definitio, vel non: cui quidem primo satisfiet per rationem prædictam in tex. 10. videlicet, quod vnica res inquantum est vna, est vno modo scibilis secundum eandem rationem, ergo per demonstrationem, & definitionem sciri non poterit.*

Tex.14. *Amplius, principia demonstrationum sunt definitiones, sed ipsa principia sunt indemonstrabilia, aliter procederetur in infinitum, quare indemonstrabiles sunt definitiones, ergo quæ per definitionem sciuntur, per demonstrationem sciri non poterunt.*

Tex.15. *Sed quæritur adhuc, an saltem alicuius sit simul demonstratio, & definitio, licet non omnium. Respondetur in omnibus hoc esse impossibile. Nam definitio est solius essentia, vel natura, quæ quidem definitio supponitur in demonstratione, vt Mathematica supponunt quid vnitas, quid impar, &c.*

Tex.16. *Amplius, omnes demonstrationes sunt affirmatiuæ, vel negatiuæ; definitiones verò nequaquam, & licet in tex. 9. dictum sit, eas esse affirmatiuas, hoc intelligi debet, quod careant negatione, & complexione, non autem quod sint complexa, sicut propositiones.*

Tex.17. *Amplius; definitio ostendit, vel declarat quid est hoc vel illud; at demonstratio, quod hoc, vel illud huic, vel alteri conueniat.*

Tex.18. *Amplius, licet diuersarum rerum diuersæ sint demonstrationes, tamen quando vna res est pars subiectiua alterius potest eandem demonstrationem habere, vt per eandem demonstrationem ostendimus triangulum habere tres angulos, & pariter æquicrurem, quia æquicrus est pars trianguli, sed nunquam quid est, & quod est, seu definitio, & demonstratio sic se habent, quod vna*

possit

possit esse pars subiectiua alterius, ergo.

Tex.19. *Manifestum est igitur, quod neque cuius est demonstratio est definitio, nec è contra, quare neque definitio, & demonstratio sunt idem, neque eodem modo eidem conueniunt, aliter idem esset demonstrabile, & definibile, seu natura, & proprietas rei, quod est absurdum. Hac itaque huc usque sic dubitata sint.*

CAPVT III.

Definitio non monstratur de definito, neque per syllogismum reduplicatiuum, neque per diuisiuum.

Tex.20. *Ipsius verò definitionis quaeritur, an sit syllogismus demonstratiuus, vel potius non, vt in praecedentibus per rationes determinauimus. Respondetur iuxta praedicta negatiuè, & rationibus alijs comprobatur, ad quas prius quam accedamus, aliqua supponere oportet. Primum. Omnis demonstratiuus syllogismus aliquid de aliquo demonstrat per medium. Secundum. Ipsa definitio est propria sic rei definita, vt praedicetur in quid de ipsa, & cum ipsa conuertatur. Tertium, cum ipsa definitio conuertatur cum definito, si de ipsa demonstrari debet, hoc necessariò fiet per medium quod cum vtroque conuertatur, ita vt omnes tres termini sint conuertibiles. Quartum, in tali syllogismo oportet omnes praemissas sumere cum ipso quid est; nam si hoc pacto non reduplicetur ipsum quid est, neque demonstratiuè concludi poterit; quare si vna praemissarum non sic se habebit, neque conclusio. His autem suppositis sic intentum probemus. Si itaque ipsum quid est in vtraque praemissa ponitur, necesse est, quod etiam accipiatur pro medio termino.*

Tex.21. *Et omnino si velimus monstrare quid est homo, sic syllogizabimus, omne animal rationale est animal bipes, vt quid est, omnis homo est animal rationale, vt quid est, ergo omnis homo est animal bipes, vt quid est. Huius autem rationis, & praecipuè maioris propositionis erit alia ratio definitiua assignanda, qua etiam erit definitio hominis; quare est petitio principij, nam accipitur pro nota maior, qua debet monstrari, quemadmodum si quis existimaret, posse vnam definitionem per aliam eiusdem eodem modo ostendere, pariter deficeret, vt si accipiantur ha dua definitiones de anima, quod sit causa viuendi viuentibus, & quod sit numerus se ipsum mouens, sic arguendo, quod est causa viuendi est numerus se ipsum mouens, anima est causa viuendi, ergo, qua demonstratio ideò est mala, quoniam opus est minorem alia demonstratione probare, & sic est petitio, praecipuè cum talis definitio, quod sit numerus, sit secundum opinionem aliquorum tantum, vnde non est penitus verum, quod esse numerum, & causa viuendi sint omnino idem.*

Tex.22. *Neque enim sufficit ad hoc, vt aliquid sit definitio, & definitum, quod vnum essentialiter sequatur ex alio; nam etiam animal sequitur ex homine, nec tamen est eius definitio, sed genus, & sic non est vnum cum ipso, vt definitio cum definito. Si igitur quis non acceperit vt definitionem, non habebit intentum, si autem acceperit, erit hoc demonstrandum, & sic erit petitio.*

Tex.23. *Verum neque per diuisionem possumus definitionem ostendere de definito, vt in Libris Priorum declarauimus, quia ex ipsa diuisione non accipitur aliquod, vt necessariò demonstratum, sed sicut per inductionem; aliter non oporteret interrogare de membris diuidentibus, vt si hoc modo discurramus; omne animal est terrestre, vel aquaticum, homo non est aquaticum, ergo terrestre; in quo discursu minor indiget probatione, & sic non est demonstratio, non ergo in praedictis fit syllogisticus demonstratiuus progressus, & si quandoque partes omnes sint vera, non tamen sic demonstrabimus quid est, de eo cuius est. Amplius, siue addatur, siue diminuatur numerus partium, & substantia, seu natura totius diuisi, nihil refert.*

Tex.24. *Contingit autem, vt aliquis nostram praedictam rationem soluat, dicendo, quod si in diuisione accipiantur partes, qua sint de essentia, & qua consequantur naturam totius, tunc fieri demonstrationem, praesertim si omnia membra sumantur, & nihil relinquatur; sic namque accipientur propositiones necessaria, & indiuidua, & immediata.*

Tex.25. *Huic tamen obiectioni respondetur, hunc progressum diuisiuum nullatenus esse demonstratiuum, licet alio modo cognoscere faciat, sicut accidit de inductione, qua nobis notitiam aliquam tradit absque eo quod demonstret. Qui ergo per diuisionem definitionem concludit, hoc facit per demonstrationem, nam demonstratio habet praemissas, quę nec probatione, nec interrogatione indigent, sed in diuisione semper est aliquid probandum; vt licet assumatur in ipsa diuisione, quod homo sit animal rationale, bipes, sine pennis, &c. adhuc quaerendum est propter quid. Continget autem, vt diuisio sit sine dubitatione, quando cum toto diuiso assumuntur omnia membra sine descensu, vt omne animal est rationale, vel irrationale, non tamen hac est definitio totius, nec syllogistica demonstratio.*

CA-

CAPVT IIII.

Definitio ipsa neque alia definitione, neque propria, neque sui contrarij, nec alio modo monstratur.

Tex.26. *Sed adhuc dubitatur, an possit demonstrari ipsa definitio essentialis, supponendo definitionem definitionis pro altera præmissarum, sic; omne quod soli, omni, & quidditatiuè inest alicui est eius definitio; animal rationale, v.g. sic inest homini, ergo.*

Respondetur, neque sic bene hanc fieri demonstrationem, necesse enim est minorem illam per medium monstrare, & non assumere vt notam. Amplius sicut in alijs syllogismis ad probandam conclusionem non sumimus definitionē ipsius syllogismi, sed propositiones vniuersales, vel particulares significantes res, de quibus syllogizamus, sic neque ad probandam definitionem de definito definitionem definitionis sumere debemus; sed hoc esse debet seorsum appositis, eo modo quo adhibentur axiomata, dum videlicet aliquis dubitat de ordine, & illatione, ac non esse certè, vel bene syllogizatum existimat; sic ergo tunc adducitur definitio definitionis, vel syllogismi prout occasio expostulat, aliter autem non, sed sine ipso quid est syllogismi, & definitionis syllogizare contingit.

Tex.27. *Et si aliquis ex positione definitionis vnius contrarij definitionem alterius monstret, errabit: sic autem posset syllogizare, de natura mali est diuisibile esse, vel pluribus conuenire, ergo oppositum huius suo contrario conueniet (contrariorum namq; contraria sunt dispositiones, vel natura) at bonum, & malum sunt contraria, & pariter diuisibile, & indiuisibile, ergo bonum est indiuisibile.*

At qui sic discurrit etiam deficit; nam ipse accipit ad demonstrandum definitionem alicuius Tex.28. *eiusdem contrarij definitionem; nam licet sit verum, quod in demonstrationibus accipimus aliquid, quod dicatur de hoc, & negetur de alio, præsertim in negatiuis: attamen hoc, quod sic accipitur non est penitus idem, & secundum eandem rationem aquè notum, & conuertibile, sicut accidit in prædictis contrarijs, in quibus æqualiter definitionem vnius sicut alterius sumere possumus, quare cum altera non sit notior altera, inutilis erit discursus.*

Contra vtrosque ergo, tam videlicet contra Tex.29. *eos, qui per diuisionem, quam contra eos, qui per aliam viam definitionem de definito ostendere conantur potest fieri dubitatio, propter quid nimirum homo sit animal bipes, &c. nam ex ijs, quæ accipiunt nulla est necessitas, quod prædicatum essentialiter fiat vnum, & dicatur de subiecto, sed solum eo modo, quo album dicitur de musico, & de grammatico.*

Posset autem aliquis dicere, quod definiendo aliquid, ipsa definitio demonstratur: sed quomodo definiens poterit sic monstrare naturam, vel definitionem alicuius? neque enim ex principijs concessis, vel euidentibus manifestum faciet, quod definitio insit definito, eo modo quo efficit demonstrator; hoc enim esset demonstratio, & non definitio. Neque id efficit per modum inductionis, in qua omnia singularia manifesta fiunt, & nullum ipsorum aliter se habet; nam per inductionem non monstratur definitio, sed quod aliquid sit, vel non sit. Quis igitur est reliquus modus definitionem demonstrandi? nullus quidem, nisi diceremus, quod ipsam monstrare possumus sensu, vel digito, quod ridiculum est. Tex.30.

Amplius, quomodo aliquis monstrabit quid est homo, vel aliquid aliud? necesse enim est, quod qui vult demonstrare quid aliqua res sit, quod prius demonstret si sit, nā de non ente non est sciētia, sed solùmodo cognitio nominis, vt quid significet hircocerus, &c. At si demonstrabit, quid est, & quod est, quomodo hoc efficere poterit? nunquid eodem modo monstrabit? hoc namq; est impossibile, quia cum si est, & quid est, sint varia quæstiones scibiles, non eodem modo sunt terminabiles: cum ergo ipsum si est per demonstrationem concludatur, ipsum quid est sic ostendi non poterit: definitio igitur vnum modum sciendi significat, & eadem significaret demonstratio, quod quidem est inconueniens, nam aliud est quid est homo, (quod cognoscitur per definitionem) & esse hominis (quod cognoscitur per demonstrationem) ergo alij modi cognoscendi. Tex.31.

Postea, per demonstrationem demonstramus solum rem, vel proprietatem esse, non autem substantiam, vel quidditatem; nam ipsum esse, seu ens, aut existentia nulli est substantia, nec genus; cum ergo demonstratio, & scientia sit de esse, definitio verò de substantia, vel quidditate, patet, quod differunt. Amplius, ipsum quid, supponitur, vt Geometra, v.g. supponit quid sit triangulus, ergo non demonstratur, ergo qui definitionem sciet demonstratiuè, non poterit eodem modo scire si est, cum sint diuersa quæstiones scibiles (vt etiam dictum est) sed hoc est impossibile. Tex.32.

Manifestum autem est ex modis definiendi, qui in vsu sunt, quod ipsa definitio non monstrat quod est; nam definiendo circulum esse, qui ex medio æquale secundum circumferentiam distat, non reddit huius causam, neque quod talis res sit, aliter idem esset dicere quid est orichalcus, & si sit: definitiones autem neque res esse actualiter, nec possibile esse, vt sint, declarant, sed hoc ad demonstra- Tex.33.

monstrationem attinet; in ipsis verò definitionibus semper quærere possumus propter quid.

Tex.35. *Si igitur definitio demonstrat, aut demonstrat quid rei, aut quid nominis; non quid rei, vt ostendimus; non autem quid nominis (quod accipitur in ijs, quæ non habent quid rei) nam definitio esset sola nominis interpretatio, quod est absurdum. Amplius non esset tantum substantiarum, seu naturarum, sed etiam non entium: hæc namque possunt quoque sic explicari per nomina. Amplius omnes orationes definitiones vtique essent, cum sic declarari possint, & sic Ilias, seu historia de bello Troiano esset definitio. Item nulla scientia versatur circa nominum interpretationem cum sint ad placitum, ergo neque has definitiones curant. Ex dictis patet, quod demonstratio, & definitio non sunt idem, neque eiusdem; neque definitio demonstrat, neque est eodem modo scire per definitionem, & demonstrationem.*

CAPVT V.

Dissolutio disceptationis propositæ, vbi determinatur quomodo definitionis sit demonstratio.

Tex.36. *ITerum autem considerandum est, quid horum, quod diximus dicitur bene, & quid non bene, & quid est definitio, & an ipsius sit aliquo modo demonstratio, & definitio, vel non.*

Tex.37. *Quoniam autem (vt diximus) in quibusdam idem est scire quid est, & scire causam ipsius si est, vt quid est eclipsis Lunæ, & quæ causa est vt sit. Ratio autem huius est, quod ipsum quid est, est aliqua causa ipsius si est; hæc autem causa, vel est eadem, & sola, siue sui altera causa, vel est alia etiam ipsius: si autem est alia, aut est demonstrabilis, aut indemonstrabilis, si est alia & demonstrabilis, poterit per hanc demonstrari, & hæc per illam tanquam per proprium medium in primo modo primæ figuræ, nam hæc demonstratio esset vniversalis, & affirmatiua. Vnus igitur modus demonstrandi ipsum quid est per aliam causam (ex qua pariter fiat causalis definitio) est, quę quidem causa debet esse per se, & non per accidens: nam medium ad demonstrandum aliquod proprium, vel per se: proprium & per se esse debet; si verò erit per accidens non monstrabit id quod est idem cum eo cuius est definitio, & demonstratio; vna igitur definitio, quæ per vnam, aut plures causas traditur, per aliam quæ per alias tradatur, demonstrari potest, vt materialis per formalem, vel finalem, & è contra.*

Tex.38. *Hic igitur est modus ostendendi quid est, qui tamen non est vera demonstratio, vt supra diximus, sed est logicus, seu topicus syllogismus, ex probabilibus procedens, sed dicatur demonstratio largo modo. Quo autem modo etiam sic demonstrare contingat, dicamus incipientes rursus a principio.*

Pro determinatione ergo supponendum est hoc, quod sicut interdum quærimus propter quid cognitio si est, sic interdum simul vtrumque manifestum est; at nunquam est possibile, quod ipsum quid est cognoscatur ante ipsum si est, & sic quid est non potest haberi sine si est, licet bene è contra. Ipsum autem si est dupliciter haberi potest, nempe vel per accidens, vel per se; per accidens dum ex accidentibus aliquid esse cognoscimus, vt Socratem ex eius albedine, &c. per se autem dum aliquid de natura rei cognoscimus, vt esse tonitruum percipimus ex sono nubium, eclipsim ex priuatione luminis, hominem, quia animal, animam, quia seipsam mouet, &c. Quæcunque igitur secundum accidens nouimus quod sunt, necessarium est, quod nullo modo pertineant per se ad ipsum quia est, quia per ea neque verè scimus, si res sit, quare si hoc nesciamus neque quid est scire poterimus. De quibuscunque autem habemus aliquid pertinens ad essentiam, dicere possumus, quod faciliùs ad ipsum est nos ducant. Tex.39.

De ijs igitur, quorum habemus cognitionem existentiæ per aliquod essentiale possumus sic demonstrare si est, omne astrum patiens interpositionem terræ eclipsatur, Luna hanc patitur: ergo, in qua ostensione idem est quærere, si sit eclipsis, quid sit, & propter quid, nam ab eadem radice hæc omnia proueniunt. Tex.40.

Aut si quæratur ratio vtrius contradictionis passionis disiunctæ, vt ratio habendi duos rectos æquales, aut non habendi respectu trianguli; in ijs enim quando inuenimus si est per medium, tunc est idem quod inuenire propter quid, si verò non sit inuentio per medium, vel causam, scimus quidem tunc si est, non autem propter quid; hoc autem accidit dum respectu ipsius si est accipimus tantum effectum, vel aliud per accidens, vt si velimus probare quid sit eclipsis Lunæ, eo quod tempore eclipsis non facit vmbram circa corpora (quod enim lumine caret, nec vmbra circa opposita corpora causat) est cognoscere si est per accidens: vnde nec ad quid, neque ad propter quid nos ducit, sic ergo arguamus; Luna existens in plenilunio, atque remoto omni impedimento, vel nubium, vel aliorum non potest vmbram facere, ergo eclipsatur, cum ergo ex hoc accidenti Lunæ eclipsim colligimus, est per accidens, vnde licet si cognoscamus si est, vt etiam dictum sæpe fuit, non tamen scimus propter quid, neque quid sit eclipsis; vnde quærimus propter quid, an videlicet ipsa eclipsetur propter interpositionem terræ, aut quia habet Tex.41.

bet duas facies, nempe lucidam & opacam, & tunc opacam ad nos vertit, aut quia lumen eius ad tempus extinguitur, (sunt autem hæ tres opiniones Antiquorum de causa huius defectus) aliqua ergo harum est causa alterius extremi, vel huius eclipsis. Si vero habeatur si est per se, tunc facile habemus quid, & propter quid, vt si tonitrum esse sonum nubium cognoscamus, tunc facile colligimus propter quid fit, videlicet propter extinctionem ignis in nubibus, & pariter ipsum tonitrum esse talem extinctionem percipiemus, vel aliam causam in alijs inueniemus.

Tex. 42. *Qualiter igitur inuestigatur, & notificatur ipsum quid est, ex dictis patet. Quare ad ipsum per causam demonstrandum non procedimus, licet in processu demonstratiuo cognoscatur, non cognoscitur igitur sine demonstratione: attamen non per demonstrationem, ipsa namque definitio nunquam vt effectus vel proprietas in demonstratione ostendetur, sed vt medium ad demonstranda ea quorum est causa assumetur, & sic eius natura in demonstratione manifestabitur. At est notandum, quod non eodem modo omnes definitiones se habent: nam aliqua causam quandam habent, aliqua vero nequaquam: quare quæ causam non habent sunt immediata, & indemonstrabiles, & solum per suppositionem, vel alio modo, non autem per demonstrationem fiunt manifesta; vnde Arithmeticus non demonstrat quid sit vnitas, sed supponit eius quid est esse.*

Tex. 43. *Quæ vero causam, vel medium habent possunt per demonstrationem ostendi, vt diximus, non tamen simpliciter ostendemus ipsam definitionem, tanquam per causas per se notas, sed modo syllogistico, vt supra diximus.*

Tex. 44. *Definitio autem est duplex, nempe quid nominis, & quid rei, vt si explicemus triangulum habere tres angulos, erit quid nominis; quam definitionem nominis habentes, quærimus propter quid, & definitionem rei, seu quidditatiuam; quam tamen ex hac nominis interpretatione difficile est accipere; quia per ipsam non accipimus aliquod esse ipsius rei, sed solum quid per accidens.*

Tex. 45. *Oratio autem est vna dupliciter, nempe per coniunctionem, & per simplicem vnitatem; primo modo est in qua plura vniuntur, vt Ilias quæ bellum Troianum significat. At simplici vnitate est, quæ vnum de vno per se, & non secundum accidens significat. Definitio igitur cum sit oratio erit vna hac simplici vnitate, & præsertim si sit definitio rei. At hæc quoque est duplex, nempe pura definitio, quæ solum quid sit res explicat, alia autem quæ etiam dicit propter quid, quæ sic differunt in ordine ad demonstrationem, quod ea quæ dicit tantum quid non est demonstratio, sed quandoque potest esse conclusio, vt supra dictum est; at ea in qua ponitur propter quid est tota demonstratio differens solum positione, vel ordine; quatenus videlicet non est in modo & figura syllogistica, vnde si ad ipsam reducatur nihil ad demonstrationem attinens deficiet: quare vna erit demonstratio tota non tamen formata, alia pura definitio; vt quid sit tonitrus, est pura definitio, esse sonum in nubibus; sed si dicamus esse sonum in nubibus ex extinctione ignis causatum, erit definitio propter quid, & tota demonstratio.*

Amplius, præter definitionem quid rei, & quid nominis est alia definitio materialis, quo pacto definitur tonitrum esse sonum in nubibus, hæc autem poterit esse conclusio demonstrationis, in qua sit medium, alia definitio quidditatiua. At est etiam alia definitio immediatorum, hoc est quorundam primorum principiorum incomplexorum, vt vnitatis in Aritmetica, puncti in Geometria &c. quæ quidem vocatur positio vel dignitas, atque est prorsus indemonstrabilis. Triplex est ergo definitio rei, prima indemonstrabilis, quæ dicitur positio, secunda causalis, & quidditatiua simul, quæ differt à demonstratione solum positione, tertia est materialis, quæ potest esse demonstrationis conclusio. Tex. 46.

Manifestum igitur est ex dictis, quomodo ipsius definitio sit demonstratio, vel non, & quorum est demonstratio, vel non. Amplius quot modis definitio dicatur, quove pacto ad demonstrationem pertineat, vel non. Tex. 47.

CAPVT VI.

De causarum distinctione, & quomodo in demonstratione mutuò sibimet ipsis inseruiant, vel non.

Qvoniam autem scire putamus quando causas cognouerimus, hic autem de scientia agimus, ergo de causis aliqua ad propositum dicere oportet; sunt igitur causæ quatuor; nempe formalis, quæ dicitur quod quid erat esse, seu potissima & perfectiua pars quidditatis; alia est materialis, quæ datis debitis dispositionibus necesse est, vt effectus sequatur; alia est efficiens, quæ scilicet aliquid primum mouet; quarta est finalis, quæ dicitur gratia cuius aliquid fit. Hæ igitur omnes in demonstratione sciuntur per medium, quatenus vna potest demonstrari per aliam; vel prout vnaquæque potest assumi pro medio ad aliud inferendum. Sed hoc est obseruandum, quod quamuis ex positione alicuius istarum, necesse Tex. 48.

fit vt aliud sequatur; hoc tamen fieri non poterit per vnam tantum propositionem, sed requiruntur ad minimum dua, qua vnicum medium habeant, ex quo accepto conclusio infertur.

Tex. 49. Quod autem vnaquaque possit esse medium in demonstratione, manifestum erit, si per singulas exemplificando discurramus, & primum de materiali; vt propter quid angulus existens in concauo semicirculi sit rectus, sic demonstratur. Omne dimidium duorum rectorum est rectum, sed angulus existens in concauo semicirculi est dimidium duorum rectorum. ergo est rectus; in qua demonstratione sumitur causa materialis, nam linea recta vel dimidia &c. sunt materialis causa anguli, & sic hac materialis causa est idem cum hoc, & definitio huius, vnde pro medio accipi potest.

Tex. 50. Pariter per causam efficientem, vt si quaratur, propter quid Medorum bellum factum est Atheniensibus; quoniam in Sardes amicos Medorum simul cum Eretriensibus irruerunt, & sic primum motum effecerunt, & habetur causa efficiens, & sic syllogizatur. Qui alios iniuria primo affecerunt debellandi sunt, sic autem se habuerunt Athenienses in Sardes, ergo bellum contra eos iure factum est.

Tex. 51. Quacumque autem sunt causa finales etiam ad demonstrandum assumi possunt, vt propter quid aliquis ambulat? vt sanus fiat; propter quid domus est? vt conseruetur suppellex; quare & sanitas & conseruatio fines sunt, & sic syllogizari potest; omnis qui vult sanus fieri ambulat; Socrates vult sanus fieri, ergo. Omne conseruatiuum suppellectilis fieri debet, domus est conseruatiua, ergo. Pariter deambulare post prandium habet pro fine quod cibi non supernatent in stomaco, sed digerantur; & sic syllogizatur; omnis qui vult vt ei non supernatent cibaria debet deambulare post prandium; Socrates ita vult, ergo.

Tex. 52. Oportet autem ad maiorem claritatem exemplorum pradictorum mutare orationes vel per verba, vel per nomina, & ita magis singula apparebunt. Generationes autem, seu productiones effectuum e conuerso fiunt hic, seu per causam finalem, & in causis secundum motum, seu efficientibus: nam in causis efficientibus medium, vel causam ipsam oportet esse primam secundum ordinem, at in causis finalibus ipsa est vltima in executione, licet sit in intentione prima.

Tex. 53. Contingit autem, quod sicut aliquis effectus & ex causa materiali, & ex finali procedit, sic per ambas ostendi possit; vt lumen ex necessitate materia per lanternam egreditur, eo quod minorem habet densitatem per maiores poros (iuxta opinionem Antiquorum) & ex parte finis, ne videlicet noctu offendamur.

Si ergo effectus ex materiali, & finali causa esse contingit; cur non etiam eodem modo fieri contingit demonstratio? Vt dum tonat, est causa materialis ignis extinctio in nubibus, & finalis vt (secundum Pythagoreos) deterreantur ij qui sunt in Tartaro. Plurima autem sunt qua hanc duplicem includunt necessitatem materia & finis, & prasertim res naturales; nam ha & ex necessitate materia, & finis vt plurimum fiunt; interdum vero ex hac, vel illa tantum, Sed notandum est, duplicem esse necessitatem, videlicet naturalem, seu secundum inclinationem rerum, & violentam; vt lapis prima necessitate fertur deorsum, secunda verò proijcitur sursum, & vtraque in demonstratione pro medio sumi potest. Tex. 54.

Ea vero qua per discursum, vel artem fiunt, sic se habent, quod aliqua ipsorum numquam à casu fiunt; vt domus, aut statua; sed neque ex necessitate materia, bene tamen propter finem; ideo finis solum pro medio ad hac demonstranda sumere oportet. Quadam vero fiunt à fortuna, vt sanitas infirmis, salus nautis; hac autem qua à fortuna fiunt contingunt in rebus, qua possunt vno & alio modo fieri, quando ipsarum effectio à fortuna non est. Finis igitur & in rebus naturalibus, & in artificialibus reperitur; à fortuna vero nihil propter finem euenit, immo neque ex alia causa necessariò, quare de ijs fortuitis demonstrationes fieri non possunt. Tex. 55.

CAPVT VII.

Quo pacto demonstrationes, & media ad præteritum, præsens, & futurum aptentur, & quomodo in eis sit circulus.

Eadem autem causa in rebus generabilibus & corruptibilibus est applicanda proportionaliter effectui praterito, prasenti, & futuro; nempe praterito causa praterita, prasenti prasens, & futuro futura; vt propter quid eclipsata fuit Luna? quia terra interposita fuit; cur eclipsatur? quia interponitur. Tex. 56.

Pariter, quid est chrystallus? est aqua congelata ob totalem caloris defectum; quando factus fuit? quando aqua congelata fuit; quando fiet? quando congelabitur, &c. Tex. 57.

In ijs vero causis & effectibus, qua non simul sunt; an saltem sit verum, quod sint in continuo tempore? quemadmodum hoc pacto nobis videtur alias aliorum esse causas, quatenus scilicet, absque interceptione temporis sit, vel incipit effectus; vt fundamentum quod est causa materialis domus, pariter lapides, &c. an hanc habeant continuitatem cum domo ipsa? Et vniuersaliter Tex. 58.

liter causa praterita ad effectum prateritum, prasens ad prasentem, & futura ad futurum applicari potest; ita vt sit ipsum fieri, si prius aliquod factum est, vt de fundamento, & de domo determinauimus.

Tex. 59. In pradictis autem qua sic se habent, non possumus discurrere à priori ad posterius, non enim valet, est fundamentum, ergo est, vel erit domus; sed principium syllogizandi est à re facta, arguendo pariter proportionaliter ab effectu prasenti, vel futuro vel praterito ad prasentem, futuram, vel prateritam causam, vt domus fit, ergo paries fit, vel est; facta fuit, ergo etiam paries, &c. respectu namque causa ad effectum neque tempus determinatum, neque indeterminatum ad ritè arguendum sumere possumus; vnde de praterito si possumus affirmare hoc factum fuisse, & prius aliud factum fuisse asseremus; non sic autem de tempore intermedio, vel de alijs.

Tex. 60. Eadem autem ratio est de facto ad rem futuram, ita videlicet, quod sicut non valet de priori ad posterius; ita neque de re facta ad aliam futuram; medium namque debet esse congenitum seu connaturale, & proportionatum effectui, nempe factorum factum, futurorum futurum, qua fiunt quod fit, & entium ens, id vero quod fuit cum eo quod erit non contingit sic esse congenitum.

Tex. 61. Amplius, neque in pradictis poterit assignari aliquod tempus intermedium in quo ex causa ad effectum arguere possimus, siue hoc tempus sit determinatum, siue non; nam in ipso intermedio tempore poterit esse falsa oratio de effectu futuro, vt licet inceperit esse domus, non tamen valet, ergo domus erit.

Tex. 62. Pro solutione autem dubitationis considerandum est, quomodo se habeat continuitas in rebus qua fiunt, & facta sunt, ex hoc namque videbimus si causa cum effectu continuetur. Respondemus igitur, quod res facta non potest esse continua cum ipso fieri, neque cum alia re facta, nam res facta sunt ex se sic distincta, vt vnaquaque sit indiuidua, & quasi indiuisibilis terminus, quemadmodum igitur neque puncta sunt continua sibi inuicem, sic neque res facta alteri, ambo namque suo modo sunt indiuisibilia; & eadem ratione neque quod fit est contiguum facto, nam quod fit diuisibile est, factum vero est indiuisibile, qua adinuicem non possunt sic continuari, vt partes (hoc namque modo intelligendum est:) quemadmodum igitur linea ad punctum se habet, ita fieri ad factum, nam ipsum fieri continet infinitas partes, factum vero consistit in termino indiuisibili, vnde eodem modo continuari non poterunt; Hac autem magis manifesta erunt in sermonibus vniuersalibus de motu, nempe in 6. phys.

De eo igitur quod factum est, quomodo eius generatio vel fieri sit sibi consequenter vel continua, & quomodo sit causa, hac pradicta sic accipiantur, videlicet, quod rigorose loquendo simpliciter fieri & factum esse non sunt contigua; attamen necesse est quod etiam in his medium, primum, & immediatum principium assignetur, alia tamen ratione: incipiendo videlicet ab vltimo effectu ad alium pracedentem, & ex hoc ad alium, qui pracedentes sunt quoque causa: vt A. factum fuit, quoniam C. hoc autem quoniam D. neque procedatur in infinitum, sed solum vsque ad primam causam. Tex. 63.

Similiter autem oportet procedere respectu effectus futuri: vt si verum est dicere quod erit D, necesse est vt prius sit A, & ante hoc C, in quibus neque erit sectio, vel diuisio in infinitum, quia hac futura non sunt contigua, vel continuata inter se, sed ad principium immediatum deueniendum est: dummodo non fieret diuisio ipsius fieri per partes proportionales, vt fit de motu, vel alia quantitate continua, quia tunc in infinitum procederetur. Tex. 64.

Hac autem omnia qua diximus possunt exemplis fieri manifesta in operibus artificialibus: vt ex parte facti, si facta est domus, necesse est factos fuisse muros, si autem hos, & fundamentum, & si istud, necesse est incisos fuisse lapides, & ex parte effectus futuri sic; si erit domus, debent esse lapides, postea fundamentum, parietes, &c. nam monstrantur per medium similiter vt supra, facta parua immutatione ordinis. Tex. 65.

Quoniam autem in ijs qua fiunt videmus interdum generationem quandam effectus ex causa, & è contra, modo circulari procedendo: tam videlicet ex causa prima ad mediam, & ad effectum vltimum, quam ex ipso effectu ad mediam & primam, in quibus sumi etiam possunt omnes propositiones conuertibiles, vt in libris Priorum declaratum est. In ijs igitur causam per effectum, & effectum per causam ostendere possumus; & hac qua dicimus manifestari possunt in operibus seu effectibus ipsis; vt madefacta est terra, ergo necesse est vapores fieri, his factis necesse est fieri nubes, ex his aquam; ex aqua terra madefit, deinde vapores, &c. quare vno ipsorum existente aliud sequitur, & e contra. Tex. 66.

Sed est notandum quod aliqua sunt, vel fiunt semper & vniuersaliter, vt reuolutiones calorum; alia vero non sic semper, & vniuersaliter, sed vt quod omnis homo masculus barbam tempore determinato emittat, non est semper, sed vt plurimum. Tex. 67.

Talium itaque necesse est vt proportionaliter respondeat medium; nempe sempiternum & vniuersale ijs qua semper sunt, vel fiunt; vt pluri- Tex. 68.

mum autem eis, quæ etiam vt plurimum eueniunt. Si namque mediura eorum, quæ vt plurimum sunt esset semper, & vniuersale, semper quoque, & vniuersaliter essent hæc, quæ vt plurimum dicuntur, & sic non essent talia; reducenda sunt ergo ad principia immediata, quæ sunt vt plurimum.

CAPVT VIII.

De constitutione, & inuestigatione Definitionis.

Tex. 69. *QVomodo igitur definitiones ipsius quid est, seu rei definibilis assignentur, & quomodo eiusdem definibilis sit demonstratio, vel definitio, aut non sit, prius dictum est. Quomodo autem oporteat inuestigare ea, quæ ad definitionem constituendam pertinent, seu quæ prædicantur in quid, & essentialiter de re definita, nunc dicamus. Eorum igitur, quæ per se de aliquo prædicantur, quædam prædicantur secundum excessum intra genus illius, quædam extra genus; vt numerus prædicatur de trinitate quidem, at secundum excessum in genere numeri, quatenus de alijs numeris etiam dicitur: idem dicatur de impari, qui de ternario, quinario, & alijs dicitur. Ens autem prædicatur pariter de ternario, atque excedit, sed extra genus, quoniam neque de ternario, neque de numero tantum, sed de alijs rebus dicitur.*

Tex. 70. *Ad constituendam igitur definitionem, talia & tot accipienda sunt, quousque tot accepta fuerint primum, vel adæquate, quod licet singula per se sumpta pluribus conueniant, omnia tamen simul accepta rei duntaxat definitæ aptentur. Et tunc erit substantia, vel definitio rei, vt omni trinitati inest per se numerus, deinde impar, postea quod sit primus dupliciter, videlicet quod non componatur ex numeris, neque ex ipsis mensuretur, & ex omnibus istis sumptis hunc definietur trinitas, esse scilicet numerum imparem, primum, duplici prædicta primitate. At hæc omnia sigillatim sumpta pluribus conueniunt, vt esse numerum omnibus numeris, imparem omnibus imparibus, & vtroque modo primum etiam dualitati; sed omnia hæc simul sumpta nulli præter trinitatē.*

Tex. 71. *Quoniam autem in præcedentibus à nobis declaratum fuit, ea esse necessaria prædicata, quæ prædicantur in quid, & ipsa vniuersalia, seu de omni esse necessaria, sequitur quod assignatio prædicta trinitatis sit, & necessarij, & vniuersalis prædicati. Imo quod sit tota substantia, vel definitio eius, sic probatur. Cum in quid prædicetur de ipsa trinitate, vel erit definitio, vel genus eius; non genus quia ipsum ad plura se extendit quam ad rem definitam, siue ponatur nominatum, siue innominatum; hæc autem indiuiduè, vel immediatè, & adæquatè ipsi trinitati competit, ergo est vera definitio. Quare eodem modo idem erit alteri definibili quicquid sic prædicatur.*

At quando circa aliquod totum genus subalternum aliquis ad ipsum definiendum negotiatur, debet ipsum prius diuidere in suas species specialissimas, vt numerum in trinitatem, & dualitatem, & postea definitiones illarum particulares accipere, nempe quid sit ternarius, vel binarius, aut in comparatione ad lineam, quid sit recta linea, vel circularis, & in ordine ad figuras, quid sint anguli recti, vel obliqui, &c. post hæc autem accipiendum est genus commune omnium istarum specierum, vt an sint de genere quantorum, vel qualium: deinde ex his communibus proprias passiones specierum videbimus, nam quæ conueniunt ijs, quæ ex immediatis prædicatis constituuntur sunt etiam per eadem manifesta, & per eorum definitiones; primo namque simplici naturæ, vel essentiæ hæc competunt, alijs vero propter hæc; quare in definitione primò sumi debet genus, postea eius conditiones, deinde eas per quas res definibilis differt ab alijs, vt ad definiendam lineam, sumamus primò quantitatem continuam, deinde quod sit sine longitudine, & latitudine, &c. Tex. 72.

Diuisiones autem, quæ per differentias fiunt vtiles sunt ad hoc modo definiendum, non tamen sunt vtiles ad demonstrandum, sed ad syllogizandum tantum, sicut in præcedentibus dictum est. Et licet diuisio ipsa forte alicui videbitur nihil prodesse definitioni, sed quod absque ordine omnia membra, vel singula ad libitum accipere possumus; non tamen hoc est verum, imo maxime prodest, & diuisio, & ordo. Tex. 73.

Differt namque quod eorum, quæ prædicantur de diuiso, prius vel posterius accipiantur, vt refert dicere? animal mansuetum bipes, aut bipes animal mansuetum. Si enim omne compositum, seu genus diuisibile ex duabus differentijs est, & ex ipso genere, & differentia fit vnum quoddam definibile, vt animal mansuetum sic acceptum sit, & deinde huic addatur alia differentia scilicet bipes, ex quibus constituatur homo, vel aliud aliquid, quod vnum definibile sit, necesse est diuidentem, & definientem petere principium; nam bipes in plus est quam mansuetum, vnde ab ipso bipede mansuetum non contrahitur, sed e contra, quare est error circa principium procedendi. Tex. 74.

Amplius ad hoc vt sit bona definitio, & nihil ipsius relinquatur ita solum contingit si in diuisione Tex. 75.

acci-

aceipiantur differentia, qua disiunctim adaquentur generi, vel diuiso, non autem sint differentia aliorum inferiorum, vt si quis diuideret animal in habens pennas scissas, & non scissas, esset vtique insufficiens diuisio,& inutilis per consequens ad definiendum, quia sunt animalia, qua neque scissas, neque non scissas pennas habent. Sed hac erit diuisio animalis pennati, quod est inferius animali in communi, sed prima animalis diuisiua differentia est, qua disiunctim omne animal comprehendit, vt rationale, & irrationale; & sic dicatur de alijs omnibus generibus. Si ergo aliquis sic procedet, bene sciet, qua ad definitionem attinent, aliter non.

Tex.76. Nihil autem oportet, quod diuidens, & definiens omnia cognoscant, vt nonnulli, & præsertim Pseusippus affirmabat; hic etenim dicebat, impossibile esse nos aliquid verè scire: quia ad verè sciendum oportet omnes differentias rei scita cognoscere, at cognosci nequeunt nisi cognoscamus omnia ea à quibus differt, nam differentia à qua res scuta non differt, est idem cum illa,quare simul cognosci debet, ea vero a qua differt, est diuersa ab hac, quare etiam illius diuersitas cognoscenda est. Et sic omnium rerum differentia cognoscendæ sunt ad aliquid cognoscendum, cum vnumquodque ab omnibus differat, cum autem hoc sit impossibile, nos aliquid scire posse negabant, sed malè.

Tex.77. Primum quidem igitur hoc est falsum, quod oporteat cognoscere aliquid secundum omnes ipsius differentias; nam sunt multa differentia, quę alicui insunt, non autem per se: & ha cognoscenda non sunt. Postea quando acceperit membra opposita, seu opposita differentias,& cognouerit, quod hac differentia conuenit alicui, nihil de alijs est determinandum, sed sufficit scire in vniuersali de opposita differentia, vt si sciamus, animal diuidi per rationale, & irrationale, atque hominem rationalem esse statuemus, de alijs animalibus sat erit cognoscere, quod sub irrationali contineantur, quod maximè verum est, si fiat diuisio per differentias immediatas, & sic alias non contingit scire, vel non scire, sed deueniatur ad differentiam, cuius non est alia differentia; incidere autem in vnam partem, seu differentiam alteri oppositam,& per ipsam se determinare absque alijs,non est petitio principij: quia necesse est, quod omnia contenta sub diuiso contineantur sub hoc, vel alio membro diuisionis, si quidem vtraque est illius differentia immediata.

Tex.78. Ad constituendum vero definitionem per diuisionem tria oportet in ipsa diuisione considerare; Primum quod accipiatur solum essentialia. Secundum quod ordinatè id fiat, respiciendo videlicet quid primum, & quid secundum prædicatum est. Tertium quod omnia membra sumantur. Horum autem primum obseruabimus si considerabimus ea, quæ sunt apta, vt per ipsa possimus circa prædicta prædicata syllogizare,vel genus construere,quemadmodum ad construenda problemata accidentis, ea, quæ sibi competunt sumenda sunt. Secundum autem fiet, vel ordinatè procedemus si acceperimus primo loco prædicatum primum; hoc autem est quod ab omnibus infertur, ipsum vero alia non infert, puta magis vniuersale, & essentiale. Hoc autem accepto ad inferiora eodem ordine deuenire oportet: ita vt primum post hoc ab omnibus alijs inferatur, præterquam à supremo, & sic secundum erit primum aliorum, & tertium aliorum pariter, & sic de alijs.

Quod autem omnia sumere oporteat manifestum est, eo quod acceperit primum secundum ordinem, ita videlicet diuisum, quod differentiæ sint immediatæ, & adæquatæ, ita vt omnia sub hac, vel illa contineantur, pariter in subdiuisione alias differentias subsumere debemus, quousque ad vltimam deueniamus; & sic in prædicta diuisione, & constitutione definitionis nihil erit superfluum, nec diminutum; nam, vel deficeret genus, vel differentia aliqua; non genus, quia primò sumptum fuit; non differentia, quoniam etiam sumpta fuerunt vsque ad speciem specialissimam, quæ per alias differentias diuisibilis non est. Tex.79.

Quærere verò oportet ad hanc methodum facilius habendam, quæ sint inter se similia, vel indifferentia; primum videlicet quid habeant commune; postea comparanda sunt cum alijs eiusdem generis: ita quod prima comparatio fiat inter ea, quæ sunt eiusdem speciei, secunda inter ea, quæ specie differunt: quando igitur in his omnibus inuenerimus aliquid omnino commune, ita vt sub aliqua ratione quidditatiua conueniant, eodem modo sub vna definitione claudentur; si vero in vnam hanc rationem non conuenerint, sed in duas, vel plures, nec vna esset definitio, sed plures. Sed ad exempla accedamus. Tex.80.

Vt dico. Si quæreremus quid est magnanimitas, considerandum est circa aliquos magnanimos, qui in quantum tales scimus, quod in aliquo conueniunt, vt Alcibiades, Achilles, & Aiax, qui in hac ratione magnanimitatis conuenerunt, vt iniurias non ferrent, vnde hac de causa Alcibiades pugnauit contra patriam; Achilles autem iratus est, & Aiax se ipsum interemit. Ex alia parte alios quoque magnanimos (alia tamen ratione) considerare possumus, vt Lysandrum, & Socratem, qui rationem magnanimitatis constituerunt in hoc quod est æqualiter se habere circa prosperam, & circa aduersam Tex.81.

fortunam: si ergo duae rationes videlicet immutabilitas circa fortunam, & non tolerantia iniuriarum sub vna communi ratione continentur, vnica erit species, & vnica definitio magnanimitatis, si vero non, minime.

Tex.84. *Definitio autem semper est vniuersalis; vt Medicus non de sanitate alicuius oculi, sed de omni saltem secundum speciem determinat, facilius autem est singulare, seu minus vniuersale definire, quam magis; quapropter ab his minus vniuersalibus ad magis oportet transire; ratio est, quia in magis vniuersalibus plures latent aequiuocationes; vbi animaduertendum est, quod hic accipitur definitio pro plena, vel exacta rei per omnes differentias, tàm constitutiuas, quàm diuisiuas explicatio, sic namque animal plura continet quam homo, & per consequens difficilius explicatur; si vero fiat definitio solum per genus, & constitutiuam differentiam, facilius definitur magis vniuersale, nam pauciora includit, imò minus vniuersale sine illius praehabita definitione definiri non potest.*

Tex.85. *Quod autem sic singulare facilius definiatur probatur, quemadmodum in demonstrationibus conclusio debet syllogizari, vel probari per syllogismum; sic & in definitionibus suo modo: at hoc erit si per singularia cuiusque generis procedamus, & praesertim modo inuentiuo, vt hic intendimus; vt si velimus definire simile, non omne, vel vniuersale statim definiemus, sed in diuersis generibus, seu rebus; vt in coloribus simile in qualitate dicemus, & idem de figuris, quae species qualitatis sunt; at in voce erit acutum, vel genere, &c. & hoc pacto commune absque aequiuocatione venabimur, & definiemus.*

Tex.86. *Si vero per metaphoram disputare non licet, clarum est quod neque metaphoricè definire possumus: nam etiam per metaphoras disputaremus, si quidem definitiones in disputationibus adhibeantur.*

CAPVT IX.

Quo pacto problemata inuestigentur, vel diuisione, vel proportione.

Tex.87. *AD hoc autem, quod possimus problemata eligere oportet abstractiones, & diuisiones accipere, ita tamen quod prius accipiamus genus commune omnium; vt si de animalibus consideremus, debemus accipere ea, quae omnibus animalibus insunt; deinde quae conueniant quibusdam particularibus; vt si hoc animal sit auis, quae omnibus auibus conueniant, & sic de alijs, quibus acceptis facilè erit reliqua quae sequuntur cognoscere, vt propter quid hoc conueniat homini, hoc vero equo, &c. vt omne animal est dormiens, homo est animal, ergo est dormiens.*

Et in alijs similibus semper est eadem ratio procedendi; nunc autem solum de ijs quorum sunt Tex.88.
nomina imposita diximus, oportet autem non solum in ijs, sed in alijs quoque, quae nominibus communibus carent sic discurrere, vt accipiamus aliquod commune, vt postea quae ex ipso sequuntur, & qualia; vt cornua habere est commune omnibus animalibus cornutis, (& non est eis vnum commune nomen (ex hoc autem sequitur quod ipsa habeant erinaceum, seu duos ventriculos, & pariter quod non sint vtrinque dentata, sed solum ex parte inferioris maxillae; non esse igitur dentata eis inest propter cornua, quia dentium materia in cornua versa fuit, & ex eo quod sic dentata non sunt, eis competit habere plures ventriculos, nam quia cibum non possunt benè, & sufficienter conterere indigent ruminatione, vt id quod in vno ventriculo acceptum fuit quasi integrum in alium contritum mittatur.

Amplius est alius modus eligendi problemata Tex.89.
non per commune vniuocum, sed solum proportionale: vt in sepia (est genus quoddam piscium cuius spina est veluti os ab ossibus diuersum) in animalibus terrestribus, & in alijs piscibus est proportionale sepium, spina, & os, non autem simpliciter vnum; attamen ex his sic proportionalibus possumus sumere alia consequentia, ac si essent vna natura; vt sustentare animal, &c.

Eadem igitur problemata sunt quae idem me- Tex.90.
dium siue vnum, siue proportionale habent; vt omnia quae per antiparistasim fiunt, ad idem reducuntur: horum autem media quaedam sunt eadem genere, quaecunque videlicet habent differentias genericas per quas sunt ab alijs diuersa, quaedam alio modo, & hoc pacto differunt etiam problemata, vt propter quid resonat echo, propter quid apparet imago in speculo, & propter quid sit iris. Omnia enim haec sunt eadem problemata genere, quia à refractione (quae est genus quoddam) pendent, sed specie sunt diuersa.

Alia vero problemata sunt, quae sic se habent, Tex.91.
quod medium vnius subalternatur medio alterius; vt propter quid Nilus magis in fine mensis crescit; quoniam mensis deficiens est magis hiemalis, vel frigidus; vnde aqua augentur, sed propter quid est sic magis hyemalis: quoniam Luna tunc deficit, vnde est etiam defectus luminis, & caloris; haec enim, ita se habent inter se, vt fluxus Nili à defectu mensis, hic vero ab eo qui est Luna dependeat, vnde patet subalternatio.

CAPVT X.

Quomodo causæ, & effectus mutuò se respiciant, quomodo inuestigentur, & an vnius effectus plures sint causæ.

Tex.90. *DE causa autem, & effectu dubitabit aliquis, an quando est effectus causa sit: sicut si cadunt folia, est tunc defectus temperati humoris, seu lata esse; & si deficit Luna terra interponitur. Si enim hac causa simul non erit, vt lata esse folia, & cadere, & terram in medio esse, & Lunam deficere, ad aliam causam est recurrendum, quare videtur, quod hac, vel alia causa simul cum effectu coexistant.*

Tex.91. *Si verò sic essent simul, sequeretur, quod vnum possit monstrari per aliud, & e contra, vt cadere folia, quia sunt lata, & esse lata, quia cadunt; vel Lunam deficere, quia terra interponitur, & quia deficit interponi, sic autem esset circularis demonstratio, qua in primo huius operis reiecta fuit.*

Tex.92. *Respondetur tamen huic obiectioni, quod sicut idem eodem modo non potest sibimet esse causa, & effectus, sic neque est eadem demonstratio de effectu ad causam, sed vna est propter quid, alia quia, neque sic est inconueniens, neque fit circularis demonstratio.*

Tex.93. *Sed quaritur ad propositum, an eiusdem rei possint esse plures causa eiusdem generis, videlicet efficientes, vel formales, &c. Cui respondetur, quod si effectus pradicatur de pluribus rebus specie differentibus, eiusdem possunt esse plures causa, vt diuturnitas vita ex diuersis causis prouenit in viuentibus, vt cornici quia est sicca, elephanti quia caret colera; quare causa existente necesse est effectum esse, at si effectus existit non opus est, vt sit qualibet causa, sed hac, vel illa.*

Tex.94. *Sed in problematibus vniuersalibus, causa, & effectus debent esse quoque vniuersales, & conuertibiles adinuicem, vt cur folia fluant secundum totum, vel vniuersale principium, non autem secundum partem, vel in aliquibus plantis tantum, sed in vniuersali, vniuersaliter erit propter congelationem humidi, vnde cadere folia est effectus vniuersalis humidi congelati, & hoc illius causa; folia autem esse lata est signum, quod pro causa, si ad exemplificandum sumatur, nihil refert.*

Tex.95. *Sed quaritur adhuc, vtrum contingat, quod eiusdem effectus possit esse altera causa distincta a propria, per quam demonstretur. Respondetur, quod si sit demonstratio per se, nempe propter quid, seu a priori, non autem per signum, vel accidens, non potest fieri, vt per aliam causam demonstretur; namque ratio, vel natura extremi debet conuenire cum causa, vel medio; si verò non ita se habet, sed fit demonstratio, alio modo contingit, vt per aliam causam fiat, qua tamen non erit propriè demonstratio, sed sic nuncupata sit sermonis gratia.*

At obseruandum est, quod passio, cuius medium est causa, & subiectum cui ipsa passio inest, possunt considerari per accidens, hoc est non secundum pradicata essentialia, & hoc modo non videntur esse problemata scientialia circa ipsa constituenda. Si verò non considerentur pradicata per accidens, similiter suo modo omnia habebunt medium, per quod determinari poterunt, ita videlicet, quod si sint aquiuoca, aquiuocum habebunt medium; si verò in genere vniuersaliter considerentur, similiter habebunt, vt propter quid transmutari proportionaliter contingit? in genere quaritur, quod continet sub se species; nam alia est causa huius transmutationis in lineis, alia in numeris: tamen genericè ad vnum reduci possunt, pariter similitudo est quid genericum; nam alio modo est in figuris, alio verò in coloribus, & fortè aquiuocum, (hoc est non secundum omnimodam rationem, sic namque hic, & in principio huius textus accipi debet aquiuocum, aliter scientiam non ingreditur) nam in figuris fortassis est similitudo in habendo latera proportionaliter, vel aquales angulos, &c. at in coloribus eodem modo mouere sensum visus, vel aliud tale. Qua verò sunt eadem secundum analogiam, pariter sic medium analogum habebunt. Tex.96.

Se habet autem sic ordo, & dispositio in demonstratione, vt causa, & cuius est causa (nempe proprietas) & cui est causa (puta subiectum) adinuicem se consequantur: si verò singula accipiantur inferiora subiecti, causa excedet, vt habere angulos externos aquales quatuor rectis in plus est, quam triangulum, aut quadrangulum (est autem passio figura multiangula ex primo Elem. Euclidis, prop. 32.) at omnibus figuris multiangulis est aquale, & etiam erit medium; est autem medium causa maioris extremitatis, & in potissima demonstratione est definitio, quo circa omnes scientia per demonstrationem fiunt. Aliud exemplum ad pradictorum confirmationem adducamus, fluere folio, sequitur vitem, & eam excedit, pariter ficum & excedit; at si acceperis primum medium, videlicet congelationem succus in contactu, vel radice seminis (ibi namque est radix humidi, & nutrimenti ad viuens attinentis) erit primum, & adaquatum cui adaquatè respondebit subiectum. Tex.97.

In figuris autem syllogismorum ita assignabit aliquis ea, qua quarimus de causis, & subiectis, & proprietatibus, supponendo primum, duplex esse vniuersale, videlicet inadaquatum, quod scilicet Tex.98.

licet sua singularia excedit, vt congelatio succi respectu vitis; aliud est adaquatum, quod cum subiecto connertitur, vt congelatio succi respectu planta. Per vniuersale inadaquatum sic syllogizabimus, cuicunque congelatur succus defrondescit, viti, congelatur, ergo. Per adaquatum sic; cuicunque congelatur succus defrondescit, planta congelatur, ergo; quamobrem idem effectus per causam adaquatam, & inadaquatam ostendi potest.

Tex.99. *Considerare autem oportet, quod dicimus sic; ponatur aliquis effectus, qui in diuersis rebus reperiatur, eiusdem tunc plures esse possunt causa, sed diuersa speciei, vt quod animalia sint longaua, diuersa in diuersis sunt causa: nam quadrupeda hoc habent, quia carent bile, volatilia quia sunt sicca, &c. Si verò non considerabimus aliquod particulare, plures erũt causa, vt dictum est. At est dubitatio, vtrum sit magis causa vniuersalis, quam particularis. Respondetur, eam esse potiorem, qua est proximior effectui: nam vniuersalis est aliquo modo remota, vt causa longa vita in ceruo erit proximior, & magis talis, qua ex eius temperie sumetur, quam alio modo in vniuersali; vt diù viuit ceruus, quia est bona temperies, hac autem sibi inest, quia caret bile, vnde membra non malè afficiuntur, hac vtique erit potior causa.*

Tex.100. *De syllogismo igitur in communi, & de demonstratiuo determinatum est, ac pariter de scientia demonstratiua, qua ad eandem attinet demonstrationem.*

CAPVT XI.

Quomodo principia cognoscuntur, & quis sit habitus principiorum.

De principijs autem scientiarum, quomodo videlicet cognoscantur, & habitus quo ea co-
Tex.101. *gnoscimus quis sit, erit ex sequentibus manifestũ, positis antea aliquibus dubitationibus. Quod autem per demonstrationem non possumus scire, nisi immediata principia cognouerimus, in pracedentibus dictum est. Circa ipsa principia igitur est prima dubitatio. An cognitio immediatorum sit eiusdem rationis cum cognitione mediatorum, vel non. Secunda, an cognitio vtriusque debeat dici scientia, an potius cognitio vnius sit scientia, alterius verò aliud genus, vel habitus cognitionis. Tertia, an habitus, vel cognitio pradictorum principiorum non existentes in nobis, acquirantur, aut verè existant nobis à natiuitate, sed eos non cognoscamus. Pro resolutione huius tertia dubitationis videtur ex vna parte eos habitus nos a natiuitate non habere, nam absurdum esset, quod haberemus habitus certiores demonstratione, & hoc nesciremus. Ex alia parte, videtur oppositum; nam si eos acquirimus, & prius non habebamus, quomodo eos habere poterimus sine alia pracedenti cognitione? impossibile namque est aliquid scire sine pracognitionibus, vt dictum est in principio primi libri. Sed cum hac sint prima principia, aliam cognitionem supponere nequeunt, quia prima non essent.*

Manifestum igitur est, quod neque possibile est Tex.102. *eos a natiuitate habere neque si nihil sciamus, vel nullam aliam habitualem cognitionem habeamus, possibile est, vt acquirantur: pro resolutione igitur sciendum est, quod necesse est nos quidem habere aliquam potentiam naturalem, non tamen talem habere, qua sit nobilior, & honorabilior ea, qua secundum certitudinem est hic principijs subiectum, vel susceptiuum.*

Apparet autem hoc, quod dicimus in omnibus Tex.103. *animalibus; habent namq; omnia connaturalem potentiam iudicatiuam, quam vocant sensum; hoc autem in ipsis existente, in quibusdam ipsorum animalium remanent imagines rei sensibilis etiam in absentia obiecti, in alijs verò nequaquam; in quibus igitur non remanent tales imagines, aut circa ea obiecta, quorum non remanent, in his non est alia cognitio, prater sensitiuam. In ijs verò sentientibus, quibus prater sensus externos etiam remanent imagines in absentia obiecti, his quidem aliud inest principium cognitionis: hac autem animalia cum multa sint, etiam inter se differentiam habent, nam in quibusdam ex permissione talium specierum fit ratio, vel discursus, aliquibus verò non. In rationem igitur habentibus acquiritur principiorum cognitio hoc pacto.*

Ex sensu externo fit memoria, vt diximus, ex Tex.104. *memoria (qua sape versatur circa idem) fit experientia, ex multis namque singularibus memorijs, vna fit experientia; experientia autem iam communi, & quiescente habituata in anima, fit vniuersale, tanquam sit vnum prater multa singularia: licet in veritate sit vnum omnibus illis, hoc autem est artis, & scientia principium. Si enim hoc vniuersale est circa operationes, vel productiones, qua sunt in nostra potestate, est principium artis; si verò circa ens, seu circa quidditatem, vel veritatem rerum contemplandam, est principium scientia.*

Respondetur itaque ad tertiam quastionem, di- Tex.105. *cimus, quod neque a natiuitate nobis insunt determinati habitus principiorum, neque fiunt nobis nota per alios habitus, vel pracognitiones; sed est inceptio a sensu, completio ab intellectu, vt in pugna, in qua si aliquis vertat se contra inimicum, & iterum alter, atque alter, tandem fit prin-*

principium vniuersalis belli; anima autem nostra talis est, vt posset hoc pati, seu sic se habere circa has cognitiones. At hoc, quod nunc de ijs diximus, non est adhuc penitus clarum, ideò rursus de eodem aliqua breuiter dicamus.

Tex. 106 *Cum enim vnum quidem ad plura indifferens accipiatur, tunc est vniuersale in anima, seu in intellectu; sentire autem est circa singularia, sensus vero est ipsius vniuersalis, vt hominis, non huius, puta Calliæ, vel alterius; alio tamen modo quam intellectus, nam intellectus ipse cognoscit, & efficit vniuersale in se, etiam nihil cogitando de singularibus, sed sensus circa vniuersalia, uel naturas communes negotiando, eas cognoscere nequit, nisi singularizatas, ut dicetur in lib. de anima. Rursus ex sensibus sic proceditur, quod ex pluribus inducendo ad unum uniuersale perueniatur, ut tale hoc, uel aliud animal percipitur, quousque animal in communi concipiatur, manifestum est igitur, quod prima principia per inductionem cognoscuntur, & hoc modo per sensum uniuersale elicitur.*

Tex. 107 *Pro solutione prima, & secundæ dubitationis, sciendum est, quod habituum discursiuorum, vel speculatiuorum, quibus ueritatem indagamus, aliqui semper ueri sunt, aliqui uero interdum suscipiunt falsum, hi autem sunt opinio, & discursus topicus; ueri autem sunt scientia, & intellectus, inter quos certior est intellectus, nam hic est principium demonstrationis, principia autem demonstrationis notiora sunt, quam scientia ipsa; nam scientia est cognitio, quæ ex principijs pendet, rationemque, vel causam sumit (quare respondendo ad secundam dubitationem) cognitio principiorum non erit vtique scientia; quoniam verò nihil contingit esse verius scientia quam intellectum, & principia sunt veriora, eorum cognitio intellectus erit, & non scientia, quod non solum ex hoc patet, sed etiam, quia principium demonstrationis nō demonstratur, scientia autem est demonstratio, ergo principiorum non est scientia. Si igitur nullum aliud genus habituum verū habemus, nisi scientiam, & intellectum: ipse intellectus erit circa principia scientia, aliter si eius cognitio esset scientia, cum hac sit per principia, principium quidem principij vtique erit: si autem omnis principij esset principium (vt oporteret ad hoc, quod cognosceretur) consimiliter se haberet hic progressus ad omnem rem, quam scire velimus, vnde in infinitum procederemus, nilque sciremus. Ex dictis etiam ad primam dubitationem patet, nam cognitio mediatorum principiorum dependet a cognitione immediatorum, & sic est alterius conditionis, atque ad genus scientiæ reduci potest.*

QVÆSTIO VNICA

De medio demonstrationis potissimæ.

PRæsens quæstio, si subtiliter, & diligenter ea, quæ in præcedentibus docuit Arist. perpendantur nullam relinquet difficultatē: quot etenim modis, per quas causas, quæve sint meliores, vel peiores demonstrationes ostendit, ex quibus de medijs cuiusque etiam exactissima habetur doctrina. Recentiores tamen multis altercationibus de hoc inter se dissident; atque eam vocant potissimam demonstrationem, quæ per immediatam causam procedit, atque cum effectu ne dum necessariam habet connexionem, sed perpetuam inuariabilemque ex vtriusque habitudine insurgere dicunt veritatem; sic autem se habent illæ demonstrationes, in quibus vera proprietas in quarto modo proprij de suo subiecto demonstratur; vt quod homo sit risibilis, equus hinnibilis, &c. & præcipua ipsorum controuersia est, si medium ad hanc proprietatem ostendendam sit definitio subiecti, vel aliquid aliud. Quorum aliqui putant, non subiecti definitionem, sed eiusdem proprietatis medium esse, quia magis definitio eius est ipsi passioni immediata, quam definitio subiecti; sed hi profectò decipiuntur, quia passiones non definiuntur, cum sint simplices. Alij verò arbitrantur, quod per quamlibet causam sibi conuenientem demonstrari possit, sed hi licet non malè dicant; tamen ab eis quæritur, quæ sit aptior causa, & ex hac potissimam eliciemus demōstrationem. Dicamus ergo nos, causam immediatiorem, & potissimam esse formam subiecti; nam ab ipsa forma fluunt, & operationes, & proprietates; attamen quia forma dicitur quod quid est, vel præcipua pars definitionis subiecti, ipsa subiecti definitio quoad hanc rationem formalem est huius demonstrationis aptissimum medium. Sed est difficultas, nam in præcedentibus declaratum est, quod definitio non est per se nota, sed de ea possumus quærere causam, quomodo igitur accipi potest in potissima demonstratione pro medio? Respondetur, non esse simpliciter quamlibet per se notam, ita vt omnibus ex lumine intellectus innotescat, sed indagari debet, vel per diuisionem, vel per inductionem, vel ab effectu; & sic iam vt nota accepta, medium demonstrationis efficitur; si etenim simpliciter notissima cuiusque demonstrationis principia esse deberent, iam paucæ essent demonstrationes. Aliæ verò demonstrationes, quot sint, quæ media, vel causæ, &c. continentur exactè in præcedentibus, vnde superuacaneum esset, iterum de eis disserere. Methodus autem procedendi, circa ipsarum causas, habetur, & declaratur in 2. Post.

FINIS.

INDEX
RERVM NOTABILIVM,

Quæ in tota Logica continentur,

In quo post paginarum numerum a, indicat columnam primam, b, verò secundam.

Falla-

Q

R

S

T

V

FINIS.

ANTONII ROCCI
DE SCVRCVLA
MARSORVM

Doctoris, Philosophi, atque Theologi in Vniuersam Philosophiam Naturalem Aristotelis,

PARAPHRASIS TEXTVALIS EXACTISSIMA;

Necnon Quæstiones omnes desiderabiles ad mentem Ioannis Duns Scoti Doctoris subtilis.

Quod quidem opus est Lectura eiusdem Antonij habita in Florentissima Academia Peripateticorum Innouatorum Venetijs,

ATQVE IN TRES PARTES DIVIDITVR.

PARS PRIMA.

Octo Physicorum Libros comprehendens.



VENETIIS, Apud Baba. M. DC. LIV.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.



ANTONII ROCCI

de Scurcula Marſorum.

IN VNIVERSAM PHILOSOPHIAM naturalem Ariſtotelis Paraphraſis textualis, & Quæſtiones.

PROOEMIALIA QVÆDAM.

De nomine, atque definitione Philoſophia.



NIVERSAM Ariſtotelis Naturalem Philoſophiam explicaturi, quędam ad faciliorem eius intelligētiam conducentia, & ante omnia quid nomen philoſophiæ ſignificet, dilucidabimus; nominum enim ſignificatione ignorata, ad rerum cōtemplationem peruenire minimè poſſumus. Philoſophiæ igitur nomen ex Græco idiomate ſumptum idem apud nos ſignificat, quod amor ſapientiæ, à philos, quod eſt amor, & ſophia, quod ſapientiam denotat, quod quidem nomen à Pythagora (teſte Iamblicho de ſecta Pythagorica) ortum habuiſſe traditur. Is etenim cum à Leontio Rege Phliaſiorum in quodnam genus rerum ſapiens eſſet, interrogaretur, ſe non ſapientem eſſe, ſed amatorem ſapientię, reſpondit. Cuius modeſtiam poſteriores imitati, omnes quotquot circa rerum cauſarum cognitionem verſabantur, Philoſophi potius quam ſapientes nuncupari voluerunt. Hæc autem nominis ethymologia (ſi rectè inſpiciatur) non ex natura rei depromitur, ſed potius ex aliquo concomitanti; ſi quidem philoſophia ipſa, quæ in rerum contemplatione conſiſtit, non poteſt eſſe formaliter amor, qui eſt actus voluntatis, ſed habitus, vel actus intellectus; tamen, quia voluntas intellectum comitatur, ac ei operationes præcipit, actus ipſius intellectus voluntati tribui poſſunt, ſicut effectus operarij præcipienti tribuitur, dicimus namque Alexandrum Alexandriam condidiſſe, quia id alijs præcepit, hæc autem de nomine ſint ſatis.

Ad definitionem igitur accedamus. Diuerſis igitur modis à diuerſis ipſa Philoſophia definitur. Plato enim in Theæteto, & Phędone ait, ipſam eſſe diuinarum, atque humanarum rerum cognitionem, & ſcientiam; per res humanas corruptibiles, atque morales ſignificans; per diuinas, incorruptibiles, atque cæleſtes; quæ tamen definitio an ab ipſo ante omnes tradita fuerit, vel potius ab alijs, dubium eſt. Alij verò (vt idem Plato in Dialogo de ſapientia refert) Philoſophiam eſſe mortis contemplationem affirmarunt, quæ definitio Pythagoræ tribuitur, atque ſi vt apparet, inſpectetur, proculdubio, vel falſa, vel metaphorica videbitur; falſa inquam, quia minima philoſophiæ pars circa mortis ſpeculationem verſatur, vnde ſaltem erit inſufficientiſſima: metaphorica verò, prout philoſophantes, quaſi à corpore per abſtractionem mentis ſeparati, nihil cum præſenti vita videntur habere commune. Quidam autem, philoſophiam eſſe ſcientiam veritatis contemplatricem aſſerunt, quam definitionem Ariſtoteli adſcribunt, & re vera hæc ſunt verba ipſius in 2. Metaphyſ. tex. 3. atque à multis comprobatur, & maximè ab Ammonio in principio prædicabilium, quæ tamen ſi rectè perpendatur, compendiosè id, quod à Platone prolixius explicatur, continet, quare ab ea non multum re differre dicerem. Alij tandem dicunt, philoſophia eſt cuiuſcunque entis, ſiue à nobis, ſiue à natura cauſati veritatis per cauſam apprehenſio, quæ neque ab Ariſtotelica, & Platonica multum recedere videtur: quare omnes, & vt bonæ, & non multum inter ſe diſcrepantes (excepta Pythagorica) recipi poſſunt. Vnum tamen ſit pro maiori intelligentia animaduertendum, quod dupliciter accipitur philoſophia, videlicet vniuerſaliter pro cognitione cuiuſque rei per cauſam, & ſic omnes ſcientias, tam practicas, quam ſpeculatiuas, tam reales, quam rationales includit, & hoc modo prædictis tribus definitionibus explicata fuit. Alio modo particulariter, & ſic ſolum Diuinam, Naturalem, & Moralem continet, ſecundum quam conſiderationem definitiones prædictæ ſunt nimis ampliæ. At hæc, quæ modo inſinuamus in ſequentibus, vbi de ipſius philoſophiæ diuiſione tractabimus erunt manifeſta.

Philoſophia quid ſecundum Platonem.

Quid ſecundū Pythag.

Quid ſecūdum Ariſt.

Quid ſecundum alij.

Philoſophia dupliciter.

De Diuisione Philosophiæ.

Prima diuisio. Sicut Philosophia vniuersaliter atque particulariter considerari potest, ita secundum talem considerationem poterit quoque diuidi, atque secundum singula membra diuidentia peculiaribus definitionibus explicari. Diuiditur ergo secundum communissimam rationem in Naturalem, Moralem, & Sermocinalem, seu rationalem, vel dialecticam, tria namque hæc idem significant. Naturalis non sumitur hic pro ea facultate tantum, quæ de rebus mobilibus agit, & physica quoque dicitur, sed pro quocunque habitu, vel cognitione scientifica, quæ circa res tam à nobis factibiles, quam simpliciter speculabiles secundum lumen naturale intellectus (moralibus exceptis, de quibus est aliud membrū) versatur; quare scientiæ omnes reales, tam speculatiuæ, vt physica, metaphysica, & mathematica, quam etiam practicæ, vt medicina, chirurgia, & aliæ) morali item excepta) sub hoc membro continentur. Sub morali verò Ethica, Politica, & Oeconomica comprehenduntur. Rationalis autem solum Logicam amplectitur. Ista igitur est communissima philosophiæ diuisio, quæ & quamuis ex Peripatetica doctrina explicitè non habeatur, ei tamen non repugnat, atque à grauissimis viris aliàs recepta fuit, vnde de ipsa meminerunt Plato, Xenocrates, Chrysippus, & Aristoteles ipse. Alio modo Secunda. magis pressè diuiditur à philosopho in sexto Metaphys. tex. 2. in mathematicam, naturalem, & Theologiam, seu diuinam, quæ diuisio solum contemplatiuam, atque realem scientiam amplectitur, vt ibi expressè patet. Diuiditur denique secundum communem vsum, ac peculiarem acceptionem, in naturalem, moralem, & diuinam, ita vt solum istæ tres facultates his nostris temporibus nomen philosophiæ retinere videantur; aliæ enim diuisiones potius sunt scientiæ, quam philosophiæ: in plus namque scientia se habet, quam philosophia, ipsa, imò hæc est veluti species illius. Naturalis ergo Philosophia est, quæ agit de rebus, vel mobilibus, vel habentibus saltem ordinem, aut respectum aliquem ad motum, natura enim est principium motus. Moralis est quæ agit de moribus atque in ethicam, politicam, œconomicam, & monasticam diuiditur. Ethica agit de virtutibus, ac vitijs in communi definiendo, diuidendo, atque proprietates, & conditiones ipsorum assignando, vt quid sit liberalitas, quid iustitia, nec non quæ extrema, & conditiones ipsarum, cum alijs quoque requisitis ad vitam hominis rationabiliter ordinandam. Oeconomica de regimine domus, vel familiæ tractat. Politica de regimine regni reipublicæ, ciuitatis, & prouinciæ. Monastica de vita solitaria, seu de regimine vnius solius. Sed fortè hæc in ethica ipsa includitur, vnde non habetur peculiaris tractatus de ea. Diuina est quæ de Deo per naturales rationes, nec non de intelligentijs, ac de omnibus, quæ secundum esse, & definitionem sunt à materia abstracta, cuiusmodi est ens, vnum, bonum, & alia agit; vocatur autem philosophia diuina, Theologia naturalis, methapysica, sapientia, & transphysica secundum diuersas considerationes: dicitur namque philosophia diuina, pro vt agit de Deo, & eadem ratione vocatur naturalis Theologia, quatenus naturalibus rationibus de Deo ipso pertractat, Theologia namque idem valet, quod sermo de Deo. Metaphysica verò dicitur, quasi sit supra physicam, vel naturalem philosophiam; idem dicatur de transphysica, prima autem philosophia ratione prioritatis perfectionis nuncupatur, & eadem de causa dicitur sapientia, & transphysica. Hæ igitur sunt tres communiter nunc receptæ, & proprio nomine vocatæ philosophiæ, quarum duæ, puta Diuina, & Naturalis speculatiuæ sunt, eo quod finis ipsarum sit veritas. Moralis verò cuius finis est opus, vel directio nostrarum operationum, est practica. Quid autem sit speculatiua, & practica scientia in sequentibus videbimus. Nunc vero ipsam naturalem philosophiam (de qua præcipuè est intentio) in singulas partes diuidamus. Partes igitur ipsius sunt octo libri de physico auditu, in quibus agitur de causis, principijs, passionibus, & accidentibus naturalis corporis in communi, & dicitur scientia de physico auditu, quia voce ob difficultatem explicanda est. Deinde sequuntur quatuor libri de Cœlo, in quibus de cælesti substantia, de mundo, & elementis pro vt ad ipsum ordinantur, discutitur. Post hos sunt duo libri de generatione, & corruptione, in quibus de generatione, & corruptione, nec non de qualitatibus elementorum agitur, pariter de mistis, & mistione. Sequuntur quatuor libri meteorologicorum, in quibus de impressionibus, vt de cometis, ventis, pluuia, niue, grandine, & alijs, in quarto vero ipsorum de mineralibus, ac de varijs concoctionibus, & proprietatibus mistorum agitur. Succedunt tres libri de anima, in quibus de anima ipsa, de potentijs, obiectis, medijs, ac operationibus tractatur, ad quos fortè pertinent libri de Historia, ac partibus animalium, qui propter facilitatem in scholis communiter non explicantur. Sequuntur parua naturalia, quæ continent quasdam passiones animalium: vt de sensu, & sensibili, de memoria, & reminiscentia, de longitudine, & breuitate vitæ, de Vita, & Morte, de Respiratione, de somno, & vigilia, de insomnis, de Diuinatione per somnum, de respiratione, de sanitate, & morbo, de iuuentute, & senectute.

Metaphysica plura habet nomina.

Tertia.

Naturalis.

Moralis.

Diuina.

Diuisio naturalis philosophiæ.

De ordine addiscendi partes Philosophiæ.

Circa ordinem addiscendi philosophiæ partes, secundum eiusdem philosophiæ diuersam diuisionem determinandum est, si etenim in sermocinalem, naturalem, & Diuinam iuxta primam positam diuisionem distribuatur; proculdubio (dicerem) ab ipsa sermocinali, vel logica inchoandum esse; cuius ratio est, quia omnes scientiæ per rationes demonstratiuas, definitiuas, atque diuisiuas secundum maiorem, vel nobiliorem partem acquiruntur: at de demonstratione, diuisione, & definitione solum in logica ex professo agitur, ergo. At si quis dicat, à notioribus incipiendum esse, ex proœmio primi physicorum, logica verò non est de notioribus, cum sit de secundis intentionibus, quæ sunt à sensu nostro remotissimæ, notiora autem sensibiliora dicuntur, ergo non debemus ab ipsa incipere. Respondetur dupliciter: primò ex notioribus esse incipiendum, si necessitas ad aliud non cogat, vnde quamuis logica sit de minus notis, tamen quia sine eius regulis, alia addiscere nequimus, vtilius notiori in hoc loco præferendum, est. Secundò poterit negari minor, videlicet, logicam non esse de notioribus; secundæ etenim intentiones sunt ita facilè explicabiles, sicut grammaticalia ipsa, præcipuè nisi multa per difficilia, & extra propositum logicum (vt hodiernus est abusus) permisceantur; hæc namque sic logicam difficultatem augent, vt omnes alias scientias ad ipsam intelligendam, præcognoscere oporteret; vnde non irrationabile esset, si facili, & introductorio modo, vt Porphyrius in suo proœmio de prædicabilibus præmittit, & Aristoteles per vniuersam ferè logicam ipsam exequitur, tyronibus saltem enodaretur, altissima negotia altissimis facultatibus reseruando, quem tamen modum, & si nunc commendem, oppositum tamen faciam exequendo, & ne difficultates effugiam, & quoniam melius est errare cum omnibus, quam videri sapiens cum paucis; præter quam quod abusus sapientum eorum authoritate in diuinorum numerum refertur. Logica ergo inter cæteras philosophiæ partes prius addiscenda est. Circa alia eiusdem

eiusdem philosophiæ partes: vel ordinem inter se, vel facilitatem contemplari poterimus. Si ordinem, solum physicam, & metaphysicam connexas respiciemus: ex physicis namque, vel sensibilibus rebus ipsis, ad intelligibilia, vel metaphysicalia manuducimur; quapropter prius physica, deinde metaphysica est addiscenda, quod maximè veritatem habet, si speculatiuæ, ac propriè dictæ philosophiæ vim inspectemus, si autem latè philosophiæ vocabulum extendamus, post physicam medicina, & aliæ quam plures facultates à physica dependentes (cujusmodi sunt quæ mediæ inter mathematicam, & physicam sunt, vt perspectiua musica, Geometria, & aliæ) addiscendæ sunt; cum etenim ab ipsa dependeant, sine ipsa acquiri non poterunt: aliæ verò partes talem ordinem non exposcunt, quid namque physica, vel metaphysica ad moralem, vel mathematicam pertinent, vel è contrà? Si autem facilitatem considerabimus, post logicam mathematica, deinde physica addiscenda est; Mathematica enim ipsa est in primo gradu certitudinis, & ferè tota sensitiuæ cognitioni subiecta. De alijs verò quid dicendum sit non satis constat, aliæ namque sunt alijs faciliores, difficiliores alijs. Hic igitur est ordo partium philosophiæ in vniuersali; particularis verò ex hoc dependet, & patet; nam philosophia in physicam, mathematicam, & metaphysicam diuisam, ordinem præcedentem continet, excepta vel supposita Logica. Alia verò diuisio in naturalem, moralem, & diuinam eundem pariter ordinem admittit. Epilogando ergo dicimus. Logicam esse prius addiscendam, ne simul addiscamus scientiam, & modum sciendi; Deinde ratione ordinis, & connexionis multarum ad inuicem, physica ante medicinam, scientias medias, & metaphysicam; sicut quoque ante scientias medias est addiscenda mathematica, quia cum ab ipsa, & à physica dependeant, sine vtriusque cognitione, cognosci non poterunt; quæ autem sint scientiæ istæ in secundo physicorum declarabimus. Quo ad facilitatem mathematica est prior physica, & alijs, imò & ipsa moralis quo ad apprehensionem est physica quoque prior, licet quo ad executionem, & prudentiam sit difficilior. Inter alias vero non potest nec ordo, nec discrimen facilitatis assignari.

De Philosophiæ inuentione, & inuentoribus.

Circa philosophiæ inuentionem, quid nobis breuiter determinandum sit ex Aristotele primo metaphys. cap. 2. faciliter sciri potest: asserit enim propter admirationem, & nunc, & primò cæperunt homines philosophari, à principio quidem admirando ea, quæ de dubitandis faciliora erant, deinde paulatim vlterius procedendo, etiam de maioribus dubitando, vt de passionibus Lunæ, & eorum quæ circa Solem, & Stellas sunt, ac de generatione vniuersi, ex admiratione ergo rerum causas occultas ipsarum inuestigare cæperunt, quæ quidem inuestigatio proculdubio ex effectubus ad causas, & ex comparatione vnius rei ad aliam cum obseruatione effectuum vtriusque alijsque quam plurimis modis nempe diuidendo, componendo, atque discurrendo per singula processit, imperfecto quidem, ac puerili modo, vt tam ex antiquorum dogmatibus, quam ex eiusdem Aristotelis testimonio, ac ex ratione, & natura ipsa, quæ ex imperfectis ad perfecta tendit, colligi potest. Quo ad inuentores, si de rudi illa, ac imperfecta rerum cognitione sit sermo; profectò determinatum authorem non inueniemus. Caldei etenim, atque Ægyptij, speculationibus istis antiquitus operam dederunt, sicut de Ægyptijs loco præcitato idem philosophus commemorat. Si verò de ordinata, & aliquo decore prædicta loquamur, diuersos perspiciemus inuentores. Dialectica etenim à Zenone initium sumpsit, quam tamen Plato suppleuit. Moralis à Socrate, Naturalis à Thalete Milesio, & Pythagora: quæ tamen scientiæ non sic perfectè à prædictis inuentæ fuerunt, quin multum incrementi recipere, & ad perfectiorem conditionem reduci potuissent. Qui autem eas ad exactam perfectionem redigerunt quamplurimi fuerunt, ac diuersarum sectarum fundatores, & principes, quos vt ordinatim referamus, ab antiquioribus veluti ab initio iterum inchoandum est.

Philosophãtium sectæ sunt octo.

Duæ ergo olim præcipuæ philosophantium sectæ fuerunt, videlicet Ionica, & Italica. Ionica sic dicta fuit à Ionia regione vbi floruit; cuius princeps fuit Thales Milesius, cui Anaximander successit, isti autem Anaximenes, huic vero Anaxagoras, at Anaxagoræ ipsi successit Archelaus, qui ex Ionia Athenas philosophiam transtulit, huic autem successit Socrates, qui ex naturali ad moralem philosophiam se transtulit. Ipsius autem Socratis nobiliores discipuli fuerunt Aristippus auctor Cyrenaicæ sectæ, Anthistenes auctor Cynicæ, nec non Plato academicæ.

Ionica. Italica.

Cyrenaica. Cinica.

Italica à Pythagora ortum habuit, is etenim Samum Græcię ciuitatem ob Tyrannidem Polycratis relinquens, Crotonem ciuitatem inferioris Calabriæ (quæ tunc magna dicebatur Græcia) peruenit, ibique docuit, ac prædictæ sectæ initium, atque nomen dedit. Cuius nobiliores discipuli fuerunt Xenophanes, Parmenides, Xenocrates, Leucippus, & Epicurus. Sed à primis duabus aliæ quatuor famosissimæ emanarunt, videlicet Stoica, Academica, Peripatetica, & Epicurea.

Stoica.

Stoicæ inuentor fuit Zeno, saltem quo ad impositionem nominis, ipse enim docebat in porticu, qui græce dicitur Stoa, quamuis ante ipsum in eodem gymnasio Anthistenes docuisset, qui Zeno à Thaletis disciplina deriuabat.

Academica

Academicæ fuit inuentor Plato, dicti autem Academici fuerunt à loco, vbi ipse Plato docebat, qui Academia ab Academo equite, & eius loci (per milliarium ab Athenis distantis) domino nuncupata fuit.

Peripatetica.

Peripateticæ verò fuit princeps Aristoteles, hic namque in Lyceo Athenis regione deambulando, vt plurimum docebat, hoc enim gręce peripaton significat, quod latinè deambulatio dicitur.

Epicurea.

Epicurei autem sic ab Epicuro institutore dicti fuerunt. Hæc autem de inuentione, & inuentoribus breuiter, & sine multa inquisitione dicta sint; de his etenim prolixius dicere, potius historicum, quam philosophicum est opus: breuiter tamen pro iuuenibus, quæ dicta sunt epilogando, octo ad minimum philosophantium sectas celebriores olim fuisse dicimus, videlicet Ionicam, Italicam, Cyrenaicam, Cinicam, Stoicam, Academicam, Peripateticam, & Epicuream.

De dignitate, & vtilitate Philosophiæ.

Philosophiæ dignitas, atque vtilitas tanta, ac talis est, vt facilius arena maris, stellarumque numerus, quam minima ipsius pars ab omnium hominum cetu numerari posset, vnde potius verba celebrandę materiæ, quam materia verbis deficeret. Si enim vniuersaliter, & quo ad dignitatem philosophiam ipsam spectemus (vt vnico verbo, quod multi effici nequit, enarrem) diuinum potius, quam humanum præ se spectaculum affert; omnium etenim rerum plenam cognitionem comprehendit, quod esse solum ipsius Dei, neminem esse credo, qui eat inficias, quod si proprietates diuinæ in infinitum creatis præcellunt, fatendum est, omnibus secundum dignitatem præponendam esse. Si verò singulas eius partes consideremus, partialem secundum proportionem diuinitatem habebunt, atque eadem de causa philosophi, vel sapientes eodem modo differunt ita, vt meritò affatus fuerit Aristoteles (vt ex ipsius vita colligitur) sic Philosophantes homines ab ignorantibus differre, vt viuos à mortuis, atque eius commentator Auerroes in proemio primi physicorum æquiuoce (inquit) de docto, & ignorante homine, homo dicitur. Si autem vtilitatem examinabimus,

quæ maior, ac præstantior vtilitas, quam à terrestribus, & caducis istis miserijs ad diuina, & cælestia nos subleuari? id autem philosophia efficit, intelligendo etenim, vel speculando anxias curas huius mundi dimittimus, atque ad Deum, & intelligentias aduentamus; præter quam quod, & si circa ista mundana ob vitæ necessitatem agitemur, mediante philosophia prudentiam, tolerantiam, patientiam, hilaritatem, constantiam, innumerasque alias possidemus virtutes, quibus vel penitus, vel facilius animi, & corporis sollicitudines, & passiones auferimus, imò ferè cuncta (saltem vniuersaliter præuidendo) offensiua minus nocent, delectabilia magis prosunt. Sed circa id minimè immorabor:, inciderem namque in absurdum, quod euitandum proposui; de his igitur sit satis, præcipuè cum aliquas peculiares quæstiones diuersis in locis secundum diuersitatem materiæ discutiam, videlicet in hac facultate, vel naturali philosophia de dignitate ipsius in comparatione ad alias quasdam facultates, in Metaphysica similiter in secundo capite primi libri de eius dignitate agetur, quod fortè etiam per quæstionem examinabitur, ac in logica de necessitate, vtilitate, & dignitate eius. Quare, & hæc, & omnia præcedentia sint tantum simpliciter ratione cuiusdam consuetudinis, & non subtiliter examinata.

QVÆSTIONES
Proœmiales in vniuersam Philosophiam Naturalem Aristotelis.

QVÆSTIO I.

Vtrum de rebus Naturalibus sit scientia.

Circa hanc quæstionem quinque breuiter faciemus. Primò opiniones aliorum cum Argumentis ponemus. Secundò, quæ dicantur res naturales de quibus philosophia agit, declarabimus. Tertiò de multiplici acceptione, natura, diuersitate, atque causa scientiæ agemus. Quartò conclusiones determinabimus, ac tandem quintò argumenta aliarum opinionum soluentur.

Opiniones.

Diuersæ circa hanc quæstionem Antiquorum opiniones extiterunt. Heraclitus enim Ephesius de rebus nullo modo esse scientiam affirmabat, vt ex quarto Metaphysicorum capite 3. & alibi ab Aristotele refertur, quam opinionem (vt in eodem loco patet) Protagoras quoque, & etiam Cratilus eiusdem Heracliti discipulus secuti sunt. Socrates etiam ab ea non recedere visus est, nam speculatione rerum naturalium ob earum incertitudinem (vt dicebat) dimissa, ad morales se contulit. Eandem quoque quidam Platoni tribuunt, is etenim (vt refert Plutarcus) duos esse mundos asserebat, alterum intelligibilem in quo solum veritas reperiretur, alterum vero sensibilem, puta hunc quem habitamus, in quo non veritatem, sed opinionem solum inueniri (vt dicunt) credebat; per mundum autem intelligibilem, congregationem intelligentiarum, ac dæmonum (vt puto) intelligebat, quapropter cum naturalis philosophia de hoc sensibili mundo sit, & in ipso non reperiatur scientia, vel veritas, profectò vel de rebus naturalibus non est scientia, vel saltem eam nos non habemus. Alij quoque quamplurimi philosophorum hanc eandem opinionem secuti sunt. Vnde Anaxagoras, veritatem nisi caligine obuolutam inueniri, affirmabat. Democritus in puteo qui fundo careret demersam esse pronunciabat; nec non Empedocles cognitionem animæ esse difficilem, & incertam asserebat, eo quod per angustissimas sensuum vias ad intellectum aditum peteret. Hæ sunt, quas potui circa hoc philosophorum sententias colligere, quorum argumenta, vel ab ipsis, vel ab alijs facta, aut quæ fieri possunt, præcipua sunt hæc.

Argumenta.

De rebus corruptibilibus, & singularibus non est Primum. scientia, ex primo Post. cap. 7. tex. 21. Res autem naturales sunt pro maiori parte corruptibiles, vt patet de elementis, animalibus, plantis, & omnibus mistis, singulares verò sunt omnes, quia vniuersale est tantum ab intellectu, ergo scientia de ipsis non erit.

Item de ente per accidens non est scientia, ex sexto Secundum. Metaph. tex. 4. entia vero naturalia sunt per accidens, ergo, probatur minor, nam ens per accidens dicitur aggregatum ex diuersis generibus, & præcipuè ex substantia, & accidente, hæc autem sic se habent, non enim dicuntur naturalia, nisi motum, & materiam sensibilem includant, vt habetur ex 2. Phys. tex. 19. at esse sensibile, atque mobile est accidens, quod in natura fundatur, vnde ex natura, vel substantia, & mobilitate, quæ sunt accidentia res ipsæ naturales constant, & sic sunt entia per accidens.

Quorum non est definitio non est scientia, quia definitio est medium demonstrationis, ex secundo Post. cap. 5. Tertium. At rerum naturalium non est definitio, ergo neq; scientia, probatur minor, quia definitio est quæ explicat naturam, vel essentiam rei; essentia vero naturalium, vel explicari non potest, cum sit aggregatum per accidens, vel si hoc fieri possit ad Metaphysicum attinet, quia vt habetur ex sexto Metaph. cap. 1. Metaphysicus ipse solus rerũ essentias speculatur, quare vel non erit scientia de ipsis rebus naturalibus, vel saltẽ in metaphysica cõtinebitur, vnde non erit per se scientia ab alijs distincta.

Item omnis scientia est habitus, vel qualitas causata à rebus in intellectum; at res naturales hanc qualitatem Quartum. producere nequeunt, ergo; probatur minor. Obiectum vnius potentiæ non potest ab alia percipi, seu non potest producere cognitionem sui ipsius in talem aliam potentiam, quia diuersorum obiectorum diuersæ sunt potentiæ, eo quod per ipsa obiecta potentiæ distinguantur, ex 2. de anima tex. 33. res autem naturales sunt obiectum sensuum, cum sint sensibiles, ergo.

Præterea notitia, quæ errores continet non est scientia, quoniam scientia ipsa est cognitio infallibilis: at in Quintum. naturali philosophia multi continentur errores ergo, probatur minor, quia cum nostra cognitio ortum habeat à sensu, ipse verò multoties ob diuersa impedimenta, & indispositiones hallucinetur, sequitur, quod varios in intellectum errores inducat, & sic philosophantes, vt plurimum errant; præter quam quod experientia patet, quot erroribus vniuersa philosophia sit plena.

Tandem quælibet scientia debet habere determinatum subiectum, vel materiam quam consideret, & per Sextum. quam a ceteris distinguatur. Naturalis vero philosophia hoc non habet, ergo; probatur minor, quod a pluribus, & ferè omnibus in dubium est, non debet dici determinatum, sed ferè omnes philosophi discrepant inter se de subiecto naturalis philosophiæ, ergo vel nullatenus est determinatum, vel saltem solum qui determinatum habent, veram retinent philosophicam cognitionem: alij verò a philosophorum schola essent expellendi, quod aures abhorrent; quis enim diceret, vel D. Thomam, vel Scotum, penitus à philosophantium cetu ammouendum, eo quod in assignando philosophiæ subiectum discrepant? Fatendum est ergo, non esse ipsius philosophię determinatum subiectum, ac per consequens, neque veram esse scientiam, sed solum opinionem.

Quæ

Quæ dicantur res naturales.

PRo determinatione ergo videndum est, quænam res naturales dicantur, sic namque manifestum erit, de quibus sit scientia, quæ naturalis Philosophia appellatur. Secundum ergo Aristot. secundo Physic. tex. 3. dicuntur res naturales, materia, forma, compositum ex ipsis, atque accidentia omnia sibi conuenientia, vbi per materiam non solum subiectum formæ intelligi debet, sed quæcunque substantia corporea, vt cælum ipsum (quod materia caret) includamus; hæ igitur sunt res naturales, quæ secundum se quidditatiuè à naturali Philosopho considerari debent, quia tamen sine causa efficienti, & finali esset imperfecta consideratio; ideo præter ista alia quoque addere oportet, quæ & si res naturales non sint, ad ipsarum rerum cognitionem pertinent: huiusmodi autem sunt primus motor, de quo agitur in octauo, nec non vacuum, de quo tractatur in quarto Physicorum; de illo tanquam de causa effectiua rerum naturalium, & præcipuè motus; de vacuo verò prout ad cognitionem motus localis attinet, saltem ad remouendos errores eorum, qui ipsum esse (veluti locum) existimabant. Est autem dispar consideratio de ijs, quæ propriè res naturales dicuntur ab ijs, quæ ad res ipsas naturales pertinent; nam res naturales secundum essentiam, vel definitionem, illa verò prout solum ad ipsas efficiendas, vel conseruandas, vel cognoscendas conferunt, considerantur; tamen per se sub hac ratione ad philosophiam naturalem attinent, quapropter non sunt extra præsens negotium; scientis enim non solum quidditatem est cognoscere, sed etiam causas ipsius, si autem vnico verbo res omnes naturales perstringere velimus, quæquid sub cæli ambitu inclusiuè continetur, res naturales dicantur, de quibus omnibus Philosophus naturalis quoad eorum essentiam, & proprietates materiam concernentes agere debet. Nunc de scientia (quod est tertium propositum) agamus.

De multiplici acceptione, natura, diuersitate, atque causa scientiæ.

Scientia dicitur quadrifariam. NE in æquiuocum laboremus quotupliciter scientia dicatur, antequam ad eiusdem definitionem accedamus videndum est. Dicitur ergo quadrifariam. Vno modo dicitur scientia quęcunque cognitio certa, siue sit sensitiua, siue intellectiua, vnde dicimus scire hunc parietem esse album, Socratem currere, & similia, quæ est impropria acceptio, & potius cognitio, quam scientia dici deberet. Secundo, omnis facultas, quæ per certas, & infallibiles regulas, siue per demonstrationem, siue absque ipsa procedat, quo pacto, & artes liberales, necnon mechanicæ quoque nomen scientiæ sibi vendicarunt, quæ est quoque impropria acceptio, ac simpliciter, vel facultates, vel artes nuncupandæ essent. Tertio cognitiones infallibiles, & euidentes, non tamen per causam, sed solo lumine intellectus supposita notitia terminorum acquisitæ, quo pacto cognitio primorum principiorum, vel dignitatum scientia vocatur, at re vera proprium illius cognitionis nomen est intellectus, non quod ipsa sit formaliter intellectus, qui est potentia quædam animæ, sed quoniam solo lumine intellectus acquiritur, nomen potentiæ intellectiuæ ipsi tribuimus. Quarto denique modo accipitur scientia pro cognitione per causam immediatam acquisita, & hæc propriissimè scientia vocatur secundù peripateticam doctrinam, qua habita distinctione ad eius naturam explicandam accedamus. *Scientia quid.* Est igitur scientia notitia certa, & euidens obiecti necessarij, & veri, nata causari per præmissas ad ipsam applicatas per discursus syllogisticum, quæ definitio assignatur à Scoto in Prologo sententiarũ quæst. tertia, & elicitur ab Arist. ex primo Post. cap. 2. imò ab illa non differt, nisi in verbis clarioribus, eo quod ad ipsam explicandam hæc sit; vt autem magis sit clara quatuor conditiones ex ipsamet elicitæ assignari possunt. Prima quod sit cognitio certa, si enim incerta esset, errores clauderet, vnde vel deceptio pura, vel opinio (quæ est habitus à scientia diuersus) dicenda esset. Secunda, quod sit euidens, idest per causas nobis manifestas: est namque euidentia cognitio per causas sic notas, vt quasi (si fas est sic pro facilitate loqui) videantur, per hanc verò conditionem à fide distinguitur: fides etenim & si certissima sit, nunquam tamen euidentiam habet. *Quatuor sunt conditiones scientiæ.* *Euidentia quid.* Tertia, quod sit de obiecto vero, & necessario, quia de falso non est scientia, vt ex secundo Poster. cap. 2. habetur; de contingenti verò, & si possit esse aliqua notitia, tamen permissionem erroris non excludit, vnde neque nomen scientiæ sibi conuenit. Vt autem melius hęc conditio, quę magni est momenti, percipiatur, notandum est; quod aliquid (vt ad propositum spectat) dicitur necessarium dupliciter, videlicet necessitate essentiæ, & existentiæ. *Necessarium dupliciter.* Necessarium primo modo dicitur, quod prędicata quidditatiua, vel essentialia includit, vt sunt istæ propositiones, homo est animal, homo est rationalis, rosa est flos, & similes, quam necessitatem voco essentiæ, prout ab omni existentia abstrahit, & solum quæ ad essentiam pertinent includit, quam alij vocant (& non malè) necessitatem habitudinis prędicati ad subiectum. Necessarium verò existentiæ est, quod secundum se necessariò in natura existit, vt Deus, & secundum Philosophũ intelligentiæ, celum, & materia prima; potest etiam necessitas existentiæ vocari incomplexa, sicut necessitas essentiæ complexa, prout includit prędicata, & per propositionem explicatur. Dum ergo dicitur scientiam esse de obiecto necessario, non de necessitate existentiæ est intelligendum, sic namque solus Deus (aut secundum Philosophum) intelligentiæ, celi, & materia necessaria essent. Sed de necessitate essentiæ, quæ quidem necessitas in quacunque re fundari potest, & æternam retinet veritatem, etiam rebus ipsis non existentibus, semper namque verum, ac necessarium est, hominem esse animal, rosam esse florem, & similia. Quarta denique conditio est, quod sit nata causari per discursum syllogisticum, hoc est per causas cognitas, & sibi applicatas, nam scire est rem per causam cognoscere, & quoniam illius est causa, quæ cognitio sine applicatione causæ ad effectum fieri nequit, & hanc syllogisticum discursum voco; dicitur autem quod sit nata causari, quia in ijs, quæ scientiam ex natura habent, non oportet quod causetur, sed quod sibi, quatenus est de se, non repugnet. Hic autem discursus non semper necessario successionem temporis requirit, sed sufficit duratio naturæ, quæ est præsuppositio huius ab hoc, videlicet, quod cognitio conclusionis præsupponat cognitionem præmissarum ex quibus causetur. Quod autem prædicta definitio scientiæ, & conditiones etiam ipsius ex Aristotele eliciantur, patet, ait etenim in primo Post. cap. secundo; scire autem arbitramur vnumquodque simpliciter, sed non sophistico modo, qui est secundum accidens, cum causam existimamus cognoscere, propter quam res est, quod illius causa est, & non contingere hoc aliter se habere, vbi per illam particulam (cum causam existimamus cognoscere) elicitur, quod sit notitia euidens, ex illa verò (non çontingere aliter se habere) quod sit certa, & de obiecto necessario, atque ex ea (propter quam res est, & illius causa est) quod sit per discursum syllogisticum. Hæc autem scientiæ definitio cuilibet adaptari potest, videlicet tam scientiæ reali, quam rationis, tam speculatiuæ, quam practicæ, imò & sub se etiam sapientiam, vt ipsius speciem continet: addit namque sapientia ad scientiam, quod sit altissimarum cau-

causarum, & sic est species eius, quamuis scientia præcisè sumpta, & non vt genus accepta à sapientia ipsa distingui soleat, vnde habitus diuersi intellectus ponuntur. Modo autem de diuersitate scientiarum aliqua breuiter dicamus. Diuersitas scientiarũ. Sciendum est ergo, quod scientiæ ipsæ distinguuntur sicut res, vel obiecta circa quæ versantur, quare sicut ens prima sui diuisione diuiditur in ens reale, & rationis, ita scientiarum alia erit realis, alia verò rationis, quæ etenim obiectum reale respicit, realis erit, quæ rationis, erit quoque rationis. Scientia autem realis diuiditur in speculatiuam, & practicam; speculatiua est, quæ solum rerum naturas contemplatur, & est triplex, Metaphysica, Physica, & Mathematica, ad quas multæ aliæ partiales reducuntur, vt Astrologia, Arithmetica, Perspectiua, Geometria, & similes. Practica est cuius obiectum est operabile, vel operationes ad ipsum sunt dirigibiles. Scientia verò rationis Logicam dicit, & si latè eam extendere velimus Grammaticam, Rhetoricam, & Poeticam comprehendit; sed quia de his partim in diuisione Philosophiæ, partim in sequenti quæstione quoque dicetur, ne institutum breuitatis omittamus, sit satis. Hoc autem non est prætereundum, quod & si ipsæ scientiæ ab obiecto vnitatem, & distinctionem capiant: non tamen credendum est, aliam propriam internam vnitatem non habere; distinguuntur ergo ab obiecto, tanquam ab aliqua causa externa, & effectiua; intrinsecè verò sunt qualitates animæ, quæ provt species diuersæ sunt, sic quoque propriam habent differentiam constitutiuam. Verum tamen est, quod cum effectus naturam causæ sequatur, vt plurimum, vel aliquo modo: ita scientiæ ipsæ cum ab obiecto causentur, differentias quoque ex ipso, & secundum ipsius conditiones recipiunt. Quapropter aliç reales, aliç diuinæ, aliæ naturales, aliç practicæ, aliç verò speculatiuç, & alio quoque modo secundum obiectorum diuersitatem dicuntur; imò ab ipsis quoque obiectis & dignitatem, & vniuersalitatem, & gradus accipiunt; dignitatem inquam, quia illa est dignior, quæ nobilius respicit obiectum, vt habetur in primo de anima, tex. primo. Vniuersalitatem, quia dicitur talis vnaquæque, provt obiectum est tale; scientia namque, vel generica, vel specifica vocatur, provt de genere, vel de specie aliquorum puta, vel de animali, vel de homine tractat, quare ista est extrinseca etiam, & obiectiua denominatio, quia vna scientia singularis videlicet, quæ est in Socrate, vel alio, dicitur generica, & specifica ratione solum obiecti. Scientia est vna tripliciter. Aliqui verò triplicem vnitatem scientiæ tribuunt, videlicet potentialem, virtualem, & formalem. Potentialis vnitas est respectu vnitatis genericæ, provt videlicet aliquod genus contemplatur, quæ & si respectu illius generis sit actualis cognitio, & perfecta, saltem in ratione vniuersali, & secundum illius generis proprietates, non se extendendo ad inferiora, vel species, vt si sciremus, quid est animal, quæve proprietates eius, tamen dicitur potentialis in ordine ad species; nam habita cognitione generis sumus in potentia propinqua ad cognoscendum species. Vnitas verò virtualis est respectu speciei, cognita namque definitiuè aliqua specifica natura, virtualiter proprietates eius cognoscimus, (est Cognoscere virtualiter quid. autem cognoscere virtualiter, posse immediatè educere cognitionem ab aliquo cognito, vt cognito igne, virtualiter cognoscitur calor) quæ tamen non est propriè scientia, sed solum cognitio definitiua. Formalis autem vnitas est actualis cognitio alicuius conclusionis, in qua scilicet passio prædicetur de subiecto, quæ triplex vnitas poterit vocari generica, specifica, & numeralis, & etiam ex parte obiecti sumitur, quæ & si fortè non sit multum subtilis, non est tamen inutilis. Gradus scientiarum. Gradus autem scientiarum ex obiectis quoque sumuntur, sic nimirum, quod idem obiectum plures admittit gradus secundum certiorem cognitionem, vt quamuis duo circa philosophiam versati sint, differt scientia vnius ab ea, quç est alterius, provt alter altero maiori pollet cognitione, & certitudine, vel quoad firmiores rationes, vel quoad plures conclusiones, & res cognitas circa illam scientiam. Si autem diuersç scientiæ inter se comparentur, nunquam secundum gradus se excedent, sed nobilior ex parte obiecti in quacunque gradu ignobiliorem excedet, sicut quilibet homo quemlibet asinum. Vnde Metaphysica in quocunque gradu certitudinis respectu obiecti erit nobilior naturali philosophia; respectu inquam obiecti, quia ratione certitudinis, & subiecti, vel scientis exceditur, ita vt preponerem non tantum doctissimum Physicum ignoranti Metaphysico, sed Mechanicum quoque. Quoad causationem scientiarum nulli dubium esse credo, eas ab intellectu, & obiecto, veluti à duabus causis partialibus effectiuis, atque essentialiter subordinatis causari. Verum duo adnotanda hic sunt. Alterum, quod & si tam ab obiecto, quam ab intellectu causentur, imò principaliter ab intellectu ipso, tamen recipiunt denominationem ab obiecto, quia cum intellectus sit causa vniuersalis, & communis, non poterit peculiarem denominationem tribuere, sed vniuersalem solum, vnde dicuntur omnes habitus intellectuales. Modus verò causandi est incipere à sensu; obiectum enim sensui se præsentat, deinde phantasiæ, à qua ab intellectu agente purgatur, & abstrahitur, vnde denique incipit, & fit discursus, atque scientifica cognitio, de quo ex professo in libro tertio de anima dicemus. Aliud est notandum. Quod scientiç rationis ab obiecto rationis causari non possunt; ratio est, quia omnis scientia est ens reale, cum sit habitus, & species qualitatis, & si dicatur scientia rationis, hoc est ratione obiecti considerati, ens verò reale non potest causari ab ente rationis, quia tunc causa efficiens esset ignobilior effectu, quod est absurdum; causatur ergo principaliter ab intellectu, ipsum autem ens rationis se habet, vt terminus, vel causa sine qua non. Vel dicatur, & fortè melius, nullum esse inconueniens, ens rationis concurrere instrumentaliter ad causandum ens reale, nec sequi, causam esse nobiliorem effectu, quia hoc est verum solum de causa totali, & non de instrumentali. Hæc igitur dicta sint de natura scientiæ, & alijs, quæ pro iuuenibus necessaria esse duxi. Nunc autem quæstionem resoluamus.

Conclusiones.

DE rebus naturalibus est scientia, probatur. Quæcunque secundum causas, & proprietates cognoscuntur scientificè cognoscuntur, seu de illis est scientia, at res naturales cognoscuntur hoc modo, ergo; maior est nota, probatur minor: scimus namque hominem esse corruptibilem, eo quod materiam, & formam includat; risibilem, flebilem, discursiuum, eo quod est rationalis; idem confirmatur exemplo, & auctoritate Aristotelis. Exemplo, quia scientiam de rebus naturalibus tradit. Authoritate, quia & in tertio Phys. tex. 24. & in primo de Cçlo tex. 1. & alibi scientiam de rebus naturalibus esse affirmat. Prima.

Quamuis de ipsis rebus naturalibus sit scientia, probabile tamen est, eam hominem perfectè non habere, sed vt plurimum per rationes probabiles, & quasi opinatiuè; probatur, quia scire est rem per causam adæquatam, & conuertibilem cognoscere, vt notum est ex primo Poster. Sed de paucis hanc causam habemus, imò vel sæpe, vel forsitan semper multa accidentia communia, vel ad summum propria ad aliquid ostendendum assumimus. Quinimò & hoc mirabile est, quod nemo sic aliquid exactè ostendere videtur, quin alter diuersæ opinionis, vel oppositam conficiat demonstrationem, seu syllogismum, vel saltem, propositiones vt demonstratiuas ab aduersario assumptas, non eneruet. Nec non demonstrationes, quædam ab omnibus ferè, Secunda.

vt

vt infallibiles, & potissimæ receptæ, si rectè ponderentur, claudicant, sicut præcipuè est illa. Omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo. Quod autem risibilitas, vt à propria causa immediata à rationalitate non proueniat, facilè est videre: rationabilitas enim ex se fundamentum maximè sapientiæ, atque cognitionis connotat, vnde sibi proportionales effectus adæquati respondere deberent; quid autem sibi magis oppositum, magisque repugnans, quam risibilitas? ipsa namque est fundamentum effectuum, vel stultitiæ, vel ignorantiæ; stultitiæ inquam, quia risus in ore stultorũ, at si risus est talis, causam imitari debet, non verò rationem; Ignorantiæ, quia vt plurimum ex admiratione homines rident, admirari autem ex ignorantia prouenit, vt habetur ex Aristot. primo Metaphys. cap. 2. si igitur risus & ignorantiam, & stultitiam denotat, profectò risibilitas vt radix ipsius, fundamentum ignorantiæ, & stultitię erit; quapropter causa immediata eius non erit rationalitas, si quidem effectus conditionem causę sequatur, sed potius defectus, & priuatio rationis. Fortè autem eodem modo de flebilitate discurri poterit, alio tamen medio. Si ergo quę ab omnibus potissimæ existimantur demonstrationes, & non erunt, vel saltem probabiliter infringunt; quid de alijs dicemus? profectò non aliud, quam apud nos scientiam veram de rebus non esse. Quod duobus Aristotelicis testimonijs comprobatur, alterum ex secundo Metaphys. cap. primo, alterum ex primo Poster. cap. 8. tex. 23. desumitur. In secundo igitur Metaphys. habet hęc verba. Quemadmodum vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita & intellectus animę nostrę, ad ea, quę manifestissima omnium sunt. Et in primo Poster. sic dicit. Difficile autem est cognoscere si sciuit, aut non; difficile est enim cognoscere si ex vniuscuiusque principijs scimus, aut non, quod est scire. Ex quibus paret, nos non habere veram demonstrationem, vel non cognoscere eam habere, quod in idem recidit; quare neque secundum nos est scientia de rebus naturalibus, sicut neque de alijs saltem secundum omnia, vel secundum adequatam demonstrationem, quia secundum aliquam nobis sufficientem certitudinem, hoc non est negandum, imò & secundum aliqua etiam fortassis habemus veram demonstrationem, quę tamen circa paucissima esse, fatendum est. Est igitur scientia de rebus naturalibus, vt asserit prima conclusio, sed non in nobis, saltem secundum veram rationem scientię, vt probatum est. At si quis dicat, ad quid eam tot laboribus, atque vigilijs inuestigamus? Respondetur, & vt nobis possibilem cognitionem adipiscamur, & vt ab alijs internoscamur; sat enim est secundum posse naturę perfectionem habere, nec vltra vires aliquid est tentandum. At si quis iterum dicat; prima conclusio secundę contradicit, & è contra, ergo ista, vel illa est auferenda. Respondetur, quod si ad bonum sensum trahantur, non contradicunt, quoniam & si scientia de rebus in prima admittatur, tamen id secundum potissimam demonstrationem esse non dicimus, sed secundum aliquam nobis possibilem certitudinem, quam demonstratiuam ad consolationem vocamus: hic verò de vera loquimur demonstratiòne. Nunc autem argumenta soluamus.

Ad Argumenta.

Solutio 1. AD primum respondetur ad primam partem maioris, res naturales esse incorruptibiles quoad essentiam, seu secundum essentialia prędicata, & hoc modo de eis est scientia, ita vt semper sit verum dicere, res naturales sunt corruptibiles, generabiles, &c. Alij triplicem rerum naturalium gradum assignant, scilicet eorum quę semper sunt, vt cęli, eorum quæ vt plurimum, vt pluuiæ in hyeme, calores in æstate, & alia; ac tandem eorum quæ sunt rarò, vt cometæ, eclipsis, & similia, quibus similiter tres scientiarum gradus respondere aiunt; de primis etenim esse scientiam in primo gradu naturalis certitudinis dicunt, atque cum ipsis connumerant ea, quæ semper sunt secundum speciem, vel in esse successiuo, vt elementa, animalia, plantæ, & similia. Secundis gradum secundum assignant, & tertijs, tertium, quæ doctrina, & si primo aspectu videatur pulchra, & curiosa, tamen non est proprijssima, quia procedit, vt si de existentia rerum scientiam quæreremus, quod non est exactè verum, abstrahit namque scientia vt plurimum à quacunque existentia, quare siue semper, siue frequenter, siue rarò eueniant, vel existant, essentiam, & proprietates semper sibi conueniunt, vt pluuia est talis naturæ, ex tali materia, vel causa, cometa ex tali, & sic scientiam habemus ipsis non existentibus, vel rarò euenientibus. Ad secundam partem dicimus, quod quamuis res naturales sint secundum existentiam singulares, tamen per intellectum à conditionibus singularibus præscinduntur, & fiunt vniuersales.

Triplex gradus scientiæ.

Solutio 2. Ad secundum negatur minor. Ad probationem dicimus, quod res ipsæ naturales secundum suam essentiam consideratæ nullũ accidens includunt, sed solum partes essentiales; motum verò, & sensibilitatem includunt secundariò, vt passiones, quæ quidẽ de ipsis demonstrantur; demonstrare verò passionem de subiecto, non est considerare ens per accidens, sed per se, & modo scientifico, & quamuis interdum per hæc accidentia explicentur, non est tunc processus demonstratiuus, præterquam quod dum dicitur de ente per accidens non esse scientiam; non intelligendum est de subiecto, & propria passione: sed de subiecto, & separabili accidente, vt de homine albo, vel nigro, neque hoc simpliciter, sed quatenus sub aliqua ratione conuenire non possunt; si etenim aliqua sibi conueniat proprietas de ipsis est scientia, cum omnes scientiæ subalternatæ sint de ente per accidens; hanc autem quæstionem in sexto Metaphys. fusè explicabitur.

De ente per accidẽs non est sci ẽtia, quomodo verum.

Solutio 3. Ad tertium negatur minor. Ad probationem respondetur, res ipsas naturales, neque esse entia per accidens, vt visum est in solutione præcedenti; neque verum esse, quod ad Metaphysicum de essentia omnium rerum determinare attineat; sed solum agit in vniuersali prout entia sunt, & passionibus entis participant.

Solutio 4. Ad quartum similiter negatur minor. Ad probationem respondetur, potentias aliquas esse subordinatas, alias verò disparatas. De disparatis verum est, quod dicitur, nempe alterius alterum esse obiectum, vt aliud est obiectum visus, aliud auditus, vel odoratus. De subordinatis est falsum; nam ipsæ sic se habent, quod quicquid potest potentia inferior, potest superior, & plus, vt quicquid potest sensus percipere, potest quoque intellectus cognoscere, quia sensus subordinatur intellectui; differunt autem hæ potentiæ, vel secundum magis, vel minus vniuersale, vel secundum modum concipiendi, de quibus in 2. de Anima.

Quicquid potest potentia inferior, potest superior, & plus.

Solutio 5. Ad quintum dicimus ad minorem, Philosophiam in se nullum admittere errorẽ, sed homines ipsos errare, vnde est defectus scientis, & non scientiæ. Si autem quis defendere velit, neq; homines errare, soluat aliam partem, quæ habet, sensus decipi, dicendo, vel hoc esse falsum, saltem circa propria obiecta, & cum debita dispositione, vel ab intellectu corrigi, & sic ad veritatem accedimus, modo tamen quo diximus.

Solutio 6. Ad sextum etiam negatur minor: nam quamuis homines inter se dissentiant, hoc arguit solum, ipsos non perfectè Philosophiam habere, vt diximus in secunda cõclusione. Dum autem adhuc infertur ergo, qui solum subiectum cognoscunt sunt verè philosophantes, alij penitus

nitus indocti, negatur consequentia; quia ex subiecto vniuersaliter cognito non dependet immediatè vniuersa cognitio rerum, sed solum potentialiter, & remotè; vt ex cognitione corporis naturalis, non cognoscuntur, nec immediatè eliciuntur omnes hominis proprietates, & sic quamuis in assignatione subiecti non conueniant, non sequitur, quod in cœteris errent.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum naturalis Philosophia sit practica scientia, vel speculatiua.

NVllam circa hanc propositam quæstionem controuersiam inuenio, omnes etenim vno ore ipsam speculatiuam esse fatentur; attamen, vt aliqua digna scitu dilucidentur, ne aliquid intactum omittamus, eam breuiter dilucidabimus, atque in quinque particulas, (vt ordo, & distinctio seruetur) diuidemus; in prima argumenta adducentur; In secunda de natura scientiæ practicæ differemus; in tertia speculatiuæ; in quarta, erit conclusio; ac denique in quinta solutio argumentorum.

Argumenta.

Primum. ARguitur ergo primo, quod ipsa sit practica. Omnis operatio, quæ à voluntate dirigitur est practica, sed cognitio rerum naturalium, seu philosophia ipsa dirigitur, atque ordinatur à voluntate, ergo. Præterea,

Secundum. facultas quæ est amoris productiua est practica, quia amor est actus voluntatis, & omnis talis est practicus, vt videbimus: sed Philosophia est amoris productiua, nam ex cognitione rerum, ad ipsas, vel ipsarum factorem amandum allicimur ergo.

Tertium. Item facultas, quæ non est libera est practica, si quidem seruit, ac operatur, sed naturalis philosophia non est libera, ergo. Maior est nota, probatur minor, nam illa dicitur libera facultas, quæ liberis tradita, & concessa est; quæ autem sic se habent ab ipsis liberis sunt liberales appellatæ, inter quas non connumeratur philosophia, ergo.

Quartum. Amplius, quæ non solum considerari, sed etiam à nobis fieri possunt, non solum speculatiuam, sed etiam practicam cognitionem in nobis gignunt; at quam plures res naturales sic se habent, homo etenim multa potest physicè agere, & cognoscere, vt generare, moueri, & alia, ergo saltem circa aliqua erit practica.

Quintum. Denique medicina est pars philosophiæ naturalis, vnde medici vocantur physici, & ipsa est practica, ergo aliqua pars naturalis Philosophiæ practica est. Quod autem ipsa medicina sit physicæ pars, videtur elici ex libello Arist. de sanitate, & morbo, vbi habet hæc verba. Medici quicunque diserti, ac diligentiores de natura dicunt, & principia inde sumere dignantur, &c. quare si principia ex physica sumunt, medicina erit pars illius; nam principia vnius scientiæ alteri non applicantur, ex primo Post. tex. 24.

De Natura scientiæ practicæ.

PRo determinatione igitur præsentis quæstionis, primò videndum est, quid nam sit scientia practica. Vt autem hoc melius effici possit, vnde nomen practicæ aduenerit in primis obseruandum est. Dicitur ergo practica à praxi, seu praxeos, quod græcè idem significat, quod operationem, non tamen quamcunq; sed eas duntaxat, quæ non fiunt ab intellectu, sed ab ipso diriguntur, & à Scoto in prologo sent. sic definitur. Praxis est

Praxis quid. operatio alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter posterior intellectione, nata conformiter elici rationi rectæ, ad hoc, vt sit recta; tres igitur conditiones requiruntur ad hoc vt aliqua operatio dicatur verè praxis. Prima quod sit alterius potentiæ quam intellectus, vnde neque speculatio, nec intellectio praxis vocari possunt. Secunda, quod sit posterior intellectione, ita quod ab ipsa reguletur, quare operationes, quæ intellectionem præcedunt, vt sunt naturales, verbi gratia nutriri, augeri, sentire, &c. non sunt practicæ, imò neque speculatiuæ, sed purè naturales, nam diuisio practicæ, & speculatiuæ est respectu operationum, quæ ab intellectu præceduntur. Tertia, quod talis operatio sit conformis rationi rectæ, quæ non est simpliciter conditio praxis, sed ad hoc vt sit bona: tamen quia mala operatio est potius priuatio bonæ, ideo ipsa non debet dici practica, sed abusus, & per consequens veræ praxi hæc conditio poterit simpliciter tribui. Sequitur autem ex prædictis, quod solum actus voluntatis sit practicus. Hic autem est duplex, videlicet elicitus, & imperatus. Actus elicitus est qui ab ipsa voluntate ex sua natura absque vllo imperio, vel conatu educitur. Imperatus vero est qui educitur ab alijs potentijs ex voluntatis imperio, qui quidem ab ipsa quoque educi potest, nam etiam sibi ipsi potest præcipere, imò, & intellectui etiam; tamen qui ab intellectu efficitur vltimatè non est practicus, quia denominatio actionis operationis, & motus est à fine, vel termino ad quem, patet igitur quid sit praxis; ex cuius cognitione non erit difficile cognoscere, quæ sit scientia, vel notitia practica. Est ergo scientia practica, quæ circa aliquod obiectum operabile versatur, aut circa quod diriguntur operationes, quæ quidem ab obiecto non autem à fine (vt aliqui putant) practica dicitur, quia à quo habet esse ab eo habet esse tale secundum propriam differentiam, sed scientia habet esse ab obiecto, ergo; & quamuis, sæpe habeatur ab Aristotele practicam distingui à speculatiua per finem, debet finis accipi pro obiecto, eo quod obiectum operabile est velut finis attingibilis; si etenim pro fine executionis acciperetur, nemo haberet scientiam practicam alicuius nisi actualiter circa finem operatus esset, quod est absurdum, & contra experientiam. Pro maiori tamen intelligentia aliqua breuiter notabimus. Primum. Quod aliqua notitia potest alicui esse practica, alteri verò speculatiua respectu eiusdem obiecti, nam aliquid est operabile ab aliquo, ab alio verò speculabile solum, vt si intelligentia consideraret quomodo ab ipsa mouendum esset cœlum, proculdubio esset sibi notitia practica, nobis vero idem considerantibus esset speculatiua; similiter scientia quam habet Deus de rebus naturalibus est practica, ea autem quam nos de eisdem habemus est speculatiua. Secundum, quod scientia ipsa practica duplicem includit respectum, alterum ad intellectum, alterum verò ad obiectum, ad intellectum includit respectum prioritatis eiusdem intellectus, sic videlicet, quod operatio, vel praxis ipsa cuius est scientia sit posterior intellectione, ad obiectum dicit respectum conformitatis, nam ipsi obiecto conformari debet secundum rationem operationis, ita vt medicina verbi gratia sit operatiua circa corpus sanabile eo modo quo sanabile est, quæ directiuitas in contingentibus ab ipsa voluntate dependet, quia est in potestate eius sic, vel sic dirigere, quod exequi vult. Tertium quod practicum, & speculatiuum sunt differentiæ extrinsecæ scientiæ, sumptæ videlicet ex parte obiecti operabilis, vel simpliciter speculabilis; supplent tamen locum differentiæ essentialis, ita vt sicut ab obiectis ipsæ scientiæ denominantur, sic quoque differunt per practicum, & speculatiuum. Quartum, quod non solum scientiæ, sed intellectus ipse extrinsecè pro vt circa talia obiecta versatur practicus, vel speculatiuus dicitur. Hæc autem de scientia practica sufficiant, ad speculatiuam accedamus.

Tres conditiones praxis.

Actus elicitus, & imperatus.

Sciētia practica quid.

De

De scientia speculatiua.

Speculatio quid. Scientia speculatiua quid.

PRo determinatione huius videndum est, quid sit speculatio ex qua facilè quid speculatiua scientia sit, cognoscemus; est igitur speculatio operatio intellectus ad nullum opus extra ipsum ordinata, sed solum ad veritatem, vel inueniendam, vel contemplandam. Quare scientia speculatiua est cognitio alicuius rei ad ipsam sciendum tantum, non autem ad aliquam operationem circa ipsam exercendam. Ex quibus breuiter habitis potest elici conclusio responsalis.

Conclusio.

PHilosophia naturalis est scientia speculatiua, probatur; nam ipsa solum ad veritatem rei indagandas, & contemplandas, non autem ad aliquid extra intellectum efficiendum est ordinata, hoc autem est de ratione speculatiuæ facultatis, ergo.

Finis scientis, & scientiæ.

At si quis diceret, potest ordinari ad lucrum, honores, aliosque fines operabiles, vel per operationem acquisibiles. Respondetur, hunc esse finem scientis, non scientiæ; dicitur finis scientis, qui ab ipso sciente constituitur; scientiæ autem qui per se ex vi scientiæ natus est acquiri. Item Aristot. 11. Metaph. sum. 3. c. 1. diuidit speculatiuam scientiam in Naturalem, Math. & Theologiam, seu Metaph.

Ad Argumenta.

Sol. 1. AD primum respondetur, maiorem non esse simpliciter veram, sed requiri quod actio à volnntate imperata efficiatur ab alia potentia, quam ab intellectu.

Sol. 2. Ad secundum, dicimus ad maiorem, eam facultatem quæ per se intendit amorem, vel alium actum voluntatis producit, esse protectò practicam, sed eam ad quam secundariò, & quasi per accidens aliquis affectus sequitur non sic se habere, quia ad practicam requiritur regula, quæ de operandis dictet, & doceat, quod non accidit dum aliquid quasi naturaliter sequitur, & per accidēs.

Sol. 3. Ad tertium negatur minor, ad probationem respondetur inter artes liberales connumerari solum humanas facultates, non autem diuinas, & nobiliores, sicut est philosophia.

Sol. 4. Ad quartum respondetur ad minorem, quod si philosophia doceret nos regulas operandi, non posset defendi, eam practicam non esse; at quia id non docet, ideò est tantum speculatiua, & quamuis multas operationes naturales efficiamus, & consideremus, tamen agentes non sortimur rationem scientis, sed tantum operantis; considerantes verò non dirigimur ad opus, quod sit in nostra potestate, quod tamen ad operationem practicam requiritur. At si quis dicat, nonne possumus considerare, quomodo fiat motus, & ipsum postea secundum nostram potestatem efficere? Respondetur, hoc quidem in rei veritate negari non posse, tamen motus naturalis, qui ad naturalem attinet cognitionem, non per regulas aliquas dirigitur, & fit, vnde frustra, vel nulla esset talis speculatio ad ipsum efficiendum, sed solum considerando quid, & quomodo fit, & alia, idem quoque de alijs naturalibus operationibus dici poterit. Si verò sit motus voluntarius, vel violentus, aut artificialis, ad alias attinet facultates, & artes mechanicas, vnde naturalis philosophia non potest tradere regulas, ac modos efficiēdi opera naturalia, & per consequens non est practica, quod semper intelligendum est de puris naturalibus, & de modis, qui sint in nostra potestate; potest etenim Philosophus naturalis considerare, quomodo puer generetur in vtero; at ipsum hoc modo generare non est in eius potestate, & sic talis cognitio nō est sibi practica, quia (vt sępe dictum est) etiam modus, & regula operādi debet esse in potestate agentis, vt practicam dicatur habere sciētiam.

Sol. 5. Ad quintum, negatur, Medicinam esse partem philosophiæ naturalis; est bene ei fortè subalternata, neque id Aristoteles asserit, sed solū confines, vel terminos vtriusque proximos esse dicit, vt ibi potest videri; ipsa autem Medicina est re vera scientia practica, quia obiectum eius est corpus humanum sanitati, ac infirmitati subiectum, prout sanabile est, & quamuis ipsi distinguant eam in practicam, & speculatiuam, hoc fit comparatiuè, quia videlicet ea pars, quæ magis ab immediata operatione recedit, ac in vniuersali de propria materia agit, non sic practica sicut alia videtur, quanto enim aliquid ab vno extremo recedit, tanto ad aliud approximari, & ab eo denominari videtur.

QVÆSTIO TERTIA.

De subiecto Naturalis Philosophiæ.

IN hac quæstione primò opiniones aliorum cum suis fundamentis ponemus. Secundò, quid sit corpus naturale declarabimus. Tertiò, quotupliciter dicatur, quotuplex, & quot sint conditiones subiecti ostendemus. Quartò conclusiones oppositas opinioni aduersantium statuemus, ac tandem quintò argumenta soluentur.

Opiniones cum fundamentis.

TRes præcipuè circa subiectum naturalis philosophiæ vigent præstantiores opiniones. Prima est Diui Thomæ, necnon Auerrois, Simplicij, & sequaciū multorum, asserentium, ens mobile esse totius naturalis philosophiæ adæquatum subiectum. Secunda est aliorum quorundam etiam Thomistarum, qui non ens mobile, sed corpus mobile pro subiecto statuunt. Tertia est Scoti, Auicennæ, Algazelis, Alberti, & aliorum, qui corpus naturale subiectum ponunt. Est etiam alia quædam, quę nunc à recentioribus quibusdam amplectitur, videlicet, corpus generabile, & corruptibile esse philosophiæ naturalis subiectum. Dimissa nunc tertia, quam sequi, & declarare intendimus, fundamenta aliarum ordinatim reiciamus, pro prima ergo sic arguitur.

Illud est subiectum in aliqua scientia, quod omnia in tali scientia considerata comprehendit, at ens mobile tantum sic in naturali philosophia se habet, ergo; probatur minor: nam multa possunt naturaliter moueri, quæ non sunt corpora, vt creditur de Angelis, & animabus separatis, imò ipsa materia est aliquo modo mobilis saltem subiectiuè; forma verò tam substantialis, quam accidentalis terminatiuè, cum ergo hæc non sint corpora, proculdubio nonnisi sub ente mobili contineri possunt, & cum etiam sint de consideratione naturali, ipsum ens mobile erit ipsius naturalis philosophiæ subiectum. D. Thom. Primum.

Præterea. Subiectum naturalis philosophiæ id poni debet, cui adæquatè conuenit prima, & communissima passio rerum naturalium, nempè mobilitas, si quidem res naturales in ordine ad motum dicuntur; at hæc conuenit enti, ergo ipsum prout mobile est, debet subiectum constitui, probatur minor ex definitione ipsius motus 3. Physic. tex. 6. Motus est actus entis in potentia, seu mobilis, ergo cum enti potius quam alijs conueniat mobilitas, habetur intentum. Secundum.

Item. Nulla scientia probat suum subiectum, imò ipsum præcognoscit. Sed in 6. Phys. probatur ab Arist. omne mobile esse corpus & è contra; ergo corpus mobile non est subiectum, ergo neque corpus naturale; nam idem sunt saltem conuertibiliter, & si non eadem ratione, relinquitur ergo, quod sit ens mobile. Tertium.

Amplius. Si non darentur substantię immateriales, naturalis philosophia esset prima omnium, vt habetur ab Quartum.

Arist.

Aristot. 6. Metaph. cap. 1. tex. 3. & 11. eiusdem sum. 3. c. 1. Solæ ergo substantiæ immateriales ad Metaphysicum attinent, ergo cætera pertinent ad physicum, vnde non solum naturalia corpora, sed entia quoque trascendentia contemplari debet, & sic ens sub aliqua tamen ratione, puta mobilitatis erit subiectum eius.

5. Opinio. Quintum. Pro secunda opinione sic arguitur, & sit quintum argumentum in ordine. Subiectum naturalis philosophiæ, vel est ens mobile, vel corpus mobile; non primum, quia sic ipsa subalternaretur Metaphysicæ (est autem subalternata scientia, quæ addit accidentalem differentiam ad subiectum subalternantis) quod quidem falsum est, nam contradistinguitur ab ea, ergo erit corpus mobile. Hæc autem opinio non multa alia habet argumenta, nisi ea, quæ probant de corpore naturali; nam idem sunt, vt videbimus, at hæc sunt pro nobis; ideo pro fundamentis in conclusionibus adducentur; hoc igitur vnicum sufficiat.

4. Opinio. Sextum. Quarta verò opinio his duobus innititur fundamentis; primum (quod sit sextum in ordine) Illud est subiectum Naturalis philosophiæ cuius principia considerantur in primo Physicorum, si quidem principia subiecti ante omnia consideranda sunt: Sed considerantur solum principia corporis generabilis, & corruptibilis, puta materia, forma, & priuatio, ergo.

Septimum. Secundum (quod est septimum in ordine) Aristoteles in 1. Physic. tex. vlt. habet hæc verba: De physicis autem, & corruptibilibus formis in posterius demonstrandis dicemus, ergo solum de corruptibilibus intendit. Nunc autem vniuersaliter arguamus, quod corpus naturale non sit subiectum.

Octauum. Item. Si corpus naturale esset subiectum solum, quæ ad corpus hoc pertinent in naturali philosophia consideraréntur, at hoc est falsum; nam agitur de anima secundum se, de vacuo, & de vnitate primi Motoris.

Nonum. Preterea, id est subiectum alicuius facultatis, per quod ipsa ab alijs distinguitur, at per corpus naturale non distinguitur naturalis philosophia ab alijs, ergo, probatur minor: nam etiam Astrologia agit de corpore naturali, & secundum rationem mobilitatis, vt patet ex Arist. 10. Metaph. tex. 4.

Decimum. Item, id debet poni subiectum in naturali philosophia cui primò cõuenit prima passio rerum naturalium; hæc autem est quantitas, quia est omnium aliorum fundamentum, ergo corpus sub ratione quantitatis, non autem naturalitatis subiectum est ponendum.

Vndecimũ. Item, id est subiectum in aliqua scientia de quo præcognoscitur quid est, & si est, ex 1. Post. sed de corpore naturali hoc non præcognoscitur. Ergo.

De corpore naturali.

Quia corpus naturale esse vniuersæ naturalis philosophiæ subiectum in resolutione quæstionis statuemus, operæpretium duxi, quid ipsum sit declarare, siquidem non omnes circa hoc conueniunt. Aliqui ergo recentiores, id esse corpus naturale affirmant, quod Aristot. 2. Physic. tex. 4. his verbis explicare videtur. Naturam autem habent, quæcunque huiusmodi habent principium, & sunt hæc omnia substantia; subiectum enim quoddam, & in subiecto est natura semper, quæ proculdubio non est (si rectè inspiciatur) ipsius naturalis corporis definitio, vt credunt; explicare namque, quæ sint entia, quæ naturam habent, ac ea substantias esse pronunciare, non est definire corpus naturale; nã dubium esse potest, an ista entia sint corpus naturale, vel non; definitio verò clara esse debet. Præterquam qui ita dicunt, vel istam non esse sufficientem corporis naturalis definitionem, ita vt omnibus naturalibus corporibus (vt decet) conueniat, vel cœlum non esse naturale corpus asserere debent; nam si id est corpus naturale, quod & naturam habet, ac subiectum, seu materiam, & formam includit (vt colligitur ex illis verbis; subiectum enim quoddam, & in subiecto est natura semper) proculdubio cœlum excluditur, quod materiæ, vel simpliciter, vel saltem secundum ipsos est expers, quod autem cœlum sit naturale corpus, nemini dubium esse existimo, cũ & motum subeat, & pluribus in locis maximè in 1. de Cœlo tex. 96. (qui nunc in mentem venit) id expressè ab Aristot. confiteatur. Pro determinatione ergo sciendum est, triplex esse corpus, Physicum videlicet, Metaphysicum, & Mathematicum. Corpus triplex.

Quæ distinctio non sic intelligenda est, ac si essent tria distincta corpora adinuicem separata, vt homo ab equo, sed secundum diuersam abstractionem, ita vt Physicum, seu naturale sit aliorum fundamentum; alia verò duo ab ipso solùmodo abstrahantur. Est igitur corpus physicum substantia mobilis, sensibilis, trinamque habens dimensionem, quæ definitio & si per proprias detur passiones, attamen hæ supplent locum differentiæ essentialis, quod satis consuetum est, imò & necessarium interdum ob differentiarum cognitionis penuriam, & elicitur ab Arist. 1. de cœlo tex. 5. cuius sufficientia ex eo patet, quod omnibus corporibus, & cœlestibus, & elementaribus vniucè conuenit, quod non accidit de ea, quam quidam afferunt, videlicet. Corpus naturale esse, quod ex materia, & forma constat; sic enim excludunt cœlum, quod materiæ est expers, & corpus naturale ab Arist. in 1. de cœlo tex. 96. & alibi appellatur, vel saltem non erit vniuersaliter recepta; nam ab ijs, qui cœlum corpus simplex esse statuitur, necessariò reijcienda est, multò magis altera quorundam modernorum repellenda est; dicunt, namque corpus physicum esse materiam primã, quæ est altera pars compositi naturalis, quamuis (addunt) vsus iam obtinuerit, vt non quæ vis materia prima corpus dicatur, sed ea duntaxat, quæ est altera pars viuentis, quod corpus propriè ad differentiam animæ dicitur. At quis istorum errores non videt? materiam etenim primam vocare corpus, est ita absonum, & ridiculum, vt alia reprobatione non indigeat. Corpora autem, quę sunt partes viuentium solum physica nuncupare, est stultum; nam & elementa, & omnia mista inanimata à ratione naturalis corporis excluderentur; maneat ergo prima explicatio, vt bona. Physicum.

Metaphysicum est, quod ab omni motu, alijsq; accidentibus abstrahit, ac definiri potest, esse substantiam natam habere trinam dimensionem, longitudinem videlicet, latitudinem, atque profunditatem, quæ definitio, & si etiã per posteriora detur, nihil refert, accipiatur namque substantia pro genere; alia verò loco differentiæ, nec aliter possibile est definire: hoc autem corpus non datur, nisi per abstractionem, vnde non oportet, quod sit mobile, quia id intelligendum est de corporibus existentibus cum ista conditione naturalitatis; ita vt sit sensus, omne corpus naturale est mobile, & omne mobile est corpus naturale. Vocatur autem corpus Metaphysicum, quia entia hoc modo à materia sensibili, & motu abstracta ad Metaphysicum pertinent. Mathematicum verò est quantitas similiter à naturali abstracta, quæ longitudinem, latitudinem, atque profunditatem dicit, atque sic vocatur, prout à Mathematico (cuius contemplatio circa quantitates versatur) consideratur. Patet ergo quid sit Naturale, quid Metaphysicum, atque Mathematicum corpus. Ac de naturali ipso hoc sit breuiter aduertendum, quod idem est dicere corpus naturale, & corpus mobile; idem inquam connotatiuè, & materialiter, sicut idem est animal rationale, & animal risibile; formaliter verò nequaquam, quia naturalitas est differentia ipsius, per quam à Metaphysico, & Mathematico à priori distinguitur, sed mobilitas est propria eius passio, & aptitudo ad motum, omnis autem aptitudo passio quædam est, & in natura fundatur, ac eam supponit. Metaphysicum. Mathematicum.

De

De subiecti natura, &c.

Subiectum quadruplex Inhesionis.

AD explicandam naturam subiecti cuiusque scientiæ in communi, distinctio ipsius necessariò pro adolescentibus præmittenda est. Quadruplex ergo est subiectum, videlicet inhesionis, prædicationis, seruitutis, & considerationis. Subiectum inhesionis est quod accidentibus substat, quod quidem est substantia completa, & perfecta, atque hoc modo dicitur, pro vt accidentia sibi insunt, & ad ipsum reducitur subiectum formæ substantialis, quod est materia, & altera pars compositi; nam licet proprium accidentis sit inesse, & non formæ substantialis, tamen quadam similitudine ipsa quoque potest dici, quod materiæ insit, vnde nec Arist. ipse in 4. phys. tex. 23. inter modum essendi formę in materia, & accidentis in subiecto distinxit, sed pro eodem accepit.

Prædicationis. Seruitutis. Considerationis.

Prædicationis est quod in propositione ponitur ante copulam. Seruitutis autem quod alicui domino seruit, vel subijcitur, vnde subditum quoque appellatur. At considerationis est quod in aliqua facultate consideratur, vt principale, quod quidem subiectum, obiectum, materia, & genus vocatur, diuersis tamen rationibus. Dicitur nanque subiectum, pro vt subijcitur, & considerationi, & rebus ipsis consideratis veluti fundamentum: & fortè eadem de causa dicitur materia, quod tamen non simpliciter materia vocari debet, sed cum ista particula (circa quam) quia circa ipsum artifex versatur. Obiectum autem pro vt intellectui addiscentis obijcitur appellatur, ac tandem genus: quia sicut genus est in potentia ad multas species, ita ipsum ad multa inferiora, ratione realiter, & virtualiter quoque ea continendi. Nominum autem consideratione iam dimissa, ad ipsius rei naturam explicandam accedamus. De subiecto ergo considerationis est intentio. Pro cuius faciliori intelligentia sciendum est, quod omne subiectum cuiusque facultatis ex materiali, & formali constat, sicut animal ex anima, & corpore; cuius ratio est, quia fortè nihil inuenitur, quod pluribus modis considerari non possit, & quot sunt modi, vel rationes considerandi, tot possunt scientiæ constitui, vt homo si consideretur, vt corruptibilis, est consideratio physica, vt conuenit vel dicitur de pluribus, logica, vt beatificabilis Theologica, & sic de alijs; quapropter si vnaqueq; scientia proprium subiectum habere debeat, sub aliqua ratione formali coarctandum est, id ergo quod coarctatur est veluti materia; quod vero ipsum restringit est forma. Si autem daretur aliquid quod per se secundum quemlibet considerationis modum considerandum esset, hoc non indigeret restrictione, sed idem rationem materialis, & formalis haberet, vt fortè est de syllogismo qui subiectum logicę à Scoto ponitur. Ex prædicta assignatione subiecti, duo possunt modernorum quorundam errores repelli; alter est asserentium duplex esse subiectum in aliqua scientia, videlicet materiale, & formale, quod quidem ita impropriè dicitur, ac si diceremus duplicem esse hominem eo quod ex materia, & forma cōstat. Est igitur vnum solum subiectum ex duabus partibus (si ita loqui fas est) conflatum. Alter est aliquorum, qui subiectum materiale continere adæquate omnia quæ in scientia cuius est subiectum tractantur, affirmāt, qui similiter ex eo errare perspicuum est, quia materiale subiectum ad plura se extendit, quam ad ea quæ in tali scientia tractantur, vt corpus secundum se ad metaphysicum, physicum, & mathematicum (nisi restringatur) attinet, vt visum est.

Subiectum totale. Partiale, & perfectionis.

Hoc autem subiectum sic consideratum adhuc est duplex, videlicet perfectionis, & adæquationis. Dicitur subiectum perfectionis, quod est perfectius in aliqua scientia, vt in Metaphysica Deus, in Logica demonstratio, & hoc est subiectum partiale, si verò hoc nomen partialis latius extendatur, non solum subiectum perfectionis, sed omnia quæ partes aliquas determinatas scientiæ respiciunt, amplectitur, vt in logica aliud est subiectum in libro prædicabilium, aliud in libro prædicamentorum, & sic de alijs. Quare forsitan sic melius ipsum subiectum in communi diuidi posset; aliud partiale, aliud totale, vel adęquatum. Partiale quod consideratur in aliqua parte scientiæ, & si sit perfectius omnibus consideratis dicitur quoque subiectum perfectionis. Totale verò est quod in vniuersa consideratur facultate, quæ sit solum nominis etymologia, ad rem accedamus, nam de hoc est intentio.

Subiectum adæquatum quid.

Est igitur adæquatum subiectum scientiæ, quod in ipsa sic consideratur, vt omnia quæ in ea traduntur ad ipsum pertineant, vel reducantur, nec ipsum in alia consideretur, ac per ipsum à quacunque alia facultate distinguatur, vnde attributionis etiam dicitur; quæ definitio, vt melius elucescat, aliquas conditiones communiter receptas assignabimus.

Tres conditiones subiecti. Prima.

Tres igitur sunt ipsius subiecti conditiones. Prima, quod habeat si est, & quid est, quod idem est ac si dicamus, quod sit, vel possit esse, quia de non ente non est scientia, ex primo Post. cap. 1. & quod sit definibile, seu explicabile, vt per eius definitionem cætera quæ ab ipso dependent, cognoscantur. Diximus notanter, quod saltem, sit explicabile, quia non omne subiectum est definibile vera definitione, vt patet de ente, quod est subiectum metaphysicæ.

Secunda.

Secunda, quod habeat principia, & passiones, omnis etenim scientia ostendit passiones de subiecto per principia. Notandum est tamen non esse necessarium, quod omne subiectum habeat principia essendi, sed alicui solum principia cognitionis sufficiunt.

Principia essendi.

Dicuntur principia essendi, quæ sunt partes constitutiuæ, vel causæ, vt anima & corpus respectu viuentis, nec non efficiens, & finis; cognoscendi verò dicuntur propositiones per se notæ, vel maximæ, vt de quolibet est affirmatio, vel negatio, & similes, aliqua ergo subiecta solum cognoscendi principia habent, vt ens in metaphys. Deus in Theologia.

Principia cognoscendi.

Quæ verò essendi principia includunt, etiam cognoscendi continent, nam à quibus habet aliquid esse ab eo potest habere cognoscibilitatem. Hoc igitur, vel illo modo quodlibet subiectum debet habere principia, & proprietates aliquas.

Tertia.

Tertia quod sit ita scientiæ ipsi commensuratum, vt neque in alia scientia consideretur, neque aliud prius, vel vniuersaliori modo in eadem facultate considerari possit, ac omnia quæ in ipsa scientia considerantur ad ipsum pertineant. Additur quoque quarta ab Arist. 1. Post. cap. 21. quod habeat partes, seu inferiora. Possunt autem multipliciter res consideratæ ad ipsum pertinere, vel reduci; quia vel sunt partes ipsius integrales, vel essentiales sicut materia, & forma, vel subiectiuæ, vt species eius, vel passiones, vel effectus, vel negationes, vel priuationes, vel dispositiones, vel viæ ad generandum, &c. Circa modum, vel formam subiecti hoc est vnum aduertendum, quod ipsa sit prior & perfectior omni passione demonstrabili, siquidem ipsa se habeat veluti forma, à quo omnia alia fluūt: vnde propria passio nisi fortè circumlocutiue nō potest pro ratione formali subiecti assignari.

Subiectum quid secundum Scotū.

Pro exacta tamen illius subiecti intelligentia, definitio à Scoto in quæstione de subiecto Theologiæ ipsius vniuersalis subiecti tradita, prætereunda non est. Ait ergo; Subiectum est quod primò virtualiter continet omnes veritates illius scientiæ cuius est subiectum.

Continētia sex modis.

Pro cuius declaratione duo breuiter annotabimus, alterum quotuplex continentia sit; aliud verò de quo subiecto loquatur. Quo ad primum. Continentia sex modis dicitur.

Potētialis.

Alia nanque est potentialis. Alia essentialis. Alia identica. Alia virtualis, & hæc est duplex, & in esse reali, & cognito. Alia tandem est eminentialis. Potentialis est qua aliquid est in potentia, vt ad alia coarctetur, vt genus respectu speciei, materia respectu formæ.

Essentialis.

Essentialis est qua aliquid continet aliud, quod est sibi de essentia, seu

in primo modo dicendi per ſe, vt homo continet animal, rationale, & omnia quidditatiua prædicata. Identica eſt qua ſic aliqua adinuicem continentur, vt ſint idem realiter, & ſic propriæ paſſiones continentur à ſubiecto, & etiam inter ſe; quamuis fortè hæc non multum differat à potentiali. Virtualis in eſſe reali eſt qua aliquid poteſt aliquid realiter producere, vt Sol cōtinet ranas, & alia à virtute ipſius in hoc mundo producibilia. Virtualis in eſſe cognito eſt qua aliquid poteſt cognitionem alterius producere, ſaltem partialiter; ſicut obiectum quod poteſt producere partialiter notitiam ſui in aliqua potentia; partialiter dico, quia etiam potentia ipſa concurrit. Eminentialis eſt qua aliquid continet aliud nobiliori modo, quam ipſum contentum ſit in ſe, vel in ſua natura, vt aurum ſic continet argentum, homo bruta, Deus creaturas. Ad propoſitum ergo ſic aliud notandum, quod dum Scotus ſubiectum virtualiter continere notitiam eorum quæ ſub tali ſcientia cadunt, aſſerit, de continentia ſolum virtuali in eſſe cognito loquitur, ac ſi diceret; Subiectum ſimul cum intellectu ſunt apti cauſare omnem notitiam eorum quæ ſub ipſo obiecto continentur, quod tamen abſque dubio veritatem habet, nec alia de cauſa ſubiectum ſtatuitur. Dicunt tamen aliqui ſcotiſtæ, & benè, hanc non eſſe definitionem ſubiecti generici, quod videlicet plures ſub ſe ſpecies continet, ſicut eſt quidem corpus naturale, quia ex ipſius cognitione etiam deſinitiua non poſſumus ſtatim deuenire ad cognoſcendas omnes proprietates particularium ſpecierum, vt hominis, vel leonis: ſed definitur ſolum ſubiectum ſpecificum, vt ſi homo in aliqua ſcientia conſideraretur hanc admitteret definitionem, & ſic de alijs ſpeciebus; quod autem omnes veritates contineat virtualiter, patet, nam habita definitione, paſſiones faciliter cognoſcuntur. De ſubiecto autem generico, dicatur continerę potentialiter omnes veritates &c. quibus habitis concluſiones ponamus.

[margin: ...tica.]
[margin: Virtualis realis.]
[margin: Virtualis in eſſe cognito.]
[margin: Eminentialis.]

Concluſiones.

[margin: Prima. Contra D. Th.]

ENs mobile non eſt ſubiectum adæquatum naturalis philoſophiæ vt ſentit D. Thomas, & alij; probatur, nam vel ens mobile idem eſt cum corpore mobili, ſi quidem omne mobile eſt corpus, & ſic eſt impropria locutio ex parte materiæ ſubiecti, ſicut ſi de homine diceremus, quod ſit ens rationale, debet nanq; immediatum genus immediatè adaptari in bona definitione, vel ſi vltra corpus extendatur eſt ſimpliciter falſum, quia ſola corpora ſunt naturaliter mobilia, vt videbimus in ſexto phyſicorum. Ex parte verò formali eſt etiam error, quia nulla propria paſſio poteſt eſſe ratio formalis ſubiecti, cum ab ipſa fluat, & per ipſam ſit demonſtrabilis; ratio verò eſt veluti differentia indemonſtrabilis, & cauſa, vt alia demonſtrentur, mobilitas autem eſt paſſio, quæ à natura fluit, ergo.

[margin: Contra ſecundā opinionem.]

Secunda; Corpus mobile non eſt ſubiectum adæquatum naturalis philoſophiæ. Probatur eadem ferè ratione, quia mobilitas eſt propria paſſio, & non ratio formalis ſubiecti, præterquam quod aggregatum ex ſubiecto, & paſſione eſt ens per accidens, de quo vel non eſt ſcientia, vel ſub alternata ſolum.

[margin: Tertia. Contra quartam.]

Corpus generabile, & corruptibile non eſt ſubiectū, vt ſentit quarta opinio. Probatur, nam hoc modo libri de cęlo ad phyſicum non pertinerent, nam cęlum ipſum eſt ingenerabile, & incorruptibile, & corpus naturale. At ſi reſpondeant, vt ſolent. Cęlū conſiderari in naturali philoſophia ſicut principiū, vnde ad corpus generabile, & corruptibile habet attributionē, ſicut primus motor cōſideratur in ordine ad corpus naturale, vel ens mobile, vel corpus mobile, hoc non eſt verum, quia cęlum ipſum ſecundum propriā eſſentiā, proprietates, & accidentia (vt eſt videre per omnes libros de cęlo) conſideratur.

[margin: Quarta. Reſolutoria pro tertia opinione.]

Corpus naturale eſt adæquatum ſubiectum, hæc patet à ſufficienti diuiſione, tamen rationibus quoque confirmatur. Illud eſt ſubiectum naturalis philoſophiæ, cui adæquate conuenit mobilitas, & ad quod omnia reducuntur, ſed hoc modo ſe habet naturale corpus, quia nihil aliud poteſt moueri quam ipſum, & omnia in phyſica conſiderata ad ipſum reducuntur, vt clarè patebit in ſolutione argumentorum; ergo.

Ad Argumenta.

AD primum negatur minor, ad probationem primæ partis, videlicet de Angelis, & animabus ſeparatis, reſpondetur quod & ſi moueantur, ille non eſt motus phyſicus, qui ſupponit materiam ſenſibilem, & occupationem loci; vel dicatur, ideò ipſos ſub ſubiecto naturalis philoſophiæ non contineri; quia naturali lumine motum de ipſis cognoſcere non poſſumus; at naturalis ipſa philoſophia ex rationibus ex lumine naturæ intellectualis deſumptis procedit, quare quæ ab ipſo comprehendi nequeunt, naturalem quoque cognitionem ſubterfugiunt. Ad aliam partem, videlicet de materia & forma, negatur, quod moueantur: nam terminare motum, quid ad formam attinet non eſt moueri, imo Ariſt. 5. phyſ. tex. 3. aſſerit formam ipſā, ac omnem alium terminum ad quem eſſe immobilem; materia verò neq; ipſa mouetur, quamuis ſit ſubiectum, non autem terminus à quo generationis & corruptionis, vt aliqui inconſultò dicunt. Iſta tamen reſponſio de materia eſt communis, tamen re vera non eſt bona; quia & ſi ipſa non moueatur per ſe motu, vel locali, vel augmentationis, diminutionis, & alterationis, vt docet Ariſtoteles in quinto phyſ. tex. 8. dicit enim, omne quod mouetur eſt in loco, &c. tamen ſaluari non poteſt, quin motu generationis & corruptionis moueatur, nam id moueri dicitur, quod eſt ſubiectum motus ex 3. phyſ. tex. 13. materia verò ipſa eſt ſubiectum generationis, & corruptionis, ex primo phyſ. tex. 82. Reſpondetur ergo, id ponendum eſſe ſubiectum naturalis philoſophiæ, cui primò conuenit maximè motus localis, & omnes alij ſunt vel in ipſo, vel præcipuè gratia ipſius, & ſic licet materia ſubiectum generationis, & corruptionis ſit, tamen quia eſt talis in ordine ad compoſitum, ideo non per ſe moueri dicitur, ſed per accidēs vt in pręfato tex. 82. habet philoſophus; quod autem per accidens eſt, ab alio dependet, & ipſo eſt poſterius ex 2. phyſ. tex. 66. & hac eadē de cauſa materia dicitur, & eſt per ſe ingenerabilis, & incorruptibilis, ex eodem textu 82. quamuis per accidens vtrunque ſit ex eodem loco.

Ad Secundum. Reſpondetur ad minorem, quod per ens in potentia ad motum intelligitur corpus, vel quod à corpore dependet, ipſe autem Ariſtoteles fortè ſic vniuerſaliter locutus eſt, vt & omnes motus, & omnia mobilia includat vſque ad materiam primam, quæ tamen in ordine ad corpus, vt diximus, mouetur.

Ad Tertium negatur minor, nam Ariſtoteles ibi ſolum probat, omne quod mouetur (ſupple localiter) diuiſibile eſſe, ex quo inferunt, quod ſit corpus: at hoc probare, non eſt probare corpus naturale eſſe.

Ad Quartum reſpondetur, re vera ſi nihil eſſet immateriale, philoſophia naturalis eſſet prima, quia fruſtra eſſet abſtractio à rebus ſenſibilibus; at quia dantur immateriales ſubſtantiæ, ideo cōſiderari poſſunt & ipſæ, & prædicata ſibi communia, vt ens bonum, & ſimilia, quare nulla relinquitur conſideratio talium abſtractorum, quæ ad phyſicum pertineat. At ſi quis dicat, ſicut Mathematicus abſtrahit quantitatem, quæ abſtracta realiter non eſt, ita poſſent abſtrahi à ſenſibilibus multa, etiā non exiſtentibus immaterialibus ſubſtantijs. Reſpondetur, diſparem eſſe rationem, quia in abſtractione mathematica, habentur figuræ, proportiones, numeri, &

men-

mensuræ, quæ ex se considerationem peculiarem expostulant; quod non accideret in abstractione sensibilium. At si quis iterum dicat, ad quid abstrahitur corpus quantum cum sit sensibile? respondetur ad cognoscendum melius alia.

Ad Quintum negatur consequentia, quæ prouenit ex insufficienti diuisione, debebat namque dicere, vel est ens mobile, vel corpus mobile, vel naturale.

Ad Sextum negatur minor, sufficit enim quod principia considerentur, & in primo, & in secundo, in quibus habentur sufficientia principia corruptibilis, atque incorruptibilis corporis naturalis.

Ad Septimum respondetur, Aristotelem indefinitè loqui, & ad differentiam idearum, de quibus in Metaphysica disserendum esse, docet; has autem vocat formas, quasi dicat; de formis incorruptibilibus, vel ideis in Metaphysica agendum est, at de ijs, quæ corruptibiles sunt, & naturales in physicis agemus; non tamen sequitur, solum de his acturum esse.

Ad Octauum respondetur, Animam, Vacuum, & primum Motorem ad corpus naturale attinere; Animam vt formam, Vacuum vt priuationem, primum Motorem, vt effectiuum simpliciter, vel vnius primi motus quo ad vnitatem.

Ad Nonum negatur minor, nam Astrologus alio modo considerat cœlestem motum, quam Physicus, ipse namque sub ratione numeri, æqualitatis, mensuræ, aliarumque rationum; Physicus verò solum pro vt talis est; modus autem considerandi diuersitatem scientiæ efficit, vt dictum est.

Ad Decimum respondetur, quòd & si quantitas sit prior natura motu, tamen per motum res naturales distinguuntur, acquirunt esse, & dispositiones, ideo magis est ipsa perfectior, & dignior, vt passio prima ponatur.

Ad Vndecimum respondetur, non esse necessarium, hoc de subiecto scientiæ in principio præcognosci, sed quando fieri debet demonstratio, vnde illæ conditiones sunt potius subiecti demonstrationis, quam scientiæ.

QVÆSTIO IV.

An naturalis philosophia sit nobilior morali, atque Mathematica.

Circa hanc quæstionem etsi nulla adsit controuersia, breuiter tamen aliqua dicemus. Primum ergo argumenta ponemus. Secundò de nobilitate facultatum aliqua dicemus. Tertiò conclusiones, ac denique responsionem ad argumenta adducemus.

Argumenta.

Primum. Arguitur ergo, quod Moralis philosophia sit nobilior. Illa scientia, quæ simul perficit intellectum, & voluntatem est nobilior ea, quæ solum intellectum perficit, at moralis est huiusmodi, quoniam operationes, & habitus eius ab intellectu, vel cognitione procedentes voluntatem perficiunt, & ornant. Naturalis verò philosophia est solum ipsius intellectus habitus, & perfectio, ergo.

Secundum. Præterea sicut Dominus est nobilior seruo, ita Moralis philosophia est naturali nobilior. At moralis est veluti aliarum domina, maximè Politica, nam ipsa vt habetur ex proœmio Ethicorum Aristotelis, omnibus alijs artibus præcipit; ergo.

Tertium. Item quod Mathematica sit nobilior, probatur. Ea facultas, quæ per certiora procedit est nobilior alia; at Mathematica in comparatione ad physicam sic se habet, vt omnes concedunt, ergo.

De nobilitate facultatum.

Pro resolutione ergo quæstionis notandum est, quod cuiusque facultatis nobilitas præcipuè à fine, atque obiecto sumitur, secundariò autem ex certitudine, vt habetur ab Aristotele in principio primi de anima. Cur autem ab obiecto sumatur, ideo est; quia conditiones rei ab eo sumi debent à quo sumunt esse, & essentialem differentiam, hanc autem ipsæ facultates ab obiecto habent, vt in prima proœmiali quæstione visum est. A fine autem (quando videlicet non coincidit cum obiecto) quia ipse finis imponit necessitatem rebus, & ab eo omnia denominare iustum est, si quidem propter ipsum sunt quæcunque ordinantur. Hic autem finis (pro vt ad propositum spectat) duplex esse potest, alter principaliter, & per se intentus, alter verò secundarius, & quasi per accidens ad supplementum alterius; v. g. natura in generatione hominis, perfectum hominem producere intendit, & hic est finis primarius; si autem aliquod impedimentum adsit, producit monstrum; vnde secundarius finis naturæ est supplere defectum finis non habiti, ne opus eius sit frustra, & hic est ignobilior, atque à primo dependet. Est etiam aduertendum, quod nobilitas non ex vtilitate sumenda est, sed potius ex eo quod in se bonum est, si namque ex vtilitate sumeretur, rustici (imò, & boues, & equi, & multa inanimata, vt elementa ipsa) regibus, potentatibus, & sapientibus præcellerent; sed sumendum est secundum participationem diuinæ nobilitatis, ita vt quod magis Deo ipsi assimilatur præcipuè in operibus vitæ intellectualis, hoc sit nobilius putandum, & illæ facultates, quæ melius id nobis præstant ex consequenti alijs præferendæ sunt. Abusus tamen communis hominum, sicut bonum, vtile, vt plurimum honesto præponit, sic ipsum nobilitate huic præcellere existimat, hinc est, quod plures diuites ineptissimi, quam pauperes, ac sapientes homines æstimantur. Nobilitas autem certitudinis, ideo ignobilior est ea, quam ex obiecto educimus, quia ab ipsa dependentiam, & esse habet; quod verò sit ipsa ignobilior rudi quodam, sed certissimo confirmatur exemplo, habet quis certissimam cognitionem, serpentem esse animal, mediocrem verò de Deo, non ne hæc illi præferenda est? proculdubio sic. Nunc ad conclusiones accedamus.

Conclusiones.

Philosophia naturalis est nobilior morali; probatur, omnis facultas speculatiua est nobilior practica, ex 1. Metaphys. cap. 1. at naturalis philosophia est speculatiua, Moralis verò practica, vt visum est in præcedentibus, ergo: probatur adhuc maior, nam ipsa speculatiua est gratia sui, practica verò gratia alterius; puta operis, vnde hæc est quasi ancilla, illa veluti domina. Præterea cuius obiectum, & certitudo, alterius obiectum, ac certitudinem in nobilitate vincit, nobilior facultas est, at sic se habet obiectum naturalis philosophiæ in comparatione ad obiectum Moralis, nam omnia cœlestia, atq; terrestria, nec non Deum ipsum contemplatur. Moralis autẽ virtutes solum. Vnde ipsa est quasi finis secundariò intentus, videlicet potius ad corrigendos hominum mores deprauatos, quã ad ipsos simpliciter deificandos; quamobrem est quasi restauratio quædam naturæ lapsæ, illa verò Deificatio. Quò ad certitudinem, res morales sunt adeo incertæ, vt secundum tempora, & gentes sæpe mutandæ sint, res verò physicæ æternæ veritatis. Est tamen notandum, quod per philosophiam moralem Ethicam, Oeconomicam, & Politicam intelligimus, atque ad Politicam ipsam ius ciuile reducendum esse dicimus, non vt aliqua pars eius, sed potius vt effectus, cum nihil aliud contineat nisi leges, vel decreta, ad

Principum placitum edita, & promulgata, quæ si rationabilia sint, fundamentum Politicæ supponunt, & ex ipso emanant, vnde effectus sunt ipsius. Si vero tantum voluntaria, erronea, & tyrannica sunt appellanda. Quare qui ius Ciuile à Morali (quasi sit altera scientia) distinguunt, nesciunt, quid dicant; Est tamen quædam obiectio. Nam lex ipsa ante omnia videtur a Deo hominibus tradita; Philosophia verò nequaquam, ergo illa videtur præstantior. At obiectio ista est puerilis, & solum necessitatem naturæ corruptæ insinuat, imò si hoc valeret, & cibus, & potus, & elementa nobiliora homine essent. Præterea illa facultas, quæ est præcipuè ipsius Dei nobilior est ea, quæ solum hominibus traditur, at Philosophia sic se habet, Deus enim omnia cognoscit per causas. Moralis verò (si ad bonum sensum loquamur) non est in Deo, siquidem sit moderatrix immoderatarum passionum, at Deus moderatione non indiget, vnde hæc, nempè moralis, est propter indigentiam; illa verò ex interna nobilitate, & dignitate; Adde quod Serenissimus hic Venetorum Senatus, cuius tanta est sapientia, prudentia, & consilium, vt ferè impeccabilis in deliberando videatur, tanti naturalem philosophiam præ cæteris fecit, quod cum de publicè omnibus facultatibus legendis in hac præclarissima Vrbe statuisset, ceteras indifferenter hominibus cuiusque generis explicandas tradidit; ipsam verò ex perpetuo statuto solum vni ex nobilioribus eius patritijs commisit, quorum & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalatum, huiusque inclytæ Reipublicæ Principatum quam plures obtinuerunt, atque hac nostra tempestate Illustrissimus Ioannes Baptista Contareno summo honore, ac laude hoc munere fungitur, cuius familiæ nobilitatem, cuius probitatem, humanitatem, sapientiam, atque e doctrinam disertissimus quisque Orator explicare minimè posset; & (vt cetera omittamus) eius quæstiones Peripateticæ tanta quidem Peripatetica redolent doctrina, & subtilitate, vt nomen non iniuria, sed summo decore afficiant.

Naturalis Philosophia est nobilior Mathematica; nam subiectum eius est nobilior, & si ratione certitudinis ab ipsa superetur, quæ tamen nobilitas alteri comparanda non est, vt diximus. De Metaphysica nullum est dubium, nobilissima namque ex omnium consensu creditur.

Ad Argumenta.

AD primum negatur maior, quia nobilitas scientiæ sumitur ex obiecto, vel similitudine ad primam causam, & non quia in pluribus sit potentijs: sic etenim sanguis, vel humor, qui per totum corpus diffunditur esset nobilior corde, quod solum in determinata parte residet.

Ad secundum negatur minor, ad probationem respondetur, duplicem esse preceptionem, videlicet vsus, & cognitionis, prima non arguit maiorem nobilitatem, & sic Politica præcipit, vt vtamur scientijs; cognitionis verò est, dum trahit regulas, & præcipit modum, ordinem, & alia; hæc autem est nobilior, sed non sic est Politica respectu Philosophiæ. Vel dicatur hanc præceptionem esse ex natura lapsa, non ex iure naturali; ideò non valet.

Ad tertium conceditur Mathem. secundum certitudinem Philosophiæ præcellere.



ANTO-

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marſorum.

IN PRIMVM LIBRVM PHYSICORVM Ariſtotelis Paraphraſis.

S V M M Æ L I B R I.

In
- *Prima agitur de modo procedendi.*
- *Secunda de principijs rerum naturalium ſecundum Antiquos.*
- *Tertia de eiſdem ſecundum mentem propriam, ſed in communi.*
- *Quarta ſpecialiter.*

Summæ primæ Caput vnicum.



Tex. 1. *Voniam circa omnes methodos, vel ſcientias, quæ cauſas, principia, & elementa habent, ex horum cognitione demonſtratiuè effectus ſcire, ac intelligere oportet (tunc enim putamus cognoſcere ſic vnumquodque, cum cauſas primas cognouerimus, & principia prima, & vſque ad elementa) manfeſtum eſt, quod de eis, quæ naturalis philoſophiæ principia ſunt, prius determinare tentandum eſt. At quia ipſa principia nobis ignota ſunt, inueſtigare ea debemus demonſtratione quia, vt ex ipſis ſic cognitis ad effectus redeuntes perfectè ſcientiam habeamus.*

Tex. 2. *Via igitur, vel modus procedendi circa prædictorum cognitionem nobis à natura inſitus eſt, vt ſcilicet ex his, quæ ſunt nobis notiora, & manifeſtiora, ad ea, quæ ſecũdum naturam notiora ſunt perueniamus: non enim æqualiter eadem ſunt nobis nota, & naturæ. Quapropter neceſſe eſt ad hunc modum procedere, ex notioribus nobis (vt diximus) ad notiora naturæ.*

Tex. 3. *Sunt autem primò nobis clara, ac manifeſta, quæ ſunt magis confuſa, ſeu quæ plura continent (hæc etenim in plura ſunt reſolubilia: vnde confuſionem præceteris habent) cuiuſmodi ſunt entia compoſita in comparatione ad ſuas partes, vel cauſas, quæ vniuerſalia in continendo appellari poſſunt; poſterius autem ex his fiunt nota elementa, & principia, vel partes, ſeu cauſæ ipſorum, his qui diuidunt hæc, ſeu qui hæc in talia principia diuidendo reſoluunt.*

Tex. 4. Vide opp. in 1. Poſt. cap. 2. *Quapropter ex vniuerſalibus, ſeu effectibus, ad cauſas, ſiue ad ſingularia procedere oportet. Quod autem effectus primò cognoſcantur à nobis, & ſint magis vniuerſales (ſcilicet in continendo) quam cauſæ; probatur primò de toto integrali: hoc enim eſt vniuerſalius ſuis partibus cum eas comprehendat, & ſecundũ ſenſum eſt notius eis: ergo primò cognoſcitur, & eſt ſuarum partium effectus.*

Hoc idem conuenit nominibus reſpectu ſuarum definitionum, ideſt quod ipſa nomina, ſeu potius ſignificata, primò cognoſcuntur, quam partes definientes, & ſunt vniuerſaliora, cum eas partes contineant, ac poſſunt vocari, tota eſſentialia. Vnde ipſum totum eſſentiale prius indiſtinctè cognoſcitur, vt circulus v. g. Definitio verò ipſius diſtinctè tradit ſingularum partium cognitionem. Similiter totum vniuerſale (quod eſt ſuorum ſingularium veluti effectus) primò indiſtinctè cognoſcitur, quam ſuæ cauſæ, ſeu ſingularia, quod experientia patet: nam pueri primũ quidem, omnes viros patres appellant, & matres fœminas, poſterius verò vtrunque horum determinant: & ſic concluditur, quod ex effectibus oportet deuenire in cognitionem cauſarum, modo tamen inuentiuo: quibus cognitis demonſtratiuè ad effectus deſcendimus. Tex. 5.

SVMMA SECVNDA.

Traduntur opiniones antiquorum, de principijs rerum naturalium, & reijciuntur.

CAPVT PRIMVM.

Opiniones de principijs, & examinatio.

NEceſſe eſt, aut vnum eſſe principium rerum naturalium, aut plura. Et ſi vnum, aut immobile, vt dicunt Parmenides, & Meliſſus, aut mobile, vt dicunt phyſici (ſcilicet qui naturaliter loquuntur) quorum, alij dicebant, eſſe aerem, alij vero aquam. Si verò plura, aut finita, aut infinita. Et ſi finita, plura autem vno, aut duo, aut tria, aut quatuor, aut ſecundum alium quempiam numerum. Et ſi infinita, aut ſic vt Democritus, ait, ſcilicet quod ſint eiuſdem generis, ſeu prædicamenti, Tex. 6.

differant vero specie, ita vt aliud sit v. g. calidum, aliud frigidum, ac etiam differant figura, sic quod vnum sit figuræ rotundæ, aliud verò quadratæ, quemadmodum ipsemet Democritus de athomis asserebat, aut etiam sint contraria, vt humidum, siccum, &c.

Tex.7. *Similiter autem quærunt de principijs rerum naturalium, (scilicet an sint finita, vel infinita, vnum, vel plura, &c.) qui quærunt quot sunt ea, quæ habent esse, seu entia; nam ex his entibus cætera alia quæ sunt, fiunt (solum enim principia vocantur entia ab ipsis), & sic quærentes, quot sunt entia, & an sint finita, vel infinita, &c. de principijs, & elementis quærunt. Nunc singulas istarum opinionum examinemus: & primò eam, quæ ponit vnum esse principium, & immobile, quæ est Parmenidis, & Melissi.*

Tex.8. *Itaque si vnum atq; immobile sit id principium, quod est, in hac scientia considerandum: hæc consideratio non erit naturalis, nec ad physicū pertinens: probatur, vt enim Geometræ non amplius est ratio contra eum, qui sua principia destruit, sed aut est opus alterius scientiæ, scilicet subalternantis, aut eius, quæ est communis omnium, sicut est Metaphysica, vel Dialectica; sic neque est ratio ei, qui de principijs naturalibus negatis disputat. Quod autem isti negent principia naturalia, ponendo ens vnum, & immobile, probatur: nam si est vnum solum ens, principium, & immobile, non erit amplius principium; nam principium refertur ad principiatum, & sic sunt plura, ergo non est vnum ens tantum, & si est principium physicum, est cum motu, ergo non est immobile, & sic patet quod implicat ponere vnum ens tantum, & asserere illud esse principium, & immobile.*

Nulla scientia probat propria principia negatā.

Tex.9. *Simile itaque est considerare, an sic vnum sit principium, sicut disputare contra quamlibet aliam positionem sermonis gratia dictam (idest voluntariè, & sine ratione) vt erat opinio Heracliti, asserentis, omnia semper moueri; aut si quis diceret quicquid est, esse vnum hominem.*

Tex.10. *Aut soluere rationem litigiosam, seu sophisticam, hoc enim ad physicum non pertinet. Sed vtræque quidem rationes, scilicet tam Parmenidis, quam Melissi sophisticæ sunt, & peccant in materia, & forma; in materia, quia accipiunt propositiones falsas: in forma, quia non rectè syllogizant, vt postea melius videbitur. Est autem magis onerosa (seu vana) ratio Melissi absque dubitatione, vnde mirum non est, si ex ipsa multa absurda sequantur: nam dato vno inconuenienti alia contingunt, quod nihil difficile est cognoscere.*

Vno inconueniēti dato alia contingunt.

Tex.11. *Nos autem contra istos supponamus, quòd entia naturalia, aut omnia, aut quædam mouentur, quod inductione manifestum est. Cælum namque mouetur, similiter animalia, &c. Simul autem neque conuenit omnia soluere, sed quæcumque ab aliquo demonstrantur falsa, suppositis principijs illius scientiæ; quæ verò falsa ostenduntur, talibus principijs non suppositis, soluere non oportet: vt eum tetragonismum, seu quadraturam circuli, qui probat persectiones, seu principia Geometriæ, debet Geometra soluere: illum autem qui ab Antiphonte factus fuit, non debet Geometra soluere, quia ex principijs Geometriæ non procedit.*

Tex.12. *Sed quoniam contingit vt ipsi dicant, se dubitationes de natura, ac rebus naturalibus, quamuis non naturaliter proposuisse: forsitan bene erit aliquantulum disputare de ipsis principijs, non physicè, sed metaphysicè; nam hæc consideratio hoc modo in se philosophiam, seu Metaphysicam continet.*

CAPVT II.

Disputatur contra positionem Parmenidis, & Melissi, per principia Metaphysicæ.

PRincipium autem maximè omnium proprium disputandi cum prædictis, est, quod ens dicitur multipliciter, scilicet de substantia, quantitate, qualitate, &c. quomodo igitur isti dicunt omnia esse vnum ens? an scilicet omnia sint substantia, vel quantitas, vel qualitas: & si sunt substantia, an sint vna substantia numero, vt vnus homo, vel vnus equus, &c. & similiter dicatur de quantitate, & qualitate; idest, an omnia sint vna qualitas, vel vna quantitas, vt hoc calidum, vel hoc frigidum, aut aliquid talium. Hæc enim omnia differunt multum inter se, vnde est impossibile dictu, quod scilicet omnia vnum eorum sint. Tex.13.

Si autem dicatur, quod sunt simul substantia, quantitas, & qualitas, & tamen sunt vnum, est magis absurdum: nam omnia ista siue sint abinuicem separata, siue non, multa sunt entia, & distincta. Si verò dicatur, omnia esse qualitatem, vel quantitatem: siue ponatur substantiam esse, siue non, inconueniens est, si quod est impossibile, oportet vocare inconueniens: quia nullum aliorum prædicamentorum est à substantia separabile, cum sint accidentia, quæ omnia de ipsa substantia dicuntur, & in ipsa sunt (quia dici, sequitur ad esse) ipsa verò substantia ab alijs (saltem disiunctiuè, hoc est vel ab isto, vel ab illo) separabilis est, non autem simpliciter ab omnibus. Tex.14.

Omnia accidētia de substantia dicūtur, & in ipsa sunt.

Melissus autem dicit; ipsum ens vnum, esse infinitum, ergo est quantum, infinitas enim in quantitate est per se, per accidens verò est etiam in substantia, qualitate, & alijs prædicamentis, quatenus scilicet habent quantitatem coniunctam; quod autem infinitum sit tantum per se in quantitate, probatur: nam ratio, seu definitio infiniti vtitur quantitate, (est namque infinitum quantum non terminatum) ergo per se quantitas est inclusa in infinito, & infinitum est in ipsa. At si dicantur esse simul substantiam, & quantitatem, iterum est repugnantia, quia non erit vnum ens, sed duo. Si dicatur esse tantum substantiam, non erit infinitum, quod (vt diximus) solum in quantitate reperitur. Vnde erit quantum, & non substantia. Tex.15.

Infinitum quid.

Amplius quoniam ipsum vnum numero (de quo ipsi loquuntur) tripliciter dicitur, sicut ens, considerandum est, quomodo dicunt omnia esse vnum; dicitur enim vnum; aut continuitate, sicut linea, quæ est vna licet habeat plures partes continuatas; aut indiuisibilitate, vt punctum; aut quorum vna est ratio, seu definitio, uel quidditas, quemadmodum merum, & uinum, seu uinum magis, uel minus debile. Sed nullo istorum modorum potest dici omnia esse unum, ergo male dicunt. Probatur primò de unitate continuitatis. Sic. Tex.16.

Vnum Tripliciter.

Si est unum continuitate, non est simpliciter unum, sed multa, quia continuum est diuisibile in infinitum, & per consequens habet infinitas partes. Sed dubium est de toto, & parte. At fortè hæc quæstio nihil ad præsentem sermonem pertinet, sed oportet ipsam per se ipsam solam à physicis speculationibus tractare. Scilicet, an totum, Tex.17.

& par-

& partes sint vnum, vel plura, & quomodo sint vnum, vel plura, quod idem est, an sint idem, vel distincta, quæ quæstio non tantum de toto continuo, & eius partibus, moueri potest, sed etiam de partibus non continuis, sicut sunt partes essentiales. Si dicatur resoluendo vtranque partem, esse vnum & idem cum toto, quasi quid indiuisibile, & indistinctum; ideo erit quoniam partes sunt eædem sibi ipsis, hoc autem repugnat supradictis, ergo non sunt eædem cum toto: vnde ab ipso distinguuntur, & è contra.

Totum an sit idem cū partibus.

Tex.18. At verò si omnia sunt vnum, vnitate indiuisibilitatis, nullum erit quantum, neque quale, nam omnia ista sunt diuisibilia, vel per se, vel per accidens; imò nihil erit infinitum, quod est contra Melissum; neque finitum, quod est contra Parmenidem, quia finitum, & infinitum, non dicuntur de termino, seu indiuisibili, sed tantum de quantitate, vel rebus quantis.

Tex.19. At verò si omnia sunt vnum secundum definitionem, eo modo, quo sunt vnum indumentum, & tunica, eos dicere contingit orationem Heracliti, scilicet, quod idem erit bonum, & malum, bonum, & non bonum; homo, & equus; imò ratio, seu discursus non erit, an omnia sint vnum, vel multa, sed potius quod nihil sint, quiasi alicui assignetur definitio sibi repugnans, illud ponitur non esse; Sequeretur etiam, quod idem haberet esse quantitas, & qualitas: quorum enim est vna definitio, illa sunt eadem.

Tex.20. Conturbabantur iuniores philosophi istis rationibus nostris, sicut etiam turbabantur antiqui, & timebant ne eis accidat confiteri, idem simul vnum esse multa, vnum secundum suam positionem, plura verò propter nostras rationes. Quapropter alij auferebant copulam à propositionibus, quia videtur poni inter diuersa, hic autem fuit Lycophron: alij verò considerantes, quod sine verbo non redditur bona locutio, tollentes copulam, aliud verbum apponebant, vnde non dicebant homo est albus, sed albatur, neque est ambulans, sed ambulat, ne addentes ipsum est, seu copulam, viderentur ponere non vnum, sed multa entia.

Tex.21. Tanquam ens, & vnum debeat tantum vnomodo dici, vel esse quid simpliciter singulare: quod falsum est; nam entia sunt multa, vel secundum definitionem vt album, & musicum, licet in eodem possint conuenire subiecto, & sic vnum sunt, & multa; vnum ratione subiecti, quæ est vnitas per accidens; & multa ratione diuersarum definitionum; aut sunt multa entia per diuisionem, vt totum, & partes. Hi autem iam deuicti confitebantur vnum esse multa, actualiter tamen diuisa, quasi non contingeret, sine diuisione, idem esse simul multa, & vnum, non tamen opposita; nec eodem modo, sed vnum in actu, plura verò in potentia, vel è contra; vt vnum continuum in actu, est plura in potentia, & plures partes, actualiter diuisæ, sunt vnum totum potentialiter.

Tex.22. Hoc igitur modo nostro prædicto discurrentes resoluent, impossibile esse, omnia quæ sunt esse vnum. Nec difficile est soluere rationes, ex quibus præfati philosophi suam positionem ostendunt. Vtrique enim tam Parmenides, quam Melissus sophisticè syllogizant: accipiunt namque propositiones falsas, & non syllogizant in modo, & figura. Sed ratio Melissi est proculdubio magis vana, idto sequuntur tot inconuenientia, vno enim inconuenienti dato, alia contingunt, hoc autem nihil difficile est.

CAPVT III.

Confutantur syllogismi antedictarum Opinionum.

Quod igitur sophisticè syllogizet Melissus manifestum est: opinatur enim sic accipere, seu efficere syllogismum. Omne quod factum est habet principium, ergo quod non est factum, non habet (quæ est argumentatio à destructione antecedentis ad destructionem consequentis inualida, vt ista; si est homo, est animal, ergo si non est homo, non est animal) deinde subdit. Sed ens non est factum, ergo non habet principium, sed quod non habet principium est infinitum, quod verò est infinitum, est vnum tantum, quia infinitum non permittit alia secum, & quod est infinitum est immobile, nam omnia loca occupat, & sic non habet quò possit moueri; vnde concludit, ens esse vnum, immobile, & infinitum. Postea inconueniens est, quod vniuscuiusque rei sit tantum principium magnitudinis, sicut ipse assumit in illa propositione (quod non habet principium est infinitum, cum consequenti) nam datur principium temporis, & generationis non simplicis, quæ vocatur alteratio. Imò falsum est etiam, quod cuiusque rei sit principium temporis successiuo modo, quia datur mutatio aliqua instantanea, vt illuminatio, &c. quod repugnat suæ propositioni, illi scilicet (quod est factum habet principium) in qua de principio temporis loquitur, ex quo postea transit ad principium magnitudinis, vnde patet quod multipliciter errat. Tex.23.

Deinde etiam si sit vnum ens, & infinitum, non tamen sequitur, quod sit immobile, sicut enim cum hæc aqua esset, verbi gratia, infinita, posset moueri secundum vnam ipsius partem, cur etiam non dicetur moueri tota? si ad motum partis fit denominatio totius? ut quis moueri dicitur, si solum manus eius moueatur, eodem modo posset dici de quolibet infinito. Postea propter quid non potest moueri motu alterationis? non ergo valet, est vnum ens, & infinitum, ergo est immobile. Dicimus ergo, nec vnum, nec immobile esse ens, quod de immobilitate, ac de vnitate numerali satis probatum est. Modo dicimus, non posse esse vnum neque vnitate specifica, nisi ex parte subiecti ex quo fit, idest quod omnia entia participent eadem materia specie; loquendo de entibus naturalibus, & secundum opinionem quorundam physicorum, qui hoc asserebant, quos modò non reprehendimus. Sed quod omnia sint simpliciter vnum specie, hoc est falsum simpliciter, nec ab ipsis asserebatur, homo namque differt specie ab equo, quinimo sunt contraria, eo modo quo potest reperiri contrarietas in substantia. Tex.24.

Et contra Parmenidem possumus eundem modum solutionis, & rationis adhibere, scilicet, quod peccat in materia, & forma, licet sint etiam alij modi proprij soluendi: solutio tamen est, quia accipit propositiones falsas, & nihil concludit. Quod verò falsas propositiones accipiat, patet, nam accipit ens simpliciter, seu vno tantum modo dici, cum dicatur multipliciter, seu de multis: Syllogizat enim hoc modo. Quicquid est præter ens est ni- Tex.25.

est nihil, ergo quicquid est, est ens, sed ens, & vnum conuertuntur, ergo quæcunque sunt entia sunt vnum, & sic omnia sunt vnum; unde falsas propositiones accipit. Non concludit autem, quia si sola alba capiantur: ita vt ipsa alba per suppositionem significent tantum vnum, nihilominus multa alba sunt, & non vnum: quia non sunt vnum vnitate continuationis, vt cygnus v.g. non cõtinuatur niui, nec sũt vnum definitione, seu ratione; nam aliud esse, & alia definitio erit albedinis, alia verò subiecti ipsius. Imò sequeretur, quod præter albedinem, nullum daretur aliud accidens separabile: hoc tamen nihil obstat nostræ rationi, scilicet, quod ponatur separabile, vel non, quia quocunq; modo ponatur, differt à suo subiecto, quod Parmenides nondum cognoscebat; imò ex vnione arguebat vnitatem.

Tex. 26. Necesse est igitur, vt hi qui dicunt ens esse vnum, accipiant non solum ipsum ens significare vnum, & de ipso prædicari. Sed debent accipere, quod significet id quod verè, & perfectè habet esse, scilicet substantiam, & etiam quod verè significet vnum numero, aliter nihil concludant. Probatur quò ad primam partẽ, scilicet, quod debeant probare ipsum ens vnum significare substantiam, nam si significaret accidens, sequerentur contradictoria, scilicet, quod accidens esset, & non esset: nam accidens dicitur de subiecto, & est in subiecto, ergo si ens significat tantum accidens, ipsum subiectum cui inest accidens non erit, nam est alterum, seu diuersum ab accidente: ex alia parte, quia accidens non potest sine subiecto esse, ipsum subiectum erit, & sic erit, & non erit: & eodem modo erit, & non erit accidens: nam erit per suppositionem, seu casum positum; quod ens significet accidens, non erit, quia non potest esse sine subiecto, quod tamen ponitur non esse; igitur quod verè est, non potest poni quod inexistat, seu inhæreat alteri, quia sequuntur contradictoria prædicta. Et re vera ipsum ens nullomodo erit, nisi significet multa, sic vt vnumquodque sit aliquid ab alio distinctum. Sed supponamus ipsum ens significare vnum, & arguamus iterum contra prædictos.

Tex. 27. Quod verè est nulli accidit. Si igitur quod verè est, seu substantia est, nulli potest esse accidens, sed ipsi substantiæ magis potest aliquid accidere; ipsum ens magis significabit substantiam, quæ verè, & perfectior est, quam accidens, quod respectu substantiæ potest quasi dici non esse, nam potius significatur perfectius, quam imperfectius. Significet igitur ipsum ens substantiam, & probemus, non ideo ipsum ens esse vnum, hoc pacto. Si enim ipsa substantia sit per casum alba (suppositum namque est, substantiæ posse aliquid accidere, & hæc albedo non est ens, quia sola substantia ponitur ens, & nihil aliud) sequitur quod substantia simul sit, & non sit, nam est per casum positum, non autem est prout ponitur alba, & albedo non est, quare erit alba, & non erit, & sic cum ponatur substantia album quid, dicemus album est, & non est. At si dicatur, albedinem significare ens verum, sequitur quod multa sunt entia, & non vnum, puta substantia, & albedo.

Tex. 28. Præterea si ponatur, substantiam tantum esse ens, vel erit substantia corporea, vel incorporea; at vtroque modo essent plura entia. Probatur de corporea; nam sic haberet magnitudinem, quæ habet partes plures, & diuersas. Ex alia parte magnitudinem non habebit si debet poni substantia tantum, & vnum ens, & sic non erit substantia corporea, corporeitate scilicet mathematica, vel de genere quantitatis, vnde est contradictio. Quod non sit incorporea, hoc est sine quantitate probatur, quia adhuc essent multa entia. Nam ipsa substantia (quæ vocatur hic quod verè est,) diuiditur in aliud quod verè est, scilicet in alias partes substantiales; quod ratione manifestum est, vt homo qui est substantia, diuiditur in animal, & bipes, seu rationale, quæ sunt etiam substantia. Si enim substantiæ non sunt, accidentia erunt. Ergo, vel erunt accidentia ipsius hominis, vel alterius subiecti, quorum vtrunque est impossibile. Probatur impossibilitas, nam duplex est accidens, alterum separabile, quod definitur sic; est quod contingit esse, & non esse; aliud est inseparabile, in cuius definitione ponitur suum subiectum, exemplum de separabili, iacere, sedere, &c. exemplum de inseparabile, simitas, cuius subiectum est nasus, & in eius definitione ponitur; dicitur namque simitas est curuitas nasi, cui dicimus accidere simitatem. Accidens quid, & quotuplex.

Tex. 29. Amplius, quæ sunt partes definitionis, ita vt definitum constet ex illis, si definiantur, non debet in earum definitionibus poni ipsum totum definitum, sed è contra, vt in animali, seu bipede non ponitur homo, nec in albo, homo albus, sed è conuerso. Si igitur prædicta se habent hoc modo, scilicet quod animal, & bipes sunt partes hominis, & in eius definitione ponuntur, homo non ponetur in definitione illorum, & sic non sunt accidentia inseparabilia, ergo, si instetur quod sunt accidentia, erunt separabilia, & sic homo poterit esse non animal, & non bipes; aut si sint inseparabilia, homo erit in ratione, vel definitione illorum, cuius oppositum dictum est. Si verò dicatur, ista esse accidentia, non tamen homini, sed alicui alteri, sequitur etiam hominem esse accidens, quia cuius partes constituentes sunt accidentia, & constitutum erit accidens. Cuius partes sunt accidentia, & totum.

Tex. 30. Sed quod verè est (scilicet substantia) alteri non potest esse accidens, & de quo ambæ partes simul dicuntur, etiam vtraque diuisim dicitur, & similiter ipsum totum ex partibus constitutum, & sic si partes sunt accidentia, totum pariter erit accidens. De quo partes dicũtur, & totum. Cum autem hoc sit absurdum, asserendum est, substantiam præcisa quantitate habere plures partes substantiales, & sic esse plura entia; vel dicendum est, omnia constare ex indiuisibilibus, quod est magis absurdum. Quidam verò sequaces Parmenidis, vtrique rationi acquieuerunt, scilicet huic factæ à Parmenide, nempè omnia vnum esse, & quod ens significet tantum vnum, scilicet substantiam, ita vt accidentia, quæ dicuntur ab ipsis non entia, non sint à substantia distincta, & sic sint idem & vnum cum ipsa. Alteri rationi acquieuerunt, scilicet superiori, in qua conclusum est, quod vel substantia habet partes, vel omnia constant ex indiuisibilibus; concedunt inquam, omnia ex indiuisibilibus constare, hic autem fuit Democritus, ex dissectione, seu diuisione, magnitudines indiuisibiles concludens.

Tex. 31. Sed manifestum est, non esse verum, quod si ipsum ens significet tantum vnum, & ponamus contradictoria non posse esse simul vera, non inquam sequi ipsa accidentia, quæ ab ipsis ponuntur in natura, & dicuntur non entia, nihil esse, quia dum ponuntur esse, & dicuntur non entia, est contradictio, quia sic sunt, & non sunt; nihil enim prohibet, quod non sint entia perfecta, & simpliciter, sicut substantia. Sed bene prohibet, quod nullo modo sint. Dicere quoque, quod si præter ipsam substantiam, quam tantum ens ponunt, non sit aliud ens, ideo sequi omnia

nia esse vnum, est etiam inconueniens, nam quicunque acquirit doctrinam de ente, præcipuè cognoscit substantiam, si autem hoc est, patet, quòd etiam in ipsa substantia cognoscuntur, & sunt multa entia, vel partes, vt supra dictum est. Quod igitur impossibile sit, ens esse verum, & immobile, manifestum est.

CAPVT IV.

Antiquorum opiniones de principio materiali, & specialiter opinio Anaxagoræ.

Tex. 32. *VT autem naturales philosophi (qui scilicet concedunt motum) dicunt, duo sunt modi ponendi principium rerum naturalium. Aliqui namque ponunt pro subiecto, seu materiali principio vnum corpus, atque etiam in hoc assignando differunt: nam alij assignant vnum trium elementorum, scilicet ignem, alij aerem, alij aquam, alij corpus quoddam medium, densius scilicet igne, & rarius aere; alij verò generari dicunt, ex diuersa raritate, & densitate talis corporis, vt dum condensatur fit terra, vel terrea, nempe ferrum, lapides, &c. dum rarefit, producitur aqua, vel aer, aut aquea, vel aerea, vt mel, vinum, oleum &c. vnde res multiplicant secundum istas differentias rari, & densi, quas contrarias esse asserunt. Alij autem etiam vnum principium ponentes, dixerunt ex illo res diuersas generari secundum magnum, & paruum, idest quod si illud sit minus, generatur res minoris quantitatis, & naturæ; si maius, maior, & secundum magis, & minus sumuntur differentiæ essentiales rerum, quod magis, & minus à Platone vocatur excessus, & defectus, & hæc fuit positio ferè vniuersalis de principio. Differt tamen aliquo modo Plato ab alijs, nam ipse asserit, hoc principium esse materiam, sicut illi dicebant, sed pro forma assignat Ideam, quam vnum vocabat, quia scilicet non multiplicatur sicut indiuidua. Illi verò posuerunt plures, & contrarias formas, seu differentias. Secundus modus est eorum, qui ex vno principio existente, plura contraria principia segregant, quæ est opinio Anaximandri, & eorum qui dicunt multa esse vnum, sicut fuerunt Empedocles. & Anaxagoras; isti namque omnes segregant omnia ex quadam commixtione (quam fingunt) omnium rerum. Differunt tamen ab inuicem, nam Empedocles ponit circulationem omnium rerum, nempe, quod postquam segregata sunt iterum congregentur, & segregationem generationem vocat; congregationem vero corruptionem, & sic mundum perpetuo duraturum. Anaxagoras verò tantum semel res segregari dicit, vnde ad hoc vt mundus (secundum ipsum) sit perpetuus ponit in eodem chaos, seu principio confuso infinita principia actualiter existentia, aliter generationes deficerent; ponit etiam hæc principia esse similaria, seu similium partium, tamen inter se contraria. Empedocles autem ait, non infinita principia in illo continere, sed quatuor tantum, quæ communiter elementa vocantur, vt ignem, aerem, aquam, & terram. Quia tamen opinio Anaxagoræ est famosa, adducamus rationes, quibus eam fulciebat, & reprobemus.*

Tex. 33. *Videtur autem Anaxagoras sic infinita opinari simul esse, quoniam putabat communem opinionem Physicorum esse veram, illam scilicet, quod ex nihilo nihil fit. Qua stante, sic arguebat. Ex nihilo nihil fit, ergo quod fit, ex aliquo fit, & sic aqua verbi gratia non fit ex non aqua, sed ex aqua; & ignis ex igne, ergo ista præexistebant, & sic erant omnia simul, per consequens infinita, & quando dicuntur fieri, non fieri (dicebat) sed alterari, sicuti alij eiusdem opinionis generationem appellabant segregationem; & corruptionem, congregationem, vt dictum est. Hæc igitur est prima ratio Anaxagoræ. Secunda.* Ex nihilo nihil fit.

Amplius contraria fiunt ex alterutris, ergo vnum est in alio, aliter fierent ex nihilo, quod est contra omnes Philosophos; ergo si vnum contrarium est in alio, multo magis alia, quæ non sunt contraria simul sunt: concludit igitur omnia simul esse, sed non quodlibet omni nomine denominari, propter paruitatem rei, quæ non potest dare nomen, cum nobis insensibilis sit; sed illud magis apparet, cuius est maior quantitas in illa mistura infinitorum, vt album, vel dulce, vel caro, vel os, non sunt simpliciter, & syncerè talia, sed vocantur sic, quia plus habent talis naturæ scilicet albi, vel dulcis, & hoc modo vocatur natura rei, quæ plus apparet. Hæc igitur est positio Anaxagoræ; cuius singulas particulas reprobare oportet, & primo illam, in qua asserit infinita esse principia rerum naturalium actualiter existentia. Tex. 34.

CAPVT V.

Reprobatur opinio Anaxagoræ.

SI igitur infinitum, tàm secundum magnitudinem, vel multitudinem (quod vocatur infinitum quantum, quam etiam secundum formam, seu quidditatem, quod esset, si haberet infinitas partes essentiales) est ignotum; res naturales, seu effectus qui ex tali principio sunt, non possunt cognosci, nam principijs existentibus infinitis, impossibile est cognoscere principiata, cum ex principijs principiatum noscatur, tunc enim cognoscere arbitramur compositum, cum cognoscimus ex quibus, & quot partibus constet, si ergo non cognosceremus principia, nec principiata naturalia, non esset scientia de rebus naturalibus, quam tamen ipse Anaxagoras tradere intendit. Tex. 35. Infinitum secundũ quod infinitum, est ignotum. Et principijs principiatum cognoscitur.

Amplius si necesse est, totum aliquod esse proportionalis quantitatis cum suis partibus, ita vt ex quantitate ipsarum resultet, & impossibile sit esse quantulecunque magnitudinis, vel paruitatis, vt patet de animalibus, & plantis; manifestum est, quod neque partes possunt esse cuiuscunque paruitatis, (loquor de partibus actualiter existentibus in toto, & in quas potest actualiter diuidi, de quibus etiam debet loqui Anaxagoras) & tamen si infinitæ ponantur in quolibet actualiter existentes, nullam habebunt determinatam, seu debitam quantitatem, & sic sua positio est impossibilis; quod verò partes non possint esse cuiuscunque quantitatis, patet ad sensum, nam caro, & os, sunt partes animalis, & fructus plantarum, quæ debitam habent quantitatem, ergo similiter de alijs dicendum est. Tex. 36. Res naturales habent determinatam quantitatem.

Amplius; si omnia simul sunt, & dicuntur fieri cum segre- Tex. 37.

segregantur, & denominantur à pluri, ac fit quodlibet ex qualibet re, vt ex carne fit aqua, & è contra, sequitur oppositum illius quod dicitur, scilicet quod non potest in vnoquoque esse qualibet res, nam corpus finitum per ablationem finiti tandem consumitur; vt si ex aqua remoueatur caro, & iterum alia, remanebit ita parua quantitas aquæ, quæ propter paruitatem nullam videbitur habere magnitudinem, & sic, vel non amplius ex illa fiet segregatio, & hoc modo non omnia erunt in qualibet re, quia in illa aqua non sunt omnia, cum segregari non possint, vel est dicendum (supple si ponatur adhuc segregatio ex illa aqua) quod in aliqua finita magnitudine, reperiantur æqualiter res finitæ, & infinitæ actualiter secundum multitudinem existentes, quod impossibile est.

Corpus finitum per ablationẽ finiti consumitur.

Tex. 38.

Præterea si omne corpus per remotionem alicuius partis necessariò fit minus, & caro verbi gratia (sicut etiam aliæ res naturales) habet determinatam magnitudinem, & paruitatem; manifestum est, quod quando talis caro, per diuisionem, seu separationem fuerit reducta ad minimam quantitatem, sub qua possit existere, ex illa nullum aliud corpus segregabitur, nam esset minor minima, nec existere posset. Amplius autem in infinitis corporibus sigillatim, scilicet tam in isto, quam in illo reperiretur vtique caro infinita, & anguis, & cerebrum ab inuicem in eodem separata, & tamen entia distincta in natura, & vnumquodque erit etiam infinitum, cum ipsum quoque infinita contineat, secundum prædictam positionem, hoc autem irrationabile est. Vnde alij dicunt nihil segregari.

Tex. 39.

Sed dicere nullam fieri segregationem, non scienter dicitur; hoc est non vniuersaliter (vniuersalium enim est scientia) dicitur tamen rectè, quia de aliquibus est verum, nam passiones & accidentia sunt inseparabilia: quoniam si habitus, & passiones, quæ cum suis subiectis mista, seu coniuncta sunt, separentur ab ipsis, erit aliquid album, seu (melius) albedo, vel sanitas, non existente subiecto, neque de ipso prædicabitur, quod superius improbatum est, vbi diximus accidens sine subiecto esse non posse. Quare irrationalis est intellectus, qui quærit impossibilia, scilicet separare omnia; nam quantitatis partes sunt ab inuicem inseparabiles, quia non datur minima, & sic quacunque parte separata, adhuc datur alia minor in infinitum, vnde nunquam omnes separari possunt: pariter qualitas, & alia accidentia, sunt à suo subiecto inseparabilia. Hic autem intellectus ponebatur ab Anaxagora, quasi causa efficiens vniuersalis omnium, sed efficere ipsius est segregare, vt dicebat.

Irrationalis est intellectus quærens impossibilia. Non datur minima pars.

Tex. 40.

Errat deniq; Anaxagoras, dum assumit generationem, omnium quæ fiunt ex similibus esse partibus, (hic autem accipitur generatio pro re genita, vel pro natura ipsius) nam verum est de aliquibus, vt lutum diuiditur in luta, & ex illis componitur, de aliquibus minimè, vt lateres fiunt ex domo, & domus ex lateribus, sic etiam aer fit ex aqua, & è contra, quæ tamen non sunt similia, seu eiusdem speciei, vt ipse dicebat. Vnde patet error ipsius multiplex, & præcipuus in ponendo principia infinita, quare melius est ponere ea pauciora, & finita, sicut facit Empedocles, qui tantum quatuor posuit elementa pro principio materiali, litem verò, & amicitiam pro efficienti.

SVMMA TERTIA.

De principijs intrinsecis rerum naturalium in communi.

CAPVT PRIMVM.

Probatur principia esse contraria, & plura quam vnum.

OMnes igitur Philosophi in hoc conueniunt, quod principia sint contraria, tam illi, qui dicunt vnum esse ens, & immobile, quam alij; illi namque, vt Parmenides, & Melissus posuerunt pro principijs calidum, & frigidum, seu ignem, & terram, quæ contraria sunt, & licet secundum veritatem ponerent tantum esse vnum ens, tamen secundum apparentiam ponebant esse plura, & sic saluabant contrarietatem, vnitatem, & multitudinem. Alij verò sicut Democritus, & sequaces, ponunt plenum, & vacuum, & plenum vocant ens, vacuum non ens, & præter ista ponunt alia materialia, & particularia principia, scilicet corpora indiuisibilia, seu athomos, in quibus etiam contrarietatem assignant: dicunt namque hæc corpuscula differre positione, vt alia sint sursum, alia deorsum; figura, vt alia sint rotunda, alia triangularia; & ordine, vt alia sint priora, alia posteriora; hæc autem omnia sunt genera contrariorum; alij tandem ponunt rarum, & densum. Tex. 41.

Quod igitur omnes faciunt aliquomodo principia contraria, manifestum est; & hoc rationabiliter. Nam illa debent poni principia, quæ neque ex alijs fiunt, neque ex alterutris, sed ex ipsis cætera, sed primis contrarijs hæ conditiones conueniunt; nam si sunt prima, non possunt esse ex alijs, quod enim ex alijs est, est posterius illis; prout verò sunt contraria, vnum non fit ex alijs, & ex ipsis cætera fiunt, vt statim probabimur, ergo prima contraria sunt principia, & (per simplicem conuersionem) prima principia contraria sunt. Tex. 42.

Quæ sint principia.

Sed oportet hoc ratione considerare, quomodo scilicet contingat omnia fieri ex contrarijs, pro cuius intelligentia supponendum est, quod omnium quæ sunt & fiunt nihil natum est facere, neque fieri indifferenter à quolibet, nisi fortè per accidens, v. g. ex albo non est natum fieri musicum, nisi per accidens, prout scilicet cum albo intelligitur, vel est coniuncta opposita dispositio musicæ. Sed album fit per se ex non albo, & nigrum ex non nigro, non dico indifferenter, sed ex oppositis, vt album ex nigro, seu alio colore medio. Tex. 43.

Non quolibet fit ex quolibet.

Eodem modo dicendum est de corruptione, scilicet quod non indifferenter vnaquæque res in quamlibet corrumpatur, nisi per accidens, vt nigrum non resoluatur in musicum, sed in album, vel alium colorem. Tex. 44.

Corruptio non est in quolibet indifferenter, nisi fortè per acciđs.

Id quod diximus de simplicibus, potest etiam accommodari ad composita, quæ eodem modo se habent, licet oppositiones eorum sint innominatæ, tamen vniuersaliter possunt suppleri per nomina supposita, & sic possumus vocare compositum consonans, & incompositum inconsonans, & applicando dicere, omne consonans fieri ex inconsonanti, & inconsonans ex consonanti, vt domus ex non domo, accipiendo semper consonans, & inconsonans determinatè pro oppositis, & non contingenter, vel indifferenter, quia esset contra prædicta. Tex. 45.

Nihil tamen differt si hæc consonantia, & inconsonantia ap- Tex. 46.

tia applicentur ad ea, quæ fiunt secundum ordinem, vt numerus, vel secundum compositionem, vt domus, vel secundum figurationem, vt Statua, omnia namque modo prædicto fiunt, vt numerus ex non numero, &c. licet secundum alias partes & dispositiones fiat ordo, secundum verò alias numerus; hic enim modus non repugnat prædicto, sed illum supponit, & ad eum reducitur: nam quocunque modo fiant, Statua ex non Statua, ordo ex non ordine fit, & sic de alijs.

Tex. 47. Quæcunque naturalia fiunt, vel corrumpuntur ex contrarijs fiunt vel corrumpũtur.

Sequitur ex prædictis, quod omnia quæ fiunt, & corrumpuntur, ex contrarijs, seu medijs (quæ habent vicem contrariorum) corrumpuntur, & fiunt: & sic omnia naturalia entia, aut sunt contraria, aut ex ipsis constant.

Tex. 48.

Vsque igitur ad hanc positionem de contrarietate principiorum secuti sunt nos quamplarimi Philosophorum: omnes enim elementa, seu principia ponunt esse contraria, quamuis nullam de hoc rationem assignent, sed tantum à veritate coacti. Differunt tamen ab inuicem, nam alij ponunt principia qualitates contrarias priores, vt calidum, & frigidum, alij posteriores, vt humidum, & siccum, alij verò illa dicunt esse principia, quæ sunt notiora secundum rationem, vt par, & impar, concordia, & discordia, alij secundum sensum, vt quatuor elementorum qualitates, calidum, frigidum, &c. omnia tamen differunt in ratione contrarietatis.

Tex. 49.

Quare aliquomodo dicant eadem de principijs, & aliquomodo differunt ab inuicem: differunt (vt plurimis videtur) ex prædictis diuersis positionibus. Conueniunt verò in quadam analogia, seu proportione, quam seruant. Omnes enim talem coordinationem ponunt, vt inter ipsa contraria alia contineant, alia contineantur, vt qui ponunt calidum, & frigidum, asserunt cætera contraria ab ipsis contineri, & ad ipsa, reduci, & sic etiam alij de suis principijs asserunt, vnde patet conuenientia. Conueniunt etiam in hoc, quod vnusquisque ponit vnum contrarium melius altero, vt calidum frigido, &c. Sic igitur alij dicunt peius, alij melius, & alij ponunt id esse principium, quod est notius secundum intellectum, alij quod est notius secundum sensum, vt dictum est. Notius autem secundum intellectum est vniuersale, nam ratio est obiecti vniuersalis, sed notius secundum sensum est singulare, obiecti enim singularis est sensus, saltem in actualiter cognoscendo. Exemplum de vtrisque, magnum & paruum sunt notiora ratione, & sunt vniuersaliora, quia tam in cælestibus, quam in corruptibilibus corporibus reperiuntur. Rarum vero, & densum, sunt notiora sensu, & sunt minus vniuersalia, quia non conueniunt cælo. Sed ista sunt exempla, de quibus non est curandum.

Vniuersale est notũ secundum rationem, singulare secundũ sensum.

CAPVT II.

Principia non possunt esse tantum vnum, nec infinita, sed plura duobus.

Tex. 50.

QVod igitur contraria oportet esse principia, manifestum est ex supradictis. Consequens est autem dicere, an sint vnum, vel duo, vel tria, &c. Sed impossibile est esse vnum, si sunt contraria; nam idem contrariaretur sibi ipsi. Neque possunt esse infinita; quia res naturales non essent scibiles, vt supra probatum est scilicet in textu 35. Item in quolibet genere est vna contrarietas prima tantum, & præcipuè in genere substantiæ; nam de principijs substantiæ loquimur, at genera non sunt infinita, quinimo genus substantiæ est vnum tantum, ergo non sunt infinita contraria. Præterea possunt poni principia finita quod melius est, sicut facit Empedocles, qui ex finitis principijs omnia constituit; sicut Anaxagoras ex infinitis, ergo finita sunt assignanda; quod autem hoc sit melius, notum est, nam ex infinitis, nec ordo, nec ratio principiandi sumi potest, cum non detur primum. Amplius quamuis contraria essent infinita, non tamen essent infinita principia; probatur, nam contrariorum, alia sunt priora alijs, vt sapores medij verbi gratia, & similiter medij colores sunt posteriores alijs, ita vt ex ipsis fiant, at quæ fiunt ex alijs non sunt principia, nam principia ipsa semper debent manere sub ratione principiandi, & numquam habere rationem principiati, ergo cum multa contraria fiant, & habeant rationem principiati, etiam si essent infinita, non tamen essent infinita principia.

Vna cõtrarietas in omni genere.

In infinitis non datur primum.

Principia debent semper manere.

Tex. 51.

Quod igitur nec vnum, nec infinita sint principia, manifestum est ex his prædictis. Cum igitur sint finita, est dubitatio an sint duo tantum constituenda; videtur namque inconueniens. Quomodo enim densitas sit apta facere raritatem, vel è contra, ignotum est, quod etiam de alijs omnibus contrarietatibus dici potest; non enim amicitia litem congregat, & facit aliquid ex ipsa, neque lis ex illa, sed vtraque concurrit ad aliquod tertium efficiendum. Quidam plura recipiunt principia ex quibus constituunt ea, quæ sunt secundum naturam: non tamen distinctè de alijs loquuntur.

Tex. 52.

Vnde adhuc circa hoc, aliquis potest habere dubitationem, nisi supponamus, ipsis contrarijs principijs quandam aliam naturam, nam probauimus principia esse contraria, & de genere substantiæ, & tamen substantiæ nihil est contrarium, ergo si principia sunt contraria, non sunt substantiæ, ergo erunt accidentia, & dicentur, atque erunt in subiecto, & sic non erunt principia, quia quod est in subiecto sicut accidens est posterius ipso & sic non primum; subiectum enim principium, & prius videtur esse prædicato. Vnde cum dictum sit substantiæ nihil esse contrarium, & ista contraria ponuntur, sequitur quod non sint substantiæ, & euenit aliud absurdum, scilicet quod non substantia sit prior substantia, quapropter solutio quærenda est.

Substantiæ nil contrarium.

Subiectum est prius prędicato.

Tex. 53.

Si quis igitur putabit priorem rationem esse veram, illam scilicet, quæ habet, (Quomodo enim densitas sit apta facere raritatem &c. in textu præcedenti) & etiam istam huius textus, necesse est vt ipsis contrarijs subijciat aliud tertium principium, vera namque sunt ambæ rationes prædictæ, quibus moti aliqui ipsum tertium principium assignant, & maximè illi, qui vniuersum, seu omnia entia dicunt esse vnum, isti etenim, vel aquam, vel ignem, vel aliud corpus medium assignant, vt tetigimus supra, textu 32.

Tex. 54.

Quæ positiones, quamuis non sint veræ, vt videbitur in 2. de gener. tamen magis ad verisimile accedit, quæ ponit corpus medium, quia hoc subiectum debet esse

expers

expert contrarietatis, sed elementa habent contrarias qualitates, ergo. Verum est tamen, quod inter ipsa elementa, aer videtur minus de contrarietatibus habere, postea verò aqua.

Tex. 55. *Sed omnes in hoc conueniunt, quod huic subiecto contrarietates assignant, vt rarum, & densum, magis, & minus, abundantiam, & defectum, vt visum est supra textu 32. quæ opinio desuper abundantia, & defectu videtur antiqua, licet non eodem modo ponatur. Antiquiores enim dicunt duo contraria principia agere, tertium vero pati, posteriores verò è contra, vnum agere, & duo pati, & hæc secunda positio est Platonis, qui actionem tribuit Idæis; pati verò materiæ illi suæ, scilicet magno, & paruo.*

Tex. 56. Principia, nec plura, nec pauciora tribus. *Tria igitur dicere esse principia, ex istis rationibus, & alijs similibus, quæ fieri possunt videbitur bene considerantibus rationabile, non autem plura tribus, nam ad patiendum sufficiens est vnum, reliqua verò sunt termini. Si autem quatuor principia contraria ponerentur, essent duæ contrarietates. (Contrarietas enim inter duo contraria est) vnde cuilibet oporteret assignare propriam materiam, seu subiectum, & sic erunt duo subiecta. Hoc autem est inconueniens, quia vnum tantum est sufficiens ad quamlibet generationem, & sic aliud esset otiosum, quod naturæ repugnat, quæ nihil facit superfluum. Præterea impossibile est esse plures primas contrarietates, nam loquimur de principijs substantiæ, quæ est vnum genus tantum, in quo est vna tantum prima contrarietas, & sic si alia principia ponantur non erunt prima, nec vniuersalia, sed particularia, & eiusdem generis cum prædictis; nam in vno genere est tantum vna prima contrarietas, ad quam omnes aliæ reducuntur, vt in genere substantiæ prima contrarietas est inter formam, & priuationem vniuersaliter sumptas, alia verò inter formas, & priuationes particulares. Possunt etiam principia omnium generum, scilicet tam substantiæ, quam quantitatis vocari eiusdem generis secundum rationem principiandi, quia habent modum formæ, & priuationis, vt qualitas, & priuatio eius, &c. & dicuntur reduci ad vnum, non ordine prædicamentali, quia accidens non est in prædicamento substantiæ, sed ratione dependentiæ, quia à substantia, & ipsum, & sua principia dependent.*

In vno genere est vna prima contrarietas. Omnes contrarietates videntur reduci ad vnam.

C A P V T III.

Duo sunt principia per se, materia, & forma, tertium verò per accidens, scilicet priuatio.

Tex. 57. *QVod igitur neque vnum sit elementum, neque plura, duobus, vel tribus, ex prædictis manifestum est. Horum autem principiorum magna est dubitatio, an tria sint, quemadmodum diximus. Sic igitur nos de ipsis determinemus, prout in communi conueniunt omni generationi, & postea de particularibus principijs, & generationibus agamus, nam secundum ordinem naturæ, prius de communibus, & postea de proprijs, & particularibus est speculandum.*

Prius de communibus, postea de particularib. est speculandum. *Pro cuius intelligentia, videndum est primò quomodo secundum modum loquendi diuersimodè dicamus aliquid fieri, & postea idem videbimus secundum rem, & sic patebit intentio, & resolutio istius quæsiti, & pariter quomodo diuersimodè principia concurrant, & quæ, ac quot sint.* Tex. 58. *Dicimus ergo fieri in substantialibus ex alio aliud, & in accidentalibus ex altero alterum, siue in locutione terminis complexis, seu compositis, siue etiam incomplexis, seu simplicibus vtamur, v. g. in simplicibus dicimus, hominem fieri musicum, vel non musicum fieri musicum, in compositis verò dicimus, hominem non musicum fieri hominem musicum, quæ complexio potest fieri ex parte subiecti tantum, vel tantum ex parte prædicati, vel vtroque modo, in quo modo loquendi tria sunt obseruanda, scilicet priuatio, & hæc vocatur oppositum subiectum, & compositum, vt ex immusico fit homo musicus, immusicum est oppositum, homo est subiectum, & homo musicus dicitur compositum.*

Eorum autem quibusdam in opposito vtimur duobus modis loquendi, scilicet in recto, & obliquo, vt ex immusico fit musicus, & immusicus fit musicus. Sed in subiecto loquimur tantum in recto, vt homo fit musicus, non autem dicimus ex homine fit musicus.

Tex. 59. *Eorum autem de quibus incomplexè loquimur est alia differentia inter subiectum, & oppositum, non secundum nomen, sed secundum rem. Differentia est ista, quod subiectum dum fit tale, v. g. album, permanet; sed oppositum non permanet, siue accipiatur oppositum complexè, siue incomplexè, nihil refert, vt homo factus musicus permanet, immusicum verò, seu non musicum non permanet.*

Tex. 60. Materia, & priuatio sunt vnum numero. *Ex quibus sic determinatis, sequitur, quod ex omnibus quæ fiunt, quomodocunque loquamur est accipiendum aliquid, quod subijcitur, & fit tale, quod quidem, quamuis sit vnum numero cum opposito, seu priuatione, differunt tamen secundum diuersam rationem, seu definitionem, non enim eadem est essentia hominis, & immusici. Differunt quoque in hoc, quod subiectum permanet, non autem priuatio, imò si accipiatur tanquam compositum subiectum cum priuatione, neque permanet in tali ratione compositi, vt homo immusicus, & ratio est, quia priuatio adueniente forma non potest manere.*

Tex. 61. *Est tamen obseruandum, quod modus loquendi in obliquo, licet semper conueniat opposito, & factionibus accidentalibus, interdum conuenit etiam subiecto, vt ex ære fit Statua, ex semine homo, tamen in opposito, & non permanenti, idest in accidentibus, vtroque modo loqui possumus, vt ex immusico fit musicus, & immusicus fit musicus. Qui modus loquendi potest applicari etiam complexis cum opposito, & in accidentalibus, vt ex immusico homine fit homo musicus.*

Tex. 62. Generari simpliciter conuenit substantiæ. Secundum quid accidentibus. In omni quod fit aliquid subijcitur. *Cum igitur multipliciter aliquid fieri dicatur, & præcipuè simpliciter, & secundum quid: quorum simpliciter conuenit substantiæ, secundum quid accidentibus; Manifestum est, quod secundum diuersam generationem, diuersa subiecta ponere oportet, & sic subiectum semper requiritur, quod dicitur fieri tale. Vnde quantitas, qualitas, & alia prædicamenta, ex aliquo præsupposito fiunt subiecto, cum in ipso sint, & ex ipso educantur, quod subiectum est substantia, quæ non dicitur de alio, sed alia de ipsa. Quod autem etiam ipsa substantia, & quæcunque sub ipsa continentur, ac dicuntur generari simpliciter, ex subiecto quodam fiant,*

conside-

consideranti fiet vtique per inductionem manifestum, vt plantæ, & animalia fiunt ex semine, elementa vero vnum alterum supponit ex cuius materia fiant, Mista autem ex elementis.

Tex. 63. Quod verò omnia ex subiecto fiant, iterum inducendo declaremus. Nam simpliciter, seu vniuersaliter: alia fiunt per transfigurationem, vt statua ex ære; alia per appositionem, seu augmentationem, vt statua ex luto, alia per subtractionem, vt statua ex lapide, alia per compositionem, vt domus, alia per alterationem, quorum scilicet materia in aliam vertitur, vt acetum ex vino. Omnia autem ex subiectis fiunt.

Tex. 64. Quare ex dictis patet, quòd omne quod fit est compositum, cum necessariò includat subiectum, & formam subiecto aduenientem. Patet etiam quod duplex est fieri, scilicet simpliciter, quod substantiæ conuenit, & secundum quid, quod dicitur etiam fieri hoc aliquid, quod conuenit accidentibus, & potest applicari subiecto, & priuationi, vt homo fit musicus, & immusicum fit musicum. Dicitur autem (vt etiam supra prænotauimus) oppositum priuatio, vt immusicum, infiguratum &c. subiectum vero quod recipit priuationem, & formam, vt homo lapis. &c.

Tex. 65. Manifestum est igitur ex prædictis, quod si illæ sunt causæ, & principia rerum naturalium, ex quibus res ipsæ naturales fiunt per se, non autem secundum accidens, sed essentialiter tanquam ex partibus, quod omnia fiunt ex materia, & forma, ista namque duo (vt visum est) in omni generatione concurrunt. Præterea ex illis fit vnumquodque in quæ resoluitur, sed omnia resoluuntur in materiam, & formam, quod in accidentalibus compositis exemplificari potest, homo enim musicus ideo in hominem, & musicum resoluitur, quia ex ipsis componitur.

Vnumquodque resoluitur in ea ex quibus componitur.

Tex. 66. Vnde patet principalis intentio, quomodo scilicet ex principijs omnia fiant, ex his namque fiunt per se, & essentialiter, scilicet ex materia, & forma. Quæ quidem materia licet sit vna numero cum priuatione, tamen forma, seu definitione, est diuersa, & differunt etiam dupliciter, primò, quia ipsa materia est numerabilis inter entia, & est aliquid tale magis demonstrabile, quam priuatio. Secundò, quia quod fit ex ipsa materia, per se fit, sed ipsa priuatio, quæ dicitur etiam contrarietas, vel pars contrarietatis, est principium per accidens. Forma verò est vnum per se principium, vt ordo, musica, & cætera huiusmodi.

Quomodo materia, & priuatio differant.

Tex. 67. Quo circa ex supradictis sequitur, quod aliquomodo duo sunt dicenda principia, aliquomodo tria, & similiter aliquomodo contraria, aliquomodo non; Dicuntur duo per se, scilicet materia, & forma, tria vero connumerando priuationem, quæ est principium per accidens. Pariter dicuntur contraria si accipiatur forma, & priuatio, vt calidum, & frigidum, musicum, & immusicum. Dicuntur non contraria, quia à se inuicem sine subiecto contraria pati non possunt, ideo subiectum poni debet, quod aliud est ab illis, & hoc non est contrarium, & sic materia non est contraria formæ, nec priuationi, sed tantum contrariantur forma, & priuatio: quare neque principia per se sunt plura, quam contraria, sed sunt duo sicut illa (vt ita dicam numero, re enim vera sunt vniuersalia) Neq; omnia principia sunt duo tantum, sed tria, nam priuatio differt à materia, & forma, imò omnia inter se, aliud enim est esse hominis (qui exemplificando ponitur loco materiæ) aliud esse albi, (loco formæ,) & non albi (loco priuationis.)

Quomodo principia sint duo vel tria, quomodo contraria, & non.

Tex. 68. Quot igitur principia sint rerum naturalium, quæ circa generationem ipsorum versentur, & quomodo tot, dictum est. Et manifestum est quod oportet ponere aliquod subiectum ipsis contrarijs, ipsa vero contraria esse duo, non autem plura, sufficientia enim sunt, nam per absentiam, & præsentiam alterius contrarij, potest omnis mutatio fieri.

Nota quod ista principia sunt tantum rerum generabiliū vnde errant qui assignant materiam cœlo, quod est ingenerabile.

SVMMA QVARTA.

Agitur in speciali de tribus principijs scilicet de materia, forma, & priuatione.

CAPVT PRIMVM.

De materiæ cognoscibilitate; tanguntur etiam quædam de forma, & priuatione, ac recapitulantur omnia supradicta.

Tex. 69. Svbiecta autem natura (scilicet ipsa materia, quæ est subiectum rerum generabilium) cognoscibilis est secundum analogiam, seu comparationem ad res artificiales; vt enim æs se habet ad statuam, vel lignum ad lectum, & similia, quæ formam artificialem recipiunt, & ante ipsam formam dicuntur informia; sic materia se habet ad substantiam complexam, & formam. Vel dicamus, quod sicut per diuersas transmutationes rerum artificialium arguimus ipsis artificialibus formis subijci materiam aliquam, vt dum ex figura Mercurij fit figura Iouis, &c. sic ex diuersa transmutatione rerum naturalium materiam subijci indicamus; est igitur ipsa materia vnum principium, non tamen sic actualiter existens, sicut substantia completa, nec eodem modo ens, cum ipsa sit pars substantiæ, & in potentia ad completam. Aliud principium est ratio, seu forma, & denique tertium priuatio, quæ ipsi formæ contraria est, contrarietate scilicet priuatiua.

Materia est cognoscibilis secundum analogiam ad res artificiales.

Epilogo Tex. 70. Hæc autem principia, quomodo duo, & quomodo plura sint, dictum est in præcedentibus. Diximus namque primò, ea esse contraria, posterius verò quod oportet aliud subijci, & sic esse tria. Ex his autem quæ modo diximus magis patet eorum differentia, & quomodo se habeant ad inuicem, scilicet quod sit subiectum, quod forma, & quod priuatio, & quomodo concurrant ad principiandum. Vtrum autem materia, & forma sint substantia, nondum declarauimus, sed id fiet in 2. phys. sed quod principia sint tria, & quomodo tria, & quis modus principiandi satis ostensum est.

CAPVT II.

Declarantur aliqua, quæ ad essentiam materiæ primæ attinent, per quæ soluuntur Antiquorum dubitationes circa ipsam.

Text. 71. QVot igitur, & quæ sint principia, ex his quæ diximus, consideretur. Quomodo autem vnico modo soluatur Antiquorum dubitatio, dicamus post hæc, quæ diximus, sed prius ponamus positionem illorum.

Quærentes igitur ipsi veritatem, & naturam rerum conuersi sunt ob inexperientiam logicæ, in aliam quandam diuersam viam à veritate: Vnde dicunt non fieri aliquid de nouo, neq; corrumpi. Quod sic probant. Nam quod fit, aut ex nihilo fit, aut ex aliquo; non ex nihilo, (vt omnes concedunt), sed semper oportet esse aliquod subiectum; neq; ex aliquo, quia illud esset de natura eius quod fit, (ex diuersis enim, & dissimilibus, non fit aliquid, velut ex materia)& sic esset ante quam esset, licet non numero saltem specie, at quæ sunt eiusdem speciei habent eandem rationem, quo ad esse, & fieri, & hoc modo iterum possemus quærere de eo ex quo sit factum, & erit processus in infinitum, quare confitendum est, neque ex aliquo, neque ex nihilo factum esse, & sic nullatenus factum; vnde videntur habere intentum.

Tex.72. *Et sic augentes consequentias inferunt, non esse multa entia, sed tantum vnum, qui talem erroneam opinionem acceperunt propter inexperientiam arguendi, vt dictum est.*

Tex.73. *Nos autem dicimus, quod tam ex ente, quam ex non ente, vno modo potest aliquid fieri, & similiter facere indifferenter (dico) ex vtroque, vt dicimus medicum aliquid facere, vel pati, aut ex ipso esse, aut fieri, quomodo nus hoc contingat exactius declaremus.*

Tex.74. *Fieri igitur aliquid ex aliquo, & similiter facere contingit dupliciter scilicet per se, & per accidens. Illud per se fieri, vel facere dicitur, quod à determinata causa fit, & agens determinatum hoc facit, vt tunc dicimus Medicum per se aliquid facere, & ab ipso fieri, quando operatur vt Medicus, vt dum sanat, vel medetur. Per accidens illud dicitur facere, & fieri, quod est coniunctum cum causa per se efficiente, vel fit à tali causa, quæ accidens huiusmodi coniunctum habet, & à tali accidenti sumitur denominatio. Vt si dicamus Medicum ædificare, vel fieri ædificium ab ipso. Esse namque medicum per accidens coniungitur cum ædificatore. Sic ad propositum, cum dicimus aliquid fieri ex ente, vel ex non ente, si per se fiat, ex ente dicimus fieri id quod non est, & hoc significat quatenus non est, ex ente fieri, si vero per accidens, ex non ente fieri dicimus, quam distinctionem ipsi antiqui ignorantes aberrauerunt, & crediderunt nihil fieri, omnemque generationem auferebant.*

Fieri est duplex, per se & per accidens, & similiter facere.

Tex.75. *Dicimus ergo nos nihil simpliciter, seu per se fieri ex non ente, sed ex ipso aliquid posse per accidens fieri, vt ex priuatione, quæ non existit, fit aliquid; non enim fieret compositum per introductionem formæ in materiam, nisi ipsa materia esset priuata forma recipienda. Tamen eis mirabile videtur, & impossibile aliquid fieri ex non ente.*

Tex.76. *Similiter autem dicimus; quod neque ex ente actuali fit aliquid, neque id quod est fieri potest, nisi per accidens, verbi gratia si debet fieri animal, seu hoc animal (loqui enim possumus in vniuersali, & in particulari)non fiet ex animali actualiter existente scilicet tanquam ex materia, de qua loquimur, nam bene fit ex animali tanquam ex causa efficiente) quia ipsum animal cum sit in actu non potest esse pars, seu materia alterius animalis, imò esset animal perfectum; si igitur dicamus, aliquid fieri per se ex ente in actu tanquam ex subiecto, falsum est, sed hoc erit per accidens prout scilicet habet coniunctum ens in potentia, quod vocatur non ens, respectu entis actualiter efficiendi, non tamen simpliciter non ens, seu nihil, sed (vnico verbo) ens non in actu completo, & hoc modo ex non ente, etiam aliquid per se fieri dicimus.*

Tex.77. *Vnde patet, quomodo aliquid fit non simpliciter ex nihilo, nec ex ente in actu, quare nec omne esse, nec omne non esse remouemus.*

Vnus igitur modus soluendi Antiquorum dubitationes est iste de distinctione per se, & per accidens. Alius autem, quod aliquid potest dici ens dupliciter, scilicet in actu, & in potentia, de quibus cum maiori diligentia determinabimus in 9. Metaphys. Fit igitur aliquid ex ente in potentia, quod est ipsa materia, non autem ex ente in actu. Quare per hanc distinctionem, vt dicebamus soluuntur eorum dubitationes, & remouentur aliqua suorum dictorum. Nam propter hoc quod istam ignorabant, auersi sunt à via generationis, & corruptionis, & omnem mutationem negabant, sed cognita ista natura materiæ, soluitur omnis eorum ignorantia. Tex.78.

Ens duplex in actu & potentia.

Alij autem philosophi fecerunt de ipsa materia mentionem, sed non sufficienter. Nam ex eo quod probauimus materiam non esse ens in actu, sed in potentia, & cum priuatione, confitebuntur, quod aliquid fit simpliciter ex non ente, ratione Parmenidis, scilicet quicquid est præter ens est non ens, sed (addebant ipsi) materia est præter ens, ergo est non ens, probabant minorem. Nam quod est idem numero cum priuatione, & tantum ens in potentia, est non ens. Sed materia est huiusmodi, secundum prædicta, ergo est non ens. Hoc autem quod ipsi dicunt non est verum, sed multum differt materia à priuatione. Nam materia dicitur non ens tantum per accidens, prout scilicet cum ipsa priuatione est coniuncta, Priuatio vero est per se non ens. Præterea materia est quidem propè substantiam, imò est quodammodo substantia (dico quodammodo, quia non est substantia perfecta, sed pars) priuatio verò nec propè, nec quodammodo substantia dici potest. Vnde quamuis dicatur vna numero cum ipsa materia, non tamen habent eandem naturam; dicuntur enim vnum numero per accidens, quia priuatio est in materia, sicut hic homo, & albedo vnum numero dicerentur, prout coniuncta sunt, & si re vera homo ab albedine differat. Tex.79.

Differentia inter materiam & priuationem.

Materia, & priuatio quomodo sint vnum numero.

Illi vero qui pro materia posuerunt magnum, & paruum, sicut fuerunt Platonici, siue seorsum, siue simul vtrunque posuerint, in hoc tamen conueniunt cum prædictis, quod asserunt ex nostris rationibus sequi, materiam non esse, si habeat priuationem, & sit in potentia, vt alij arguebant, ponebant igitur ipsi alium modum trinitatis principiorum quam nos, nam ponebāt magnum, paruum, & Idæam, nos vero materiam, formam, & priuationem. Hucvsque tamen processerunt, quod oportet quandam supponi naturam, seu materiam, quam dicunt esse vnam, etiam si magnum, & paruum ponant, non tamen essentialiter differre dicunt. Alterum vero principium scilicet priuationem despexerunt. Sed dicunt, quod materia permanens simul cum forma causa sufficiens est generationis, sicut mater cum semine; altera vero pars contrarietatis, scilicet priuatio, videbitur cuilibet per speculationem intendenti, quod potius tendat ad maleficium, seu corruptionem ipsius compositi, imò penitus nihil esse, & sic non esse principium. Tex.80.

Nos igitur resoluendo dicimus, quod cum detur forma, quæ est quid diuinum, prout magis habet de actualitate, perfectione, & simplicitate, ac per consequens quid optimum, & desiderabile, ipsi est aliquid contrarium, scilicet priuatio; aliud verò, quod natum est ipsam formam appetere, hoc vero est materia. Modo probemus quod necessariò priuatio est principium; materia itaq; appetit formam, aut igitur eam appetit, prout habet aliam formam, & hoc non, quia cum forma habita, & Tex.81.

haben-

Appetitus est propter indigentiam.

Materia appetit formam sicut fœmina masculum, & turpe pulchrum.

habenda sint contraria, tunc appeteret suam corruptionem (dico autem formam ipsam habitam si esset ratio appetendi, suam corruptionem appetere) aut appetit formam quam habet, neque hoc esse potest, quia appetitus est propter indigentiam, sed non indiget eo quod habet; relinquitur ergo quod ipsa materia appetat formam quam non habet, non ratione formæ habitæ. vt dictum est, sed pro vt est priuata tali forma habenda, ratio igitur appetendi est priuatio, & sic ipsa est ratio principiandi, quia nisi esset appetitus, materiæ ad formam, qui est propter priuationem, forma noua non introduceretur, vnde nihil principiaretur. Appetit igitur materia formam propter priuationem, sicut fœmina appetit masculum pro vt aliquo priuatur, & turpe eadem ratione appetit esse pulchrum. Non tamen est credendum materiam esse fœminam (hoc namque est animalium) neque propriè turpem, sed per accidens, & per similitudinem scilicet ratione carentiæ alicuius perfectionis, & pulchri, sicut est forma.

CAPVT III.

Quomodo materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis. Traditur quoque definitio ipsius.

Tex. 82.

Quid per accidens.

Corrumpitur autem & fit vel generatur aliquomodo ipsa materia, aliquomodo non; quatenus enim est id in quo secundum se fit corruptio, seu quatenus est subiectum corruptionis, dicitur corrumpi per accidens, (illud enim est per accidens tale, quod coniungitur cum eo quod est per se tale) sed materia est subiectum corruptionis, nam in ipsa recipitur priuatio, quæ dicit carentiam formæ corruptæ, ergo per accidens corrumpitur. Quatenus vero per se consideratur, pro vt scilicet est ens in potentia, & talis natura, sic est ingenerabilis, & incorruptibilis. Probatur, quia si sit generabilis non poterit generari nisi ex aliqua materia, & similiter si corrumpatur in aliquam materiam corrumpetur, sed materia non est materia, quia informaretur ab ipsa, & sic non esset materia, & quia esset processus in infinitum in materijs, ergo cum alia ante ipsam materia non detur, erit ingenerabilis, & incorruptibilis. Item materiæ natura est subijci, ergo non potest recipi in subiecto, quia esset antequam fieret; quod enim pro subiecto ipsius poneretur, illud esset vere materia, vnde si facienda esset ex illo alia, eadem ratione prima iam facta esset, & sic esset antequam fieret. Est igitur materia subiectum primum vniuscuiusque ex quo fit aliquid cum insit, idest remanente in composito, & si aliquid corrumpitur in hoc vltimum resoluetur. Quare si ipsa corrumperetur erit corrupta antequam corrumpatur, nam dum corrumpitur supponit subiectum, quod materiam voco, & sic ante ipsum subiectum corrupta erit, & hoc modo ante veram materiam.

Materia quid.

Tex. 83.

Formæ dicitur corruptibilis dupliciter.

De principio autem secundum formam abstractam à materia, vt Idea, an scilicet sit vnum, vel plura, & quæ sint, opus est primæ philosophiæ, idest metaphysicæ, tractare, ideo in illud tempus reponatur. De physicis autem, & corruptibilis formis in posterius demonstrandis dicemus; hæ autem formæ physicæ dicuntur corruptibiles dupliciter, vel in ratione actuali informandi, & hoc modo sine discrimine omnes formæ, corruptibiles dici possunt, quia vel cum definitione sui, vel sine, desinent informare; alio modo quod simpliciter desinant esse, & sic est dubium, an omnes formæ possint dici corruptibiles, loquendo philosophicè, & de formis informantibus. Quod igitur sint principia, quæ, & quot numero, sic à nobis determinatum sit. Rursus autem incipiamus in sequenti libro agere de alio principio scilicet de extrinseco, quod est efficiens, & finis, ac etiam de principio motus, quod est natura.

Finis Paraphrasis primi Libri.



ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN PRIMVM LIBRVM PHYSICORVM Aristotelis Quæstiones ad Mentem Ioannis Duns Scoti.

QVÆSTIO PRIMA.

Tunc enim putamus cognoscere vnumquodque cum causas primas cognouerimus, & principia prima, & vsque ad elementa. Tex. 1.

Num ad cognoscendum aliquid, omnes causas ipsius, omniaque principia vsque ad elementa cognoscere eporteat.

IN hac quæstione post argumenta de multiplici cognitione, necnon de quibusdam modis causarum ad rem attinentibus agemus, conclusiones postea responsales habebimus, ac tandem argumenta soluemus.

Argumenta.

Primum. ARguitur ergo pro parte negatiua sic. Vniuscuiusque rei essentia sufficienter per definitionem explicatur, siquidem definitio est quæ explicat naturam rei, at definitio ipsa solum causam materialem, & formalem, vel genus, & differentiam includit, ergo aliæ causæ non requiruntur.

Secundum. Præterea, quod demonstratiuè cognoscitur perfectè cognoscitur; nam demonstratio est quæ facit scire, sed in demonstratione ipsa non ponuntur omnes causæ, imò vna tantummodo, & maximè formalis sufficit, ergo.

Tertium. Item alicuius rei sunt infinitæ causæ, quare si secundum Aristotelem mundus est æternus infiniti homines præcesserunt Socratem successiuè, ita vt vnus fuerit pater alterius, & sic omnes sunt eius causæ in infinitum; at infinitum est ignotum ex primo Physic. tex. 35. ergo, hæ infinitæ causæ cognosci nequeunt, & tamen ipse Socrates est cognoscibilis, quare fatendum est, omnium causarum cognitionem non necessariò ad cognoscendum effectum requiri.

Quartum. Amplius sequeretur quòd in qualibet cognitione Deus, qui est omnium vniuersalissima causa cognosci deberet, hoc autem est falsum, & contra experientiam: siquidem nullæ ferè scientiæ cognitionem rerum circa quam versantur ad Deum ipsum, vt ad causam reducunt, nec aliquam mentionem faciunt; Mathematicus namque quid sit triangulus, vel circulus explicat, Physicus quid motus, quid natura, & alia, nulla de Deo mentione habita. Idem posset dici de prima materia in ordine ad corruptibilia, videlicet eam in quacunq; notitia cognoscendam esse, quod tamen est etiam falsum.

De multiplici cognitione.

Cognitio perfecta, & imperfecta. PRo intelligentia istius quæstionis obseruandum est, duplicem esse (provt ad rem attinet) coguitionem, videlicet perfectam, & imperfectam; Perfecta est, qua aliquid per causas cognoscitur, quæ vel simpliciter quidditatem rei explicant, & sic dicitur definitiua, & incomplexa; vel proprietates ipsius ostendit, & hoc pacto demonstratiua, & complexa vocatur. Hoc tamen inter vtramque interest, quod in quidditatiua, & definitiua cognitione internæ causæ requiruntur, si quidem ipsa est explicatiua naturæ per partes essentiales, vel internas; in demonstratiua verò & internæ, & externæ assumi possunt, vt habetur ex secundo Posteriorum. Imperfecta verò est, quæ non habetur per causas, hoc est neque per definitionem, neque per demonstrationem, siue sit cognitio intuitiua, siue abstractiua, vel alio modo, nihil refert, de his autem alijs cognitionibus in sequentibrs dicemus. Perfecta item cognitio in simpliciter perfectam, & perfectam in genere diuiditur. Perfecta simpliciter, & in genere. Est autem cognitio simpliciter perfecta, qua aliquid cognoscitur omnibus modis quibus cognoscibile est, per causas videlicet omnes, tam propinquas, quam remotas, siue secundum Physicam, siue Metaphysicam, vel Mathematicam, vel aliam quamcunque facultatem, vnde talis cognitio in vnica scientia haberi non potest, sed omnes requiruntur, aliter enim in Physica, quam in Metaphysica, & Mathematica quantitas cognoscibilis est, & per alias causas. Perfecta verò in genere est qua aliquid secundum determinatum modum cognitionis cognoscibile est, vt vel Physicè, vel Mathematicè, quibus modis proportionaliter demonstrationes respondent, ita vt si Physica sit cognitio per causas naturales cognosci debet, & sic de alijs. Vnde non accipitur hic genus pro prædicamento, vel pro supremo, aut medio ipsius, videlicet nec pro generalissimo, nec pro subalterno, sed pro genere scibili, seu pro aliquo determinato modo cognoscendi; potest

test

potest etiam hoc nomen genericę, & perfectæ cognitionis vniuersalius explicari, ita vt aliud genus cognitionis sit definitiuum, aliud demonstratiuum, atque vt supra diximus proportionaliter cuique scientiæ aptari.

De quibusdam modis causarum.

PRo exacta autem eiusdem quæstionis determinatione aliqua de modis causarum dicemus. Causarum igitur alia per se, alia per accidens. Per se aliæ sunt essentialiter, aliæ accidentaliter subordinatæ. Causa per se est, quæ secundum propriam naturam effectum producit, vt ignis calefacit, ædificator ædificat, & similes. Per accidens, quæ non secundum naturam causat, sed ei causalitas tribuitur, propter connexionem, quam cum causa per se habet, vt si ædificator sit albus, dicimus album ædificare, ac esse quoque causam per accidens, quia accidit ædificatori quod sit album, & albo, quod ædificet. Causæ essentialiter subordinatæ, & per se sunt, quæ simul requiruntur ad producendum effectum, sed habent diuersum modum causandi, & vna ab alia in causando dependet, quod intelligitur per illam particulam, (simul requiruntur) vt Sol, & homo in generatione hominis, alius namque est modus causandi Solis, alius hominis: nam Sol ipse per influentiam, motum, & calorem, homo verò per contactum, & decisionem seminis causat, nec Sol sine homine, nec homo sine Sole hominem producere potest, vnde videtur dependentia mutua, vel potius mutuus nexus, nam reuera si vnum ab alio dependet, aliud non dependet ab illo, quia idem esset prius, & posterius respectu eiusdem. Hæ autem causæ sic se habent, quod vna non potest supplere causalitatem alterius, vt Sol cuiusque virtutis, hominis virtutem non attinget, nec homo virtutem Solis, vt dictum est, tamen respectu vniuersalissimæ causæ nimirum Dei, oppositum dici potest, videlicet, ipsum se solo posse efficere, quicquid causæ secundæ possunt, saltem secundum Theologos loquendo; nam apud philosophos est dubium, imò ipsemet Aristoteles philosophorum princeps velle videtur, Deum non agere, nec agere posse sine secundis causis, quod an ita sit, & si de mente eius in octauo physicorum disseremus. Causę vero per se, & accidentaliter subordinatæ sunt, quæ secundum naturam causant, sed sic simul connectuntur, vt vna ab alia non dependeat, ac eundem habeant causandi modum, vt plures homines trahentes nauim: omnes etenim per se trahunt, tamen vnus ab alio non dependet, saltem quo ad illam tractionem, imò virtus vnius sic augeri posset, vt causalitatem, vel tractionem omnium, vel multorum supplere non repugnaret, & hinc patet accidentalis ordo, nam essentialis nec variari, nec suppleri potest. Modo quæstionem quatuor conclusionibus resoluamus.

Causa per se.

Per accidens.

Essentialiter subordinatæ.

Accidentaliter subordinatæ.

Conclusiones.

Prima.

AD cognoscendum effectum imperfectè non oportet neque omnes, neque aliquas causas cognoscere; hoc de se patet, nam cognitio per causas est perfecta, sufficit ergo simplex, vel confusa apprehensio; vt quis imperfectè cognoscit aliquid, nempe equum, vel Leonem, si simpliciter ipsum vidit.

Secunda.

Ad cognoscendum perfectè effectum in genere non oportet omnes causas per se cognoscere, sed secundum genus quo cognosci debet, vt in genere definitiuo sufficit definitio, in demonstratiuo alia causa, quæ ad demonstrandum est sufficiens secundum aliquam determinatam scientiam, vt in physica per omnes, in mathematica per formalem, & sic de alijs. Pro maiori tamen intelligentia duo breuiter annotabimus; alterum est, quòd non quælibet scientia quatuor causas considerat, sed solum physica, & quæ ipsi subalternatur; metaphysica verò materiæ considerationem omittit, at mathematica solum formam contemplatur; quare dum dicitur ex omnibus causis cognoscendum esse, debet secundum conditionem scientiæ intelligi, ita vt in physica secundum quatuor, & sic de alijs. Secundum. Philosophus per principia, causas, & elementa non idem, sed quatuor diuersas causas cum quibusdam causarum modos insinuat, si enim pro eodem hæc omnia acciperentur, esset nugatio, quæ à scientia est reijcienda. Per principia ergo causas efficientes, per causas, finem intelligit, hic namque per excellentiam causa nuncupatur, per elementa verò materiam, & formam, non tantum immediatas, sed remotas; ita vt si velimus verbi gratia hominem physicè perfectè cognoscere, non tantum corpus quod est propinqua materia, ac anima rationalis, quæ est forma propinqua cognoscenda est, sed etiam prima materia, & prima forma, imò hæc propriè elementa vocantur, ex tertio namque de cœlo tex. 31. & ex 5. Metaph. tex. 4. id elementum dicitur, ex quo componitur primo existenti indiuisibili specie in aliam speciem. Primò autem res componi incipit à prima materia, & à prima forma; voco autem hic primam formam (de materia est notum) quæ immediatè nudam materiam informat, vt si ante productionem animæ rationalis, præcessit forma corporis, & ante ipsam forma elementorum, hæc elementorum erit prima ratione compositionis, quia ab ipsa incipit, vltima verò ratione resolutionis, est ergo sensus, ad cognoscendum effectum oportet causam efficientem, finalem, nec non immediatam formam, & materiam, & vsque ad remotas cognoscere, & hoc maximè vbi omnes istæ quatuor causæ considerantur, sicut in naturali philosophia. At si quis dicat; cur etiam de remoto fine, & agente non loquitur? Respondetur, hæc non ita pertinere per se ad rei cognitionem; intelligo autem per causas remotas, quæ non immediatè producunt effectum, sicut pater patris alicuius est ipsius remota causa; aliæ verò nempe Deus, cœli, & influentiæ, vniuersales, & non remotæ sunt: vniuersales inquam, quia ad plures effectus concurrunt, non remotè, quia ad omnes concurrunt immediatè, quare istæ quoque cognoscendæ sunt; idem dicatur de fine remoto, & propinquo, nimirum, illum non necessariò requiri, sed benè istum, videlicet propinquum, ideo de his non opus erat, sic cum distinctione loqui, sicut de internis causis.

Prima forma.

Tertia.

Ad cognoscendum effectum simpliciter, omnes causas per se, & essentialiter subordinatas cognoscere oportet, patet, nam talis cognitio ab omnibus istis causis dependet, quare quacunque dimissa non perfectè effectus cognoscitur. Verum est tamen, quod id non per vnam, sed per omnes scientias faciendum esset, quod fortè pro hoc statu est nobis impossibile, vt in prima quæstione proœmiali visum fuit. Circa hanc conclusionem obseruandum est, quod quamuis dicatur, scientiam vel cognitionem habere principia, causas, & elementa, id non est formaliter intelligendum ita vt qualitas ipsa, vel habitus animæ ex istis constet, sed solum obiectiuè, vt sit sensus, scientiam obiectum, cui prædicta conueniunt, respicere.

Quarta.

Ad cognoscendum effectum, tàm simpliciter, quam in genere, non oportet, neque causas per accidens neque accidentaliter ordinatas cognoscere; probatur, quia istæ nec ad essentiam pertinent, nec cognoscibiles sunt, cum sint, vel possint esse infinitæ.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, maiorem esse veram de cognitione perfecta in genere definitiuo.

Ad secundum similiter, nimirum, quod valet de cognitione

gnitione in genere demonstratiuo.

Ad tertium respondetur, quod infinitæ illæ causæ, vel sunt per accidens, vel accidentaliter subordinatæ, ideo cognoscendæ minimè sunt.

Ad quartum; Respondetur, in cognitione simpliciter perfecta necessariò Deum cognoscendum esse, quoniam est vniuersalissima causa; rationes autem, quæ oppositum ostendere nituntur, de cognitione in genere procedunt, ad quam proculdubio non pertinet Deum cognoscere. Similiter prima materia in simplici cognitione rerum corruptibilium agnoscenda est.

QVÆSTIO II.

Sunt autem nobis dilucida, ac manifesta confusa magis. Tex. 3.

Circa Textum tertium, quæritur quid nam sit primò cognitum.

IN hac quæstione multa sunt necessariò declaranda prius quam ad argumenta, & ad conclusiones accedamus, diuidemus ergo ipsam in sex partes principales, in prima de diuersis cognitionum generibus determinabimus, in secunda de diuersa prioritate cogniti, in tertia quid sit notius naturæ, & nobis ostendemus; in quarta conclusiones responsales, in quinta argumenta, in sexta denique solutiones adducentur.

De diuersis cognitionum generibus.

QVoniam multifariam aliquid cognosci contingit, ideo vt distinctè procedamus, de varijs generibus cognitionis determinandum est. Est igitur duplex cognitio, scilicet sensitiua, & intellectiua, quæ à sensibus, vel externis, vel internis procedit; ab externis est visio, auditio, odoratio, gustatio, & tactio, secundum quod quinque sunt externi sensus; ab internis est etiam (pro modo, & causa exempli, nam in tertio de anima ex professo determinabitur) quintuplex, secundum quod etiam ipsi sunt quinque; nimirum sensus communis, imaginatiua, æstimatiua, phantasia, & memoria; per sensum communem cognoscimus differentiam inter obiecta sensuum particularium, videlicet, dulce differre ab albo in lacte, per imaginatiuam seruamus imaginem, vel speciem obiecti in absentia ipsius, per æstimatiuam ab obiectis sensatis cognitiones non sensatas elicimus, vt agnus, viso lupo, eum sibi inimicum esse existimat: quare ex illa visione sensibilis obiecti, inimicitiam quæ sub sensus externi cognitionem non cadit, elicit. Per Phantasiam imagines ipsas multiformiter componimus, vt maximè dormientibus accidit; per memoriam denique omnia prædicta per aliquod tempus reseruamus, ac memoramur, hi autem interni sensus sunt ad inuicem subordinati, modo prædicto, ita vt à sensu communi incipiat sensatio, & postea ordinatim procedat, ad imaginatiuam, & sic de alijs, saltem quando primò apprehenditur obiectum, nam in alia apprehensione hoc fortè non est necessarium, aliquis enim poterit memorari absque visu, vel sensus communis, vel aliorum; Semper tamen externorum sensuum sensationem supponit, nam ipsi sensus externi sunt veluti ianua, ex qua omnis nostra cognitio incipit, talis est ergo ordo inter internos sensus; ipsi verò externi sic ordinati non sunt, potest enim aliquis videre non audiendo, nec tangendo, nec olfaciendo, aut gustando, vel è contra; exceptis tamen gustu, & tactu: nemo etenim sine tactu gustare potest, siquidem gustus est quidam tactus ex secundo de anima, quamuis non è conuerso; quid igitur sit sensitiua cognitio (prout ad præsens sufficit) dictum est. Intellectiua autem est, quæ ab intellectu procedit, & maximè à sensitiua internoscitur, eo quod per vniuersalia vagatur, quamuis nec singularia excludat, vt in processu patebit. Hæc autem vt elicitur ab Aristotele tertio de anima, tex. 21. & inde est triplex, videlicet intuitiua, abstractiua, & discursiua, quæ alijs terminis simplicium apprehensio, compositio & diuisio, atque discursus vocatur. Intuitiua est rei præsentis, vt præsens est, ac existentis, vt existens est, atque nata causari immediatè à præsentia talis obiecti; & dicitur notanter nata causari, quia non est necesse (saltem secundum Theologos, quod semper ab obiecto causetur,) ipsi etenim volunt, quod in essentia diuina, omnia intuitiuè videantur, quapropter dici potest, notitiam intuitiuam, vel ab obiecto præsenti, vel ab eo quod illud eminentissimè continet causari. Abstractiua verò est cognitio obiecti non vt præsentis, neque vt existentis, sed tantum per speciem repræsentati, sicut est cognitio de pluuia non existente. Discursiua verò est qua de vno ad aliud deuenimus, vt cognito cælesti motu dari motricem intelligentiam cognoscimus. Circa quas cognitiones duo breuiter sunt notanda. Alterum est, quod abstractiua cognitio interdum cum simplici apprehensione, aliquando verò cum compositione, vel diuisione connumeranda est; quando etenim simpliciter vnum concipimus alio relicto, vt animal relicto homine, est tunc simplex apprehensio, & vocatur abstractio præcisiua, sed quando sic abstrahimus aliquid, vt non solum ipsum sine alio apprehendamus, sed vnum ab alio negamus, tunc est cum diuisione, & abstractio diuisiua nuncupatur: vt si abstrahamus hominem à bruto, ac ipsum non esse brutum asseramus. Secundum. Hæc cognitionis diuisio in intuitiuam, abstractiuam, & discursiuam, non est ita propria intellectus, quin quò ad duo prima membra (sensui saltem interno) conuenire possit: sensus namque externi intuitiuè tantum proprium obiectum percipiunt; vnde decipiuntur aliqui asserentes, etiam ipsos sensus externos abstrahere, vt visus videt albedinem lactis, non cognita ipsius dulcedine, hoc etenim non est abstrahere, quia propriè abstractio est rerum, quarum cognitio pertinet ad eandem potentiam, ita vt alterum ab ipsa dimittatur, alterum apprehendatur; sensus itaque interni, & intuitiuam, & abstractiuam habent, nam præsente obiecto, intuitiuè cognoscunt, absente verò abstractiuè; omnes ergo intellectui conueniunt, sed non soli, præter discursiuam: hæc namque est sibi soli propria, ita vt alijs penitus repugnet. Cognitio item abstractiua est duplex, videlicet confusa, & distincta. Confusa est qua aliquod totum sine partium cognitione cognoscitur. Distincta verò est qua aliquod totum secundum partes cognoscitur; quapropter sicut multiplex est totum, ita quoque multiplex est cognitio confusa, & distincta. Totum autem reale, & per se, de quo est ad propositum triplex est, scilicet vniuersale, essentiale, & integrale. Vniuersale est quod prædicatur de pluribus, vt animal de Homine, Leone, & alijs; quando ergo omnia ipsius inferiora cognoscuntur, est notitia distincta illius, & sensui etiam conuenire potest, hoc autem totum etiam dicitur totum potentiale, quia est in potentia ad sua inferiora, quando autem non secundum inferiora cognoscitur, est notitia confusa, & soli intellectui, qui circa vniuersale abstractum versatur, conuenit: quare ipsius notitia solet appellari potentialis distincta, & confusa. Totum integrale est quod constat ex partibus, vel quantis, vel ad quantitatem attinentibus; ex quantis, vt homo ex capite, pectore, & alijs; ex eis quæ ad quantitatem attinent, vt numerus ex vnitatibus. Si igitur hoc totum secundum omnes partes saltem principales cognoscatur erit notitia etiam distin-

Cognitio sensitiua. Externa. Interna. Intellectiua. Intuitiua. Abstractiua. Discursiua. Abstractio præcisiua. Diuisiua. Confusa. Distincta. Totum vniuersale. Integrale.

distinctal, si ignoretur confusa; potest etiam à sensu haberi, nam aliquod totum continuum, & partes eius præcipuas per sensum cognoscere possumus, & sic di-
Essentiale. stinctè, & confusè. Totum verò essentiale est, quod constat ex materia & forma, vel ex genere & differentia, vt homo ex anima rationali, & corpore, vel ex animali, & rationali, quod si absque istarum partium cognitione apprehendatur, confusè, si cum illis, distinctè percipi dicitur; cognitio autem hæc confusa sensui quoque saltem in aliquod particulare communicatur; visus namque Socratem discernit; distincta verò est penitus à sensu aliena, nam neque materia, & forma, neque genus, & differentia sub sensum cadunt. At si quis dicat, neque homo ipse particularis, cum nulla substantia sit immediatè sensibilis. Respondetur à speciebus accidentium simul substantiam singularem, & compositam, quasi in ipsis inuolutam sensui suo modo primò repræsentari; forma verò, & materia discursu indigent. Hæc autem cognitio distincta, quia alijs præcellit, & scientifica magis est, quasi per excellentiam simpliciter distincta à quibusdam (cuius positionem nos quoque sequemur) nuncupari solet, & sibi opposita (quæ per terminum solum est) confusa; circa alias vero, alio modo loquuntur, nam de cognitione totius integralis nullam mentionem faciunt, sed fortè, vel non scientificam, vel ad hanc essentialem reducendam censent. Totum verò vniuersale si secundum inferiora concipiatur distinctum cognitum vocant, si sine illis, confusum, quæ doctrina distinctionis gratia, non est spernenda, atque ex ipsa elicitur, aliquod distinctum posse confusè cognosci, aliquod vero confusum distinctè, & aliquod distinctum distinctè, aliquod verò confusum confusè, vt si animal secundum omnes ipsius species cognoscatur, ignorando definitionem eius, distinctum confusè concipietur; si autem definitio ipsius habeatur, species verò, vel inferiora ignorentur, confusum distinctè scitur. At si & definitio, & species simul sint cognitæ, distinctum distinctè concipitur, sed si neque definitionem, neque inferiora percipiamus, eo modo quo rustici sciunt, confusum confusè habetur. Est tamen notandum, quod hoc triplex totum, vniuersale videlicet, integrale, & essentiale, eidem diuersa ratione competere potest, nam homo in ordine ad particulares est totum vniuersale, in ordine ad membra, integrale, in ordine denique ad materiam, & formam, vel genus, & differentiam est totum essentiale. Notandum est etiam, quod solum cognitionem, quæ habetur per genus, & differentiam, vel per partes essentiales vocabimus distinctam simpliciter, & sibi oppositam, (quæ fit per simplicem apprehensionem) confusam, alias verò secundum modos, vt distincta, & confusa totius potentialis, vel totius integralis, & secundum quid, quod ad euitandam confusionem circa propositam materiam facimus. Notitia præterea abstractiua in actualem, habitualem, virtualem, & potentialem diuiditur. Actualis est qua aliquid actu cognoscitur. Habitualis est cognitio iam habita per præcedentes actus, sed nunc actualiter nihil respicit, vt si non cogitem aliquid de rosa, olim pluries cognita. Virtualis est ex qua aliam educere possumus, vt cognito homine, virtualiter possumus cognoscere risibilitatem. Potentialis est, qua sumus in potentia ad cognoscendum aliquod ex aliqua præcedenti dispositione, vt cognito animali, sumus in potentia ad cognoscenda inferiora eius.

Quot modis aliquid dicatur primò cognitum.

NVnc autem quot modis aliquid primò cognosci dicatur, videndum est. Dicitur ergo aliquod primò cognitum, vel cognoscibile tripliciter, videlicet prioritate originis, perfectionis, & adæquationis.
Prioritate originis id est, quod prius in nobis generat notitiam sui tam in comparatione sensus, quam intel- Prioritate originis.
lectus, ita vt quod primò in sensu sui notitiam producit est primò cognitum sensibile, quod verò in intelle- Prioritate perfectionis.
ctu intelligibile. Prioritate perfectionis est quid perfectius inter obiecta cognita, quam perfectionem, vel ratione entitatis, vel ratione attingibilitatis dicere potest, vt ratione entitatis Deus est perfectissimum cognitum; at ratione attingibilitatis nequaquam, sed quod est magis sensibile, eò quod omnis nostra cogni-
tio à sensu incipit. Prius tandem prioritate adæquatio- Prioritate adæquationis.
nis est, quod omnem cognoscibilitatem potentiæ cognoscentis adæquat, sic videlicet, quod ipsum a tali potentia cognoscatur, nec potentia ipsa aliud cognoscere possit, sed omnia sub ratione ipsius percipiat, vt sonus est obiectum sic primum auditus, quia quicquid ab auditu percipitur rationem soni induitur. Hoc tamen est obseruandum, quod etsi potentia aliqua non possit vltra proprium obiectum extendi, ipsum tamen obiectum à superiori percipi potest, vt quamuis auditus solum sonos percipiat, ipse tamen sonus à sensibus internis, & ab intellectu quoque cognosci potest, nam quicquid potest potentia inferior, potest etiam superior, & plus. Notandum est etiam triplicem hanc obiecti cognoscibilis prioritatem omnem potentiam proportionaliter respicere, aliquod enim prioritate originis à visu percipi potest, & est color, qui primò oculis præsentatur; prius verò perfectionis, est color perfectior, vt fortè albedo; adæquationis est ipsa visibilis qualitas, quæ colores omnes, ac alia visibilia amplectitur, similiter de alijs exemplificetur, vt respectu intellectus, quod prius ipsum mouet est ratione originis primum, quod est nobilius in tota latitudine entis est perfectius, quod verò omnem eius cognoscibilitatem æquat, adæquatũ, quod melius, & resolutè patebit in conclusionibus. Aliqua item nunc explicemus, quæ hanc materiam respiciunt, & præcipuè quæ sint notiora naturæ, & nobis.

Quid sit notius naturæ, & nobis.

DIcitur ergo notius natura, quod ab ipsa præcipuè intenditur, at quia potest aliquid prius intendi, vel ratione originis, vel ratione perfectionis, ideò sibi primò cognitum duplex assignare possumus. Prioritate ergo originis proculdubio sunt causæ, ab ipsis etenim suas inchoat operationes. Perfectionis verò sunt fines, & formę, atque magis fortè, ea quæ ex causis constant, maximè ex materiali, & formali, hęc .n. producere primò intendit, vnde sunt prima in intentione, quamuis in executione vltima. At si quis quærat, quænam est ista natura cognoscens? Respondetur, hic per naturam nos intelligere posse, vel ordinem causarum naturaliter agentium, sicut sunt cęli, eius influentiæ, elementa, & alia particularia, in ordine ad quemlibet effectum, & sic non est intelligendum naturam ipsam formaliter intelligere, vel cognoscere, quoniam causæ naturales vt plurimum sunt cognitionis expertes, sed est modus loquendi metaphoricus, & est sensus. Si natura cognosceret, prius prioritate perfectionis finem, quam ordinata ad finem perciperet, prioritate autem originis, causæ sibi prius notæ essent; attamen quia cognitio ipsius suppletur à propria inclinatione, ideò hoc asserere possumus, ac si verum simpliciter esset. Alij autem per ipsam naturam Deum intelligunt, quem naturam naturantem (ad differentiam creatæ, quam naturatam appellant) vocant, quæ positio quamuis non sit mala, est tamen minus philosophica, quam prima; ipse igitur Deus prioritate perfectionis perfectiores res intelligit, ac prioritate originis (saltē secundum nostrum modum concipiendi) à causis incipit. Sunt ergo prius

cognita

cognita naturę, causę, si de prioritate originis loquamur. Ratione perfectionis effectus perfectiores; hæc autem prioritas perfectionis hoc loco, solum vberioris doctrinę gratia apposita sit, nam in comparando notius naturæ cum eo, quod est nobis notius: nihil refert, solum etenim de notiori ratione originis est ad propositum. Nobis igitur est prius notum, quod est sensui propinquũ, ac interdum causam, quandoque verò effectum esse, fatendũ est, vt plurimum autem effectus sensibiles compositiores, vt totum integrale, vel essentiale respectu partium. Causæ verò dum sensibiliores sunt effectibus, etiam nobis prius notę sunt, ac tunc idem erit notius nobis, & naturæ. Sunt autem notiores causæ respectu effectuũ intentionalium; voco effectus intentionales species, quæ vel sensum, vel intellectum mouent, vel terminant; notius enim est nobis album, vel nigrum, quam ipsorum species in sensu, vel in intellectu causatæ. Quare idem erit nobis notius, & naturæ, quod vocatur etiam simpliciter notius, quia inde simplex, & primus ordo originis dependet, & incipit. Quibus habitis octo conclusionibus quæstionem resoluamus.

Conclusiones.

Prima. PRimò omnium cognitum in comparatione ad quam cunque cognitionem est aliquod singulare sensibile, quod quidem etiam sensitiua cognoscitur cognitione, probatur; quoniam omnis nostra cognitio ortum habet à sensibus externis, ergo ab ipsis incipit, & quia sentire eorum est circa singularia, & sensibilia, ergo, quid autem sit hoc sensibile, & quis sensus, indeterminatum est; tamen modo etiam indeterminato de sensibili dicere possumus, id esse, quod primò sensui præsentatur, ac similiter eum esse sensum primò cognoscentem, cui primò obiectum sit præsens, sine is sit visus, siue auditus, vel alius nihil refert. Verum est tamen, quod obiectum visibile, fortius imprimit species, quam alij, vnde etiam probabile est cognitionem facilius ab eo quam ab alijs incipi. Habita prima sensitiua externa cognitione, succedit cognitio sensitiua, sic namque sensus isti subordinati sunt, vt in præcedentibus visum est.

Secunda. Loquendo de cognitione intellectiua actuali provt videlicet, intuitiuam, abstractiuam, confusam, & distinctam comprehendit. Primò cognitum est etiam aliquod singulare sensibile, & idem quod à sensu cognitum fuit, quod quidem intuitiua, atque confusa cognitione percipitur. Probatur prima pars, nimirum singulare sensibile esse primò cognitum ab intellectu notitia intuitiua: nam potentia, quæ abstrahit aliquem conceptum ab aliquo necessariò prius cognoscit illud à quo abstrahit, quam abstractum, sed intellectus abstrahit vniuersale à singularibus, ergo prius ipsa singularia cognoscit. Item prius est cognitio directa, quam reflexa: at singularia cognoscuntur cognitione directa, vniuersalia verò reflexa, ergo; probatur secunda pars, videlicet, quod ista sit cognitio confusa ea notitia; quæ per definitionē non habetur est confusa, sed hæc non habetur per definitionem, sed simplici apprehensione, ergo. Præterea singularia non definiuntur, ergo non possumus de eis distinctam habere notitiā. At si quis dicat, hanc conclusionem supponere falsum, videlicet singulare ab intellectu cognosci, quod tamen multi negant, quorum sententiam etiam Philosophum ipsum habuisse videtur in 1. Physic. tex. 49. & alibi: ait enim, vniuersale secũdum rationem, notum esse, singulare secundum sensum. Respondetur; Vniuersale dicitur ab intellectu cognosci, provt à sensu excluditur, quasi dicatur, vniuersale solum ab intellectu cognoscitur, sed non è contra. Quod autem intellectus ipse singularia cognoscat in tertio de anima videndum est, tamen ne aliquid diù desideretur, duabus rationibus nunc quoque breuiter idem ostendamus; prima. Discursus est solum intellectus operatio, at ipse circa singularia discurrit, maximè inducendo, inductio enim est à singularibus ad vniuersale progressio, ergo. Secunda; Vnaquæque potentia potest, & proprium obiectum, & quęcunque sub ipso continentur cognoscere, vt visus omnes colores, auditus omnes sonos; sed obiectum intellectus est ens, ergo omnia entia cognoscere potest; cum autem ipsa singularia sint entia, imò, & perfectissima, ratione propriæ existentię, & provt entitates quoq; vniuersaliũ continent, maximè ab ipso cognoscibilia sunt.

Tertia. Primò cognitũ prioritate originis, cognitione actuali intellectiua, abstractiua, & confusa, est minus vniuersale, videlicet species specialissima cuius singulare sensibile fortius mouet sensum, vt si accipiantur hęc omnia vniuersalia, homo, animal, viuens, corporeum, substantia, ens, primò cognoscitur homo, prædicta cognitione, quam alia vniuersaliora, dummodo sit obiectum debitè approximatum, & absque vllo impedimento. Conclusio ergo sic explicata, rationibus quibusdā confirmatur. Prima, omnis causa naturalis non impedita producit nobiliorem effectum quem potest, quia agit secundum totum suum posse, hoc namque est de ratione naturalium agentium; sed intellectus, atque obiectum sunt causæ naturales, & ex suppositis non impeditæ, ergo cognitionem nobiliorem quam possunt, producunt, hæc autem est minus vniuersalis, quia quod magis existit, & alia essentialiter continet perfectius est, ac cognitio quoq; eius perfectior, nam perfectio cognitionis, sequitur perfectionem essendi ex secundo Metaphys. tex. 4. minus verò vniuersalia, magis existunt, & vniuersaliora continent, ergo prius cognoscuntur. At si quis objiciat: hæc naturalia agentia, puta intellectum & obiectum, non esse sine impedimento, vt ratio supponit, nam data quacunque approximatione, & dispositione, adhuc potest impedimentum ex parte sensuum accidere. Hoc nihil valet, imò tantum abest, vt potius contrarium confirmet; si quidem sensus ipsi, tam externi, quam interni, maximè intellectioni fauent, vt in tertio de anima videbimus. Si quis iterum dicat, cum istæ causæ effectum nobiliorem producant, notitiam distinctam, quæ est nobilior confusa, efficere deberent. Respondetur, eas producere effectum nobiliorem quem possunt, sed notitia distincta nō potest primò produci, quia supponit aliam videlicet cognitionem essentialium prædicatorum, ex quibus constat. Secunda ratio. Si prius magis vniuersalia cognoscerentur, tunc multum intercederet tempus ad minus vniuersalia cognoscendum, hoc autem est falsum, & contra experientiam. Tertia, quod est propè singularia prius cognoscitur, cum cognitio à singularibus incipiat, vt visum est; sed minus vniuersale est propè singularia, ergo. Quarta. Metaphysica est vltima secundum ordinem doctrinę, ergo aliæ precedunt ipsam, at ipsæ sunt de minus vniuersalibus, illa verò de vniuersalissimis, ergo minus vniuersalia sunt primò cognita.

Quarta. Quarta conclusio. Primò cognitum cognitione distincta & actuali est magis vniuersale, vt ens, postea substantia, deinde viuens, & sic de alijs. Probatur, quod est causa vt alia cognoscantur est primo cognitum secundum huiusmodi cognitionem, sed magis vniuersalia cognoscuntur distinctè, quoniam per ipsa minus vniuersalia definiuntur; homo namque definitur per animal, ergo. Prӕterea quod minus indiget ad sui cognitionem facilius cognoscitur, sed magis vniuersalia sic se habent in cognitione distincta, eo quod partibus vel prædicatis essentialibus carent, vt ad cognoscendum distinctè ipsum ens, nullum aliud prædicatũ requiritur, ergo facilius cognoscitur, quā ea quæ plura expostulant; similiter ad definiendam substantiam pauciora requiruntur, quam ad definiendũ corpus, & ipsum similiter pauciora includit, quā viuens, & sic de alijs. Sed est obiectio Arist. in 2. Post. cap. 15. asserentis, facilius esse singulare definire, quam vni-

vniuersale. Respondetur, ibi loqui de modo compositionis.

Quinta. Primò cognitum cognitione habituali, siue confusa, siue distincta non est determinatum, sed ad libitum, vel secundum intensiorem habitum; verbi gratia si hominem animal, & alia confusè, & distinctè cognoscam, intellectus potest ferri, vel ad eam quam vult, vel si naturaliter absque voluntatis imperio moueatur, ad eam cognitionem voluitur quam intensiorem, vel vsitatiorem habet. Hæc conclusio ex se patet, nam species intensiores facilius, & primò mouent.

Sexta. Primò cognitū prioritate perfectionis est perfectius, eo quod ab aliqua potentia cognosci possit, hæc conclusio nota est ex secunda parte quæstionis, vbi quot modis aliquod dicatur primò cognitum, determinauimus. Et in eadem quoque de primo cognito secundum adæquationem dictum est.

Septima. Primò cognitum cognitione virtuali est proprietas, quæ facilius ab essentia definitiuè cognita cognoscitur, nam hoc modo cognoscere est habere virtutem cognoscendi ex alia præcedenti distincta cognitione, at ex ipsa elicitur cognitio proprietatis propinquioris, vt cognito hominem esse rationalem, risibilem, vel flebilem esse virtualiter cognoscimus, quia hæ proprietates à ratione procedunt, quod causa exempli intelligendum est.

Octaua. Primò cognitum cognitione potentiali est, quod immediatè in vniuersali continetur, sicut fortè est minus vniuersale, vt post cognitionem entis sumus statim in potentia ad cognoscenda decem prædicamenta. Hæc igitur sunt, quæ ad habendam diuersam notitiam, breuiter, & faciliter colligere potui; quæ nullam, vel paucam habent oppositionem, præter id quod in tertia conclusione habetur, quod vt melius elucescat, argumentis aduersariorum maximè Thomistarum oppugnabitur.

Argumenta contra tertiam conclusionem.

Primum. Thomistarum opinio. NAtura procedit de imperfecto ad imperfectum, vt notum est, prius enim producit embrionem, quam corpus organizatum, & hoc prius quam animam, & sic de alijs. Sed cognitio magis vniuersalium est imperfectior ea, quæ est minus vniuersalium, ergo ipsa magis vniuersalia primò cognoscuntur naturaliter à nobis.

Secundum. Sicut se habet cognitio complexa ad complexè cognitum, ita incomplexa ad incomplexè, maximè si fiant ambæ ex eisdem terminis, sed ratione complexæ cognitionis vniuersalissima primò cognoscimus, hoc etenim principium impossibile est idem simul esse, & non esse, notissimum omnium est, vt habetur 4. Metaphys. tex. 9. & alibi, ergo termini ex quibus constituitur debent esse notissimi, nam cognitio principij supponit terminorum notitiam, & sic ens, vel esse est inter omnia notissimum.

Tertium. Si quis à longe aliquid videat, prius esse ens aliquid, postea animal, deinde hominem apprehendit, ergo prius magis vniuersale, quam minus cognoscitur.

Quarta. Aristoteles in hoc primo physicorum tex. 3. nobis confusa magis, nota esse asserit, at magis confusa sunt magis vniuersalia, vt ex conclusione eiusdem in sequenti textu colligitur; ait enim, quapropter ex vniuersalibus ad singularia procedere oportet, ergo.

Quintum. Illud est primò cognitum, quod est facilioris abstractionis, vt nos quoque concedimus, at hoc est magis vniuersale, ergo. Probatur, minor, id facilius abstrahitur, quod pauciora actualiter continet, sed sic se habet magis vniuersale; nam à minus vniuersali, & ipsum, & quamplurimæ differentiæ continentur.

Sextum. Quod est causa essendi alijs, est etiam causa cognoscendi, sed vniuersalissima sunt causæ essendi minus vniuersalibus vnde accipiuntur, vt partes ipsorum, ergo ipsa magis vniuersalia prius cognoscibilia sunt.

Septimum. Potentia prius fertur circa proprium obiectum, quam circa aliquod, vel per accidens sibi iunctum, vel secundariò, vt visus prius circa colorem qui est obiectum proprium, quam circa quantitatem, vel singularem substantiam in qua subiectatur color, versatur. At obiectum intellectus est ens, atque circa vniuersale versari dicitur ex primo phys. tex. 49. ergo prius ens, ac vniuersale magis, quam minus cognoscit.

Octauum. Totum prius confuse cognoscitur, quam partes, vt habetur in hoc libro textu 4. Sed magis vniuersalia sunt tota, minus verò dicuntur partes subiectiuæ, ergo; neque dicatur ibi Aristotelem solum de toto essentiali, vel integrali locutum fuisse, nam in illo exemplo pueri primum quidem omnes viros patres appellant, & matres fœminas, apertè se de toto vniuersali locutum fuisse ostendit, aut saltem ipsum cum alijs includere voluit.

Nonum. Id quod omnibus est facilioris cognitionis est prius quoque cognoscibile; at vniuersale magis sic se habet, ergo, probatur minor, nam de quacunque re facilè omnes noscunt esse ens, vel substantiam, vel accidens; difficiliter tamen quid sit secundum propriam naturam, & differentiam. Hæc sunt præcipua argumenta, quæ in hac difficillima materia fieri possunt; quæ si adæquatè soluantur, in suo robore conclusio remanebit, soluamus ergo.

Solutiones Argumentorum.

AD primum respondetur, maiorem esse veram, si natura aliquod habeat impedimentum, sed in cognoscendo impedimentum hoc non ad est, vt dictum est in eadem conclusione. Imò, & propositio prædicta de facto non vniuersaliter verificatur. Cor etenim in productione animalium prius, quam aliæ partes, generatur, quod tamen est perfectissimum. Similiter notitia principiorum, quæ est nobilissima, prius à nobis quam notitia conclusionis acquiritur.

Ad secundum respondetur, similitudinem illam, seruari secundum eandem proportionem, ita vt sicut complexa cognitio illa vniuersalissima est distincta, ita termini, & significata ipsorum distinctè concipiuntur, vnde concedimus ens, & alia vniuersalissima prius distinctè cognosci quam minus vniuersalia vt in quarta conclusione determinatum est.

Ad terminum respondetur propter distantiam, vel impedimentum à longè prius aliquid sub ratione magis communi cognosci, quam sub minus communi. At si quis instet, sicut magis commune à longè habet maiorem virtutem mouendi, ergo multò magis dum est propè, sicut si ignis procul existens calefacit, & propè plus calefaciet, quare vniuersalia debitè approximata magis mouebunt intellectum, ac per consequens prius, atque facilius cognoscentur, quam minus. Respondetur, hanc rationem de maiori virtute agendi, nihil valere in intentionalibus, seu quæ ab obiectis ad potentias cognoscentes fiunt, vt expresse habet Arist. primo de Cælo tex. 117. quamuis etenim qui tantum centum libras portare possit, etiā nonaginta, & alias infra centum possit, tamen qui videt, vel cognoscit magnam quantitatem, vel distantiam, non oportet vt paruam quoque percipiat, oppositus est enim modus agendi realiter, & intentionaliter, cuius ratio esse potest, quia potentia operatiua realis, & naturalis est actiua solum, ideo si potest in maius, potest in minus operabile, vt ignis qui magnum lignum comburit etiam paruum comburere potest. Sed potentiæ cognitiuæ partim sunt actiuæ, partim verò passiuæ,

ratione

est communis respectu subalternatæ, vt Aritmetica respectu Musicæ, Geometria respectu Perspectiuæ, & sic de alijs; dicuntur tamen Metaphysica, & Logica simpliciter communes; prout non in ordine ad vnam, vel aliquas tantum, vt subalternantes, sed ad quascunque communitatem retinent, vt dictum est. Aliæ sunt scientiæ, quæ nullam habent communitatem, sed proprijs gaudent principijs, & demonstrationibus, & hoc modo se habet naturalis philosophia, & quamplurimæ aliæ, præcipuè omnes vltimatæ subalternatæ, quæ inquam sic propria habent principia, vt alijs non inseruiant, quamuis aliena non excludant, aliter Logica, & Metaphysica, nec non subalternantes omnes, frustra communia haberent principia.

Principia communissima. Notandum est etiam, quod in qualibet scientia sunt quædam principia in suo genere communissima, quædam verò propria. Communissima sunt, quæ omnibus particularibus in tali scientia consideratis aptari possunt, & sunt complexa, vel incomplexa. Complexa sunt propositiones notissimæ, vt in Metaphysica, de quodlibet est affirmatio, vel negatio, & similes; in Philosophia naturali, natura agit propter finem, motus est, plura entia sunt, & aliæ. Incomplexa in Metaphysica, Deus, vltimus finis, in Physica omnes quatuor causæ. Propria sunt secundum determinatam materiam, videlicet particulares rerum definitiones, & causæ, vt definitio temporis, & aliorum. At in naturali philosophia incomplexa principia possunt etiam vocari principia essendi, prout videlicet dant esse rebus naturalibus, quę si assumantur in demonstratione erunt quoque principia cognoscendi, nam principium essendi est etiam cognoscendi, vt alibi dictum est. Principia verò complexa, quædam sunt principia cognoscendi à priori, sicut propositiones assumptæ ad demonstrandum effectum de causa, vel proprietates de subiecto. Quędam sunt tantum principia à posteriori, quæ videlicet sunt omnibus nota, vt ista; motus est, plura entia sunt, & dicuntur principia, quia ex ipsis concessis, vel negatis, multa, & ferè omnia naturalia, quamuis à posteriori, construi, vel destrui possunt. Vnde ea concedere, vel negare, non parum, sed plurimum refert ad veritatem philosophicam habendam, vel auferendam. Notandum est denique, quod quæcunque principia communia negentur, siue complexa tam à priori, quam à posteriori nota (sic namque breuiter complexum principium diuidi potest) siue incomplexa, quæ sunt principia essendi, cætera illius scientiæ pereunt, eò quod ab ipsis pendent, nec est vnde auxilium eis in tali scientia tribui possit, quia nihil est notius principijs, & quamuis aliqua sint à posteriori nihil refert, imò ferè omnis nostra cognitio ab istis incipit. De principijs verò particularibus opposita est ratio, possunt enim per vniuersalia probare, vt si quis negaret hominem esse corruptibilem, vel mistum, facile est probare; at si quis omne constans ex materia corruptibile esse negaret, vel materiam esse potentiam contradictionis, maior esset difficultas. Ex prædictis tres dignæ dubitationes circa textum incidentes soluendæ sunt.

Propria.

Dubitationes quædam circa textum.

Prima. QVomodo Parmenides, & Melissus rerum principia negabant, si asserebant ipsarum rerum principium esse vnum ens, &c. asserere namque principium esse, non est ipsum negare. Respondetur, aliquid dupliciter negari contingit, videlicet expresse, & implicitè, vt si quis diceret, aliquem non esse patrem alicuius, expressè eum esse patrem negaret. Si quis verò diceret esse patrem, sed nullum habere filium, negaret implicitè; est enim impossibile esse patrem sine filio, vnde qui tantum vnum relatiuum ponit, dicendo verbi gratia solum pater est, virtualiter sibi contradicit, maximè in relatiuis secundum esse. Expressè ergo prædicti Philosophi principia entium non negabant, vt ratio probat, sed bene quidem implicitè: dicendo etenim ens esse rerum naturalium principium, ita tamen, quod omnia sint idem penitus cum ipso principio, & nullo modo distincta, sicut dicunt; est virtualiter perimere principium, quia principium in ordine ad principiatum dicitur, ergo si nullum est principiatum, sed omnia sunt penitus idem cum ipso ente, procul dubio principium non erit, & sic ipsum negant. Secunda; Quomodo prædicti Philosophi negauerunt principia rerum naturalium, negantes motum, & entium pluralitatem, hæc namque potius effectus, quam principia sunt. Secunda. Respondetur, hæc esse principia à posteriori, & nota ad sensum, ex quibus negatis, etiam alia negantur ex consequenti, quia hæc sunt nobis notissima. Vel dicatur, quod secundariò negant principia essendi, & à priori, quoniam in naturalibus, remotis necessarijs effectibus, aufertur etiam causa, vt si auferatur calor omnis, aufertur quoque ignis. Quare si negetur motus, & natura, quæ est principium ipsius, aufertur, & pariter remota rerum naturalium pluralitate, etiam productiua ipsarum principia tolluntur. Est autem animaduertendum, quod hæc principia nota ad sensum, possunt dici complexa, & incomplexa, prout cum verbo substantiuo, vel sine ipso sumuntur, vt si aliquis dicat motus est, erit principium complexum, si quis verò motum simpliciter neget, incomplexum negat, at virtualiter sunt semper complexa, quia includunt existentiam, vel esse, quam nisi includerent non essent sic principia ad sensum nota. Tertia; Quomodo Aristoteles contra ipsos disputaturus assumit pro principio quod probare intendit; Tertia. prædicti etenim motum negant, ipse verò eum esse supponit his verbis. Nobis autem supponatur ea quæ sunt natura, aut omnia, aut quædam moueri; non ne hæc est manifestissima petitio principij? Respondetur, non esse intentum Aristotelis probare contra prædictos motum, sed hoc ad aliud probandum supponit. At quid dicemus de alio supposito in textu 13.? supponit namque ens dici multipliciter, & tamen id probandum assumit, & multis exequitur rationibus. Respondetur, ipsum arguere ad hominem, videlicet secundum ipsorum principia, non etenim negabant decem genera saltem secundum vocem, sed ea in vnica materia, atque natura indistinctè contineri asserebant, ex quorum positione bene arguitur. Nunc resolutionem quæstionis aggrediamur.

Conclusiones.

PRima. Philosophus naturalis non debet disputare contra negantes sua principia communissima, siue complexa, siue non, siue à priori, siue à posteriori; probatur, quia ex negatis principijs nihil ad ipsa pertinens concludi potest. Sed id est Metaphysici munus, quare secundum habitum Metaphysicum id efficere potest, sicut ipse quoque Aristoteles facit. Quod maximè verum est si omnia negentur, quia si vnum, vel plura admittantur, reliqua per ipsum probari possunt.

Secunda. Si aliquod particulare principium negetur disputare debet, remanet namque via per communia errores confutare, quod pariter intelligendum est in qualibet alia facultate, confirmatur auctoritate Arist. in hoc lib. tex. 11. vbi ait, simul autem neque conuenit omnia soluere, sed quæcunque ex principijs aliquis demonstrans mentitur.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur ad minorem, Metaphysicum ipsum disputare contra negantes principia non penitus, sed aliquid concedentes, saltem significationem

tionem vocis, vt in eodem quarto Metaphys. est videre, aliter non, quare nec Metaphys. nec alter artifex, contra omnia negata principia differere debet. Si verò aliquid concedatur, potest, maximè Metaphys. qui est communis artifex.

Ad secundum, respondetur. Philosophum per principia Metaphys. disputare, vt expressè declarat, & efficit.

Ad tertium. Vnamquamq; scientiam auferre debere errores, qui ex suppositis principijs eueniunt, asserimus, eos verò qui non eueniunt ex ipsis suppositis, nequaquam, quæ responsio est eiusdem Arist. tex. 11.

QVÆSTIO IIII.

Principium autem maximè omnium proprium; quoniam multipliciter dicitur id quod est. Tex. 13.

Circa textum tertiumdecimum, quæritur, vtrum ens vniuocè de Deo, & creaturis, de substantia, & accidente dicatur.

QVæstio hæc proculdubio penitus Metaphysicalis existit, & ipsam in quarto eiusdem Metaphysices libro tractare decreueram; tamen vt quorundam studiosorum auditorum tam longam temporis intercapedinem abhorrentium voluntatibus satisfaciam, Metaphysico habitu induens, Aristotelisque exemplum sequens, hic de ipsa qua potero breuitate, & facilitate agam; & vt distinctius procedam eam in septem secabo partes. In prima opiniones aduersariorum cum fundamentis apponam. In secunda de natura æquiuocorum, Analogorum, & Vniuocorum pertractabo. In tertia de triplici vniuocatione, & quatuor eiusdem gradibus dicam. In quarta de vnitate conceptus ipsius entis. In quinta quomodo ad inferiora contrahatur ostendam. In sexta conclusiones responsales. Et tandem in septima solutiones argumentorum adducentur.

Opiniones cum fundamentis.

Prima opinio. QVatuor circa hanc quæstionem opiniones diuersas inuenio. Prima est quorundam Græcorum, quam sequi videtur Porphyrius, hi etenim ens æqui-
Secunda. uocè dici de omnibus affirmant. Secunda est Thomistarum, qui nec æquiuocè, nec vniuocè, sed analogicè ab
Tertia. inferioribus participari statuunt. Tertia est Aureoli, & aliorum quorundam, qui & analogiam, & vniuocationem, & æquiuocationem ab ente ipso auferunt, & so-
Quarta. lum conceptum quendam confusum ei tribuunt. Quarta tandem, quam sequemur est Scoti, qui vniuocum esse omnibus entibus realibus affirmat; pro prima ergo opinione sic arguitur.

Primum pro prima opinione. Quod solum secundum nomen ab alijs participatur, æquiuocum est, vt patet ex definitione æquiuocorum; at ens est huiusmodi respectu Dei, & creaturæ, substantiæ & accidentis, ergo; probatur minor, nam licet omnia dicantur ens, rationes vel conceptus eorum sunt diuersi, alia etenim est ratio substantiæ, alia accidentis, alia Dei, alia creaturæ, ergo.

Secundum. Præterea Aristot. in hoc lib. 1. Physicorum tex. 13. ens multipliciter dici asserit; at quod sic dicitur æquiuocè dicitur, vt ex ipsorum quoque æquiuocorum definitione liquet, habetur etenim, rationem ipsorum esse diuersam, quod idem est, ac si diceremus, esse multiplicem, vel multipliciter dici.

Tertium. Item, omne vniuocum habet per se vnum conceptum ab vniuocatis distinctum; hunc verò ens ipsum habere non potest, ergo: maior est nota; probatur minor, si ens proprium conceptum haberet, remanerent alij quoque conceptus particulares inferiorum; hi autem non essent entia, nam ponuntur ab ente distincti, vnde essent nihil, quod est absurdum, si igitur quocunque habito conceptu de ente adhuc sua inferiora sunt ens, ille conceptus entis non est abstrahibilis, & per consequens nullum proprium, sed multos simul sub vno nomine habebit; sic autem est æquiuocum, & habetur intentum. Possunt pro hac opinione omnia argumenta adduci, quæ ens vniuocum non esse probant, sustinendo, videlicet omne quod nõ est vniuocum, æquiuocum esse, sic, quod inter vniuocum, & æquiuocum medium non detur, de cuius veritate dicemus in hac quæstione.

Pro secunda opinione potest sic argui, & erit quartum argumentum in ordine. Arist. 4. Metaph. tex. 2. nec non 7. eiusdem operis tex. 15. ens non æquiuocè, sed analogicè de omnibus entibus dici affirmat, quod vt clarius innotescat, verba eius ad literam afferamus, in 4. ergo tex. 2. sic ait. Ens autẽ multipliciter quidem dicitur verum ad vnum vnamque quandam naturam, & non æquiuocè, sed quemadmodum salubre ad sanitatem, quoddam eò quod conseruat: quoddam, eo quod facit: quoddam, eò quod signum sanitatis, &c. In 7. verò tex. 15. hæc sunt ipsius verba. Oportet etenim aut æquiuocè ista esse, aut cum additione, vel ablatione, sicut & quod non scibile, scibile: nam rectius est neque æquiuocè dicere, neque eodem modo, sed quemadmodum medicinale, eò quod ad idem quidem & vnũ, non autem idem & vnum, non tamen etiam æquiuocè, &c. hæc igitur sunt verba ipsius, ex quibus manifestissima analogia entis apparet, prout ab æquiuocatione, & vniuocatione distincta est, nam de æquiuocatione expressam mentionem facit; de vniuocatione est notum per illa verba (non autem idem & vnum) vniuoca verò sunt vnum & idem in vniuocatis, vt per eorum definitionem notum est. Vniuoca namque dicuntur, quorum nomen est commune, & essentia, vel natura eadem. Quid clarius? — Quartum pro Thomistis.

Amplius id analogum dicitur, quod prius, seu nobilius conuenit vni, quam alteri, at ens prius & nobiliori modo conuenit Deo, quam creaturæ, substantiæ, quam accidenti, ergo. — Quintum.

Præterea quod conuenit alijs in ordine, vel gratia alterius prius conuenit illi alteri ad quod alia ordinantur; sed ens conuenit accidentibus in ordine solum ad substantiam, ergo ipsum ens prius de substantia, quam de accidente dicitur, & sic analogicè; maior est per se nota; minor habetur ab Aristot. 7. Metaph. tex. 14. & 4. eiusdem tex. 2. ait enim in septimo. Quemadmodum enim & ipsum est, inest quidem omnibus, non tamen similiter, sed huic quidem primò, illis verò consequenter, ita & ipsum quod quid est, simpliciter substantiæ cæteris verò quodammodo. Et in 4. t. 2. ait; Ens multipliciter quidem dicitur, sed totum ad vnum principium. — Sextum.

Nunc pro tertia opinione argumenta adducamus, sit igitur septimum in ordine. Quod conuenit alijs absque vlla additione, sed immediatè, non dicit æquiuocationem, nec vniuocationem, neque analogiam, prout nec nomen solum, nec vnitas naturæ, nec ordo aliquis seruatur, sed ens sic omnibus conuenit: nihil enim ipsi addi potest vt communicetur, eò quod quicquid est, ens est, vnde additum ab eo cui additur non differt, & ex alia parte omnibus conuenit, & sic sunt plura entia in nullo vniuersali conuenientia. — Septimum pro tertia opinione.

Item quod non est indifferens ad differentias diuidentes, sed necessariò semper stat cum altera ipsarum, conceptum per se communem non habet, sed potius est idem cum ipsis differentijs sine vniuocatione, æquiuocatione, & analogia, sed ens sic se habet, ergo, maior videtur — Octauum.

videtur manifeſta, quia eo quod non eſt indifferens, & vnum non eſt vniuocum; eo quod non ſolum nomen, ſed natura eius in illis reperitur non eſt æquiuocum, & prout non participatur in ſua communitate cum ordine non eſt analogum, minor probatur; quia ens diuiditur per abſolutum, & reſpectiuum, ſeu per ſubſtantiam, & accidens, nec datur, quin ſit accidens, vel ſubſtantia, reſpectiuum, vel abſolutum, ergo per ſe non eſt indifferens ſecundum vnum aliquem conceptum, ſed omnia ſimul confuſè. Modo contra vniuocationem ſimpliciter arguamus, & ſit nonum argumentum in ordine.

Nonum. **Contra vniuocationẽ entis ſimpliciter.**

Quod eſt vniuocum aliquibus deſcendit ad ipſa per aliquas differentias, vt animal ad hominem per rationalitatem, ad bruta per irrationalitatem. Sed ens non ſic deſcendit; ergo; maior eſt euidens, probatur minor; omnis differentia eſt extra rationem illius cuius eſt differentia, ita vt ipſum de differentia prædicari in quid non poſſit; non enim rectè reſponderetur (ad interrogationem, quid eſt rationalitas) Animal. Sed ens prædicatur in quid de qualibet differentia; de quacunque etenim re poſſumus ad interrogationem factam per quid eſt, reſpondere, ens; ergo nullam habet differentiam contrahentem, & ſic vniuocum non eſt.

Decimum.

Item ſi ens eſſet commune vniuocum; ipſum eſſet genus, quod tamen ab omnibus negatur. Probatur conſequentia, quia genus prædicatur in quid, & vniuocè de pluribus ſpeciebus, & hoc modo etiam ens prædicaretur, quod autem ſit falſum, patet, nàm genus eſt extra rationem differentiæ, vt dictum eſt; ſed ens à nullius ratione excludi poteſt, præter quam quod, ſi ens eſſet genus, & differentia eſſet ens, ſicut re vera eſſe debet, eſſet in qualibet definitione nugatio, quia videlicet, in genere diciur ens, & in differentia pariter, bona autem definitio à nugatione debet abeſſe.

Vndecimũ.

Amplius. Vniuocum eſt ſuperius vniuocatis, vt patet de animali reſpectu Hominis, Leonis, & aliorum, ſed nihil eſt ſuperius Deo, ergo ipſi non eſt aliquod commune vniuocum cum creaturis.

Duodecimum.

Præterea. Vniuocum eſt potentiale, & contrahibile ad vniuocata; ſed reſpectu Dei non poteſt eſſe aliquid tale, ergo; maior eſt clara; minor probatur; quia omne, quod potentiale, & actuale includit eſt compoſitum, & hæc eſt præciſa ratio compoſitionis ex 2. de anima tex. 7. Deus verò eſt ſimpliciſſimus ex 8. Phyſicorum, & 12. Metaphyſices, ergo.

Tertiumdecimum.

Denique finitum, & infinitum, dependens, & independens, creatum, atque increatum, non poſſunt vniuocari in aliquo, quia eſſent eiuſdem naturæ; ſed Deus eſt infinitus, independens, & increatus, creaturæ verò ex oppoſito, ergo.

De natura Vniuocorum, Aequiuocorum, & Analogorum.

Vniuoca.

PRo determinatione ergo, prius quid Vniuoca, Aequiuoca & Analoga ſint, determinare oportet. Vniuoca igitur dicuntur, quorum nomen eſt commune, & ratio, ſeu definitio, vel conceptus, ſubſtantiæ, ſeu eſſentiæ eſt idem ſecundum illud nomen; quare ratio non debet ſolum pro definitione accipi, ſed pro quocunque conceptu explicante, vel repræſentante naturam aliquam; aliter genera generaliſſima non eſſent ſuis inferioribus vniuoca, quia veram definitionem, quæ ex genere, & differentia conſtat, non habent, ſimiliter ſubſtantia pro eſſentia, vel natura accipi debet, aliter in accidentibus non eſſet vniuocatio, quod falsũ eſt, ſic enim color vniuocè de albedine, & nigredine dicitur, ſicut animal de homine, & Leone. Ex definitione vniuocorũ expreſsè patet, ea aliquem conceptum per ſe communem diſtinctum ab vniuocatis habere; ſi etenim rationem communem, & eandem omnibus inferioribus habent, proculdubio non debet eſſe conuertibilis cũ aliquo particulari, ſed ex ſe ab omnibus præſcindens, vnde Porphyrius in capite de differentia, Animal nec rationale, nec irrationale eſſe affirmat, quaſi quid commune ab iſtis diuerſum. Ex prædictis infero, quod ſecundum illam communem rationem æqualiter ab vniuocatis participari debet; nam ſic eſſentiam ſignificat; at eſſentia eſt indiuiſibilis, ſeu non ſuſcipit ſub ratione eſſentiæ magis, & minus, ergo non poteſt, niſi æqualiter participari, aliter non participaretur, dixi tamen notanter ſecundum naturam vniuerſalem, quia ſecundum peculiarem benè accidit variatio, circa quam multi decipiuntur, v.g. tam homo, quã aſinus æqualiter nomẽ animalis participant; ſed homo dicitur perfectior ratione propriæ differẽtiæ, quæ (vt diximus) in animalis conceptu non clauditur.

Aequiuoca.

Aequiuoca dicuntur, quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ ſecundum illud nomen eſt diuerſa: Accipiatur proportionaliter hic ratio pro conceptu, & ſubſtantia pro eſſentia, vt omnibus aptari hæc definitio poſſit. Diuiduntur æquiuoca, nam alia à caſu, alia à conſilio dicuntur. A caſu, quorum nomina immediatè ſuper plura æquiuocata abſque ordine cadunt; vt hæc vox canis ſic latrabili, marino, & cęleſti conuenit. A conſilio, quorum nomina prius vni, poſterius alteri applicantur, eò quod aliquo modo eſt etiam participatio naturæ non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, quare quaſi conſilio moti, ea eodem nomine nuncupamus, quo pacto homo æquiuoce de viuo, & picto, vel mortuo dicitur, pictus namque ad ipſius naturam repræſentandam, mortuus vt eius pars exiſtit, quæ quidem æquiuoca à conſilio etiam analoga dici poſſunt, vt melius patebit, dũ analoga ipſa explicabimus, quod nunc fiet.

Analoga.

Analoga igitur ſunt in duplici diſcrimine, alia namque attributionis, alia verò proportionis, vel ſimplicis analogiæ nuncupantur. Analoga attributionis ſunt, quæ ordinem, vel dependentiam ab vno principali habent, & dicuntur attributionis, prout ipſi attribuuntur, vel ad ipſum ordinantur, vel ab ipſo dependent, & eadem de cauſa dicuntur analoga ad vnum, & ab vno; hoc modo ſe habet homo pictus reſpectu veri, viuus reſpectu mortui, dięta, & medicina in ordine ad ſanitatem, & quamplurima alia. Quæ quidem cum vniuocatione, & cum æquiuocatione eſſe non repugnant, ſi etenim eadem participent natura, nobiliori, vel ignobiliori modo, vel ſecundum aliquem ordinem, profectò vniuocationem admittunt, hoc pacto ſe habet infinitum reſpectu magnitudinis, motus, & temporis; nam infinitum ipſum ſecundum veram rationem infinitatis omnibus iſtis conuenit, vt habetur in 6. Phyſicorum tex. 4. & 18. & alibi, & ſic vniuocè, tamen quia prius conuenit magnitudini, quam motui, & huic, quam tempori: cum hac vniuocatione analogia manet, vt expreſsè idem Philoſophus in 3. Phyſicorum tex. 70. fatetur; dicit namque. Infinitum autem non eſt idem in motu, magnitudine, & tempore, tanquam vna, & quædam natura; ſed dicitur ſecundum prius, & poſterius, ecce analogia, quæ non vnam & quandam naturam, (ſupple ſecundum eumdem ordinem) participatam dicit. Manet etiam analogia iſta cum æquiuocatione; & hoc modo homo analogicè, & æquiuocè de viuo, & mortuo, de vero, & picto, & ſimiliter ſanum de animali, & dięta, dicuntur; nam naturam communem non participant; qua propter qui dicunt, omnia nomina formaliter ſeu ſecundũ præciſam rationem ſumpta, vel eſſe æquiuoca, vel vniuoca, quia vel habent eandem naturam vel diuerſam, ſi eandem ſunt vniuoca, ſi diuerſam, æquiuoca, non malè dicunt, quia inter idem & diuerſum formaliter non datur medium, ſed valent ſicut idem, & non idem, quæ contradictoria ſunt, nec medium admittunt. Vtraque autem hæc analoga per attributionem, tam videlicet æquiuoca, quam vniuoca, per ſe ad eandem ſcientiam pertinent; de vniuocis non eſt dubium, de

æquiuocis probatur; nam per se medicina de homine sanando, de sanitate, diæta, ac medicamentis pertractat, & tamen nulli dubium est, quod æquiuoce sanum de omnibus istis dicitur; quamobrem asserentes subiectum scientiarum debere esse vniuocum, vel saltem nullatenus æquiuocum, toto aberrant cęlo; Analogia etenim expresse admittitur ab Aristotele 4. Metaph. tex. 2. & 3. Physic. tex. 70. æquiuocatio verò cum analogia attributionis iuncta, ex scientia Medicinæ iam patet. Vnde solum æquiuocum à casu, à scientiæ consideratione remouerem, necnon analoga secundum proportionem; hæc verò, quæ per attributionem dicuntur, siue vniuocè, siue æquiuocè, alias ego vniuoca respectu finis appellaui, provt ad vnicum finem dicuntur. Analoga verò per simplicem proportionem sunt, quęcũque habitudinem, vel similitudinem adinuicem habent; est enim

Proportio quid.

proportio rerum differentium eadem habitudo, hoc autem modo se habent cor, & aliud membrum principale in animalibus carentibus corde, vel os, & spina, & multa alia, vt rector nauis, & familiæ, quæ nec nomen, nec naturam communem denotant, vt patet, sed solum res diuersas cum aliqua habitudine, & hæc indubitanter dicerem ad scientiam aliquam non attinere, nisi vtendo ipsis pro similitudine argumentandi, vt fit in Logica, præcipuè in Topicis.

De triplici vniuocatione, & quatuor gradibus eiusdem.

NVnc autem iterum ad vniuocationem, cuius intelligentia maximè hoc negotium concernit, accedamus. Triplex ergo est vniuocatio, videlicet, Physica,

Vniuocatio Physica.

Metaphysica, & Logica. Vniuocatio Physica est conuenientia aliquorum in vnica natura specifica, sic omnes homines in natura communi hominis vniuocantur, quæ Physica dicitur, quia hæc vniuocata in materia propinqua conueniunt, videlicet, vel in semine, vel in corpore eiusdem rationis, Physicæ autem proprium est res materiales secundum debitas dispositiones considerare, vnde meritò hoc nomen huic vniuocationi mutuat.

Metaphysica.

Metaphysica est conuenientia in natura magis abstracta, vt quæ conueniunt in substantia, vel alio genere generalissimo, aut etiam subalterno, sumpta denominatione à modo abstrahendi metaphysicali, qui motum, &

Logica.

materiam propinquam dimittit. Logica verò vniuocatio est conuenientia in aliqua secunda intentione, quo pacto animal, color, quantitas, & alia sub ratione generis vniuocantur, dicuntur etenim æqualiter genus; quæ vniuocatio sic sumpta à prædicatione denominatiua differre non videtur, vnde ab aliquibus, quod sic pręcicatur, vniuocum prædicatum dicitur; quod verò modis alijs prædictis, vniuocè prædicari; volunt etenim,

Vniuocè prædicari.

quod prędicari vniuocè sit prædicari essentialiter, siue in quid, siue in quale, ita vt genus, & differẽtia essentialis vniuocè prædicentur, vt habet Aristoteles in prædicamentis capite de substantia. Vniuocum autem pręcatum

Vniuocum prædicatũ.

est, quod secundum idem nomen, & eandem rationem de pluribus dicitur, siue essentialiter, siue non, nihil refert, & hoc pacto genus est vniuocum prædicatum de animali, colore, & alijs, quoniam nomen generis, & prædicari de pluribus differentibus specie, quod est ratio ipsius, omnibus æqualiter aptatur, sic dicatur de omnibus denominatiuis, vt de nigro respectu corui, carbonis, &c. quamobrem vniuoca prædicata ratione prædicta dicuntur; denominatiua verò, provt ab essentialibus distinguuntur; hæc est igitur quorundam doctrina, quæ non est spernenda. Fortè autem bene etiam erit dicere, Logicam vniuocationem esse, dum secundæ intentiones de alijs inferioribus prædicantur, vt iste, genus est vniuersale, syllogismus est oratio, vniuersale est ens rationis, & similia. Nunc autem ad vberiorem doctrinam de gradibus vniuocationis aliqua dicamus. Quatuor sũt igitur vniuocationis gradus. Primus

Quatuor gradus vniuocationis.

est, quãdo aliquid communicatur pluribus secundũ eandem rationẽ, & nomen secundum eundem modum essendi, secundum eundem ordinem essentialem, & secundũ eundem gradum perfectionis essentialis, & hoc modo species specialissima suis inferioribus vniuocatur: homo etenim secundum eandem rationem, & nomen, necnon secundum eundem modum essendi, est in omnibus suis indiuiduis, similiter namq; humanitas est in Socrate sicut in Platone, hoc est per modũ dependentiæ in vtroque; pariter secundum eundem ordinem essentialem, qui non per prius dicitur de vno, quã de alio, sed immediatè de omnibus, & similiter secundũ eundem gradum perfectionis essentialis: quia in indiuiduis non est specifica differentia per quam gradus perfectionis essentialis variari possint. Secundus gradus est, quando aliquid descendit in sua inferiora secundum eandem rationem, secundum eundem modum essendi, & secundum eundem ordinem essentialem, non tamen secundum eundem gradum perfectionis essentialis, & sic genus in species vniuocatur, æqualiter enim participatur, & secundum modum essendi, provt similiter cum eadem dependentia est in omnibus, & pariter secundum eundem ordinem, quia immediatè, eò quod species non habent ordinem, ita vt vna sit prior, quam alia in ratione generis, non autem communicatur secundum eundem gradum perfectionis essentialis, quia vna species est perfectior alia, non ratione generis, sed propriæ differentiæ, quod tamen sufficit; quare quod est vniuocum, hoc modo, potest vocari æquiuocum in comparatione ad primum modum, provt à perfecta vniuocatione recedit: & primo modo respondet vniuocatio Physica, huic verò, & alijs sequentibus Metaphysica; de Logica non est ad propositum, quia vel illa non est vera vniuocatio, vt visum est, vel si saluetur circa entia rationis, poterit suos admittere gradus omnes secundum maiorem vel minorem vniuersalitatem: quod autem hic gradus ad æquiuocationem accedat, Aristoteles ipse septimo Physicorum tex. 31. testatur, atque ibidem de diuersis vniuocationis gradibus expresse loquitur, ne quis credat esse commentum, vel inuentionem Scotistarum. Tertius gradus est, quando aliquid inferioribus vniuocatur secundum eandem rationem, & modum essendi, non tamen secundum eundem gradum perfectionis essentialis, neque secundum eundem ordinem, vt numerus omnibus speciebus numeri secundum eandem rationem, & modum essendi, conuenit: tamen alij sunt perfectiores alijs, atque ordo variatur, quia prius est numerus binarius, quam ternarius, & sic de alijs. Tandem aliqua sunt vniuoca solum secundum eandem rationem, vel nomen, ea scilicet, quæ nec eundem modum essendi, nec eundem gradum perfectionis, nec ordinem, respiciunt, sicut est ens; alio enim modo est in Deo, quia independenter, alio in creaturis, similiter alius est ordo, quia etiã prius in ipso descendit, aliter denique est gradus perfectionis; retinet ergo solum eãdem rationem, & nomen, vnde est imperfectissimus gradus, sicut primus est perfectissimus, & sic consequenter. Quod autem de ente diximus, sit causa exempli, ne credatur nos supponere, quod probare intendimus, hoc est, ens vniuocè de omnibus prædicari, perfunctoriè dictum sit, quia in conclusionibus, ratione manifestum erit. Vt autem nihil quod necessariò requiritur, dimittatur, de vnitate conceptus entis dicamus.

De vnitate conceptus entis.

IN præcedentibus, vniuoca conceptum communem per se ab inferioribus distinctum habere statuimus; reliquum est, vt idem de ente suadeamus, & sic

ordine

ordine, vt decet, paulatim ad finem accedemus. Videndum est autem primò quid & quotuplex sit conceptus. Est igitur conceptus (prout ad præsens fat est) apprehensio alicuius rei ab intellectu, qui ad similitudinem conceptus animalium in vtero dicitur; tunc enim primò animalia ipsa concipi dicuntur, cum semen virtutem immediatè formatricem obtinuerit; sic quando primò cognoscitur aliquid, concipi dicitur, quamuis interdum pro inuentionibus quibusdam elegantibus ipsius intellectus, non immeritò accipiatur, duplex tamen est conceptus, videlicet formalis, & obiectiuus. Formalis est ipsamet apprehensio, vel operatio, seu cognitio intellectus, qui potius conceptio, quam conceptus nuncupari deberet, sicut de materiali quoque dicendum est, puta, quod illa apprehensio feminis cum radicatione (vt ita loquar) conceptio, & non conceptus dicenda esset. Alius est obiectiuus, qui nihil aliud est, quam res, vel obiectum cognitum, sicut materialis conceptus est res ipsa concepta. Hi autem duo conceptus sunt ita subordinati, vt ex vnitate, vel pluralitate vnius, vnitas, & pluralitas alterius sequatur; vnica enim res vnica apprehensione percipitur, & plures pluribus, loquendo de cognitione incomplexa. Videamus modo si ens vnicum habeat conceptum, sic videlicet, quod ex se concipi possit absque omni inferiori, & si hoc erit, faciliter vniuocationem colligemus. Quod igitur proprium conceptum habeat, sic probatur; quod apprehenditur sine alijs habet proprium conceptum ab illis distinctum, quia apprehensio non terminatur ad nihil, sed ens potest sine inferioribus apprehendi, ergo; probatur minor, quoniam de quacunque re possumus dubitare, an sit hoc, vel illud, & tamen certè scimus, quod sit ens, ergo conceptum entis ab alijs distinctum apprehendimus. Quod Thomistæ confirmant; ens namque primò concipi, quam sua inferiora, dicunt. Præterea. Intellectus certus de vno, & dubius de duobus, habet alium conceptum illius de quo est certus ab eo de quibus est dubius, aliter idem esset dubius, & certus, vel certus, & non certus. Sed habemus conceptum de aliquibus, quod sint entia, dubitamus si sunt substantiæ, vel accidentia; ergo habemus proprium conceptum entis à substantia, & accidente distinctum. Sed aliquis dicere posset, hoc nihil valere, quia etiam possumus hoc de his, quæ nullum communem conceptum, sed solam communem vocem habent enunciare, vt si essent canis terrestris, & piscis marinus, qui dicitur canis alicubi absconditi simul, & vnus eorum moueretur, atque quis esset ignoraremus, canem tamen moueri sciremus, non hunc, vel illum, ergo communem, & tamen non habent commune, nisi nomen, ergo non colligitur ex præcedenti ratione vnitas conceptus, sed nominis. Respondetur disparem esse rationem, quia re vera in hoc exemplo solum nomen colligimus in ratione canis, & si alia ratione, puta substantiæ, vel animalis, rem colligimus, sed tunc est vniuocatio, at in præcedenti, si quis rectè senserit, etiam rem percepetit: nam cognoscendo aliquid esse ens, ipsum verè esse comprehendet, & sic non solum nomen percipiet. Notandum est tamen, quod ratio hæc, non multum à præcedenti differt; tamen quia hæc est ipsius Scoti, eam apponere volui. At si quis quærat, conceptus iste vniuersalis, & obiectiuus entis, vbi fundatur. Respondetur in inferioribus, sicut animal in Homine, Leone, & alijs. Si quis iterum dicat, ergo est singularis, quia quod cum singularibus est, etiam singularitatem sortitur. Negatur consequentia, simultas enim non infert identitatem; vnde quamuis accidens sit simul cum substantia, non tamen est idem cum ipsa. Dicimus ergo, quod dantur naturæ communes ex parte rei seclusa quacunque operatione intellectus, quamuis sint semper cum singularibus, vt est alia ratio singularitatis in Socrate, alia verò humanitatis; nam humanitas ipsa non est singularitas, imò ex se est communicabilis pluribus, & si ratione vnionis cum singularitate non possit, sicut materia sub vna forma existens, sub alijs esse nequit, licet hoc ei ex se non repugnet. At si quis dicat, ergo naturæ communes sunt tot, quot singularia, & sic infinitæ essent naturæ communes Hominis, Leonis, & aliorum, quod absurdum, & indignum est; vna etenim est communis hominum natura, vna Leonis, &c. Respondetur, non esse inconueniens plures esse naturas communes, cum singularitate tamen iunctas, vnde simpliciter addere, ergo sunt plures, est fallacia de secundum quid ad simpliciter, quia communitas in communi ab omnibus abstrahit. Quod verò tales naturæ dentur probatur. Seclusa quacunque operatione intellectus, magis conueniunt Socrates, & Plato, quam Socrates, & hic asinus; non in nihil, quia hoc non est conuenire, non in singularitate, quia per hanc sunt diuersi, ergo in natura humana communi. Item similia, æqualia, & eadem fundantur in eadem natura communi: sunt enim similia, quorum qualitas est eadem; æqualia, quorum est eadem quantitas; & eadem, quorum est eadem substantia non eadem numero, quia sibi ipsi aliquid non dicitur simile, nec æquale, nec item aliquid est idem specie sibi ipsi, si propriè, & non sophysticè loquamur; at similitudo, æqualitas, & identitas, cum sint relatiua realia reperiuntur in natura, ergo est aliquid eis commune præter intellectus operationem, idem dicatur de quolibet relatiuo. Amplius omnis scientia est de communibus, vel vniuersalibus non secundæ intentionis, quoniam hoc pertinet ad Logicum, ergo primę, ergo de realibus. Tandem si vniuersalia, vel naturæ communes essent solum per intellectum ab vniuersalibus rationis non differrent. Dantur ergo naturæ communes ex parte rei, & sic datur natura communis entis, quæ in inferioribus reperitur, apprehenditur tamen sine ipsis, sicut apprehendimus albedinem parietis, nihil de pariete considerando, quæ tamen nisi esset in pariete, intellectus deciperetur; sic etiam si ens, & alia vniuersalia in natura non essent, intellectus ea considerando, vt vniuersalia, mentiretur: sicut si hominem esse asinum, vel Socratem vniuersalem enunciaret. Cur ergo non ita dicere potest, Petrum esse vniuersalem, sicut hominem? non alia de causa quidem, nisi quia Petrus ex parte rei non est communis, homo verò sic: aliter si solum ex voluntate fieret, & Petrus, & quodcunque aliud vniuersale fieri posset, quod ridiculum est. Maneat ergo ens ex parte rei habere communitatem, quæ vt ab intellectu apprehenditur, conceptus obiectiuus dicitur, nec est rationis, sed realis, sicut ens, quod in natura reperitur reale est. Quod autem sit realis probatur, quia ens rationis non prædicatur in quid, prędicatione exercita, de ente reali; si enim quæratur quid est homo, non respondetur conuenienter, genus? Sed ens prædicatur in quid de ente quocunque reali, vt quid est homo, vel Deus, est ens, ergo est conceptus ipsius realis. Notandum est tamen, quod ens diuiditur per ens rationis, & reale, tanquam quid æquiuocum, quoniam ens rationis solum nomen entis possidet: est enim propriè ens, quod in natura existit, vel existere potest, seclusa quacunque intellectus comparatiua collatione: quod quidem existere, non sic presse sumitur, quod per se esse denotet, hoc namque est proprium substantiæ, sed quod sit, siue cum alio, siue non; dicitur etiam seclusa operatione collatiua intellectus, per quam fiunt secundæ intentiones; alia verò, quæ per talem operationem non fiunt, vt scientiæ, notitiæ, & ipsæ formales operationes quæcunque, tam collatiuæ, quam rectæ inter entia realia adscribuntur. Dum ergo ens vnicum conceptum, & realitatem habere asserimus de ente reali loquimur. At quomodo ipsum contrahatur reliquum est videre.

Conceptus quod, & quotuplex.

Conceptus formalis.

Obiectiuus.

Dantur naturæ communes.

contrahentis, & essentialiter qualificantis, ideò prædicari in quale essentiale sibi tribuitur, generi verò, quia sic non qualificat solum prædicari in quid; ex quo infero, quando aliquid non se habet vt pars potentialis non prædicatur in quid; & hac de causa ens de proprijs passionibus, & de vltimis differentijs in quid, prædicari nequit, quia cum sint simplices, non includunt ens vel vt partem, vel quasi partem, ex quibus patet error quorundam Scotizantium, asserentium, ideò ens nô dici in quid de passionibus, & vltimis differẽtijs, quia illa essent communicabilia, nesciunt quidem quid dicant, nonne prædicatur in quid de indiuiduis, quæ incommunicabilia sunt? sed dimittantur. Prædicari essentialiter est denotare, quod sit de natura eius, siue sit prædicatio in quid, siue in quale, & hæc prædicatio est superior ad prædicationem in quid; ita vt quod in quid prædicatur, essentialiter quoque dicitur, & non è conuerso. Dum igitur dicimus ens vniuocè prædicati, essentialiter, & in quid prædicari intelligimus; nam de inferioribus, & de omnibus quibus vel compositio, vel pluralitas conceptuum non repugnat, in quid dicitur, ex ratione prædicandi in quid, in qua prædicatione Deus, & omnia quæ sunt directè in prædicamentis includuntur; simplicia verò, vt passiones, & vltimæ differentiæ, eo quod naturam entis non subterfugiunt, sola essentiali prædicatione continentur, prædicatur igitur ens vniuocè de omnibus entibus realibus, probatur, quia vnica ratio & vnum nomen

Probatur conclusio.

eius ab omnibus participatur. Est enim ens reale, quod habet esse præter intellectus operationem, sed omnia sunt huiusmodi, præter entia rationis, ergo,

Præterea quod habet vnum conceptum communem omnibus est illis vniuocum, sed ens sic se habet, vt visum est, ergo. Item, per cognitionem creaturarum venimus in cognitionem Dei, vt Philosophus per motum colligit motorem; hoc autem fieri non posset, si Deus & creatura in nihil conuenirent, conueniunt ergo, & non nisi in entitate, quia in alijs differunt, ergo ens est eis commune; si autem dicatur hanc esse communitatem nominis, & æquiuocam, nihil valet, quia hoc non est conuenire, neque habere aliquẽ verum conceptum, vt supponimus. Denique inter æquiuoca non est contradictio, quoniam esse debet ad idem secundum idem, & eodem modo, aliter committeretur fallacia elenchi, sed circa ens formatur vera contradictio, imò hoc primum omnium principium, de quolibet est affirmatio, vel negatio: vel impossibile est idem simul esse, & non esse, super ens fundatur, ergo non est æquiuocum, ergo vniuocum, nam analogum non æquiuocum ad vniuocum attinet.

Argumenta.

AD primum. Negatur minor; ad probationem respondetur; rationẽ Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis esse diuersam secundum suam peculiarẽ naturam, non in conceptu entis; sicut alia est ratio, vel natura Hominis, alia Leonis, & tamen in animali vniuocantur.

Ad secundum respondemus, Aristotelem per multiplicitatem entis plura entia contra vnum numero probare, non æquiuocationem, & vnico verbo intelligi suppositorum, vel inferiorum, non autem significationis multiplicitatem.

Ad tertium. Negatur minor, ad probationem respondetur, inferiora ipsa remanere sub alijs particularibus conceptibus, vt sub conceptu animalis, rationalis, & similium; quando autem dicitur hos esse ens, verum est identicè, nõ autem formaliter, sicut homo est idem cum animali, non tamen formaliter, & adæquatè, intelligo formaliter sic, quod vnicus sit conceptus.

Ad quartum. Respondetur, Aristotelem per analogiam illam, vniuocationem non excludere, vt expresè patet, dum æquiuocationem negat, sed ordinem in inferioribus insinuat, quasi dicat, perfectius est ens substãtia, quam alia genera, quod neque nos negamus, imò cum vniuocatione analogiam admittimus. At si quis contra Aristotelem, & nos simul insurgat, nimirum, quod ex illis textibus habetur expressa ęquiuocatio, & si ore negetur, quia sanum æquiuocè dicitur de animali, dięta, & alijs, vt nos quoque in præcedentibus côfessi sumus. Respondetur, Aristotelem non multum de exemplis curare, vt per omnia eius opera est videre, vel dicatur, quod comparatio illa attenditur non ex parte naturæ, sed solum ordinis, ita vt sit sensus; sicut omnia dicuntur sana in ordine ad animal, sic omnia sunt entia in ordine ad substantiam, sed inferre, sanum dicitur æquiuocè, ergo ens, est contra propositum.

Ad quintum eodem modo satisfieri potest, nimirum analogiam vniuocationem non auferre. Similiter ad sextum.

Ad septimum. Negatur minor, nam ipsi enti additur aliquid, quod licet sit identicè, vel realiter ens, tamẽ formaliter alium conceptum particularem dicit.

Ad octauum. Negatur minor, quoniam ens in sua ratione sumptum non est absolutum, nec respectiuum, sed ad vtrumque indifferens, sicut animal in se non est rationale, nec irrationale, sed indifferens & vtrumque solum permissiuè.

Ad nonum dicitur, sat esse, quod vniuocum per modos extrinsecos descendat.

Ad decimum negatur consequentia, quia non sufficit ad hoc, vt aliquod sit genus, quod prędicetur de pluribus speciebus in quid, sed requiritur, quod immediatè species respiciat, nam ipsa species est suum correlatiuum: ens verò non ad speciem immediatè refertur, sed ad transcendentia. Similiter non est nugatio, si ens cum modo intrinseco, vel aliqua differentia sumatur, quia sunt rationes diuersæ.

Ad vndecimum respondetur ad minorem, nihil esse superius Deo, ratione dominij virtutis, & nobilitatis, sed ratione prędicationis, & vniuersalitatis, nullum est inconueniens; nam esse hoc modo superius non est habere maiorem perfectionem, sed minorem.

Ad duodecimum dictum est, quomodo in Deo non sit ratio compositionis propter infinitatem, vel quia modi intrinseci hoc non efficiunt.

Ad tertiumdecimum negatur maior, quoniam esse finitum, & infinitum, creatum, & increatum, dependens, & independens est ex parte naturæ particularis talium; non autem ex parte entis, ipsum enim præscindit, vel est indifferens ad omnia hæc, vnde possunt in ipso conuenire, & rationibus particularibus differre.

Restat, vt quid Porphyrius de entis ęquiuocatione sẽserit, explicemus, habet igitur ipse in capite de specie hęc verba; sed in familijs quidem plerumque ad vnum reducuntur principium, v.g. ad Iouem, in generibus verò, & speciebus non sic se habet, nec enim est commune vnum genus, omnium ens, &c. ex quibus verbis apertè colligitur, ipsum non simpliciter vniuocationem negasse, sed eam negasse ad modum generis, ita vt non sit vniuocum vt genus, sed vt transcendens, quod concordat cum vltimo gradu vniuocationis, hoc etenim ipsum ens vniuocum poni debet, & non alijs.

Opinio Porphyrij de æquiuocatione entis.

Ens est vniuocũ secundum vltimum gradum vniuocationis.

QVÆSTIO V.

Nullum enim aliorum separabile est præter substantiam, omnia namque, &c. Tex. 14.

Circa textum 14. quæritur an accidens sit à subiecto separabile.

QVæstio hęc secundum duplicem viam tractari, atq; resolui potest, videlicet secundum naturalẽ cursum naturæ, & secundum Dei absolutam potentiam, vtroque

modo pro viribus determinabitur, & hoc ordine procedemus. Primò de diuersitate accidentium dicemus. Secundò de ordine naturæ. Tertiò de potestate Dei absoluta. Quintò conclusiones. Sextò argumenta contra ipsas, ac denique, Septimò solutiones adducentur.

De diuersitate accidentium.

NOn posset Quæstio hæc ad determinatam, & intentam resolutionem ordinatim reduci, nisi multiplicia, quæ in ipsa occurrunt, (ne confusionẽ gignant) dilucidentur. In primis ergo de diuersitate accidentium differendum est, non enim paucum, sed multum ad hoc negotium ipsorum cognitio attinet. Diuiditur ergo accidens in commune, & proprium. Commune est, quod aliquod subiectum specificum non sibi determinat, neque ab essentia, vel forma rei profluit, sed multis atque diuersis secundum speciem conuenit, & quasdam materiales dispositiones consequitur, vnde fit, quod vt plurimum sit separabile, & à Porphyrio definiatur; quod adest, & abest præter subiecti corruptionem; hoc modo se habet albedo, nigredo, sapor, & alia, quam omnia hæc secundum materiæ dispositionem accidunt; aliquid enim fit magis, vel minus album, provt frigiditas, vel humiditas, vel alia talis qualitas, quæ se tenet ex parte dispositionis materiæ prædominatur, similiter sapor à magis, vel minus dominante calore efficitur, & eodem modo odor, quæ omnia exempli gratia dicta sint, nam exactè in 4. Meteorologicorum, & in 2. de anima determinabũtur, sufficiat pro nunc, quod dispositiones materiales sequantur, & communia dicantur. Proprium verò est quod à determinata essẽtia profluit, & alijs, quam ipsi conuenire non potest, sic se habet risibilitas respectu hominis, hinnibilitas respectu equi, & sic de alijs, quæ quamuis non sint accidentia, tamen provt non sint de essentia rei, & in subiecto perfecto insunt, inter accidentia connumerantur. Dicitur namque accidens tripliciter, vno modo de entitate quadam imperfecta, quæ subiecto inest, & non implicat, quod ab ea separetur, & sic est quintum prædicabile; alio modo pro eo quod inest, sed ab essentia fluit, identificatur cum ipsa, & inseparabile est, & sic est quartum prædicabile, quod proprium dicitur; capitur etiam pro quocunque extraneo, secundum quod fiunt fallaciæ accidentis, quo pacto substantiæ interdum accidentia dicuntur, Platonem enim homini accidere dicimus, & multa alia, sed de hoc non est hic ad propositum. Dicitur quoque, & benè, accidens commune respicere immediatè indiuidua; proprium verò speciem, cuius ratio est, quia accidens proprium sequitur naturam immediatè, vt risibilitas est à rationalitate, sed commune est à talibus dispositionibus materiæ singularis; & hoc modo dispositæ, quod etenim Petrus sit albus non accidit ex natura specifica, sed ex suis peculiaribus dispositionibus. Diuiditur quoque accidens in absolutum, & respectiuum. Absolutum est, quod non refertur, vel ordinatur ad aliud, sed quasi solutum, vel solum, quo pacto se habent, quantitas & qualitas, hæc etenim ad aliud non referuntur. At si quis dicat, nonne omne accidens ad subiectum refertur, vel ordinatur? Respondetur, ab ipso dependere, vel habere habitudinem, non autem propriè referri, vnde secundum hanc dependentiam non diceretur absolutum, hoc autem vt clarius innotescat, sciendum est, quod absolutum dicitur quatuor modis. Provt opponitur relatiuo, & sic vt diximus, quantitas & qualitas sunt absoluta, quibus etiam adscribatur & principaliter ipsa substantia: non enim diuisio absoluti, & respectiui est respectu accidentis, sed entis. Secundò provt opponitur independenti, quicquid etenim ab alio dependet, absolutum non dicitur, & hoc pacto nullum accidens, neque commune, neque proprium absolutum est, quia à substantia dependent, sed ipsa tantum est absoluta, vel independens. Tertiò provt opponitur connotatiuo, & sic omnis terminus, vel abstractus, vel substantialis dicitur absolutus; concretus verò concretione accidentis connotatiuus, vt homo, animal, albedo, nigredo, termini absoluti dicuntur, sed nigrum, album, coloratum, & similes dicuntur connotatiui, quia accidens significando, subiectum connotant, vel designant; est igitur hæc (vt patet) diuisio terminorum. Quartò dicitur absolutum, provt opponitur ad per accidens; quod enim est per accidens tale, absolutè non dicitur, vt homo non dicitur absolutè albus, sed bene rationalis. In diuisione ergo accidentis, accipitur absolutum provt respectiuo opponitur. Respectiuum est igitur, quod ad aliud refertur, sicut relatiua omnia, tam secundum esse, quam secũdum dici, tam intrinsecus, quam extrinsecus aduenienda, de quorum natura & diuersitate, alibi dicetur. Est tamen notandum, quod hæc accidentis diuisio in absolutum & respectiuum, non est accidẽtis communis, vt aliqui imaginantur, sed est accidentis in vniuersali, quare interdum cum proprio, quandoque verò cum communi accidenti reperiri potest; potentia enim est accidens proprium illius cuius est potentia, & tamen est respectiuum, quia ad actum refertur, sicut è contra lumen est proprium Solis, non autem est respectiuum; pariter esse simile, & dissimile sunt accidentia communia, & respectiua, vnde patet, quod & cum proprio, & cum communi reperiuntur, & non sunt membra vnius, sed potius duę diuersæ diuisiones ipsius accidentis vniuersaliter sumpti, sicut si diuideremus animal, per rationale, & irrationale, & iterum per bipes, & non bipes. Notandũ est etiam quod entia rationis possunt accidentia respectiua nuncupari, sicut quidem sunt non realia, sed intentionalia. Nunc aliam partem aggrediamur.

Accidens commune.

Proprium.

Accidens tripliciter.

Absolutũ.

Absolutum quadrupliciter.

De ordine Naturæ.

NIsi ordo naturæ saltem breuiter, & perfunctoriè à nobis hic explicetur, non poterit connexio substantię cum accidentibus, ac per consequens, neque proposita Quæstio explicari; est igitur notandum, naturam omnia ad aliquem determinatum finem dirigere, vt habetur in 2. Physicorum tex. 75. finis autem ipsius est duplex, scilicet generationis, & rei genitę. Generationis est ipsa forma substantialis per generationem acquisibilis, forma namque, & finis idem sunt ex eodem secundo tex. 70. & 81. Finis rei genitæ est vel operatio, vel bonum ipsius. Ordo ergo naturæ est, posteriora vel imperfectiora ad nobiliora dirigere, vt intentum finem assequatur, ex 2. Phys. tex. 79. hæc autem imperfectiora sunt pro maiori parte accidentia in ordine, & comparatione ad substantiã; sunt igitur accidentia ipsa quasi ipsius substantiæ ministri, & ipsa vt domina; quare quẽadmodum domini sine ministris nihil valent, nihilque efficere queunt, & illi è contra, ex illorum bonis vitam traducunt: sic substantia ad sui ministerium accidentibus indiget; hæc verò ad propriam conseruationem nexum perpetuum cum substantia expostulant, sed magis philosophicè loquamur; accidentia, & ratione finis ad quem ordinantur, ne frustra sint, & ratione exiguæ entitatis quam habent, sine substantia esse nequeunt; è contra verò substantia ipsa nullum sine accidentibus finem attingeret; finis namque generationis, quomodo sine motu, saltem approximationis, ac sine debita dispositione materiæ, alijsq; quãplurimis accidentibus attingeretur? Sed quid de fine rei genitæ dicendum? nonne omne agens Physicum per cõtactum, motum, ac qualitate agere debet? quomodo namque anima sine calore nutrimentum corpori ministraret? & quomodo hoc in substantiam conuerteretur, nisi debite secundum omnes conditiones requisitas disponeretur? natura igitur vniuersi boni, ac pul-

Finis generationis, & rei genitæ

pulchritudinis prouida, nexum in dissolubilem inter substantiam, & accidens, vt se mutuò seruent, ac foueāt, constituit; hæc autem natura nihil aliud quam Deus ipse est, à quo omnia habent esse: tamen vt totius naturæ princeps cum causis secundis semper concurrit, & per modum necessitatis cuiusdam agit; de qua necessitate in octauo dicemus. Modo aliquid de ipsius absoluta potentia, pro vt ad præsens attinet, dicamus.

De Dei absoluta potestate.

Vt omnibus præsens quæstio aliquam pro sui imbecillitate satisfactionem afferat, non tantum, inquam puram philosophiam cupientibus, sed etiam quid Theologicum redolens desiderantibus, operæ pretium duxi aliquid à quo vniuersa resolutio quæstionis pendet, de absoluta Dei potestate explicare; potestas ergo ipsi Deo duplex à Theologis tribuitur, altera quæ ordinaria, secunda quæ absoluta nuncupatur. Ordinaria est qua agit, vel agere potest secundum communem cursum naturæ nihil immutando de eo, quod ab ipso institutum fuit; vnde ex vaporibus pluuiam, ex exhalationibus ventos, vel alias impressiones, ex semine hominis hominem, ex oleæ oliuam, & alia ex alijs sibi conuenienter producit, atque cum secundis causis sic commensurari videtur, vt ipsæ solæ per se agere appareant, vnde cum indispositione materiæ monstra, cum indebitis qualitatibus infirma animalia producit; quod & si aliunde imperfectiones has prohibere posset, ne ordinem & legem naturæ præpostero ordine exequatur, permittit, & causat, ex quibus quid sit Dei ordinaria potestas satis liquet. Absoluta autem est quę nulli alligatur, solam sui pendentiam respicit, & extra, ac supra communem naturæ cursum se extollit, vt si hominem sine semine produceret, si corruptum ad eandem numero naturam repararet, & similia. Quæ quidem potentia ad omnia, quæ non implicant contradictionem, extenditur, hæc autem implicantia ideo ab ea fieri posse negatur, quia ex sua natura factibilia non sunt: vnde dicendum non est, Deum ipsa efficere non posse, sed ipsa possibilia non esse, si quidem omnipotentia non ad quęcunque se extendit, sed ad omnia possibilia, hæc etenim sunt suum immediatum correlatiuum, vel terminus. Notandum est tamen, Deum omnia non implicantia posse in genere causæ efficientis, & finalis dumtaxat, ita vt quicquid potest causa secunda cum prima, vel cum ipso Deo (quod idem est) potest causa prima se sola, & plus; ratio est, quia ipsa ab alijs neque in esse, neque in causando dependet, sed bene è contra, potest ergo omnem causalitatem efficientis, & finalis causæ se solo supplere: formalis verò, & materialis nequaquam, ratio est, quia hæ causæ ratione potentialitatis, & partis, imperfectionem connotant, Dei autem nulla est imperfectio, vnde ipse non posset esse anima, nec corpus hominis, quod est supplere formam, & materiam, vel potius causalitatem ipsarum, sed bene, vtranque efficere, quod est in genere causæ efficientis. Hæc autem pro præsenti difficultate sint satis.

Potestas ordinaria & absoluta Dei.

Conclusiones.

Prima. Nullum accidens neque proprium, neque commune, nec absolutum, nec respectiuum potest naturaliter sine subiecto existere, quod expresse in præcitato tex. 14. docuit Aristot. & hoc quoque pacto confirmatur. Natura nihil frustra facit ex 1. de cœlo tex. 32. & omnia ad finem dirigit ex 2. phys. tex. 77. & inde nec non facit de possibilibus, quod optimum est ex 2. de cœlo tex. 34. Sed si accidentia sine subiecto existerent, frustra essent, nec ad finem conseruandi substantiam, quod est melius & possibile in natura, dirigerentur; atque cum sint paruæ entitatis statim desinerent, vnde separari non possunt, aliter & frustra essent, ad finem non dirigerentur, nec conseruari possent.

Secunda. Accidentia absoluta communia per absolutam Dei potentiam possunt sine subiecto existere, probatur, quia omne essentialiter ab alio distinctum non respectiuum, non implicat, vt ab illo separetur, quoniam ex eo quod essentiam diuersam habet, aliud non requirit, nisi propter conseruationem; hæc autem conseruatio cum ad genus efficientis causæ attineat, à Deo ipso suppleri potest, vnde credendum non est, ipsum Deum supplere vicem subiecti in genere causæ materialis, hoc etenim, vt diximus, perfectissimo enti repugnat, sed modum conseruandi, quem à substantia habebat, suppletur.

Tertia. Accidens proprium non potest à subiecto per aliquam potentiam separari, ita vt sit risibilitas sine homine, vel homo sine risibilitate; probatur, nam designato homine sine risibilitate, vel ei repugnat eam recipere, vel non; si repugnat, ergo ei non posset Deus illam tribuere, quoniam super repugnantia non potest, vt dictum est, quod tamen est absurdum, nam si potuit auferre, potest etiam restituere; nec est dispar ratio, si potest, ergo habebat aptitudinem ad ipsam, & etiam consequenter ad risum; hanc autem aptitudinem risibilitatem voco, quare non erat ablata, est igitur idem realiter omnis passio, vel proprietas cum suo subiecto, & ideo non potest remoueri. Est etiam repugnantia ex parte proprietatis, quia aptitudo necessariò est alicuius ad quod refertur essentialiter; ideo si esset sine suo subiecto non esset aptitudo, sed quid simpliciter absolutum.

Quarta. Accidentia respectiua sine subiecto esse nequeunt, per quancunque potentiam; probatur, quia esse per se est absolutum, hoc autem naturæ relatiuorum repugnat, multo minus possunt esse sine correlatiuis, vt pater sine filio, quoniam hoc similiter implicat. Quod autem quidam dicunt, esse relatiua tunc secundum aptitudinem, & non secundum actum, inconsultò dicitur: nam aptitudo essentialiter fundatur in aliquo, quare ipsa relatiua essent fundamentum aptitudinis, & sic relatiua non essent, sed absoluta. Modo argumenta contra prædicta adducamus.

Ad Argumenta.

Primum. Contra primam conclusionem, sic primo arguitur. Accidens à Porphyrio diuiditur per separabile, & inseparabile, & idem confirmatur ab Arist. 1. phys. tex. 28. ergo aliquod accidens est separabile, neque dicatur separabile esse per intellectum, vt de inseparabili respondet Porphyrius, quoniam cum illud per intellectum solum separabile sit, hoc plus quam per intellectum separabile erit.

Secundum. Præterea omne quod realiter ab alio distinguitur potest ab ipso separari, vt ex distinctione reali patet, sed accidens realiter à substantia distinguitur, ergo.

Tertium. Contra secundam conclusionem. Quod implicat contradictionem à Deo fieri non potest; sed accidens existere sine subiecto contradictionem implicat, ergo, probatur minor, nam ex 7. metaph. tex. 2. accidentia dicuntur entia eò quod verè entis sunt, quod idem est ac si diceretur, eò esse entia, quo substantiæ insunt, & ipsam disponunt, si ergo solum pro vt insunt entia sunt, separata non erunt entia, ergo si separata ponantur, erunt entia per positionem, & non entia in veritate, & sic patet contradictio.

Quartum. Amplius; quod essentialiter ab alio dependet per nullam potentiam separari potest, aliter essentialiter non dependeret. Sed accidens essentialiter à substantia dependet, ergo, probatur minor, omne definitum essentialiter à partibus definientibus pendet, at accidens per substantiam definitur; ipsa etenim prior definitio-

finitione, cognitione, tempore, natura & accidentibus est ex 7. met. tex. 4.

Quintum. Item si accidens à substantia separabile esset, per se existeret, hæc autem est natura substantiæ, quare accidens substantia euaderet, quod est ridiculum, vel quomodocunque concedatur, non erit amplius accidens, & sic nullum accidens separatum, vel separabile esset.

Sextum. Contra tertiam. Omne prius potest sine posteriori existere, quia ab ipso non dependet, subiectum est prius quacunque passione, sicut omnis substantia omni accidente, ergo sine ipsa existere potest, & sic non est verum quod sint idem realiter, vel separari implicet, vt in conclusione deducebatur.

Septimum. Contra quartam. Non minus accidens absolutum à suo subiecto, quam respectiuum à proprio dependet, cum vtriusque sit inesse; at absolutum potest diuinitus separari, ergo & respectiuum.

Octauum. Præterea. Quod minus habet identitatem cum altero minus ab illo dependet, & per consequens magis separabile est, sed relatiuum minus identificatur cum substantia, quam absolutum, eo quod minus cum ipsa conuenit, vt de se patet ergo.

Nonum. Denique. Vnumquodque sine externo esse potest, sed correlatiuum est alteri externum, vt patet: pater enim non est intra filium, nec dominus intra seruum, vel è contra, ergo vnum relatiuum ab alio est separabile, quod est contra aliam partem quartæ conclusionis.

Solutiones.

AD primum respondetur re vera dari accidens realiter separabile, ad hunc tamen sensum, quod corrumpatur, subiecto remanente; non autem quod separatum accidens ipsum existat.

Ad secundum ferè eodem modo responderi potest, ad hoc etenim quod aliqua realiter distinguantur, sat est, quod vnum ipsorum desinat esse, altero incorrupto existente, & sic accidens à substantia realiter differt.

Ad tertium negatur minor, ad probationem respondetur, Aristotelem non intelligere entitatem propriam accidentis in ratione formali, & essentiali referri, sed ordinem ad substantiam insinuat; quasi dicat, nisi accidentia ad substantiam ordinarentur, ac sibi inessent, frustra essent, quia esse eorum ad inesse, vel conseruandam substantiam ordinatur, cum tamen in se sint entia, eis præter naturæ ordinem sine alio existere, non est repugnantia.

Ad quartum negatur minor, ad probationem respondetur, ea quæ à partibus purè essentialibus definientibus pendent, quidem essentialiter pendere; sed quæ pendent ab additis non sic se habere. Substantia ergo in definitione accidentis non, vt pars ipsius, sed vt additum, apponitur; cum etenim accidens ipsum paruæ sit entitatis, & à substantia quoque non simpliciter essentialiter, sed solum ad finem naturæ (vt diximus) pendeat; sine ipsa perfectè explicari nequit, ideo in ipsius definitione substantia ponitur.

Ad quintum dicitur; Quod quamuis accidens de facto sine substantia per se existeret; tamen semper aptitudinem inhærendi substantiæ retineret, per quam aptitudinem interna differentia circumscribitur, & diuersitas à substantia cognoscitur; nec etenim actualis, sed aptitudinalis inhærentia accidenti ex se competit, vt alibi dicemus.

Ad Sextum respondetur, maiorem de prioritate solummodo temporis veritatem habere; sed de prioritate naturæ nequaquam. At si quis iterum instet, ipsam substantiam etiam tempore esse accidentibus priorem, vt supra patuit. Respondetur hoc de communibus accidentibus, non autem de proprijs verificari; nec tamen credendum est; substantiam ipsam per aliquod tempus sine omnibus accidentibus esse posse, sed sensus est, eam posse hoc, vel illud tempore præire, non autem omnia simul; proprietates verò nunquam, quia respectu illarum est solum natura, & non tempore prior. Quid autem sit prius natura, & tempore in post prædicamentis visum est. Sed nunc breuiter quoque repetatur. Prius tempore quod antiquius est dicitur. Prius natura pro nunc est suppositio huius ab hoc, quod est dicere, id esse prius natura, quod ab altero supponitur, vel vt causa, vel vt fundamentum, vt rationalitas risibilitate, animal homine, &c. Prius tempore & natura.

Ad septimum negatur maior, sic nanque à subiecto accidens relatiuum dependet; vt si absque eo existeret, rationem absoluti indueretur, & sic est aperta contradictio, quod de absoluto enunciari non valet.

Ad Octauum de relatiuis posset maior negari, hæc etenim est propria ipsorum natura, & ab alis distincta, vt scilicet externum pro essentiali respiciant, posset quoque negari minor, nam quamuis quo ad entitatem quandam, vnum relatiuum sit extra aliud; tamen in ratione essentialis dependentiæ non sunt sibi mutuò extranea, sed interna.

QVÆSTIO VI.

Habet autem dubitationem de parte, & toto fortassis autem nihil adorationem, sed ipsa secundum se ipsam, vtrum vnum, an plura sit pars, & totum &c. Tex. 17.

Circa hunc textum quæritur, an totum à partibus distinguatur.

QVoniam præsens quæstio tam ex parte subiecti, quam ex parte prædicati, tam secundum doctrinam Aristotelis, quam denique secundum multorum intelligentiam multiplicem sententiam implicat, de ea prius distinguere, quam aliud efficere decreui. Sic igitur procedam. Prius de natura, & diuersitate totius agam, & hoc est multiplex ex parte subiecti, & ab Aristotele in textu insinuatur. Secundò de natura, & diuersitate distinctionis, quod est multiplex prædicati, & secundum multorum intelligentiam. Tertiò conclusiones. Quarto argumenta. Et quinto solutiones apponam.

De Natura, & diuersitate totius.

TOtum ergo secundum Aristotelem 3. phys. tex. 63. est cuius nihil abest, quod idem est, ac si diceretur totum est quod ex omnibus partibus constat, ita vt nulla ei desit; quapropter aut est idem penitus cum perfecto, aut proxima natura sunt, vt habetur ibidem tex. 64. ad partes ergo refertur, & secundum ipsarum diuersitatem, ipsum quoque diuersum existit. Diuiditur ergo in per se & per accidens. Totum per se est quod ex partibus eiusdem generis, quarum vna se habet, vt actus, & altera, vt potentia, vel ex omnibus mutuò in potentia, constituitur, diximus esse eiusdem generis, videlicet vel de genere substantiæ, vel quantitatis &c. nam res generum diuersorum vnum per se apta non sunt efficere, non enim ex substantia, & quantitate fit per se vnum. Diximus, vnam partem se habere vt materiam, vel potentiam; alteram, vt actum, vel formam, quia ex duobus in actu non fit per se vnum, sed aggregatio, sicut patet cum accipitur simul Socrates, & Plato, in accidentibus verò fit solum vnum per accidens, Totum quid. Totum per se.

dens, vt album, & dulce. Diximus denique; vel mutuò esse in potentia, vt totum quoque integrale includamus, partes nanque ipsius sine discrimine sunt ad se inuicem in potentia. Quapropter hoc per se totum, & in substantia, & in accidentibus reperitur, vt melius in processu patebit.

Totum per accidens. Totum per accidens est, quod constat ex partibus, quarum vna non est in potentia ad alteram, vel sunt alterius naturæ. Exemplum primi, omnis homo, omne tempus, omnis locus, & quæcunque sub nomine totius in quantitate continentur, hæc enim solum aggregationem, & nullam veram vnitatem connotant, exemplum secundi, homo albus, homo niger. Nunc ipsum totum per se in sua membra secemus, est igitur quadruplex, videlicet vniuersale, essentiale, definibile, & integrale. *Totum per se quadruplex.*

Vniuersale. Vniuersale est quod de pluribus prædicatur, vt homo de Socrate, & Platone. Animal de homine, & Leone, quod vocatur etiam totum potentiale, quia est in potentia, vt ad inferiora contrahatur, & ipsa inferiora partes eius subiectiuæ vocantur, pro vt in propositionibus officio subiecti funguntur, nam vniuersalium est prædicari, particularium subijci. *Essentiale.* Totum essentiale est, quod materia, & forma constat, quod sic vocatur quia partes eius sunt de essentia totius, vel potius, quia veram essentiam vel naturam physicam, atque specificam constituunt; hoc etenim sicut præ cæteris naturalibus compositis sensibilibus subsistit, sic præcipuè nomen totius essentialis sibi vendicat, & partes ipsius essentiales quoque dicuntur. *Definibile.* Totum definibile est, quod ex genere, & differentia, vel ex alijs locum ipsorum supplentibus constat, vt homo ex rationali, & animali, substantia ex ente, & per se exiltere; cuius partes definientes dicuntur, & quamuis alibi hoc totum cum essentiali confunderim: hoc ideo factum est, quia non erat tunc locus de hoc ex professo determinare, & ad propositum satis erat. Præter quam quod maximam habent affinitatem; partes nanque suo modo essentiales ambo amplectuntur, ad præsens tamen negocium maximè inter ipsa distinguere (vt in conclusionibus patebit) refert; ne autem neque in verbis aliqua contradictio appareat. Primum videlicet quod ex materia, & forma constat, essentiale physicum (cuius est materiam, & formam cognoscere) appelletur. Secundum quod nimirum ex genere, & differentia constatur, Metaphysicum, (cuius proprium est abstrahere) nuncupetur. *Integrale.* Totum integrale est quod constat ex partibus quantis, vel ad quantitatem attinentibus, ex quantis fit totum continuum, vt linea, superficies, corpus, tempus, & motus, quorum tria prima sunt permanentia, vltima duo successiua. Ex ijs quæ ad quantitatem attinent, fit totum discretum; videlicet numerus, & oratio. *Totum per accidens duplex.* Totum per accidens est duplex, videlicet simpliciter per accidens, quod ex substantia, & accidenti constat, vt homo albus, homo niger; aliud est per aggregationem, quod ex pluribus actualiter collectis constat; & est quadruplex videlicet totum in quantitate, quod cum signo vniuersali ponitur, vt omnis homo, nullus homo. *Totum aggregatione quadruplex.* Totum in tempore, vt omne tempus, vel nullum tempus. Totum in loco, vt vbique, nusquam. Totum denique in modo, quod sine restrictione in ordine ad partes accidentales restringentes dicitur, vt homo respectu hominis albi, vel nigri, de quibus satis in Topicis diximus, modo verò breuiter ea recensere non pigeat, vt labor iuuenibus adimatur. Reliquum est vt de distinctionibus discurramus.

De Natura, & diuersitate Distinctionis.

Distinctio quid. Distinctio est relatio quæ ex extremis aliquibus insurgit; quod autem sit relatio, patet; quia non potest sine distinctis intelligi, vnde distinctio, aliquorum distinctio necessariò pronunciatur, hoc autem est secundum relatiuorum naturam. Differt distinctio à diuisione, quoniam distinctio est omnium quæ aliquo modo eadem non sunt. Diuisio verò duntaxat totius in ordine ad partes dicitur. Quapropter esse orationem totum in partes distribuentem, definitur, vnde patet quantum quidam ignarè scotizantes distinctionem esse diuisionem dicentes, errent, & multo magis alij, qui separationem esse affirmare non erubescunt. Septem sunt genera distinctionum. Scilicet rationis, realis, formalis, ex natura rei, essentialis, se totis subiectiuè, & se totis obiectiuè. *Septem genera distinctionum.* *Distinctio rationis.* Distinctio rationis est, quæ solum per intellectum fit, vel ex entibus non realibus, nec positiuis insurgit, primo modo dextrum, & sinistrum illius tabulæ solum ratione distinguuntur, quia videlicet secundum aliam tui, vel mei positionem, modo fit hæc pars dextra, modo sinistra, & si ex natura tabulæ hoc non reperiatur. Hoc distinctionis genere, & secundo modo omnia entia rationis, omnes priuationes, & omnes negationes distinguuntur, genus ergo ratione à specie differt, & similiter syllogismus à definitione, & c. probatur, quoniam si distinctio inter ipsa non esset rationis, sed aliquo modo realis, effectus esset sua causa efficienti nobilior, quod vniuersæ repugnat philosophiæ; consequentia est euidens, quoniam distinctio ab extremis efficitur, vel prouenit, extrema autem sunt entia rationis, ergo distinctio non est ens reale, quia ab ente rationis quod ignobilius est, ens reale quod est nobilius produceretur: similiter de priuationibus, & negationibus dicatur, cum etenim ipsa non sint entia positiua, non poterit ex ipsis educi realis aliqua distinctio, quare solum ratione distinguuntur, non quod re vera extrema ipsa, puta priuationes, vel relatio inter ipsa ab intellectu, vel ratione fint, hoc etenim est falsum, cæcitas enim, & surditas sine intellectus cogitatione sūt, & similiter nullo cogitante sunt adinuicem diuersæ. Sed nomen distinctionis rationis sortiuntur, pro vt à realitate differunt; quanto enim aliquid magis ab vno extremo recedit, ad aliud approximatur, & denominationem ab ipso capit: sic nanque quod desinit esse frigidum, calidi nomen recipit. Quamobrem aliud genus distinctionis rationis est hoc ab eo, quod solum per intellectum fit, vel in ijs, quæ per intellectum facta sunt fundatur. Distinctio realis est inter duas, vel plures res realiter existentes, vel subsistentes, quarum vna sine altera quantum est ex sua natura esse potest, siue hoc per vnius destructionem, siue omnibus integris remanentibus, eueniat; vnde Socrates, & Plato realiter distinguntur, quoniam vnus sine altero esse potest, & è contra, similiter distinguitur realiter substantia ab accidente; quoniam quamuis accidens sine substantia esse nequeat; ipsum tamen deficere potest, substantia incorrupta manente; & licet substantia ipsa absque omnibus accidentibus naturaliter esse non possit, vt in præcedenti quæstione visum est, sufficit tamen, quod sine hoc vel illo esse queat. *Distinctio realis.* Distinctio formalis est inter duas formalitates, quarum vna non est præcisè alia, nec sine alia esse potest; ita tamen quod ipsæ entitates non sint ex se naturæ completæ, & specificæ, vt veram habeant essentiam, vel definitionem; tamen si describantur, altera diuersam ab alia descriptionem habebit; sic se habent risibilitas, & flebilitas, voluntas, & intellectus, ac denique omnes passiones respectu propriorum subiectorum. *Formalis.* Vocantur autem formalitates, quasi paruæ formæ, & realitates, quasi paruæ res, & pariter entitates eadem de causa. At si quis dicat, subiectum non ne etiam formaliter à propria passione distinguitur? respondetur affirmatiuè; cur ergo (subinferat) dicitur distinctionem formalem esse inter ea, quæ non sunt naturæ completæ? forsitan subiectum ipsum non est completa natura? Respondetur. Distinctionem hanc ab ipsa

ipsa realitate, vel formalitater denominationem sumere, ideo præcipuè per ipsam modo prædicto definitur. Si quis tamen scrupulum euitare cupiat, hoc modo dicat.

Corrigitur præcedens definitio.

Distinctio formalis est inter duas realitates, vel inter realitatem, & rem perfectam, sicut est subiectum; realitates verò ipsæ non sunt entia perfecta, definibilia &c.

Ex natura rei.

Distinctio ex natura rei, est inter quæcunque possunt contradictoria absque intellectus operatione verificari: Sic definitio, & definitum, superius, & inferius distinguuntur, nam definitio constituit, definitum nequaquam; similiter superius est pars inferioris, vt animal hominis, & non è contra, hæc autem distinctio est superior omnibus, quæ sine intellectus operatione fiunt; ita vt quicquid realiter, vel formaliter, vel essentialiter,

Essentialis.

aut alio modo distinguitur, etiam ex natura rei distinguitur, & non è contra. Distinctio essentialis est inter essentias, vel naturas diuersas, inter essentias inquam completas, & verè definibiles, ac diuersorum prædicamentorum, præcipuè in recta linea, hoc pacto, homo ab equo, substantia à qualitate, & quantitate distinguitur.

Se totis subiectiuè.

Distinctio se totis subiectiuè est inter ea, quæ in aliquo subiecto, vel genere non conueniunt, sic distinguitur albedo Petri, ab albedine Francisci, & color à figura, genus namque habet rationem (hoc loco) subiecti, pro vt est in potentia, sicut subiectum, vel materia.

Se totis obiectiuè.

Distinctio denique se totis obiectiuè est inter ea, quæ in nullo conceptu siue limitato, siue transcendenti quidditatiuè conueniunt, vt passiones entis, & omnes vltimæ differentiæ; cur autem non conueniant in quæstione de vniuocatione entis declaratum fuit. Omnes autem prædictis distinctionibus ex opposito directè identitates respondent: & sic alia sunt eadem ratione, videlicet, quæ nullam distinctionem neque per intellectum admittunt, vt Petrus sic est idem sibi ipsi.

Septem genera identitatum.

Alia sunt idem realiter, videlicet, quæ sunt penitus inseparabilia, vt homo, & risibilitas; alia sunt idem formaliter, quæ scilicet diuersam non habet descriptionem, vel definitionem suo modo, vt homo, & animal, nam definitio animalis in homine clauditur. Quædam sunt eadem ex natura rei, de quibus videlicet contradictoria sine opere intellectus verificari non possunt, vt definitum est idem sibi. Aliqua autem sunt eadem se totis subiectiuè, quæ nimirum in aliquo subiecto singulari conueniunt, vt albedo, & dulcedo in lacte; vel in aliquo genere, vt homo, & æquus in animali. Alia tandem sunt eadem se totis obiectiuè, quæ nimirum in aliquo prædicato in quid conueniunt, vt Deus, & creaturæ, substantiæ, & accidentia in ente, homo & planta in substantia, &c. Tot igitur sunt distinctionum, atque identitatum genera, totque modis dicitur totum. Consequens est, vt ad propositum descendamus. Sciendum est igitur controuersiam esse de toto essentiali, & integrali, an videlicet realiter à partibus distinguantur, tamen vt omnia sint adolescentibus clara, secundum singula tota, singulas conclusiones adhibebimus.

Conclusiones.

PRima. Totum vniuersale non distinguitur realiter à suis partibus subiectiuis, sed solum ex natura rei. Prima pars probatur, quia quæ per solam intellectus abstractionem distinguuntur, à reali distinctione recedunt: sed totum vniuersale sic respectu particularium se habet, ergo; probatur secunda pars, de quibuscunque verificantur contradictoria sine intellectus operatione de eisdem distinctio ex natura rei verificatur, at de superiori respectu inferiorum verificantur, nam superius est pars, & prius natura, inferius verò neutrum, ergo.

Secunda. Totum definibile, vel essentiale metaphysicum similiter non realiter, sed ex natura rei à partibus definientibus differt. Prima pars est nota, atque ab omnibus concessa, si etenim realiter distingueretur posset, vel ipsum sine partibus, vel partes sine ipso saltem diuinitus existere, quod falsum est, nec enim animal quod est pars hominis, nec rationale quod est altera pars sine homine, vel hominem sine ipsis imaginari possumus: at si dicatur animal saluatur in alijs animalibus, rectè, sed non est illud animal, quod in homine includitur. Secunda pars probatur. Si definitio, & definitum non distinguerentur ex natura rei, idem definiretur per se ipsum, quod expresè negat philosophus 4. physic. tex. 96. tempus enim tempore non definiri affirmat. Item in demonstrationibus esset nugatio, quoniam definitio, vt medium assumitur, definitum verò nequaquam, ergo si ambo essent penitus idem; idem per idem de eodem aliquid demonstraretur. Amplius nihil constituit se ipsum, sed definitio constituit definitum, ergo.

Tertia. Totum essentiale distinguitur realiter ab omnibus suis partibus non solum seiunctim, ita vt homo distinguatur ab anima separatim sumpta, & etiam à corpore, hoc modo; sed ab ambabus simul vnitis. Probatur, omnis effectus physicus realiter à suis causis distinguitur, aliter idem esset causa, & effectus, quod negat Arist. 2. de anima tex. 47. nihil namque se ipsum generare asserit, quod idem valet, ac si diceretur, nihil esse sui ipsius causam: sed totum essentiale est effectus physicus partium simul vnitarum, ergo ab ipsis realiter distinguitur. Præterea Aristoteles 2. de anima tex. 2. diuidit substantiam in materiam formam, & compositum, ergo sunt membra opposita, aliter non esset bona diuisio; at si quis dicat, per compositum, formam, & materiam vnitam intelligendam esse, & sic est sensus, quod alia sit forma, alia materia seorsum, alia forma cum materia simul; hæc proculdubio est manifestissima nugatio, nam si illud compositum non est aliud quam forma, & materia simul; non debet ab ipsis contradistinctum poni. Item materia, & forma aliquid causant, vel non; si aliquid non seipsas, quia nihil se ipsum gignit, ergo aliud ab ipsis distinctum, & hoc non est nisi compositum. Respondent aliqui; causare vnionem. Contra, nam vnio est accidens respectiuum, quod nec potest esse effectus generationis, cuius terminus est substantia, nec potest pro partibus habere substantiam. Præterea in morte hominis anima rationalis non perit, nec statim corpus, vt patet, quid ergo corrumpitur? proculdubio compositum, vel humanitas, quia verum est dicere, mortuus est homo, ergo realiter ab ipsis partibus distinguebatur. Denique finis generationis non est materia, nec forma, sed compositum ex 6. Metaph. tex. 26. ergo ipsum compositum est aliquid à forma, & materia distinctum.

Quarta. Totum integrale, tàm continuum, quàm discretum, tàm permanens, quàm successiuum distinguitur etiam realiter à suis partibus, imò de hoc præcipuè loquitur Aristoteles, si verba ipsius ponderentur; post quam enim dubitationem propositam habuit, subdit, & de partibus non continuis eadem est ratio, quasi præcipua ratio sit de continuis, per quas & essentiales, & integrales intelligere possumus, quare miror quosdam scotistas contra Aristotelis, & ipsiusmet Scoti intentionem, solum de toto essentiali sermonem esse, dicentes; quod ad euitandas difficultates id profectò facere, nemini dubium esse existimo. Conclusionem ergo probemus sic. Nisi totum integrale à suis partibus simul vnitis distingueretur, idem esset componens, & compositum, causa, & causatum, quod est absurdum. Item, nisi distingueretur non differret à toto per aggregationem, & per accidens, quæ solam vnionem dicunt. Præterea. omnis effectus physicus (vt diximus de toto essentiali) distinguitur realiter à suis causis: totum integrale est huiusmodi, ergo. Amplius numerus ternarius non differret specie à quaternario, & alijs, quod est absurdum; probatur consequentia, quia si numerus ternarius

rius non esset nisi tres vnitates, quaternarius vero quatuor, esset eadem vnitatum ratio solum cum multiplicatione, quæ differentiam specificam non facit, sicut maior aqua à minori specie non differt. Idem Aristotelis sententia confirmatur, nam 5. Metaph. cap. 14. tex. 19. sex non esse bis tria, sed semel sex asserit, & lib. 7. tex. 60. syllabam BA. non esse B & A, sed quid ab ipsis distinctum enunciat, & ibidem carnem non solum esse ignem, terram, & alia elementa, sed quid ab ipsis distinctum; quamuis hæc sit potius pro toto essentiali. Denique 8. Metaphys. tex. 15. ait omnium quæcunque plures partes habent non est totum quasi coaceruatio, sed ipsum totum est aliquid aliud præter partes. Sed si quis dicat, sufficit distinctio ex natura rei; respondetur, realem potius ratione causationis, quam simpliciter ex natura rei colligi posse; ratione inquam causalitatis, quia omnis causa physica realiter (vt dictum est) à suo effectu distinguitur, omnis autem huiusmodi distinctio, eam, quæ ex natura rei dicitur, infert, & sic quicquid realiter etiam ex natura rei distinguitur, non è contra.

Quinta. Totum per accidens. Non distinguitur realiter a suis partibus. Probatur, si realiter à partibus distingueretur, esset vna quædam per se entitas, distinctio namque sequitur vnitatem, vt Petrus à Paulo distinguitur, quia est in se vnus, ipsum vero totum per accidens non est sic vnum, quoniam vel esset substantia, vel accidens, neutrum est dicendum, quia neque substantia accidentis, neque accidens substantiæ pars esse potest, & tamen totum per accidens ex accidenti, & substantia conflatur. Cum toto per accidens totum in modo includitur: vtrumque enim refertur ad partes accidentales, homo enim dicitur totum in modo respectu albi, & nigri, vel prout omnes homines, tàm albos, quàm nigros, vel alijs affectos accidentibus comprehendit; quod si etiam totum per aggregationem diceretur per accidens, nullum esset inconueniens.

Sexta. Totum per aggregationem, quod totum in quantitate totum in tempore, & totum in loco comprehendit, à partibus realiter non distinguitur: patet, quia non est verè totum, nec illæ sunt veræ partes, vnde nullam entitatem, nullamque per consequens distinctionem efficiunt.

Argumenta contra secundam, tertiam, & quartam conclusionem.

Primũ contra secundã conclusionem. Conclusio, prima, quinta, & sexta ab omnibus (pro vt scio,) vt veræ recipiuntur. Secunda, tertia, & quarta, quamplurimos, & potentes habent aduersarios; quorum argumenta per ordinem adducemus.

Contra secundam igitur sic arguitur. Illa sunt penitus idem, quæ omnia prædicata, tàm negatiua, quàm affirmatiua, æqualiter admittunt; sed definitio, & definitum sic se habetn, ergo, maior videtur nota; quoniam, sicut ex diuersitate rerum, diuersa prædicata enunciantur, ita ex identitate eadem; minor est maxima, vel axioma ex topicis; quicquid (ab omnibus vt notissimum pronunciatur) affirmatur, vel negatur de definitione, & de definito, atque è conuerso, ergo.

Secundum. Item, quæ differunt tantum secundum maiorem, vel minorem explicationem, solum ratione differunt; nam explicatio, seu definitio dicit expressè, quod definitum confusè, ergo.

Tertium. Amplius. Omne distinctum ex natura rei est per se intelligibile, nam intelligibilitas est passio entis, ac definitũ sine partibus definientibus intelligere implicat, ergo.

Contra tertiam, & quartam sunt Simplicius, Themistius, Alexander, Philoponus, Durandus, Egidius, Gregorius Arimin. & Thomistarum multi. Quorum præcipua fundamenta sunt ista. Primum, quod sit quartum in ordine.

Quartum. Omne quod realiter ab alio distinguitur potest esse sine illo, vel destrui alterum ipsorum, altero remanente; sed neque totum sine partibus, nec ipsæ vnitæ sine toto esse possunt; ergo.

Quintum. Præterea quæcunque distinguuntur realiter, etiam essentialiter distinguuntur, sed totum habet eandem essentiam cum partibus, si quidem essentia ex partibus constituitur, ergo.

Sextum. Amplius illud totum à partibus distinctum, vel est simplex, vel compositum, non simplex, quia est contra naturam totius: non compositum, quia omne compositum partes includit, vt autem à partibus contradistinctum eas includere nequit, ergo.

Septimum. Adhuc ex illa tertia entitate cum partibus præcedentibus fieret aliud compositum, quod pariter realiter distingueretur, & ex illo cum composito, & partibus præcedentibus aliud, quod est vanum, ridiculum, & Philosophiæ indignum.

Octauum. Præterea id confirmatur Auctoritate Aristot. 4. etenim phys. tex. 23. Totum non esse præter partes affirmat; & in secundo de anima tex. 10. ait, sicut oculus est pupilla, & visus, & ibi anima, & corpus animal; quod est dicere animal esse corpus, & animam. Hæc sunt communia argumenta contra vtramque conclusionem, præter vltimam Aristotelis auctoritatem, quæ de toto essentiali dumtaxat esse videtur. Nunc contra hoc totum specialiter arguamus, & sit nonum arg.

Non um. Si distingueretur, in generatione essent duo termini essentiales, videlicet forma, & compositum, hoc autem est absurdum, quia vnius motus, vel mutationis vnus est terminus ad quem, ex 5. phy. text. 34.

Decimum. Amplius hoc compositum esset accidens, quoniam quod aduenit enti in actu est accidens, ex hoc primo phys. tex. 76. hoc autem aduenit materiæ per formam actuatæ, ergo.

Vndecimũ. Item. Definitio non explicaret totam naturam definiti, quod est falsum, & contra communes animi conceptiones. Probatur consequentia, nam in definitione non explicantur nisi partes, quare si totum esset quid aliud, ipsum non explicaretur.

Duodecimum. Pro toto integrali sic arguitur. Si hoc à partibus distingueretur; corruptum idem numero naturaliter reparari posset; quod negat Arist. in 5. phys. tex. 36. consequentia probatur, accipiatur aqua, & in duas partes, vel plures diuidatur, tunc totum continuum corruptum est, quoniam amplius non est; tamen illæ partes iterum vniri possunt, & est eadem tota aqua, ergo naturaliter reparatur, quod cum sit absurdum, ibi non esse totum à partibus distinctum, sed partium dumtaxat aggregationem vel vnionem, fatendum est.

Tertiumdecimum. Præterea in quolibet continuo essent infinita tota, quod est absurdum; consequentia est nota, quoniam in ipso sunt infinitæ partes, quarum quælibet partes habet; vnde respectu illarum est totum, & sic infinita tota.

Quartumdecimum. Pro toto integrali discreto. Si hoc à partibus distingueretur, numerus ternarius esset quaternarius, vel quaternarius quinarius, aut alio modo, probatur, nam præter tres, vel quatuor vnitates est tertia entitas, ergo in quolibet numero alia vnitas additur, & habetur infinitum.

Quintumdecimum. Denique pro toto integrali successiuo. Quod non est, ab alio distingui non potest, sed totum successiuum non est, ergo; maior est nota, quia distinctio supponit esse; probatur minor, nam partes totius successiui sunt in fieri, seu simul sunt, & desinunt esse, ergo nunquam aliquod totum constituunt, & sic ipsum non est. Hæc sunt præcipua argumenta, quæ circa hanc difficillimam materiam confici possunt, quæ si debitè soluantur, positio in suo robore persistet, ad solutionem ergo accedamus.

Solu-

Solutiones Argumentorum.

AD primum respondemus; minorem esse veram de prædicatis non potentibus differentiam inter ipsam definitionem, & definitum, & hoc modo maxima logicalis intelligenda est; de alijs verò fallit, nam definitio est constituens, definitum constitutum, vt intuenti patet.

Ad secundum negatur minor, non etenim sola claritatis maior, vel minor ratio, sed modus constituentis, & constituti in definitione, & definito attenditur.

Ad tertium negatur minor, nam definitio sine definitione confusè intelligi potest, quod sufficit, non enim distincta cognitio, sed cognitio in communi pro vt ad distinctam, & confusam extenditur, est ipsius entis passio.

Ad quartum respondetur; maiorem esse veram, nisi adsit essentialis dependentia, quapropter cum totum à partibus essentialiter dependeat, sine ipsis esse nequit. Partes verò sine toto esse diuinitus non implicat, quamuis simul vnitæ sint; ratio est, quia omnis effectus à Deo impediri potest, vt calor ab igne, similitudo à duobus albis &c. cum verò ipsum totum sit partium vnitatum effectus, eas posse simul sine toto esse non est negandum.

Ad quintum negatur maior; est enim manifestè falsa, & ex mala intelligentia, & confusione distinctionum adinuicem procedit.

Ad sextum quidam Scotistarum difficultatem potius nitentes euadere, quam veritatem aperire, partes in entitatem totius transire, & sic eas includere asserunt; quod nihil aliud est dicere, quam totum esse idem cum partibus, siue in vnione, siue post, nihil refert, esset enim tantum quæstio, quando totum fiat idem cum partibus, & non simpliciter an sit idem, quare scoticam doctrinam defendere conantes, eam penitus diriment; & sibi inconstantes, apparent; præterquam quod, quomodo partes in hanc tertiam entitatem transeunt? naturaliter namque solum per corruptionem id effici potest; sed quid absurdius, quam enuntiare, partes in totus generatione corrumpi, & totum remanere? non ne tunc solum sunt partes quando actualiter est totum, vt habet expressè philosophus in 4. physicorum tex. 25? transierunt ergo, & remanserunt simul; per ipsos inquam transierunt, secundum veritatem remanserunt, cum totum fit, in ordine solum ad partes, dicatur. Amplius si in tertiam transierunt entitatem, ita vt non remanent partes, sed totum tantum; magis intentum probabunt, nimirum totum à partibus distingui, quia est sine ipsis. Amplius peius est hoc asserere, quam ipsum à partibus non distingui cum aduersarijs confiteri, nullus etenim rectè philosophantium, partes in naturam totius sic transire, quod ipsæ rationem partium amittant, dicere audebit; sed quod à toto non distinguantur realiter, illustrium est multorum sententia, dimittantur ergo, & ad veram responsionem accedamus. Dicimus igitur. Totum ipsum vt à partibus contradistinctum esse entitatem simplicem, partes namq; non includit; & dum dicitur, hoc naturæ totius repugnat; respondetur esse verum, secundum realem existentiam, quia videlicet; nunquam est nec esse sine partibus potest: sed secundum suam entitatem diuersa est ratio, debet tamen proferri per modum abstracti, ita vt dicamus, humanitas est alia ab anima, & corpore, & vniuersaliter totum sic distinctum, tertia entitas vocetur; quoniam in concreto cum hoc verbo totum, vel compositum partes semper includuntur, vnde difficulter distinctionem percipimus, sicut facilè in confusionem labimur.

Vera respõsio.

Ad septimum negatur consequentia, ad hoc enim vt compositum efficiatur, actus, vel forma informans cum materia requiritur: modo ipsum totum, nec forma informans, nec ipsa forma cum materia rationem informabilis habere possunt; est igitur quid resultans, veluti vltimum perfectum, & vocatur forma totius. Duplex namque est forma, & duplex materia, videlicet totius, & partis. Vocatur materia, & forma partis, quæ sunt partes totius compositi essentialis, vt hominis anima, & corpus, quæ est constructio intransitiuà, & idem valet, quod forma, & materia, quæ sunt partes. Materia verò totius est forma cum materia simul, forma autem totius est ipsa tertia entitas, quæ ex vtraque prouenit, & hoc pacto dicitur forma totius, quia est totum completum, vel complementum. Si quis iterum dicat; si totum non informat, facit aggregationem, negatur consequentia, quia hic est essentialis dependentia, & essentialis identitas, quod in aggregatis non accidit. At quis iterum instare potest, forma partis vocatur sæpe sepius quidditas ab Aristotele; ergo hæc tertia entitas superfluit, quoniã præter quidditatem nihil aliud est. Respondetur, hanc tertiam entitatem esse verè, & propriè quidditatem formaliter, seu secundum se, formam verò partis constitutiuè; vel sic dicitur, quia est præcipua pars quidditatis, vel concreti compositi.

Forma totius, & partis similiter materia.

Ad octauum. Respondetur; primam Aristotelis auctoritatem ex 4. phys. nihil aliud velle, nisi, totum à partibus non esse separatum, quod gratis concedimus, esse verò distinctum, non est esse separatum; vnde qui distinctionem separationem esse dicunt, philosophicam dignitatem instrumentis lignarijs deturpant. Ad auctoritatem secundi de anima respondetur, intelligendam esse constitutiuè, sic videlicet, quod sicut oculus est, vel constituitur ex pupilla, & visu, ita animal ex anima, & corpore.

Ad nonum respondetur; in qualibet generatione esse vnum terminum tantum formalem, qui est forma partis; alterum vero adæquatum, qui est forma totius non esse negandum; sic Aristoteles, vel vnum formalem, vel vnum adequatum posuit, non duos formales, nec duos adæquatos.

Ad decimum negatur consequentia, non enim ipsa tertia entitas aduenit enti in actu, sed est vltima actualitas, forma namque materiam actuans ad hanc tertiam entitatem ordinatur, & sic non est perfecta actuatio sine ipsa.

Ad vndecimum respondetur, quod sicut partes definitionis definiti partes explicant, ita tota definitio toti definito respondet. Vel dicatur, explicare quod ad nos, non modo perfectissimo: essentiæ etenim rerum non penitus cognoscuntur à nobis prò hoc statu, vt optimè docet Scotus in prologo sententiarum.

Ad duodecimum dicitur, non esse inconueniens, quod producatur iterum, id quod sola diuisione fuit corruptum; Aristoteles autem loquitur de verè corrupto, per destructionem formæ substantialis, de cuius quoque veritate, suo loco dicetur.

Ad tertiumdecimum; id absurdum esse, quod vt absurdum assumitur, negatur, infinita etenim illa tota sunt potentialia, & in ordine ad plenè totum.

Ad quartumdecimum negatur consequentia, ad hoc etenim vt quaternarius quinarius euadat, addenda est vnitas eiusdem rationis, vel materiæ, vt si quatuor hominibus addatur alter homo, illic autem non additur; posset tamen esse numerus quinarius in ratione transcendenti; nam re vera ibi sunt quinque entitates.

Ad quintum decimum, negatur minor, nam totum successiuum est in fieri, ita vt semper sit aliqua pars succedens, aliter constaret ex indiuisibilibus, & sic eo modo quo est, à partibus sicut sunt, distinguitur. Firma ergo Scoti conclusio maneat, videlicet, totum integrale, & essentiale à partibus simul vnitis realiter distingui; quam amplexi fuerunt, Auicennas, Heruæus, Zimara, Ferrariensis, & quamplurimi grauissimi doctores. Notandum

tandum sit tamen; hoc totum non esse quid respectiuum, sed absolutum, patet, quia respectiuum non constat ex absolutis partibus, sed partes essentiales, & integrales sunt absolutæ, ergo.

QVÆSTIO VII.

Si igitur quod verè est nulli accidit. Tex. 27.

Quæritur, an quod vni est accidens, possit alteri esse substantia.

Primum. VIdetur quod sic, nam scientia in nobis est qualitas, & accidens ex 7. phys. tex. 20. in Deo autem est substantia, quicquid etenim est in ipso, est idem sibi, ex omnium Theologorum sententia, quod etiam videtur ab Aristotele comprobari; ipse etenim in tertio de anima tex. 19. idem esse scientiam actu cum re ipsa ait, ex quo loco vulgatissima illa propositio elicitur; intellectus, intellectum, & intellectio sunt idem in separatis à materia, & per consequens intellectio, quæ in nobis accidens est, in immaterialibus est substantia.

Secundum. Præterea linea, & puncta sunt nobis accidentia, & tamen respectu triangulorum, & aliarum figurarum sunt substantiæ, vt expressè habetur in primo libro post. cap. 4. de modis per se tex. 9. ergo.

Tertium. Denique. Omne inferius accidit suo superiori, vt Socrates homini, & homo animali, quæ tamen inferiora in se possunt esse substantia, vt notum est. Pro intelligentia est memoriæ repetendum quod de diuersitate accidentium in quæstione 5. determinauimus; videlicet, quod vno modo de omni quod est extra naturam, rei dicitur, quo pacto accidentis fallacia committitur, & potest quoq; esse substantia, alio modo pro vero accidenti, quod in aliquo ex nouem prædicamentis connumeratur, & quod à substantia contradiuiditur, & hoc solum est hic ad propositum, de quo hanc ponimus conclusionem.

Conclus. Accidens vni nunquam alteri potest esse substantia; probatur, nam prædicamenta sunt impermista, & primò diuersa, ita vt essentia, & natura vnius sit penitus ab altero distincta. Præterea existere per se, & non existere per se sunt contradictoria, quæ neque per diuinam potentiam verificari possunt; at si accidens vni, esset alteri substantia, ipsum accidens (cuius proprium est non per se existere) per se existeret, quod est proprium substantiæ, & sic per se existeret, & non existeret.

Ad Argumenta.

AD primum dupliciter responderi potest. Primò quod æquiuocè dicatur scientia de Diuina, & de nostra, quare non oportet quod sit accidens in ipso, sicut in nobis, quia non est nisi conuenientia nominis. Sic etenim etiam homo est accidens respectu picti, & substantia respectu veri, de æquiuocis ergo propositio non tenet. Quod autem æquiuocè dicatur, probatur, nam nostra à rebus causatur; Dei autem est ipsarum rerum causa, eo modo quo Theologi sciunt; ex quo sic vtriusque naturæ diuersitas colligitur, vt vix commune nomen relinquatur. Dicitur secundò, scientiam absolutè consideratam non esse substantiam, nec accidens, sed transcendens, & ad vtrunque indifferens, sicut animal ex se non est rationale, nec irrationale, sed in homine est rationale, in brutis irrationale; sic scientia in Deo sit substantia, in nobis accidens, quapropter cum sit indifferens ad vtrumque, nullum est absurdum, si hoc modo varietur. Quod autem sit modo prædicto transcendens, non est inconueniens, & si non sit vnum de transcendentibus conuertibilibus cum ente, sicut vnum, bonum, verum, aliquid, & res: hæc enim sunt transcendentissima, & omnibus entibus realibus communia; alia verò sunt transcendentia, pro vt videlicet in aliquo genere non clauduntur secundum se; quo pacto omnia, quæ Deo, & creaturis communia sunt, se habent, vt scientia, sapientia, bonitas, voluntas, &c. Qui igitur hanc positionem amplectitur, æquiuocationem scientiæ ad Diuinam, & nostram admittere non debet; & licet tanta diuersitas inter ipsas appareat, hoc nihil aliud, quam excellentiam vnius ad alteram secundum peculiarem ipsarum rationem, & non secundum communem, insinuat.

Ad secundum respondetur, quod substantia illic sumitur pro essentia, ita vt sit sensus, quod lineæ, & puncta sunt de essentia trianguli, quæ acceptio est apud philosophum in frequentissimo vsu, vt ex definitione æquiuocorum, & vniuocorum (quæ pro nunc ex improuiso occurrunt) patet, quo autem modo puncta, vel lineæ sint de essentia continui, in sexto physicorum videbitur.

Ad tertium respondetur; inferius non esse accidens propriè dictum de quo loquimur, sed extraneum, vt declaratum est.

QVÆSTIO VIII.

Quod autem diuiditur quod verè est in quod verè est aliquid aliud, etiam ratione manifestum est, vt homo, si est quod verè est &c. Tex. 28.

Circa hunc textum, quæritur an substantia, seclusa quantitate sit in partes diuersas diuisibilis.

ARguitur primo quod non. Proprietas alicuius non debet alteri tribui, sed esse in plures partes diuisibile est proprium quantitatis, vt habetur in hoc primo phys. tex. 15. & 17. ergo. Primum.

Præterea. Esse diuisibile est habere terminum communem, vel indiuisibilem, ex hoc namque sumitur diuisio, vt habetur 4. phys. tex. 105. hic autem est solum terminus quantitatis, ergo substantiæ nudæ repugnat. Secundum.

Tandem. Cui repugnat extensio eidem diuisibilitas quoque repugnat, nam diuisio ipsa varias partes alibi situatas, vel extensas connotat: substantiæ vero extensio repugnat, siquidem sit proprium molis, vel corporis quanti, ergo. Oppositum sentit philosophus in præcit. tex. Scotus 2. sent. dist. 3. quæst. 4. Auerroes in serm. de substantia orbis, & quamplurimi alij.

Ad cuius euidentiam quadruplex diuisionis genus est obseruandum. Alia est etenim diuisio in genus, & differentiam, alia in materiam, & formam, alia in partes quantitatiuas, alia tandem in entitatiuas; (dimissis alijs diuisionibus, quæ ad rem non attinent) secundum quas diuersimodè quæstio hæc determinari potest. Si etenim sit quæstio de substantia specifica, & completa, eo modo quo Aristot. loqui videtur in textu, exemplificando de homine; diuisionem in partes essentiales, & in genus, & differentiam proculdubio admittit. Si autem de diuisione in partes entitatiuas sit sermo, non tantum de specifica substantia, sed de nuda materia loqui possumus, & tunc minus conuenit ratio de diuisione in partes quantitatiuas, si quidè de substantia sine quantitate loquamur; vt autem ordine, & sine confusione procedamus per cõclusiones duas respondebimus. Sit igitur prima. Tertium.

V Sub-

Conclusio. Substantia completa specifica seclusa quacumque quantitate est diuisibilis in materiam, & formam, vel in genus, & differentiam, quæ est expressa sententia Aristotelis in textu citato, atque ratione confirmari potest; nā partes hę substantiales sic inter se sunt diuersæ, vt à diuersitate quantitatis non dependeant, nec aliquis ratione compos, materiam à forma, atque genus à differentia differre negabit, cum ergo sint entitates diuersæ, diuisionem quoque, quæ intellectu fit (non autem per realem separationem, naturaliter tamen loquendo) admittunt. Difficultas tamen est, si in partes entitatiuas diuisibilis sit, quod vt determinetur; notandum est, hanc diuisionem esse secundum partes substantiales quidem, sed suo modo quantitatiuis respondentes, sic videlicet, quod sub qualibet quantitatis parte, est etiam pars substantiæ, aliter quantitas illa esset in illa parte sine subiecto, sic ergo sub brachio hominis est substantia, quæ quantitati brachij respondet, & sic discurrendo per omnes alias corporis partes, hæ igitur sunt entitatiuæ partes; nec tantum secundum completam substantiam, sed secundum materiam ipsam cogitari possint: quoniam non solum sub aliquo membro forma corporis, vel aliaquæ vis respondet, sed etiam ipsa prima materia, aliter pars aliqua formæ sine materia existeret. Potest ergo quæri, si materia ab omni forma, & à quantitate separaretur esset nè diuisibilis, vel non, & similiter de substantia completa: nullam etenim quo ad hoc est diuersitatem inter ipsas reperire, sit ergo resolutio, & secunda conclusio in ordine.

Diuisio in partes entitatiuas.

2. Concl. Substantia seclusa quantitate est diuisibilis in partes entitatiuas; probatur, nam sicut has partes non à quantitate, sed ex sua natura habet, sic neque diuersitatem, nec distinctionem ab ipsa quantitate, nisi à posteriori, vel secundariò expectat; quapropter Deus ab homine quantitatem ipsam (quod fieri non implicat) separaret, adhuc caput non esset pectus, nec materia capitis, ea, quæ aliorum membrorum; verum est tamen quod tunc locum aliquem non occuparet, nam occupatio, vel repletio loci est à quantitate, vel dimensionibus dumtaxat; sic tamen esset in loco aliquo, quod non in alio, quod est esse in loco definitiuè, similiter non esset sensibilis, quia hoc solum mediantibus accidentibus fit.

Argumenta.

AD primum respondetur ad minorem; quantitatem esse diuisibilem in partes quantitatiuas secundum propriam naturam; alia verò diuisionem videlicet, vel in materiam, & formam, vel in genus, & differentiam, aut in partes entitatiuas etiam alijs competere potest. Verum est tamen, quod quia naturaliter, vt plurimum loqui debemus, secundum cuius ordinem nulla realis diuisio absque quantitate fieri potest: nam agens quodlibet naturalem semper, & per quantitatem, & circa quantum agit, cum talis quælibet actio sit per contactum; hinc est, quod sola diuisio in partes quantitatiuas, verà diuisio quasi non ficta, vel per intellectum excogitata, vocatur, & per consequens sola quantitas per attributionem diuisibilis dicitur: aliæ namque sunt diuisiones secundum quid, videlicet per intellectum, quas forsan melius esset distinctiones dicere; & si eas interdum diuisiones vocauimus, atque vocabimus, eo modo quo sunt, & secundum communem loquentium vsum intelligimus.

Ad secundum eodem quoque modo respondetur, videlicet, diuisionem per puncta esse secundum partes quantitatiuas.

Ad tertium eadem quoque solutio applicetur, nimirum, solum diuisionem in partes quantitatiuas extensionem exposcere.

QVÆSTIO IX.

Nihil fit ex eo quod non est. Tex. 33.

Vtrum talis propositio sit vera.

ARguitur primo quod non, nam ex Antiquorum solum positione, & hic, & vbicunque (vt considerantibus est notum) profertur, ergo non secundum peripateticam doctrinam, neque secundum philosophicam veritatem, quæ extra Lyceum pura non reperitur.

Item id ex nihilo producitur, cuius nihil ipsius producendi præerat, sed omnis forma est huiusmodi: ipsæ etenim in materia non latent, vt videbimus, ergo ex nihilo fiunt.

Amplius; Quod in nihilum resoluitur ex nihilo fit, vnumquodque namque ex quo est, etiam resoluitur in hoc, ex 3. phys. tex. 45. sed formæ, tam substantiales, quam accidentales in nihilum resoluuntur, quid namq; ex ipsis remanet? ergo.

Præterea. Deum omnia ex nihilo fecisse, atque efficere posse, est ferè apud omnes sectas, & religiones receptum; ergo.

Denique generatio est ex non ente, seu ex non substantia, vt habetur in primo de generat. & corrupt. tex. 11. ergo ex nihilo, quoniam remota substantia impossibile est aliquid remanere ex eodem loco, & ex prædicamentis cap. de substantia.

In hac quæstione de duplici modo efficiendi distinguendum est; videlicet naturali, & diuino. Modus efficiendi aliquid naturaliter est per motum, & circa determinatam materiam; natura namque est principium motus: quare quod à motus conditionibus declinat, à naturali modo agendi recedit, siue motus sit instantaneus, siue successiuus, nihil refert; vnde etiam ipse primus motor, cum ex alia parte sit infinitæ virtutis, dum ad causandum cum alijs causis concurrit, per motum id efficit, requiritur etiam determinata materia duplici de causa. Prima, quia omne agens naturale agit per contactum, vt habetur in 3. phys. tex. 16. tangere autem non possunt se, nisi quæ magnitudinem habent ex 5. phys. tex. 22. quæ verò magnitudinem, materiam vel subiectum supponunt, quoniam cum ipsa magnitudo sit accidens, sine subiecto esse nequit, in materiam igitur quantitate determinatam agens physicum operatur. Secunda ratio est; quoniam quò aliquid est maioris virtutis, eò minus externo auxilio in operando indiget, & quo minoris, eo plus; virtus ergo parua magno indiget adiumento; maior minori; summa, vel infinita, nullo, cum autem nulla sit naturalis infinita virtus, sed vnaquæque limitata, limitatum agendi modum cum determinato adminiculo externo sibi vendicat; & hoc est solum materia. Adde, quod cum materia ipsa sit ingenerabilis, & incorruptibilis ex hoc 1. physicorum tex. 82. non poterit ab agente naturali effici, & per consequens in efficiendo res naturales, quæ ipsam materiam requirunt, sine ipsa agere non poterit, & sic quoque concludendo, omnia ex materia efficiet, ex nihilo vero nihil. Quæ veritas non tantum de generatione substantiæ est tenenda, sed etiam de productione cuiusque accidentis, plus etenim accidentia à subiecto, quam forma à materia dependent: quare neque substantia, nec accidens ex nihilo naturaliter fieri possint, sed omnia ex determinata materia; quomodo autem formæ ex potentia materiæ educantur, suo proprio loco, hoc eodē libro dicetur. De potentia supernaturali aliter sentiendum est, ipsa etenim cū infinita sit, nullius ope est indigens, sed omnia a se sola

Efficere naturaliter & diuinitus.

Prima conclusio.

Secunda.

voluntate

voluntate efficaci producere potest, vnde in genere causæ efficientis, per simplicem productionem, vel creationem, materiam, & quæcunque alia non implicantia efficere potest. Propositio ergo veritatem habet de naturali, non autem de super naturali productione, de qua materia exactius in libris de generatione, & corruptione dicetur, nunc solum ad eam propositionem explicandam, hæc, quæ diximus satis sint.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur prædictam propositionem ideo semper de mente Antiquorum proferri, quia antiquissima erat, & ab ipso quoque Arist. vt vera recipitur.

Ad secundum negatur minor, ad probationem respondetur, quod quamuis materia non sit pars formæ, si quidem forma sit simplex, vt dicit Gilbertus in libro sex principiorum; tamen est fundamentum, & quasi seminarium ipsius, ac ad ipsam pertinens, vnde ex nihilo produci, affirmari non potest.

Ad tertium similiter negatur minor, remanet namq; materia, quæ aliquid ipsius formæ est, vt in præcedenti solutione diximus.

Ad quartum patet; naturaliter enim loquimur.

Ad quintum dicitur, generationem esse ex non ente completo, sed bene ex ente in potentia, vel in actu entitatiuo, vt videbimus.

QVÆSTIO X.

Si igitur infinitum secundum quod infinitum ignotum est &c. Tex. 35.

Quæritur vtrum infinitum sub ratioe infiniti sit ignotum.

ARguitur primò quod non. De quo habetur scientia, ac definitio ignotum non est; sed de infinito ipso hæc omnia habentur in 3. phys. ergo.

Secundo. Si infinitum esset ignotum, naturalis appetitus sciendi esset frustra, nam appetit, vel appetere, potest infinita cognoscere.

Tertiò. Habemus de Deo cognitionem, qui infinitus est, ergo.

In hac quæstione de multiplici infinito breuiter, & ferè solum secundum nomen determinare oportet (locus namque proprius erit in tertio physicorum) Dicitur ergo infinitum secundum essentiam, quod perfectiones infinitas continet; secundum potentiam, quod ad infinitos effectus ex parte sui, & saltem successiuè se extendere potest, secundum præsentiam cui infinita sunt præsentia, vel cognoscuntur, quibus infinitatibus solus Deus præditus est; alio modo dicitur infinitum secundum quantitatem, vel permanentem, vt si esset linea, vel alia quantitas infinitè extensa sine terminis, quod vocaretur infinitum in actu; vel successiuam, vt motus, tempus, & quælibet duratio, vel acceptio partis post partem, quod infinitum in potentia vocatur, & fit per diuisionem, vel appositionem: quemadmodum numerus qui successiuè in infinitum augeri potest, hoc tamen est de ratione cuiuslibet infiniti, quod infinitas entitates, vel perfectiones, vel partes respiciat. *Infinitum multiplex.*

Notandum est etiam, quod aliquid dupliciter cognoscere contingit, videlicet comprehensiuè, sic quod omnia, quæ ad eius naturam pertinent determinatè percipiantur, quod fortè est cognoscere distinctè, & simpliciter; alio modo apprehensiuè, videlicet si illud apprehendamus sine talium distinctione, quę est cognitio confusa in vniuersali, & circa ea, quæ infinita continent, negationem aliquam admistam habemus, etiam si definiri videantur, vnde à vera ratione definitiua deficiunt: sicut si hominem definiendo diceremus, ipsum non esse asinum, non equum, sed quid præstantius. Quibus habitis ponuntur duæ conclusiones. *Cognoscere comprehensiuè.* *Et apprehensiuè.*

Prima. Quodcunque infinitum cognitione comprehensiua est nobis incognitum. Probatur, quoniam si cōprehenderetur, omnes eius partes, vel entitates, aut perfectiones ab intellectu limitarentur, & sic, vel non essent infinitæ, vel etiam intellectus ipse infinitus esset, nam finitum infinitum non continet, neque in esse reali, neque in esse cognito. *Prima conclusio.*

Quodcunq; infinitum potest à nobis confusè, & quasi modo negatiuo cognosci, quia sic non habet rationem infiniti, vnde est apprehensibile. *Secunda.*

Ad Argumenta.

AD primum respondetur, nec definitionem perfectam, nec perfectam scientiam de infinito dari, sed negationem, & quasi impossibilitatem ad ipsum cognoscendum insinuatur; dicitur enim, ipsum esse, cuius semper aliud accipiendum extra est, ac si diceretur, cuius semper aliqua pars est ignota, tamen quia pro hoc statu aliter scire de istis nequimus, optima (pro vt habere potest) scientia illa meritò censetur.

Ad secundum respondetur, naturalem appetitum nō esse frustra, & si non omnia consequatur; dicitur namq; solum frustra, nisi ea, quæ natus est adipisci non adipiscatur, cum ergo non sit natus cognoscere infinita, quamuis id optet, frustra non erit; sic namq; vel omnes beati essemus, vel appetitus frustra; cum hic, & vbique beatitudinem maximè appetamus, rationalis ergo appetitus est liber, & potest quæcunque vult appetere; sed si ea, ad quæ secundum communem naturam hominum non attingat, cuiusmodi est cognoscere, sentire, viuere, &c. frustra dicitur, aliter non.

Ad tertium respondetur sicut ad primum, nimirum Deum à nobis non distinctè, vel comprehensiuè cognosci, sed confusè, & per negationem.

Dubitatio quædam circa eundem textum 35.

HAbetur in pręcitato textu, sic enim cognoscere cōpositum arbitramur, cum cognoscimus ex quibus, & quot sit, quæ sententia hac de causa difficultatē affert, quoniam nullum compositum continuum cognosceremus, eo quod omne tale continuum infinitas habet partes, vt in 3. videbimus; & infinitum, vt vidimus, est ignotum. Respondetur ergo; quod si de composito ex materia, & forma, vel ex genere, & differentia, siue etiam ex subiecto, & accidente sit sermo, nulla quidem est difficultas, partes namque ipsorum sunt finitæ, imò si de immediatis loquamur, duæ tantum sunt; vt in composito essentiali materia, & forma; in definibili genus, & differentia, & denique in eo, quod est per accidens, subiectū, & accidens; maior ergo difficultas est de toto integrali continuo, de integrali etenim discreto cuiusmodi est numerus, nec multū est laborandum, siquidem omnes eius vnitates cognoscibiles sint. Dicimus ergo, quod totum integrale continuum potest secundum duplices partes cōsiderari, & cognoscibile dici, vel non; videlicet secundum quantitatiuas, & proportionales. Vocantur partes quantitatiuæ, quæ secundū aliquam determinatā mensuram, vel terminum accipiuntur, siue sint æquales, siue non, vt quę sint, vel vnius, vel duorū palmorum. Proportionales verò secundum habitudinem vnius ad alteram; vt si aliquod totum in duas æquales partes, seu medietates diuidatur, & alia medietas in duas iterū medietates, ac altera rursum in alteras, & sic sēper, hę partes proportionales vocātur, quia sicut secunda habet proportionē *Partes quātitatiuè, & proportionales.*

cum prima in medietatibus diuisa, ita tertia cum secunda, & sic de alijs. Sit ergo resolutio. Totum continuum secundum omnes partes proportionales cognosci minime potest; patet, nam illæ sunt infinitæ, vt in tertio videbimus, at infinitum est ignotum, potest tamen secundum quantitatiuas, sic nimirum, quod sciamus quot partes in ipso sint, secundum minimam consuetam mensuram; ita vt si minima mensura rei continuæ sit vnius digiti, ad hoc vt perfectè continuum aliquod sciatur, ex quot digitalibus partibus constet, noscendum est; si verò secundum maiorem quantitatem mensuræ statuantur, proportionaliter philosophandum est.

QVÆSTIO XI.

Manifestum est igitur, quod impossibile est, carnem, aut os, aut aliquid aliud quantumcunque esse magnitudine, aut in maius, aut in minus. Tex. 36.

Circa hunc textum quæritur. Vtrum entia naturalia sint ad maximam, & minimam quantitatem determinata.

IN hac quæstione sic procedam; primò argumenta; secundò distinctiones quasdam. Tertiò conclusiones cum quibusdam obiectionibus aduersantium, & cum earum solutionibus; ac tandem argumentorum in principio quæstionis positorum solutiones ponam.

Argumenta.

Primum. QVod est augmentabile in infinitum, certam, ac limitatam quantitatem non sibi vendicat; sed multæ res naturales sunt huiusmodi, ergo; maior est ex vi terminorum nota, probatur minor, nam ignis sic augmentabilis est si combustibile adsit, vt habetur in secundo de anima tex. 41. similiter numerus versus plura semper omnem excedit multitudinem ex 3. physic. tex. 61.

Secundum. Præterea rerum diuersitas secundum regionum diuersitatem, prædictum Aristotelicum dogma falsum esse demonstrat; alibi etenim ingentes nascuntur fructus, & animalia, alibi verò eiusdem speciei (vt ferè omnibus notum est) modica, & penitus minora, quod non esset, si omnium determinata quantitas esset, idem dici potest de hominibus, vel secundum terrarum diuersitatem, vel secundum temporum differentias existentibus: gigantes namque, & nani id quod dicimus (absque alio discursu) comprobant.

Tertium. Amplius quilibet homo, vel animal in determinata quantitate constitutum potest virtute nutritiuæ facultatis pingue fieri, & sic maiorem acquirere magnitudinem, vel frustra nutritiua potentia esset.

Quartum. Item Historici de Crocodilo referunt, vsque ad finem vitæ augeri, ergo nullam habet determinatam quantitatem.

Quintum. Deniq; omnis res quanta est diuisibilis in infinitum, vt videbitur in sexto, ergo semper potest fieri minor; cum autem res omnes naturales quantæ sint, vel per se, vel per accidens, minores semper fieri possunt, & sic non sunt secundum paruitatis limitem determinatæ. Oppositum sentit phylosophus.

Distinctiones quædam.

Res Homogeneæ. PRo quæstionis resolutione, quædã distinctiones necessariò præmittendæ sunt, sit igitur prima. Rerum naturaliũ, quædã sunt homogeneæ, quædam heterogeneæ. Homogeneæ dicũtur, quarum partes sunt eiusdem rationis, & ab Arist. passim similares dicũtur, sic se habet aqua, aer, caro, os, & fortè omnia inanimata præter artificialia quædã, & figuras: non .n. pars statuæ est eiusdem naturæ quo ad rationem statuę cum toto; neque pars circuli, vel trianguli cum triangulo, vel circulo ipso toto; sicut è contra qualibet pars aquę, vel aeris, aut ossis, est alteri parti similis, vnde æqualiter prædicationem totius recipere possunt: dicimus namque hæc aeris pars est aer, hæc pars ossis est os, non autem dicimus, pars trianguli est triangulis, vel pars domus est domus; quapropter aliqui non inconsultò sic definitionem horum homogeneorum integrant. Sunt eiusdem naturæ partes, & totũ, & ipsius totius prædicationem recipiunt; non tamen est credendum, quod sit totum ipsum integrale, quod prædicatur, quia prædicatio esset falsa, non enim totum hoc de parte dici potest, quia sic propositio ista esset vera, hæc pars ligni est totum hoc lignum; sed prædicatur totum vniuersale, puta lignum, vel aer in communi. Res autem heterogeneę sunt, quarum partes sũt diuersæ, nec totum vniuersale de ipsis prædicatur; sic se habet viuentium partes, & multorum aliorum, vt alia ratio, vel natura est carnis, alia sanguinis, & ossis; ac in plantis, alterius rationis est folium, alterius radix, vel cortex &c. vnde non valet dicere os hominis, vel animalis est homo, vel animal; nec folium est planta, & ab Aristotele vocatur totum dissimilare. Rei heterogeneæ. Secunda distinctio. Res possunt intelligi determinari ad maximum, & minimum tripliciter, vel secundum multitudinem, vt numerus, vel secũdum magnitudinẽ, vt corpora, aut aliæ quantitates, aut tandem secundum intentionem, vt albedo magis, & minus intensa. Tertia distinctio; res ipsas ad maximũ, & minimum determinari, potest etiã intelligi, vel secundum mensuram geometricam, vel modo naturali; primo modo esset, si ad indiuisibile terminarentur, secundo verò si in quandam latitudinem, pro vt natura videlicet expostulat, vt si magnitudo hominũ esset vsq; ad sex cubitos, vel circa. Quarta. Earundem rerum naturalium quatuor sunt termini, duo nimirum ex parte magnitudinis, duo vero ex parte paruitatis, & duo sunt intrinseci, duo autem extrinseci, sic scilicet, quod alter est intrinsecus, alter extrinsecus magnitudinis, & proportionaliter, vnus est intrinsecus, alter extrinsecus paruitatis; intrinsecus magnitudinis est maior magnitudo, quam res naturalis attingere potest, verbi gratia, si humana natura ad decem dumtaxat palmos pertingere queat, decimus palmus erit internus magnitudinis terminus humanæ speciei, & vocatur maximum quod sic, quasi dicatur, maximum quod attingi potest. Extrinsecus autem eiusdem magnitudinis est quantitas immediatè super prædictam, vt in præfato exemplo erit quantitas vndecim palmorũ, nam ad vndecimum attingere nequit, & hoc vocatur minimum quod non; quia inter omnes quãtitates, quas attingere non possumus secundum magnitudinem, hæc est minima; quod sic melius declaratur, si quis solum ad decimum palmum peruenire possit; patet, quod neq; ad vndecimum, nec ad duodecimum, nec ad tertium decimum, vel alios poterit, intet quos minimus est vndecimus. Terminus internus paruitatis est minor quantitatis sub qua res existere possunt, vt si humana natura non possit sub minori quantitate saluari, quam trium palmorum, hæc erit minor quantitas ab ipsa attingibilis, & vocatur minimum quod sic, seu minimum, quod attingi potest. Terminus verò paruitatis externus, est qui immediatè sequitur præcedentem, procedendo versus minimum, ac in proposito exemplo erit quantitas duorum palmorum, quoniam ex tribus statim ad duos descendimus; & hoc vocatur maximum quod non; quia videlicet post illam paruitatem, maxima, vel maior quantitas est duorum palmorum, nam post ipsam est vnius, postea dimidia. Notandum est tamen, quod

etiam

etiam respectu extrinseci termini magnitudinis posset quæri maximum quod non; tamen quia est indeterminatum, & ferè in infinitum procedens, ideo dimittitur, quod autem sic se habet, patet, nam si assignetur pro hoc maximum certum, ad mille adhuc vltra semper procedere possumus, ideo propter hanc indeterminationem tale maximum non ponitur; non sic se habet versus paruitatem. Quinta distinctio. Possunt res ipsæ naturales secundum determinatam quantitatem considerari, vel quoad speciem, vel quoad indiuidua, vel quoad generationem, vel quoad conseruationem, & omnia de facto, vel de possibili: quo ad speciem vt si humana natura possit sub minori quantitate, vel sub maiori quam secundum communem cursum habet, conseruari, quo ad indiuidua, si Petrus possit augeri, & minui; quo ad generationem, vt si homo possit nasci secundum quantitatem formicæ, & sic est paruitas, vel secundum staturam viri perfecti, vel aliam, & hæc est magnitudo; similiter si sub eadem magnitudine conseruari possit. De facto intelligitur, si existat aliqua omnium maxima magnitudo, vel omnium minima; de possibili, si data quacunq; magnitudine, semper fieri possit maior, vel minor, & hoc vel naturaliter, vel diuinitus, & in comparatione ad speciem, vt si detur, vel dari possit maximus, vel minimus homo; aut in comparatione ad genus, vt maxima, vel minima planta; aut tandem in comparatione ad quodcunq; simpliciter quantum, vt maximum, vel minimum corpus, vel numerus, vel qualitas, aut aliud. Hæc necessariò præmittenda fuerunt; ad conclusiones accedamus.

Conclusiones.

PRima. Res naturales heterogeneæ de facto, & de possibili, quoad generari, conseruari, nec non quo ad continuam quantitatem, & in specie, & in genere, & indiuiduo, secundum naturalem mensuram, & vi naturæ sunt ad maximum, & minimum determinatæ, probatur: nam cum determinata organa, vel partium distinctarum situm, ac figuram expostulent, non poterunt in omni quantitate conseruari, necesse, vnde nec homo ad staturam formicæ, nec illa ad ipsius, vel montis pertinget; naturaliter inquam loquendo, quia fortè diuinitus oppositum non est impossibile; cum nulla videatur contradictio.

Secunda. Res omnes tam homogeneæ, quam heterogeneæ, tam quo ad magnitudinem, quam quo ad numerum determinatam quantitatem de facto habent; probatur, quia sicut habent determinatam formam, ita determinata accidentia, & maximè quantitatem, quæ omnium aliorum accidentium post materiam fundamentum existit, de numero specialiter probatur, quia cum omnes res naturales sint quantæ, si secundum numerum in infinitum quid efficerent, constitueretur actu infinitum, saltem per aggregationem, quod Aristoteles in tertio physicorum, & nos quoque cum ipso reprobabimus. Similiter de facto datur determinata intensio, pro vt determinatam naturam, & accidentia sequitur, quod in genere, specie, & indiuiduo intelligendum est.

Tertia. De possibili secundum naturam datur quoq; determinata quantitas continua rerum, adhuc sensum videlicet, quod infinita fieri non potest, vt docet Aristot. in tertio physic. tex. 60. quia infinitum in actu repugnat. Oppositum tamen de diuina potentia pronunciadum, est, quia videlicet omni magnitudini alteram apponere potest.

Quarta. De possibili non datur maximus numerus, quia semper est in infinitum augmentabilis; sed bene datur minimus, qui est dualitas.

Quinta. De possibili datur minima intensio, & maxima, probatur prima pars: nam diuisio qualitatis fit per gradus, hi etenim intensionē respiciunt, (diuisio nāque, quæ fit per quantitatem ad extensionem pertinet, & respectu qualitatis, est per accidens) si ergo non daretur vltimus gradus, in qualibet qualitate essent infiniti, & sic vnaquæque albedo esset infinitè intensa, & nulla inter eas esset differentia, quæ omnia absurda sunt. Probatur secūda pars, nam qualitas est actiua, ergo si in infinitum crescere secundum intensionem posset, esset infinitæ actiuitatis, & virtutis; præterquam quod cum sit instrumentum formarum ipsis non proportionaretur, sed & in agendo eas superaret, quod est absurdum, cum ab ipsis dependeat, & subiectum esset illius infinitatis incapax, quæ conclusio de possibilitate naturæ est vera, & fortè etiam in ordine ad diuinam potentiam: quoniam quod recipitur in subiecto finito finitum est, quare infinita in ipso recipi non potest, quia esset finita, & infinita, nec Deus potest vicem subiecti supplere, vt alibi diximus.

Sexta. Res homogeneæ secundum quantitatē continuam de possibili non sunt determinatæ, nec ad maximū nec ad minimum. Probatur prima pars, quia ignis est augmentabilis in infinitum, si combustibile adsit, & similiter aer, aqua, & alia: & quamuis eis propter finitatem mundi sibi repugnet, hoc tamen ex parte sui non est. Probatur secunda pars. Omne continuum est diuisibile in infinitum, hæc sunt entia continua, ergo. At si quis dicat, hoc est verum ratione magnitudinis, sed non ratione formæ, nihil valet, quia ipsa forma nihil aufert, imò cōfert ad hoc. Sed contra hoc sunt aliquæ instantiæ difficiles. Prima, Arist. in hoc libro tex. 38. ponit minimam carnem, ergo. Secunda Idem Arist. 2. de anima tex. 41. ait, natura constantium omnium terminus, & ratio magnitudinis existit. Tertia. Omnes operationes rei determinatæ sunt, ergo determinatam quantitatem exposcunt. Quarta, natura nihil frustra facit, at sub parua quantitate, vel sub alia minore non potest res cōseruare, vnde paruus ignis cito extinguitur, & parua aqua exiccatur, ergo non potest eis vsq; ad minimum, & infra (si fas est sic loqui) efficere res, aliter contra propria instituta operaretur. Hæ autem obiectiones sic soluūtur. Ad primam respondetur; Arist. ponere minimam carnem quo ad segregationem contra Anaxagoram, ita vt sit sensus, rem per diuisionē sic ad paruitatē deuenire, vt ex aliqua parte aliquid segregari non possit, aliquid inquam non eiusdem naturæ, quia hoc pacto semper est diuisibilis, sed alterius actualiter in præcedenti contenti, eo modo quo Anaxagoras dicebat, videlicet ex carne omnia segregari; puta homines, lapides &c. patet enim, hæc in parua carne contineri non posse, & sic est minima ratione continentiæ, & segregationis prædictæ. Ad secundā respondetur, quod ibi Arist. loquitur de viuētibus, vt est videre; & si ad omnia transferatur, intelligendum est de facto. Ad tertiam dicimus; determinatas operationes non auferri per maiorem, vel minorē quantitatē in homogeneis, & si aliquo modo augeri, vel minui possit, vt ignis siue paruus, siue magnus semper ascendit, calefacit, & cōburit, de heterogeneis quidē ratio valeret. Ad quartam respōdetur, re vera naturā ipsam sub minima quantitate res non efficere, vt cōseruentur, tamen non aufert quin diuisibiles semper sint, quia id repugnaret ex parte cōtinui. Verū est tamen quod res semper diuisæ postquā ad paruitatem quāndam redactæ fuerint, à cōtinente facilè corrumpuntur, hoc tamen nihil de diuisibilitatis ratione aufert, ipsis enim stantibus semper diuisibiles sunt, vt in sexto quoque videbimus, nunc soluamus argumenta principalia.

Ad Argumenta.

AD primum patet, nam prima pars est pro hac vltima conclusione; secunda verò pro quarta.

Ad secundum respondetur in omnibus prædictis seruari mensuram, & determinationem quandam naturæ, non secundum geometricam subtilitatem, vnde organa

ad propria officia suæ speciei subeunda, quod naturalis determinationis est obtinent; & sic sufficit quod sint determinata, quicquid alij dicant; asserunt enim quidam hoc esse ob vitium materiæ; sed obijciet aliquis; vndecunque sit, sat esse, quod determinata non sint, quare melior est alia responsio, scilicet prima, quamuis ab ipsis inculcetur.

Ad tertium respondetur argumentum, determinationem mathematicam, vel geometricam auferre non autem naturalem, quæ sie exacta non est. Verum est tamen, quod non fieret pinguefactio in infinitum, quia calor naturalis determinatur; vel dici poterit, non adhuc peruenisse ad quantitatem determinatam si augmentationem acquirit; vel quod quantitas attenditur præcisè, vel præcipuè ex parte sursum, vel secundum longitudinem.

Dubitatio circa textum 37.

Ad quartum respondetur; Crocodilum etiam circa finem determinatam obtinere quantitatem.

Ad quintum dicimus, quod est pro vltima conclusione. Nunc dubitationem quandam circa tex. 37. incidentem soluamus, habetur enim. Omne corpus finitum per ablationem finiti consumi, quod falsum erit, si omne continuum in infinitum diuisibile sit. Respondetur, finitum consumi per remotionem partium quantitatiuarum, non autem proportionalium; imò secundum istas in infinitum diuidendum esse dicimus, atque dicemus.

QVÆSTIO XII.

Oportet enim principia neque ex alterutris esse, neque ex alijs, & ex his omnia. Tex. 42.

Circa hunc textum quæritur an rectè ab Aristotele rerum principia definiantur.

IN hac quæstione prius argumenta apponentur, deinde de principiorum natura, & diuersitate differemus, tertiò conclusionem, ac tandem argumentorum solutiones habebimus.

Argumenta.

Primum. QVod igitur non bene assignentur sie probatur. Quicquid ex nihilo fieri nequit ex aliquo fit, sed forma non potest fieri ex nihilo, vt in propria quæstione visum est, ergo fit ex alio, & non nisi ex materia, ergo principia ipsa ex alterutris fiunt, seu vnum ex alio, quod idem est.

Secundum. Amplius. Omne compositum ex alio fit, videlicet ex partibus componentibus; sed prima principia, saltem materia, & forma sunt composita, ergo, probatur minor; omne quod cum aliquo conuenit, & cum alio differt, duo componentia, quæ vt genus, & differentiam se habent, includit: nam eadem ratione non potest conuenire, & differre; sed forma conuenit cum materia, & è contra, quia ambæ sunt substantiæ, vt in secundo videbimus: differunt quoque, quoniam materia est substantia imperfecta, & potentialis, forma verò perfecta, & actualis, & sic genus, & differentiam habent, atque compositionem ex alijs admittunt.

Tertium. Præterea. Cœlum ex istis non fit, vt in primo de Cęlo videbimus, ergo non omnia ex his fiunt.

Quartum. Denique, bona definitio omnibus contentis sub definito conuenire debet; hæc autem non conuenit; ergo, probatur minor; nam falsum est dicere ex principio Socratis omnia fieri, at in definitione ipsa principiorum omnia ex ipsis fieri assumitur, vnde potest fieri destributio, ergo ex hoc fiunt omnia, &c.

De natura, & diuersitate principiorum.

QVamuis principium in communi, propria, ac quidditatiua definitione definiri non possit, cum sit transcendens, nec tantum ad cuiuslibet prædicamenti seriè se extendat, sed priuatiua entia quoque complectatur: aliqua tamen notificatione exprimi posse, non est negandum, quare oppositum sentientes, quid Aristoteles in quinto Metaphys. tex. 1. de hoc dixerit, non vtique perlegerunt, habet enim hæc verba: Omnibus igitur principijs commune est esse primum, vnde aut est, aut fit, aut cognoscitur, & sic ad omnia cuiuslibet generis, & positiua, & priuatiua principia se extendit, & communis notificatio, vel descriptio ei aptatur. Ex qua notione quomodo à causa differat, non est difficile videre, de ratione etenim causæ est, vt non solum causatum præcedat, vel ex ipsa cognoscatur, sed quod ei det esse, quapropter non potest esse nisi ens reale, & positiuum, maximè si secundum propositum de effectibus realibus loquamur: quoniam à causa priuatiua, vel non reali, effectus realis esse nequit, aliter effectus nobilitate causam superaret; sed de ratione principij solum est, vt principiatum præcedat; cum autem hoc pacto præcedere etiam causis conueniat, ipsæ quoque poterunt principia vocari, & non è contrà, quò fit vt principium sit causarum genus, & causæ ipsæ principiorum species, ei differentiam aliquam addentes; vt autem quò ad rem attinet perfectam de principijs cognitionem habeamus in singula diuidendum est, dicitur ergo principium multipliciter, aliud est enim principium durationis, aliud magnitudinis, aliud ordinis, aliud cognitionis, aliud denique rei, quod in intrinsecum, & extrinsecum diuiditur. Durationis est quo entia successiua, vel quæcunque non æterna, incipiunt; sic se habent motus, & tempus aliquod particulare, vt principium diei est aurora, & huius, vel illius motus, quia in tali tempore incæpit, similiter rerum non æternarum, quando esse cæperunt; verum quædam simul principium hoc cum fine habent, vt quæ durant solum per instans. Magnitudinis est terminus quantitatis, vt in linea punctum, in superficie linea, in corpore denique superficies. Ordinis est quod secundum debitam rationem, vel dispositionē præcedit, vt in numeris vnitas, in oratione exordium. Cognitionis est à quo quis facilius discit, quare non est idem omnibus, sed secundum ingeniorum captum variatur. Principium denique rei est à quo, vel propter quid, vel ex quo res compositæ fiunt, ex quo sicut multiplex est compositio, sic multipliciter dicitur; alia enim est compositio ex materia & forma, alia ex genere & differentia, alia ex partibus integralibus, alia ex subiecto, & accidente, & sic forma, materia, genus, differentia, partes integrales, & subiectum, & accidens, principia ex quo res fiunt, atque interna sunt; externa vero sunt causa efficiens, & finalis; efficiens à quo finalis propter quid nuncupatur, dicūtur autem rei principia, nam quod alia ad rem ipsam (præter cognitionis principium) non attineant, sed per quandam excellentiam, pro vt videlicet dant verum esse, possunt ergo omnia hæc rei principia etiam generationis appellari, in communi autem vnum quodque prædictorum, tam videlicet, durationis, quam magnitudinis, &c. potest in per se, & per accidens diuidi; per se erit, quod in suo genere verè principiat, vt tempus, & motus in duratione, punctum in linea, & sic de alijs; per accidens, quod cum istis coniunctum est, vt si tempore quo aliquid cæpit, fuerit calor, & à colore cæpisse dicamus, calor erit principium durationis per accidens; similiter si circa magnitudinis principium aliquid non per se consideretur, & ratio principij

Principium sex modis dicitur.

ei

ei tribuatur, vt si dicamus magnitudo incipit ab inuisibili, prout punctum inuisibile est, ipsum inuisibile per accidens erit, & sic de alijs. At quãuis multa sint principia, nõ tamen de omnibus apud naturalem phylosophum est sermo, nec definitio ab ipso tradita omnibus adaptari potest, sed quę determinatè materiam respiciunt solummodo respicit; hæc autem sunt, quæ rebus naturalibus non quocunque modo, sed essentialiter, & prout naturales sunt, conueniunt. Cum autem res ipsæ naturales in duplici sint discrimine, aliæ etenim corruptibiles, aliæ incorruptibiles sunt, consequens est, vt diuersa eis applicentur principia, maxime si de internis loquamur, nam externa, sicut sunt efficiens, & finis, hoc non requirunt, imò ab eodem primo efficiente omnia pendent, omniaque, vt ad finem diriguntur. De principijs ergo internis, & rerum corruptibilium duntaxat in hoc libro Aristoteles determinare intendit, vt expresse in tex. 68. huiusmet libri declarat; quapropter, qui cęlum ex materia, & forma constare asserunt corruptibile esse, necessariò fateri coguntur. Quod autem quidam dicunt, (sat esse, vt cęlo solum materia & forma absque priuatione conueniat, & ideò non esse corruptibile) inconsideratè dicitur; materia etenim sine priuatione omnium formarum præterquam illius, quam habet, nec esse, nec intelligi potest, de qua re in libris de cęlo fusius dicetur. Vniuersaliter autem in 2. Physicorum de principijs ipsis peragit, ibi enim vltra prædicta de efficiente, & fine, quæ ad incorruptibilia se extendunt, determinat; de peculiari autem ipsorum incorruptibilium natura in proprijs libris opus est reseruare tractatum, siquidem communia præcedere debent, ex 3. Phys. tex. 2. Nunc autem si ipsa interna rerum corruptibilium principia rectè assignata sint per conclusionem resoluamus.

Conclusio.

Rectè principia interna corruptibilium rerum ab Aristotele assignantur, quod clarè patebit, si ipsorum conditiones respiciamus, & sigillatim eas examinemus, sunt ergo tres, vt ex tex. manifestum est; prima, quod non sint ex alterutris; secunda, quod non ex alijs; tertia, quod omnia ex ipsis fiant: probatur ergo prima. Opposita priuatiua non possunt ex se mutuo fieri, ita videlicet, quod vnum sit pars alterius (sic namque intelligi debet) imò repugnant, & contradictionem implicant: cęcitas enim non est pars, vel principium visus, sed quædam principia, puta forma, & priuatio sunt opposita priuatiua, vt ex vi vocabuli notum est, & melius postea patebit, ergo; diximus notanter opposita priuatiua, quia re vera sic prædicta duo opponuntur, & quoniã de simpliciter contrarijs saltem in esse remisso, non est adeo manifesta veritas, quin instantiam patiatur, forma igitur non potest fieri ex priuatione, necè contra, quod autem forma materiæ, nec materia formę sit pars etiam ex se euidens videtur, siquidem longè distent, & vtraque simplex sit, quæ partes omnes saltem essentiales refugiunt. Quod autem priuatio non sit pars materiæ, nec è conuerso facili negotio suadetur; nam neque priuatiuum, seu non ens, positiui, & entis pars esse potest, nec è contra.

Tres conditiones principiorum.

Probatur secunda. Quod ex alijs fit non est primum, sed posterius ijs, ex quibus fit, & ab ipsis depedens; si ergo prima principia ex alijs fierent, prima non essent, & sic esset repugnantia in adiecto, vocando videlicet ea prima, & ab alijs. Probatur tertia. Omne quod est, vel est principium, vel a principio, ergo omnia præter ista, ab istis sunt, quæ solum principia aliorum dicuntur. Hæ rationes ab Arist. quoque in litera tanguntur, at vniuersa conclusio fusè per inductionem multorum ab eodem declaratur, vt est ibidem videre.

Ad Argumenta.

Ad primum dupliciter ad minorem respondere possumus, videlicet, formam non fieri ex materia, sed compositum, vtraque enim ad compositum ordinatur, & ipsum propriè fieri dicitur ex 7. Metaph. tex. 32. & alibi. Alio modo; Et si forma ex materiæ potentia educatur, non tamen ex ipsa veluti ex parte fieri dicendum est, hoc autem pacto principia non fieri ex alterutris diximus.

Ad secundum respondetur, nos de compositione essentiali solummodo loqui, non autem de ea, quæ ex genere, & differentia constat. An verò materia, & forma ex genere, & differentia constituantur, alibi examinabimus.

Ad tertium, quid dicendum sit, patet; loquimur enim solum de principijs rerum corruptibilium; cęlum autem incorruptibile est.

Ad quartum negatur minor, ad probationem respondetur, eam definitionem esse principiorum sub ratione communitatis, ideo eam applicare particularibus, est fallacia consequentis, sicut si diceretur homo est communicabile pluribus; Petrus est homo, ergo. Vel dicatur, quod fieri debet distributio ex parte subiecti, & prędicati simul, & sic particularibus conuenit, quæ distributio hoc pacto fiat, omnia fiunt ex principijs, ergo hoc fit ex istis principijs, illud ex illis, & sic de alijs.

QVÆSTIO XIII.

Contrarijs autem primis insunt hæc, &c. Tex. 42.

Circa eundem textum quæritur, an prima contraria sint rerum corruptibilium principia.

Arguitur primò, quod non. Substantiæ nihil est contrarium, vt habetur in hoc libro tex. 52. & in prædicamentis capite de substantia, sed prima principia sunt substantia, aliter ex non substantia, substantia fieret, & ipsa non substantia esset substantia prior, quorum vtrunque, vt absurdum ab Aristotele in præcitato textu 52. inducitur; ergo ipsa principia contraria non sunt.

Secundò. Prima cõtrarietas solum inter primas quatuor qualitates (quæ sunt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas) reperitur, vt habetur in 2. de generatione, & corruptione tex. 8. Sed prima principia non sunt qualitates, quia ex ipsis non constitueretur substantia; ergo non sunt prima contraria.

Tertio. Si principia rerum corruptibilium essent prima contraria, omnes aliæ contrarietates essent secundę, vel non primæ, hoc autem est falsum, quoniam in omni genere est vna prima contrarietas, ex hoc lib. tex. 40. & ex 10. Metaphys. tex. 50. prædicamenta autem sunt impermista, ita vt vnum sub alio non sit; quapropter vel falsum est in omni genere esse vnam primam contrarietatem, vel hæc prima principia esse contraria prima.

Quartò. Prima principia non fiunt ex alterutris, vt in hoc textu 52. notum est, at contraria ex alterutris fiunt, vt habetur hoc eodem libro tex. 47. ergo prima principia non sunt contraria.

Quintò. Si contraria sunt, aliquod constituere non poterunt; contraria namque potius se expellunt, quam conueniunt, ergo vel non sunt contraria, vel non sunt principia.

Sextò. Aut materia, & forma, aut forma, & priuatio,

tio, aut materia, & priuatio sunt contraria; non materia, & forma, quia ipsæ sunt partes essentiales simul in composito manentes, contraria verò simul esse non possunt; non materia, & priuatio, quia nihil contrariatur proprio subiecto in quo recipitur, priuatio autem recipitur in materia. Non tandem priuatio, & forma, quoniam vel ipsa priuatio contrariatur formæ habitæ, vel habendæ; non habitæ, quia cum ipsa manet, vt cum forma seminis manet priuatio formæ animalis; non habendæ, quia illa non est, & cui non est aliquid contrarium esse non potest.

Contraria quid. Quæstio hæc facili soluetur negotio, si quædam communia, & omnibus etiam mediocriter philosophantibus nota, præmittantur. Contraria ergo dupliciter sumuntur, videlicet secundum rigorem, & minus strictè, primo modo sic ab Aristot. 5. Metaph. tex. 16. definiuntur. Contraria dicuntur, quæ non possunt simul eidem adesse, cum eorum sint, quæ secundum genus differunt: & quæ plurimum differunt, cum in eodem genere sint; quæuè plurimum differunt cum in eodem susceptiuo sint: ac etiam quæ plurimum differunt, cum eorum sint, quæ sub eadem potentia sunt, & quorum differentia maxima, aut simpliciter, aut secundum genus, aut secundum speciem; hęc igitur sunt verba ipsius Aristot. ex quibus elicitur, ipsa contraria necessariò esse accidentia, quoniam inesse susceptiuo, vel subiecto proprium accidentium est, vt habetur in anteprædicamentis cap. 2. hæc verò accidentia non omnia contraria sunt existimanda, sed tantum ea, quæ adesse simul repugnant, quomodo namque qualitati quantitas opponitur, si fundamentum, vel receptaculum ipsius qualitatis est? pariter de alijs discurri poterit; cum autem qualitates inter se præcipuè pugnam admittant, inter eas profectò principaliter vera contrarietas reperietur, & singulariter inter primas: nam id censendum maximè est tale secundum quod alijs inest vniuocatio ex 2. Metaph. tex. 4. Sed vera contrarietas inest omnibus alijs qualitatibus secundum mistionem primarum, vt in secundo de generatione videbimus, ergo. Alio modo sumuntur pro quibuscunque repugnantibus vel oppositis, ita vt ad priuatiuè opposita ad contradictoria, & ad relatiua (abusiuè tamen) extendantur, quo pacto hoc in loco ea Aristot. sumpsit pro oppositis priuatiuis: ipse etenim post exactam alicuius rei determinationem, multum de nominibus non curat. Pro maiori tamen intelligentia notandum est, hanc contrarietatem priuatiuam in quolibet genere reperiri, vt in argumentis tetigimus. Probatur, nam quodlibet genus per duas primas differentias diuiditur, vt substantia per corpoream, & incorpoream: quantitas per continuam, & discretam: qualitas per sensibilem, & insensibilem, & sic de alijs: hæ autem differentiæ sic se habent, quod vna ipsarum est altera perfectior; siquidem inter species eandem perfectionem inuenire impossibile est, ergo neq; inter differentias constituentes; imperfectior igitur differentia respectu perfectionis rationem habet priuationis, vt passim Aristot. docet, & sic oppositio priuatiua in quolibet genere datur; tamen quia omnia alia genera à substantia dependent, ipsa namque substantia est prior natura tempore, & cognitione accidentibus ex 7. Metaph. tex. 4. consequens est, vt oppositiones istæ ab oppositione, quæ est in substantia pendeant, & consequenter vnica sit prima oppositio priuatiua, vt idem Philosophus in hoc libro tex. 56. his verbis insinuauit, omnes autem contrarietates reduci videntur ad vnam. Quibus sic explicatis facilè patet quid sit ad quæstionem dicendum. Sed vt ordinem seruemus per conclusionem respondeamus.

Conclusio.

Prima contraria sunt rerum corruptibilium principia. Conclusio hæc duas continet partes; altera est, quod prima principia sint contraria; secunda, quod contrarietas hæc sit omnium prima, loquendo videlicet, de contrarietate, vel oppositione priuatiua. Prima ergo pars sic probatur: Quæcunque ad inuicem repugnant, vt ens & non ens, seu vt perfectum, & imperfectum, oppositione priuatiua opponuntur; sed aliqua principia, puta forma, & priuatio sic se habent, ergo hęc sunt contraria: quapropter non omnia principia contraria sunt, sed hæc duo solummodo; nam Aristotelis propositio indefinita est, quæ vt sit vera non de omnibus, sed de aliquibus sufficit, vt verificetur; sicut si dicam homo currit, sufficit, vt aliquis homo currat. Præterea, dum producitur, v.g. homo, necessariò requiritur materia, videlicet semen; hoc autem si formam hominis recipere debet, eam non habebit, quoniam recipiens à natura recipit denudatum esse debet, adueniente autem forma ipsa priuatio non manet, ergo opponuntur, & sic patet prima pars, probatur secunda. Principia proportionari debent ijs, quorum sunt principia, vnde sensibilium sunt sensibilia, sempiternorum sempiterna, corruptibilium corruptibilia, atque omnino eiusdem generis cum his, quæ subijciuntur, sed substantiæ principia sunt substantia, accidentium accidentia ex 3. de Cęlo, tex. 61. loquendo videlicet de principijs proximis, & internis; quapropter cum principia substantiæ sint substantiam, quæ est omnium accidentium prima, vt visum est; patet, quod ipsa contraria in genere substantiæ sunt priora alijs.

Ad Argumenta.

Ad primum respondetur: Substantiæ conuenire oppositionem priuatiuam, de qua Arist. loquitur, vt visum est.

Ad secundum respondetur, primam contrarietatem strictè sumptam, & in ordine ad constituenda mista, reuera esse inter primas qualitates, sed oppositionem priuatiuam, nequaquam.

Ad tertium conceditur prima consequentia, nam quædam contrarietates aliorum prædicamentorum in comparatione ad substantiam primæ non sunt, & dum dicitur, prædicamenta sunt prima, & impermista verum est sub ratione prædicandi, & abstractè; substantia enim non est qualitas, nec è contra; sed sub ratione dependendi, & causalitatis, primum omnium est substantia, quam immediatè sequitur quantitas, hanc verò relatio, & sic de alijs.

Ad quartum respondetur, prima principia non fieri ex alterutris veluti ex partibus componētibus, vt etiam supra dictum est, sed veluti ex terminis necessariò fiunt, ex priuatione namque fit forma.

Ad quintum dicitur, contraria ipsa re vera aliquod non componere, vt partes; sed alia duo non contraria, pura materiam, & formam id efficere.

Ad sextum dicitur, priuationem opponi formæ habendæ; quoniam cum ipsa est incompossibilis, non autem quando ipsa non est, sed statim quod in materiam inducitur, vt adueniente forma ignis, priuatio ipsius recedit, vel dicatur opponi ei, cuius est priuatio, at non est priuatio formæ habitæ, vt priuatio formæ ignis non est priuatio formæ seminis, quæ tamen responsio coincidit cum præcedenti, quia non dicitur priuatio nisi formæ habendæ, aliter idem esset priuatum, & non; priuatum inquam per positionem, non priuatum verò, si concedamus priuationem cum forma esse.

QVÆ-

QVÆSTIO XIV.

Tria igitur dicere esse elementa, & ex his, & ex huiusmodi alijs considerantibus, videbitur vtique habere quandam rationem. Tex. 59.

Vtrum principia rerum naturalium sint tantum tria.

IN hac quæstione sic procedam, primò Antiquorum opiniones de principijs breuiter narrabo; secundo argumenta afferam; tertio de diuersitate principiorum aliqua ad propositum attinentia breuiter repetam.; quartò conclusionem responsalem; ac tandem quintò solutiones argumentorum adducam.

Antiquorum opiniones.

QVamuis diuersis locis Aristot. Antiquorum opiniones de rerum naturalium principijs enarrauerit, & nos quoque ipsum exponentes idem fecerimus, vt de facto est videre: tamen ne adolescentes multum in hoc laborent, hic aliqua dicenda esse, operepretium duxi. Prima igitur est opinio Parmenidis, & Melissi, quos sequutus fuit Xenophanes Colophonius. Hi namque vnum esse ens, asserebant, ac per consequens omnia in ipso veluti in principio identificari; Verum Parmenides finitum; Melissus autem atque Xenophanes infinitum asserebant, quorum rationes, atque solutiones satis in textu expositæ, & solutæ sunt: vnde hic breuitatis, & euitandæ nugationis causa dimittantur. Hoc tamen animaduertendum consulo, eos non sic inconsultò, & superficietenus, vt Aristoteles sibi imponit; loquutos fuisse, sed mystica, & profunda Philosophiæ arcana, ne in manus hominum vilium inciderēt abscondere intendebant, & Aristotelem ipsos reprehendidisse, secundum apparens significatum existimo, ne nuper philosophantes in obscuritates inextricabiles inciderent. Si igitur ad bonum sensum eorum sententiam reducere velimus, dicamus, per vnitatem entis vnam primam causam, in quam omnia sunt vnum eminenter, & virtualiter intellexisse, quam alij ipsorum finitam, hoc est perfectissimam, cui nihil deficiat; alij verò infinitam, vt omnia nimirum contineat, nuncuparunt. Vel si per vnum ens vniuersum ipsum extra quod nihil est, intelligatur, non est absonum. Vel denique secundum excellentiam, sic Deum nuncupasse credibile est, quasi cætera in comparatione ad ipsum non entia existant. Alia est opinio Anaxagoræ; hic namq; infinita principia ponebat, ac similes partes habentia, & contraria esse dicebat; circa quam maxima est difficultas, quomodo principia ipsa similia contraria, & actualia esse poterant, vt aiebat; erat enim positio eius, quod omnia actualiter existerent in qualibet re, vt in hac carne esset os, sanguis, lignum, terra, & cætera: si ergo actualiter existebant, similitudinem habere non poterant, sed bene contrarietatem. Respondetur, fortè hanc similitudinem secundum apparentiam posuit, sic, videlicet, quod omnia sub quibusdam accidentibus communibus, & similibus latitarent, quamuis sub illis diuersitatem retinerent, sicut sub oua pulli diuersi; hoc tamen prætereundum non est, quod neque ipsius sententia sic superficialiter intelligenda est, sed primam materiam insinuare intendebat; ita vt omnia quodammodo, & infinita in potentia primæ materiæ contineri vellet, & quatenus materiei potentialitate tegebantur, similitudinem inter se retinere, prout ab agente iam ad proximum actum reducebantur, actualitatem præseferre, quæ expositio tangitur ab Aristot. in 1. Metaphysic. tex. 16. postquam etenim plura de istius sententia præmisit, habet hæc verba: Si quis tamen sequatur digerens vnà cum eo, quæ dicere vult, fortassis videbitur quædam noua decentius dicere, &c.

Opinio Parmenidis, Melissi, & Xenophanis. *Opinio Anaxagoræ.*

Tertia est opinio Anaximandri, quæ eadem est cum Anaxagorica, differens tantum in hoc, quod iste omnia contineri simul in aliquo asserebat, non autem in vnoquoque, sed in quatuor elementis duntaxat; & post corruptionem eadem numero reuersura omnia, quod tamen negabat Anaxagoras. *Anaximandri.*

Quarta est opinio Platonis, ipse namque pro principio formali Ideas; pro materiali verò magnum, & paruum, quasi materiam ipsam diuersis affectam qualitatibus ponebat. Hesiodus terram. Thales Milesius aquam. Anaximenes aerem. Heraclitus ignem. Leucippus, & Democritus athomos. Pythagoras numeros, & sic alij diuersa constituerunt; quorum opiniones hic solum tetigisse sit satis, cum in textuum expositione, diuersis tamen in locis, prout opportunitas se offert, fusè examinentur. Nunc ad argumenta, quæ contra principiorum trinitatem fieri possunt, accedamus. *Platonis.*

Ad Argumenta.

QVod ergo rerum naturalium principia nō sint tria, sed plura sic probatur. Quatuor sunt causæ rerum naturalium, vt in secundo videbimus, & vnaquæque est principium, ergo principia plura sunt tribus. *Primum.*

Præterea sicut priuatio ponitur principium, ita potentia, vel dispositio materiæ poni debet; si quidem non minus hæc, quam priuatio ad generationem requiratur, ergo sunt plura. *Secundum.*

Amplius res naturales sunt infinitæ, ergo infinita quoque sunt principia, alia etenim principia Hominis, alia verò asini sunt, imò alia Socratis, alia Platonis. *Tertium.*

Quod autem sint pauciora, sic ostenditur, effectus non potest esse principium, at forma est effectus, & finis agentis, vt habetur in 2. Phys. tex. 81. ergo. *Quartum.*

Item. Quod non est, principium esse non potest; sed priuatio non est, ergo; maior videtur nota, quoniam esse principium est aliquomodo agere, vel ad actionem concurrere; hoc autem ei, quod non est, conuenire nequit. Probatur minor, quoniam priuatio est negatio, sed negatio, & non ens idem valent, quare, &c. *Quintum.*

De principiorum diuersitate.

MVlta in quæstione duodecima de principijs diximus, quare hic pauca pro dilucidatione præsentis addenda, vel potius prædicta repetenda sunt. Principiorum ergo alia sunt per se, alia per accidens; alia extrinseca, alia intrinseca; alia vniuersalia, alia particularia, quæ omnia membra sunt simul vnibilia, secundum diuersam rationem; ita nimirum, quod vna non sit subdiuisio alterius, imò adinuicem applicabiles, & si respectu principij in communi, alterum alteri membro (vt diuisionem decet) opponatur, principium ergo per se non potest esse per accidens, quia hoc pacto opponuntur, nec vniuersale potest esse particulare, nec denique intrinsecum extrinsecum, tamen per se potest esse intrinsecum extrinsecum, particulare, & vniuersale; & hoc etiam modo se habere potest per accidens; pariter extrinsecum potest esse per accidens per se vniuersale, & particulare, & sic discurratur per reliqua. Est ergo principium per se, quod ex sua natura causat, sic videlicet, quod in effectum influat, & sit ens positiuum, quod si commune pluribus sumatur, erit vniuersale, vt Sol respectu omnium; si verò respectu alicuius tantum *Principium per se.*

vt

vt anima Socratis respectu eiusdem, erit particulare. Si autem sit pars essentiae erit intrinsecum, vt forma, vel materia. Si vt efficiens, vel finis extrinsecum. Principium per accidens est, quod cum principio per se coniungitur, & ei tribuitur ratio principiandi, sicut si aedificator sit albus, & album aedificare dicamus, est per accidens principium, quod quidem accidens cum interno, & externo, cum vniuersali, & particulari coniungi potest, vnde ipsum quoque secundum modum praedictum appellari non est inconueniens. Verum hoc principium per accidens est duplex, quoddam quod est purè per accidens, ita vt nihil ad effectum pertineat; sicut albedo respectu aedificatoris, & aedificij; sic namque aedificare, & aedificium fieri potest ab albo, sicut a nigro. Aliud est per accidens, quod tamen aliquomodo requiritur, & influit, sicut Aristoteles de casu, & fortuna loquitur, sunt namque causae quidem per accidens, tamen requiruntur, si etenim quis non effoderit thesaurum ibi positum, non inueniet: dicuntur tamē per accidens, propter non principaliter operantur, vel causant, & ab aliquibus non inconsultò vocantur principia, vel causae sine quibus non, & cum eorum accidentalitate hoc modo exposita, necessitas coniungitur, sicut ad scribendum est per accidens lumen, quia videlicet in nullo genere causarum per se est circa opus hoc; tamen necessariò requiritur, & si non ad esse rei, saltem ad fieri. Principia extrinseca sunt efficiens, & finis. Intrinseca, materia, & forma. Vniuersalia, quae sunt pluribus communia, vt materia, & forma vniuersaliter sumptae, & similiter efficiens, & finis. Particularia, vt haec materia, haec forma, hoc efficiens, hic finis. Quibus habitis aliquas conclusiones ponamus.

Per accidens.

Duplex.

Causa sine qua non.

Conclusiones.

PRima. Principia intrinseca per se rerum generabilium sunt duo tantum, vniuersaliter loquendo. Probatur, quoniam, huiusmodi principia dicuntur, quae sunt de essentia, vel partes intrinsecae rei, quam componunt. Sed haec sunt solum materia, & forma, ergo.

Secunda. Principia intrinseca vniuersalia tam per se, quam per accidens sunt tantum tria, videlicet materia, forma, & priuatio. Probatur, quoniam ad constitutionem rei necessariò materia, & forma requiruntur, vt partes, quemadmodum notum est: ipsa autem materia non potest aliqua forma informari, nisi priuata sit, ergo necessariò quoque ad ipsius rei productionem priuatio requiritur, & sic principia sunt tria. Dicitur tamen ipsa priuatio principium per accidens in comparatione ad rem genitam, prout videlicet neque est pars ipsius, neque in ipsa remanet, imò ei accidentale, & extraneum existit; sed in comparatione generationis per accidens non est. Probatur, quia omne per accidens contingit non esse, absque destructione illius, cuius esse per accidens intelligitur, vt habetur in 8. Phys. tex. 36. Sed generatio sine priuatione, nec esse, nec intelligi potest, ergo. Praeterea, quod in definitione alicuius ponitur non est ei penitus per accidens, quamuis interdum dici possit additum, sed in definitione generationis ponitur priuatio, est enim ipsa generatio progressus de non esse (ecce priuatio) ad esse. Amplius Aristoteles 5. Phys. tex. 3. terminum à quo (per quem priuatio designatur) vt necessarium motui, assignat.

Priuatio quomodo per accidēs & quomodo non.

Generatio quid.

Tertia. Principia per se tam interna, quam externa sunt quatuor, videlicet, efficiens, finis, materia, & forma. Probatur, quoniam per se causant, & effectum producunt, de quibus fusius in secundo dicetur.

Quarta. Principia vniuersaliter tam per se, quam per accidens includendo, sunt quinque, videlicet, efficiens, finis, materia, forma, & priuatio; haec autem conclusio ex praecedentibus fit euidens.

Ad Argumenta.

AD primum patet, principia, vel causas per se internas, & externas simul comprehendentes esse in vniuersum quatuor, sed hic solum de internis per se, & per accidens loquimur.

Ad secundum negatur maior, nam potentia, vel dispositio, siue habilitas materiae, ex parte ipsius materiae se tenet, ac eundem modum causandi habet, si quidem faciliorem, & citius ad terminum generationis perducat, quod non est diuersam causalitatem praestare. Sed priuatio per modum abiectionis, & contrarietatis concurrit, vnde ad modum materiae attinere non potest.

Ad tertium, res naturales infinitas esse saltem successiuè non est negandum, ac infinita quoque particularia principia habere, confitendum est; sed nos de vniuersalibus loquimur; quaecunque etenim sint principia particularia sub ratione materiae, formae, & priuationis clauduntur.

Ad quartum dicitur, formam esse principium compositi, quamuis sit effectus efficientis. At si quis dicat principia non debent fieri ex alijs; ergo nullatenus forma poterit ipsius efficientis effectus esse. Respondetur, non fieri ex alijs intrinsecis, vt forma ex alia forma, sed extrinseca non excluduntur. Possumus etiam dicere non fieri formam, sed compositum; ita tamen melior est prima responsio, quia quamuis compositum adaequatè fiat, tamen ipsa forma quoque fit.

Ad quintum respondetur ad maiorem, quod non est, non posse esse principium per se, sed per accidens non esse inconueniens; hoc etenim non propriè agit nec positiuè concurrit; quomodo autem priuatio sit, vel non, in propria quaestione videbitur.

QVAESTIO XV.

Subiecta autem natura scibilis est secundum analogiam. Tex. 69.

Circa hunc textum quaeritur, an materia sit per se cognoscibilis, vel solum in ordine ad aliud.

THomistarum quidam simul cum Zimara, Auerroistis, Achillino, & alijs ex, verbis Aristotelis in preallegato textu, materiam per se cognoscibilem esse pertinaciter negant, quorum praecipua argumenta sunt ista.

Actus, vel forma est ratio, vel causa cognoscendi, ex 9. Metaph. tex. 20. at materia sine forma non est actus, ergo cognosci non poterit. Primum.

Praeterea oppositorum oppositae sunt proprietates, sed materia & forma sunt opposita, & ipsius formae proprietas est ratio cognoscendi, ergo materia occultandi; hoc tamen argumentum, vel à praecedenti non differt, vel virtutem ab ipso haurit. Secundum.

Item. Si materia ex se cognoscibilis est profectò sine ordine ad formam, & ad motum cognosci posset, quae cognitio ad Metaphysicum attinet, sed à Metaphys. ipso in 7. tex. 8. in ordine ad formam definitur, signum est ergo, quod aliter definiri, vel cognosci non possit; maior ex se euidens est, minor verò faciliter fiet manifesta, si verba ex praecitato loco attulerimus, sunt igitur ista. Dico autem materiam, quae per se ipsam, neque quid, neque quantum, nec aliquid aliud quippiam dicitur, quibus ens determinatur; est enim quid de quo singula horum praedicantur, qua assignatione potentialitas, vel subiectio, ac ordo ad alia connotatur, dum dicitur singula horum de ipsa praedicantur, ergo. Tertium.

Materia quid.

Prae-

Quartum. Præterea Arist. 3. de Anima tex. 38. habet; animam dum intelligit recipere, non res ipsas intellectas, sed formas ipsarum; hæc autem sunt verba ipsius. Necesse est autem aut ipsas res, aut formas esse in anima, ipsas igitur; non enim lapis in anima est, sed forma. Cum autem materia in se formam non habeat, in anima esse non poterit, & sic non intelligibilis erit. Verum est tamen quod forma illic pro specie, vel imagine rei sumitur, at hoc nihil officit, quoniam species ipsa causatur tantum à sensibilibus, vel ab ijs, quæ ab eis dependent, aut deducuntur; materia autem sensibilis non est, si autem per ipsa sensibilia cognoscatur, per se cognoscibilis non erit.

Quintum. Denique infinitum secundum se est ignotum, vt visum est, at materia est infinitum ex 3. Phys. tex. 65. ergo. Oppositum sentit Scotus in 2. sent. dist. 19. quest. 1. quem omnes Scotistæ sequuntur, & simul cum illis Zabarella in lib. 2. de rebus naturalibus c. 11. & alij. Pro determinatione ergo quatuor breuiter faciemus. Primò, ordinem Aristotelis in inuestigandam materiæ naturam declarabimus. Secundò, quid per se cognoscibile propriè dicatur, exponetur. Tertiò de duplici materiæ notione. Quartò, resolutionem per conclusiones habebimus, ac tandem aduersariorum argumenta soluemus.

De ordine Aristotelis circa materiam.

POstquam Philosophus vniuersaliter de tribus principijs egit, consequens erat, vt sigillatim de vnoquoque, & maximè de materia ipsa, de qua plures erant difficultates, determinaret; quam determinationem à cognitione si est meritò incæpit: prius namque si res sit cognoscere oportet, consequenter verò reliqua speculari ex 2. Post. cap. 1. duplici ergo via ipsam inuestigat; altera generationis, quæ est efficacissima; alia verò per analogiam vel similitudinem ad artefacta, quæ est minus efficax, & potius ex præcedenti pendet, quam vim aliquam se sola habeat. Via ergo generationis sic procedit. Omne quod fit ex aliquo determinato subiecto fit, vt notum est discurrenti per singula, ergo substantia hoc etiam fit modo, aliter ex nihilo produceretur, hoc ergo subiectum materiam vocemus. Hæc autem ratio ad faciliorem intelligentiam sic redigi potest. Dum ex ligno v. g. fit ignis, aut remanet aliquid ligni in igne iam facto, aut non; si non, ergo ignis ex nihilo factus fuit, quod est absurdum; Si aliquid, hoc erit forma, vel materia; non forma, quia hæc dicit quidditatem, vel naturam rei, & sic esset in igne actualiter lignum, quod tamen combustum ponimus; relinquitur ergo, materiam solum remanere. Alio modo. Omne quod fit semper, compositum est, ex hoc lib. tex. 64. non ex sola forma, quia implicat, ergo etiam ex materia, & sic eam esse Aristoteles colligit, qua habita cognitione, exẽplo quodam, ac via proportionis ipsam confirmat, sic. Vt enim ad statuam æs, aut ad lectum lignum, aut ad aliquid aliud habentium formam materia, & informe se habet, prius quam accipiat formam, sic materia ad substantiam, & hoc aliquid, & quod est se habet, quod idem est, ac si dicatur, sic materia se habet ad formam, vel ad totum compositum; tota autem hæc ratio habetur in præcitato textu 69. quod autem sit minus principalis, & à præcedenti dependens, probatur. Omnis argumentatio per proportionem supponit cognitionem quatuor terminorum, vt si dicam; sicut se habet os in animalibus terrestribus, ita spina in aquatilibus, quatuor suppono terminos cognitos, videlicet os, & spina, animalia terrestria, & pisces, cum ergo hæc Aristot. argumentatio sit à proportione, non simpliciter materiam esse ostendit, sed supponit, & quod dixit exemplificando, confirmat; sic ergo materiam esse cognoscimus. Quid autem sit postea examinandum est, nam si est præcedit quid est, vnde patet error quorundam, qui prius de natura materiæ, quam de eiusdem cognoscibilitate pertractant: si etenim eam non cognoscant, quomodo quid ipsa sit determinabunt? nunc autem ad aliam partem accedamus, videlicet, ad declarandum quid, vel quomodo aliquid per se cognoscibile dicatur.

Quid per se cognoscibile dicatur.

NOn paruum difficultatis apud adolescentium intellectum ratio cognoscibilitatis per se parere potest, ideò breuiter dilucidetur. Potest ergo aliquid dici per se cognoscibile, vel quia nulla, nec externa, nec interna causa indigeat, & hoc modo nihil cognoscibile erit, nisi cognitione confusa; quicquid enim distinctè cognoscitur, per causam, vel partes, vel conceptus, eo modo quo habet, cognosci debet. Alio modo quod non cognoscatur in ordine ad causas per se externas, nimirum ad efficientem, & finalem; quo pacto multa cognosci possunt per solam quidditatiuam definitionem; tamen si omnibus modis cognosci debent, neque cognoscibilia erunt, saltem naturalia, quæ has causas includunt. Tertiò denique, & propriè aliquid per se cognoscibile dicitur, prout opponitur cognoscibilitati per correlatiuum; sensus est, quod sic per se aliquid cognoscatur, vt non in ordine ad aliud, tãquam ad correlatiuum, vt si cognoscimus hominem etiam secundum omnes causas, non vt relatiuum cognoscitur, nisi quis sophisticè effectum ad causam tunc relatiuè se habere inferat: hoc namque alia ratione est hominem considerare, puta sub conditione, & ratione formali effectus, quod non intendimus dicere. Relatiuè autem cognoscitur pater in ordine ad filium, secundum hanc ergo cognoscibilitatem est quæstio, an videlicet materia, vt quid absolutum cognoscibilis sit, an solum in ordine ad formam, pro cuius determinatione duplicem materiæ notionem assignari oportet.

De duplici materiæ notione.

QVælibet pars alicuius absoluti compositi dupliciter spectari potest. Vno modo prout est in se tale ens, nihil namque alicuius pars esse nõ potest. Alio verò prout est pars, seu prout ad compositum habitudinem habet; prima contemplatio, notio vel cognitio prima vocari potest, quatenus non ad aliud ordinatur, per se autem præcedit ad aliud; alia verò secunda; siue autem pars ista sit à suo toto separabilis, siue non, nihil refert: hoc namque intellectus acumine efficitur; sic quoque de materia philosophari possumus: ipsa etenim in se est ens, & est pars compositi substantialis, si entitas eius ab omni alio præcisa spectetur, erit prima ipsius notio: si autem sub ratione partis, vel subiecti, erit secunda, quibus habitis per duas conclusiones propositæ quæstioni satisfaciamus. Duplex notio materiæ.

Conclusiones.

MAteria in secunda notione non est per se cognoscibilis, probatur, quia hoc pacto habet relationem annexam ad formam, & compositum, vnde ratione formæ vocatur subiectum, ratione verò compositi pars, quod verò ad aliud refertur sine illo cognosci non potest.

Secunda. Materia in prima notione est per se cognoscibilis, probatur; omnis entitas absoluta per se cognoscibilis est, aliter non esset absoluta, sed respectiua; sed materia est entitas absoluta, ergo; probatur maior, quicquid continetur sub obiecto alicuius potentiæ potest ab ipsa potentia cognosci, vt omnis color à visu, omnis sonus ab auditu, &c., sed entitas quælibet absoluta continetur

netur sub obiecto intellectus, videlicet sub ente; ergo, probatur minor; omnis substantia est entitas absoluta, vt de se notum est, sed materia est substantia, vt in secundo videbimus, ergo. Verum est tamen, quod quamuis ipsa in se cognoscibilis sit; tamen pro hoc statu à nobis sic cognosci non potest; ratio est, quia omnis nostra cognitio ortum habet à sensu, & sic semper est respectiua, maximè circa ea, quæ perpetuum nexum cum sensibilibus habent; tamen propter hoc, ipsam cognoscibilem esse, non est negandum, quia hæc difficultas prouenit non ex se, sed ex imbecillitate nostri intellectus, vt in 2. Metaphys. videbimus; quapropter etiam ipsæ substantiæ immateriales maxime cognoscibiles sunt, quamuis à nobis non cognoscantur, nisi comparatiuè, vel in ordine ad sensibilia. Notandum est tamen, quod ipsa materia non est cognoscibilis in se omni cognitione, sic nimirum, quod per causas omnes eas cognoscere possemus, quia secundum causam finalem cognoscenda est forma, secundum effectiuam Deus; formalem autem non habet; quare cognitio eius absoluta esset fortassis simplex, & instar intuitiuæ; si autem: cum passionibus perciperetur, nec absoluta remaneret: nam præcipua eius passio est potentia, vt videbimus; hæc verò habet ordinem ad actum, vnde respectus includitur, & ratio absolutæ cognitionis aufertur.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur; in ijs, quæ materia, & forma constant, ipsam formam esse præcipuam cognitionis causam, non tamen per se, sed per operationem, quia nulla forma substantialis est immediatè sensibilis, hoc tamen non tollit, quin materia in se cognoscibilis sit: imò si propositio hæc aliquid habet vigoris de cognitione pro hoc statu, & secundum viam, sensus currit. Vel dicatur formam esse causam principalem cognitionis, non autem adæquatam, & solam.

Ad secundum negatur illa particula in qua habetur, proprietatem formæ esse rationem cognoscendi; materiæ autem occultandi, quamuis illud formæ, hoc autem materiæ per quandam similitudinem tribuatur. Forma etenim, quia est quid diuinum, perfectum, & operatiuum; omnis enim actio à forma est, facile cognoscitur. Materia verò, quia est quid potentiale, imperfectum, ac paruæ entitatis, à nobisque maximè secundum sensitiuam cognitionem distans, causa occultationis vocatur.

Ad tertium respondetur, nec à Metaphysico, nec ab alio pro hoc statu per se cognosci posse, ideò vbicunque in ordine ad formam definiri.

Ad tertium, (quicquid sit de speciebus, & à quo causentur, nam de hoc agemus in libris de anima) respondetur, re vera nunc non intelligi, nisi per sensibilia; sed per se est apta propriam speciem habere, & intelligi.

Ad quartum respondetur; materiam dici infinitam, prout est in potentia successiuè ad infinitas formas, saltem numericas, quia formæ specificæ finitæ sunt; hoc tamen non facit, quin ipsa secundum suam entitatem sit finita, & cognoscibilis.

QVÆSTIO XVI.

Vnum igitur principium hæc non sic vnum existens, neque sic ens, vt hoc aliquid. Tex. 69.

CIrca hunc textum quærimus de natura materiæ, an videlicet ipsa sit ens in actu, vel in pura potentia.

Vt autem ordinatim procedamus, & nihil desiderabile relinquamus, plura ad naturam materiæ cognoscendam attinentia breuiter determinabimus, videlicet quot sint eius descriptiones, quot nomina; quotuplex sit potentia, quotuplex actus, conclusiones responsales postea, deinde aduersariorum obiectiones, ac tandem solutiones habebimus.

Materiei varia descriptiones.

POstquam de cognoscibilitate materiæ peregimus, atque consequenter eam esse statuimus, reliquum est, quid sit, ostendere; quod non per veras quidditatiuas definitiones efficiendum est, quoniam cum sit substantia incompleta, & ignota, sic exactè definiri nequit; descriptiones igitur adhibebimus, quæ multiplicari possunt secundum varia accidentia, variasque notiones rei descriptæ, quatuor igitur modis eam describi videtur.

Primò ex Aristotele in hoc eodem libro tex. 82. Materia est primum subiectum vniuscuiusque ex quo fit aliquid cum insit, non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid in hoc abibit vltimū, dicitur esse subiectum ad differentiam formæ, quæ in subiecto recipitur, & subiectum non est; dicitur primum ad differentiam materiæ secundæ, sicut sunt elementa respectu mistorum, semen respectu viuentium, necnon corpus ipsum etiam in comparatione ad viuentia, & quamplurima alia, quæ omnia dicuntur materia, prout ex ipsis aliquid fit, & in re facta manent; sed dicuntur materia secunda, prout ex prima simpliciter ipsa quoque composita sunt; dicitur cum insit, hoc est remanente in composito propter causam efficientem, & finalem, à quibus etiam compositum fit, sed in ipso non manent; dicitur non secundum accidens ad differentiam priuationis, quę est principium per accidens; dicitur tandem, & si aliquid corrumpitur in hoc abibit vltimum, ad denotandum ipsum esse primum subiectum compositionis, & vltimū resolutionis. *Prima descriptio.*

Secundò sic ab eodem Philosopho in 7. Met. tex. 8. describitur. Materia per seipsam non est quid, neque quantum, nec aliquid aliud quippiam, quibus ens determinatur, est enim quid, de quo singula horum prædicantur, & paulò post subinfert, neque etiam negationes, per quam descriptionem materiam ipsam nullum in se ens determinatum, vel completum esse docemur: imò vt sic neque negationes, aut priuationes aliquas includere, quæ est descriptio Metaphysica, & secundum posse à quacunque naturali conditione abstracta, non tamen penitus, vt patet, quoniam includitur quædam conditio subiecti per illam particulam, de quibus singula prædicantur. *Secunda descriptio.*

Tertiò à D. August. 12. libro confessionum, sic notificatur; materia est infima omnium rerum, & prope nihil ex se informis, & immutabilis; omnium tamen formarum capax, omniumq; mutationum primum subiectum. *Tertia.*

Quartò denique describitur à Porphyrio in libro de occasionibus cap. 1 I. hoc pacto. Materia prima ex se est incorporea, neque intellectus, neque anima, neque aliquid secundum se viuens, informis, immutabilis, infinita, impotens. Quidam aliam quandam descriptionem ex hoc libro tex. 69. desumptam addunt; at re vera ibi materia non describitur, sed quomodo cognoscibilis sit, insinuatur; incipit autem, subiecta autem natura scibilis est per analogiam; vt enim ad statuam æs, &c. nunc ad secundam partem accedamus. *Quarta.*

De materiæ nominibus.

EX præcedentibus descriptionibus, diuersa ipsius materiæ nomina constari possunt, quorum alia propria, alia verò metaphorica sunt. Propria, vt refert Albertus de mente Auicennæ 1. lib. suff. cap. 2. sunt ista.

Materia,

Materia, subiectum, massa, hyle, elementum, & origo. Dicitur materia pro vt est pars potentialis rerum omnium corruptibilium. Subiectum pro vt in ipsa recipitur, sustentatur, & fouetur forma. Massa pro vt secundum diuersas particulas sui ipsius, diuersas formas recipit. Hyle, pro vt priuationem aliquam formarum secum semper coniunctam habet. Elementum pro vt est primum in compositione, & vltimum in resolutione, hæc namque est elementi natura, vt habetur in 3. de Cœlo, & in 5. Metaph. Dicitur denique origo, pro vt ab ipsa formæ omnes originem ducunt, quæ nomina omnia (excepto hyle) passim in Aristotelicis operibus reperiuntur. Metaphorica autem nomina, plura sunt, vocatur enim ab Aristotele mater, fæmina, turpis; à Platone magnum, & paruum, non ens, dissimilitudinis regio, sinus, receptaculũ, multitudo, sylua, græmium; dualitas; alij verò inanem vmbram dixerunt. Dicitur mater, pro vt quasi in vtero cõcipit, & recipit formam. Fæmina, quatenus ipsius est pati, non autem agere in generatione, vel sa tem in accipiendo fæcunditatem. Turpe, quatenus ex se forma, & perfectione caret. Magnum dicitur à Platone respectu immensæ eius capacitatis. Paruum secundum debilem, vel exiguam entitatem. Non ens, pro vt forma caret. Dissimilitudinis regio, prout innumeræ dissimiles formæ in ipsa recipiuntur, vel pro vt secundum suam tenuem naturam, à Deo, qui est actus purissimus, & perfectissimus, dissimillima est. Sinus pro vt quasi in gremio colligit formas, qua ratione etiam græmium vocatur, & receptaculum. Multitudo quatenus est multitudinis principium. Sylua, propter confusionem. Dualitas, quoniam sicut hæc est primus numerus, & omnium aliorum principium, ita materia ipsa omnium specierum, & indiuiduorum corruptibilium. Vmbra denique inanis, quatenus ex se nihil lucis, nihiluè decoris habet, sed omnia à forma; Reliquum est, vt de alijs propositis agamus.

Quotuplex sit potentia.

TOta istius quæstionis difficultas ex recta intelligentia potentiæ, atque actus pendet, prius igitur de potentia, deinde de actu determinabimus. Ab Aristotele, ergo in 5. Metaph. tex. 17. duplex assignatur potentia, videlicet actiua, & passiua. Actiua est vis trãsmutandi alterum pro vt alterum est. Passiua, transmutandi ab altero, pro vt alterum est, ad quas multæ aliæ, quæ his participant, reducuntur, vt est bene, vel male, posse, &c. potentia igitur actiua, est circa aliquod transmutabile, vel effectibile, atque est realis, & virtus ipsius agentis; id verò quod transmutabile est, vel erit transmutabile ad aliquam formam, sic nimirum, quod ipsum sit aliquid, sed aliud recipere aptum sit; quemadmodum semen est ad formam embrionis transmutabile, & lignum ad caliditatem, aut non sic est transmutabile, vt præexistat, sed ipsum secundum se factibile, & generabile sit; vt homo generandus. Quod est primo modo transmutabile, habet in se potentiam passiuam, vt patet; atque subiectum capax istius formæ acquirendæ existit. Quod autem generabile est, similiter est in potentia, vt generari possit, aliter nunquam generaretur, impossibile enim est id fieri, quod non contingit esse factum ex primo de cœlo tex. 58. Manifestum est autem, alio modo esse in potentia id quod est, & aliud aptum est recipere, alio id quod pænitus generabile est; qua propter sub passiua potentia, duæ species sunt constituendæ; quarum altera subiectiua, altera vero obiectiua vocetur. Potentia subiectiua est, qua aliquid potest aliud recipere, vel esse subiectum alicuius formæ, siue essentialis, siue accidentalis, eo modo, quo de semine in ordine ad formam embrionis, & de ligno in comparatione ad formam caliditatis, diximus. Nec dicat

Potentia actiua, & passiua.

Potentia subiectiua.

aliquis, hoc esse nomen nouum, vel commentitium in philosophia; quia nescit, quid dicat. Nonne denominationes fieri, & in logica, & in vniuersa philosophia respicimus? Cur ergo a subiecto, & potentia, & de rigore sermonis, & distinctionis gratia, potentia subiectiua denominari non potest? Potentia autem obiectiua est qua aliquid esse potest, sed re vera non est; sicut homo generandus; & obiectiua dicitur, quasi sit obiectum potentiæ agentis; quæ quidem nec noua est, nec ab Aristotele incognita; imò ipse expresse eam tradit in tertio lib. Metaph. tex. 19. his verbis. Quod si elementa potentia sunt, contingit nihil entium esse: possibile enim est esse, etiam quod nondum est, &c. Si ergo quod non est, possibile dicitur, erit, ergo in potentia, non vt subiectũ, sed vt obiectũ; vnde quam apposite, & eleganter Scotus hanc distinctionem ex Aristotelicis fontibus hauserit, nemo, nisi sit mente captus, est, qui non videat; quare non possum non mirari aliquos, qui aliàs maximè in Aristotelicam doctrinam versatos, cognoui, hanc tamen luce clariorem non perspexerint, sed ostinatio, & inanis gloriæ cupiditas lumen intellectus offuscat. Quod si dicant, vbi nam hæc obiectiua potentia fundatur? respondetur effectiuè in agente, terminatiuè in obiecto, vel fine; qui quidem finis, & si interdum nihil realiter sit, rationem perfectæ causalitatis non amittit, vt optimè sciunt; quamobrem licet obiectum hoc, vel obiectiuua potentia realiter non existat; tamen auferenda non est; quia sic quoque causa finalis tolleretur. Notandum est tamen, quod aliquid secundum diuersas considerationes, potest simul dici in potentia obiectiua, & subiectiua; vt homo antequam generetur est in comparatione ad agens, à quo produci potest; respectu materiæ à qua educi potest, est in potentia subiectiua, tribuendo videlicet ipsi homini, quod suæ parti materiali conuenit; nam in rei veritate esse in potentia subiectiua est subijci formæ, quod homini secundum se totum minimè conuenit, nunc ad actus descendamus.

Potentia obiectiua.

De duplici actu.

CVilibet potentiæ proprius actus respondere debet, si quidem ad ipsum, vt ad proprium terminum, & correlatiuum (saltem secundum dici, de quo postea) ordinatur, sicut ergo duplex est passiua potentia, videlicet subiectiua, & obiectiua (de actiua non est hic ad propositum, vel si ei actus respondentes tribuere velimus, effectus ei tribuamus, nam circa effectus versatur) duplex igitur est actus, nimirum entitatiuus, & formalis. Entitatiuus est quicquid est extra nihil, seu quiequid actualitatem, vel existentiam significat. Formalis est ipsamet forma, atque est constructio intransitiua, siue sit forma essentialis, siue accidentalis, nihil refert. Actus entitatiuus respondet potentiæ obiectiuæ, sic videlicet, quod in potentia obiectiua existens, nullatenus habet actum entitatiuum, & quod actum entitatiuum habet, à potentia obiectiua recedit. Actus verò formalis potentiæ subiectiuæ respondet, pro vt quod in potentia subiectiua est, actu formali caret, & quod in actu formali existit, in potentia subiectiua esse nequit. Hi autem duo actus, vt oppositi ad prædictas duas potentias referuntur, sed vt effectus, & producti, ambo dependent ab agente. Notandum est etiam, quod actus entitatiuus si genericè sumatur, de formali dicitur, quoniam nihil aliud significat, nisi verè existere; at actus formalis maximè existit, vel coexistit) quod nihil pro nunc refert; posterius tamen examinabitur) ergo actus formalis, est hoc modo entitatiuus, si autem secundum rationem præcisam sumantur, sunt oppositi, nam actus entitatiuus dicit simpliciter existentiam sine perfectione vltima; formalis verò vltimam perfectionem includit. Quibus habitis tres conclusiones ponuntur.

Conclusiones.

Prima. Materia prima non est ens in pura potentia obiectiua; probatur, quia hoc modo ens in potentia est nihil, sed producibile solum; quis autem diceret, materia, quæ est ingenerabilis, & incorruptibilis, nec non pars substantiæ, subiectum formarum, & primum omnium fundamentum, non sit, sed solum esse possit? profectò fateor etiam si oppositum sentire vellem, nullatenus mente caperem.

Secunda. Ipsa prima materia habet actum entitatiuum, seu re vera existit; hæc conclusio ex præcedenti sequitur, probatur. Quod continuò manet sub diuersis transmutationibus, re vera existit actualiter, at materia manet sub genito, & corrupto: eadem namque materia ligni corrupti fit materia ignis geniti, ergo. Præterea; actuale compositum ex partibus actualiter componentibus constat, sed inter ipsas partes in compositis corruptibilibus numeratur materia, ergo est actualiter in ipsis, & sic existit, vel coexistit, quod nihil refert: nã coexistere est simul existere, sed simultas non aufert aliquid de existentia, imò vnionem alterius addit. Præterea si materia non esset actu in composito, ipsum solum formam includeret, & sic compositum non esset; si ergo ibi actualiter est, aliquam habet actualitatem. Amplius, si materia est in pura potentia, vel aliquando reducitur ad actum, vel non; si reducitur, ergo est generabilis, vel quomodocunque fit, aliquando erit in actu, & de eo tempore noster sermo sufficiat; si nunquam, non poterit esse pars, vel subiectum, &c. Confirmatur auctoritate Aristotelis, in præcitato etenim tex. 69. huius libri habet hæc verba. Vnum igitur principiũ hæc, non sic vnum existens, neq; sic ens, vt hoc aliquid; habet ergo, quod nõ existit ipsa materia, vt hoc aliquid, seu vt substantia singularis completa (hoc namq; significat semper apud Aristotelem hoc aliquid) ergo aliquo modo existit; quoniam comparatiuum supponit positiuum; vt si dicam cygnus non est sic albus, sicut nix, vtrũque album esse supponitur; confirmatur, quia comparatio fit solum inter vniuoca, vel inter ea, quæ conueniunt in eadem natura, in qua comparantur, ex 7. Phys. tex. 24. si ergo substantia singularis, & materia prima comparantur in existentia, necessariò ambæ existunt, & hoc est habere actum entitatiuum. Amplius idem Philosophus in primo de generatione, & corruptione tex. 11. postquam subiectum generationis, puta ipsam primam materiam, inuestigauit, infert hæc verba. De his igitur in alijs dubitatum est, atque determinatum sermonibus amplius, breuiter autem & nunc dicendum est; quod a iquo quidem modo ex non ente simpliciter generatur, modo autem alio ex ente semper: ipsum enim potentia ens, actu autem non ens, necesse est præexistere, dictum vtroque modo &c. sic ergo materia præexistit, & vtroque modo dicitur, videlicet in actu, & in potentia; in actu inquam entitatiuo, nam præexistit, & in potentia subiectiua, seu in potentia ad actum formalem, quid clarius? obstupesco quidem, quod aliqui sic obnubilati, vel proterui sint, qui, vel sic euidentem veritatem non percipiant, vel ipsam sic pertinaciter, & sine ratione negent.

Tertia. Materia prima est in potentia subiectiua, probatur ex ipsius definitione; dicitur namque subiectum ex quo in existente aliquid fit.

Aduersariorum Argumenta.

Scotus igitur, secundo sent. dist. 12. q. vnica, Simplicius in primo phys. com. 58. & alij quam plures, quod per tres præcedentes conclusiones posuimus, sustinent.

At D. Thomas cũ vniuersa ferè Thomistarum Schola, nec non Zabarella, & alij oppositum defendunt, videlicet, materiam primam nullum habere actum entitatiuum, nec per consequens esse in potentia subiectiua, quia hæc talem actum includit, sed esse puram potentiam, non tamen obiectiuam nominant; quia hanc esse inuentionem Scoti, & contra philosophicam veritatem, censent.

Argumenta igitur præcipua ipsorum sunt hæc.

Quod non est quid, nec quale, nec quantum, nullum actum habet, nam omnis actus est in aliquo prędicamento, sed materia non est quid, nec quale, &c. ex 7. Metaph. tex. 8. ergo. Primum.

Item. Si materia esset actus, cum ipsa non sit composita, sed simplex, esset actus simplex, & purus, & sic potius diuinitatis simplicitate, quam imperfectione infimæ naturæ participaret. Secundum.

Amplius. Forma substantialis esset accidens, & compositum ex ipso, & materia ens per accidens, quod absurdissimum est; consequentia est nota, quia quod aduenit enti in actu est accidens, ex primo phys. tex. 76. ratio est, quia inuenit rem essentialiter actuatam, vnde quod addit, essentiale esse nequit, & sic est accidẽs. Pręterea, qua ratione ipsa materia est actus, eadem ratione potẽtia ipsius actus esse debet, cum sit ita apta recipere, sicut materia, & sic nihil relinquitur potentiale, & per consequens nulla capacitas ad formam recipiendam. Tertium. Quod aduenit enti in actu est accidens, quo modo sit verum. Quartum.

Pręterea, omnis actus diuidit, & distinguit ex 7. Metaph. tex. 49. Sed per materiam nihil diuiditur, imò omnia in ipsa confunduntur, ergo actus non est. Quintum.

Adhuc. Si materia est in actu entitatiuo, & in potentia subiectiua, esset quid compositum ex actu, & potentia, quod suæ simplicitati repugnat. Sextum.

Amplius. Sicut datur in natura supremum ens, quod est purus actus, nempe Deus, ita debet dari pura potentia, quæ est materia prima. Septimum.

Denique passim ab Arist. vocatur potentia, ergo. Octauum.

Solutiones.

Ad primum respondetur; quod non est quid, nec quale, &c. non esse actum perfectum, sed existere non est negandum. Vel dicatur ad minorem; materiam non esse quid completè, sed incompletè, vnde incompletum actum habet.

Ad secundum, respondetur actum purum propriè dici, qui non est alteri componibilis; modo materia nõ sic se habet; at si instetur, ergo erit forma, quia forma est actus, & componibilis; negatur consequentia, quia cum actualitate materiæ stat capacitas ad formas recipiendas, quod de formis dicere non possumus, sunt namque receptibiles solum, non autem receptiuæ.

Ad tertium negatur consequentia; nam id solum est accidens, quod aduenit enti in actu completo, at materia est in actu imperfecto.

Ad quartum negatur similitudo, vel paritas rationis; quia in potentia clauditur capacitas cum negatione, & priuatione formæ.

Ad quintũ respõdetur, solũ actum formalem diuidere, & distinguere, non autẽ entitatiuũ, sicut est materia.

Ad sextum, compositio ex subiecto, & passione à materia non est auferenda; quę tamen non est compositio, veluti ex partibus essentialibus, hæc namque ab ipsa aliena est.

Ad septimum dicitur dari infimum ens, quod tamen in ente includatur, quoniam gradus includunt, id cuius sunt gradus, & sic quidem materia est infimum, sic tamen, quod sit actualiter ens, aliter diceretur ens æquiuocè, necens esset, est tamen infimum in comparatione

ne ad substantias, quia respectu accidentium, alio modo se habet; substantia namque, & si imperfecta, accidentibus saltem quibusdam perfectior existit.

Ad octauum. Respondetur Arist. vocare materiam, potentiam subiectiuam. Vocatur autem materia ipsa potius ens in potentia, quam in actu ad differentiam formæ, quæ est simpliciter actus, & à qua materia maximè differt.

QVÆSTIO XVII.

Circa eundem tex. 69. quæritur vtrum materia possit diuinitus absque omni forma existere.

THomistæ omnes, & quamplurimi alij cum ipsis partem negatiuam defendunt; quorum præcipua argumenta sunt ista.

Primum. Si materia absque forma existere posset, esset in actu, & non in actu; in actu, quia existere est actualiter esse, non in actu, quia ipsa essentialiter est pura potentia, vnde sequitur manifesta contradictio, quæ neque à Deo suppleri potest.

Secundum. Perfectissimus effectus non nisi à perfectissima causa prouenit, at existentia est effectus perfectissimus, ergo non à materia, quæ est infimum ens, sed à forma, quæ est nobilissimum attendi debet.

Tertium. Relatiuum non potest existere sine suo correlatiuo, sed materia ad formam refertur, vt habetur in 2. phys. tex. 26. ergo.

Quartum. Dato, quod materia sine forma existeret, adhuc ipsa ab omnibus distingueretur, atque à Deo dependeret, & sic relationem distinctionis, & dependentiæ includeret; at relatio est quædam forma saltem accidentalis, ergo sine omni forma esse non potest; imò si accidentalem aliquam formam haberet, necessariò essentialis supponeretur, quia secundum Scotistas accidens in nuda materia subiectari non potest.

Quintum. Quo aliqua sunt magis vnum, eo sunt minus separabilia, sed materia, & forma sunt magis vnum, quam subiectum, & passio, eò quod ipsa materia cum forma facit vnum per se; subiectum cum passione vnum per accidens: attamen passio non est à subiecto separabilis, ergo neque materia à forma.

Sextum. Amplius. Tunc materia sub nullo genere esset, nam quod non est sub aliqua specie determinata, neque est sub genere.

Septimum. Denique. Aut Deus in tali separatione influit aliquid materiæ, aut nihil. Si aliquid, profectò erit aliqua forma, nam si esset materia eadem esset difficultas sicut de prima; & sic ponendo quod sine forma existeret formam includeret; si nihil, ergo etiam ex vi naturali materia sine forma existere posset, quod vniuersa abhorret philosophia.

Oppositum sentit Scotus 2. sent. distinct. 12. quæst. 2. quem sequuntur Richardus, Gabriel, Gregorius Ariminensis, & quamplurimi alij nobilissimi philosophi, præter omnes Scotistas celeberrimos. Pro cuius determinatione antequam conclusionem statuamus; cur naturaliter sine forma ipsa materia esset non possit, breuiter determinandum est. Triplici ergo de causa materia non potest naturaliter sine forma esse. Prima propter vniuersi conseruationem, ipsa namque natura semper optimum intendit, at optimum est, res ipsas existere: quare pro posse hoc efficere intendit, & quędam eadem numero conseruat, ea nimirum, quæ materia carent, & omnis corruptionis sunt expertia, vt sunt celi, intelligentiæ, materia ipsa, & alia: hæc enim inquam sic constituit, vt omni contrarietate careant, atque deficere nequeant, & sic absque generatione perpetuò eadem incontaminata perseuerant. Quædam autem qualitatibus contrarijs, vel externis, vel internis subiecit, vt elementa, & mista; elementa namque contrarijs internis qualitatibus non constant, sed solum aliorum externa respiciunt, vt ignis aquæ, aer terræ, & sic de alijs, à quibus ad corruptionem disponuntur. Mista vero etiam internas pugnantes continent, quæ excessu alterius corruptioni obnoxia fiunt, quamuis ratio vniuersalis corruptionis in omnibus fortè est ipsa materia, dico fortè, quia in proprio quęsito ex professo videbitur: nunc tantum sufficiat, quod natura ipsa, vt hæc corruptibilia, saltem in specie, reparet, statim in abscessu, vel corruptione alicuius formæ, aliam in materiam inducit; vnde si permitteret ipsam materiam aliquando sine forma manere, malum vniuersi pararet.

Materia sine forma naturaliter esse nequit triplici de causa.

Secunda causa, quæ à prædicta dependet, est respectu agentis naturalis; ipse etenim corruptionem simpliciter non intendit, sed alterius formę introductionem, vt ignis non intendit simpliciter ligni corruptionem, sed productionem ignis in sua materia, quæ ignis forma cum sit incompossibilis cum forma ligni, necessariò illa expellitur, hæc autē illicò succedit; quapropter agens, vt finem producendi formam in materia consequatur, eam nudam non relinquit. Tertia denique, quæ etiam ex præcedentibus pendet, est, ne aliquid in natura sit frustra; materia ergo sine forma frustra esset. Deus autem omnipotens ordine naturæ euertere potest, & sic respectu eius voluntatis, quamuis materia sine forma existeret, aliquomodo frustra non diceretur, quia frustra non dicitur, quod imperium supremi agentis prosequitur; modo ad intentam conclusionem accedamus.

Conclus. Materia prima potest diuinitus sine omni forma absoluta, tam substantiali, quàm accidentali existere. Probatur. Omne absolutum singulare prius alio, & ab ipso realiter, & essentialiter distinctum potest diuinitus sine ipso existere; patet, nam sic se habens non dependet aliquo modo ab alio, vnde nulla est implicatio, vt separetur, sed materia est ens absolutum de genere substantiæ distincta realiter, & essentialiter à forma, ergo; minor est nota; maior etiam ex se patet; tamen singulas particulas ad vberiorem doctrinam declaremus. Dicitur absolutum, quia relatiuum, quamuis realiter à correlatiuo distinguatur, tamen implicat, quod sine ipso existat. Dicitur singulare, quia vniuersalia, nec sine singularibus esse possunt, nec realiter ab ipsis distinguuntur, imò quoad existentiam ab ipsis dependent, vt insinuat Arist. in prædicamentis cap. de substantia, ait enim; destructis primis substantijs impossibile est aliquid remanere. Vnde vehementer miror, Zabarellam, qui in 2. lib. de prima rerum materia c. 5. infert contra Scotum instātiā de vniuersalibus; dicit namq; si prius natura sine posteriori esse posset, animal vtique existere sine particularibus animalibus non esset impossibile, quasi in ratione Scoti nihil aliud haberetur, nisi hæc simplex naturę prioritas. Dicitur distinctū realiter, & essentialiter, propter proprias passiones, quæ, & si à subiecto posteriores sint, quia cū ipso essentialiter, & realiter identificantur, inseparabiles sunt. Alia ratio; accidens magis dependet à subiecto, quam materia à forma, sed secundum omnes Theologos ipsū sine subiecto esse potest (diuinitus quoque, & de absoluto loquendo) ergo multo magis materia sine forma; quod verò magis accidens à subiecto, quā materia è forma pendeat, ratio paruæ entitatis, & posterioritatis ipsius accidentis plenè demonstrat. Amplius quandocunq; duo absoluta causantur ab aliquo agente liberè vnum potest sine alio produci, sed materia, & forma in comparatione ad Deum sic se habent, ergo. Amplius sicut non repugnat sine hac, vel illa forma existere, ita non repugnat esse sine omnibus.

Sed circa prædicta est dubitatio de forma; an scilicet

X 2 sine

Forma absoluta tam substãtialis quam accidentalis potest existere sine materia.

sine materia per diuinam potentiam esse possit. Cui dubitationi etiam affirmatiuè respondetur, loquendo de forma essentiali, & absoluta. Probatur, quia hoc conceditur de absolutis accidentibus, ergo multo magis de substantia; quam tamen conclusionem aduersarij non negant: imo libenter concedunt, quoniam ratio propter quam materia sine forma nõ possit esse, dicunt, est non existentia ipsius materiæ: formæ autem existentiam tribuunt, sicut re vera est tribuenda, quare non est, vnde ipsam existere posse, negent.

Ad Argumenta.

AD primum negatur prima consequentia, videlicet, quod sequeretur contradictio; quoniam esset in actu entitatiuo, non autem in actu formali.

Ad secundum respondetur, existentiam esse nobilissimum effectum in comparatione ad entia potentialia tantum; sic videlicet, quod entia in potentia, dum ad actum reducuntur, effectum perfectissimum consequuntur: vnde quæcunque esse reale obtinent, existentiam habent, & sic non est effectus solius formæ, vel dicatur effectus nobilissimus in comparatione ad alia accidentia; hęc namque est de interna natura rei, & idem realiter cum essentia, vt alibi dicemus.

Ad Tertium respondetur, maiorem habere veritatem de relatiuis secundum esse, at materia est relatiuum secundum dici.

Ad quartum dicitur, materiam ipsam non posse esse sine omni forma respectiua, vt probat argumentum; hæc autem non est accidens, sed transcendens, & idem realitet cum eo quod refertur.

Ad quintum respondetur, passionem esse magis vnũ cu subiecto per identitatem, ideo separari non possunt, at materia, & forma, non hac identitate, sed solum ratione vnionis sunt vnum, vnde inseparabilitatem non includunt.

Ad sextum respondetur, esse reductiuè in genere substantiæ materialis, nec oportere, quod in aliqua determinata specie reponeretur, quoniam id verum est, vel de completis indiuiduis, vel de ijs, quæ actualiter partes, principia, vel passiones sunt.

Ad septimum dicitur, Deum hoc sine noua aliqua influentia efficere posse, dum autem infertur, ergo naturaliter etiam existere sine omni forma posset, negatur consequentia: est enim repugnantia, triplici de causa, vt diximus. In accidentibus autem separatis suppletur ab ipso Deo conseruatio, quã à subiecto habebant, sed solum in genere causæ efficientis.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum potentia sit de essentia materiæ.

ARguitur primò quod sic. Quod ponitur in definitione alicuius est de essentia illius; at potentia ponitur in definitione materiæ, ergo; maior est nota, quoniam definitio ex partibus essentialibus cõstat; probatur minor, nam in definitione ipsius habetur, quod sit subiectum ex quo fit aliquid, quod idem valet, ac si diceremus, quod est in potentia, vt aliquid ex ipso fiat; Vnde aliqui habent hanc propositionẽ. Materia substãtiatur per posse; seu constituitur in esse per potentiam.

Secundò. Differentia est de essentia illius cuius est differentia, at potentia est differentia materię, per hanc enim ab actu, & à forma distinguitur, ergo.

Tertiò. Si potentia non est de essentia materiæ, materia poterit esse, & intelligi sine ipsa potentia; sed hoc est falsum, ergo. Probatur falsitas, nam dicere materiam esse sine potentia ad formas, vel sic eam intelligere, repugnans ponimus.

Quæstio hæc ex præcedentibus pendet, vnde nec multum difficultatis, nec prolixitatem requirit, vt tamen sine confusione procedamus, duplicem potẽtiam, obiectiuam videlicet, & subiectiuam repetere debemus; de potentia obiectiua sit sermo, iam clare patuit, non tantum ad essentiam materiæ non pertinere, sed directè sibi repugnare; vidimus namq; ipsam materiam in potentia obiectiua nullatenus consistere posse. De subiectiua igitur loquamur, & per duas conclusiones, quæsitum resoluamus.

Prima. Potentia subiectiua non est de essentia materiæ in primo modo dicendi per se, ita vt sit essentialis constitutiua differentia eius, probatur. Nullum posterius natura, & ab alio dependens est de essentia illius à quo dependet, sed essentiam eius supponit: at potentia est posterior materia, & ab ipsa dependens, ergo. Probatur minor, quia potentia est vis, vel capacitas ad aliquid, omnis autem vis, & capacitas fluit à natura cuius est, & per consequens ipsam naturam supponit, & est posterior ipsa; sed ipsa potentia non est nisi capacitas materiæ ad recipiendam formam, ergo. Prima conclus.

Secunda. Ipsa potentia pertinet ad materiam in secundo modo dicendi per se; sicut risibilitas ad hominem, & quælibet proprietas respectu proprij subiecti; probatur, nam vt diximus ab ipsa materia fluit, estque cum ipsa conuertibilis, quicquid enim in potentia ad formam substantialem est, materia est; & quicquid est vera materia, in potentia ad formas substantiales existit; hæc autem est ratio propriæ passionis, vt habetur à Porphyrio cap. de proprio, & sic dicunt aliqui, ipsam esse essentialem materiæ, non autem de essentia. Esse enim essentiale alicui est identificari realiter cum ipso, vel essentiam ipsius necessariò sequi. Sed esse de essentia, est constituere veluti pars, ipsam essentiam, vel naturam: vnde omnis propria passio in quarto modo proprij est essentialis suo subiecto, non autem de essentia; & si alij vocent proprium de essentia in secundo modo per se; melior tamen est primus loquendi modus. Secunda Conclus. Esse essentiale. Esse de essentia.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur, dum propriæ differentiæ sunt ignotæ, loco ipsarum, proprietatibus vti possumus, & sic in definitione materiæ ponitur saltem implicitè potentia ad supplendam differentiam essentialem, si quam habeat. Vel dicatur eam esse descriptionem, quę ex genere, & proprio conflatur, quod autẽ sit descriptio in q. 16. declarauimus; similiter dũ aliqui dicunt, materiã substantiari per posse; intelligendũ est, quo ad nos, qui ipsam per potẽtiã cognoscimus, describimus, & constitui intelligimus. At si quis curiosè se adhuc instet, quam poterimus imaginari constituentẽ essentialẽ differentiam ipsius; respondetur, hoc nos non cognoscere; vel fortè nullam esse, quia primò diuersa (vt materia) non admittũt aliquã differentiam ex parte rei, hæc namq; nihil aliud quam forma esset, & sic materia esset compositum: quare dicendum est, se ipsa differre ab alijs idem dici potest de forma; & de quacunq; simplici entitate, de quibus fortè fusius alibi.

Ad secundum negatur minor, non etenim ipsa potentia est essentialis differentia, sed passio, & vicem differentiæ supplens.

Ad tertium respondetur, quod materia in prima notione potest sine omni potentia intelligi, quod sit abstractione præcisiua, & si fortè pro hoc statum sit impossibile; esse autem non potest sine ipsa; quoniam nullum subiectum absque propria passione, neque per diuinam potentiam esse potest, vt alibi visum est.

QVÆ-

QVÆSTIO XIX.

An in prima materia sit quantitas, vel dimensiones interminatæ.

Opiniones.

Opinio Auerrois. AVerroes 1. phys. tex. 63. quem sequuntur, & defendunt Achillinus, 1. libro de elementis dub. 17. nec non Zabarella in secundo lib. de materia c. 8. & alij quamplures Auerroistæ, in materia prima esse quantitates, vel dimensiones interminatas constanter affirmant; at priusquam ad ipsorum argumenta accedamus, quid per has dimensiones intelligant, exponere oportet. Dimensiones interminatæ quid. Sunt igitur hæ dimensiones, quantitas quædam corporea cum longitudine, latitudine, & profunditate; sic tamen, quod certis limitibus, vel figura careat, eo modo, quod massa aliqua ordinata ad diuersorum vasorum formã in se nullam determinatam habet, sed ab vnaquaque particulari determinatur: dicunt ergo isti sic necessariò quantitate hac materiam affectã esse, & à diuersis formis, non nouã quantitatem, sed terminationẽ accipere, sicut massa prædicta nõ accipit quantitatem à formis vasorum, sed terminationẽ; hanc ergo quantitatem nõ volunt ipsi, quod sit actualiter infinita, quia hoc in bona philosophia non conceditur, sed eatenus carere terminis asserunt, quatenus de se nullam præfinitam peculiarem figuram obtinet, sed omnes in potentia; & hoc si secundum se consideretur, quia de facto sub particularibus formis continetur, quod idem est, ac si dicatur, omnis quantitas ex materia est, sed à forma terminatur. Alij autem per dimensiones interminatas intelligunt partes entitatiuas materiæ, pro vt sunt in potentia ad diuersas formas, & quantitates recipiendas, sed impropriè loquuntur, quia partes tales substantiales, nomen quantitatis, non congruenter admittunt. Alij deniq; per has quantitates intelligunt quantitates particulares rerum corruptibiliũ, vt Hominis, Leonis, elementorum, &c. quas interminatas vocant, prout non sic indissolubiliter alicui materiæ inherent, quin illa materia sub alia maiori, vel minori quantitate existere possit, vt materia ligni sub igne sub maiori quantitate, & sub aere sub minori cõsistit; & hoc modo materiam interminatas quantitates habere dicunt: hæc autem opinio simul cum immediatè præcedenti, nullam difficultatem habent; vera est etenim simpliciter hæc vltima; alia vero, & si vera, tamen impropria est: difficultas autem est circa primam Auerrois positionem; quam ferè omnes principales latini efficaciter impugnant, maximè Scotus in 2. sent. dist. 3. q. 4. D. Thomas, & alij: Opinio Scoti. hi namque absolutè hanc quantitatem in nuda materia dari, negant; vt autem distinctè procedamus, prius argumenta Auerrois, & sequacium, deinde conclusionem ad mentem Scoti, ac tandem argumentorum solutiones ponemus.

Argumenta pro Auerroistis.

Primum. PRimum. Omne agens agit in materiam quantam; quia omnis actio naturalis est per contactum, ex 3. phys. tex. 16. contactus autem est inter ea quorum extrema sunt simul ex 5. physic. tex. 22. quæ verò extrema habent sunt quanta; ergo materia ipsa debet esse quanta.

Secundum. Præterea. Indiuisibile non potest constituere diuisibile, vt habetur per totum sextum physicorum, & à mathematicis, vt principium recipitur; indiuisibile enim additum alteri (aiunt) non facit maius. Si ergo materia indiuisibilis, vel sine quantitate est, & forma quoque est indiuisibilis, non poterit ex ipsis aliquod compositum quantum constitui.

Tertium. Amplius. Quantitas est in generabilis, & incorruptibilis, ergo æterna; ergo æternum subiectum requirit, hoc autem non est nisi materia: quia forma, & compositum perit; quod autem ipsa quantitas sit ingenerabilis, & incorruptibilis, probatur; si enim generaretur, vel generaretur à forma, vel à quantitate, vel à qualitate; non à forma, quia ipsa est non quanta; ergo non potest efficere quantum; non à quantitate, quia ipsa non est de genere actiuorum; nec à qualitate, quia qualitas est posterior quantitate, at posterius non est causa prioris. Corruptibilis neque est, quia omne quod corrumpitur à suo contrario corrumpitur, at quantitati nihil est contrarium, ergo.

Quartum. Item. Experientia patet, quod interdum post corruptionem eadem quantitas manet, vt dum ex igno fit carbo; ex vino acetum; ex animali cadauer, vbi tunc talis quantitas manet? non in forma, vel composito præcedenti, quia corupta sunt; non in sequenti tantum, quia ipsa quantitas videtur manere eadem ante ipsius generationem.

Quintum. Amplius. Si subiectum quantitatis esset compositum mediante forma, etiam ipsa forma esset subiectũ, & sic ad diuisionem quantitatis diuisibilis esset, quod saltem de anima rationali non conceditur.

Sextum. Tandem. Est cõmune affatum in philosophia, quantitatem sequi materiam; operationem formam, ergo.

Conclusio secundum Scotum.

QVamuis rationes prędictæ aliquam per se speciem veritatis, & efficaciæ ferant; opposita tamen Scoti, D. Thomæ, & aliorum verior, & efficacior existit. Sit ergo conclusio. Conclus. Prima ratio. In materia ipsa non sunt dimensiones interminatæ. Probatur, quia substantia est prior natura, tempore, & cognitione accidẽtibus, quorum est substantia ex 7. Metaph. tex. 8. si ergo quantitas præcederet compositum, cum ipsa sit accidens, oppposito modo res se haberet; nec valet, quod sit interminata, quia hoc non aufert rationem accidentis. Secunda ratio. Præterea hæc quantitas, vel est eadem cum terminata, vel diuersa; si eadem, ergo eadem accidentia præcedunt suam substantiam tempore infinito, quod est absurdum. Si diuersa, ergo duæ quantitates corporeæ se penetrabũt. Respondet Zabarella, esse eandem, sicut id quod est in potentia cum eo, quod est in actu: at responsio hæc non valet; quia talis quantitas licet interminata sit, est tamen secundum ipsas actualiter. Tertia ratio. Amplius, si materia nuda posset esse subiectum accidentium, ipsa non differret à vero accidentium subiecto, quod ab Arist. ponitur ens completum; imò, vel ipsa quantitas non esset accidens, vel materia esset quid in actu; nam id dicitur accidens, quod aduenit enti in actu, & quod accidens recipit, in actu est, maximè si de accidentibus materialibus loquamur. Quarta ratio. Item sequeretur, quod prius esset aliquid secundum quid, quam simpliciter vel per accidẽs, quam per se; quod expresse negat Aristot. in secundo phys. tex. 66. Quinta ratio. Denique. Materia secundum ipsos non existit, quomodo ergo existentem quantitatem in se retinet?

Ad Argumenta.

AD primum respondetur, agens agere in quantum, quia agit in aliquod compositum, quod corrumpit, in cuius materiam formam inducit; vt ignis agit in lignum quantum, quo ligno corrupto, statim in materiam eiusdem propriam formam inducit.

Ad secundum respondetur; indiuisibile in genere quantitatis, vt punctum, non posse efficere, vt partẽ integralem aliquod continuum; sed indiuisibile in genere substantiæ, quod tamen virtualiter, vel effectiuè diuisibile

 bile

bile est, hoc efficere posse. Diximus quod virtualiter, est quantum, propter materiam, quæ virtualiter, & passiuè est apta recipere quantitatem, vel fieri quanta. Diximus vel effectiuè, propter agens, hoc namque quantitatem producit; imò si argumentum hoc valeret, nulla daretur æquiuoca generatio; sol namque non est rana, & tamen eam producit, sufficit ergo virtus, & sic ad propositum. Vel dicatur quod ab agente quanto produci potest quantitas.

Ad tertium, respondetur, quod quamuis quantitas non sit generabilis, & corruptibilis, generatione, & corruptione propriè dicta: quia hoc est proprium substantiæ; tamen est effectibilis, & defectibilis, ad productionem, & corruptionem subiecti, sicut cætera accidentia; & à quo subiectum generatur, & corrumpitur, ab hoc etiam producitur, & destruitur quantitas: quod quidem producens, & destruens, non est forma, nec materia, nec quantitas, neque qualitas, sed agens naturale, quod interdum est compositum, vt homo; aliquando simplex, vt Cœlum, sed vt plurimum ambo.

Ad quartum dicitur, non esse eandem quantitatem numero, sed specie; ideo præcedenti similem.

Ad quintum negatur consequentia, nam quantitas primò inest composito, ideo ipso diuiso, non oportet quod diuidatur forma, maximè si à materia non dependeat; vel dicatur diuidi formam, quæ immediatè quantitati coniuncta est, vt forma corporis, non aliam, quæ sic non se habet.

Quantitas sequitur materiam quo modo.

Ad sextum respondetur; quantitatem dici sequi materiam, per attributionem quandam, pro vt videlicet ei assimilatur; quoniam sicut materia est in potentia, & nullius actiuitatis respectu formæ essentialis, sic quantitas continua permanens respectu accidentium; dicimus notanter, quantitas permanens, propter motum, cui mirabilis tribuitur actiuitas; vt in secundo de Cœlo circa tex. 42. videbimus.

QVÆSTIO XX.

Vtrum in materia prima sint rationes seminales, seu aliquæ formæ ipsi materiæ coæternæ.

STatueram singulas quæstiones textibus Aristotelicis sic adaptare, vt nulla extra ipsos vagaretur: sic namque peripateticam doctrinam, quam tradere iuuenibus intendo, perfectè prosequi videbar, attamen ipsorum adolescentium vtilitas, ne seueritatem præfixi ordinis prosequebar, admonet; multa namq; de materia dici possunt, quorum alia ad libros de cœlo, alia ad libros de generatione, & corruptione, alia ad alios attinent: vnde in hoc libro, nec mentio aliqua, (ne dicam resoluta doctrina) habetur; quomodo ergo textus ipsos citare potero? vel ergo propositam allegationem dimittere oportet, vel multas perutiles quæstiones intactas vsque ad aliam occasionem relinquere; quare, & si hoc vltimum commodè, & cum Aristotele fieri possit: tamen cum hic sit proprius locus de materia, & studentium desiderium omnia ad ipsam materiam pertinentia cognoscendi, vrgeat; quicquid de ipsa dici à me, & ad propositam rem potest, pro viribus, & breuiter dicam; & dum ex Aristotelis litera quæstionem deducere potero, libenter efficiam; dum autem res aliter exigit, opportunitatem sequar, quam methodum vniuersa hac philosophia seruabo. Est igitur quorundam opinio; quod in materia ipsa sint quædam rationes seminales, hoc est quædam dispositiones, quasi imperfectę formæ, ipsi materiæ coæternæ, ex quibus perfectæ formæ educantur.

Opinio Auicennæ, Alberti, & Henrici.

Primũ arg.

Quorum præcipuè rationes sunt istæ. Sicut in particularibus determinatis materijs rerum, necessariò quædam dispositiones, & inchoamentum formæ habendæ præexistit; ita hoc esse debet in materia prima in comparatione ad formas in communi, vel vniuersales, hoc est ad quamlibet formam indifferenter; similitudo patet, quoniam, sicut materia particularis se habet ad formam particularem, ita materia communis ad communem, ex 2. phys. tex. 38. quod autem in particularibus materijs hęc ratio seminalis reperiatur, probatur, nam cur ex semine hominis, homo; ex semine Leonis, Leo, & sic ex vnoquoque vnumquodq; determinatum sibi corrispondens fit, vt docet philosophus in 2. phys. tex. 84.? non alia de causa quidem, nisi quia in tali semine, vel materia, erat inchoatio quædam formæ habendæ, hanc autem rationem seminalem appellamus.

Secundum. Creari quid.

Præterea. Si nihil in materia ipsa producendæ formæ præesset, omnis forma crearetur, quia creari est ex nihilo in esse reale produci; si ergo in materia non est aliquid formæ, ipsa ex nihilo fit, nec dicatur, quod fiat ex materia: quia materia ipsa non est pars formæ, sed susceptiuum tantum, maximè secundum eos, qui rationes seminales ab ipsa auferunt, imò non aliter à materia penderet, nisi sicut anima rationalis à corpore. Cur ergo anima ipsa creari, & non ex corpore fieri, Theologi asserunt? non alia ratione profectò, nisi quia nihil corporis accipit, nihilque est in corpore ipso, quod ipsius animæ possit esse inchoamentum, vel ratio seminalis; ergo pariter omnes aliæ formæ crearentur, nisi aliquid præexistens in materia, præter materiam, supponant.

Tertium.

Amplius. Nisi forma hæc in materia præexisteret, omnis generatio esset violenta; probatur consequentia, quia id dicitur violentum, cuius principium est extra, nõ conferente vim, vel inclinationem passo, ex 3. eth. vt motus lapidis sursum ideo violentus est, quia ab extrinseco motore fit, nec lapis ipse aliquam inclinationẽ ad huiusmodi motum habet, sed solum non repugnantiam: eodem quidem modo se haberet materia, nisi adminiculũ, & inchoamentum præstaret. Oppositum sentit Scotus in 2. sent. d. 18. q. vnica cũ quo ferè omnes alij Peripatetici sentiunt, imò sic prædicta opinio, nunc in Scholis vana, & sine fundamentis reputatur, vt quasi penitus aboleuerit. Quoniam autem nihil aliud fundamenti pro resolutione necessarium est, (termini enim sunt noti, vel etiam breuiter declarati) ad conclusionem accedamus.

Opinio Scoti.

Conclusio.

IN materia prima non datur ratio seminalis coæterna materiæ, quę etiam vocatur forma corporeitatis, pro vt constituit secundum ipsos materiam in esse aliquomodo corporeum. Probatur, quia hæc forma, vel est diuersa ab alijs particularibus formis, vel eiusdem rationis: si diuersa nihil ad productionem ipsarum particularium formarum confert; imò sic ex nihilo producerentur, sicut ipsa non poneretur; aduersarij etenim ideo formas ex nihilo produci inducunt, quia materia non est pars formæ, sed ab ipsa diuersa; pari ergo ratione, de hac diuersa forma philosophandum est. Si autem est eiusdem rationis, æqualis difficultatis, vel facilitatis esset eam producere, sicut alias, & sic æternam esse dicere non oporteret; præter quã quod si eiusdem rationis cum omnibus formis esset, materia ipsa omnibus formis ab æterno informata esset, & sic Socrates, Plato, & alia omnia corruptibilia ab æterno in materia formam habuissent, & sic æterna essent; vbi namque est materia, & forma, ibi est totum compositum; ista autem quam sint absurda, etiam ij qui à se ipsis sciunt, cognoscere poterunt. At dicere possent, has formas in materia præexistentes non esse perfectas, sed imperfectas, vnde non sequi res esse ęternas. Hęc respõsio mihi valet, quia formæ substantiales sunt indiuisibiles, ex 1. cap. de

sex

ſex principijs, ergo non poſſunt eſſe magis, & minus tales. Item ſi agens poteſt perfectiorem formam producere, multo minus illam imperfectam, & ſic eam ponere ſuperfluum, & commenticium eſt. Amplius. Forma hæc
Secunda ratio. vel habet aliquam actiuitatem circa generationem, vel non; ſi non habet, fruſtra eſt. Si habere dicatur falſum dicitur, quoniam forma, prout per generationem eſt acquiſibilis, non mouet, neque mouetur, ſed eſt ſolum ter-
Tertia ratio. minus ex 5. Phyſ. tex. 3. Amplius effectus cauſæ efficientis ſub eadem ratione ab alijs cauſis ſuppleri non poteſt; aliter cauſalitates quatuor cauſarum confunderentur, ſed producere formam eſt effectus ipſius efficientis, ex 2. Phyſ. tex. 81. quęcunque ergo forma in materia ponatur, ab efficiente producta erit; cum ergo efficiens ſemper effectum ſibi reſpondentem producere poſſit, ad quid hæc æterna forma ponitur.

Ad Argumenta.

AD primũ negatur ſimilitudo; ratio eſt, quia materia ſecũda neceſſariò ſubeſt actioni agentis, à quo intelligitur iam diſpoſita, vnde non inconuenit, quod
Semen quid. ibi ſit ratio ſeminalis, vt in ſemine eſt vis formatrix, atque ipſum non eſt pura materia, ſed corpus imperfectum, ordinatum ad perfectiorem formam; materia autem prima, vt nuda, & ex ſe apprehenſa, ab actione agentis, & à quolibet alio præſcindit. Similitudo autem Ariſt. valet ſolum quoad vniuerſale, & ſingulare ſcilicet, quod cauſa vniuerſalis tribuatur effectui vniuerſali, particularis particulari.

Ad ſecundum negatur conſequentia; id enim creari dicitur, quod ex nihilo fit, ſic nimirum, quod ab agente naturali nihil diſponi poſſit, ex quo diſpoſito aliquid fiat, quod accidit, dũ producendum eſt aliud alterius ordinis, & perfectionis, vt anima, quæ immortalis eſt, dũ autem ipſum naturale agens ſic paſſum diſponere poteſt, vt ex virtute ſua, & huiuſmodi diſpoſitione aliquid producere queat, & ſi nihil ipſius rei producendæ præexiſterit, creare non dicitur. Sic ad propoſitum, materia ab agente naturali diſponitur, & deinde formæ educuntur ex vi ipſius naturalis agentis, & ipſarum diſpoſitionum; at hoc non eſt creare, ſed generare, vel ex potentia materiæ educere.

Ad tertium ſimiliter negatur conſequentia, quia materia ipſa inclinationem habet paſſiuam ad omnes formas recipiendas, & hac de cauſa, ens in potentia dicitur, non ſic de lapide reſpectu motus ſurſum, ipſe namque neque potentiam, neque inclinationem ad hunc motum habet, ſed & non repugnantiam, & aptitudinem duntaxat, quæ longè ab inclinatione, & potentia differunt, vt alibi.

QVÆSTIO XXI.

An materia prima ſit corpus de prædicamento ſubſtantiæ.

Opinio Zabarellæ. ARguitur primò, quòd ſic. Omnia, quę vniuocantur in aliquo debent ex parte rei habere aliquã naturam communem inter ſe conuenientem, propter quam eis inſit vniuocatio, aliter non eſſet vniuocatio realis, imò potius æquiuocatio, vt quia omnia animalia in animali vniuocantur eis anima ſenſitiua à qua recipiunt vniuocationem, reſpondet; ſed omnia corpora corruptibilia vniuocantur in ratione corporis, ergo aliquod corpus, vel ratio corporis communis eis reſpondere debet; hoc autem non poteſt eſſe forma, quia ab omnibus ponitur incorporea, neque compoſitum ex ipſo, & materia, quia eſt effectus, de quo quærimus à quo habeat, vt ſit corporeum, vnde eſſet petitio principij, relinquitur ergo, quod ſit materia.

Secundò. Corpori corruptibili, & incorruptibili non eſt aliquod commune vniuocum tanquam genus, quia corruptibile, & incorruptibile genere differunt ex 10. Metaph. tex. vlt. Corpora ergo corruptibilia genus aliquod ex ſe habent, ratione cuius ab incorruptibilibus differant: ſed differunt ſic ab incorruptibilibus per materiam, vt videbimus in libris de Cęlo; ergo materia ipſa habet rationem generis corporei.

Tertiò. Corpori quanto debet reſpondere corpus ſubſtantiæ, ſiquidem omni accidenti determinatum ſubiectum aſſignandum eſt; at quantitati ipſi communiter pro ſubiecto aſſignatur materia, ergo ipſa materia eſt corpus de genere ſubſtantiæ.

Pro intelligentia eſt notandum, quod corpus aliud eſt de genere quantitatis, & eſt trina dimenſio, videlicet longitudo, latitudo, & profunditas; aliud autem eſt de genere ſubſtantiæ, quæ autem ſit ratio, vel natura communis iſtius non facile eſt videre; imò ex huius cognitione, tota hæc controuerſia pendet. Modernus quidam Doctor, neſcio quo inconſideratè rationem corporis, quod ponitur in genere ſubſtantiæ ex materia, & forma, conſtare dicit: ſic namque cęlum, quod ab ipſo cum Scoto, corpus ſimplex eſſe defenditur, ſub genere corporis non contineretur, vel duo eſſent genera non ſubalternata corporis ſubſtantialis, aliud corruptibilis, aliud verò incorruptibilis corporis, quod ipſe quoque meritò negat, cum vnum ſit ſupremum genus ſubſtantiæ, puta ſubſtantia ipſa in communi ad omnes ſubſtantias finitas, & multo magis vnum corpus ad omnia corpora. Dicerem igitur ego (ſaluo ſemper meliori iudicio) rationem corporis ſubſtantialis ſic ſaltem à poſteriori, & ex notioribus nobis deſcribi poſſe. Eſt ſubſtantia per- Corpus de genere ſubſtantiæ quid.
fecta apta eſſe quanta, & mobilis; dicitur ſubſtantia perfecta, vt partes eſſentiales ſubſtantiæ, cuiuſmodi ſunt materia, & forma, excludantur; dicitur apta eſſe quanta, quia corpus de genere quantitatis ſic ſequitur neceſſariò ex corpore ſubſtantiæ, vt ab Ariſtotele ſæpe per ipſum definiatur, vt in primo de cęlo, & alibi paſſim eſt videre, & per hanc particulam excluditur ſubſtantia perfecta ſpiritualis, vt Deus, & intelligentiæ, quæ non ſunt quantæ; dicitur denique mobilis ad excludendum corpus Mathematicum, ſeu de genere quantitatis, & per intellectum abſtractum, hoc namque Mathematicum dicitur, atque ſic conſideratum, immobile eſt. Quod autem hæc communis corporis aſſignatio ſit bona, quoad primam particulam, (nam de alijs non eſt difficultas, confeſſum eſt enim apud omnes Philoſophos, omne corpus naturale eſſe quantum, & mobile) probatur. Sicut ſe habet ratio corporis quanti ad ipſum, ita ſe habere debet ratio corporis ſubſtantiæ ad corpus ſubſtantiæ; ſed ipſius quanti ratio conſiſtit in hoc, quod non poſſit eſſe pars, nec imperfectum, quod idem eſt, eadem eſt ergo ratio iſtius, ergo eſt ſubſtantia perfecta; maior eſt nota, minor verò, videlicet, quod perfectio corporis quanti conſiſtat in hoc, quod non ſit pars, vel imperfectum ex Ariſtot. 1. de cęlo tex. 4. expreſsè habetur. Hæc igitur corporis definitio aptiſſima mihi videtur, atque vniuocè omnibus corporibus aptari poteſt; imò corpus ſic in communi conſideratum, ac definitum eſt ſimplicius quolibet particulari corpore, quod maximè inculcant aduerſarij; corpus enim cęleſte differentiam ei addit, puta incorruptibilitatem, alia verò corruptibilitatem; at ipſum in communi ab vnoquoque abſtrahit, ſicut animal à rationali, & irrationali; nec refert, quod corruptibilitas, & incorruptibilitas ſint potius paſſiones, quam eſſentiales differentiæ, quia per has paſſiones, differentias ipſas circumloquimur, imò cum paſſiones ab eſſentia, & maximè à differentijs, & formis fluant, ſi ſunt diuerſæ paſſiones, etiam diuerſas ſupponunt eſ-

ſentia-

sentiales differentias, vnde patet; quod aliquid addunt, & sic ipsum est simplicius, vt decet genus in comparatione ad species. His habitis, & receptis fundamentis, facilè est quæstionem determinare, sint ergo duæ conclusiones.

Conclusiones.

Prima conclusio. Materia non est corpus de genere substantiæ; probatur, omne corpus est substantia perfecta mobilis, & apta esse quanta: sed materia non sic se habet; ergo; maior est nota ex definitione corporis; minor etiam ex se patet, quia materiam non esse substantiam perfectam, receptum est apud omnes: quod autem se sola non sit apta esse quanta, satis probauimus in quæstione de dimensionibus interminatis materiæ; quod verò non sit per se mobilis, etiam in bona philosophia receptum est.

Secunda. Corpus non est supremum genus vniuocum prædicamenti substantiæ; probatur, quia sic non solum decem essent generalissima; sed multo plura: substantia namque, prout ad incorporea se extendit, vnum prædicamentum constitueret; aliud verò corpus corruptibile, aliud incorruptibile, & sic de alijs; hoc autem est absurdum, & à communi sententia alienum. Præterea æquiuoca non sunt in prædicamento, ergo si substantia non est supremum genus, erit propter æquiuocationem, quapropter ipsa distinguenda esset, & sic diuersa essent genera substantiæ, sicut aliud est genus corporis substantialis, aliud corporis quanti, prout corpus æquiuocè dicitur de vtroque; cum autem hoc sit absurdum, & paradoxon, dicendum non est; ergo consequenter fateri debemus oppositum, nimirum substantiam vniuocè de omnibus substantijs finitis dici, & sic esse genus supremum.

Ad Argumenta.

AD primum conceditur totus primus syllogismus, ad prosyllogismum negamus illam particulam, scilicet, quod causa talis vniuocationis sit materia: dicimus namque esse rationem, vel definitionem corporis in communi, quæ non est effectus materiæ, imò quidditas corporis vniuersalissimi.

Ad secundum respondetur, corruptibile, & incorruptibile differre genere physico, seu specie specialissima, quæ cur genus physicum dicatur, visum est in quæstione de vniuocatione entis; verum non omnia corruptibilia differunt specie ab incorruptibilibus, sed solum completa: anima namque rationalis, quæ incorruptibilis ponitur non differt specie ab homine, qui est corruptibilis, nec materia à forma, imò sunt vnum & idem numero.

Ad tertium respondetur, corpori quanto respondere substantiam perfectam pro subiecto, eam videlicet, quæ est apta moueri, & corpus de genere substantiæ, modo præexposito dicitur; cur autem quantitas materiæ tribuatur, alibi visum est.

QVÆSTIO XXII.

An materia prima sit in se vna numero.

ARguitur primò, quòd sic. Omnis distinctio est à forma, sed materia in se considerata formam non includit, ergo non est distincta; ergo vna numero.

Secundò. Omnium generabilium, & corruptibilium est transmutatio substantialis mutua, vel mediatè, vel immediatè, sed quæ ad inuicem transmutantur materiam eandem communem, & vnam habent, vt ex libris de generatione, & corruptione notum est, ergo.

Pro intelligentia est notandum, quod materia considerari potest dupliciter; vno modo per se, & quasi separata ab omni forma, sicut si de facto eam ab omnibus Deus separauisset; alio modo prout nunc se habet, vel secundum communem cursum naturæ se habere potest. Si primò modo consideretur procul dubio esset vna numero, quia in rei veritate nullam distinctionem, nullamque diuisionem, vel differentiam inter suas partes admitteret, sed potentialiter duntaxat; hoc autem modo se habere, non est esse actualiter plurificatum: quia sic omne continuum eo, quod est in potentia, vt in plura diuidatur, esset actualiter plura, quod nullus sanæ mentis assereret; secundum actum ergo vna esset numero, sed secundum aptitudinem plures, quia apta est per formas plurificari, quod autem est vnum numero, est etiam vnum specie, non è conuerso; vnde ipsa materia esset sic vna specie, quod suam quidditatem, & naturam, eo modo quo habet, esset à quacunque alia diuersa; & diximus notanter, eo modo quo habet, quia nec plenam quidditatem, nec completam rationem speciei includit; dicitur tamen aliqua differre, vel esse eadem specie impropriè, prout diuersa, vel eadem numero sub se contenta respiciunt, sic risibilitas prout de hac, & illa dicitur, est passio specie diuersa à flebilitate; neutra tamen est propriè species, sed vtraque passio speciei; vnde solent huiusmodi species prædicabiles appellari, prout videlicet de pluribus indiuiduis prædicantur; aliæ verò veræ, & prædicabiles, & subijcibiles simul, prout de pluribus indiuiduis dicuntur, & generi subijciuntur, vnde ex genere, & differentia constant, & sunt veræ species, vt homo, equus, albedo, &c. materia ergo, quamuis indiuisa, & singularis existens vna secundum speciem prædicabilem dici posset: non est autem necessarium, vt quod prædicabile est, de facto pluribus conueniat, sed sufficit aptitudo. Si autem materia secundum præsentem statum, vel communem cursum naturæ consideretur, est de facto plurificata, imò impossibile est, quod sit vna numero; probatur, nam diuersorum diuersæ sunt materiæ; quis enim esset adeo mentis captus, vt eandem hominis, leonis, plantæ, ignis, & aliorum materiam esse assereret? Præterea, posset fieri generatio sine vlla corruptione, quod est absurdum, & experientię repugnans; probatur consequentia, nam data vna materia numero sub diuersis, & oppositis formis, adhuc alias recipere posset, quia non habent maiorem repugnantiam præsentes, quam futuræ, & sic esset nouæ formæ acquisitio, absque deperditione alterius, & habetur intentum; vnde patet, quid sit dicendum ad quæstionem, & ad argumenta. Primum namque concludit, materiam in se absque omni forma non esse diuisam, quod negari non potest, est tamen diuisibilis, & sic rationem prædicandi de pluribus secundum aptitudinem retinet, quare non est determinatè vna numero, vt ei plurificabilitas repugnet, sicut accidit v. g. Socrati; hoc enim est solum proprium rerum heterogenearum, aliarum verò nequaquam; ex vnico enim igne, vel aqua, per diuisionem plures fiunt, vt patet. Eodem modo patet solutio ad secundum, nam re vera ipsa materia in se esset vna numero, sed de facto, implicat: sicut namque sunt diuersa generabilia, ita materia in diuersas partes secari debet, hæc autem doctrina elicitur ex Scoto in 4. sentent. distinct. 11. quæst. 3. quamuis aliter ab aliquibus Scotistis intelligatur, nihil tamen refert; hæc namque est optima, & Peripatetica intelligentia, vt intuenti patere poterit.

Species subijcibiles, & prædicabiles.

Ad arg.

QVÆ-

QVÆSTIO XXIII.

Omne ex ſubiecto, & forma fit. Tex. 65.

Circa hunc textum quæritur, vtrum materia ſit pars quidditatis rei materialis.

AVerroes, Magnus Albertus, Vgo de Sancto Victore, & quamplurimi alij negatiuam partem ſuſtinent; quorum præcipua argumenta ſunt hæc.

Primum. Quod eſt cauſa corruptionis non eſt, nec poteſt eſſe pars rei incorruptibilis aliter incorruptibile corrũperetur, ſed materia eſt cauſa corruptionis ex 1. de cęlo tex. 136. quidditas autem eſt incorruptibilis; nam ſcientiæ ſunt de incorruptibilibus tantum, ex 1. Poſt. cap. 22. quæ ſcientiæ quidditates rerum contemplantur, vnde ipſæ quidditates ſunt incorruptibiles; ergo non poſſunt admittere materiam pro parte.

Secundum. Præterea ſicut ſe habet materia rerum artificialium ad res artificiales, ita rerum naturalium ad naturales, ſed illa non eſt pars eſſentialis illarum, ergo neque iſta iſtarum; proportio maioris videtur nota, & deſumpta ab Ariſtot. in hoc libro tex. 69. minor probatur, quia forma Mercurij, ſic in auro, ſicut in argento, vel alia materia cęlari poteſt, quod non eſſet, ſi aliqua materia eſſet de eſſentia ipſius.

Tertium. Item. Quod aufert aliquomodo identitatem, non eſt reputandum pars, ſed potius quid extraneum; ſed materia aufert identitatem quidditatis in comparatione ad id cuius eſt quidditas, ergo non eſt pars eius; maior eſt per ſe nota; minor eſt Ariſt. 7. Metaphyſ. cap. 4. vbi ait, in conceptis cum materia non eſt idem quod quid eſt, cum eo cuius eſt, ſeu non eſt idem quidditas cum eo, quod quidditatem habet.

Quartum. Amplius. Ignotum non poteſt eſſe pars quidditatis, quia quidditas eſt ratio cognoſcendi, ſed materia ſecundum ſe eſt ignota, vt viſum eſt, ergo.

Quintum. Adhuc ſi materia eſſet pars, &c. tunc ex ipſa, & forma fieret per ſe vnum: ſed hoc eſt falſum, ergo, conſequentia maioris eſt nota; probatur falſitas, quia vel ex ipſa, & forma fieret vnum immediatè, vel mediatè; non primo modo, quia hoc pacto forma hominis poſſet nudam materiam informare; non ſecundo, quia media illa eſſent accidentia, at ipſa non poſſunt præcedere ſubſtantialem formam, quia accidens eſt poſterius ſubſtantia.

Sextum. Præterea. Quæ ſunt diuerſæ conditionis, & naturæ vnum per ſe efficere nequeunt, imò potius corruptionem moliuntur; ſed materia, & forma ſic ſe habent, quia materia ipſa eſt ingenerabilis, æterna, in potentia, &c. forma verò totum oppoſitum.

Oppoſitum ſentit Scotus in 3. ſentent. diſt. 22. quæſt. vnica; ipſe enim, materiam eſſe partem eſſentialem quidditatis materialis pluribus rationibus oſtendit; quas antequam in medium afferamus, aliqua examinabimus, & præſertim tria, videlicet, quid propriè dicatur quidditas, quot modis accipiatur materia, provt ad præſens ſpectat, & quotupliciter aliquid vnum dicatur.

Quoad primum. Notandum eſt, quod ſubſtantia, natura, eſſentia, & quidditas, quamuis interdum confundantur, & vnum pro alio accipiatur, quod maximè accidit de tribus vltimis; preſſe tamen, & propriè loquendo differunt, & ſe habent tanquam ſuperius, & inferius; ita vt inter ipſas poſſimus, quaſi lineam prædicamentalem rectam imaginari, in cuius infima parte ſubſtantia collocetur, poſtea natura, deinde eſſentia, & tandem in ſupremo loco quidditas; quod ſic declaratur, quidditas eſt omne illud, quod includit ens quidditatiuè, & quidditatiuè poteſt prædicari de pluribus, non tamen dicit totam rationem formalem eorum, de quibus prædicatur; hoc pacto ſe habent omnia genera tam generaliſſima, quam ſubalterna, quia in quid de pluribus ſpeciebus prædicantur, non tamen totam ipſarum naturam dicunt, hæc eſt ſtrictiſſima acceptio, & explicatio huius termini quidditatis; ſumitur tamen interdum pro quacunque eſſentia, vel natura definibili, imò hoc ſecundo modo accipi debet in præſenti quęſtione, quamuis diſtinctionis, & vberioris doctrinę gratia non inconueniens exiſtimauerim, ſic declarare. Secundum igitur primam acceptionem eſt quid vniuerſale ad eſſentiam, naturam, & ſubſtantiam. Eſſentia ergo eſt quidditas definibilis vera definitione ſi ſit limitata (quod ponitur propter eſſentiam diuinam, quæ definibilis non eſt, quia eſt infinita) & eſt communicabilis ſecundum totam ſuam rationem formalem, vt ſunt omnes ſpecies ſpecialiſſimæ. Natura eſt eſſentia productiua alicuius formæ abſolutæ, & ab alijs dicitur vis inſita rebus ex ſimilibus ſimilia procreans, quæ natura ſic accepta eſt duplex, ſcilicet ſubſtantialis, & ab Ariſtot. 2. Phyſic. tex. 4. & 5. vocatur ens habens naturam: alia eſt accidentalis, vt ſunt omnes formæ actiuæ, quæ ab eodem Ariſtot. loco citato vocantur entia ſecundum naturam. At hæc acceptio videtur repugnans eidem Ariſtot. qui naturam, materiam, & formam eſſe dicit. Reſpondetur Ariſtot. dum materiam, & formam naturam appellat, conſtitutiuè loqui, quia nimirum naturam conſtituunt. at de natura provt eſt vis productiua, &c. mentionem facit in 8. Phyſic. tex. 15. & in 1. de Cęlo tex. 32. atque alibi ſæpe; ſed de ipſa natura fuſius dicemus in ſecundo. Subſtantia autem eſt eſſentia per ſe exiſtens, loquendo de ſubſtantia completa; aliæ verò partes ſubſtantiæ dicantur: quamuis alia acceptione ſint ipſæ quoque ſubſtantiæ; eſt tamen notandum, iſta quatuor ſe habere per ordinem ratione aliorum contrahibilium, non autem omnium: quoniam natura ſi ſit vis inſita, atque eſſentiam contrahat, applicatur tamen interdum quidditati, & de ipſa prædicatur, vnde dicimus qualitas eſt actiua, &c.

Quiddit. Eſſentia. Natura. Subſtantia.

Materia tripliciter. Quoad ſecundum. Sciendum eſt, quod materia accipitur tripliciter; vno modo ſecundum rationem vniuerſalem, ſic videlicet, quod in comparatione ad formam vniuerſalem conſideretur, vel provt materia eſt; alio modo ſub ratione particularis naturæ, vt materia hominis, leonis, &c. quæ tamen conſideratio eſt vniuerſalis etiam, non autem tam ſicut prima. Tertio denique modo conſideratur ſingularis, vt eſt materia Socratis, vel Platonis, vel vt has, aut illas diſpoſitiones includit, & vocatur materia ſignata.

Vnum quinque modis. Quoad tertium. Quinque modis aliquid dicitur eſſe vnum. Primò ſecundum aggregationem, vt cumulus lapidum. Secundò ratione ordinis, vt exercitus, hæc autem eſt maior vnitas, quia præter aggregationem, vnum principium reſpicit. Tertiò per accidens, vt homo albus, quæ eſt vnitas maior præcedentibus, provt maiorem vnionem dicit; accidens namque ſic ſubiecto vnitur, vt ſine illo eſſe nequeat. Quartò per ſe, provt partes aliquæ eandem naturam conſtituere aptę ſunt, vt homo provt ex anima, & corpore conſtat. Quintò denique per ſimplicitatem, & ſic ſunt vnum omnia, quæ compoſitione carent, vt Deus, intelligentiæ, materia, forma, &c. tamen materia, forma, & alia, quæ rationem partium habent, ab hac vnitate recedunt, provt componibilia ſunt. Quibus habitis ponuntur aliquæ concluſiones.

Concluſiones.

Prima ratio. PRima. Materia eſt pars quidditatis ſubſtantiæ materialis, probatur. Si materia non eſſet pars, &c. tunc omnia entia materialia, quæ compoſita dicuntur, vt elementa,

elementa, animalia, plantæ, & omnia mista simplicia essent, vel si materiam includerent, non vt partem essentialem, ipsa esset eis veluti quid extraneum, vel accidentale, vnde contingeret eis iunctam non esse, & sic esse possent simplicia, vel saltem per accidens composita. Præterea; Materia ipsa non esset principium, & causa per se rerum naturalium, hoc autem est contra totam philosophiam. Amplius idem confirmatur auctoritate Arist. 2. Physic. tex. 92. vbi habet hæc verba; sunt enim in ratione quædam partes, vt materia rationis, & 6. Metaph. tex. 39. ait ex materia vniuersali fieri quod quid est vniuersale. Notandum est tamen, quod aliqui per quidditatem intelligunt formam, provt ab Aristot. vocatur sæpe, quod quid est, & sic bene dicunt, quod materia non est pars quidditatis: ipsa namque non est pars formæ, sed compositi; quod autem contra nos dicunt, quod nihil aliud quidditas dici debeat, quam forma, nesciunt quid dicant, imò forma ipsa vocatur quidditas per attributionem, provt videlicet est pars præcipua compositæ quidditatis.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Nota.

Secunda conclusio. Materia in communi, seu vniuersalissimè sumpta est pars quidditatis, & definitionis in communi, vt si velimus definire corpus corruptibile, quod ex materia, & forma constat, esse dicemus; materia verò particularis, quidditatis particularis, vt hominis, corpus humanum; singularis, vt Socratis, hoc eius corpus, hæc conclusio nota est per id, quod habet Aristotel. in 2. Physic. tex. 38. ait namque. Amplius autem alia quidem genera sunt generum, alia autem singularia singularium, vbi insinuat materiam vniuersalem vniuersali effectui, particularem particulari conuenire, quod non tantum de materia, sed de qualibet causa veritatem habet.

Tertia conclusio. Ex materia, & forma fit vnum per se; probatur, quia ambæ sunt partes eiusdem generis substantiæ, atque vna in actu, altera in potentia; hęc autem est ratio vnum per se constituendi.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur, quod quidditates rerum materialium secundum esse reale sunt corruptibiles, destructis enim primis substantijs impossibile est aliquid remanere; dicuntur tamen incorruptibiles secundum esse cognitum, vel secundum essentialia prædicata; vt æternæ veritatis esse dicimus, quod homo sit animal rationale, quamuis secundum existentiam corruptus esse possit, & hoc modo scientiæ sunt de incorruptibilibus, quia secundum talia prædicata ipsas quidditates considerant.

Ad secundũ negatur similitudo, quia artificialia sunt entia per accidens, vnde partes essentiales non habent: valet tamen similitudo in hoc, quod sicut materia illa est subiectum artificialium formarum, ita hæc naturaliũ; verum illa est ens completum: hęc autem nequaquam, potest etiam esse similitudo quoad hoc, quod sicut multæ formæ artificiales determinatam materiam non concernunt, ita quamplurimæ naturales; ignis enim, & materiam ligni, & aliorum habere potest, quod fortè verum est de omnibus simplicibus, & tunc istam materiam in communi, vt partem essentialem includunt.

Ad tertium negatur minor. Ad Aristotelem dicitur, quod loquitur de materia signata, vel dispositionibus particularibus, vt hæc ossa, vel caro non sunt idem cum quidditate hominis, sed materia vniuersalis non sic se habet, corpus namque non tollit identitatem.

Ad quartum respondetur. Materiam eo modo, quo cognosci potest, sic quidditatem notificare; non est autem penitus in cognita, vt visum est.

Ad quintum conceditur. Ex materia & forma fieri per se vnum, ad impugnationem dicitur, hoc effici per accidentia dispositiua, quæ vt talia possunt substantiam generandam præcedere, vt in omnibus generationibus patet, tamen supponunt aliam substantiam in qua existunt, & sic semper ab ipsa substantia dependent, & sunt posteriora.

Ad sextum respondetur. Conditiones illas non facere diuersitatem, quæ vnioni repugnat, imò aliquæ ipsarum sunt ad hoc necessariæ; quare & si aliqua sit entitatis diuersitas, maxima est proportionis, & mutuæ habitudinis conuenientia.

QVÆSTIO XXIV.

Altera verò pars contrarietate sæpe per imaginationem, videbitur ad maleficium ipsius, &c. Tex. 80.

Circa hunc textum quæritur an materia sit causa corruptionis.

ARguitur primò, quòd non. Incorruptibile non est causa corruptionis, quia oppositum non est causa oppositi, vt frigiditas non est causa caloris, nisi fortè per accidens: de his autem, quæ sunt per accidens ad scientiam determinare non pertinet, at materia est incorruptibilis, vt patet ex tex. 82. huius libri, ergo.

Secundò. Arist. in præcitato tex. 80. causam corruptionis tribuit priuationi, vt patet, ait enim, altera verò pars contrarietatis, &c. at pars hæc est priuatio, quæ formæ contrariatur, ergo.

Tertiò. Cuius affirmatio est causa præcisa, vel adęquata affirmationis vel essendi; eius negatio est etiam causa negationis, vel non existendi, ex 1. Post. vt rationale est causa pręcisa, vt homo sit, & negatio, vel remotio ipsius, vt non sit. At forma est præcisa causa vt res genita sit, ergo eius ablatio est causa, vt corrumpatur, & sic corruptio potius à forma, quam à materia prouenit.

Pro intelligentia est notãdum, quod duplex est causa corruptionis, videlicet intrinseca, & extrinseca. Intrinseca est potentia passiua, qua aliquid est aptum corrumpi; extrinseca est virtus agentis contraria, quæ sic se habet, quod vt plurimũ intrinseca ab extrinseca ad actum reducitur, sicut omnis potentia passiua ab actiua; dicimus vt plurimum, quia quod est intrinsecè corruptibile interdum intra se habet corrumpens, vt mista, quę ex qualitatibus contrarijs constant; de potentia externa corruptiua hic non loquimur, sed de interna solum, neque de quacunque, sed de principali duntaxat; minus namque principales internę causę sunt qualitates, & oppositę dispositiones, quę minus principales dicuntur, quia à materia, & forma dependent: & quia si non esset alia radix corruptibilitatis, frustra corruptionem molirentur.

Causa corrupt. int. & extr.

Secundò notandum, quod interna corruptionis causa adhuc est duplex, videlicet subiectiua, & obiectiua; subiectiua est, qua aliquid aptum est esse capax, vel receptiuum rei corruptę, sic videlicet, quod ipsum non corrumpatur, sed vt subiectum se habeat, eo modo, quo aliquod vas est alicuius liquoris capax. Obiectiua est, quæ potest esse obiectum, vel terminus ipsius corruptionis, sic videlicet, quod ipsum verè corrumpatur, quibus habitis ponuntur duę conclusiones.

Causa interna corrupt. obiectiua, & subiectiua.

Materia non est causa corruptionis obiectiua, sed subiectiua; prima pars patet, nam ipsa non est obiectũ, vel terminus corruptionis, sic videlicet, quod corrumpatur, nam est ingenerabilis, & incorruptibilis, vt videbimus. Probatur secunda pars, quod est subiectum corruptio-

Prima conclusio.

ruptionis est causa subiectiua ipsius, materia autem sic se habet, vt per eius definitionem notum est, ergo. Ratio tamen præcisa non est esse simpliciter subiectum, imò vt sic est pars, & solam receptionem dicit, sed est habere priuationem admistam: eo enim quod omnibus formis, prȩter eas quas habet, priuatur, ipsas appetit, ut appetitus eius non debet esse frustra, siquidem in natura nihil frustra est; hinc est, quod appetendo alias formas incompossibiles cum eis quas habet, secundariò est causa corruptionis earum, quas habet; secundariò inquam, quia principaliter ipsa non intendit corruptionem; natura namque semper melius intendit, & facit, si potest: sed quia (vt diximus) formȩ appetitȩ sunt incompossibiles cum alijs, quod à natura vniuersali inditum est ob diuersarum rerum generationem, & conseruationem. Sic igitur materia cum priuatione corruptionis causa est.

Secunda conclusio. Forma est causa obiectiua, vel terminus corruptionis: hæc conclusio de se patet, quia ipsa forma de se corruptibilis est, & à contrario agente ad corruptionem reducitur; quia tamen à fine denominare æquum est, & finis ipsius formæ non est, vt corrumpatur, quia nihil proprium malum desiderat, hinc est, quod quasi impropriè forma dicitur corruptionis causa, sicut è contra proprijssimè vocatur causa generationis. Notandum est tamen, quod ipsa forma, neque est vltimatus terminus corruptionis; nam quod principaliter generatur, & corrumpitur est compositum, sed quia hoc fit mediante generatione, & corruptione formæ, ideò ipsa quoque forma generari, & corrumpi dicitur; formaliter tamen, & inadæquatè; sicut è contra compositum adæquatè, & vltimatè generari, & corrumpi dicitur.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur. Oppositum non esse causam oppositi per se, & in genere causæ efficientis, sed per accidens, & in genere causæ materialis, non est inconueniens; sic materia per accidens, scilicet ratione priuationis, & veluti subiectum est corruptionis causa.

Ad secundum iam patet, materiam per priuationem esse corruptionis causam, tamen quia priuatio supponit aptitudinem in subiecto, nihil namque dicitur aliquo priuatum, nisi esset aptum ipsum habere, materia autem est apta habere plures formas successiuè; ideò prima radix priuationis ab aptitudine materiæ prouenit, & per consequens meritò absolutè ipsa potest causa corruptionis vocari.

Ad tertium patet, quod forma est causa, vel potius terminus corruptionis, vt visum est; vt etenim verum fatear, nullatenus ipsa forma vera corruptionis causa dici debet, quia est simplex effectus corruptus, tamen dicatur obiectum secundarium, quia verò ipsum obiectum ad rationem causæ finalis pertinere videtur sub hac ratione vocetur causa obiectiua.

QVÆSTIO XXV.

Existente enim quodam diuino, & bono, & appetibile, aliud quidem contrarium ipsi dicimus esse, aliud autem, quod natura aptum est appetere, &c. Tex. 81.

Circa hunc textum quæritur, vtrum materia appetat formam.

ARguitur primò, quòd non. Quod non cognoscit non appetit, sed materia non cognoscit; ergo, minor est nota, quia cognitio est solum animalium; maior probatur, quia appetitus est respectu alicuius obiecti præsentati appetenti, ergo cognitum esse debet.

Secundò. Aut appeteret formam, quam habet, aut quam non habet; non eam quam habet, quia appetitus est propter indigentiam ex hoc tex. 81. Sed nihil indiget eo, quod possidet; neque eam quam non habet, quia cum sit incompossibilis formæ habitæ, appeteret ipsius habitæ corruptionem. Imò interdum peius appeteret, quoniam potest esse nobilior forma habita, quam habenda, vt patet, dum ipsa materia est forma hominis informata; at appetere peius est contra ordinem naturæ; ergo.

Tertiò. Si materia formam appeteret, hoc ideò esset, quia perfectionem ab ipsa reciperet; at etiam forma à materia perfectionem accipit, siquidem ab ipsa fouetur, & conseruatur, ergo non minus materiam formam, quam formam materiam appetere, dicendum est.

Pro intelligentia est primò notandum, quod triplex est appetitus, videlicet naturalis, sensitiuus, & intellectiuus, siue rationalis. Naturalis est inclinatio, vel tendentia naturæ ad proprium bonum; sic lapis deorsum esse appetit; ignis verò sursum, vt conseruentur: hic autem appetitus fit sine cognitione appetentis, sed cognitio suppletur ab institutore naturæ, eo pacto, quo rotæ horologij ad determinatum scopum perueniunt, non quod aliquam cognitionem habeant, sed ob cognitionem artificis, quæ in ipsis suppletur; hac de causa res ipsæ naturales nunquam (nisi impedimentum adsit) à proprio fine declinant; opus namque naturæ est opus intelligentiæ non errantis; bonum autem ipsorum interdum in acquisitione alicuius, quandoque verò in fuga mali consistit, vt dum conseruationem acquirunt, est boni positiui acquisitio, dum ab aduersarijs se defendunt, est mali fuga: vtrumque enim eis insitum pro conseruatione est, vt mala videlicet euitent, bona verò prosequantur. Appetitus sensitiuus est, quo aliquid optat aliquid mediante sensitiua cognitione, quo pacto bruta escam, potum, & alia appetunt. Intellectiuus est, quo desideratur aliquid mediante rationali cognitione: sicut dum iustitiam, continentiam, aliasque virtutes optamus. Hi autem sic se habent, quod inter mortalia, vbi reperitur intellectiuus, etiam sensitiuus, & naturalis adest, sed non è contra: in homine enim est intellectiuus, sensitiuus, & naturalis appetitus; vt dum virtutes, & alias qualitates spirituales optemus, rationali appetitu id efficimus; dum quæ ad sensum pertinentia, vt gustabilia, odorabilia, &c. sensitiuo complemus; dum denique natura ipsa augeri, nutriri, &c. optat, naturali efficitur appetitu. Si ergo simpliciter natura à vi cognitiua distinguatur, hi appetitus, modo prædicto, inter se differunt; si autem accipiamus naturam pro essentia, vel forma cuiusque, erunt omnes naturales, quia tam appetere descensum lapidi, tam cibum animali, quam virtutes homini, à natura, vel forma ipsorum prouenit; diximus notanter inter mortalia sic istos appetitus se habere, quod vbi est rationalis, ibi etiam alij adsint, quia in immortalibus, vt sunt Deus, & intelligentiæ, hoc necessarium non est, sed potius impossibile, siquidem solo intellectiuo appetitu prædita sunt.

Appetitus triplex.
Naturalis.
Opus naturæ est opus intelligentiæ non errantis.
Sensitiuus.
Intellectiuus.

Secundò notandum, quod quilibet istorum trium appetituum est duplex, videlicet desiderij, & complacentię. Desiderij est respectu rei non habitæ. Complacentiæ est respectu rei habitæ, quatenus delectationem, & complacentiam illius habemus, & optamus vt delectatio simul cum re habita conseruetur, quibus habitis ponuntur duæ conclusiones.

Appetitus desiderij, & complacentiæ.

Concl. prima. Materia appetit formam non habitam appetitu desiderij naturali. Probatur, quia vnumquodque appetit suam perfectionem, sed forma est perfectio materiæ: ergo diximus appetitu naturali, quia

clarum

clarum est, quod ipsa caret, & sensitiuo, & intellectiuo.

Secunda. Materia appetit formam, quam habet, appetitu complacentiæ. Probatur, nam vnumquodque proprio bono delectatur, sed forma est bonum materiæ; ergo. At si quis dicat, cur aliam appetit? Respondetur, quia plura bona desiderat.

Ad Argumenta.

AD primum patet, nam currit solum de appetitu sensitiuo, & intellectiuo, materia verò naturaliter appetit.

Ad secundum respondetur. Appetere formam non habitam appetitu desiderij, habitam appetitu complacentiæ, dū infertur, ergo appetendo formam non habitam appetit destructionem habitæ, & interdum formam ignobiliorem, respondetur, hoc esse per accidens, ipsa enim quantum est de se omnes formas vellet; sed quia sunt incompossibiles se corrumpunt; ipsa autem talem corruptionem non intendit, sicut si princeps aliquis secularis, Pontificatum desideraret, qui incompossibilis cum suo principatu esset, ipse quantum ex se est, priuationem principatus non optaret, sed bonum Pontificatus, & si gradus illi essent incompossibiles, hoc non esset ex parte optantis.

Ad tertium negari non potest, formam etiam materiam appetere; appetitu tamen complacentiæ; nam cum non præexistat materiæ simplici, desiderio eam optare nequit; quia tamen appetitus principaliter de desiderio dicitur, ideo simpliciter materiam formam, è contra appetere enunciamus, at addi potest, quod cum appetitus sit respectu boni, & magis forma, quam materia rationem boni contineat, ipsa forma appeti potius dicatur.

QVÆSTIO XXVI.

Corrumpitur autem, & fit, &c. Tex. 82.

An materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis.

ARguitur primò quòd sic, quod est subiectum generationis, & corruptionis est generabile, & corruptibile, sicut quod est subiectum motus est mobile; sed materia est subiectum generationis, & corruptionis ex hoc textu, ergo.

Secundò. Quod potest corrumpere perfectius, potest etiam imperfectius (idem dicatur de generare) sed agens potest corrumpere, & generare perfectius, scilicet formam, & compositum, ergo multo magis materia.

Tertiò. Compositum est corruptibile propter materiam, vt supra visum est, ergo materia est magis corruptibilis: quia propter quod vnumquodque tale, illud magis.

Pro intelligentia est notandum, quod aliquid dicitur corrumpi dupliciter; vno modo simpliciter; alio verò secundum quid. Simpliciter quod per se corrumpitur, vel definit esse secundum substantiam, vt dum homo moritur. Secundum quid, dum aliquam corruptionem coniunctam habet, vel etiam per diuisionem integritatem, vel totalitatem amittit; exemplum primi, materia sic dicitur corrumpi, quia in ipsa terminatur, vel potius recipitur corruptio; exemplum secundi, si aqua in plures partes diuidatur; hæc est enim corruptio secundum quid, quia re vera forma aquæ non perit, idem applicari potest ad generationem, vt quia materia est subiectum generationis, dicitur secundum quid generari; quia verò partes aquæ diuisæ iterum vniuntur, etiam secundum quid generari aqua dicitur, sed generari simpliciter, est acquirere nouam formam substantialem. (Corrumpi simpliciter & secundū quid.)

Secundò notandum, quod generatio propriè dicta fit ex subiecto aliquo præexistente; si enim ex nihilo fieret, non generatio, sed creatio vocanda esset. Similiter corruptio compositi, sic nimirum, quod ipsum, & forma corrumpatur, non tamen in nihilum resoluantur, quia annihilatio non est opus agentis naturalis, sed creantis, & Dei duntaxat, vnde relinquitur subiectum, quod est materia prima.

Tertiò notandum, quod subiectum generationis, & corruptionis est duplex, videlicet remotum, & propinquum; remotum est materia ipsa; propinquum est compositum, quod generatur, & corrumpitur; non enim tantum in materia recipitur generatio, sed multo magis in ipso composito: verum hoc interest inter hoc propinquum generatione, & corruptione subiectum, à subiectis aliorum motuum, quod illa manent integra in principio, & fine motus; hoc autem vel in principio, vel in fine non est: in generatione namq; ipsum in principio non est, sed in corruptione deest in fine, ex quo discrimine aliud quoque sequitur: nam subiecta aliorum motuum nunquam sunt termini, hoc autem habet etiam rationem termini; generatio enim ad compositum terminatur: in corruptione autem ipsum est terminus à quo, & corruptionis etiam susceptiuum, quibus habitis ponuntur duæ conclusiones. (Subiectū generationis, & corrupt. duplex.)

Prima conclusio. Materia est per se ingenerabilis, & incorruptibilis; probatur, quia omnis generatio ex subiecto aliquo fit, & omnis corruptio in subiectū aliquod resoluitur, sed materiæ non est aliud primum, nec vltimum subiectum, cum ipsa sit talis, ergo.

Secunda. Materia est generabilis, & corruptibilis per accidens, seu secundum quid, probatur, quia id dicitur tale, quod corruptionem, vel generationem coniunctam habet, materia est huiusmodi: siquidem in ipsa est priuatio formæ, & acquisitio alterius, ergo. Vtrum autem sit creabilis, vel annihilabilis, in 8. Physic. vbi de mundi origine differetur, videbitur.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur, subiectum propinquum generationis esse per se generabile, & corruptibile, sed subiectum remotum sicut est materia, solum per accidens.

Ad secundum respondetur, maiorem esse veram cæteris paribus; hoc est, quod agens si potest corrumpere perfectum, etiam imperfectum poterit, dummodo in vtraque actione supponat subiectum: nam ex non subiecto nec generare, nec corrumpere potest, sed in generatione, vel corruptione materiæ subiectum non supponeret, & sic non est paritas.

Ad tertium negatur consequentia; ad probationem respondetur, illam propositionem non habere veritatem in causis materialibus, aliter hæc propositio esset vera, homo est homo propter semen, ergo semen est magis homo; limitationem autem vniuersalem ipsius habuimus in proprio loco primi Posteriorum.

QVÆSTIO XXVII.

Nos enim materiam, & priuationem alteram esse dicimus. Tex. 76.

An priuatio sit ex parte rei.

POstquam multa hactenus de materia diximus, aliud declarandum est principium, videlicet priuatio, ordine namque naturæ materia supponitur, ac forma priuata intelligitur, antequam informata; ideò prius de priua-

priuatione, quam de forma agemus, quem ordinem etiam sequutum esse Arist. non est, qui negare possit, siquidem in hoc libro de forma ipsa ferè, neque verbum facit, sed vsque ad secundum differt. Tria igitur examinabimus. Primum, an priuatio sit ex parte rei, vel ab anima. Secundum quid sit. Tertium quomodo à materia distinguatur. Quomodo autem sit principium, necessarium fuit egisse in quæstione de numero principiorum.

Quoad primum sciendum est, id à parte rei esse dici, quod seclusa quacunque intellectus operatione in natura reperitur, quæ vero solum per intellectum fiunt, non ex parte rei dari, sed per intellectum fieri asserimus, vnde res hic sumitur pro natura, quæ contra intellectum distinguitur; est igitur dubitatio, an ipsa priuatio sit in rerum natura, vel non. Arguitur ergo quod non sit in natura, nam quod preter intellectum est, necessariò existit, vel est ens reale, sed priuatio nec existere, nec esse ens reale potest, quia existere est substantiæ, esse ens reale, est aliorum etiam prædicamentorum, quæ habent esse positiuum, ergo.

Primum argum.

Item. Omne quod est in natura ab aliquo agente est producibile, nisi sit materia, quæ est ingenerabilis, sed priuatio non est producibilis, quia omnis productio terminatur ad ens positiuum, nec est materia, ergo non est. Oppositum tamen cum Aristot. sentiendum est, ipse namq; principiorum ex parte rei ipsam priuationem constituit, quod non esset, nisi in natura daretur. Duplex est ergo ens, videlicet positiuum, & priuatiuum; positiuum dicitur, quod verè ponit, & est aliquid; priuatiuum, quod carentiam significat, sed dicitur aliquomodo ens prout connotat subiectũ, vt melius in sequenti quæstione videbimus. Sit ergo conclusio.

Secundum.

Priuatio datur ex parte rei seclusa quacunque intellectus operatione. Probatur, quia est principium rerum naturalium per accidens, & generationis per se, vt in quæstione de tribus principijs visum est; si autem in rerum natura non esset, principium esse non posset; præterea verum est dicere hunc esse cæcum, surdum, corruptum, &c. quæ priuationes, nisi essent ex parte rei, propositiones essent falsæ; imo cũ ea, quæ dependent ab opere nostri intellectus possint ad libitum fieri, & dimitti, in nostra potestate esset afferre, & auferre priuationem à rebus, sic cęcos illuminare, & à videntibus lucem auferre.

Conclusio.

Ad Argumenta.

Ad primum respondetur, non esse necessariũ, quod est in natura esse ens reale positiuum, sed sufficit vt sit priuatiuum.

Ad secundum respondetur, maiorem esse veram de ente reali positiuo, de priuatiuo nequaquam.

QVÆSTIO XXVIII.

Declaratur quid sit priuatio.

Negatio quid.

Qvæstionem hanc sine argumentis expendemus. Pro cuius tamen intelligentia notandum est, quod negatio differt à priuatione, quia negatio est absentia, vel remotio alicuius formæ àquocunque, siue talis forma sit ei apta inesse, siue non, nihil refert, sic dicimus hominem non esse asinum, vel cęcum non esse videtem.

Priuatio quid.

Priuatio autem est negatio alicuius formæ aptæ natæ esse in subiecto secundum determinatum tempus, & modum; sic hominem dicimus esse priuatum visu, si oculis apertis tempore diurno non videat: si autem catulus ante nonum diem non videat, cæcus non dicitur, quia non est tempus videndi; similiter si quis oculis clausis, aut tempore nocturno, vel in loco obscuro non videat, non dicitur cæcus, quia non est aptus hoc modo videre. Sumitur etiam interdum priuatio simpliciter pro carentia formæ aptæ haberi, etiam si aliæ conditiones desint, imò sic propriè materia priuata dicitur, nam apta est habere omnes formas, tamen dum vnam habet aliam habere non potest, & sic hac de causa non deberet dici priuata, quia deest tempus, & modus, sicut non dicitur priuatus visu catulus ante nonum diem. Priuata tamen propriè dicitur, dum adsunt debitæ dispositiones ad formam habendam, quod contingit paulò ante ipsius formæ introductionem, vt dum corpus debitè organizatum adhuc non habere animam intelligitur, priuatum dicitur; potest ergo esse priuatio, vel quia forma habenda non habetur, neque habita est, vel quia iam est dimissa, & hoc secundo modo magis propriè dicitur priuatio. Potest etiam esse priuatio perfecta, & imperfecta. Perfecta est, dum aufertur potentia ad actum, vt est cæcitas, surditas, mors, &c. nam per cæcitatem, surditatem, & mortem, potentiam videndi, audiendi, & sentiendi amittimus. Imperfecta, quæ solum aufert actum, vt dormire est imperfecta priuatio sẽsuum externorum. Item quædam est priuatio in specie, quædam in genere; in specie, quando aliquid caret aliquo, quod secundum propriam speciem aptum erat habere, vt si homo sit cecus, nam secundum speciem humanam erat aptus videre; in genere autem quod secundum genus caret aliquo; sic talpa dicitur cæca, quia in genere animalis nata erat videre, quamuis secundum propriam speciem nequaquam; alia verò, quæ neque secundum speciem, neque secundum genus aliquid habere apta sunt, priuata impropriè dicuntur, sed negationes huiusmodi priuationes dici debent, hoc pacto lapis dicitur cæcus, ipse etenim nec in specie lapidis, nec in genere corporis inanimati, neque in ratione substantię aptus est videre, quapropter nullatenus priuatio, sed negatio in genere dici debet. Quod vt intelligatur, sciendum est, duplicem esse negationem, aliam in genere, aliam extra genus. Negatio in genere est remotio alicuius ab aliquo determinato genere, vel ab aliquo, quod sub ipso genere continetur sine aptitudine ad rem negatam, vt si dicamus, substantia non est quantitas, homo non est asinus, nam substantia, & homo sunt determinati generis, & neuter aptitudinem habet ad formam negatam, scilicet, neque substantia, vt sit quantitas, nec homo vt sit asinus. Negatio extra genus est, quæ aliquod determinatum genus non supponit, sed circa transcendentia, vel etiam non entia versatur; vt si dicamus ens non est intelligibile, bonum non est verum, chimera non est lapis, ens rationis non est ens reale, &c. vnde hæc negatio dicitur de ente reali, & rationis, imò etiam de non ente. Attenditur tamen determinatio interdum ex parte subiecti, ita vt si subiectum de quo aliquid negamus sit extra genus, dicitur negatio extra genus ex parte subiecti, interdum ex parte prædicati, dum scilicet prædicatum est extra genus, quamuis subiectum sit in genere; exemplum primæ negationis, ens non est lapis; exemplum secundæ, homo non est bonitas. Negatio autem communiter sumpta est superior ad priuationem, quia de ipsa prædicatur, & non è contra: si tamen præcise spectentur, differunt (preter aliam differentiam superius tactam) in hoc, quod negatio ipsa est solum per intellectum, sed priuatio est etiam in natura, vt visum est, quod autem negatio sit solum per intellectum, patet; nam esse ipsius in complexione consistit; at complexio est solius intellectus opus. At si quis dicat, non ne ex parte rei seclusa quacunque intellectus operatione, verum est, quod homo non sit asinus? Respondetur, hominem esse tantum hominem, formaliter, & quidditatiuè loquendo; fundamentaliter tamen esse aliquid super quod possint fundari negationes respectu omnium aliorum ab ipso diuersorum.

Negatio in genere, & extra genus.

uersorum. Notandum tamen est, quod priuatio formaliter est etiam per intellectum, quia sic est negatio quædam, sed dicitur esse in natura pro connotato, prout videlicet aliquod determinatum subiectum sibi præscribit cum aptitudine, negationes verò solum fundamentum sine aptitudine supponunt, vnde non sunt entia fictitia, nam veritatem admittunt: at si quis dicat veritas est passio entis, sed negationes, & priuationes formaliter non sunt entia, ergo. Responde ut veritatem primariò, & principaliter esse passionem entis; secundariò tamen omnibus, quæ super ens fundantur, conuenire, & hac de causa ipsa non entia, & veritatem, & intelligibilitatem admittunt, non primò, & per se, sed in ordine ad ens, & hoc pacto definiuntur, non vera definitione, sed suæ entitati respondens. Priuatio ergo prout est principium rerum naturalium est negatio formæ in materia apta nata formas recipere, & hæc de præsenti materia sint satis.

QVÆSTIO XXIX.

Est autem subiectum numero quidem vnum, &c. Tex. 66.

An materia, & priuatio realiter differant.

Arguitur primò quod non, quæ sunt eadem numero realiter non differunt, sed materia & forma sunt eadem numero, vt ex hoc tex. 66. notum est, ergo.

Secundò. Seclusa quacunque priuatione à materia, vel ipsa est priuata, vel non, si priuata habemus intentum, quia videlicet priuatio non potest ab ipsa, neque per intellectum secludi, & sic est idem sibi realiter. Si non, hoc est falsum, quia ad hoc, vt priuata non esset, omnes simul formas habere deberet, quod non est imaginabile.

Tertiò. Distinctio realis est inter entia realia, sed priuatio pro formali est negatio entis realis, ergo. Pro intelligentia est notandum, quod distinctio realis præsè solum inter entia realia existentia reperitur; minus tamen rigorosè inter illa quoque inuenitur, quorũ vnum non remanente aliud remanet, siue vnum eorum sit ens priuatiuum, siue non, & hoc pacto cæcitatem realiter ab oculo, vel visu distingui dicimus, & cæteras priuationes à propriis subiectis. Verum ista distinctio propter defectum alterius extremi positiui, solet etiam rationis appellari, non quod ab intellectu fiat, sed quia à reali recedit, & ratione potius, quam aliqua experientia cognoscitur; hoc igitur modo priuatio à materia distinguitur, vnde fit conclusio affirmatiua. Probatur, nam sunt diuersa principia. Item materia remanet, priuatio autem saltem hæc, & illa non remanent. Denique inconueniens est realitatem positiuam esse idem realiter cum priuatione, quia oppositum verificaretur de opposito, scilicet positiuum est priuatiuum, quod absurdissimum est. Conclusio.

Ad Argumenta.

Ad primũ respondetur ad minorem, priuationem esse eandem numero cum materia, solum per accidens, sicut homo cum albedine, quæ autem sic sunt idem, realitatem eandem aufugiunt.

Ad secundum respondetur, quod materia in se considerata, non esset neque priuata, neque sine priuatione, sed tantum materia, sicut humanitas est solum humanitas, quamuis re vera materia sine priuatione esse nequeat, at hoc non infert realem identitatem, vt patet de accidente, & subiecto. Vel dicatur non posse à priuatiuis vnumquodque positiuum abstrahi, vel secludi, quamuis ab ipsis realiter distinguatur.

Ad tertium dicitur maiorem esse veram de distinctione reali presè sumpta.

QVÆSTIO XXX.

Existente enim quodam diuino, & bono, &c. Tex. 81.

De principio secundum formam.

Circa hunc textum quæritur, an sit, quid sit, & quomodo fiat, vel producatur forma.

Quoad primam huius quæstionis partem, quamuis Antiquorum quamplurimi dubitauerint, vt refert Arist. in 2. Physic. tex. 22. ipsi enim exiguam partem ipsius formæ tetigerunt, sed omnia materiæ tribuebant; tamen secundum Philosophum, & veritatem iam omnibus confessam, oppositum sentiendum est, videlicet, quod præter materiam, necessariò aliud principium in rebus compositis, quod sit ipsarum perfectio, & complementum, dandum sit, vnde vt breuiter, & ordinatè procedamus, sit conclusio.

In rebus naturalibus corruptibilibus præter materiam necessariò datur forma substantialis. Probatur primò auctoritate Arist. in hoc textu 81. & in 65. atque alibi sæpe. Præterea, nisi in rebus naturalibus esset forma, ipsæ essent simplices, & inter se non differrent; ambæ consequentiæ sunt notæ, quia quod partibus caret simplex est, & materia est eiusdem rationis in omnibus, quare idem esset Homo, & Aequus; Asinus, & Leo, &c. Amplius omnia haberent easdem proprietates, prout eadem materia participarent, hoc autem est ridiculum, ergo; consequentia est euidens, quoniam materia easdem retinet in omnibus proprietates. Prima conclusio.

Viso sic formam esse, quidquid ipsam sit, inuestigare oportet, & quia prius diuidendum, quam definiendum est, de varietate formarum breuiter dicamus.

Formarum igitur alia est substantialis, alia accidentalis; substantialium alia est verè forma, alia dicitur forma per quandã similitudinem. Forma ergo verè, & propriè substantialis est, quod quid erat esse rei, ex 2. Phys. tex. 28. quod idem est, ac si dicatur, forma est præcipua pars quidditatis, & essentiæ rei. Sed à Gilberto Porretano in principio sex principiorum sic definitur. Forma est compositioni contingens simplici, & inuariabili essentia consistens, sensus est: Forma est, quæ compositionem substantialem vltimatè efficit, atque ipsa sic simplex est, vt composita ex alia forma, vel materia minimè sit, imò est hoc pacto simplex, & inuariabilis, seu incomposita, & incomponibilis. Definitur etiam hoc pacto. Forma est actus simplex substantialis, vnum per se cum materia constituens, quæ definitio non multum à præcedenti differt, sed ordinem ad compositum, vel alteram partem materialem componentem addit. Vnde vt verum fatear, omnes tres istæ definitiones, solum pluralitate, vel paucitate verborum, aut maiori, vel minori claritate differunt, te autem conueniunt. Forma rum multiplicitas. Forma quid. Substantialis.

Forma accidentalis est, quæ dat esse accidentale, & omnia accidentia formæ accidentales tali ratione dici possunt, & sunt, quia accidentale esse complent, & materiam perficiunt; minus tamen talis videtur quantitas, quæ instar materiæ potius perfectibilis, quam perficiens videtur; verum in ordine, & comparatione ad alia accidentia, materiæ profectò assimilatur, quia est aliorum accidentium susceptiua, sicut materia formarum; at in comparatione ad substantialem materiam, ipsa quoque perficit, & rationem accidentariæ formæ participat. Accidentalis.

Forma assistens, quæ per solam similitudinem sic appellatur, Assistens;

pellatur, est quicquid simplex, vel materiæ expers existit; alicui vero corpori perpetuò, & indissolubiliter insit, sicut forma materiæ, quo pacto se habent motrices intelligentiæ respectu cęlestium spherarum, quibus insident, & quas mouent, quæ formæ assistentes vocantur, ad differentiam verarum formarum, quæ informantes dicuntur; est autem informare sic adæquari materiæ, vt simul cum ipsa pars compositi efficiatur, quod de intelligentijs dici nequit; ipsæ etenim nec partes sphęrarum cœlestium sunt, nec ipsas per consequens informant, vnde solum assistentes dicuntur. Vt autem nihil intactum dimittamus, quibus nominibus forma informans substantialis nuncupetur, videamus.

Nomina formæ. Ab Aristotele ergo vocatur exemplar, forma, quod quid erat esse, ratio, diuinum, bonum, appetibile, pulchrum, masculum, quæ omnia nomina ex 2. Physic. tex. 28. & ex hoc primo tex. 81. manifestè eliciuntur, quorum alia sunt propria, alia metaphorica, & eorum ethymologia partim est nota, partim in textuum expositione à nobis fusè habita est. A Pythagoricis autem vnum vocata fuit, provt vnitatem largitur, materia enim quæ ad plura est in potentia, à forma coarctatur, & vnitati submittitur. A Platone Idea dicta est, quod idem valet, ac imago, & similitudo, quia ad similitudinem agentis producitur. Vocatur etiam ab aliquibus terminus, & character, provt est vltimum acquisibile, & designat, vel determinat formam, quod est proprium characteris; a Philosopho item interdum finis vocatur, quia est generationis vltimum, ex 2. Physic. tex. 81. & alibi. Nomina priuationis dimissa fuerunt, quia non solet alio nomine, quam proprio appellari, vel rarò. Nunc ad tertiam illius lectionis partem accedamus, quomodo videlicet formæ, tam substantiales, quam accidentales fiant: non loquimur autem de formis assistentibus, quæ veræ formæ non sunt, & fusius in libris de Cęlo de ipsis differemus. Dicimus ergo, aliquas naturalitet à naturali agente de potentia materiæ, alias solum diuina virtute produci. Educuntur de potentia materiæ illæ ad quas sic materia ipsa est disposita, & inclinata, vt virtute naturalis agentis, absque speciali concursu Dei eas attingere valeat; quapropter non intelliguntur, sic ex potentia materiæ educi, vt nullus ad naturale agens respectus habeatur, imò cum omni potentiæ passiuæ actiua respondeat, à materia passiuè, ab agente naturali actiuè efficiuntur; hoc igitur est de potentia materiæ educere, vel vt aliqui dicunt & inesse, & conseruari a materia dependere; quæ autem inclinationem, vel dispositionem in materia non habent, non ex ipsius potentia propriè, sed ex virtute agentis simpliciter fieri existimandum est; ipsam autem materiam solum non repugnantiam habentem supponendo; pro cuius clariori intelligentia sciendum est, quadruplicem esse potentiam, videlicet, naturalem, obedientialem, neutram, & violentam. Naturalis est, qua aliquid est dispositum naturalibus conditionibus ad formam, vt corpus organicum ad animam. Obedientialis est, qua aliquid solum potentiæ diuinæ submittitur absque naturæ ordine, & dispositione, sic mortui sunt in potentia vt viuant, cæci vt videant, lapides vt homines fiant, &c. quare hæc ad naturale agens ordinem neutiquam habet, sed ad supernaturale tantum; imò in ordine ad naturale esset naturalis potentia. Neutra est quædam non repugnantia in ordine ad agens naturale sine dispositione, & non magis ad vnam, quam ad alteram formam apta, sic se habent materiæ rerum artificialium respectu artificialium formarum. Violenta est, qua aliquid repugnat formæ, quæ inducitur, vt lapis ad motum sursum, ignis ad motum deorsum: quare vt propriè loquamur ex parte materiæ dicatur repugnantia, & violentia, ex parte agentis potentia: Quibus habitis, sit alia conclusio. Omnis forma ad quam materia potest naturaliter disponi, siue sit substantialis, siue accidentalis, è potentia ipsius materiæ educitur, sic omnes formæ substantiales se habent præter animam rationalem, imò accidentales ferè omnes, vt lumen, species sensibiles, & aliæ, de quibus minus videtur. Vnico autem verbo præter supernaturales, quæ ex potentia obedientiali præter violentas, & neutras, aliæ omnes ex potentia materiæ educuntur, alię tamen, & si non educantur, materiam tamen vt fundamentum supponunt, quia omnis forma ad materiam ordinem, & relationem habet, sed de his alibi erit occasio exactius disputandi.

Educi de potentia materiæ.

Potentia quadruplex.

Naturalis.

Obedientialis.

Neutra.

Violenta.

Secunda conclusio.

Finis primi Libri Physicorum.



ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN SECVNDVM LIBRVM PHYSICORVM Aristotelis Paraphrasis.

S V M M Æ L I B R I.

In prima agitur de natura, scilicet quid sit, quæ sint res naturales, & secundum naturam, quomodo ab artificialibus differant, ac tandem quotuplex sit natura, & si materia, & forma sint substantiæ.

In secunda agitur de differentia inter Physicum, & Mathematicum, probatur etiam ad Physicum attinere agere de forma, & materia.

In tertia denique de numero causarum, & traditur definitio vniuscuiusque, ac modi ipsarum. Agitur etiam de casu, & fortuna. Fit specialis sermo de causa finali, Tractatus de Monstris, & denique de necessitate finis rerum naturalium.

Summa prima Caput primum.

Quid natura, quid habens naturam, quid secundum naturam sit, declaratur.

Tex. 1.



Orum quæ sunt, alia quidem sunt à natura, alia vero propter alias causas, scilicet, vel à voluntate, vel à casu. A natura quidem sunt animalia, & partes ipsorum, & plantæ, ac corpora simplicia, vt terra, ignis, aqua, & aer: hæc enim, & huiusmodi à natura esse dicimus, quæ omnia prædicta differunt à rebus non naturalibus. Nam quæ sunt à natura videntur habere in se ipsis principium motus, & quietis; alia enim habent principium motus localis, vt Cælum; alia secundum augmentum, & decrementum, vt plantæ; quædam vero secundum alterationem, vt omnia generabilia. Quę motuum differentiæ non sunt sic diuisiuè sumendæ, vt quæ vni conuenit ab altero remoueatur, omnes namq; in vnū conuenire possunt sunt, vt in homine. Sed accipiuntur appropriatè, prout scilicet vna, vel tantum, vel magis conuenit vni, quam alteri.

Tex. 2. *Lectus autem, & indumentum, & cætera artificialia (quocunque nomine vocentur) quatenus artificialia sunt nullum quidem habent naturale principium motus, quamuis ipsum habere possint, prout sunt simul cum naturalibus rebus coniuncta, nempe prout sunt lapidea, aut terrea, aut ex his mista.*

Tex. 3. Natura quid. *Tanquam natura sit principium aliquod, & causa mouendi, & quiescendi, in quo est primum, per se, & non secundum accidens. Dico autem non secundum accidens, quoniam si aliquis sit medicus, & sit sibi ipsi causa sanitatis per medicinam, & artem, tamen principium motus ad sanitatem non est natura, quia non sanatur, nec incipit talem motum, prout habet artem medicinæ, imò hoc ei accidit, nam interdum potest esse medicus, & non sanari, & sanari, & non esse medicus; dicitur igitur natura principium, non quatenus agit, seu medetur, sed quatenus potest moueri per se ad sanitatem, seu sanari, ac per consequens pati; vnde quæ fiunt, vel ab aliquo principio extrinseco, ut domus, & alia artificialia, vel etiam ab intrinseco, sed per accidens, sicut sanitas, quæ fit in medico per artem medicinæ, non dicuntur esse à natura, sed quæ ab interno, & per se principio tantum fiunt. Natura igitur quid sit, patet.*

Naturam autem habent, quæcunq; habent tale principium, & hæc omnia sunt substantia: nam natura, aut est subiectum forma substantialis, vt ipsa materia, vel est subiectum motus, vt cælum; aut est in subiecto, vel materia, vt forma substantialis, sed quomodocunq; sit semper est substantia, nam accepta natura pro subiecto, seu materia est substantia, vel pars compositi; accepta vero pro subiecto motus, est corpus substantiale, cæleste. Si vero pro forma substantiali accipiatur, hoc magis notum est; cum igitur natura sit substantia, sequitur, quod habens eam, uel ex illa constans sit substantia, nam ex substantia non fit nisi substantia; in his uero in quibus non est compositio ex materia, & forma, idem potest dici natura, & habens naturam, sed melius dicitur natura, ut de cælo. Tex. 4.

Secundum autem naturam sunt hæc omnia prædicta, nam quicquid habet naturam, est ens secundum naturam, licet non è contra, unde pręter ista dicuntur secundum naturam omnes proprietates, quę his naturam habentibus insunt, ut ignis aptitudo ut feratur sursum, terrę uerò deorsum, &c. hę namque proprietates, & accidentia, non sunt natura, neque habent naturam, sed sunt à natura, & secundum naturam. Tex. 5. Entia secundum naturam.

Quid

Tex.6. Tentare demonstrare naturam ridiculū est.

Quid igitur est natura dictum est, & similiter, quid id quod est à natura, & secūdum naturam. Quod autem sit naturam, ridiculum est tentare demonstrationem efficere, nam manifestum est, multa esse entia mobilia, & per consequens naturalia, ergo non posset hoc demonstrari nisi per magis incognita, & non manifesta; sed hic modus demonstrandi est eorum, qui nesciunt iudicare inter id quod est per se notum, & non per se notum. Quod autem hoc eis accidat manifestum est; sicut enim quis cæcus à natiuitate si de coloribus syllogizaret, procederet ex ignotioribus ad cognita; sic isti si rem tam cognitam demonstrare vellent; quare necesse esset vt tales haberent tantum sermonem de nominibus, nihil autem de re intelligerent, quia si hoc perciperent (dico, cur, & quæ sit ratio demonstrandi, nempè vt ex notioribus ad incognita perueniamus) oppositum non tentarent.

CAPVT II.

Quot modis dicatur natura, & an forma sit perfectior natura, quam materia, vel è contra.

Tex.7. *Videtur autem quibusdam illud esse naturam, & substantiam rerum naturalium, quod primò reperitur in vnaquaque re, ac secundum se est informe, vt natura lecti est lignum, statuæ autem æs, &c. Quod autē hæc sit natura probatur ab Antiphonte, argumento sumpto à signo, hoc modo. Illud est natura rei, quod est causa, & principium generationis, sed materia est huiusmodi, ergo; probatur minor, nam si aliquis defoderit lectum, ita vt disponatur ad germinādum, non germinabit lectus, sed lignum, quod est materia ipsius, ergo ipsa materia est natura; reliquæ vero dispositiones, & leges artificiales, sunt accidentales, respectu naturæ, ideo non germinant, nec manent, sed transeunt, & desinunt esse, ipsa verò materia manet, & sic est natura, & substantia rei, si ergo hæc hoc modo se habent in artificialibus, idem dicendum est de materia rerum naturalium. At quamuis in ratione Antiphontis multæ sint falsitates, nempè dum asserit materiam esse substantiam totam rei, esse causam germinationis, eodem modo se habere materiam artificialium, & naturalium, ac tandem formam non esse naturam, tamen in hoc benè dicit, quod materia sit natura, & substantia, quod ad nostrum propositum sufficit, qui talem positionem auctoritate tantum probare volumus, quam etiam sequemur statim.*

Tex.8. *Si autem (subinfert ipsemet Antiphon) vnumquodque horum naturalium, idem passum fuerit respectu alterius, vel alterius materiæ, ita scilicet quod ex tali, vel tali materia componatur, sicut artificialia ex sua, illa (inquit) materia est substantia, & natura ipsorum, vt æs quidem, & aurum, habent pro materia aquam; ossa vero, & ligna terram, quia illa in aquam, hæc in terram resoluuntur, & sic de alijs dici potest.*

Tex.9. *Quocirca in hoc, quod materia sit substantia, & natura, rectè aliqui ponunt terram, alij ignem, alij aerem, vel quadam, vel omnia ista, pro materia rerum: sunt etenim substantia, quidem, & natura: licet ex alia parte errent, eo quod ista sunt non in potentia, vt materia, & quod dicant esse totam rei substantiam ipsam materiam, alia vero accidentia nempe habitus, passiones, & dispositiones ipsius, similiter errant.*

Tex.10. *Asserebant etiam prædicti, qui pro materia rerum quatuor, vel aliquod quatuor elementorum ponebant; ipsa esse perpetua, incorruptibilia, & permanentia, ita vt vnum in aliud non sit transmutabile, hoc autem ideò dicebant, quia istæ conditiones, scilicet esse incorruptibile, permanens, & perpetuum conueniunt materiæ, quam elementa esse putabant, reliqua vero, scilicet formas, & accidentia infinities generari, & corrumpi. Quicquid igitur sit de positionibus istorum, hoc certum est, quod natura vno modo dicitur de prima materia, quæ est principium motus, & quietis. Secundo vero modo dicitur de forma, quæ species vocatur, vel pro vt est ratio præcipua constituendi, & distinguendi, speciem vnam, ab alia, vel pro ut est quid perfectius, & quasi speciosius materia, hæc autem forma accipitur vt pars principalis in definitione.* Natura quo tupliciter.

Quod autem forma sit natura, probatur. Illa debet vocari natura, & est realiter talis, per quā res naturales sunt actualiter tales, hoc autem est per formam, ergo. Probatur maior à simili, sicut enim nihil dicitur artificiale nisi habuerit formam artis, ita nihil est naturale, nisi per formam naturalem; minor patet, nam quæ sunt tantum in potentia ad esse non, dicuntur entia naturalia, nisi reducantur ad actum, vt caro, vel os in potentia, nec actualiter caro, vel os, nec actualiter natura dici possunt, nisi postquam ueram formam habuerint, secundum quam etiam ea definientes dicimus, quid sint. Sicut etiam, quæ in potentia sunt ad formā artificialem non dicuntur artificialia, nisi in actū reducātur, denominatio enim ab actu fit. Tex.11. Denominatio fit ab actu.

Quare secundo modo dicitur natura eorum, quæ in se ipsis habent principium motus ipsa forma, & species, quæ vniuersaliter non est à materia separabilis nisi per intellectum. Quod autem ex materia, & forma constat non natura, sed à natura dicitur. Forma vero est magis natura, quam materia, nam vnumquodque magis denominatur tale si sit in actu, quam si in potentia; at forma est actus; materia vero potentia, ergo. Tex.12. Forma est magis natura, quam materia. Vnūquodq; dicitur magis, dum est in actu.

Amplius illud est natura per quod generatur simile generanti, hoc autem est per formam naturalem, homo enim generat hominem præcipuè per animam; & notanter dicimus formam naturalem, nam per artificialem, non generatur sibi simile, vt ex forma lecti, non generatur lectus. Vnde etiam ipsi Antiqui dicunt figuram non esse naturā, sed lignum; quoniam ipsum lignum germinare potest. Si ergo in artificialibus id dicitur esse naturam, quod potest producere sibi simile, & est materia, multo magis hoc possumus asserere de forma, quæ est ratio principalis generationis, ita vt lignum, quod in artificialibus assumitur pro materia, & ponitur germinare, hoc facit ratione formæ, non enim est simplex materia. Si ergo hoc accidit in arte ratione formæ, multo magis in natura, fit enim ex homine homo. Tex.13.

Amplius autem generatio vocatur natura quatenus est via ad naturam, seu formam, nam quod nascitur tendit non ad terminum à quo, sed ad terminum ad quem, qui est forma, & sic è conuerso se habet ad medicationem, quæ non à termino ad quem, sed à termino à quo denominatur, scilicet à medicina, vel ab arte medicandi; cum igitur generatio dicatur natura, ex eo tātum quod est via ad formam, sequitur quod ipsa forma sit verè natura. Tex.14. Generatio quomodo vocetur natura.

Forma itaque natura est, sed forma, & natura dicuntur dupliciter, vno modo propriè, & sic de perfecto actu dicitur, alio modo de omni quod denominat aliquid, & sic impropriè potest dici de priuatione, quæ materiam denominat. Sed fortè melius pro priuatione debet intelligi forma imperfecta, vt frigiditas respectu caloris, ni- Tex.15. Priuatio est aliquo modo forma.

gredo respectu albedinis, &c. Si autem priuatio sit simul cum suo contrario, idest possit esse simul cum aliqua forma in generatione substantiali, aut non, in libris de generatione considerandum est.

SVMMA SECVNDA.

CAPVT I.

Differentia inter Physicum, & Mathematicum.

Tex. 16. *QVoniam autem determinatum est quot modis natura dicitur, post hoc speculandum est, quo differt Mathematicus à Physico. Videntur enim in nullo differre, nam physica corpora habent in se superficies solida, seu corpora de genere quantitatis, ac longitudines, & puncta, quæ per consequens à Physico considerari debent: Sed omnia ista etiam considerantur à Mathematico, ergo non differunt, nam scientiarum differentia ex rebus consideratis differentibus sumitur, & identitas ex identitate.*

Ex quo differentia, & idẽtitas sciẽtiarum sumatur.

Tex. 17. *Amplius est alia dubitatio, an scilicet Astrologia sit alia scientia à Physica; an sit pars ipsius. Videntur enim similiter non differre; quia Physici est scire, quid sit Sol, & Luna, & idem pertinet ad Astrologum. Si dicatur, quod differunt, quia ipsius Physici non est cognoscere accidentia Solis, & Lunæ, hoc est inconueniens, nam eiusdem scientiæ est cognoscere accidentia, & subiectum illorum, maximè si sint accidentia propria, imò hoc repugnat experientiæ physicæ, nam qui circa res naturales versantur agunt de figura Solis, & Lunæ, & vtrum sphærica sit terra, & Mundus, an non, ergo cum accidentia, & subiectum à Physico, & ab Astrologo considerentur, sequitur Astrologiam, & Physicam non differre.*

Tex. 18. *Respondemus tamen, has esse diuersas scientias, licet eadem considerent: nam diuersitas scientiarum non ex re considerata tantum sumitur, sed etiam ex modo considerandi. Vnde licet Mathematicus negocietur de his rebus, sicut Physicus, tamen secundum diuersum modum, quia non considerat ista, quatenus vnumquodque ipsorum prædictorum est terminus corporis naturalis, neque prædicta accidentia speculatur, pro vt accidunt talibus naturalibus existentibus corporibus, imò abstrahit ea per intellectum à motu, qui est de ratione physica, non tamen est mendacium; quia non propter hoc ea separata esse dicit, sic autem abstrahentium non est mendacium.*

Abstrahentium nõ est mendaciũ.

Tex. 19. *Imò, qui ex tali abstractione, & consideratione in vniuersali ponunt aliquod realiter separatum à singularibus per se existens, quod vocant Ideam, latent, seu ignorant modum abstrahendi. Nam non mathematicæ res tantum hoc modo, sine errore abstrahi possunt, sed etiam res physicæ, quæ minus sunt abstrahibiles, quam Mathematicæ. Quod patet si quis afferet definitiones vtrarumque, ac etiam accidentium ipsarum. Nam impar, & par, rectum, & curuum; adhuc autem numerus, linea, & figura, quæ sunt res mathematicæ, in sua definitione non includunt motum, sed ab ipso abstrahunt. Caro autem, os, & homo, quæ sunt res physicę, non amplius, quam per motum, vel actualiter, vel aptitudinaliter definiri possunt, sicut naris sima per nasum, seu materiam, non autem sicut curuum, & rectum, quę à materia abstrahunt; vnde res physicę includunt in sua definitione materiam actualiter cum aliquo ordine ad motum, quod explicatur per narem simam, mathematicę vero abstrahunt ab vtroque, ergo res physicę sunt minus abstractę.*

Hoc idem demonstrant scientię medię inter physicam, & mathematicam, nam quę magis sunt physicę minus abstrahunt, quę magis mathematicę magis abstrahunt, ergo physica est minus abstrahens, quam mathematica, quia quando aliquid est tale, ex eo quia participat de aliquo, illud erit magis tale. Sunt autem scientię medię, Perspectiua, Musica, Astrologia, & Geometria, quarum magis physicę, sunt tres primę: ideò Pespectiua verbi gratia definit lineam mathematicam, sed modo magis physico, quam mathematico, quia eam definit pro vt est visibilis, & in tali, vel tali distantia facit talem visionem, quę sunt considerationes naturales potius, quam mathematicę. Geometria vero, quę est magis mathematica, quam physica, quamuis Lineam physicam consideret, non tamen modo physico, sed abstrahit ab omni motu, & materia, vt linea est longitudo sine latitudine, & sine profunditate. Patet ergo, quod Mathematicæ scientię, ac physicę etiam habent abstractiones per intellectum, secundum quarum diuersitates, etiam possunt constitui diuersę, & si in re considerata conueniant. Eodem modo dicendum est de Astrologia, scilicet quod differt à Physica, quia alio modo considerat ipsa Solem, Lunam, &c. aliomodo Physica; Astrologia namque hęc considerat, pro vt sunt in varijs distantijs, aspectibus, &c. Physica vero pro vt sunt corpora naturalia, simplicia, vel composita, corruptibilia, vel incorruptibilia, &c. Tex. 20.

Quando aliquid est tale, ex eo, quia participat de aliquo illud erit magis tale.

CAPVT II.

Naturalis non considerat formam sine materia

CVm autem duplex sit natura, scilicet materia, & forma, sic contemplandum est de ipsis in naturali philosophia, sicut esset consideratio de simitate, quę considerari nequit, nisi curuitatem, quę est veluti forma contemplemur, ac etiam narem, quę est materia; quare res naturales neque sine materia, neque secundum materiam tantum considerandę sunt. Hoc autem resolutum fuit à nobis ad soluendas circa hoc dubitationes; aliquis enim dupliciter dubitare posset, nempe. Cum duę sint naturæ, de qua est considerandum in physica? & hęc est prima dubitatio. Secunda vero, an ad physicum pertineat contemplari id quod ex vtrisque naturis constat, quod est compositum ex materia, & forma? Si enim concedamus de hoc à physico esse agendum, sequitur, quod de vtraque natura agere debeat, cum ipsum constituant, & sine quibus non potest intelligi. Tex. 21.

Quærimus ergo secundum primam dubitationem, vt magis etiam declaretur nostra positio. Vtrum eiusdem scientiæ sit considerare vtramque, an vna consideranda sit in vna scientia; alia verò in alia. Nam si ad Antiquos aspiciamus solum de materia tractabimus nullus: namque ipsorum de forma mentionem facit, præterquam Empedocles, & Democritus, qui tantum paulisper ipsam formam (quæ dicitur etiam quod quid est, pro vt est ratio, & pars principalis definitionis) tetigerunt. Si autem ars imitatur naturam, & eiusdem artis, & scientia est cognoscere materiam, & formam vsque ad ter- Tex. 22.

Ars imitatur naturam.

minum

Eiusdē sciētiæ est considerare materiam, & formam vt & aliquid. *minum tali considerationi conuenientem, vt medici est cognoscere sanitatem, quæ est veluti forma, ac cholerам, & Phlegma, quæ sunt quasi materia sanitatis, in quibus ipsa sanitas est. Similiter ædificator debet formam, & materiam domus cognoscere, scilicet lateres, ligna &c. & hoc idem potest dici de qualibet arte, ergo similiter physicè erit cognoscere, materiam, & formam; cum hæc sit cognitio de rebus naturalibus; illa vero de artificialibus, & sicut ars imitatur naturam, ita cognitio artificialium cognitionem naturalium, at ex imitatione naturæ ipsa ars considerat materiam, & formam ergo prius in naturali cognitione considerari debent.*

Tex.23. *Præterea. Eiusdem scientiæ est considerare id cuius gratia cætera fiunt, quod finis vocatur, & quæcunque sunt ad finem ordinata. Sed natura, quæ præcipuè dicitur de forma, est finis materiæ, ergo si vnum eorum considerat, & relliquum. Quod vero forma sit finis materiæ, probatur. Quæcunque per continuum motum aliquid vltimum, & bonum intendunt, finem intendunt, sed in rebus naturalibus per continuas generationes non intenditur produci nisi forma, ergo ipsa est finis. Sed obseruandum est, quod adhoc vt aliquid dicatur finis, non sufficit vt sit vltimum, sed quod etiam sit optimum. Quocirca poeta quidam in derisionem citatus fuit, quia dixit vltimum, seu mortem hominis esse finem ipsius; nam, vt diximus non omne vltimum est finis, sed optimum.*

Eiusdē sciētiæ est considerare finē, & quæcunque ad eum ordinata.

Non omne vltimum est finis, sed optimum.

Tex.24. *Modo probandum est specialiter, quod ad physicum pertineat considerare materiam sic. Artes materiam considerant, ergo etiam physicus eam contemplari debet. Probatur antecedens, nam aliæ artes faciunt materiam, vt quæ efficit vitrum, &c. quæ simpliciter talem materiam efficiunt, aliæ vero eam accommodant operi, vt quæ sunt dolatiuæ lignorum, quibus omnibus artificialibus vtimur propter nos, qui sumus quodammodo finis omnium: duplex tamen est finis, scilicet cui, & gratia cuius, de quibus in Metaph. sed ad propositum. Cum artes quæcunque sic materiam considerant, eam pariter physicus considerare debet.*

Nos sumus quodammodo finis omnium. Finis duplex.

Tex.25. *Pro maiori tamen intelligentia aliquid adhuc de artibus dicamus, vt ad propositum applicemus. Duæ sunt igitur artes, quæ præsunt materiæ, & ipsam cognoscunt, scilicet ars vsualis, & factiua, & vtraque potest dici Architectonica, licet principaliter Factiua. Vnde vsualis dicitur Architectonica quatenus cognoscit formam in talem materiam inducendam. Factiua vero dicitur Architectonica, pro vt materiam, vel facit, vel ad vsum disponit, v. g. ars gubernandi nauem est vsualis, quia vtitur naui, & Architectonica, nam cognoscit qualis debeat esse forma nauis, vel temonis, & præcipit quomodo fieri debeat. Ars vero efficiendi nauem est actiua, quia non vtitur naue, est tamen architectonica, nam cognoscit ex quibus lignis, & motibus, seu dispositionibus fieri debet; est enim ars architectonica, quæ per regulam, & certam cognitionem ducit artificialia ad debitum finem; omnes igitur artes, siue vsuales siue factiuæ materiam cognoscunt, ergo eam à physico cognosci in sua quoque scientia debet. Differt tamen materia artis à materia naturali, quia ipsa artis materia interdum à nobis fit, sed in physicis semper supponitur. Sunt etiam multa aliæ differentiæ inter ipsas, sed hic non est locus eas examinandi.*

Quot, & quæ sīt materiā, vt eā cognoscamus.

Tex.26. *Quod vero, tam consideratio materiæ, quam formæ, ad physicum attineat, iterum denique probemus sic. Materia est eorum, quæ sunt ad aliquid (saltem secundariò, per se enim est substantia, vt visum est) ita, vt alia materia alio, & alio modo disposita, ad aliam formam ordinetur, & referatur, vt semen dispositum ad formam hominis, ad ipsam refertur, &c. at quæ relatiua sunt debent simul, & ab eodem considerari, ergo vtraque à philosopho naturali considerari debent. Sed dubium est, vsque ad quem terminum physicus debeat considerare formam, & quidditatem rerum; An sicut medicus considerat neruum, non omni consideratione, sed pro vt ordinatur ad sanitatē, & similiter Faber considerat ferrum, vsque ad id, quod est suæ arti conueniens, ita inquam physicus vsque ad aliquam determinatam formam, suam extendat considerationem, vel omnes consideret? Respondetur quod vnumquodque est gratia alicuius rei determinatæ, & similiter physicus circa determinatas formas versatur, scilicet circa eas, quæ re vera sunt in materia, sed tamen ab ipsa separabiles sunt, vt forma hominis, scilicet anima rationalis; quod verò sit in materia patet, nam Homo, & Sol generant hominem, quæ generatio est introductio formæ in materiam; vsque igitur ad animam rationalem tractabit physicus, imò etiam de ipsa pro vt est corpori vnita, non verò prout est separata. Sed quomodo sit separabilis, & quid sit hoc modo separata, est officium primæ philosophiæ, idest Metaphysicæ determinare.*

Materia est eorum quæ sunt ad aliquid.

Nota de Anima rationali. Homo, & Sol generāt hominem.

SVMMA TERTIA.

De Causis.

Quæ, & quot sint causæ, ac modi causarum.

Tex.27. DEterminatis supradictis; considerandum est de causis, quæ & quot numero sint. Cum enim hoc negotium physicum sit gratia sciendi, & scire non prius opinemur vnumquodque, quam vtiq; cognouerimus propter quid de ipso; sic autem cognoscere est primam, vel immediatam causam cognoscere, manifestum est, quod à nobis hoc faciendum est; de rebus generabilibus, & corruptibilibus, ac omni physica mutatione mobilibus, scilicet causas, & principia ipsarum determinare, vt principia ipsarum scientes, possimus omnia quæsita de ipsis ad principia hæc reducere, & resolutiones per ipsa principia adhibere circa dubia.

Tex.28. *Vno igitur modo causa dicitur ex quo fit aliquid cum insit, hoc est remanente in composito, & hæc est causa materialis, seu ipsa materia, vt æs est causa materialis statuæ, & argentum phialæ, & etiam genera horum ad causam materialem pertinent, vt metallum v. g. quod est genus æris, & argenti, &c.*

Causarum genera, & definitiones.

Alio modo dicitur causa, ipsa forma, quæ vocatur exemplum, vel exemplar, prout ad similitudinem formæ generantis fit forma geniti, saltem in generatione vniuoca, hæc aut forma est ratio, seu causa præcipua ipsius quod quid erat esse, pro vt essentiam, & quidditatem rei definita explicat, ad quam causam formalem pertinent omnia genera, seu prædicata essentialia in quid ipsius formæ, v. g. Diapason, quæ est proportio duorum ad vnū, & est quadam forma, habet pro genere proportionem numeri ad numerum, hæc igitur proportio vniuersalis etiā ad causam formalem pertinet, imò etiam ipse numerus, & partes, quæ in definitione principaliter assumuntur, sicut differentiæ, vel quæ habent locum ipsarum, ad causam formalem reducuntur.

Forma cur dicatur exēplar. Definitio cur dicatur quod quid erat esse.

Diapason quid.

Tex.29. *Amplius dicitur causa vnde est principiū mutationis, & quietis*

& quietis, vt consultor est causa alicuius quod consuluit, pater est causa filij, faciens vero facti, &c. hæc autem est causa efficiens, ad quam pertinent etiam omnia genera, quæ de ipsis prædicantur, vt diximus de alijs. Præterea quarto modo dicitur causa de fine, qui sic definitur, est id cuius gratia aliquid fit, vt sanitas interdũ est finis deambulationis; si quis enim quærat propter quid conualescẽs ambulat, respondemus, vt fiat sanus (excitantur, namque calores per motum, qui ad sanitatem conferunt) & ita locuti opinamur causam finalem assignasse. Sunt etiã causæ finales dicenda ea, quæ sunt media inter efficiens, & finem vltimum, vt sanitatis est medium macies, vel purgatio, vel medicamenta, & organa, &c. omnia namque ista sunt ad finem vltimum, scilicet ad sanitatem ordinata, differunt vero, nam alia sunt opera, vt purgatio, &c. alia vero organa, seu instrumenta, quibus ad acquirendã sanitatem vtimur; dicuntur tamen fines, pro vt aliqua etiam ad ipsa ordinantur. Sed possunt dici non vltimati, ad differentiam sanitatis, quæ est vltimatus, in tali proposito; sic applicetur ad alia.

Tex. 30. Causæ igitur quatuor prædictis modis dicuntur. Quæ tamen licet sint multæ; tamen ad eundem effectum producendum omnes simul concurrere possunt per se secundum proprium genus, & modum causandi, non autem per accidens. Vt statuæ causa efficiens est ars statuaria, seu statuarius: materialis est æs, formalis est talis figura, finalis repræsentatio huius, vel illius, & sic omnes simul concurrunt. Sed est notandum, quod causæ possunt esse sibi inuicem causæ in diuerso genere causandi, vt laborare est causa sanitatis, in genere causæ efficientis, nam efficit bonas dispositiones, digestionem, &c. sanitas vero potest esse causa finalis laborandi, aliquis enim mouetur ad laborandum propter sanitatem. Notandum est etiam quod eadem causa potest esse respectu contrariorum effectuum, v. g. Nauta præsens nauigationi est causa salutis nauis, idem vero absens, est causa subuersionis, diuerso tamen modo; nam salutis est per se causa, cum realiter agat, & ordinet ad nauem saluandam. Subuersionis autem est causa per accidens, non enim ipse eam actualiter, & effectiuè submergit, sed venti, vel aliud.

Causæ sibi inuicem causæ.

Eodem potest esse causa contrariorum.

Omnes autem nunc dictæ causæ, scilicet, tam per se, quã per accidens, tam vltimatæ quam intermediæ, seu quæcunque aliæ, cadunt, & reducuntur in quatuor prædictos
Tex. 31. modos manifestissimos, scilicet in modum causandi velut efficiens, uel materia, vel forma, vel finis. Vnde literæ syllabarum, materia factibilium, seu artificialium, ignis, & cætera elementa, respectu misti, partes integrales totius, propositiones conclusionis, sunt causæ maeeriales. Ita vt harum causarum aliæ sint, vt subiectum, seu materia, sicut partes integrales, & alia prædicta. Aliæ vero reducuntur ad causam formalem, quæ vt dictum est, dicitur ratio ipsius, quod quid erat esse; imò interdum simpliciter, quod quid erat esse vocatur, ratione suæ perfectionis, ad quam causam reducitur, totum, vt humanitas v. g. quæ potest vocari forma totius, & compositio similiter, scilicet ordo, qui est inter componibilia, ac etiam species, seu figura cuiuslibet rei. Semen autem, & medicus, & consultor, & denique omne faciens, siue principaliter, siue instrumentaliter, ad causam efficientem reducuntur, quæ dicitur principium motus mutationis, & quietis; differt enim motus à mutatione, vt alibi videndum est. Alia vero sunt, vt finis, & bonum aliorum; id enim cuius gratia aliquid fit, optimum, & finis aliorum debet esse; tamen in hoc loco nihil refert si pro fine accipiamus bonum verum, vel apparens, hoc namque discutere est alterius facultatis, scilicet Ethicæ.

Causæ igitur tales, & tot sunt specie. Modi vero causarum numero quidem sunt multi. Sed si reducantur in capita sunt determinati, & pauci ita, vt sex tantum numerentur. Primus est causa vniuersalis, & particularis in eodem genere causandi, vt causa sanitatis est medicus, & artifex, & ipsius diapason duplum, & numerus, ac (vnico verbo) quæ continent, & continentur, seu vniuersales, & particulares, vel prior, & posterior, idem enim diuersis nominibus significamus. Tex. 32.

Sex modi causarum.

Secundus est, causa per se, & per accidens; per se est, quæ secundum propriam virtutem causat, & dicitur genus accidentalium causarum, pro vt est in potentia ad illas, vt genus ad differentias. Per accidens, est coniuncta causæ per se, & licet non causet, tamen ei causare tribuitur, vt causa per se statuæ, est statuarius, per accidens vero est Polycletus, cui accidit vt sit statuarius; imò omnia quæ veluti vniuersalia ipsas causas per accidens continent, etiam per accidens dicantur, vt homo, animal viuens, &c. quia dicuntur de Polycleto, quem posuimus causam per accidens respectu statuæ, per accidens sunt: est tamen obseruandum, quod causarum per accidens, aliæ sunt propinquiores, aliæ remotiores ab effectu, vt albus, & musicus ponantur causæ per accidens statuæ, musicus est propinquior, quia paucioribus inest musica, quàm albedo, vnde de proximiori insinuat causam per se. Tex. 33.

Causæ per se quæ sint.

Alter modus, qui conuenit, tam causæ per se, quam per accidens, tam vniuersali, quam particulari, est causa, in actu, & in potentia; in actu, quæ actualiter causat, vt ædificans respectu domus; in potentia, quæ potest causare vt ædificator, hic autem modus non ponitur distinctus, cum in omnibus sit. Tex. 34.

Quæ sit causa in actu. & in potentia.

Eodem modo potest dici de effectibus quorum causæ sunt causæ, scilicet quod sunt alij per se, alij per accidens, alij vniuersales, alij particulares, alij in actu, alij deniq; in potentia. Vt effectus per accidens dicetur domus si dicatur facta à Polycleto, per se, si ab ædificatore. Particularis, vt hæc domus, vniuersalis, vt domus, in actu vt domus iam facta, in potentia, vt facienda, vel possibilis, ut fiat. Tex. 35.

Tertius modus est causæ complexæ, & incomplexæ, ut Polycletus statuarius est complexa: si uero dicatur Polycletus, uel statuarius tantum, est incomplexa, & hic est modus nominis, non rei. Sunt igitur sex modi, in quolibet enim duo includuntur, ut est uidere, scilicet singularis, & uniuersalis, per accidens, & per se, complexa, & incomplexa, quibus omnibus conuenit, esse in actu, & in potentia. Tex. 36.

Quomodo modi causarum sint sex.

Differunt uerò causæ in actu, & in potentia, quæ enim in actu, & singulares sunt, simul sunt, & non sunt cum suis effectibus, ut hic medens, est simul actualiter medens, cum ista actuali medicatione quæ fit, & hic ædificator cum ista edificatione. Quæ uero sunt in potentia, uel uniuersales non simul sunt, & non sunt cum effectibus, non enim domus, quæ est effectus ædificatoris simul cum ipso ædificatore corrumpitur, nec ædificator in communi, qui in abstractione consistit est simul cum hac domo, uel tolletur, ipsa destructa. Tex. 37.

Causa singularis simul est, & non est cum suis effectibus.

Est tamen animaduertendum, quod circa quemlibet naturalem effectum, debemus causam summã illius quærere si scientificè illum cognoscere volemus, sicut et iam hoc fieri debet in alijs rebus. Vocatur causa summa, quæ est Tex. 38.

Circa effectũ est quærenda summa eius causa.

est propinquior, & ratio præcipua, vt effectus producatur; exemplum in artificialibus; homo ædificat quoniam ædificator est, est autem ædificator secundum artem ædificandi, hæc autem est prior, seu immediatior causa, ratione qua ædificat, & sic in omnibus alijs dicatur. Obseruandum est etiã, quod causæ vniuersales debent assignari effectibus vniuersalibus, & singulares singularibus, vt statuarius dicitur in communi causa statuæ, hic autem huius statuæ. Similiter causæ in potentia respiciunt effectum in potentia, & actuales in actu, vt ædificator domum, ædificans hanc actualem ædificationem.

C A P V T II.

De casu, & fortuna.

Tex. 39. *QVot igitur causæ, & quomodo sunt, determinatum est sufficienter. Sed quia casus, & fortuna dicũtur de numero causarum esse, à quibus etiam dicuntur multa esse, & fieri; Ideo considerandum est, quomodo in his causis connumerentur, & vtrum sint idem, an diuersum, ac denique quid sint.*

Tex. 40. Prima opinio de casu, & fortuna. *Quidam enim dubitant, seu non credunt, ipsa esse, imò dicunt nihil fieri per casum, & fortunam, sed omnium, quæ sic fieri dicimus, esse aliquam causam determinatam. Vt si quis veniat in forum, & repertat aliquem, quẽ volebat, de quo tamen non cogitabat, hoc dicitur esse à casu, vel fortuna, & tamen re vera habet determinatam causam, nempe velle emere aliquid propter quod venit, ergo; eodem modo dicendum est de alijs, quæ à casu, & fortuna credimus fieri, scilicet habere determinatam causam, & sic non esse à casu, & fortuna, & per consequens, quod ipsa non sint.*

Tex. 41. Confirmatio superioris opinionis. *Quoniam si fortuna aliquid esset, videbitur inconueniens, & maximam afferret dubitationẽ, cur scilicet nullus antiquorum sapientum, qui de causis generationis, & corruptionis tractauerunt, nullum habuerunt sermonem de ipsa. Sed (vt videtur) ipsi opinabãtur nihil esse à fortuna, ac eam quoq; nihil esse, aliter de ipsa tractauissẽt. Hæ igitur sunt rationes istorũ, qui casum, & fortunã negant.*

Tex. 42. Improbatio prædictæ opinionis. *Sed hoc quod dicunt mirabile est, cum multa fiant à casu, & fortuna, quæ licet re vera reduci possint ad aliquam determinatam causam, vt prædictus antiquorũ sermo, destructor. fortunæ asserebat, tamen fortuna non est tollenda, imò omnes confitentur alia fieri à fortuna, alia vero non, sed non dicitur fortuna respectu causæ determinatæ, sed indeterminatæ, vt in processu videbimus.*

Tex. 43. Ac eius cõfirmatio. *Quo circa reprehendendi sunt antiqui, qui nullã de ipsa mentionẽ fecerunt, sed vt patet, ipsi opinabantur nihil esse fortunam, nec inter suas causas eam connumerarũt, quas quidem causas, amicitiam, & litem, aut ignem, vel intellectum, vel aliquid tale ponebant, est igitur inconueniens, eos de ipsa non tractasse, siue putauerunt esse, siue non esse, vel ad probandum non esse, vel ad ostendendũ quid esset; præsertim cum aliquis ipsorum ea in suis sermonibus vsus sit; vt Empedocles dicit aerem in parte superiori non semper eodem modo segregari, sed vt accidit, hoc autem est à fortuna. Vnde habet in mundi fabrica hæc verba. Sæpè alias aliter, sed tunc sic fortè cucurrit. Vbi per ly fortè fortunam insinuat, asserit etiam, partes quamplurimas animalium à fortuna fieri.*

Tex. 44. Secunda Opinio. *Sunt autem quidam, qui ponunt casum esse causam huius Cœli, & omnium mundanorum, dicunt namque motum cælorum, ac ipsos cælos à casu factum esse per cuius motum vniuersus orbis distinctus fuit in hunc ordinem, in quo extat.*

Sed hoc est valde admiratione dignum, asserere, scilicet animalia, & plantas, nec fieri, nec esse à fortuna, sed habere determinatam causam, scilicet, vel naturam, vel intellectum, ita vt ex quouis semine non quodlibet fieri possit, sed ex semine oleæ olea, ex semine hominis homo, & cælum, ac cælestia, vt Sol, Luna, &c. quæ sunt diuiniora istis sensibilibus fiant à casu, nec talem causam habere possint sic, scilicet determinatam, & certam, qualem habent animalia, & plantæ. Tex. 45. Improbatio secundæ opinionis.

Sed si ita sit, quod cælum sit à casu; dignum est consideratione, & debemus de hoc aliquid dicere. Nam præterquamquod aliter sit absurdũ quod dicunt, est absurdissimum præcipuè hac ratione, quia vident in cœlo nihil à casu fieri, sed omnia debito ordine, & in istis inferioribus è contra, quæ non à fortuna esse dicunt, ideo conueniens erat oppositum dicere, scilicet in cœlo nihil fieri à fortuna, sed bene in istis inferioribus. Tex. 46.

Sunt autem quidam, quibus fortuna videtur quidem esse causa, sed immanifesta humano intellectui, tanquam diuinum quiddam existens, & felicius humanis rebus, vel vt gentiles credunt, sit quædam Dea; quæ opinio cum sit irrationalis, indigna est, vt in medium adducatur, ne dicam vt contra ipsam disputemus. Considerandum est igitur quid sit casus, & fortuna, & si sint idem, vel diuersum, & quomodo ad prædictas causas reducuntur. Tex. 47. Tertia opinio. Hæc non improbatur quia est irrationalis penitus.

Pro cuius intelligentia est obseruandum, quod cum eorum, quę fiunt, alia semper fieri videamus, vt reuolutiones cælorum, alia vero frequenter vt pluuias in hyeme, &c. Manifestum est quod neutri horum fortuna, & casus dicitur causa, sed quod ab ipsis fit, neque ex necessitate, neque frequenter accidit, sed rarò: hęc autem, quę sic rarò accidunt multa sunt, & à fortuna, & casu communiter dicuntur esse, ergo asserendum est casum, & Fortunam esse aliquid, nam ex eo quod nihil est, aliquid effici non potest. Tex. 48. Diuisio eorum, quæ fiunt.

Notandum est etiam, quod eorum quæ fiunt, aliqua fiunt propter finem, alia vero non, & vtraque possunt esse in actionibus voluntarijs, & naturalibus; exemplum in voluntarijs, si quis non cogitando fricaret barbam; exemplum in naturalibus, aqua profluens, vel fluctuans submergit aliquod animal, non enim ad hoc actio, seu fluxus ipsius dirigitur; de actionibus propter finem non opus est exemplificare, cum sint res notissimę. Actiones igitur, tam naturales, quam voluntarię possunt esse propter finem, imò in ijs, quę sunt pręter necessarium, & frequenter, sed rarò tantum, potest reperiri etiam intentio finis, & ipse finis, (vt etiam dictum est) tam in naturalibus, quam in voluntarijs actionibus reperitur. Tex. 49.

Ea igitur tam naturalia, quam voluntaria, quę propter finem fiunt, si contingat vt per accidens fiant, & non secundum finem intentum, à casu, & fortuna fieri dicuntur. Vt si quis propter finem iuerit in forum, & aliquid non cogitatum ab ipso sibi acciderit, hoc à fortuna dicitur; vt enim in entibus, alia dicimus esse per se, alia per accidens, vt homo per se est animal, per accidens musicus, sic dicendum est de causis, scilicet quod quędam est per se, quędam per accidens, vt per se causa domus est ędificator, per accidens est album. Sed differunt causę per se à causis per accidens, (pręter alias differentias,) quia causę per se sunt determinatę, & finitę respectu proprij effectus, vt causę per se domus. sunt ędifica- Tex. 50. Causæ per se sunt finitæ per accidens infinitæ.

ædificator, ligna, lapides, &c.; causa verò per accidens sunt indeterminatæ ita, vt infinitæ, seu innumeræ eidem effectui conuenire possunt. Vt domus v. g. ab albo, musico, poeta, &c. fieri potest. Ad propositum, cum igitur in his, quæ fiunt propter aliquid, contingat causa per accidens, illa dicitur fortuna, vel casus, respectu scilicet effectus non intenti; est tamen sic causa per accidens, vt aliquomodo operetur ad effectum; ita vt si ipsa non esset, effectus non produceretur; vt si quis eat in forum causa emendi aliquid, & recipiat argentum à debitore, iuisse est causa per accidens respectu argenti recipiendi, quia hoc non intendebatur, tamen nisi f. i set, non recepisset, & per hoc distinguitur à causa per accidens, quæ denominatur causa tantum, ex eo quod coniuncta est cũ vera causa, vt albedo respectu ædificatoris. Duplex est igitur causa per accidens, scilicet nihil operans, & sic non est fortuna, nec casus; & aliquid operans, & sic est fortuna, vel casus, quæ tamen dicitur per accidens, quia non intenditur finis acquirendus per ipsam, sed alter.

Causa per accidens duplex.

Tex 51.

Differentia vero inter casum, & fortunam, posterius determinabitur, nũc vero hoc fit manifestum, quod veraque sunt in ijs, quæ propter finem aliquem fiunt, ita tamẽ, vt quod à casu, vel fortuna accidit non intendatur: si vero intenderetur esset eligibile, vel ad prosecutionem, vel ad fugam, vt quis it ad forum causa emendi aliquid, & recipit argentum de quo non putabat, hæc receptio dicitur à fortuna, quia si sciuisset se recepturum multò magis iuisset; requiritur etiam, id quod à fortuna accidit non esse solitum euenire, nec de ipso cogitetur, aliter non à fortuna diceretur. Vnde dicitur fortuna causa, quæ non ab ipso agente est cognita, est tamen eligibilium, vt dictum est, quare inuentio fabæ, & alia minima, non dicuntur à fortuna.

Tex. 52.

Fortuna quid sit.

Est itaque fortuna causa per accidens in his quæ fiunt per electionem, & propter finem. Quapropter fortuna, & intellectus simul in eodem sunt, quia si fortuna est causa per accidens in agentibus per electionem, nihil autem per electionem agit, nisi præditum intellectu, habemus intentum.

Tex. 53.

Fortuna indefinita, & immanifesta homini.

Cum igitur fortuna sit causa per accidens, necesse est vt causæ à quibus fortuiti effectus proueniunt sint indefinitæ, & indeterminatæ, vt dictum est supra, ac per consequens rationabiliter dicitur, fortunam esse homini immanifestam, ac nihil à fortuna fieri, hoc est nihil ab ipsa certè, & determinatè produci, sed per accidens solum.

Tex. 54.

Non igitur est per se causa, sed per accidens ipsa fortuna, quæ coniuncta est semper cum causa per se, vt causa per se domus sic ædificator, per accidens vero tibicen; sic in fortuitis, quis potest proficisci in plateam causa videndi, vel persequendi, vel fugiendi, & ex alijs infinitis causis, deinde referat argentum de quo non habebat intentum, omnes illæ sunt causa per accidens reportationis argenti, coniunctæ cum causis per se respectu alterius effectus, nam itio illa habebat causam aliquam per se, scilicet vt videret, fugeret, &c.

Tex. 55.

Dicere quoque ipsam fortunam esse aliquid præter rationem, rectè est. Nam ratio, aut est circa ea, quæ semper eueniunt, scilicet discurrendo demonstratiuè de ipsis, aut circa ea, quæ frequenter, seu (melius) quæ à ratione aliqua, vel intellectu determinatè fiunt semper, vel frequenter eueniunt: at quę fiunt à fortuna, eueniunt raro, & per causas accidentales, & indefinitas, ergo fortuna non est aliqua ratio, vel intellectus, sed quid indefinitum, & per accidens. Sed dubium est, cum multæ causæ per accidens ad eundem effectum producendum concurrere possint, quarum aliæ sunt propinquiores, aliæ remotiores, quæ nam fortuitæ vocari debent? verbi gratia quis acquirit sanitatem, in qua concurrunt istæ causæ per accidens, scilicet ventus, calor, & detonderi, quæ igitur potest magis dici fortuna? Respondetur, quod propinquior, & quæ aliqualiter ad effectum facit, nam vt dictum est prius, fortuna est sic causa per accidens, vt etiam aliquomodo concurrat; non igitur detonderi potest dici fortuna, cum nihil faciat, sed potius æstus vel spiritus, quæ etiam per accidens sunt, cum ad sanitatem non sint ordinata, & cum hoc quod ab infirmo non intendatur sanitas per talia media, aliter esset hoc contra textum 51.

Tex. 56. Diuisio fortunæ.

Diuiditur autem fortuna in bonam, & malam; dicitur bona fortuna, dum per accidens aliquod bonum euenit. Mala vero cum euenit aliquod malum. Si vero magnum bonum accidat, dicitur prosperitas fortunæ, vel eufortunium, cum autem accidit aliquod magnum malum, Infortunium dicitur: imò cum aliquid acciderit proximum magno bono, vel magno malo, dicitur etiam eufortunium, vel infortunium, nam quod parum distat, nihil distare videtur. Obseruandum est tamen, quod tam infortunium, quam eufortunium sunt incerta, cum etiam fortuna in communi sumpta incerta dicatur, at quicquid essentialiter conuenit superiori, etiam inferiori conuenit, est autem de ratione fortunæ, quod sit incerta, ista vero sunt species eius.

Quod parũ distat, nihil distare videtur.

Quicquid essentialiter competit superiori, & inferiori.

Tex. 57.

Differentia inter casũ, & fortunã.

Sunt igitur causæ per accidens, tam fortuna, quam casus in his, quæ fiunt propter finem, & rarò. Differunt verò, quod casus communiter sumptus est magis vniuersalis, ita vt de ipsa fortuna prædicetur, & sit veluti genus ipsius, non autem è contra: quare omnia, quæ fiunt à fortuna, dicuntur fieri à casu, sed non omnia, quæ fiunt à casu, dicuntur fieri à fortuna. Vnde ipsa fortuna reperitur solum in ijs, qui possunt dici fortunati, & voluntariè agere, vt rationales. Notanter diximus casum communiter sumptum, esse communem fortunæ, vt genus, quia si propriè sumatur, est species contradistincta à fortuna, ita vt in naturalibus, & brutis dicatur casus, in hominibus fortuna.

Tex. 58.

Quo circa necesse est fortunam esse circa ea, quæ sub voluntariam actionem cadunt. Probatur, nam fortuna diuiditur in bonam, & malam, & bona fortuna, quæ est quædam fælicitas, vel propè fælicitatem, vel est actio voluntaria, vel in ea consistit; ergo etiam mala, quæ est quasi priuatio bonæ, etiam circa voluntariam actionem erit; nam habitus, & priuatio sunt circa idem, & sic cum genus non sit extra suas species, sequitur etiam fortunam in communi esse circa ea, quæ per voluntatem aguntur. Vnde qui agere voluntariè nequeunt, ij neque fortunati, neque infortunati dicendi sunt.

Fælicitas est quædam actio.

Habitus, & priuatio sunt circa idem.

Tex. 59.

Pueris, bestiis, & inanimatis nõ conuenit fortuna.

Ob idque neque vllum inanimatum, neque bestiæ, nec pueri carentes vsu rationis, possunt quicquam facere à fortuna, cum electionem non habeant, & sic neque possunt dici fortunati, neque infortunati, nisi per quandam similitudinem, eo modo quo dixit Protarchus, lapides ex quibus sunt constructæ aræ, fortunatos esse, quia honorantur; alij vero cum his copulati, infortunatos, quia conculcantur. Verum est tamen, quod possunt pati à fortuna, respectu illorum, qui à fortuna agunt aliquid circa ipsos, vt si quis fugiens, interficiat, vel offendat puerum, hunc puerum, à fortuna aliquid passum esse dicimus.

At

Tex. 60. *At casus conuenit etiã brutis, & inanimatis, vt equus veniens domum per consuetudinem, saluatus sit ex hoc aduentu à lupis, de quibus nihil cognouerat, à casu dicitur saluatus; & in inanimatis, si scamnum, quod casu cecidit stet erectum, atque aptum, vt in ipso sedeatur, dicitur à casu stare, quia non cecidit propter hoc, nec ei semper, vel frequenter hæc positio accidere solebat.*

Tex. 61. *Quare manifestum est, quod in ijs, quæ simpliciter propter aliquem finem fiunt, cum non euenit ille effectus, ad quem ordinata erant, sed alter diuersus, qui habet aliam causam per se extrinsecam, hoc dicitur à casu, si verò hoc contingat in his, quæ agunt per electionem, circa eligibilia, à fortuna dicitur.*

Tex. 62. *Quod autẽ casus sit de rebus non intentis declaratur à signo? nam ipse casus ferè idem graecè significat, quod frustra, quod autem frustra fit, non assequimur secundum intentionem incepti operis, vt si quis ambulet gratia purgationis, vel sanitatis, & non fiat sanus, vel purgatus, illa ambulatio, & purgatio dicitur frustra; requiritur tamen, vt illa operatio secundum quam aliquid dicitur frustra, sit ordinata ad consequendum talem finem, ac ex sua natura possit illum consequi; aliter non diceretur frustra, sed ridiculum, vt si quis se lauerit, vt eclipsetur Sol, & ipse non eclipsatur, ac ideo se frustra lotum esse asserat, ridiculum est, quia lotio non est apta efficere eclipsim Solis.*

Quid fortuna.

Tex. 63. *Sic igitur casus assimilatur frustra in hoc, quod non euenit id quod intendebatur, & ex hac parte dicitur frustra, sed euenit aliud non intentum, & hoc est quod dicitur casus, vt lapis cecidit non causa percutiendi, & percutit; dicitur à casu percussisse, quia non intendebatur percussio, quæ tamen poterat intendi, idest proijci gratia percutiendi, quare diximus, quod alia est causa ipsius extra per se, quæ effectum casualem potest producere, quod singulariter est verum si casus accipiatur communiter, vt etiam includit fortunam, vt quis it ad forum, vt emat aliquid, & inuenit debitorem, poterat namque propter hoc ire, & tunc esset causa per se, sed tunc non diceretur casus; qui semper est per accidens, & non intentus; in puris verò naturalibus fortè non est assignanda causa per se intendens id quod est casuale, nam cum sit defectuosum, per se à natura non intenditur; est etiam obseruandum, quod in voluntarijs potest euenire effectus intentus, & casualis simul, non autem in naturalibus, vt possum emere, gratia cuius iui ad forum, & inuenire debitorem, de quo non putabam. Natura vero non potest simul producere animal perfectum, quod intendebat, & monstrum, quod non intendebat, & est casuale.*

Tex. 64. *Maximè autem apparet separatum, seu distinctum id quod dicitur à casu, ab eo quod dicitur à fortuna, in ijs quæ naturaliter fiunt: nam cum fit aliquid præter naturam, non dicimus à fortuna factum fuisse, sed à casu tantum, vt in monstris, sed in ijs quæ voluntariè fiunt, à fortuna dicimus; est adhuc alia differentia, nam effectus casuales habent internam causam suæ monstruositatis, & defectus, vnde casuales dicuntur, & hoc est materia; nascitur enim animal monstruosum ob ineptam materiam; sed effectus fortuiti habent causam externam, vt quod ille debitor, v. g. qui inuenitur, iuerit ad forum, habet rationem causæ efficientis, quæ ex externis est.*

Tex. 65. *Quid igitur sit casus, & fortuna, & quomodo differant manifestum est, sed quæritur ad quam causam reduci debeant: respondetur, ad efficientem vtrumque, nam sunt effectus per accidens prouenientes ab agente naturali, vel voluntario; at si dicatur, nonne dictum est in naturalibus prouenire à materia. Respondetur verum esse, defectum ex materia prouenire, sed dici casum respectu illius, quod aliud intendebat, scilicet effectum perfectum, hoc vero fuit efficiens, ad efficientem igitur causam pertinent, licet sint per accidens, & indeterminata.*

Tex. 66. *Ex prædictis inferimus, casum, & fortunam esse posteriores agente naturali, & voluntario; probatur, nam omne per accidens est posterius eo, quod est per se, casus, & fortuna sunt causæ per accidens; natura vero, & intellectus, seu agens voluntarium sunt per se, ergo.*

Per accidẽs est posterius eo quod est per se.

Tex. 67. *Posterior, itaque est casus, & fortuna, natura, & intellectu, vnde sequitur (contra eos, qui cœlum à casu factum esse dicebant) ante illum casum esse naturam, vel intellectum, cum casus sit ipsis posterior, ac per consequens illam esse causam cœli, cum sit per se, & prior: rationabile namque est, magis prius, & per se esse causam, quam posterius, & per accidens, naturam igitur, & intellectum necesse est huius vniuersi, & aliorum multorum prius, ac causam esse.*

Natura, & intellectus sunt causæ vniuersi.

Tex. 68. *Quod autem sint causæ, & quod sint quatuor manifestum est, nam tot modis dicitur causa, quot modis potest quæri, & responderi ad propter quid: sed fit quatuor modis, ergo sunt quatuor causæ; probat minor, nam vel reducitur ipsum propter quid ad causam formalem, quod præcipuè fit in mathematicis, quæ non considerant motum, neque finem, vt si quis quærat propter quid linea est recta, respondetur per causam formalem, seu definitionem recti, scilicet, quia latera eius non exeunt ab extremis, & similiter dicatur, si quæratur quid sit commensurabile, illud namque quod non est altera parte longius, &c. debemus tamen respondere per formam vltimam, seu immediatam, & sic habetur causa formalis, quæ etiam in Physicis assignari potest, vt propter quid homo est viuens; respondetur propter animam, &c.*

Tot sũt causæ quot sũt modi quærendi, & respondendi ad propter quid.

Tex. 69. *Aut reducitur ad causam efficientem, vt propter quid certauerunt, quoniam sunt irati, ira namque est efficiens saltem quo, & instrumentale certaminis. Aut ad finalem, vt cur certant, vt dominentur. Aut denique ad materiam, vt propter quid homo corrumpitur, quia constat ex materia. Vnde patet, quæ & quot sint causæ.*

Tex. 70. *Cum autem causę sint quatuor, de omnibus debet Physicus considerare, & ad omnes ipsum propter quid reducere, & sic Physicè loquendo, assignabit materiam, formam efficientem, & finem. Est tamen notandum, quod tres causæ sæpè in eadem reperiuntur, ita scilicet, quod vna res respectu diuersorum potest habere rationem, & modum trium causarum, vt forma, & finis sunt idem numero, dicitur cum forma geniti, & finis generantis. Causa vero efficiens, & finalis etiam sunt idem, sed specie, saltem in his, quæ generantur vniuocè, vt homo generans est eiusdem speciei cum homine genito, & etiam cum forma ipsius, (quæ vt dictum est) idem est cum fine, & sic forma, finis, & efficiens, sæpe coincidunt in vnum, vel numero, vel specie.*

Tres causæ plerumque incidunt in vnam.

Tex. 71. *Causæ igitur omnes sunt de consideratione Physici, atque omnino quæcunque mota mouent ad eundẽ pertinent, quæ vero mouent, & in se non habent principium, vt possint moueri, sed immobilia sunt, hæc non pertinent ad Physicũ; quo ad eorum prędicat aessentialia, & quidditatiua, licet ab ipso considerari possint, in ordine ad motum, nempe prout motum efficiunt, vel prout per motum cognosci possũt, vt de primo motore agitur in 8. Phys. Quamobrem tria sunt negotia, seu considerationes physicæ, vnum circa ens immobile, vt octauus Physicorum liber.*

Mouentia mota sunt physicæ cõsiderationis, non autem immobilia.

Aliud

intenditur finis; at in rebus naturalibus est aptitudo, vt ex semine hominis aptus est fieri homo, ex semine olea olea, &c. ergo ibi est finis. Est tamen notandum, quod licet aptitudo, vt plurimum sit ex parte materiæ, tamen necessitas non debet sumi ex materia, sed ex fine, ad quem ordinatur.

Licet aptitudo, vt plurimũ sit ex materia nõ tamen necessitas, sed ex fine.

Tex. 79. *Amplius Alia ars perficit naturam, vt dolatiua, agricultura, &c. alia vero ipsam naturam imitatur, vt statuaria, &c. in quibus omnibus intenditur finis, ergo idem etiam attendi debet in naturalibus, nam in vtrisque, eodem modo media priora ad posteriora ordinantur, vel posteriora propter priora fiunt, quare si in arte esset finis, & non in natura, ipsa natura esset arte ignobilior, cum tantum per accidens, & à casu ageret, hoc autem est absurdũ.*

Artium alia perficit naturam, alia eam imitatur.

Tex. 80. *Confirmatur exemplis, nam in cæteris animalibus ab homine, quæ neque arte, neque discursu, neque consilio, sed tantum naturaliter agunt, respicitur intentio, & operatio propter finem, imò sic ad ipsum diriguntur, vt aliqui opinati fuerint, ea agere intellectu, aut alio quodam diuiniori sensu, vt Aranei, Formicæ, & huiusmodi. Paulatim etiam discurrenti videbitur etiam in plantis esse aliqua, quæ ad finem conferunt, & ordinantur, vt folia propter fructuum cooperimentum, radices vero deorsum propter alimentum, &c. Quare si naturaliter propter finem Hirundo facit nidum, Araneus telam, plantæ habent radices deorsum, & non sursum, vt nutriantur, & sic de alijs naturalibus; manifestum est quod in naturalibus ipsis, quæ fiunt, & sunt, est talis causa finalis.*

Tex. 81. *Et quoniam natura, quæ in rebus acquiritur (in his scilicet, quæ per generationem accipiunt esse) duplex est, materia scilicet, & forma; forma ipsa cum sit perfectior materia habet rationem finis, atque propter ipsam, naturalia agentia agunt (Vnde obseruandum est, quod diuisio naturæ, quæ hic habetur in materiam, & formam, non est vniuersalis, nec natura in communi, sed natura acquisibilis ab agente naturali, vt patet per ordinem textuum, quare qui ex hoc arguunt, in cœlo esse materiã, & formam, non ponderant textum, non enim natura cœli, cum sit sempiterna, est acquisibilis, nec propter ipsam aliquod agens agit) Ad propositum autem redeuntes; dicunt antiqui philosophi ex eo cognosci naturam non agere propter finem, quia multa peccata, & defectus in rebus naturalibus accidunt. Hæc autem ratio nihil valet, sed potius est ad oppositum, quia.*

Nota digressionem pulchram.

Tex. 82. *Peccatum fit etiam in ijs, quæ fiunt secundum artem, vt Grammaticus non rectè scripsit, & Medicus non bene ordinauit medicamentum, & tamen in ipsis artibus agitur propter finem. Quare manifestum est, quod etiam in naturalibus est finis, licet contingat peccatum, imò ex hoc concluditur, quod in vtrisque finis intendatur; nam peccatum est declinatio, vel recessio à fine intento: quare si finis non intenderetur, nullum esset peccatum, cum ita bene actio produceret illud, sicut oppositum; sunt igitur in physicis monstra, quæ sunt peccata illius quod agit propter finem, sed aliquod impedimentum inuenit; sicut accidit ijs monstris, quæ in suis compositionibus a principio eorum generationum, ex vna parte erant boues, ex alia homines, ac propter talem diuersam complexionem, non potuerunt ad debitum, & perfectum terminum peruenire, sed corrupta fuerunt; accidit (dico) vt talia monstra, & peccata euenirent propter corruptionem, vel indispositionem principij, scilicet seminis, vel alicuius alterius, sicut nunc etiam multa alia contingunt ex semine indebitè disposito; non autẽ quod finis non intendatur.*

Peccatum quid.

Monstrum quid.

Tex. 83. *Amplius; vbicunque agitur cum ordine, ibi agitur propter finẽ, sed in naturalibus est ordo agendi, ergo &c. probatur minor, nam in generatione animalium non statim fit animal, sed prius est semen, deinde fit quædam massa mollis, & sic ordinatim; quod vero in ordinatis sit finis, ex se manifestum est. Ordo namque ferè idem sonat, quod multitudo aliquorum ad vnum finem tendentium. Amplius etiam in plantis reperitur ratio finis, licet non ita distinctè, sicut in animalibus, propter minorem distinctionem organorum. Si igitur finis non esset in naturalibus, sed omnia fierent à casu, opus esset, quod in ipsis plantis monstra reperirentur, & multò magis quam in animalibus, cum plantæ sint imperfectiores, de quibus minus deberet natura curare, & facilius circa ipsas contingit error. Cur ergo non quotidie videmus plantas ex vna parte oleas, ex alia vites, sicut dicebant, seu somniabant, fuisse animalia, ex vna parte boues ex alia viros? cum ergo hoc non videamus in plantis, neque in animalibus; asserendum est, non à casu omnia, sed propter determinatum finem fieri.*

Ordo sonat ferè idemque multitudo multorum ad vnum finem tendentium.

Tex. 84. *Amplius; si natura non ageret propter finem; etiam in seminibus omnia fierent à casu, & sic ex semine hominis fieret leo, vel olea, &c. qui autem hoc modo dicit, destruit naturam, & omnia entia naturalia; naturalia enim dicuntur illa, quæcunq; ab aliquo principio interno continuè mota perueniunt ad aliquem finem, non tamẽ idem finis ab vnoquoque acquiritur, neq; quiuis finis ab vnoquoque principio intenditur, sed secundum determinatam naturam, & inclinationem, omnia tamen ad eundem finem sibi proprium tendunt, nisi sit aliquod impedimentum.*

Quæ naturalia dicantur.

Tex. 85. *Si quis vero dicat, esse à casu, quod res naturales à determinato principio ad determinatum finem procedãt, non autem propter finem, sed sicut dicimus finem reperiri in his, quæ fiunt à casu, & fortuna tantum per accidens, vt hospes abiuit lotus ab amico, tanquam gratia huius venerit; licet non venerit propter hoc, sic in rebus naturalibus hoc (inquam) non valet, nam quæ sunt à casu, sunt rarò; res vero naturales, vel semper, vel frequenter fiunt, nisi quid impedierit.*

Tex. 86. *Dicere vero naturam non agere propter finem, quia non deliberat, absurdum est, nam ars agit propter finem, quæ neque per deliberationem, seu consilium agit, ita vt si in ligno esset ars effeciendi naues, operaretur propter finem sicut facit natura. Quare si in arte est finis, etiam erit in rebus naturalibus. Maxime vero assimilatur natura medenti sibi ipsi, hic namque ex interno principio operatur, & propter finem, similiter natura, & si differant; quod natura, vt agens, est per se internum principium operationis; medens vero operatur ex interno principio, sed per accidens, scilicet ex arte Medicina. Quod igitur natura sit causa, & agat propter finem, manifestum est.*

Natura assimilatur medenti sibi ipsi.

CAPVT IV.

Necessitas in rebus naturalibus sumitur præcipuè ex parte finis.

Tex. 87. *QVod autem ex necessitate euenit in rebus naturalibus; vtrum eueniat ex suppositione, idest ex parte finis, (quæ dicitur necessitas ex suppositione, prout non*

Duplex necessitas scilicet ex suppositione, & simpliciter.

fit aliquid nisi supposito fine) an eueniant nec ssitate simpliciter (scilicet ex parte materiæ, quæ simplex necessitas vocatur, pro vt simpliciter res secundum talem materiā, tales proprietates sortiuntur, vt esse corruptibile, generabile, &c. vel dicatur necessitas simpliciter ex parte materiæ secundum mentem Antiquorum, qui, vt supra visum est, simpliciter necessitatem materiæ tribuebant. Nunc autem ipsi Antiqui putabant, ex parte materiæ omnem necessitatem esse in rebus, & in qualibet generatione; sicut si quis existimaret murum aliquem sic necessariò factum esse, quia sic materia, ex qua factus est, requirebat, vt quia lapides sunt graues, ideo sunt in fundo, ligna vero, & alia leuia, propter leuitatem sunt in superiori parte collocata, & sic de alijs; non autem propter aliquem finem.

Tex. 88. *Nos vero dicamus, nec domum, vel parietem, nec aliquid aliud, tam artificiale, quam naturale fieri posse sine his, hoc est sine debita materia, vt paries sine lignis, lapidibus, &c. tamen non propter hæc necessariò fit principaliter, nisi quadam necessitate materiæ, quæ potest dici secundaria respectu finis; fit igitur præcipuè domus propter finem, vt causa abscondendi, vel saluandi aliquid, & similiter dicatur de alijs rebus in quibus potest reperiri ratio, finis scilicet non posse fieri sine ijs, quæ habent naturam necessariam, hoc est sunt materialia (vocatur namque materia necessaria natura, pro vt est primum necessarium reale fundamentum omnium, quæ naturaliter, vel etiam artificialiter fiunt) non tamen (vt sæpe dictum est) sunt præcipue propter materiam, sed propter finem, vt propter quid est serra? vt scilicet, secet, & hac ratione est talis, scilicet ferrea; non enim secare posset nisi ferrea esset, est igitur materia necessaria, sed necessitate ordinata ad finem, quæ potest vocari necessitas veræ suppositionis (Vnde alia suppositionis necessitas superius assignata, sibi non videtur nisi de mente Antiquorum, aliter esset contradictio) Necessitas vero finis est simpliciter necessitas, quæ à definitione petitur, seu (melius) ab oratione quærente propter quid, vt propter quid serra est dentata, vel ferrea? vt possit secare.*

Tex. 89. *Est autem similiter necessarium in disciplinis, & in rebus naturalibus, & si diuersimode sumatur in istis, & in illis, nam in naturalibus sumitur necessitas ex fine, in disciplinis ex principijs, seu præmissis, ita vt principia in speculabilibus se habeant veluti finis in naturalibus, & operabilibus, & conclusio veluti materia scilicet in ratione necessitatis. Vnde sicut præcipuæ res naturales fiunt propter finem, nec tamen sine materia fieri possunt, sic conclusio est propter principia, non tamen essent principia nisi in ordine ad conclusionem, principium namque refertur ad principiatum. Sed exemplificemus. Sit rectus angulus qui scilicet constat ex rectis lineis, habens angulum extrinsecum æquiualentem duobus intrinsecis sibi oppositis, ex quo principio sequitur conclusio hæc, omnem triangulum habere tres æquales duobus rectis; non tamen sequitur, quod posita conclusione ponatur principium, quia potest poni sola, tamen si conclusio non est, nec principium est, ratione dicta, quia principium refertur ad conclusionem, relatione non mutua. Sic in naturalibus, posito fine siue forma, necesse est vt ponatur materia, quæ necessitas dicitur opposito, seu contrario modo quam in speculabilibus, pro vt in naturalibus sumitur ex fine, in illis ex principijs, in alijs bene valet (Si vero materia non erit, neque finis, seu forma erit (pro eodem namque accipiuntur, vt patet ex prædictis) sicut si non erit conclusio non dicitur principium. Finis enim in naturalibus est sicut principium in speculabilibus: Hoc namq; principium in naturalibus, non est principium actionis, seu effectiuum, sed tantum cogitationis, finis enim dicitur principium, seu causa, pro vt per cogitationem apprahenditur, de hoc namq; loquimur, & similiter in speculabilibus est principium cogitationis, seu cognitionis: cognitis namq; præmissis, cognoscitur conclusio; quare meritò comparationem fecimus inter ipsum finem in naturalibus, & principium in speculabilibus. Vtrumq; enim per modum appræhensionis, (seu aliud supplens appræhensionem, vt in ijs quæ carēt cognitione) principiat. Ratio igitur prima necessitatis in rebus sumit à fine; sed hic non potest acquiri sine materia, vnde etiam ipsa est necessaria.*

Necessitas in disciplinis ex principijs sumitur.

Triangulus rectus quid.

Quare si erit domus (quæ principaliter formam, & finem denotat) necesse est hæc, scilicet materiam existere, vel si domus fiat, materiam fieri, seu disponi debet, quæ ad finem ordinatur, vt lateres, lapides &c. Non tamen finis est propter istam, sed è contrà, tamen si ipsa non sit, neq; domus erit; similiter nisi sit ferrum non erit serra; sicut nō erit principium in speculabilibus nisi sit conclusio, vt non erit rectus, nisi triangulus habeat tres angulos æquales duobus rectis. Est igitur in physicis necessaria materia, & motiones, seu dispositiones eius, vt res fiant. Tex. 90.

Et vtraq; quidem causa scilicet, tam materialis, quam finalis à physico assignanda, & consideranda sunt, sed magis finalis, nam hæc est causa vt materia sit, & disponatur, non autem è conuerso, & finis cuius gratia alia fiunt, qui est principium omnium operationum, accipitur præcipuè à definitione, & demonstratione; est namque idem cum forma, quæ medium est demonstrationis; ideo est principalis, & magis necessarius, cum definitio essentiam rei indicet. Quod verò à definitione accipiatur, probatur exemplo in artificialibus, nam si domus sit talis, vel talis formæ, sumitur talis, vel talis definitio; quæ forma, seu finis, imponit necessitatem materiæ, vnde iterum inferri potest. Si domus debet esse talis formæ, necesse est materiam sic esse dispositam, & si sanitas est talis, necesse est fieri, seu disponi istam, vel illam materiam, scilicet humores, tali, vel tali modo; similiter si homo est hoc, vel illud, debet esse talis materia, & si hæc, vel illa sint talia, materia istius, vel illius erit talis. Est igitur etiam materia necessaria. Tex. 91.

Sed fortassis etiam erit necessaria in definitione tanquam pars minus principalis. Vt si quis determinet opus secandi esse diuisionem rei duræ, hæc assignatio non erit sufficiens nisi fiat mentio de materia, non enim qualibet res est apta diuidere, ideo oportet dicere; opus secandi esse diuisionem factam per serram dentatam, & ferream; sunt igitur in definitione partes, quæ sunt materia, & fundamentum ipsius definitionis, vt ferrum in definitione prædicta locum materiæ habet. Tex. 92.

Finis Secundi Physicorum.

ANTO-

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN SECVNDVM LIBRVM PHYSICORVM Aristotelis Quæstiones ad Mentem Ioannis Duns Scoti.

QVÆSTIO PRIMA.

Tanquam Natura sit principium aliquod, & causa mouendi, & quiescendi in quo est primum per se, & non secundum accidens. Tex. 3.

Circa hunc Textum quæritur, an definitio naturæ sit bona.



Arguitur primò, quod non; æquiuocum definiri non potest, sed natura est quid æquiuocum, ergo; maior est nota; minor in sequentibus patebit, vbi naturam multipliciter dici ex Aristotelis doctrina ostendemus.

Secundò. Multa mouentur ab arte, multave à motore externo, ergo natura non est principium motus, eius in quo est; antecedens patet de rotis horologij, nec non de multis ponderibus, quæ arte sursum trahuntur, quod verum ab externo motore multa naturaliter moueantur, etiam manifestum est; intelligentię namq; mouent Cęlum, Sol calefacit hæc inferiora, &c.

Tertiò. Idem non est causa oppositorũ, sed motus, & quies sunt opposita, ergo natura non est vtriusque causa.

Quartò. Priuatiuo, seu non enti non conuenit causa positiua: at quies est priuatio motus, & per consequens non ens, ergo natura non est causa ipsius, imò potius ex defectu causandi prouenit.

Quintò. Bona definitio debet dari per causas; hæc autem datur per effectus, nam motus, & quies sunt effectus naturæ; quinnimò etiam esse principium est veluti effectus, & ipsa natura posterius; nam ad hoc, vt aliquid sit principium supponitur constitutum, & sic ex natura habita potentia ad principiandum sequitur.

Sextò. Si natura esset principium quietis ad ipsam quietem ordinaretur, sicut principium ad principiatum, at hoc est absurdum, quoniam tunc quies haberet rationem finis, quod etiam impossibile est; nam finis est optimum ex hoc lib. tex. 31. priuatio autem, vel quies, quæ est non ens, quomodo optimum esse potest.

Septimò. Multa entia naturalia semper mouetur vt Cęli, multa semper quiescunt, vt terra, ergo natura non est principium motus, & quietis.

Octauò. Definitio nugatoria non est bona; at ista est huiusmodi, ergo. Probatur minor; nam in causa includitur principium, siquidem omnis causa principium est, ergo inutiliter vtrunque ponitur.

Nonò. Absolutum non definitur per respectiuum; nam omnis definitio est per priora, respectiuum autem est posterius absoluto cum in ipso fundetur; at natura est quid absolutum, cum sit materia, & forma; principium autem est respectiuum, cum ad principiatum referatur, ergo.

In hac quæstione quatuor faciemus. Primum multiplicem naturæ acceptionem secundum Aristot. assignabimus. Secundò quædam breuiter de definitione dicemus. Tertiò conclusionem affirmatiuam cum expositione ipsius habebimus, ac tandem argumentorum solutionem.

De multiplici acceptione naturæ.

Aristot. 5. Metaph. tex. 5. multis modis naturam dici ostendit, quos ad ipsius naturæ distinctam intelligentiam hic recensere, opus esse, censui, addendo etiam alias quasdam acceptiones, quæ passim in diuersis eiusdem Arist. locis reperiuntur. Vno igitur modo dicitur natura nascentium generatio; dicuntur autem propriè nasci, viuentia solum; alia verò simpliciter generari; vocatur autem hoc modo generatio viuẽtium natura, prout est via, vel acquisitio naturæ, videlicet formæ substantialis, vel animæ, vt idem Arist. in hoc secundo tex. 14. docet. Secundo dicitur de eo, ex quo primò aliquid generatur, seu de materia ad generationem disposita, vt est semen respectu animalis. Tertiò de causa efficienti, & vocatur agens naturale, vnde in hoc libro tex. 87. & inde naturam agere propter finem asseritur, quo pacto de Deo, qui est vniuersalissima efficiens causa dici etiam potest, necnon à quibusdam natura naturans vocatur, quasi dans esse naturæ, sicut è conuerso creaturæ naturæ naturatæ, siue productæ, nuncupantur. Quartò dicitur de materia artificiatorum, vt æs dicitur natura statuæ vasorum æneorum, & aliorum. Quintò de substantia, vel essentia cuiusque rei, sic dicimus natura hominis est esse animal rationale, &c. & ad negationes, & priuationes extenditur. Sextò de forma naturali, quæ est magis natura, quam materia, vt habetur in hoc secũdo tex. 12.

Naturæ dicitur vndecim modis.

Nasci, quæ dicantur.

Septimo de omni, quod opponitur agenti: quare quæcunque non voluntariè fiunt, naturaliter effici asserimus. Octauo, de omnibus, quæ arti oppounutur, quæcunque etenim per artem non fiunt à natura fieri dicimus. Nonò de ordine, & connexione omnium causarum primarum, & secundarum; secundum cuius acceptionē, naturam nihil frustra facere, abhorrere vacuum, facere de possibilibus quod melius est, & alia multa enunciamus. Decimo pro vi, vel facultate motrice accipitur, quæ est acceptio magis propria, & ab Aristotele hic definitur. Vndecimo pro quacunque proprietate, & qualitate in habitum versa, vnde habetur, habitum esse secundam naturam. Hæ sunt quas potui significationes naturæ pro studentium vtilitate diuersis ex locis colligere. Secundam nunc partem aggrediamur.

Quædam notabilia de definitione.

NOn intendimus hic, quid, quotuplex, & quot sint conditiones definitionis ostendere, id namque diligenter in Logica visum est, sed quædam solum prout ad præsens negotium spectat de ipsa obseruare.

Notandum est igitur primò, quod definitio ipsa ad explicandam naturam rei inuenta est, hanc autem explicare nequibit, nisi per notiora nobis tradatur, si etenim per notiora procederet, confusionem potius quam perspicuitatem gigneret: vnde & à proprio fine deuiaret, & nomen definitionis non mereret.

Secundò notandum, quod nobis interdum causæ sunt notiores, quandoque verò minimè, sed effectus, vt satis in principio primi Physicorum visum est.

Tertiò notandum, quod loco differentiæ essentialis possumus vti proprietatibus, imò cum ipsæ differentiæ, vt plurimum sint ignotæ, sæpe ipsas passiones definiendo adhibemus.

Quarto denique, quod finis cuiusq; scientiæ, methodi, vel doctrinæ est, vt sciamus, & facilius quo fieri potest; quapropter, si interdum per causas procedendo id difficile reddatur, alia via incedendum est; vnde dicere auderem quandoque melius esse per notiora definire, quam per causas ignotas; primo namque modo finis scientiæ haberetur, secundo nequaquam; præterquam quod, si causæ sunt ignotæ, quomodo eas ad definiendum assumemus? quibus suppositis ponitur talis conclusio.

Conclusio.

DEfinitio naturæ est optimè tradita, probatur, nam perfectissimè explicat, quicquid definitiua cognitione, & per notiora nobis haberi de ipsa potest, quæ tamen definitio, vt clarius innotescat per singulas particulas, communi, sed bona dilucidatione enodanda est. Natura ergo est principium aliquod, & causa mouendi, & quiescendi in quo est primum per se, & non secundum accidens. Dicitur igitur principium, vt ipsam motum præcedere cognoscamus, & quia principium etiam de priuatiuo dici potest, ideò ne simpliciter tale ipsam esse existimemus, additur causa, quæ necessariò est ens positiuum reale; vnde coarctat, quod per principium nimis vniuersaliter significabatur, sicut rationale coarctat animal, vt pro homine tantum existat. Pariter illa particula (aliquod) restrictionem adiuuat, quasi dicatur non est omne principium, sed determinatum. Dicitur mouendi, & quiescendi ad excludendas formas, vel quidditates, seu naturas Mathematicas, quæ motus, aut quietis principia non sunt, & debet accipi motus, & quies largè prout tam ad motum propriè dictum, quam ad mutationem, & quietem propriè, & impropriè dictas extenditur, seu prout sex species motus, & quietes sibi oppositas respicit; species autem motus sunt generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, & motus localis, de quibus alibi. Dicitur in quo inest ad excludendas motrices causas externas; hæ etenim prout mouent natura non dicuntur, sed agentia, vel naturalia, vel libera, vt intelligentia prout cęlum mouet natura non appellatur, nec similiter ignis, dum aquam calefacit. Dicitur primum ad excludenda instrumenta, vel dispositiones, quæ secundariò ad motum causandum concurrunt. Dicitur per se, ad excludenda principia per accidens, vt sunt formæ artificiales, quæ, & si aliquo modo motum adiuuent, pet accidens hoc est. Illa particula secundum accidens est præcedentis expressiua.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur ad maiorem æquiuoca à consilio, quę analogia participant, secundum principale significatum definiri posse, sic definitur sanū, &c. hoc autem pacto se habet natura, ipsa namq; est vis, vel virtus mouendi, aliæ verò acceptiones, si accuratè considerentur, aliquam habitudinem habent ad istam.

Ad secundum respondetur, multa ab arte moueri accidentaliter, seu quasi per instrumentum naturæ, & ratione modi, non autem per se, vt rotæ horologij à grauitate naturaliter pondera deorsum impellente, quæ verò ab externo mouentur motore, dicuntur naturaliter moueri denominatione extrinseca, prout videlicet, non à natura propriè dicta, sed à naturali agente mouentur.

Ad tertium respondetur, si opposita sic se habeant, vt vnum ab alio ordinatim procedat, vt se habet quies respectu motus, ab eodem prouenire posse, sub alia tamen, & alia ratione, vel dispositione causæ.

Ad quartum respondetur, quietem dupliciter spectari posse; primò formaliter prout est pura priuatio, & hoc pacto re vera causam positiuam, (vt argumentum probat) non habet, sed est defectus, & cessatio; alio modo pro connotato, & sic dicit rem mobilem existentem in loco acquisito propter conseruationē, ita vt conseruatio præsertim, vel bonum rei locatæ, aut motæ intelligatur, & sic non est quid priuatiuum, imò positiuum, ac bonum, & finis motus, quod de omnibus motibus dici potest, vt quies pro connotato generationis non est defitio à motu, sed forma substantialis, in alteratione qualitas, in augmentatione quantitas, in motu locali vbi, diminutio autem, & corruptio sunt defectus, & per se à natura non intenduntur, vnde in istis natura ipsa est causa purè defectiua. Quies dupliciter.

Ad quintum dici potest, hanc esse definitionem ex notioribus nobis, vnde non inconuenit, si per causas sic rigorosè non tradatur. Vel dicatur, naturam hoc modo sumptam habere ordinem, & resolutionem ad effectus; quare sicut per correlatiua saltem secundum dici, per ipsos effectus definitur.

Ad sextum patet per solutionem quarti; quies namq; pro connotato rationem boni, & finis, non reijcit.

Ad septimum respondetur, naturam esse principium motus, & quietis in communi copulatim, non tamen respectu alicuius corporis particularis; sensus est, quod motus, & quies ab ipsa natura duntaxat causantur, quæ enim naturalia non sunt, vt Deus, & entia mathematica, nec moueri, nec quiescere dicuntur, vt in quinto videbimus. Vel dicatur, cęlo ex sua natura non repugnare quietem, quamuis ab extrinseca intelligentia, & propter bonum vniuersi nunquam quiescet; terra autem secundum partes moueri potest, & si extra centrum existeret tota moueretur, & ad centrū tenderet; dum dicitur corpora naturalia esse mobilia, vel moueri, intelligendum est, quod verificetur dum extra propria loca existunt, & ab externo agente, aliter non disponuntur.

Ad octauum negatur minor, in explicatione namque par-

que partium naturæ, patuit, quomodo causa principium coarctet.

Ad nonum patet, quod formaliter loquendo, natura ibi definita non est materia, & forma, sed vis mouendi, ipsa tamen materia, & forma dicuntur naturæ constitutiuè, & fundamentaliter, prout videlicet sunt huius naturæ fundamentum saltem in istis corruptibilibus, & naturam, vel quidditatem corruptibilem constituunt.

QVÆSTIO II.

Circa eundem textum tertium. Quæritur, an principium in definitione naturæ dicatur de actiuo, vel de passiuo, aut de vtroque.

NOn parua inter Philosophos dissensio est, de quo principio id, quod in definitione naturæ ponitur intelligatur. Diuus etenim Thomas, & omnes ferè Thomistæ, ac quamplurimi alij, tum de actiuo, tum de passiuo principio dici, defendunt, quorum argumenta principalia sunt ista. *Opinio D. Thomæ.*

Primo arg. Natura dicitur de materia, & forma, vt habetur in hoc secundo tex. 4. 12. 81. & alibi, sed materiæ est pati; formæ verò agere, teste Aristot. 2. de gener. & corrupt. tex. 53. ergo de actiuo, atque passiuo principio verificatur, quod de forma in communi dicimus, de anima multo magis dici potest, quæ forma, & natura est, vt in sequentibus videbimus.

Secundum. Præterea. Mouere est agere, ergo principium mouendi est principium agendi, & sic actiuum; consequentia tenet per locum à coniugatis.

Tertium. Amplius. Principium in definitione naturæ, aut æquiuocè, aut vniuocè, aut analogicè sumitur, non æquiuocè, quia æquiuoca in definitionibus, & scientijs poni non debent, teste Auerroe in Procemio Physicorum. Si vniuocè, ergo de actiuo, & passiuo verificatur; si analogicè, ergo magis de actiuo, quia analoga per se sumpta stant pro principaliori significato, vnde habetur intentum.

Quartum. Item Aristot. definiens naturam, dicit eam esse principium per se, & per hoc Medicum non sanare se secundum naturam, sed per accidens; cum igitur Medicus per accidens seipsum sanare dicatur, & est principium actiuum, sequitur, quod si aliquod principium actiuum per se operetur, hoc erit natura, quia non alia de causa ratio naturæ à Medico sanante remouetur, nisi quia per accidens est suæ sanationis principium.

Quintum. Amplius. In hoc secundo tex. 86. ait Philosophus, quod si ars nauis faciendæ esset in naui, haud secus, atque natura faceret; natura ergo facit, ergo est principium actiuum.

Sextum. Denique. Si natura de principio passiuo tantummodo diceretur, materia cuius proprium est pati, magis diceretur natura, quam forma, cuius oppositum docet Philosophus in hoc secundo, tex. 12.

Opinio Scoti. Scotus tamen 2. sent. distin. 18. quæst. vnica, & alibi. Simplicius 2. Physic. com. 2. Burleus eodem loco, & alij quamplures oppositum sentiunt, nimirum naturæ, principium duntaxat passiuum conuenire, quorum opinionem, vt magis Aristoteli, ac veritati philosophicæ consentaneam, breuiter, & faciliter declarabimus, ac veram esse ostendemus. Pro intelligentia ergo sit primo notandum, quod principium actiuum (vt alibi quoque diximus) est principium transmutandi alterum, prout alterum est; idest, est principium agendi in aliud, prout aliquo modo ab ipso diuersum est, nam idem secundum idem non potest esse agens, & patiens; non tamen est necessarium, vt aliud sit agens, aliud patiens, sed diuersæ partes eiusdem agentis diuerso modo dispositæ sufficiunt, vnde his diuersis dispositionibus, & partibus, idem potest esse agens, & patiens, vt habetur in 3. Phys. tex. 8. Principium passiuum est principium vt aliquid transmutetur ab alio, prout aliud est, seu est potentia, quædam, vel capacitas, siue dispositio naturæ, quia aliquid ab aliquo pati potest, siue passione corruptiua, siue perfectiua, ad propositum nihil refert, quæ definitio proportionaliter, vt alia de actiuo principio intelligenda est, scilicet, hoc passiuum principium non semper ab alio agente totaliter distincto pati, sed ab alia ipsius parte interdum esse sufficiens, quod melius in tertio examinabitur. *Principiū actiuum.*

Secundò notandum, quod natura intelligitur principium cuiusque motus, hoc est generationis, corruptionis, augmentationis, diminutionis, alterationis, & motus localis; quapropter etiam proposita quæstio de omnibus intelligenda est, & sic sensus erit, vtrum aliquid dicatur verè naturale à natura propriè dicta, quia generat, vel quia generatur, quia auget, vel augetur, & sic de alijs. Ex hoc notabili.

Tertium sequitur, videlicet, diuersa esse genera mouentium, mobilium, & terminorum; nam in generatione, quod mouet semper necessariò est externum, & separatum à mobile; & similiter in corruptione, quia nihil seipsum generat, nec corrumpit, saltem principaliter, & effectiuè, quia secundariò, & aliquibus materialibus dispositionibus potest interna causa in generando, seu in materia ipsius, & in corrumpendo manere: in generando namque manet in semine virtus formatiua, & aliæ dispositiones; in corrumpendo, multæ malæ qualitates, vt de infirmis notum est. Terminus autem generationis est forma essentialis, quæ dicitur actus primus; corruptionis est eiusdem priuatio. In alijs verò motibus, mouens, & mobile, sibi interna esse possunt; nam in augmentatione anima est principalis motrix, diminutio est eiusdem augmentationis priuatio, ideò aliam causam non requirit; pariter aliquid se ipsum alterare potest, necnon localiter mouere, & sic omnes isti motus possunt internum principalem motorem habere; quamuis alteratio, & motus localis ab externo quoque fieri possint. Termini autem ipsorum sunt formæ accidentales, quæ actus secundi dicuntur.

Quartò notandum, quod sicut causæ in communi effectus in communi, vel vniuersalis respondet, singularis singulari, ex hoc secundo tex. 38. ita quoque proprietates, & conditiones proportionaliter eis respondere debent; vniuersali videlicet subiecto, vniuersales conditiones, & particulari particulares, & ad propositum, materia in se considerata est vniuersalissima materialis causa indifferens ad quamcunque formam, & motum, inclinata tamen principaliter ad formas substantiales vniuersaliter recipiendas; quapropter sub hac consideratione non debet dici natura, nisi vniuersalis, & prout capacitatem ad formas substantiales habet: eodem modo de forma philosophandum est, nimirum, quod si daretur vniuersalis forma, vniuersaliter natura de ipsa diceretur, tamen quia omnes formæ sunt determinatæ (nisi more metaphysico per abstractionem, quod non est ad propositum loquamur) ideò determinatio, & modus naturæ magis sibi, quam materiæ conuenire videtur; hæc autem pro maiori quadam intelligentia præmissa sint; quid tamen rigorosè sentire debemus, per aliquas conclusiones explicabimus.

Conclusiones.

PRima. Natura si propriè, & de rigore sermonis, vt est principium motus, capiatur, solum principio passiuo aptatur, & è contra, ita vt quæ verè naturaliter motum subire dicuntur, ideò sic se habere fatendum

ſit, quia capacitatem, & inclinationem ad motum recipiendum habent, non quia mouent, vel mouere poſſunt, probatur. Vel aliquid dicitur naturale, quia mutatur, pro vt aptum eſt mutari, à quocunque agente mutetur, vel quia aliquid ex actiua virtute ipſum mutat, v. g. dum aqua calefit, aut hæc eſt naturalis mutatio ipſius, quia apta eſt calefieri, aut quia ignis ipſam naturaliter calefacit; ſi primo modo, habemus intentum, quia quod mutatur, vt aptum eſt mutari paſſiuè mutatur; ſi ſecundo, contra; quia tunc omnis motus violentus eſſet naturalis, conſequentia tenet, quia omnis violentus motus ab aliquo agente naturali fit, vt lapis ſurſum ab homine proijcitur, & ſic de alijs: at omnes motus violentos appellare naturales, eſt vniuerſam philoſophiam peruertere. Amplius Ariſt. hoc in libro tex. 5. inclinationes ſecundum naturam per terminos paſſiuos declarat, vt igni eſt proprium ferri ſurſum, &c. Præterea; ſi ratione actiuitatis aliquid naturale diceretur, maximè primus motor eſſet naturalis, cum ſit maximè actiuus, ſed hoc negatur à philoſopho in hoc libro tex. 71. ait enim quæcunque mota mouent ſunt phyſice conſiderationis, quæcunq; autem non, non amplius phyſicæ ſunt, non enim in ſe ipſis habentia motum, aut principium motus, mouent, ſed immobilia ſunt. Ecce ergo quod hæc phyſica, vel naturalia eſſe negat, pro vt non poſſunt moueri, vel habere principium motus paſſiuum; de actiuo enim clarum eſt, nam dictum eſt ipſa mouere: ſi ergo ratio, vt aliquid non naturale dicatur, eſt, quia moueri non poteſt, quid aliud quærimus? Denique motus eſt actus entis in potentia, pro vt in potentia, vel mobile eſt, ex 3. phyſic. tex. 6. ergo motus eſt actus paſſiuus, natura autem eſt principium motus, ergo eſt principium paſſiuum.

Secunda concluſ. Formæ etiam principium paſſiuum, pro vt natura eſt, conuenit; probatur, quia illa eſt ratio vniuerſalis naturæ, at forma eſt natura, ergo; imò ſicut ipſa eſt magis natura, quam materia, ſic magis eſſe principium paſſiuum ſibi conuenit, quod exemplis declaratur; quod ignis natus ſit aſcendere, non habet à materia, quia ipſa eſt indifferens ad ad omnem formam, & locum, ergo hoc habet à propria forma, & ſic ipſa eſt determinatum principium patiendi; idem dicatur de terra reſpectu deſcenſus, & de alijs.

Tertia concluſ. Materia in ſe ſpectata eſt principium paſſiuum non determinatum, ſed indifferens, & vniuerſale, non inquam in prædicando, ſed in ratione alijs ſubijciendi, & ſic reſpectu ipſius omnes generationes dicuntur naturales, quia eſt in potentia, & inclinatione ad omnes formas: at ſecundum alios motus, qui ſupponunt eſſe completum, tota determinatio eſt à forma; ſed ratione corruptionis, quia nec materia, nec forma ad ipſam inclinantur, nulla eſt naturalitas, ſed pura violentia, & præter naturam: quamuis ſi fiat denominatio naturalitatis à naturali agente, ſic ipſa quoque naturalis eſt; imò quia hoc eſt frequenter in vſu (vnde dicimus naturale eſſe ignis calefacere, Solis illuminare, &c. ideo multi decipiuntur, & naturale vno modo dictum cum altero confundunt. Dum igitur aliquid non inclinatur ad aliquem motum, vel formam recipiendam reſpectu illius dicitur motus violentus, vt dum aqua calefit, ignis deſcendit, &c. ex parte vero agentis, vel mouentis, naturalis appellatur; ſi autem nec inclinetur, nec repugnet, dicitur potentia neutra; ſi autem ſolum ſupremæ diuinæ poteſtati ſubſit, dicitur obedientialis, vt in fine primi libri viſum eſt, hic autem pro iuuenibus meminiſſe iuuabit.

Ad Argumenta.

Duplex eſt munus formæ. AD primum reſpondetur ad illam particulam, formæ eſt agere, &c. duplex eſſe munus formæ, aliud præbere inclinationem, & capacitatem determinatam materiæ reſpectu alicuius accidentalis formæ, vel loci, & ſic eſt paſſiuum principium, vt dictum eſt; aliud vero eſt eſſe principium quo actionis, nam ſuppoſitum, vel ſingulare compoſitum per ipſam agit, quamuis ipſum agere dicatur, vt quod, ſeu vt totale.

Ad ſecundum, conceſſo antecedente, negatur conſequentia, quia hoc gerundium mouendi, & ſimilia actiuam, & paſſiuam ſignificationem habent: vnde dicere, eſt principium mouendi, ergo eſt principium vt moueat, vel actiuum, eſt conſequens, quia poſſumus inferre, ergo eſt principium vt moueatur, & ſic mouendi eſt ſuperius ad moueri, & mouere, quare ad vnum ipſorum ſolum arguere, eſt à ſuperiori ad inferius argumentari affirmatiuè, in qua argumentatione fit conſequentis fallacia.

Ad tertium reſpondetur, quod vniuocè ſumitur, vniuocatione tamen reſtricta ad principium paſſiuum, quæ ab Ariſtotele in eodem textu explicatur, dum medicum principium per accidens dicitur in ordine ad naturam, pro vt actiuum eſt, & in textu 5. melius id declaratur, dum paſſiuè ipſe philoſophus loquitur; nec inconuenit quod aliqua definitio extra proprias partes etiam explicetur, nam perfecta cognitio paucis verbis haberi nequit, ideo hoc ſæpè ab ipſo philoſopho efficitur.

Ad quartum reſpondetur, ſimilitudinem illam eſſe ad oppoſitum, non enim medicum dicit eſſe principium per accidens ratione artis, ſed pro vt eſt actiuum, nam in ratione artis eſt per ſe principium, vt idem philoſophus in primo phyſic. tex. 74. expreſsè teſtatur.

Ad quintum dicitur, philoſophum non negare naturam agere, ſed pro vt agens naturale dicitur, & ſic eſt alia acceptio, hic, & ibi.

Ad ſextum negatur conſequentia, quia natura non dicitur magis talis ab indeterminatione, ſed à determinatione, & actualitate ſecundum huiuſmodi paſſiuum principium.

QVÆSTIO III.

Quoniam autem determinatum eſt, quot modis natura dicitur, poſt hoc ſpeculandum eſt, quo differt Math. à Phyſico.
Tex. 16.

Quæritur an Phyſica à Mathematica, & Aſtrologia differat, & quomodo.

ARguitur primo quod nõ; quarum ſcientiarũ obiecta non differunt, neq; ipſæ differunt, nam ſcientiæ per obiecta diſtinguũtur, vel non; Sed obiectũ phyſicæ, & Mathematicæ non differunt, ergo. Probatur minor, nam corpora, ſuperficies, lineæ & puncta, quæ a Mathematico, vt propria obiecta, conſiderantur, etiam in conſiderationem phyſici cadunt, imò ab ipſo in principio primi de cęlo definiuntur omnia præter punctum.

Secundò. Si differrent, hoc eſſet per varias abſtractiones, vt habetur in tex. 18. Sed hoc nihil valet, ergo eas differre dicendum non eſt. Probatur minor, quoniam dicitur ibi, res naturales definiri per motum, & per determinatam materiam, ſicut ſimitas per narem; res autem mathematicas à motu, & materia abſtrahere, ſed ſicut curuitas conſiderantur, quæ nec motum, nec peculiarem aliquam materiam reſpicit; quod autem hæc differentia nullius ſit momenti, probatur, quia falſum eſt, res naturales definiri per motum, cum ipſum ſit accidens, & definitio ſubſtantiæ per accidentia tradenda non ſit. Pariter eſt falſum, quod ipſe phyſicus per materiam definiat, quia definitio eſſe debet per notiora, ſed materia eſt quaſi penitus incognita, ergo.

Tertiò.

Tertiò. Traditur etiam sumi differentiam per scientias medias, vt idem Philosophus docet in tex. 20. videlicet, quod Perspectiua, Musica, & Astrologia magis sint Physicæ, quia nimirum minus abstrahunt, quam puræ Mathematicæ, & sic ipsa Physica minus abstrahit, vnde à Mathematica differt; sed neque hæc differentia vlla est, quia hæ à Mathematicis puris pertractantur, & de ipsis demonstrationes efficiuntur, quod non esset, si magis Physicæ essent.

Quartò. Denique pro Astrologia, ipsa namque substantiam mobilem, & provt mobilis est, considerat, vt clarè patet per Aristot. 12. Metaph. tex. 44. quam etiam Physicus eodem modo considerat, ergo nullum est discrimen vtriusque.

Pro intelligentia est primò notandum, quod differentiæ scientiarum sumuntur non à subiecto materiali, sed à formali, quod quidem se habet sicut differentia, respectu generis; ipsa namque differentia restringit genus, & ipsum hoc modo coarctatum à quolibet alio differre facit; sic quoque formale subiectum; sumitur autem formalitas ipsius, vel potius differentia à diuersa coniunctione, vel abstractione materiæ, vnde cum triplex sit à materia abstractio secundum vniuersalem diuisionem, triplex quoque est scientia, (de speculatiuis loquendo, nam practicæ à diuerso modo operandi distinguuntur) alia namque est abstractio à materia secundum esse, & definitionem, & sic est Metaphysica, quæ considerat res à materia realiter separata, & sine ipsa definibiles; alia est abstractio secundum definitionem, & non secundum esse, & sic est Mathematica, quæ considerat res existentes in materia, sicut sunt quantitates, atque sine ipsa materia eas definit: Denique est abstractio solum à singularibus, sic videlicet, quod materia ipsa cum aptitudine ad motum consideretur, non tamen aliqua singularis, & sic est Physica, quę res secundum esse, & secundum definitionem materiæ coniunctas contemplari dicitur. Pręter has abstractiones, quamplures alij peculiares abstrahendi, vel contrahendi modi reperiuntur, vt si consideretur quantitas provt est discreta, pertinet ad Aritmeticam; si provt est sonora ad Musicam; provt visibilis ad Perspectiuam, &c. quæ dicuntur scientiæ subalternatæ, quatenus à primis tribus prædictis dependent, & sub ipsis sunt; quod vniuersaliter aptari potest omnibus sic sub alteris contentis, de quibus fusè in libris Post. vt autem plenè cognitio abstractionum (ex qua multa ad omnes scientias pertinentia pendent) cognoscatur, sit

Triplex à materia abstractio.

Secundò notandum, abstractionem nihil aliud esse, quam separationem vnius ab altero prius sibi antea copulato, quæ potest realiter, vel per intellectum solummodo fieri. Abstractio realis est qua Physicè, & verè vnum ab alio separatur, sicut in corruptione separatur materia à forma, vel in diuisione vna pars quantitatis ab alia. Per intellectum est dum aliquid sine alio intelligimus, vt si intelligamus animal sine homine, vel albedinem sine lacte; quæ adhuc duplex est, videlicet præcisiua, vel simplex, & diuisiua, seu composita. Præcisiua est dum simpliciter aliquid apprehendimus, alio non apprehenso sine affirmatione, & negatione, & per consequens sine veritate, & falsitate, quia falsitas, & veritas in affirmatione, & negatione consistunt; quæ adhuc est triplex, videlicet superioris ab inferioribus, vt animalis ab homine, leone, & alijs; subiecti ab accidentibus, vt dum hominem solum provt substantia est consideratur, non considerando si sit albus, vel niger, &c. Tertia denique est accidentis à subiecto, vt dum quantitatem contemplamur, non considerata substantia, quæ tamen abstractio est alijs imperfectior, quia non perfectè accidens sine subiecto intelligi potest, imò de quibusdam accidentibus hoc est penitus impossibile, vt de proprijs passionibus notum est; risibilitas namque sine homine intelligi non potest; ad hanc accidentium abstractionem pertinet etiam, dum abstrahimus relatiua à proprio fundamento, vt paternitatem a potentia generatiua, similitudinem à qualitate, &c. Ad abstractionem autem superioris ab inferioribus reduci potest (ne frustra plura multiplicentur) abstractio quidditatis a supposito, seu naturæ totius à partibus, vt humanitas ab homine, equinitas ab equo, tertia entitas à partibus componentibus, &c. cui autem hanc ad illam reducere non placet, per se genus distinctum abstractionis ponat, & erunt quatuor. Abstractio diuisiua est, qua aliquid ab alio per intellectum diuidimus per negationem, vt si non tantum animal sine homine consideremus, sed hominem nō esse animal enunciemus, quæ etiam est triplex, vel quadruplex, sicut precedens: nam sicut possumus abstractione præcisiua intelligere animal sine homine, vel substantiam sine accidentibus, aut accidens sine substantia, vel denique quidditas sine suppositis; ita hominem non esse animal, accidens non esse substantiam, vel substantiam cum accidente, aut quidditatem cum supposito non esse enunciare possumus. Dicitur suppositum ad propositum, quod in concreto enunciatur, & quasi totum partes includens intelligitur, sicut dum dicitur homo, equus, &c. Quidditas verò est illa entitas tertia abstracta, vt humanitas, equinitas, &c. sic ergo abstractio præcisiua, & diuisiua differunt, secundum quarum diuersitates diuersæ eliciuntur veritates, vel falsitates, nam secundum abstractionem præcisiuam est vera propositio, quam habet Aristot. in tex. 18. Abstrahentium non est mendacium; ipsi namque nihil affirmant, sed vnum (relicto alio) considerant; quæ tamen secundum diuisiuam esset falsa. Quibus suppositis ad resolutionem quæstionis accedamus.

Abstractio quid.

Realis.

Rationis.

Præcisiua.

Diuisiua.

Quotuplex vtraque.

Suppositũ.

Quidditas.

Abstrahentiũ non est mendaciũ quomodo, est verum.

Conclusio.

PHysica differt à Mathematica, & Astrologia. Probatur, quia Physica considerat res materiales, & provt sunt mobiles, vel naturales; Mathematica verò nequaquam, imò ab omni motu, & ab omni materia pręscindit, vel abstrahit: Præterea Physica considerat materiam sensibilem, Mathematica intelligibilem. Dicitur materia sensibilis ipsa prima materia, non quod cognitioni sensitiuæ subiecta sit; sed quia est omnium accidentium sensibilium vltimatum, ac primum subiectum; vltimatum inquam, & primum ratione resolutionis, & compositionis; immediatum verò accidentium sensibilium subiectum est substantia naturalis completa. Materia intelligibilis est quantitas ab ipsa materia abstracta, quæ vocatur materia, scilicet circa quam, provt circa ipsam Mathematicus versatur, vel dicitur materia in ordine ad sua accidentia, quorum est materia, vel subiectum; vocatur intelligibilis, non quod ipsa sensibilis non sit, si quidem est vnum de communibus sensibilibus, vt habetur in 2. de anima tex. 64. sed quatenus per intellectum abstrahitur, & ab omni sensuum intuitu remouetur. Differt autem ipsamet Physica ab Astrologia, quia & si Astrologia cęlum, & motum ipsius consideret, non tamen modo naturali, vel Physico id efficit, nam considerare modo naturali, est prius definitionem ipsius habere, & postea accidentia, & passiones, quæ à tali natura (provt vt talis est) profluunt, speculari, sed Astrologus, neque quid sit cęlum, neque quid sit motus contemplatur, sed solum de ipsis agit, secundum rationem magnitudinis, vel distantiæ temporis, apparentiæ astrorum, & similium; pariter accidentia considerantur ab Astrologo, & Mathematico, non provt per motum acquirũtur, sed solum secundum se, à Physico verò, provt acquiruntur per motum, & sunt termini, vel passiones naturalis corporis; vnde diuersæ sunt conside-

Materia sensibilis.

Intelligibilis.

considerationes, diuersæ definitiones, ac per consequẽs diuersæ scientiæ, sic tamen quod Astrologia non sit à Mathematica diuersa, sed ei subalternata; pro cuius vberiori notitia sciendum est, Mathematicam non esse nomen scientiæ particularis, sed genericæ, cuius præcipuæ species sunt Geometria, quæ lineas, triangulos, & alias figuras considerat; & Aritmetica, quæ de numeris agit; sequuntur postea Astrologia, Musica, & Perspectiua, quæ tres etiam ad Mathematicam attinent, quia tamen Physica participant, mediæ vocantur; Astrologia namq; pro vt corpus cæleste contemplatur, Physica ratione induitur, pro vt vero ipsum non modo physico considerat à Mathematica, vel Geometria dependet. Musica, pro vt considerat numerum, subalternatur Aritmeticæ, quatenus vero non ipsum tantum, sed sub ratione soni meditatur, à Physica, quæ de sono in 2. de anima agit, ortum ducit; deniq; Perspectiua considerat lineam visualem, ac ratione lineæ sub Geometria, sed modo visualitatis sub Physica continetur.

Ad Argumenta.

AD primum negatur minor, visum namq; est, quod diuersæ sunt rationes considerandi vtriusq; quæ ad diuersitatem scientiæ efficiendam sufficiunt.

Ad secundum conceditur, res naturales per varias abstractiones, & definitiones a Mathematicis differre, & præcipuè per motum, & materiam; dum contra hoc instatur, quia substantia per accidens non definitur; Respondetur, posse substantiam, veluti per notiora nobis, sicut sunt propria accidentia, notificari; Physica autem, vt plurimum ex sensibilibus procedit; de Materia dicitur, eam penitus ignotam non esse.

Ad tertium respondetur; quamuis à Mathematico tales mediæ scientiæ præcipuè considerentur, non propter hoc auferri participationem, & conuenientiam cum physica.

Ad quartum, de Astrologia patet in conclusione, alia enim ratione ab Astrologo, alia à Physico cœlum consideratur.

QVÆSTIO IV.

Si autem ars imitatur naturam. Tex. 22.

Quæritur an prædicta propositio sit vera.

ARguitur primo, quod non. Si ars imitaretur naturam, posset opera ipsius naturæ efficere, videlicet producere homines, alia animalia, plantas, metalla, &c. hoc autem falsum est, vt omnibus patet, ergo.

Secundò. Quæ habent diuersos operandi modos nõ possunt dici similia, vel quod vnum alterum imitetur; sed natura, & ars sic se habent, ergo, probatur minor; quia natura ex necessitate, & vno modo solúmodo operatur; ars verò libere, & modis oppositis, quia hunc, vel illum effectũ producere, & non producere potest, ergo.

Tertiò. Natura agit supposita solum prima materia pro subiecto, ars autem non materiam simpliciter, sed substantiam completam, & compositam, ex qua aliquid efficiat, requirit.

Quartò. Denique. Ars solum accidentales, & immobiles formas producit, natura verò substantialia composita, & mobilia entia.

Ars quid. Pro intelligentia est primò notandum, quod ars formaliter sumpta, non est nisi recta ratio, vel regula rerũ factibilium, manens in anima agentis; dicuntur res factibiles, quæ extra ipsam animam producuntur, siue maneant post productionem, siue non, nihil refert; manent post productionem, quæ per artem ædificandi, texendi, &c. efficiuntur; non manent autem, quæ per artem saltandi, cantandi, nauigandi, & per alias similes fiunt; hæ autem omnes artes ad numerum septenarium, quæ communiter Mechanicæ dicuntur, reducuntur, & per hos versus explicantur. (Res factibiles.)

Lana, Nemus, miles nauigatio, rus, Medicina.
His ars fabrilis connumerari potest.

Dicuntur autem res per huiusmodi artes producibiles, factibiles, ad differentiam rerum agibilium, hæ autem sunt, quæ in anima ipsa manent, cuiusmodi sunt prudentia, iustitia, temperantia, & omnes aliæ virtutes, de quibus moralis philosophia pertractat. Res agibiles.

Secundò notandum, quod artem imitari, vel efficere opera naturæ, potest dupliciter intelligi; vno modo quod vi simplicis artis id effici possit, ita vt nihil naturale ad hæc opera præstanda concurrat; secundo quod per ipsam artem naturalia actiua, & passiua approximentur, natura autem postea operetur.

Tertio notandum, quod ad hoc, vt aliqua sint similia, debent in aliquo conuenire, in aliquo differre: si etenim in omnibus conuenirent, non esset similitudo, sed identitas. Conuenientia autem inter artem, & naturam tripliciter attendi potest; aut ex parte rationis formalis vtriusque, ita videlicet, quod ars ipsa, & natura secundum suas definitiones, vel quidditates considerentur; aut respectu subiectorum in quibus ars, & natura reperiuntur, quod idem est, ac si agens naturale, & artificiales ad inuicem comparentur; aut denique secundum effectus, sic quod effectus artis cum naturalibus comparentur. Quibus habitis ponuntur quatuor cõclusiones.

Conclusiones.

PRima. Ars si ad naturam comparetur secundum suã formalem rationem, seu pro vt pura qualitas, vel regula existens in mente artificis est, nõ imitatur, nec assimilatur naturæ; probatur, quia vt sic, est accidens quoddam spirituale, quod nec substantiæ assimilatur (nam similitudo est conuenientia in aliqua qualitate) nec opera ipsius efficere potest, quia accidens non efficit opera substantiæ, imò accidens per se nihil agit, nisi à substantia, vt instrumentum moueatur.

Secunda. Ars secũdo modo sumpta, videlicet pro agẽte artificiali imitatur naturã, & opera aliqua eius efficere potest, non se sola, sed adiuuantibus naturalibus caussis actiuis, & passiuis, hoc est approximando actiua passiuis per artem naturalia opera efficiuntur, hoc experientia patet, si quidem per Medicinam sanitas, per artem vitrariam vitrum, per appositionem rerum corruptibilium simul, animalia multa imperfecta, vt vermes, apes, & aliqua mista (vt quotidie est videre) gignuntur: imò hoc modo metalla quamplurima, & aurum ipsum effici forsitan potest, quod si non efficitur, hoc non est ex defectu artis, sed quia debitæ dispositiones, vel materia deest. Est etiam alia conuenientia inter artem hoc modo sumptam, & naturam, quia sicut ars materiam, & formam cõsiderat, propter finem operatur, & ex imperfecto ad perfectum procedit; similiter, imò principalius, natura ipsa; differunt autem, quia ars natura indiget, non è conuerso; nec non quoniam si actiuitas, & passiuitas rerum naturalium circa artificialia non concurrant, ab ipsa arte res penitus immobiles, & nullius virtutis producuntur, vt patet de figuris, picturis, ædificijs, & alijs; aliqua verò ab ipsa arte efficiuntur, quæ à natura effici non possunt, vt domus, statuæ, &c. tamen neque propter hoc natura ab arte exceditur, vel superatur, imò si ab arte statuæ efficiuntur, ab ipsa natura animalia viua, quorum statuæ sunt similitudines, procreantur, vt si ab arte domus, à natura elementa, quæ vniuersalia habitacu-

la

la omnium viuentium sunt; multę igitur, & ferè innumeræ sunt inter naturam, & artem conuenientiæ, & differentiæ, quas vnusquisque per singulas discurrens, facilè conspicere poterit.

Tertia. Effectus artificiales naturalibus assimilantur; hæc conclusio ex præcedenti pendet, si quidem naturale, & artificiale agens, per effectus potius, quā per se ipsa distincta esse, cognoscuntur, & ostendimus.

Quarta. Quamuis ars sit per se à natura penitus distincta, non secus quam accidens à subiecto; tamen in omnibus operationibus eam supponit, nec in operationibus tantum, sed etiam secundum se; cum etenim formaliter sit habitus quidam animæ, & accidens, subiectum sibi conueniens requirit, quod profectò non est nisi anima, quæ est natura, vt docet Arist. in 2. physic. tex. 2. ait namque artificialia ipsa, quatenus cum naturalibus coniuncta sunt, impetum motus habere, & sic naturam respiciunt.

Ad Argumenta.

AD primum negatur consequentia, non enim oportet, vt in omnibus assimilentur, quamuis adiuuante natura multa opera naturalia efficere possit, vt visum est.

Ad secundum eodem quoque modo respondetur, nimirum in hoc non conuenire, sed differre; satis tamen esse si in alijs conueniant.

Ad tertium similiter, vt ad secundum respondetur.

Ad quartum patet, vel dicatur, quod tunc sumitur ars sine virtutibus naturæ adiuuantis.

QVÆSTIO V.

Causæ igitur ferè tot modis dicuntur, Tex. 30.

Vtrum quatuor tantum sint genera causarum.

ARguitur primo, quod sint plures. Exemplaris causa ponitur ab Aristotele in 12. Metaph. tex. 24. & tamen inter istas non connumeratur, ergo.

Secundò, multæ sunt causæ instrumentales, quæ inter istas connumerari non possunt; antecedens, quo ad primam partem, omnibus notum est; secunda verò pars probatur, quia causa est à qua res in fieri, & in esse dependet, sed ab instrumentis, neque res propriè fit, neque dependet, ergo.

Tertiò, quod sint pauciores. Effectus non potest esse causa, at forma est effectus, ergo; maior est nota, minor probatur, quia ipsa est finis, terminus, & effectus generationis.

Quartò. Causare est agere, sed materia agere nequit, cum proprium ipsius sit pati, ergo non est causa.

Quintò. Omnis causa est principium, at finis non est principium, imò contradistinguitur ab ipso, ergo.

Sexto. Quod non habet esse nullo modo alterius causa esse potest: at finis, vt plurimum, esse non habet, vt notum est, ergo.

Multa diuersis in locis, pro vt se se occasio obtulit, de causis diximus, quia tamen hic est proprius de ipsis disserendi, & quæ diximus colligemus, & quæ dicenda sunt breuiter addemus, vt autem ordo aliquis seruetur, à definitione exordiemur. Quatuor igitur modis causam vniuersaliter sumptam definiri lego. Primo ab Aristotele in hoc libro textu 68. sic. Causa est id per quod reddimus propter quid alicuius rei; vbi aduertendum est, quod quamuis hæc dictio propter quid propria videatur causæ finalis esse; communiter tamen pro omnibus vsurpari potest, vt Aristot. hic efficit. Secundo definitur à Plutarco in libro de placitis philos. cap. 11. hoc modo. Causa est per quam a iquid contingit. Tertio à Proclo in libris de causis sic. Causa est id ad cuius esse aliud sequitur; nec intelligendum est, quod sequatur ratione simplicis consequentiæ, sic namque homo esset causa animalis, & motus ipsius motoris, & quam plurima alia absurda sequerentur, valet enim dicere homo est, ergo animal est; motus est, ergo motor est; intelligenda igitur est hoc pacto causam esse talis naturæ, vt si actualiter causet, aliquid fit, & sequitur. Quarto tandem definitur ab Auicenna in Metaph. tr. 6. cap. 1. sic causa est quod tribuit esse rei. Quę omnes definitiones si accuratè expendantur, parum nisi forsan nomine inter se differunt. Nunc autem ad reliqua accedamus, at quia propter multitudinem dicendorum, non potest seruari ordo, quem in alijs quæstionibus seruauimus, alia via incedemus, videlicet ad modum simplicis narrationis procedendo, maximè autem per diuisiones. Sit igitur prima diuisio. Causa in vniuersali diuiditur in efficientem, materialem, formalem, & finalem. Efficiens est à quo aliquid fit, vt ædificator respectu domus. Materialis est ex qua aliquid fit cum insit, seu remanente ipsa in re facta, vt argentum est hoc modo causa statuæ. Formalis est quod quid erat esset rei, seu principalis pars, & essentia compositi, vt anima est formalis causa animatorum. Finalis est gratia cuius aliquid fit, vt medicinæ sanitas.

Causa quatuor modis defini.

Efficiens.

Materialis.

Formalis.

Finalis.

Per se.

Per accidens.

Secunda diuisio. Causarum aliæ sunt per se, aliæ per accidens; per se, quæ secundum suam naturam causant, vt ignis calefacit, ædificator ædificat; per accidens, quæ non causant, sed eis tribuitur causalitas, quatenus cum causa per se coniunctæ sunt, vt si ædificator sit musicus, atque musicum ædificare dicamus, erit causa per accidens, quia accidit ædificatori vt sit musicus. Verum est tamen quod interdum causa per accidens necessariò requiritur, vt in casualibus, & fortuitis patet; quamuis etenim effossio vineæ sit causa per accidens inuentionis thesauri, si tamen aliquis non effodisset, non inuenisset; vnde causarum per accidens, alia nihil facit ad effectum, alia aliquid, quamuis neq; principaliter, neq; secundum intentionem agentis, quapropter per accidens nuncupatur, & sic prædicta assignatio, vel descriptio causæ per accidens est solum respectu primę. Causarum per se aliæ sunt essentialiter subordinatæ, aliæ accidentaliter tantum; essentialiter subordinatæ sunt quarum vna non potest sine alia causare, & sunt diuersæ rationis, sic se habet pater, & mater respectu filij. Accidentaliter subordinatæ sunt, quæ secundum eundem modum causant, sunt eiusdem rationis, & vna potest supplere causalitatem alterius, quod in prædictis non accidit, vt plures homines trahentes nauem, omnes namq; per se trahunt; tamen eadem ratione, & vnus ipsorum, si viribus maioribus polleret, causalitatem aliorum supplere posset. Hi autem sunt modi causarum, qui omnibus prædictis quatuor causis aptari possunt.

Subdiuisio.

Essentialiter ex subordinatæ.

Accidentaliter subordinatæ.

Secunda diuisio. Causarum per se (de per accidens aliud dicendum non est) alia est vniuersalis, alia particularis. Vniuersalis est quæ ad plures effectus se extendit, vt cæli, intelligentiæ, Deus, quarum Deus est vniuersalissima, & prima, aliæ vero in ordine ad ipsum secundæ vocantur. Particularis est, quæ tantum aliquem particularem effectum nata est producere, vt homo qui hominem, equus qui equum generare apti sunt.

Vniuersalis

Particularis.

Hæc etiam diuisio omnibus quatuor causis conuenire potest, vt materialis, vniuersalis causa, est materia secundum se considerata, particularis, hæc, vel illa materia; similiter forma vniuersalis, vel vniuersaliter considerata, nec non particularis; & vniuersalis, atque particularis finis.

Tertia communis diuisio omnibus quoq; causis competens.

petens. Causarum alia principalis, alia instrumentalis. *Principalis.* Principalis est à qua primò effectus prouenit, à qua dependet, & in virtute cuius alia causa operatur; *Instrumentalis.* Instrumentalis est, quæ operatur in virtute alterius, nec per se virtutem causandi habet; vt in scribendo scriptor est causa principalis, calamus instrumentalis, quorum instrumentorum, alia sunt coniuncta, alia separata à principali agente, exemplum primorum, manus, & calamus, exemplum secundorum, semen respectu præcipui generantis.

Totalis. Item causarum, alia totalis, alia partialis. Totalis est, quæ secundum se in suo genere est sufficientissima effectum producere, vt ignis in genere causæ efficientis, sufficiens est ignem producere; anima in genere causæ formalis constituere animal; corpus in genere causæ materialis &c. *Partialis.* Partialis est, quæ de se insufficiens est, imò est veluti pars, vel concausa alterius; sic in genere causæ efficientis se habet particularis tractor nauis in comparatione ad omnes; in genere causæ materialis se habet caro, vel os in animalibus; in genere causæ formalis, se habet forma corporis in ordine ad totum animal. Notandum est tamen, quod causa totalis solum est (vt diximus) in suo genere, quia nulla est ita totalis, vt causas alias supplere possit, efficiens namque nunquam vicem materiæ subibit, nec è conuerso.

In actu. Alia diuisio est causarum in actu, & in potentia. In actu, quæ actualiter causat. *In potentia.* In potentia, quæ causare potest. Similiter alia est causa complexa, alia incomplexa, vt satis visum est in textu. *Complexa. Incomplexa.* Diuiditur deniq; causa vniuersaliter in immediatam, & mediatam, seu propinquam, & remotam. Immediata, vel propinqua est, quæ per se attingit effectum, vt ignis generat ignem, vel calorem. Remota verò, vel mediata, est quæ non sic attingit, sed potius fuit causa immediatæ causæ, vt qui ignem (ex quo combustio alicuius domus euenit) accendit, causam combustionis mediatam esse dicimus.

Occasio. Præter has causas propriè dictas, datur alia, quædam causa similitudinaria, quæ potius occasio dicenda est, vt si quis negando ælemosinam alicui, & ille iracundia ductus furetur, qui ælemosinam negauit, causa, vel potius occasio furti fuit; quæ potest reduci ad causam per accidens.

Causa sine qua non. Alia quoque reperitur causa, quæ ratione aliquo modo accidentalis participat, quatenus re vera nihil efficit, nihilque ad effectum influit, ex alia parte necessaria est, & vocatur causa sine qua non, vt ad scribendum necessariò, vt causæ requiruntur, scriptor, pagina, atramentum &c. at præter hæc etiam opus est lumine, quod tamen nec vt efficiens, nec vt materialis, neque vt formalis, ac denique neque vt finalis causa concurrit: vnde causa sine qua non peculiari vocabulo appellatur, quæ fortè ad efficientem reduci potest, pro vt dispositionem quandam præbet ad opus materiæ. Omnes autem prędictæ causæ limitem quatuor prædictarum non egrediuntur, sed re vera sunt modi ipsarum, quare siue vniuersalis, siue particularis, siue per se, siue per accidens, vel alio quocunque modo considerentur, rationem efficientis, vel formalis, vel finalis, aut materialis non subterfugiunt.

Exemplaris. Datur tandem alia causa, quæ exemplaris vocatur, nec aliud est, quam exemplar, vel idolum in mente artificis, ad quod ipse respiciens, ad similitudinem eius operatur, vt ædificator facit domum secundum exemplar, quod in mente eius repræsentatur, quæ causa solum in ijs, quæ per cognitionem, & artem agunt, reperitur; in alijs autem, quæ naturaliter agunt, suppletur ab institutore naturæ, sic videlicet, quod eis inclinationem indidit, qua ad suos effectus tendunt, ac si eos perfectissimè cognoscerent, vel exemplar ipsorum haberent; hæc autem secundum Scotum, sed præcipuè secundum Aristotelem in 12. Metaph. tex. 24. ad efficientem reducitur, quicquid alij dicant. Ratio est, quia mediante ipsa incipit motus, at vnde est motus, efficiens causa est, ergo. Modo aliquid de singulis sigillatim dicamus, & primo de efficiente.

Æquiuoca. Causa ergo efficiens diuiditur in æquiuocam, & vniuocam. Aequiuoca est, quæ est alterius naturæ ab effectu, vt dum substantia producit accidens, Sol ranas &c. *Vniuoca.* Vniuoca est eiusdem naturæ cum effectu, vt dum homo hominem generat, equus equum, &c. Causa ipsa æquiuoca si sit totalis semper necessariò est suo effectu nobilior, probatur, nam eo quod sunt diuersæ naturæ, necessariò vna alteri dignitate præcellit; aut ergo ipsa causa est ignobilior, aut nobilior; non ignobilior, quia effectus omnem nobilitatem quam habet à causa accipit, ergo in ipsa causa prius existebat, quoniam nihil dat, quod non habet, relinquitur ergo quod sit nobilior. Vniuoca verò est æquè nobilis cum suo effectu, si quidem sunt eiusdem naturæ. Distinctio autem hæc de causa vniuoca, & æquiuoca, causæ etiam finali aptari potest, conditionibus tamen non eisdem, quia finis æquiuocus interdum nobilioris, quandoque deterioris naturæ esse potest; vt si quis propter deum operetur, æquiuocum, ac nobiliorem finem respicit; si quis propter pecuniam, vel aliud studeat, æquiuocum, & deteriorem sibi præfigit; Vniuocus autem est eiusdem dignitatis, vt homo propter hominem generat, de quibus in de causa finali clarius elucescet. Causarum item efficientium totalium, aliæ sunt eiusdem ordinis, alię verò diuersi; *Eiusdem ordinis.* eiusdem ordinis, quæ eundem modum causandi, & influendi habent, vt homines omnes, vel Leones in generatione hominis, & Leonis; *Diuersi ordinis.* diuersi, quæ diuersum, vt Deus, Sol, & homo in productione hominis; omnes enim istæ sunt causæ efficientes totales, & diuersorum ordinum; alia namque ratione effectiua Deus, alia Sol, alia denique homo operatur; quapropter non est sic assignanda totalis causa in genere causæ efficientis, quin aliæ quoque requirantur, sed dicitur talis solum secundum suum ordinem, vel modum causandi; excipimus tamen Deũ, qui sua infinita virtute, quicquid causæ secundæ cum ipso possunt, potest solus, & plus; tamen secundum legem ordinariam naturæ nunquam solus operatur, sed cum causis secundis, & secundum ipsarum dispositionem, & naturam, cum necessarijs videlicet necessariò, cum liberis liberè, cum contingentibus contingenter; Neque causa remota existimandus est, ita vt solum produxerit causas secundas, & eas operari sinat, vel solum, vt instrumentis eis vtatur, vtrumque enim hoc est falsum, & irrationabile: nam ipse nobilius, & immediatius quam causæ secundæ agit, immediatius inquam immediatione virtutis, & suppositi; virtutis quia virtus eius effectum attingit; suppositi, vel præsentialitatis, quia est intimè præsens per illapsum omnibus, vt alibi dicemus.

Quod autem causæ secundæ non sint purum instrumentum ipsius; probatur, nam effectus nunquam instrumento assimilatur, vt homo semini, vel figura pennicillo, sed naturales effectus causis secundis, vt plurimum, similantur, ergo. Præterea frustra essent in natura, quod Deus ipse minimè patitur. At si quis dicat, si per se solus potest, cur alias causas adhibet? hoc namque indigentiæ, & imbecillicitas signum esse videtur. Respondetur, hoc suæ potentiæ non derogare, imò tantum abest, vt potius eius bonitatem indicet; si quidem propriũ boni est esse sui ipsius communicabile: quamobrem decet summam bonitatem, rationem causandi creaturis communicasse. Vnde patet quam errauerit Auicennas qui omnem causalitatem à creaturis auferebat, sed eas solum materiam disponere asserebat, qua disposita quãdam aliam substãtiam separatam, quam Cholchodeam vocabat (quod datricem formarum significat) formas inducere dicebat. Sic namque præter alia absurda, libertas operandi, & ratio omnis meriti, demeriti, hono-

ris,

ris, & dedecoris ab hominibus precipuè auferetur, quod non tantum veritas, sed aures ipsæ abhorrent.

Materia triplex.

Nũc de causa materiali aliquid peculiariter dicamus. Materia igitur triplex est, videlicet ex qua, in qua, & circa quam. Ex qua est pars rei compositæ, vt corpus animalis, argentum, phialæ, &c. In qua est subiectum respectu accidentium. Circa quam est obiectum quod in aliqua facultate consideratur. At relictis duabus vltimis, de quibus non est ad propositum, de prima loquamur. Ipsa igitur ab Arist. in 5. Metaph. tex. 5. diuiditur in primam, & secundam; prima est ipsamet provt est nuda, & primum subiectum rerum generabilium. Secunda est eadem simul cum forma aliqua, non tamen ita perfecta, quin aliam respiciat, vel ad perfectiorem ordinetur; hoc pacto elementa sunt materia mistorum; semen animalium, necnon corpus quoque, imò, & multa mista simul alicuius totius materia euadunt, vt patet in medicinis, &c. extenditur quoque ad materiam artificialium, atque de huiusmodi secundis materijs intelligitur id quod habet Philosophus in hoc secundo, tex. 26. videlicet ad aliam formam, alia ordinatur materia. Ad formam nunc accedamus.

Ex qua. In qua. Circa quã.

Materia prima. Secunda.

Substantialis. Accidentalis.

Forma itaque etiam duplex est, videlicet substantialis, & accidentalis. Substantialis est pars substantię compositæ. Accidentalis verò quodcumque accidens, siue in ordine ad substantiam naturalem, siue ad artificialia comparetur; vocatur etiam forma & actus, omnis substantia completa immaterialis, vt Angeli, sed per similitudinem tantum, quia aliquid informare non possunt, nam sunt perfecti, & completi, vnde ratio partis, & formæ, quæ imperfectionem connotant, eis non competit. Diuiditur etiam forma in formam totius, & partis. Forma totius est ipsa quidditas rei, cui respondet materia totius, quæ nihil aliud est, nisi aggregatum ex materia, & forma.

Forma totius.

Partis.

At forma partis, est ipsamet forma, quæ est præcipua pars compositi, cui respondet altera pars pro materia. Formarum similiter, aliæ sunt eiusdem rationis in omnibus partibus (loquendo maximè de accidentalibus) vt patet de colore, quantitate, lumine, &c. aliæ diuersę, vt de figura hominis, statuæ, & aliorum perspicuum est. In formis autem ipsis varij gradus nobilitatis, & præstantiæ reperiuntur, & principaliter in substantialibus: qui quidem gradus communiter sex ponuntur, quos hic recensere non est inconueniens; primus, vel infimus est formæ elementorum; secundus mistorum imperfectorum, vt sunt venti, niues, grandines, &c. Tertius est formæ mistorum perfectorum, vt lapides, metalla, &c. Quartus est formæ plantarum, & stirpium. Quintus brutorum. Sextus & supremus, hominis, vel animę rationalis, in qua, veluti in forma perfectissima; eminenter alię omnes continentur. Sed finem aggrediamur.

Formæ eiusdem rationis. Diuersæ rationis.

Sex gradus formarum.

Finis gratia cuius, & quo.

Finis igitur duplex est, videlicet gratia cuius & quo; primus est, qui principaliter intenditur, quo est, qui ad ipsum ordinatur, nempe medium quo acquiri debet, vt sanitas est finis cuius Medici, vel ægroti; dięta verò, vel purgatio est finis quo, dicitur tamen finis quo, vt aliqua alia ad ipsum quoque ordinantur, aliter nomen finis non mereretur. Diuiditur etiam finis, in finem cui, & cuius. Cui est id cui finis acquiritur. Cuius est, qui acquiri intenditur, vt sanitas est finis cuius infirmi, sed ipse infirmus est cui; hic autem finis cuius, est communis fini gratia cuius, & quo. Diuiditur tandem in finem generationis, & rei genitæ; generationis est forma substantialis, quæ per generationem intenditur; rei genitæ est operatio, vel quodcumque bonum ab agente intentum. Sed circa ipsum finem est difficultas, an scilicet sit nobilior alijs causis, & ijs, quæ ad ipsum ordinantur; nam quoad primam partem, videtur affirmatiuè respondendum, si quidem quod est causa aliorum nobilius est. Quoad secundam etiam similiter dicendum esse videtur, nam quæ ad aliud ordinantur, habent rationem seruitutis, ignobilitatis, indigentiæ, & dependentiæ, quod Aristotelico testimonio confirmatur, ipse namque in hoc libro tex. 31. finem esse optimum, & bonum aliorum enunciat, & communiter causa causatum nuncupatur. Respondetur tamen; finem in ratione causandi nobiliorem cæteris esse, quia alia non causarent, nisi ipse prius moueret, & sic alia præcedit; at in ratione essendi interdum nobilior, aliquando æquè nobilis, quandoque tandem ignobilior esse potest. Exemplum primi, cum homo operatur propter Deum. Exemplum secundi, cum homo operatur vt generet hominem. Exemplum tertij dum operam nauat Philosophiæ, vt pecuniam, vel inanem gloriam adipiscatur. Notandum est etiam quod finis interdum præexistit operationi, & agenti, vt dum Deus, vt finis constituitur, quandoque verò, & vt plurimum per operationem acquirit esse, vt patet dum aliquid efficimus ad construendas domos, ad obtinendos honores, &c. quamuis si presè loquamur, nunquam præexistat, vt finis, quia v. g. quamuis Deus præexistat, tamen finis nostræ operationis non est ipse simpliciter, sed vnio cum ipso, quæ vnio non præexistit; similiter Princeps, vt aliquam acquirat ciuitatem, bellum gerit, quamuis ciuitas præexistat, tamen finis eius est acquisitio, quæ solum completa operatione habetur, & est: & tunc non habet amplius rationem causæ, sed vltimi, & finis; patet, nam causa operatur, fine vero acquisito cessat operatio, & motus; quapropter refert dicere finem, & causam finalem, quia primo modo est vltimum actionis; primo autem est primum, & mouet agens ad operandum, mouet inquam metaphoricè, sibi se præsentando, vt bonum, ex qua cognitione ad ipsum acquirendum agens excitatur: quomodo verò omnia agant propter finem, vel ipsum cognoscant in sequentibus videbitur. Nunc aliquæ dubitationes circa causas in communi examinandæ sunt. Prima an omnis causa sit suo effectu nobilior, videtur namque quod sit, si quidem effectus ab vnaquaque dependet. Respondetur tamen hoc dupliciter intelligi posse, videlicet sub ratione causandi, & sic verum est, quod assumitur, nam est quædã dependentia effectus respectu cuiusq; causæ, at dependentia imperfectionem dicit; alio modo in ratione essentiæ absolutè, & sic non est verum nisi de causa agente æquiuoca, & in suo ordine totali, vt homo est nobilior suis operationibus. Causa autem vniuoca est æquè nobilis; de fine iam dictum est. Materia autem, & forma sunt partes, quæ proculdubio sunt imperfectiores toto.

Finis cuius & cui.

Finis generationis, & rei genitæ.

Secunda dubitatio. An causa in actu simul sit, & non sit cum suo effectu. Videtur quod non, quia sic posita causa statim esset effectus, vt dum ædificans actualiter ædificare cepisset, simul esset actualiter domus. Respondetur, id esse verum sub ratione formali effectus, & in fieri, vt domificans actualiter est, ergo domus fit, quæ propositio sic intellecta, de omnibus causis verificari potest.

Tertia dubitatio. Vtrum vnius effectus possint esse plures causæ per se totales, & eiusdem ordinis, vt plures homines in generatione hominis, &c. Respondetur negatiuè, quia si aliqua causa est in suo ordine totalis, totum effectum producit, atque totaliter ab ipso dependet, vnde alia nihil producere posset, & sic causa non esset, vel si illa produceret, alia non erat causa.

Quarta. An causæ sint sibi inuicem causæ, videtur quod non, quia causa est prior effectu, quare aliqua esset prior, & posterior se ipsa; prior inquam, provt est causa; posterior, provt ab alia causata esset. Affirmatiuè tamen cum Aristotele in textu 30. respondendum est, nec argumentum aliquid valet, quia diuersa ratione aliquid potest esse prius, & posterius causa, & causatum, & quod est posterius generatione, est prius

perfe-

perfectione, & è conuerso. Similiter causa finalis est prima in intentione agentis, posterior secundum executionem; atque sanitas est causa finalis exercitij, & ipsum est efficiens sanitatis.

Quinta. An eadem possit esse causa contrariorum, videtur quod non; quia modus causarum naturalium est determinatus ad vnum modum agendi, vt ignis nunquam frigefaciet. Respondetur, quod si de causis liberis loquamur, nulla est difficultas, homo namque bonum & malum operari potest. Si autem de purè naturalibus sit sermo, cum distinctione opus est respondere; nam hoc vel intelligitur per se, vel per accidens; si per se nequaquam, quia est vnica ipsarum natura, à qua vnus procedit modus operationis; per accidens verò admittenda est: sensus tamen est, quod vna causa per se vnum effectum operatur, at per remotionem eius, oppositus efficitur, vt ignis per se calorem gignit; at ipso remoto efficitur frigus, & hoc est per accidens causare, vt etiam in textu exposuimus. His autem omnibus suppositis ponitur conclusio.

Conclusio.

QVatuor sunt genera causarum, neque plura, neque pauciora vniuersaliter loquendo: si enim singulariter de ipsis discurramus, tot erunt causæ, quot causata, vnde ferè infinitæ saltem successiuè; quod igitur non sint plures; probatur, quia quicquid vel causat, vel causare intelligimus, siue etiam imaginamur, sub ratione efficientis, vel formalis, vel materialis, vel finalis causæ operatur. Quod autem non sint pauciores; probatur, quandocunque aliqua habent distinctam rationem sine dependentia secundum quidditatem ab alio, hæc inter se sic distincta sunt, vt vnum ad aliud non reducatur, sed necessariò sint plura, vt patet de Homine, Equo, Socrate, Platone, & alijs; sed causæ omnes, secundum suam formalem, vel quidditatiuam rationem non dependent ab inuicem, ergo sunt diuersæ, nec vna ad aliam reduci potest, nec per consequens numerus quaternarius ipsarum est minuendus. Probatur minor, quoniam quidditas, & ratio, vel modus causandi efficientis causæ est per modum motus Physici realis, ac per approximationem ad passum, necnon per realem existentiam; ratio verò causandi finis est solum mouere metaphoricè, siue existat, siue non. Ratio formæ est se ipsa præbere perfectionem, quidditatem, & informationem. Materiæ denique est esse subiectum, pati, vel recipere formam, vnde patet, quod rationes ipsarum sunt distinctæ, & sic vna ad aliam reduci nequit, nec per consequens esse pauciores possunt. Nec obstat, quod forma interdum sit finis, vt habet sæpe Philosophus, quia hoc est alia, & alia ratione; sat namque est ad nostrum propositum, vt ea ratione qua est forma, finis neutiquam esse possit: si etenim conuenire in aliquo substrato esset formaliter, vel quidditatiuè conuenire, omnia prædicamenta vnica induerentur quidditate, si quidem in eodem sæpe omnia reperiri possint.

Modi causandi quatuor causarum.

Ad Argumenta.

AD primum patet, quod causa exemplaris ad efficientem reducitur.

Ad secundum pariter dicendum est, causas instrumentales ad principales reduci, maximè ad efficientem, & si etiam respectu aliarum instrumenta ponenda sint, nempe ex parte materiæ dispositiones, ex parte formæ proprietates, ex parte finis media, quamuis appropriatè in ordine duntaxat ad causam efficientem instrumenta dicantur; dum dicitur, causam esse à qua res in fieri, & esse dependet, verum de causa principali, & principaliter hoc est, at de instrumentali non est necessarium, nisi minus principaliter. Notandum est tamen, quod effectus, & si in fieri à quatuor causis pendeant, tamen in conseruari, non nisi à prima, qui est Deus, à Cælo, atque à materia, & forma pendent; à fine verò, & efficienti particulari nequaquam.

Ad tertium respondetur, formam esse causam compositi, effectum, & finem generationis, quod non inconuenit.

Ad quartum negatur maior, quamuis etenim sic per terminum grammaticalem explicetur, tamen vniuersaliter non est verum, vt de causalitate materiæ, & formæ notum est. Multa namque Grammaticus actiuè pronunciat, quæ philosophicè passionem denotant, vt patet de intelligere, sentire, &c.

Ad quintum respondetur finem esse principium in intentione, & si in executione sit vltimus.

Ad sextum pariter dicatur, sat esse, vt finis in intentione esse habeat: imò ex hoc colligitur eius præstantia, si etenim solum apprehensus, & non existens alias causas excitat, quid si existeret, & realiter moueret?

QVÆSTIO VI.

Manifestum itaque est, quod fortuna causa est secundum accidens. Tex. 52.

An detur Casus, Fortuna, & Fatum.

ARguitur primò, quòd non. Quod à determinata causa procedit Fortunæ, vel Casui, aut Fato tribuendum non est, sed omnia à determinata causa fiunt, ergo. Probatur minor, nam quicunque effectus per accidens ad causam per se reducuntur, ex hoc secūdo tex. 66. ergo per se, & determinatam causam respiciunt, quod magis manifestum fiet, si aliquibus exemplis vtamur. Dum igitur aliquis fortuitò thesaurum inuenire dicitur, nonne causa per se inuentionis est, vel itio, vel effossio, aut aliud sine quo inueniri non poterat? Similiter, si quis eat ad plateam, vt aliquid emat, & à debitore pecuniam recipiat, nonne causa receptionis est huiusmodi itio in plateam? hoc autem modo de alijs quibuscunque discurri potest, & sic omnia ad determinatam causam reducentur.

Secundò. De casu, & fortuna non est scientia ex 1. Post. cap. 22. ergo quicquid ab Aristot. in hoc libro determinatur de ipsis falsum est, quare nec erunt, nec causæ per accidens dici poterunt, aut saltem in præcitato loco 1. Post. non bene dicit.

Tertiò. Ponere Fatum est auferre libertatem, & superstitiosis, ac vanis iudiciarijs astrologicis dogmatibus adhærere, imò cum de ipso Arist. (qui circa omnia sufficientissimus fuit) nullam mentionem fecerit, profectò ponendum non est.

Quamplurima luculenter, & fusè Aristot. in textu de Casu, & Fortuna dixit, vnde perpauca examinanda relinquuntur, ac potius ea, quæ sparsim ipse enunciauit, hic pro adolescentibus colligam, quā alia (præterquam de Fato) addere intendo.

Sit igitur, quod in superiori quæstione de causa per accidens diximus iterum breuiter animaduertendum, videlicet esse duplicem; alteram, quæ ad effectum non influit; aliam verò aliquo modo ad ipsum attinentem, & hanc ratione finis esse penitus per accidens, sic nimirum, quod vt finis nullatenus intendatur, & si ratione efficientis sit necessaria, v.g. aliquis ad forum accedit, vt emat aliquid, nec quid cogitat de auro inueniendo, aurum inuentum est penitus per accidens ratione finis, tamen effectiuè est necessaria itio, vel accessio ad forum.

Secundò

Secundò notandum, quod causa hæc per accidens potest esse respectu tam naturaliter, quam liberè agentium, vt dum homo propter aliquid agit, ac aliud præter intentionem sibi euenit, hoc erit per accidens in agẽte liberè; si autem equus vt bibat ad fontem accedit, & lupus sibi insidietur hoc erit per accidens in naturali agente. Cũ igitur hoc per accidens euenit, casus dicitur; dum autem liberè agentibus occurrit, vocatur Fortuna.

Contingens rarò, & ad vtrumlibet.

Tertiò notandum, quod duplex est contingens videlicet rarò, & ad vtrumlibet. Ad vtrumlibet est, quod semper indifferens est ad oppositum, sic videlicet, quod non magis ipsum, quam suum oppositum euenire soleat, hoc pacto se habent omnes operationes liberæ, vt sedere, non sedere, currere, non currere, &c. sic namque vnum sicut aliud contingens est, & ferè æqualiter accidere solent, quod etiam in rebus naturalibus reperitur, vt pluere, non pluere, esse nubes, vel non &c. Rarò autem est, quod non est hoc pacto indifferens, sed vnum extremum negatiuum, vt plurimum est, aliud vero nequaquam; sic se habet inuentio thesauri, quoniam non inuentio est vt plurimum, inuentio autem rarò. Sed rarò adhuc est duplex, videlicet quod simpliciter rarò euenit, & determinata causa caret, vt de inuentione thesauri dictum est, aliud est, quod solum rarò euenit, sed à causa determinata, vt eclypsis Solis, Lunæ, &c.

Quartò notandum, quod aliquid potest esse per accidens respectu alicuius, per se vero respectu alterius, imò hoc necessarium est, cum omne per accidens ad per se reducatur, teste Arist. in hoc libro tex. 66. quod veritatem, tam circa finalem, quam circa efficientem causam habet; exemplum de causa finali, Dominus aliquem famulum alteri etiam à se misso occurrendum mittit, vt aliquod bonum sibi impertiatur, de quo tamen alter nihil præsciuit, hoc respectu famuli bonum recipientis est per accidens, at respectu Domini per se; exemplum de efficiente, homo per accidens calefacit, ratione videlicet accidentis caloris, at ignis calefacit per se; non tamen quod calor sit eius essentia, sed quia ab ipsa per se profluit.

Quintò notandum, quod casus, & fortuna possunt considerari præcisiuè, & sic sunt duæ species causæ per accidens, sic videlicet, quod fortuna sit causa per accidens in ijs, quæ fiunt raro præter intentionem, sed circa agentia per libertatem; casus verò similiter fiat, at circa ea, quæ non voluntariè, sed solum naturaliter agunt; alio modo in generica communi definitione conueniunt, quæ definitio traditur ab Aristot. in tex. 57. his verbis. Sunt igitur ambo causæ quemadmodum dictum est, secundum accidens in ijs, quæ possunt fieri non simpliciter, neque frequenter, & horum quæcumq; vtique fient in ijs, quæ propter aliquid, si autem casus sumatur non præcisè, pro vt formaliter actioni per accidens liberè opponitur, sed tantũ pro vt est causa per accidens, &c. sic est superior ad fortunam, & quicquid fortuna dicitur, casus quoq; vocatur, non è conuerso, vt autem quid sint, clarius innotescat, aliquas conditiones, quas ex textu eliciemus, assignabimus. Quinque igitur sunt conditiones Fortunæ. Prima quod sit causa per accidens respectu finis, nimirum, quod ab agente non intendatur. Secunda, quod rarò eueniat, nam quæ vt plurimum accidunt, non à fortuna dicuntur, hoc autem rarò intelligitur de eo, quod causam determinatam non habet; quapropter eclipsis, quamuis rarò eueniat non tamen à casu dicitur, quia à determinata causa procedit, vnde ipsa fortuna est de ijs, quæ contingenter sunt non ad vtrumlibet, sed rarò, & sine causa intendente effectum. Tertia, quod accidat circa agens per electionem, quare pueruli, bestiæ, dormientes, &c. à fortuna aliquid agere non dicuntur. Quarta, quod effectus fortuitus nullatenus ab agente intendatur, vnde quamplurima, quæ vulgariter fortuita dicuntur, sicut lucrum circa ludos, & similia non sunt propriè fortunæ, quia per se principaliter intenduntur, & propter ipsa operantur agẽtia, nec rarò fiunt; tamen, quia finis est contingens, & incertus aliquid de fortuna participant, ac ad ipsam, vt quid imperfectum in tali genere reduci possunt, & sic consueta vocabula maneãt. Quinta, quod fiat circa aliquod notabile bonum, vel malum, sic videlicet, quod si ab agẽte perciperetur ante operationem, propter ipsum operaretur, si esset bonum ad prosecutionem, si malum ad fugam; quamobrem, quæ parui sunt momenti, siue sint bona, siue mala, indigna sunt vt inter fortunas connumerentur; & si etiam ipsa eodem nomine per participationem appellari possint; omnes autem hæ conditiones casui quoque conueniunt, excepta tertia, loco cuius addi potest, vt ipse casus sit circa ea, quæ non voluntariè agunt, possunt autem multa esse simul à casu, & fortuna respectu diuersorum, vt si ædicator ædificando incautè dimittat lapidem, qui equum subter transeuntem interficiat, respectu ædificatoris est fortuna, sed respectu equi est casus; possunt etiam res casuales, & fortuitæ contingere etiam cum fine principaliter intento, vt quis pergens ad forum vt emat, & emere, & argentum à debitore recipere potest, quando autem finis præcipuus non attingitur, sed solum effectus fortuitus, talis actio frustra vocatur. Quandoque verò sunt quædam actiones, quæ ad finem consequendum ordinatæ non sunt, vt dum quis se lauerit, vel aliam superstitionem effecerit ad obscurandum Solem, vt habetur in textu, & hæ vocantur ridiculæ, & temerariæ. Non est silentio prætereundum, quod quamuis casus, & fortuna principaliter de causa per accidens dicantur, possunt etiam effectui fortuito, & casuali tribui; imò hoc est magis communiter in vsu, & Boetius contra Aristotelem solum de effectibus dici, non autem de causis volebat, at vigeat Aristot. sententia, & quæ Boetij est simul cum communi consuetudine maneat, nam Aristoteli non contradicit, quod autem de effectu ipso secundum consuetudinem dicatur, notum est; fortunam enim bonam, vel malam alicui contigisse asserimus, dum effectum fortuitum sibi euenisse scimus. Est autem bona fortuna, quæ circa aliquod bonum acquisibile, vel malum euitabile versatur. Mala vero, quæ vel circa bonum, vel non acquisibile, vel amissibile, aut circa malum ineuitabile est. Si autem mala fortuna sit circa magnum malum, infortunium dicitur. Si bona circa magnum bonum Eufortunium, vel prosperitas fortunæ appellatur. At hic insurgit curiosa dubitatio; an scilicet propositio quam habet Aristoteles in 2. lib. magnorum Moralium cap. 8. idest, vbi est plus fortunæ ibi est minimi intellectus, & è contra, sit vera; si namque experientiam respicimus, veritatem habere videtur; si quidem ineptissimos homines, diuitias, dignitates, honores, & alia quam plurima bona in die acquirere videmus; homines verò doctissimos, ac omni virtute, atque honestate prædictos despectos, pauperes, & in summa miseria conspicimus. Quicquid tamen sit de hoc, alium sensum Aristotelicam propositionem habere dicimus ab eo, qui superficietenus, & modo prædicto, vel potius exemplificato sibi tribuitur. Est igitur propositionis sententia; quod ij, qui maximè intellectu pollent, sic omnia, quæ in suis actionibus contingere possunt contemplantur, & præuident, vt nihil sibi fortuitò, vel non cognitum euenire possit, & hoc opponitur fortunæ, cuius effectus, si talis dici debet, penitus incognitus erit. Oppositum de stolidis, & ignorantibus dicatur, hi etenim ferè nulla in suis actionibus præmeditantur, vnde quamplurima sibi fortuita sunt. Hæc sunt, quæ Philosophicè de casu, & fortuna dici possunt. Si autem poeticè loquamur, alia multa addenda sunt, præcipuè de fortuna, quam Deam, vel Deum quẽdã existimabant, ac super rotam, cæcam, dimidiã albã, dimidiamve nigram pingebant, vt instabilitatem per rotam,

Definitio casus, & fortunæ in cõmuni.

Cõditiones fortunæ quot.

Vbi est maior fortuna est minor intellectus.

tam, imprudentiam per cæcitatem, effectus felices, & infelices per albedinem,& nigredinem designarent. Alij verò cecam à volubili saxo pendentem, & furentem ipsam descripserunt. Necnon quidam, eam tantæ magnitudinis effingebant, vt capite cœlum contingere assererent, quasi cœli,& terrarum domina esset; ideoq; manu cornucopiæ teneret quasi omnium bonorum dispensatricem existimarent; sed cum Poetis à philosophica dignitate abeant. Nunc aliqua de Fato dicamus.

De Fato. Fatum non vno modo, ab omnibus existimatū, ac definitum fuit. Aliqui namq; inter quos præcipuus fuit Seneca li.2.q.nat.c.39.ait: Fatum esse ineuitabilem necessitatem omnium, quam nullus remouere potest, sed à dispositione, consilio,& scientia Dei depender. At Boetius lib. 4. de cons. pros. 6. aliter ipsum hoc pacto definit. Fatum est inhærens mobilibus dispositio, secundum quam diuina prouidentia suis quæque nectit ordinibus. Sed Ptolomeus, & alij quamplurimi Astrologi sic ipsum describunt: Fatum est causarum colligantia ex astrorum motibus, ac vi efficaciam trahens. Prima definitio, eo quod necessitatem ineuitabilem ponit, reijcienda est, quamuis enim scientia, & consilium Dei immutabilis in se sit, effectus tamen mouere potest sine sui mutatione. Tertia prout solum virtutem Fati Astris adscribit, insufficiens est; nam prima omnium causa est omnium euentorum operatrix, sed vt Astrologi, qui ad supernaturalia non scandunt, sunt excusandi. Secunda denique, quæ est Boetij, vt bona amplectenda est.

Pro cuius intelligentia est animaduertendum, quod hæc rerum dispositio, prout in Deo est, prouidentia dicitur, quatenus autem effectus creaturis incognitos connotat dicitur Fatum, quod ad bonos, & malos effectus extenditur, & differt à Casu, & Fortuna, quia in plus se habet; nam multæ operationes simpliciter naturales, quas nec casuales, nec fortuitæ sunt, à Fato dicuntur; sic namque vt aliquis adhuc iuuenis è vita naturali morte discedat, Fatum vocamus; similiter, quod aliquis filius Regis nascatur, &c. omnia tamen naturalia à Fato simpliciter non dicuntur, sed quædam quæ non semper, nec communiter eueniunt; si autem prout simplicem Dei prouidentiam spectamus loqui velimus, omnia dicantur à Fato, sed est contra communem vsum loquendi. Quibus habitis duæ conclusiones ponuntur.

Conclusiones.

Prima. Datur Casus, Fortuna, & Fatum. Probatur, quia multæ sunt causæ, & effectus per accidens, qui rarò præter intentionem eueniunt, &c. hæc, aut est esse à Casu, & Fortuna. Similiter quamplurima contingunt, quæ non sunt in nostra potestate, & rarò, vel alicuius bonitatis, & malitiæ ex sola Dei prouidentia, & hæc à Fato dicuntur.

Secunda. Respectu Dei, ac aliarum causarum vniuersalium, sicut sunt Cœli, & intelligentiæ, non datur Casus, & Fortuna, sed bene Fatum. Probatur prima pars, quia Deus omnia præcognoscit, & ad finem dirigit; similiter Cœli, & intelligentiæ operantur secundum conditionem possibilem, & effectum possibilem intendunt: vnde quamuis monstra in ordine ad causas immediatas, quæ ipsa non intendebant, à casu dicantur; Deus autem, Cœli, & intelligentiæ, quæ formam non ab agente particulari intentam, sed conuenientem materię intendebant, ipsa (vt faciant de possibilibus, quod fieri potest, & ne aliquid fit frustra) intendebant. De Fato notum est, quia est ordo, & dispositio ipsarum vniuersalium causarum, quamuis respectu Dei, non Fatum, sed prouidentia (vt diximus) dicatur.

Ad Argumenta.

Ad primum respondetur, quod respectu causæ determinatæ, non dicuntur Casus, & Fortuna, sed solum in ordine ad indeterminatas, & per accidens.

Ad secundum respondetur de effectibus casualibus, & fortuitis, quoad existentiam non est scientia: nescimus namq; si ex fossione inueniatur thesaurus, sed quoad definitionem, & alias vniuersales cognitiones est scientia. Sed si quis instet, sic quoque omnes naturales effectus sunt incogniti, ergo pariter de istis, & illis est scientia, vel non, negatur antecedens, quia circa effectus alios naturales, scimus quomodo in esse ponantur, quis namque locus, materia, & dispositio eis necessaria sit, vt eueniant, quorum nullum de Casu, & Fortuna enunciare possumus.

Ad tertium negatur antecedens, Fatum namq; necessitatem non ponit, nec libertatem adimit; nam ex parte effectuum mutabile est, & cum liberis liberè, cum necessarijs necessariò, & cum contingentibus contingenter concurrit. Quod autem Aristot. de ipso mentionem non fecerit, hac de causa accidisse censeo, quod prout res naturales concernit, parum à Casu, & Fortuna differt, vnde per ipsos, vel ad ipsos, aut ad res naturales alias reduci potest, quatenus autem prouidentia Dei connotatur, Physicos limites egreditur.

QVÆSTIO VII.

Dicendum igitur primum quidem, quod natura earum causarum est, quæ sunt propter aliquid. Tex. 75.

Vtrum natura agat propter finem.

Arguitur primò, quod non. Agere propter aliquid est operationes ad ipsum dirigere, quod sine cognitione fieri nequit, sed natura nihil cognoscit, vt patet de natura plantarum, elementorum, &c. ergo.

Secundò. Quod propter finem agit res sic ad diuersos fines ordinat, vt finium conditio diuersitasque expostulat, hoc autem ab ipsa natura effici non videtur, ergo. Probatur minor. Conditio humana cæteris longè præcellit, & tamen multo minus ei à natura tributum est, quam cæteris animalibus, si quidem homo nudus, pauper, debilis, omnibus indigens, nullis exuberans nascitur; quorum omnium oppositum in alijs cunctis conspicimus.

Tertiò. Finis dicit ordinem eorum, quæ ad finem sunt, sed in natura multa inordinatè eueniunt, vt patet de frigoribus tempore æstiuo, de caloribus hyemali, & sic de alijs, ergo.

Quartò. Si propter finem ageret, nihil inutile, vel ineptum efficeret, at oppositum est in multis manifestum, vt de animalibus venenatis, de nociuis, &c.

Pro intelligentia est primò notandum, quod natura hic dupliciter capitur, vel pro ordine causarum inter se ordinatarum, sic videlicet, quod sit omnium causarum aggregatio in genere tamen efficientis (quia de natura, vt agens naturale est loquimur) aut pro natura cuiusque particulari, ita vt non solum causa omnes vniuersales, cum particularibus simul aliquem finem semper intendant, sed etiam vnaquæque particularis.

Secundò notandum, quod quatuor possunt constitui ad propositum genera rerum naturalium, videlicet inanimatorum, vt sunt elementa, lapides, metalla, &c. viuentium sine sensu, vt sunt plantæ, herbæ, stirpes; viuentium sensitiuorum, vt bruta, & denique rationalium, inter quæ maximum est discrimen: nam ea, quæ sunt primi & secundi generis, omni prorsus cognitione carent, & sic ad fines diriguntur, vt potius suas sequantur inclinationes, quam fines ipsos præcognoscant, qua de causa ab Aristot. 1. Ethic. cap. 13. & hic tex. 58. non agere,

sed

sed potius agi dici, quod est dicere, sic in suos fines ferri, vt in sua potestate non sit non ferri; quod inde euenit, quia à primo motore inclinationem acceperunt, qua ad fines: veluti cognoscãt, tendant, sicut sagitta, & si scopum non cognoscat ad ipsum tendit impetu impresso à sagittante, non aliter, ac si cognosceret. Duo vero postrema genera finem præcognoscere possunt, sed longè diuersè, bruta namque absque discursu, & libertate per apposita media; homo vero cum vtroque ad finem proprium dirigitur. Quibus habitis ponitur conclusio.

Conclusio.

NAtura agit propter finem. Probatur. Omnia quæ fiunt, aut propter finem fiunt, aut à casu, & fortuna (sola etenim hæc propter finem fieri non dicuntur.) Sed non fiunt à casu, & fortuna, ergo propter finem. Probatur minor, quia quæ a casu, & fortuna fiunt, raò eueniunt, sed res naturales eueniunt, vel semper, vel freqnenter, ergo. Amplius si fierent à casu, & fortuna, posset quodlibet, ex quolibet accidere, & sic ex semine hominis posset fieri equus, & semine leonis, planta, &c. Consequentia patet, nam quæ à casu sunt, non magis vnum, quam oppositum effectum sortiri possunt. Præterea; vbi ordo, & pulchritudo reperitur, ibi est ratio finis, sed in rebus naturalibus ita est, vt patet in generatione animalium, in formatione, & organizatione corporis, ergo. Amplius si natura non ageret propter finem, nihil monstruosum, vel defectuosum dici deberet. Probatur consequentia; nam dicitur tale solum, quia ab intento fine declinar. Denique sicut stultissimus esset habendus, qui figuram, vel domum omnibus numeris, & partibus absolutam, non propter finem factam, sed à casu assereret; sic penitus mente captus esset censendus, qui omnia naturalia (ita artificialibus præcellentia, sicut substantia accidentibus) non propter finem, sed casualiter constituta esse putaret.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur, cognitionem necessariam esse, vel in agente immediato, vel institutore naturæ, qui propensionem rebus tradens, cognitionem ipsarum supplet.

Ad secundum negatur minor. Homo namque gradu intellectus, vel rationis, sic alijs præcellit, vt longè eis sit præponendus, imò ex hoc alia cuncta sibi, & alijs vberius suppeditare potest.

Ad tertium negatur minor, nam ordo naturæ est ordinare res in finem secundum dispositionem materiæ; quare vbi hæc dispositio reperitur, ibi est ordo, vel dicatur, hoc ratione impedimenti accidere.

Ad quartum similiter negatur minor. Omnia namq; prædicta in se spectata sunt bona, & vtilia, quamuis alteris sint noxia, vel fortè vtilitatem, & pulchitudinem vniuerso afferunt, & si hoc nobis non innotescat.

QVÆSTIO VIII.

Quapropter dubitant quidam, vtrum intellectu, an quodam alio operentur. Tex. 80.

An bruta animalia sint rationis participantia.

ARguitur primò quod sic. Quæcunque fælicitatem habere possunt, necessariò sunt rationalia; at bruta sunt huiusmodi, ergo. Maior elicitur ex Aristot. in hoc secundo tex. 58. ait enim, fælicitatem esse bonam actionem, quam in ratione consistere, ex sequenti textu expresè colligitur; probatur minor. Ea namque fælicia dicuntur, quæ suos consequuntur fines, quæve afflictionibus, calamitatibus, curis, sollicitudinibus, alijsq; innumeris miserijs minimè affecta sunt; bruta autem sic se habent, ergo sunt rationalia, imò hac de causa nobilior videtur ipsorum gradus rationis, quam hominum; si quidem homines ipsi hũc quem vocant intellectum, infelicissimi existunt, vnde etenim ambitionis phrenesis, honoris ardor, diuitiarum cupiditas, inopiæ, ac aliarum ærumnarum timor, nisi ab hoc quem intellectum, vel rationem vocamus; Quinimmo si alicui fælicitatem suadeamus, ne de prædictis cogitet, hortamur, ac veluti rationem dimittat, diceremus; si ergo alio modo fælicitas reperitur, ibi ratio ponenda est, & sic brutis ipsis potius, quam hominibus est assignanda. Nec obstat, quod aliqui dicunt, quod homines, & bruta eiusdem essent speciei, si quidem hac ratione omnia bruta eiusdem quoq; speciei essent, cum in hac differentia, quæ irrationalitas dicitur, conueniant. Nec etiam obest, quod ab alijs obijcitur, nimirum brutà libertate carere; hoc enim equidem negari potest; eo etenim quod semper ad suos fines eodem modo feruntur, & sine errore, non est carere libertate, sed libertatis defectu; si namque hoc libertatis carentia esset, proculdubio Deus, & Intelligentiæ, quæ solum bonum moliuntur, libertatis essent expertes. Nec denique aliquid repugnat, id quod ab alijs quibusdam opponitur; scilicet quod si ratione pollerent, non omnes Lupi essent rapaces, non omnes Leones magnanimi, &c. quia hæ possunt singularum specierum proprietates assignari, sicut risibilitas hominis, &c. Ratione igitur prædicta esse bruta, fatendum est.

Secundò. Virtutes morales solum i:s, quæ ratione participant, conueniunt, sed quamplurima animalia bruta ijs virtutibus prædita sunt, vt canis fidelitate, Leo magnanimitate, Elephas prudentia, Ciconia pietate, ergo.

Tertiò. Præuidere futura, discurrere, discere, loqui, medicinam infirmitatibus parare, & similia, rationis effectus sunt: sed hæc in brutis est reperire, ergo; probatur minor, quo ad primam partem, nam imminente temporis mutatione, alia ad proprias habitationes confugiunt, alia voracius edunt; quo ad secundam habetur, canem belluam persequentem cum ad trium peruenisset, ac per duas vias persecutum feras non inuenisse, tertiam statim arripuisse, quod discurrere profectò est; quod autem discant, loquantur, & medicinam parent, est omnibus notum.

Quæstio, hæc solum ex intelligentia huius termini (rationis) pendet. Dicimus ergo, rationem esse facultatem quandam, qua discurrere, vniuersalia cognoscere, & liberè operari possumus. Est autem discursus à notiori ad ignotius procedere, quamuis interdum etiam opposito modo fieri possit, sed imperfectè; vniuersalia autem dicuntur, quæ pluribus conueniunt, & à singularibus abstracta intelliguntur. Liberè denique agere est, & oppositos fines, & media diuersa eligere posse; quod autem per libertatem in malum possimus, hoc re vera ex defectu prouenit, vt primum argumentum, de Deo, & Intelligentijs tetigit, Quibus positis, sit. Ratio quid

Conclusio.

BRruta animantia nullatenus ratione participãt, probatur, quia nec verus discursus, nec vniuersalium cognitio, nec denique liberè agere eis competit, operantur autem quadam naturæ inclinatione, & instinctu; naturæ namque author, non solum esse, sed modum conseruandi rebus, quibus libet, indidit, alijs quidem clarius, alijs autem obscurius pro ipsorum indigentia, & diuersitate; quare necessitate apprehensa, naturæ impulsu ad sibi bona quærenda excitantur.

Ad Argumenta.

AD primum negatur minor; felicitas namque maximè in bonis animæ consistit, quorum potissimum est sapientia, à brutorum natura remotissima; quod autem innumeræ eliciuntur miseriæ ex rationis participatione, hoc non est, nisi ex abusu, & defectu ipsius; homines namque prudentissimi, bonum ex ratione, non inquietitudinem hauriunt.

Ad secundum respondetur, in animalibus non esse virtutes morales, sed inclinationes quasdam naturę, patet; nam virtus est habitus ex frequentatis actibus acquisitus; in ipsis autem brutis nihil hoc modo acquiritur, sed omnia ab ipsa natura habentur, vnde non melius alia, quam alia suis funguntur operationibus, & muneribus.

Ad tertium similiter respondetur, multa prædictorũ ex naturæ instinctu fieri, vnde futura præuident, quia à qualitatibus aeris, vel cęli affecta, nec alijs intenta, ipsas sentiunt, & voce indicant, quæ homines audientes præsagiunt. Discursus autem quidam imperfectus, qui consistit in apprehensione multorum singularium per sensum, rationem propriè dictam non arguit; similiter discere aliqua sensibilia, & loqui.

QVÆSTIO IX.

Peccatum autem fit, & in ijs, quæ secundum artem. Tex. 82.

De Monstris.

IN hac quæstione multa dicenda essent, tamen ne breuitatis quam proposui limites egrediar, quo potero absque notabili defectu arctiori colligam modo. De nomine igitur, de definitione, de causis, de diuersitateque monstrorum peragam, necnon aliquas curiosas mouebo, ac soluam dubitationes.

De nomine Monstri.

QVo igitur ad nomẽ duplex existit opinio; altera est quorundam afferentium, non aliunde sic denominari, nisi ab aliquo futuro notabili insolito effectu demonstrando, cuius sententiæ fuit Cicero 2. de Nat. Deorum. Attamen hoc non est Philosophicum, vel .n. monstrum, vt causa, vel vt effectus futurum aliquod demonstrat, non vt causa, quia naturalis imperfectus effectus, sicut esset v. g. puer biceps, vel monoculus vim nullam circa notabilia futura retinet; siquidem hæc insignes, & vniuersales causas exquirunt, & vt familiariter dicamus, quænam causa animal informe bellorum, mutationum Statuum, legum, morborum, aliorumque similium esse poterit? quomodo namque cogitare poterimus, hæc ab ipso virtualiter contineri, sicut causam decet? neque denique aliquid prædictorum, vt effectus, monstrabit; tunc enim ipsum omnia præcessissent, atq; ad eum vt ad proprium effectum terminarentur, quæ profectò ridicula sunt. Quis namq; fateretur, bella, pestilentias, Regũ mutationes, & similia ad monstrũ terminari? Præterea quæ aliquam propriam determinatam causam habent, alteram non requirunt, sed monstra sunt huiusmodi, nam à materia sic disposita, vel ab agente tali sic fiunt, ergo aliqua extranea sibi non sunt, pro causa assignanda. Cũ igitur neq; vt causa, neq; vt effectus aliquid insigne ostendere queant, non dicuntur monstra, quasi sint signa prędictorum: nam omne signum, vel rationem causæ, vel rationem effectus sortitur; Causæ, vt nubes sunt signum pluuiæ; effectus, vt fumus est signum ignis, & hoc in naturalibus; dicamus ergo cum communi ferè omnium philosophantium sententia; dici monstrum à monstrando, quia videlicet, ob insolitam deformitatem, admirationem hominibus incutit, qui sic affecti, ac curiositate flagrantes, adinuicem digito monstrant; vnde nomen monstrum relictum est. Quod tamen sibi ob peculiarem quandam attributionem, & excellentiam, non simpliciter propriè tribuimus, siquidem multa alia mõstrantur, non tamen sic vniuersaliter, neque tanta admiratione. Sed ad definitionem accedamus.

De definitione Monstri.

DEfinitur monstrum ab Aristotele in hoc libro textu 82. in plurali sic: Monstra peccata sunt illius, quod propter aliquid agit, & in 4. de gener. animalium, cap. 4. Est oblæsio rei præter naturam eius in ijs quæ non semper, sed vt plurimum agunt. Cuius sensus est, monstrum esse peccatum, vel defectum non conueniens naturæ, quam monstruosam dicimus, & accidit ijs, quæ non agunt semper, & necessariò, seu accidit istis inferioribus, & corruptibilibus, non autem cœlestibus, & incorruptibilibus. Solet etiam hoc pacto definiri, Monstrum est effectus naturalis à recta, & solita dispositione secundum speciem ob aliquod impedimentum degenerans, rarò adueniens, admirationem videntibus incutiens, atque non per se, & primò, sed secundariò à natura intentum. Quę vniuersa definitio ex diuersis Aristotelis locis colligitur, ac optima apparebit, si singulas ipsius particulas exponemus. Dicitur primò effectus naturalis, quia in artificialibus, & voluntarijs, defectus non propriè monstrum, sed peccatum, vel error duntaxat nuncupatur. Dicitur degenerans ab aliqua dispositione, quia nisi degeneret est effectus naturalis perfectus. Dicitur secundum speciem, quia in comparatione ad causas vniuersales, vel ad genus, non dicitur monstrum, verbi gratia, si homo nascatur biceps, secundum humanam speciem monstrum dicitur, non autem neque in comparatione ad celestes influentias, quæ intendunt producere res secundum dispositionem materiæ, neque denique in ordine ad viuens, vel substantiam, quoniam ibi perfectè ratio viuentis, & substantiæ saluari potest. Dicitur ob aliquod impedimentum, quia natura non impedita producit perfectiorem effectum, quem potest. Dicitur rarò adueniens, quia vt plurimum natura ipsa determinatum finem consequitur; quapropter quæ sæpe contingunt in genere monstrorum collocari non debent. Dicitur admirationem videntibus incutiens, quoniam quæ huiusmodi non sunt, rationem monstri subterfugiunt. Dicitur denique non esse per se primò à natura intentum, quia bonũ producere statuit, quomodo autem hoc sit verum, peculiarem in hac met quæstione dubitationem habebimus. Per hanc monstri definitionem multa corollaria eliciuntur. Primum quod monstra ipsa in animalibus, plantis, stirpibus, herbis, metallis, & elementis reperiri possunt, quia in omnibus prædictis impedimentum naturæ cum alijs conditionibus est inuenire; tamen sicut elemẽta, & res aliæ inanimatæ, pauciora ad sui constitutionem requirunt, ita rarius in eis error contingit; oppositomodo res in animalibus, & maximè in hominibus se habet; cum etenim quamplurima in ipsorum compositione, maximoque ordine, ac temperie requirantur, facilius erratur; mille etenim modis erratur, vno autem solummodo rectè proceditur; addè etiam, quod cum minus de inanimatis cognitionem habeamus, minusq; ipsorum deformitas propter partes similares appareat (siquidem turpitudo in variatione figuræ dissimilaris consistat) quando monstruosa generentur ignoramus; imò secundum consuetudinem mon stra non appellantur. Quod autem hęc à nobis crassa Minerua dicta

non ſint. Ariſtotelis teſtimonio confirmatur; ipſe etenim in primo de generatione, & corruptione tex. 90. hæc verba habet. Quædam enim balbutiunt adinuicem entium, & ancipita ſunt, videntur enim quodammodo, &c. quid igitur eſt aliud balbutire, quam deformitatem, declinationem, vel monſtruoſitatem habere? vnde, quod in rebus inanimis, de quibus Philoſophus loquitur, ſit monſtruoſitas, conſpicuum eſt.

Verum eſt tamen, quod aliqui ad differentiam Monſtrorum viuentium, hæc, non monſtra, ſed portenta, vel prodigia, quaſi aliquod magnum futurum portent, vel prodeant, vocari volunt; præcipuè dum quædam inconſuetæ figuræ apparent, vt in nubibus homines armati, &c. quorum poſitio cum, neque ad comprobationem, neque ad deſtructionem noſtræ, alicuius ſit momenti, inconcuſſa remaneat. Secundum corollarium. Gibbi, lippi, ſurdi, muti, & alij huiuſmodi homines, vel alia, animalia, Monſtra non ſunt dicenda, quia admirationem, nec notabilem deformitatem habent. Multo minus gigātes, quia potius perfectiſſimam videntur attingere naturam, niſi ea ſolum de cauſa ſic appellari velimus, quia admirationem afferunt. Oppoſitum de Nanis cenſendum eſt, præcipuè ſi nimis in paruitate excedant, eſt enim ibi notabilis defectus, deformitas, & admiratio aſpicientium. Tertium corollarium. Animalia horribilia, vt piſces quidam, ſyrenæ, ſerpentes, & alia quæ ex determinata ſpecie gignuntur Monſtra non ſunt, quia ibi defectus non eſt. Pariter neque muli, quia, & ſæpe, & ſine deformitate fiunt. Quartum corrollarium. Multa dicuntur monſtruoſa ratione originis tantum, vel ratione temporis, vt dum ex muliere naſcitur ſerpens, vel rana, aut puer barbatus, vel dentatus; quod ſi accidere poſſit, inferius dicemus. Quintum corrollarium. Aliqua dicuntur Monſtra per ſimilitudinem, quia notabilem aliquem exceſſum, & admiratione dignum habent, vt qui ſapientia, fortitudine, pulchritudine, honeſtate, vel alijs qualitatibus eminenter prædicti ſunt.

De cauſis atque diuerſitate monſtrorum.

NE fruſtra aliquid bis repetamus, de cauſis ſimul, & diuerſitate monſtrorum agendum eſt; ſiquidem ex diuerſitate, vel identitate cauſæ, diuerſi, vel ijdem effectus proueniunt; vnde hi ſine illis exactè intelligi nequeunt. Poteſt igitur ad propoſitum monſtrum dupliciter conſiderari, videlicet pro vt eſt quidam effectus, vel naturale compoſitum, ſecundò ſub ratione deformitatis, quibus etiam modis, de cauſis ipſius diſcurrere poſſumus, nimirum, & quæ ſint cauſæ illius effectus, quem monſtrum appellamus, & quæ denique ſint cauſæ deformitatis. Primo ergo modo nulla eſt difficultas, omnis namque naturalis, ſubſtantialis, & corruptibilis effectus quatuor cauſas habet, materialem ſcilicet formalem, efficientem, & finalem. Cauſa itaq; materialis monſtri eſt materia ipſa prima in non viuentibus, at in viuentibus præter hanc (quæ ab omnibus generabilibus ſupponitur) eſt ſemen, & magis propinqua corpus. Forma eſſentialis in viuentibus eſt anima, in non viuentibus præcipua pars completiua ſubſtantiæ, accidentalis vero in qua propria ratio monſtri conſiſtit eſt deformitas ipſa, vel figura à conſueta ſpeciei figuræ degenerans. Efficiens eſt agens vt ſi naſcatur monſtroſus homo, ab efficiente homine naſcitur, alijs quoq; vniuerſalibus cauſis concurrentibus. Finis deniq; eſt efficere de poſſibilibus, quod melius, ſeu vt nihil ſit fruſtra. Natura ergo vniuerſalis reſpiciens materiam ineptam ad perfectam hominis formationē, ne ipſa ſit penitus fruſtra, efficit eo modo quo poteſt, & ſic monſtrum producit. Difficultas autem eſt de cauſis deformitatis.

Pro cuius intelligentia (dimiſſis cauſis, & conſideratione monſtrorum inanimatorum, quæ per viuentia facilè cognoſci poterunt, taròque accidunt, ſciendum eſt, quod in generatione viuētium maximè animalium perfectorum ſeptem principaliter concurrunt, videlicet ſemen, virtus ipſius, nutrimentum, qualitates elementares, imaginatio, vterus fæminæ, nec non continens, ſeu locus extrinſecus cum influentijs, & qualitatibus; hæc igitur omnia ſi ſecundum debitam diſpoſitionem concurrant perfectum generaut animal, ſi autem deficiant, monſtruoſum, & imperfectum; quare monſtrum ipſum ſicut de formali, vel principali ſignificato carentiam, vel imperfectionem denotat, ſic ei proportionaliter, defectiuæ cauſæ aſſignandæ ſunt; videlicet, quod non, ſemen v. g. ſed defectus ſeminis, non virtus, ſed defectus virtutis ſibi cauſa monſtroſitatis adaptetur. Septem cauſæ monſtrorum.

Nunc igitur ſigillatim de omnibus agamus, & primo de ſemine, vel de defectu ipſius. Supponendum itaque primum eſt, quod ſemen quamuis ſuperficialiter ſimilare, vel homogeneum appareat, ſic nimirum quod partes ipſius eiuſdem rationis eſſē videantur, & totius prædicationem recipiant, itavt quælibet pars ſemen dici poſſit; virtualiter tamen eſt diſſimilare, vel heterogeneum, ad hunc ſcilicet ſenſum, quod non ex qualibet parte indifferenter natum eſt quodlibet membrum animalis effingi, ſed ex diuerſis diuerſa, ex alia nimirū parte brachium, ex alia caput &c. Secundum ſuppoſitum. Ipſum ſemen interdum eſt, ita fecundum, & validum vt in vnica maſſa plura eiuſdem rationis membra contineri valeant, vt plura capita, colla, &c. quæ à virtute diſcretiua ordinatim, & mirificè ſecernuntur, pluraque, integra efformari corpora poſſunt, vt in multis animalibus, ſicut ſunt ſues, mures, canes, ferè quotidie; in hominibus verò, equis, bouibus, & alijs interdum conſpicuum eſt. Tertium ſuppoſitum. Semen ipſum adeò interdum vbertate pollet, maximè maſculinum, vt in aliqua conuenienti materia exiſtēs, ab agente alterius ſpeciei etiam inferiori ad generandum excitari poſſit; quod intelligendum eſt, dummodo ſit à renibus deciſum, & à genitalibus penitus ſeparatum: exiſtens namq; in vaſibus generantis habet ſimplicem excrementi rationem, non autem fecunditatis virtutem: vnde nunquam ouum in vtero auis, pullum nec ſemen in lumbis patris puerū generare poteſt; adde etiam, quod præterquam quod habeat rationem excremēti, eſt alia ratio ſcilicet, quod ipſum ſemen vnius dumtaxat genitoris eſt cauſa partialis, & eſſentialiter ordinata cum alia, vnde à ſe ipſa quātumlibet multiplicata, vicē alterius ſupplere nequit: at quando (vt diximus) eſt maxima fecunditate prædictū, ab inferiori ſuppleri poteſt, quod exēplo comprobatur. Oua vermiū, qui ſericū efficiunt ad ipſos procreandos à ſolo calore excitātur, non concurrente alio agente vniuoco. Et in Ægypto (eſt communis hiſtoricorū ſentētia) à gallinis nō fouentur oua, ſed ab incolis, vel ſub ſtabulo, vel in fornace, aut in alio calido loco apponūtur, & pulli naſcūtur, non ne calor ille eſt ignobilior natiuo gallinarum calore, ſaltē accidentaliter, cū ille ſit animalis, hic minime? At ſi quis dicat, ouum videtur ſemen potius fæminæ nēpe gallinæ, quā maſculi, vel galli, ergo contra id quod dictū in hoc tertio ſuppoſito fuit. Reſpōdetur re vera in ouo ad pullos producendos apto, maximè vim ſeminis galli pollere, a gallina autē cōueniens materia præbetur; quapropter, & ſi oua ſine gallo in vtero gallinæ cōcipiātur, & pariātur, ſunt tamen prorſus infecunda. Quartum ſuppoſitum. Non tantū mas, ſed etiā fæmina actiuè ad generationē concurrit, ſic videlicet quod ſemē ipſius fœminæ aliquā actiuitatē non purè paſſibilitatē habet, dicitur tamen paſſiuum, prout eſt minus actiuum, quā maſculinū; hoc etiā modo humiditatē, & ſiccitatē paſſiuas qualitates vocamus in comparatione ad caliditatem, & frigiditatem, quæ ſunt magis actiuæ: tamen re vera, neq; illæ ipſa actiua virtute deſtitutæ ſunt, ſi quidē mutuò ſe expellunt; hanc tamen quæſtionem de concurſu actiuè,

vel paſſiuè ſeminis fęminæ, in libris de generatione fusè examinabimus, multas enim maximaſque difficultates, & impugnatores potentiſſimos, atque acerrimos habet, hic tantum ad rem ſit ſatis. Quintum ſuppoſitum. Quamuis nec ſemen maris ſine illo mulieris, nec è contra generare poſſit, interdum tamen ſic ſe excedunt, vt vnum actiuitatem, alterum verò paſſiuitatem magis habeat, quod indifferenter accidere poteſt, tam ſcilicet ex parte ſeminis maris, quam fęminæ, & ſi vt plurimum actiuium ſit maſculi.

Ex primo igitur ſuppoſito ſic ad rem diſcurramus; ſi aliqua pars ſeminis deſit; ita vt ab alio generante non ſuppleatur, neceſſe eſt naſci animal eo mutilatum membro, quod à deficiente ſeminis parte produci debebat: hic autem partis defectus multis modis contingere poteſt, aut enim per corruptionem in vtero, aut per carentiam à natiuitate alicuius membri genitoris, quamuis etenim non à qualibet corporis parte ſemen realiter fluat, vt quidam non ignobilis modernus Philoſophus arbitratur, virtualiter tamen ab omnibus fluere non eſt negãdum, quod non aliud eſt dicere, niſi quod in ſemine ſit virtus omnium membrorum genitoris; quare ſi aliquo à natiuitate careat, quomodo ex ipſo virtus aliqua effluet? dicimus notanter ſi careat à natiuitate, quoniam ſi interdum habuit, ſufficiens virtus radicaliter ab ipſo trahi potuit. Quoniam autem ex ſe ſine virtute conſideratum, vt pura materia ſe habet, omnique caret actiuitate, vnde ferè nullum ſibi effectum præciſe tribuere valemus, conſequens eſt (vt ſequentia cum ſuppoſitis connectemus) quod de ipſius virtute aliqua dicamus, atque ad propoſitum applicemus. Triplex igitur eſt ſeminis virtus, videlicet generatiua, ſeparatiua, & formatiua; generatiua eſt, quæ fætui eſſe ſpecificum, & ſubſtantiale tribuit. Separatiua eſt, quæ partes ſeminis inordinatas, atque confuſas, ad diuerſa membra effingenda diſgregat, atque diſtinguit. Formatiua eſt, quæ ſingulis partibus diſtinctis, atq; ritè collocatis propriam determinatorum membrorum figuram largitur.

Triplex ſeminis virtus.

Ex ſecundo itaq; ſuppoſito, dũ in aliqua parte ſeminis fęcundi ad plura viuentia conſtituenda deeſt virtus ſeparatiua, in alijs verò adeſt, fit monſtrum, vel biceps, vel tribus manibus, aut oculis, vel alijs membris, in quibus talis ſeparatiua virtus viguit, relinquendo alias partes nõ ſeparatas ob ipſius ſeparatiuæ virtutis carentiam. Ex defectu autem generatiuæ virtutis, quæ propter malam ſeminis, vel fæminæ indiſpoſitionem contingere poteſt, animalia inferioris ſpeciei, vel carnis fruſta inanimata enaſcuntur; v. g. ſi in ſemine hominis ſufficiens generandi hominem virtus non adſit, vel fruſtum carnis inanimatum, atque inorganzatum, vel monſtrum aliquod animatum quidem, non autem anima rationali, nec humanis membris naſcetur, quod ſic probatur; natura nihil fruſtra eſſe patitur, at in ſemine prædicto non eſt vis generatiua reſpectu propriæ ſpeciei, & ex alia parte aliqua virtus adeſt ſimul cum ea matris, atque cœlorũ (quę ſemper adeſt concurſu) ergo aliquid efficiunt, non hominem, quia ad ipſum deeſt generatiua virtus, ergo aliquid aliud; quapropter ex muliere, canes, ſerpentes, & alia huiuſmodi genere nata eſſe ex approbatiſſimis hiſtorijs perlegi; quinnimo hic, ſcilicet Venetijs fama fertur communi, à muliere monſtruoſam auem natam fuiſſe, quæ, ſtatim nata è feneſtris euolauit, vnde à vulgo credita fuit dæmon, & pro huius facti memoria, Angeli ſtatuam (quam in die eſt videre loco fineſtræ vnde euolauit monſtrum) appoſuerunt; neq; id impoſſibile quamuis mirum cenſendum eſt; non ne ex ſtercore bouis apes; ex ſtercore equi ſcarabones; ex alijs vero putridis materijs, alia enaſcuntur animalia? multo magis ex animalium ſemine in vtero corrupto, vel continuè à generante matre ad generandum excitatum id effici valet, quod ſi rarò contingit, ideo eſt, quia natura imperfectiones omnes pro poſſe remouere conatur. Interdum virtus hæc generatiua poteſt ſolum in aliqua parte deficere, & tunc vbi deficit monſtruoſitas, atque alterius ſpeciei imago, apparebit alijs membris figuram propriæ ſpeciei præſeferentibus, quod Erictonio Monſtro (niſi ipſum fuiſſe ſit fabula) eueniſſe dicendum eſt. Dicunt etenim ex Vulcani, & Mineruæ concubitu natum, inferiores partes ſerpentis, ſuperiores hominis figuram habuiſſe; quod ſi ita eſt, non aliunde accidit, niſi quia in partibus imis generatiua virtus defuit, quæ in ſuperioribus ſufficiens aderat, vnde natura membra quæ potuit ſibi tribuit; facilius autem eſt imperfectorum, & inferiorum, quam hominum membra effingere, vnde multa animalia, maximè verò imperfecta ex putri, & abſque matre naſcuntur; Ex defectu formatiuæ virtutis naſcuntur animalia, & maximè homines deformes, & monſtruoſi, hæc enim debitum decorem, & pulchritudinem nata eſt animalibus impertiri, quare ſi deſit, turpitudo, & informitas (quæ formoſitatis, & ſpeciei ſunt priuationes) remanent; vnde quandoque homines, vultum ranæ vultui, vel etiam porci, aut canis ſimilem habentes, genitos fuiſſe lego. Quod autem hoc ſit poſſibile à ſimili comprobatur. Si enim ſculptor ſtatuam aliquam formare velit, prius quam ipſam vltimatè perfecerit, adeo informis apparet, vt non illius, cuius eſt figuram, ſed extraneam, & monſtruoſum referat; cur idem igitur in naturalibus non pronunciabimus? ſi quidẽ quod in arte reperitur, ab ipſa natura deſumptum aliquomodo eſt: hęc autem formatiuæ virtutis defectio tam circa vnum, quam circa plura, vel omnia etiam membra contingere poteſt; faterer tamẽ, quod ſi circa omnia membra ſic contingeret, vt figuram propriæ ſpeciei penitus adimeret, ibi animal alterius ſpeciei eſſet; nam figurę eſt proprium, maximè in viuentibus, quod ſpecificam naturam ſequitur, vnde conſequenter dicendũ eſt, quod prima virtus generatiua defuerit; vbi vero non talis ſic vniuerſa deformitas, ſed ſolum declinatio quædam cernitur, ſecus dicendum eſt; ſic multi homines quotidie videntur, qui ſimiarum ſimilitudinem referunt, & ſi re vera homines, & quandoque etiam prudentiſſimi ſint. Ex defectu item ſeparatiuæ virtutis interdum membra oppoſitum ſitum obtinent, ſic nimirum, quod oculi in fronte, vel pectore, aures in genis, & ſic de alijs; ipſa nãque membra ſimul in ſemine commiſta ad determinatũ locum defectu prędicto transferri nequeunt.

Canes ſerpentes volucres, & alia ex muliere naſci poſſunt.

Erictonium Monſtrum.

Ex tertio, quarto, & quinto ſuppoſito (connexionem etenim quandam mutuam, & penè inſeparabilem habent) fiunt monſtra ex cõmiſtione ſeminum animalium diuerſarũ ſpecierum vt ex equino, & humano, vel alijs; ſic videlicet, quod ſi ſemen vnius animalis totam actiuitatem habeat, aliud vero ſolum materiæ vicem ſubeat, mõſtrum naſcetur ex ſpecie illius, cuius ſemen erat actiuum, aliquibus materialibus diſpoſitionibus, & qualitatibus alterius præditum. Sic ex hiſtorico quodam Debio nuncupato, ex neſario hominis cum vacca cõcubitu, hominẽ, in Germania natum eſſe fertur, quẽ quidẽ non ſolum humanam ſpeciem membris figuratam, ſed pulchritudinẽ, religionem, ac pietatem humanæ naturæ conuenientem, inclinationẽ tamen ad ruminandum, paſcendum, cũ bobus verſandum retinuiſſe, dicunt, quod ſi ita eſt, ſemẽ hominis totã habuit generandi virtutẽ; vaccæ verò materiam, & fomentum præbuit. Oppoſitũ autẽ accidit in Suetia, ibi namq; (vt Ioan. atque Olaus magnus fratres hiſtorici, atq; ſucceſſiuè Vpſalẽſes Epiſcopi narrãt) ex vrſo, & puella homo natus eſt, qui nihil aliud de vrſi natura niſi piloſitatem magnam retinebat, atque ad ætatem virilem peruentus vxorẽ accepit, ex qua filium Tregelum Sprachaleg patrem Vlfonis Danorum Regis genuit, nec (addunt ipſi) ſolum putatiuus vrſi filius credendus eſt, ſi quidem puella ab vrſo rapta, atq; in ipſius ſpecum ducta, carnibusve ſerarũ nutrita per multos

Homo ex vacca natus.

tos annos secum conuixit, vnde hominem aliquem videre (ne dicam tangere) potuit; à venatoribus vrsus tandem interfectus, mater cum puerulo ad humanam vitam redacti fuerunt; quinnimò puer ipse tam ætate maior, interfectores parentis vrsi vindictæ zelo agitatus interfecit. Quod si res ita se habet, virtus actiua puelle sic virtutem seminis vrsi superauit, vt fœtum penitus ad se traxerit, relicto vrsi semine, quasi materia, à qua sicuti ab alijs materialibus conditionibus, pilositas, quemadmodum quamplurima alia accidentia communia solent, euenit. Si autem sic alterius excessus in comparatione ad aliud non vigeat, sed vtriusque diuersi speciei parentis ferè ęqualis sit virtutis, monstra membra vtriusque speciei diuersis in corporis partibus ferunt, ita vt altera pars sit equus, altera homo, quæ centauros appellant; vel sic indifferenter semina, & virtutes miscentur, vt ordine quodam confuso generantium diuersa membra appareant; sic nimirum quod facies, aures, crura, & alia membra æquina cum ventre humano, aut alia quauis transpositione nasci poterit monstrum secundum diuersum cuiusque membri virtutis prædominium; quod in mulis respicere possumus, in ipsis namque non est dimidia pars asinus, dimidia verò equus; sed quędam vtriusque animalis commistio; idem patet dum ex cane, & lupo aliud generatur; discrimen tamen est inter prædicta monstra: nam hæc vltima sunt alterius speciei à genitoribus, vt mulus non est eiusdem speciei cum equo, neque cum asino, sed diuersæ, vt ex diuersis effectibus, ætate, & figura colligitur. Monstra verò alterius generis, quamuis sint figuræ promiscuæ, tamen sunt de specie genitoris in semine prædominātis hoc est illius, quod cor tribuit, quæ est expressa sententia Arist. in 4. de gen. animal. cap. 4. ex corde namque monstra hæc dijudicanda esse censet, & quoad vnitatem, & quoad pluralitatem, & quoad specificam identitatem, vel diuersitatem; vnde centaurus, qui ex parte superiori homo, ex inferiori equus apparet, homo re vera erit; oppositum dicatur si ex superiori esset equus, ex inferiori homo. Similiter in monstris eiusdem speciei combinatis dicendum est ex eodem Aristot. loco præcitato, scilicet, quod si puer biceps, vel duobus corporibus nascatur, est vnus, vel plures iudicandus, ab vnitate, vel pluralitate cordis. Quod autem huiusmodi monstra duas species diuersas genitorum referentia dari possint, historicorum testimonio comprobatur; legitur ergo Sillæ Romano Dictatori Dyrachij commorati, viuum Satyrum donatum fuisse, qui sic indistinctè, inarticulatè, & balbutienter alloquebatur, vt à nemine intelligi potuisset, ac religionis, vel potius superstitionis zelo (nam vt Dij Satyri habebantur) illæsus dimissus fuit; alter mortuus ex Ægypto tempore Traiani Imperatoris, Romam ductus, ibique diu sale conspersus asseruatus fuit. Et in Ecclesiasticis historijs Satyrum D. Antonio Abbati apparuisse, secumque locutum fuisse legitur. Imò quamuis hoc expressè apud Arist. non habeatur, tamen dum in hoc secundo tex. 76. opinionē Empedoclis centauros, vel huiusmodi monstra ponentis refert, ipsam nō reijcit in hoc; sed solum statim perire affirmat, quod vt plurimū euenire necesse est, ob diuersam qualitatū, vel humorū temperiem.

Centauri.

Satyri.

Duo tamen pro maiori illius difficilis materiæ intelligentia obseruanda sunt. Primum est, quod animalia diuersarum specierum, ex quibus monstrum producendum est, aliquam inter se conuenientiam habere debent, & ratione magnitudinis, & temporis pariendi, aliquaqne etiam complessionis, aliter & si coitus effici possit, conceptus tamen non fiet, sed semen corrumpetur, & in excrementa resoluetur; hac de causa Aristot. in 4. de gener. animal. cap. 4. ex homine & cane monstra oriri posse, negat, quia tempora grauiditatis in homine, & cane plurimum discrepant, & nullum nasci, nisi suo tempore potest; in alijs verò in quibus magnum hoc discrimen non reperitur, non est impossibile; quamuis multum difficile ob diuersum seminum temperamentum; tamen quandoque à virtute suppletur; quapropter ex hoc crederem Satyros ipsos non fuisse hominis & capræ filios, cum etiam ipsorum partuum maximum sit discrimen, sed aliorum animalium cornutorum, quorum multæ sunt species siluestres nobis (visu saltem) incognitæ. Si verò talis sit conuenientia, inconueniens magnum non est, quod hæc monstra nascantur, de quorum veritate plenæ sunt historię, quarum vnius adhuc mentionem facere non pigebit. Tempore igitur Magni Alberti vacca vitulum semihominem peperit, quem concursu Stellarum factum fuisse, Albertus ipse (vt pastorem ab infamia, & incendio liberaret apud iudicem) rationibus demonstrauit, quod si id solum Stellarum concursu fieri potuit (quod tamen valde probabile non est) facilius debita subministrata materia, eisdemque astris concurrentibus fieri potest.

Vitulus semihominē.

Aliud notandū, quod quamuis interdum ex vna parte sit mōstrum vnius speciei, ex altera alterius, & vnius tantum naturæ sit; tamen per totum commistas quasdam materiales qualitates vtriusque retinere poterit; sic Satyri in humana facie, cornua, & aures ferinas retinent. Nunc ad alias causas accedamus; proueniunt igitur quandoque animalia monstruosa ex defectu, vel malitia nutrimenti, ipsum namque cum in substantiam nutriti conuertatur, similes qualitates in eo gignit quas habet; vnde experientia patet, aliquos cibos, rudes, alios verò delicatos homines efficere; tamen non nisi qualitates quasdam, vt colorem, duritiem, &c. non autem deformitates membrorum natum est efficere, quod tam in vtero, quam extra contingere potest.

Alia causa monstruositatis à qualitatibus elementaribus, puta à caliditate, frigiditate, siccitate, & humiditate prouenit; quandoque etenim nimio excedente calore cum terrestri superfluitate, barbati, pilosi, & dentati pueri nascuntur; hæc namque omnia à calore supra terrestre dominanti fiunt, sed nimia vigente frigiditate; cum siccitate possunt accidere monstra quasi lapidea, sicut etiam olim accidisse legimus; frigus namque expellit calidum, congelatque humidum, & terrestre; hoc etiam modo in vessica lapides quamplures gignuntur. Ex nimio autem humido fiūt animalia, veluti informia, rotunda, & parua dearticulatione prædita.

Alia causa est imaginatio parentum, maximè matris, quæ in imaginatione est vehementior, & plurimum temporis in hoc versari potest, cum fętus in eius vtero maneat, quantum autem imaginatio ipsa possit, experientia patet; siquidem hac sola multoties sani infirmantur, eo quod morbo affectos esse imaginantur, è contra interdum sanantur, & multa similia; at mirabilius est id, quod sæpe in fętibus accidere videmus; nascuntur namque signati, ea re quam mater grauida appetiuit, vel de qua imaginationem habuit; cuius tamen imaginatio duntaxat est sufficientissima causa hoc modo; apprehenso obiecto externo præcipuè (vt ad propositum attinet) comestibili, fertur imago, vel species eius ad imaginatiuam potentiam, ibique etiam in absentia obiecti manet, necnon mediantibus spiritibus animalibus imago ipsa per diuersas corporis partes vagatur (quamuis solum in imaginatiua potentia ab animali percipiatur) peruenit tandem ad locum vbi nutrimentum puero in vtero existenti subministratur, ac ibi aliquantisper ob impedimentum sistit, virtutis quæ maioris efficitur, vnde potens in partes tenellas, fętus quibus prius occurrerit imprimitur, & sic signatus nascitur; hoc tamen non semper accidit, quamuis mulieribus prægnātibus ferè in omni grauiditate tales appetitus quandoque contingant; ratio est, quia priusquam imagines ipsæ ad conceptum ferantur euanescere, seu resolui in nihilum possint. Non tamen est verū, puerum signatum

Cur filij nascantur signati.

nasci

nasci in ea parte cui proportionalem alteram mater tetigit, vt si ipsa tetigit caput, in capite signatus nascatur: imò fortè talis contactus nullatenus necessarius est, quãuis id feminæ existiment; imaginatio namque est per se ad hoc satis; quod autem imagines ipsæ natæ sint etiam extra imaginatiuam ferri, a simili confirmatur; species visibiles non tantum feruntur ad oculos, sed etiam per totum medium, vnde in quolibet diaphano terminato reflectuntur, vt patet in speculis, aqua, &c. ergo similiter istæ non tantum in phantasia, sed per alias partes aptæ sunt ferri, & eas non modo cognoscitiuo, sed alio motiuo, & reali afficere, sicut etiam quædam luminis species, maximè vitri, vel alterius rei sic coloratæ, & transparentis, medium ita afficiunt, vt coloratum appareat; quod quidem de imaginibus ipsis, ideò sic est à natura comparatum, vt animalia sua munera exequi valeant, diuersisque indigentibus partibus consulant; quare quod ad aliquam partem, vt bonum, attinet, ab imaginatiua apprehenditur, talique parti communicatur, ac peculiaris appetitus in ipsa parte excitatur, quemadmodum de rebus venereis maximè est manifestum; talis est ergo ordo, & harmonia omnium membrorum animalium inter se, vt proprijs muneribus mutuò adinuicem se adiuuent, mutuòque concurrant, sic dolor capitis ad alia membra, & aliorum membrorum ad ipsum transfundi videtur, sed multo magis id de imaginatiua, quæ est alijs agilior, euenit; non solum etenim ipsa imagines suas alijs (vt diximus) communnicat, sed ab omnibus imaginationem recipit, vnde aliquo membro dolore agitato, ipsa de hoc cogitat, ad multaq; alia se extendit, videlicet, vel ad sanitatem, vel ad mortis timorem, &c. pariter genitalibus venereo excitatis affectu, imaginatio statim aliquod ad propositum obiectum sibi effingit, & ipsa sic effingente, membra prædicta statim afficiuntur; quantæ igitur facultatis vis imaginatiua existat, patet, sed melius in libris de anima ex professo patebit; per hanc igitur fœtus magnopere afficiuntur, & deformantur, maximè si mulier tempore coitus in vehementi aliqua imaginatione fixetur; vnde notum est, tum in sacris, cum in profanis litteris, ex nigris parentibus puerum album natum fuisse, & ex albis nigrum. Quamobrem si rem turpem imaginetur mulier, turpis efficietur fętus, si pulchram, pulcher, &c.

Alia causa est vterus, vel locus feminæ, vbi semen recipitur, atque conceptus formatur: vas etenim istud diuersimodè dispositum esse potest; aut enim anfractus aliquos, seu dispares concauitates habet, & tunc semen diuidi potest, quod si sufficiens sit, gemini fient perfecti, sin minus, debiles, infirmi, & breuissimæ vitæ; pariter per anfractus pars prædicta pars seminis extendi poterit absque diuisione ab alijs partibus, & tunc erit aliquod membrum monstruosum; si autem sit minor extensio, erit minor quoque monstruositas, sicut est gibbositas, & aliæ similes partes aliquantisper deordinatæ; ad eandem causam reduci possunt quamplures aliæ externæ violentiæ, vt si gemini in vtero procreati sint, & strictè vterus matris ligetur, vt solent mulieres, quæ partum celare volunt, vel aliquam extorsionem patiantur; gemini inquam tunc, cum veluti cera mollis, existant, possunt (facta aliqua decoriatione, aliter non contingeret, vt etiam est videre in arboribus, & vulneribus, in quibus nec arbor arbori inseritur, nec partes vulneris vniũtur, nisi facta decoriatione, vel vigente sanguine, aut humore, qui nati sunt extrema, quasi pix naturalis, & mirabilis vnire) adinuicem copulari, & vnus ex duobus corporibus fieri. Ad eandem causam superfętatio reduci poterit. Est autem superfętatio noua conceptio super iam fętum conceptum, vel mulier grauida, dum aliũ fętum recipit, & ad præcedentem fętum adiungit, superfętare dicitur, in qua necesse est, vt plurimum monstrum enasci; quoniam cum primus fætus totum ferè locum, & virtutem nutritiuam matris occupauerit, alteri superuenienti, vel nihil, vel parum relinquitur; vnde vel inferitur præcedenti, & ab eius alimento alimentum trahit (vt fortè euenit monstro cuidam, quod viuum Venetijs anno 1620. videbatur; erant etenim duo pueri simul per vmbelicum vniti, alter sic altero maior, vt alium veheret, ipseque solus ambularet, ederet, aliasq; functiones efficeret; alter verò ferè insensibilis existimabatur, ferè inquam, quia sensu tactus præditus erat, ita vt si pungebatur, sentiret, alio non sentiente, imò sæpe ab alio verberabatur, quem puto ex superfætatione ortum fuisse), vel ita tenuis, & imbecillis nascitur, vt vix animalem retineat formam.

Alia denique causa est continens, per quod locum cum influentijs tum cælestibus, cum elementaribus intelligi debent; euidens namque est diuersis locis diuersa, diuersisque affecta qualitatibus, & dispositionibus enasci: vnde Magnus Albertus tantam vim cœlesti influentiæ tribuit, vt homines semibestias ex ipsius sola virtute generari affirmarit; quicquid tamen sit de hoc, quod nec falsum, nec penitus impossibile, sed bene difficile cognitu, censeo; hoc nihilominus negandum non est, quod qualitates loci multum ad accidentales formas conferendas valent, quòd si quis homines, & animalia, necnon fructus, & alia quæque inter se contulerit, facilè (omni alia ratione, quæ imbecilla est, & infirmitas intellectus, vbi est sensatio ab Aristotele vocatur) perspexerit. Hæc igitur pauca vice multorum, quæ de tam ardua materia dici poterant, breuitatis causa dixi. Vnum tamen præmonens, quod quamplurima alia ad causas prædictas reduci possunt, quæ ad iudicium studiosi iuuenis remitto, vt ad qualitates elementares reducantur omnes matris, vel etiam patris infirmitates, ex quibus sic affectis, difformes, vel circa aliquod membrum, vel circa vniuersam vitam nascuntur, vnde ex muliere menstruata, homines leprosi nasci affirmatur; verum vt plurimum fætus huiusmodi ante, vel parum post ortum moriuntur; naturæ enim imbecillitas à vehementi morbo facilè superatur. Nunc ad aliquas accedamus dubitationes.

Dubitationes.

PRima. Vtrum natura intendat monstrum; videtur etenim quod non, quia natura ipsa solum bonum intendit; nam agit propter finem, finis verò est quid optimum. Respondetur, hic duplicem naturam considerare nos posse, videlicet particularem, vt homo dum hominem generare intendit particularis natura, vel naturale agens dicatur; alia est vniuersalis, puta cæli, vel Deus ipse. Similiter monstrum considerari potest, vel ratione deformitatis, vel prout est talis substantia, vel tale viuens deformitatem habens; primo modo est ipsum sub ratione formali considerare; secundo pro materiali, vel connotato; quibus positis dicitur ad dubitationem, naturam particularem neque sub ratione deformitatis, neque pro connotato monstrum intendit; probatur, nam homo, v.g. perfectum hominem generare intendit; at perfectioni huic omnis monstruositas repugnat, ergo nullo pacto ipsum aliquo modo intendit. Dico secundo. Naturam vniuersalem non intendere monstrum formaliter, seu deformitatem illam, quoniam intendit perfectum, deforme verò à perfectione declinat, tamen pro connotato monstrum intendit, verbi gratia quamuis ex mala dispositione, ex homine nõ homo, sed imperfectum aliquod monstrum nascitur um sit, hoc ipsum à cælo, & alijs vniuersalibus causis intenditur, ne frustra sit talis materia disposita; quare respectu Dei, & cæli nihil est casuale, vel non intentum.

Secunda dubitatio. Cur filij interdum patri, quandoque matri, aliquando verò neutri, sed vel auo, vel alijs remotis

remotis consanguineis assimilantur. Respondetur duplici de causa hoc accidere posse, videlicet, ex vehementi imaginatiua, quia maior affectus matris est, ergo aliquem prædictorum, quam erga virum, vel alios: imaginatio autem (vt diximus) sic causa est similitudinis, vt hac quoque de causa ex stolidis patribus sapientes filij, & ex sapientibus stolidi quam sæpe enascuntur, secundum quod diuersimodè affectos homines mulier in imaginatiua reseruat. Alia causa assignatur ab Auerroe, de gener. anim. c. 3. nempe, quod homo, & quodlibet animal in generatione tres conferat formas, vel potius gradus formarum, scilicet, specificam, indiuidualem, vel potius secundum sexum, & similitudinis; per primam generatur homo (in generatione hominis loquendo, equus in generatione equi &c.) per secũdá mas; per tertiam sibi similis secundum figuram, & alias qualitates, ex defectu igitur primæ generatur monstrum, ex defectu secundæ femina, ex defectu tertiæ dissimilis, qui defectus à varijs accidentibus prouenire possunt, & primus alios duos infert, & non è contra. Cum autem perfectá formam similitudinis tradere nequeat ad propinquiorem, vel matris, vel alterius consanguinei accedit; siquidem semen transfusum similitudinem etiam primi transfundentis remoti, & alij sibi sanguinitate coniuncti retinere potest.

Tertia dubitatio. An fęminæ, & hermaphroditæ, qui sexum masculinum, & fęmininum simul habent, monstra dici possint. Videtur, quod sic, nam de mulieribus habet Aristot. 1. de gener. animal. cap. 20. eas esse quasdam impotentias, eo quod semen ex vltimo alimento non potuit fętum ob frigiditatem concoquere; animalia verò impedita, monstra aliquo saltem modo dicuntur, quia à debito fine, & naturæ intento degenerant; præterea communiter fęmina mas occasionatus dicitur, quæ non sine aliquo à natura intento, sed casu nata sit; hæc autem est monstrorum conditio, vt ex textu patet. De Hermaphroditis autem hoc clarius apparet; siquidem non ordinem naturæ seruant, raròque accidunt. Respondetur tamen pro vtraque parte negatiuè,
Hermaphroditæ. videlicet neque mulieres, neque hermaphroditas monstra dicenda esse, de mulieribus, vel alijs cuiusuis generis fęminis, patet; quia quod per se à natura intenditur monstrum non est; at fęminæ per se intenduntur à natura, tam vniuersali, quam particulari, vt scilicet æternæ sint generationes, quare quamuis imperfectiores masculis sint, hoc tamen monstrum non constituit. De hermaphroditis dicitur; quod quamuis aliquam non consuetam imperfectionem, & raro euenientem habeant; tamen quia hoc est sine notabili deformitate, imò quædam naturæ fęcũditas circa genitalia apparet, monstra dicenda non sunt.

Quarta dubitatio. An masculus possit naturaliter fieri fęmina, & è conuerso. Quoad primam partem negatiue respondetur, & ratione finis, & ratione conseruationis indiuidui; ratione finis, quia natura perfectissimum quod potest, intendit at perfectior est mas fœmina; ergo; ratione conseruationis, quia præscindendo membra virilia genitalia, cum imminente mortis periculo esset. Quoad secundam partem affirmatiuè respondetur, pro cuius intelligentia est notandum, quod in fęminis adest virile membrum sicut hominibus non extra eductum, sed intra reflexum, quod propter frigiditatem exire non potuit; quare si calor, vel vis naturæ augeatur, quid prohibet, vt appareat, & masculus euadat? imò ab hominibus veracissimis hoc Romæ iam dudum accidisse audiui.

Quinta dubitatio. An virtute Dęmonis monstra fieri queant. Respondetur affirmatiuè, pro cuius intelligentia sciendum est, quod quandoq; spiritus ipsi nequissimi Succubi.
formam mulieris assumunt, & viro vt mulier succumbunt, vnde succubi dicuntur; hi autem ex hominis semine hominem nullatenus generare possunt; quia debita, & naturalia membra ad concipiendum apta non habent; sed fictitia tantum, & si parere ostendant, hoc est, quia partum recenter natum furantur, & sibi supposito supponunt, ac se peperisse dicunt; quandoque verò viri formam accipiunt, & cum mulieribus veneficis, & sceleſtibus coeunt, & eas implent, & tunc verus homo nasci potest, quia ipsi Dęmones, qui tunc incubi nuncupantur Incubi.
semen alicuius veri hominis assumunt, ac virtute aliqua conseruant, atque intra naturale mulieris vas immittunt, & fit vera generatio, sicut Theologi de Merlino Hybernico euenisse asserunt; sed sic puer genitus est verè hominis cuius erat semen filius non Dęmonis; sicut igitur hoc modo, ita diuersis maleficijs, & hos, & alios fętus inficere, diuersasque monstruositates inducere possunt; sed fusius prosequi ad Theologos, quorum munus naturam spiritualium substantiarum est examinare, attinet; hæc est ad propositum, & curiositatis gratia dicta sint.

Finis Secundi Physicorum.

ANTO-

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN TERTIVM LIBRVM PHYSICORVM Aristotelis Paraphrasis.

S V M M Æ L I B R I.

Agitur in hoc Libro præcipuè de motu, & infinito. Diuiditur autem in tres summas, quarum prima est Proœmialis, in qua redditur causa, cur Physicus de motu, & infinito agere debeat.

In secunda agitur de motu secundum opinionem Antiquorum, & propriam.

In tertia denique, de infinito tractatur.

Summæ primæ Caput vnicum.

Redditur ratio, cur ad Philosophum naturalem attineat de motu, & infinito tractare.

Tex. 1. *Voniam autem natura quidem est principium tam motus propriè dicti, scilicet successiui (sicut sunt augmentatio, alteratio, &c.) quam instantaneæ mutationis, vt sunt generatio, corruptio, &c. (sit autem hoc gratia exemplificandi pro iuuenibus: nam suo loco exactissimè examinabitur veritas) Methodus autem, siue hæc nostra scientia est de natura, ideò non debemus ignorare quid sit motus, & mutatio, necesse est enim ignorato ipso ignorari & naturam, cum in eius definitione ponatur; definitum verò quidditatiuè cognosci nequit, nisi eius essentialia prædicata, ac quæ ad definitionem suam pertinent, cognoscantur, & si quoad si est cognosci possit; sed de hac cognitione nihil ad præsens. Cum autem determinauerimus de motu, tentandum erit eodem modo determinare de ijs, quæ ipsum motum sequuntur, veluti prædicata essentialia, vel proprietates eius. Videtur autem primò, motum esse de genere continuorum, at in continuo apparet principaliter ratio infiniti, ita vt sæpe in definitionibus continui ponatur. Vt continuum est quantum diuisibile in infinitum, & notanter dicimus sæpe, nam aliter etiam definiri potest, vt continuum est, cuius partes copulantur per eundem terminum communem; de continuo verò, quod est prædicatum primum motus non est magna difficultas, nec controuersia, sicut de infinito, ideò de ipso in hoc loco specialem sermonem non habebimus.*

Ignorato motu, necesse est ignorari naturam.

Continuũ quid.

Tex. 2. *Adhæc autem motus secundum veritatem, (saltem localis, qui est omnium nobilissimus) non potest fieri sine loco, & tempore, & secundum Antiquos, nec sine vacuo, ideò etiam de loco, vacuo, & tempore agemus: sed in sequenti libro, & de loco, & tempore secundum veram eorum naturam, & proprietates, de vacuo ad ipsum tollendum, ac errores reprobandos; non enim manifestè veritas rei alicuius traditur, nisi errores circa ipsam accidentes auferantur; hac igitur de causa, de prædictis agemus, atque etiam quia motus, & tempus sunt communia omnibus rebus naturalibus, ac magis vniuersalia, quam alia passiones, & accidentia, ideo vnumquodque ipsorum considerandum est, sed primò in communi, seu de ipsis magis communibus: Nam speculatio de proprijs, & minus communibus posterior est ea, quæ de communibus est, quia cum in particularibus includatur commune, si prius de particularibus ageretur, commune sæpe repeteretur, imò nec rectè sciretur particulare sine præcedenti cognitione de communi, cum sit pertinens ad naturam ipsius.*

Speculatio de proprijs posterior est ea, quæ de communibus.

S V M M A S E C V N D A.

Ponuntur quædam diuisiones, & suppositiones valentes ad inuestigandam definitionem motus, ac ipsa definitio traditur, & declaratur.

C A P V T P R I M V M.

PRimum autem, sicut diximus, determinandum est de motu, pro cuius faciliori intelligentia aliquas diuisiones præmittamus. Prima. Eorum, quæ sunt, alia sunt Tex. 3.

solum

Eorum, quę sunt alia sūt solū in actu perfecto ad vlteriorē nō ordinabilia. Alia in potentia ad talem actum perfectū recipiendum.

solum in actu perfecto, & ad vlteriorem non ordinabilia. Alia vero sunt in potentia ad talem actum perfectū recipiendum. Secunda (quæ tamen est subdiuisio) eorum, quæ sunt actu perfecto, aliud est hoc aliquid, seu substantia, aliud vero tantum, seu quantitas, aliud autem tale, vel qualitas, ac aliud est ad aliquid, seu relatiuum, & sic dicatur de omnibus prædicamentis entis; quæ prædicamenta dicuntur esse in actu, si in recta linea considerentur, pro vt sunt completa: nam multa sunt in prædicamento, quæ tamen sunt in potentia, vt materia, & ea, quæ ad aliud ordinantur; accipitur ergo hic actus, seu esse in actu, pro completo esse (vt dictum est) non pro actuali existentia, nam clarum est prædicamenta abstrahere ab omni actuali existentia, vt homo dicitur esse in prædicamento substantiæ, siue existat, siue non. Tertia (quæ est etiam subdiuisio) eorum, quæ sunt ad aliquid, aliud refertur ad aliud secundum superabundantiam, & defectum, quæ est relatio de primo modo relatiuorum, qui est secundum numerum, & passiones eius, & dicitur fundari super vnum, & multa, vt duplum, & dimidium. Aliud vero refertur secundum actiuum, & passiuum, & est relatio secundi modi, qui fundatur super potentiam actiuam, & passiuam, vt calefaciens, & calefactum, agens, & patiens, ac motiuum, & mobile; differt agens, & patiens propriè dictum à motiuo, & mobili, nā agens, & patiens habent ordinem ad alterationem corruptiuam, vt habetur in primo de generatione, hoc autem non est verum vniuersaliter de mouente, & mobili, vt patet de cælo. Si vero motus accipiatur pro omni aliter se habere, sic conuertitur cum actione, aliter est superior. Non fit mentio de tertio modo relatiuorum, qui fundatur super mensuram, & mensurabile, vt est scibile, & scientia, quia duo prædicti sufficiunt ad propositum.

Tres modi relatiuorū.

Tex. 4.

Non est autem motus præter res, quæ per motum acquiruntur. Vnde, quia id quod mutatur, vel secundum substantiam, vel quantitatem, vel qualitatem, vel vbi mutatur, ideo in istis quatuor prædicamentis tantum, motus reperitur, (si ipse motus consideretur in ratione termini acquisibilis per ipsum, nam pro vt est vna quædam entitas, vnum tantummodo prædicamentum expostulat, vt suo loco videbimus), ita vt sicut nihil præter ista prædicamenta, vel quod sit ipsis communius dari potest, quod moueatur, ita nec in alio genere, nec modo communiori motus assignare possibile est.

Motus in quatuor prędicamentis.

Tex. 5.

Est tamen adhuc notandum, quod non tantum termini positiui, & perfecti qui per motum acquiruntur ipsum distinguunt, & specificant, sed etiam priuatiui, & imperfecti, qui interdum loco priuatiuorum accipiuntur, & sic in quolibet genere, in quo est motus, reperitur terminus perfectus, & imperfectus, seu positiuus, & priuatiuus; quare vnūquodque per motū acquisibile dupliciter inest omnibus generibus in quibus est motus, vt hoc, seu substantia (vocatur etenim hoc, & hoc aliquid, pro vt est magis ens per se existens, & demonstrabile) habet aliquid vt positiuum, quæ est forma, & priuationem oppositam; ad formam terminatur generatio, ad priuationem corruptio, & secundum qualitatem similiter, hoc namque est album, & perfectum magis, hoc vero nigrum, & imperfectum, quod pro priuatione accipi potest &; secundum quantitatem, alia namque est perfecta, & maior, quæ est terminus augmentationis, alia vero imperfecta, & minor, quæ est terminus diminutionis, & denique secundum lationem, seu motum localem, alius est enim motus deorsū, vel rei grauis, qui dicitur imperfectus, alter vero sursum, & rei leuis, & dicatur perfectus. Quare motus, & mutationis, tot sunt species, quot sunt entis mobilis.

Tex. 6. Motus quod.

Facta autem diuisione secundum vnumquodq; genus, nempe aliquod ipsorum generum esse in actu, aliud vero in potentia, nunc ad propositum de motu applicemus, ac ipsum definiamus sic. Motus est actus entis existentis in potentia, quatenus huiusmodi, idest quatenus in potentia est; vt in qualitate, alteratio est actus rei alterabilis, pro vt alterabilis est. In quantitate in qua est augmentatio, & diminutio (sine communi nomine vtriusque) est actus augmentabilis, vel diminuibilis, pro vt augmentabile, vel decrescibile est; similiter dicatur de generatione, corruptione, & motu locali; ex quibus patet, quod hæc definitio sit bona, & omni motui, ac mutationi conueniens. Patet etiam quomodo omnes prædictæ diuisiones ei applicari possint; nam ex prima diuisione habetur eum esse actum, sed rei in potentia; ex secunda quod sit in quatuor generibus; ex tertia quod sit aliquomodo relatiuum, seu potius quædam relatio insurgens inter mouens, & motum; impossibile namque est duo extrema referri, & inter ipsa non esse relationem, nec alia apparet inter mouens, & mobile, nisi motus, sed fortè sicut illa sunt relatiua secundum dici, ita motus, de qua materia exactè tractabitur in quæstionibus. Nunc vero prædictam definitionem melius declaremus, sic.

Tex. 7.

Quod autem motus sit actus entis in potentia, probatur à signo. Cum aliquid est ædificabile, quatenus potest ædificari, non dicitur actualiter ædificari, at si ædificetur tunc actu dicitur ædificatio rei ædificabilis, hæc autem ædificatio est quidam motus, & potest assimilari generationi, ergo motus est actus entis in potentia. Similiter autem medicatio tunc dicitur actualiter motus, & alteratio, cum res medicabilis actualiter perficitur. Pariter volutatio, & saltatio, quæ significant motum localem; ac tandem eodem modo dicatur de adolescentia, quæ significat augmentationem; & senescentia, quæ diminutionem connotat; de corruptione non fit mentio, quia potest intelligi per generationem; clarum est igitur, omnem motum esse actum entis in potentia, pro vt est in potentia.

CAPVT II.

Idem potest esse in actu, & in potentia, ac per consequens agere simul, & pati, mouere, & moueri; tamen motus dicitur actus eius pro vt est in potentia.

Tex. 8.

Idē simul, & secundū idem nō potest esse agēs, & patiens.

QVoniam autem quædam sunt in actu, & potentia; at non simul respectu eiusdem, aut si simul, non secundum idem, sed respectu diuersorum; vt quod est in potentia calidum, est in actu frigidum, vel è contra; ideo cum respectu actus possit agere, & respectu potentiæ pati, simul aget, & patietur, mouebit, & mouebitur, ac denique omnia, quæ sic sunt, simul actiua, & passiua erunt, & omne mouens physicè, (& effectiuè ad differentiam motus causati à fine vocato immobili, vt supra visum est) etiam mobile erit. Aliqui tamen credunt simpliciter omne mouens esse mobile, sed decipiuntur, ex alijs namque nostris sermonibus, in octauo physicorum manifestum erit, quomodo est aliquod mouens immobile.

Cum igitur aliquid possit esse simul in actu, & in potentia,

tentia, sequitur motum esse actum huius, non quatenus est in actu, sed pro vt est in potentia ad alium actum, siue idem agat, & patiatur à se ipso, seu aliud sit agens, & patiens, nihil refert; semper etenim motus (vt dictum est,) se tenet ex parte potentiæ quam actuat, & non ex parte actus, verbi gratia. Aes est in potentia, vt fiat ex ipso statua, est tamen in actu æs, vnde quatenus est in actu, non mouetur, nec fit, quia sic non esset in actu, sed mouetur tantum ad formam statuæ quam non habet, sed est in potentia ad habendum. Quare aliud est esse ipsi æri, aliud vero esse in potentia ad statuam, æs namque est actualiter, statua potentialiter. Si enim idem esset simpliciter, & secundum definitionem, in actu, & potentia, actualiter moueretur ad formam æris, ad quam esset in potentia per suppositum, & sic non esset æs, non igitur eadem ratione est in actu, & potentia, nec quatenus actu, sed quatenus potentia est, mouetur. Nec nos decipiat ad credendum idem esse, quia sunt simul, nam hoc est falsum, simultas namque indentitatem non facit.

Motus semper se tenet ex parte potentiæ, & non actus.

Simultas idẽtitatem non facit.

Tex. 10.

Hoc autem manifestum est in contrarijs obiectis, quæ contrarias potentias respiciunt, & in eodem sunt, vt posse ægrotare, & valere, sunt potentiæ in eodem diuersæ, & tamen sunt simul. Quod vero sint diuersæ, patet, quia si essent eædem, & non diuersæ, tunc actus ipsarum essent ijdem, vel eiusdem rationis, & sic ægrotare, & valere idem essent. Consequentia probatur, nam ab vna potentia naturali, proueniunt actus, & operationes eiusdem rationis; sunt igitur diuersæ, & simul, ergo ex simultate non bene arguitur identitas. Subiectum autem sanitatis sunt quatuor humores, vt sanguis, &c. potest poni aliud exemplum, de colore, qui visibilis est, non tamen sunt idem totaliter color, & visibilitas, color enim est qualitas absoluta; visibilitas vero dicit respectum ad potẽtiam visiuam. Cum igitur actus, & potentia quamuis simul sint, non sint idem, nullum est inconueniens, aliquid conuenire vni, & non alteri, & sic motum esse actum entis, non pro vt est in actu, sed in potentia. Remanet etiam ex hoc probatum id quod dicebatur in definitione motus, scilicet esse actum entis in potentia; modo specialiter probemus esse actum sic.

Ab vna potẽtia naturali proueniunt ijdem actus, & operationes.

Tex. 11.

Quod igitur motus sit hic actus, & quod nihil dicatur moueri, neque prius, neque posterius quam ipse actualiter sit, probatur sic. Contingit vnumquodque quandoque actualiter operari, quandoque non. Tunc sic discurramus. Sit ædificabile, quod per operationem actualem potest fieri domus, hancque ædificationem vocemus motum, ac actualem operationem; modo, vel ædificabile, pro vt est ædificabile tantum, dicitur actualiter ædificari, vel moueri, vel prout est iam domus; non primo modo, nam quod est in potentia tantum, nullum includit actum; neque secundo, quia domo iam facta, cessat ædificatio. Relinquitur ergo, tunc esse ædificationem, & motum, cum id quod est ædificabile in potentia ad actum reducitur, ædificatio autem motus quidam est; ergo motus est actus. Id quod exemplificando de ædificatione diximus, de quolibet motu dici potest:

CAPVT III.

Opiniones Antiquorum de Motu, & reprobatio.

Tex. 12.

QVod autem bene dictum sit de motu, manifestum est ex ijs, quæ alij de ipso dicunt, & ex eo quod non facilè potest aliter definiri, nec aliquis ipsum motum, & mutationem poterit in alio genere ponere, quam in prædictis à nobis assignatis; neque qui aliter dixerunt de ipso rectè fecerunt, quod considerantibus manifestum erit. Alij namque dicunt motum esse alteritatem, alij inæqualitatem, alij vero non ens. Quæ omnes positiones sunt falsæ, nam cum definitio conuertatur cum suo definito, sequeretur omne alterum, omne inæquale, ac omne non ens moueri, (seu esse in fluxu, vel fieri, motus namque non mouetur) hoc autem falsum est, non enim omne alterum mouetur, vel est in fluxu, nec omne inæquale, nec omne non existens, de quibus facilè est exemplificare. Vt Primus Motor est alterum quid ab omnibus, nec mouetur, similiter vna linea, vel superficies est alteri inæqualis, nec est in fluxu, sicut motus. De non ente vero est facilius cognoscere, quomodo namque non ens moueri, seu fluere potest? patet igitur, ineptas has definitiones esse.

Tex. 13.

Imò motus, & mutatio non magis ex prædictis, quam ex oppositis sumi possunt, potest namque idem, quod opponitur diuerso, moueri, & esse in fieri, vt calefactio &c. similiter æquale, & ens, ergo illa non est ratio, seu definitio motus; quando enim essentialiter, & vt definitio aliquid conuenit alicui, oppositum illius eidem conuenire non potest. Causa autem cur sic motum definiebant est, quia credebant, motum esse de genere indeterminatorum, & priuatiuorum, vnde indeterminatam ei definitionem assignabant, vt præcipuè patet de illa, quæ habet, motum esse non ens, & etiam de alijs, nam dicere esse alterum, vel inæquale nihil aliud addendo, est locutio indeterminata, & manca. Ponebant igitur motum in genere priuatiuorum, & indeterminatorum. Duo etenim genera rerum constituebant, quorum aliud vocabant positiuorũ, & habituum, aliud vero priuatiuorum, & indeterminatorum. In primo genere hæc decem ponebant, bonum, æquale, par, vnum, dextrum, masculum, quietem, rectũ, quadratum, & lumen. In alio vero opposita, vt malum, inæquale, impar, multa, sinistrum, fæminam, motum, curuum, altera parte longius, & tenebras; hac igitur de causa dicebant, motum non esse hoc, seu substantiam, neque aliquid aliorum prædicamentorum.

Quando aliquid alicui essẽtialiter compeiit, eius oppositum conuenire illi nequit.

Duo genera secũdum Antiquos.

Tex. 14.

Cur autem ipsis videatur motus indeterminatus, causa (præter prædictam) est ista, quia non videtur esse neque ens in potentia, neque in actu; non in potentia, quia quod tantum in potentia est, nec mouetur, nec est aliquid propriè existens; non in actu, quoniam quod est in actu nec mouetur, nec est in fieri, cum moueri, & esse in fieri, actui (qui permanentiam, & complementum dicit) opponantur. Exemplificabant de quanto, nec enim (dicebant) quod potest esse quantum mouetur, nec quod est actualiter quantum.

Quod est tantũ in potentia non mouetur.

Tex. 15.

Nos vero dicimus, motum esse actum quidem, sed imperfectum, causa verò est, quia etiam ipsum mobile cuius motus est actus, est imperfectũ, scilicet ratione ipsius motus, quem nunquam simul habet; & dum est completus nullatenus habet. (Si enim diceretur imperfectus simpliciter, pro vt est actus imperfecti, tunc in cælo hoc esset falsum, cum sit corpus perfectissimũ, ac similiter, & multo magis qualibet forma esset imperfecta cum materia imperfectissima sit actus, dicitur ergo imperfectus, pro vt nunquam mobile per ipsum durãte perficitur) & ob hoc, quia est imperfectus, & in fieri, difficilè est accipere quid sit, nam vel esset ponendus in priuatione, ita vt sit quid priuatiuum, vel in potentia, ita vt auctualiter non sit, aut in actu simplici; horum autem nullum videtur esse posse, relinquitur igitur dictus modus scilicet, quod sit

actus

actus imperfectus, vt diximus, difficilis quidem, vt quidditatiuè cognoscatur, sed tamen qui esse possit. Vt autem adhuc melius declaretur quomodo, & cuius sit actus, memoria reuocandum est, quod diximus scilicet, quod.

Tex. 16. Mouetur id quod mouet, (sicut dictum est) omne quod est in potentia vt moueatur; dummodo immobilitas eius sit quies, (idest quod dum non mouetur dicatur quiescere, seu priuari motu, quod enim non dicitur quiescere, & si non moueatur, hoc non est mobile, vt patet de primo motore, qui licet sit immobilis, non tamen dicitur quiescere, quia non est aptus moueri: quies enim, & motus, sicut priuatio, & habitus circa idem sunt.) Quod vero moueatur, probatur, nam agere ipsius mouentis est mouere, hoc autem facit per tactum, tactus vero est inter duo, ergo etiam tangitur, & sic patitur, & mouetur. Iccircò motus est actus mobilis quatenus mobile est, non autem ipsius prout est mouens.

Priuatio, & habitus sunt circa idem.

Motus quid.

Tex. 17. Hoc autem vt moueat fit per tactum motiui, seu mouentis, vt dictum est, quare simul patitur: cum vero mouens moueatur non principaliter, sed quasi secundariò, & ratione contactus, motus eius est quasi per accidens, vnde sequitur per se motum esse actum mobilis, nam quasi accidit, quod mouens mouendo tangatur. Id autem, quod mouet semper habet aliquam formam, aut substantiæ, aut qualitatis, aut quantitatis, quæ est principium, quo motum efficit; vt actu homo mediante sua forma substantiali facit, ex eo quod erat homo in potentia, vt actualiter sit homo. Vnde in ratione agentis non mouetur, nam motus est actus potentiæ, agens vero prout agens est dicitur in actu, cum sit talis per formam. Quod dictum est, agens scilicet agere per formam quantitatis, est causa exempli, nam quantitas non est de genere actiuorum. Vnde habemus quomodo motus sit actus, ac si rectè sit eius definitio assignata.

CAPVT IV.

An motus sit subiectiuè in mouente, vel in mobili.

Tex. 18. ET quod dubitatur de subiecto motus, manifestum est, quod est in mobili, nam (vt dictum est) est actus ipsius, licet effectiuè sit ab ipso motiuo, ita vt non sit alter actus motiui, & mobilis, sed vnus vtriusque. Dicitur motiuum quod potest mouere. Mouens quod actualiter mouet, quibus respondent, mobile, & motum. Mobile quod potest moueri. Motum quod actualiter mouetur. Cum igitur motiuum, & mouens dicantur, quia vel motiuum potest agere, vel mouens agit in mobile, vel motum, sequitur quod actus illorum in mobili recipiuntur, ac per consequens licet vnus sit vtriusque actus, subiectum tamen est mobile; quod vero sit vnus actus vtriusque, probatur à simili; sicut enim idem est spatium vnius ad duo, & duorum ad vnum, vel idem est iter, seu distantia deorsum ad sursum, quæ est sursum ad deorsum, sic idem est actus motiui, & mobilis, seu mouentis, & moti, tamen sicut alia est ratio proportionis, quæ incipit ab vno, & tendit ad duo, & alia quæ à duobus tendit ad vnum: nam prima dicitur proportio dimidij ad duplum, & secunda dupli ad dimidium. Similiter de motu sursum, & deorsum, alia ratio est vnius, alia alterius, licet sit vna distantia. Pariter, & si sit vnus actus mouentis, & mobilis, sunt tamen rationes diuersæ; nam in mouente, seu motiuo, dicitur actio; in mobili, vel moto, dicitur passio.

Mobile quod potest moueri. Motum quod actualiter mouetur.

Tex. 19. Ex prædictis insurgit dubitatio rationalis contra prædicta, scilicet quod motus non sit realiter vnus actus, sed duo, alter scilicet actiui, seu motiui, qui dicitur actio; alter passiui, vel mobilis, qui dicitur passio. Quod vero sint realiter, & non tantum ratione diuersi, probatur. Quorum fines, & opera sunt realiter diuersa, & ipsa realiter diuersa sunt: naturæ namque ex operationibus cognoscuntur, sed alius est finis, & operatio actionis, alia vero passionis; actionis namque finis, & operatio est res facta; passionis vero est affectus, vel talis dispositio, ergo sunt realiter diuersa, & sic non est vnus actus: ex alia parte non videntur diuersi actus ipsa actio, & passio, sed vnus. Nam si diuersi sint, & vtrique sint motus in quo sunt? Aut enim vtrique in patiente, & moto sunt, aut actio in agente, passio in patiente. Si autem dicatur, passionem esse in agente, ac eam oporteat vocare actionem, erit locutio æquiuoca, similiter si actionem ponamus in patiente; nullus autem prædictorum modorum esse potest, ergo non sunt plures actus. Probatur minor; Si enim actio quæ est motus sit in agente eadem ratio erit in mouente, & moto, hoc est, sicut motum dicitur moueri, quia in ipso est motus, similiter si in mouente esset motus moueretur, & sic omne mouens moueretur, quod est falsum, vel habens motum non moueretur, quod etiam est falsum ergo motus prout est actio non est in mouente. Si vero dicatur vtramque, tam actionem quam passionem esse in patiente, & moto, Sequeretur hoc absurdum, quod doctio, & disciplina, actio & passio essent in patiente: Vnde alia euenirent inconuenientia, & maximè quod actus proprius vniuscuiusque non esset in illo cuius est actus, vt actus agentis non esset in agente, &c. Item idem moueretur diuersis motibus, & alterationibus simul, sicut est agere & pati, & tamen ad vnam formam, scilicet ad illam, quæ per motum acquiritur. Cum autem ista sint absurda, sequitur, vnum tantum esse actum, & non duos. Ex alia parte est irrationabile, duorum quæ specie differunt, (sicut sunt agens, & patiens) esse vnum tantummodo actum. Atque erit hoc aliud inconueniens, quod doctio, quæ est actio docentis, esset idem cum disciplina, quæ est perceptio discentis, & similiter idem esset actio, & passio, agere, & pati; ac denique necesse esset, omnem docentem discere, & agentem pati; non igitur actio, & passio sunt vnus motus, sed duo.

Naturæ ex operationibus cognoscuntur.

Tex. 20. Dicimus ergo resoluendo; actionem, & passionem esse vnum motum, & esse in mobili. Neque inconueniens est, actũ vnius esse in altero, vt actio docentis est in discente, non tamen vt sit totaliter decisus, & separatus ab agente, sed est huius in hoc, seu incipit ab agente, & terminatur ad patiens. Vnde nihil prohibet duorum diuersorum, vnum, & eundem esse actum, licet alia ratione sit vnius, alia alterius; in agente enim est actio, in patiente passio, quæ non sunt sic vnum, ac si essent synonima, vt vestis, & indumentum, sed in vno motu numero habent rationem, & definitionem diuersam, passio enim est eius, quod est in potentia, scilicet patientis: actio vero eius quod est in actum, scilicet agentis.

Tex. 21. Cum igitur sint vnum in motu, & differant per proprias rationes, non sequuntur absurda prædicta. Vnde neque necesse est docentem discere, & si agere & pati ponantur idem; nam (ut dictum est) habent diuersas rationes, & non sunt synonima, sicut vestis, & indumentum, sed potius assimilantur viæ, quæ aliam rationem

habet in principio, aliam in fine, & si sit vna, vt dictum est. Via namque à Thebis ad Athenas vna est, sed alia est ratio incipiendi ex vna parte, alia ex alia, vel ratione loci, vel situs, &c. sic ergo actio, & passio. Quare non sunt omni identitate idem, sed tantum in ratione vnius, & eiusdem motus. Vnde neque si doctio, & disciplina idem sint ratione motus, sequitur quod docere, & discere idem sint: sicut enim est eadem distantia inter aliqua, non tamen distare ex idem, nam distantia accipitur indifferenter pro spatio inter res distantes, sed distare est diuersum, prout alia distant ab alio ex tali parte, alia vero ex tali, sic de doctrina, & disciplina, de docere, & discere, ac omnino de actione, & passione, dicatur.

Tex.22. Omnino tamen, ac vniuersaliter resoluamus, actionem, & passionem, doctionem, ac disciplinam non esse idem, licet sit vnus motus, cui ambo in sunt. Habent namque diuersas rationes, & definitiones: actio namque est actus huius, scilicet agentis in hoc, nempè in patiens. Passio verò est actus huius, scilicet patientis ab hoc, puta ab agente, hac autem ratione diuersa sunt.

Tex.23. Quid igitur motus sit, & vniuersaliter, & particulariter, dictum est. Non enim immanifestum est, quomodo ex definitione ipsius in communi possit vnaquaq; species definiri. Sicut enim diximus, motum esse actum mobilis prout mobile est, ita de alteratione, & de qualibet alia specie ipsius motus particulariter dicatur, vt Alteratio est actus alterabilis, prout alterabile est, &c.

Alia definitio motus. Amplius notius erit de ipso motu, si hoc modo definiatur. Motus est actus actiui, & passiui, seu motiui, & mobilis, prout actiuum, & passiuum, motiuum, ac mobile est, & simpliciter, seu in vniuersali; & secundum vnumquemq; motum applicari potest, vt ædificatio est actus ædificabilis, & ædificantis; medicatio medicabilis, & Medentis, & eodem modo dicatur de vnoquoque aliorum motuum.

SVMMA TERTIA.

De Infinito.

CAPVT I.


Opiniones Antiquorum de Infinito.

Tex.24. Quoniam autem scientia naturalis est circa magnitudinem, motum, & tempus, quorum vnum quodque necesse est, infinitum, vel infinitum esse, conueniens est, cum qui de rebus naturalibus agit, de infinito tractare. Sed est notandum, quod non omnes res sunt finitæ, vel infinitæ secundum quantitatem (& si sint tales secundum essentiam, vel naturam, cum eius per finitum, & infinitum diuidatur) vt passiones, seu qualitates, puncta &c. nam hæc fortè non sunt finita, neque infinita, cum non sint quanta, & si possint esse finita, vel infinita per accidens, prout scilicet sunt cum quantitate coniuncta.

Tex.25. Signum autem quod huius scientiæ sit propria consideratio de infinito est, nam omnes qui videntur dignè tetigisse hanc philosophiam, fecerunt de infinito sermonem, atque omnes ipsum ponunt tanquam principium eorum quæ sunt. Alij quidem (quemadmodum Pythagorei, atque Plato,) dicunt ipsum infinitum per se subsistere sicut substantia, non vt accidens alteri. Verum Pythagorei quidem in sensibilibus ipsum reperiri aiunt, atque etiam in numeris; neque enim abstractum, seu separatum ponunt à rebus sensibilibus numerum; addunt etiam id quod est extra cœlum esse infinitum. Plato vero differt ab ipsis in hoc, quia asserit, extra cœlum nullum esse corpus, neque Ideas, eo quod nusquam sunt, secundum rationem loci; tamen infinitum (dixit) & in rebus sensibilibus, & in ipsis Ideis reperiri.

Opinio Pythagoreorũ et Platonis.

Alia verò differentia est, quod Pythagorei aiunt infinitum esse numerum parem, qui ab impari terminatus, tribuit rebus infinitatem, quia scilicet par diuiditur statim per duas medietates, vna verò medietas per alias duas, & sic in infinitũ: signum autem huius, quod par faciat infinitatem, & non impar, id esse dicunt, quod accidit in numeris gnomonibus positis circa vnum, quod est principium numeri; seorsum itaque ponantur pares, & impares numeri; ex impari fit semper eadem figura; ex pari semper alia, atque alia. Pro cuius intelligentia est notandum, quod Gnomon est additio, quæ sit figura quadrata ex lateribus, ita tamen vt semper remaneat quadratum, & sic licet augeatur non tamen mutatur figura, vt patet per hoc exemplum; hoc idem potest fieri in numeris, scilicet quod alicui numero, ac etiam vnitati additur aliquando numerus, qui semper seruat eandem proportionem, seu figuram, hoc verò facit impar, & sic non facit infinitatem; vt vni addatur numerus ternarius facit quaternarium, qui constat ex duobus binarijs: si vero quaternario addatur quinarius fit nouenarius, qui constat ex tribus ternarijs; si nouenario addatur septenarius, fit 16. qui constat ex quatuor quaternarijs, & sic semper procedendo, eodem modo fit eadem species proportionis, quæ est, quod quilibet numerus constet ex aliquo numero multiplicato in se ipsum, vt nouenarius ex ternario, ter multiplicato, 16. ex quaternario, quater multiplicato; vnde impar non facit figuram diuersam, & sic in infinitum figuras non multiplicat, & per consequens non est causa infinitatis; par vero non sic se habet, sed cuicunque addatur variat figuram, & proportionem, vt quatuor si addantur vno, faciunt quinque, sex verò si addantur duobus faciunt octo, &c. in quibus semper in infinitum variantur proportiones, seu figuræ, & hæc est causa infinitatis. Ponebant namq; isti, numeros esse principium omnium rerum, & secundum variam eorum connexionem, varias res generari, quod exactè tractatur in Metaphys. hæc igitur est positio Pythagoreorum. Tex.26.



Plato autem duo infinita facit, magnum, & paruum, vt scilicet, & additio, & diminutio in infinitum fieri possit. Qui vero de rebus naturalibus locuti sunt, (prædicti namque circa Metaphysicas, & Diuinas versabantur) dicunt infinitum non esse substantiam, sed accidens, cui assignant pro subiecto alteram quandam naturam ab ipso infinito diuersam, nempè aquam, aut aerem, aut aliud medium corpus. Eorum verò qui dicunt elementa esse finita numero, sicut Empedocles non ponunt infinitum. Qui vero infinita faciunt principia, vt Anaxagoras, & Democritus, etiã ponunt infinitum, sed cum discrimine, nam Anaxagoras ponit infinitũ esse ex partibus similibus simul coaceruatis. Democritus vero ex omni seminario figurarũ athomorum, quas ponebat principia, ac differentes figuræ; ita vt fiat vnum continuum, seu potius contiguum infinitum, ex contactu talium athomorum. Tex.27.

Differunt

Tex. 28. *Differunt secundò; quod Anaxagoras asserit quamlibet partem mistam esse cum toto, quia videbant quodlibet ex quolibet fieri, vnde dicebat omnia simul fuisse, vt hæc caro, hoc os, &c. ita vt esset principium disgregationis, non tantum in vna quaque re, sed etiam omnium simul in vna re tantum, quam cahos vocabat; cum enim omne quod fit ex tali fiat corpore, & omnium sit generatio, licet non simul, necesse est ea, quæ generanda sunt in tali corpore contineri, & in principio simul omnia in vno, ex quo à causa agente segregata fuerunt, quæ causa est intellectus diuinus, qui à principio cum intellexit operatus est, & operatur, quare necesse est omnia simul aliquando fuisse, & cæpisse aliquando moueri, seu segregari, vnde habetur secundum ipsum, infinitum esse principium materiale, in quo omnes simul partes omnium rerum continebantur, ac intellectum per segregationem esse causam efficientem ipsarum.*

Tex. 29. *Democritus autem dicit, nullum primorum principiorū fieri ex alio, quia non essent prima, sed tamen corpus quoddam commune ex athomis constans, ac infinitum existens, esse omnium rerum principium, quod quidem corpus differt secundum suas diuersas partes; aliæ namque maiores, aliæ vero minores, ac diuersarum sunt figurarum, secundum quas diuersa efficiuntur principiata.*

Tex. 30. *Quod igitur speculatio de infinito sit conueniens Physico, manifestum est ex hoc, quod digni Philosophi de ipso sermonem fecerunt. Cōueniunt verò omnes in hoc, quod ipsum infinitum sit principium, quod sic probant. Infinitum non potest esse frustra in natura, ergo habet aliquam operationem, hæc autem non potest esse nisi principiandi, nam omne quod est, principium, vel principiatum est; nō principiatum, quia quod habet principium, habet quoque finem, & sic infinitum non esset infinitum, relinquitur igitur quod sit principium. Amplius dicebant, ipsum esse ingenitum, & incorruptibile, ex eo quia est principium, & infinitum, si enim generabile, & corruptibile esset, haberet finem. Quare (sicut diximus) non huius est aliquod principium, sed ipsum est principium aliorum; dicunt etiā omnia continere, & gubernare; hæc autem non est omniū opinio, quod scilicet gubernet, & contineat omnia, sed tantum illorum, qui præter ipsum infinitum nullam aliam causam ponunt; vnde cum omnes causalitates in se contineat, sequitur sibi exercendum esse munus omnium, & sic continere, quod ad formalem, gubernare, quod ad efficientem causam attinet, sibi contingit, qui vero præter infinitum aliam causam ponunt, sicut Anaxagoras qui ponit intellectum, & Empedocles qui posuit litem, & amicitiam, hoc non asserunt. Addunt præterea illi, qui omnia gubernare, & continere dicunt, ipsum esse diuinum, & immortale, ac perire non posse, quæ positio fuit Anaximandri, & plurimorum Physiologorum, & videntur ex hoc insinuare Deum omnium rerum principium in omni genere causarum esse.*

Omne quod est, vel est principium vel principiatum.

CAPVT II.

Adducuntur quinque rationes probantes infinitum esse, & declaratur quot modis ipsum infinitum dicatur.

Tex. 31. E*sse autem infinitum considerantibus maximè credere, ex quinque rationibus contingit. Prima, ex tempore, quod neque principium, neque finem habet, vnde est infinitum. Secunda ex diuisione qua vtuntur Mathematici: dicunt enim, continuum esse diuisibile in infinitum, ergo est infinitum; quomodo namque in infinitas partes diuideretur, nisi infinitas contineret? & sic ipsum infinitum est. Tertia, generationes, & corruptiones semper durant, ergo oportet assignare aliquod infinitum ex quo fiant res genitæ, nam si esset finitum, tandem consumeretur, & sic generatio, & corruptio deficerent. Quarta, omne quod finitum est, ad aliquid aliud semper finitur, seu terminatur, ergo vel illud est finitum, vel infinitum, si finitum ipsum finietur ad aliud, & illud ad aliud, & sic daretur, vel processus in infinitum, vel ex tali multitudine infinita, infinitum resultaret, vnde haberemus intentum; vel statim ad infinitum finitur, & sic statim propositum habemus, quare vtroque modo oportet ponere infinitum.*

Tex. 32. *Quinta. Maximè autem, & proprijssimum argumentum, quod omnibus communem facit dubitationem circa infinitum est hoc. Cogitatio, vel intellectus intelligendo non deficit, quia mouetur ab obiecto, & tamen intellecto quocunque finito, potest aliud, & aliud intelligere vsque in infinitum, ergo infinitum datur; & confirmatur, nam numerus augetur in infinitum, atque Mathematicæ magnitudines etiam in infinitum sunt diuisibiles, ac spatium quod est extra cælum etiam est infinitum. Cum autem spatium quod est extra cælum sit infinitum, necesse est esse corpus infinitum, & mundos infinitos, probatur consequentia, nam qua ratione in vna parte vacui est iste mundus, eadem ratione in alia parte est alter, & in alia alter, & sic infiniti, cum infinitum sit spatium; cur enim est magis ratio replendi vacuum in vna parte, quam in alia? quare si in hac parte ponimus nostrum mundum, & in alijs, alij ponendi sunt, & possunt esse, ac consequenter sunt, quia in æternis non differt esse, & posse; mundus autem est de natura sua æternus, & omnes debent esse eiusdem rationis, aliter æquiuocè dicerentur mundi, sunt igitur mundi infiniti; ergo infinitum est; & in numero, prout sunt mundi infiniti, & mole saltem per contiguationem, omnes namque prædicti mundi se tangere debent, ne inter ipsos intercidat vacuum.*

In æternis non differt esse, ac posse.

Tex. 33. *Consideratio igitur de infinito dubitationem affert, propter prædictas rationes, & alias. Nam qui dicunt infinitum non esse in multa impossibilia incidunt: habent namque fateri, tempus non esse infinitum, nec magnitudines in infinitum esse diuisibiles, & alia impossibilia. Similiter in multa incurrunt absurda, qui infinitum ponunt, vt in progressu videbimus. Amplius est adhuc dubitatio, vtro modo sit infinitum, vel sicut accidens alicui, vel sicut substantiam, vel neutro modo, & tamen sit infinitum, vel magnitudine, vel multitudine, eo modo quo aliqui ponebant Ideas, & numeros, nec esse substantias naturales, nec accidentia, sed principia ipsorum.*

Tex. 34. *Maximè autem est Physici considerare, si detur magnitudo sensibilis infinita, de alijs verò non ex professo sibi contingit; præcipuè de his, quæ nec motum, nec materiam concernunt, vt sunt Metaphisicalia, & Mathematica, &c. Vnde primum determinandum est quot modis infinitum dicatur. Dicitur ergo quinque modis. Primò quod non potest pertransiri, quia non est aptum transiri, nec vllam habet magnitudinem, vt punctus; hoc etiam modo vox dicitur inuisibilis, quia non est apta videri; quod potest vocari infinitum negatiuè, prout ab ipso simpliciter ne-*

Infinitum dicitur quinque modis.

gatur omnis ratio finitatis, sine positione aliqua quantitatis, in qua finitum, & infinitum fundantur. Secundò, quod habet trāsitum inconsummabilem, vt si esset aliqua quantitas sine vllo termino, vel limite, & vocatur infinitum contrariè, quia opponitur finito, sicut positiuum positiuo. Tertiò, quod vix pertransiri potest, hoc est, quod est maximè molis, seu longitudinis, vt via longa, &c. & hoc est infinitum secundum quid. Quartò, quod natum est habere finem, vel transitum, non tamen habet, vt res incompletæ, & hoc est infinitum priuatiuè. Quintò, quod vel augeri, vel diuidi, vel augeri, & diuidi simul in infinitum potest, vt qualibet magnitudo, quæ ex vna parte diuidi, ex alia augeri potest, & hoc est infinitum in potentia.

CAPVT III.

Arguitur contra ponentes infinitum.

Tex.35. QVod autem infinitum sit à rebus sensibilibus separatum, sicut substantia per se existens, impossibile est. Probatur, quia si sit substantia, neq; habeat magnitudinem, nec sit multitudo, erit indiuisibile (diuisibilitas enim magnitudini, & multitudini solum competit) si verò sit indiuisibile non erit infinitum, nisi negatiuè, sicut vox dicitur inuisibilis, at neque hoc modo ipsi ponunt infinitum, neque nos sic quærimus, sed de infinito, quod habeat quantitatem sine terminis, illud namque nullam in se quantitatem includit.

Tex.36. Si verò dicant, infinitum ipsum esse accidens, in tali separata substantia existens, sequitur, quod non erit elementum, seu principium rerum per se (vt dicunt) sed tantum per accidens, sicut inuisibile non est principium vocis, nisi per accidens, prout cum illa coniunctum est, quamuis vox sit inuisibilis; consequentia est clara; nam accidens non potest esse per se principium substantiæ. Adhuc quomodo infinitum cum sit passio magnitudinis, & multitudinis, potest ab ipsis separari, cum neque ipsæ à rebus sensibilibus sint separabiles? ipsum igitur minus separabile erit.

Tex.37. Manifestum est autem ex prædictis, quod non contingit esse actu infinitum, vt substantia, & principium rerum; quod iterum sic probatur, vel ipsum infinitum est partibile, vel impartibile, non partibile, quia qualibet pars illius (saltem aliquota) esset infinita, quod est absurdum; nam vnum infinitum non permittit aliud secum; consequentia probatur, nam esse, & quidditas rei in separatis à materia, & rebus sensibilibus, idem sunt, & sic infinitum, & qualibet pars eius essent eiusdem rationis, & sic, sicut ipsum esset infinitum, etiam partes illius infinitæ essent, dico quamlibet per se in magnitudine. Confirmatur exemplo, vt qualibet pars aeris, est aer, ita qualibet pars infiniti est infinita. Nec valet dicere, quod illa pars sit de natura infiniti, sicut pars aeris de natura aeris, non tamen in quantitate, & infinitate, quia pars non est æqualis toto: non valet inquam sic respondere; quia ex suppositis à nobis, si infinitum sit substantia separata, nullam habebit differentiam inter se, & partes, quia esse, & quidditas idem omnino sunt, nec aliqua ratio accidentalis ibi poni potest, cum pura substantia ponatur; non est igitur substātia partibilis ipsum infinitum. At neq; impartibile quid est; nam infinitum includit quantitatem si sit actu tale, quantitas verò non est indiuisibilis; si dicant, se loqui de infinito non quanto, hoc repugnat suis sermonibus, in quibus præcipuè de infinito corpore loquuntur; concludendo ergo totam argumentationem, dicimus infinitum non posse esse substantiam separatam, nec diuisibilem, nec indiuisibilem, & per consequens nullo modo.

Restat ergo, quod sit accidens, ac hoc modo non esset principium omnium rerum, vt dicunt, sed potius subiectum ipsius, vt aer, aut par, &c. nam (vt dictum est) accidēs non est principium per se substantiæ. Quare Pythagorei absurdè enunciant de infinito, dicentes esse substantiam, & diuisibilem, sequerentur enim absurda prius dicta. Tex.38.

Sed fortassis hæc quæstio de infinito, est magis vniuersalis, quam Physicum negotium expostulet, præcipuè si quæramus de infinito in substantijs separatis; & similiter in quantitate, illud etenim ad Metaphysicum, hoc verò ad Mathematicum attinet. Nos autem consideramus de sensibilibus, & de ijs quorum facimus scientiam, nempè de rebus ad sensibilia attinentibus, vtrum in illis sit, vel non corpus infinitum, secundum augmentum, seu secundum actum. Tex.39.

CAPVT IIII.

Probatur non dari corpus sensibile actu infinitum.

LOgicè igitur, (seu per rationes probabiles, vel pluribus facultatibus communes (speculantibus, videbitur, non esse corpus aliquod sensibile actualiter infinitū. Nullum terminatum potest esse infinitum, sed omne corpus est terminatum superficiebus, ita vt sic terminari sit de ratione, vel quidditate eius, ergo nullum corpus, nec intelligibile, sicut est corpus Mathematicum (quod vocatur intelligibile, prout abstrahitur) nec sensibile erit infinitum; omnibus namque æqualiter repugnat, quod intelligantur, vel sint, sine eo quod est de ipsorum essentia, seu ratione. Tex.40. Omne corpus est terminatū superficiebus.

Imò neque numerus potest actualiter esse infinitus. Nam nullum infinitum potest numerari, vel pertransiri, omnis numerus potest numerari, vel pertransiri, ergo nullus numerus est infinitus. Tex.41. Nullum infinitum potest pertrāsiri.

Physicis autem rationibus speculantes magis cognoscent nullum corpus sensibile esse infinitum. Nam vel erit corpus simplex, vt ignis, aqua, &c. vel ex elementis compositum, vt homo, planta, &c. sed neutro modo hoc esse potest, ergo; probatur primo, quod non possit esse compositum sic; nā vel constaret ex infinitis elementis, vel ex finitis; non ex finitis, quia vel essent omnia ipsa elementa finita magnitudine, vel infinita, non finita, quia non resultaret infinitum; ergo oportet, vt saltem vnum eorum sit infinitum, quod esse non potest, quia elementa ingredientia compositum debent esse æqualia in virtute, aliter vnum corrumperet aliud cum sint contraria, & sic parum vel nihil compositum ex ipsis duraret, sed infinitum excederet virtutem aliorum, & per consequens statim alia corrumperet, nec est dicendum, quod talis æqualitas in elementis non est necessaria, quia virtus ignis superat potentiam, vel virtutem aliorum, & tamen non accidit, sic repentina corruptio; non inquam hoc valet, quia & si aliquo modo superetur potentia, quæ est in vno corpore mixto, ab alia alterius elementi (vt si ignis finitus habeat æqualem potentiam, vel aliquo modo maiorem, cum aere, qui ponatur finitus, vel etiam infinitus dummodo ei tribuatur Tex.42. Diuisio corporis.

buatur

buatur potentia finita per casum, & excedat ipsum aerem, vel è contra, secundum aliquem numerum, seu excessum finitum) tamen si ponatur infinitum, cui correspondeat virtus infinita, necessariò corrumpet alia; quod autem sibi infinita virtus respondeat, in octauo Physicorum probatur; est igitur vis responsionis, quod licet possit esse aliquis excessus determinatus vnius elementi ad alterum, tamen si virtus vnius sit infinita, cætera corrumpet, nec potest poni, esse infinitum mole, sine infinitate virtutis, vnde habetur propositum, quod vnum elementorum componentium, infinitum esse non possit.

Neque est possibile, quod vnumquodque eorum sit infinitum. Nam corpus est, quod omniquaque habet dimensionem, scilicet in longum, latum, & profundum; ergo corpus infinitum habebit has dimensiones infinitè extensas, & sic vndequaque erit extensum in infinitum, ac omnia loca replebit, vnde alia corpora nullibi esse poterunt, cum eis locus aliquis non esset; non igitur ex pluribus infinitis constare potest, neque ex vno infinito, & alijs finitis, vt probatum est, ergo non potest esse aliquod corpus mistum infinitum.

Tex. 44. *At vero neque vnum, ac simplex contingit esse infinitum corpus; neque inquam aliquod elementum, vel aliud corpus, ab elementis distinctum, quod ab aliquibus ponitur. Sunt enim quidam, qui ponunt hoc corpus ab elementis distinctum, infinitum, & simplex; elementa verò infinita non ponunt, neque omnia, neque vnum, quia cum habeant qualitates contrarias, vt aqua est frigida, & humida, aer calidus, & humidus, &c. si vnum eorum esset infinitum, reliqua corrupta essent, multa verò, vel omnia non ponunt infinita ob rationem habitam in textu præcedenti. Quare aliud quoddam corpus infinitum ponunt, quod sit principium ex quo hæc elementa sunt.*

Tex. 45. *Impossibile autem est esse hoc simplex corpus ex quo elementa generentur; non dico tantum impossibile esse prout ponitur infinitum, quia hæc impossibilitas est de omni corpore, vt probabimus; sed etiam quod ponatur principium elementorum, nullum namque aliud datur præter quatuor corpora simplicia, quæ elementa vocantur; probatur, nam si daretur hoc corpus ex quo elementa generarentur, etiam dum corrumpuntur resoluerentur in ipsum; ex quibus enim aliquod componitur in ea resoluitur, vnde elementa resoluerentur in aliud, quam in seipsa, quod falsum est, & contra experientiam, nullum etenim aliud corpus vnquam cognitum fuit, in quod elementa resoluantur.*

Vnumquodque resoluitur in ea, ex quibus est.

Tex. 46. *Neque igitur corpus hoc, (si daretur,) neque ignis, aut aliud elementum infinitum esse potest. Nam præter hoc, quod sit impossibile esse infinitum, adhuc impossibilius esset, quod sequitur, scilicet, quod vniuersum conuerteretur, imò conuersum esset totaliter in naturam illius; nam propter suam infinitam virtutem, omnia consumeret, & in suam naturam conuerteret. Ideò Heraclitus, qui habuit opinionem, quod ignis sit infinitus, asserebat omnia fieri aliquando ignem. Absurda autem sunt ista, cùm natura, bonum, & conseruationem vniuersi, perpetuo intendat.*

Tex. 47. *Eadem ratio est de ipso vno corpore, quod ab elementis distinctum ponunt. Si etenim esset infinitum omnia elementa corrumperet, & in suam naturam conuerteret, nam si ex ipso elementa generantur (vt dicunt) erit eis contrarium, (quicquid enim generatur, ex contrario generatur, vt aer ex aqua, &c.) & sic haberet virtutem infinitam, & elementis contrariam, ergo ea corrumperet; patet ergo ex prædictis, non posse aliquod corpus, neque simplex, neque compositum, seu mistum esse infinitum. Oportet autem adhuc de omni corpore considerare, si potest esse infinitum, vel non his sequentibus rationibus.* Tex. 48.

Quod autem omnino impossibile sit esse corpus infinitum sensibile ex his rationibus erit manifestum; omne corpus sensibile aptum est esse in aliquo loco, & actualiter datur locus vniuscuiusque sensibilis corporis, ac denique, idem est locus totius, & partis, non quoad occupationem, ita vt tantum pars locum occupet, quantum occupat totum, sed quoad tendentiam, & inclinationem, vt ad eundem locum, scilicet ad centrum tendit tota terra, & quælibet pars, seu gleba ipsius, & similiter ad eundem locum tendit ignis, scilicet ad propriam regionem, & quælibet eius scintilla, quod præcipuè habet veritatem in corporibus similaribus, seu homogeneis, de quibus nunc loquimur. Quibus suppositis probemus, quod si esset corpus aliquod infinitum sensibile, esset immobile, secundum totum, & secundum partes, vnde non esset corpus sensibile, seu naturale, & sic esset contradictio; probatur igitur primo de toto, quia si esset infinitum nullum relinqueret locum ad quem moueri posset, de parte verò sic ostenditur. Si pars est eiusdem speciei cum corpore, habebit eundem locum, vt suppositum est, ergo vel ipsa pars erit quid immobile, aut semper mouebitur, vtrumque est impossibile; si etenim sit immobilis non erit ens naturale, seu de natura corporis. Si verò ponatur mobilis, quonamque mouebitur, cur enim magis sursum, quam deorsum, aut quouis? cum totum spatium, vel locus infinitus corporis, cuius ponitur pars, sit ei æqualiter naturalis, vt suppositum est; dico autem vt si gleba sit, quonam hæc mouebitur, aut vbi manebit? cum ipsi sit idem locus, cum corpore infinito sibi congeneo, seu simili. Vtrum igitur occupabit totum locum, & quomodo hoc esse potest? pars enim non occupat locum totius, at si occuparet, esset immobilis, cum locus sit infinitus. Vnde patet, quod tam totum, quàm pars esset immobilis. Est etiam difficultas de quiete, quæ namque potest esse quies ipsius? quiescere namque est manere in proprio loco, sed locus eius (ex prædictis) est infinitus, ergo non habet vbi quiescat, nisi dicatur, quod vbique quiescat, quod est magis absurdum, cum nec omnem locum occupet, nec ad vnam partem magis, quàm ad aliam sit nata moueri, & quiescere, præterea si vbique manebit, erit immobilis, cum locus ad motum non relinquatur. Si verò vbique mouebitur, non habebit quietem, nec locum in quo quiescat, quod falsum est; nam quo aliquid naturaliter mouetur, ibi natum est quiescere, nisi moueatur circulariter. Sed hic de corpore circulari non est sermo, habebitur namq; in libris de cęlo. Relinquitur ergo impossibile esse, quod detur corpus aliquod sensibile homogeneum, seu ex partibus eiusdem rationis, nam esset immobile secundum totum, & secundum partes. Nunc autem probandum est, quod non detur corpus infinitum compositum ex partibus dissimilibus, seu specie diuersis, quod vocatur etherogeneum sic.

Aliqua supposita ante probationem.

Idem est locus totius, & partis.

Si verò dissimile, seu etherogeneum sit ipsum corpus infinitum, erunt etiam dissimilia loca, vnde non erit vnum corpus continuum, sed potius contiguum per contactum tantùm, & sic non erit quæstio, an detur vnum corpus infinitum, sed an possint plura infinitum vnum coacernare. Præterea supposito, quod sit continuum, & vnum Tex. 49.

sic arguitur, vel istæ partes sunt infinitæ specie, vel finitæ, ita scilicet vt vna sit de natura, vel specie ignis, alia aquæ, &c. neutro modo potest dici, ergo; probatur quod neutro modo esse possit. Si enim sunt finitæ specie, vel habebunt finitam quantitatem, vel non; si finitam, non constituent infinitam; si verò ponatur vna infinita, corrumpet alias, vt supra probatum est, cum in ipsis sit contrarietas, & propter hoc nullus eorum qui de rebus naturalibus locuti sunt, ac infinitum posuerunt, ausi sunt dicere, ignem vel terram esse infinita, quia sicut in ipsis apparet determinatus locus, vt ignis in concauo orbis lunæ, terræ in centro, ita contrarietates maximè in ipsis vigent, ac determinatæ sunt, vnde alia elementa corrumperent. Sed bene posuerunt aquam, uel aerem, uel aliud corpus medium infinitum, quæ sicut media loca participant (sunt enim partim sursum, partim deorsum) ita quasi media contrarietate sunt affecta, unde tantam uim corrumpendi alia non habent. Sed ad propositum. Non potest igitur corpus constare ex una parte infinita, & alijs finitis, quia alias corrumperet. Si uero sint infinitæ partes secundum speciem differentes, ac simplices (mistum namque ex simplicibus constat) sequitur quod essent loca infinita, specie distincta, ac infinita elementa; patet, nam diuersus locus secundum speciem est terminus diuersi motus secundum speciem, & diuersus motus specificus arguit diuersum elementum, seu corpus simplex, ergo de primo ad ultimum erunt infinita loca, & infinita elementa; utrunque uero est absurdum, nam differentiæ loci sunt determinatæ, scilicet sursum, deorsum, dextrum, sinistrum, ante, & retro. Similiter de elementis est notum, non esse infinita, præter quam quod nulla daretur generatio, cum infinitorum non sit primum, nec transitus, nec scientia, & alia, quæ adduximus contra Anaxagoram. Cum uero hoc sit impossibile, sequitur loca esse finita, ac finita elementa, & corpus ex ipsis constans; nam dato loco finito, etiam corpus locatum finitum erit, cum impossibile sit, locum proprium non esse æqualem locato corpori. Vnde neque locus est maior corpore, quia daretur uacuum ex illa parte, qua locus esset maior. Nec corpus est maius loco, quia aliqua pars corporis esset sine loco. Vtrunque uero est inconueniens, quia & natura abhorret uacuum, & omne corpus est in loco, quæ supponantur usque ad proprium locum.

Locus est æqualis locato.

Tex. 50. Anaxagoras autem, ut has rationes de motu, & quiete infiniti euitaret, dicit (sed inconuenienter), ipsum infinitum non moueri, sed quiescere, non in aliquo loco, sed in se ipso, ac se ipsum firmare, ratio eius est. Quia aliquid quiescit ex eo, quod continetur ab aliquo loco, & fundatur in aliquo quiescente. At quia infinitum est in se ipso, non continetur ab alio, nec aliud continet, sed in se ipso quiescit, & naturaliter: nam ubi aliquid est, ibi naturaliter quiescit. Et sic credit euitare rationes ducentes ad impossibile de motu ipsius, quibus quærebatur quomodo, uel mouetur, uel quiescit; Attamen errat, non enim uerum est, quod ubi aliquid est, ibi est aptum esse, nam aliquid potest esse uiolenter extra proprium locum, ut ignis deorsum, terra sursum; & tamen ibi non est aptum esse naturaliter, ergo male dicit quod sit aptum esse in se ipso, quia in se ipso est.

Si igitur quam maximè totum infinitum non mouetur,
Tex. 51. ex eo quod in se ipso firmatur, tamen oportebat assignare causam, cur non sit aptum naturaliter moueri. Dicere enim quod firmat se ipsum, est euasio, nam eodem modo possemus dicere de quocunque immoto. Vnde quamuis quiescat, nihil prohibet, quod sit aptum moueri, nec infinitas est ratio quiescendi; accidit enim quiescenti corpori alicui, quod sit finitum, uel infinitum, causa uero per accidens non est assignanda pro determinatione certa ueritatis. Quare quamuis terra esset infinita non hac ratione maneret in centro, nec prohiberetur ab ipso, sed quia est apta naturaliter manere in medio, eo quod sit grauis, grauia uero ad centrum tendunt, & ibi quiescunt, ergo si in terra causa quietis non est finitas, nec infinitas, sed alia aptitudo concernens motum, & quietem, similiter dicendum est de infinito, quod quamuis sit in se ipso, alia causa est suæ quietis, quam infinitas assignanda, & quod firmat se ipsum.

Præterea si infinitum firmat se ipsum, & in se ipso Tex. 52.
quiescit, ergo etiam qualibet pars ipsius se ipsam firmabit, & in se quiescet, quod est falsum: nam qua ratione quiesceret hic, quiesceret illic, cum infinitum locum respiciat; Vel cum ipsa pars sit finita, sequitur quod si in se quiescat, ratio infinitatis non est causa quietis, & sic infinitum non quiescit in se prout est infinitum. Consequentia probatur; nam idem est locus totius, & partis, ad quem utrunque natum est moueri, & quiescere, ergo si locus in quo infinitum quiescit est in se ipso, pariter erit locus in quo quiescit pars, unde in se ipsa manebit.

Amplius omne corpus sensibile est in aliquo loco ad Tex. 53.
quem etiam naturaliter mouetur, dum est extra ipsum, sed si esset infinitum nullum naturalem locum haberet. Probatur; nam omne corpus sensibile habet grauitatem, uel leuitatem (excludendo cælum de quo modo non est sermo) & graue natum est moueri ad medium, seu deorsum, leue sursum, ergo hoc etiam modo infinitum moueri deberet. Hoc autem est impossibile, nam infinitum respicit locum infinitum in quo non potest assignari sursum, & deorsum, cum hæ differentiæ loci dicant terminos, qui infinito repugnant. Si uero dicatur, dimidium ipsius infiniti esse sursum, & dimidium deorsum, est etiam absurdum, nam in infinito non potest medium assignari; est etenim medium, quod æqualiter distat ab extremis, sed infinitum extremis caret.

Amplius omne corpus sensibile est in loco, sed diffe- Tex. 54.
rentiæ loci sunt determinatæ, & distinctæ, non tantum secundum nostrum modum considerandi, sed etiam ex parte rei in ipso uniuerso: sunt autem istæ sex, sursum, deorsum, ante, retro, dextrum, & sinistrum; sed infinito nihil determinatum respondet, ergo non est in loco, & per consequens non est corpus sensibile.

Differentiæ loci sunt determinatæ, & distinctæ ex parte rei in vniuerso.

Si autem est simpliciter impossibile, aliquem locum Tex. 55.
esse infinitum, & omne corpus est in loco, impossibile erit esse infinitum corpus, ista namque sunt conuertibilia esse in loco, & alicubi, & alicubi esse, & in loco esse; quare non est asserendum infinitum alicubi esse, sed non in loco. Si igitur ipsum infinitum non potest esse quantum, quia omnis species quantitatis dicit aliquam terminationem, vt bicubitum, tricubitum, &c. locus uero, & alicubi esse, quantitatem designant, sequitur ipsum non posse nec in loco, nec alicubi esse; quod uero locus significet quantitatem determinatam, patet ex supradictis sex differentijs, scilicet sursum, deorsum, &c. quarum qualibet terminum aliquem dicit. Est notandum, quod hic accipiuntur indifferenter locus, & ubi, propter concomitantiam quam habent ad inuicem, & sic ad propositum, nihil refert; licet reuera differant, & sint in diuersis prædicamentis, ut suo loco declarabitur.

CAPVT V.

Probatur dari infinitum in potentia.

Tex. 56.

Qvod igitur actu non sit corpus infinitum, manifestum est ex prædictis. Quod uerò si nullo modo ponamus infinitũ, multa impossibilia accidant, manifestum est. Nam daretur principium, & finis temporis, & magnitudines non erunt diuisibiles in magnitudines in infinitum, nec numerus esset in infinitum augmentabilis, quæ omnia sunt falsa, & contra principia Physicæ, Geometriæ, & Arimeticæ. Cum autem sic facta determinatione, neutra ex parte uidetur fieri posse, idest neque auferri, nec simpliciter poni infinitum, pro determinatione opus erit arbitrario iudice, qui litem, & difficultatem determinet. Respondemus igitur, manifestum esse, quod aliquo modo sit infinitum, aliquomodo non. Nam dupliciter infinitum esse dicitur, scilicet in actu, & in potentia. Quod quidem infinitum in potentia, est, uel per appositionem, ut si quis numero addat aliam, & aliam unitatem usque in infinitum, uel per diuisionem; omnis namque quantitas continua in infinitum est diuisibilis, ut melius habebitur in sexto physicorum, & sic appositione, & diuisione datur infinitum; neque est difficile remouere lineas indiuisibiles; dicebant enim aliqui non in infinitum magnitudines diuisibiles esse, sed standum esse ad lineas quasdam indiuisibiles, quod falsum est, datur ergo infinitum in potentia; quod uero non sit magnitudo actu infinita, dictum est supra.

Infinitum duplex, in actu, & in potentia.

Tex. 57.

Relinquitur igitur potentia esse ipsum infinitum; est tamen notandum, quod aliquid dicitur in potentia dupliciter, scilicet ad actum perfectum, & imperfectum; actus præfectus est, qui totus simul potest haberi, vt forma hominis, statuæ &c. imperfectus, qui non simul haberi potest, vt dies est in actu imperfecto, quia non est totus simul, & sic potest dici de omnibus, quæ habent esse in fieri, vt motus, &c. Cum igitur dicitur, infinitum esse in potentia, non est intelligendum quod sit in potentia ad actum perfectum, sicut domus, vel statua, sed ad imperfectum, sicut dies, certamen, ludi Olympici. &c. ista enim sic sunt in potentia, vt nunquam ad perfectum actum reducantur, sed cum actualitate habent etiam potentiam admistam, vt dies dicitur quia est, & fit, vel est, & potest esse; similiter certamen, & ludi Olympici. Sic etiam infinitum dicitur in potentia, & reducitur ad actum imperfectum, seu incompletum. Diuersimodè tamen accipitur infinitum in rebus permanentibus, & successiuis, vt in hominibus, vel magnitudine, & tempore, hoc tamen est omnibus commune, quod semper altera, & altera pars accipiatur, quæ tamen finitæ sint.

Esse in potentia dupliciter.

Actus perfectus quid aceuam imperfectus.

Tex. 58.

Amplius (vt dictum est) ipsum esse, seu actus dupliciter dicitur, ideo non oportet accipere infinitum, quasi in actu completo, vt homo, vel domus, sed vt dies, & certamen, quorum esse, non est vt substantia quædam, sed consistit in continua generatione, & fieri, ita vt semper quod accipitur sit finitum, nec idem pluries accipiatur, sed semper alterum, & alterum. Sed in magnitudinibus, ac rebus permanentibus, quod accipitur remanet, in hominibus vero, & tempore, quod accipitur corrumpitur, sed sic tamen accipitur aliud, & aliud de vtrisque, quod nunquam deficiant. Est tamen obseruandum, quod homo est quid permanens, tamen dicitur in acceptione infiniti, hominem non permanere, quod verum est, non vt homo quidam particularis est, nec prout homo, quomodocunque accipiatur in sua ratione, seu natura, sed in ordine ad generationem, hoc est si generatio hominum sit infinita, homo acceptus non semper permanet, sed corrumpitur, & alter accipitur.

Infinitum non in actu perfecto, sed imperfecto.

Tex. 59.

Est autem modo notandum, quomodo differant infinitum in potentia, quod fit per additionem, ab eo quod fit per diuisionem, & quomodo conueniant. Sunt autem quodammodo idem in hoc, quod vtrumque est in potentia, & quod accipitur ex vtroque semper est finitum, & neutrum reducitur ad actum completum. Differunt vero, quia infinitum per appositionem videtur procedere per modum determinationis, semper enim quod augetur, per partem aduenientem determinatur, sed infinitum diuisione tendit ad indeterminata, quia semper diminuitur, & versus minoritatem, seu (si fas est dicere) versus nihilitatem tendit, vnde in hoc sunt è diuerso. Obseruandum est etiam, quod non quomodocunque accipiantur partes continui fit diuisio in infinitum, sed debent accipi partes proportionales; duplices namque in quolibet continuo possunt partes considerari, nempe proportionales. & quantitatiuæ. Dicuntur proportionales, quarum secunda (ad rem) habet proportionem dimidiam cum prima, tertia vero cum secunda, quarta cum tertia, & sic de alijs; verbi gratia diuidatur totum in duas partes æquales, & vna pars similiter in duas alias æquales dimidatur, & sic vna pars illius, &c. semper hoc modo procedendo fit diuisio per partes proportionales; hoc autem inquam modo continuum est diuisibile in infinitum. Partes quantitatiuæ, sunt quæ secundum aliquam determinatam quantitatem accipiuntur, vt quælibet sit v. g. vnius palmi, vel vna vnius, altera duorum, dummodo non seruetur ordo, & proportio prædicta, & hoc modo quodlibet continuum consumitur, nec est diuisibile in infinitum. Epilogando igitur. Si quis in magnitudine finita accipiat partes eadem ratione, seu proportione, non pertransibit finitum. Sin vero sic augeat rationem, seu proportionem accipiendi, sed semper aliquam accipiat magnitudinem, pertransibit; propterea quod omne finitum absumitur, quouis finito iterum, & iterum ablato secundum eandem mensuram. Non igitur infinitum est aliomodo, nisi sic vt dictum est in potentia, quæ consistit in diuisione, & appositione. Actu vero est sicut dies, & certamen vt diximus, scilicet in actu incompleto, & in potentia est sicut materia, quæ ex se nec actus est, nec quid determinatum, vt forma; sic infinitum non est per se determinatum sicut finitum, sed fortè est determinatum per accidens, ratione partis determinatæ, quæ accipitur.

Partes proportionales & quantitatiuæ.

Tex. 60.

Est etiam infinitum appositione, eo modo quo est infinitum diuisione, scilicet quod nunquam ad actum completũ reducitur, sed semper aliquid extra partem acceptam restat accipere, non tamen excedit omnem determinatam magnitudinem, ita vt fiat actualiter infinitum. Sed in diuisione excedit ratione minoritatis, nam quacunque parte data, potest dari minor. Appositione verò nequaquam, quia aliquid posset fieri Cælo maius, vel ipsum cælum augeri; at vtrunque repugnat, cum ipsum cælum sit inaugmentabile, & alia omnia sub ipso contineantur. Vnde per nullam naturalem potentiam potest in infinitum crescere, cum infinitum in actu non possit esse, licet aliqui oppositum teneant, nempe dari infinitum in actu secũdum accidens, hoc est secundum quantitatem infinitam, cuius subiectum dicunt esse aerem, aut aliquid tale, ac manere

extra

extra cælum, quorum opinio superius reprobata est. Cum igitur infinitum in actu dari non possit, manifestum est, quod neque sic augeri potest, vt denique ad actualem infinitatem perueniat, sed tantum potest augeri per partes proportionales contrario diuisionis modo, nam in diuisione itur ad decrementum, in appositione, ad accrementum, & hæc est contrarietas.

Tex.61. Plato verò etiam posuit infinitum in diuisione, & appositione, tamen in verbis suis est repugnantia, nec benè vtitur ipsis duobus infinitis; nam in numeris ait, esse statum in numero denario, (alij namque numeri secundum ipsum sunt potius iterationes denarij) ergò non proceditur in infinitum ex parte appositionis, errat etiam circa infinitum in diuisione, quia indifferenter de quacunque quantitate hoc asserit, quod falsum est, quia numerus non est diuisibilis in infinitum, sed status est in binario. Vnitas verò non est numerus, sed principium ipsius.

Tex.62. Aliqui autem definiunt infinitum hoc modo. Infinitum est cuius nihil est extra. Sed accidit contra esse infinitum, quam vt dicunt, nam illud est infinitum cuius semper aliquid est extra; vnde annulos non habentes palam, seu nodum, infinitos aliquomodo vocamus, cum in eis semper accipi possit altera, & altera pars absque determinatione alicuius. Hoc autem est tantum secundum similitudinem, & causa declarandi, nam re vera in annulo licet non sit determinata pars, & sic alia, & alia accipi videatur, re vera tamen, eadem partes multoties accipiuntur, sed in infinito semper accipiuntur diuersæ, & realiter aliquid restat semper accipiendum.

CAPVT VI.

Traditur definitio infiniti, & refellitur ea, quæ antiquorum.

Tex.63. INfinitum igitur id est, cuius secundum quantitatem accipientibus, semper aliquid accipere extra est. Cuius autem nihil est extra accipere, sed omnia in se continet, id non infinitum, sed totum dicitur, definitur enim totum hoc modo. Est cuius nihil abest, vt homo totus, vel arcula tota, dicuntur, quibus nihil de homine, vel arca deficit, vt autem definimus aliquod totum particulare, vt arcam, vel hominem, sic propriè totum in vniuersali definiri potest, esse scilicet id cui nihil deest, vnde cui aliquid deest (quicquid sit) illud totum non dicitur.

Infinitum quid.

Totū quid.

Tex.64. Totum autem, & perfectum, aut sunt penitus idem, aut natura proxima, seu simili, (fortè enim in plus se habet perfectum, cum in rebus impartibilibus sit, vt in intelligentijs, totum vero dicit ordinem ad partes, sed in naturalibus forsitan sunt penitus idem,) sed perfectum nihil dicitur quod non habeat finem, vel terminum, ergo infinitum, non est totum, nec perfectum, vt Antiqui dicebant. Quapropter existimandum est, melius Parmenidem dixisse, Melisso. Nam Melissus dicit infinitum esse totum. Parmenides vero dicit totum esse terminatum, æqualiter à medio distans secundum sua extrema; errat igitur Melissus coniungendo totum cum infinito, non enim possunt ad inuicem copulari, infinitum, & totum, seu vniuersum, sicut linum continuatur lino.

Tex.65. Quoniam ex superiori copulatione Infiniti cum toto, accipiunt hanc dignitatem, seu axioma de ipso, quod scilicet sit extra quod nihil est: hinc inferunt, omnia continere, ac perfectam habere rationem totius, Sed decipiuntur ex eo, quod habet quandam similitudinem cum toto, præcipuè in hoc quod vtrunque dicitur in ordine ad partes; imò cum ipsum infinitum ad infinitas partes referatur, magis videtur habere rationem totius. At errant, quia ipsum non est nisi materia perfectionis, totius, & magnitudinis, nam reuera infinitum pro connotato principali est materia, seu subiectum magnitudinis, quod aptum est in infinitum diuidi, vel augeri, vnde est in potentia totum prout est terminabile à forma, vel partibus; in actu vero nequaquam; quo vero ad rationem infinitatis, eam habet prout in infinitum est diuisibile, vel augmentabile. Si vero dicatur totum, vel finitum; non hoc erit secundum se, sed per aliud, nempe ratione partium terminantium ipsum, vel ratione formæ, Vnde cum in ratione infiniti sit velutì materia, non continet, sed continetur, & eadem ratione est etiam ignotum, nam omnis cognitio habetur per formam, materia verò in se considerata non includit formam.

Quare manifestum est, quod magis habet rationem partis, quam totius ipsum infinitū, nam materia est pars, & non totum, vt æs est materia, & pars statuæ. Non igitur potest omnia continere, & sic errat Plato, qui posuit magnum, & paruum esse materiam rerum, ac omnia continere, tam sensibilia, quàm intelligibilia. Si enim intelligibilia contineret, tunc esset ratio cognoscendi illa, (quod enim continet habet modum formæ, seu actualitatis ex qua incipit cognitio) hoc autem est falsum, cum ex sua natura sit ignotum. Præterea indeterminatum non potest continere, & determinare, sed infinitum prædictum est indeterminatum, ergo. Tex.66.

CAPVT VII.

Assignatur causa propter quid non detur infinitum in actu, sed in potentia.

RAtionabiliter autem accidit, quod infinitum per appositionem, non possit sic excedere, vt sit tandem infinitum in actu, sed quod in diuisione consistit, semper potest diuidi; ratio est quia infinitum per appositionem respicit partem appositam, & determinantem, terminare vero est formæ, vnde cum formæ, & terminationi repugnet infinitas, hac de causa non potest vsque ad actualem infinitatem augeri. In diuisione vero proceditur ad indeterminata, ideò semper indeterminationis ratio remanet, & per consequens infinitas; vnde hæc infinitas diuisionis materiæ tribuitur, quæ est quid indeterminatum, sicut infinitum apositionis tribuitur formæ, quæ est quid determinatum, & continens. Tex.67.

Terminare est forma.

Rationabiliter autem numero ratio terminationis ex parte diuisionis, seu versus minimum; infinitas verò ex parte appositionis, seu versus maximum, opposito modo quam magnitudini conuenit. Nam magnitudo versus diuisionem potest semper excedere in paruitate, vt quaque data parte, minor semper dari potest. Sed versus appositionem nunquam ad infinitatem actualem perueniet. Ratio cur in numero non possimus in infinitum diuidere, est quia denique peruenimus ad vnitatem, quæ est indiuisibilis, vnde amplius diuidi nequit, numerus enim est ex indiuisibilibus; est nanque plura vna, ergo ad indiuisibilia resolue- Tex. 68.

resoluetur, & ab ipsis indiuisibilibus denominatur, vt numerus ternarius ex tribus vnitatibus dicitur. Ex parte vero appositionis crescit in infinitum, quia sequitur diuisionem continui, vnde si continuum in infinitum diuidatur, & qualibet pars diuisi numeretur, in infinitum procedit, & crescit numerus. Quare sicut diuisio dicit infinitatem in potentia, sic numerus, nunquam etenim actualis numerus infinitus dari potest, sed est semper in fieri, sicut diximus de tempore, & de numero temporis, scilicet de motu (vocantur namque reciproce tempus numerus motus, & è contra, vt habetur in 4. physicorum tractatu de tempore) nec numerus est separabilis à rebus numeratis: ideo sicut illæ non sunt actualiter infinitæ nec numerus; quod dicitur propter Platonem, qui numerum à sensibilibus separatum posuit, vt habetur primo Metaphysicorum tex. 8.

Tex. 69. *In magnitudine autem contrarium est, potest enim fieri diuisio in infinitum, non autem appositio, sic vt tandem fiat infinitum actu. Quod verò non possit in infinitum augeri, probatur; nam quantum aliquid est in potentia, tantum contingit, vt sit in actu, ergo si magnitudo esset in potentia augmentabilis vsque in infinitum, posset denique esse actualiter infinita, hoc autem consequens est falsum, & impossibile, vt visum est, ergo etiam antecedens; cum igitur nulla sit magnitudo sensibilis actualiter infinita, neque erit aliqua in potentia talis, nam quæ fieri possunt, credibile est, à natura facta fuisse, quæ nec est otiosa, nec diminuta; ergo cum non sit, neque esse potest. Præterea si posset esse magnitudo infinita, aliquid esset maius cælo, quod est absurdum, cum ipsum sit causa, & continens omnium. Est tamen notandum, quod hic negatur additio quantitatis in infinitum secundum partes quantitatiuas ex quibus infinitum in actu resultaret, non autem secundum partes proportionales, nam quæ ex continuo separantur possunt alteri apponi, præter quam quod esset repugnantia in dictis.*

Tex. 70. *Reperitur igitur infinitum in magnitudine, motu, & tempore, sed non eodem modo, imò analogicè, scilicet secundum prius, & posterius; nam primò reperitur in magnitudine, postea in motu, denique in tempore, motus enim vt latio, alteratio, vel augmentatio, ideo est infinitus, vel finitus, quia super magnitudinem finitam, vel infinitam efficitur, tempus verò, quia motum sequitur: sed pro nunc sufficiat his vti, posterius verò exactè hoc determinabimus, ac etiam declarabimus, propter quid omnis magnitudo sit in magnitudines diuisibiles, quod fiet in 6. Physicorum.*

Tex. 71. *Ratio nostra, qua probauimus non esse infinitum in actu, non tollit Mathematicos a propria contemplatione, hoc est negando infinitum in actu, non est contra aliquod principium Mathematicæ. Nam neque indigent tali infinito, neque vtuntur, sed tantùm ponunt quantamcunque magnitudinem etiam excedentem omnem, quæ vniuersi est; semper tamen finitam, & si interdum infinita vtantur, hoc erit conditionaliter; verbi gratia, si duæ lineæ paralellæ ducerentur in infinitum, nunquam tamen concurrerent, at conditionalis nihil ponit in esse. Præterea; maxima magnitudo potest eadem ratione diuidi, sicut quantacunque alia, ergo eodem modo si infinita sicut qualibet finita diuidi potest; cur debet poni? vnde ad demonstrationes omnes mathematicas efficiendas, nihil differt accipere magnitudinem infinitam, vel finitam, ergo potius finita accipi debet, cum sit magis veritati consentaneum; finita, namq; quantitas verè in natura existit.*

Cum autem quatuor sint genera causarum; videndum est ad quam ipsarum infinitum pertineat. (Quicquid enim est habet aliquem modum causandi, aliter esset in natura otiosum.) Manifestum est igitur, quod est veluti materia, seu causa materialis: probatur, nam esse, & quidditas ipsius est priuatio, termini scilicet, & finis; sed priuatio, eo modo quo causat ad materiam reducitur, materia namque appetit formam propter priuationem, & sic priuatio est quasi ratio causandi sibi, vnde ex ratione formali, infinitum priuatio est, & ad materiam reducitur. Sed pro connotato, nempe pro illa re, quæ dicitur infinitum, sic magis, & positiuè se tenet ex parte materię; probatur nam per se subiectum infiniti est corpus sensibile, quod ideo est subiectum huiusmodi, quia habet quantitatem, quæ se tenet ex parte materiæ, prout est, quid indeterminatum, passiuum, & commune sicut materia. Confirmatur, nam omnes qui infinitum ponunt, vtuntur eo sicut materia, vt Plato qui magnum, & paruum materiam, & infinitum ponit, similiter alij. (Sed est obseruandum, quod omnes illi tantum, qui præter infinitum ponunt alias causas, connumerant ipsum inter causas materiales, non simpliciter omnes. nam aliqui per infinitum intelligunt Deum, vt visum est.) Cum igitur sit in genere causæ materialis, cuius est contineri, & non continere, inconueniens est dicere, ipsum esse continens, & non contentum, sicut supra dicebant aliqui. Tex. 72.

Natura, & essentia infiniti consistit in priuatione.

C A P V T VIII.

Soluuntur rationes, quæ videntur probare, quod detur infinitum in actu.

R*Eliquum est soluere rationes, quibus videbatur probari, non solum esse infinitum in potentia, sed etiam in actu. Alia itaque ipsarum non sunt necessariæ, alia vero sunt falsæ, & habent obiectiones, seu alias propositiones sibi contrarias veras. Quare illa in qua habetur; ideo necessariò debere esse infinitum, quia aliter generationes deficerent, nihil valet, nam generatio vnius est ex corruptione alterius, & sic illa materia, quæ erat rei corruptæ, fit materia geniti, quæ tamen finita est, nec quodlibet genitum accipit partem alicuius materiæ, vel corporis sensibilis, vt ratio supponit, habet hæc igitur veram oppositam, quia ex vna materia finita plura fieri possunt, & erat ratio tertia.* Tex. 73.

Alia vero ratio qua probatur quod omne finitum finitur ad aliud, & sic ad infinitum deueniendum est, est etiam falsa, & habet sibi oppositam veram, nam finitum potest finiri proprio termino, sicut est sua superficies. Valet autem quod dicit, de tangere; omne namque tangens aliud tangit, sed tangere, & finitum esse, alterum seu diuersum est, vnde accidit alicui finito, quod alterum, tangat; & sic tangere est ad aliquid, non autem finitum esse, neque cuiusuis finiti est tangere quodquis aliud, hæc autem fuit quarta ratio. Tex. 74.

Quinta vero ratio in qua habetur; intellectum posse concipere infinitum, ergo infinitum datur, est etiam erronea, quia inconueniens est credere imaginationi, non enim quia nos imaginamur superabundantiam, & defectum, ideo est in rebus, sed tantum in imaginatione, & intellectione: vnde vnusquisque nostrum potest intelligere aliquem esse se ipso maiorem in infinitum, at non propter Tex. 75.

hoc

hoc ita est, & similiter quis potest imaginari, aliquem esse extra vrbem, & multa alia, non tamen ita est, sed veritas est, si in re sit fundamentum; dum autem dicitur, quod imaginatio, & intellectio fit ab obiecto externo, ergo habet correspondentiam in re; non valet consequentia, quia prima motio est ab aliquo externo obiecto, super quam, & vltra, aliæ innumeræ possunt fabricari. Ad illud quod dicitur; cœlum esse factum in tali parte spatij, ne ibi daretur vacuum, ergo eadem ratione debet per totum spatium fieri repletio, & sic infinitum corpus. Respondetur illud spatium esse propriè nihil, ideo nullam dicit aptitudinem, nec priuationem, sicut supponunt ponentes vacuum, vnde & si non impleatur non tamen vacuum est. Alia vero duæ primæ rationes de tempore, & magnitudine, quod scilicet tempus sit infinitum, & magnitudo in infinitum sit diuisibilis, non concludunt, nisi de infinito in potentia, vnde sunt infinita, non eo modo quo ipsi volunt, sed sicut nos. Sed tempus, & motus sunt infinita in potentia, ita ut pars quæ ipsorum accipitur non permaneat. Magnitudo vero neque diuisione, nec appositione est actualiter infinita; quia non contingit esse actualiter in infinitas partes diuisa, nec in infinitum acta; dum vero diuiditur, vel augetur, pars eius accepta est permanens, & sic differt à motu, & tempore infinito. Sed de infinito quidem, quomodo est, & quomodo non est, & quid est, dictum est.

Finis Paraphrasis Tertij Libri Physicorum.



ANTO-

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marſorum:

IN TERTIVM LIBRVM PHYSICORVM Ariſtotelis Quæſtiones.

QVÆSTIO PRIMA.

Quoniam autem natura quidem eſt principium. Tex. 1.

Circa hunc textum, quæritur de veritate iſtius propoſitionis. Neceſſarium eſt ignorato motu, ignorare naturam.



Rguitur ergo primò, quòd ipſa neceſſaria non ſit, hoc pacto. Nullum poſterius eſt neceſſarium ad cognitionem prioris, ſed motus eſt poſterior natura, ſi quidem eſt effectus eius, ergo. Probatur maior, quoniam prius ſicut à poſteriori in eſſe non dependet, ita neque in cognoſci; nam cognitio ſequitur eſſe, ex 2. Metaphyſ. tex. 4.

Secundò. Quod eſt neceſſarium ad cognitionem alicuius, vel eſt pars ipſius definitiua, vel ſuum correlatiuum; at motus neutro modo ſe habet reſpectu naturæ, non etenim eſt pars, quia effectus, & accidens non eſt pars cauſæ, & ſubſtantiæ; non correlatiuum, quia tam motus, quam natura, ſunt de genere abſolutorum; natura namq; ad ſubſtantiam, motus ad quantitatem pertinet, ergo.

Tertiò. Subſtantia ad ſui cognitionem accidentibus, non indiget; nam ipſa eſt prior ipſis cognitione, & definitione, & tempore ex 7. Metaph. tex. 4. Sed natura eſt ſubſtantia, nam eſt materia, & forma; motus verò eſt accidens, ergo; hoc tamen argumẽtum virtualiter in duobus prædictis continetur. Pro intelligẽtia quæſtionis tria breuiter adnotauimus. Primum duplex eſt neceſſitas, videlicet conſequentis, & conſequentiæ. Conſequentis eſt dum in aliqua argumentatione, quæ præcipuè ex antecedente, & conſequenti conſtat, ipſum cõſequens eſt ex ſe neceſſarium, etiam nullo habito reſpectu ad antecedens; vt in iſta, homo eſt viuens; ergo homo eſt ſubſtantia, & dicimus notanter in aliqua argumentatione, quia hic loquimur de neceſſitate complexa, nec ſimplici, ſed ad modum argumentationis redacta; complexa verò ſimplex eſt quæ in pura propoſitione, in qua prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti conſiſtit, vt homo eſt animal, homo eſt rationalis. At neceſſitas incomplexa eſt neceſſitas exiſtentiæ, qua neceſſitate Deus ſecundum veritatem eſt ſimpliciter neceſſarius, quia ipſe ſolus neceſſariò ſemper eſt. Neceſſitas autem conſequentiæ eſt quando aliqua propoſitio non ratione ſui, ſeu habitudinis eſſentialis prædicati ad ſubiectum, ſed ſolum

Neceſſitas conſequentiæ, & conſequentis.

virtute antecedentis, neceſſitatem habet, imò interdum in ſe poteſt eſſe falſa, vt homo volat, ergo habet alas; hæc vltima propoſitio in ſe falſa, ex ſuppoſito antecedente eſt neceſſaria; Vnde maximè differt conſequens à conſequentia; Nam conſequens eſt illa materialis propoſitio, quæ poſt antecedens ponitur. Conſequentia eſt habitudo conſecutionis antecedẽtis ad conſequens, ſeu vulgariter loquendo, eſt illud ſequi, ſeu ab antecedenti deduci, quod ſic patebit, ſi quis dicat homo eſt animal, ergo eſt rationalis, poterit negari conſequentia, hoc eſt, quod ab eſſe animal, ſequatur eſſe rationale, quãuis conſequens ſit ſimpliciter neceſſarium; vnde patet, quod idem non ſit; ex oppoſito conceditur conſequentia, vbi falſum eſt conſequens, vt in iſta homo volat, ergo habet alas. Secundum notabile, natura ipſa tripliciter (ſicut alia quæcunque) cognoſcibilis eſt, videlicet per ſimplicem apprehenſionem, ſiue intuitiuam, ſiue abſtractiuam, hoc eſt, modo confuſo; ſecundo per definitionem; tertio per demonſtrationem, ſiue ipſa eſſe, ſiue aliquam paſſionem de ipſa demonſtrando. Tertium notabile; natura hoc loco ſumi debet, pro illa propenſione, vel inclinatione, vel principio ad motum, non autem pro alijs acceptionibus, quas in 2. Phyſic. commemorauimus; quibus ſuppoſitis aliquas concluſiones ponamus.

Conſequẽs quid. Conſequentia quid.

Concluſiones.

PRima. Natura ad confuſam ſui cognitionem, non indiget cognitione motus; patet, nam talis cognitio habetur ſine partibus definientibus, & ſine quocunque alio; ſed per ſimplicem apprehenſionem, ergo.

Secunda. In demonſtratione quia cognitionis naturæ neceſſariò requiritur motus. Probatur, quoniam in demonſtratione quia ab effectu ad cauſam procedimus, ſed motus eſt immediatus, & conuertibilis naturæ effectus, ergo per ipſum natura demonſtrari poteſt; dicimus notanter in demonſtratione quia, quoniam cum ipſa natura ſit principium demonſtratione propter quid, oſtendi non poteſt; nã hæc demonſtratio eſt effectuum, vel proprietatum. Nec id eſt contra ea, quæ Ariſtoteles in 2. Phyſic. textu 6. habet, nimirum; ridiculum eſſe demonſtrare naturam eſſe; quoniam illic non impoſſibilu-

possibilitatem, sed inutilitatem insinuat; frustra namque est, rotum laboribus notificare velle.

Tertia. In demonstratiua cognitione proprietatum naturæ, de ipsa est necessaria cognitio motus, patet, quia motus ipse est prima, & immediata proprietas eius, quare vel demonstratio aliarum proprietatum per hanc efficientur, vel saltem sic ipsam supponent, vt perfectè sine ipsius cognitione cognosci nequibunt.

Quarta. In definitiua cognitione naturæ est necessaria cognitio motus. Probatur, quoniam natura sic sumpta habet rationem principij, propensionis, & inclinationis ad motum, sed neque principium sine principiato, neque propensio, & inclinatio sine proprijs terminis cognosci quidditatiuè, & perfectè possunt, ergo. Non tamen credendum est, naturam ipsam sic sumptam esse de genere relatiuorum, quia aptitudo, vel inclinatio formaliter est quædam naturalis potentia rei, quæ vel est in genere qualitatis, puta in secunda specie, vel ad prædicamentum cuius est potentia reducitur: tamen neque ipsa potentia, neque quomodocunq; aliud, vel accidens, vel ens imperfectum sine aliquo à quo dependet, vel ad quod habitudinem habet intelligi potest.

Quinta. Propositio prædicta quocunque accepta, & secundum conclusiones præcedentes explicata est necessaria, non necessitate consequentis, sed consequentiæ; patet, nam consequens non est ex se necessarium, sed contingens, ergo.

Ad Argumenta.

AD primum potest negari maior, præcipuè dum prius ad posterius habitudinem habet. Vel dicatur, provt natura habet rationem principij, ad principiatum refertur, & sic in ratione referendi sunt simul natura, quamuis non sint propriè relatiua secundum esse, vt diximus.

Ad secundum eodem modo responderi potest; videlicet, quod & si motus non sit pars, neque correlatiuum naturæ secundum esse, tamen est terminus habitudinis, ac rationem correlatiui suo modo habet; quod etenim vnum relatiuorum sine alio cognosci nequeat, non est proprium relatiuorum secundum esse, & omnium.

Ad tertium respondetur, substantiam in ratione substantiæ quidditatiuè ab accidentibus nec in esse, nec in cognosci dependere, sed ratione relationis sibi annexæ opposito modo se habere; vel dicatur, naturam sic sumptam non esse substantiam, nisi connotatiuè, sed formaliter esse habitudinem, quæ sine termino intelligi nequit.

QVÆSTIO II.

Mutatur enim semper id quod mutatur, aut secundum substantiam, aut secundum quantum, aut secundum quale, aut secundum locum. Tex. 4.

Vtrum motus sit in quatuor prædictis generibus.

ARguitur primò, quod non. Nam Arist. in 5. Physic. tex. 18. solum secundum quantitatem, qualitatem, & vbi, motum esse affirmat, ergo.

Secundò. Vnica entitas est in vno solum prædicamento, sed motus est vnica entitas, si quidem vnica definitur definitione, ergo.

Tertiò. Motus est solum in genere passionis, ergo non in alijs. Antecedens multis rationibus probatur. Prima. Illud quo patiens refertur ad agens est passio; sed mobile, quod est patiens refertur ad agens per motum, ergo. Secunda, quæ gratia ordinis sit quarta.

Quartò. Moueri est pati, ergo motus est passio, tenet consequentia per locum à coniugatis.

Quintò. Aristot. 5. Physic. tex. 10. ait actionem, & passionem non esse motum, quia ad motum, non est motus, ergo.

Sextò. Id quod tempore per se mensuratur immediatè est motus, nam tempus est mensura motus, sed passio mensuratur tempore, ergo. Probatur minor, nam tanto tempore aliquid pati, vel moueri dicitur.

Septimò. Motus est postprædicamentum, ergo in nullo genere.

Pro intelligentia est primò notandum, quod motus dupliciter consideratur, videlicet materialiter, & formaliter. Primò modo est ipsa forma, vel entitas per motum acquisibilis, vt calefactio, quæ est alteratio quædam, nihil aliud sic dicit nisi calorem per ipsam acquisibilem, seu (alijs verbis) motus sic sumptus capitur pro termino vltimato ipsius, vt motus alterationis est qualitas, generationis substantia, &c. Pro formali accipitur provt abstrahit ab omni forma acquisibili, sed solum provt est fluxio, vel via ad terminum; nam in quolibet motu possumus imaginari, & terminum acquisibilem, & viam, sic tamen vt vnum non sit aliud, sed ab ipso realiter distinctum, vt videbimus.

Secundò notandum, quod motus adhuc dupliciter consideratur, vno modo vniuersaliter, pro vt nimirum actum entis in potentia significat, siue termini sint ambo positiui, siue non, & sic generationem, corruptionem, augmentationem, & alios comprehendit. Alio vero modo accipitur particulariter, pro vt tantum eos motus includit, quorum termini sunt positiui, & sic excluditur generatio, & corruptio, quorum semper alter terminus est non ens; atque ipsa generatio, & corruptio ad differentiam aliorum motuum mutationes passim ab Aristoteles vocantur; alij vero simpliciter motus, hæc autem est expressa doctrina, & distinctio desumpta ab Aristoteles in 5. Physicorum tex. 7. & 8. vnde miror aliquos, qui generationem, & corruptionem ideo mutationes vocari credunt, quia in instanti fiunt; hoc est enim contra Arist. & veritatem, quod in quarta quæstione huius libri videbitur, ideo nunc dimittatur. Est tamen animaduertendum, quod hæc vltima motus distinctio tam vniuersaliter, quam particulariter capti, est respectu motus formaliter sumpti, provt videlicet est via, vel fluxus, non autem pro vt est terminus, vel forma acquisibilis, sic etenim solum particulari ratione secundum vnumquodque genus induitur, quibus habitis duæ conclusiones ponuntur.

Conclusiones.

PRima. Motus materialiter, & vniuersaliter sumptus, est in quatuor prædicamentis, videlicet substantia, quantitate, qualitate, & vbi; in substantia est generatio, & corruptio; in quantitate augmentatio, & diminutio; in qualitate alteratio; in vbi motus localis. Probatur, quia nulla alia entitas immediatè præter istas per motum acquiritur; nam relatio, actio, passio, quando, habitus, & situs, sunt quidam respectus, qui & si motum supponant, tamen non acquiruntur immediatè per ipsum; vt relatio insurgit, iam acquisita quantitate, vel qualitate; similiter prouenit situs, facto motu locali; habitus approximatur pariter per motum localem vestimentis, vel armis, aut alijs; quapropter, cum propriè ad id esse motus dicatur, quod immediatè est terminus eius, hæc autem non sic se habeant, sed potius habito termino, secundariò insurgant, habetur intentum.

Secunda. Motus formaliter sũptus est in genere quã-titatis,

titatis. Probatur, omne diuisibile, finitum, vel infinitum, partesque habens, est de genere quantitatis; at motus est huiusmodi, vt per vniuersam Physicam habetur, ergo. Probatur, maior, nam esse finitum, infinitum, habere partes, & diuisibilitatem, sic est quantitatis proprium, vt Aristoteles vbique absurdum maximum iudicauerit, hoc alteri tribuere; quod autem motus sic partes habeat, qui probationem quærit, nunquam Arist. legit, si quidem sextus, octauus, & ferè omnes alij libri id passim exclamant. At si quis dicat, nonne motum per magnitudinem, quantum, & diuisibilem esse dicit, maximè in 4. Physic. tex. 99. & alibi? & sic per accidens est quantus, & diuisibilis, non autem per se, ergo non est in genere quantitatis, quia hoc modo etiam albedo, & alia accidentia, quæ sunt quanta per accidens in quantitatis genere collocari deberent, quod est absurdum. Respondetur, motum à magnitudine accipere quantitatem non subiectiuè, & per accidens, vt alia accidentia; sed effectiuè, & mensuratiuè, quod est dicere; à magnitudine effici, & extrinsecè mensurari; effici inquam non principaliter, quia sic à motore, & mobili; sed coadiuuanter, & similiter mensuratur in ratione spatij, & nostræ cognitionis; quapropter nunquam per accidens quantum, sed per se ab Aristotele vocari reperio. Præterea. Tempus est species quantitatis, ergo, & motus. Antecedens habetur in cap. de quantitate; consequentia est nota, quia tempus est passio motus, ex octauo Physicorum tex. 11. ergo sunt in eodem prædicamento; nam secundum Scotistas, passio est in genere illius cuius est passio, cum sit idem cum illo, vel (vniuersaliter loquendo) passio est debilior ens suo subiecto, sic nimirum, quod ab ipso fluat, ex 3. Physic. tex. 36. nunquam autem audiui quantitatem ab alijs accidentibus fluere, sed bene è contra, & ipsam à substantia tantum; cum ergo tempus sit passio motus, & quantitas, sequitur, quod non fluat ab alijs accidentibus, nisi à quantitate, at fluit à motu, ergo ipse est magis quantitas, nisi dicatur, vtrunque à substantia immediatè prouenire; at hoc est absurdum, quoniam secundum Aristot. motus in quantitate fundatur, sic quod quæ quantitate carent immobilia censentur. Notandum est tamen, quod sicut punctum pertinet ad lineam, & nunc ad tempus, atque in ipsorum prædicamentis reducuntur; sic motus instantaneus ad genus motus pertinet, & ad ipsum reducitur; non enim omne ad genus quantitatis attinens, quantum est, vt patet de vnitate.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur, quod ibi Aristot. accipit motum presse, provt solum eum, qui ex subiecto in subiectum fit, comprehendit; hic autem ad mutationem quoque extenditur.

Ad secundum respondetur, motum formaliter sumptum, vnicam esse entitatem, & in prædicamento quantitatis, sed pro connotato plures sunt, & in pluribus quoque generibus.

Ad tertium negatur antecedens, ad probationem respondetur, semper cum motu esse actionem, passionemque coniunctam, ideò fit denominatio secundum rationem agendi, & patiendi, non per motum, sed per passionem, & actionem coniunctas.

Ad quartum negatur, quod moueri sit formaliter pati, est enim solum per concomitantiam ad passionem.

Ad quintum respondetur; Aristotelẽ negasse motum ad actionem &, passionem, provt sunt respectus semper cum ipso vniti, ideò ad ipsas acquirendas, alter motus est superuacaneus, & sic non vult, quod actio & passio sint motus formaliter, vel quidditatiuè, sed concomitanter, quod expressè habet in hoc tertio tex. 22.

Ad sextum negatur minor, imò Aristot. in prædicamentis cap. de quantitate, actionem, & passionem esse quantas per accidens, provt tempore mensurantur, dicit; at motus non sic se habet, quare non quæ tempori coexistunt ab ipso immediatè mensurantur, nam sic omnia, quæ incipiunt, & desinunt esse, à tempore mensurarentur, quod negat Philosophus in 4. Physic. tex. 119. Sed solus motus provt quantus est (asserit ibidem) à tempore mensuratur, quid clarius? passio ergo, & actio per accidens, & ratione vnionis mensurantur a tempore.

Ad septimum negatur consequentia, quia motus pro connotato ponitur post prædicamentum, ad denotandum ipsum in vnico solum genere non esse. Vt autem clarius appareat hanc opinionem, quam multi Scotistarum sequuntur, non esse veram, videlicet, quod motus sit in genere passionis, probatur; passio secundum ipsos est respectus extrinsecus adueniens, at motus est de genere absolutorũ, ergo. Probatur minor, nã quod habet partes successiuas producit calorem, & alia, quæ à simplici respectu prouenire non possunt. Præterea motus provt est entitas quædam abstrahit ab omni actione, & passione. Amplius id habetur expressè ab Aristotele in hoc libro tex. 22. vbi aliam definitionem actionis, aliam passionis, aliam verò motus assignat. Denique cur magis esset actio, quam passio? si namque ad patiens terminatur, ab agente profluit; quare non minus actio, quam passio dici posset, & sic formaliter sumptus esset in duobus prædicamentis, vel prædicamenta duo non essent distincta; quæ omnia sunt absurda. Maneat ergo quod sit quantitas. Probatur motum, nõ esse in genere passionis.

QVÆSTIO III.

Motus est actus eius, quod potentia existit, quatenus huiusmodi, &c. Tex. 6.

Circa hunc textum quæritur, an motus definitio sit bona.

ARguitur primò, quod non. Quod per plura prædicamenta vagatur perfectè definiri nequit, quoniã definitio ex genere, & differentia constans, supponit definibile esse speciem, & per consequens in aliquo determinato genere; at motus vagatur per plura prædicamẽta, vt ex præcedenti quæstione notum est, ergo.

Secundò. Hæc definitio conuenit formæ substantiali, ergo non est bona, consequentia est euidens, siquidem definitio cum definito duntaxat reciprocari debet. Antecedens probatur, nam ipsa forma est actus materiæ, quæ quidem est ens in potentia, atq; actus est, provt in potentia est; nam alterius actus non est actus, quare forma est actus entis in potentia secundum quod huiusmodi, & sic ei vniuersa motus definitio conuenit.

Tertiò. Per esse actũ entis in potentia denotatur quædam successio, & cõtinuitas motus, vt idem Philosophus in tex. 15. huius libri dicere videtur, sed generatio, & corruptio sunt mutationes instantaneæ, ergo Arist. connumerans eas inter species motus, & sub definitione prædicta, deficit.

Quartò. Omnis actus perfectionem quandam significat; at corruptio, & diminutio, carentiam perfectionis præseferunt, ergo non debent sub prædicta definitione contineri, quare Arist. defecisse videtur.

Quintò. Quod non est, actus esse non potest, sed motus non est, ergo. Probatur minor, quod ex sua natura partibile est, vel dicitur, & partes ipsius non sunt, neque ipsum erit, siquidem totum sine partibus reperiri non potest; at partes motus non sunt, quia alia fuit, alia futura est, ergo neque ipse est.

Sextò. Intelligere, velle, sentire, & aliæ huiusmodi operationes animæ, quidam motus videntur, eo quod per ip-

fas, anima aliter se habere dicitur, tamen in motus definitione non comprehenduntur, vt est expressa sententia Arist. in 7. Phys. tex. 20. vult enim ibi in intellectiua parte animæ, alterationem, vel motum non esse: & in tex. 18. etiam de anima in communi, prout virtutes, & vitia respicit, loquitur eodem modo.

Multa in hac quæstione dicenda essent, quia tamen singula ex se dubitationem propriam, atque distinctam afferunt, per singulas quæstiones ea examinare decreuit: duo tamen in hac breuiter faciam; primum de natura definitionis aliqua dicam, vel potius ad prius dicta addã; alterum de actu determinabo. Quoad primum, sciẽdum est, dupliciter aliquid definiri posse, nimirum propria & vera definitione, quæ per genus, & differentiam traditur, aut per aliqua vicem generis, & differentiæ supplentia, hac tamen conditione, vt vniuocè rem definibilem respiciant: æquiuoca namque in scientijs non adhibentur; sic in definitione motus, actus generis, reliqua differentiæ locum supplent; ex quibus (si liceat digredientes dicere) colligitur manifestissimus error eorum, qui vniuocationem entis negant; si etenim motus in pluribus existens prædicamentis in ratione actus vniuocatur, cur prædicamenta ipsa rationem entis non admittunt? sed ad propositum, multa, sicut generalissima, passiones, & simplicia per transcendentia definiri possunt; sic namque materia, sic forma, sic denique alia innumera exponuntur. Nunc de actu loquamur. Duplex itaque est (vt ad rem attinet) actus, puta perfectus, & imperfectus; perfectus, qui ad vlteriorem non ordinatur; imperfectus, qui ordinatur ad alium; exemplum primi, anima respectu animalium; exemplum secundi, forma seminis, vel embryonis in ordine ad animam ipsam. Sed actus ipse imperfectus adhuc est duplex, videlicet permanens, & successiuus, seu in esse, & in fieri. Primo modo est semen, embryon, forma corporeitatis, & similes. Secundo est motus ipse, & tempus. Hæc etenim sic se habent, vt semper in fieri consistant; quare esse dicuntur eo modo quo possunt, & sunt; vel etiam ratione termini, vel nunc, aut momenti continuantis, vt hodie esse dicimus præsens ratione præsentis nunc, quod præteritam, & futuram partem continuat, sicut quis per extremum lanceam tenens, totam tenere dicitur, eo quod aliæ partes sibi continuæ sunt, sic dicimus nos esse præsentes hodierno diei, ratione ipsius nunc, præter quod aliud de tempore non habemus, sic quoque de motu dicamus. Quibus suppositis ponitur conclusio.

Actus perfectus, & imperfectus.

Conclusio.

Motus definitio rectè tradita est. Probatur, nam penitus, atque perfectissimam naturam ipsius explicat, nec alteri conuenit: hæc autem definitiones ratio sufficiens est, maximè si non tradatur per genus, & differentiam.

Ad Argumenta.

Ad primum patet; hæc namque non est specifica definitio, sed aliquomodo transcendentalis.

Ad secundum negatur antecedẽs, quoniam per actum entis in potentia, denotatur sic esse actum, vt ipso stante adhuc mobile sit in potentia ad ipsum, vt dum aliquid mouetur semper est in potentia ad eundem motum, secundum aliam, & aliam partem acquisibilem, quod de forma dici non potest; ipsa enim informante materiam, ipsa materia non est in potentia ad ipsam, nam dicitur esse aliquid in potentia ad id quod non habet, sed habere potest.

Ad tertium negatur, generatione, & corruptione esse mutationes instantaneas; imò qui hoc asserunt nec mẽte quid dicunt, percipiunt, nec Arist. vnquam ponderauerunt, de cuius veritate in sequenti quæstione determinabimus.

Ad quartum respondetur, duo in corruptione, atque diminutione consideranda esse, scilicet, vltimum terminum, & hic est proculdubio carentia, aliud est fluxus, & ille est semper actus, & perfectionem suo modo significat; vel dicatur, corruptionem, & diminutionem non esse ex se species motus distinctas, sed priuationes illorum, atque ad ipsos pertinere, sicut priuatio ad habitum; quia tamen priuatio non est formaliter habitus, hinc est, quod quasi species distinctæ ponuntur, quæ responsio est Arist. multis in locis, sed præcipuè ex 8. Phys. tex. 55. elicitur; ibi etenim dimissis generatione, & corruptione, quæ non sunt motus, de tribus duntaxat mentionem facit, videlicet, de augmentatione, alteratione, & motu locali, quasi diminutio, vt priuatio ad augmentationem pertineat, & pariter de corruptione respectu generationis dicatur.

Ad quintum patet; motum, & partes eius esse in fieri, hanc autem esse naturam eius, & successiuorũ omnium.

Ad sextum respondetur, re vera hos non esse motus, sed qualitates permanentes de prima specie; dicuntur autem motus, quia ab obiecto, vel termino dependent, atque ad ipsum tendunt, & videntur consistere in fieri sicut motus, tamen eis deficit successio; intellectio namque tota simul obiectum respicit, quod si id non accidat, hoc ab extraneo, vel ab aliquo impedimento prouenit, sunt autem qualitates, quia secundum ipsas anima dicitur qualis, & in habitu(vt notum est) vertuntur.

QVÆSTIO IV.

An motus sit essentialiter successiuus, & continuus.

Arguitur primò, quod non. Successio est acquisitio partis post partem, hæc autem in omnibus motibus dari non potest, ergo; idem dicatur de continuitate; probatur minor; nam multi motus fiunt in instanti, vt patet de illuminatione, visione, &c.

Secundò. Formæ quæ non suscipiunt magis, & minus non possunt successiuè acquiri, quare neque motus ad ipsas erit successiuus; sed multæ sunt huiusmodi formæ, puta substantiales, & de genere quantitatis, & vbi; ergo.

Tertiò. Arist. 8. Phys. tex. 23. multa simul tota sine successione moueri ait, vnde congelatione, vniuersa simul fieri affirmat: & in libro de sensu, & sensibili c. 8. ait sensum statim alterari, non autem successiuè; ergo.

Pro intelligentia est primò notandũ, quod continuum, & successiuum sic se habent, vt hoc sit passio illius, non in quarto modo proprij, quia non omne continuũ est successiuum, vt patet de quantitatibus permanentibus, sed in primo modo, videlicet, quod conuenit soli continuo, sed non omni; quod autem successio à continuitate procedat; patet, quoniam nihil aliud significat successio ipsa, nisi acquisitionem partis post partem: at si re vera partes motus(de quo est ad propositũ) esse debent, inter se continuandæ sunt; aliter non esset vnus motus, nec partes eius, sed plures, vt docet Arist. in 8. Phys. tex. 64. ergo necessariò omne verè successiuum continuum est; & si continuũ non sit, vel si interrumpatur, nõ erit aliquid vnum. Præterea Arist. vbique successionem motus à continuitate magnitudinis, vel spatij sumit, ergo successio ipsius à continuitate dependet; quapropter asserentes motum essentialiter successiuum, non autem essentialiter continuum esse, in principijs errant. Verum tamen est, quod interdum accipitur successiuum modo quodam vulgari, & secundum similitudinem, sicut dicimus hunc Imperatorẽ præcedenti successisse, sed de istis non est curãdum.

Secundò notandum, quod successio motus ex quatuor

causis

causis prouenire potest; prima ex forma acquisibili, quę quia suscipit magis, & minus nata est, paulatim acquiri, vt calefactio, ideo interdum est successiua, quoniam calor calori secundum diuersos gradus additur. Secunda ex parte subiecti, hoc est dum subiectum ipsum est diuisibile, quod simul ab agente superari non potest, vt quãuis frigus natum esset efficere totam simul congelationem, tamen corpus congelabile non poterit simul per omnes partes penetrari; nam magis, & minus ab agente distant, ipsum autem secundum maiorem vel minorem approximationem ad patiens, citius, vel tardius agere aptum est. Idem dicatur de ligno comburendo, quamuis etenim ignis natus esset simul per totam formam ignis inducere; tamen id efficere nequit ob diuersas ligni partes, quas simul non pertinget, ad quem attinet diuisibilitas quãtitatis acquirendæ in augmẽtatione.

Tertia ex incompossibilitate partium formæ acquirendæ, qua de causa est successio motus localis, impossibile namque est, quod plura vbi acquisibilia, vsque ad vltimum sint simul, & hæc diuisio dicitur etiam ex parte spatij.

Quarta denique causa est ex parte materię informandæ, quod accidit dum tota simul informari nequit; vt non omnes partes seminis organizantur simul; quæ causa pro generatione, & corruptione est præcipuè ad rem, quod namq; de informationis impossibilitate dicimus, id de corruptione formæ, vel desitione informandi (quod ad corruptionem attinet) dicatur.

Tertiò notãdum, quod quamuis omnis motus successionem ex prædictis extrinsecis causis habeat; tamen ipsam sibi extrinsecam esse, non est inferẽdum, vt quamuis à Sole rana producatur, vel extrinsecè esse acquirat, tamen suum esse non est sibi extrinsecum. Sic ergo successio, & continuitas, sic ab externo, motui adueniunt, vt ipsum intrinsecè constituant, non tamen omnes, vt per conclusiones videbimus.

Conclusiones.

PRima. Continuitas, & successio non sunt de essentia cuiuslibet motus, sed aliquorum duntaxat, seu non sunt differentiæ constitutiuæ motus in vniuersali. Pro cuius intelligentia sciendum est, quod motus formaliter sumptus, scilicet, secundum se, & provt abstrahit ab omni termino materiali, idest tam à substantia, quam à quantitate, & alijs acquirendis; sed provt solum est via quædam ad terminos ipsos, diuiditur veluti per duas essentiales intrinsecas differentias per successiuum, & instantaneum, seu per diuisibile, & indiuisibile; quod autem istæ sint essentiales differentiæ eius, probatur; nam si essent accidentales nulla esset repugnantia, vt idem motus (saltem successiuè) modo esset instantaneus, modo successiuus, sed hoc est impossibile. Aliud obseruandum est, quod motui sic formaliter sumpto, terminus materialis, vel forma acquisibilis est veluti extranea, vel accidentalis; patet, nam permanens non est de essentia non permanentis; sed termini ipsi in se sunt permanentes, vt patet de substantia, quantitate, qualitate, & alijs, ergo. Amplius termini isti, quandoque cum instantaneo, interdum verò cum successiuo motu reperiuntur, ergo non sunt de essentia; quia quæ de essentia sunt, inuariabilia sunt. Maneat itaque magis clara conclusio. Continuitatem, & successionem vnicam speciem motus constituere; Instantaneum vel indiuisibile aliam, & hoc loquendo secundum rationem formalem motus, diuisio namque per terminos, & prædicamenta est per extrinseca. At hic insurgunt duæ dubitationes. Altera est; quomodo motus est in genere quantitatis (vt in prima quæstione huius libri dictum est) & de genere continuorum, si aliquis, idest ipse instantaneus est non quantus, neque continuus. Respondetur non omne, quod est in prædicamento quantitatis esse necessariò quantum, vel continuum, vt patet de vnitate, & puncto; sed sufficit, quod ad quantitatem attineat; sic punctum ad continuam, vnitas ad discretam quantitatem pertinet; pariter motus instantaneus ad continuum pertinet, non quod sit continuatio illius, sicut punctum lineæ, imò est species diuersa, vt diximus, sed provt diuisione partium caret. Secunda dubitatio: quomodo motus erit actus imperfectus, qui semper partes acquirendas respicit, si erit instantaneus? Respondetur, Motum ipsum semper esse viam, & medium, cui necessariò deficit terminus, siue hoc sit in instanti, siue in tempore, nihil refert. Tertia dubitatio. Arist. 5. Met. tex. 18. & in principio huius, & 4. Phys. tex. 99. Motum continuum esse asserit, quibus omnibus in locis vniuersaliter loqui videtur, ergo non est aliquis instantaneus. Respondetur, ibi Aristot. loqui vt plurimum, agens enim physicum cum sit virtutis limitatæ, agitque inquantum, & cum resistentia, nõ potest nisi successiuè formam inducere, & sic est motus continuus; at hoc semper non est necessarium, puta si impedimentum non adesset, nec defectus virtutis, aut excessus resistentiæ, vt ipse de congelatione, & de alteratione sensuum dicit, sicut in argumentis dicitur. Quando ergo non statim formam intentam inducit, est motus continuus, & successiuus, dum statim est instantaneus; neque inconuenit, quod ex diuersis impedimentis accidentalibus fiant diuersæ species motus essentiales; nam ex diuersa quoque accidentali dispositione materiæ, diuersæ species animalium imperfectorum gignũtur, vt ex luto ranę, vermes, serpentes, &c.

Secunda conclusio. Si motus vniuersaliter sumptus in ordine ad terminos acquisibiles, atq; extrinsecè diuidatur, in motum, & mutationem diuiditur; probatur auctoritate Arist. 5. Phys. tex. 7. mutationem namque eam solum esse asserit, quæ ex non subiecto in subiectum, vel ex subiecto in non subiectum efficitur; motum verò, qui ex subiecto in subiectum, & per subiectum terminum positiuum se intelligere asserit: quare motus propriè dictus est inter terminos positiuos, ita vt mobile, quod tali motu mouetur, remaneat tam in principio, quam in fine motus, vt idem Philosophus docet in eodem 5. Phys. tex. 8. Mutatio verò alterum terminum priuatiuum habet, & sic se extendit ad generationem, quæ est à non ente, & ad corruptionem, quæ est ad nõ ens, & hæc est ratio formalis mutationis, & nõ quod fiat in instãti, vt quidã ignarè philosophantes pleno ore fatentur, quorum argumẽta, & insufficientissimæ diuisiones ad hoc comprobandum indignæ sunt, vt in medium adducantur. Cum ergo generatio, & corruptio mutationes ratione prædicta dicantur; ex alia parte, vel successionem, vel instantaneitatem recipere poterunt, quo pacto ab Aristotele sæpe motus vocantur, & maximè dum ipse motus definitur. Quamobrem esse instantaneum, & successiuum sunt differentiæ indifferenter motui, & mutationi conuenientes, sicut esse sensitiuum homini, & equo, seruatis conditionibus, & discriminibus supra enarratis, s. quod accipiatur motus formaliter, & per has differentias diuiditur specificè, vt autem hoc sit notius sit.

Tertia conclusio. Generatio, & corruptio esse possunt mutationes successiuæ, imò de facto, & secundum modum operandi physicè vt plurimum sunt tales. Probatur; nam generatio est acquisitio formæ totalis in aliqua totali proportionata materia: at hæ formæ non simul acquiruntur, ergo; probatur minor, in generatione hominis mẽbra paulatim generantur; vnde cor secundũ Arist. lib. 3. de part. animal. c. 4. primum generatur, & secundum Medicos, cor, cerebrum, & iecur ante omnia alia membra fiunt. Amplius omne agens agit in quantum, ergo simul omnes partes informari non possunt, ergo successiuè. Præterea assignata quacunque materia in formabili substantiali forma, vt materia ligni, re-

spectu formæ ignis, non omnes partes simul informantur, vt patet, sed vna post aliam, idem dicatur de corruptione, ergo. Sed dicent, hoc esse per accidens, puta per impedimentum, & extensionem subiecti, hoc nihil valet; quia vndecunque aduenıat extrinsecè successio, ipsa in se est essentialiter talis; dicent etiam, substantiam generari in instanti, quia statim est substantia, nec ipsa habet contrarium, nec suscipit magis neque minus, ac si hæc valerent, idem de quantitate dicendum esset: nec enim ipsa contrarium habet, nec magis, aut minus suscipit, & statim est quantitas; siquidem essentia in indiuisibili consistit.

Amplius hæc est expressa Arist. sententia in 6. phys. tex. 83. ait enim secundum eam mutationem, quæ in contradictione est, nullum esse impossibile, si tempus mediet, & sit neque perfectum ens, neque non ens. Præterea in eodem 6. tex. 59. habet, ex præcedentibus in generatione, & corruptione aliquid semper prius, factum, vel corruptum esse, ante complementum ipsorum; sicut in quolibet motu successiuo mutari præcedit mutatum esse, & è contra; Amplius in 4. physicor. tex. 129. omne quod mouetur, & omnem mutationem in tempore, ac velocius, & tardius fieri dicit, & deniq; vbicunque de generatione, & corruptione loquitur, vt de successiuis mutationibus sermonem habet; & nunquam eas instantaneas esse dixisse, reminiscor. Quod autem quidam dicunt, tunc per generationem, & corruptionem alterationes præuias intellexisse, commentitium, & vanum est: quasi Aristoteles ipse inter hæc nesciuisset distinguere. Motus itaque in communi non est neque instantaneus, neque successiuus, sed ab vtroque abstrahit, sicut animal à rationali, & irrationali, sed per duas differentias prædictas diuiditur, atque in varias species constituitur; quare aliquæ successionem, & continuitatem essentialiter includunt; aliæ indiuisibilitatem, vt satis dictum est; in communi verò includitur via, & fluxio, quæ per esse in potentia significatur.

Ad Argumenta.

AD primum patet, nam bene, & secundum conclusiones concludit.

Ad secundum respondetur; rationem successionis in motu non attendi ex eo tantum, quod formæ suscipiant magis, & minus, sed alijs etiam causis, vt visum est.

Ad tertium similiter patet; non enim omnis motus est essentialiter successiuus, vt diximus.

QVÆSTIO V.

An motus distinguatur realiter à termino ad quem, & à mobili.

ARguitur primo quod à termino ad quem non distinguatur. Nihil distinguitur realiter à sua essentiali differentia constitutiua, vt homo non sic distinguitur à rationalitate, sed terminus ad quem est essentialis differentia constitutiua motus, ergo; maior est nota; minor elicitur ab Arist. 5. phys. tex. 4. & 48. habet enim motus ipsos à termino ad quem denominari, & secundum ipsum esse contrarios, quod non esset, nisi essentialem differentiam ab ipso traherent.

Secundò. Si motus realiter differret à termino, posset saltem diuinitus conseruari sine ipso, quod implicat, ergo; probatur consequentia maioris, nam omne realiter distinctum, & prius alio, sine illo à quo distinguitur esse potest, sed motus positus realiter distinctus est prior termino; quoniam per ipsum acquiritur, ergo. Quod verò hoc implicet, patet, nam sicut de ratione continui permanentis est habere terminum communem, ita de ratione successiui; vnde esset, & non esset continuus, vel successiuus.

Tertiò. Res diuersæ, atque realiter distinctæ diuersis fiunt actionibus; at motus per aliam actionem fieri nequit, quia procederetur in infinitum, ergo.

Quartò, quod non distinguatur à mobili. Propria passio non distinguitur realiter à subiecto, vt olim visum est, at motus est propria passio mobilis, ergo. Probatur nam ab ipso fluit, ipsumq; conuertibiliter respicit, si quidem dicimus, motus alicuius mobilis motus, & mobile, aliquo motu mobile.

Quæstio hæc ex præcedenti penitus pendet; si etenim illic motum per se absque ordine ad terminos in species diuidi asserimus; consequens est, vt ab ipsis terminis realiter distinguatur; at pro maiori dilucidatione sciendum est, duplices terminos in quocunque motu reperiri, videlicet vltimatos, & intermedios, seu continuantes. Vltimati dicuntur illi in quibus motus cessat, seu est perfecta acquisitio rei; vt vltimatus terminus motus localis, est ipsum vbi, in quo mobile tandem quiescit; in alteratione est ipsa perfecta qualitas, quæ amplius non est in fluxu, vel in acquisitione. Intermedij sunt per quos continuatur motus; vt prius quam mobile ad vbi vltimatū, in quo quiescet, perueniat; per multa vbi, vel loca partialia transit, & hæc intermedia vocantur; similiter, prius quam calorem verbi gratia, per calefactionem, vel motum alterationis aliquis acquirat, quamplurimos caloris gradus pertransit, qui intermedij sunt, & hoc loquendo de terminis pro connotato, seu de rebus ipsis per motum acquisibilibus. Si etenim motus formaliter sumatur, pro vt scilicet est fluxus tantum; proportionaliter sibi termini aptandi sunt, & aliud non sunt quam ipsa mutata esse, sicut puncta in linea; nunc vero in tempore. Aduertendum est etiam, quod vltimati termini ad quos est motus, quandoque accipiuntur pro totali forma acquisibili; vt vltimatus terminus calefactionis pro tota caliditate acquisibili; interdum pro vltimo gradu acquisibili, secundum quem Arist. in 6. Phys. asserit, terminum ad quem esse indiuisibilem, sed ad propositum nihil refert; quoniam gradus ille vltimus est eiusdem rationis cum tota forma; ideo eadem erit ratio vtriusque, si enim vnus distinguatur, & alius, aut è conuerso. Obseruandum est etiam, quod vltimato termino respondet primus, intermedij autem in comparatione ad ambos dicuntur: vnde sicut de termino ad quem quæritur, ita posset esse difficultas de ipso termino à quo motus incipit; tamen quia ipse relinquitur à mobili, ideo clarius patet, ab ipso motu distingui; quare pro altero tantum difficultas seruatur. De his autem terminis ex professò, in 5. phys. præbebitur occasio disserendi. Sed ad propositum sat dictum sit. Quæstionem ergo per conclusiones resoluimus.

Terminus vltimati, & intermedij.

Conclusiones.

PRima. Motus distinguitur realiter à termino ad quē, nec non etiam à terminis intermedijs materialiter sumptis, atque ab ipso mobili quoque, probatur; nam prædicamenta realiter distinguuntur, sed motus est de genere quantitatis; termini autem per ipsum acquisibiles, sunt, vel esse possunt alterius generis, vel si sint de quantitatis prædicamento, erunt diuersæ speciei, quæ species etiam realiter distinguuntur, ergo. Amplius, si aliquid destruitur, aliud vero remaneat, proculdubio illa realiter distinguuntur, nam si detur oppositum idem esset destructum, & nō; sed deficiente motu, remanēt formæ per ipsum acquisitæ, vt vbi, vel qualitas, vel quātitas, &c. quæ quidem si plenè acquisitæ sint, erūt termini vltimati; si nō plenè habebūt rationē intermedij. Vbi obserūandū est, quod termini intermedij materiales, quamuis

à motu

à motu distinguantur; tamen non possunt esse sine ipso, si quidem dicuntur solum intermedij, prout per eos continuaretur motus, & nisi continuaretur, essent vltimati, quia ibi esset finis: quod autem etiam distinguantur, patet; nam sunt eiusdem rationis cum vltimatis: perfecta enim, & imperfecta speciem non variant, & si motu inseparabiles sint, hac ratione, qua sunt intermedij; non aufertur propter hoc realis distinctio, quia distinctio non infert separationem, vt alibi diximus. De mobili autem facilior est resolutio; ipsum etenim est corporea substantia, motus vero alterius generis esse potest, ergo. Amplius definit esse motus, non autem mobile, quare, &c.

Secunda conclusio. Motus formaliter sumptus, pro vt est fluxus, vel via quædam, non distinguitur realiter à terminis, nec primis, nec intermedijs, nec vltimatis. Probatur; sicut se habet nūc ad tempus, ita termini motus ad motum, sed nunc à tempore non distinguitur realiter, patet, quia sine ipso non potest esse, nec intelligi tempus, ex 8. phys. tex. 11. Amplius. Distinctio realis est inter ea, quorum vnum potest esse sine alio, vel vnum est causa, aliud effectus, sed nec motus sine terminis nec è contra, neque vnum est causa alterius, ergo. At si dicatur, dum motus est, adhuc vltimatus terminus non adest, ergo est sine illo, & sic ab ipso realiter distinguitur. Respondetur, rationem motus consistere in fieri, ideo sic se habent termini ipsius; quapropter dum ipse est, erit idem cum terminis ipsum concomitantibus, & dum est alia pars illius, cum alijs terminis.

Tertia conclusio. Motus instantaneus similiter distinguitur realiter à terminis materialibus, non autem si formaliter sumatur, imò formaliter sumptus est ipsummet instans, nullamque successionem dicit; quæ conclusio ex præcedentibus intelligitur, nam remanet res acquisita, remoto motu, & pariter dicatur in comparatione ad mobile. Sed aliqui moderni philosophantes arguunt contra hunc instantaneum motum, si etenim successiuus non sit, permanens erit (dicunt), & sic non erit motus. Sed ratio hæc nullius est vigoris; quoniam successiuum dicitur vno modo, quod partes fluentes habet; alio verò, quod suum esse est in fieri; vt in quarto phys. dicit Arist. de Nunc, quæro namque ab ipsis, an ipsum nunc sit permanens, vel successiuum; si dicant esse permanens sunt stulti, si successiuum sic quod habeat partes post partes, fatui. *Successiuū dupliciter.*

Ad Argumenta.

AD primum de termino materiali negatur, quod essentialiter constituat motum, sed solum extrinsecè, at de formali conceditur.

Ad secundum (pariter de materiali loquendo) negatur consequentia, ratio est, quia motus est accidens absolutum quidem per se, sed relatiuum secundum dici; quia motus alicuius termini, & mobilis motus est; hæc autem relatiua neque diuinitus sine correlatiuo esse possunt, implicat namque esse scientiam (quæ est relatiuum secundum dici) sine scibili.

Ad tertium respondetur maiorem esse veram, de rebus absolutis: sed actiones ipsæ non per aliam actionem, sed statim se ipsis ab agente fluunt.

Ad quartum negatur minor, mobilitas namque est passio mobilis, non autem motus ipse, quod autem de conuertibilitate dicebatur, infert ea esse relatiua, (quod est verum secundum dici, vt dictum est) non autem se habere vt passionem, & subiectum quare dici ad conuertentiam, & non adinuicem conuerti, dicendum est.

QVÆSTIO VI.

Et quod dubitatur etiam manifestum est. quod motus est in ipso mobili. Tex. 18.

Quæritur an motus sit in mobili:

QVæstio hæc de alijs motibus à locali difficultatem non habet; alteratio namque est in re, quæ alteratur; augmentatio in re, quæ augetur, & sic de alijs; de generatione tamen, & corruptione alibi dictum est, quod nunc vberioris doctrinæ gratia breuiter repetatur; sunt itaque mutationes istæ etiam proculdubio in mobili, fundamentaliter videlicet in aliqua parte ipsius scilicet in prima materia, quæ est subiectum generationis, & corruptionis, sed adæquatè in toto mobili, puta in generabili, & corruptibili, sed ad hoc vt in ipso sint, sat quoque esset, vt in parte existerent; quoniam mota pars totum denominat ex 5. Physicor. tex. 1. difficultas ergo præcipuè de motu locali existit, quæ rationibus quibusdam difficilior redditur, sit ergo prima.

Terminus alicuius rei est simul cum illo cuius est terminus, & è conuerso, at Vbi est terminus motus localis, & fundatur super locum, vel spatium, ergo etiam super ipsum fundatur motus, & sic non super mobile. *1. Arg.*

Præterea. Arist. 8. Physic. tex. 59. habet, mobile secundum motum localem nihil mutari ab esse, neque secundum substantiam, neque secundum accidens, quod est dicere, nihil intrinsecè recipit, sed solum fit in alio loco, cum ergo motus sit accidens de genere quantitatis, si in ipso mobili reciperetur, aliquid reciperet, aliquo ve modo saltem accidentaliter mutaretur; quod Aristoteles negat. *2. Arg.*

Amplius, vel per motum hunc acquireretur mobile aliquod absolutum, vel aliquod respectiuum; non absolutum, quoniam sic esset mutatio alterius generis à locali; non respectiuum, quoniam ad relatiua non est motus ex 5. Physic. tex. 10. Oppositum tamen sustinet Arist. in litera. *Tertium.*

Pro determinatione itaq; obseruandū est quod motus (vt alias dictum est) potest considerari dupliciter, videlicet pro fluxu, & forma quā secum affert; hic autem fluxus non potest faciliter, & specialiter intelligi nisi per terminum extrinsecū; vnde in motu locali maximè nihil aliud est, nisi illa successio ad aliquē locum, vel vbi; ad locum inquam, vt ad fundamentū; ad vbi, vt ad proprium terminū super locum fundatum. Forma verò ipsius est locus ipse. Quibus suppositis ponitur Conclusio. Motus localis, quomodocunq; acceptus est in mobili; probatur; actus intrinsecus alicuius est in illo quem denominat; at motus localis est actus ipsius mobilis, ergo. Dicimus notanter actus intrinsecus, quia extrinsecus alia quoque denominare potest; sic tempus quod est actus, vel accidens motus primi mobilis, res temporales denominat, locus qui est vltima superficies corporis continētis, & in ipso, vt in subiecto, denominat res locatas, & sic de multis alijs. Præterea si esset vacuū, motus localis in eo fieri posset, vt in quarto videbimus, ergo motus tunc vbi fundaretur? non enim in loco, quia non esset, non in nihilo, quia hoc non potest esse accidentium fundamentum; ergo solum in mobili; quare eadem ratione semper in ipso fundatur, cum motus local s sit eiusdem rationis semper. Animaduertendum autem est, quod pro vt consideratur motus secundum rationem termini, sic est ipsum vbi, quod est respectus extrinsecus adueniens, & hoc quoque est in ipso mobili, quia sibi acquiritur; tamē *Conclusio.*

respectus non potest esse sine correlatiuo, ideo ad ipsum locatum refertur, & ad locum vt ad fundamentum terminatur. At si per casum motus localis fieret in vacuo, tunc non esset respectus realis ex parte termini, vel vbi; sed defectu vnius termini realis diceretur respectus rationis, non quod ab intellectu fieret, sed ob defectum alterius realis termini. Imò quod gratia exempli dicimus secundum veritatem reperitur in primo mobile, ipsum namque saltem secundum superficiem connexam in loco non est, & tamen localiter mouetur, & ad alia, & alia, vbi saltem partialia fieri dicitur secundum Philosophos; nam Theologi super ipsum cœlum empyreum ponunt.

Ad Argumenta.

AD primum conceditur maior, dum autem dicitur, vbi esse in loco principaliter, negatur, sed est in mobile ipso; terminatiuè verò in loco, si motus non fiat in vacuo.

Ad secundum respondetur, Aristotelem intellexisse nihil recipere mobile, vel permanens, vel absolutum, sicut in alijs motibus accidit, sed fluxum, & respectum non negauit; in alijs autem præter fluxum, aliquid quoque acquiritur.

Ad tertium respondetur, sibi acquiri aliquod absolutum non permanens, quod Arist. non negauit, vt dictum est, & aliquid quoq; respectiuum extrinsecus aduenien, ad quod potest esse motus, solum namque ad relatiua intrinsecus aduenientia motus non est.

QVÆSTIO VII.

Habet autem dubitationem rationalem, &c. Tex. 19.

Circa hunc textum quæritur an actio sit in agente, passio vero in patiente.

ARguitur itaque primo, quod ambo sint in patiente. Effectus alicuius non in ipso operante, sed alibi est, maximè si sit effectus transiens, vt ædificatio, scriptio, & similia non sunt in ædificatore, sed in ædificio, in pagina, &c. at actio est effectus transiens, ergo non est in agente.

Secundò; idem confirmatur auctoritate Arist. in hoc libro tex. 20. ait namque, doctionem esse actum docentis in hoc, videlicet in discente, ergo pariter de quacunque alia actione dicendum est.

Tertiò. Ex secundo de anima tex. 139. habentur hæc verba, si igitur motus, & actio, & passio est in eo, quod mouetur, & patitur, necesse est, & sonum, & auditum qui est secundum actum, in auditu qui est secundum potentiam esse, actiui enim, & motiui actus, in patiente fit.

Quartò. Ex 9. Metaph. tex. 16. habentur pariter hæc verba. Quorumcunque itaque aliud quiddam præter vsum est id quod fit, horum actus in eo est in quo fit; vt ædificatio in eo, quod ædificatur.

Quintò. Motus est in mobili, ex præcedenti quæstione; at actio est motus ex tex. 19. huius libri; ergo est in mobili, vel in patiente.

Sextò. Nisi actio esset in patiente, nulla esset actio transiens, sed omnis immanens, quod est contra communem receptam distinctionem; consequentia est nota; quoniam dicitur actio immanens, quæ in agente manet.

Actio transiens, & immanens.

Pro intelligentia est primo notandum, quod duplex est actio, videlicet transiens, & immanens. Transiens cuius terminus, & effectus in agente ipso manet, vt intelligere, velle, sentire, currere, cantare, &c. quarum quædam sunt de genere qualitatis, puta præcedentes, vt alibi diximus, quædam vero, scilicet currere, cantare, &c. formaliter sunt de genere actionis, vel ad prædicamentum in quo est motus reducuntur, si pro illo fluxu, vel termino acquisibili sumantur. Discrimen autem istarum sumitur ex hoc, quod præcedentes non successiuè, & per modum viæ, vel intermedij imperfecti ad terminum feruntur, sed ipsum statim à principio habent, & sic à ratione motus, tam instantanei, quam successiui declinant; ipse namque semper est actus entis in potentia, &c. alia vero alterius generis rationem perfectam motus admittunt, vt consideranti notum est; nec enim tota ratio cursus, vel canti in currente, vel canente statim existit. Actiones autem transeuntes sunt quarum termini, vel effectus, non ad agens ipsum, sed ad aliud externum terminantur, siue tales effectus post actionem remaneant, siue non, nihil refert, vt ædificare, texere, percutere, &c. quare sequitur, non omnes actiones permanentes esse de genere qualitatis, sed eas duntaxat, quæ operationes potentiarum animæ, vt est intelligere, videre, &c. respiciunt: quia tamen hæ magis immanentes, quam aliæ videntur; hinc aliqui doctissimi viri; omnes immanentes, in genere qualitatis collocarunt; quia nimirum has secundi generis, puta currere, cantare, &c. immanentes non iudicarunt, sed si Etymologiam aspiciamus (à qua ratio in his sumi debet) non iure eas remouendas esse, perspiciemus. Dimissis ergo his, quæ ad qualitates attinent, de alijs ad rem aliqua contemplemur.

Sit ergo secundò notandum, quod in actione qualibet duo obseruare possumus; scilicet ipsam fluxionem, vel formam fluentem, vt in calefactione est fluxus ipse, vel alteratio. Secundum est relatio quædam, quæ in agente in ordine ad patiens fundatur: primo modo potest dici actio materialis; secundo formalis, pro cuius tamen maiori intelligentia obseruandum est etiam, quod in agente tres respectus fundari possunt, primus est producentis ad productum, sic pater, vel agens, seu producens filium, ad ipsum filium refertur, & hic est de genere relatiuorum, vel tertij prædicamenti. Alter est inducentis ad inductum; & hic est, non respectu totius geniti, sed formæ eius in materiam inductæ; quo pacto ab igne inducitur calor in lignum, & ab animali, anima, vel saltem forma corporis; qui quidem respectus est etiam de genere relationis, & intrinsecus aduenien, nam insurgit ex natura extremorum, inducta namque forma, est statim respectus ad inducens; idem de producente, & producto dicatur. Tertius respectus est agentis ad patiens, & hic est extrinsecus aduenien; nam quamuis agens agat in aliquid, non tamen sequitur passio in illo, nisi sit debita dispositio, & approximatio, quæ cum sit quid externum, respectus quoque sic nuncapatur, & per has externas differentias, internas vt plurimum ignotas circumscribere intendimus: hic autem respectus sicut quæcunque relatio duo respicit, scilicet agens, & patiens; in ordine ad agens, vocatur actio; & ad patiens passio, vel potius sunt duo respectus disquiparantiæ genere distincti ab vnico motu procedentes; actio enim est relatio suprapositionis, passio suppositionis; non enim inconuent, vt vnica operatione, duo diuersi respectus insurgant, vt in generatione animalium prouenit paternitas in vno, & filiatio in alio. Ad rem itaque actio sic formaliter sumpta est quid respectiuum, non autem absolutum. Probatur, quia omne absolutum est per actionem acquisibile, sed ad actionem non est actio, nam in infinitum procederetur, ergo. Amplius, si esset quid absolutum, vel esset in agente, vel in patiente; non in agente, quia vel sibi esset connaturalis, vel aduentitia; non primò modo;

quo-

quoniam adhuc non actualiter agens diceretur agens, vt ignis non comburens, diceretur comburere, quod est ridiculum, consequentia est euidens, nam forma absoluta semper subiectum denominat, sicut coruus semper est niger. Quod autem non sit acquisita probatur, quia omnis talis forma per actionem aliquam (vt etiam diximus) acquiritur, & sic in infinitum. Quod denique non sit in patiente, probatur, quia ipse diceretur agens; quod tandem sit relatiuum quid, patet ex definitione relatiuorum, quorum esse est ad aliud; at quis ignorat actionem ad passionem referri? at in genere relatiuorum non reponitur, quia est alterius rationis, vnde patet, quam rationabiliter, & subtiliter secundum Peripateticam doctrinam; relationem extrinsecus aduenientem ex intrinsecis naturæ visceribus hauserit subtilissimus Scotus, nec sine ipsius doctrina sex vltima prædicamenta intelligi possunt. Nunc quæstio resoluitur.

Conclusiones.

PRima. Actio materialiter sumpta, & transiens, est in patiente; probatur, nam est effectus quidam fluens in patiente productus, & hoc probant omnia argumenta in principio quæstionis; sic calefactio, & calor productus ab igne est in ligno, ædificatio in ædificio, &c. diximus de actione transeunte, quia de immanente non est dubitatio; in agente namque manet secundum quam potest etiam dici patiens; multa namq; iam agent, & patientur a se inuicem ex hoc 3. tex. 8.

Secunda. Actio formaliter sumpta, est fundamentaliter in agente, terminatiuè in patiente. Pro cuius notitia sciendum est, quod in omnibus relatiuis, quinque reperiuntur, scilicet subiectum, fundamentum, terminus, relatio, & correlatiuum. Subiectum est ipsa substantia; fundamentum est virtus, à qua immediatè insurgit relatio; terminus est vis ad quam terminatur, vel definit relatiuum; relatio est medium, vel ratio referendi. Correlatiuum est aliud relatiuum, vt in hoc relatiuo patris, subiectum est animal, fundamentum est virtus actiua generandi; terminus est virtus passiua, qua filius generari potuit; relatio est paternitas; correlatiuum est filius; sic in actione subiectum est substantia agentis; fundamentum est virtus actiua, terminus est virtus passiua patientis, relatio est actio correlatiuum est patiens: quapropter actio, & passio, quamuis relatiua dicatur, sunt potius relationes; at secundum quemdam modum familiaritatis loquendi, dicuntur quoque relatiua: in hac autem doctrina obseruandum est, quod & si dictum sit, actionem terminari ad patiens, vel ad virtutem eius, intelligendum est secundum modum relatiui, non per modum subiecti, quia sic est in agente, vt statim probabimus. Quod de actione diximus, de passione proportionaliter dicatur, scilicet, quod subiectum eius sit substantia, fundamentum virtus passiua, terminus virtus actiua agentis, relatio est ipsa passio, correlatiuum agens. Quod igitur actio formaliter sumpta sit in agente, & passio in patiente, probatur; nam relatio ibi potius existit, vbi est suum fundamentum, quia impossibile est, quod sine ipso existat; at fundamentũ actionis est in agente, passionis in patiente, ergo.

In relatiuis sunt quinque.

Amplius ibi est vnumquodque, vbi facit denominationem, sed agens ab actione, patiens a passione dicitur, quare, &c. Præterea, oppositi respectus secundum idem simul esse non possunt, vt idem respectu eiusdem non potest esse pater, & filius, similis, & dissimilis; at actio & passio sunt oppositi respectus, ergo ambo in patiente esse nequeunt, & quando interdum sunt, sicut dum idem patitur a seipso, ibi sunt diuersæ rationes, quarum vna est veluti agens, alia vt patiens, & sic semper saluatur distinctio.

Ad Argumenta.

AD primum conceditur maior de effectu transeunte, sed actio est respectus, qui in agente fundatur, & respicit patiens, modo relatiuo, quamuis propriè non sit effectus transiens, neque permanens, quia illa est diuisio effectus absoluti.

Ad secundum respondetur, Aristot. loqui de actione materialiter sumpta.

Ad tertium eodem quoque modo respondetur, vt ex litera ipsa clarè conspicitur.

Ad quartum similiter.

Ad quintum etiam eodem modo.

Ad sextum respondetur, diuisionem illam esse actionis materialiter sumptæ, at actio formaliter semper est immanens, nisi quod transit cum ratione relatiui, si hic transitus vocandus sit, quod tamen dici potest, prout relatiua semper aliud extra se concernunt.

QVÆSTIO VIII.

Quoniam autem de natura scientia est, &c. Tex. 24.

Circa tractatum de infinito, quæritur, an dari possit aliquod infinitum.

QVæstio hæc multis, ac validissimis rationibus pro vtraque parte agitatur ab Aristotele in textu; ideò pauca examinanda supersunt, quæ qualia, vel quanta sint, in medium tamen sunt adducenda. Est igitur primum argumentum, quod infinitum dari possit. Infinitæ potentiæ, vel causæ, effectus infinitus respondere potest, at Deus est infinitus, etiam secundum mentem Arist. vt in octauo videbimus, ergo infinitos effectus, vel effectum producere potest. *Primum argum.*

Amplius. Per Arist. Mundus est æternus, ergo infiniti dies præcesserunt, imò sustinendo secundum veritatem, animas rationales esse immortales, fatendum quoque est, eas esse nunc actualiter infinitas, saltem si cum Arist. immortalitatem animæ cum hac æternitate mundi iungamus. *Secundum.*

Item. Sicut Deus in instanti istius horę potest aliquid creare; ita in alio, & alio instanti; at hæc sunt infinita, ergo potest infinita efficere, & sic infinitum dari non implicat. *Tertium.*

Præterea. In quolibet continuo sunt infinitæ partes, quæ proculdubio non sunt nihil, ergo sunt actualiter infinitæ, imò cum quælibet aliquam quantitatem habeat, etiam infinitum secundum magnitudinem constituent, nam ex infinitis non constituitur, nisi infinitum, & sic infinitum secundum multitudinem, & secundum magnitudinem habetur. *Quartum.*

Denique. Cuius subiectum reperitur, ipsa quoque passio datur, nam sunt adinuicem inseparabilia, sed quantitas, quæ est subiectum infinitatis (secundum Philosophum vbique) datur, ergo & ipsum infinitum. *Quintum.*

Indifferenter Aristoteles in litera nullum actuale infinitum dari posse affirmat; ideò ipsius exemplum sequutus eodem ordine aliqua ad eius doctrinam, vel addam, vel clarius repetam. Notandum est igitur, quod infinitum dupliciter sua vniuersali acceptione sumitur, scilicet formaliter, & materialiter. Formaliter est carentia termini, vel finis, vnde essentiam eius in priuatione consistere in hocmet libro tex. 72. Arist. asserit. Materialiter autem est res ipsa, quæ dicitur infinita, seu quę talem termini carentiam habet, vtrumque autem est duplex, scilicet in actu, & in potentia; in actu, si esset aliquod *Infinitũ formaliter. Materialiter. In actu. In potẽtia.*

quod corpus nullis clausum limitibus, vel superficiebus; in potentia, cuius partes semper accipiendæ sunt, provt videlicet non omnes simul existunt, vt si diceremus, esse infinitum tempus, quia ab æterno vnus dies, vel annus alteri succedit, quare si aliquod corpus, v. g. esset naturaliter infinitum, ipsum esset materialiter tale, & carentia limitum similiter suo modo esset semper eodem modo in actu; si autem aliquod in fieri consisteret, vt dies, vel certamen, esset hoc semper materialiter in potentia, & priuatio illa pariter successiuè carentiā istius, ac illius, & alterius partis adueniendæ connotaret. Sub infinito in actu continetur infinitum in virtute, in essentia, præsentia, & in quantitate permanenti, primis tribus modis est Deus, qui omnia potest, omnia eminenter continet, omnibusque est præsens, de quo non est hic sermo, sed distinctiones gratia, hæc dicta sufficiant. Infinitum in quantitate est, vel corpus, vel linea, vel superficies, vel numerus. Sub infinito in potentia continetur infinitum duratione, vt motus, & tempus; diuisione, vt si continuum diuidatur; & appositione, vt si vel numerus, vel quantitas aliqua augeatur; neque hic eodem modo accipitur numerus sicut in præcedentibus, quia ibi accipiebatur secundum esse permanens in actu; hic verò secundum augmentationem, vel additionem, quod est esse in potentia, idem dicatur de alijs quantitatibus.

Animaduertendum est etiam, quod infinitas Dei, quamuis secundum nostrum modum intelligendi carentiam dicat; tamen ex alia parte summam connotat perfectionem; sic quamplurimi alij termini priuatiui se habent, vt incorruptibile, immateriale, incorporeum, &c. fortè idem dici poterit de quocunque actualiter infinito, quamuis ratione prædicta, & Aristotelica, vt diximus, res ita se habeat. Obseruandum est etiam, quod infinitum in actu, vocatur Cathegorematicum, in potentia Syncathegorematicum. Quibus suppositis duæ ponuntur Conclusiones.

Conclusiones.

PRima. Infinitum in potentia datur. Probatur, nam secundum Aristot. Mundus est æternus, ergo sunt infiniti dies, anni, &c. de cuius veritate exactius in octauo dicetur. Præterea omnis magnitudo est diuisibilis in infinitum, & pariter per partes proportionales in infinitum augmentabilis; similiter numerus hoc eodem modo semper additionem recipere potest; hoc autem est esse infinitum in potentia; at si dicatur, potentia debet ad actum reduci, aliter esset frustra, ergo si datur infinitum in potentia, dabitur quoque infinitum in actu; cuius oppositum docet Aristoteles in textu, & nos cum ipso in sequenti conclusione defendemus. Respondetur, potentiam non quemlibet actum indifferenter respicere, sed sibi proportionatum, vt materia hominis solum actum, vel formam ipsius respicit; sic quædam potentiæ ad perfectum, seu completum actum ordinantur, cuius videlicet esse est permanens, & totum simul, vt actus, vel forma hominis, aut qualitatis, vel alterius permanentis accidentis; aliæ respiciunt solum actum imperfectum, cuius nimirum esse nunquam est completum, vel simul; & hoc pacto se habet infinitum in potentia; reducitur enim ad actum quidem, sed incompletum semper, vt dum continuum diuiditur, semper actualis fit diuisio, & alicuius partis acceptio; nunquam autem tota simul, aliter infinitum non esset. At obseruandum est, quòd partes ipsius quoque infiniti in potentia diuerso modo se habent, quamuis etenim successiuè in quolibet tali infinito vna post aliam accipiatur; aliquæ tamen permanent, aliæ verò transeunt; vt si diuidatur continuum permanens, puta linea, vel corpus, partes diuisæ permanent; si autem diuidatur successiuum, vt tempus, vel motus, partes non permanent, sed semper in fieri, vel in fluxu consistunt; quæ diuisiones siue per intellectum fiant, siue alio modo, nihil refert, sed fortè facilius per intellectum complentur; ipse etenim intellectus, si rectè contemplatus fuerit, aliquod indiuisibile in continua quantitate non dari tanquam partem, perspiciet, vnde diuidendo in infinitum procedet. Pro cuius adhuc faciliori intelligentia sciendum est, (vt etiam in textu vidimus) duplices partes in quolibet continuo, tam scilicet permanenti, quam successiuo considerandas esse, nempe quantitatiuas, & proportionales. Quantitatiuæ sunt, quæ secundum aliquam determinatam quantitatem sumuntur, siue sint æquales, siue inæquales, vt si omnes essent vnius palmi, vel vna vnius, altera duorum, altera trium, &c. secundum quas continuum consumitur; proportionales sunt, quarum altera ad alteram habitudinem, vel proportionem, aut similitudinem, seu conuenientiam habet; sic nimirum, quòd sicut prima pars est dimidium totius, ita altera sit ipsius dimidium; altera istius, & sic semper; quæ quidem duplices partes alio quoque nomine vocantur, puta non communicantes, & communicantes; Quantitatiuæ etenim ipsæ non communicantes dicuntur, quia vna nihil alterius participat, nec necessariò cum ipsa habitudinem habet. Proportionales verò communicantes dicuntur (quicquid aliqui velint) provt habitudine, & ratione medietatis, vel alia participant. Dum itaque continuum in infinitum diuisibile esse asserimus, secundum partes proportionales, & communicantes, non autem secundum quantitatiuas, & non communicantes diuisio sumenda est. Obseruandum est etiam, quod non æqualiter in quantitate continua, & discreta, & in magnitudine, & numero reperitur infinitum hoc in potentia; in continua namque quantitate, & secundum diuisionem, & secundum appositionem earundem proportionalium partium infinitas existit: quæcunque etenim ex vna parte per diuisionem auferuntur, alteri per additionem vniri possunt, quæ tamen si sint (vt esse debent) proportionales, non efficietur actu infinitum; quantitatiuæ verò sicut separari, sic addi in infinitum non possunt, esset etenim aliquid cęlo maius, vt eleganter docet Aristot. in textu. Numerus autem ipse, vel quæcunque discreta quantitas (differt numerus à quantitate discreta, sicut species à genere, & ad ipsam ordinem addit, quasi propriam differentiam, qua contrahatur) nec ratione diuisionis, nec additionis continuam quantitatem imitatur, non ratione diuisionis, quia non est in infinitum diuisibilis, sed ad vnitatem deuenitur, & ibi est status: vnitas namque, vel vnum indiuisibile est; imò esse indiuisum à se, & diuisum à quocunque alio, definitur, nec talis diuisio fit per partes proportionales, sed per vnitates, vnde partes prædictæ respectu totius continui sunt; & si fortè non repugnet, aliquomodo etiam discreto eas aptari: non tamen ita propriè, nec ad diuisionem, aut additionem conuenienter. Non ratione additionis, quia & si in infinitum finitum fieri possit, per vnitates superadditas, non per partes proportionales (vt dictum est) efficitur.

Partes quātitatiuæ. Proportionales.

Numerus quomodo à quantitate discretà differt. Vnum quid.

At hic insurgit dubitatio circa id quod diximus, vnum esse indiuisibile; hoc etenim falsum apparet; nam omne continuum est diuisibile, multa autem sunt continua, quorum quodlibet est vnum, vt vnus homo, vnum lignum, &c. ergo vnum diuisibile est. Respondetur diuisionem semper attendi in ordine ad partes; & sic eo modo quo partes sunt, diuisio fieri debet, partes itaque continui sic se habent, quod per terminum cōmunem copulantur: partes verò discreti, provt tales sunt, nequaquā, sed alias partes à se actualiter diuersas supponunt, vt patet in quaternario, quinario, & alijs numeris; quibus positis, respondetur, quodlibet vnum continuum in ordine ad numerum consideratum, necessariò esse indiuisibile

Quomodo vnum fit indiuisibile.

bile

bile, quia vt sic partes nullas habet; nam partes eius essent aliud, & aliud vnum, à se actualiter diuersum, vt est de ratione discretæ quantitatis, at posito quod sit vnum, impossibile est, vt aliud respiciat, quare penitus indiuisibile est. Si verò consideretur, vt est corpus, vel aliud quoddam continuum, non in ratione discreti, tunc profectò diuisibile erit, vt argumentum probat.

Secunda conclusio. Infinitum in actu, nec datur, nec per quamcunque potentiam dari potest, (naturaliter, & de rebus naturalibus loquendo; Deus etenim actualiter infinitus est, vt melius in octauo patebit) probatur, quæ implicant contradictionem per nullam potentiam fieri possunt; sed quodcunque infinitum contradictionem implicat, ergo. Probatur minor. Vnaquæque res creata est finita, & definibilis, ita vt si infinita esset, non esset creata, quare esset, & non esset, & sic contradictio est nota. At huic argumento responderi posset, non valere, nisi de infinito secundum essentiam; sed alio modo secundum quantitatem, hoc non esse ad propositum, quia si esset corpus, vel linea infinita, ratione quantitatis, adhuc ratione essentiæ esset limitata, & in genere quanti, & creata. Sed hæc responsio nulla est, quia in quocunque genere esset secundũ illud infinitum, illimitatũ; & per consequens increatum existeret; ratio tamque generis, si cum infinitate staret, ipsam non auferret: quia vt ad rẽ attinet, esse in aliquo genere, nihil aliud dicit, nisi ab alijs differre, & sub ipsis non contineri; at hoc pacto Deus ipse non est sic talis substãtia, vt neq; homo, neq; animal, nec aliud alterius generis existat, & tamen infinitus est? Amplius, in quãtitate infinita, nõ potest dari virtus, nisi infinita ex 8. Phys. tex. 80. ergo non mole solũ sed alia quoque ratione infinitũ erit; quod si id in substantia, vel in alijs generibus ponatur, magis habetur intentum; quia substãtia ipsa infinita, & proculdubio increata, ac maioris virtutis; alia etiam accidentia, quantitatem (quæ nullius actiuitatis est) superant, præterquam quod solum quantitas in rebus materialibus, & substantia in spiritualibus infinita esse potest: reliqua verò sunt talia per aliud; Multæ aliæ peculiares, & efficacissimæ rationes in litera habitæ sunt, quas hic repetere penitus superuacaneum existimo.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur, maiorem non esse veram de causis, & effectibus æquiuocis, imò impossibile est, vt effectus isti causæ æquiualeant. Vel dicatur, potentiæ diuinæ infinitæ respondere effectus infinitos successiuè, in actu autem implicare. Vel denique, quod ipsius potentiæ est infinitas quædam in modo operandi, non autem in re operata, quia potest agere ex nihilo, quod est opus solius infinitæ virtutis, quãuis res ipsas infinitas efficere nequeat, vel potius ipsæ factibiles nõ sint.

Ad secundum de æternitate mundi, & dierum infinitate dicitur, hoc esse infinitum in potentia; ad id vero, quod de animabus infertur. Respondetur, numerum ipsarum non esse simpliciter actualiter infinitum, nam infinitum in actu id dicitur, cui non potest fieri additio, sed istis fieri potest, & semper fit, quare non est simpliciter hic numerus infinitus. Multi circa hoc argumentum multa dicunt; sed hæc est melior solutio.

Ad tertium quoad secundam partem negatur maior, quamuis etenim Deus in primo instanti aliquid creare potuerit, non tamen in alio & alios; quia ad instans non sequitur aliud instans, sed tempus; ideò hæc infinita instantia sumi non possunt, sicut neque omnes partes proportionales.

Ad quartum respondetur, tales partes, eo quod indiuisæ sunt, non constituere actualiter infinitum numerum: nam de ratione ipsius est habere partes actu diuisas, eo autem quod sint proportionales, & communicantes non efficere infinitam magnitudinem; sic etenim certam quantitatem non sibi præfigunt, sed confusam inuicem ab altera parte per communicationem accipiunt, quod ad actualem infinitatem non est satis; partes enim infinitæ quantitatiuæ ad hanc requiruntur.

Ad quintum respondetur, quantitatem esse subiectum infiniti in potentia, & secundum rationem molis, vel ad genus quantitatis pertinentem; aut dicatur, quod si per impossibile daretur actu infinitum, in genere quantitatis esset (si sit sermo de rebus creatis) quod sicut dari non potest, ita neque quantitas, nec aliquid aliud est subiectum ipsius.

Tertij Libri Physicorum Finis.



ANTO-

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN QVARTVM LIBRVM PHYSICORVM Aristotelis Paraphrasis.

SVMMÆ LIBRI I.

In hoc Libro agitur de loco, vacuo, & tempore, & secundum hæc in tres summas diuiditur.

SVMMA PRIMA DE LOCO.

CAPVT PRIMVM.

Adducuntur rationes tam affirmantes, quam negantes locum esse.

Tex.1. *Imiliter autem necesse est, naturalem Philosophum cognoscere, & tractare de loco, sicut de infinito, an scilicet locus sit, vel non, & quomodo est, & quid est. Probatur, nam quæ sunt, omnes existimant alicubi esse, ergo perfectè intelligi non possunt, nisi habeatur cognitio de loco, quæ illa continet. Quod verò non est, nullibi est: vbi namque est Hircoceruus, vel Sphinx, aut alia monstra imaginaria, & impossibilia? ex famosa igitur communi opinione, quæ creditur omnia entia esse alicubi (quod non verum est, nam immaterialia in loco non sunt) concludimus ad naturalem pertinere agere de loco: non enim communes opiniones sunt spernendæ, sed examinandæ; sufficit etiam ad propositum, quod multa corpora naturalia sint in loco, vt de loco tractetur. Præterea inter motus, maximè communis, & proprius est localis, qui vocatur latio, hic autem sine loco esse non potest, ergo cum de motu in physica agatur, & præcipuè de locali, pariter de loco agi debet; aliter motus non bene cognosceretur.*

Tex.2. *Habet autem multas dubitationes quidnam sit locus, non enim speculantibus ex omnibus conditionibus, & proprietatibus, quæ ipsi loco insunt, idem videtur: alij namque ex vna proprietate ipsius colligunt esse talis naturæ, alij verò oppositum. Amplius ab alijs Philosophis nunquam adhuc habentur dubitationes, nec aliquid determinatum de ipso, ideò difficilis est cognitio eius. Oportet igitur ad maiorem dilucidationem præsentis materiæ afferre rationes probantes locum esse, & deinde alias, quæ oppositum probent, & eas soluere.*

Quod igitur locus sit, videtur manifestũ esse ex translatione diuersorum corporum; nam vbi nunc est aqua, hinc egressa, tanquam ex vase, iterum aer inest, vel hunc eundem locum occupat aliud corpus: vnde videtur esse quid per se distinctum, ab ijs corporibus, quæ in ipso insunt, & ab ipso transferuntur, quia si non esset distinctum simul poneretur, & remoueretur, posito, vel remoto corpore locato, cuius oppositum experientia constat, nam in eodem loco in quo nunc est aqua, prius erat aer, vel è conuerso; quare manifestum est, quod locus, & regio aliquid erat diuersum ab vtrisque, ad quam, & ex qua regione transferebantur prædicta corpora. Tex.3.

Amplius motus corporum naturalium simplicium, vt ignis, terræ, & talium, non solum ostendunt locum esse aliquid in natura, sed quod habeat quandam potentiam, seu uirtutem; probatur utraque consequentia; nam ad nihil, nihil mouetur, nec propter nihil, ergo mouetur ad aliquid, ergo locus est aliquid, nec propter nihil mouetur, ergo propter aliquid; id autem esse non potest, nisi bonum corporis mobilis, ergo habet hoc bonum à loco, ergo locus habet uirtutẽ conferendi bonum corpori locato, quæ uirtus est conseruandi ipsum, habet igitur uirtutem conseruatiuam; vt igitur vnumquodque corporum conseruetur, fertur in suum locum, dummodo non sit prohibitum, seu impeditum; feruntur autem hæc; simplicia corpora non omnia ad eundem locum, sed aliud sursum, aliud verò deorsum, quæ sunt partes integrantes loci vniuersi, ac species loci in communi, simul cum alijs speciebus ipsius loci, scilicet dextrum, & sinistrum, ante, & retro, quæ fortè non sunt loca naturalia elementorum, sed vel viuentium, vel motus uiolenti, simplicia namq; corpora, uel à medio uel ad medium naturaliter mouentur, (sit quomodocunque) locus non solum est aliquid, Tex.4.

sed

sed habet virtutem conseruatiuam, ac diuiditur in sex species supradictas.

Tex. 5. *Sunt autem tales differentiæ loci, non solũ quoad nos, sed etiam in natura, probatur; nam quod dicitur tantum quo ad nos variatur ex diuersa positione, seu situ nostri, vt quod modo est nobis dextrum, si conuertimur fit sinistrum, vel è contra, similiter de alijs. In natura autem vnaquaque istarum differentiarum est seorsum determinata, vnde non quodcunque est sursum, sed quò feruntur leuia, vt ignis, &c. nec quodcunque est deorsum, sed quò feruntur grauia, vt terra, &c. tanquam non differant situ tantum, sed etiam potentia, virtute; ideo etenim grauia deorsum feruntur, & non sursum, & leuia è contra, quia deorsum est virtus grauia conseruandi, & sursum conseruandi leuia; differunt ergo in natura, positione, & virtute. Ostendunt autem res Mathematicæ, has differentias esse non tantum quoad nos, sed ex parte rei. Res namque mathematicæ licet non sint in loco, tamen secundum nostram considerationem habent dextrum, sinistrum, & alias positiones: nec tamen res ipsæ sunt naturales, sed ab ipsis distinctæ, ac diuersæ, ergo alio modo has positiones habent, quam naturales, sed ipsæ habent ex parte nostra, seu ex modo tantum considerandi, ergo naturales, ex natura rei habent, nam si eodem modo haberent non differrent; scientiæ enim secantur, seu distinguuntur secundum quod distinguuntur res per scientias consideratas, vel modos considerandi.*

Tex. 6. *Amplius quod sit locus, probatur auctoritate, quia non solum verè philosophantes hoc concedunt, sed etiam qui ponunt vacuum, (sunt autem male philosophantes) dicunt enim. Vacuum esse locum priuatum corpore. Quod autem locus sit aliquid à corporibus distinctum, & quod omne corpus sensibile sit in loco, ad quem mouetur propter sui conseruationem, per has prædictas rationes aliquis existimabit. Vnde Hesiodus Poeta rectè dicere videtur, cum ante generationem rerum posuerit Chaos, seu locum, qui esset omnium rerum receptaculum, sic enim ait. Omnium quidem primum Chaos factum est, postea terra lata, quasi oporteret primum fuisse receptaculum rebus, quam ipsa fierent, hæc autem dixit, quia putabat, omnia alicubi esse, vel in loco. Sed licet erret, asserendo, locum præcedere omnia quæ sunt, ac etiã dum credit omnia esse in loco, tamen ponẽdo locũ aliquid esse, non errat, quod sat est pro confirmatione nostri propositi.*

Tex. 7. *Si autem talis naturæ sit locus, vt Hesiodus affirmat, erit mirabilis virtus ipsius, non enim ab alijs rebus dependeret, sed esset prior omnibus, sine quo nulla aliarum rerum existere possec, sed ipse bene posset sine alijs esse, ac primus omnium, vnde licet ea, quæ in ipso sunt, corrumpantur, ipse tamen non corrumperetur, cum à talibus rebus non dependeat, sed è conuerso. Hæ igitur sunt rationes probantes locum esse. Nunc vero adducamus, quæ probant ipsum non esse, vt magis dilucida sit determinatio eius.*

Non enim perit locus corruptis ijs quæ in loco sunt intellige supposita opinione Hesiodi Poetæ.

Tex. 8. *Dubitationem igitur habet, si locus est, quid est, an sit moles aliqua corporis, aut quædam altera natura: quærendum namq; est primum genus ipsius. Non igitur potest esse aliqua moles, nam hæc habebit tres dimensiones, scilicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem, quibus omne corpus determinatur, ac per consequens etiam ipse locus erit corpus, hoc autem est impossibile, quia duo corpora essent simul, scilicet locus, & corpus locatum; non igitur locus est aliqua moles, vel corpus, de genere quantitatis.*

Omne corpus determinatur lõgitudine, latitudine, & profunditate.

Amplius si locus est receptaculũ corporis, manifestum est quod erit receptaculum superficiei, lineæ, & puncti: nam sicut corpus aquæ v. g. recipitur in loco, sic superficies, linea, & puncta ipsius, ergo (à destructione consequentis) si non datur locus, qui sit receptaculum superficiei, lineæ, ac puncti, nec debet dari, qui sit receptaculum corporis. Sed puncti præcipuè non datur, quia locus debet dicere aliquam distinctionem, & eminentiam respectu rei locatæ, hoc autem locus puncti dicere non potest, imò in nullo erit à puncto distinctus, ergo neque ab alijs prædictis debet poni distinctus, & sic receptaculum non erit; nec dicatur, quod non valet ex puncti loco ad locum aliorum, quia à destructione vltimi consequentis, omnia antecedentia destruuntur, vt si homo est animal, erit viuens, corporeus, & substantia, ergo si non erit substantia, non erit viuens, nec corporeus, nec homo, & sic tenet in prædicta argumentatione. Tex. 9.

Quid enim tandem nos ponemus esse locum? neque enim potest esse elementum, neque ex elementis constare, neque ex rebus corporeis, neque ex incorporeis: si habeat talem naturam, quæ sit loci conueniens; cum enim ipse habeat magnitudinem, ex incorporeis esse non potest, quæ nullam magnitudinem habent, neque potest esse corpus, quia duo corpora essent simul, scilicet ipse, & corpus locatum, ac per consequens non potest esse elementum, neque ex elementis, cum tam elementum, quam id quod est ex elementis corpora sint. Vnde omnium corporum sensibilium mistorum, vt animalium, plantarum &c. sunt alia corpora elementa, vt ignis, aqua, &c. nam ex elementis intelligibilibus, seu incorporeis, nulla fit magnitudo, seu corpus quantum. Quare neque elementum intelligibile datur in rebus naturalibus, aliquod scilicet incorporeum, quod corporeum constituat, tanquam ex parte integrante, nam ex non quanto non potest fieri quantum per modum partis integralis; posset tamen materia prima in se considerata vocari elementum intelligibile, seu incorporeum, tamen neque hoc est ab omnibus receptum, idem posset dici de forma; quæ tamen acceptio non est ad propositum, nam ex ipsis bene fit corpus, & in sequenti propria ratione probabitur, locum non esse materiam, neque formam, neque ex his constans, vnde hic per elementum intelligibile debemus intelligere quid spirituale, quasi sit ratio diuisiua vniuersalis, siue illud membrum (intelligibile) sit physicum, siue non. Neque potest intelligi de principio mathematico, nam ex illo fit quantitas, seu quantum. Concludamus igitur, locum non esse, quia vel esset, vel elementum, vel ex elementis, vel ex corporeis, vel incorporeis, sed nullo modo est, vt probauimus, ergo. Tex. 10.

Amplius si locus esset, haberet rationem alicuius ex quatuor causis. Sed cuius, nam quis ponet ipsum esse causam? neque enim materia, neque forma, neque efficiens, nec denique finis est alicuius rei. Non materia, quia ex ipsa nihil constitutum est, veluti ex parte materiali, & essentiali. Neque forma, quia non dat quidditatem, seu rationem rebus, non enim locus dicit quidditatem hominis. Neque est finis, nam forma, & finis idem sunt, vel quia agens naturale non agit propter locum, sed propter formam rei genitæ. Non est deniq; efficiens, quia causa efficiens, saltem in multis, est eiusdem naturæ cum effectu, vt homo cum homine, alijs vero est nobilior, sed locus nec est eiusdem naturæ cum rebus locatis, nec ipsis nobilior. Cum igitur locus non sit in aliquo genere causarum, sequitur, quod nihil sit, nam quicquid est, habet Tex. 11.

aliquem

aliquem modum causandi aliter esset frustra, & otiosum in natura.

Tex. 12. *Amplius si locus est, alicubi erit, & sic locus esset in aliquo loco, & ille in alio, vnde in infinitum procederetur, consequentia patet, nam quicquid est, alicubi est. Hæc autem est dubitatio Zenonis, quæ rationem, seu discussionem aliquam quærit.*

Tex. 13. *Amplius si locus sit, & in ipso sit corpus, ita vt sit etiam ei æquale, sequeretur quod dum corpus augetur, etiam augmentaretur locus, quod est absurdum, nam augeri est proprium corporum, vnde locus esset corpus; propter istas rationes necesse est dubitare, si locus sit, & quid sit.*

Augere proprium est corporum.

C A P V T II.

Afferuntur ea, quæ faciunt dubitationes de essentia, & nature Loci, atque determinantur.

Tex. 14. *QVoniam autem in entibus aliquid dicitur secundum se tale, aliud vero secundum aliud, vt homo dicitur quantus secundum aliud, scilicet secundum quantitatem, linea vero per se quanta dicitur. Sic locus dicitur dupliciter, vel secundum aliud, vel secundum se; secundum aliud est, qui non per se, & immediatè continet rem locatam, sed per alium locum. Secundum se est, qui immediatè continet; primus vocatur locus communis; secundus vocatur proprius; in primo sunt plura corpora; in secundo vnum tantum, verbi gratia. Tu nũc in cælo es, quia es in aere, qui est in cælo, & in aere est, quia es in hac parte aeris, & in hac parte aeris es, quia es in terra, & in hac parte; qui locus a[...] aliud quam te continet. In ijs igitur, Cœlum est locus communis, vel potius communissimus, quia omnia continet, nec te continet nisi mediante alio: at etiam locus communis est eadem ratione, hic vero aer particularis cum portione aliqua terra, qui te circundant immediatè, est tuus proprius locus. Locus igitur, tam communis, quam proprius continent rem locatam, ex quo apparet, quod ipse sit forma, seu terminus, cuius est continere, vel terminare materiam, vnde aliqui ipsum locum dixerunt esse quidditatem, vel formam rei quam continet, ita vt per ipsum non tantum materiam rei, sed etiam magnitudinem ipsius contineri dicant.*

Dupliciter aliquid dicitur tale.

Locus communis, & proprius.

Tex. 15. *Sic igitur considerantibus videtur esse forma; quatenus vero videtur locus esse distantiam, seu spatium occupatum à magnitudine, seu corpore, sic videtur materia, quia distantia, seu spatium diuersum est à corpore locato, & est id quod continetur, ac definitur, seu terminatur à superficie, & alijs terminis corporis locati. Sed definiri, ac terminari ab alio est proprium materiæ, ergo locus est materia. Confirmatur, nam materia, in se sine omni forma est quid indeterminatum, & eodem modo est locus, nam si à sphæra, vel corpore locato remoueantur per intellectum proprij termini, vt superficies, linea, ac aliæ passiones, vt grauitas, leuitas, &c. tunc nihil remanebit, nisi quid interminatum, quod antea à prædictis terminabatur, hoc autem est materia illius sphæræ, ac etiam est id, quod ab illis terminis claudebatur, nec aliud claudebatur, nisi spatium in quo erat, & materia ipsius, ergo spatium illud interminatum, materia, & locus sunt idem, qua ratione motus; Plato in Timæo idem ait esse materiam, & receptaculum, & similiter receptaculum esse idem cum susceptiuo, ac etiam cum loco; vnde cum idem sit receptaculum, susceptiuum, & locus, & materia sit receptaculum, & susceptiuum formæ, materia, & locus sunt idem. Verum tamen est, quod licet sic scripserit in Timæo, tamen in quibusdam suis sententijs non scriptis, sed verbotenus declaratis, dixit, receptiuum esse magnum, & paruum, (qua ponebat materiam) nihil affirmando de loco, tamen locum, & receptaculum idem esse declarauit, & sic auctoritate Platonis locus est materia.*

Tex. 16. *Omnes enim alij philosophi dixerunt, locum esse: quid tamen ipse sit, solus Plato conatus est dicere. Meritò autem ex his considerantibus videbitur vtique esse difficile cognoscere, quid sit locus; nam siue ponatur esse materiã, siue formam, habet difficilem cognitionem, nam materia, & forma requirunt, (vt cognoscantur) altissimam, & subtilissimam speculationem, nec vna sine alia cognosci potest faciliter, cum sint correlatiua.*

Tex. 17. *At vero quod impossibile sit locum esse, vel materiã, vel formam, non est difficile videre, nam forma, & materia sunt inseparabiles à rebus quarum sunt; (ipsis scilicet rebus remanentibus) locus vero separari potest, (re locata integra) in quo namque nunc est aqua, ibi potest esse aer, ac etiam vicissim in eodem locò transferri possunt, & ipsa, & alia corpora; vnde ipse locus non est pars, neque habitus, vel qualitas rei locatæ, hæc enim inseparabilia sunt, ipse vero est separabilis ab vnoquoque corporum; non tamen ab omnibus simul, nam sic remaneret vacuum, sed ab isto, & illo, successiuè, ita tamen quod semper aliquod contineat, assimilatur igitur vasi: vnde vas est locus, sed qui potest trasferri cũ re locata, nec est pars ipsius; sic locus in ratione continendi similis est vasi, ac etiam in hoc; quod non est pars rei locatæ, licet non possit cum re locata tra[...]ferri, & per hoc differt à vase.*

Locus est separabilis.

Tex. 18. *Quatenus igitur locus separabilis est à re locata, eatenus forma non est, quatenus vero rem localem continet, eatenus diuersus est à materia, cuius proprium est contineri à forma. Præterea, id quod alicubi est, videtur esse aliquid diuersum, ab eo quod est extra ipsum, & à quo continetur, sed continetur à loco, ergo ab ipso diuersum est, non tamen est diuersum à sua materia, & forma, ergo locus non est materia, vel forma. Si autem liceat aliqualiter à proposito digredi; contra Platonem insurgam. Dixit enim in Timæo, locum esse omnium cõmune quid, ac receptaculum, siue posuerit magnum, & paruum esse locum, siue aliquid aliud, omnia tamen ipso loco participare existimauit: Alibi vero asserit Ideas, & numeros non esse in loco, ergo non omnia participant loco, nec locus ratione continentiæ est omnium particeps, & sic est in suis dictis contradictio. Sed redeundo ad propositum, probemus iterum, locum non esse materiam, neque formam sic.*

Tex. 19. *Si locus esset materia, vel forma rei locatæ, quomodo ad ipsum res locata moueretur? omne enim corpus ad suũ locum mouetur, impossibile autem est moueri ad aliquid, velut ad locum, in quo nulla sit ratio loci, veluti sursum, deorsum, &c. hæc vero non reperiuntur in materia, & forma, ergo ipsæ non sunt locus, sed alius ipsi rei locatæ quærendus est.*

Tex. 20. *Si vero locus sit in ipso corpore locato (sicut debemus necessariò dicere, si ponamus, quod sit materia, vel forma ipsius) locus erit in loco, nam corpus locatum in loco aliquo externo est, vt patet ad sensum; materia verò, &*

forma

formæ sunt in ipso, & cum ipso, ergo si ponatur quod sint locus, locus erit in loco, & similiter locus mutaret locum; nam forma, & materia mutantur simul cum re cuius sũt, nec semper in eodem loco corpus, quod materia, & forma constat, reperitur. Vnde locus locum haberet, & locum mutaret; quæ absurda, & ridicula sunt, nam in infinitum procederetur, & locus haberet rationem, vel modum corporis.

Tex 21. *Amplius (specialiter probemus, locum non esse materiam) quando ex aere facta est aqua, perijt locus; nam corpus aquæ, quod factum est, non est in eodem loco, quo erat aer, sed in minori, quæ igitur corruptio? non materia; quia ipsa est ingenerabilis, & incorruptibilis, & tamen locus corruptus est, ergo locus non est materia.*

Locus est corruptibilis.

Tex. 22. *Ex quibus igitur rationibus concludatur, quod locus sit aliquid necessariò, ac rursus ex quibus aliquis dubitare potest de substantia, & qualitate ipsius, dictum est. Post hæc autem determinandum est, quot modis aliud in alio sit, vt ex hac determinatione aliqua ad locum pertinentia declarentur, & rationes contra ipsum adductæ facilius soluantur.*

C A P V T III.

Quot modis aliquid dicatur esse in alio.

Tex 23. *ALiquid dicitur esse in aliquo octo modis. Primo sicut pars integralis in toto, vt digitus in manu, ad quem reducitur modus essendi materiæ in composito. Secundò. Vt totum est in suis partibus, non enim extra illas esse potest, & valet de toto integrali, & essentiali. Tertiò, vt species in genere, seu vt inferius in suo superiori, sicut homo in animali, vel Socrates in homine. Quartò, vt genus in specie, vel vniuersale in particulari, vt animal in homine, vel homo in Platone, Callia, &c. ad quem pertinet etiam modus essendi differentiæ in specie cuius est differentia, vel pars definitiua. Quinto. Sicut forma in materia, siue sit forma accidentalis, sicut sanitas est in calidis, & frigidis humoribus; siue sit forma substantialis, vt anima in corpore, sed primo modo dicitur potius esse in subiecto, secundo esse simpliciter in materia; tamen subiectum interdum materia vocatur, & interdum è contra, vnde non ponuntur vt modi diuersi. Sextò, vt in causa efficienti, sicut res Græcorum sunt in potestate Regis, vt sic, vel sic fiant, & omnia alia, quæ sunt in primo mouente, vt omnes creaturæ in Deo. Septimò, vt in causa finali, quæ est quid bonum, & optimum, & gratia cuius cætera sunt, & sic omnia similiter sunt in Deo, inanimata, & bruta in homine, medicamenta in sanitate, &c. Octauo est esse in vase, & in loco, qui propriissimè est modus essendi in alio, & licet videantur duo, tamen non essentialiter differunt, quia in ratione continentiæ eodem modo locus, sicut vas continet.*

C A P V T IV.

An aliquid possit esse in se ipso.

Tex. 24. *DVbitabit autem aliquis, vtrum quippiam in se ipso contingat esse, an nihil, sed omnia aut nusquam, aut in alio sint. Respondetur, quod aliquid potest dici esse in alio dupliciter, idest, vel secundum se totum, ita vt totum sit in toto, vel secundum aliud, hoc est secundum partes; esse igitur aliquid in se ipso secundum partes non est impossibile; cum enim partes totius sic se habeant, quod vna possit dici id in quo altera est, & alia id quod est in hoc, scilicet in alia parte continente, totum potest dici esse in se ipso, nam à parte, quæ est in altera denominari potest. Vnde aliquis dicitur albus licet sit alba superficies solummodo, & sciens quia anima rationalis est talis. Sic ergo, quia vna pars continet aliam, ratione partis contentæ, totum in se ipso potest esse, cum etiam pars continens sit de natura sui: si vero non possit inter partes assignari ratio continentis, & contenti, aliquid in se ipso non erit neque ratione partium. Vnde accipiatur amphora vini, vt quid totum, ipsa dicetur in se ipsa, ratione vnius partis, quæ est in alia, scilicet vini, quod est in amphora; nam quod inest in parte continente, & id in quo est res contenta, sunt ambæ partes eiusdem totius, ideò à qualibet denominari potest. Amphora vero tantum non erit in se ipsa, quia non possunt assignari partes continentes, & contentæ, & similiter neque vinum tantum ob eandem causam.*

Sic igitur contingit quippiam in se ipso esse, non autem primò, seu adæquatè, ita vt totum sit in toto. Quod autem modo prædicto contingat, adhuc exemplis illustremus, vt albedo dicitur esse in corpore, quia est in superficie ipsius, scientia vero in homine, quia est in anima, & tamen ab istis partibus appellatur totum, vt dicitur corpus album, homo vero sciens. Sic etiam dum partes alicuius totius se habeant, vt vna sit continens, alia contenta, vt supradictum est, totum in se ipso dicitur; requiritur autem vt aliquæ verè dicantur partes, quod sint actualiter vnitæ, vnde amphora, & vinum, cum seorsum sunt, partes non sunt, sed cum simul. Quapropter cum sint actualiter vnitæ, & reuera partes, modo prædicto, scilicet ratione continentis, & contenti, idem in se ipso erit, vt homo dicitur albus, quia albedo est in superficie, & superficies in corpore, in qua non per aliquid aliud est, sed se ipsa immediatè; hæc autem, quæ sunt continentia, & contenta, habent diuersam naturam, & virtutem, vt al a est natura superficiei, alia albedinis, alia amphoræ, alia vini, &c. ergo si idem esset secundùm totum in se ipso, esset diuersa naturæ à seipso, quod absurdum est; non autem est inconueniens vnam partem esse alterius naturæ ab alia, maximè in etherogeneis, imò fortè hoc est necessarium, & sic vna pars in alia esse potest, & ab ipsis totum denominari. Tex. 25.

Partes actuales, quæ.

Neque igitur si inductiuè per singulos modos prædictos considerabimus, aliquid esse in se ipso primò videbimus, neque enim esse potest, vt pars in toto, nec vt totum in parte, quia idem non est pars sui ipsius, neque vt genus in specie, nec è conuersò, & sic discurratur per alios, faciliter enim est hoc cognoscere, & exemplificare. Probatur etiã ratione. Si enim hoc esset, sequeretur quod vinum esset amphora, & amphora vinum, probatur consequentia. Sit amphora vini, v. g. illud totum, quod in se ipso est, tunc idem continet, & continetur, at continere est amphoræ, cõtineri est vini, ergo amphora pro vt continetur habebit rationem contenti, quod est vinum; pro vt continet, habebit modũ continentis, quod est amphora, & sic vinum pro vt vinum est erit amphora, & amphora vinum, si indifferenter vtrumque contineat, & contineatur, hoc autem est impossibile; nam secundum esse, etiam manifestum est, alterum, seu diuersum esse, id in quo aliquid est, scilicet continens, ab eo quod est in hoc, scilicet à contento. Tex.26.

At vero neque aliquid secundum accidens, hoc est per aliud potest esse in se ipso primo, quia duo corpora essent simul, quod est absurdum. Probatur consequentia, sit Tex. 27.

amphora vini in se ipsa per aliud corpus, tunc illud corpus erit in amphora vini, & in eodem erit ipsamet amphora, ergo si ipsa amphora, cuius natura est suscipere aliud, sit in se ipsa, & in eodem sit illud cuius susceptiua est, habetur intentum, ac si vinum esset susceptiuum vini, vel aliquid aliud; (in omnibus namq; est pars ratio) eadem sequerentur inconuenientia. Quod igitur impossibile sit aliquid esse in se ipso primo, manifestum est.

CAPVT V.

Soluitur ratio Zenonis, & alia dubitatio de loco.

Tex.28. *QVod autem Zeno dubitabat, quod si locus esset aliquid, in aliquo loco esset, & sic procederetur in infinitum, non est difficilè soluere. Nihil enim prohibet locum primum, seu proprium esse in aliquo, non sicut in loco, sed vt sanitas quidē in calidis, seu in humore calido reperitur, veluti habitus, scilicet vt qualitas, seu accidens, calor autem in corpore vt passio, quæ est accidens, & qualitas faciliter mobilis, sic locus est in alio, vt accidens in subiecto, est enim accidens, seu superficies corporis continentis, & sic vt accidens in subiecto est, non vt res locata in loco, vnde non est processus in infinitum, vt deducebat Zeno. Obseruandum est tamen, locum non esse propriè vt habitum, vel passionem in corpore continenti, ita vt sit ad modum rei mobilis, quod est proprium qualitatis, sed sufficit vt trahatur exemplum de modo essendi accidentis in subiecto.*

Tex.29. *Illud autem sit manifestum, quod cum vas nihil sit illius rei, quæ in ipso est, (aliud enim est per se, & primo, id quod inest in aliquo, & illud in quo inest; seu alia est ratio continentis, alia contenti) locus verò sit veluti vas, non erit aliquid, seu pars rei locatæ, & per consequens, non erit materia, neque forma, quæ sunt aliquid (nempè partes essentiales) illius quod inest in loco, sed ab vtraq; erit diuersus, vnde soluitur argumentum, quo videbatur probari locum esse materiam, vel formam, prout videtur contineri, vel continere; sicut habitum fuit in textu 14. & 15.*

CAPVT VI.

Narrantur aliqua conuenientia loco, ex quibus deuenimus in cognitionem ipsius.

Tex.30. *HÆc igitur prædicta sint per modum dubitationis illata. Quid autem tandem sit locus, ex sequentibus fiet manifestum. Accipiamus autem de ipso, quæcunque videntur secundum suam naturam ei inesse, quæ præcipuè sunt quinque. Primum. Locus videtur esse continens rem locatam, ita vt non sit pars ipsius rei. Secundum. Locus primus, seu proprius, non est minor, neque maior corpore locato, sed æqualis. Tertium. Locus nunquam est sine aliquo corpore locato, & si sit ab vnoquoque separabilis. Quartum. Habet varias positiones, scilicet sursum, deorsum, &c. Quintum. Est virtutis conseruatiuæ, & hac ratione, corpora naturalia dum sunt extra proprium locum ad ipsum mouentur secundum variam eorum naturam, & dispositionem; alia etenim mouentur sursum, vt leuia, alia deorsum, vt grauia, & eadem de causa vnumquodque manet in proprio loco, quæ vera sunt de corporibus sublunaribus. Cœlum autem in loco non est, vt dicetur.*

Requisita loci sunt quinque.

Suppositis autem his, reliqua ad locum pertinentia speculari decet. Oportet autem tentare sic facere considerationem de ipso, vt ipsum quid est, seu definitio reddatur. Secundò, vt per ipsam definitionem solui possint dubitationes omnes circa ipsum locum contingentes. Tertiò, vt cognoscatur, quæ proprietates ipsi loco insint, & quæ non. Quartò vt per ipsam definitionē reddatur causa difficultatis, & dubitationum omnium, quæ de ipso contingunt; quæ proprietas, & si videatur ferè eadem cum secunda, est tamen diuersa, nam in illa est solutio dubitationum tantum, in ista vero assignatio causæ: potest enim aliquis soluere dubium, non assignando causam, sed simpliciter veritatem adducendo; si vero diceremus hanc quartam, esse fortè supplementum secundæ non esset inconueniens, ex istis conditionibus seruatis, pulcherrimè vnumquoq; demonstrabitur, ac definietur secundum proportionem; demonstrabitur, scilicet demonstrabile, nempè proprietas, definietur definibile, nempè natura, & essentia; vnde possunt prædicta cuilibet definitioni adaptari. Tex.31.

Proprietates bonæ definitionis sunt quatuor.

Est etiam pro maiori intelligentia, notandum, quod locus non quæreretur in hac scientia, nisi esset motus localis, nā consideratio naturalis est præcipuè de motu, consequēter de his, quæ habent ordinem ad ipsum inter quæ est locus; ità vt quæcunq; localiter mouentur in loco esse putantur, imò propter hoc etiam cælū putamus esse in loco, quia semper est in motu. Nec tātum motus localis simpliciter, sed etiam, augmentatio, & diminutio locum aliquem sibi vendicant, cum latione participent, augmentatio enim est acquisitio maioris quantitatis, in qua fit transitus de minori loco ad maiorem, diminutio è contra, de maiori ad minorem. Vnde motus localis diuidi potest in lationem, augmentationem, & diminutionem. At si quis dicat, has esse species distinctas. Respondetur esse distinctas in ratione terminorum, sed prout omnes concernunt diuersam occupationem loci, ad motum localem possunt attinere, v. g. augmentatio differt à motu locali, quia terminus per ipsam acquisitus est quantitas, sed motus localis est vbi. Conueniunt vero in hoc, quod in vtraque est aliquis transitus de loco ad locum, & sic motus locales ambæ sunt; eodem modo potest dici de diminutione. Notādum est etiam quod duplex est mobile, scilicet per se, & per accidens. Per se est quod secundum se totum primò mouetur, vt corpus; per accidens est quod mouetur prout est alteri coniunctum, & hoc est duplex, quoddam quod licet moueatur prout est alteri iunctum, tamen etiam per se moueri posset, si ab alio separaretur, sicut sunt partes integrales totius, vt in nauigio clauus, & in homine caput, &c. aliud quod nunquam nisi alteri iunctum potest moueri, vt quodlibet accidens quod cum subiecto mouetur, hoc enim ab ipso subiecto separari non potest, & per consequens nec sine illo moueri. Ex dictis inferimus, mobile quod per se mouetur ducere nos in cognitionem loci, non autem quod mouetur per accidens, & quia ad mobile per se sequitur motus per se, hic est præcipuè qui locum infert, ac de ipso tractandi occasionem præbet. Tex. 32.

Mobile per se ac per accidēs quid.

Notandum etiam est; quod aliquid dicitur esse in loco communi, quia est in proprio, non quod re uera sit immediatè in communi, v. g. dicimus te esse in cælo vt in loco, quia es in aere, hic autem in igne est, ignis vero in cælo, & in aere non toto es, sed ideò in illo diceris esse, quia es in hac parte aeris, quæ est quid vltimum te continens immediatè. Quare non est credendum locum communem esse æqualem locato, sed proprium, seu immediatum, & Tex. 33.

similiter

similiter quando dicimus, tuum locum esse aerem, intelligitur de parte aeris te immediatè continente, aliter falsum esset, quod locus esset æqualis locato: hoc enim de primo, seu immediato, ac proprio loco intelligitur.

Tex. 34. *Obseruandum est etiam, quod dum continens non est diuisum à re contenta, talis res contenta non dicitur esse in illo sicut in loco, sed sicut pars in toto, vel pars in parte (& si dicatur pars in toto, prout ab vna parte potest fieri denominatio, vt supra visum est) vt si quis diceret Socratem esse in sua pelle, in ea non esset vt in loco, cum sit sibi continua, sed vt pars in toto. Cùm verò ipsum continens non continuum, sed diuisum est, ac tangit rem contentam, tunc res est in illo, vt in loco sibi primo, vel proprio respectu vltimæ superficiei continentis; hoc verò immediatum continens neque pars est rei contentæ, neque maius corpore, seu magnitudine, sed æquale. Nam vltimæ superficies eorum, quæ se tangunt in eodem indiuisibili sunt, cum autem ex parte profunditatis sint indiuisibiles, & indiuisibile alteri aditum ex parte, qua est indiuisibile non faciat maius, & hoc modo se habeant superficies corporis continentis, & contenti, sequitur vnam non esse altera maiorem, sed æquales, & sic locus est æqualis rei locatæ, cum illa vltima superficies continens locus sit. Præterea, quando aliquid est alteri continuum non mouetur ad illud, sed simul cum illo, sed locatum non mouetur simul cum loco, sed ad locum, ergo non est ipsi continuum, sed ab ipso diuisum; ideò in ipso, & ad ipsum mouetur, siue continens moueatur, siue non, nihil refert ad hoc propositum, de diuisione, vel continuatione loci cum re locata; hoc enim tantum colligere intelligimus, quod locus, & locatum non debent esse continua, sed diuisa. Amplius quando continens non est diuisum à contento, ipsum contentum non est in eo sicut in loco, sed sicut pars in toto, vt acies, vel pupilla est in oculo, & manus in corpore. Cùm autem diuisum est, vt aqua in cado, vel vinum in dolio. Vnde sicut manus mouetur cum corpore, sic continuum contentum cum continente (si supple mouetur secundum se totum, nam bene potest vna pars moueri altera quiescente, etiam si sint continuæ, vt patet in multis, nempè in aqua, homine, &c.) & sicut aqua mouetur in cado, ipso manente immoto, sic contentum in continente non continuo; quare continens hoc modo habet rationem loci, non verò quod continet, & continuum simul est.*

CAPVT VII.

Declaratur, quomodo locus sit diuersus à multis, cum quibus videtur idem, & per hoc indagatur de proximo definitio ipsius.

Tex. 35. *IAm igitur ex prædictis manifestum erit quid sit locus. Quatuor enim ferè sunt, quorum necesse est locum vnum aliquid esse; aut enim est forma, aut materia, aut spatium aliquod medium inter extrema continentia, vel (si non est aliquod spatium præter magnitudinem corporis existentis in loco) erit extremum, seu superficies ipsa continentis corporis. Horum autem quod tria prima non possit esse, scilicet, nec materia, nec forma, nec spatium, manifestum est. Sed propterea quod continet, videtur forma; in eodem enim sunt extrema continentis, & contenti, sed extrema continentis sunt locus, ergo est simul cum locato, ac ipsum continet, & terminat, sicut videtur facere formam, & ideò ab ea non videtur diuersus. Sed respondetur, quod licet & locus, & forma sint termini, non tamen sunt idem, nam locus est terminus corporis continentis. Forma verò est terminus rei locatæ, vnde locus est terminus extrinsecus, & accidentalis locati, sed forma est intrinsecus, atque essentialis.*

Ex eo autem quod corpus contentum, & diuisum sæpe mutatur, manente continente, ita vt ex continente ipso videatur exire (sicut aqua ex vase, ac relinquere inter latera continentis quoddam spatium, in quo illud contineri videbatur, & aliud iterum in eodem recipi) ipsum spatium medium, locus videtur tanquam aliquid existens sub ratione loci diuersum à corpore translato, & ab alio ingrediente. Hoc autem spatium non datur, sed eorum corporum naturalium, quæ transferuntur faciliter, ac se tangere ex sua natura apta sunt, aliquod incidit statim in illud spatium, seu locum, quem imaginamur derelictum, imò quod vis eorum sic se tangentium potest statim succedere alteri corpori, vt discedente Socrate ex tali loco, statim succedit aer, ita vt sit ipsi Socrati sic contiguus, quod eum immediatè sequatur, & pars, quæ ab ipso relinquitur est eodem tempore ab aere repleta, & sic nullum datur spatium. Tex. 36.

Si autem esset aliquod spatium aptum ex sua natura recipere corpus locatum, ac manens in eodem loco, ita vt esset quantitas quædam, quæ haberet longitudinem, latitudinem, & profunditatem (sic namq; Antiqui ponebant) sequeretur, quod loca essent infinita simul, quod est absurdum. Probatur sequela; translato aere, & aqua, similiter omnes partes aquæ cũ tota aqua, & partes aeris cum toto aere transferuntur, sicut tota aqua in vase, cum omnibus partibus immittitur. Cùm ergo illud spatium sit quantitas, penetraret ipsum totum receptum, aliter in ipso non reciperetur, & similiter penetraret omnes partes ipsius, quia omnes in ipso locātur, nec est maior ratio de una, quam de alia, at partes illæ sunt infinitæ, ergo infinita essent loca; si dicatur, quod ipsum spatium non penetrat, sed vel recedit, vel corpus locatum penetrat, ipsum nihil valet; nam si recedit, ipsum non habebit amplius rationem loci, cum non contineret, sed potius corporis mobilis; si verò penetretur, ita vt recipiatur in ipso corpus locatum, vel mutuò penetrabuntur, & sic habetur primum propositum, vel sic penetratur, vt se dilatet, & tunc erit mobile, & de natura corporis, non autem loci; vel si adhuc ponatur locus, locus erit in loco; nam dum dilatatur in loco recipitur, & ille eadem ratione in alio, & alter in alio, & sic in infinitum, quare multa, seu infinita loca simul erunt. Præterea locus partis non est alius actualiter diuisus à loco totius, ergo non potest poni hoc spatium penetrans omnes partes rei locatæ, quia sic qualibet haberet proprium locum à loco totius distinctum; antecedens est notum; nam ad hoc, vt aliquid habeat per se locum, debet actualiter contineri, vel circumdari à locante, hoc autem parti conuenire non potest dum est cum toto continua, ergo per se non est in loco; ergo tale spatium locus non est, qui omnes partes penetret, sed idem est vnus, & communis integralis locus partium, & totius; in quo enim sunt aer, & aqua, eo vicissim transferuntur, & ipsa, & partes eorum. Sed non in eo loco adæquatè sunt partes, qui est locus communis totius; sed in ipso sunt, veluti in loco communi, & in parte ipsius, veluti in proprio, seu parte loci communis, vt si poneremus ignem moueri ad propriũ locum, scilicet ad concauum cæli Lunæ, ad eundem mouerentur omnes eius partes, tamen in cælo essent veluti in loco communi, & in aliqua parte determinata, veluti in proprio, seu partiali, non à toto diuiso. Vnde neque sunt omnes partes in eo loco, qui est pars totius cæli, seu qui est Tex. 37.

pars eius loci qui totum cælum, vel mundum continet, ſicut eſt primum mobile, ſed qualibet eſt in loco ſibi partiali proprio, & ſic neque omnes ſunt in loco totius, veluti in proprio, & adæquato, ſed vt in communi, neque omnes ſunt in vna parte loci communis tantum, ſed qualibet in parte ſibi correſpondente, & totum in toto.

Tex.38. *Et Materia etiam vtique videbitur eſſe locus,ſi aliquis conſideret in quieſcente, ſeu permanente,& non in loco ſeparato ab omnibus corporibus, ſed qui ſemper cum aliquo ipſorum coniunctus, vel contiguus ſit(poſſet enim cogitari locus,vel ſeparatus, vel mobilis, etſi falſa imaginatione) quod verò ſic conſideranti locus poſſit videri materia,probatur; nam ſicut in eadem materia ſuccedunt variæ formæ, quibus omnibus ipſa coniungitur, cum quibus permanet, & nunquam eſt ſine aliqua ipſarum,ita eſt de loco reſpectu corporis locati, ſucceſſiuè namq; varia recipit corpora, quieſcit ſub corpore locato,& ſemper eſt cum aliquo illorum, nunquam cum pluribus ſimul, ſicut neq; vna materia eſt ſimul cum pluribus formis, non ſubordinatis. Amplius in alteratione eſt aliquod idem ſubiectum, quod modo eſt album, modo nigrum, nunc durum,poſtea molle, vnde aliquam materiam,(ſubiectum ſcilicet prædictum) ſubeſſe dicimus, ergo eadem ratione,cùm locus modo hoc, modo illud recipiat corpus; habebit etiam rationem materiæ. Verumtamen iſtæ rationes non concludunt, nam & ſi verum ſit,locum, & materiam eſſe aliquomodo ſimiles, ſaltem in ratione recipiendi, eſt tamen aliud eſſentiale diſcrimen inter ipſa. Materia enim ſic recipit formam, vt fiat ſimul cum ipſa pars cõpoſiti,& ſic dum materia v. g.* Differentia loci à materia. *quæ erat aeris, fiat materia aquæ,non recipit formã aquæ vt locus locatum, ſed mutationem ſubſtantialem inſinuat, quare quando vna forma ſuccedit alteri in materia, dicimus factum eſſe aliud, vt quod erat aer hoc nunc,eſt aqua. Locus vero non ſic recipit locatum, ſed vt quid accidentale, quare, quæ ſecundum locum mutantur, non aliud facta eſſe,ſed ſolum variaſſe Vbi dicuntur,vt vbi nunc erat aer, hic eſt aqua. Præterea materia non eſt ſeparabilis à re cuius eſt, tali re remanente, vt ſupra dictum eſt; Locus vero hoc modo ſeparabilis eſt, ergo non ſunt idem; additur etiam quod locus continet rem locatam; materia vero nequaquam, ſed potius continetur, ſaltem à forma ipſius.*

Tex.39. *Si igitur nihil horum trium locus eſt,neque forma, neq; materia, neque ſpatium(cum ſemper aliquod corpus exiſtat præter ſpatium rei tranſlatæ, vnde nunquam tale remanet ſpatium) neceſſe eſt locum eſſe reliquum ex quatuor enumeratis ſupra textu 35. Terminum videlicet,ſeu extremum corporis continentis. Quod vero ab ipſo continetur eſt corpus, quod poteſt localiter moueri, ne credamus aliquid inane, vel accidens ab extremis continentis corporis, contineri poſſe.*

CAPVT VIII.

In quo traditur, & explicatur definitio loci.

Tex.40. *Videtur autem aliquid magnum, & difficile ad cognoſcendum locus, tum quia videtur materia, & forma, tum quoniam videtur eſſe ſpatium inter extrema continentia diuerſum à corporibus, quæ per motum in locum alterius ſuccedunt, præcipuè quia tranſlatio corporis fit aliquo continente, & quieſcente, at continere,& quieſcere videtur potius illud ſpatium medium, quam ſimpliciter extrema; confert autem aliquid aer ad corroborandam hanc poſitionem, quod ſpatium ſit locus: cum enim ipſe aer appareat incorporeus, prout eſt inuiſibilis, credunt aliqui ipſum in vaſe nihil eſſe, & ſic cum in aliquo recipitur, corpus videtur recipi in illo ſpatio medio quod vacuum credunt, etſi aere ſit plenum, vnde non ſolum termini vaſis videntur eſſe locus, ſed multo magis vacuum, quod intermedium eſſe videtur.*

Vt autem vas eſt locus, qui transferri poteſt,ſic locus vas eſt, ſed immobile, eſt igitur ipſe locus ſimilis vaſi in modo continendi, differt vero ab ipſo per immobilitatem. Vnde cum aliquid mouetur in alio, quod etiam mouetur, ita vt, id quod intus eſt moueatur, atque etiam id quod continet, eſt magis, veluti in vaſe, quam veluti in loco, hoc autem modo poteſt dici, quod nauis ſit in fluuio. Locus enim debet eſſe immobilis. Quo circa ſi nauis debeat aliquo modo dici, quod ſit in fluuio, ſicut in loco,debemus accipere pro tali loco totum fluuium, qui vt ſic eſt immobilis quo ad ſitum, & ordinem fluendi, nam ſi accipiatur locus pro illa parte, quæ immediatè continet, vel ſuſtinet nauim, eſt mobilis, ac per conſequens loci naturam fugit. Non tamen totus fluuius eſt proprius locus nauis, ſed communis. Si quæratur de proprio loco: Reſpondetur ſibi ſemper alium, & alium ſuccedere. At ſi quis inferat; ergo locus mouetur; nam ſuccedere eſt moueri, vel hoc connotat. Reſpondetur, locum ſuccedere ſine aliqua permanentia, ita vt poſt non eſſe vnius loci, ſit eſſe alterius, & ſic mouetur de eſſe ad non eſſe, quod negari non poteſt, non tamen mouetur localiter; hoc vero exactè examinabitur in quæſtionibus. Eſt igitur locus primus, (ſeu proprius) terminus continentis immobilis, vel dicatur (vt habetur in alia litera) immobile primum. Ideſt quid per ſe, & eſſentialiter immobile, motu locali; Quæ definitio, etſi immediatè conueniat loco proprio, qui eſt principaliter locus; tamen etiam loco communi adaptari poteſt, ideò qui eam indifferenter vtrique conuenire contenderit, accipiat ſecundam literam, & nullam habebit difficultatem, ita vt per primum, non intelligatur, immediatus, vel proprius: ſed per ſe, vel eſſentialiter. Tex.41.

Quod verò locus ſit immobilis, probatur ex modo quodam famoſo, & conſuetudine loquendi. Nam, propter hoc medium, vel centrum cæli, ſeu vniuerſi, quod eſt terra, & vltimum ſupra nos corporum, quæ circulariter mouentur, quod eſt orbis lunæ, videntur eſſe loca, illud ſcilicet terra deorſum, hoc vero ſeorſum, prout (inquam) nunquam locum mutare videntur, terra namque re vera ſemper manet; ultimum uero illud, etſi non maneat, tamen nunquam de loco ad locum diſcedit, ſed ſemper ſimiliter ſe habens manet, quia neque ſitum, neque Vbi mutat. Cum igitur centrum ſit locus deorſum, & ultimum orbis Lunæ ſurſum, & deorſum grauia ſint apta moueri, ſurſum uero leuia, ſequitur locum deorſum eſſe rerum grauium, ſurſum leuium, nec tantum ſimpliciter centrum, uel ultima ſuperficies orbis lunæ, ſunt loca deorſum, & ſurſum, ſed etiam, quæ illis proxima ſunt, ac locatam rem continent, & ſic aqua eſt locus deorſum, aer uero ſurſum, prout aliquid continere poſſunt. Vnde ipſe locus veluti ſuperficies, ac vas continens eſt, & non ſicut ſpatium, vel vacuum, uam corpora naturalia mouentur, & manent in proprijs locis vt conſeruentur, ſed conſeruari non poſſunt in uacuo, cum in nihilo non ſit uirtus conſeruatiua. Amplius; locus ſimul quodammodo exiſtit cum re ipſa locata, nam terminus eſt ſimul cum illo cuius eſt terminus; locus uero eſt terminus rei locatæ, ſed uacuum Tex.42. Terminus eſt cum illo cuius eſt terminus.

non

non existit cum re locata, nam ipsa adueniente vacuum repletur, ac deficit, ergo locus non est vacuum. Notandum est, quod diximus, locum quodammodo existere, quia non semper existit cum ipsa re locata, ideo ly quodammodo non diminuit existentiam, sed durationem.

CAPVT IX.

Quæ corpora sunt in loco, & quæ non.

Tex. 43. *PRo maiori intelligentia loci nunc videndum est, quæ corpora sunt in loco, & quæ non; nam cum locus dicat ordinem ad locatum, sine ipso perfectè intelligi non potest. Cui igitur corpori est aliud corpus extra continens ipsum, hoc contentum ab alio, in loco est. Cui verò aliud corpus sic extra continens non est, illud non est in loco. Quo circa etiam si aqua v. g. fuerit huiusmodi, vt non haberet aliud corpus extra se quod ipsam contineret, ipsa non esset in loco, nec per consequens ad locum moueretur. Sed partes eius moueri possēt, quia vna cōtinetur ab alia. Ipsum vero totū posset aliquomodo dici moueri, aliquo verò nō; nā secundū se totū nō moueretur, cū à nullo contineretur, diceretur tamē moueri, quia partes eius mouerētur, vel sursū, vel deorsum, vel circulariter, sed à partibus denominari potest totum, vt visum est; ergo. Hæc autem exemplificatio de aqua conuenit in rei veritati vniuerso, quod secundum se totum est immobile; potest tamen dici moueri, quia partes eius mouentur, vel circulariter, vt Cælum; vel deorsum, sicut quæcunque habent densitatem, vel grauitatem, aut sursum, quæ scilicet habent raritatem, vel leuitatem. Sed est dubitatio circa prædicta, nam dictum est supra in textu 34. quod continuum non mouetur in illo cum quo est continuum, sed cum illo; hic vero habetur quod vna pars aquæ mouetur in alia, quod licet ponatur pro exemplo, tamen in rei veritate ita est, aqua vero cum alia parte mota continua est, & idem de multis alijs dici potest. Respondetur. Non negari in præcitato textu 34. aliquid posse moueri cum illo cuius est continuum, sed illum motum non esse veluti ad locum, sed vt partis in toto. At si quis instaret, ergo non omnis motus localis est ad locum. Respondetur, quod sicut est motus partis, quæ actualiter non est diuisa à toto, ita est ad locum partialem, qui est pars loci totius, nec ab ipso est actualiter diuisus.*

Tex. 44. *Alia vero (vt dictum est) sunt in loco in actu, alia in potentia. In potentia sunt omnes partes corporis similaris, quæ cum ipso continuæ sunt, vt partes aquæ. &c. In actu vero sunt quæ diuisa sunt à toto, sic enim actualiter à proprio loco continentur, vt aceruus lapidum, qui actu abinuicē sunt separati. Sed est dubitatio circa hoc quod dictum est, scilicet quod partes corporis similaris sint in loco in potentia, quasi aliæ non sint. Respōdetur, quod ibi per corpus similare intelligitur omne verè continuū (sic nāq; pars hominis, qui est totum dissimilare, est continua sibi; & in loco in potentia; sicut pars aquæ cum aqua,) ad differentiam eorum, quæ tantum contigua sunt; vt duæ magnitudines, vel tantum coaceruata, vt cumulus lapidum, &c.*

Tex. 45. Esse in loco per se, & per accidens. *Atque alia quidem sunt in loco per se, alia verò per accidens. Per se esse in loco est ab illo totaliter contineri. Per accidens est esse in loco per aliud, scilicet quia id in quo est, in loco est; sunt igitur per se in loco omnia corpora mobilia, vel motu locali, vel augmentatione. Per accidens vero cælum, quia secundum se totum à nullo continetur. Sed dicitur esse in loco per partes, nā vna pars est alteri adhærens, & ipsam continet, & in ipsa mouetur, vt orbis Mercurij in orbe Veneris. Præterea etiam anima est in loco per accidens, quia est in loco quatenus est corpori vnita, & idem (vnico verbo) dicatur de omnibus accidentibus, ac partibus totius, non enim repugnat, aliquid esse in loco in potentia, & per accidens, omne enim quod est in loco in potentia, est etiam per accidens, sed non è cōtra, accipiendo præcipuè per accidens, propter aliud, quod enim est in potentia potest aliquando esse in actu, sed non omne quod est per accidens in loco potest esse in actu per se, vt patet de accidentibus, vnde patet quod non conuertuntur. Amplius etiam vniuersum dicitur in loco per accidens, nam omnes eius partes sunt quodammodo in loco, alia enim circulariter, aliam continet. Vnde solum pars superior circulariter mouetur illa, scilicet quàm specialiter vocamus cælum (dicitur etenim cælum ipsum vniuersum, vt in præsenti litera) Totum autem in loco non est, nā quod est in loco, habet aliquid extra ipsum à quo continetur, sed præter vniuersum (quod etiam totum vocatur) nihil extra est. Notandum quod dicitur omnes partes vniuersi esse in loco, non simpliciter, sed quodammodo; propter vltimam sphæram, quæ dicitur esse in loco per quandam similitudinem prout, scilicet semper eodem modo se habet ad centrum, quod declarabitur in 8. physic.*

Ex prædictis sequitur, omnia esse in cælo, cælum autem est fortasse totum (hoc est communissimus, ac totalis locus omnium generabilium, & corruptibilium) non tamen totum cælum est locus, sed vltimus terminus ipsius, nempe vltima superficies concaua orbis lunæ, quæ quidem tangit mobile corpus sursum, scilicet ignem, ipsa vero immobilis est tali motu sursum, vel recto, ac etiam dicitur immobilis, quia nunquam variat situm, vel à loco discedit. Locus igitur dicitur prout omnia continet, & ob hoc terra quidem est in aqua, hæc vero in aere, hic autem in æthere, seu igne, & Ether in cælo. Cælum autem non amplius in alio est. Notandum quod dicitur Cælum fortasse est totum. Nam in libris de Cælo resoluendum est, an aliquid sit extra ipsum, ideo modo sit dubium. Tex. 46.

Vocatur hîc æther ignis abusiue, alibi namque propriè pro cælo sumitur.

CAPVT X.

Soluuntur dubitationes factæ de loco, & redditur causa, cur corpora naturalia, ad suum locum moueantur, & ibi quiescant.

MAnifestum autē ex supradictis est, quod si hoc modo definiatur locus sicut à nobis definitus fuit, omnes dubitationes circa ipsum factæ soluentur. Dictum nāque fuit in vna eorū quod si locus esset, augeretur ad augmentationem corporis locati, hoc autem non est verum, nā ipsum corpus quod augetur non occupat eundem locum, sed maiorem, ideo primus locus perit; quod autem hoc sit verum declaratur; nā locus est superficies corporis continentis, ergo quacunq; facta mutatione, vel in maius, vel in minus circa corpus locatum, talis superficies non amplius locat, sed alia, omnis namq; superficies est indiuisibilis ex parte profunditatis, ergo ex hac parte, nec minui, nec augeri potest. Hæc autem responsio elicitur ex tex. 21 vbi ex maiori corpore, nō extensio loci, sed corruptio ostēditur. Si enim extenderetur mutaretur localiter, vnde videntur deficere, qui sic soluunt. Alia erat dubitatio, quod si locus esset qui contineret corpus eadem ratione esset locus superficiei, lineæ, & puncti. Cui negamus consequentiam, nam vt visum est, locus est superficies, quæ nō

Tex 47. Ad augmentationē corporis locus non augetur, sed perit.

potest puncto correspondere, & superficies corporis, cum ab ipso separari non possit, non erit in loco nisi per accidẽs, vt supra abunde declaratum est. Ad aliam dum arguebatur, locum vel esse magnitudinem, vel non. Respondetur, esse magnitudinem, at dum infertur, ergo duo corpora essent simul, negatur consequentia, quia non est corpus, sed suprficies; dum vero dicebatur, locum esse spatium, pro vt in ipso videtur recipi corpus, & exemplificatũ fuit de aere in tex. 40. Respondetur hoc etiam falsum esse, nam corpus est medium loci, sed non spatium aliquod corporis, hoc namq; dari non potest, vt videbitur in tractatu de vacuo. Dum verò dicebatur, quod locus esset in loco, similiter consequentia non valet, non enim omne, quod in aliquo est, in ipso est sicut in loco. Vnde locus est in corpore continenti sicut terminus, vel superficies in terminato; & in locato sicut terminus etiã, at in locante, vt terminus intrinsecus accidentalis, in locato, vt extrinsecus, sed etiã accidentalis. Ad id quod dicitur de causis, nẽpe in quo genere causæ sit. Respondetur secundum diuersas rationes esse in diuerso genere causarum, nam prout continet, habet modũ formæ, sed accidentalis; prout conseruat, habet rationem efficientis, etiam accidentalis, seu potius instrumentalis; prout ad ipsum tendunt corpora naturalia habet rationem finis. Quod verò probatur de qualibet causa, currit in ratione essentiali, & primaria, vnde nec est forma, nec finis, nec efficiens principale rerum naturalium, sed vt dictum est. Aliæ vero dubitationes solutæ sunt in præcedentibus.

Tex.48. *Vnumquodque igitur corpus naturale, graue, & leue, fertur rationabiliter ad suũ proprium locum, nã quod tangit aliquid, & sequitur ipsum, non per violentiam, sed ex sua natura, est ei congeneum, seu eiusdem naturæ, vel saltẽ ipsa participat; at corpus sequitur, & tangit locum prout potest, ergo participat natura ipsius, quæ vero aliquo participant, habent etiam conseruationem ad inuicem, & sic corpus ad proprium locum tendit, vt ibi conseruetur, nec est absurdum, quod aliquam, partialem cõseruationẽ locus conferat. Præterea adnata (seu apta nata simul esse) sunt impassibilia adinuicem, ideò facilè vniuntur, nam impassibilitatem, & bonum prætendunt, quæ vero se tangunt, & sunt totaliter diuersæ naturæ, illa sunt actiua, & passiua ad inuicem ideò vnum ad aliud non accedit. At si quis dicat ignis corrumpit aerem, & tamẽ est locus ipsius. Respondetur, quod licet aliquomodo ab ipso corrumpatur, tamen melius ibi propter qualitates symbolas conseruatur, quàm alibi. Cum enim sint corruptibilia, & ex sua corruptione sit generatio omnium generabilium, non debent totaliter incorrupta manere, conseruantur igitur, eo modo quo conuenit ordini, & bono vniuersi. Et manet eadem ratione vnumquodque corpus in proprio loco, nam locatum se habet ad proprium locum, sicut pars ad totum, propter participationem prædictam, sed pars quiescit in toto, vt pars aquæ in mari, & aeris, in aere; Cum enim quis partem aquæ moueat, vel aeris, postquam ad totum peruenerunt quiescunt, ergo similiter corpus in proprio loco quiescere debet.*

Tex.49. *Vnde locatum se habet vt materia ad corpus locans, ipsum verò vt forma, & sic aqua est veluti materia aeris, aer vero veluti forma. Veruntamen est, quod ambo sunt in actu, & ambo in potentia ad vtrunque; sed aqua potius dicitur in potentia ad aerem, quam è conuerso, prout magis est passiua, & conuertibilis in aerem, quam è contra: sic autem pati est magis materiæ, sicut agere formæ, vnde alio, & alio modo vterque est in potentia vtrinsq; ac vterque in actu proprio est. De quibus postea determinabimus in libris de Generatione, & Corruptione; nunc tantum pro opportunitate temporis diximus immanifestè, quod sat est ad cognoscendum quomodo ista corpora habeant ad inuicem transmutabilitatem, vnde vnum possit esse pars alterius, & vnum ad alterum tendat vt ad locum. Si igitur diuersa ratione idem est materia, & forma vt aqua materia, & forma est, & si ex parte materiæ dicatur potentia, ex parte formæ actus; ac propter imperfectionem materia dicatur pars, forma vero totum, atque (vt diximus) ipsa aqua sit veluti materia aeris, sequitur, quod possit vocari pars eius, & aer totum; & per consequens, sicut pars tangit totum, & ad ipsum accedit, sic aqua, aerem; copulantur autem perfectè, vt vera pars, & totum, vel vt materia, & forma, cum actu vnum, & idem facta fuerint, nempè quod materia aquæ fiat re vera materia aeris, vel è contra, dimissa propria forma, nam & si modo prædicto, dicantur pars, & totum, materia, & forma; fuit per similitudinem tantum, vt explicatum est. Et de loco quidem, & quod est, & quid est, dictum est.*

SVMMA SECVNDA.

De Vacuo.

CAPVT I.

Ad naturalem pertinet considerare de vacuo. Afferuntur rationes asserentes vacuum esse, & asserentes non esse.

EOdem autem modo existimandum est esse Physici considerare, & de vacuo, si est, aut non, & quomodo est, aut quid est; sicut de loco, quia per ea, quæ ab Antiquis putantur, habet similem incredulitatem, & fidem. Nam dicentes vacuum esse, ponunt ipsum esse veluti vas, & locum quendam. Vnde, vacuum, plenum, & locum, idem esse credunt; sed tantum diuersa ratione, seu consideratione differre, ita vt dicatur locus prout actualiter continet, seu locat corpus. Plenum vero prout talem molem habet, cuius est susceptiuum. Cum vero omni corpore priuatum est, dicatur vacuum. Ex quibus patet quod idem sit vacuum locus, & plenum, sed solum ratione, seu diuerso esse accidentali differant, loquendo nempe secundum prædictos. Tex.50.

Incipere autem oportet considerationem, capientes, ea quæ dicunt, qui affirmant vacuum esse; & rursus, ea quæ dicunt negantes vacuum, & tertio communes opiniones de ijs, quæ ad vacui perscrutationem attinent. Alij igitur tentantes monstrare vacuum non esse, non redarguũt hoc quod propriè ab hominibus creditur vacuum scilicet spatium in quo nihil sit. Sed peccantes dicunt (vt Anaxagoras, & qui hoc modo redarguunt) demonstrant enim, quod aliquid est aer strictè ligantes vt res qui aere pleni, & inflati comprimenti resistunt, ergo aer habet vim aliquam, ergo est aliquid; praterea idem probatur per quãdam experientiam in Clepsydris, quæ sunt vasa quædam ex parte inferiori multa habentia foramina, ex parte superiori vnũ tantum, & adhibentur ab hortulanis in irrigandis herbis, in his igitur vasis non potest aqua ex inferioribus foraminibus introire, etiam si tota demergatur in aquam, si foramen superius sit obstructum; hoc autem non aliunde accidit, nisi quia aer intus existens Tex.51.

probi-

prohibet aquam; ergo aer est aliquid. Non igitur isti bene redarguunt vacuum, quia, & si probent aerem aliquid esse, adhuc non est vniuersaliter probatum, non dari vacuum, quia potest esse (dicerent ipsi, qui ponunt) aliud vacuum; vnde positio aduersariorum est in suo robore. Alij verò volunt id esse vacuum, in quo nullum est corpus sensibile; isti tamen aerem inter corpora sensibilia non connumerant, vnde etiam ipsum aerem vacuum esse dicunt.

Tex. 52. Illi verò, qui existimant omne ens esse corpus, id vacuum esse dicunt, in quo nullum apparet corpus, nec corpus aliquod credunt esse, nisi quod est sensibile, & specialiter visu; ideò etiam cum superiori opinione conueniunt, aerem esse vacuum. Contra quos Anaxagoras, & alij insurgunt argumentis prædictis probantes aliquid esse aerem, sed hoc, vt diximus, non oportet probare, nam est ratio particularis. Sed ostendendum est, non dari aliquod spatium separatum, vel separabile à corporibus, quod quidem vnum corpus ab alio diuidat, sicut putauit Democritus, & Leucippus, ac alij physiologorum multi, vel probare debent, quod extra cœlum non sit vacuum ipsi cęlo continuum, vt alij putabant.

Tex. 53. Hi igitur ad problema non occurrunt secundum portas, seu secundum debita principia (quæ in Metaphys. ianua vocantur,) sed magis per principia procedunt, qui affirmant vacuum esse; dicunt namque vnum, quo suam positionem confirmant, scilicet. Si vacuum non est, non esset motus localis, neque augmentatio; consequentia probatur: nam corpus, quod localiter mouetur, & pariter magnitudo, quæ per augmentationem acquiritur, vel recipiuntur in vacuo, vel in pleno; si in vacuo habetur intentum; si in pleno duo corpora essent simul, imò & multa, nam non est assignanda differentia, cur magis vnum corpus possit aliud suscipere, quam illud susceptum aliud, & sic in infinitum, imò si hoc erit, minimum suscipiet maius; nam & si multa parua recipiantur in eodem, ista tamen efficiunt vnum maximum; sequeretur etiam multa æqualia, & inæqualia simul esse in eodem loco adæquatè, quod est impossibile, nam inæqualia corpora, inæqualia loca requirunt. Probatur consequentia; nam corpus, v.g. minus recipit æquale sibi, postea verò si superueniet maius, recipiet vnam partem illius, deinde alium, quia sicut sibi non repugnat recipere primam partem, seu aliud corpus, nec repugnabit recipere alteram: nam ratio continuitatis vnius partis cum alia, non impedit talem receptionem, sed potius adiuuat, quia discontinua, vel diuisa plus occupant, vt experientia patet.

Tex. 54. Hæc autem ratio de motu, tantum potuit apud Melissum, vt posuerit vniuersum esse immobile; si enim motus esset, necessariò daretur vacuum (tenebat ex præcedenti argumento) at quia vacuum concedere nolebat, ideo vniuersum immobile fecit.

Tex. 55. Vno igitur modo (scilicet prædicto) demonstrant vacuum esse. Alio autem, quia videntur aliqua cogi, & constringi, vt vini tantum recipi in dolijs (dicunt) cum vtribus, quantum sine ipsis, quod non ex alia causa accidit, nisi quia fit aliqua condensatio, ita vt corpus subeat, seu ingrediatur in ea vacua, quæ in ipso reperiuntur. Et hoc vocatur vacuum imbibitum corporibus, potest autem ratio eorum sic formari. In condensatione partes mouentur versus alias, ergo vel recipiuntur in vacuo, vel in pleno; si in vacuo habetur intentum; si in pleno duo corpora essent simul, & alia absurda supradicta. Amplius eodem modo probant de augmentatione, quæ contingit viuentibus: hæc namq; fit per alimentum, quod corpus est, de quo quæritur, an recipiatur in vacuo, vel in pleno, & fiat deductio, vt supra.

Præterea, probant vacuum esse ex testimonio, vel experientia quadam de cinere intra vas aliquod posito, hic namque cinis recipit tantam aquam quantus ipse est, ergo in ipso necessariò est vacuum, aliter duo corpora essent simul. Pythagorei quoque asseruerunt, vacuum esse, & dicebant, ipsum ingredi in vniuersum, veluti per respirationem à quodam spiritu cęli, credebant namque cœlum esse veluti quoddam animal, ac respirare, qua respiratione attrahere aerem credebant, ac per consequens ex tali attractione sequi successionem vacui, quod quidem disterminet naturas tanquam sit quædam separatio, & diuisio eorum, quæ consequenter (idest non continua) sunt, hocq; vacuum primo reperiri in numeris, quos ponebant principia rerum, ipsosque numeros distinctos, & diuisos esse per vacuum dicebant. Tex. 56.

CAPVT II.

Confutantur aliquæ opiniones de vacuo.

Ex quibus igitur alij quidem dicunt vacuum esse, alij verò non esse; tot ferè, ac tales rationes sunt. Vt autem sciamus vtroque modo veritas circa hoc se habeat, oportet accipere quid vacui nomen significet, non enim quid rei accipi potest cum entitate careat. Videtur igitur vacuum esse locum in quo nihil est; at qui vacuum ponentes credunt, omne quod est corpus esse, omneque corpus esse in loco, & tangibile, ac denique tangibile id esse, quod habet grauitatem, vel leuitatem; ideò syllogizando concludunt, illud esse vacuum in quo non est aliquod corpus graue, vel leue. Quod sequitur syllogisticè, vt dictum est. At falsum est, illud dici vacuum, in quo non est corpus graue, vel leue, quia tunc punctum esset vacuum, cum in ipso nec graue, nec leue sit. At inconueniens est si punctum vacuum sit, cum (secundum ipsos) vacuum debet esse locus, in quo sit spatium corporis tangibilis, sed punctum neque locus, neque spatium esse potest, cum sit indiuisibile, ergo non est vacuum, & tamen in ipso non est aliquid graue, nec leue. Tex. 57. Entitate rei carentis nō est definitio.

Vno igitur modo dicitur vacuum, in quo non est corpus tangibile, ac per consequens non habet grauitatem, nec leuitatem, vt supra dictum est, de mente Antiquorum; sed ista positio adhuc reprobatur; nam dubitare quis posset, an si in tali vacuo esset aliquod corpus insensibile, ac omni grauitate, & leuitate carens, sicut ipsi existimat esse aerem, haberet tamen sonum, vel colorem, ex quibus cognosceretur in tali esse spatio (nec possent hoc negare) an inquam spatium tali corpore plenum esset vacuum? dicere vacuum esse est repugnantia in adiecto, cum dicatur plenum corpore sonoro, dicere vacuum non esse, sequitur contra ipsos non tantum corpus graue, vel leue tollere vacuum, sed etiam alia, imò cum aer possit reuera recipere sonum, casus positus est directè contra eos, qui ipsum aerem insensibilem credunt. Non igitur manifestum est, sed dubium, & falsum, illud esse vacuum, quod est susceptiuum corporis tangibilis, quod vero tale corpus non potest suscipere, vacuum non esse, ergo non debet poni hæc definitio, vt principium, quod notum, & ab omnibus receptum esse debet. Tex. 58.

Alio

Tex. 59. Alio autem modo vacuum definiunt, id esse, in quo nihil est in actu, neque aliqua substantia corporea; hoc est in quo actualiter non est substantia, nec accidens, quam assignationem aliqui videntes conuenire materiæ, ipsam vacuum esse asseruerunt. Sed isti quoque errant, nam materia non est à rebus separabilis, ipsis remanentibus, sed vacuum, quærunt, & ponunt, vt separabile.

Tex. 60. Quoniam autem de loco determinatum est, & vacuum si ponatur debet poni, vt locus priuatus corpore, at locus quomodo sit, vel non sit corpore priuatus visum est, ac determinatum non esse, nec esse posse separatum ab omni corpore, ergo neque vacuum sic poni potest, nam separari ab alio est proprium corporum, vacuum verò corpus non est, sed (vt ipsi dicunt) est spatium corporis; ergo non est ponendum separatum.

Tex. 61. Quapropter & vacuum ideò videtur aliquid esse, quia & locus similiter aliquid videtur à corporibus separatum, & per easdem rationes vtrunque ponitur. Venit enim in mentem motus localis, iis qui ponunt locum esse aliquid præter corpora incidentia, seu sibi succedentia, & etiam iis, qui vacuum ponunt, quem motum fieri non posse credunt sine vacuo, vel separato loco, ita vt ipsum vacuum vel locus sit id in quo corpora mouentur, & sic vacuum, & locum similiter ponunt.

Tex. 62. Nulla autem necessitas est, si motus est, vacuum esse, quia & si per casum poneremus esse necessarium ad motum localem, non tamen est omni motui necessarium, nam alteratio fieri potest in pleno, absque vlla controuersia, vnde hoc ignorauit Melissus, qui propter vacuum vitandum posuit ens immobile quacunque specie motus. Sed neque est necessarium propter motum localem, nam simul sibi cedere contingit corpora, nullo existente spatio separato præter corpora mota, hoc autem manifestum est in reuolutionibus, seu motionibus continuorum corporum, & præcipuè circa reuolutiones corporum humidorum, sicut sunt aqua, & aer; in aqua namque maximè apparet, quod vna pars cedit alteri, idem quoque contingit in aere, etsi non perspiciatur.

Tex. 63. Ratio condensationis. Contingit etiam fieri condensationem non in vacuo, sed propterea, quod ea corpora subtiliora, & facilè exhalabilia, quæ in aliquo corpore insunt elabuntur, vel egrediuntur, & sic aliæ partes vniuntur, ac condensatæ apparent, vt aqua compressa, expellit aerem, qui sibi inest. Similiter augmentatio potest fieri non solum per ingressionem alicuius corporis in aliud, sed mediante alteratione, vt si ex aqua fiat aer, ipse aer augetur ex nouo aere, ex aqua genito, qui dicitur fieri per alterationem, dispositiuè, nam completiuè, per generationem fit, cum re vera generetur illa pars, quæ alteri additur. Vnde rationes, quæ per condensationem, & augmentationem videbantur ostendere vacuum in textu 55. nihil concludunt. Omnino autem ratio facta de augmentatione, & de cinere ad probandum esse vacuum, ipsa est potius contra ipsam, quam quod propositum probet. Nam si illa ratio de augmentatione valeret, aut non quælibet pars augibilis augeretur, aut augeretur aliquo incorporeo, aut duo corpora essent simul; quæ omnia sunt absurda. Probatur prima consequentia, scilicet, quod non quælibet pars augeretur; nam vel omnes partes corporis augibilis sunt vacuæ, vel non; non omnes, quia non esset corpus, ergo aliquæ tantum, & sic aliæ essent plenæ; istæ verò augeri non possunt, nam in pleno non recipitur aliud corpus, etiam secundum ipsos. Probatur secunda; si corpus augeretur, & augerentur omnes partes, quæ non possunt (ex prædictis) esse vacuæ, deberent augeri aliquo incorporeo; vel sequitur tertia consequentia, quod scilicet duo corpora essent simul, puta si corporeo aliquo augerentur. Quare non probant vacuum esse ponendo augmentationem, sed potius augmentationem tollunt. Dubitationem igitur communem volunt soluere, sed non demonstrant, quod vacuum est. Nam cum totum corpus augeatur deberet esse totum vacuum, si ex ratione vacui augetur. Eadem ratio est de cinere, nam si recipit tantam aquam, quantus ipse est, erit per totum vacuum, aut duo corpora essent simul, & sic istæ rationes plura absurda inferunt, nec intentum concludunt. Tamen ad formam rationis de cineribus (de augmentatione namque partim responsum est, partim verò, imò exactè respondebitur in libris de generatione: est enim materia longa, & difficilis,) respondetur, quod & si cineres recipiant tantam aquam, quanti sunt ipsi, non propter hoc datur vacuum, quia cineres propter raritatem multum aerem includunt, qui in aduentu aquæ egreditur; deinde cum sint sicci, magnam aquæ partem absumunt, ac propter diuersas qualitates vtriusque, faciliter aqua corrumpitur, vel in aerem resoluitur. Et fortè non est verum æqualem mensuram aquæ recipere, omnes verò simul collectæ rationes, adæquatam efficiunt responsionem. Responsio argumenti de cinere.

CAPVT III.

Destruitur sermo probantium, vacuum esse per motum, ex ipso motu.

Quod igitur eas rationes ex quibus vacuum esse demonstrant facile sit soluere, manifestum est ex supradictis. Quod autem non detur uacuum separatum in quo nullum sit corpus naturale, dicamus rursum. Si esset hoc vacuum, vel ideò esset, vt efficeret motum corporum, vel vt esset veluti causa finalis motuum ipsorum, eo scilicet modo quo ponimus locum esse finem motuum, seu corporum, quæ mouentur, vt in ipso conseruentur. Sed neutro modo hoc esse potest. Probatur prima pars, scilicet, quod non sit causa efficiens; nam vniuscuiusque corporis simplicis est motus localis effectiuè à propria natura, & virtute, vt ignis mouetur sursum à sua forma principaliter, & instrumentaliter à leuitate, terra verò deorsum, & ad centrum, similiter à propria forma, & natura principaliter, à grauitate instrumentaliter, non igitur vacuum est causa efficiens motus; cuius igitur erit causa? videtur enim esse causa motus localis, & tamen non est, ergo multo minus aliorum. Tex. 64.

Quod verò non sit veluti terminus, & causa finalis ipsius motus localis, probatur; nam si est aliquid, vt locus priuatus corpore ipsum vacuum, quo mouebitur corpus in ipso positum? non enim ad omnem partem, quia idem non potest simul pluribus, & oppositis motibus moueri, maximè si sit corpus, quod moueatur motu recto, nec ad aliquam determinatam, quia ideò corpus mouetur magis ad hanc partem, quam ad illam, quia potius hic, quam illic conseruatur, sed in vacuo non est virtus conseruatiua, neque in hac, neque in illa parte, ergo. Eadem ratio militas contra eos, qui ponunt locum esse quid separatum ab omni corpore, nam ad quem locum fertur, quod fertur? quomodo etiam positum in vna parte, ad alia mouebitur, vel in illa manebit? si in qualibet indifferenter; nulla potest esse causa conseruatiua locati, propter quam moueri dicitur? non enim conseruatio est, nisi per Tex. 65. Idem nō potest pluribus, & oppositis motibus moueri.

per qualitates instrumentaliter, & principaliter ab agente naturali, quod corpus naturale tantum esse potest, & non vacuum, quod vel est nihil, vel si ponatur dimensio, (quod etiam est impossibile, cum sit accidens de genere quantitatis, quod sine subiecto esse non potest) adhuc nec conseruare potest, cum pura quantitas non sit de genere actiuorum. Praeterea, eadem erit difficultas de hoc loco, qui ponitur separatus, & de vacuo, quoad differentias, scilicet sursum, & deorsum, quomodo scilicet possint in vtroque assignari, cum nulla sit ratio magis ex vna parte, quam in alia? nam ratio talium differentiarum sumitur (vt dictum est) ex ratione conseruandi, quae in loco, seu spatio separato reperiri non potest. Vnde qui ponunt vacuum dicunt esse locum quendam separatum, ideò eaedem rationes militant contra ponentes vacuum, & contra ponentes locum hoc modo. Verum est tamen, quod alio modo vacuum ponunt, scilicet pro simpliciter nihilo, sed contra istos proprias adhibebimus rationes. Amplius si locus separatus, vel spatium sit dimensio aliqua, quonam modo iuerit, aut in loco, aut in vacuo, corpus? non enim potest aliter cogitari, nisi quod partes ipsius corporis penetrentur à talibus dimensionibus, at si hoc esset, sequeretur, quod qualibet pars actualiter coniuncta toti, esset per se in loco; attamen non contingit, cum totum positum fuerit in loco, quod partes ipsius sint quoque in loco separato, & permanente, ac si essent per se corpus actualiter à suo toto diuisum; nam pars, nisi separetur à toto, non erit in loco, sed in toto. Amplius si neque locus est separatus, neque vacuum erit, cum pro eodem accipiatur, sed probatum est in tractatu de loco, ipsum locum non dari separatum à corporibus, ergo neque vacuum.

Quantitas non est de genere actiuorum.

Pars non separata non est in loco, sed in toto.

Tex. 66.

Accidit autem iis, qui dicunt, vacuum esse propter motum, contrarium magis dicere, idest, quod si sit vacuum nullus erit motus, probatur, quia in ipso non est causa cur magis sursum, quam deorsum aliquid moueatur, nam quatenus vacuum est nullam habet differentiam sursum, vel deorsum. Vnde sicut quidam dicunt, terram non moueri, quia non habet rationem cur magis moueatur ad vnam partem, quam ad aliam, cum aequaliter distet ab omnibus; ita cum corpus in vacuo positum non potius vnam, quam aliam differentiam respiciat (nam omnes eodem modo se habent, vel potius nullae sunt,) sequitur, quod nullo modo moueri possit, & sic vacuum potius repugnat motui, quam ipsi prosit.

Tex. 67.

Primum igitur, ac principaliter probatur, vacuum non esse propter motum localem aliquibus suppositis. Primum: omnis motus vel est violentus, vel naturalis. Secundum: si motus violentus est, necesse est naturalem esse; nam dicitur violentus, qui repugnat inclinationi mobilis, ergo supponit ipsam inclinationem, & per consequens, vel motum naturalem actualiter praecessum, vel saltem aptitudinem ad illum; vnumquodque etenim magis, & prius elicit actum sibi naturaliter conuenientem, quam repugnantem, nisi adsit impedimentum, imò repugnantem ex se non elicit, sed recipit ab alio sibi inductum. Tertium: motus praeter naturam est posterior naturali, hoc habetur ex praedictis, imò est potius conclusio praecedentis, quam nouum suppositum. Quartum: (quod etiam ex praecedentibus sequitur) si non daretur aliquis motus naturalis, neque violentus daretur, patet, nam si violentus est posterior naturali, ac posterior non potest esse sine priori à quo dependet, habetur intentum; potest etiam aliter declarari sic. Violentus dicit ordinem ad locum, qui repugnat loco, ad quem mobile naturaliter inclinatur, ergo supponit alium locum, alium motum saltem aptitudinaliter, ac naturalem inclinationem, quae tamen ratio parum differt ab ea, quae habita est in secundo supposito. Sint igitur duo supposita, & duae conclusiones se ordinatim sequentes, at fas sit vocare omnia supposita pro ordine, & captu iuuenum, ad quos praecipuè hoc opus ordinatur. Quintum suppositum: si vacuum daretur, quod scilicet esset aliquod spatium separatum, tunc esset infinitum, probatur, quia cum tale spatium sit corpus de genere quantitatis, necessariò esset in loco, cum omne corpus, etiam simpliciter quantum locum occupet, at ille locus cum similiter ponatur spatium (loquimur namque hic de vacuo prout idem est, quod locus separatus, & dimensio quaedam trina, scilicet, longa, lata, & profunda) erit pariter in loco, & ille in alio, & sic in infinitum, ex quibus omnibus vnum quid infinitum cogitari potest; nam cum omnes illi loci sint eiusdem rationis (nihil etenim nisi quantitatem includunt) possunt continuari, & sic erit vnum totale vacuum infinitum. Quibus habitis; probatur, quod in vacuo non possit esse motus, nam vel esset naturalis, vel violentus; non naturalis, quia omnis talis est ad aliquam differentiam loci, scilicet sursum, vel deorsum, sed in vacuo non datur sursum, & deorsum, quia istae sunt determinatae positiones, & differentiae, sed in vacuo non potest aliquod determinatum dari, cum sit infinitum, cui determinatio repugnat, ex vltimo supposito, ergo in ipso non potest fieri motus naturalis. Si verò dicatur, quod hic non accipitur vacuum pro tali spatio, quod sit corpus quantum, sed pro spatio in quo nihil sit. Contra; nam etiam hoc modo nulla erit differentia sursum, vel deorsum, quia in nihilo nulla differentia est, ac per consequens, neque aliquis motus erit; nam latio ex sua natura est differens, ergo & positiones, seu vbi ad quae ipsa terminatur debent ex sua natura differentia esse, quae in nihilo esse non possunt. Vnde in vacuo tam accepto pro spatio, seu dimensione separata, quam pro nihilo, nullus potest fieri naturalis motus. Quod verò non possit fieri neque violentus, patet ex secundo, & quarto supposito; nam si motus naturalis non est, neque erit motus violentus. Quare primum intentum concludendo, dicendum est, quod vel alicui non conuenit motus naturalis, vel violentus, aut si alicui conuenit, vacuum non datur.

Omnis motus, vel est violentus, vel naturalis.

Motus praeter naturā est posterior naturali.

Posterius nō est sine priori.

Vacuum tam spatium nō ens, & priuatio videtur esse.

Tex. 68.

Amplius (specialiter probatur, quod in vacuo non possit esse motus violentus) nunc quidem mouentur proiecta, vt lapis sursum, &c. eo, qui impulit non tangente ipsa; ideò debent moueri ab aliquo alio motore, nam nihil sine motore mouetur, nec à seipsis mouentur, quia vnius rei naturalis est vnus motus naturalis, & sic si mouerentur à seipsis, ille vel esset motus naturalis, quod est contra suppositum, vel plures naturales motus essent vnius rei, quòd etiam illi supposito repugnat. Necesse est ergo, quod moueantur à medio, quod contingit dupliciter, aut propter circumobsistentiam, seu antiparistasim, contrarij, seu oppositi aeris (quae fit hoc modo. Proiecto moto succedit aer, & illi alter, ne detur vacuum, & sic de alijs, qui aer sic successiuè motus, fert rem proiectam, quae est positio Platonis, non tamen vera, quia sic nūquam mobile quiesceret, nam eadem ratione ad tollendum vacuum semper deberet aer, vel aliud mediū moueri, ac ferre ipsum mobile.) Aut quia aer pulsus proijciēte pellit rē proiectam, motu fortiori, quam sit pulsio, seu impetus impressus ipsis proiecto, & sic ipsum proiectum ab aere mouetur, ex tali fortiori impulsu (qui est, vel dicitur fortior, prout ei magis naturaliter conuenit moueri ad varias loci differentias, participat namq; de loco sursum, et deorsum, ac agilitatem

Vnius rei naturalis est vnus motus naturalis.

Opinio Platonis de motu rerū proiectarum.

Medium coadiuuat motus proiectorum.

tatem ad vtrumq; habet, et si magis sursum) desinit tamen mouere aer sic pulsus, cum impetus sibi impressus à proijciente deficit, quæ est bona positio. Ad propositum igitur, motus proiectorum fit ex medio coadiuuante, at in vacuo nullo modo hoc reperiri potest, ergo in eo nihil potest moueri, nisi fortè veheretur. Quod etiam falsum est, nam in vacuo non potest esse vehens. Si quis verò dicat, quod & si hoc currat de vacuo, quod nihil est; tamen de vacuo, quod est spatium quantum, non valet, quia ibi est quantitas, quæ posset mouere proiectum. Respondetur, hoc esse falsum; nam (vt sæpe dictum est) quantitas non est actiua, & sic motum efficere nequit.

Tex. 69. *Amplius adhuc est etiam difficultas de quiete, nullus namque poterit dicere, propter quid quod mouetur stabit alicubi in vacuo. Cur enim magis hic, quam ibi, cum nulla sit maior ratio in vna parte, quam in alia, ex eo quod sunt eiusdem rationis (si partes debent vocari, quæ non sunt aliquid) Quare aut per totum quiescet, quod est absurdum, nam vnius corporis naturalis est vna quies naturalis in vno loco, præterquam quod, vel infinitum vacuum occuparet, vel esset in pluribus locis simul, aut si quiescet necesse est in infinitum ferri, nisi sit aliquod impedimentum; at ferri in infinitum est inconueniens, cum omnis motus sit ad determinatum finem (loquimur de motu recto, nam de circulari erit alia ratio) nec impedimentum erit; quid namque in vacuo poni potest, quod impediat? hoc enim contendimus modo, quod scilicet in ipso nihil esse possit.*

Vnius corporis naturalis est ei vna quies naturalis in vno loco.

Tex. 70. *Amplius autem nunc ideo videntur, ac dicuntur corpora ferri in vacuo, quoniam ipsum cedit corporibus latis, sed ista ratio non valet; nam cum vacuum sit eiusdem rationis per totum, ipsa corpora mouerentur ad omnem partem tam sursum, quam deorsum, & sic mouerentur motibus oppositis. At si quis dicat, eodem modo diceretur de aere, qui est indifferens ad sursum, & deorsum, vt dictum est, & dicetur. Respondetur, rationem esse disparem, nam aer mouetur ex ea parte, qua recipit impetum ab impellente; sed vacuum cum nihil sit, hunc impetum recipere nequit, & sic non haberet à quo determinaretur magis sursum, quam deorsum, sed statim quod proiectum decideret, indifferenter se haberet ad omnem partem, cum (ex dictis) neque virtus, nec differentia aliqua in ipso sit, vnde determinatio expectari posset.*

Tex. 71. *Amplius autem ex his, quæ sequuntur, videbimus manifestum esse, quod dicimus, nempè quod in vacuo non possit fieri motus. Videmus enim idem corpus, atque pondus velocius ferri propter duas causas, aut quia id medium quod mouetur differt, vt si sit aqua, vel terra, vel aer, aut si sit idem medium, vel eodem modo se habens potest esse velocior, vel tardior motus ex parte mobilis, prout scilicet excedit in grauitate, vel leuitate. Sed causa præcipua tarditatis, vel velocitatis est medium per quod mobile mouetur, si alia sint eadem (hoc est, si sint vel eadem mobilia æque grauia, vel leuia eiusdem figuræ, ac aliarum dispositionum, quæ motum concernunt) euenit ergo diuersa velocitas in motu ex parte medij, data æqualitate mobilium: ille namque motus velocior est, qui fit in medio minus impediente, & resistente. Vnde maximè impeditiuum medium est, quod fertur contra ipsum mobile, vt esset aqua fluens, contra cuius fluxum moueretur nauis, vel piscis, &c. Secundariò est impeditiuum medium manens, sed densum, vt aqua quiescens respectum aeris, ac denique id minus impedit, quod est rarius, ac facilius diuiditur; id verò magis, quod est densius, & difficilius cedit. Sit igitur mobile, & vocetur A, quod moueatur per aquam, quæ vocetur B, tempore vnius horæ, quod vocetur C, sed per aerem, qui vocetur D, cum sit subtilior aqua, mouebitur in dimidia hora, verbi gratia, quod tempus vocetur E; ponatur tamen quod sit æqualis longitudo, aeris, & aquæ, seu D, & B, ac secundum variam densitatem, & raritatem sit etiam proportio velocitatis, & tarditatis, quæ vt diximus prouenit ex impediente corpore. Vnde si aer sit, verbi gratia, duplo subtilior aqua, motus in aere factus erit duplo velocior motu facto in aqua, & similiter tempus erit dimidium ad tempus, quod mensurat motum factum in aqua, ac compilando; motus factus in subtiliori medio, erit velocior, & breuiori tempore, quam factus in minus subtili. Quare potest sic formari ratio, qualis est proportio medij ad medium in subtilitate, & densitate, talis est proportio motus ad motum in velocitate, & tarditate, & temporis ad tempus in breuitate, & longitudine. Vacuum autem nullam habet proportionem, qua excedat, & excedatur à pleno, ergo motus factus in vacuo, & in pleno non haberent proportionem, nec similiter tempora, nec velocitates, ergo vel motus, qui fit in pleno, vel qui fit in vacuo non esset verè motus; nam omnes motus sunt proportionales, hoc non est dicendum de motu, qui fit in pleno, nam ibi reperitur vera successio, quæ dicit sufficienter naturam motus, ergo de motu facto in vacuo, & sic non esset motus, quod aliunde non proueniret, nisi quia ibi nulla esset resistentia, nec causa successionis, vnde in instanti fieret, quod motui locali repugnat. Quod verò vacuum, & plenum non habeant proportionem, probatur; nam quæ habent proportionem debent in aliquo conuenire, & vnum quid commune (in quo & si non æqualitatem saltem aliquem excessum vnius ad alterum) dicere, sed cum plenum sit aliquid & vacuum nihil, nec conuenire, nec se excedere possunt. Quamobrem ideò quatuor, verbi gratia, excedunt tria, quia in aliquo conueniunt, scilicet in numero, & tria sunt pars ipsorum quatuor, attamen non est verum quod quatuor excedant nihil, id enim quod excedit debet diuidi veluti in partes positiuas in excessum, & excedens (non sic autem quod semper excedens contineat excessum vt partem; nam hoc est falsum, ut patet, si vnus homo excedat alium quantitate, de quo excessu est sermo, sed quod conueniant in aliqua communi quantitate, ratione cuius aliquomodo possunt dici partes, & præcipuè excessa, cum sit minor, ac imperfectior) conuenire denique debent. Vnde ipsa quatuor si excederent nihil, facerent cum ipso aliquam compositionem, seu conuenientiam positiuam in quantitate, quòd est absurdum. Hac eadem ratione, nec linea excedit punctum, cum ex ipso non componatur, nec in quantitate conueniat. Similiter autem uacuum ad plenum nullam possibile est habere proportionem, nec excessum, nec conuenientiam, ergo neque motus factus in uacuo habet proportionem aliquam cum facto in pleno, & sic motus non erit, si non conueniat aliquomodo cum ipso, sicut non diceretur homo, qui nihil de humana natura participaret.*

Excedentia & deficientia debent in excessu, & defectu conuenire.

Si autem ponamus, quod motus factus per subtilissimum spatium fiat in tanto, ac tali tempore, quanto fieret per uacuum, omnem exuperat rationem, (uel est quid irrationabile; nam sequeretur, quod motus uacui, & pleni, non tantum proportionales, sed etiam æquales essent, ac conuenirēt in aliquo, quod est contra prædicta; hoc autem clarum est ex simplici positione, tamen melius probatur, & ne videatur petitio principij, nam supra satis Tex. 72.

visum

visum est, quod essent æquales motus ex positione, quod fiant in æquali tempore. Hic probabimus, quod motus aliquis in vacuo fieri non potest, ducendo ad impossibile, quod scilicet esset æqualis cum motu facto in pleno, vel ei proportionalis. Probatur igitur sic. Sit vacuum, & vocetur F, per quod debeat fieri motus, & sit æquale in magnitudine medio, vel medijs plenis, scilicet aquæ vel aeri, quæ plena media vocentur B, D. Mobile verò vocetur A. Hoc igitur moueatur per vacuum in aliquo tempore (nam si ponatur motus erit in tempore) scilicet vnius horæ, quod tempus vocetur G, quod tamen tempus erit minus, quam illud in quo mobile mouetur per medium plenum, & sit duarum horarum, quod tempus medij pleni vocetur E, nam hanc proportionem habebit vacuum ad plenum, vt scilicet sit minus tempus quo fit motus in ipso, quam in pleno: Sed tamen in tanto tempore quantum est illud, quo factus fuit motus in vacuo, nempè vnius horæ vocata G, ipsum mobile H, transibit aliquam partem medij pleni aeris dicti O, quam partem, vel lineam vocemus K, si verò ipsum plenum magis subtilietur quam sit aer, ac vocetur medium sic subtiliatum Z, secundum proportionem quam habet tempus motus facti in pleno subtiliori, ad tempus motus facti in pleno densiori, adhuc magis, ac cedet ad æqualitatem motus, & temporis in vacuo, & similiter medium iterum, & iterum subtilietur deuenietur tandem, vel ad æqualitatem motus facti in pleno, vel ad proportionem, quod absurdum esse diximus, ac impossibile. Si etiam sigillatim vis notitiam literarum, quæ pro exemplis ponuntur; appone in variatione cuiusque temporis, vel medij subtilioris, vel motus, nouam literam, & habebis intentum, sed erit maior confusio, ideò aliquas earum dimisi, tamen nihil de sensu relictum est. Sed ad rem accedamus, ac iterum idem probemus, vel potius probationem clariori modo discurrendi confirmemus.

Manifestum est igitur, quod si erit aliquod tempus in Tex. 73. *quo per vacuum aliquod, vel quoduis corpus feratur accidet hoc impossibile, quod in æquali tempore fieret motus per plenum, & per vacuum, nam vt dictum est, potest plenum sic subtiliari, vt habeat æqualem cum vacuo resistentiam, si verò hoc non videatur possibile, ita vt quis non admitteret casum, quod plenum sic subtiliari possit; & per consequens ratio superius adducta sibi nulla videatur, accipiat pro æqualitate proportionem, seu aliquam conuenientiam in duratione temporis, & velocitate motus, ita vt ratio concludat, motum habere proportionem si fiat in vacuo ad eum, qui fit in pleno, & similiter tempus illius, ad tempus istius, quod est impossibile, & habebit perfectam rationem. Aliqui dicunt medium plenum prout est res naturalis non posse sic subtiliari vt vacuum, sed habere determinatam subtilitatem, sed posse subtiliari, ratione quadam abstracta per partes proportionales in infinitum, sicut diuiditur linea, quæ responsio non multum quadrat, quia nec naturaliter videtur loqui, nec subtilitatem æqualem vacuo potest admittere. Prima igitur responsio est bona, & conueniens cum præcedentibus dictis; sufficit enim ducere ad hoc inconueniens, quod vacui ad plenum esset proportio; nam vt in summa dicam, omnis motus est alteri motui proportionalis, & similiter tempus tempori, cum vtraque sint finita, sed vacuum non est proportionale pleno. Cum nihil & ens in nullo conueniant.*

Tex. 74. *Quatenus igitur differunt media per quem corpora mobilia mouentur, hæc dicta impossibilia accidunt. Sed adhuc alia inconuenientia sequuntur ex parte mobilium secundum varium eorum excessum in impetu, vel virtute mouendi. Videmus enim ea, quæ habent maiorem grauitatem, vel leuitatem, quam alia, & si sint eiusdem figuræ, vel quantitatis velocius moueri per idem medium secundum talem maiorem excessum; quare etiam per vacuum sic se excedent; hoc autem est impossibile: nam ideò grauius fertur velocius deorsum, quia melius diuidit medium, & similiter, quod est figuræ angularis, vel acutæ, quam lata, qui etiam melius diuidit; cum verò in vacuo nulla sit talis causa, vel resistentia, quæ à corpore moto debeat superari, vt velocius possit moueri, vel tardius, omnia tam quæ naturaliter, quam quæ violenter mouentur, essent æquè velocia, quod est impossibile.*

Quod igitur si vacuum est, accidit contrarium illius Tex. 75. *propter quod probant esse, scilicet propter motum localem, sed ex dictis manifestum est. Hi igitur putant vacuum esse secundum se separatum, si erit motus localis, sed hoc idem est, ac si dicamus dari locum se paratum, sed quod hoc sit impossibile dictum est in tractatu de loco. Notandum, quod istæ rationes, quæ probant vacuum non esse ex proportione motuum, temporum, &c. currunt de vacuo, pro spatio in quo nihil sit; nam de alio vacuo, quod ponitur, vt corpus de genere quantitatis habitæ sunt rationes peculiares, & aliæ quoque in sequentibus habebuntur.*

CAPVT IV.

Probatur non dari vacuum separatum à corporibus veluti spatium quantum.

At verò per se considerantibus videbitur vtique dictum vacuum, per quam verè vacuum, seu nihil esse. Tex. 76 *Ponunt namque ipsum, vt sit veluti spatium longum, latum, & profundum, & corpora naturalia suscipiat; hoc autem non est necessarium; nam absque hoc, quod talis moles ponatur, corpora recipiuntur in loco sic, quod vnum alteri cedat. Vt enim si quis ponat, cubum in* Cubus. *aqua, cedet quantus cubus est (dicitur cubus, corpus quod habet sex latera, vt tessera, sed hic potest accipi pro quolibet corpore) sic & in aere, sed sensu immanifestum est; & similiter potest dici de quolibet corpore, quod est aptum moueri; necesse est ergo, quod vnum corpus alteri cedat, nisi condensetur, potest verò cedere deorsum si sit graue, vt si terra adueniat aliud corpus, ipsa cedit, ac deorsum se comprimit; si verò sit leue, cedet ex parte sursum, vt ignis; si verò sit quid participans leuitate media ad vtramque partem cedet, vt aer, siue quodcunque aliud simile, cui corpus aliud applicetur. In vacuo autem hoc est impossibile, non enim corpus naturale est, ac per consequens non habet has proprietates, quæ sunt cedere, condensari, moueri sursum, vel deorsum, quia tantum naturali corpori conueniunt, non igitur cedere potest. Quare illa dimensio, seu moles, quæ ponebatur vacuum, vel esse in vacuo, videbitur transisse per æquale spatiũ sibi, hoc est per corpus, quod in ipsa recipitur, tanquam si neque aqua cederet ligneo cubo, neque aer, sed omnia transirent per ipsum cubum, ita vt dimensiones corporis recepti, & recipientis mutuò se penetrent; hoc autem impossibile est, ergo non potest poni vacuum hoc modo, quod sit moles receptiua corporis. At verò cubus tantam habet magnitudinem, quantum occupat vacuum, ergo cum vtrunque sit corpus, erunt duo corpora simul, ac per consequens multa simul esse poterunt, cum non sit*

maior

maior ratio de vno, quam de alio. At si quis dicat, non esse inconueniens duo corpora esse simul, si vnum illorum non habeat qualitates sensibiles, vt sunt caliditas, frigiditas, grauitas, leuitas, &c. istæ namque sunt causa talis repugnantiæ inter corpora. Hoc nihil valet, nam ipsa magnitudo, seu corpus quantum, & si sit calidum, vel frigidum, graue, vel leue, ita vt neque ab omnibus istis sit separabile, tamen secundum suum esse naturale, & alterum & diuersum est ab omnibus prædictis passionibus & accidentibus; dico autem de mole cubi, vel alterius corporis: quare, & si separetur per intellectum ab omnibus prædictis, ita vt neque consideretur, vt grauis, neque vt leuis, sed præcisè provt est talis quantitas, adhuc occupabit æquale spatium sibi, & erit in eadem parte vacui, vel loci in quo est ipsa moles, quæ ponitur vacuum, vel locus, vnde in nihilo differt ab ipso vacuo, vel loco secundum hanc rationem corporis, & occupationis; non igitur qualitates sensibiles diuersæ sunt causa repugnantiæ, quod duo corpora sint simul, & si causent varias, & contrarias actiones: Sed prouenit hæc repugnantia ex ratione formali dimensionis, nam cum vna occupet locum, alteri non potest remanere idem occupandus; si itaque vacuum sit moles quædam in qua corpus recipiatur etiam sine omni qualitate per impossibile, duo corpora essent simul, & si duo talia, propter quid non qualibet in eodem erunt, cum sit eadem ratio in omnibus? hoc igitur est inconueniens, & impossibile, ergo non est dicendum vacuum esse molem.

Tex. 77. Amplius autem manifestum est, quod cubus cum transfertur, habet trinam dimensionem, sicut omnia alia corpora, & sicut ponitur habere locum, vel vacuum, (nam hic pro eodem accipitur) quare si cubus nihil differat à loco, imò locus ponitur tantum propter istas dimensiones, quid oportet facere locum corporibus, præter molem vniuscuiusque, & præcipuè si ipsa moles consideretur impassibilis, hoc est sine aliqua qualitate sensibili? nihil enim confert, si alterum spatium, quod easdem habeat dimensiones, sit circa ipsam; nam sicut illud spatium ponitur locus cubi, ita posset poni è conuerso cubus, qui sit locus talis spatij: nam nulla est maior ratio in vno, quam in alio. Imò qua ratione corpus indiget locari, provt habet dimensiones, eadem ratione indigeret locari vacuum; cum igitur non alia de causa ponant vacuum, nisi ad hoc vt sit moles receptiua corporis; hæc verò moles potius ipsi corpori recipiendo repugnet, poni non debet.

Tex. 78. Amplius, si vacuum esset, deberet notum esse, quomodo sit in his, quæ mouentur, hoc est in rebus naturalibus; nunc autem nusquam infra mundum apparet, nec dicant, aerem esse vacuum, quia hoc est falsum: est enim aliquid, & licet non videatur, cognoscitur tamen tactu, non enim omnia sensibilia visu cognosci debent, sed isto, vel alio sensu. Vnde si pisces essent ferrei, seu de colore aquæ, sed duri, vt ferrum, visu, ab aqua non discernerentur, sed tactu: ipso enim fit iudicium eius, quod tangitur. Cùm igitur vacuum per nullum sensum cognosci, necnon cogitari possit, ponendum non est.

C A P V T V.

Probatur non dari vacuum corporibus imbibitum.

Tex. 79. QVod igitur non detur vacuum separatum à corporibus, ex dictis manifestum est. Sunt autem quidam, qui probando, quod detur rarum, & densum, credunt concludere vacuum esse. Probant igitur rarum, & densum tali ratione. Si non detur rarum, & densum, neque aliquid poterit coire, neque rarefieri, at si nihil condensari, vel rarefieri poterit, sequitur vnum ex his tribus magnis absurdis. Primum vel quod non erit motus. Secundum aut in qualibet parua mutatione fluctuabit vniuersum, vt inferebat Xutus Philosophus. Tertium, aut aerem, & aquam, semper mutari in æqualem quantitatem: dico autem, vt si ex aquæ cyatho factus sit aer, ipse aer non erit maioris molis, quam erat aqua cyathi, ac ex cyatho aeris similiter cyathus aquæ fiet, & non minus, neque maius corpus, vel moles; hæc autem omnia sunt absurdissima, ergo oportet dare vacuum, aliter non contingit aliquid dilatari, seu rarefieri, & coarctari, seu condensari. Quod verò nisi detur condensatio, sequantur prædicta absurda, probatur; moueatur, verbi gratia, manus in motu eius, nisi aer ab ipsa motus condensetur, impellet ipse aer alteram aeris partem sibi continuam, & illa alteram, & alia alteram, quovsque moueant ignem, ille verò cum neque condensari possit (ex suppositis) mouebit cœlum, quod neque condensationem patitur, & sic quocunque minimo motu, vel totum fluctuabit, vel sequitur aliud absurdum, quod non detur motus. Similiter tertium absurdum sequeretur, scilicet, quod ex tanta aqua tantus generaretur aer, & è conuerso; nam si ex aqua generatur maior moles aeris, illa non habet vbi recipi potest, aer namque alter, nisi condensetur, non potest sibi dare locum; at condensatio per casum non datur, ergo oporteret, quod ex æquali aere æqualis generaretur aer; vel si maior esset, impelleret alias partes, & illæ alias; vnde, sicut supra, sequeretur fluctuatio vniuersi. Eodem modo dicatur de rarefactione; nam dum vna pars rarefit, occupat maiorem locum, & facit condensationem alterius partis; at si non daretur rarefactio, vna pars pelleret aliam, & sic vt in condensationem esset fluctuatio. Cùm ergo omnia ista sint absurda, nam datur motus, nec in quolibet motu vniuersum fluctuat, ac maior est moles aeris genita ex aqua, quam aqua præcedens. Sequitur, quod debet dari in natura condensatio, & rarefactio. Sed ista non possunt fieri (vt dicunt) sine vacuo imbibito corporibus, quæ rarefiunt, vel condensantur, ergo vacuum datur. Probatur talis consequentia; nam quando aliquid condensatur vna, pars recipitur in alia, ergo in vacuo, vel in pleno; si in vacuo habemus intentum; si in pleno, duo corpora essent simul.

Si igitur isti dicunt, id esse rarum, quod intra se habet multa vacua, separata ab alijs partibus plenis; manifestum est, hoc esse impossibile, eo modo quo supra probauimus, non posse dari aliquod vacuum, vel spatium separatum: esset namque dimensio, seu quantitas à subiecto diuisa, inepta propter suam molem ad recipiendum aliquod corpus, vel esset nihil, in quo nulla esset ratio receptiua, vel conseruatiua, vt probauimus etiam de vacuo pro nihilo accepto. Tex. 80

Si verò dicant, ipsum non esse sic ab omnibus partibus separabile, sed tamen inesse ipsis corporibus, veluti per totum, & omnes partes diffusum, vt pori verbi gratia in spongia, minus quidem videtur impossibile. Tamen ipsi non habent intentum, quia ponunt vacuum præcipuè propter motum localem; at hoc modo ipsum vacuum non esset causa omnis motus, sed tantum illius, qui est sursum; nam vacuum facit raritatem, ex eo quod diuidit partes à partibus, rarum verò est leue, & leue fertur solum sursum, ergo de primo ad vltimum, si vacuum esset sic imbibitum corporibus, non omnium motuum, vt Tex. 81.

dicunt,

dicunt, sed solum illius qui sursum fit, causa esset. Deinde ipsi posuerunt vacuum, vt esset causa motus quasi finalis, scilicet vt id in quo fieret, & terminaretur motus; Sed si ponant ipsum sic imbibitum non erit causa hoc modo, sed si aliquomodo causam ponere volunt, non erit nisi effectiua, sicut vtres sunt causa motus illorum, quæ in ipsis sunt, prout ea velnunt, nec principaliter, sed instrumentaliter tantum; nam ideo ferunt, quia feruntur. Et hoc modo etiam ipsum vacuum moueretur secundum locum, sicut vtres. Atqui qualiter possibile est esse motum, aut locum vacui? nam quod mouetur localiter habet locum, & sic vacuum haberet locum, quod esset aliud vacuum, & illud aliud, & sic in infinitum.

Tex. 82. Amplius cum vacuum (secundum ipsos), sit causa motus, & efficiat rem raram, & leuem, ex supradictis; sequitur quod esset causa solum motus sursum. Quomodo igitur assignabimus causam motus deorsum? vel igitur dicendum esset, quod motus deorsum non datur, quod experientiæ repugnat, vel quod vacuum non sit causa omnis motus, quod repugnat eorum positioni. Et insuper manifestum est, quod si quantò rarius, & magis vacuum fuerit corpus, sursum feretur, ergo si omnino sit vacuum velocissimè, seu in instanti moueretur (nec apud ipsos esset absurdum, dari sic omnino vacuum separatum, cum sit corpus, & moles per se existens, sicut pars in aliquo toto. Vnde sicut pars separari potest à toto, ita vacuum.) Fortassè autem est impossibile sic moueri. Ratio autem esse potest eadem, qua supra probatum fuit, non dari motum in vacuo, quia esset proportio inter ipsum, & plenum, ac inter velocitates, quæ sunt in motibus vacui, & pleni, quod impossibile est. Sicut igitur in vacuo omnia sunt immobilia, sic vacuum esset quid immobile; nam sicut velocitates motus facti in vacuo, & in pleno sunt incomparabiles, ita motus vacui, & pleni sunt incomparabiles, nam vacuum ex parte sua esset totaliter leue, nec haberet aliquam causam successionis, cum omnis motus secundum istos sit in vacuo, & sic fieret in instanti. Plenum verò, etsi secundum eandem positionem non haberet resistentiam ex parte medij, cum fieret quoque in vacuo, esset tamen ipsi successio ex vi propria deficiente, nam vacuum tantum dicunt præbere leuitatem, & motum, & sic ex proprijs principijs arguendo ad hominem, sequitur quod vacuum non moueretur, nam motus eius esset in instanti, & sic non esset motus localis. Sed est notandum, supra dictum esse (fortasse impossibile esse moueri vacuum) quasi non simpliciter repugnet. Respondetur hoc dictum esse dubitatiuè, suppositis principijs illorum, qui vacuum ponunt corpus de genere quantitatis, & separabile, quo posito, est rationalis dubitatio, an possit moueri. Sed quatenus adhuc dicunt, habere rationem summæ leuitatis, & nullius resistentiæ, cum alijs supra inductis, fit reductio suarum positionum ad impossibile; nam si daretur motus ipsius vacui non esset motus localis, &c.

CAPVT VI.

Probatur non dari vacuum, propter raritatem, & densitatem.

Tex 83. Quoniam autem vacuum non dicimus esse, alia verò dubitata sunt verè; rationes namque de raritate, & densitate factæ bene concludunt, quod scilicet, detur condensatio, & rarefactio. Si enim non erit raritas, & dēsitas, aut fluctuabit Cœlum, aut non erit motus, aut semper æqualis aer, ex æquali aqua erit, & aqua ex aere, quod falsum est, nam manifestum est, quod plus aeris ex aqua fit. Necesse est igitur, si non est condensatio, quod aut pars expulsa contigua parti expellenti, faciat, vt vltimum (scilicet Cælum) fluctuet, (quod accidit in rarefactione, idest illa pars, quæ rarefit, premit aliam sibi contiguam, quæ nisi condensetur, alia premet, & sic vsq; ad Cælum,) aut alicubi, aliquid æquale mutetur, vt ex aqua aer, vel è contra; aut nihil mouetur. Hoc namque semper eueniet in quacunque mutatione, nisi sit motus circularis; non autem omnis motus est circularis, sed & in rectum, quare nisi condensationem, & rarefactionem admittamus, absurda prædicta euenient; verè igitur rarefactionem, & condensationem admittimus, ac prædicta verè sequi, nisi admittantur, concedimus; sed quod ex his concessis sequatur dari vacuum necessariò (vt ipsi inferunt) hoc negamus; potest namque esse rarefactio, & condensatio, sine vacuo, vt modo probabimus.

Nos igitur respondemus ad dubium ponendo quædam supposita in philosophia, quæ sunt ista. Primum. Quod vna est materia contrariorum; scilicet calidi, & frigidi, humidi, & sicci, & aliarum naturalium contrarietatum. Secundum. Illud quod est in actu, fit, vel factum est, ex eo quod fuit in potentia. Tertium. Materia non est separabilis, licet sit secundum suum esse diuersa, à qualibet forma, tam essentiali, quam accidentali, hoc est nunquam est per se sola, & nuda absque omni forma, etsi ab ista, vel illa separabilis sit. Quartum, & est additio primi. Ipsa materia simpliciter, seu vniuersaliter est vna omnium contrarietatum; sed vnamet numero, potest recipere colores diuersos, ac diuersas contrarias qualitates successiuè, scilicet calorem, frigus, &c. sic tamen, vt prius receperit formam substantialem, nam accidentia sunt posteriora substantia, & ab ipsa manant, præcipuè verò à forma. Ex suppositis; ad dubitationem respondemus; quod licet detur raritas, & densitas, non tamen oportet dari vacuum, quia id quod condensatur non recipit aliquod corpus extrinsecum intra se; sed eadem est materia magni, & parui, quæ secundum se totam raram formā, vel densam recipit, vt patet cum ex aqua factus est aer, remanet eadē materia sub maiori quantitate, non autem in aquam aliquod corpus ingreditur, quod in vacuo recipi debeat, vnde fit maior, vel minor moles per totū, nō in aliqua parte tantū, eodem modo dicendum est cum ex aere factus est aqua; qui ex eo, quod habebat materiā, quæ erat in potentia ad formam aquæ, talem transmutationem passus est; ac per consequens fit minor moles ex eo, quod potentia materiæ aeris reducitur ad formam aquæ, nō propter exitum, vel ingressum alicuius corporis. Eodem modo ex calido fit frigidū, & ex frigido, calidum, vel ex minus calido, magis calidū, quia scilicet vna est materia vtrorumque, & ad vtraq; in potentia, non quod aliquod corpus calidum ingrediatur in frigidum, vel è conuerso. Sicut etiam cum maior circumferentia, vel curuitas circuli, reducitur in minorē, siue dicatur eadem, siue alia; non ideo fit minor, quod aliqua pars non curua, sed recta ingressa sit illum, sed eadē sunt partes, ac eadem materia: neq; in magnitudine flammæ est accipere aliquam partem, quæ non sit, vel calida, vel alba v.g. sed tota, & per totū, sic igitur prior calor vnitur posteriori. Similiter magnitudo, seu raritas, & paruitas, seu densitas, fiunt maioris, vel minoris molis sensibilis, non insuper accipiente aliquod corpus ipsa materia, sed quia est in potentia ad vtrumque; vnde idem sunt rarum, & densum Tex. 84.

Contrariorum eadem est materia.

materialiter, hoc est in eodem subiecto, vna namque est materia ipsorum, cum sint contraria, contrariorum vero eadem est materia; quod vero contraria sint, patet, nam habent proprietates contrarias, quæ à contrarijs naturis prouenium, vnde densum est graue, rarum autem leue. Sed est dubitatio. Nam idem corpus est modo rarum, modo densum; vt patet de aqua; quomodo igitur rarum, & densum sunt contraria? Respondetur esse contrarias tales dispositiones, nempè raritatem, & densitatem. Cum igitur eadem materia secundum se totam, recipiat raritatem, & densitatem, non opus est ponere vacuum; nec valet argumentum in quo dicebantur, partes condensati recipiuntur in vacuo, vel in pleno; nam recipiuntur in tota materia, quasi expulsa forma densi succedat forma rari, vel (melius) remota tali qualitate, vel dispositione, accedit alia contraria.

Tex. 85. *Amplius, sicut circumferentia circuli facta minor non accipit alias partes intra se concauas, sed totum quod erat factum est minus. Sic si quis consideret quemcunque ignem, qui fiat calidus magis, totus calidus erit, sic & omne quod congregatione, seu densitate, & distinctione, seu raritate diuersum est, habet hoc, gratia eiusdem materiei, quæ identitas materiei, vt diximus ex contrarijs sibi inuicem succedentibus cognoscitur, quæ contraria sunt (vt etiam dictum est) graue, & leue, & præter ista sequuntur alia duo, scilicet durum, & molle, & si non sic necessariò sequantur sicut prima, nam plumbum est densum, & graue, sed non durum; ferrum vero, est densum, graue, & durum, sequuntur igitur vt plurimum, ista contraria densum, & rarum, ex quibus ea esse etiam contraria aliquomodo colligimus, & per consequens circa eandem fieri materiam, ac non se simul permittere, vnde ex expulsione vnius est ingressio alterius, & hoc modo informatio noua totius materia, & non accessus externi corporis in rarefactione, & condensatione admittere oportet, ac sine vllo vacuo. Potest autem ex dictis breuiter, & faciliter assignari causa, quomodo fiat condensatio, & rarefactio sine penetratione corporum, & sine vacuo, ponendo scilicet ipsas nempe condensationem, & rarefactionem esse contrarias quasdam dispositiones, quæ per totum vagentur; sicut maior, & minor calor, per totum corpus recipitur; quæ positio elicitur expressè ex dictis, etsi sit dura, & difficilis captu, examinabitur tamen melius in quæstionibus, & in libris de generatione, vbi est proprius locus.*

Tex. 86. *Ex dictis igitur manifestum est, quod neque separatum est vacuum, veluti moles quædam à corporibus naturalibus, neque vt simpliciter nihil, neque continetur in raro imbibito, vt foramina, neque est ens in potentia ad formas, sicut aliqui dicebant, ac ipsum materiam vocabant, nisi id aliquis vocare velit vacuum quod est causa effectiua lationis, sic enim materia grauis, & leuis quatenus grauis, vel leuis est, poterit dici vacuum, nam ipsum densum, & rarum, secundum hanc contrarietatem densitatis, & raritatis sunt effectiua contrariorum motuum, densum enim motus deorsum, rarum verò sursum, prout vero densum est durum, & rarum molle, non motus, sed aliarum passionum sunt causæ, vt molle dicitur faciliter passibile, durum impassibile, vnde alij quoque effectus proueniunt, & de vacuo quidem, quomodo est, & quomodo non est, determinatum sit hoc modo.*

SVMMA TERTIA.

De Tempore.

CAPVT I.

An tempus sit, vel non.

Consequens autem est ad ea, quæ dicta sunt determinare de tempore. Primum igitur bene se habet dubitare de ipso, & per rationes extraneas (idest non naturales, sed logicas, quæ sunt vniuersales) disputare, an ipsum tempus sit eorum, quæ sunt (seu verum ens reale) an sit eorum, quæ re vera non sunt, sed tantum esse creduntur, sicut dictum est de vacuo, deinde determinandum est, quæ sit natura ipsius. Tex. 87.

Tex. 88. Ratio quare non sit tempus.

Quod igitur omnino non sit, aut vix, & obscure percipi possit, quod sit, ex his, quæ modo dicemus, aliquis suspicari potest (non autem scire, quia verum non concludent.) Illud non est, quod componi dicitur ex his, quæ non sunt, sed tempus tam infinitum, seu totum, quam quod semper sub aliquo determinato termino accipitur, vt est dies, hora, &c. ex his, quæ non sunt, componitur, ergo ipsum non est. Probatur minor (maior enim est manifesta,) nam alia pars ipsius facta, seu præterita est, & sic non est; alia vero futura est, & sic neq; est, ergo neq; fieri posse videtur, ipsum tempus possidere aliquando substantiam, seu naturam, cum ex his, quæ non sunt constare dicatur.

Tex. 89. Secunda ratio.

Pars mensurat, & componit totũ. Nunc nec mensurat, nec componit tempus.

Præterea omnis rei diuisibilis si sit, necesse est quando est, aliquas, vel omnes partes actualiter esse; sed temporis nulla est pars actualis, etsi ponatur diuisibile; probatur, nam aliæ partes eius fuerunt, aliæ vero futura sunt. Si dicatur quod Nunc est pars illius, quod tamẽ actualiter est, hoc non est verum, nam pars mensurat, & componit totum, vt pars istius cathedræ si pluries sumatur, ipsam mensurabit, & cum alijs eam componit, sed Nunc neque mensurat, nec componit tempus, cum diuisibile ex indiuisibilibus, nec constet, nec mensuretur, vt videbimus in 6. physic: ergo Nunc non est pars temporis, & sic remanet nullam habere partem, & per consequens nihil esse.

Tex. 90. *Amplius autem ipsum Nunc quod videtur distinguere præteritum, & futurum, vtrum vnum, & idem semper permaneat, an aliud sit, & aliud non, facilè est videre; vnde videtur etiam difficultas, quod ipsum sit; & sic nihil omnino de tempore habebimus; quare totaliter, ipsum non esse, concludere oportebit. Si igitur Nunc est in tempore, aut est semper alterum, & alterum, aut semper idem, sed neutro modo, ergo. Probatur, quod non sit alterum, & alterum, quia vel essent simul, vel non, non possunt esse simul, nam nulla pars est simul in aliquo successiuo cum alio, nisi si vna aliam contineat, vt dies dicitur simul cum anno, quia ab ipso anno continetur. Sed vnum nunc non continetur ab alio; quia sic cõtinere est ad multa se extendere, quod rei indiuisibili sicut est nunc conuenire non potest; non ergo plura nunc simul sunt. Nec sunt plura successiuè. Nam ipsum nunc, quod modo non est, & prius fuit, necesse est corruptum fuisse aliquando; prius enim necesse est corrumpi, quam posterius, quæritur ergo quando corruptum sit; vel antequam esset, quod est impossibile, vel quando erat, quod etiam est inconueniens; nam esset, & non esset. Si dicatur in alio nunc, adhuc est impossibile, nam tunc ipsa nunc essent*

Continere est ad multa se extendere.

conti-

contigua adinuicem, quod absurdum est, sicut punctum non potest esse contiguum puncto, nam continuum componeretur ex indiuisibilibus. Si corruptum sit in nunc, quod est sibi consequenter, non in ipso corruptum erit, sed in alio, imò in medijs infinitis nunc, nam inter duo nunc infinita alia mediant, at cum in omnibus istis dicatur corrumpi, simul erit cum omnibus, & consequenter durabit per infinita nunc; quod est impossibile.

Tex.91. *At vero neque semper idem permanere potest nunc in toto tempore; quia nullius rei finitæ diuisibilis, est vnus terminus tantum, siue sit diuisibilis secundum vnam partem, vt linea, siue secundum plures, vt superficies, & corpus, ipsum autem nunc terminus temporis est, ac ipsum tempus potest accipi finitum, vt est tempus vnius horæ, vel vnius diei, ergo non habebit vnum terminum, vel nunc.*

Tex.92. *Amplius si esse simul secundum tempus, ac similiter, esse prius, vel posterius in ipso, sit idem quod esse in eodem nunc, (quod necessariò erit si vnum tantum ponatur in toto tempore) sequeretur quod erunt, simul cum his, quæ nunc sunt; ea quæ ante decies millenos annos facta fuerunt, & neque prius, neque posterius aliquid aliquo erit, quod est absurdum, non igitur est vnum nunc in toto tempore, nec plura, quia neque simul, nec successiuè esse possunt, ergo nullo modo nunc est in tempore, at neque alia pars temporis, cum nulla sit, ex eo quod aliqua præterijt alia futura est, ideo relinquitur, tempus esse penitus nihil.*

C A P V T II.

Ponuntur aliquæ opiniones de tempore, & reprobantur.

Tex.93. *DE ijs igitur, quæ ipsi tempori insunt, tot dubitata sint. Quid autem est tempus, & quæ ipsius natura, similiter ex ijs, quæ ab Antiquis tradita de ipso fuerunt; & ex ijs, quæ in præcedenti capite fuimus percurrentes, non adhuc manifestum est. Vnde variæ sunt de ipso opiniones. Quidam enim dicunt, ipsum esse motum circularem ipsius vniuersi, seu primi mobilis, (quod vniuersum dicitur in ratione continendi, nam omnia continet) hoc scilicet modo, quod tota ipsius circulatio, seu reuolutio, quæ viginti quatuor horis completur, tempus dicatur. Alij non motum cæli, sed ipsum cælum, tempus esse credidit. Sed prima opinio est falsa, nam si tempus esset talis circulatio, sequeretur quod partes ipsius non differrent à parte temporis, ita vt sicut qualibet pars temporis est tempus, ita etiam qualibet pars circulationis esset circulatio, hoc autem falsum est, nam pars circulationis non est circulatio, ergo neque est tempus, & sic neque tota circulatio tempus erit, nam à quo remouentur partes, etiam totum remouetur, vel sicut se habent partes ad partes, ita totum ad totum. Cum igitur etiam secundum ipsos, pars circulationis, tempus quoddam sit, & tamen ipsa non est circulatio, nam pars circulationis, est quod acceptum est, antequam sit completa circulatio, & non tota circulatio, ergo circulatio non est tempus, aliter (vt dictum est) pars circulationis sicut est tempus, sic etiam esset circulatio, si vnum, & idem totaliter sit circulatio, & tempus, sicut si homo est, animal rationale est, & si quid est pars hominis, est pars animalis rationalis, & quod non est pars vnius, neque alterius, hic autem modus arguendi, etsi non valeat in his, quæ non totaliter, & conuertibiliter sunt idem, tamen in his, quæ omninò conuertibilia ponuntur, vt ponebant prædicti, non habet instantiam. Amplius autem si plures essent cæli, sicut re vera sunt (licet conditionaliter loquamur, quia exactè, & determinatè de hoc suo loco dicemus) essent etiam plures circulationes, & per consequens plura tempora simul, quod ab omnibus reputatur inconueniens.*

Prima opinio de tempore.

A quo remouentur partes remouetur totum.

Secunda verò opinio, quæ asserit, tempus nihil aliud esse nisi ipsam vltimam sphæram, seu primum mobile, quia scilicet sicut omnia sunt in tempore, ita etiam in ipsa sphæra; non tantum falsa est dicenda, sed irrationalis, & stulta, est enim stultius quod dictum est ab ipsis hoc modo de tempore; quam si de ipso tempore consideremus impossibilia. Tex.94.

Secunda opinio.

Est tertia opinio, quæ habet tempus esse simpliciter motum, non tantum primi mobilis, sed indifferenter quemlibet, cum ergo videatur aliquomodo ipsum tempus esse motum, ac mutationem quandam, hoc considerandum erit. Dicimus igitur hanc quoque opinionem esse falsam, nam motus, & mutatio vniuscuiusque, est solum in ipso quod mutatur, aut terminatur ad id, vbi ipsum denique fuerit, scilicet ad locum, ad quem mouetur, sed tempus eodem modo est vbiq; & apud omnia, ergo tempus non est motus. Tex.95.

Tertia opinio.

Amplius omnis mutatio est velocior, vel tardior alia, sed tempus non est velox, neq; tardum, & per consequens, nec velocius, nec tardius, nam remoto positiuo remouetur comparatiuum, vt quod non est album, neque erit albius, ergo tempus non est motus, si enim essent idem, haberent easdem differentias, & proprietates, quod vero tempus non sit velox neque tardum, probatur. Nam velox, & tardum definiuntur tempore, sed tempus non potest definiri tempore, ergo tempus non est velox, neque tardum: probatur maior. Nam velox dicitur, quod in pauco tempore multum mouetur; Tardum vero, quod in multo tempore parum mouetur, & sic tempore definiuntur. Probatur minor; si tempore definiretur tempus, idem definiretur se ipso, & per consequens, idem esset notius, & ignotius, quod absurdum est; debet igitur inter definitionem, & definitum esse aliqua distinctio ex natura rei. Sed tempus à tempore non distinguitur, ergo per tempus non definitur, neque definitione quidditatiua, prout scilicet tempus est quantum, neque definitione accidentali, vel descriptiua, prout ipsum est quale, hoc est breue, vel longum, &c. quia in qualibet definitione, debet esse aliqua distinctio inter ipsum, & definitum. Tex.96.

Remoto positiuo remouetur comparatiuum.

Velox quid. Tardum quid.

Nota.

C A P V T III.

Tempus non est motus, nec sine motu, sed est aliquid ipsius. Traditur igitur definitio temporis, & declaratur.

QVod igitur tempus non sit motus, ex prædictis manifestum est, nihil autem referat nobis dicere in præsentia, motum esse diuersum à mutatione, sed sufficiat, tempus, neque motum, neque mutationem esse. At vero neq; sine motu, vel mutatione est ipsũ tẽpus. Probatur; quia vnũ sine alio non tantum est (quod modo probare intendimus,) sed nec intelligi potest, vnde cum nos nihil mutamur secundum intelligentiam, hoc est non intelligimus, vel cognoscimus nos mutari, sed latet, similiter neque tempus aliquod cognoscimus circa nos factum fuisse, ergo sunt simul; nihil enim quod cum alio non est, Tex.97.

Tempus nõ est sine motu.

nec ad ipsum pertinet vt aliquid ipsius, potest ad eius cognitionem pertinere; cum facilius vnum, sine alio cognoscatur, quam sine ipso sit, vt albedo, vel animal, cognoscuntur sine suis inferioribus, & tamen non sine illis sunt, ergo si vnum sine alio cognosci nequit, sine illo non erit. Quod vero talis cognitio motus, & temporis, se concomitentur, declaratur per quoddam exemplum, etsi casus positus sit fabulosus, non tamen quod inferimus erit, vel fabulosum, vel extra propositum, cum tantum ipsum apponamus gratia exempli, quod exemplum non ponitur vt semper sit verum, sed vt melius percipiant addiscentes. Dicunt igitur; quosdam, per multos annos dormiisse in Sardo apud Heroas, seu Deos, virtute, ac potentia talìorum Deum, qui tamen post quam experrecti fuerunt, parum, vel nihil dormiisse putarunt, quod ideo eis euenit, quia nullam perceperunt mutationem, vnde etiam primum Nunc, seu prima pars temporis, (non enim datur primum Nunc in tempore, vt videbimus) cum vltima copulata fuit ab ipsis, medium vero tempus, ex eo quod nullam mutationem perceperunt, remouerunt; ergo simul tempus cum motu percipitur, & non percipitur, si motus non percipiatur. Vnde si vnum tantum nunc esset, non esset tempus, ita si quando non cognoscitur nisi vnum, etiam tempus medium non cognoscitur. Cum igitur tunc accidit nobis, vt non putemus tempus esse, cum nullam perceperimus mutationem, sed videtur in vno, & indiuisibili instanti, vel momento anima manere; cum autem ipsam mutationem senserimus, ac determinauerimus eam esse, tunc etiam tempus esse cognoscimus, manifestum est, quod non est sine motu, ac mutatione tempus.

Tex. 98. *Quod igitur neque motus, neque sine motu tempus est, manifestum est ex dictis. At quia quærimus quid est tẽpus, incipiendum est, pro determinatione, videre quid nã sit ipsius motus, simul enim sentimus motum, & tempus. Etenim si sint tenebræ, & nihil per corpus patiamur, sed tamen in anima insit aliquis motus, vt imaginatio, cogitatio, vel discursus, confestim simul videtur quoddam factum fuisse tempus, & è conuerso, cum tempus aliquod factum fuisse videtur, simul videtur factum fuisse motum, vt si percipiamus tempus vnius horæ v. g. statim apprehenditur à principio vsque ad finem illius horæ, aliqua mutatione, saltem in cogitatione. Cum igitur sic inseparabiliter, & in re, & in cognitione se concomitentur: sequitur, vel ipsum tempus, esse motum, vel aliquid ipsius, cum autem non sit motus, vt probatum est, erit aliquid ipsius; videndum est igitur quid sit; pro cuius intelligentia est notandum, quod*

Tempus apprehẽditur in apprehẽsione motus.

Tex. 99. *Omne quod mouetur, mouetur ex quoddam, in quoddam, hoc est de termino à quo, ad terminum ad quem, vt ex platea, ad domum. Secundo notandum quod omnis magnitudo est continua. Tertiò notandum, quod motus dicitur continuus, prout fit super magnitudinem continuam (non formaliter, scilicet quod motus sit essentialiter continuus continuitate magnitudinis, quia sunt essentialiter distincti, sed materialiter, & arguitiuè, prout motus fit in magnitudine continua, ex qua ipsum continuum esse arguimus) Ex hoc verò quod motus continuus est, est etiam tempus continuum, quia tempus sequitur motum, eo modo quo motum sequi magnitudinem diximus, quantus enim motus est, tantum, & tempus videtur fuisse. Quarto notandum, quod sicut est prius, & posterius in magnitudine, super quam fit motus, quæ prioritas, & posterioritas sunt secundum variam positionem, vel situs ipsius magnitudinis, ita necesse est quod etiam in motu sit prius, & posterius, licet sine tali situ, qui non conuenit nisi quantitati permanẽti, ac pariter in tempore erit prius, & posterius, cum ipsum motum sequatur. Est tamẽ prius, & posterius temporis in motu, sicut in eodem est prius, & posterius eiusdem motus, hoc est, tã prius, & posterius motus, quam temporis in eodem sunt, ac id quidem quod, tam motus, quam tempus dicunt, idem est realiter, sed esse, vel quidditas ipsius temporis aliud est, & non motus; quasi dicatur, tempus, & motus sunt idem realiter, sed formaliter differunt. Habetur ex prædictis notandis, quod tempus conuenit cum motu in continuitate, successione, & prioritate, ac posterioritate, atque vtrumque materialiter, & arguitiuè, fit continuum à magnitudine; sed prius motus, tandem sit sic aliquid ipsius motus, tempus, vt sit idem sibi realiter, formaliter verò distinctum.*

Omne mouens mouetur de termino à quo ad terminũ ad quem.
Motus dicitur continuus continuitate magnitudinis.

At verò tempus quidem cognoscimus, cũ prius, & posterius in motu cognouerimus, atq; tũc dicimus tẽpus esse quãdo aliquid prioris, & posterioris in motu sensu cœperimus; determinamus autem aliud, & aliud tempus cũ existimamus ipsa extrema, seu nunc, ac media quoq; inter ipsa, alia atq; alia esse. Sic igitur cum mediũ aliquod inter extrema intellexerimus, & anima duo nũc esse cognouerit, aliud prius, aliud vero posterius, hoc medium inter ipsa nunc inclusum dicimus esse tempus. Quod enim determinatur ab ipsis nunc, tempus esse videtur, & supponatur modo, nam postea hoc declarabimus. Tex. 100

Ex intellectione prioris nunc, & posterioris intelligitur tempus.

Quando igitur tanquam vnum ipsum nunc sentimus, & non aut prius, & posterius in motu, aut licet sint plura nunc tamen percipiuntur vt vnum, & idem, non autem vt sit principium posterioris, & finis prioris, non videtur factum fuisse tempus vllum, quoniam neque videtur factus motus. Cum autem prius, & posterius in motu cognouerimus, tunc dicimus tempus esse. Est igitur tempus numerus, seu mensura motus, secundum prius, & posterius, non ergo tempus est simpliciter motus, sed aliquid ipsius, prout scilicet motus habet numerum, seu mensuram, quam tempus dicimus esse. Tex. 101

Tempus quid.

Quod autem tempus sit numerus, probatur, nam numerus est, quo cognoscimus aliquid esse plus, vel minus, sed per tempus cognoscimus plurem, vel minorem motum, ergo tempus est numerus; est tamen notandum, quod duplex est numerus, scilicet numerus numeratus, vel numerabilis, & sunt res quæ numerantur, vt homines, leones &c. alius est numerus formalis, quo scilicet res ipsa numeramus, & est ille quãtitas discreta, & abstracta à rebus numeratis, vt numerus denarius, quaternarius, &c. Cũ igitur dicimus tempus esse numerũ, non est intelligẽdum de numero formali, quæ est quantitas discreta (tempus enim est continua) sed de numero numerato, nam ab anima numeratur, & diuiditur, vt videbimus, nec credendum est eundem esse numerum quo numeramus, & qui numeratur, nam alter, vel diuersus est. Tex. 102

Numerus duplex.

Ex dictis sequitur, quod sicut motus est alter, & alter, ita tempus. Tempus autem simul omne idem est, nam ipsum nunc idem omnibus æqualiter correspondet, ac secundum suum esse quidditatiuum est semper idem, licet secundum existentiam sint nunc diuersa; motus vero non sic omnibus idem est, nec totus, vel omnis simul correspondet omnibus rebus, & sic aliquomodo differunt. Sed notandum, quod dum dicitur tempus esse simul omne, non debet intelligi, quod qualibet pars temporis, sit simul cum alia, nam hoc repugnat suæ naturæ, sicut cuilibet successiuo, sed intelligendum est, tempus quod suo modo est, esse totum, eo modo quo est in fieri, simul in omnibus Tex. 103

Nota.

parti-

partibus vniuersi, vt hac bora, est simul hic, & vbique, quod de motu dicere non possumus, vt motus cæli, cuius propriè tempus dicitur mensura, non est hic; Vnde patet quod licet tempus, sit aliquid motus, non tamen est penitus idem; at si instetur: Quæ sunt idem realiter sunt simul eodem modo, ergo tempus, & motus sunt quocunque modo simul. Respondetur, quod realiter sunt in aliquo eodem modo; nam tempus per realem existentiam est in primo mobili, vbi est motus eius: sed per applicationem, vel reduplicationem, potest esse alibi, sed melius in quæstionibus, vnde falsum est, eam quæ sunt idem realiter esse eodem modo simul ab que, si sint formaliter distincta.

CAPVT IV.

Quomodo Nunc se habeat ad Tempus.

Tex. 104 — Nunc mensurat tempus terminatiue.

IPsum autem Nunc mensurat tempus secundum prius, & posterius; non mensura reduplicationis, quia sic dictum est textu 89. ipsum non mensurare tempus, quod enim sic mensurat adæquatur parti, sed tantum mensura terminationis. Quod idem est, ac si diceremus prius, & posterius temporis terminantur à diuersis nunc. Ipsum igitur nunc, est aliquomodo idem, aliquomodo diuersum cum tempore; quatenus in alio tempore est, diuersum est, nam semper est terminus indiuisibilis, tempus verò diuisibile; hoc autem est esse ipsius nunc, quod scilicet sit indiuisibile, & terminus alterius, & alterius partis, ac per consequens alterum, & alterum. Quatenus verò est id quod est, seu quod existit, idem est nunc cum tempore, secundum talem rationem simul in eodem existendi, est etenim vtrunque in eodem subiecto: nam (vt dictum est) motus sequitur magnitudinem, & tempus sequitur motũ, ergo sicut puncta sunt in eadem magnitudine, & in eodem subiecto cum ipsa, & mutata esse cum motu, ita nunc cum tempore; sicut igitur punctum sequitur eam magnitudinem, seu corpus quod fertur, per quod punctum, motum cognoscimus, ac prius, & posterius in ipso motu; prout ad diuersa puncta terminatur, ac secundum quod existit in suo subiecto est idem cum illo, vt cum lapide, vel aliquo huiusmodi, ratione vero est aliud prout, scilicet alia ratione est terminus motus in hoc, quam in illo loco, eo modo quo sophystæ accipiunt Coriscum esse diuersum in Lycæo, à se ipso existente in foro, vnde non est re nec subiecto diuersum, sed prout alibi, & alibi est. Ita ipsum nunc eodem modo, se habet ad tempus, ita vt sicut motus sequitur mobile, & tempus motum, ita nunc tempus, & sicut per mobile cognoscimus prius, & posterius in motu, prout ad diuersa puncta terminatur, sic tempus quatenus numerabile est secundum prius, & posterius ab ipsis nunc terminatur, & per ipsa cognoscitur. Quare in his omnibus id quod est secundum existentiam nunc, est idem cum tempore, ac motu, nam prius, & posterius sequuntur etiam motum ipsum. Et sic reducendo ad caput, nunc est idem subiecto cum tempore, & motu; cum igitur per mobile prout ad diuersa puncta terminatur, cognoscatur motus, & per nunc tempus; quæritur quid sit magis notum, vel nunc, vel mobile. Respondetur mobile esse maximè notum; motus enim vt alteratio, augmentatio, &c. cognoscuntur maximè per id quod talibus motibus mouetur, & similiter latio, vel motus localis cognoscitur per id quod fertur, seu localiter mouetur, vnde ipsum mobile est hoc aliquid, seu substantia sensibilis permanens, ac ferè digito demonstrabilis, motus vero non, sed accidens, & in fieri, ac per consequens non sic notum, ergo multo minus tempus, vel nunc, cum eiusdem, vel proximæ naturæ sint licet in aliquo differant. Est igitur ipsum Nunc aliquomodo idem, aliquomodo non idem, ita vt semper non sit idem Nunc, sed subiecto sit idem in quocunque maneat, sicut id quod fertur est idem subiecto, & re, sed differt secundum diuersa vbi, vel puncta, eo modo, quo dictum est.

Esse ipsius nunc in quo sit.

Mobile est magis notum.

Tex. 105 — Tẽpus non potest esse sine nunc nec nunc sine tempore.

Cum ergo Nunc sit terminus temporis, sequitur quod sic se ad inuicem concomitantur, vt si nunc non sit, nec tempus sit, & si non sit tempus neque nunc. Vt enim simul sunt mobile quod actualiter mouetur, & motus, sic numerus, seu mensura mobilis, & mensura motus: vnde cum tempus sit mensura motus, & nunc sit mensura mobilis (in hac, scilicet ratione, quod ipsum mobile non est successiuum, vnde tempore mensurari non potest, sed suum esse intelligitur in instanti, ideo instans, seu nunc est eius mensura, sibi veluti indiuisibile correspondens, vt vnitas est indiuisibilis in numero) sequitur tempus, & nunc simul esse, & non esse; ac similiter motum, & mobile. Ipsum quoque tempus continuum est per nunc, nam est terminus communis præteriti, & futuri, & similiter per nunc est diuisibile, hoc autem assimilatur continuationi motus, sicut enim motus dicitur continuus, per id quod fertur, prout scilicet secundum idem punctum continuatur pars præcedens, & futura, ita vt debeat esse idem punctum totaliter, non tantum secundum id quod est, seu secundum subiectum, sed simpliciter secundum quamlibet rationem, aliter si esset punctum aliquomodo diuersum, motus deficeret, continuatur igitur motus ab vnitate mobilis hoc modo quo diximus, & similiter hoc mobile disterminat, seu diuidit priorem, & posteriorem partem motus, prout ab eodem puncto potest accipi pars præterita, & futura cum ad ipsum terminentur. Sequitur autem, id quod diximus magis faciliter ad propositum, si declaremus, quomodo nunc continuet, & diuidat tempus per exemplum puncti in linea, absque applicatione ad mobile motus. Vt enim punctum continuat, & diuidit lineam, sic nunc continuat, & diuidit tempus. Punctum igitur est principium vnius partis, & finis alterius, vnde eas copulat, ac eadem ratione ab ipso finem, & principium vtriusque partis sumere possumus, & sic erit diuisio. Sic nunc se habet ad tempus.

Tex. 106

Est tamen differentia inter nunc, & punctum; nam cũ quis accipiat aliquod indiuisibile, ac ipso vtatur vt duobus scilicet bis ipsum demonstrando, vel plures, tunc illud indiuisibile erit permanens, ac necesse est stare, quod idẽ est; licet sit idem indiuisibile principium, & finis, & hoc modo est punctum. Vel (vnico verbo) punctum est permanens, ipsum autem nunc ex eo, quia mobile mouetur, semper alterum, & alterum est, vnde nunquam idem est permanens, nam motus est successiuus, ergo partes eius similiter, & omnibus partibus insunt momenta, ergo ipsa quoque suo modo fluunt, seu non permanent, & idem est de nunc, in tempore; nam (vt sæpè iam dictum est) se cõcomitantur, & in ratione subiecti, partium, & terminorum. Patet ergo punctum esse permanens. Nunc vero nequaquam. Quare tempus est numerus motus secũdum diuersas partes, non sic quod illæ partes possint accipi, & cognosci per vnum nunc, sicut partes lineæ accipiuntur ratione vnius puncti, quia tunc ipsum nunc temporis esset quiescens, & similiter tempus, cognoscitur igitur, tempus

veluti per duo puncta; hoc est per duo nunc inter, quæ medit tempus. Vnde est cognitio, & acceptio ipsius potius, vt duo vltima, seu puncta lineæ, quam vt vnum. Non tamen sic ipsa nunc terminant tempus, veluti partes eius, propter id quod dictum est, scilicet, quia indiuisibile non est pars diuisibilis, & quia si ex ipsis tanquam ex partibus constaret, contingeret vti, seu accipere idem nunc pluries, sicut vna pars cum sit diuisibilis pluries secundum varias particulas accipi potest, & sic accidet quies, nam accepto eodem nunc, nunquam fit successio, sicut accipitur idem medium punctum, sine aliqua successione, non igitur vt pars ipsum nunc terminat tempus.

Tex. 107. *Non ergo ipsa nunc sunt partes temporis, neque diuisio, seu momentum motus (quod vocatur diuisio, prout per ipsum diuisio motus fit, qua ratione sic etiam puncta, & nunc vocari possent) neque puncta lineæ, sed duæ partes vnam efficiunt totalem lineam, & non puncta. Quatenus igitur ipsum nunc est terminus temporis, non dicitur tempus, sed accidens eius. Quatenus verò ipsum tempus numerat modo prædicto, numerus vocari potest. At terminatio cum soli tempori immediatè ab ipso nunc conueniat, solum ipsius terminus est. Termini enim illius solum sunt, cuius sunt termini. Prout verò dicitur numerus, pluribus applicari potest, sicut idem numerus denarius, est equorum horum, ac alijs conuenit etiam, vt hominibus leonibus; sic instans prout numerus est, pluribus rebus conuenit, vt lux sit in instanti, & ista, & illa &c. prout vero terminus solum tempori.*

CAPVT V.

Declarantur aliquæ proprietates temporis, quomodo scilicet sit minimum, vel non velox, & tardum numerus, & numeratum á motu.

Tex. 108. *QVod igitur tempus sit numerus secundum prius, & posterius, ac etiam sit continuum, patet, nam est mensura adæquationis continui, quod esse non posset nisi continuum esset. Vt autem intelligamus quomodo tempus sit numerus; notandum est, quod numerus dicitur dupliciter, scilicet simpliciter, & secundum quid, & sic potest aliquomodo dici, quod est numerus, aliquomodo, quod non est. Dicitur numerus simpliciter, qui potest omnibus rebus ex sua natura applicari, vt dualitas, trinitas; possumus enim dicere duos homines, duos colores. Numerus, vero secundum quid, est qui accipitur secundum determinatam aliquam rem ad placitum, vt linea est numerus hoc modo, quia ad libitum accipitur ad aliquid mensurandum, inter quos est talis differentia, quod in numero simpliciter est assignare minimum vt dualitas, lineæ enim secundum multitudinem, minimum est duo, vel si ad principium vsque numeri deuenire volumus; est vnum. In numero secundum quid minimum assignare non possumus, vt in ipsamet linea secundum magnitudinem considerata, non est quidem minimus numerus, semper enim diuiditur omnis linea. Quare similiter dicendum est de tempore. Minimum enim secundum numerum, est vnum, vel duo, vt vna, vel duæ horæ, secundum magnitudinem non est minimum, cum semper sit diuisibilis, & continua, imò hæc est propria acceptio: prima namque, scilicet quod sit discretum habetur tantum ab anima, quæ ipsum in dies, horas, & annos distinxit.*

Numerus duplex.

Numerus simpliciter quid.

Numerus secundum quidquod.

Cum igitur diuersa ratione tempus possit dici continuũ, & discretum, habebit etiam secundum duo prædicta epitheta duas diuersas proprietates, vnde dicitur multum, & paucum, prout numerus, vel quid discretum est. Prout est continuum, dicitur longum, & breue, nam illæ numeri, istæ verò quantitatis continuæ, sunt proprietates, propter quid autem velox, & tardum non dicatur, nec sit, ideo est, quia numerus quo aliquid numeramus, non dicitur velox, neque tardus. Tex. 109.

Alia proprietas temporis est quod in ratione præsentialitatis idem vbique simul est, vt hæc hora est in qualibet parte vniuersi, prout vero accipiuntur partes eius realiter, nempè prout sunt in proprio subiecto, (est enim accidens quod sine subiecto esse non potest) sic non est idem vbique, sed in proprio subiecto, scilicet in primo mobili loquendo de tempore communi, nec partes eius sunt simul, quia vna est prior, alia posterior, at prius, & posterius non idem est, sicut neque mutatio prior, & posterior, nam mutatio præsens quidem vna est, facta vero, & futura altera. Tempus autem non est numerus quo numeramus, sed qui numeratur; huic verò tempori sic numerato, cum sit entitas successiua, conuenit semper esse alterum, & alterum secundũ diuersa, seu altera Nunc, quæ ipsum mensurant. Non sic accideret numero quo numeramus, nam ipse potest idem pluries, & infinities accipi, absque tali variatione. Vnde est vnus, & idem numerus formalis, seu quo numeramus, idem enim est centum equorum, & centum hominum. Sed non sic est de numero numerato; illa enim quorum est numerus formalis, altera, seu diuersa sunt, vt equi ab hominibus. Tex. 110

Sequitur etiam ex prædictis alia proprietas, non tamen temporis solius, sed etiam motus, vnde potius potest appellari communitas, & est ista, quod sicut motus potest vnus, & idem specie secundum eundem ordinem reuerti; sic etiam tempus, vt namque reuertitur motus circularis cæli, ab eodem in eundem terminum, ita pariter tempus, & sic reuertitur annus, ver, autumnus, & ratio talis mutuæ iterationis est concomitantia reciproca vtriusque. Quod debet intelligi de tempore communi, de quo etiam ferè tota hæc doctrina procedit. Duplex namque est tempus, commune omnibus, & proprium vniuscuiusque; commune est mensura motus primi mobilis, hoc namque omnibus applicatur, & per ipsum distinguuntur dies, horæ, anni, noctes, &c. proprium vero est duratio cuiusque motus particularis. Vt duratio talis cursus, actionis, &c. Tex. 111.

Tempus duplex.

Est tamen obseruandum, quod licet tempus sit numerus motus, tamen potest etiam esse è conuersò, nempè quod motus sit mensura, vel numerus temporis, sed tempus per se, & ex natura rei est motus mensura, motus verò quod ad nos, & per accidens, aliter idem esset notius, & ignotius sub eadem ratione, nam mensura est notior mensurato per se, sed per accidens potest esse è contra. Non solum igitur motum tempore metimur; sed & motu tempus, propterea quod à se inuicem definiuntur, seu determinantur, nam mensura sicut terminat, ita terminatur à mensurato, præcipuè si sit mensura adæquationis, sicut est tempus respectu motus; tẽpus igitur determinat motũ; cum sit numerus ipsius, & motus determinat tẽpus, modo prædicto; Vnde sicut dicimus multum vel paucũ motum, propter tempus, ita etiam dicimus multum vel paucũ tempus propter motum. Eo modo quo per numerum dicimus multas vel paucas res numerabiles, & per res numerabiles, paucum, vel multũ numerum, & eodẽ modo sicut numerus res mensuratas numerat, & è conuerso, sic in motu, & tempore, vt vno equo cognito, & iterum Tex. 112.

rum alio, & alio, cognoscimus numerum denarium equorum, numeratis enim equis remanet nobis cognitio de tali numero, prout numerus est, etiam abstrahendo ab equis, & sic per numerabile, numerum cognoscimus; è contra quoque per numerum cognoscimus res numeratas, vt in vno equo, & alio numerato, sciendo antea differentiam numeri, cognoscimus illos equos distinctè esse decem; nisi enim quis numerum formalem distinctè cognosceret, non perfectè sciret numerum equorum, sed multitudinem quandam confusam. Similiter autem, & in tempore, & motu, tempore enim motum; motu autem tempore mensuramus.

Tex. 113 Et hoc rationabiliter accidit. Nam sicut motus sequitur magnitudinem, ita tempus sequitur motum, ergo sicut motus dicitur quãtus, continuus, vel discretus propter magnitudinẽ, & è conuerso, ita tempus reciprocari debet cum motu, quod verò mensuremus motum, magnitudine, et magnitudinem motu, patet ex communi modo loquendi: dicimus enim multam esse viam, seu magnitudinem si ambulatio, seu motus sit multus, & hanc, scilicet ambulationem, vel motum multum dicimus, si multa sit via, vel magnitudo. Similiter dicimus multum tempus si motus sit multus, & motum multum, si tempus sic sit.

CAPVT VI.

Quid sit esse in tempore. Quę sint ea, quæ sunt in tempore, & quæ non, tempusque vt motum ita quietem mensurare.

Tex. 114 QVoniam autem tempus est mensura tam motus in vniuersali, quam ipsius actualiter moueri, cum vtrique necessariò conueniat; non enim aliquis motus nec in abstracto, nec in concreto potest perfectè intelligi, nisi duratio eius secundum prius, & posterius percipiatur, & hoc est tempus; omnis igitur motus omneque moueri tempore mensuratur. Attamen ipsum tempus mensurat motum determinando quandam partem ipsius, qua vti possumus ad alium motum mensurandum. Eo modo quo cubitus mensurat longitudinem; determinat namque vnam ipsius longitudinis partem sibi adæquatè respondentem, quæ etiam sit cubitalis, quam ad reliquam longitudinem mensurandam accipere possumus relicta prima mensura, seu cubito. Sic quoque tempus, vna namque accepta hora, videbimus Cęlum tantum transijsse spatij, quo spatio accepto, & cum alio comparato, relicto tempore, etiam reliquum spatium, ac motum per illum factum comprehendemus, quod valet de motu regulari, in alijs fallit, sed quia (vt dictum est,) hic propriè loquimur de tempore communi, quod est mensura motus cęli, qui vel maximè, vel solus est regularis; ideò simpliciter loqui possumus. Vnde motum esse in tempore est mensurari à tempore, & ipsum & esse ipsius, quia ipsum tempus simul motum, ac esse, seu quidditatem eius mensurat; vel per motum intelligamus ipsum in abstracto, seu prout est communis omnibus, ac definibilis, per esse intelligamus suam actualem, ac fluxibilem existentiam; quomodocunque tamen accipiatur, hoc est ipsi motui esse in tempore, à tempore mensurari.

Tex. 115 Manifestum est ergo, quod alia in tempore esse dicuntur, quia esse ipsorum à tempore mensuratur; nam eo modo quo aliquid principale dicitur esse in tempore, sicut est motus, sic debent esse minus principalia, omnia verò alia quoad esse in tempore sunt minus principalia motu; nam ideò in tempore sunt, quia motui subiacent. Quod verò esse in tempore sit à tempore mensurari, probatur adhuc. Nam esse in tempore, est vnum duorum, scilicet esse quando tempus est, vel esse partes temporis, aut aliquid ipsius, eo modo quo dicimus aliquid esse in numero, quia est aliquid eius, nempè vel pars, vt dualitas, trinitas, &c. vel passio, vt impar, vel par, & omnino quod numeri aliquid sit, puta vel esse, aut existentia eius. Quoniam autem tempus numerus est, ea, quæ sunt partes, vel passiones, vel aliquid temporis, vt prius, & posterius, &c. sic sunt in tempore, vt ea, quæ sunt numeri in numero; nam sicut illa sunt aliquid numeri, sic ista aliquid temporis. Res verò non sunt partes, nec passiones, nec aliquid temporis, ergo hoc modo in tempore non sunt. Imo sic in ipso sunt, sicut in numero, at non sunt partes numeri, sed ab ipso continentur, sicut ea, quæ sunt in loco continentur à loco. Non igitur motus, nec aliæ res, quæ dicuntur esse in tempore sunt in illo, vt partes, vel aliquid eius.

Tex. 116 Quod verò esse in tempore non sit esse quando tempus est, manifestum est, quia sicut aliquid non ideò dicitur esse in loco, vel in motu, quia est quando est locus, vel motus, ita aliquid non debet dici esse in tempore, quia est, quando tempus est. Si enim esse in alio nihil aliud significaret, nisi quod si vnum est, aliud tunc quoque sit, quodlibet esset in quolibet, & cęlum in grano milij, nam quando milium est, cælum est, non ergo sic aliquid in aliquo dicitur esse, imò hoc accidit, scilicet, quod posito vno, sit aliud in his, quæ dicunt tantum coexistentiam, vt dictum est de cęlo, & grano milij, sed in ijs, quæ in tempore, & motu sunt, necessarium est, quod vnum ex alio sequatur, vt si res est in tempore, tempus est; si in motu, vel loco, motus, vel locus est, vnde patet differentia inter vtrumque modum essendi in alio.

Esse in tempore nõ est quando tẽpus est.

Tex. 117 Quoniam autem esse in tempore est, sicut esse in numero, vt dictum est, ideò sicut in numero accipitur aliquid excedens rem numeratam, nempè numerus maior, vt super numerum quaternarium elementorum, accipitur numerus senarius, septenarius, &c. ita in ijs, quæ in tempore sunt accipitur aliquod tempus, quod esse ipsorum excedat, vt super esse, seu vitam alicuius hominis, quæ sit v. g. septuaginta annorum, aliud tempus accipi potest, & à parte ante, & post; quapropter necesse est omnia, quæ sunt in tempore, contineri à tempore, sicut quæ sunt in loco à loco; quod enim excedit etiam continet. Sed dubium est, secundum quem modum essendi in res dicantur esse in tempore, cum ad nullum pertinere videatur. Respondetur secundum nullum verè esse, cum ipsum tempus potius sit in alio, sicut accidens in subiecto, & res in ipso per quandam applicationem, qui non facit verum modum essendi in, vel fortè posset reduci ad modum essendi in loco, quia magnitudo, motus, & tempus se consequuntur, vnde sicut omnia sunt in cęlo, vt in loco, ita per accidens in accidentibus cęli, quæ accidentia ad propositum sunt motus, & tempus; at per accidens reducitur ad per se. Sequitur etiam ex prædictis, quod pati aliquid à tempore dicatur, sicut dicere consueuimus, quod tabefacit tempus, & senescunt omnia tempore, & obliuiscuntur propter tempus, sed non didicit, nec nouum factum est, nec pulchrum à tempore, vnde magis est per se causa corruptionis, quam generationis; ratio verò est, quia (vt diximus) tempus est numerus motus, ac ipsum comitatur, ideò quod motui conuenit tempori tribuimus, at motus expellit à proprio termino id quod inest, & ad corruptionem adducit, vt continua alteratio hominis denique ad corruptionem ipsum perducit, & sic de alijs. Quare manifestum est, quod

Tempus est per se magis causa corruptionis.

ea, quæ

Res æternæ non sunt in tempore.

Quomodo tempus est causa corruptionis.

ea, quæ semper sunt, vt Deus intelligentiæ, cęlum, & alia, provt semper sunt, non sunt in tempore, non enim continentur à tempore, nec ab ipso mensurantur secundum esse ipsorum, nam excederentur etiam, vt dictum est. Quod verò in tempore non sint patet, quia nihil à tempore patiuntur, hoc est neque senescunt, neque tabescunt; si enim existerent in tempore, tabescerent. & corrumperentur, cum tempus sit per se magis causa corruptionis, quam generationis, vel conseruationis. Non tamen sic dicitur per se causa corruptionis ipsum tempus, quod re vera agat, seu corrumpat, hoc namque est impossibile, cum sit quædam duratio, quæ aliquam actiuitatem non habet. Sed dicitur per se causa per quandam attributionem, quia dum causam physicam agentem ad corruptionem non perspicimus, dicimus hoc fuisse à tempore, vt in antiquis ædificijs, & alijs, in quibus causa per se sunt contrariæ qualitates, seu potius agentia contraria, vt aer, aqua, &c. & quia agunt per motum, qui potest dici per se agens, sed instrumentale, quem concomitatur tempus, ideò hoc tempori tribuimus: qua de causa consultò ponitur, nos dicere consueuimus tempus tabescere, quasi hic modus sit potius à consuetudine loquendi, quam in veritate, est igitur causa per accidens tempus, tam corruptionis, quam generationis, provt cum causa per se est coniunctum, quod verò sit causa per accidens habebitur expressè textu 128. huius libri, & sic per attributionem, & famositatem dicitur per se causa, sed in veritate per accidens.

Tex. 118 *Quoniam autem tempus est mensura motus per se, erit etiam quietis per accidens, hoc est ipsa quies non formaliter secundum suas partes à tempore mensuratur, cum nihil sit, nec partes habeat, sed per comparationem ad motum; dicimus enim aliquod corpus tanto tempore quiescere, quanto durat motus cęli, qui tali quieti respondet, non quod ibi sit positiua duratio quietis: sic igitur omnis quies in tempore est. At si quis dicat, sicut omne, quod est in motu oportet moueri, ita omne quod est in tempore, quia tempus, & motus se concomitantur, & sic si quies est in tempore corpus quiescens moueretur. Respondetur, consequentiam non esse bonam, quia etsi motus, & tempus se concomitentur, non tamen sunt formaliter idem, ideò potest vnum accommodari alicui sine altero: non igitur tempus est motus, sed numerus eius, at in tali numero potest esse motus & quies. Est tamen obseruandum, quod non omne immobile quiescit, quia sic Deus, & Intelligentiæ, quæ sunt immobiles quiescerent, & per consequens mensurarentur à tempore saltem per accidens, quod est contra prædicta. Dicitur igitur illud tantum quiescere, quod est priuatum motu, sed aptum moueri ex sua natura, vt dictum est in prioribus textu 16. libri tertij, priuatio namque est negatio formæ cum aptitudine ad ipsam. Cùm igitur esse in numero sit, quod detur numerus aliquis alicuius rei, & res ipsa à tali numero mensuretur, similiter esse in tempore est mensurari à tempore. Sed quod mouetur, & quiescit in tempore sunt, (vt diximus) ergo à tempore mensurantur; nam ipsum tempus mensurat motum, & quietem, provt quanta quædam & determinata sunt proportionaliter, nam motus est quantus per se, quies per accidens in ordine, scilicet ad motum, ergo ipsum quiescēs, & motum etiam tempore mensurabuntur, non principaliter, sed secundariò, quod enim accidenti alicuius subiecti conuenit, etiam tali subiecto accidentaliter tribuitur, vt albedini conuenit disgregare visum, ergo etiam rei albæ, si proportionaliter, & non sophysticè applicentur.*

Tempus est mensura quietis per accidens.

Quæ dicantur quiescere.

Tex. 119 *Quare quod mouetur non simpliciter, & per se immediatè à tempore mensurabile erit; sed per accidens (vt diximus,) provt motus eius est quantus, & à tempore mensuratur; imò nec mensuratur, vt quantum quid est, sed tantum provt motus ipsius est quantvs, & successiuus, quia non ponitur tempus, mensura quantitatis in communi, sed motus. Quare quæ neque mouentur, neque quiescunt, non sunt in tempore, nam esse in tempore est à tempore mensurari, sed tempus non est mensura, nisi motus, & quietis; hæc autem quæ neq; mouentur, neq; quiescunt, sunt Deus, & Intelligentiæ.*

Tempus est mensura motus, & quietis.

Tex. 120 *Manifestum igitur est ex dictis, quod neque omne, quod non est erit in tēpore, & hæc sunt illa, quæ nullo modo possunt esse in natura, vt hyrcocervus, vel quæ non possunt esse vera, ut ista propositio diameter est commensurabilis lateri, non quoad propositionem; nam potest proferri, sed quoad significatum, hoc est nunquam diameter est lateri commensurabilis, vel æqualis. Est autem diameter lōgior linea, quæ possit duci de vno ad aliud extremum cuiuscunque spatij, vel corporis, at si ducatur in quadrato, cuius partes dicuntur latera, nunquam erit lateri æqualis, vt quilibet faciliter percipere potest. Cur verò hæc in tempore non sint, ideò est, quia tempus est mensura motus, & quietis, vel eius, quod mouetur, & eius, quod quiescit, sed talia entia chymerica, vel falsa, nec quiescere, nec moueri possunt, cum nihil sint, ergo in tempore non sunt. Quæcunque igitur corruptibilia, & generabilia sunt, & omnino, quæ aliquando quidem sunt, aliquando verò non, necesse est in tempore esse, (scilicet per accidens eo modo quo supra diximus) nam totum tempus est quoddam maius, seu maioris durationis, quod excedet esse ipsorum, ac etiam ipsum tempus, quod mensurat substantiam ipsorum, adæquatè, nempè proprium tempus, & durationem ipsorum. Sed est notandum, quod eorum, quæ non sunt, & dicuntur à tempore contineri; quædam sunt præterita, ita vt aliquando erant, vt Homerus; alia verò sunt futura, quæ verò ad vtramque partem continet tempus, sicut sunt ea, quæ fuerunt, & erunt, vt res præsentes corruptibiles, quæ aliquo tempore durauerunt, & durabunt, ea inquam ex futuro, & præterito continet. Quæ verò nullo modo continet, vel æterna sunt, vel neque fuerunt, neque sunt, nec erunt. Hæc autem sunt omnia qua non sunt, quorum opposita semper sunt, sicut hæc veritas semper est, diameter est incommensurabilis lateri; opposita verò ipsi est ista, diameter est commensurabilis lateri, illa igitur semper est, hæc verò nunquam est, neutra tamen est in tempore. Vnde quæcunq; sic contrariantur, vt vnum eorum semper sit, aliud nunquam sit, hæc in tempore non sunt. Quorum autem contrarium non semper est, nec semper non est, hæc in tēpore sunt, & hæc sunt illa quorum est generatio, & corruptio, vt hic homo, nec semper est, nec semper non est. Generabilia igitur, & corruptibilia solum in tempore sunt.*

Quæ non sunt, & quæ impossibilia sunt, vt existant nō sunt in tempore.

Diameter quid.

C A P V T VII.

Quomodo nunc continuat tempus. De alia acceptione ipsius nunc, & declaratio aliquorum, quę ad tempus pertinent; hæc autem sunt. Aliquando, Iam, Nuper, Quondam, Repente, & Quod tempus magis est causa corruptionis, quam generationis.

Ipsum autem Nunc continuat tempus, sicut dictum est, scilicet præteritum cum futuro, & omnino terminus temporis est, eadem ratione, quia scilicet terminat præteritum, Tex. 121

teritum, & futurum tempus, est enim huius quidem principium, illius autem finis. Sed hoc non accidit, vt in puncto manente; nam ipsum Nunc non est permanens, vnde tantum semel vnum accipere possumus, vt dictum est. Non solum autem est terminus, sed etiam est quo ipsum tempus diuidi potest, nam sicut terminat præteritum, & futurum, ita vt sit finis illius, & principium huius, ita quoque est ratio diuidendi: nam ab ipso potest sumi principium duarum partium, & secundum talem considerationem, potest dici alterum, seu habere rationem diuersam, principij scilicet, & finis. Sed quatenus copulat, vnam tantum habet rationem, & vnum dici potest, & idem; ratio talis vnitatis est, esse terminus communis partium. Quod verò hoc, quod diximus sit verum, declaratur à simili in Mathematicis lineis, in ipsis namque si consideremus punctum prout est ratio diuidendi, non videtur habere rationem vnius, sed duorum, scilicet principij, & finis. Sed quatenus est vnà, seu copulatiuum simul partium, vnum tantum videtur. Sic & ipsum nunc, aliud namque dicitur secundum quod est in potentia, vt per ipsum tempus diuidatur, aliud verò prout est terminus & vnio partium. Primò etenim modo, duas induitur rationes, scilicet principij, & finis. Secundò verò, termini tantum, tamen si realiter loquamur diuisio, & vnio sunt idem nunc, & punctum, etsi secundum esse rationis diuersa videantur.

Tex. 122 Nunc alio modo quid fit. *Ipsum igitur Nunc vno modo sic dicitur, vt declaratum est. Aliud autem nunc est, seu alio modo dicitur de tempore, quod est propè tempus huius Nunc præsentis indiuisibilis, siue se teneat ex parte temporis præteriti, siue futuri, vt dicimus nunc veniet, quia hodie veniet, & nunc venit, quia hodie venit. Quæ verò in Ilio gesta fuerunt, non dicuntur nunc, neque diluuium fuit nunc, licet tempus in quo facta fuerunt, sit continuatum per diuersa Nunc vsque ad præsens, sed quia non sunt propè hoc.*

Tex. 123 Aliquando quid. *Ipsum autem Aliquando est tempus determinatum ex hoc Nunc præsenti ad prius & posterius nunc, seu ad nunc præteritum, & futurum, vt aliquando capta est Troia, & aliquando erit diluuium; oportet enim ipsum Aliquando terminari ad ipsum Nunc præteritum, vel futurum, ex præsenti nunc, erit ergo quantum aliquod vel determinatum tempus ex nunc præsenti, ad præteritum, vel futurum ipsum Aliquando. Differt autem à Nunc supradicto, prout non dicit sic propinquitatem ad tempus, seu nunc præsens.*

Tex. 124 *At circa prædicta est curiosa dubitatio, dictũ est enim; Aliquando dicere tempus determinatum ex præsenti Nũc ad præteritum, vel futurum; sed cum nullum sit tempus in quo non sit aliquando, omne tempus erit terminatum, & finitum, quod absurdum est, cum tempus careat principio, atque fine. Deficiet ne tempus vel non? impossibile est enim deficere, cum sit mensura motus cæli, qui sempiternus est. An sit aliud & aliud tẽpus, vel semper idem? quomodocunque verò ponatur, si detur Aliquando, tempus erit determinatum, & non infinitum. Respondetur, quod sicut motus cæli est infinitus, sic etiam est infinitum tempus, & sicut est infinitum tempus, sic quoque sunt infinita Aliquando. Vnde si ponatur vnum, & idem aliquando in toto tempore, hoc debet poni infinitum sicut tempus, si verò non ponatur vnum, non erit infinitum, tamen debent infinita numero poni, & sic nullo modo tempus erit finitum, vt assumebat argumentum. Pro cuius maiori intelligentia est notandum, quomodo tempus dicatur infinitum.*

Tex. 125 *Quoniam igitur ipsum Nunc, est finis & principium temporis, sed non eiusdem, sed præteriti quidem finis, principium autem futuri, eo modo quo circulus est ex eadem parte conuexus, & concauus, etsi diuersa respiciat, alia scilicet ex conuexo, alia ex concauo, sic tempus semper in principio, & fine erit, & sic etiam semper videtur alterum, & alterum, quia non eiusdem temporis ipsum Nunc est principium, & finis, sed alterius, vt dictum est; si enim eiusdem principium, & finis esset, tunc opposita esset simul, quia idem esset principium, & finis, & per consequens principium, & non principium, quod est absurdum; sed respectu diuersorum nihil mali sequitur. Cùm igitur tempus terminetur, et continuetur per ipsa Nunc, quæ nunquam sunt finis tantum, sed etiam principium, sequitur, quod ipsum tempus, nunquam erit in fine, quin sit etiam in principio alterius partis, & sic infinitum.*

Ipsum autẽ Iam est tempus propinquum præsenti Nunc indiuisibili, siue ex parte temporis præteriti, siue futuri, vt quando ambulabis? Respondebis, iam, si propè sit tempus futurum, in quo ambulabis, & ex parte præteriti, etiam Iam dicitur, si non sit procul à præsenti Nunc indiuisibili, vt quando ambulasti? iam, si propè sit, vt dictum est. Ilion autem captum iam, non dicimus, quia procul valde est ab ipso Nunc præsenti indiuisibili. Sed videret, quod Iam, non differat à Nunc secundo modo dicto in tex. 122. Respondetur, quod differunt in hoc, quod Nunc est proximius Nunc alteri indiuisibili præsenti, tam ex parte præteriti, quam futuri; Iam verò etsi sit proximum, ex vtraque parte, non tamen tam. Tex. 126 Iam quid fit. In quo differat iam à nunc.

Ipsum autem nuper est tempus propinquum præsenti nunc, sed se tenet tantum ex parte præteriti, vt quando venisti? Nuper, si sit tempus præteritum propinquum præsenti. Quondam est tempus præteritum procul à præsenti, vt quondam capta fuit Troia. Repente autem est, quod propter paruitatem insensibile videtur, seu, est tempus, sic paruum, vt remotum, seu res mota in eo, videatur in tempore imperceptibili mota, vt corruscatio. Postquam de tempore secundũ se determinauimus, nunc de ipso agendum est in ordine ad ea, quæ à tempore continentur, & præcipuè quoad ordinem quem habet ad motum, cuius est mensura. Tex. 127 Nuper quid fit. Quondam quid. Repente quid.

Mutatio igitur omnis ex sua natura remotiua est à proprio termino à quo; omnis verò mutatio in tempore est, & sic omnia fiunt, & corrumpuntur in tempore, ac ipsi tempori (vt etiam supra dictum est in textu 117.) causam corruptionis tribuimus, quinimò, cum etiam in ipso sint generationes, etiam causa generationis posset vocari. Quapropter secundum varias considerationes, varias est sortitum denominationes, alij namque dicebant ipsum sapientissimum, prout longo tempore sapientia acquiritur. Paro verò Pythagoreus vocabat ipsum indoctissimum, quia homines tempore obliuiscuntur, potius quam discant, & in hoc rectius dixit. Manifestum est ergo, quod est magis causa per se corruptionis, quam generationis, sicut dictum est prius; nam mutatio per se est remotiua, vt etiam diximus, & sic per se tribuitur ei causa corruptionis, generationis verò per accidens. Signum autem sufficiens huius est, quia nihil fit quidem, nisi passum realiter disponatur, & nisi sit determinatum agens, quod efficiat; corrumpitur autem etiam, cum nihil realiter ab aliquo determinato agente moueatur, vnde à tempore solum fieri videtur, & sic corruptionem à tempore esse, dicere consueuimus, sed re vera neque corruptio, neque generatio, nec mutatio aliqua à tempore fit, nisi per accidens, prout tempus est duratio, in qua generationes omnes, & mutationes fiunt. At cum ita sit, cur magis tempus dicitur causa corruptionis, quàm generationis? respondetur, quod Tex. 128 Quare tempus magis dicatur causa per se corruptionis, quam generationis.

ad

ad generationem plura requiruntur, nam difficilius est construere, quam destruere, quæ debent esse determinata, & sensibilia, vt patet discurrenti per singula, vnde cum proprium agens determinatum habeamus, frustra tribuimus hanc actionem alteri, & maximè non agenti, vt est tempus. Ad corruptionem verò non tot requiruntur, vel non patent, ideò cum non habeamus corrumpens determinatum, hanc tribuimus temporis, vt doctrina manifestè acquiritur ab intellectu, & memoria operantibus, frustra igitur tribueretur tempori. Obliuio verò cuius causa est multis, & ferè omnibus incognita, tempori tribuitur, vnde indoctissimum potius, quam sapientissimum vocatur. Quod igitur tempus est, & quid est, & quot modis dicimus ipsum Nunc, & quid ipsum Aliquando, & Nuper, & Iam, & Quondam, & Repentè dictum est.

CAPVT VIII.

Omnis mutatio est in tempore.

Tex. 129 *His autem prædictis sic determinatis, manifestum est, quod omnis mutatio, ac ipsum quod mouetur localiter, necesse est in tempore esse, ac in tempore moueri. Probatur, omne velocius, & tardius est in tempore; sed omnis mutatio est velocior, vel tardior, ergo omnis mutatio est in tempore. Probatur maior. Nam velocius est, quod prius dum mouetur peruenit ad idem subiectum, seu terminum, quam aliud (si per idem spatium, & eadem specie motus moueatur cum alio, non enim oportet, vt vnum simul calefiat, quod est moueri motu alterationis, & aliud currat. Sed si fit comparatio in latione, seu motu locali debent ambo moueri motu recto, vel circulari. Similiter in alijs motibus, vt in alteratione ambo calefieri, vel frigefieri, &c.) Cum igitur velocius sit, quod prius mouetur, & prius est in tempore, sicut etiam posterius, quod conuenit tardiori; sequitur, quod velocius, & tardius in tempore sint. Quod verò prius, & posterius sint in tempore, probatur. Nam dicuntur secundum variam distantiam ad nunc præsens, vt prius fuit capta Troia, quam Roma ædificata, &c. at nunc est in tempore, sicut terminus, ergo prius, & posterius in tempore sunt. Epilogando igitur, omnis mutatio est in tempore, quia potest esse velox, & tarda, quæ includunt prius, & posterius, & ipsa includunt, nunc, & nunc tempus. Ergo de primo ad vltimum omnis mutatio est in tempore. Quod verò omnis mutatio sit velocior, vel tardior alia, clarum est, & si quam habet obscuritatem, declarabimus in 5. Physicorum. Quid sit tardius non dicitur, quia satis cognoscitur ex definitione velocioris, oppositorum namque est eadem disciplina. Sed notandum est, quod prius, & posterius in tempore, (de quibus fecimus mentionem in definitione velocioris, & alibi) alio modo, & contrario se habent ex parte temporis, præteriti, & tẽporis futuri. In præterito enim prius dicimus, quod longius est ab ipso Nunc præsenti, posterius autem quod propius, vt prius fuit bellum Troianum, posterius Roma, in futuro autem è contra, prius dicitur, quod est propinquius Nunc præsenti, posterius, quod est remotius, vt si quis loquatur de mane, dicet prius erit meridies, quam vesperæ. Cum autem omne prius sit in tempore, sicut etiam posterius, & in quodlibet motu sit prius, & posterius, quilibet erit in tempore, & sic omnis mutatio, & omnis motus in tempore est. Quomodo vero mutatio instantanea sit in tempore, videbitur in sequentibus, & similiter de eius velocitate, & tarditate.*

Omne velocius, & tardius est in tempore. Quid velocius.

Quid prius, & posterius in præterito, & futuro.

CAPVT IX.

Adducuntur quædam dubitationes de tempore, & soluuntur.

Dignum autem est consideratione, quomodo tempus se habeat ad animam; hoc est, an tempus sit ab anima, vel absque ea esse possit. Secunda dubitatio. Propter quod in omnibus videtur esse tempus, & in terra, & in mari, & in cælo. Respondetur ad secundam dubitationem; ideò tempus esse vbique, quia est passio quædam, vel accidens, seu habitus motus cum sit numerus eius, at omnia sunt mobilia cum sint in loco, ergo sicut omnibus conuenit motus vel in actu, vel in potentia, sic conuenit esse in tempore vel in actu, vel in potentia, nam tempus, & motus simul, & secundum potentiam, & secundum actum sunt. Vnde quæ actualiter mouentur, sunt actualiter in tempore, & per se: quæ verò quiescunt, sunt tantum in potentia, & per accidens. Conuenit igitur tempus omnibus, quæ sub cælo sunt, ac ipsi quoque cælo, sed ordine quodam; nam primò, & per se, seu adæquatè conuenit motui cælesti meritò, cuius tempus vocatur passio; secundariò verò conuenit motibus istorum inferiorum, respectu quorum dicitur habitus vel accidens, quia non sic primò, & adæquatè eis conuenit, sed secundariò, & vt accidens; tamen non dicuntur per tempus accidentaliter mensurari, prout mensurantur verè à tempore positiuo, & non per aliud, seu per comparationem, vt mensuratur quies; vnde ly per se debet accipi, prout opponitur ei, quod est per aliud, & non ei, quod est per accidens, cum tempus sit quidem accidens ipsis. Tertiò denique conuenit quieti, ac corporibus quiescentibus, sed hoc est purè per accidens, prout opponitur ad per se, & ad per aliud; nam per se non illis conuenit, cum sit accidens, sed bene per accidens, seu accidentaliter, ac etiam per aliud, scilicet per motum eodem quoque modo subiecta corpora motui, sunt in tempore, scilicet per accidens, prout opponitur ad per se, & per aliud. Tex. 130

Modo primam dubitationem soluamus. Dubitauerit namque aliquis, vtrum cum non sit anima, erit tempus, vel non. Respondetur non esse formaliter tempus, prout scilicet est actualiter distinctum in dies, horas, annos, &c. quia sic est formaliter numerus actualiter numeratus, sed si impossibile ponatur esse, quod sit aliquid numeraturum, vel numerans, impossibile quoque erit, quod sit res numerata, vel actualiter numerabilis, hoc est de proximo reducibilis ad actum numerationis. Sed numerans, vel numeraturum nihil aliud est, nisi anima, vel anima intellectus, (quia non omnis anima, sed solum intellectiua numerat) ergo si ipsa non esset, tempus actualiter sic distinctum, vt dictum est, non esset. Si igitur anima non esset, nec tempus esset, nisi hoc, quod tempus aliquando existat sine tali distinctione, eo modo quo contingit motus esse sine anima; nam prius, & posterius in motu sunt. Tempus autem hac (scilicet prius, & posterius) est, prout numerabile ab anima est, & sic sine anima, tempus esset indistinctum, tamen re vera duratio quædam successiua, & motui cæli respondens. Quis namque negaret, motum cæli durare sicut modo, etiam nulla data anima intellectiua? proculdubio nemo. Tertia dubitatio. Tex. 131

Dubitauerit autem aliquis, & qualis motus numerus tempus sit. An qualiscunque, vel vnius tantum. Respondetur, esse numerum omnium: etenim generatur, & corrumpitur, Tex. 132

rumpitur, augmentatur, alteratur, ac localiter quoque in tempore fertur. Quatenus igitur vnaquæque species prædictorum est motus, eatenus tempus est numerus vniuscuiusque. Quapropter ipsum tempus est simpliciter numerus motus, prout est continuus, sed non cuiusdam particularis tantum, sed euenit, quod nunc aliquid motum sit, & simul aliquid aliud, & aliud, quorum omnium motuum, tempus erit numerus: Sed contra hoc est instantia, an scilicet illorum motuum sit aliud, & aliud tempus, an vnum tantum, si aliud, & aliud, ergo duo, vel plura tempora æqualia simul erunt, quod est absurdum, eo modo quo probauimus contra Antiquos in textu 93. si dicatur, tempus esse vnum tantum, hoc quoque est falsum; nam vnusquisque motus propriam debet habere mensuram. Respondetur, quod omne tempus particulare, habet vnum similiter vniuersale, & simul multa particularia sunt, ea verò non sunt simul, quæ specie differunt, vt tempus præteritum, & futurum (quæ tamen nec simpliciter specie differre credendum est, cum vnum tempus constituant, sed in ratione præteriti, & futuri, specie supple accidentali differunt) possunt igitur plura, & multa tempora particularia simul esse in vno tempore vniuersali, quod est mensura motus primi mobilis, & ab ipso motus plures particulares numerari possunt. Vt vnus numerus pluribus rebus numeratis aptatur. Sicut septenario, & equos, & canes, numeramus. Ergo similiter plurium motuum simul terminatorum, idem erit commune tempus, & si alter istorum motuum sit velox, alter tardus; alter alteratio, alter augmentatio, vel diminutio; tamen idem erit tempus, si quidem æqualis sit numerus alterationis, augmentationis, &c. prout in hoc conueniunt, quod sint continui. Sed si quis diceret, non posse esse idē tēpus, motus velocioris, & tardioris; nam velocius dicitur, quod in minori tempore transit æquale, vel maius spatium, vt habetur in 6. Physicorum tex. 11. Respondetur, quod velocius potest in eodem tempore transire maius spatium, quam tardius, & tunc isti motus eodem tempore mensurantur, sed spatio diuerso, quando verò accipitur, in minori tempore maius, vel æquale spatium, tunc non eodem tempore, nisi vniuersali mensurantur, vt probat argumentum. Cùm ergo sicut vnus & idem numerus potest pluribus numeratis applicari, sic etiam tempus: non inconuenit, quod motus sint alteri, & seorsum, tempus verò sit idem, & vbique, quia vt sæpe diximus, numerus vnus est idem, & vbique, qui scilicet est æqualium numeratorum. Sed est notandum, quod tam tempus, quam numerus, si accipiantur, prout sunt quædam accidentia realia absoluta, sic non sunt in pluribus; nam res singularis, siue sit substantia, siue accidens in pluribus esse non potest, est igitur hoc modo in proprio subiecto tantum, vt tempus, scilicet commune in primo mobili, numerus in re numerata; particulare verò in particulari, vt vnitas Platonis est tantum in ipso, & plures vnitates in pluribus subiectis. Si verò in abstracto, & per quandam animæ applicationem tempus, & numerus considerentur, sic in pluribus sunt, vt dictum est. An verò hoc modo sint quid reale, tempus, & numerus, dicemus in quæstionibus.

Tēpus præteritum, & futurū specie accidētali differunt. nō ut tem essentiali.

Tex. 133 Quoniam autem sæpe dictum est, tempora, & motus particulares, mensurari à tempore communi, nunc videndum est, quale nam sit hoc tempus commune, & quomodo alia mensuret. Pro cuius intelligentia est notandum, Quod latio est motus localis, qui in plures diuiditur, nam alter est motus rectus, alter verò circularis. Secundò notandum, quod omne quod numeratur maximè, seu facilius numeratur ab vno sibi cognato, seu simile in specie, vt vnitates ab vnitate, equi ab vno equo, similiter tempus à tempore quodam particulari, & motus à particulari motu, &c. Tertiò notandum, quod (vt diximus) motus mensuratur tempore, & tempus mensuratur motu, prout aliquis motus determinatus à tempore accipitur ad ipsum tempus, & motum mensurandum. Cùm igitur mensuratio maximè fiat à primo, vt exemplificatum est de vnitate, & equo, quæ mensura sit etiam cognata, & infallibilis, cum sit regula cognoscendi mensuratum; sequitur, quod illa sit mensura omnium temporum, & motuum particularium, quæ maximè est talis, scilicet prima, infallibilis, regularis, & communis; hæc autem esse nequit, nisi mensura motus primi mobilis, nam ille motus est omnium primus; circularis namque est prior recto, vt videbimus in octauo; est etiam maximè regularis; alij verò regulares non sunt, vt augmentatio, generatio, alteratio, nec motus localis rectus; tempus igitur, quod est mensura motus primi mobilis est omnium primum, & aliorum mensura, cum ille motus sit maximè primus, regularis, &c. Sed (ex prædictis) tempus, & motus mutuò se commensurant, ergo si ille motus est primus, & aliorum mensura, sic illud tempus primum & mēsura omnium aliorum erit, vnde sit quoque omnium temporum particularium notissimum: patet igitur quid sit tempus commune, & quomodo aliorum mensura. Quapropter videtur quibusdam, tempus esse motum circularem ipsius sphæræ cælestis primæ, quia hoc tempore motus alij mensurantur, & hic motus mensurat tempus, vnde inter tempus, & motum nescierunt distinguere, sed crediderunt, quod ipse primus motus sit mensura primi, seu communis temporis, & aliorum motuum, & temporum, propter reciprocationem mensuræ, quam cum tempore habet, vt declaratum est. Propter hoc etiam accidit illud sic vulgatum, & consuetum dictum, scilicet humanas res esse circulum, seu rota quadam fortunæ agitari, nec tantum eas, sed alias, quæ naturalem generationem, & corruptionem habent, similiter circulo quodam determinari; hoc autem ideò (inquam est) quia omnia hæc tempore cognoscuntur, & accipiunt finem, & principium in ipso, ac si secundum quendam periodum, seu terminum hoc sit, qui terminus sit veluti principium, & finis motus circularis, vt est punctum in linea circulari. Vnde ipsummet tempus videtur circulus, prout est mensura motus circularis, & ab ipso motu quoque mensuratur, & sic quandam adæquatam circulationem habere videntur. Quare dicere inter entia, seu res, eas quæ fiunt, vel generantur, esse circulum, est dicere tempus esse quendam circulum, prout illæ fiunt in tempore, tempus verò ideò esse circulum, quia mensuratur circulatione; Quocirca ex hoc, quod se inuicem mensurentur, mensura mutua, similari, ac adæquata, credunt ipsa non differre; nihil enim aliud esse dicunt mensuram, quam totum ipsum, quod mensuratur in plures mensuras, seu partes consideratum, sed decipiuntur, vt visum est supra in textu 93. vbi circulationem diuersam à tempore esse probauimus. Vnum igitur est tempus omnium commune, nempè quod est mensura motus primi mobilis, vt dictum est. Hoc autem omnibus particularibus motibus potest applicari, ac etiam particularibus temporibus, et si inter se diuersa sint, sicut numerus. Vnde

Motus circularis est mēsura omnium motuum particulariū.

Tempus, quod est adæquatè passio primi mobilis est mensura omniū temporum particularium.

Dicitur rectè, quod idem est numerus ouium, & canum Tex. 134
si vterque sit æqualis, etsi in ratione particulari differant, verbi gratia, sint decem canes, & decem oues, isti duo numeri denarij differunt propria ratione particulari, ita vt numerus denarius ouium, sit alter à numerus denario canum, sed in ratione numeri conueniunt. Alind

exemplum,

exemplum, sint duo trianguli, quorum vnus sit æqualium laterum, & alter inæqualium, isti inquam conueniunt in ratione figuræ, & differunt per suas particulares differentias; nam æquilaterus non est gradatus, figura tamen in communi est eadem, quia ambo trianguli sunt. Nam illud dicitur idem alicui, cuius differentia in ipso non differt,
Idem cum alio quid. *sed potius ei applicatur, & est eadem, vt homo non differt in animali, quia omnes differentiæ constitutiuæ animalis sibi conueniunt, (sic enim debet intelligi,) & pariter omnes differentiæ constituentes figuram, conueniunt triangulis, non autem diuisiuæ. Vnde omnes trianguli in figura conueniunt, sed inter se diuersam peculiarem habent rationem, alter namque est æquilaterus, alter trium inæqualium laterum, &c. sic dicatur de numero, scilicet, quod est idem in communi; non enim differentia eius constitutiua diuersificatur in numeris particularibus, sed bene diuersificantur particulares differentiæ, saltem materialiter ex parte subiectorum numeratorum, vt decem homines, seu numerus denarius hominum, non idem est cum numero denario equorum, quia homines diuersi sunt ab equis. Eodem modo dicendum est de tempore, scilicet, quod vnum est omnium commune, sed particularia diuersa sunt, forsitan non in ratione particulari temporis, sed ratione rerum temporalium, v. g. omnes sub eodem tempore communi viuimus, & sub eadem hora, & momento, etsi duratio altera. Vnico igitur verbo, durationes, & mensuræ motuum particularium propriæ, sunt omnes inter se diuersæ, sicut diuersi sunt motus, sed sub ratione temporis communis conueniunt, siue accipiatur vna pars ipsius communis temporis, vt hora, vel dies, siue totum, dicendo simpliciter tempus; omnia namque tam totum, quam partes sunt tempus, & sic hora non est tempus particulare in ratione applicationis, quia omnibus indifferenter applicari potest, etsi sit pars temporis vniuersalis; tempus igitur particulare est duratio motus cuiusque particularis, quod ipsum tantum motum mensurat, & de ipso quidem tempore, & de ijs, quæ sunt propria consideratione, quæ circa ipsum fieri potest dictum est.*

Finis Paraphrasis Quarti Libri Physicorum.



ANTO-

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marſorum.

IN QVARTVM LIBRVM PHYSICORVM Ariſtotelis Quæſtiones.

QVÆSTIO PRIMA.

Amplius autem lationes Phyſicorum corporum, & ſimplicium, vt ignis terræ, & talium, non ſolum oſtendunt, quod eſt aliquid locus, ſed quod & habet quandam potentiam. Tex. 4.

Circa hunc textum quæritur, an locus aliquam potentiam, vel virtutem circa locatum habeat.



ARguitur primò, quod non. Habere virtutem eſt habere aliquam actiuitatem; at locus cum ſit quantitas, puta ſuperficies, actiuitatem non habet, quia quantitas ipſa non eſt de genere actiuorum, vt eſt commune Philoſophorum proloquium, imò materiæ, cuius eſt pati, & recipere aſſimilatur, ergo.

Secundò. Experientia notum eſt, multa loca eſſe corruptiua, & peſtifera, ergo.

Tertiò. Quamplurima naturalia loca, qualitates contrariantes naturalibus locatis corporibus habent, vt de elementis notum eſt; ignis namq; eſt naturalis locus aeris, aer verò aquæ, &c. & tamen ignis eſt ſiccus, aer humidus; pariter aer calidus, aqua frigida; ergo.

Pro intelligentia ſciendum eſt; locum dupliciter pro nunc ſpectari poſſe. Vno modo materialiter, puta pro ſuperficie in qua ratio, & natura loci fundatur. Alio modo pro qualitatibus, aut cęleſtibus, & elementaribus ſimul influentijs cum tali ſuperficie coniunctis, maximè loquendo de loco communi, de quo intelligēda eſt Ariſtotelis propoſitio, ſaltem principaliter. Obſeruandum eſt etiam, quod locus conſiderari debet in ordine ad propria locata, vt aqua in ordine ad piſces, terra in ordine ad animalia terreſtria, & quædam terræ partes ſedum quædam animalia, vel plantas, & vniuerſaliter locus vniuſcuiuſque rei eſt in quo naturaliter, & vt plurimum, vel ſemper talis res generatur. Quibus ſuppoſitis facilè eſt quæſtiunculam hanc ſoluere, quod duabus aſſertionibus fiet.

Concluſiones.

1. Concl. LOcus materialiter ſumptus nimirū pro pura ſuperficie nullam actiuam virtutem habet, vt ſufficienter a primo argumento probatur.

Secunda. Locus ſimul cūm qualitatibus cęleſtibus, & elementaribus virtutem diſpoſitiuā circa generationes conſeruatiuas, circa res genitas habet. Probatur; nā diuerſarū rerum temperies, vel natura, nonniſi à diuerſis diſpoſitionibus locorum prouenit, nec alia de cauſa hic generantur equi, illic Elephantes, alibi verò Leones, & ſic de alijs. At ſi quęratur vnde hæc diuerſitas proueniat, elementa namq; ſunt eiuſdem rationis vbique. Reſpondetur, hoc præcipuè à cęlo, maximè verò à Sole, & Aſtris contingere; Sol etenim ipſe ſecundum diuerſas approximationes differentes efficit effectus, & temperies, vt per vniuerſa anni tempora eſt videre; ſimiliter, & Aſtra diuerſa loca diuerſimodè afficiunt, atque elementa talibus quoq; diſpoſitionibus alterantur, & cauſam vniuerſalem ſequentes variam, & difformē in varijs locis accidentalem diſpoſitionem retinent; quapropter Ariſt. in 1. Meteor. c. 2. hunc mundum inferiorem eſſe cōtiguum lationibus, ſeu corporibus ſuperioribus latis, vt omnis virtus inde gubernetur. Ex quibus etiā clarè colligitur, poſitionem illam de loco particulari intelligendam non eſſe, vt locus pręcisè, vbi eſt Socrates non habet diuerſam, virtutem ſaltem ſenſibilem, à loco alterius hominis in eadem ciuitate, vel domo permanentis; quare cómuniſſimè accipiendum eſt ſecundum climata, & variationes notabiles quaſdam, vnde vniuerſa Venetorū Vrbs, & fortè quamplurima oppida ſibi proxima, eadem loci temperie, & cęli benignitate perfruuntur. Huic concluſioni concordat id, quod habet Porphyrius in cap. de genere, nimirum, locum, vel patriam eſſe principium generationis, ſicut eſt pater, quod ſicut prædicta exponendum eſt.

Ad Argumenta.

AD primum patet per primam concluſionem.

Ad ſecundū reſpondetur, quod ſi locus in comparatione ad propria locata ſumatur, non eſt corruptiuus (vnde non debet locus hominis ſumi aqua, vel piſcium terra) vel hoc eſt ſolum per accidens, ratione alicuius extraneæ diſpoſitionis.

Ad tertium reſpondetur, elementa illa non eſſe ſic contraria, quin conuenientiam aliquam habeant; aer namque conuenit cum igne in caliditate, cum aqua in humiditate.

QVÆSTIO II.

Quare continentis terminus immobilis primum locus est. Tex. 41.

Quæritur circa hunc textum, an definitio loci sit bona.

QVámuis Aristoteles in litera, quamplurima non sicco pede pertranseunda ante loci definitionem præmiserit; prius tamen definitionem ipsam à qua cætera facilius cognoscuntur, quam alia examinabimus, quod nec Aristotelis ordini repugnat, nec suus ipsius ordo hunc nostrum labefactat: siquidem ipse modo inuentiuo, & ab effectibus, vel notioribus nobis procedit, qua habita cognitione, demonstratiuè; & ex notioribus naturæ procedendum est. Sex igitur faciemus. Primò opiniones aliquorum cum suis fundamentis exponemus. Secundò eas impugnabimus. Tertiò veram, & Aristotelicam ponemus. Quartò de ipsius immobilitate tractabimus. Quintò, in quo prædicamento reponatur, dicemus. Sextò denique aduersariorum rationes soluentur.

Opiniones de Loco.

QVinque præcipuè de loco opiniones inuenio; quarum quatuor habentur in hoc libro in litera, tres videlicet Antiquorum, altera Aristot. cum quo maximè, & singulariter concordat Scotus in quodlibet. altera tandem est Thomistarum; cum quibusdam alijs, qui neutrales inter D. Thomam, & Scotũ esse profitentur, & non sine iniuria, quia re vera duorum horũ insignium virorum doctrinam, & profunditatem non attingunt, quare superficietenus circa vtranque versantes, negatiuum neutralitatis nomen meritò sibi vsurpant.

Quidam itaque Antiquorum, locum esse substantiam
Primum argum. corpoream statuerunt; ratio autem ipsorum erat, quia locus debet esse æqualis locato, ac circa ipsum virtutem conseruatiuam habere; ratione æqualitatis est corporeum, & ratione conseruationis est substantia: si quidem accidens præcipuè de genere quantitatis, conseruatiuæ
Secundum. virtutis est expers. Alij arbitrati sunt, locum esse trinam dimensionem, scilicet corpus de genere quantitatis longum, latum, & profundum; quorum ratio pariter erat, vt æqualitatem cum locato retineat: nolunt autẽ ipsum esse substantiam, quoniam substantia corporea est mobilis, locum verò immobilem esse asserunt. Tertia est
Tertium. aliorum opinio asserentium locum esse vacuum, vel penitus nihil, quod tali argumento confirmant. Dum corpus in loco recipitur, vel recipitur in pleno, vel in vacuo, non in pleno; quia duo corpora simul esse non possunt, ergo in vacuo. Opinio autem Aristot. est, quod locus sit vltima superficies corporis continentis, & immobilis, quam sequitur, & exponit optimè Scotus, & nos cum ambobus maiori nixu quo possimus in tertia huius quęstionis parte efficiemus. Est denique opinio Thomistarum, qui re vera locum superficiem esse putant; sed rationem formalem ipsius in ordine, & situm cęlestem (maximè vt immobilitas saluetur) consistere aiunt; quæ opinio duo continet; alterum est, quod locus sit formaliter, & essentialiter superficies; aliud, quod in respectu ad cęlestes distantias immobilis dicatur. Quod igitur
Quartum. sit superficies, probant. Nam id expressè habetur in eius
Quintum. definitione. Præterea, locus ponitur in genere quantitatis, non tamen est corpus, nec linea, ergo superficies.
Sextum. Amplius. Locus est æqualis locato, & æqualitas, est passio quantitatis, ergo locus est quantitas, & non nisi superficies, vt superius deductum fuit. Quod autem ratio formalis ipsius in ordine ad cęlestes distantias consistat, sic probant; locus est immobilis per se, & per accidens; at illa pura superficies est saltem per accidens, puta ad motum corporis, cuius est superficies mobilis; si autem locus secundum polorum consideratiõe consideretur, necessariò prorsus immobilis erit; siquidem semper eadem seruatur distantia, alij ad polos, alij ad imaginarium spatium dicunt. Septimum.

Prædictarum Opinionum confutatio.

QVantum autem à veritate prædictæ opiniones recedant, facilè si quis eas profundè examinabit cognoscet; prima itaque est falsa, quoniam si locus esset substãtia corporea, cum ipse sit receptiuus corporis, duo corpora simul essent, quod negat Aristot. in textu, & nos in sequenti idem examinabimus, Errat secunda opinio, quoniam idem absurdum sequeretur, videlicet, quod duo corpora essent simul; nam corpus de genere quantitatis est, quod propriè impossibilitatem, vt duo sint simul ratione dimensionum impenetrabilium, efficit. At peculiariter deficit, ponendo quantitatem, quæ est accidens sine subiecto; id namque in primo Physicorum impossibile esse, ostendimus. Tertia pariter deficit, quoniam locus habet vim receptiuam, & conseruatiuam locati; quæ conditiones in vacuo, vel nihilo fundari non possunt. Nunc quinta, quæ est Thomistarum, reijcienda est, & primò quoad illam partem qua asserunt, locum esse essentialiter, & formaliter superficiem. Si etenim hoc esset verum nullatenus saluaretur locum esse immobilem, quia superficies mouetur ad motum corporis, vt ipsi quoque fatentur; at dicunt, esse immobilem in comparatione ad cęlestes respectus, vel distantias. Contra, vel locus provt est locus, est immobilis, vel alia ratione; non alia ratione, quia in ipso solum superficies præter rationem locandi, vel continendi clauditur, quæ mobilis est, vt diximus; Si provt est locus, & hoc pacto secundum ipsos dicit respectum ad cęlum, ergo locus formaliter in respectu consistit, non in superficie, & sic sibi contradicunt, propriasq; positiones non percipiunt, quæ quidem positio, ex positione veræ, magis falsa apparebit.

Opinio Aristotelis, & Scoti.

EST igitur opinio Scoti, ex Aristotelis fundamentis elicita; essentiam & quidditatem loci formaliter in respectu consistere, fundamentaliter verò in superficie. Pro cuius intelligentia sciendum est, fundamentum non sic esse extra rationem respectus, vt cum ipso quid per accidens constituat, vt aliqui inconsultò arbitrantur, imò sic ad ipsum pertinet, vt causa ad effectum, vel principium ad principiatum; quare in eius definitione includitur, & propter concomitantiam, & necessariam connexionem, quęcunque fundamento tribuimus, respectui quoque applicamus; vnde patrem potentiam generatiuam habere dicimus, esse animal, priorem filio, &c. præcipuè si in concreto (vt fas est) loquamur, abstracta namque aliquam prædicationem, vel connexionem in ordine ad aliud non respiciunt. Et si interdum aggregatum ex subiecto, & accidente, vel ex diuersis generibus, ens per accidens, & ad scientiam non attinere ab Aristot. dicatur; hoc est verum quoad primam partem, quatenus vnam simplicem naturam vnius generis non constituunt; sic namq; ex relatione, & fundamento vnum per se non fit; non .n. similitudo est de genere qualitatis, nec paternitas de genere animalis, aut actiuæ potentiæ; tamen quoad secundam partem, vt scilicet sic ens per accidens constituat, vt scientia de ipsis

non

non habeatur; necnon ad intelligentiam, & essentialem existentem constitutionem non pertineat, intelligibile (ne dicam falsum) non est; nonne scientiæ subalternæ ens per accidens speculantur? nonne fundamẽtum, vt diximus, essentialiter ad intelligẽda relatiua pertinet? quid plura dicam? intelligentes intelligant.

Conclusio. Quibus positis ponitur cõclusio. Locus formaliter est respectus; fundamentaliter est superficies. Probatur prima pars, nã respectus quidditatiuè dicitur, qui sine alio intelligi, nec esse potest, vel cuius esse est ad aliud; at quis potest intelligere locũ sine ordine ad locatum? vel quis dicitur locus, nisi actualiter locet, vel contineat? Amplius Arist. ipse, locum superficiẽ continẽtem esse dixit; quare ratio continendi, vel locandi est forma ipsius, superficies est fundamentum. Amplius nullo pacto immobilitas saluari potest, nisi hoc modo dicamus. Secunda pars, videlicet locum fundamentaliter esse superficiem ex se nota est; nam continentia ipsa in superficie fundatur, ratione cuius multa, quæ de genere absolutorum esse videntur, sibi tribuuntur, vt esse æqualem, conseruatiuum, quantum, &c. sicut tribuimus patri generare, esse animal, & similia. Nunc de ipsius immobilitate determinemus.

De loci immobilitate.

EX prædictis faciliter, sine contradictione, & sine sophysmatibus loci immobilitas intelligitur, si etenim formalis ratio ipsius in respectu consistit, profectò immobilis erit, motu videlicet locali; nam quoad corruptionem, vel potius desitionem ipsum moueri non est inficiandum; imò re vera sicut quodlibet relatiuum ablato correlatiuo desinit, sic locus remota re locata desinit esse locus, manente eadem materiali superficie. Quamobrem si quis sine proteruia id, & rationem relatiuorum adamussim examinare velit, quæ diximus vera, & Aristotelica esse fatebitur, omnesque difficultates soluet. Sed pro maiori intelligentia notandum est, quod sicut datur locus materialis communis, & proprius, ita datur locus iste formalis, vel respectus; secundum cuius distinctionem multa immobilia locum mutare dicimus, sic plantæ, turres, domus, & alia in eodem loco esse dicuntur, quia eundem respectum seruant ad partes cęli continentis, & tamen mutant locum, quia superficies aeris continentis semper sunt aliæ & aliæ; at si quis dicat, hæc est opinio Thomistarum. Respondetur, non esse verum, quia ipsi formalitatẽ loci in superficie, & entitate absoluta consistere arbitrantur; secundariò verò hunc respectum sibi fingunt, secundũ quem rationem loci constitui autumant, nos verò ipsum locum formaliter in respectu consistere, asserimus. Verum tamen est, quod tales res immobiles possunt sic dici, quia partes principales loci puta superficies fundamenti nunquam mutant: pars autem nata est totum denominare, vnde si radices plantarum, transferantur, locum mutare dicuntur. Aliud obseruandum est, quod locus materialis, scilicet superficies ex diuersis corporum superficiebus integrari potest, nec inconuenit, nam multa diuersorum generum vnum vnius constituere possunt secundum alias rationes, vt lapides, & ligna in genere substantiæ constituunt domum, quæ est sub ratione figuræ, prout est quid artificiale quantum; sic plantæ, partim sunt in terra, partim in aere, & quædam etiam in aqua, veluti in vno integrato loco ex pluribus superficiebus. Obseruandum est etiam, quod dum aliud & aliud corpus in eundem locum succedit, non est idem locus numero, sed specie; nam remotis fundamentis etiam respectus super ipsa fundatus, aufertur, dicitur tamen idem per æquiualentiam, quia videlicet secundum eundem ordinem, & distantiam ad cęlum alter respectus se habet, quo pacto eundem esse nunc fluuium, qui olim fuit, asserimus, quamuis aqua ipsa fluens, in qua ratio fluuij consistit, eadem non sit, licet interdum ratione vltimæ superficiei continentis idem numero maneat; vt quando vas aliquod immobile loci rationem habet, dum etenim mouetur simpliciter vas dicitur; at si immobile sit, atque ad ipsum aliquod moueatur, est locus, vt habetur in litera Aristot. modò in quo genere sit locus dicamus.

In quo genere sit locus.

NOn parua est dissensio circa genus ipsius loci formaliter sumpti; qui etenim superficiem esse arbitrantur, in genere quantitatis ipsum collocant, quibus videtur fauere Aristoteles, qui expresse in præcitato prædicamento inter ipsius species eum connumerat. At si formaliter sit respectus, in genere absolutorum collocandus non erit. Dico ergo, ipsum esse in genere vbi; probatur; nam est respectus extrinsecus adueniens: non enim dicitur formaliter locus, nisi facta approximatione, & actuali locatione locati; hæc autem est ratio respectus extrinsecus aduenientis, vt alibi diximus; hic verò respectus sex vltima prędicamenta constituit; at non potest dici ipsum esse in genere actionis, nec passionis, nec situs, nec habitus, nec quando, vt de se notum est. Amplius species, & differentiæ loci sunt eædem cum ijs, quæ sunt ipsius vbi, puta sursum, deorsum, ante, retro, &c. ergo &c. Præterea easdem habent responsiones, & interrogationes, vt vbi fuisti, in tali loco: Denique motus localis dicitur terminari ad locum, & vbi est terminus eius, vt notum est, ergo non differunt, nisi in hoc, quod vbi solum respectum significat, vt essentias simplicium prædicamentorum decet; Locus verò magis explicitè cũ fundamento explicatur, quamobrem solum pro connotato differre, ac ex alia parte penitus idem esse dicerem. Cur autem in genere quanti ponatur in solutione quinti argumenti patebit.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur, ęqualitatem loci in comparatione ad locatũ non attendi secundum omnes dimensiones; sed solum secundum superficiem, & continentiam, vt melius in sequenti videbimus, quare propter hoc non debet esse corpus, sed sufficit, quod sit superficies, loquendo præcipuè de loco pro fundamento. Ad aliam eiusdem argumẽti partem de virtute conseruatiua, respondetur, re vera, hanc neque à quantitate, neque à respectu prouenire, sed à substantia, & qualitatibus; tribui tamen loco, ratione immediationis, & continentiæ; quia immediatè superficiei tales qualitates insunt, & per ipsam rebus locatis immediatè applicantur.

Ad secundum per idem patet, nempè per primã partem, in qua quomodo locus sit æqualis dictum est.

Ad tertium respondetur, corpus locatum recipi in aliquo loco, qui plenus erat, sed adueniente alio corpore, recedit, & sic in spatio, quod nunquam vacuum datur recipitur; si tamen illud spatium absq; corpore recepto consideretur, negari facilè non potest, vacuum esse, sed re vera nunquam reducitur, nec reduci potest, vt verè sit vacuum; ideò simpliciter concedendum non est.

Ad quartum respondetur, superficiem poni in loc definitione, vt eius fundamentum; non autem vt genus, nec verũ est locum esse quid simpliciter, & absolutè abstractum, vt aliqui dicunt, sed est tantum abstractum à subiecto, & singularibns, est tamen concretum respectu quidditatis, termini, & fundamenti; sicut pater in sua ratione nõ includit singularia, neq; subiectum, sed ab ipsis abstrahit; tamen est concretũ respectu quidditatis, quæ est paternitas respectu correlatiui, puta filij, quem necessariò includit; & respectu fundamenti, quod est potentia actiua generandi, sic locus includit correlatiuum,

puta locatum, fundamentum nempè superficiem, & quidditatem loci, quæ formaliter per respectum explicatur; vnde abstractum eius, secundum quod fundamentũ non includeret, suppleretur per hoc complexum ratio, vel quidditas loci.

Ad quintum respondetur; locum pro materiali in genere quantitatis poni, & si dicatur, sic est superficies, vnde non debet poni species quantitatis ab ipsa diuersa. Respondetur re vera esse superficiem, sed Arist. in prædicamentis multa secundum communem vsum posuit, vt sat esset pro tyronibus communia docere, vt solum syllogismos conficere valeant. Vnde aliter alibi res serius declarat, vt patet pro nunc de quantitate ipsa, quam in predicamentis habere contrarium, negat, & in 5. Physic. id necessariò sibi competere asserit.

Ad sextum dicitur; locum dici æqualem ratione superficiei, vel fundamenti, quod est quantitas.

Ad septimum notum est, nos non ponere rationem formalẽ loci in superficie, vnde immobilis per se, & per accidens esse potest.

QVÆSTIO III.

Impossibile autem est corpus locum esse, in eodem enim essent vtique duo corpora. Tex. 8.

Circa hunc textum quæritur, an duo corpora possint esse simul.

QVæstio hæc est de potentia naturæ, & diuina intelligi potest: ideò secundum vtramq; examinanda est.

Pro intelligentia itaque primæ partis sciendum est, quod ordo, & modus causandi naturalis est, quod à determinata causa non impedita necessariò proprius effectus sequatur, qui si formalis sit, ita se habet, vt alius eiusdem rationis circa idem minimè produci possit, vt effectus naturalis, & formalis albedinis est efficere rem albam, quo stante ab alia albedine idem effici nequit; quod accidit ne ipsa natura sit frustra, & quia stante formali effectu; si alius esset, prior non esset, nihil namque album effici potest, nisi sit non album; quare si ab alio album fieret, esset album, & non album; hic autem formalis effectus non sic presse sumendus est, vt formas propriè dictas duntaxat respiciat; sed quicquid ab intrinseca natura alicuius formaliter prouenit, vt receptio sit effectus suo modo formalis materiæ, secundariò in ordine ad accidentia sit etiam effectus quantitatis, quæ accidentia materialia apta est recipere.

Aliud obseruandum est, quod de ratione essentiali quantitatis continuæ permanentis est habere extensionem, seu partes extra partes, à quibus duo subordinati effectus proueniunt, videlicet replere locum, & impedire aliud corpus, vel quantitatem repletiuam, qui effectus non sunt à quantitate effectiuè, quia ipsa nullæ est actiuitatis, sed quasi formaliter, & passiuè; est enim quædam resistentia, vel positio, aut applicatio in loco, quæ in passiuitate consistit: quod enim sic se habet applicatur, & patitur.

Pro secunda parte quæstionis animaduertendum est; Deum sic se habere, vt omnes effectus etiam formales impedire possit, vnde anima rationalis à corpore separata est verè forma, quia hæc est ipsius essentia, vt per eius definitionem patet; & tamen tunc formali animãdi effectu priuatur; verum est tamẽ, quod informante forma, Deus non potest efficere, quod non informet; quia sic esset contradictio, quæ à Deo suppleri non potest. At si quis dicat, nonne habetur famosũ axioma, posita causa formali ponitur effectus, & remota remouetur, & Aristot. in 12. Metaph. tex. 16. formam simul esse, & non esse cum suo effectu pronũciat, quomodo ergo id à Deo dissipari poterit? nonne, axiomata ipsa ratione essentialis habitudinis prædicati ad subiectum sunt æternæ veritatis, sicut quòd homo sit animal, & quæ huiusmodi sunt implicant, vt per quamcunque potentiã varientur? Respondetur, Axiomata dialectica, quamuis alicuius vigoris sint, non tamen omnia sunt necessaria, imò proprium eius est esse probabile; quare non inconuenit, vt per diuinam potestatem quædam ipsorum (sicut istud) varientur, & si ordine naturæ, fortè omnia necessariã aliquam veritatem habeant. Quibus suppositis per duas conclusiones quæstionem resoluamus.

Conclusio.

DVo corpora non possunt naturaliter esse in eodem loco, probatur; [1. Concl.] quia dato effectu formali alicuius, idem effectus ab alio produci non potest, quia primus esset, & non esset; sed dato corpore aliquo in loco est statim repletio, & impedimentum alterius, veluti effectus formalis corporis quanti; ergo ab alio corpore id effici nequit. Sed contra hanc conclusionem sunt aliquæ communes quidem, sed efficacissimæ instãtiæ. [Obiectio prima.] Prima, in ferro candenti est simul ignis, vt ex effectibus patet; nam calefacit, vrit, & ignit, ergo sunt simul duo corpora. [secunda.] Secunda, dum aqua in vinum intra aliquod vas infunditur, pariter aqua ipsa est simul cum vino, ergo. [Tertia.] Tertia, si in vas plenum cineribus immitatur aqua, tantam aquæ portionem reciperet, quanta est cinerum quantitas, ergo duo hæc corpora se penetrant; quamplures aliæ, & difficiles obiectiones de augmentatione (in qua quælibet pars augetur) fieri possunt, sed reseruentur vsque ad libros de generatione.

[2. Concl.] Secunda conclusio. Duo corpora diuina virtute simul esse possunt. Probatur; nam Deus potest omnẽ effectum cuiuslibet causæ secundæ remouere, vt dictum est; sed vnde prouenit repugnantia, vt duo corpora sint simul, est effectus corporis quanti, ergo auferri potest; vel (vt aliqui dicunt) Deus potest impedire repletionem vnius, qui pariter est effectus; sed facilius est dicere, quod impedimentum tollat, & hoc pacto non solum duo, sed innumerabilia simul esse possunt, quia non est maior ratio de vno, quam de alio; diximus notanter duo corpora quanta repugnantiam habere; quia si essent corpora de genere substantiæ à quantitate diuinitus denudata, sicut fieri posset (vt vidimus in primo de separatione accidentis à subiecto) ex se possent esse simul absque repugnantia, & impedimento. Sed quia conclusio hæc diuinæ innititur potestati, per diuinas quoque literas cõfirmetur; habetur itaque de facto, Dominum nostrum ad discipulos introijsse ianuis clausis; ex vtero virginis egressum fuisse, virginitate illæsa; ac denique cęlum glorioso corpore transijsse, & sic corpus eius cum alijs corporibus se penetrauit; si ergo factum fuit semper fieri poterit, cum eadem sit ipsius potentia, & eodem modo circa omnia. Sed contra hanc conclusionem est instantia fortissima. [Quædam obiectio.] Si duo corpora essent simul, quantitas vnius à quantitate alterius non differret, & sic essent vnum, & duo per suppositum, quod implicat. Probatur consequentia, nam quantitates diuersæ per diuersam extensionem differunt; at ibi non esset diuersa extensio, vt notum est. Preterea eadem ratione, partes vnius corporis se penetrare possent, quia etiam ipsa sunt corpora, vel partes quantæ, quod nihil refert; sed si hoc esset, eiusdem quantitatis esset maior, & minor pars, quod absurdum est. Nunc præcedentes, & has quoque obiectiones soluamus.

Ad obiectiones.

AD primam respondetur, vel in ferro non esse re vera ignem, sed accidentia ipsius ab ipso igne ibi producta, quæ concurrentibus alijs vniuersalibus causis,

puta

puta cœlo, & influentiis, (ſicut in omni cauſſalitate ſecundæ cauſæ concurrunt) effectus ignis producere poſſunt. Vel dicatur, ibi vere eſſe ignem; ſed in poris ferri, qui quidē pori actuitate ſumma ipſius ignis, per totum dilatantur, vt argumentum eſt ex mollitiæ ipſius ferri candentis; nec miremini, ſic per totum poros expanſos eſſe, quia hoc eſt neceſſarium in multis, vt in tractatu de augmentatione videbimus.

Ad ſecundum reſpondetur; tunc ex aqua, & vino, vel alio liquore fieri vnum corpus maius, ac maiorem locum occupare; corpora autem duo, quando ſimul ſunt, nec maiorem locum, nec differentem ſitum efficere debent, eo pacto quo lumen tranſit, vel recipitur in aliquo corpore diaphano ſine variatione ſitus, nec loci.

Ad tertiam reſpondetur; cineres eſſe raros, & ſiccos, vnde per has qualitates aquam multam recipiunt, & conſumunt.

Ad quartam negatur minor, eſt namq; ibi diuerſa extenſio cum eadem penetratione, ſicut lumē per vitrum ingrediens, non accipit ſuo modo extenſionem à vitro, nec è conuerſo, quod gratia exempli dictum ſit.

Ad quintam conceditur pariter penetratio partium; ſed negatur conſequentia; nam vnaquæque propriam quantitatem haberet cum penetratione, vt in præcedenti ſolutione dictum eſt.

QVÆSTIO IV.

Circa eundem textum quæritur, an idem corpus pluribus in locis eſſe poſſit.

SIcut præcedens quæſtio de naturali potentia, negatiuè ſolutionem habuit, ita de hac nullam controuerſiam eſſe exiſtimo; ſi quidem effectus alicuius determinatus à determinata cauſa procedit, ne naturæ ordo, ac pulchritudo confundantur. Controuerſia tamen eſt de abſoluta Dei potentia; videtur namque hoc contradictionem implicare. Nam ratio formalis corporis quanti eſt circumſcribi à determinato loco, ergo ſi in pluribus eſſet non circumſcriberetur, & ſic haberet rationem formalem, & non haberet. (Primum argum.)

(Secundum.) Amplius, de ratione cuiuſque indiuidui eſt eſſe indiuiſum à ſe, & diuiſum à quolibet alio; ſed ſi corpus aliquod pluribus in locis eſſet à ſe diuiſum foret, quare eſſet, & non eſſet indiuiduum.

(Tertium.) Item. Idem poſſet ſimul viuere, & mori, aſcendere, & deſcendere, & omnia tandem recipere, quæ plura corpora diuerſis in locis exiſtentia recipere poſſunt, quæ profectò ſunt impoſſibilia, & ridicula.

(Quartum.) Præterea, qua ratione eſſet in vno loco, etiam in alio eſſe poſſet, & ſic vbique, & in locis infinitis. Sed eſſe vbique eſt proprium Dei, & infinitum actualiter non datur, quare, &c.

(Quintum.) Tandem. Idem poſſet ingentem hominum multitudinem ſupplere, & aquæ gutta vniuerſam terram inundare, quia homo vnus poteſt immediato ſibi loco applicare, & ſimiliter gutta, & alia innumerabilia huiuſmodi.

Pro ſolutione obſeruandum eſt, ea tantum, quæ ſunt rei eſſentialia à Deo variari nō poſſe, quia implicat contradictionem aliquid exiſtere ſine eo, quod eſt ſibi de eſſentia, vt hominem ſine anima, vel corpore, vel rationalitate. Quæcunque verò eſſentialia, vel identificata cum aliquo non ſunt, nihil implicat, vt ſeparentur, vel multiplicentur, aut diminuantur.

Aliud notandum, quod vbi eſt reſpectus extrinſecus adueniens, qui ex corpore locato, & ſuperficie, vel corpore continente inſurgit, vnde tā corpori, quam ſuperficiei ipſi abſolutè eſt extrinſecum, quod patet; nam vltima ſphæra eſt corpus, & non eſt in loco, vel vbi, vt videbimus; ſimiliter vltima eius conuexa ſuperficies nihil continet, & ſic rationem loci effugit; quare manifeſtum eſt, ipſum vbi, nec rationem locandi, nec eſſentialiter ad corpus, neque ad ſuperficiem attinere, aliter cuique corpori conuenirent.

Aliud denique animaduertendum eſt, quod corpori cuique, quædam ratione corporis ſibi conueniunt, quamuis non ſint eſſentialia (de quibus ſupra locuti ſumus) vt habere tales qualitates, diſpoſitiones internas, veluti infinitatem, &c. quędam ſolum ratione loci, vbi exiſtit, vt iacere, ſedere, ſtare, moueri localiter, percuti, & ſimilia: hæc namque omnia, vel ſitum, vel motum ſignificant; at vterque locum ſupponit: Quæ quidem inter ſe ſic ſe habent, quod quæ naturam corporis ſequuntur, vbicunque ipſum ſit, ſecum adſunt; quæ verò ſequuntur conditiones loci, variantur ad variationem ipſius. Quibus poſitis ſoluitur quæſtio.

Concluſio.

IDem corpus poteſt diuinitus pluribus in locis eſſe, probatur; nam Deus efficere poteſt quęcunque contradictionem non implicant, ſed hoc non implicat, ergo. Probatur minor, nam variare, vel multiplicare poſteriora, nulla eſt implicatio, vel variatio prioris; Vbi verò eſt poſterius corpore, ergo. Amplius plus poteſt Deus facere realiter, quam intellectus noſter intelligere ſecundum veritatem (quod notanter dicimus, quoniam ſecundum falſitatem, & phantaſticam intellectionem, ad multa, quæ ſunt Deo impoſſibilia, ipſe intellectus extenditur, ſiquidem ipſum non eſſe, vel non bonū, & multa alia excogitare falsò poteſt) quoniam finiti ad infinitum non eſt proportio; ſed ipſe intellectus plura, & in diuerſis locis ſimul exiſtentia intelligit; ergo Deus hoc facere poteſt. Denique corpus Chriſti de facto eſt in pluribus locis, videlicet in pluribus hoſtiis ſacris, ergo vnum quodque corpus pariter eſſe poteſt, quia non eſt maior ratio de vno, quam de alio, ſicut de multis aliis ſanctis hominibus legitur. Sed dubitatio eſt, ſi idem homo diuerſis in locis exiſtens ſibi ipſi ſibimet occurrenti occurreret, quomodo ſe ad ſe ipſū haberet, an videlicet in ſe intraret, ſecum alloqueretur, duabus vocibus, & quomodo. Reſpondetur, quod ſi diuinitus adhuc in diuerſis locis conſeruaretur, nec ei tradita eſſet facultas id prohibendi, diſtinctus ſecundum locum maneret; ſin autem, qui in vnico vbi eſt, euaneſceret, ſicut vmbra, alio remanente, ſeu eodē remanente, quia re vera eſt idem; at cauſa intelligentiæ vocaui ipſum alium. Quoad locutionem, ſecum alloqui poſſet, quia vox eſt ictus aeris, vnde in motu conſiſtit, quamobrem in pluribus locis plures voces emitteret, & ſi vnicus eſſet conceptus animæ.

Ad Argumenta.

AD primum negatur antecedēs, non etenim actualiter à loco circumſcribi eſt ratio formalis corporis, ſed aptitudo, non in omnibus, ſed in ſubcæleſtibus, (quod dico propter primum mobile) nec ad vnum tantum locum, niſi naturaliter, ſed ſupernaturaliter, & ſi aptitudinem non dicant; ſunt tamen in potentia obedientiali, & in non repugnantia.

Ad ſecundum reſpondetur, de ratione indiuidui eſſe indiuiſum eſſe ſecundum eſſentiam, non ſecundum diuerſa Vbi.

Ad tertium reſpondetur, quod ſi in vno loco moreretur, & etiam in alio, quia hoc non concernit locū, quamuis in vno loco poſſet interfici, vel percuti, quod eſt motus localis; cicatrices tamē vbique manerēt, poſſet quoque aſcendere, & deſcendere, quia hoc quoq; ad locum attinet, & ſine contradictione; nam contradictio eundem locum requirit; ſimiliter dicatur de aliis, nēpe quæ

locum sequuntur, variari sine contradictione ad variationem loci, quæ verò præcedunt, minimè.

Ad quartum, quoad primam partem respondetur, Deum ex se immensiuè, & sine terminis totum in qualibet parte vniuersi manere; sed corpus hoc vbicunque maneret, haberet limites, sicut si essent infiniti homines, vnusquisque sic limitatus esset, vt propriam, & ab alio distinctam quantitatem haberet; sic illud, & qualibet ipsius pars non esset vbi est alia, vnde valde differret à modo essendi Dei vbique. Ad aliam partem respondetur, neque tunc futurum simpliciter infinitum, quia nullus locus ei assignaretur, quin alter assignandus esset, saltem si loquamur de locis imaginarijs extra cęlum, infra autem aliquod actualiter infinitum, neque numero, neque magnitudine constitueret, quoniam à Celi superficie contineretur: contentum verò ab aliquo, infinitum esse non potest, nisi in potentia.

Ad quintum conceditur, quod multitudo apparere posset, & quantitas aquæ, sed virtus, quæ ab essentia fluit, vnica tantum esset, fortè tamen aquæ quantitas non esset, quia non video, quomodo idem possit continuari sibi ipsi, si quidem continuatio est diuersorum, non solum secundum præsentiam, & apparentiam, sed realiter; quare discretæ guttæ esse possent, non autem velut lacus, imò facilè desiccaretur, sicut gutta sola, nec aliud sibi competeret, quam quod locum respicit.

QVÆSTIO V.

Circa textum eundem. Quæritur an res incorporeæ sint in loco.

PRo determinatione istius quæstionis de diuersitate rerum incorporearum, & pariter de diuersitate loci aliqua breuiter dicenda sunt. Quantum ad primum, sciendum est, quod res incorporeæ dicuntur dupliciter. Vno modo quæcunque ex se formaliter corpus, vel trinam dimensionem non habent, seu corpus de genere substantiæ (quod trina dimensio sequitur) non sunt, quo pacto materia ipsa, forma, omniaque accidentia præter corpus, quantum incorporea vocari possunt, quia nec corpus sunt, nec quantitatem immediatè habent; quia tamen semper cum corporibus cōiuncta sunt (preter quædam spiritualia accidentia, vt scientia, iustitia, & alia, quæ in substantijs spiritualibus etiam reperiuntur) hinc est, quod simpliciter incorporea dici non possunt: at melius dicantur corporalia: corporeum namque dicitur, quod vel est corpus de genere substantiæ, vel quod quantitatem immediatè ab ipsa substantia fluentem, nempè latitudinem, longitudinem, & profunditatem habet; quamuis hoc secundum ex præcedenti sequatur; at corporale id est, quod quocunque modo cum corpore iungitur, vnde forma, materia, accidentia, & alia corporibus insidentia, corporalia dicantur; sed corporea nequaquam, & si abusus vnum pro alio accipit, quod de rigore efficiendum non est; omne autem corporeum est corporale, sed non è conuerso. Alio modo aliquid dicitur incorporeum propriè, quod videlicet ab omni prorsus quantitate liberum est, & hoc est in triplici genere; quoddam namque est secundum suam essentiam infinitum, vt Deus; quoddam est finitum, sed completum, & non pars alterius, vt Intelligentiæ; aliud deniq; est finitum, sed incompletum, & pars, vel actualiter, vel aptitudinaliter, vt animæ rationales.

Res incorporeæ dupliciter.

Corporeū.

Incorporeum triplex.

Quantum ad secundum est, sciendum est. Quod aliquid potest esse in loco dupliciter, videlicet per se, & per accidens; per se cum secundum se totum in loco est; per accidens dum vel pars, vel accidens eius est, quod in loco existit, vt Socrates est per se in loco, sed manus, & albedo eius est per accidēs. Itē esse in loco per se dicitur quadrupliciter, videlicet immensiuè, definitiuè, circumscriptiuè, & sacramentaliter. Immensiuè, quod vbique est per immensitatem, vel infinitatem, & absque loci occupatione, & circumscriptione, qui est proprius modus essendi Dei, vbique etenim est, non quod à quolibet loco circumscribatur, sed dans esse omnibus locis, atque locatis. Definitiuè, est esse in aliquo loco determinatè, sic quod non in alio, siue ipse locus occupetur, vel repleatur, siue non, nihil refert, secundum quem modum essendi omnia finita entia in loco sunt; sic tamen quod quædam ipsum locum repleant, sicut corpora; quædam verò nequaquam, quæ quantitate carent, vt in conclusionibus videbimus. At esse in loco circumscriptiuè est in aliquo determinato loco manere, & sic ipsum occupare, vel replere, vt aliud corpus ibi naturaliter esse non possit; hoc autem de ijs, quæ definitiuè duntaxat in loco sunt, asserere nequimus; quia innumerabilia simul esse possunt, siquidem repugnatia ex quantitate, & dimensionibus prouenit, vt dictum est. Esse denique in loco sacramentaliter, est esse in qualibet parte loci, secundum totum corpus, & quantitatem, non autem modo quantitatiuo; sic se habet Corpus D. N. Iesu Christi in Sacramento Altaris: totum enim ipsum, secundum vniuersam quantitatem propriam in qualibet particulari Hostiæ continetur, non autem modo quantitatiuo, quod esset habere debitam partium extensionem, sed non quantitatiuo, sic nimirum, quod vna pars aliam secundum quantitatem penetret; eo quod à Deo ablatæ sunt resistentiæ dimensionum, sicut supra dictum est. At si quis petat; nonne hoc eodem quoque modo anima rationalis est in corpore, puta tota in toto, & tota in qualibet parte; respondetur, quod licet, quoad hoc ita se habeat, vt suo loco videbimus, tamen nec quantitatem habet, nec est sicut in loco; sed sicut forma in materia, qui est alter modus essendi. Quibus habitis aliquæ conclusiones ponuntur.

Esse in loco quadrupliciter.

Conclusiones.

PRima. Res incorporeæ primo modo; puta quæ non sunt corpora, nec corpus habent, sicut quædam accidentia, forma, & materia sunt in loco per accidens, prout coniuncta sunt cum corporibus in loco existentibus, cum quibus copulanda est etiam anima rationalis, dum actualiter corpus informat, & omnes aliæ quoque, vt de se notum est.

Secunda. Res actualiter infinitæ, sicut est solus Deus est in loco immensiuè, videlicet vbique totus, sic namq; eius infinitas requirit; à nullo namque termino coarctari potest; partes autem, & magnitudinem non habet, quare vbi est, totus est.

Tertia. Sacramentaliter Christus tantum est sub speciebus panis, & vini, modo prædicto non quantitatiuo, de cuius altissimo, & incomprehensibili mysterio Theologorum est vlterius prosequi; hoc tamen pro nunc sit obseruandum, quod virtute diuina, quælibet alia creatura sic se habere posset, eo quod pariter Dei potentiæ subsit.

Quarta. Res penitus incorporeæ, & finitæ, vt Angeli, & animæ separatæ sunt in loco definitiuè tantum, sic videlicet, quod in vno loco ita determinatè existant, quod propria virtute, tunc in alio esse non possint; sunt etenim finitæ secundum virtutem, & essentiam. Dubitatio tamen est; an sic in loco existentes, sint secundum totum in qualibet parte loci. Respondetur affirmatiuè; nam propter omnimodam indiuisibilitatem, non est possibile aliquam diuisionem loco correspondentem circa ipsas imaginari.

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

Amplius primum locum, neque minorem esse, neque maiorem. Tex. 30.

Quaeritur, an locus sit aequalis locato.

ARguitur primò negatiuè. Continens semper est maius contento, vt per multa, vel omnia induci potest; sed locus continet locatum, ergo.

Secundò. Corpus non est æquale superficiei, nam ipsum corpus trinam dimensionem habet, superficies verò nequaquam.

Tertiò. Æqualitas, & inæqualitas sunt proprietates quantitatis, sed locus (vt visum est) est respectus in prędicamento ipsius Vbi, ergo.

Quartò. Si locus esset æqualis locato; pariter totum, & pars æqualitatem inter se haberent, quod est absurdum, & contra notissimum illud principium. Omne totum est maius sua parte; probatur consequentia; nam quæ habent idem locum, necessariò sunt æqualia, quæ etenim cum vno tertio commēsurantur, inter se quoque commensurantur, vel æqualia sunt. Sed idem est locus totius, & partis ex 3. Phys. tex. 48. ergo.

Quintò. Si prædicta propositio esset vera, terra esset æqualis aquæ, aqua aeri, aer igni, & ignis cęlo; nam terra est in aqua, veluti in loco, aqua in aere, &c. ex hoc quarto. tex. 46.

Pro intelligentia notandum est, quod duplex est locus, scilicet communis, & proprius, vt alibi declaratum est. Obseruandum est etiam, quod duplex est æqualitas, videlicet continentiæ, & commensurationis, seu dimensionis; continentiæ est, dum aliquis, nec plura, nec pauciora adæquatè continet, quam contentum, & contentum neque à maiori, neque à minori continente æquatur; tandem obseruandum est, quod de loco materiali, puta de superficie continente, non autem de loco formali est sermo, vel quæstio; ex quibus facilè est eam solucre.

Conclusio.

LOcus proprius materialiter sumptus æqualitate continentiæ est æqualis locato, probatur; quia nec plus, nec minus continet, quam ipsum, nec ipsum ab alio continetur, quia si ab alio contineretur, non esset in vno loco, neque in eodem continentur alia, quia non esset proprius: si verò nihil in aliqua parte esset, daretur vacuum, quę omnia sunt absurda. Locus etiam communis est æqualis locato, si omnia locata collectiuè sumantur, sicut totum dicitur æquale partibus.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur, continens secundum vltimam superficiem continentem, non esse maius superficie connexa contenti, patet; quia superficies omnes ex parte profunditatis sunt penitus indiuisibiles, aliter corporis naturam saperent; sed indiuisibile additum alteri ea parte, qua est indiuisibile, non facit maius; quare cum duæ illæ superficies se tangant, impossibile est, vt vna sit maior altera; quapropter non est accipiendus locus pro toto corpore continente, sed pro vltima superficie tantum; at si quis dicat: Si ex linea, quæ est penitus indiuisibilis secundum latitudinem, & profunditatē, fieret circulus, & super illum fieret alius, circuli illi sic se haberent, quod vnus esset maior altero, vt vnusquisque præ oculis sibi repręsentare potest. Respondetur: Si lineæ essent re vera separatæ, & vna immediatè alteri applicaretur, nequaquā efficerent maius, etiam si infinitæ essent, quæ verò designantur, latitudinem aliquam habent, vnde non sunt veræ lineæ, sed aliter describi non possunt.

Ad secundum patet; corpus namq; est æquale superficiei, vt contentum continenti.

Ad tertium patet, locū pro materiali esse quātitatem.

Ad quartum negatur consequentia; dicitur namque eundem esse locum totius, & partis, non ratione æqualitatis, sed tendentiæ, & conseruationis, quia videlicet ad eundem locum tendunt, vt sicut tota terra tendit ad medium vniuersi, ita qualibet pars eius, & vtraque ibi conseruatur.

Ad quintum dicitur, illa esse loca communia, de quibus non est sermo; vel dicatur esse æqualia secundum vltimas superficies; quamuis non ex superficie aquæ tantum, sed aquę, & aeris totalis locus terræ constituatur, vbi accipienda est terra pro aggregato ex omnibus terrestribus, quæ intra ipsam continentur, quia si pręcisè pro elemento solius terræ capiatur, superficies vltimæ aquæ, & aeris vnum locum integrantes, rationem loci communis, & non proprij haberent, qui quomodo sit æqualis, patuit.

QVÆSTIO VII.

Cœlum autem non am plius in alio est. Tex. 46.

Vtrum vltima sphæra sit in loco.

PRo distinctā istius quæstionis intelligentia sciendum est, vltimam sphæram cęlestem, secundum Aristot. mobilem esse, & primum mobile appellari in cuius circumferentia primum motorem residere, idem Philosophus 8. Physic. tex. 84. asserit, secundum cuius doctrinam difficultas est, si in aliquo loco reperiatur, vel non; secundum autem Theologos, ipsum primum mobile à Cœlo Empireo (quod vocant Paradisum) continetur, quare apud ipsos non est difficultas; quomodo autem, & cuius naturæ sit hoc Cœlum Empyreum, in lib. de Celo, quātū ad Philosophiam spectare poterit, determinabitur. Quod itaque ipsum primum mobile sit in loco, probatur. Omne quod mouetur localiter, à loco contineri debet; nam hæc est ratio motus localis, vt ad locum mobile terminetur, ergo. Primum argum. Secundum

Amplius, ratio communis corporis est esse in loco, vt habetur in hoc libro tex. 30. dicitur namque, ferri, & manere in proprijs locis vnumquodque corporum, quare nullum excluditur, ergo.

Quatuor (præter Aristotelicam, quam defendam) opiniones præcipuas, & quæ aliquam probabilitatem habent, inuenio; Prima est Philoponi, qui locum celi, spatium extra ipsum existens esse, in eoque moueri, & ab ipso contineri, asserit. Secunda est Diui Thomæ, & quorundam Græcorum, præcipuè Pselli: hi etenim dicunt, ipsum cœlum esse in loco secundum partes; quia videlicet vna pars alteri succedit, & recipitur in loco ipsius, quod tamen esse in loco non actualiter, & propriè, sed in potentia, & suo modo dicunt: nam partes actualiter cum toto coniunctæ, non sunt per se in loco, vt habetur in hoc libro tex. 44. Tertia est Scoti, cum quo concordat Themistius, & quamplurimi alij, tam Græcorum, quam Latinorum; asserunt itaque isti, Cęlum non esse in loco passiuè, sed actiuè, idest, non locatur ab aliquo corpore, vt est expressa sententia Aristotelis, & veritas: sed omnia locat, & sic est in loco, quoad locare, non autem quoad locari. Quarta denique est sententia Commentatoris,

tatoris, asserentis, cęlum esse in loco per centrum, quia videlicet per ipsum æqualem distantiam, firmitatem, & motus vniformitatem habet, quæ etiam videtur expressa Aristotelis in 8.Phys.tex.76.Hæ igitur omnes opiniones si rigorosè sumantur, veritatem non habent; vnica namque ratione esse in loco, est ab ipso contineri, vt luculenter docet Philosophus hic in tex. 43. sed spatium extra cęlum cum nihil sit, continentiam non habet; pars verò aliam non continet, quamuis sibi mutuo inuicem succedant, neque continere, est contineri; ac tandem centrum ipsum non continet, sed continetur, vnde secundum hunc modum, nulla ipsarum est bona. Si autem accipiatur locus impropriè pro omni eo, quod, vel motum insinuat, vel aliquo modo ad locum, vel motum localem attinet, sic suo modo omnes sunt bonæ, & in bono sensu accipiendæ sunt, quia credibile non est, tantos viros rationem præcisam loci ignorasse; sed nota Aristotelica doctrina supposita, aliam vberiorem, quæ ipsam non euerteret, sed dilucidaret, addiderunt. Respondeamus tamen secundum Aristotelem, & de rigore sermonis.

Conclusio.

Vltima sphęra non est in loco, probatur; quia à nullo alio continetur, seu nullum habet aliud corpus extra se; hæc autem est ratio adæquata essendi in loco, ex hoc libro tex.43.& per totum, ergo. Est tamen bene locus communis omnium, vnde omnia in ipsa esse, fatetur Philosophus in præcitato textu 46. Sed circa hoc insurgunt tres curiosæ dubitationes.

Tres dubitationes curiosæ. Prima, si omnia sunt in cęlo, cur non omnia ad ipsum mouentur, siquidem vnumquodque corpus naturale ad locum suum feratur, vt est effatum vniuersę Philosophiæ.

Secunda, locus est immobilis, at cęlum perpetuo motu cietur, quomodo ergo est locus?

Tertia, si aqua est locus terræ, cur pariter terra ad ipsam non mouetur? nec ab ipsa circundatur?

Ad primam respondetur, cęlum esse communem, de ratione cuius est diuerso modo diuersas res continere, & conseruare; ipse etenim (maximè communissimus, sicut est cęlum) est veluti vniuersalis causa contentorum, secundum quorum diuersas exigentias, & necessitates influit; quare diuersas partiales continentiæ partes diuersis sunt assignandæ, itavt aliæ sint propè ipsum, aliæ magis distantes, aliæ medio modo se habentes, sic etenim ad ipsarum conseruationē decet. Dictum autem illud: vnumquodque naturalium corporum ad suum locum fertur, verum est de loco proprio, non autem de communi.

Ad secundam respondetur; cęlum sic dici immobile, quia nunquam magis, vel minus à centro recedit, vel sibi appropinquat, saltem primum, (de accessu autem, & recessu planetarum dicetur in libris de cęlo) quamuis circulariter moueatur: verum est tamen, quod quatenus mobile est, nunquam rationem loci habet, cum locus sit immobilis per se, & per accidens: sed dicatur locus impropriè, sicut vas dicitur locus vini, quia ipsum continet; ratio verò formalis loci in respectu locandi consistit; hi autem respectus in cęlo continente, vel locante sunt infiniti successiuè, quia modo est respectus vnius, modo alterius partis secundum quod in gyrum sibi inuicem succedunt, Arist. autem in hoc tex. 46. vocat cęlum immobile, modo præexposito.

Ad tertium respondetur; duplicem ordinem in quacunque re spectari posse, scilicet vniuersalem, & particularem; vniuersalis attenditur ex parte celi, & boni vniuersi, qui præponendus est particulari; vnde videmus quam plura corpora, proprijs inclinationibus dimissis, vniuersalem sequi: quemadmodum ne detur vacuum, grauia ascendunt, &c. terra itaque, vt cœlestem influxum, & ordinem sequatur, ad centrum descendit, quia ibi apta est manere, & conseruari, quare parum refert de aquæ continentia, & si naturaliter secundum peculiarem naturam, ipsum nata esset locare, quæ doctrina habetur ab Aristotele in 2. de cęlo; vel dicatur, terram manere, & contineri sub aqua, veluti à proprio loco, & vbicunque ponatur simul cum ipsa descendet, vt ab ipsa contineatur. Quod si aqua ad inferiora terræ fluat, hoc est, quatenus est grauis, & vacuum auferat; quapropter naturam propriam vbi impedimentum non inuenit, potius quam rationem locandi, quæ est quasi sibi extranea, sequitur: tamen semper sub ipsa nata est esse, vt diximus, nisi ratione finis; qua de causa ob viuentium conseruationem nunc magna terræ pars discooperta manet; adde, quod cum sit siccæ naturæ, & in aliquibus partibus compacta, & vt plurimum sit mista, & dura, vt patet de montibus, qui vt plurimum sunt lapidei, non faciliter potest sub aqua currere, sicut aqua ad proprium locū, quamobrem dici potest, locū terrę esse aquam, & sub ipsa contineretur, nisi aliud obstaret; nec tamen manet violenter, quia sat ei est, vt maneat in medio vniuersi, qui est ei magis naturalis locus, quam esse sub aqua; sicut melius est vniuersi bonū, quam particulare, quod exactius alibi examinabimus.

Ad Argumenta.

Ad primum respondetur, de ratione motus circularis non esse fieri ad locum, sed circa medium, sicut habetur in primo de cęlo, quamobrem rationalis videtur opinio Scoti, scilicet, quod denominetur motus localis, quia locat, & eiusdem ferè sententiæ apparet positio Auerrois.

Ad secundum respondetur, illam esse aptitudinem non omnium corporum, sed illorum, quæ nata sunt moueri motu recto, & esse extra propria loca, quod de cęlo dicere non possumus.

QVÆSTIO VIII.

De Vacuo.

Eodem autem modo existimandum est esse Physici considerare de Vacuo, si est, aut non, &c. Tex. 50.

An naturaliter dari possit vacuum.

Nemini dubiū esse debet, supernaturaliter vacuum dari posse, siquidem natura tota quoad esse, fieri, conseruari, & destrui à prima causa dependet. Difficultas itaque est, an vi naturæ id effici queat, quod si negatiuè respondeatur, vnde repugnantia contingat, videndum est. Quod igitur naturaliter dari possibile sit, his argumentis suadetur.

Quod potest in maius, potest etiam in minus, sed maius, ac difficilius est corpus, vel in aliquo loco producere, vel inducere, quam ipsum destruere, vel ab eo remouere, & locum ipsum inanem relinquere; sed natura potest illud, ergo & hoc. Primum argum.

Præterea. Si id nequiret, aut hoc repugnaret bono vniuersi, aut alicui particulari; non primo, quia nihil detrimenti vniuersum pateretur, si hoc cubiculum, v.g. vacuum esset, neque alicui particulari obesset, vt notum est. Secundum.

Amplius. Si vnum contrariorum fuerit in natura, necesse est reliquum esse, ex 2. de cælo tex.18. sed vacuum, & plenum, sunt contraria, ergo si plenum est, vacuū est; Sed si dicatur, hæc non esse verè cōtraria, sed priuatiua; Secundum.

hoc

hoc magis intentum confirmat: nam Arist. in postprędicamentis cap. de oppositis, de habitu ad priuationem facilem esse transitum; de priuatione verò ad habitum regressum non dari, affirmat, quapropter facilius est constituere vacuum, quam plenum, sicut facilius est destruere, quam construere. Nunc alia aliorum philosophantium communia argumenta (vt nihil insolutum relinquatur) adducamus.

Quartum. Accipiatur itaque vas aliquod plenum aqua calida, cuius foramen perfectè obstructum sit, atque in frigidissimo loco, temporeque proportionali apponatur, ita vt congeletur, tunc clarum est, aquam minorem locum occupare, nec aditum patere alteri replenti corpori; quamobrem necessariò vacuum intra ipsum clauderetur.

Quintum. Item. Capiatur pila ęnea intus concaua, proculdubio in concauitatibus continetur aer, sed ipsa pila ignitatur, tunc quidem ab ipso igne aer consumitur, extinguatur, vel marcescat denique ignis, sicut de facto naturaliter accidet, quid intra pilam continebitur? non ignis, quia extinctus est, non aer, quia ab ipso igne consumptus fuit, nec alter ingredi potest, nec ex igne aer generari, saltem in tanta copia, vt locus ignis repleri possit; nam ex multo igne parum aeris generatur, quare vel penitus, vel secundum partem, pila in internis partibus vacua erit.

Sextum. Amplius. Accipiantur folles, & eorum orificium intra vas aliquod ponatur; ita tamen quod penitus ab ipso os vasis repleatur, vt nec aditus, nec exitus aliquis pateat; eleuentur (ponantur namque compressi) tunc vel attrahent aerem vasis, vel non; si attrahent, vas vacuum manebit; si non, ipsi folles erunt vacui, & sic aliquo modo intentum habebimus.

Septimum. Denique. Sint duę tabulę lenes, ęquales, & supra se inuicem positę, (sicut patet de duobus lapidibus molaribus) altera ipsarum statim, & secundum ęqualitatem ab altera eleuetur, tunc illud spatium inter vtranque interceptum, profectò aliquantisper saltem vacuum manebit; non enim possibile est, vt in instanti ab aere vndequaque repleatur; nam motus naturalis localis corporum, instantaneus esse nequit. Quamplura alia eiusdem naturę argumenta circa hanc materiam effici possunt, quorum libri philosophici pleni sunt, ad solutionem accedamus.

Vacuum duplíciter. Multa ergo, ac subtilissimè de vacuo disseruit Arist. in textu, ideò pauca addenda sunt. Sciendum est igitur, quadrupliciter vacuum ab ipso Arist. cogitari posse statuitur. Vno modo pro spatio aliquo infinito, omnibus terminis carentre, ita vt re vera in ipso nihil sit, sicut est inane extra vniuersum. Secundo pro spatio in quo nullum sit corpus de genere substantię, sed bene de genere quantitatis, scilicet, longitudo, latitudo, & profunditas, siue sit finitum, siue infinitum, nihil refert. Tertiò, pro aliquo particulari, & determinato spatio, in quo similiter nihil penitus sit; sicut si inter latera huius domus nihil esset. Quartò denique etiam pro particulari accipitur, & hoc eodem modo, sed in diuersas partes discerptum, sicut si intra corpora essent plures pori, vel foramina vacua, in quibus alimentum, & alię partes in condensatione reciperentur, quod vocatur vacuum imbibitum. Hęc autem eiusdem philosophi doctrina summopere obseruanda est, non tam pro pręsenti, quã etiã pro sequenti quęstione ne frustra idem bis repetatur. Quibus suppositis quatuor conclusiones ponamus.

Conclusiones.

1. Concl. PRima. Vacuum primo modo, puta infinitum dari non potest, & ratione infinitatis, & ratione vacui; ratione infinitatis, quoniam si esset in mundo esset finitum, & à cęlo terminatum; si esset extra, vel imaginaretur antè mundi constitutionem, aut propriè vacuum non esset; quia ibi naturaliter aliquod corpus non esset natum existere (vacuum autem dicitur spatium priuatum corpore, in quo ipsum corpus naturaliter aptum est esse) vel si adhuc vacuum vocaretur, frustra, & contra bonum naturalium corporum esset; nam omne corpus naturale, natum est moueri, quiescere, & conseruari in proprio loco, sed in vacuo hoc infinito, neque determinatio loci, nec virtus aliqua conseruatiua reperiretur.

Secunda. Vacuum secundo modo non potest dari; probatur, quia accidens sine subiecto esse non potest; at corpus de genere quantitatis est accidens, ergo. Amplius duo corpora, nempè vacuum ipsum, seu corpus quantum, & aliud in eo receptum se penetrarent, quod impossibile esse, superius ostendimus. Secunda.

Tertia. Vacuum tertio modo non potest dari, probatur; nam cęlestes influxus, quibus omnia hęc inferiora gubernantur, vt habetur ex 1. Meteorolog. cap. 2. cum sint accidentia quędam in nihilo recipi non possunt: quare si esset aliquod vacuum, tales influxus interciperentur, & ordo, ac bonum naturę, pręposteto ordine in ruinam abiret; hac de causa multa particularia entia, potius vniuersi bonum, quam suum peculiare sectantia, pręter propriam naturam operarentur; sic aqua sursum attracto aere per fistulam ascendit; sic validissimę bombardę, eo quod statim aer locum ab igne euacuatum replere non valeat, scinduntur, hoc pacto multa grauissima pondera, lenta vi, debilibusq; instrumentis leuantur, & innumera alia, quę in diem ab vnoquoque videri possunt, proueniunt. Tertia.

Quarta. Neque vacuum imbibitum dari potest, probatur; quia eadem supradicta immediata ratione, vna pars, maximè principalis in aliam influere nequiret, nec successiuè ex alia ad aliam cęlestis influxus reciperetur. Alię efficacissimę rationes habentur in litera. Quarta.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur; naturam ipsam sic à Deo ordinatam fuisse, vt contra proprium bonum minime moliri posset; quamobrem cum vacuum contra eius perfectionem sit, ipsum inducere non potest; prædicta autem propositio intelligenda est cæteris paribus, & secundum agens independentis virtutis, aliter non est vera, homo namque potest producere hominem, non autem formicam, quamuis illud sit maius hoc.

Ad secundum respondetur, quod vniuersi bono repugnaret, eo quod influentię interciperentur, & ordo, in quo maior perfectionis portio consistit, confunderetur.

Ad tertium dicitur, hęc esse priuatiua, dum autem infertur de habitu ad priuationem esse transitum; dicitur hoc esse verum in particularibus, quę bonum vniuersi non concernunt, sed in vniuersi natura fallit; quia sibi repugnaret, ac primę causę notam impotentię, vel improuidentię inureret.

Ad quartum dicitur, à calefacta aqua exhalari spiritus, vel fumositates, quę vas replerent; vel si hoc non daretur, ipsum vas frangeretur ea parte, qua esset debilius, & si per totũ esset ęquale, frangeretur vbi vis maior agentis applicaretur; non enim ęquè per totum applicatur, sed secundum quod est diuersa partium approximatio, hoc autem agens est principaliter celum.

Ad quintũ respondetur, in tali casu pilam illam repleri quodam corpore, quod ex igne genitum fuit, ipse namque ignis in nihilum resolui non potuit; quare, vel concurrente cęlesti virtute, in aerem quoque est transitio, vel in exhalationem aliquam, vel fortè frangetur.

Ad

Ad sextum dicitur, tunc folles rumpi, vel non eleuari.

Ad septimum respondetur, tunc vnam ex illis tabulis sine alia eleuari non posse; sed secum illam traheret: si tamen non penitus æqualiter moueretur, posset aer ingredi, & nulla esset difficultas, si verò non sint perfectè lenes, vel planæ, aer mediaret, & eleuatio fieret.

QVÆSTIO IX.

Accidit autem dicentibus vacuum esse, vt necessarium, si erit motus, contrarium magis, &c. Tex. 66.

An si daretur vacuum in ipso fieri posset motus localis successiuus.

ARguitur primò, quod non; motus localis denominatur talis, quia est ad locum, vel circa locum; cum autem vacuum sit nihil, in eo motus localis non esset.

Secundò. Omnis effectus, omnisq; motus istorum inferiorum à cęlesti influxu, & virtute dependet; sed in vacuo virtus hæc cęlestis recipi non posset, ergo.

Tertiò. Si in vacuo fieri posset motus, æquè velociter omnia mouerentur, & sic æquali velocitate lapis, & palea deorsum tenderent, quod est absurdum; probatur consequentia, quia ideò aliud velocius alio mouetur, quia diuidit medium fortitudine maiori, vt ait Aristot. in litera, sed vacuum cum nullam habeat resistentiam, æqualiter ab omnibus diuidi potest, ergo.

Quartò. Vnumquodque corporum naturalium ad determinatum locum mouetur, vt ignis sursum, terra deorsum, &c. sed in vacuo nulla datur differentia, vel determinatio loci, ergo.

Quintò. Omnis motus naturalis saltem grauium, & leuium esset instantaneus, quod videtur contra rationem motus localis. Probatur consequentia, quia successio prouenit, vel ex resistentia medij, vel ex resistentia mobilis, vt quod lapis velocius per aerem, quam per aquam moueatur, ex resistentia, & densitate aquæ prouenit; quod verò animalia tarda moueantur, non solum ex medio, sed ex resistentia corporis moti prouenit: Sed in grauibus, & leuibus inanimatis hanc resistentiam inuenire non possumus, & ex supposito, non ex resistentia medij; ergo.

Sextò, Sequeretur, quod motus factus in vacuo esset naturalior eo, qui fit in pleno, quod est absurdum; nam quod repugnat naturæ, sicut est vacuum, naturalitatem tribuere non potest. Probatur consequentia, quia naturalius id est, quod citius, & sine impedimento ad naturalem finem perducit; sed in vacuo citius attingeretur terminus, & finis localis motus, eo quod nullum impedimentum adesset, ergo.

Septimò. Quæ est proportio medij ad medium in densitate, & raritate, eadem est proportio motus ad motum in velocitate, & tarditate, sed medij pleni ad vacuum nulla est proportio, sicut esse non potest inter ens, & nihil; (supponitur enim proportionabilia esse) ergo motus facti in pleno ad eum qui fit in vacuo nō est proportio, quare alter ipsorum non est motus; siquidem omnis motus omni motui est proportionalis, & si sint eiusdem speciei (vt ad propositum) sunt quoque comparabiles, ex 7. Physic. tex. 31. non autem dicendum est, motum in pleno factum, motum non esse; siquidem hoc constet; ergo is, qui in vacuo fieret à ratione, vel natura motus recederet, & fortè in non ens abiret.

Octauò. Denique, id est expressè contra Aristotelem in hoc tractatu, vbi nihil aliud contra Antiquos vacuum ponentes reclamat, nisi quod, sic asserentes, motum auferunt, & ferè omnes eius rationes contra hoc procedunt.

Pro intelligentia sciendum est; duplici de causa in motu successionem, & continuitatem prouenire; altera est ex parte spatij, vel medij, quod est magis, vel minus densum, aut rarum, quo pacto idem mobile velocius mouetur per aerem, quam per aquam, quia aer est aqua subtilior, & facilius diuidi potest; quæ quidem causa, vt patet, est extrinseca, vnde meritò à quibusdam vocatur accidentalis resistentia. Alia est ex parte ipsius mobilis, & motoris in comparatione ad terminos per motum acquisibiles, sic nimirum, quod motor sit finitæ virtutis, & mobile ipsum aliquam naturalem resistentiam habeat, vnde sequitur, quod non statim totus motus in ipsum mobile induci possit, nec per consequens in instanti terminus vltimus acquiratur; quæ quidem potentia, & resistentia, non est eadem, nec eodem modo in omnibus; sed secundum diuersa, diuersa: in animalibus namq; maior, quam in alijs apparet, præcipuè dum proprio motu animalia mouentur; qui est, vel progressiuus, vel natatiuus, vel volatiuus, aut reptilis, dilatationis, & restrictionis, qui accidit conchis, aut denique quouis alio modo; ratio est, quia corpora ipsa animalium diuersis ex partibus constant; quarum plures sunt graues, vnde dum non ad centrum tendunt violentiam aliquam patiuntur, & per consequens maiorem resistentiam habent. Secus dicendum esset, si vt inanimata mouerentur, puta deorsum cadendo; tunc namque violentum aliquod non retinent. In inanimatis quoque diuersa ratio reperitur: sunt etenim quędam sic exigua, vel lęuia, vt nec magnam impultricem virtutem, nec receptricem facultatem habeant; quare paleæ, & alia exigua, nec si sursum violenter proijciantur, nec si deorsum naturaliter descendant, velocitatem notabilem habere poterunt, ob vtriusq; virtutis defectum, vt diximus. Duo autem pro maiori intelligentia adhuc breuiter notanda sunt. Alterum est, quod cum dicitur, mobilia ipsa sibi ipsis mouentibus resistere; credendum non est, ob id pati violentiam, vel motum ipsorum naturalem non esse; sed sic intelligendum est, quod cum sint finitæ, & limitatæ capacitatis, totum impetum, vel quantum sufficiens esset ad motum statim subeundum recipere nequeunt; quamobrem finita ipsorum naturalitas supponitur. Aliud obseruandum est, quod talis resistentia, & determinata potentia applicari potest respectu cuiuslibet mobilis motoris, & motus finiti; quia par ratio in omnibus reperitur; quapropter hac eadem de causa motus circularis cœli instantaneus esse non potest, & sic de alijs, nisi aliunde fiat excessus, vel impedimentum, & resistentia auferatur, sicut accidit, dum agens contrariū non habet, vt in illuminatione, vel dum penitus superat, vt dum aqua tota simul congelatur, aut forma statim introducitur. Quibus suppositis sit resolutio præcipuè difficultatis.

Conclusio.

SI per quamcunque potentiam vacuum aliquod finitum daretur, in eo motus localis successiuus fieri posset; dicitur si daretur vacuum finitum, quia infinitum profectò in se differentias, quæ ad motum localem requiruntur, non haberet; dicimus quoque motum localem, quia de alijs nō est tanta difficultas: successio namque ipsorum, attenditur ex parte subiecti, vel formæ acquisibilis, non autem ex parte spatij; dicitur si per quamcunque potētiam vacuum daretur, quoniam aliqui credunt ab Angelis fieri posse; quod tamen credibile non est; siquidem cum sint creaturæ, ordinem vniuersi, qui à solo Deo dependet, peruertere haudquaquā possunt. Conclusio.

Sic

Sic itaq; declarata conclusio rationibus comprobatur, fit igitur. Prima. Vbicunque reperiri potest ratio sufficiens, & essentialis ad motum localem, ibi ipse motus fieri potest, sed in vacuo potest reperiri, quia ibi est distantia terminorum, & resistentia, ac finita virtus motoris, & mobilis, vnde statim ad terminum peruenire non poterit, ergo. Secunda. Sit vacuum in hoc cubiculo, quis nunquam prohiberet, vel aliquem prohibere posse somniaret, vel hominem deambulantem, vel formicam per parietem scandentem, in instanti moueri? Tertia. Motus circularis Cœli non accipit successionem à spatio, vt notum est, ergo saltem hic daretur, & sic quilibet motus auferendus non est; ex quibus addo, quod sicut cœlum (& sit quarta ratio) absque vllo ordine, vel resistentia spatij successiuè mouetur, prout mouens, & mobile sunt finitæ virtutis; ergo similiter ratione finitatis alia naturalia corpora, maximè elementa, (de quibus solum aliqui difficultatem faciunt) successiuè moueri debent, & sic ignis in terra existens, quamuis interuallum inter terram, & orbem lunarem esset, vacuum successiuè ad suum locum migraret. Quinta. Ponatur quod ignis de terra ad concauũ orbis Lunæ ascensurus sit, vel in eodem instanti erit in terra, & in cœlo, vel in alijs, vel alio; si in eodem, hoc est contradictio, quia dum est in terra non est in cœlo, & è conuersò; quare esset, & non esset in terra, vel in cœlo, si in alio, & alio, cùm inter duo instantia mediet tempus, profectò motus eius esset in tempore, & per consequens successiuus. At si quis dicat; hoc pacto nullus daretur instantaneus motus, si quidem similiter arguere possumus de quocunque. Respondetur, quoscunque motus instantaneos sic se habere, vt non supponant mobile in diuersis locis; sed formam in instanti induci, v. g. fiat congelatio, vel generatio, vel illuminatio in instanti, in eodem nunc densitas gelu accipit esse per non esse raritatis; similiter forma introducitur, & alia simul esse desinit, & adueniente lumine, eodem instanti tenebræ cessant, nec vnquam contradictoria de eodem possibile est cogitare, sicut in motu locali. Si quis iterum replicet, ergo neque à Deo in aliquo causari posset motus localis instantaneus, quia contradictoria ab eo suppleri non possunt; hoc ergo concederem, quamuis ictu oculi, vel citissimè id efficeret. Denique Arist. in hoc libro textu 68. concedit, aliquid in vacuo vehi posset; sed vectio est quidam motus, ergo.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur, de facto, motum localem, vel ad locum, vel circa locum fieri, quia vero ordo naturæ de lege ordinaria est immutabilis, sic fas est eum denominare. Sed si per Dei absolutam potentiam mutaretur, motus localis esset ad locum immaginarium, vel ad vltimam superficiem vltimi corporis, quia non ponimus vacuum infinium, vt si ignis de terra ad cœlum moueretur, ibi esset eius locus, saltem quo ad superficiem conuexam eiusdem ignis.

Ad secundum (saluo meliori iudicio) dicerem, omnia hæc inferiora, quo ad fieri, & diù conseruari, ab influxu cælesti dependere, sed postquam esse habuerunt; non crederem, quod statim omnia ex ipsius influxus defectu interirent: quare terra, v. g. etiam si aliud cœlum non influeret, in nihilum, vel in primam materiam non resolueretur, quia ad hoc requiritur ingens actio positiua corrumpentis, & non pura desitio influendi, maximè causæ creatæ, quia respectu Dei, aliter dicendum est; sic dici potest de igne, & multis alijs; quapropter dato vacuo, corpora extra loca posita, ad proprium locum mearent. Vel dicatur, supponendam esse in tali casu conseruationem à quacunque virtute; sicut supponitur vacuum, quia hoc nihil refert.

Ad tertium negatur consequentia, ad probationem dicitur, talem successionem, vel velocitatem esse accidentalem, essentialem vero prouenire ex maiori, vel minori virtute motoris, & resistentia mobilis.

Ad quartum patet, quod currit de vacuo infinito, in quo motum naturalem fieri posse, negamus.

Ad quintum negatur, in naturalibus non dari resistentiam ex finita virtute, & capacitate prouenientem.

Ad sextum negatur consequentia; ad probationem respondetur, naturalitatem attendi secundum inclinationem mobilis ad proprium locum, & bonum, non autem secundum velocitatem maiorem, & minorem, nam hæc sunt accidentia motus.

Ad septimum respondetur, illam esse proportionem ex parte causæ accidentalis motus, quam tamen Antiqui totalem, & essentialem esse putabant, & sic Aristoteles bene arguit contra ipsos, non tamen demonstratiuè, vt aliqui falsò putant, quia locus à proportione est dialecticus, & inter debiliora connumeratur.

Ad Octauum dicitur, Aristotelem negare motum in vacuo infinito, vt expresè patet in tex. 67. ait namque. At verò natura quidem quomodo erit, cum nulla sit differentia secundum vacuum, & infinitum? quatenus enim infinitum est, nihil erit sursum, aut deorsum; quatenus verò vacuum, nihil differens deorsum à sursum.

QVÆSTIO X.

Quoniam autem vacuum quidem non dicimus esse, &c.

Circa hunc textum, quæritur, quid sint raritas, & densitas, & quomodo fiant.

QVamuis materia hæc ad libros de generatione, vbi de augmentatione, & diminutione agitur, attineat; tamen quia hic quoq; de ipso fit mentio, ne addiscentium voluntas diù desiderio laboret, breuiter eam determinabo. Est igitur aliquorũ opinio, quod, raritas sit maioris nouæ quantitatis acquisitio, minori præcedenti penitus corrupta; condensatio autem sit acquisitio minoris, corrupta præcedenti maiori, quod sic comprobare nituntur. Dum aliquid rarefit, secundũ quaslibet partes rarefieri, rationi, & experientiæ consentaneum est, ergo quælibet pars nouam acquirit quantitatem, & sic est totius quantitatis acquisitio, & per consequens præcedens non manet, aliter hæc non esset noua, & tota. Similiter in condensatione quælibet pars fit minor, quare præcedens quantitas non manet, vnde aliam penitus nouam minorem constituere debemus. Præterea ex 5. Physic. tex. 26. & inde habetur, terminos motus esse oppositos, vel incompossibiles, vt notum est; si enim ex albo aliquod fiat nigrum; albedo, & nigredo qui sunt termini huiuscemodi mutationis simul esse non posunt, sed rarefactio incipit à minori quantitate ad maiorem; condensatio à maiori ad minorem, ergo in illa minor, in hac autem maior præcedens non manet, & sic in vtraque est penitus noua. Sed hæc positio est falsa, nam quantitas de genere actiuorum non est, ergo ipsa adueniens, præcedentem corrumpere nequit; adde etiam, quod inter se nullam contrarietatem habent. Præterea destructa quantitate, etiam alia accidentia corrumpuntur, at hoc est falsum; aqua enim, vel vinum rarefactum, aut condensatum, sicut prius erat, sic nunc quoque humidum, sapidum, & odoriferum, alijsvè qualitatibus affectum manet. Nec rationes ipsorum aliquid concludunt, nam quamuis quælibet pars rarefiat, vel condensetur, hoc non est per aduentum vniuersæ quantitatis, sed quælibet pars portionem aliquam nouæ

Opinio Burlei, & aliorum.

quan-

quantitatis recipit. Ad id quod dicitur, termini motus sunt incompossibiles, respondetur; hoc esse verum si secundum ipsorum rationem formalem accipiantur: est autem ratio hæc, vt vnus ipsorum puta terminus a quo sit veluti priuatio vel in se, vel provt ab ipso est recessus, alter sit veluti habitus, vel forma, v.g. si quis motu augmentationis moueatur, nimirum de minori ad maiorem quantitatem, ratio formalis est illa minoritas, & maioritas; quarum prima necessariò est cum altera in compossibilis, aliter idem esset maius, & minus respectu eiusdem. Sed termini materiales sunt formæ, vel res ipsæ, quæ formalibus subijciuntur, vt in prædicto exemplo est quantitas, quæ vocatur maior, & minor, & hi termini non sunt semper incompossibiles, imò in augmentatione necessariò sunt simul, sicut necesse est, quod in majori numero includatur minor; sic in condensatione magnitudo eadem manet, & si ratio maioritatis, quę est formalis terminus, perierit; in quibusdam tamen etiam materiales termini sunt incompossibiles, vt dum ex calido fit frigidum, vel è contra. Alij autem existimant per extensionem, & retractionem partium quantitatiuarum fieri rarefactionem, & condensationem sine aliqua noua adueniente quantitate, quod sic probant; sicut intensio, & remissio non est noua qualitas, sed passio eius, ita extensio, & retractio, vel intensio quantitatiua non est noua quantitas, sed passio. Amplius dum aqua per calorem rarefit, & per frigus condensatur, ridiculum videtur, quod quantitatem acquisierit, vel deperdiderit, imò vnusquisque sanæ mentis, & mediocris judicij eandem aquæ quantitatem sub diuersa extensione, vel retractione contineri fateretur.

Terminus, vel ratio termini formalis motus.

Materialis.

Quæ quidem opinio, & si valde rationabilis appareat nihilominus est insufficiens; quoniam sicut intensio, & remissio qualitatis per excessum, & recessum nouæ qualitatis efficitur; ita extensio, & retractio quantitatis per nouæ quantitatis acquisitionem, & alterius deperditionem fieri debet. Amplius. Ratio formalis quantitatis cõtinuæ est habere partes semper diuisibiles, ergo dum in aliquo plures, vel pauciores huiusmodi partes sunt, ibi est quidem maior, vel minor quantitas, & non sola passio, vel extensio. Amplius dum passio ad proprium actum reducitur, est aliqua mutatio in subiecto, vt dum homo actualiter ridet, fit motus oris, &c. ergo cum extensibilitas, & intensibilitas sint passiones quantitatis, dum ipsa actualiter extenditur, vel remittitur, est aliqua mutatio preter actualem extensionem, & remissionem; hæc autem non est, nisi quantitatiua, quia ipsa quantitas alia accidentia non supponit, sed bene è contra, nec aliam possibile est imaginari, nisi quantitatis nouæ accessionem, vel recessionem. Argumenta autem ipsorum facilè diluuntur.

Ad primum respondetur, extensionem, & retractionem, vel potius aptitudinem ad hæc esse ipsius quantitatis passiones, non tamen ad actum reduci, nisi quantitate adueniente, vel recedente, sicut de intensione, & remissione qualitatis dictum est.

Ad secundum respondetur; hoc non esse ridiculum, sed sapientissimum, & quamuis eadem aquæ quantitas dicatur per hanc substantiam eiusdem circumscribere intendimus.

Dicamus itaque. Rarefactionem fieri per acquisitionem nouæ quantitatis; condensationem per deperditionem: pro cuius intelligentia sciendum est, quod partes corporis condensati sunt sibi inuicem maximè propinquæ, & compactæ, quæ maiorem locum per recessum absque discontinuitate vnius ab alia acquirere possunt, & hæc est rarefactio; si autem partes aliquomodo distantes magis approximentur adinuicem, minoremque locum occupent, est condensatio, quamuis interdum per appositionem corporis intra corpus alterum, vel per remotionem eiusdem rarefactio, & condensatio dicatur, sed impropriè, sicut dum intra spongiam aer recipitur, vel extra expellitur per compressionem; nam rarefactio, & condensatio propriè dictæ respiciunt partes eiusdem corporis diuersimodè approximatas, vel distantes; quæ triplici de causa accidit videlicet ex calore, & frigore; calidi namque est rarefacere, frigidi verò condensare, & hac de causa aqua feruens maiorem occupat locum, ac homines tempore æstiuo sunt debiliores, faciliusque sudant, nam rarefiunt pori, vnde calor internus dilatatur, egreditur, & debilior euadit; nam quo minus vnitus fuerit, eo impotentior; sicut è contra vnitus fortior; similiter glandes, castaneæ, oua, poma, & quamplurima alia apud ignem apposita, eo quod humor rarefit, percrepant; Fit quoque ratione compressionis, vt dum lutum vel ceram perstringimus, sicut rarefactio per extrusionem, vel dilatationem; ac tandem à natura ipsa, rara, & densa corpora generantur. Vbi obseruandum est, quod non potest dari condensatio sine rarefactione, nec è conuerso, aliter, vel daretur vacuum, vel Mundus fluctuaret, vel non esset motus, vt dicebat Xutus, dato namque quod aliquid rarefiat partes eius, maiorem occupant locum; si igitur aliud corpus sibi propinquum non condensetur, ipsum pellet, & illud aliud, & sic vsque ad cęlum, & inde, quod si pellere nequibit, motus non erit, sed vnumquodque quasi inter duos parietes fixum, & immobile manebit, vel tandem daretur vacuum, maximè in condensatione, quia cum occupetur minor locus, si à rarefacto vicino corpore non repleatur, erit vacuum, quæ rationes fusè habitæ sunt in litera; ideò sufficiant, & intelligantur de raro, & denso, quæ non acquirunt esse tale per generationem, sed alio modo; duę tamen supersunt dubitationes; altera est, quomodo in condensatione potest saluari, quod vacuum non detur, nam partes illæ recipiuntur in vacuo, vel in pleno; non in pleno, quia duo corpora essent simul, ergo in vacuo. Secunda in quo genere raritas, & densitas reponenda sit.

Conclusio.

Condensationis, & rarefactionis triplex causa.

Ad primam respondetur, ideò non dari vacuum, quia partes antea rarefactæ comprimuntur, ac adinuicem approximantur, quare vacuum non supponunt.

Ad secundam respondetur, eas esse in genere situs; nam nihil aliud dicunt, nisi diuersarum partium situm, vel ordinem, vt ex se patet.

QVÆSTIO XI.

Vt enim ex frigido fit calidum, & ex calido frigidum, eadem quia erat potentia, sic ex calido magis calidum, nullo facto in materia calido, quod non erat calidum, &c. Tex. 86.

Quomodo in qualitate fiat intensio, atque remissio.

TRes circa hanc materiam præcipuas opiniones inuenio. Prima est D. Thomæ, qui intensionem, & remissionem qualitatis ex maiori, vel minori radicatione in subiecto fieri dicit; vt aliquis color, vel odor, vel sapor intensior altero sit, ideò esse putat, quia magis, quam alter in subiecto firmiter, & immutabiliter hæret, quo pacto omnis habitus est magis intensus, quam dispositio, imò in hoc propriè differentia magis & minus intensæ qualitatis consistere videtur; habitus namq; est difficiliter mobilis, seu magis radicatus, dispositio faciliter, & radicata minus. Huius autem opinionis rationes potissimæ sunt istæ.

Opinio D. Thomæ.

Primum argum.

Prima: Aut talis intensio, & remissio fit per maiorem radicatio-

radicationem in subiecto, aut per acquisitionem alterius qualitatis, alter modus imaginandus non est; at fieri non potest hoc secundo modo; quia tunc in eodem subiecto reciperetur accidens eiusdem speciei, quod falsum est, quia duo accidentia eiusdem speciei in eodem subiecto esse nequeunt, nec vnum est in potentia ad alterum cum sint eiusdem rationis.

Secundum. Secunda, aliquæ formæ indiuisibiles suscipiunt magis, & minus, seu intenduntur, & remittuntur; ergo: talis intensio, & remissio non fit per nouam qualitatem, quia sic talis qualitas esset diuisibilis in præcedentem, & sequentem; antecedens patet de visione, & intellectione, quæ vocantur operationes, & qualitates immanêtes, sunt autem indiuisibiles, & instantaneæ, & tamen vt notum est intenduntur, & remittuntur secundum approximationẽ obiecti, ergo. Secunda est opinio Gregorij Ariminensis, Ægidij, & quorundam aliorum; isti etenim dicunt, diuersam intensionem, & remissionem ab existentia, non autem ab essentia formæ prouenire; essentia namque in indiuisibili consistit; quare quælibet variatio secundum existentiam accidit; quæ positio duplicem sensum habere potest, videlicet, quod magis existat radicata in subiecto (essentia namq; à subiecto abstrahit) & sic à præcedenti opinione non differt; vel prout existit, plures additas, vel remotas partes qualitatis accipiat, & sic non differret ab opinione sequenti, nec aliter declarari potest; nam ratio formalis existentiæ est esse extra causam, & intellectum, quæ sic secundum se est indiuisibilis, sicut essentia: tamen suscipere magis, & minus diei potest pro connotato, prout nimirum qualitas existens sic se habet; abstracta verò in simplici indiuisibili quidditate, quæ per definitionem explicatur, consistit, & hoc pacto mihi ad opinionem, vel Scoti, vel D. Thomæ reducenda videtur. Est igitur opinio Scoti, quod fiat intensio, & remissio secundum additionem, vel remotionem partium gradualium eiusdem quantitatis. Quæ doctrina cum sit verissima, & Peripatetica declaranda, & comprobanda est.

Gregorij. Tertium.

Pro intelligentia itaque ipsius sciendum est, quod in qualitatibus, quæ magis, & minus suscipiunt (non enim omnes sic se habent, vt docet Arist. in præd. cap. de qualit. figuras namque sic se habere, negat) reperiuntur gradus, partes quoque graduales, non gradus, latitudo formæ, & fixio, vel radicatio in subiecto; gradus est illud minimum formæ, quod in aliquo subiecto per se manere potest; pars autem ipsius est quicquid ad ipsum, vel ad qualitatem pertinet, siue possit per se in subiecto manere, siue non, & ambo sunt qualitates. Non gradus est negatio qualitatis cum proxima dispositione. Latitudo autem formæ, vel qualitatis, est dum accipitur ipsa plene, secundum totum subiectum intensa, & extensa simul, vt si Cygnus secundum se totum sit summe albus; quare latitudo hæc intensionem, & extensionem respicit. Fixio verò, vel radicatio est immobilitas in subiecto, quæ omnia intelligenda sunt de forma existenti, quia abstracta ab his omnibus præscindit. Obseruandum est etiam, quod tales intensiones fieri possunt vniformiter per totum subiectum, vel difformiter secundum diuersas partes, nam vna potest esse alia intensior, vt facile est coniectare; quibus positis sit hæc expressa conclusio.

Gradus. Pars gradus. Non gradus. Latitudo formæ. Fixio.

Conclusio. Intensio qualitatis fit per additionem eiusdem, quæ quandoque per gradus, interdum per partes graduales, aliquando per plures gradus fieri potest secundum virtutem agentis, & subiecti dispositionem. Nullo autem pacto fit per radicationem subiecti, vel per existentiam, nisi ad hunc modum dicendũ reducatur. Probatur; omnis alteratio est per acquisitionem alicuius qualitatis, vel per additionem eiusdem ex 5. Phys. tex. 19. ergo nihil facit radicatio in subiecto. Præterea, esse magis, vel minus radicatum est difficilius à subiecto remouibile esse; hoc autem maiorem intensionem non habet; quoniam experientia comperitur, aliquas valde remissas qualitates, vt febres quasdam, colores naturales, sapores, &c. in subiecto quam maximè, & immobiliter radicatas esse; è conuerso intensissimas, facile ab ipso remoueri, vt de quibusdam ardentibus febribus notum est. Amplius sicut extensio fit per additionem quantitatis, ita intensio per additionem qualitatis, denique. Quando aliquid fit magis, & minus tale propter aliud, illud est magis tale; sed subiectum est magis, & minus intensum propter qualitatem; ergo, ipsa in se magis est talis. Nec argumenta præfati Doctoris aliquid concludunt.

Ad primum namq; dicitur, quamuis accidentia eiusdem speciei in eodem subiecto distincta manere nõ possint, quia continuatur, & efficitur vnum; tamen simul intenduntur, & licet non magis vnum sit in potentia ad alterum, quam è contra, hoc non aufert compositionem, vel vnibilitatem, vt patet de vnitatibus, quæ sunt eiusdem rationis, & ex ipsis fit numerus.

Ad secundum negatur, tales qualitates esse indiuisibiles, intenduntur namq; & remittuntur per additionem, vel remotionem speciei, & sic suo modo etiam, sicut prædictæ, procedunt.

Ad argumentum alterius opinionis respondetur, quod quamuis essentia non suscipiat magis, neque minus in abstracto, tamen existens suscipit, nec existentia est aliud quã ratio, vel causa sine qua non istius susceptionis, quod est dicere, ipsa essentia, vel forma non susciperet, nisi existeret; nam abstracta puram quidditatem includit, quæ in quacunque parte saluari potest, & omne plus, vel minus est sibi extraneum. Prætereundum tamen non est, quod aliqui dicunt, additionem, vel intensionem, & similiter remissionem fieri per corruptionem qualitatis præcedentis, qui sicut eisdem argumentis, quibus hoc modo rarefactionem, & condensationem fieri suadebant; ita eisdem responsionibus, & improbationibus impugnandi sunt, quod in præcedenti quæstione patet.

QVÆSTIO XII.

De Tempore.

An tempus sit numerus motus, &c.

Tex. 101.

Arguitur primò, quod non. Numerus est quantitas discreta, Tempus verò est quantitas continua; ergo, Tempus non est Numerus.

Secundò: Numerus, vel mensura est notior mensurato, sed tempus est ignotius motu, ergo; maior est nota, quoniam mensura assumitur ad notificandum mensuratum, quare nisi esset notior ipsum notificare non posset; minor quoque patet; nam motus in 2. de Anima tex. 64. inter communia sensibilia numeratur, quamobrem à pluribus sensibus perceptibilis est, & sic maximè sensibilis, & cognoscibilis.

Tertiò: Numerus, vel mensura debet esse æqualis rebus numeratis, vel mensuratis: tempus autem non sic se habet; nam in eodem tempore, quidam motus velociores aliqui verò tardiores fiunt, ergo.

Quartò: Quod non est, mensura esse nequit, sed tempus non est, ergo; minor ab Aristotele in litera hoc pacto probatur; cuius nulla pars est, ipsum non est (maximè si partibile sit, sicut ponitur tempus; nam de indiuisibilibus alia est ratio) sed partes tẽporis non sunt; quia aliæ fuerunt, aliæ futuræ sunt; de præsenti non habemus, nisi Nunc, quod non est pars ipsius temporis; nam indiuisibile non est pars rei continuæ, & diuisibilis.

Quintò. Si tempus est, aut est corruptibile, aut incorruptibile,

ruptibile, non primo modo, quia omne quod corrumpitur, in tempore corrumpitur; quare tẽporis esset tempus, & illius alterum in infinitum; non secundo, quoniam partes eius, vt notum est, deficiunt, quare nullatenus est.

Sextò. Si tempus daretur, aut esset vnũ, aut plura; non vnum, quia sicut sunt plures motus, ita quoq; plura tempora; vel pluribus mensuratis, plures mensuræ responderent; non plura, nam hoc apud Arist. in tex. 94. adducitur velut inconueniens contra Antiquos, ergo.

Tempus commune. Pro intelligentia est primò notandum, quod tempus est duplex, videlicet commune, & proprium. Commune est duratio motus primi mobilis, quod ideo commune dicitur, quia pluribus est applicabile; per ipsum namque omnes nostras actiones metimur: sed respectu ipsius primi mobilis est proprium, & in ipso sicut accidens in subiecto inhæret; & quamuis præter motum primi mobilis, alij quoque orbes regulariter moueantur, & maximè orbis Solis, & Lunæ, à quibus videtur fieri distinctio dierum, noctium, & mensium; tamen quia motus primi mobilis est velocissimus, meritò vt mensura alijs applicatur; nam de ratione mensuræ est esse minimum, & minimum motus in maxima velocitate consistit. Tempus verò proprium est duratio cuiusq; motus particularis. Proprium.

Numerus triplex. Secundò notandum, quod numerus est triplex, scilicet numerus numeratus, numerus numerans, & numerus formalis. Numerus numeratus sunt res ipsæ, vel numeratæ, vel numerabiles, vt quatuor homines, quatuor Leones, &c. qui quidem vel potest esse secundum vnitates actualiter diuisas, vt in prædictis exemplis, vel solum per intellectum sic distributas, sicut si lineam in quinque, vel plures partes distinctam conciperemus. Numerus numerans est anima ipsa, vel quicumque intellectus numerans, vt habet Aristoteles in textu. At numerus formalis est multitudo ex vnitatibus aggregata, seu quantitas discreta applicabilis pluribus, secundum quem eundem esse numerum decem equorum, & decem Leonum habet Arist. in litera. Numerus autem numeratus in quolibet prædicamento reperiri potest, dicimus nãq; duas substantias, duas qualitates, duos Angelos, &c. vnde est transcendentalis.

Mensura duplex. Tertiò notandum, quod duplex est mensura, scilicet adæquationis, & reduplicationis. Primo modo dicitur, quando adæquatè respondet rei mensuratæ, vt si per vlnam pannum, qui eiusdem quantitatis sit mensuremus. Reduplicationis autem est, dum idem accipitur pluries ad aliquid mensurandum, vt si per vlnam aliquod decem palmorum mensuremus: vtraque tamen est duplex, scilicet intrinseca, & extrinseca. Intrinseca est quantitas rei ipsæ inhærens, vt dum per propriam quantitatem cubitalem, hoc tantum esse cognoscimus, vel eandem quantitatem ad seipsum mensurandum pluries applicamus: sicut accepta quadam mensura panni, vt cubitali, ipsamet vtimur ad reliquum metiendum, & sic est intrinseca, & reduplicationis; si autem vnica vice mensuretur est intrinseca, & adæquationis. Extrinseca autem est quantitas aliena, vt si per quantitatem ligni, quantitatem domus, vel alterius rei mensuremus extrinseca est, quod si vna vice fiat adæquatè, est mensura extrinseca adæquationis; si per reduplicationem est extrinseca reduplicationis.

Obseruandum est etiam, quod mensura reduplicationis, magis vel principaliter habet rationem mensuræ, quam adæquationis, patet; nam hæc ad illam reducitur, vt ideò scimus hanc quantitatem esse vnius palmi, quia cuius mensuræ, vel digitorum palmus sit præcognoscimus; quapropter semper ad minimum deueniendum est, vt in numero ad vnitatem; hoc autem minimum solum in reduplicationis mensura datur, vt notum est; quare adæquationis est secundum quid, & sic præcedenti vtimur, vel ad ipsam reducimus, vt si quæratur quot cubitis homo sit longus; quærendum est, quot palmis, vel digitis constet cubitus, aut antea hoc præcognitum esse debet: quibus habitis aliquæ conclusiones ponuntur.

Conclusiones.

PRima. Tempus commune est intrinseca mensura adæquationis motus primi mobilis secundum prius & posterius; dicitur intrinseca mensura, quia est duratio, & accidens sibi inhærens; dicitur adæquationis accipiendo ipsum motum Cathegorematicè, seu secundum se totum, hoc namque modo duratio ipsa toti motui adæquatur; impossibile namq; est esse motum sine continua duratione, vel continuam durationem sine motu; dicitur deniq; secundum prius & posterius, quia duratio hęc adæquatur partibus præcedentibus, & subsequentibus motum. Animaduertendum est autem, quod cum talis mensura sit, vt diximus, secundum quid, deficit à vera ratione mensuræ temporis assignatæ à Philosopho in litera, vbi inquit, mensuram, vel tempus sic mensurare temporalia, vt ipsa à tempore excedantur, &c. hæc autẽ non sic se habet, cum adæquet. Sed dubitatio est, quomodo mensura reduplicationis, cum sit minima, excedere potest. Respondetur per reduplicationem, vt cubitus millies, & infinities ad aliquid mensurandum assumi potest. Mensura tamen adæquationis non est penitus reijcienda, quia multis inseruit, vt patebit.

Secunda. Tempus commune in ordine ad partes motus cęlestis est intrinseca mensura reduplicationis secundum prius, & posterius; quod sit reduplicationis (cæterą exponantur, vt in præcedenti conclusione) patet: nam quælibet pars tẽporis accipitur, & reduplicatur ad mensurandas partes motus, sic namque vtimur horis, quartis, minutis, &c. & hoc pacto, motus cęlestis est in tempore, quia partes eius sic sigillatim sumptæ à tempore exceduntur. Verum est tamen, quod hæc reduplicatio fit per mentem; nam re vera tempus, (vt videbimus) non est actualiter quantitas discreta, sed continua, quia nihilominus in vera, & reali duratione sic applicata consistit, non est quid fictitium, nec purum ens rationis, vt etiam dicemus.

Tertia. Tempus ipsum commune est mensura reduplicationis extrinseca omnium aliorum motuum; quod sit extrinseca, patet, quia in illis non inhæret, quod sit reduplicationis etiam notum est, quia partes temporis minimæ per cognitionem motui cuicunque applicantur, & reduplicantur; dicimus namque tot horis, vel diebus, vel annis durauisse hanc, vel illam actionem, quæ denique ab ipso tempore exceditur, & sic vera mensuræ ratio ei conuenit.

Quarta. Tempus proprium est mensura adæquationis interna cuiusque motus particularis, patet; nam sibi adæquatur, non excedit, nec exceditur, & ei immediatè inest.

Quinta. Tempus est numerus numeratus, non vnitatum realiter separatum, sed per intellectum solum, sicut dum quatuor lineæ partes consideremus. Probatur, nam est quædam passio, & continua duratio motus, necnon in genere quantitatis continuæ reponitur; quæ quidem conclusio, tam de tempore communi, quam de particulari veritatem habet; quamobrem tempus quodcunque in se sumptum simpliciter adæquationem, & continuitatem cum motu, cuius est tempus, dicit; discretionem autem ab intellectu, vel anima accipit, vt luculenter docet Arist. in litera.

Ad Argumenta.

AD primum patet; Tempus namque secundum se est continua quantitas, sed per intellectum numeratur.

Ad

Ad secundum respondetur tempus prout ab anima sic in horas, vel dies, aut alias partes discretum est, esse notius motu, & hoc sufficit; nam de ratione mensuræ, est, quod sit notior quoad nos; quod quidem veritatem habet, tam si comparemus tempus commune (de quo præcipuè est sermo) ad motum cælestem, quam ad particulares; dum dicitur, motus est de genere sensibilium communium, non autem tempus: respondetur tempus ipsum pertinere ad motum, vnde Philosophus in litera vult, quod vnum cum alio necessariò semper percipiatur.

Ad tertium respondetur; maiorem non esse veram de mensura reduplicationis, sic autem se habet tempus commune; de particularibus verò temporibus aliud dicendum est, scilicet, quod vnumquodque suo motui æquetur.

Ad quartum negatur minor; nam de ratione successiuorum est, quod partes ipsorum non sint, sed fluant, vel fiant, & sic tempus est.

Ad quintum dicitur, tempus saltem secundum partes esse corruptibile, vel potius defectibile; nam corruptio est solius substantiæ, dum infertur, ergo corrumpitur in tempore, conceditur; dum dicitur, ergo in alio tempore, negatur, nam ipsum in se deficit, sicut est ratio successiuorum.

Ad sextum dicitur esse vnum commune, plura verò particularia.

QVÆSTIO XIII.

Quod igitur non est motus manifestum est. Tex. 93.

An tempus realiter distinguatur à motu.

ARguitur primò pro parte affirmatiua; quorum vnum potest esse sine alio inter illa est realis distinctio, vt ab omnibus conceditur. Sed tempus potest esse sine motu, ergo. Probatur minor, nam multæ res quiescentes in tempore esse, & quiescere dicuntur.

Secundò, quæ habent species, & differentias diuersas realiter distinguuntur; sed motus, & tempus sic se habent, ergo, maior videtur nota, quia sic se habere est esse in diuersis generibus; genera verò realiter differunt. Probatur minor; nam species, vel differentiæ temporis sunt futurum, præsens, & præteritum; item breue, vel longum; motus autem nequaquam, vt satis patuit in litera, ergo.

Tertiò. Mensura realiter differt ab illo cuius est mensura, sed tempus est mensura motus, ergo. Probatur maior; nam mensura refertur realiter ad mensuratum, sed relatiua realia realiter distinguuntur, vt omnes concedunt, ergo.

Præsens quæstio facilè soluitur, si distinctionem in præcedenti quæstione habitam, de tempore communi, & proportio adhibeatur, & cuique motui proportionaliter eam aptemus, sic itaque per duas conclusiones respondeamus.

Prima. Tempus commune distinguitur realiter à motibus particularibus, hoc patet per primū argumentum, motibus namque istis deficientibus, tempus non deficit.

Secunda. Tempus proprium non distinguitur realiter à proprio motu, sed formaliter tantum, quod intelligendum est, tam de tempore motus cælestis, quam cuiusq; particularis, sic videlicet, quod tempus, vel duratio motus cælestis ab ipso motu non distinguatur, nec aliud particulare tempus à peculiari, & proprio motu: probatur igitur prima pars, scilicet, quod non distinguatur realiter: nam impossibile est, vel esse, vel imaginari motū sine propria duratione, vel duratione sine motu proprio, ergo realiter non distinguuntur, quæ etenim realiter differunt, separabilia sunt, vt diximus. Amplius propria passio non differt realiter à subiecto, vt alibi fusè probauimus; sed tēpus est propria passio motus, vt habetur in 8. Phys. tex. 11. ergo. Secūda pars probatur, quæ habent diuersas definitiones, vel conceptibilitates formaliter distinguuntur, sed tempus, & motus sic sunt, igitur. Amplius si essent penitus idem, tempus per tempus definiretur, quod pro inconuenienti reputat Arist. in tex. 96. non ergo sunt penitus idem, ergo aliquo modo distincta, non ratione, quia seclusa omni intellectus operatione, multa contradictoria de ipsis verificantur, puta esse breue, vel longum de tempore; velox, vel tardum de motu, non realiter, vt probatum est, ergo formaliter, vel ex natura rei: nos etenim nunc curamus, qua istarum distinctionum distinguantur.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur, minorem habere veritatem de motu particulari in cōparatione ad tempus commune, de quo gratis concedimus.

Ad secundum respondetur ad maiorem, quod ipsa potest verificari etiam de ijs, quæ solum distinguuntur formaliter; sic videlicet, quod ista quoque possunt habere suo modo differētias diuersas, vt risibilitas est simplex, homo est compositus, &c. quamuis nec veræ differentiæ, nec veræ species appellandæ sint; nam differentia est pars essentialis constitutiua speciei, & species est quid ex genere, & differētia compositum, quorum neutrum passioni aptari potest.

Ad tertium negatur minor, sufficit namq; distinctio formalis, ad probationem respondetur, relatiua realia requirere extrema realia, quod autem sint semper realiter distincta, hoc non est necessarium, nisi accipiamus distinctionē realem pro quacunq; quæ per intellectum non completur, quæ acceptio est lata, & sic inter tempus, & motum est realis distinctio, quæ alio vocabulo dici potest ex natura rei.

QVÆSTIO XIV.

Ipsum autem Nunc est quidem vt idem, est verò vt non. Tex. 104.

CIrca hunc textum quæritur, an in vniuerso tempore sit vnum, & idem Nunc, vel plura. Quod sit vnum his rationibus suadetur, prima; sicut se habet mobile ad motum, ita nunc ad tempus; sed est idem mobile in vniuerso, vno, & integro motu, ergo idem Nunc in toto tempore, maior propositio est Aristot. in præcitato textu, sicut per mobile continuatur, & efficitur vnitas motus (nam plura mobilia plures motus respiciunt) ita per nunc efficitur vnitas temporis; quare sicut illud est vnum, ita & istud.

Secunda ratio. Si idem Nunc in vniuerso tempore vnum nō esset, ipsum tempus ex nunc, vel indiuisibilibus constaret, quod absurdum esse censet Philosophus in 6. Physicorum. Probatur consequentia; de tempore non habemus, nisi Nunc ex 8. Physic. tex. 11. ergo est vnum, vel plura, si vnum habemus intentum; si plura, ergo ipsa tempus constituunt, eo quod præter ipsa, aliud in tempore non est, vt dictum fuit. Secundum.

Pro intelligentia notandum est, quod quæstio hæc non intelligenda est de vnitate specifica, sed numerica, clarum est enim, vel saltem facilis solutionis, plura esse nunc, quæ eiusdem speciei sint in toto tempore; est itaque difficultas de numerica vnitate, quæ vt exactè, & breui-

breuiter soluatur, sciendum est, quod in successiuis, & in quibuscunque esse consistit in fieri, duplex numerica vnitas assignari potest; quædam simpliciter, & propria; alia verò secundum quid, & per æquiualentiam; primo modo est, quando res ipsa secundum se est talis, ac penitus indiuisa; Secundo modo est, quando non est eadem, sed altera sibi succedens secundum eundum situm, ordinem, cognitionem, & alia similia accidentia, v. g. dicimus eundem esse nunc fluuium, qui fuit olim, & tamen re vera non est idem, quia eadem aqua fluens, alia, atque alia est, tamen quia eundem situm, ordinem, & locum seruat, sic vnum numero esse putamus, & dicimus. Idem dicatur de loco, multa namque in eodem loco esse dicuntur, eo quod aer ambiens eundem situm, & modum semper seruat, vt in plantis, & alijs immobilibus patet, quamuis hæc in eodem loco etiam simpliciter esse dicantur, ratione partis terræ in qua sunt infixa, & sic non mutatur, vnde aptius est exemplum de flumine; quibus positis per duas conclusiones respondetur.

Conclusiones.

PRima. Nunc non est vnum numero in toto tempore. Probatur; nam hoc pacto verum esset dicere, quæ ante mille annos fuerunt, nunc esse, quod est ridiculum. Præterea nunc est indiuisibile, ergo totum tempus esset indiuisibile, quod est contra rationem continui, & successiui. Item omnis terminus est indiuisibilis, aliter ipse non esset terminus, sed pars ipsius; at Nunc est terminus temporis ex hoc libro tex. 107. ergo est indiuisibile, ergo non est vnum, quia (vt supra) totum tempus indiuisibile esset.

Secunda. Nunc manet idem secundum æquiualentiam. Probatur; nam eadem ratio, modus, continuatio, & alia ad hoc necessaria in omnibus nunc continuantibus seruantur; obseruandum est tamen, quod hęc vnitas est profectò specifica, sed addit quandam æquiualentiam, vt ad numeralem accedere videatur, sicut de flumine exemplificauimus; hæc autem conclusio ex se patet, ideò aliæ rationes (ne inaniter procedamus) dimittantur.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur; similitudinem illam valere quoad continuationem tantum, diuersa tamen ratione, quod est dicere; sicut ad vnitatem motus requiritur vnitas mobilis, ita ad vnitatem temporis vnitas Nunc continuantis, aliter tempus esset quantitas discreta; discrimen est tamē, quia mobile esse debet vnum numero simpliciter, & vt subiectum; Nunc verò per æquiualentiam solum, & vt terminus.

Ad secundum negatur consequentia, ad probationem dicitur, de tempore non existere, nisi nunc, quia reliquę partes fluunt, vnde partes ipsæ à tempore non remouentur, sed benè aufertur permanentia, quæ licet neque in Nunc reperiatur, tamen suo modo quo est, totum simul haberi potest, quamuis sibi partes temporis succedant.

QVÆSTIO XV.

Quoniam autem est vt in numero, esse in tempore, Tex. 117.

An omnia sint in Tempore.

ARguitur primò, quod sic; nam de omnibus differentiæ temporis verificantur, de Deo namque Nunc, Olim, & in futurum esse dicimus, pariter de quacunque re saltem existenti, vel reali, aliqua differentia temporis verificatur, vt Angelus nunc est, vel fuit, &c.

Secundò. Vbicunque est aliqua, & propria duratio, ibi est proprium tempus, siquidem nil aliud tempus videtur, quam duratio; sed omnes res propriam durationem habent, vt notum est, ergo.

Pro intelligentia sciendum est, quod esse in tempore non est esse, neque pars eius, nec esse quando ipsum est, quia si primo modo, tempus esset in tempore, nam pars temporis est tempus; si secundò, pariter omnia in quacunque re esse asserere possemus, ac cęlum in grano milij, quia quando granum milij est, quando cęlum est. Est igitur esse in tempore, sic à tempore secundum esse successiuum, mensurari, vt ipsum esse excedatur, ita vt quod in tempore incipiat, & in ipso desinat, quæ est doctrina Aristot. in litera, sed vt addiscentibus morem geram, hic eam repetendam censui.

Secundò notandum, quòd præter tempus tres aliæ mensuræ durationis rerum reperiuntur, scilicet, instans, Æternitas, & Æuum. Instans est Nunc indiuisibile, quo mensurantur omnia, quæ simul sunt, & esse desinunt; quemadmodum omnes instantanei motus, vt illuminatio, visio, intellectio, interdum generatio, corruptio, &c. Sed hoc instans est duplex, scilicet temporis, & naturæ. Temporis est cui immediatè tempus succedit; naturæ est suppositio huius ab hoc, cui non immediatè tempus, nec instans temporis succedit, imò in vno instanti temporis, plura instantia naturæ esse possunt, verbi gratia, in eodem instanti temporis est homo, anima, intellectus, & voluntas, tamen prius natura intelligitur anima, quam intellectus; nam intellectus est potentia in anima fundata, & hoc eodem modo de intellectu, respectu voluntatis, dicatur; quod si exemplum non quadret, aliud accipiatur; hoc tamen sit satis, quod in eodem temporis instanti, plura instantia naturæ esse possunt, & suo mòdo instantaneas res, quæ sic intelliguntur mensurant. Sed plura instantia temporis nunquam simul esse queunt, quia vnum alteri non est contiguum, nec continuum; nam tempus ex ipsis non constat. Æuum est mensura, vel duratio rerum, quæ esse non desinunt, quo mensurantur omnia incorruptibilia finita, vt Cęlum, Intelligentiæ, Animæ rationales, materia; quamuis secundum aliquos, omnia non æterna, neque successiua æuo mensurari dicantur; vnde præter motum omnia ab ipso mensurarentur; sed melior est positio præcedens; obseruandum est tamen, quod secundum Philosophum, qui mundum posuit æternum, omnia prædicta, præter animas rationales æternitate mensurantur. Æternitas est mensura rei, quæ nunquam incępit, nunquamve esse desinet: sicut secundum veritatem est solus Deus, non quod actualiter mensuretur, quia hoc est aliquo modo terminari; sed quia sibi adæquatè æternitas respondet. Ex quibus conclusiones satis innotescunt; sed vt clarius procedamus, eas eliciamus.

Instans duplex.

Æuum.

Æternitas

Conclusiones.

PRima. Res omnes successiuæ sicut sunt omnes species motus per se mensurantur à tempore; patet per definitionem temporis.

Secũda. Res omnes generabiles, & corruptibiles, nec non quies ipsa per accidens à tempore mensurantur, vel in ipso sunt, quod idem est. Probatur; nam mensurari per accidens est secundariò subesse tempori; sic videlicet, quod incipiatur, & desinetur esse in tempore, absque eo, quod in sua natura successio claudatur; sic autem omnia prædicta se habent: adde etiam, quod natura, vel substantia eorum secundum existentiam aliquomodo per tempus cognoscitur, prout tandiu durate percipimus, & in hoc quoque ratio mensuræ consistit, nam ipsa mensura est via, & modus cognoscendi. Obseruandum

est

est tamen, quod per res generabiles, & corruptibiles, intelligi debet, quicquid incipit, & definit esse, siue per veram generationem, & corruptionem, siue non, quo pacto omnia permanentia accidentia (præter generabiles substantias) se habent; diximus accidentia permanentia, quia successiua per se à tempore (vt in præcedenti conclusione patuit) mensurantur.

Tertia. Res incorruptibiles non æternæ mensurantur æuo.

Quarta. Res æternæ, vt Deus, æternitate mensurantur.

Quinta. Res instantaneæ per instans mensurantur, quæ omnes conclusiones satis superius explicatæ fuerunt.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur; prædictas differentias verificari posse, non ratione mensuræ, sed rationc coexistentiæ. Deus enim cuilibet tempori coexistit, quamuis à nullo mensuretur.

Ad secundum negatur omnem durationem esse tempus, sola namque duratio motus sic se habet. Notandum est etiam, quod præter omnes prædictas durationes, datur secundum Theologos tempus imaginarium, quod est quid priuatiuum respondens tanto tempori positiuo si adesset, vt post diem Iudicij tot annis Beatos in Paradiso, vel damnatos in inferno mansuros dicimus.

Tempus imaginarium.

QVÆSTIO XVI.

Corruptionis enim causa per se magis est tempus.

An tempus sit causa corruptionis.

VIdetur enim quod sit, Auctoritate Aristot. in textu.

Item communi hominum sententia confirmatur; dicitur namque tempus omnia consumere, omnia ad finem perducere, &c.

Pro intelligentia sciendum est, quod de ratione veræ causæ est in effectum influere, ita vt si sit causa efficiens, virtute propria effectum ad esse perducat, si autem sit instrumentalis hanc virtutem ab agenti principali recipiat, si finis ad se alliciat; si materia, vel forma per se, seu seipsas communicando dent esse rei. Aliud obseruandum est, quod aliquid potest dici causa ratione concomitantiæ, quod est esse causa per accidens, quemadmodum album ædificare dicimus, quo pacto aliqui dicunt tempus esse causam corruptionis, quia corruptio fit in tempore, quæ est inepta positio; nam hac de causa generationis, & omnium aliarum mutationum causa diceretur, & non corruptionis duntaxat. Dicamus ergo, tempus re vera esse causam corruptionis, non quia in tempore fiat corruptio cum etiam in ipso fiat generatio, vnde in hoc vtriusque causa dici posset, sed quia vt plurimum causæ positiuæ agentes, & corrumpentes sunt incognitæ, ideò mutationes istas tempori tribuimus; vt autem aliquid positiuè generetur, vel alia mutatione mutetur, agens determinatum, & vt plurimum euidens requiritur; ideò re vera tempus per accidens est causa omnium mutationum, cum nullam actiuitatem habeat, & agentia omnia comitetur, per attributionem verò per se causa dicitur, & sic debet intelligi Aristoteles, & omnium communis sententia.

QVÆSTIO XVII.

Dignum autem consideratione est, & quomodo tandem tempus se habet ad animam. Tex. 130.

An Tempus fiat ab Anima.

VIdetur, quod sic. Numerus distinctus actualis non potest esse sine numerante, sed tempus est numerus, anima est numerans, ergo.

Secundò. Tempus est quantitas continua, ergo necessariò debet habere plures partes, sed has non habet secundum existentiam, quia de ipso non habetur, nisi Nunc, ergo per intellectionem, prout scilicet partes eius ab anima, vel intellectu colliguntur, & in præteritum, præsens, & futurum diuiduntur.

Pro solutione sciendum est (vt etiam tetigimus in litera) tempus bifariam considerari posse. Vno modo prout est motus cœlestis continuus, & sic nullo pacto est ab anima, vel intellectu, quia nullo intellectu cogitante, talis duratio datur. Amplius tempus est quantitas realis, vt patet, ergo ab anima non dependet, quia sic esset ens rationis. Secundo modo considerari potest prout ad placitum in diuersas partes, puta annus in duodecim menses, menses in triginta dies diuiditur, & sic ab anima pendet, vel pependit; ita vt sicut in ipsius potestate est, in duas, vel in plures partes lineam veluti diuisam considerare, ita tempus in plures dies, & menses, vel annos diuidere; tamen quia partes istæ, licet actualiter non sint diuisæ, habent verum esse reale, sicut partes indiuisæ lineæ; hinc est, quod neque ob hanc causam ens rationis tempus ipsum est appellandum, & si aliquo modo hoc dicatur, admittendum est secundum hanc conditionem, nimirum, quod sit tale solum quo ad actualem diuisionem in prædictas temporis partes. At si quis dicat; nonne dies ex se absque anima ab extremitatibus noctis; annus verò ab accessu, & recessu Solis terminatur? Respondetur, has esse diuisiones accidentales, seu quoad nos: dũ etenim ex die fit nox, vel è contra, nec motus celestis, nec ipsius duratio actualiter intercipitur, vel secatur, sed continua existens ob interpositionem terræ ad nos, & Solem causatur, nam ex remotione huius impedimenti dies, & ex completo motu orbis Solis causatur annus, ex Luna, mensis. Motus verò primi mobilis semper vniformiter se habet, vnde tempus quod ab ipso sumitur nullam actualem diuisionem patitur, quamuis neque motus planetarum diuisionem admittant, vt melius videbimus in libris de Cœlo, patet ergo quæstionis solutio.

Ad Argumenta.

AD primum patet; tempus namque non est numerus, nisi prout ab anima concipitur, sed in se est quantitas continua; imò neque est verum, quod numerus numeratus ab anima pendeat, vt de se notum est: sunt etenim centum oues, vel equi, nulla existente anima numerante.

Ad secundum respondetur; eas habere in fieri, nam ad Nunc sequitur tempus, vt dictum est.

QVÆSTIO XVIII.

Alterum igitur tempus erit, &c. Tex. 132.

An Tempus sit vnum numero.

ARguitur primò, quod non; Tempus sequitur motum, sed plures sunt motus, ergo plura tempora.

Secundò. Si loquamur tantum de tempore communi, adhuc plura sunt, sicut sunt plures reuolutiones; ergo.

Tertiò. Numerantur plures anni, dies, menses, quæ non sunt, nisi plura tempora. Eodem modo mala, bona, aurea, ferrea, & alijs modis, tempora dicuntur, quæ de vno secundum numerum verificari non possunt.

Pro intelligentia sciendum est, quod vnitas numerica cuiusque rei continuæ, sicut est tempus, & motus, sumitur extrinsecè ab vnitate mobilis, & termini vltimati; intrinsecè verò à terminis continuantibus, ita vt nisi fiat actualis separatio partium, quamuis essent infinitæ, vnitas numeralis saluaretur, sicut si per impossibile daretur linea infinitè extensa, esset vna numero, sic dicatur de tempore, quamuis esset æternum.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, esse motus particulares; nos autem loquimur de tempore, quod est mensura motus primi mobilis.

Ad secundum dicitur, illas reuolutiones continuari, & non esse actualiter diuisas, sic tempus.

Ad tertium respondetur, illas esse partes temporis, vel tempora particularia.

Finis Quarti Libri Physicorum.



ANTO-

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN QVINTVM LIBRVM PHYSICORVM Aristotelis Paraphrasis.

S V M M Æ L I B R I.

Diuiditur hic Liber in tres summas. In prima declaratur quid sit mobile per se, & per accidens; quot ad motum requirantur; quæ sint species motus, & in quot, ac quibus prædicamentis ipse motus reponi debeat; & denique quotupliciter aliquid dicatur immobile.
In secunda declarantur multi termini, qui ad cognoscendum motum sunt necessarij, & denique de vnitate, & pluralitate ipsius motus determinatur.
In tertia tandem agitur de contrarietate motuum inter se, & similiter inter ipsos, & quietes, & pariter inter quietes quoque, & denique aliqua dubia ad motum pertinentia proponuntur, & soluuntur.

Summæ primæ, Caput Primum.

Distinguitur motus per se à per accidens, & secundum partes; ponuntur quoque requisita ad motum.

Tex. 1.



Vtatur autem omne, quod mutatur, hoc quidem secundum accidens, cum scilicet tribuimus motum alicui accidenti corporis mobilis, vt si mobile sit musicum, & musicum ambulare, vel moueri dicamus, est mobile per accidens, quoniam hoc ambulat cui accidit esse musicum, vt Socrates, vel Plato, &c. Aliud verò dicitur mutari ex hoc, quia aliqua pars eius mutatur, & hoc simpliciter, & non purè per accidens mutari dicitur, quia pars non est sic extranea ipsi mobili, sicut accidens, imò est de natura ipsius, & sic quod ipsi parti conuenit, toti tribuimus, vt sanatur corpus, quia sanatur oculus, vel pectus, quæ sunt partes totius corporis; vnde si dicitur per accidens, non est, nisi quia opponitur ei, quod est per se, adæquatè, sed non ei, quod est simpliciter per se: nam simpliciter, vt dictum est, motus partium toti tribuitur, & conuenit. Aliquid verò est, quod neque mouetur per accidens primo modo, neque dicitur moueri ex eo, quia aliquid quod sit pars eius moueatur, sed ex eo, quia ipsum mouetur primum, secundum omnes partes, & hoc est propriè secundum se mobile simpliciter, & vocatur mobile. alio, & alio nomine, vel denominatione, secundum aliam, & aliam speciem motus qua mouetur, vt alterabile in genere alterationis (in qua etiam diuersas sortitur denominationes secundum species ipsius (dicitur sanabile sanitate, calefactibile calefactione, &c.

Pars mutatus simpliciter.

Tex. 2. *Diuisio mouentium.*

Conuenit autem hæc supradicta diuisio pariter mouenti. Aliud enim per accidens mouet; aliud verò secundum partem, ex eo quia partium huius mobilis aliqua mouet. Aliud verò per se ipsam primum, & secundum se totum; exemplum primi, vt Album ædificat, accidit enim ædificatori, vt sit album; exemplum secundi, manus percutit, per quam dicitur hominem percutere; exemplum tertij, Medicus sanat, hic namque secundum se totum sanat; concurrit etenim anima, & operatio corporis, sed hoc ponitur causa exempli, de quo non est multum curandam, & fortè in proposito esset difficile saluare, vel inuenire, quomodo Medicus secundum se totum sanet, dicatis igitur ignis comburit, aer, vel aqua humectat, &c.

Tex. 3.

Nunc autem quæ ad motum requiruntur declarare oportet, vt ex ipsis, quæ ad propositum faciunt eliciamus, quæ verò sunt per accidens, vel extra rem reijciamus, sicut eadem quoque de causa supradictam adhibuimas diuisionem, præcipuè verò videndum est in quonam sit subiectiuè ipse motus, vt ex hoc quid propriè mobile sit, cognoscamus, ac per consequens quomodo ab alijs, quæ in motu reperiuntur, distinguatur. Quoniam autem ad hoc vt fiat motus, debet esse aliquod primum mouens, deinde quod mouetur: præterea tempus in quo fit, & præter hæc, terminus ex quo, & in quem, scilicet ex quo incipit, & ad quem terminatur: quinque igitur motui conueniunt, scilicet mouens, mobile, tempus, terminus à quo, & terminus ad quem. Nam omnis motus est ex quodam termino ad quendam. Nam id quod primum,

Necessaria motui sunt quinque.

seu per se mouetur, aliud est ab vtroque termino, vt lignum, quod ex calido fit frigidum, est diuersum à calore, & frigore. Et sic aliud vocatur quod (scilicet mouetur) vt lignum; aliud verò in quod, seu terminus ad quem, & est frigus; Aliud autem ex quo, scilicet terminus à quo, & est calor, quæ prædicta, & si omnia ad motum efficiendum conueniant, motus tamen est in ipso mobili, vt v.g. in ligno non autem in forma, quæ per motum acquiritur, ipsa namque est terminus motus, & quatenus sic terminus est, nec mouet, nec mouetur, quæcunque forma

Forma non mouet, nec mouetur. *sit, siue vbi, vel locus, qui acquiritur per motum localem, siue ipsum tantum, vel quantitas, quæ acquiritur motu augmentationis, &c. Cur verò sic non moueat, nec moueatur, ideo est, quia quod mouet, & mouetur, debet esse in actu antequam terminus motus acquiratur, ideo si forma prout est terminus moueret, vel moueretur, esset antequam esset, quia si mouet, & moueretur, est, & si est, terminus non est, quia non habet esse nisi in fine motus.*

Tex.4. *Sed est mouens, & mobile, atque in quod mouetur, seu terminus ad quem, & similiter terminus à quo, & tem-*
Denominatio fit ab actu. *pus, vt dictum est, quæ & si omnia diuersimodè ad motum concurrant, motus tamen magis denominatur talis à termino ad quem, quam à termino à quo, vel ab aliquo alio; quapropter corruptio dicitur mutatio in non ens, quod est eius terminus ad quem, quamuis fit ex ente, tanquam ex termino à quo, & generatio dicitur mutatio ad ens, quod est eius terminus ad quem, quamuis fit ex ente, tanquam ex termino à quo; ratio talis denominationis est, quia terminus ad quem est magis in actu, terminus à quo est qui abijcitur, at denominatio fit ab actu; potest etiam fieri denominatio à tempore, ita vt dicatur mutatio successiua, vel instantanea, sed est magis extrinseca, prima vero est intrinseca; à Mobili autem, & mouente non fit denominatio, nam mobile est in potentia, & assimilatur materiæ, at denominatio vt dictum est fit ab actu, vel forma: si quis dicat res materiales dicuntur tales à materia, ergo ipsa quoque denominat. Respondetur, materiam prout aliquid participat de entitate, & actu, posse denominare, sed prout includit potentiam, nihil denominat, vt homo non dicitur talis, quia semen, seu materia est in potentia ad ipsum; mobile igitur in ordine ad motum est*
A mouente non denominatur motus. *solum in potentia, & sic denominare non potest. Mouens vero nec ipsum denominat, quia est magis extrinsecum, quam tempus, & quia videtur se habere in ratione remotionis, nam efficit motum in aliud, & à se abijcit, & si aliquid se ipsum moueat, erit secundum diuersas rationes.*

Tex 5. *Ad continuandum hunc tractatum de passionibus, & alijs ad motum attinentibus, non opus est nunc motum ipsum definire, nam hoc fecimus in tertio Physic. prout ordo requirebat, ac ex eius quoque definitione nunc elicimus passiones, & terminos omnes per motum acquisibi-*
Termini per motum acquisibiles sunt immobiles. *les esse immobiles, quod licet etiam supra dictum sit, tamen non est abs re iterum confirmare. Cum igitur motus sit actus, &c. si termini essent mobiles, perficerentur per motum, sed hoc est impossibile, cum motum perficiant, ergo sunt immobiles, consequentia patet, nam motus sicut est actus, ita est perfectio mobilis. Attamen dubitabit aliquis, si passiones, & qualitates sunt motus, ergo ad motum esset motus, & sic vnus motus perficeretur ab alio, ac per consequens non esset inconueniens, quod aliquid perficiat, & perficiatur, & sic termini motus sicut perficiunt, possunt perfici, si sunt eiusdem rationis, & sic quoque moueri, quod est contra prædicta. Respondetur,*

quod fortè qualitates ipsæ non sunt motus, vt albedo non est motus, sed dealbatio, neque calor, sed calefactio; albedo namque est terminus, dealbatio est via, & fluxus ad ipsam. Est autem obseruandum, quod sicut datur motus, & mobile per se, per accidens, & secundum partem, ita potest distingui de istis terminis, v.g. fiat aliquis motus ad albedinem, veluti ad terminum, seu fiat aliquid album (quod idem est) hoc vero album intelligatur, seu videatur, & dicamus, quod intelligitur, fit album, seu fit motus in id quod intelligitur, dicitur motus fieri ad aliquid per accidens, veluti ad terminum. Exemplum de mutatione secundum partem, vt si dicamus aliquid mutari in colorem, est secundum partem talis mutatio, supponendo quod mutetur in albedinem, quæ est pars coloris, & loquendo in motu locali, si dicamus aliquem mutatum fuisse in Europam, quia mutatus est ad Athenas, est quoque secundum partem mutatio, quia pars Europæ Athenæ sunt, Exemplum de mutatione per se, si aliquis mutetur in albedinem, quia immediatè ad ipsam terminatur talis motus, dicitur per se, non autem per accidens, neque per partes. Quomodo igitur per se mouetur, & quomodo secundum accidens, & quomodo secundum aliquid aliud, seu per partes, & quomodo idem motus primum, seu per se mouenti, & mobili conueniat, manifestum est, & quod motus non est in forma, seu termino, qui per motum acquiritur, veluti in subiecto, sed in eo, quod mouetur, quod dicitur actualiter mobile, pariter patet.

Mutatio igitur, quæ est secundum accidens, dimittatur: est enim, & in omnibus, & semper, & omnium, vt Tex.6.
si aliquid mutetur ad sanitatem, per accidens ad infinita mutari potest, nam cum sanitate potest coniungi substantia, cum illa color, &c. similiter potest esse in omnibus, vt si quis mutetur ad Athenarum ciuitatem, secundum aliquem ordinē possunt omnes res sibi accidentaliter adaptari, vt quod distet ab Italia, quod conseruetur à calo, quod sit ab istis, vel illis ædificata, & sic dicere possumus illud mutatum fuisse ad aliquid distans, conseruatum, ædificatum, &c. cum igitur infinita, & per accidens non possit ab arte demonstratiua determinari, nec sciri, relinquenda sunt, & sub ista ratione per accidens fortè possunt mutationes secundum partem etiam comprahendi; nam sunt ipsæ quoque infinita, & licet vocetur hæc mutatio per se, hoc tamen fit ad differentiam alterius per accidens,
nam quanto aliquid recedit ab vno contrario, & accedit Quanto aliquid recedit ab vno contrario, & accedit
ad alterum, tantò ab illo ad quod accedit denominatur ad alterum, tanto ab illo ad quod
magis. Quæ verò est mutatio non secundum accidens, accedit denominatur.
sed per se, non est in omnibus, sed inter illa tantum, quæ se habent, veluti contraria, vel media, vel contradictoria, vt inter album, & nigrum, inter album, & fuscum, inter hominem, & non hominem: cum autem hæc sint determinata, de ipsa agere demonstratiuè possumus. Quomodo verò mutatio inter prædicta fieri possit, iam inductione declarauimus. De medio quoque ad huc melius declarabimus, cum maior de ipso quam de alijs appa-
reat difficultas. Mutatio igitur fit ex medio, vt ex con- Mutatio fit ex medio ex
trario, ita vt ipse motus vtatur medio pro vtroque ex- contrario.
tremo contrario secundum diuersos respectus, sic quod secundum aliud, & aliud possit aliquomodo dici extremū, quapropter hoc extremum ad illa media, & illa ad hoc quodammodo dicuntur contraria, vt corda citharæ media dicitur grauis respectu vltima, seu subtilis, & dicitur acuta respectu primæ, seu grauioris, atque fuscum respectu nigri dicitur album, & respectu albi nigrum.

CA-

C A P V T II.

Quot modis aliquid in aliud mutari dicatur.

Tex. 7.

VT autem quot sint species motus inueniamus, aliqua prius declaranda sunt, quæ ad hoc facilius conducunt, & primò quot modis aliquid mutari dicatur, vel secundum veritatem, vel secundum imaginationem. Supponendum est igitur, quod omnis transmutatio est ex quodam in quiddam, quod ex nomine ipsius transmutationis est manifestum, nam nihil aliud significat, nisi quod post aliquid fit aliud, quorum vnum sit prius, aliud verò posterius, & sic ex quodam in quiddam. Quadrifariam igitur aliquid mutari, possumus imaginari. Aut enim ex subiecto in subiectum. Aut ex non subiecto in non subiectum. Aut ex non subiecto in subiectum. Aut ex subiecto in non subiectum. Dico autem id esse subiectum hoc loco, quod affirmatione monstratur, hoc est, quod aliquid est. Quare etsi quatuor posuerimus mutationes, tamen tres tantummodo ex ijs, quæ dictæ sunt necesse est esse, scilicet eam quæ est ex subiecto in subiectum, & eam quæ est ex subiecto in non subiectum, & eam quæ ex non subiecto in subiectum. Ea vero quæ est ex non subiecto in non subiectum, mutatio non est, propterea quod non est secundum aliquam oppositionem, neque contrariam, neque contradictoriam, neque mediam, sed inter nihil; quod verò de nihilo in nihil mutatur, non mutatur, vnde posita est per imaginationem, & ad maiorem dilucidationem. Quæ igitur est mutatio ex non subiecto in subiectum, & dicitur esse secundum contradictionem (nam contradictio est inter ens, & non ens,) est generatio. Quæ tamen est duplex, alia scilicet simpliciter, alia vero secũdum quid, vt ea quæ est ex non albo in album dicitur non simpliciter, sed secundum quid generatio, & quæcunque alia in qua acquiritur accidens. Ea vero, quæ est ex eo quod non est, & ad substantiam terminatur, dicitur generatio simpliciter, & non secundum quid. Mutatio quæ est ex subiecto in non subiectum, corruptio est; ac similiter est duplex, sicut generatio, scilicet secundum quid, & simpliciter, vt quæ est ex substantia ad non esse, simpliciter quidem dicitur, quædam autem (scilicet quæ est in oppositam negationem termini præcedentis non substantialis) est secundum quid; vt dictum est in generatione, vt quæ est ex albo in non album, vel ex quocunque accidente in non accidens, & per hoc generatio, & corruptio secundum quid differunt ab alteratione propriè dicta, nam illa se extendunt ad omnia accidentia. Alteratio vero est in genere qualitatis tantummodo. Interdum vero accipiuntur largius, ita vt sint quasi synonima alteratio scilicet, & generatio, ac corruptio secundum quid.

Quadrupliciter aliquid mutatur aliud.

Generatio est mutatio ex non subiecto in subiectum. Quæ est duplex alia scilicet simpliciter, & secundũ quid.

Corruptio est mutatio ex subiecto in non subiectũ, quæ corruptio est duplex scilicet simpliciter, & secundum quid.

Tex. 8.

Nunc autem videndum est, quænam mutatio sit motus, & quæ non: postea de mutatione, quæ est de subiecto in subiectum determinabimus, pro cuius intelligentia, præmittitur talis distinctio. Id quod non est, seu non ens dicitur tripliciter. Primò, quod non est secundum compositionem, & diuisionem, hoc est propositio falsa affirmatiua, vt homo est Asinus, & negatiua, vt homo non est animal. Secundò, quod est in potentia, & opponitur ei, quod est in actu, vt materia prima, vel res non genita, sed quæ generari potest. Tertiò, dicitur non ens secundum quid, quia scilicet non est tale ens, vt non bonum, non album, &c. quod dicitur non ens secundum accidens. Inter omnia ista non entia. Primum impossibile est moueri, quia est quid falsum, & impossibile. Similiter neque potest moueri secundum, scilicet ens in potentia, quia si accipiatur pro materia, ipsa non est immediatum subiectum motus, si pro termino generationis, qui non est in actu, neq; moueri potest, cum non sit. Non ens vero secundum accidens potest moueri, vt si fuerit homo non albus, potest fieri albus. Sed hæc mutatio est per accidens, quam dimittendam esse, diximus. Accedamus ergo ad alias mutationes, diximus ergo generationem esse progressum de non esse ad esse, & modò dictum est, id quod non est, moueri non posse, at quod generatur non est, cum tendat ad esse, ergo non potest moueri, & per consequens generatio non est motus, tenet per locum à coniungatis; verum tamen est, quod id quod generatur secundum accidens potest esse, sed ista non est generatio simpliciter, sed in simplici generatione verum est dicere, quod non est id quod generatur, non igitur quod generatur mouetur, nec generatio est motus, imò nec quod generatur potest dici quiescere: nam cui non conuenit motus, nec quies conuenire potest; habitus namque, & priuatio sunt circa idem. Omnia igitur, quæ non sunt, impossibile est, vt moueantur. Amplius, si omne quod mouetur est in loco, sequitur id quod generatur non moueri, cum in loco non sit, corpora namque tantum in loco sunt. Cum igitur generatio non sit motus, sequitur quod neque sit motus corruptio, nam motui contrariatur alter motus, sed corruptio contrariatur generationi, ergo si ipsa esset motus, pariter generatio esset; igitur neque generatio, neque corruptio sunt motus, nec quies.

Nõ ens tripliciter dicitur.

Habitus, & priuatio sũt circa idem.

C A P V T III.

In quot, & quibus prædicamentis reperiatur propriè motus, & quot modis dicatur immobile.

QVoniam autem omnis motus mutatio quædam est, & mutationes sunt tantum illæ tres, quæ dictæ sunt, quarum eæ quæ sunt secũdum generationem, & corruptionem non sunt motus, quia sunt secundum contradictionem, idest inter ens, & non ens; motus vero debet esse inter entia contraria, & positiua, necesse est eam mutationem tantum, quæ est ex subiecto in subiectum, esse propriè motum, nam (vt dictum est) subiecta non debent esse, vel contraria, vel media, sed positiua. At si quis dicat; in præcedentibus habitum est, quod generatio secundum quid possit esse ex priuatiuo in positiuum, vt ex non albo in album, & tamen hæc non est propriè generatio, sed alteratio, quæ est ex subiecto in subiectum, vt statim videbimus, ergo motus, qui est ex subiecto in subiectum, non est necessariò inter contraria positiua. Respondetur, quod priuatio in illo, & similibus locis, non debet accipi simpliciter, sed pro termino minus perfecto, vt nigredo respectu albedinis priuatio dicitur, non igitur in generatione secundum quid, vel in alteratione, debet recipi pro aliquo extremo terminus simplicer priuatiuus, sed ponatur priuatio loco contrarij, & monstretur affirmatione, vt nudum, album, nigrum, & omnes alij termini, qui in alteratione accipiuntur. Generatio igitur, &

Tex. 9.

Motus circa quæ sint.

corruptio

corruptio non sunt propriè motus, nam de ratione motus propriè dicti est, quod sit inter terminos positiuos, cuius ratio esse potest, nam motus est accidens, quod dicit operationem agentis, ideo & in principio, & fine debent esse termini perficienter, saltem secundum magis, vel minus, sed priuatio nullam dicit perfectionem, vel motus est de vltimis accidentibus rerum, ideo totaliter supponit rem in actu, quantam, locatam, &c. nec aduenit enti mobili, nisi vt vltima eius perfectio, quæ non potest esse nisi positiua, priuatiua namque, non dicit perfectionem. Sed generatio, & corruptio non perfectiones vltimas dicunt rei generabilis, & corruptibilis, sed versantur circa eius esse, & non esse essentiale, vnde terminos possunt habere priuatiuos, & per hoc à motu distinguuntur. Sed ad propositum redeuntes. Videndum est in quot, & quibus prædicamentis debeant reponi motus propriè dicti. Sunt igitur prædicamenta diuisa, substantia, qualitate, vbi, quando, ad aliquid, quantitate, agere, pati, &c. in quibus omnibus non reperitur motus, sed tantum in tribus, scilicet in quantitate, qualitate, & vbi, quod est terminus eius motus, qui fit secundum locum.

Tex.10. Secundum substantiam autem non est motus, propterea quod nullum est entium substantiæ contrarium, quod scilicet se possit habere velut terminus eius positiuus, cui alter positiuus terminus respondeat eo modo, quo motus conuenire diximus. Si enim darentur duo termini contrarij positiui in substantia, inter quos fieret motus ad substantiam ipsam, vnus eorum non esset substantia, quod est contra suppositum, patet; nam si motus est ad substantiam acquirendam, non debet supponere substantiam acquisitam: habitibus namque præsentibus, cessat motus, non igitur potest substantia habere terminos contrarios positiuos, & sic ad ipsam, motus esse non potest. At si quis dicat; hoc nihil valere, quia sicut in accidentibus ex vna forma diuersa speciei fit motus ad aliam alterius, vel ex magis ad minus perfectum, similiter in substantia, quod ex vna forma substantiali fiat motus ad aliam diuersam, vel ad perfectiorem, & sic non est eadem substantia, quæ supponitur cum ea, quæ acquiritur. Respondetur non esse simile, quia cum substantia non supponat subiectum in actu, si ex ipsa fiat mutatio ad aliam, illa non habet in quo recipiatur, cum non sit accidens, & per consequens in subiecto esse non possit, ideo necessariò debet præcedere corruptio alterius substantiæ, & sic illa mutatio supponit aliquid nõ esse, si verò poneretur esse in actu, nihil substantiæ in eadem materia acquiri posset. Non sic de accidentibus, nam cum sint in subiecto potest vnum aduenire, altero existente, quia nullæ sic sunt contrariæ qualitates, quin in esse remisso se compatiantur, vt patet de frigiditate, & caliditate, de quibus minus videtur, & tamen in tepido simul sunt. Calor igitur mutetur in frigus, potest statim terminari ad aliquem gradum frigoris, & sic est mutatio in terminos positiuos, non sic in substantia. Sed si adhuc instetur. Non ne ex forma corporis est motus ad animam, & vtraque remanet, & sunt substantiæ? Dicitur quod tunc non accipitur simpliciter generatio substantiæ, quæ est ex non ente ad ens substantiale perfectum, vt ex non esse hominis, ad esse ipsius, sed quando est forma corporis nondum est completa generatio, sed contra; nam saltem inter aliquas substantias erit motus, vt de forma corporis, ad formam hominis, vel animalis, & sic in substantia est motus, nam omne particulare infert superius simpliciter, vt hic homo est doctus, ergo homo est doctus; pariter ad aliquam substantiam est motus, ergo ad substantiam est motus, quod est contra prædicta. Hic multa dicenda essent. Vel quod per terminos contrarios debemus intelligere, vera contrarietate esse tales, quæ in substantia non est, vnde solueretur omnis difficultas. Sed hæc responsio est nulla, quia hac ratione, neque esset motus ad quantitatem, cum neque habeat contrarium hoc modo, nec suscipiat magis, nec minus, imò multò minus, quam ad substantiam; quia quantitas non est de genere actiuorum, & sic nullam penitus potest admittere contrarietatem, quod sic rigorosè de substantia asserere non possumus. Vel debemus dicere, quod in aduentu animæ corrũpitur forma corporis, quod neque placet, quia tales formæ sunt compossibiles, & vna ad aliam ordinatur, vt secum permaneat, & sibi inseruiat veluti instrumentum, quod si corrumperetur, hoc esse non posset. Vel dicatur denique, non esse absurdum ad substantias incompletas esse motum, sed bene ad completam, & perfectam, quæ cum dicat veram, & nobilissimam substantiam, aliæ vero ab ipsa recedere videantur, & sint quasi non substantia, non est absurdum, vt ad substantiam motum non esse simpliciter dicamus, sumpta denominatione à magis perfecto. Et cum dicitur ad substantiam esset motus, & non esset, respondetur hoc non esse inconueniens, nam duæ propositiones indefinitæ, in materia contingenti possunt esse simul veræ, licet vna sit affirmatiua, altera negatiua, vt istæ, homo currit, homo non currit. Soluat melius qui potest. Redeundo ad propositum, ad substantiam non est motus. Neque in ad aliquid, seu ad relatiua, probatur. Nam ad illud non est motus, quod dicitur aliter se habere absque vlla mutatione in ipso realiter facta, motus namque debet esse in subiecto, quod moueri dicitur, & in eodem subiecto recipi debet terminus ipsius motus. Sed relatiua possunt fieri sine aliqua mutatione proprij subiecti, vt si Sortes nascatur albus erit similis Platoni, & sic Plato refertur, seu erit correlatiuum Sortis, nulla facta in ipso mutatione. Vnde si dicatur Sortem esse mutatum, prout factus est similis, erit mutatio per accidens, prout scilicet dicitur talis per mutationem alterius. Neque etiam agentis, & patientis, neque mouentis, & eius quod mouetur, est motus, idest motus non est ad agere, neque ad pati, nec ad mouere, nec ad moueri, quia ipsius motus, non est motus, nec generationis, generatio, neque omnino mutatio mutationis, nam esset processus in infinitum, sed agere, pati, mouere, & moueri, sunt motus saltem concomitanter, vel identicè, vt visum est in 3. textu 22. ergo ad ipsa non est motus; generatio vero & corruptio sunt mutationes, ergo neque ad illas est mutatio.

Ad aliquid non est motus.

Ad agere, pati, &c. nõ est motus.

Tex.11. Sed pro maiori intelligentia, quomodo scilicet ad motum non sit motus, est notandum, quod motus potest esse in aliquo dupliciter, vel vt in subiecto, vel vt ad terminum, vt si Sortes fiat albus, ipse erit subiectum dealbationis, & albedo erit terminus talis motus. Nunc igitur dicimus; quod ad motum, non est motus, neque primo, neque secundo modo. Non primo modo veluti ad subiectum, quia impossibile est imaginari, motum aliquem calefieri, vel moueri; cum hoc sit proprium subiectorum, seu corporum, motus verò sit accidens quoddam; similiter nec potest cogitari quomodo motus augeatur, vel diminuatur, vel aliqua tandem mutatione mutetur; non ergo motus est ad motum, vt ad subiectum, vel vt in subiecto.

Motum esse aliquo dupliciter.

Tex.12. Aut possumus imaginari, motum esse ad motum veluti ad terminum, sicut dicimus aliquod subiectum, ex muta-

mutatione, seu virtute motus, mutari in alteram formã, vt homo ex ægritudine in sanitatem, sic quoque putemus motum mutari ad alium motum acquirendum. Sed neque hoc est possibile, nisi secundum accidens, prout subiectum eius prius est sub vno motu, postea sub alio, & hoc modo quod verè conuenit subiecto per accidens, possumus dicere, quod conueniat motui. Per se autem est impossibile, nam omnis motus, & mutatio est de alia in aliam formam oppositam (& si motus propriè dictus sit inter terminos positiuos; mutatio verò, seu generatio, & corruptio; sint inter contradictorios, seu priuatiuos, vt visum est) tamen quod sint inter opposita, hoc est omnibus necessarium. Si ergo motus terminaretur ad motum, necessariò terminaretur ad motum sibi oppositum, & cum motus terminans sit quoque motus, ad alium sibi oppositum terminaretur, & sic quando aliquid mutatur in sanitatem, cum sanitati opponatur ægritudo, simul in ægritudinem mutaretur, quia sanitas est terminabilis ab ægritudine, & quando aliquid mouetur dicitur moueri ad talem terminum; cum verò tam sanitas quam ægritudo sint termini, ad vtramque simul moueretur, imò ex hac ægritudine mutaretur simul in aliam sibi oppositam, hoc est in sanitatem, vel in aliud, vnde esset circulatio, & processus in infinitum, & implicatio, & nunquam quies, quod etiam absurdum est: nam experientia est manifestũ, quod cum aliquis æger fuerit, & mutetur in sanitatem non contingit, vt in aliam mutationem necessariò moueatur, sed potest quiescere. Quocirca non ad quamuis semper mutationem in infinitum mouetur, & ex illa in aliam, sed in oppositam tantum, non prout est mutatio, sed prout est forma, vel terminus oppositus præcedentis mutationis, vt aliquis mutatur in sanitatem ex ægritudine: habita forma sanitatis in illa quiescit, & non illa mutatione, quia sic iterum reuerteretur ad ægritudinem. Quare opposita erit sanatio ægrotationi, sed fit terminus, & quiescit mobile sub vna ipsarum; per accidens vero potest vna mutatio in aliam terminari, vt si ex recordatione mutetur quis in obliuionem, quia mutatur subiectum cui vtraque (scilicet tam recordatio, quam obliuio) inest, & similiter possumus dicere, quod de scientia fit mutatio in sanitatem, & multa alia, prout idem subiectum modo fit sanum, modo sciens, hæc autem est mutatio per accidens, quæ dimittenda est, vt diximus.

Per se motus non est ad motum, at vero potest esse per accidens.

Tex. 13. *Amplius autem si mutationis esset mutatio, & generationis generatio, in infinitum fiet abitio, attamen si vltima terminata generatio est, necesse est esse prima, sed vltima non potest negari, nam aliter nihil esset genitum, ergo neque debet negari prima, & per consequens non debet poni processus in infinitum, nec quod generationis sit generatio. Si enim generationis esset generatio vsque in infinitum, nulla daretur res genita, & sic nihil esset, probatur sequela, durante generatione, quod acquiri debet, non est, sed fit: quare si semper generatio terminetur ad generationem, & illa rursum ad aliam, nunquam erit aliquid simpliciter genitum, sed semper in fieri. Non tamen negamus infinitas generationes, cum tempus sit infinitum, sed non ad aliam generationem terminari, imò ad terminum substantialem. Quoniam autem infinitorum non est quicquam primum, non erit primum in generationibus, si ponantur infinitæ, at vbi non datur primum, non datur contiguum, seu sequens ad ipsum, quia nihil contiguum, seu secundum alteri dicitur, nisi illo altero supposito, & eadem ratione non daretur tertium nec vltimum; quare neque fieri, vel generari daretur, neque aliquis motus, vel mutatio: nam communis ratio est de omnibus, imò de quolibet motu, quæ sciuimus, & si de generatione ad maiorem intelligentiam exemplificauerimus. Cum autem ista sint absurda, non est asserendum motum ad motum terminari. Sed quis dubitaret, nam eadem ratione non debet mundus, & motus poni æternus, quia non daretur prima, nec secunda, nec denique vlla generatio. Respondetur, quod in accidentaliter ordinatis, potest dari processus in infinitum, & sine aliquo determinato primo, vnde nullum est inconueniens, quod ante Platonem præcesserint infiniti homines sibi inuicem per successiuam generationem succedentibus, ipsa vero infinita ab vno quodam alterius ordinis essentialiter dependeant, non secundum posterioritatem aliquam temporis, vel durationis, sed dependentiæ, & naturæ, hoc autem à quo dependent, est Deus, & cælum. Sunt igitur generationes omnium accidentaliter ordinatæ, vnde nec habent primam, nec est absurdum quod sint infinitæ, sed generationem, vel motum ordinari ad suum terminũ, non est secundum ordinem accidentalem, sed essentialem, nam ab ipsis terminis essentialiter specificatur; hinc est quod vna generatio nõ potest ad aliam terminari: nam in essentialiter ordinatis debet dari primum, cum omnia simul necessariò concurrant. Sed quomodo potest concurrere terminus acquisibilis ad generationem, si nondum est? Respondetur quod concurrit, vt finis, qui est principalis in qualibet actione, & sic si essent infiniti, non daretur aliquis, qui primò moueret, & sic neque secundus, & denique nullus.*

Quod generatur, & fit non est.

In accidentaliter ordinatis datur processus in infinitum.

Amplius eiusdem motus est alter motus contrarius, vt positiuum positiuo, sicut motui sursum motus deorsum, & eidẽ contrariatur priuatiuè quies; similiter contrariantur generatio, & corruptio, & consequenter mobilia ipsa, prout sub diuersis, & contrarijs motibus substant sibi sunt contraria, vt idem non potest esse simul sub generatione, & corruptione, vel sub motu sursum, & deorsum, & sic sicut motus contrariantur, ita mobilia per motus sibi repugnantes debent desistere. Quare si generationes essent infinitæ, & similiter quod generatur semper generaretur, (ex prædictis) haberet tamen corruptionem sibi oppositam, (etiam ex prababitis,) sed numquam assignari posset, nam vel corrumperetur quando est, vel postquam est, vel quando fit, vel antequam fieret. Non quando est, vel fit, nam tunc ponitur esse, vel fieri, & sic simul esset, & non esset; non postquam est, quia tunc intelligitur non esse, vel quia nunc non haberes esse in fieri tantum, & sic generationes terminarentur ad aliquem terminum, & non ad aliam generationem, nec antequam esset, quia hoc est immagiuabile; cum ergo hoc sit impossibile, non est asserendum rem esse semper in fieri, nec generationes ad generationem terminari. Sed eadem videtur difficultas de quolibet ente successiuo, vt quando corrumpitur motus vel dum est, vel postquam fuit, &c. ergo hac ratione, vel deberemus quoque negare corruptionem motus, vel similiter dicere de supradictis. Respondetur, disparem esse rationem, nam in successiuis esse consistit in fieri, ideo fiunt, & absque esse permanenti desinunt. Sed aliæ res cum sint permanentes diuersum sortiuntur modum essendi, ideo in illis ratio est opposita, vel oporteret omnia generabilia ponere de natura successiuorum, quod est maius absurdum. Tex. 14.

Motus motui contrariatur.

Successiuorum esse consistit in fieri.

Amplius ei quod mutatur, vel generatur, oportet subesse materiam aliquam, seu corpus quod sit subiectum in quo recipiatur talis terminus motus, vel generationis Tex. 15.

vt

vt si sit motus localis debet esse corpus receptiuum Vbi, quod per ipsum motum acquiritur. Si sit alteratio, vel diminutio, similiter aliquod corpus augmentabile, vel diminuibile. Si sit generatio, materia in qua recipiatur forma; imò etiam si sit alteratio perfectiua, hoc esse debet, vt si acquiratur scientia, anima se habet loco materiæ. At generatio, vel motus, non potest esse materia in qua recipiatur terminus alterius motus, vel generationis, quia materia est substantia, motus est accidens.

Tex.16. *Et rursus debet esse aliquid in quod mouentur ea, quæ mouentur, hæc autem à motu debent esse distincta, quia nihil mouetur ad se ipsum, vel ex se ipso. Simul autem, & quomodo erit? non enim disciplinatio erit productio disciplinationis, neque generationis, generatio non tantum in communi, sed neque quædam cuiusdam, hoc est neque particularis, particularis alterius.*

Tex.17. Species motus qui ex contrarijs, erunt tres.

Amplius si tres sunt species motus, scilicet localis, alterationis, & quantitatis (qui continet augmentationẽ, & diminutionem, non tamen vt species essentialiter distinctas, sed vt magis, & minus perfectas, vel sicut perfectam, & imperfectam) si inquam sunt tres species, necesse est vnam earum esse subiectum motus, si motus mouetur, in quo subiecto alij motus recipiantur, & ea in qua mouentur mobilia sint aliæ species; vt necesse est motum localem hunc, vel illum alterari, aut ferri, & sic motus localis sit subiectum; alteratio vero, vel alter motus localis, aut etiam augmentatio sint termini, quæ omnia sunt absurda, nam esset processus in infinitum, & accidens subiret locum, seu naturam substantiæ, quod est esse subiectum, & recipere varias contrarietates. Sed quia omnino quod mouetur, reducitur ad triplicem modum motus, scilicet per se, per partes, & per accidens; dum dicimus motum non moueri, intelligimus, vel per se, vel per partes, nam vtroque modo moueri saltem subiectiuè est corporis. Sed secundum accidens potest moueri, vt si is qui sanatur, currat, aut discat, dicimus, id quod alteratur moueri localiter, vel alia alteratione, & sic vnum motum moueri, prout mouetur subiectum eius. Quæ autem est mutatio secundum accidens prius à nobis dimissa fuit.

Modi mouendi sunt tres.

Tex.18. *Quoniam autem neque substantiæ, neque ipsius ad aliquid, neque ipsius facere, & pati, est motus, vt probatum est, relinquitur, secundum quantitatem, qualitatem, & vbi, motum esse solum: in vno quoque enim horum est contrarietas sufficiens ad motum, quæ scilicet est inter terminos positiuos, & quorum vterque immediatè natus est terminare motum ipsum, & ideo ad substantiam non est motus, quia non habet ambos terminos positiuos, nec ad alia prædicamenta, scilicet ad situm, habitum, & quando, quia non immediatè terminant motũ, sed sunt respectus insurgentes ex aliquo prius acquisito; de actione vero, & passione, & si idẽ posset dici, tamen ratione peculiari probatum est non terminare motum. Ad tria igitur prædicta prædicamenta tantum est per se propriè motus; si vero extendamus ipsum ad mutationem, tunc erit quoque ad substantiam, nempe generatio, & corruptio, vt habitum est in 3. phys. tex. 4. Motus igitur secundum qualitatem est alteratio, hoc namque nomen commune impositum est omnibus motibus qui in qualitate fiunt. Dico autem qualitatem, non illam, quæ reperitur in prædicamento substantiæ, & eam essentialiter quale denominat, & vocatur differentia, vt qualis est essentialiter homo? rationalis, sed quæ passiua est, secundum quam dicitur pati, aut passibile aliquid esse; atque per se est vnum prædicamentum à substantia distinctum. Qui vero motus est secundum quantitatem non habet vnum commune nomen, sed duobus suppletur, & dicitur augmentatio, & diminutio, scilicet est motus qui ad perfectam quantitatem terminatur, dicitur augmentatio, qui ad imperfectam, diminutio. Qui autem est motus secundum locum, est innominatus; secundum rationem particularem, & communem tamen vocetur latio, & sit commune nomen omnibus localibus: quamuis hæc propriè ferri dicantur, quæ cum mouentur de loco ad locum, non est in se ipsis, vel in sua potestate quiescere; & denique quæ non mouent seipsa localiter, vt sunt inanimata, motus igitur istorum tantummodo latio vocatur, sed tribuatur (vt dictum est) cuilibet motui locali propter penuriam vocabulorum, & propter ordinem.*

Qui motus augmentatio, & qui diminutio, & localis.

Tex.19. Alteratio secundum magis, & minus.

Sed est notandum, quod non semper motus est inter contrarias formas, sed potest etiam esse in eadem, secundum magis, & minus ipsius formæ, & erit tunc alteratio; nam qualitas suscipit magis, & minus, in quam est alteratio, non autem, quantitas, nec vbi, in quæ sunt alij motus. Vnde si albedo fiat ex minus intensa magis, est vera alteratio, nam motus debet esse vel ex simpliciter contrario, vt ex albedine in nigredinem, vel aliquo modo, ex minus albo ad magis album. Est tamen hæc differentia inter motum, qui fit in magis, ab eo qui fit in minus; nam qui fit in minus cum recedat à forma in qua fit, dicitur in contrarium mutari, nam ad contrarium magis accedit; in magis autem dicitur fieri ex contrario ad se ipsum, nam à contrario magis recedit, & ad suam accedit perfectionem, & sic si sit remissio albedinis, dicitur mutari ad nigredinem; Si sit intensio, ad albedinem. Quomodocunque tamen sit, in hoc nihil differt, quod scilicet fiat motus inter contraria, vel inter magis, & minus eiusdem formæ, quia hoc modo etiam ad contrarietatem sufficientem acceditur, nam magis, & minus est, quia plus vel minus contrarij inest, vel non. Non tamen sic intelligendum est quod in qualibet forma sit realiter mistio contrarij, vt in albedine sit nigredo, quia sic motus esset de verè contrario ad contrarium, quod est contra prædicta, & repugnat quoque rationi: quia in igne verbi gratia esset mistio frigiditatis, cum magis calor eius intenditur. Dicitur ergo magis, & minus secundum maiorem accessum, vel recessum à contrario, secundum similitudinem, vel dissimilitudinem. Quod igitur hi tres soli motus sint, ex his manifestum est.

Magis, & minus dicitur ratione contrarij.

Immobile dicitur quatruplicieter.

Tex.20. Postquam vidimus quot sunt species motus, & in quot prædicamentis. Nunc videndum est, quot modis aliquid dicatur immobile, nam opposita iuxta se posita sunt sensibiliora. Dicitur ergo immobile quatuor modis. Primò negatiuè, quod scilicet nullatenus potest moueri, nec est natum moueri, sicut sonus dicitur inuisibilis, quia nullo modo est natus videri, & sic primus Motor est immobilis, & omnia accidentia, quæ solum per accidens mouentur, hoc namque modo sonus est quoque visibilis, si coniunctus sit cum corpore quod videtur. Secundò, dicitur immobile, quod in multo tempore vix mouetur, vt testudo &c. Tertiò, quod tardè, seu difficiliter incipit, & si postea velociter moueatur, vt magnum saxum sursum existens, & prohibitum ne descendat, prius quam reducatur ad locum, vbi non sit impedimentum, tardè mouetur. Sed hæc duo vltima immobilia, dicuntur transumptiuè, & secundum quid. Quarto. Id quod ex sua natura est aptum, & potest moueri, sed non mouetur tunc cum aptum natura est vbi, & quomodo moueri debet. Vt lapis

exsistens

existens sursum, & impeditus, dicitur sic immobilis, quia est aptum moueri, vbi, & quando debet, & hoc immobile vocatur propriè quiescens: quies enim est priuatio motus, ideo vbi debet esse motus, & non est, ibi necessariò est quies, nam inter habitum, & priuationem non datur medium circa proprium subiectum cum prædictis conditionibus, vt si animal non videat, quando, vbi, & quomodo, est aptum videre, dicitur cæcum, sic quies se habet circa mobile. Sed circa hæc dubitatur, nam elementa sic in suis locis non deberent dici quiescere, cum ibi non sint apta moueri, quod repugnat communi modo loquendi. Respondetur, quod si accipiatur quies propriè dicta cum omnibus prædictis conditionibus, argumentum concludit, & non soluitur, imò hoc modo non verificatur nisi de quiete violenta. Si verò non sic pressè accipiatur, sed pro priuatione motus in ijs, quæ sunt apta moueri, sic adaptatur elementis stantibus in proprijs locis, & hoc modo communiter accipitur. Quid igitur est motus, & quot mutationes, & quales motus, manifestum est ex dictis.

SVMMA SECVNDA.

De vnitate, & pluralitate motus.

CAPVT I.

Declarantur aliqua necessariò præmittenda in determinatione vnitatis, & pluralitatis motus.

Tex. 21. *Post hæc autem dicamus quid est Simul, & Separatim, & quid est Tangere, & quid est Inter, & quid Consequenter, & quid Contiguum, & quid Continuum, & quibus rebus vnumquodque horum ex sua natura sit aptum inesse. Declaratio namque istorum quam maximè faciet ad propositam cognitionem de vnitate, & pluralitate motus.*

Tex. 22. Simul. *Simul igitur secundum locum (de qua simultate nunc solum loquimur) ea esse dicuntur, quæ sunt adæquatè in eodem loco proprio, vel primo, vt materia, & forma, albedo, & dulcedo, & alia. Veruntamen est, quod ea quæ sic simul sunt in loco, simultate adæquationis, non sunt in loco nisi per accidens, quia esse per se in loco solum conuenit corporibus, quæ nunquam simul esse possunt, nisi simultate immediationis, vt dicitur, mouens esse simul cum mobile. Separatim autem ea dicuntur esse, quæ sunt in diuersis locis. Tangere illa dicuntur, quorum extrema sunt simul, vt pes tangit terram. Inter verò dicitur id, in quod prius natum est peruenire, id quod naturaliter mutatur, quam ad extremum perueniat, si continuè moueatur, vel sine interruptione, vt si ignis de terra moueatur ad suam sphæram, inter erit aer. Dicitur notanter, quod mobile moueatur naturaliter, quia si moueretur violenter, posset prius peruenire ad extremum, vt si ignis ex regione infima aeris proijciatur deorsum, prius perueniet ad aquam, quam sursum reflectatur, & hac eadem ratione dicitur, quod moueatur continuè, nam in motu reflexo est status, & sic in motu prædicto, ignis, qui fiat per reflexionem, & non continuitatem, de aere ad propriam sphæram, non prius perueniet ad medium, quam ad extremum sibi oppositum. Vnde* (Separatim. Tangere. Inter quid.)

medium in hoc loco, accipitur pro eo quod participat de loco vltimo naturali, ad quem mouetur corpus, ac cum ipso quoque corpore conuenit, vt aer respectu ignis, ambo enim in caliditate conueniunt. Loquimur ergo de medio naturali in naturali, & locali motu. Tria igitur ad minimum, vel in paucissimis requirit inter, scilicet vltimum extremum ad quod mobile mouetur, medium ipsum, & aliud, seu primum extremum. Vltimum verò extremum mutationis est contrarium primo.

Continuè autem mouetur, quod nihil, vel paucissimum intermittit rei super quam mouetur, sed temporis nihil, vt in sonatione cytharæ nihil prohibet post primam chordam, statim sonuisse vltimam, cum intermissione aliarum, dummodo sit continuum tempus, rei igitur potest esse intermissio in continuitate motus, sed temporis minimè, tamen non sic est intelligendum, quod medium per quod fit motus continuus possit esse discontinuum, vel discretum, cum motus accipiat continuitatem à magnitudine super quam fit. Sed debet intelligi, quòd non oportet medium esse eiusdem rationis, & hoc modo non dicitur continuari cum alio medio, sed esse contiguum solum, quæ contiguitas ad motum est sufficiens. Exemplum in chordis cytharæ, quæ licet non continuentur, tamen qualibet earum est contigua aeri, & sic ex aere, & ipsa vnum medium integratur. Hoc autem, & in ijs mutationibus, quæ sunt secundum locum, & in alijs quoque manifestum est, vt in alteratione, potest alterari aer, & postea successiuè aqua, vel aliud sibi contiguum, & in augmentatione, & diminutione, augentur, & diminuuntur partes dissimilares animalis, quæ fortè non sunt continuæ, saltem aliquæ, sed contiguæ tantum. Tex. 23. Continua quæ mouetur.

Contrarium autem secundum locum est, quod secundum lineam rectam distat plurimum ab alio loco, vel illa dicuntur loca contraria inter quæ est maxima distantia secundum lineam rectam, vt sursum, & deorsum; nam per ipsam rectam lineam mensurantur distantia locorum. Probatur, nam mensura debet esse minima, & finita, vt per ipsam omnia mensurare possimus, si enim vel magna, vel infinita esset, res paruas, & finitas mensurare nequiremus. Vnde numerus mensuratur vnitate, &c. Sed linea recta est minima, & finita, quæ inter alias possit protrahi de loco ad locum, nam omnis curua si ab eodem in eundem locum trahatur erit maior, & etiam indeterminata, si capiatur circularis, quæ non habet terminos; debet igitur mensura qualibet esse minima non simpliciter, quia in quantitate continua non datur minimum, sed in comparatione ad res mensurabiles. Hæc autem, quæ in hoc textu, & in præcedenti diximus, sunt ad declarationem eorum, quæ dicta sunt de illa dictione (Inter) circa quam facta fuit mentio de moueri continuè, & secundum contraria loca. Reuertamur modo ad exponendos alios propositos terminos. Tex. 24. Contrarii quid.

Consequenter autem est inter quod post principium, seu primum aliquod existens, sequitur aliud, & inter ipsa non est medium eiusdem generis, hoc vero quod sequitur dicitur alteri se habere consequenter, possunt autem sic se consequenter habere aliqua, vel secundum positionem, vt vna domus ad alteram, vel secundum naturam, vel speciem, vt duo ad vnum, vel secundum figuram, vt quadrangulus ad triangulum, vel secundum aliquid aliud sic determinatum, dummodo inter ipsa nihil sit eorum, quæ sunt eiusdem generis cum ipsis. Dico autem, vt linea, non dicitur consequenter ad lineam, quia Tex. 25.

sunt eiusdem generis, seu natura (non enim accipitur hic genus pro prædicamento, sed pro natura, ut dicimus hominem non esse de genere Leonis, &c.) nec unitas ad unitatem, aut domus ad domum, si inter ipsas nihil mediet: unde dummodo non mediet domus, uel linea, uel unitas, aliud autem nihil prohibet esse inter ea, ad hoc ut consequenter dicatur unum ad aliud, quod est aliquo modo posterius, unde unum non est consequenter ad duo, & si aliquid mediet inter ipsa, nec noua Luna ad secundam, sed è conuerso. Tres igitur requiruntur conditiones ad hoc quod aliquid sit ad alterum consequenter. Prima. Quod sit cum illo ordinatum, uel situ, uel ordine, uel figura, uel alia modo. Secunda. Quod inter ipsa non sit medium eiusdem generis. Tertia. Quod consequenter sit altero posterius, uel situ, uel ordine, &c.

Tres conditiones ipsius consequentes.

Tex. 26. *Contiguum autem est, quod cum consequenter est, tangit id cui dicitur consequenter. Sed est notandum, quod consequenter in hoc loco non accipitur, ut supra, quia illud habet medium diuersi generis, & sic impossibile est quod tangat, hoc autem tangit, & per consequens non habet medium; accipitur ergo secundum ethymologiam nominis, idest quod sequatur ad aliud, & tangat, & hoc modo una domus tangens alteram, dicitur illi contigua, &c. Nunc autem melius declaremus ubi uam reperiatur hoc quod dicitur inter, seu medium. Quoniam autem omnis mutatio est inter opposita, quæ vel sunt contraria, vel contradictoria. Sed inter contradictoria non datur medium, manifestum igitur est, quod inter, seu medium solum inter contraria reperitur, vel secundum veram contrarietatem, vel secundum magis, & minus, sicut antea declaratum est. Continuum autem est quidem quod contiguum, seu immediatum est alteri (non enim accipiatur pro vero contiguo, quia sic opponuntur; nam contigua habent duo extrema distincta se tangentia, continuum vnum solum.) Dico autem continuum cum idem, & vnus sit terminus vtriusque, quo se tangunt (vel quibus se tangunt, si secundum apparentiam plures, vel duos velimus terminos vocare, qui vnus tantum est) & denique, id secundum nomen dicitur continuum, cuius vnum extremum continetur cum alio, hoc autem esse non potest, si ipsa extrema sint duo, vnde erit vnum tantummodo.*

Contiguum quid.

Continuum quid.

Tex. 27. *Hoc autem determinato; manifestum est, quod in ijs est continuum, ex quibus secundum naturam vnum quid aptum est fieri secundum contactum, & demum eo modo quo fit vnum continuum, sic totum erit vnum ex illis partibus continuatum, vt aut Clauo, & sic continuantur partes nauis, arca &c. aut glutino, quo continuantur multa res artificiales, aut tactu, vt paries sine calce, aut denique insertu, vt arbores, sed ista dicuntur continua largo modo. Accipitur namque continuum dupliciter. vno modo pro omnibus illis, quæ sic integrant aliquid, vt inter ipsa non sint media, & vnico possint moueri motu, & sic res artificiales talem potiuntur continuitatem. Alio modo propriè, pro illis quorum vltima sunt vnum, vt partes lineæ, quæ ad vnum punctum copulantur, & hoc est propriè continuum.*

Continuum dupliciter.

Tex 28. *Manifestum autem est ex prædictis, quod consequenter inter omnia prædicta est primum natura alijs, à quo nõ conuertitur subsistendi consequentia; unde si comparetur ad id quod est tangere, hoc erit manifestum, nam omne quod tangit necesse est consequenter esse, sed non è contra; non enim omne quod est consequenter, tangit, vt patet in numeris: duo enim sunt consequenter ad vnum, & tamen non se tangunt, sic igitur consequenter est in prioribus secundum naturam (accipiendo consequenter largo modo, vt supra dictum est, aliter non est verum, nam quæ se tangunt non sunt consequenter strictè, cum inter ea mediet aliquid diuersi generis.) Similiter tangere est velut superius ad continuum, ita vt omnia, quæ sunt continua se tagunt, non autem omnia quæ se tangunt sunt continua, quia ad hoc vt aliqua se tangant, sufficit, quod extrema sint simul, non autem est necesse quod sint vnum; si vero vnum sunt necesse est simul esse, quare continuitas, seu consitio, quæ in natura fit, est vltima secundum generationem, nam necesse est, vt prius extrema se tangant, quam sint consita, vel continuata, ea vero, quæ se tangunt non omnia consita sunt; sed vbi non est tactus, neque erit consitio, & sic continuum, tangere, & consequẽter, se habent tanquam quid minus commune, & magis; omne enim continuum tangit, (accipiendo tactum pro vnione partium, siue sint plura extrema, siue vnum, nam si strictè accipiatur, tunc est, quando extrema sunt duo, & simul, vt habetur ex eius definitione) & omne tangens est consequenter, modo exposito, non autem è conuerso.*

Ex prædictis incidẽtaliter inferimus contra aliquos, qui ponunt puncta, & vnitates separatas à rebus sensibilibus, & asserunt, inter se non differre, sed esse vnum, & idem, hoc inquam non benè dicitur, quia si essent totaliter idem, quicquid conuenit vni alteri quoque conueniret, hoc autem est falsum, nam punctis conuenit tangere, duæ namque lineæ si per longum copulentur se tangent in pũctis, vnitatibus vero conuenit esse consequenter. Præterea inter puncta contingit esse aliquid; omnis enim linea inter puncta est, inter vnitates autem non est necesse. Tex. 29.

Quid igitur est simul, & separatim, & quid tangere, & quid inter, & quid consequenter, & quid contiguum, & quid continuum, & quibus rebus vnumquodque horum inest, dictum est. Quomodo vero ad vnitatem, & pluralitatem motuum inseruiant: facilè est cognoscere; si enim motus est vnus ratione continuitatis, hanc verò habeat ex continuatione quantitatis, & medij, & mobilis, quis non cognoscet, continuitatem, simultatem, proximè verò contiguitatem suo modo, vnitatem motus respicere? reliqua verò potius pluralitatem? & maximè si loquamur de vnitate numerali; in alijs namque alia ratio militat, vt statim videbimus, ac melius id quod solum insinuatum est, declarabimus. Tex. 30.

CAPVT II.

Quotupliciter motus dicatur vnus, vel plures.

Vnus autem motus dicitur multipliciter, quia etiam ipsum vnum absq; determinatione acceptum multipliciter dicitur, nempe genere, specie, numero, & proportione. Motus igitur est vnus genere si sit ad vnum prædicamentum, & diuersus quoque si sit ad diuersas figuras, vel series prædicamentales, vt omnis latio est una genere cum omni alia latione, quia sunt in eodem prædicamento ubi. Alteratio autem à latione est motus diuersus genere, quia sunt in diuersis prædicamentis, scilicet alteratio in qualitate, latio in ubi. Vnus speciè est, cum sit unum genus, & ad aliquam speciem ipsius indiuiduam, seu specialissimam, plures motus terminentur, Tex. 31.

nentur, vt coloris quidem diuersa sunt speciec, & differentia, quia est genus; igitur alia species motus erit denigratio, alia verò dealbatio, quia ad nigredinem, & albedinem, quæ sunt diuersa species coloris, terminantur. Omnic vero dealbatio erit motus eiusdem speciei cum omni dealbatione, quia ad eandem speciem coloris, scilicet ad albedinem fiunt; & eadem ratione denigratio est eiusdem speciei cum omni denigratione, quia ad nigredinem, quæ vna species coloris est, terminantur. Cum dealbatione non amplius sunt eiusdem speciei, quia albedo à nigredine specie differt. Vnico vero verbo, illi motus sunt eiusdem speciei specialissimæ, qui ad terminoe eiusdem speciei specialissimę tendune. Illi verò diuersi, qui sunt ad diuersos. Si autem sunt quædam, quæ simul sunt genera, & species respectu diuersorum, & vocantur genera subalterna, atque ad ipsa fiant motus, ipsi motus erunt quodammodo vnus specie non autem simpliciter (id est erunt vnus specie subalterna non specialissima) vt si ponamus, quod existimatio, seu cognitio aliqua in communi sit genus scientiarum, ipsa verò scientia sit species ipsius, & genus scientiarum particularium, vt Physicæ, Mathematicæ, &c. disciplinatio vero dicat motum ad scientiam, tunc omoes disciplinationec erunt motus vnus secundum speciem subalternam: nam scientia, quæ est species subalterna existimationis est eius terminus.

Tex. 32. *Sed circa prædicta dubitabit aliquis, si vnus motus specie sit, cum ex eodem in idem mutetur, vt ex hoc in hunc locum iterum atque iterum; videtur enim ex prædictis esse vnum, quia est ad vnum terminum. At hoc esse non potest, quia sic motus circularis erit idem cum motu recto, & volutatio cum ambulatione, hoc autem absurdum est, & consequentia est euidens, nam aliquis per motum rectum potest peruenire ad terminum, ad quem alter peruenit motu circulari.*

Tex. 33. *Respondetur non adhuc determinatum à nobis fuisse sufficienter de vnitate, & diuersitate motuum; dicimus ergo, quod præter vnitatem termini, requiritur etiam vnitas medij, ita vt, ad hoc quod sit vnus motuc specie, debet esse ad vnum terminum specie, & per medium quod sit eiusdem speciei cum ipso termino; vnde si vnum deficiat, nempe, vel quod medium non sit eiusdem speciei, vel quod terminus; motus non erunt eiusdem speciei, quod præcipuè habet veritatem in motu locali. Si igitur id in quo est motus, scilicet medium est alterum specie à termino, etiam motus erit specie diuersus, ab alio motu, qui fit per aliud medium; ideo quia linea circularis, & recta specie differunt ratione figuræ, motus super ipsas facti specie quoque differunt. At si quis diceret, si hoc esset, sequeretur, quod duo motus facti ad albedinem, unus per rubedinem, alter per viriditatem essent diuersi specie, cum media specie differant, & tamen oppositum dictum est supra in tex. 31. respondetur, vt supra; quod scilicet tunc non erat sufficienter determinatum de hoc, ideo posset concedi specie differre, sed quia hoc uidetur nimis durum, ideo aliter dicatur, scilicet esse eiusdem speciei, & medium semper participare aliquid de termino ad quem, nam semper acquiritur aliquid albedinis, per quodcunque fiat dealbatio: non sic autem de motu recto, & circulari, nunquam enim in recto aliquid circularis reperitur, nec è conuerso. Genere igitur, & specie motus sic vnus est, ut declarauimus.*

Requisita ad vnitatē motus.

Tex. 34. *Simpliciter autem unus motus est, qui est unus substantia, seu ex sui natura realiter existenti, & non in abstracto, seu vniuersaliter, sed quod sit vnus numero. Quic autem talis sit, manifestum erit diuidentibus ea, quæ ipsi motui conuenire videntur. Tria autem numero, sunt circa quæ dicimus motum vnum numero esse, scilicet quod, in quod, & quando. Dico autem quod, quoniam necesse est esse aliquid quod mouetur, vt hominem, aut aurum, & in quod hoc mobile moueri debet, vt in locum, vel passionem, siue qualitatem, & quando; nam omne quod mouetur, in tempore mouetur, sic ergo vt sit vnus motus numero, requiritur vnum mobile numero, & vnus terminus ad quem numero, & pariter vnum tempus numero, hoc est non interruptum, sed continuatum.*

Quæ requiruntur ad vnitatem numericam motus.

Horam autem motuum quod aliquis sic vnus genere, vel specie, non requiritur vnitas numeralis prædictorum, sed sufficit vnitas specifica, vel generica, in re in quam mobile mouetur, hoc est in termino ad quem, & si in tempore non sit continuitas, sed sit contiguum tantum, vel etiam interruptio nihil refert, & pariter non interest, si plura sint mobilia. Simpliciter autem vnum esse; in omnibus hic tribus prædictis consistit. Etenim in quod est, nempe terminus ad quem, vnum oportet esse, & indiuisibilem, hic autem est forma, quæ per motum acquiritur (& vocatur indiuisibilis prout est terminus motus, nam de ratione cuiusque termini est esse indiuisibile, & si alia ratione diuisibilis sit, vt patet de quantitate, quæ per augmentationem acquiritur, & de qualitate, quæ saltem per accidens diuisibilis est, scilicet ad diuisionem sui subiecti) & rursus ipsum quando, vel tempus in quo fit motus, pariter debet esse vnum sine interruptione. Similiter quod mouetur debet esse vnum per se, & non per accidens, vt album per se nigrescit, & est vnum mobile, & similiter Coriscus per se ambulat. Si vero dicamus Coriscus albus ambulat, erit vnum per accidens, & duos poterit subire motus, nam ratione albedinis potest nigrescere, & prout est Coriscus ambulare simul, & sic vnum per accidenc non est sufficiens ad vnitatem numeralem motus, sed vnum per se, & incomplexum assumi debet. Neque debemus assumere mobile commune, vt si dicamus homo ambulat, quia de pluribus dici potest, & sic non erit vnum mobile numero; similiter si dicamus homo sanatur, nam poterunt duo hominec simul sanari secundum eandem sanationem, ve lippitudinis, sed hic motus non est unus numero, sed specie tantum.

Tex. 35.

Sed dubium est, an contingat, Socratem secundum eandem quidem sanationem specie alterari, in alio uero tempore, sic uidelicet, quod ipse Socrates moueatur ad sanitatem, deinde quiescat, ac iterum, denique ad eandem sanitatem moueatur; an hæc inquam sanatio, uel motus sit vnus numero; uidetur enim quod sic, quia est eadem sanitas, non tantum specie, sed numero, cum in eodem sit subiecto. Respondetur, quod si contingit eandem sanitatem numero redire, quæ prius acquisita fuit, & illa eadem numero acquiratur, erit idem motus numero, si uero non, idem quidem erit, non numero, sed specie. Vnde non sufficit identitas specifica termini ad unitatem numeralem, sed requiritur identitas numeralis, cum identitate numerali temporis. Ad id quod dicitur, esse eandem sanitatem numero, quia est idem subiectum numero, negatur consequentia, quia accidentia se ipsis distinguuntur, ut uisum est in 1. physicorum tex. 14. & inde, & maximè, quæ sunt influxu, ue sanitas. Cum igitur impossibile sit, reuerti eandem numero sanitatem, impossibile quoque est esse eundem numero motum.

Tex. 36.

Tex.37. *Est alia dubitatio similis prædictæ. Vtrum una sanitas, & omnino habitus, & passiones sint eadem numero, uel natura semper in eodem, uel diuersa. Videntur namque diuersa, nam subiectum ipsorum fluit, & transmutatur, nempe humores, ergo ipsa quoque accidentia transmutantur, & per consequens non manent eadem. Præterea si una sit sanitas, quæ est hodie, & heri: cur etiam cum quis dimissam sanitatem acceperit, non erit eadem priori cum posteriori? utrobique namq; est eadem ratio, quia est mediatio temporis in utraque, & fluxus cum unitate subiecti.*

Tex.38. *Respondetur quod eadem ratio est ad soluendam hanc dubitationem, & præcedentem, nempe quod si ponantur istæ qualitates fluentes, non erunt una numero, nisi ponatur quod reuertantur, quod esse impossibile dictum est; possunt tamen esse eadem numero prout non habent interruptionem, sicut tempus, & motus, quando non intermittuntur, unum numero sunt. Si uerò accipiantur qualitates permanentes, sunt eadem numero simpliciter. Hoc tamen pro utraque dubitatione est obseruandum, quod sicut vnius habitus possunt esse plures actus, ita quod multiplicatis actibus non sit necesse multiplicari habitum, sed bene è conuerso, ita est de subiecto respectu accidentium; se habet namque veluti habitus, & accidentia vt actus. Quare si duo accidentia sunt idem in hoc subiecto, ac si essent vnus actus numero, necesse est ipsum subiectum (quod est veluti habitus) esse vnum, nam vnius numero actus, vnus habitus numero est. Si vero habitus, vel subiectum vnum est, fortassis alicui non videbitur vnus necessariò actus, vel vnum accidens, sed plura esse possunt, verbi gratia, Ambulans est subiectum, cum ipsum cessauerit ambulare, non est amplius ambulatio, uel actus, rursus si ambulet, erit, & sic multiplicantur actus, & accidentia, non multiplicatis subiectis. Si igitur dicatur, quod illud accidens, seu actus, qui fuit, sit vnus & idem cum eo, qui est, contingeret idem corrumpi, & esse sæpe, quod absurdum est. Volo inferre, quod variato subiectu, variantur accidentia, & non è conuerso. Vnde illa accidentia non sunt eadem numero, quæ in fluxibili sunt subiecto, quod bene probat argumentum; subiectum namque illorum immediatum, saltem aliquorum sunt humores fluentes, & si dicantur eadem, hoc est ratione continuationis successiuæ, sicut diximus de tempore, & motu, quod non potest dici de accidentibus intermissis; non enim continuantur, imò neque in istis partes præteritæ iterum acquiruntur, & sic argumentum nihil concludit: dum enim dicitur, si illæ sunt eadem, ergo, & sanitas, quæ acquiritur erit eadem cum dimissa, negatur consequentia; quia illæ sunt eadem ratione continuationis, non autem ista sanitas, & si accipiatur qualitas permanens est eadem secundum omnes partes, stante eodem subiecto; non sic quæ intermissa est, quia iam perijt, nec iterum acquiri potest. Hæ igitur dubitationes sunt extra præsentem considerationem, sed ad libros de generatione pertinent, tamen incidentaliter, & ad propositum, de vnitate motus motæ fuerunt.*

Tex.39. *Quoniam autem omnis motus continuus est, ideo necesse est, vt ille qui est simpliciter vnus numero sit quoq; continuus, quod verò omnis motus sit continuus, patet, quia omnis motus est diuisibilis non in partes discretas, quia sic esset numerus, vel oratio, ergo in partes continuas, hæ autem si verè sint partes debent copulari per terminum communem, hoc namque est de ratione partiū continuarum, & sic quod ex illis constituitur, erit cōtinuum, & quod sic continuum erit, similiter erit vnum: vnde motus vnus numero erit cōtinuus, & diuisibilis, non enim ex quolibet indifferenter potest fieri aliquod continuum, sicut neq; ex quocunque potest quæcunque res fieri, sed quorum vltima sunt vnum, continuum solum efficiunt; vltima vero aliquorum quidem non sunt, vt vnitatum, quæ cum sint indiuisibiles non habent vltimum, nam vltimum supponit præcedens, aliquorum vero sunt, sed specie, differentia, & æquiuoca, vnde non sunt apta continuari, vt linea, & ambulatio, habent quidem vltima, sed continuari non possunt: quomodo namque ex linea, & ambulatione vnum continuum efficietur, sed motus sunt partes eiusdem rationis, non discretæ, vt diximus, ergo continuæ, ac natæ sunt efficere simpliciter vnum; quapropter motus erit vnus simpliciter, & continuus, qui vnus numero ponitur, ac qui continuas diuisibiles partes habeat.* Continuatio fit ex partibus eiusdem rationis.

Contigui igitur, & non continui hi motus sunt, qui neque sunt idem specie, neque genere, vt cursus, & febricitatio, ille namque est motus localis, hæc autem alteratio; vnde & si postquam aliquis cucurrit, statim febricitare potest, non ideo est vnus motus, sed veluti lampasque successione, vel motu locali illuminat diuersa loca, tamen latio non est continua illuminationi, sed contigua tantum; ponitur enim continuum, quorum vltima sunt vnum, istorum verò vltima non sunt vnum, ergo neque continua. Quare sunt contigui motus, & consequenter se habentes, quia tempus in quo fiunt est continuum, secundum quod contiguitatem habent, deficiendo à continuitate propter diuersitatem vltimorum, vt dictum est. Continuum autem quid fiunt diuersi motus, si ipsi sint continui, eo scilicet modo, quod vltimum ipsorum possit fieri vnum, & continuari, quod ijs motibus accidit, qui sunt eiusdem rationis. Tex.40. Contigui vero motus sunt qui nec genere nec specie sunt idem, vt cursus, & febricitatio.

Quapropter ad hoc vt fiat vnus motus continuus simpliciter, hoc est vnus numero; necesse est quod sit eiusdem speciei cum partibus continuantibus, quæ vnum denique fiant; sit etiam vnius mobilis, in vno tempore, & ad unū terminum ad quem. Tempore quidem sic unus sit, ut non intersit quies, nam intermittente, necesse est quiescere, & sic non unus, sed multi essent motus; quare si quis motus quiete intercipitur, neque unus est, neque continuus; intercipitur autem si in medio tempus est, in quo ipse motus cesset. Eius uerò motus, qui in terminum non unum numero, sed specie fit, non est unus unitate numerali, sed specifica tantum, etiam si tempus non intermittatur; tempore enim uno numero existente, motus esse potest idem specie, sed alius, & alius erit diuersitate numerali: nam ad hoc ut sit unus numero, necesse est eundem esse terminum specie, & numero, nam à termino præcipuè accipit unitatem, & distinctionem; qui uerò specie unus est, non est necesse, quod sit unus numero. Quis igitur motus simpliciter unus numero sit, dictum est. Tex.41. A termino præcipue accipit vnitatem.

Amplius autem dicitur unus motus, & perfectus, siue unitate generica, siue specifica, siue numerali, (quæ dicitur secundum substantiam, quia esse cuiusque rei realiter consistit in unitate numerali, quæ enim uniuersalia sunt, per intellectum habent (esse) sicut in alijs rebus dicitur totum, & perfectum, si habeant completè unitatem, quibus, scilicet nihil deficiat. Sic nous dicitur motus genere, si sit ad aliquod prædicamentum in quo terminum genericum acquirat perfectè, & sic in specie, uel numero, non considerando interruptionem, uel temporis, uel motus. Ali- Tex.42.

quando

quando verò dicitur vnus motus ratione continuitatis tantum, etsi alia ratione sit imperfectus, prout nondum acquisiuerit vltimatum, & perfectum terminum ad quem.

Tex.43. *Amplius autẽ aliter præter dictos, dicitur motus vnus qui est regularis, irregularis enim aliquomodo videtur vnus, sed magis videtur vnus ipse regularis, sicut rectus magis videtur vnus motus quam fractus, vel reflexus.* Cur verò irregularis nõ videatur vnus sicut regularis, ideo est, quia est diuisibilis in partes difformes, alia namque est velocior, alia tardior, & quo magis aliqui accedit ad diuisibilitatem, eo magis ab vnitate recedit, nam vnitas est indiuisio quædam, tamen quia velocitas, & tarditas sunt accidentia, & non differentiæ essentiales motus; ideo hic motus irregularis, non essentialiter, sed secundum magis, & minus, seu accidentaliter differre videtur; est enim magis in accidentia diuisibilis, est autem in omni motu, hoc quod regulariter, vel irregulariter est, nam alterabitur regulariter, & mouetur localiter super magnitudinem regularem, siue sit recta talis magnitudo, siue circularis, & similiter dicendum est circa augmentationem, & diminutionem; omnes namque prædicti motus possunt habere eandem velocitatem à principio vsq; ad finem, & sic erũt regulares, vel diuersam, & sic erunt irregulares. At si quis dicat. Solum motum primi mobilis esse regularẽ, vt dictum est in 4. phys. tex. 133. & in 8. tex. 76. & 83. ergo hic male dicitur, vel ibi. Respondetur, motum primi mobilis esse semper ex sua natura necessariò regularem. Istos verò, posse esse regulares, & irregulares, & sic necessariò, & semper regularis est solus motus primi mobilis, non autem simpliciter solus.

Tex.44. *Differentia irregularitatis à quo habetur.*

Irregularitatis autẽ differentia sumitur aliquando quidem ex spatio in quo aliquid mouetur, nempè si sit tortuosum, vel difforme, ita vt in vna parte sit densius quam in alia (impossibile namque est regularem esse motum, non in regulari magnitudine) vt est motus magnitudinis fractæ, aut tortuosæ in modum gyri obliqui, aut alterius magnitudinis, cuius queuis ad quamuis partem minimè coaptatur eodem ordine, vel dispositione. Aliquando autem neque in vbi, seu medio, neque in quando, vel tempore, neque in eo ad quod, scilicet in termino ad quem; sed in ipso modo mouendi mobilis consistit regularitas, & irregularitas, prout ipsum mobile determinatur varia velocitate, vel tarditate; cuius enim est eadem velocitas, à principio vsque ad finem, motus eius est regularis, cuius autem non est eadem, irregularis, hæc autem sunt omnia, quæ naturaliter mouentur motu recto: vt grauia deorsum, leuia vero sursum, velocius in fine, quam in principio mouetur; ex prædictis sequitur, quod velocitas, & tarditas, ac similiter regularitas, & irregularitas non sunt neque species, neque differentiæ essentiales motus, quia sequuntur omnes motus specie differentes, at species, vel differentiæ essentiales non sequuntur, nec reperiuntur in qualibet specie, imò ab omnibus alijs distinctæ sunt. Quare neq; grauitas, & leuitas, quæ ad idem, seu respectu eiusdem est (vt grauitas terræ respectu maioris, vel minoris grauitatis eiusdem, vel leuitas ignis eodem modo) specie differunt, neque vt essentialis differentia, nam hoc modo vna pars terræ differret specificè ab alia, & sic quoque pars ignis; quod absurdum est.

Naturalia velocius in fine, quam in principio mouentur. Velocitas & tarditas nõ sunt differentiæ essentiales, sed accidentales motus. Neque grauitas, & leuitas differunt essentialiter.

Tex.45. *Irregularis autem motus vnus est, quatenus est continuus, sed minus vnus quam sit regularis, vt accidit motui fracto, seu reflexo, qui minus est vnus quam rectus. Id autem quod est minus, semper habet admistionem contrarij,* non secundum realem mistionem, vt dictum est textu 19. sed per maiorem quandam approximationem, vel similitudinem ad alterum contrarium. Si autem contingit, quod omnis motus possit esse vnus, & regularis, & irregularis. Sequitur quod ipsi motus qui secundum speciem sunt diuersi, & tantum contigui, numquam possint fieri vnus, & continuus; sic namque vnus ex illis factus posset esse regularis, sed quomodo erit regularis motus ex alteratione compositus, & latione? oportet enim quod partes motus regularis coaptentur, seu vniantur secundum eandem rationem, quod de motibus specie diuersis impossibile est.

Quod est minus semper habet admistionẽ contrarij.

SVMMA TERTIA

De contrarietate motuum, & quietum.

CAPVT I.

Quis motus cui motui opponatur.

Amplius autem determinandum est, qualis motus est contrarius motui, & de quiete quoque eodem modo. Diuidendum est autem primo quot modis possimus imaginari, vnum motum alteri contrariari. Vtrum sit motus contrarius, qui ex eodem termino est, ei qui ad eundem terminum tendit, vt qui est ex sanitate, ei quæ est ad sanitatem, vel qui est ad non esse ex non esse sicut generatio, & corruptio; generatio namque est ad esse; corruptio est ex esse, & sic est vnus modus contrarietatis. Secundus. Aut illi motus sint contrarij, qui sunt ex contrarijs terminis, vt qui est ex sanitate, sit contrarius ei, qui est ex ægritudine. Tertius. Aut illi qui sunt ad contrarios terminos, vt qui est in sanitatem, ei qui est in ægritudinem. Quartus. Aut ille motus qui ex termino contrario est sit contrarius illi, qui ad terminum contrarium est; vt qui est ex sanitate, ei qui est in ægritudinem. Quintus. Aut qui est ex contrario in contrarium terminum sit contrarius motui, qui est ex contrario in contrarium; vt ille motus, quæ est ex sanitate in ægritudinem, sit contrarius illi qui est ex ægritudine in sanitatem. Necesse est enim, aut vnum horum esse modum contrarietatis, aut plures, non enim possibile est aliter ipsos opponi. Tex.46.

Quot modis vnus motus opponatur alteri.

Est autem, qui ex contrario termino motus fit, ei qui ad contrarium non contrarius, imò vnus, & idem, etsi differant secundum variam rationem, vel esse in diuersis terminis, vt motus qui est ex sanitate, non contrariatur ei, qui est ad ægritudinem, sed idem motus ex sanitate ad ægritudinem fit, differunt verò (vt diximus) secundum esse eorum circa diuersos terminos, nam idem esse non videtur mutari ex sanitate, & mutari ad ægritudinem, cum varia connotentur. Tex.47.

Neque ille motus qui est ex termino contrario contrariatur alteri, qui ex altero termino contrario est, vt qui est ex albedine, non contrariatur ei qui est ex nigredine, & ratio est, quia possunt terminari ad eandem formam contrariam suis terminis, vel saltem mediam, quæ habet rationem contrarij, vt tam motus qui est ex albedine, quam qui ex nigredine, ad rubedinem terminari possunt, cum vero ex terminis ad quos fiunt, motus specificentur, (vt habitum est,) sequitur hos non esse contrarios Tex.48.

tum eundem habeant, vel possint habere terminum specificum, sed sunt eiusdem speciei. Quomodo verò motus non semper ad extrema, sed interdum ad media terminentur, posterius dicemus in textu 52. Magis ergo mutari in contrarios terminos, videbitur esse causa contrarietatis motuum, quam mutari ex contrarijs, nam à contrarijs mutari dicit recessionem à contrarietate, sed mutari ad contrarios dicit accessum, & vnusquisque dicitur magis sic, vel sic mutari ex eo in quod mutatur, quam ex quo, vt sanatio dicitur motus, qui fit in sanitatem, ægrotatio, qui fit in infirmitatem, ergo contrarij motus dicuntur, qui ad contrarios fiunt terminos, & ex contrarijs quoque, sic videlicet, quod illi sint motus contrarij, qui ex diuersis terminis contrarijs, ad diuersos quoque contrarios fiunt, vt qui est ex albedine in nigredinem, contrariatur ei, qui est ex nigredine in albedinem, sed denominantur contrarij à terminis ad quos, & non à quibus fiunt. Forsitan igitur accidit eos motus, qui sunt in contrarios terminos ex contrarijs, esse idem secundum subiectum, vt motus, qui est ex sanitate in ægritudinem, & ex ægritudine in sanitatem, in eodem subiecto esse possunt saltem successiuè, tamen esse eorum alterum est, nam habent diuersas definitiones, & terminos.

Tex. 49. Differentia motus à mutatione.

Quoniam autem differt mutatio à motu, nam ea mutatio tantum, quæ est ex subiecto in subiectum, hoc est de termino positiuo ad positiuum, dicitur motus, ideò contrarietates vtriusque diuersæ sunt, quare contrarietas motuum debet sumi ex terminis vtrisque contrarijs positiuis, scilicet tam ex terminis à quibus, quam ex terminis ad quos, nam contrarietas ipsius mutationis non sumitur, nisi ex termino positiuo, & negatiuo, nempè ex esse, & non esse. Sunt ergo motus contrarij, qui est ex contrario in contrarium ei, qui ex contrario in contrarium, vt qui ex sanitate in ægritudinem, qui est ex ægritudine in sanitatem.

Tex. 50. *Quod autem motus sic contrarij sint, ex inductione etiam manifestum est. Ægrotare enim ipsi sanari, & discere non per seipsum est contrarium ei, quod est decipi non per seipsum, nam sunt in terminos contrarios, & ex contrarijs, nam discere est ex ignorantia ad scientiam, decipi ex scientia in ignorantiam, quod quidem discere, & decipi potest esse per seipsum, & per alium, & sic proportionaliter accipi debent contrarij termini, vt discere ab alio, decipi, ab alio discere à seipso, decipi à seipso, & in vtrisque, termini sunt scientia, & ignorantia, vel error. Amplius motus sursum contrariatur secundum longitudinem motui deorsum, & qui fit ad dextram contrariatur ei, qui fit ad sinistram in latitudine, & qui est ante, contrariatur ei, qui est retro in profunditate; istæ enim sunt differentiæ loci, & per consequens faciunt differre motus locales.*

Tex. 51. *Mutatio autem, quæ est in contrarium solum, hoc est ad vnum, vel ex vno solo termino positiuo, non est motus, sed simplex mutatio, vt si dicamus fieri album non ex aliquo (quod ad exemplificandum ponitur) sed dicatur verè, fieri ens ex non ente. Quibus autem non est aliquod contrarium, veluti terminus, ipsamet mutatio secundum eundem terminum diuersimodè sumptum contrarietatem habebit, vnde dicatur mutatio contraria ea, quæ ex ipso termino, ei, quæ ad ipsum est, verbi gratia in generatione, & corruptione, vnus tantum positiuus terminus reperitur, scilicet ens, à quo si fiat mutatio ibit in non ens, & erit corruptio, & sic vna mutatio sumitur ex ipso, si verò ad ipsum terminum acquirendum mutatio tendat, erit generatio, & sic generatio, & corruptio sunt contrariæ mutationes, prout diuersimodè se habent ad ipsum ens, scilicet completum, quod est generationis terminus; generatio igitur est mutatio ad ipsum, corruptio ex ipso, ac contrariæ sunt; sicut abiectio est contraria acceptioni, hæ autem mutationes quidem sunt, motus autem non.*

Contrarietas in mutationibus.

In his autem contrarijs, in quibus medium aliquod reperitur, vt inter album, & nigrum est fuscum, motus, qui ad tale fit medium est habendus, ac si fieret ad contraria; nam ipse motus vtitur medio pro vtroque extremo siue fiat ex parte vnius extremi, siue alterius, siue etiam ex medio ad extrema, vt ex fusco fit mutatio in album tanquam ex nigro, & ex albo in fuscum, tanquam in nigrum, ex nigro autem in fuscum tanquam in album; fuscum namque dicitur quodammodo medium ad vtrumque extremorum, sicut dictum est prius. Motus igitur motui contrarius est, sicut dictum est, scilicet, qui ex contrario in contrarium est ei, qui ex contrario in contrarium. Tex. 52.

CAPVT II.

Quæ quies, cui motui, & cui quieti opponatur.

QVoniam autem motui non solum videtur motus contrarius, sed & quies, hoc determinandum est. Simpliciter enim (idest vera contrarietate, quæ est inter terminos positiuos) motus est motui contrarius, sed etiam ipsi opponitur quies, vt priuatio, est etiam conueniens vt & priuatio contraria, vel opposita dicatur formæ, vel habitui, secundum proportionem, ita vt motui quali, vel in qualitate, contrarietur quies qualis, & ei motui, qui est secundum locum, opponatur quies secundum locum, & sic de alijs. Sed hoc quidem nunc dicitur simpliciter, & proponendo in vniuersali. At specialiter determinare oportet. Vtrum scilicet ei quieti, quæ est hic, opponatur motus, qui est ex hoc, aut qui est in hunc locum, vt aliquis stat in hoc loco, an quieti istius opponatur motus, qui ex hoc loco fieri potest, vel motus quem fecit antequam quiesceret hic. Tex. 53.

Manifestum est igitur, quod quia motus est inter duos terminos, scilicet à quo, & ad quem; huic quidem motui, qui est ex termino à quo, ad contrarium, seu ad terminum ad quem, opponitur ea quies, quæ est in hoc termino à quo, scilicet illa quies, quæ est prius, quam motus incipiat, & similiter ei, qui fit ex altero contrario termino ad hunc opponitur quies, quæ in tali contrario termino est, nempè illa, quæ est ante inceptionem motus; ratio est, quia ipsa maximè motui repugnat; nam durante ea, motus fieri non potest, imò quietes quoque suo modo contrariæ sunt: inconueniens est enim motus esse contrarios, non autem quietes, cum sic repugnent quietes aliquæ adinuicem, sicut motus. Sunt igitur quietes contrariæ, quæ sunt in contrarijs terminis ad quos, vt quies, quæ est in sanitate, opponitur ei, quæ est in ægritudine; nam impossibile est aliquid simul in ægritudine, & sanitate quiescere. Motui verò illa quies opponitur, quæ est in termino à quo, vt dictum est, v. g. concipiatur motus ex sanitate in ægritudinem, ea quies, quæ est in sanitate sibi opponitur. Et autem motui, qui est ex ægritudine in sanitatem inconueniens Tex. 54.

Quies in termino à quo opponitur motui.

Quietes eæ sunt contrariæ, quæ sunt in contrarijs terminis ad quos.

est

est quietem opponi. Hoc est, ei motui, qui consideratur in termino ad quem non opponitur quiescere, quod in tali termino fit, vt postquam quis de sanitate motus est ad ægritudinem, & ibi quiescit; quies illa non opponitur motui iam præhabito, nam is motus, qui ad ipsum terminum ad quem est, & in quo stat, non est quid oppositum, sed quietatio, seu perfectio quædam, quæ simul cum motu acquiritur; necesse est enim hanc, aut illam quietem per motum acquiri, secundum tamen naturam motus: non enim ea quidem quies, quæ est in albedine contraria est ei quieti, quæ est in sanitate, nec per consequens motus in albedine quietem habet in sanitate; nam ad oppositas quietes sunt oppositi motus, vt motus ex ægritudine quietem habet in sanitate, ex nigredine in albedine, vel medio, quod supplet locum contrarij, vt sæpe dictum est.

Tex. 55. *Quibus autem non sunt contraria, horum mutatio quidem est opposita ea, quæ est ex ipso termino positiuo, ei, quæ in ipsum est, vt ea, quæ est ex ente, contrariatur ei, quæ est ad ens, & prima est corruptio, secunda generatio, quæ motus non sunt. Corruptio igitur est ex ente ad non ens: generatio ex non ente ad ens. Vnde sicut istæ non sunt motus, sic nec habent aliquam oppositam quietem. Sed dum circa ipsa non est actualiter mutatio aliqua, sed status, non quies, sed immutabilitas vocari debet, & si quidem erit aliquod subiectum, seu terminus positiuus, per generationem acquisitus, qui stare dicatur, illa statio, seu immutabilitas in tali enti, erit opposita immutabilitati, quæ est in non ente, vt status in generatione opponitur statui in corruptione, vel status geniti, opponitur statui corrupti. Sed hic sunt duæ dubitationes. Prima, si id quod non est, nihil est, quomodo ea immutabilitas, quæ est in ente, vel in termino acquisito per generationem est sibi contraria, cum contraria sint relatiua, & quæ sunt nihil referri non possit. Secunda, an talis immutabilitas sit quies, nam dicere simpliciter esse immutabilitatem, & non quietem videtur temerè dictum. Respondetur ad hanc secundam dubitationem modò (deinde dicemus ad primam) hanc immutabilitatem non esse quietem; cuius ratio est, quia omnis quies opponitur priuatiuè motui, vnde tempore mensurantur, sed vnum vt positiuum, alterum vt priuatiuum, & per accidens, vt dictum est in quarto textu 118. cum ergo quies solum sit priuatio motus, si immutabilitas esset quies, non quietes propriæ dictæ (quæ tempore mensurantur) essent tantummodo priuationes motus, sed aliæ etiam, quod est contra prædicta; vel oporteret dicere, quod generatio, & corruptio esset motus (quod etiam prædictis repugnat) nam priuatio habet habitudinem ad habitum cuius est priuatio, & sic quies est priuatio motus, ergo nihil dicitur quies, nisi motum respiciat; quare si huiusmodi immutabilitates essent quietes, necessariò generatio, & corruptio essent motus, vnde si hæ non sunt motus, manifestum est, quod quietes hæ dicenda non sunt, etsi immobilitas sit aliquid simile quieti. Ad aliam dubitationem, quæ fuit prima, respondetur: Quod immobilitas, quæ est in ente, aut nulli est contraria (vera scilicet, & positiua contrarietate) aut ei immobilitati, quæ est in non ente, aut corruptioni, hæc namque scilicet corruptio ex ipsa immutabilitate entis est, generatio autem in ipsam est, & sic sunt oppositæ, sicut terminus à quo, & ad quem. Ad illud quod dicebatur, quod nihil referri non possit; Respondetur id esse verum de relatione reali, non autem de relatione rationis, cuius vnum extremum, etsi sit non ens supponit aliquod positiuum, vt surditas refertur ad auditum, cæcitas ad visum, mors ad vitam, &c. quæ dicuntur relatiua rationis, non quod fiant per intellectum, sed quia alterum extremum non est reale; sic quoque immutabilitas in ente refertur ratione oppositionis ad immutabilitatem, quæ est in non ens, scilicet ad corruptionem, quæ tamen fundatur in aliquo, nempè in ipsa materia, quæ generationis, & corruptionis est commune subiectum.*

CAPVT III.

Dubitationes aliquæ circa prædicta, & solutiones.

DVbitabit autem aliquis, quare in mutatione quidem secundum locum, sunt motus, & quietes secundum Tex. 56. Prima dubitatio.
naturam, & præter naturam, in alijs autem non; vt alteratio cur hæc quidem non dicitur secundum naturam, illa verò præter naturam; sed tam ægrotatio, quam sanatio, & aliæ alterationes æqualiter dicuntur secundum naturam, vel præter naturam sine hac immediata contrarietate, quæ in motibus localibus reperitur; ignis namque secundum naturam sursum mouetur, præter naturam deorsum, Secunda.
terra verò è conuerso. Similiter autem est in augmentatione, & diminutione; neque enim hæ sunt inuicem contrariæ secundum naturam, & præter naturam, neque augmentatio hoc modo opponitur augmentationi; de gene- Tertia.
ratione, de corruptione eadem est ratio, neque generatio est secundum naturam, corruptio verò præter naturam, neque è conuerso, vnde senescere, quod est via ad corruptionem secundum naturam est, neque generationem videmus, aliam quidem secundum naturam, aliam verò præter naturam; hæc igitur sunt dubia, quæ circa contrarietates motus moueri possunt; vnde omnia prædicta non assertiuè, sed dubitatiuè proposuimus, modo ad solutiones accedamus.

Dicimus ergo, quod si id quod violenter fit, possit voca- Tex. 57.
ri præter naturam, in quolibet motu reperitur hæc contrarietas, vt patet inductiuè per singulos, vt corruptio corruptioni contraria erit, ea quæ est violenta, vel præter naturam, naturali; est autem violenta, quæ gladio, vel igne, vel alio modo extrinseco fit, naturalis, quæ fit ex senectute ob defectum caloris naturalis, &c. sunt etiam generationes aliquæ violentæ, & non Fato, vel ordinarijs causis determinatæ, sicut hyeme nascuntur rosæ ex arte, & industria, quibus contrariæ sunt eæ, quæ secundum naturam, vt generatio rosæ in vere, vel determinato tempore. Similiter dantur augmentationes, & diminutiones violentæ, vt augmẽtationes eorum, qui velociter propter nimium alimentum pubescunt, & frumenta, quæ citò adolescunt propter abundantiam humiditatis, vnde non sunt bene constricta, sed laxa, & mollia, sicut patet ex ijs, quæ tempore messuræ, ob pluuiam ferè vnico die germinant. Quæ corruptiones, & generationes violentæ, & naturales.

In alteratione autem quo pacto erit naturaliter, & præ- Tex. 58. Quæ alterationes naturales, & quæ violentæ, & sic ad tertiam.
ter naturam? Respondetur, quod in ipsis quoque hæc reperitur contrarietas, vnde aliquæ alterationes erunt violẽtæ, aliæ verò naturales, vt qui sanantur, alij sanãtur in diebus criticis, vel indicatorijs, alij verò in nõ indicatorijs: illi quidem, qui in indicatorijs sanantur, dicuntur sanari secũdum naturam, (est namq; dies critica, in qua natura debet vincere morbum, vel ab illo vinci, & est dies impar infirmitatis vt quinta septimas, &c. dicitur quoque indicatoria, quia faciliter tunc indicatur de valetudine) qui verò in non indicatorijs præter naturam. Erunt etiam corruptiones ad Quæ sit dies critica, & quæ indicatoria.

inuicem

inuicem hoc modo contrariæ, & non generationes solum, & quid prohibet? est enim vt sic (hoc est aliquomodo contraria sint) vt si hæc sit corruptio suauis, sicut mors senum, alia verò tristis, vt iuuenum. Quare non simpliciter corruptio corruptioni contraria est, sed quatenus ipsarum hæc quidem suauis hoc est minus tristabilis (omnis namque corruptio tristabilis est) alia verò tristis.

Tex. 59. *Omnino igitur motus, & quietes sunt contrarij dicto modo, nempè secundum esse naturale, vel violentum, vt latio, quæ est sursum, contrariatur ei, quæ est deorsum, loci enim contrarietates hæ sunt à quibus motuum contrarietates sumuntur, vnde leuia, vt ignis fertur motu naturali sursum, terra verò motu quoque naturali deorsum, quorum motus contrarij sunt; vnde ex opposito ignis violenter fertur deorsum, terra violenter sursum, & sic patet, quomodo in motu locali est etiam hæc oppositio, nempè esse secundum naturam, & præter naturam, nam motus, qui est secundum naturam contrarius est ei, qui est præter naturam.*

Omnis motus est contrarius, vel secundū esse naturale, vel secundū esse violentum.

Tex. 60. *Et quietes etiam similiter motui opponuntur, vel secundum naturalitatem, vel secundum violentiam, vt quies, quæ est sursum alicuius corporis grauis, opponitur motui ipsius, vt violentum naturali. Si enim terra sursum quiesceret, proculdubio quiesceret violenter, & si ex sursum in deorsum moueretur, naturaliter moueretur, & sic patet, quomodo talis quies opponitur motui, vt violentum naturali, & sic quies, quæ est præter naturam, contraria est motui naturali eiusdem mobilis sicut motus eiusdem naturalis, contrariatur motui violento ipsius. Alter enim secundum naturam ipsius erit, sursum si sit leue, vel deorsum si sit graue, alter verò præter naturam, vt deorsum si sit leue: sursum si graue.*

Tex. 61. *Habet autem dubitationem, si omnis quietis, quæ non semper est, sed aliquando sic aliquando non, sit generatio, seu naturalis productio, & hæc quies sit ipsum stare, seu terminari motuum, & arguitur quod non, quia si omnis quietis esset generatio, sequeretur, quod eius quod præter naturam quiescit, vt terræ sursum erit generatio, seu (vnico verbo) esset generatio quietis violentæ, hoc autem est impossibile, quia generaretur à motu violento, quare ille motus esse propter talem quietem, ac ipsam intenderet, & sic quod ferebatur sursum violentia, stabat, seu quietem intendebat (hoc namque significat stare hoc loco, & alibi sæpe) sed quod stat, seu quietem intendit, semper videtur ferri velocius circa finem, quod autem violentia fertur contra, scilicet semper mouetur tardius; ergo ille motus non est propter hanc quietem, & sic ab ipso non intenditur, nec generatur, nec potest assignari aliud producēs. Quare quod à nullo factum est quiescens erit quiescens, vel erit quies à nullo facta, ergo non datur quietis violentæ aliqua generatio, quapropter non omnis quietis est generatio. Amplius videtur ipsum stare, seu quietem intendere propriè dici, aut penitus esse idem cum eo quod est moueri naturaliter, seu idem esse cum motu naturali, vel simul accidere, hoc est, vel accidens concomitans semper ipsum motum; sed motus violentus non est naturalis; ergo quietem intendere non potest, quare neque ab ipso producitur, nec per consequens erit verū, quod omnis quietis sit generatio.*

Quies, quæ est præter naturā contraria est motus naturali eiusdem mobili.

Tex. 62. *Habet autem dubitationem id quod diximus supra in textu 54. nempè, quod quies in termino à quo contrariatur motui, quis ex tali termino fieri posset ad terminum ad quem, si hoc namq; esset verum, sequeretur, quod essent simul duo contraria, quod videtur inconueniens. Probatur sequela. Cùm enim aliquid mouetur ex hoc, seu ex termino à quo, aut etiam ipsum terminum abijcit, vel dimittit, adhuc videtur habere id quod abijcitur, quia quod mouetur, partim est in termino à quo, partim in termino ad quem, quare si hæc quies contraria est ei motui, qui hinc fit, ad alium terminum contrarium, scilicet ad terminum ad quem, sequitur, quod in eodem termino à quo sit simul motus, & quies, & sic contraria simul. Respondetur, quod quies aliqua imperfecta non sic contrariatur motui, quin simul esse possint, imò cum motus sit actus imperfectus, aliquam priuationem, vel quietem connexam habet, vnde si mobile adhuc dum mouetur manet in termino à quo aliquomodo; non est negandum, quod aliquomodo quiescat. Omnino autem eius, quod mouetur, aliud quidem ibi, scilicet in termino à quo, aliud autem est in quod mutatur, seu in terminum ad quem, quapropter magis motus motui contrarius est, quam ipsi motui sit contraria quies, nunquam enim fiet, quod aliquid simul sursum, & deorsum moueatur quomodocunque imperfectè, sed bene cum motu est quies imperfecta coniuncta.*

Dubium.

Solutio.

Et de motu quidem & quiete, quomodo vtrumq; vnum est, & quæ quibus contraria sunt dictum est. Tex. 63.

Dubitabit autem quis de ipso stare, si omnibus motibus, qui sunt præter naturam, sit aliqua quies opposita? (quæ est dubitatio superius posita in tex. 61. & nunc soluetur,) siquidem igitur non erit, incõuenient est, nam & sensui repugnat, & rationi, videmus namq; multa violenter quiescere, & omni habitui est opposita priuatio. Dicimus ergo, quod manet corpus violenter motum, sed talis mansio, vel quies est violenta. Sed contra, quia aliquid non semper uiolenter quiescet, & tamen ponitur noua quies sine fieri, vel sine generatione; nam vt visum est, violenta quies à nullo generari potest. Respondetur palam esse, quod erit aliqua generatio eius. Vnde sicut motus talis violentus fit præter naturam, sic quies violenta præter naturam generatur, & licet à motu non intendatur, tamen ex debilitate virtutis impressæ in mobili causatur quies, nec est inconueniens priuatiuum, vt est quies, habere causam potius defectiuam, quam effectiuam, & sic quoque soluitur argumentum, dum enim dicitur motum intendentem quietem, velociorem esse in fine, quam in principio, verum est de naturali, sed motus factus violenter quietem non intendit, vt declaratum est. Tex. 64.

Est alia dubitatio. Cum quibusdam corporibus naturalibus conueniat motus secundum naturam, & præter naturam, vt motus sursum conuenit igni secundum naturam; motus verò deorsum eidem conuenit præter naturam. Terræ verò è contra; ipsa enim deorsum mouetur secundum naturam; sursum verò præter naturam. Vtrum igitur motui ignis sursum, sit contrarius motus eiusdem deorsum, vel potius sit ei contrarius motus deorsum terræ? Respondetur, quod ambo sunt ei contrarij, sed non eodem modo. Sed qui est secundum naturam deorsum, sicut est motus terræ, contrariatur motui secundum naturam ignis sursum, vt naturale contrariatur alteri naturali; qui verò est ignis deorsum, & præter naturam, contrariatur motui eiusdem sursum naturali, sicut violentum naturali opponitur. Similiter autem in mansionibus, seu quietibus dicendum est, nempè quod quies ignis sursum contrariatur quieti terræ deorsum, vt naturalis naturali, & quieti suipsius deorsum, vt naturalis violentæ. Quod de igne per modum exemplificandi dictum est, potest adaptari quam plurimis alijs. Quomodo verò quies motui opponatur dictum est, sed quomodo quies in termino à Tex. 65. Dubium.

Solutio.

quo

quo opponatur motui, qui fieret ex ipso ad terminum ad quem; nam cum ex hoc termino à quo mobile mouetur, & ipsum terminum abijciat, vel dimittat, adhuc videtur habere quod abijcitur; nam partim est in termino à quo, partim in termino ad quem, quare si ipsa quies contraria erit motui, & simul sunt in termino à quo videntur simul esse duo contraria, vel oportet dicere, quod ipsum mobile aliquatenus quiescit in tali termino, si adhuc est, vel manet partim in ipso, & sic supposito motu non est motus, si mobile quiescere dicamus, ergo vel non est dicendum, talem quietem motui contrariari, vel mobile non esse partim in termino à quo, partim in termino ad quem. Respondetur, quod mobile verè est, partim hic in termino à quo, partim ibi in termino ad quem, & dum dicitur, ergo duo contraria sunt simul, scilicet motus, & quies. Respondetur, quietem imperfectam non sic motui contrariari quin se compatiantur: maior namque inter motum, & motum, quam inter ipsum, & quietem contrarietas reperitur; hæc autem dubitatio superius proposita, & eodem modo soluta fuit, sed ad maiorem dilucidationem iterum eam apposuimus,(vel fortè est defectus impressorum, vel translationum, vel alio modo.) Quis quidem igitur motus simpliciter vnus, & de motu quidem, & quiete, quomodo vterque vnus, & qui contrarij, quibus, dictum est.

Finis Paraphrasis Quinti Libri Physicorum.



ANTO-

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marſorum.

IN QVINTVM LIBRVM PHYSICORVM Ariſtotelis Quæſtiones.

QVÆSTIO PRIMA.

Sed eſt mouens, & quod mouetur, &c. Tex. 4.

Quæritur, an vnitas ſpecifica motus ſumatur à termino ad quem.



Rguitur primò, quod non. Vnitas ſpecifica ſumitur à propria interna, & eſſentiali differentia, vt vnitas hominis à rationalitate, ſed terminus ad quem non ſic ſe habet, ergo. Probatur minor dupliciter. Primò, quia habet rationem finis, at finis eſt extra eſſentiam. Secundò, quia non exiſtente vltimato termino ad quem, motus aliquis eſt vnus, & eſſentialiter, vel ſpecificè ab alio differt, vt calefactio differt à frigefactione, tam in principio, quam in medio, ſicut in fine; ergo ſemper habet eſſentialem vnitatem.

Secundò. Si hoc eſſet verum; motus ſurſum, & deorſum, augmentationis, & diminutionis, rectus, & circularis; naturalis denique, & violentus eſſent eiuſdem ſpeciei, quæ omnia ſunt abſurda, conſequentia probatur; nam motus ſurſum, & deorſum ad eundem terminum terminari poſſunt, vt ſi particula aeris ab igne deſcendat; altera verò à terra ad eundem locum aſcendat: ſimiliter ſi motus augmentationis ſit à quantitate bicubitali ad tricubitalem, diminutionis verò à quadricubitali, ad tricubitalem, eundem terminum habebunt; pariter ſicut per lineam rectam, & circularem idem terminus acquiri poſſet, ita eſſet idem motus, ac tandem ſicut lapis naturaliter ad terram ſi ſurſum eſſet deſcenderet, ſic ad eandem poſſet violenter deſcendere ignis, vnde eundem terminum haberent, & tamen motus lapidis eſt naturalis, ignis verò violentus.

Tertiò. Magis dependet accidens à ſubiecto, quam à fine; ſi ergo motus ſit accidens potius a ſubiecto, quam a termino ſpecificari debet; probatur antecedens, quia naturaliter ſine ſubiecto eſſe nequit, & tamen benè eſt ſine termino antequam compleatur, ergo.

Quartò. Ariſtot. in hoc lib. tex. 7. poteſt differentiam mutationum vel motuum etiam ex parte termini à quo; dicit enim, mutationem eſſe, aut à ſubiecto in ſubiectum, aut à non ſubiecto in ſubiectum, &c. ergo non ſolum ex parte termini ad quem accipienda eſt.

Quintò. Si à termino ad quem ſumeretur talis differentia ipſe ſolum denominationem efficeret, vt etiam inſinuat Ariſt. in litera; ſed hoc non eſt verum, quia non ſolum ab vltimo termino, vel actu, aut perfecto ſit denominatio, ſed quandoque ab imperfecto, vt homo dicitur mortalis ratione corporis, quamuis ſecundum animam (quæ eſt perfectior) immortalis ſit.

Pro intelligentia notandum eſt, quod motus conſiderari poteſt dupliciter. Vno modo formaliter, prout eſt entitas quædam, vel ſucceſſiua, vel inſtantanea, ſic tamen quod ſit via, vel medium aliquid acquirendi, quo pacto in 3. Phyſic. in genere quantitatis reponi aſſeruimus, & ſecundum hanc conſiderationem nulla eſt difficultas: viſum namque eſt, quod terminus ad quem rei acquiſibilis ſit ſibi extrinſecus, & alterius generis; at ſi quæratur, quiſnam ſit proprius intrinſecus eius terminus per quem in eſſe conſtituatur; reſpondetur, hunc eſſe rationem hanc formalem eiuſdem, ſeu gradum quendam indiuidualem, ſicut vt hæc albedo ſit ſingularis, eſt hæc eius natura talis, vel indiuidua; ſubiectum verò, & huic, & omnibus accidentibus non eſt formale intrinſecum, cum ſit alterius prædicamenti; ratio verò formalis conſtitutiua eſt eiuſdem rationis, vel generis cum re conſtituta. Alio modo accipitur motus materialiter, puta pro forma fluente, ſeu pro forma imperfecta, quæ ad perfectionem tendit; qui quidem duo neceſſariò includit, vel connotat, nempe formam ipſam imperfectam, & ordinem vel reſpectum ad vltimum terminum; ſi etenim ſolam imperfectam illam formam diceret, nullam equidem rationem motus retineret; in ipſa itaque conſideratur ordo ſucceſſionis, & per conſequens clauditur prius, & poſterius, ac denique terminus à quo, & ad quem, ita vt ſi ambo non intelligerentur, nec ordo, nec ſucceſſio, nec motus formalitas ſaluaretur; ſed ſi dicatur, hoc pacto eſſet ens per accidens, quia formam abſolutam, reſpectum, & ſucceſſionem includit. Reſpondetur, hanc eſſe rudem, & indignam inſtantiam; ego etenim quoad me, nec intelligere, nec fingere poſſum, res naturales, maximè accidentia, ſine aliquo ordine, & fundamento; at hoc vocare ens per accidens eſt cognitionem phyſicam (quæ ex ſenſibilibus procedit) auferre: quibus habitis ponitur concluſio, vel reſolutio quæſtionis.

Con-

Conclusio.

Motus materialiter sumptus accipit formalem vnitatem à termino ad quem. Probatur, nam quod dat esse completum, & in suo genere essentiale, & intrinsecum, dat vnitatem formalem, & quidditatiuam; terminus autem ad quem respectu motus sic se habet, ergo; quapropter augmentatio à quantitate specificatur, generatio à substantia, &c. Sed si quis instet, perfectum, & imperfectum non variant speciem, ergo motus priusquam ad vltimatum terminum peruenerit, est eiusdem rationis cum termino, quoniam solum imperfectiorem formam continet. Respondetur, quod si considerentur tales formæ sub esse perfecto, & imperfecto, quasi permanenter, instantia est vera, vel difficilis solutionis; sed si cum fluxu eas consideremus, res aliter se habet; nam in hoc includitur terminus à quo, in quo non est necesse, vt sit aliqua pars formæ, & sic à primo termino ad quem incipit specificari, vel etiam specificatur vbicunque sistat motus; quamobrem dicimus etiam in motu necessarium esse terminum à quo, quamuis non ita principaliter, sed sicut priuatio in generationibus, requiritur etiam subiectum, quoniam hoc est necessarium cuique accidenti, nec non tempus, & mouens, vt in textu patuit; licet principale, & essentiale constitutiuum sit terminus ad quem.

Ad Argumenta.

Ad primum negatur minor, ad primam probationem respondetur, terminum ad quem habere rationem finis, & formæ, hæ namque duæ causæ coincidunt in idem. Ad aliam probationem respondetur, semper motum, aliquem terminum ad quem includere, quo ab vnoquoque distinguitur, nec semper est necessarius, vltimatus, vt diximus.

Ad secundum negatur cõsequentia; ad probationem respondetur, terminos illos esse materialiter idem, sed formaliter diuersos; nam visum est, quod vnusquisque motus suo modo terminum à quo respicit, & includit; quapropter, quamuis augmentatio ad idem terminetur ad quod terminatur alterius diminutio, tamen quia formaliter respiciunt diuersos terminos à quibus sunt motus diuersi, idem dicatur de alijs motibus in argumẽto adductis; at si instetur, in hoc casu admittitur denominatio, & distinctio ex parte termini à quo, quod est contra Aristot. & propositum. Respondetur, nullum esse nunc inconueniens, quia terminus ad quem in omnibus istis semper dat complementum, quamuis ordo, & distinctio, tãquam ex notioribus, à termino à quo sumatur. Alij aliter dicunt, scilicet, quod si hæc propositio, puta, motus specificantur per terminos ad quos sit vera, duæ conditiones requiruntur. Prima, quod forma fluens sit eiusdẽ rationis cum forma terminante; ita vt calefactio terminetur ad calorẽ, motus naturalis fit ad formã naturalem; & hoc quando est motus eiusdem speciei, quod si sit diuersæ, etiam formæ fluentes diuersæ esse debent: quæ positio continet petitionem principij, quia ponit, iam fluentes esse easdẽ, vel diuersas, quod est in controuersia, & vnde diuersitas proueniat, inuestigatur; dicatur ergo vt supra, & si quis melius scit, melius dicat, & libenter assentiam: pro maiori tamen dilucidatione, memoriæ mandandum est, quod alibi diximus, nimirum motum formaliter sumptum diuidi tanquam per species essentiales in successiuum, & instantaneum; materialiter verò in generationem, corruptionem, augmentationem, diminutionem, &c. vnde consequens est, quod aliæ species motus, puta naturalis, violentus, rectus, circularis, simplex, & mistus sint penès accidentia; sicut accidit lineæ esse rectam, vel circularem, simplicem, vel mistam, aut tortuosam. At si obijciatur, si sunt accidentales, ergo possunt auferri, & sic cœlum poterit non moueri circulariter; negatur consequentia, quia sunt accidentia inseparabilia per naturam, sicut se habet quantitas, figura, & quamplurima huiusmodi, quare & si actualis motus tolleretur, adhuc aptitudo ad ipsum, quæ mobilitas dicitur, & de qua est sermo, semper eis inesset, non inquam solum ad motum, sed ad hunc motum, puta cœlo ad circularem, elementis ad rectum.

Ad tertium patet, nam terminus est forma suo modo, nec vltimatus duntaxat, sed vnusquisque medius assumi potest.

Ad quartum negandum non est, quin aliqua distinctio etiam à termino à quo sumatur, sed non præcipua, essentialis, & completiua, vt dictum est.

Ad quintum respondetur, denominationem non vno modo fieri, sed pluribus; quandoque enim plures formæ positiuæ alia perfectior altera circa idem concurrunt, & tunc fit denominatio à nobiliori, vt homo habet esse sensitiuum, & rationale: tamen dicitur simpliciter rationalis: interdum reperitur aliquid, quod formaliter carentiam, vel imperfectionem dicit, & tunc denominatio fit ab imperfectiori, vt homo in omnibus membris sanus, vno excepto, dicitur æger; & domus cui aliquid deest, dicitur incompleta, & sic de alijs; ratio est, quia ad hoc vt aliquid perfectum dicatur, nihil carere debet, vnde si careat, in oppositam denominationem imperfectionis incidit; sic homo dicitur mortalis ratione corporis, & immortalis per animam, vel etiam, quia homo prout est totum quid à partibus distinctum est simpliciter mortalis. Fit etiam denominatio à forma intrinsecè inhærente, vt album ab albedine accidentaliter, animatus ab anima essentialiter, & à forma extrinseca, vt locatus à loco, temporalis à tempore, &c. hæc namque, neque rei locatæ, neque rei temporali inhærent, sed alicui extra. Ad rem, potest quandoque fieri denominatio à termino à quo, & imperfecto. Denominatio, quod modis fiat.

QVÆSTIO II.

Non enim mouet, neque mouetur forma. Tex. 4.

Circa hunc textum quæritur de veritate prædictæ propositionis.

Quod itaque falsa sit, probatur auctoritate eiusdem Philosophi in 2. de gener. & corrup. tex. 53. ait namque. Materiæ est pati, alterius verò potentiæ (puta formæ) est agere, ergo mouet. Primum argum.

Amplius. Anima est forma, & tamen agit, & patitur, nam secundum Aristot. 2. de anima tex. 36. ipsa est causa secundum triplex causarum genus, scilicet, efficientis, formalis, & finalis; si ergo efficiens est, agit vel mouet, sicut re vera operationes producit, corpus mouet, & nutrit, quod verò patiatur, idem Arist. in eodem 2. de anima tex. 51. confirmat, vbi ait, sentire esse pati, hoc autem in anima principaliter recipitur. Secundum.

Item omne ens naturale aliquã habet operationem, & passionem; operationem ne sit frustra; passionem, quia saltem subest causæ primæ à qua pati, & ad libitum disponi potest; actionem autem non potest habere principaliter, nisi à forma, quia materiæ est pati, & ipsum compositum à forma dependet, & habet esse, ergo operationem quoque. Quod verò pati sit etiam à forma probatur; nam ipsa expellitur, & corrumpitur, ergo patitur: at si quæratur, quidnam agit materia, si omne ens naturale habet aliquam operationem? Respondetur, Tertium.

quod

quod possumus materiam excludere, quæ natura, & non ens naturale dicitur, vel dicatur, quod agit intentionaliter, quia est causa cognitionis; de quantitate idem ferè dici potest, & amplius, quia dicere subiectum primariò per ipsam disponi, non esset absurdum.

Argumenta hæc veritatem concludunt; solum restat examinandum, quomodo formæ agant, & patiantur.

Agēs quod. & quo. Pro intelligentia itaque sciendum est, quod duplex est agens, scilicet, quod, & quo. Agens quod, est principale, totale, & adæquatum quod operatur. Quo verò est mediante quo fit actio ipsa, & hoc est duplex, nempè principale, & instrumentale: principale est à quo habet virtutem operandi: instrumentale, quod ab ipso virtutem recipit, & coadiuuat; pati similiter est duplex, scilicet per se, & per accidens: per se est, quod secundum se totum patitur, vt dum corpus mouetur: per accidens, quod patitur ad passionem alterius, vt moto corpore simul mouetur anima, vel forma. Dico itaque primò. Formam non agere, vel mouere, vt quod, patet, nam ipsa adæquatè non operatur, sicut neque per se existit; operatio namque ab existenti re prouenit. Dico secundò: formam agere vt quo, nam est causa, & ratio præcipua, vt agens agat. Dico tertiò: ipsam non esse, vt quo instrumentale (si de essentiali forma loquamur,) quia sicut principaliter dat esse, ita quoque operari; secus est si de accidentali loquamur, hæc namque instrumentalis est. Dico quartò: formam pati, & moueri per accidens, puta ad motum, & passionem totius compositi, per se enim nec existit, nec patitur. Dico denique quintò: formas omnes, provt sunt termini motus esse penitus immobiles per se, & per accidens, probatur; nam esse mobile, siue per se, siue per accidens est recipere motum, seu esse cum eo, quod motum recipit; sed termini non sic se habent, quia ipsis acquisitis cessat motus, quod si iterum adhuc alter motus succedat, vt res genita statim moueri potest, tunc formæ ipsæ non habent amplius rationem terminorum, & secundum hanc acceptionem loquitur Aristot. in textu.

QVÆSTIO III.

Secundum substantiam autem non est motus, propterea quod nullum est entium substantiæ contrarium. Tex. 10.

An substantia sit aliquod contrarium.

ARguitur primò, quod sic. Omne, quod corrũpitur à contrario proprio corrumpitur ex 1. Physic. tex. 47. & 1. de Cęlo tex. 20. multæ autem substantiæ corrumpuntur, ergo.

Secundò, qualitates rerum quarundam sunt contrariæ, vt patet de aqua, igne, & alijs: ergo multo magis ipsæ formæ contrariæ sunt, quia accidentia sequuntur naturam substantiarum.

Pro intelligentia sciendum est, quod vera contrarietas est inter duas qualitates, quæ in eodem subiecto existentes ab eodem mutuò se expellunt, & sub eodem genere sunt, in quo maximè distant, ex Arist. 5. Metaphys. tex. 16. quorum ratio esse potest, quia contraria contra se inuicem agere debent, nec agere possunt, nisi simul saltem dum pugnant, existant; hæc autem pugna, vel certamen esse nequit, nisi sit actuale subiectum, vel fundamentum in quo ipsa pugnantia recipiantur; sicut milites in arena; quapropter de ratione contrariorum propriè dictorum est, esse in subiecto; cum itaque substantiæ in subiecto esse nequeant, contrarietatẽ nõ habent; quamuis repugnantia, & aduersa, ac inimica quarundam oppositio ab eis auferri nequeat; sunt namque incompossibiles; sed hoc nihil facit, imò producunt veluti offensiua arma inimicas qualitates, quæ profectò parentem naturam imitantur: vnde etenim euenit, quod substantiarum quarundam similes, & conuenientes sint qualitates; aliarum verò dissimiles, & pugnantes, nisi quia a diuersis, & repugnantibus, aduersisq; principijs procedunt? proculdubio negandum non est, nec id nunquam negare intelligit Arist. nec aliquis bonus philosophus, sed contrarietatem modo prædicto solum; Nec id est contra ea, quæ habet Philosophus in textu, quia eam contrarietatem negat in substantia, quæ ad motum requiritur; hæc autem est, quod mobile ipsum in principio, & fine motus, sub oppositis tamen terminis integrum maneat, quod in substantia accidere non potest; nam motus ad substantiam, vel est generatio, vel corruptio: at in generatione in principio, in corruptione in fine mobile ipsum non adest, vnde mutationes eas appellare libuit; secundum hanc quoque intelligentiam, quod in cap. de substantia circa eandem materiam idem Philosophus dicit, intelligendum est, & per hæc patet, argumenta non esse contra nos.

QVÆSTIO IV.

Neque ei, quod est ad aliquid. Tex. 10.

An ad relationem sit motus.

ARguitur primò, quod sic, quod aliter se habet nunc quam prius, motum, vel mutationem aliquam respicit, sed relationes sunt huiusmodi; nam quædam modo fiunt similia, quædam verò esse desinunt, ergo.

Secundò. Vbi est de genere relatiuorum, vt alibi visum est, & tamen ad ipsum est motus, ergo.

Tertiò. Vbicunque reperitur contrarietas ibi potest esse motus, quia de contrario ad contrarium fit transitus per media, & consequenter successiuè, aut cum ratione motus. Sed in relatiuis est contrarietas, vt habet Arist. in prædicamentis cap. de ad aliquid.

Pro intelligentia notandum est, quod esse motum ad aliquid nihil aliud est, nisi quod talis res ad quã motum esse dicimus, sit terminus ipsius motus, sic nimirũ, quod per ipsum acquiratur; hoc autem potest esse dupliciter, scilicet per se primò, & adæquatè, & per se non primò, sed alio supposito. Dicamus itaque, quod motus per se primò non est nisi ad quatuor prædicamenta, loquendo de motu materialiter sumpto, & provt etiam mutationem includit, id est ad substantiam, quantitatem, qualitatem, & vbi, sicut alibi diximus. Si verò sermo sit de ijs, quæ non per se primo terminant motum, tunc dicerem (saluo meliori iudicio) ad quamlibet rem naturalem esse motum, maximè ad eas, quæ æternæ non sunt, patet, quia omnes cum denuò acquirantur, aliquam mutationem supponunt: sic igitur quoque de relatione dicendum est; ipsa etenim immediatè motum non terminat, sed alio acquisito insurgit, vt acquisita caliditate, vel alia qualitate, insurgit similitudo, vel dissimilitudo, idem dici potest de alijs relatiuis, ac de omnibus, ad quæ motum non esse asserit Aristoteles in litera; patet ergo quid sit dicendum ad quæstionem.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, sat esse, quod ita se habet terminare motum, vel primò, vel secundò.

Ad secundum de Vbi concedendum est, quia dictum est immediatè rem terminare motum, cur autem hoc non accidat de alijs relatiuis, ratio est, quia non sic im-

mediatè

mediatè respiciunt successionem, & fluxum, sed alia permanentia accidentia.

Ad tertium transeat maior; ad minorem dicimus, in relatiuis non esse veram contrarietatem, sed relatiuam oppositionem, quæ de se ad immediatè terminandum motum non sufficit, vnde quamuis relatiua contraria habere dicantur, hoc non est presse loqui.

QVÆSTIO V.

Simpliciter autem vnus motus est, &c. Tex. 34.

Vtrum ad vnitatem numeralem motus requiratur vnitas mobilis, temporis, & termini ad quem.

Primum argum. QVod non ita res se habeat, de singulis probemus, & primo de mobili. Sonus, vel pulsatio citharæ est vnus, & continuus, & tamen sunt plura mobilia, scilicet chordæ ergo, antecedens est Aristot. in hoc lib. tex. 23.

Secundum. Amplius. Si aliquod animal ab aliquo eminenti loco deorsum cadat, per medium aeris moriatur, nō est vnum mobile, quia animal viuum, & mortuum non sunt idem, sed æquiuocè dicuntur animal, ergo.

Tertium. Præterea. Quod est extra rationem alicuius nihil facit ad vnitatem, vel pluralitatem eiusdem, sed tempus est extra rationem motus particularis, loquendo de tempore communi, & de particularibus motibus, vt loquendum est, ergo.

Quartum. Item. Omne accidens numeratur ad numerationem subiecti; ergo frustra, vel superfluus est terminus ad hoc, quod sit vnus motus.

Quintum. Adhuc. Arist. 8. Phys. tex. 49. ait, ad vnitatem mobilis, requiri vnitatem quoque mouentis, ergo tria prædicta non sufficiunt.

Pro intelligentia sciendum est, quod cuiuslibet rei creatæ dupliciter vnitas spectari potest. Vno modo intrinsecè, & formaliter. Alio verò extrinsecè, effectiuè, vel commensuratiuè. Primo modo sumitur à differentia constitutiua alicuius, ita vt si sit vnum genere à differentia generica, si vnum specie à specifica, si vnum numero ab indiuiduali; si autem sint entia, quæ differentiam non includant, sicut sunt ipsæmet differentiæ, & primo diuersa, à seipsis formaliter sumitur, vel à repugnantia communicationis, si sit indiuiduum; vt hæc rationalitas est talis, & indiuidua se ipsa formaliter, quia sibi repugnat pluribus communicari, quod fusius in materia de principio indiuiduationis dicendum est. Alio autem modo accipitur, vel ab efficiente, vel potius à subiecto, quod simul efficientis causæ rationem habet, quæ acceptio est propria accidentium, vt hæc albedo, quamuis sit ex natura sua formaliter vna, nostris vnitas eius à subiecto sumitur; diximus autem notabiliter ab efficiente, quod simul rationem subiecti habet, aliter esse prorsus falsum, plures namque effectiuæ causæ ad eundem effectum producendū concurrunt. Commensuratiuè quoque vnitas sumitur, vt dum per vnam lineam aliā commensuramus, vel per modium, triticum, vnam illam, & hoc etiam mensura vna esse perspicimus; quibus declaratis ponuntur duæ conclusiones.

Conclusiones.

PRima. Vnitas intrinseca motus sumitur præcisè ab ipsius continuatione; si etenim esset diuisus, vt quælibet pars motus est motus, sic plures actuales esset.

Secunda. Vnitas hæc eiusdē sumitur extrinsecè à tribus prædictis, nempè ab vnitate mobilis, termini, & temporis, probatur; nam cum accidens numeretur ad numerationem subiecti, si plura essent mobilia, vel subiecta etiam plures essent motus, qui tamen si in eodem tempore fierent, non vnus, sed simul dicerentur, nec ad eundem terminum numero terminari est possibile: quia terminus ipse motus est in mobili, sicut totus motus, & sicut accidens; vnum autem accidens in duobus subiectis esse nequit; si itaque sint diuersi termini cum continuatione temporis, motus essent contigui, vt si statim post albefactionem inciperet denigratio, quæ contiguatio non statim fieri potest, ita vt immediatè post vltimū terminum albefactionis sine tēpore medio sequatur albatio, quoniā in puncto reflexionis necesse est, vt mobile quiescat, sicut in octauo dicemus; contigua verò dicūtur, quorum extrema se tangunt; dicantur itaque tales motus contigui quoad nos, prout videlicet, non apparet quies media, quamuis in aliquibus non simpliciter oppositis, sed disparatis, vera contiguitas dari possit, vt si quis statim calefactus ambulet, vt igitur sit vnus & cōtinuus motus, vnitas numeralis termini ad quem necessaria est, quod si tempus mediet, ita vt post inceptum motū sit quies, tunc tales motus, neq; contigui, sed consequenter sunt, qui minorem vnitatem habēt; patet itaque quomodo tria prędicta motui sint necessaria, loquendo de motu materialiter sumpto, nam de formali (quemadmodum alibi diximus) eadem ratio non valet, si quidem ab extrinseco termino, à tempore, & mobili abstrahit.

Ad Argumenta.

AD primum respōdetur, ibi accipi vnitatem, & continuitatem motus ex parte mobilis mouentis, sicut est manus, non autem ex parte chordarum, quæ plures sunt, vel ex parte mobilis moti.

Ad secundum negatur antecedens; mobile namq; est corpus, quod idem manet in viuo, & mortuo, quamuis dicatur animal æquiuocè, quia re vera cadauer non est animal, tamen non dicitur æquiuocè corpus.

Ad tertium respondetur, quod quamuis tempus commune non sit de intrinseca, & formali ratione motus particularis, tamen extrinsecè ad ipsum pertinet, imò per ipsum tempus rationem motus colligimus, nec sine ipso vnitas talis motus esse potest; multa namq; extrinseca per se ad rem aliquam pertinet, vt patet de causa efficienti, & finali.

Ad quartum patet, de motu hoc insufficiens esse, vnitas namq; mobilis non sufficit, quamuis vnus motus vnicum subiectum expostulet.

Ad quintum respondetur, ibi Arist. loqui de motu regulari, primo, & qui proportionem adæquatam habeat cum motore, ita vt tantum moueat, quantum est aptum moueri, & quod vnus post alium succedat, vt illic dicemus.

QVÆSTIO VI.

Quoniam autem continuus omnis motus est. Tex. 39.

An quæ specie differunt possint adinuicem continua fieri.

ARguitur primò quod sic; aurum, & argentum simul continuari possunt, ita vt ex ipsis fiat virga, vel statua, ergo.

Secūdò vniuersaliter sic; quæcunque habent aliquam extremitatem quantitatiuam, potest cum alia tali vniri, & per consequens fieri continuatio, ergo.

Pro intelligentia sciendum est, quod continuitas est duplex, quædam purè mathematica, quæ videlicet in sola vnione partium quantarum consistit, & hæc profectò Duplex cōtinuitas.

reperiri potest in omnibus continuis quantis, vt duo argumenta probant; alia est physica, quæ præcedenti continuitatem, vel vniformitatem virtutis addit, sic nimirum, quod res specie differentes pari virtute concurrant sine ipsarum corruptione ad aliquod tertium efformandum, & secundum hanc acceptionem propositio prædicta est vera; vniuscuiusque etenim naturæ vna vel vniformis virtus est, ad eundem finem, & operationem tendens; quamobrem in duabus diuersis naturis id reperiri nequit, & sic solum vnum per accidens, vel per aggregationem efficerent; diximus autem notanter, non posse ex duabus speciebus integris remanentibus vnam fieri, quia si corrumpantur, vel remittantur, secus dicendum est, elementa namque mistum hoc modo constituunt.

QVÆSTIO VII.

Est autem in omni motu, quod regulariter est, aut non. Tex. 43.

Vtrum omni motus possit esse regularis, & irregularis.

Arguitur primò, quod non. Nam in 8. Phys. tex. 76. & in 2. de Cælo tex. 35. motum cælestem regularem esse, nec aliter se habere posse, statuitur.

Secundò. Si hoc esset verum, sequeretur, quod quilibet motus posset in infinitum fieri velocior, & tardior, quod absurdum videtur; si etenim semper fieret velocior, in non tempus, & in non motum abiret; si semper tardior, in quietem desineret; consequentia tenet, nam motus irregularis est velocior, vel tardior in vno tempore, quam in alio.

Regularitas. Pro solutione aduertendum est, quod regularitas nihil aliud est, nisi secundū debitum ordinem, & virtutem in quolibet tempore processio. Irregularitas autem est ab hoc ordine declinatio.

Irregularitas. Pro cuius tamen maiori intelligentia notandum est, quod differt regularitas ab vniformitate, & irregularitas à difformitate; nam vniformitas respicit æqualitatem, vel æquè velocitatem in partibus, non in tempore; difformitas verò inæqualem in partibus velocitatem, quod exemplis melius patebit. Motus cæli dicitur regularis, quia in omni tempore æquè velociter mouetur, est tamen difformis, quoniam partes eiusdem non eandem velocitatem, vel tarditatem seruant; circumferentiales namq; velocius mouentur, quam polares; velocius namque moueri est in eodem tempore maius spatium transire, vel in minori plus, &c. è contra verò motus lapidis deorsum est irregularis, sed vniformis, nam partes eius æquè velociter mouentur, tamen respectu temporis motus ipsius velocior est in fine, quam in principio; motus verò regularis, & vniformis esset, si lapis, vel aliquid aliud, quod motu recto mouetur, & secundum omnes partes, quod naturaliter difficile est inuenire: at irregularis, & difformis est motus animalium; hæc etenim nec secundum omnes partes, neque secundum tempus æqualem velocitatem seruant; ab hac autem regularitate motus, vel naturæ, Canonistæ regularitatem, & irregularitatem circa ordinem sumpserunt, ita vt qui à statutis eorum declinat, irregularis censeatur, qui ea prosequitur, vel obseruat, regularis; in quibus pariter, vel personarum diuersitas, vel circa eandem temporis æqua obseruatio attenditur; vnde & vniformitas, & difformitas ipsis quoque aptari potest.

Animaduertendum est etiam, quod motus potest considerari in se secundum quaslibet sui species, sic videlicet, quod aliquod mobile, vel mouens non concernat; alio modo quod ipsum mobile, ac mouens respiciat, secundum cuius duplicem acceptionem, duæ quoque conclusiones statuantur.

Conclusiones.

Prima. Motus secundum se sumptus potest esse regularis, & irregularis, non simul, sed successiuè; probatur, quia velocitas, & tarditas sunt accidentia motus, quæ intendi, & remitti possunt, quare hoc non repugnat.

Secunda. Motus prout ab aliquo determinato mobile, & motore efficitur, non est indifferens ad prædictas accidentales differentias, nam virtute motoris, potest sub eadem velocitate semper detineri, sicut se habet motus cælestis.

Ad Argumenta.

Ad primum dicitur, motum cælestem semper regularem esse, virtute motricis intelligentiæ.

Ad secundum negatur consequentia, non etenim necesse est, quod semper intendatur, vel semper remittatur; sed sufficit, quod nunc sit, interdum verò alio modo se habere possit.

QVÆSTIO VIII.

Est autem qui ex contrario ei, qui est in contrarium non contrarius. Tex. 47.

An cum aliquid ex contrario in contrarium, vt ex albo in nigrum mouetur, sint duo motus.

Videtur, quod sic: Vbi sunt rationes penitus diuersæ, & oppositæ, ibi ex ipsis non constituitur aliquid vnum; sed in hoc casu res ita se habent, ergo; maior est nota; probatur minor, quoniam dum aliquid mouetur de contrario in contrarium, ibi est recessio à contrario, & accessio ad aliud, seu priuatio vnius, & habitus alterius, at quis diceret accessum, & recessum, habitum, & priuationem, ad aliquod vnum constituendum concurrere.

Pro intelligentia sciendum est, quod alia est ratio constituendi entia composita permanentia; alia verò constituendi successiua, vel quæ solum habent esse in fieri; prima namque ex partibus permanentibus, atque compossibilibus statuuntur; alia ex non permanentibus, & incompossibilibus, nam includunt ordinem, vt ait Arist. in prædicam. cap. de quantitate; in ordine autem est prius, & posterius, quæ necessariò incompossibilia sunt.

Dicimus itaque, vnum simpliciter esse motum de contrario ad contrarium, quamuis duo respectus oppositi ibi reperiantur, scilicet prioris, & posterioris, nec habitus, & priuationis, vel acquisitionis, & deperditionis; hoc autem non est contra rationem vnitatis talis motus, quin potius de eius essentia vt declaratum est; eo modo, quo in eodem motu, actio, & passio etiam continentur, & per hoc patet ad argumentum. Conclusio.

Finis Libri Quinti Physicorum.

ANTO-

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN SEXTVM LIBRVM PHYSICORVM Aristotelis Paraphrasis.

S V M M Æ L I B R I.

Hic Liber diuiditur in quinque summas. In prima declaratur nullum continuum componi ex indiuisibilibus, ad visionem magnitudinis sequi diuisionem temporis, & è contra, ac denique eodem modo, in vtroque inueniri finitum, & infinitum.

In secunda, probatur nunc esse indiuisibile, & in ipso nihil moueri, nec quiescere posse.

In tertia agitur de diuisione motus, cum proportione ipsius ad magnitudinem, tempus, & mobile, secundum diuisionem, sed ante omnia probatur indiuisibile non posse moueri.

In quarta agitur de ordine partium motus, scilicet, quomodo se præcedant, & subsequantur, an detur prima, & vltima, tam in ipso, quam in quiete, & quomodo sit finitas, & infinitas in ipso motu respondens tempori, & è conuersò.

In quinta soluitur ratio Zenonis negantis motum, iterum probatur indiuisibile non posse moueri, ac denique nullam mutationem esse infinitam.

Summæ primæ, Caput Primum.

Nullum continuum ex indiuisibilibus componitur.

Tex.1.



I autem est continuum, & tangens, & consequenter, vt definitum est prius in quinto libro(continuum quidem, quorum vltima sunt vnum: Tangentia verò, quorum vltima sunt simul, consequēter, inter, quæ nihil est eiusdem generis) impossibile est ex indiuisibilibus esse aliquod continuum, vt lineam esse ex punctis, si linea quidem continuum est, punctum autem indiuisibile; neque enim vltima punctorum sunt vnum, vnde continuum efficere non possunt, neque simul sunt vltima ipsorum, (& sic non possunt se tangere, vel efficere aliquod contiguum,) quia quod habet vltimum habet etiam aliam partem; vltimum namque præsupponit aliquod prius, sed indiuisibilis non est hoc quidem vltimum; illud verò alia pars, quia eius quod impartibile est nulla est pars, neque vltimum, nam vltimum(vt dictum est) alterum est ab eo, cuius est vltimum, & sic necessariò indiuisibile esset diuisibile, nempe in vltimum, & in id cuius est vltimum, uel præcedens. Cum ergo nullum indiuisibile habeat vltimum, sequitur, ex ipsis nec continuum, nec contiguum componi posse: nam ex definitionibus ipsorum, vtrunque vltima partium componentium includit.

Vltimum præsupponit aliquid prius.

Tex.2.

Amplius si continuum ex indiuisibilibus componatur, vt linea ex punctis, vel aliud continuum ex alijs indiuisibilibus, nempe motus ex mutatis esse, tempus ex nunc, magnitudo ex lineis, vel superficiebus, &c. eadem nãq; ratio est de omnibus continuis; necesse est autem aut continua esse puncta (vel alia indiuisibilia) aut tangentia se inuicem. Continua quidem non erunt, propter dictam rationem, quia scilicet haberent quid ultimum, & per consequens alias partes, vnde non essent indiuisibilia. Neque possunt esse contigua, etiam ob eandem rationem, & ob aliam particularem; contigua namque se tangere debent, sed quomodo indiuisibile alterum indiuisibile tanget? aut enim indiuisibile totum tanget totum aliud, aut pars partem, aut totum partem, sed nullo modo est possibile; non enim potest secundum partem tangere, si partibus careat. Tanget igitur totum, totum; sed totū tangens totum, non facit aliquod continuum. Continuum enim habet hãc quidem partem; ista verò aliam, & illa aliam, quæ quidem partes habent situm diuersum, & separatum locum partialem. Sed si totum tangeret totum, non esset aliqua distinctio neque situs, neque loci, neque alicuius imaginabilis additionis, ergo licet consideremus indiuisibile, totum indiuisibile tangere, ut re uera est, dum linea

Diuisio ipsius tãgere.

vna aliam tangit in puncto, non tamen continuum efficeret. At verò neque consequenter erit punctum ad punctum, aut ipsum Nunc, ad Nunc ipsum, ita vt ex ipsis sit linea, vel tempus, quæ continua sunt. Nam consequenter sunt inter quæ nihil est eiusdem generis. Sed inter puncta semper est linea, & inter ipsa nunc tempus. Sed linea non potest esse sine punctis, nec tempus sine nunc, ergo si inter puncta est linea, & inter nunc est tempus, inter puncta sunt puncta, & inter nunc alia nunc, quæ sunt eiusdem generis, & sic non erunt consequenter; potest addi, quod quæ verè consequenter sunt non efficiunt aliquod continuum, nec contiguum; cum vltima eorum, nec sint vnum, nec se tangant, & si de alijs, quæ consequenter dicuntur prout vnum sequitur ad aliud, & se tangunt, loquamur, alia erit ratio, vt visum est.

Tex. 3. Vnumquodq; diuiditur in ea, ex quibus est.

Amplius autem si continuum ex indiuisibilibus componeretur, etiam diuideretur in ipsa: nam vnumquodq; diuiditur in ea ex quibus est, quod verò diuidi, sit impossibile, patet, quia si in illa diuidatur erit continuatum ex illis, & sic ipsa indiuisibilia haberent vltima quibus continuarentur, quod supra improbatum est; non ergo continuum ex indiuisibilibus componitur, nec in illa diuiditur. Cum igitur sic non diuidatur, sequitur, quod diuidatur per diuisibilia, & ex ipsis quoq; componatur, quia nullum aliud genus potest esse inter puncta, Nunc, & alia indiuisibilia, nisi diuisibile. Nam quicquid inter illa ponatur, vel erit diuisibile, vel indiuisibile. Non indiuisibile quia, quod inter puncta, & alia indiuisibilia mediat est continuum, quod diuisibile est secundum suam essentiam; continuum namque definitur esse in infinitum diuisibile, ergo diuisibile; aut igitur in indiuisibilia, aut diuisibilia, si in indiuisibilia, componeretur quoque ex ipsis, & sic indiuisibile tangeret indiuisibile, nam continuorum, quæ aliud continuum componunt, veluti partes, est vnus terminus communis, in quo ipsæ partes se tangunt secundum vltima; indiuisibilia verò, nec vltima habent, nec se tangere possunt; Manifestum est ergo, quod erit diuisibile in semper diuisibilia, hæc namque est ratio cuiusque continui, & sic quoque ex diuisibilibus componi oportet: quare principalem, & intentam conclusionem inferendo, dicimus, continuum ex indiuisibilibus non componi.

Tex. 4. *Eiusdem autem rationis est magnitudinem, & tempus, & motum, ex indiuisibilibus componi, & diuidi in indiuisibilia, aut nullum, hoc est, vel omnia ista componuntur ex indiuisibilibus, vel nullum, quia in ratione continui conueniunt; Ideò sicut de aliquibus negatum est, sic negetur de alijs.*

Tex. 5. *Manifestum est autem ex his; si enim magnitudo ex indiuisibilibus componitur, & motus, qui super hanc erit magnitudinem, ex motibus æqualibus partibus magnitudinis compositus quoque erit, vt si ipsa magnitudo quæ vocetur ABC sit ex tribus partibus indiuisibilibus composita, quæ partes vocentur quoq; ABC, & super istas partes moueatur mobile, quod vocetur P, cuius motus sit DEF, istæ partes motus necessariò correspondent partibus magnitudinis, & totus motus toti magnitudini, ergo si ipsa magnitudo ex indiuisibilibus constat, & motus quo ipsum P, vel mobile motum est super dimensionem, vel magnitudinem prædictam, vnamquamque partem habet indiuisibilem.*

Tex. 6. *Si igitur præsente motu, necesse est moueri quippiam, & si mouetur quippiam necesse est adesse motum, & moueri ipsum, seu quod actualiter moueretur (est enim moueri concretum motus, quod simul motum, & subiectum includit, vt album albedinem, & subiectum) erit ex indiuisibilibus, probatur consequentia; nam ipsum mobile, quod est P, motum est per primam partem magnitudinis indiuisibilem, quæ est A, motu quoque indiuisibili, qui sit D, & sic per aliam partem magnitudinis motum est alia parte motus indiuisibilis, vt per partem B, motum est motu E, per partem C, motu F, quibus literis partes indiuisibiles designantur tam motus, quam magnitudinis, ergo sicut partes motus, & magnitudinis sunt indiuisibiles, sic ipsum moueri indiuisibile erit; nam cuilibet parti motus, & magnitudinis respõdet pars rei motæ, aliter esset motus sine hoc, quod aliquid actualiter moueretur. Sed impossibile est aliquod mobile ex indiuisibilibus esse, ergo est etiã impossibile magnitudinem & motum esse ex indiuisibilibus. Quod verò mobile non possit esse indiuisibile, probatur sic.*

Necesse est id quod mouetur de vno loco ad alium, non simul moueri, & motum esse ad locum ad quem mouebatur, quando mouebatur, vt si quis it Thebas, impossibile est simul ire Thebas, & iuisse Thebas, nam iuisse dicit tempus præteritum, & ire tempus præsens, quæ simul esse non possunt. Hoc supposito, sic intentum probemus. Ipsum mobile P, motum est per vnam partem magnitudinis indiuisibilem, nempè per A, cui respondeat motus quoque indiuisibilis per D, vel illam partem prius transiebat, & postea pertransiuit, vel simul transiebat, & transiuit; si prius transiebat, & posterius pertransiuit, ipsum mobile erit diuisibile, cum enim transiebat, neque quiescebat, neque transierat, sed in medio erat partis scilicet transactæ, & transeundæ; at quod sic duabus partibus adæquatur, diuisibile est; & si ponatur, quod illa sit vna pars tantum, vt suppositum est, illa est ponenda diuisibilis, quod etiam hic intendimus ponere. Si verò id quod proficiscitur, vel mouetur simul, transit, & transiuit, dum actualiter proficiscitur, erit profectò complere motum ad eum locum, ad quem mouetur, vel simul mouetur, & motum erit, quod impossibile est; loquendo de motu in esse completo, & à quiete terminato, nam simul moueretur, & quiesceret, & tempus præteritum, & præsens simul essent; de mutatis esse, quæ sunt indiuisibilia continuantia ipsum motum, alia est ratio: possunt enim esse simul cum motu. Tex. 7.

Si verò per totam magnitudinem, quæ ex partibus indiuisibilibus constat, & ipsæ partes vocentur ABC, Aliquod moueatur mobile, cuius motus ex indiuisibilibus quoque componatur partibus, quæ sint D E F, & per ipsum impartibile nihil mouetur, vt dictum est, sed semper motum est; sequitur, quod motus non componatur ex motibus, sed ex momentis, & quod aliquid sit motum, quod nunquam tamen motum habuit, nam transiuit A, vel partem indiuisibilem, quam nunquam fuit transiens, & sic dicatur de alijs partibus indiuisibilibus, quare erit aliquid transisse nunquam transiens, hoc enim .s. hanc partem transiuit, nunquam transiens, & sic de alijs; si enim indiuisibile transiret, partim esset in termino à quo, partim in termino ad quem, quod impartibili repugnat. Cum ergo ista sint impossibilia, sequitur, nec magnitudinem, nec motum, nec mobile ex indiuisibilibus esse. Tex. 8.

Præterea. Omne, quod aptum est moueri, necesse est, aut moueri, aut quiescere; si ergo magnitudo sit ex indiuisibilibus partibus ABC, & super istas, mobile moueri non potest, vt probatum est, ergo in qualibet parte quiescet, seu stabit (quies enim non potest esse in indiuisibili, sicut neque motus, sed accipiatur hic quies pro statione, vel Tex. 9.

immu-

immutatione) & tamen ponitur moueri per aduersarios, ergo simul continuè quiescit, & mouetur. Nam per totam magnitudinē A B C, mouebatur (vt supponitur) & quiescebat secundum quamlibet partem, quare & per totum. Præterea si partes motus DEF, sunt indiuisibiles, præsente motu, contingit vtique nihil moueri, sed quiescere, nam motus indiuisibilis esse non potest, cum sit continuum aliquod, & partes motus sunt motus. Sin vero non sint motus, vt est fatendum, si ponantur indiuisibiles, aliud sequitur absurdum, scilicet motum non ex motibus esse, sed ex momentis, vel indiuisibilibus, quod reprobatum est.

Tex.10. *Similiter autem necesse est, ipsum tempus componi ex indiuisibilibus, seu nunc, sicut motus, & magnitudo, vel longitudo. Sed sicut impossibile est illa sic componi, vt probauimus, sic quoque de tempore est impossibile. Quod verò si magnitudo ex indiuisibilibus constet, tempus quoque componatur, probatur. Si enim omnis magnitudo diuisibilis est, & in minori tempore, mobile æque velox cum altero transibit minus de magnitudine, & in alio minori etiam minus, sequitur, quod sicut fit minus in magnitudine, ita quoque in tempore, & è conuerso, & sic tempus sicut magnitudo erit diuisibile, imò si ipsum tempus in quo aliquid mouetur per A, hoc est per partem magnitudinis, erit diuisibile, & A erit diuisibile, hoc est illa pars magnitudinis, & hoc modo tempus, & partes temporis erunt eodem modo diuisibiles, sicut magnitudo, & partes magnitudinis, ac quoque eodem modo ex diuisibilibus, vel indiuisibilibus compositæ, nam componi, & diuidi correlatiuè se habent, ergo sicut magnitudo non constat ex indiuisibilibus, neque tempus.*

CAPVT II.

Probatur adhuc. Ad diuisionem magnitudinis, sequi diuisionem temporis & è contra.

Tex.11. *QVoniam autem omnis magnitudo in magnitudines diuisibilis est (ostensum est enim quod impossibile sit, ex indiuiduis aliquod continuum esse, magnitudo autem omnis continua est, ergo ex indiuisibilibus non constat) tempus vero, & motus sequuntur magnitudinem, ergo ipsa quoque ex partibus diuisibilibus sunt, quod vero motus, & tempus magnitudinem sequantur, probatur. Nam in definitione motus velocioris, vel tardioris, includitur magnitudo, & tempus, quod non esset, nisi se necessariò consequerentur. Definiamus igitur motum velociorem, sed per mobile, quia sic melius fit definitio, & habebimus intentum; est igitur mobile velocius, quod æquali tempore cum tardiore pertransit maius spatium, & in minori tempore, æquale, & in minori tempore adhuc plus moueri potest quam tardius, sic enim definiunt quidam ipsum velocius, quæ tamen definitio est bona; proportionaliter potest dici de motu, nempè motum velociorem esse, qui in æquali tempore fit per maius spatium, quam tardior, &c. patet ergo, quomodo se commensurent, & per consequens necessariò sint eodem modo diuisibilia, & composita. Nunc prædictæ assignationes velocioris sunt melius examinandæ; cum enim ipsæ sint bonæ, non potest negari, quod sequitur, scilicet eodem*

Motus, & tempus sequuntur magnitudinē.

modo componi, & diuidi tempus, magnitudinem, & motum; probatur igitur primò, id esse velocius quod in æquali tempore transit maius spatium, vel magnitudinem. Sit igitur Mobile velocius, & vocetur A. Mobile verò tardius vocetur B, sit verò magnitudo, vel spatium super quod moueri debent, linea, cuius extrema sint C D, Quoniam igitur velocius est id, quod prius mutatur, ideo in quo tempore ipsum mobile velocius A, mutatum est à principio lineæ vsque ad finem, vel à C, ad D, in tempore verbi gratia vnius horæ, quod tempus designetur per F G, in hoc tempore ipsum mobile tardius, nempe B, nondum erit iuxta finem lineæ, seu iuxta D, sed circa ipsum, quare in æquali tempore plus transit ipsum velocius.

At verò quod ipsum velocius in minori tempore plus spatij transeat; probatur. In quo enim tempore ipsum mobile velocius A fuit iuxta vltimum spatij, nempe iuxta D, ipsum Tardius existens idest B, erit iuxta alium terminum minoris spatij, qui terminus vocetur E, ergo quoniam ipsum mobile velocius A, iuxta vltimum terminum D. fuit in toto tempore vnius horæ, quod est F G, erit in termino H medio inter vltimatum D, & terminum ipsius tardioris qui erat E, in minori tempore, quod tempus potest designari per F K, & sic spatium CH, quod transiuit ipsum mobile velocius A, est maius ipso C E, quod à tardiori transactum fuit; tempus autem, FK, minus fuit toto tempore F G, in quo velocius transit totum spatium, quare in minori tempore velocius transibit maius spatium. Declaremus facilius. Sit spatium viginti passuum, transeatur à mobile velociori in vna hora, in qua mobile tardius peruenerit ad passum quintum decimum, Mobile igitur velocius in minori tempore, quam sit vnius horæ, peruenit ad passum decimum octauum, nam in hora integra ad vigesimum peruenit, cum igitur mobile velocius in minori tempore quam vnius horæ peruenerit ad decimum octauum, & tardius in vna hora ad quintumdecimum, habetur propositum, nempe velocius in minori tempore plus moueri. Tex.12.

Quod verò ipsum velocius in minori tempore transibit æquale spatium, ex his sequentibus erit manifestum. Quoniam enim maiorem magnitudinem in minori tempore ipsum velocius transit quam tardius, ipsum autem velocius secundum se ipsum, & non in ordine ad tardius consideratum, in pluri tempore transibit maiorem magnitudinem minori: sit igitur magnitudo maior viginti passuum, & vocetur L M, minor verò sit quatuordecim passuum, & vocetur L O. Maius igitur erit tempus in quo maior pertransitur magnitudo, quam in quo transitur minor, quod tempus sit vnius horæ, & vocetur Q R, tempus verò in quo transitur minor magnitudo, sit dimidia hora, & vocetur Q S, Quare si tempus vnius horæ Q R, maius est tempore trium partium horæ quod est Q T, in quo mobile tardius transiuit lineam quatuordecim passuum nempe L O, & tempus dimidiæ horæ, seu QS, minus erit tempore trium partium horæ Q T, in quo velocius transiuit 14. nam ipsum tempus Q T, minus est tempore vnius horæ, quod est Q R, hoc autem tempus dimidiæ horæ est minus tempore trium partium, ergo erit quoque minus tempore vnius horæ, quia quod est minus minori est minus etiam maiori, quare in minori mouebitur per æquale. Formetur sic ratio facilius. Sit spatium viginti passuum, quod transeatur à mobili velociori in vna hora, spatium verò decem passuum ab eodem transeatur in dimidia hora, sit verò Tardius duplo; hoc (inquam) Tex.13.

Quod est minus minori est etiam minus maiori.

tardius in hora integra transibit solum decem passus, quos velocius in dimidia hora transiuit, & sic velocius in minori tempore transit æquale spatium.

Tex. 14. Amplius si omne quod mouetur per æquale spatium cum altero, necesse est, aut æquali tempore cum ipso moueri, aut in maiori, aut in minori, non æquali, quia quod æquali tempore per æquale spatium mouetur, non est velocius, sed æque velox, non in maiori, quia quod sic mouetur per spatium æquale est tardius; relinquitur ergo id esse velocius, quod in minori tempore per æquale spatium mouetur.

Quod in æquali tempore per æquale spatiũ mouetur est æquè velox.

Tex. 15. Quoniam autem omnis quidem motus in tempore est, & in omni tempore possibile est moueri, & omne quod mouetur potest velocius moueri, & tardius, in omni tempore erit ipsum velocius, & tardius moueri. His autem existentibus, necesse est, tempus continuum esse; nam (vt vidimus) velocius, & tardius dicuntur in ordine ad maiorem, vel minorem magnitudinem, & motum, hæc autem sunt continua, secundum quam continuitatem accipiuntur rationes maioris, & minoris velocitatis, ergo si tempus hac ratione dicitur velocius, & tardius, necessariò erit continuum, vnde habemus principale intentum, quod erat ex definitione velocioris, inferre tempus esse quoque continuum. Dico autem continuum id, quod est diuisibile in semper diuisibilia, tali enim supposito continuo in magnitudine, necesse est continuum esse tempus, cum mutuò sibi correspondeant, vt dictum est.

Velocius, & tardius dicitur in ordine ad maiorem, vel minorẽ magnitudinẽ, vel motũ.

Tex. 16. Quod verò tempus, & magnitudo eodem modo diuidantur, & sint continua, adhuc probemus. Quoniam autem ostensum est, quod velocius minori tempore transibit æquale spatium. Accipiatur igitur mobile velocius, & sit A, tardius verò, sit B. & tardius sit motum per magnitudinem decem palmorum tempore vnius horæ, ac magnitudo vocetur C D. tempus vero FG; manifestum est igitur, quod mobile velocius in minori tempore quàm hoc mouebitur per eandem magnitudinem, & sit motum in tribus quartis ipsius horæ. Rursus ipsum velocius in tempore prædicto trium quartarum transibit totam lineam CD, ipsum tardius in eodem tempore minorem transibit, & sit verbi gratia medietas lineæ. Quoniam autem ipsum tardius quod est B. in tempore minori quàm sit vna hora, adhuc minus transibit quàm dimidiam lineam, velocius verò in minori tempore quam tardius adhuc illam partem transibit, quare iterum diuidetur tempus in quo tardius transiuit minus, hoc autem diuiso, & magnitudo quàm tardius pertransit, diuiditur, & similiter quam pertransit velocius; si verò magnitudo, & tempus quoque diuiditur, & sic semper post velocius accipi potest tardius, & post tardius velocius, eo modo quo demonstratum est applicantibus tales diuisiones, & comparationes. Diuidit autem id quod velocius est tempus, tardius vero magnitudinem, propter quandam attributionem, quia tarditas assimilatur aliquo modo quieti, quæ magnitudini potius conuenit, non sic velocitas, sed in rei veritate vtrumque conuenit motui, & applicatur per quandam coadæquationem, vel mensuram tempori, & magnitudini. Si igitur semper quidem verum est conuerti, quod scilicet velocius respondet tantæ magnitudini, & tanta magnitudo tantæ velocitati, & secundum talem conuersionem fit diuisio vtriusque, manifestum est quod omne tempus continuum est, quod enim ad diuisionem continui diuiditur, est quoque continuum, non enim diuideretur cum illo, nisi partes vtriusque se commensurarent. Potest tamen tota ratio, sic breuiter formari. Velocius in minori tempore transit æqualem magnitudinem, ergo quo fuerit velocius, eo maiorem transibit, tardius vero minorem, & sic magnitudo, & tempus simul diuiduntur, & per consequens si vnum est continuum, & alterum.

Simul autem manifestum est, quod magnitudo omnis continua est, si tempus continuum esse concedamus: eisdem enim, & æqualibus diuisionibus tempus, & magnitudo diuiditur. Amplius id confirmatur ex consuetis sermonibus. Dicimus namque si tempus continuum est, & magnitudo quoque, & in dimidio temporis dimidiam dicimus transiri magnitudinem, & in minori minorem, quare eædem erunt diuisiones magnitudinis, & temporis. Tex. 17.

CAPVT III.

Finitum, & infinitum eodem pacto reperitur in magnitudine, & tempore.

CVm igitur tempus, & magnitudo sint eodem modo continua, & diuisibilia, sequitur quod similiter sint finita, vel infinita, nam finitum, & infinitum sunt passiones quantitatis, quare conueniens est vt ea, quæ eodem modo quantitatem habent, participent similiter ratione finiti, & infiniti. Vnde si alterutrum ipsorum infinitum est, & alterum quoque, & eo modo quo vnum est infinitum, eodem est infinitum aliud, vt si tempus sit infinitum extremis, quod scilicet non habet vllum principium neque finem; eodem modo longitudo infinita erit; si verò ipsum tempus ponatur infinitum per diuisionem, quia scilicet est in infinitum diuisibile, & hæc infinitas conueniet magnitudini. Si autem tempus vtrisque modis sit infinitum, nempe, & diuisione, & extremis, sic quoque magnitudo erit. Si tamen super ipsam non iteretur motus. Vnde magnitudo Cæli est finita, & tamen motus, & tempus eius est infinitum, quod ideo est, quia illa magnitudo, non semel, sed infinities iteratur à motu, & tempore, sed accipiatur magnitudo semel mota, & à tempore mensurata, & nulla erit instantia. Tex. 18.

Finitum & infinitũ sũt passiones quantitatis.

Ex prædictis apparet falsitas rationis Zenonis, qui negabat motum, dicebat namque omne continuum habere infinitas partes, quæ pertransiri non possunt in aliquo finito tempore, oporteret namque vnumquodque illorum infinitorum tangi; cum autem omnis motus sit per magnitudinem finitam in aliquo determinato tempore, (vt alij dicebant) hæc autem magnitudo cum non sit pertransibilis, quia habet partes infinitas, ideo motum non esse asserebat in veritate, sed tantum secundum apparentiam. Sed errat Zeno, nam tempus, & magnitudo dupliciter dicuntur infinita, sicut quodlibet aliud continuum, aut secundum diuisionem, aut extremis, primo modo est infinitum in potentia, prout diuidi semper potest, secundo est infinitu in actu, sicut si esset aliqua quantitas, quæ careret extremis, sed sine terminis esset extensa. Dum ergo dicit, quod infinitum non potest tangi, vel pertransiri in tempore finito, verum est de infinito in quantitate, seu in actu. Sed de infinito in potentia, & secundum diuisionem, falsum est, nam ipsum tempus eodem modo est infinitum; quare sit ranseuntur partes Tex. 19.

Infinitum in actu non potest pertransiri: infinitum autem in potentia potest.

infinitæ,

infinita, non finito tempore, sed infinite transeuntur, secundum prædictam proportionem; ipse namque peccat in hoc, quod accipit magnitudinem transiri secundum partes proportionales in potentia infinitas à partibus quantitatiuis temporis, sed debent vniformiter accipi, & sic erit verum, quod infinitum non pertransitur tempore finito, neq; finitum infinito tempore. Sed si tempus infitum sit, & magnitudo erit infinita, & si magnitudo, & tempus.

Tex. 20. Quod autem hoc modo se commensurent, probatur per oppositum. Sit ergo aliqua magnitudo finita, & vocetur A B, tempus autem infinitum, C, accipiatur igitur aliqua pars finita temporis, & sit C D. in hoc ergo tempore mobile transibit aliquam partem magnitudinis finitæ, & designetur talis pars per B E, hoc ergo quod transactum est, aut mensurabit totam reliquam finitam quantitatem, aut deficiet, aut excedet, quod nihil refert; nam semper possumus accipere æqualem partem cum præcedenti mensurata, & hæc transibitur ab ipso mobile in æquali tempore cum prima, cum ergo cuilibet parti finitæ magnitudinis respondeat pars finita temporis, sequitur, quod toti magnitudini finitæ totum tempus finitum respondeat, & sic finitum erit tempus in quo mobile transiuit, nam per æquales partes finitas diuidetur, sicut magnitudo.

Tex. 21. Amplius si non quamlibet partem transibit tempore infinito, sed aliquam finito, nam totam ponitur in infinito transire, aliter in multis infinitis finita transiretur. Si inquam tempore finito transeatur aliqua pars, designetur, & sit B E. hæc autem totam magnitudinem finitam mensurabit, si pluries accipiatur, & mobile in æquali tempore, æqualem aliam partem transibit, quare finitum erit, & tempus, nam quod æquatur finitis, finitum est. Quod autem non in infinito tempore transibit partem prædictam finitam B E, manifestum est si accipiatur altera ex parte tempus finitum, quod necessariò debet accipi, nam in minori tempore quam sit infinitum non transitur totum, sed pars, totum enim in infinito transitur, sed quod est minus infinito, non est infinitum, ergo finitum, & hanc partem temporis, qua transitur pars magnitudinis, necesse est finitam esse, existente altero termino finito, scilicet principio quoq; temporis, quo incepit pertransiri. Hæc autem ratio parum à præcedenti differt, sed accipiatur vna ad maiorem intelligentiam alterius.

Tex. 22. Eadem autem demonstratio est etiam, si longitudo, vel spatium per quod fit motus infinitum sit, tempus verò finitum. Nam potest accipi pars temporis finiti, quæ respondebit alicui parti magnitudinis infinitæ, & deinde alia pars æqualis prædictæ, consumetur tandem tempus finitum cum adæquatione magnitudinis finitæ, non autem infinitæ. Manifestum est igitur ex dictis, quod neque linea, neque superficies, neque omnino continuorum vllum est indiuisibile, non solum propter id quod nunc in præcedentibus dictum est, sed quia accidit, quod indiuisibile diuideretur, nam omnia continua diuisibilia sunt.

Tex. 23. Quod autem nulla magnitudo ex indiuisibilibus sit composita; iterum probemus, supponendo tria; primum, quod in omni tempore potest aliquid velocius moueri, & tardius. Secundum, Velocius æquali tempore plus transit spatij, quam tardius. Tertium, Contingit reperiri aliquod velocius in proportione dupla, quod scilicet transit in æquali tempore duplum spatium, vt duarum Leucarum, quo tempore, tardius vnam tantum transit, & in proportione sesquialtera, quæ est excessus in dimidio, vt tria habent proportionem sesquialteram ad quo; quia continent duo, & dimidium duorum, quod est vnum. Sic mobile velocius hac proportione transibit tres Leucas eo tempore, quo tardius transibit duas, & hæc erit proportio sesquialtera. Quibus habitis, probemus intentum. Feratur igitur mobile velocius per sesquialteram in eodem tempore, hoc est feratur per magnitudinem, vt tria eo tempore quo tardius fertur, per magnitudinem vt duo, diuiduntur istæ magnitudines, nempe ea, quæ est velocioris in tres partes indiuisibiles (supponimus enim cum aduersario, ex indiuisibilibus constare, vt ad impossibile ipsum reducamus) & sint istæ partes AB, BC, CD, Partes vero magnitudinis tardioris sint duæ EF, FG, similiter tempus diuidetur in tria impartibilia, & in duo, nam (vt probatum est) eodem modo diuidetur sicut magnitudo, & æquale, æquale tempus respiciet. Diuidatur etiam tempus velocioris, in tres partes indiuisibiles, & sint K L, LM, M N, rursus autem quoniam tardius delatum est per duas partes, tempus quoque ipsius in duas diuidetur, scilicet in E F, F G, accipiantur denique medietates vtriusque spatij, quæ accipi possint, nam in medietate temporis pertransitur dimidium spatij, & etiam dimidium temporis vtriusque accipiatur, erit ergo tempus medium, & magnitudo media ipsius velocioris, vnum, & dimidium, ergo si tempus, & magnitudo, ex indiuisibilibus constant, diuidetur quod est indiuisibile, & quod partibile est, spatium transibitur in tempore impartibili, supposito, quod tempus ex tribus indiuisibilibus constans, diuidatur, & in ipso dimidium spatij transeatur. Cum ergo ista sint absurda, nullum continuorum esse indiuisibile, dicamus. Formetur ratio sic breuiter. Velocius potest excedere tardius in porportione sesquialtera, & tempus vtriusque potest in duas medietates diuidi, si tempus esset ex indiuisibilibus, indiuisibile diuideretur, nam proportio sesquialtera est trium verbi gratia ad duo, dimidium autem trium, est vnum, & dimidium, vnde pars indiuisibilis diuidetur.

SVMMA SECVNDA.

Motum & quietem, non momento, sed tempore mensurari.

CAPVT I.

Nunc est indiuisibile.

NEcesse est autem, & ipsum Nunc, quod non dicitur Nunc secundū alterum (scilicet prout alteri est propinquum) sed per se, & primum, indiuisibile esse, & in omni tempore reperiri. Est enim vltimum quoddam præteriti, cuius versus hoc nihil est futuri, & rursus est principiū futuri, cuius versus illud nihil est præteriti, quod quidem nunc terminum vtriusque scilicet, tam futuri, quam præteriti esse diximus. Cum igitur omne tempus habeat esse secundum partes præteritas, & futuras, & nullo alio modo necessariò in quolibet tempore est Nunc, vt terminus vtriusque partis. Tex. 24.

Hoc autem Nunc, si demonstretur quod per se sit terminus vtriusque partis temporis, sic quod sit vnum, & idem numero Tex. 25.

numero, principium, & finis vtriusque, simul manifestum erit, quod indiuisibile erit.

Tex.26. *Necesse est igitur idem esse Nunc, quod vtriusque, temporis scilicet futuri, & præteriti vltimum, seu terminus est. Si enim non sit idem, sed alterum, & alterum, vel ista Nunc erunt sic vnum alteri consequens immediatè, ita vt se tangant, vel vtrumque erit seorsum ab alio, eo modo quo sunt verè consequenter entia, illa scilicet inter quæ mediat aliquid diuersi generis: Sed neutro modo esse potest, quia si se tangerent, continuum tempus esset ex ipsis Nunc impartibilibus, præter quam quod tangere non se possunt, quia carent vltimis, vt supra probatum est. Si autem seorsum est vtrumque, inter ea erit tempus: omne enim continuum tale est, vt aliquid eiusdem naturæ cum alijs partibus contineatur inter fines, vel terminos, vnde tempus inter ipsa Nunc erit, quod est eiusdem rationis cum qualibet sui parte; at vero si tempus est, diuisibile erit, omne enim tempus ostensum est, quod diuisibile sit, quare & ipsum nunc erit diuisibile, quod est absurdum, vt supra probatum est; probatur consequentia, quod scilicet Nunc esset diuisibile; nam inter tempus præteritum, & futurum non est tempus medium in veritate, sed tantum instans, vel nunc indiuisibile, sed ex suppositis (scilicet quod si Nunc ponantur se habere consequenter) inter vltimum Nunc temporis præteriti, & primum futuri mediat tempus, hoc autem ex veritate quod mediat est nunc; & sic nunc esset diuisibile sicut tempus, quod est maximè absurdum; nam si Nunc est diuisibile, erit aliquid præteriti in futuro, & futuri in præterito, nam secundum quod diuidetur, vna pars se tenebit ex parte præteriti temporis, alia ex parte futuri, & sic præteritum, & futurum in eodem nunc præsenti essent.*

Tex.27. *Simul autem nec per se, sed per suas partes ipsum nunc esset terminus partium temporis, vnde frustra terminus, communis diceretur. Quod verò non per se esset terminus patet, nam quod est per se terminus non debet esse diuisibile, sed vltimum rei terminatæ, aliter ipsum non terminaret, sed vltima pars eius, & ista deberet vocari terminus. Præterea, ipsius Nunc hæc quidem pars esset præterita, illa verò futura, & idem Nunc non semper secundum se totum esset præteritum, vel futurum. Vnum igitur est Nunc continuans partem præteritam cum futura; non tamen quod sit vnum in toto tempore, quia cum multipliciter tempus sit diuisibile, & diuisio fiat per Nunc, multa quoque ipsa Nunc erunt, sed respectu duarum partium continuatorum erit vnum.*

Quare si impossibile est, hæc quæ supra diximus inesse
Tex.28. *ipsi Nunc, scilicet quod habeat partes, & in ipso sit præteritum, & futurum, necesse est, (vt diximus modo quoq;) Nunc, quod in vtroque tempore est, tam scilicet in præterito, quam in futuro, veluti terminus, idem esse. At vero si idem est, manifestum est, quod indiuisibile est: si enim diuisibile, rursus accident ea, quæ prius diximus, nempè non esse terminum, ac simul esse præteritum, & futurum.*

C A P V T II.

In ipso Nunc nihil mouetur, nec quiescit.

Tex.29. QVod igitur in tempore sit aliquid indiuisibile, quod nunc vocamus, manifestum est ex ijs, quæ dicta sunt in præcedenti capite. Quod autem nihil in ipso nunc moueri possit, ex his manifestum est. Si enim est quod aliquod moueri possit in ipso, contingit vt velocius, & tardius in eodē Nunc moueatur, Designetur igitur ipsum nunc per N Moueatur autem in ipso id quod velocius est, per lineam A, B, seu per lineam duorum palmorum. Quod verò tardius est in eodem Nunc mouebitur per lineam minorem, v.g. vnius palmi, & sit A C, velocius vero per eandem lineam mouebitur citius, & sic in minori quā Nunc, quare ipsum Nunc erit diuisibile, quod namque habet plus, & minus, diuisibile est, & tamen erat indiuisibile, non ergo possibile est moueri in ipso Nunc.*

At verò neque quiescere, quiescere enim dicebamus id Tex.30.
quod aptum est natura moueri, & non mouetur, quando aptum natura est moueri, & vbi, & quo pacto. Quoniam igitur in ipso Nunc nihil aptum est natura moueri, manifestum est, quod neque quiescere.

Amplius si aliquid in Nunc moueri posset, sequeretur Tex.31.
quod idem simul quiesceret, & moueretur. Probatur cōsequentia, supponendo, quod idem Nunc sit in vtrisq; temporibus, nempe præterito, & futuro, & quod in toto tempore futuro, & in toto præterito aliquid contingat moueri, & quiescere, non tamen simul in vnoquoque, ac denique, quod id quod mouetur, vel quiescit, in aliquo in quo est aptum moueri, vel quiescere, quiescat, & moueatur in illo toto, in quo sic aptum moueri, & quiescere sit. Quibus suppositis. Probatur consequentia. Si in Nunc, aliquid est aptum moueri, vel quiescere, ponamus quod aliquid moueatur in toto tempore præterito, & quiescat in toto tempore futuro, quorum Nunc est terminus, ergo prout Nunc est terminus præteriti, ibi mobile moueretur: nam ex suppositis ibi est aptum moueri, & mouetur in toto tempore præterito, & prout est terminus, vel principium temporis futuri, in quo toto mobile quiescit, in ipso Nunc quiescet, quare in eodem Nunc aliquid moueretur, & quiesceret, & quia ipsum est indiuisibile, ideo simul moueretur, & quiesceret. Est enim idem vltimum, vel terminus vtrumque temporum, futuri, & præteriti ipsum Nunc. Amplius id quiescere dicimus, quod similiter se habet & ipsum, & partes nunc, & prius, in ipso autem Nunc non est prius, ergo neque quiescere. Necesse est ergo, & moueri id quod mouetur in tempore, & similiter in tempore quiescere quod quiescit.

S V M M A T E R T I A.

De diuisione motus.

C A P V T I.

Indiuisibile non potest moueri.

OMne autem quod mutatur necesse est diuisibile Tex.32.
esse; probatur. Omnis mutatio est ex quodam in quoddam, seu ex termino à quo ad terminum ad quem; quod igitur mutatur, dum est in termino ad quem, non mutatur, sed motum compleuit, ac mutatum est. Cum autem est in termino à quo, & ipsum, & partes omnes, neque mutatur, quod enim similiter se habet, & ipsum, & partes, id non mutatur, vel in tali termino existens mobile, non incepit motum; necesse est igitur quod aliqua pars ipsius mobilis sit in hoc termino à quo, alia vero in alio, scilicet in termino ad quem; quare erit necessariò diuisibile, cum habeat partes, & partes.

Neque

Neque potest dici, quod totum sit in vtrisque terminis, quia idem non potest secundum se totum esse in diuersis locis. Nec pariter dici potest, quod sit in neutro, quia quod de vno extremo tendit ad aliud per medium, participat vtroque extremo; est igitur partim in termino à quo, partim in termino ad quem, & sic diuisibile est. Sed est notandum, quod in quolibet motu sunt duplices termini, scilicet vltimati, & intermedij, vel non vltimati, vt si fiat motus de albo in nigrum, termini vltimati erunt albedo, & nigredo, non vltimati erunt participatio de vtroque, vt de albedine participare fuscedinem, & sic fuscum est medium. Dum ergo dicimus, mobile esse partim in termino à quo, partim in termino ad quem, non est intelligendum de terminis vltimatis, quia sic non moueretur, & esset in oppositis simul. Sed intelligi debet de terminis medijs, in quos primum mobile mutatur secundum mutationem de termino à quo, vt ex albo fuscum, non nigrum statim fit; non enim necesse est id quod mutatur, esse in vtroque extremo; manifestum igitur est, quod omne id quod mutatur est diuisibile.

Duplici termini motus.

CAPVT II.

Quotupliciter diuidatur motus.

Tex. 33. Motus autem est diuisibilis dupliciter, vno quidem modo ad diuisionem temporis, alio modo secundum motus partium illius, quod mouetur, vt si aliquod mobile, quod vocetur A C mouetur totum, & partes eius mouebuntur, quæ sint A B, & B C assignetur motus primæ partis, scilicet A B, & talis motus vocetur D E, & similiter assignetur motus alterius partis B C, qui motus sit E F, necesse est, quod ipsius totius mobilis A C sit totus motus, qui vocetur D F, tunc sic probemus intentum. Si totum mouetur, necesse est, quod vtraque pars moueatur, quia totum sine partibus non mouetur, sed nulla pars mouetur motu totius, nec motu alterius partis, ergo qualibet mouetur proprio motu, & sic sicut partes mobilis sunt diuersæ, ita quoque diuersæ sunt partes motus, mouebitur namque mobile secundum hunc totum motum, quoniam vtraque partium mouetur secundum vtrunque motum proprium, hoc est vnaquæque secundum suum, nam nihil mouetur secundum motum alterius, quare totus motus erit motus totius magnitudinis mobilis, quia pars ipsius motus est partis ipsius magnitudinis, & sic manifestum est, quod motus diuiditur secundum diuisionem mobilis in suas partes.

Tex. 34. Amplius autem si omnis quidem motus alicuius mobilis est, & totus motus prædictus D F non est alicuius partis, nam vtriusque partis assignauimus proprium motum, neque potest esse alicuius alterius mobilis, nam cuius totius est aliquis totus motus, & partes motus partium eiusdem quoque erunt, cum totum alicui non conueniat sine suis partibus. Sed partes motus ipsius totius D F non sunt nisi partium eiusdem, quæ partes positæ fuerunt A B, B C, & non aliarum, ergo motus totius non est alterius mobilis: sed si dicatur, quod est simul totius prædicti, & alterius, est absurdum; nam plurium non est vnus motus, erit igitur motus ipsius totius, qui ex partium motibus integratur, & per consequens in ipsas quoque diuiditur; nam vnumquodq; diuiditur in ea ex quibus componitur. Quare concludendo principale intentum, dicimus, motum esse diuisibilem secundum partes mobilis, seu ad diuisionem subiecti.

Tex. 35. Amplius, si motus totius sit alius à motu composito ex motibus partium mobilis, assignetur hic alius motus, & sit H I, qui tamen ex supposito erit alter à motibus partium, sed tamen eiusdem totius, diuidamus hunc motum in duas partes; nam omnis motus diuisibilis est, hi autem motus diuisi, seu partes motus totius erunt æquales motibus partium superius assignatis, nempè D E, E F; cum ergo vnius mobilis sit vnus motus, erunt partes ipsius motus H I æquales cum motibus partium ipsius totius, ac per consequens erunt eadem; quia quæ eiusdem rationis, & æqualia accidentia sunt in vno subiecto sunt eadem, & per consequens ille motus quicunque fingatur, erit motus totius, ac partibus quoque conueniens, vnde (ad principale) motus totius ad diuisionem partium ipsius diuiditur. Si verò dicatur motum illum non esse æqualem motibus totius, & partibus, sed aliquid superest, qui vocetur K I, hoc erit absurdum, quia hic nullius erit, neque totius, neque partium, neque alterius, cum in eodem mobili ex supposito sit, & accidens, quod in vno subiecto est, alterius dici non potest: continuus motus namque continuorum quorundam est; hic verò est nullius, ergo non est, vel oporteret dicere, esse sine mobili, vel subiecto, quod est maius absurdum. Similiter autem absurdum est, quod sit excessus secundum diuisionem partium mobilis, & defectus motus, ita vt sit aliqua pars mobilis sine motu, tunc enim non moueretur totum, quod est contra suppositum, quare si hoc impossibile est, necesse est eundem esse motum totius, & æqualem omnibus partibus, sic, quod ex motibus partium integretur, & in illos diuidatur. Hæc igitur prædicta diuisio motus est secundum motus partium mobilis, & necesse est cuiusuis mobilis diuisibilis ipsam esse.

Tex. 36. Alia autem est diuisio secundum tempus. Nam cum omnis motus in tempore sit, tempus autem omne diuisibile sit; in minori autem minor motus sit, necesse est omnem motum diuidi secundum tempus.

CAPVT III.

Tempus, motus, mobile, moueri, & id in quo fit motus easdem diuisiones habent.

Tex. 37. Quoniam autem omne, quod mouetur in aliquam formam mouetur, & tempore quodam, & totius eius, quod mouetur est motus, vt supra probatum est, necesse est easdem esse diuisiones, & temporis, & motus, & ipsius actualiter moueri, & eius quod mouetur, & eius forma in quam fit motus; nam ista omnia sunt continua, & mutuò sibi correspondent. Verum non omnium similiter prædictorum in quibus fit motus, est diuisio, sed quantitatis quidem est diuisio secundum se, & sub ipsa comprehenditur mobile, tempus, & spatium super quod fit motus localis; qualitatis autem est diuisio secundum accidens, scilicet ad diuisionem subiecti in quo est, & ipsa qualitas in motu alterationis est terminus ad quem. Sed est dubitatio, nam termini motus sunt indiuisibiles, cum

cum hoc sit de ratione cuiusque termiai vt paalò ante dictum est, quomodo ergo nunc ponuntur diuisibiles? Respondetur, quod qualuates, & aliæ formæ per motum acquisibiles, non dicuntur termini motus, nisi secundum suum vltimum gradum, vel terminum per motum acquisitum, & sic sant indiuisibiles, sed in tota sua latitudine omnes sant diuisibiles, vt nunc declaratur, & si aliæ sint diuisibiles per se, vt quantitas, aliæ vero per accidens, vt dictum est. Quod autem motus, & tempus eodem modo diuidantur; probatur. Accipiatar enim tempus in qao moueatur aliquid, & sit hoc tempus A, motus vero sit B. Si igitur secandum totum motum in toto tempore mobile motum est, in dimidio temporis motum erit secundum minorem motum, & rursus hoc tempore diuiso erit minor motus prædicto, & semper sic; similiter autem si motus diuisibilis sit, & tempus diuisibile erit. Si enim toto motu accepto, accipiatur tempus, ipse motus erit in toto tempore, & dimidius in dimidio, & rursus minor in minori.

Tex.38. Eodem antem modo ipsum moueri diuidetur. Sit enim ipsum moueri C, secundum igitur dimidium motus minus erit toto, & rursus secandam dimidium dimidij, & sic semper. Est autem facilè hoc cognoscere, eum quis designauerit ipsum moueri secundum vtramque partem motas, vt secundum D C, & C E, & tunc facta applicatione partium ipsius moueri cum motus partibus, necesse erit fateri, quod totum moueri erit secundum totum motum; si enim ipsum moueri sit aliad à motu, vel plus aut minas, plura erunt moueri secundam eundem motum, vel plures motus secundum idem moueri, eo modo quo determinauimus, motam diuisibilem esse in motus partiam, ita vt si in quamlibet partem non diuideretur, vel non moueretur totum, vel aliquis motus esset sine subiecto, ita si motus, & moueri, non æqualiter diuiderentur, vel esset moueri sine motu, vel motus sine moueri, quod est impossibile, & non imaginabile: nam accepto moueri; secundum vtramqae partem erit totum continuum, proat est in ipso continaus motus, nec differunt, nisi sicut albedo, & album, ita vt sicut non est albedo nisi sit res alba, nec è conuerso, ita neque motus sine moueri; quod quasi concretum includit, seu connotat rem actualiter moueri cum determinato tempore, nam non solum in tempore infinitiuo loquimur, sed multis alijs, vt dicimus, moaetur, mouebatur, &c. motus autem vt quid abstractum se habet, quod melius forsan declararetur per nomina verbalia, vt amor; & amare, cursus, & currere; hæc enim vnum sine alio non est, & significantar modo prædicto.

Differentia inter moueri, & motum.

Tex 39. Similiter autem demonstrabitur longitudo, seu magnitudo, vel spatium in quo fit motus diuisibilis, & denique omne illud in qao fit mutatio tanquam in medio diuisibile erit; de tempore vero, mobili, & forma ad quam est motus superius diximus. Verum, & si omnia prædicta sint diuisibilia, non tamen eodem modo, sed quædam sunt diuisibilia secundum accidens, quoniam scilicet id quod mutatur diuisibile est, ipso enim diuiso, omnia qaæ in ipso sunt diuidentur: hæc autem, quæ sic diuisibilia sunt, nihil sunt aliud, quam accidentia corporalia, vt albedo, nigredo, &c. Similiter in hoc quod est esse finitum, vel infinitum omnia quoque conueniunt. Cum finitas, & infinitas quantitatem sequantur. Sed hoc quod omnia sint diaisibilia, & finita, vel infinita, secutum, vel deriuatum est maximè ab eo, quod mutatur, ipsum enim mobile statim habet quod sic diuisibile, & finitum, vel infinitum, hoc est non per alind, sed per suam naturam, qua est corporea, & quanta, est tale. Quod vero ipsum mobile sit diuisibile, ostensum est prius. Sed quod sit diuisibile in infinitum in sequentibus erit manifestum.

SVMMA QVARTA.

De ordine partium motus.

CAPVT I.

Non datur primam, sed vltimum motus.

Tex.40. QVoniam autem omne quod mutatur, ex quodam in quoddam mutatur, hoc est, de termino à quo ad terminam ad quem; necesse est id quod mutatum est, quando primò, vel adæquatè, seu secundum totum motum mutatum est, esse in termino in qaem mutatum est. Qaod enim mutatur ab eo termino ex quo mutatur, discedit, aut relinquit ipsum: nam mutari, aut idem est quod relinqaere terminum à quo, aut ipsum relinqaere est coniunctam cum mutari, & similiter reliquisse cum mutatam esse, similiter enim vtrunque se habet ad vtrunque, scilicet mutari ad relinquere, & mutatum esse ad reliquisse, sed nihil est in eo, quod relictum est, ergo nihil est in termino à quo, quare necessariò erit in termino ad quem vltimatum, nam in alijs intermedijs cum sint infinita, non datur primum, ideo de vltimo intelligendum est, vt quod mutatam est de albo in nigrum, quando primò mutatum est, in nigro est.

Omnis motus est de termino à quo ad terminum ad quem.

Tex.41. Quoniam ergo est vna mutationum, quæ secundum contraditionem est, declarabimus intentum in ipsa, & faciliter reliquas cognoscemus, hæc igitur mutatio, & si sit duplex, scilicet generatio, & corruptio, accipiamus tamen generationem, quæ est de non ente ad ens; in ipsa igitur, quando aliquid de non esse mutatum est in esse, dereliquit id quod non est, erit igitur in eo, quod est; nam inter esse, & non esse, non datur medium, sed omne necesse est, aut esse, aut non esse. Manifestum est igitur, quod in hac mutatione secundum contradictionem, quod mutatum est, erit in termino in quem mutatam est; si autem hoc est verum in hac; similiter erit verum in alijs, nam quo ad hoc, quod terminas à quo relinquatur, & ad quē accedatur, similiter est in vna mutatione, sicut in alijs, & si alijs de causis differant.

Tex.42. Amplius, & si per se, seu seorsum vnaquæque mutatio accipiatar, manifestū erit quod diximus, scilicet, quod mobile dum mutatam est in termino ad quem vltimatè reperitur, qaod sic probatur. Necesse est quidem, id quod mutatum est esse alicubi, hoc est in aliquo termino, quoniam enim terminum ex quo mutatum est reliquit, & in aliquo necesse est vt sit, sicut iam etiam diximos, ergo vel erit in hoc termino vltimato, aut in alio intermedio; si igitur in alio, signetar & sit C, vltimatus autem sit B, tunc sic probatur impossibile. Quod mutatur continuè ad aliquem terminum antequam perueniat ad illum semper moaetur, & nunquam est uerum, quod sit complete mutatum, qaia non moueretur, sed mobile ex supposito, mouetur continuè ad B, vt ad terminum vltimatum, ergo semper mouetur, quousque ad illum peraenirit, & sic necessariò mouebitur quoque in C, qui est terminus medius, ergo si in ipso ponatur, quod sit mutatum, sequitur simul

mutari,

mutari, & mutatum esse, quod impossibile est, nam quod mutatum est vltimatè (sicut loquimur) non mouetur. Si verò dicatur simul mutatum esse ad C, & B, hoc impossibile est, quia sic ipsa puncta essent contigua, quod pluries reprobatum est, mutatio verò est continua, cui partes continuatæ magnitudinis, & non indiuisibilia sibi correspondent, quare si in C mutatum sit, id quod in B mutabatur, quando mutatum est mutatur in quod mutatum est, hoc autem (vt diximus) est impossibile; necesse est ergo, quod mutatum est, esse in hoc, in quod mutatum est.

Dubium.

Sed est dubium, quomodo in termino C, vel medio, dicatur mobile moueri; si in indiuisibili, nihil mouetur, nec quiescit, vt supra probatum est? Respondetur, quod ibi propriè non mouetur, nec quiescit, sed dicitur moueri, prout non vltimatè terminatur motus ipsius per talem terminum: ita vt dicatur moueri ad hunc sensum, quia per talem terminum continuatur motus, & non terminatur, sicut per oppositum, dicitur quiescere in termino, quia terminatur motus, non quod adæquatè secundum omnes partes ibi quiescat, nam hoc contradiceret ijs, quæ superius diximus.

Respon digna responderi.

Tex.43. *Manifestum igitur est ex dictis, quod id quod factum est, cum factum est, erit, nam terminus generationis est esse, & in ipso termino mobile est, ergo, quod factum, vel generatum est, erit in ipso esse; corruptum vero ex opposito, quoniam corruptum est, non erit, nā terminus corruptionis est non esse. Quare ratio prædicta valet in omni mutatione, & maximè manifestum est in ea, quæ est secundum contradictionem, sicut est generatio, & corruptio. Quod igitur id quod mutatum est, cum mutatum est primum, seu secundum se totum, in illo vltimo termino est, manifestum est.*

Tex.44. *Hoc autem in quo mobile primò mutatum est, necesse est impartibile esse. Dico autem primum id esse, quod est ex sua natura terminus, non autem est terminus gratia alterius, ex eo scilicet, quod aliqua pars eius sit primum, in quo sit factus motus, v.g. aliquis dicitur mutari ad colorem, quia mutatus est ad albedinem, hæc mutatio non est per se primò, vel adæquatè ad colorem, sed ad partem eius, scilicet ad albedinem, & maximè ad vltimum gradum ipsius: terminus igitur indiuisibilis est, qui per se terminat motum, & non per partes suas. Quod verò hic vltimatus terminus sit indiuisibilis, probatur per oppositum sic; ponamus quod ipse terminus sit quid diuisibile, & habeat partes, nam omne diuisibile partes habet; ipse autem terminus sit A C; & diuidatur secundum punctum medium B in duas partes, & sint istæ partes A B & B C, si igitur in primam partem A B, vel in secundam B C, mutatum erit, non vtique mutatum erit in primum terminum, & vltimatum, qui est A C, sed in alium, quod est contra suppositum, & contra multa alia prædicta; nec enim mutatio per se, sed per partem, vt exemplificatum est de mutatione in colorem, & ad albedinem terminata: si autem in vtraque parte mutabitur, & in toto, vt quæ mutabitur, & sic non erit mutatum, quod non est ad propositum, quod verò si mutatur non sit mutatum, patet, nam opponuntur, & sic necesse est, aut mutatum esse, aut mutari in vtraque, si vero in vtraque simul mutatum sit, hoc erit impossibile, quia omnis mutatio successiua, prius est in vna parte, quam in alia. Eadem ratio autem est, & si in hac quidem parte v.g. in prima mutatur, & in alia mutatum est, erit enim aliquid prius primo, nos vero de primo solum loquimur. Cum ergo omnia ista incōuenientia sequantur, si ponatur vltimus terminus motus diuisibilis, non vtique diuisibile erit illud in quo mutatum est.*

Manifestum est igitur, quod id quod corruptum, & id quod genitum est, in indiuisibili illud quidem corruptum, hoc autem genitum est, cum ista sit ratio termini vltimati cuiuscunq; mutationis. Est tamen notandum, quod terminus in quo primò mobile mutatum est, dicitur dupliciter, puta in quo primò perfecta, seu completa est mutatio, nam tunc verum est dicere, quod primò, vel adæquatè mutatum est. Alio modo in quo primò incæpit mutari; nam sicut per totam lineam sunt puncta, quæ ipsam continuant, sic quoque per totam mutationem, sunt termini quibus continuatur. Tex.45.

Dicitur id in quo primo mutatū est dupliciter.

Dum autem nos dicimus, mobile, dum mutatum est, esse in termino, ad quem est mutatum, non de terminis intermedijs loquimur; (vt etiam supradictum est) sed de vltimato, hic namque dicitur primum quid, & ratione intentionis, quia primò intenduur, & ratione adæquationis, quia per ipsam adæquatur motus totalis, ac tandē ratione existentiæ, quia ipse sic existit, vt sit assignabilis permanens, mutationemque perficit, & est mutationis finis, qui iam ostensus est indiuisibilis, propterea quod finis est, & vltimum, qui autem terminus secundum principium, vel medium est, omnino non est, quia non datur principium mutationis, neque temporis, ita vt sit assignabilis aliquis terminus in quo primo mobile mutabatur, probatur; sit enim primus terminus A D, in quo primo mutatum sit, (nam licet detur primus terminus à quo incipit motus, vt primum punctum à quo incipit linea, tamen ipse est terminus à quo, & in ipso nihil mutatur, nec mutatum est, cum nondum motus incæperat, ideo non facit ad propositum, sed de alijs, qui post ipsum sunt, est sermo,) hic igitur indiuisibilis quidem non erit, quia accidet nūc esse contigua, & sic tempus ex indiuisibilibus componi: & proportionaliter motum, & magnitudinem, probatur consequentia, videlicet, quod si esset indiuisibilis nunc essent contigua, (nam quod tempus componerent manifestum est, concesso hoc, quod contigua sint:) quia à primo termino à quo, ad quemcunque alium sequentem est mutari, & mutatum est, ergo si assignandus esset primus in quo mutatum est, & per totum talis reperiatur, debet poni contiguus ipsi primo termino à quo, aliter non esset per totum, & eadem ratione alia quoque contigua essent, & sic tempus ex nunc componeretur, quod est absurdum, & similiter potest dici de linea, & motu, &c. si igitur primum nunc, vel primus terminus assignari debet in quo primo mutatum sit, & velimus saluare, quod continuum ex indiuisibilibus non componatur, debemus dicere, quod tales termini sunt diuisibiles, quod est maius absurdum, & præterea, quæ antea de indiuisibilitate terminorum diximus, sequeretur pro nunc, quod idem simul moueretur, & quiesceret; ponamus ergo quod Nunc sit diuisibile, & terminus temporis præteriti, & futuri, & quod in toto tempore præterito aliquid moueatur, & in toto futuro quiescat, si igitur in toto tempore futuro, quod vocetur A C, quiescit, (nam ponatur, vt dictum est quiescere,) & in A, quæ sit pars nunc, & principium futuri temporis quiescet. Quare si impartibile sit ex rei veritate ipsum nunc, & ex suppositis ponatur partibile, simul quiescet, & mutatum erit. Nam in A, quæ est principium futuri temporis, quiescet; in D vero, quod est finis præteriti, in quo ponamus mobile moueri, mutatum erit, vel mutabitur, & sic in eodem nunc mutabitur, & mutatum erit, & quiescet, hæc autem sunt impossibilia, ergo dicendum est, indiuisibiles esse termi- Tex.46.

Probatur non dari aliquem terminum in quo primo mutabatur ex parte principij.

nos,

nos, nec contiguos, nec dari primum.

Tex 47. *Quoniam, aut id in quo mobile mutatur, non est impartibile, necesse est diuisibile esse, & in quauis partium huius mutatum esse, nam in qualibet sunt termini continuantes, & sic non datur primum mutatum esse, cum infinitæ sint partes, & termini, declaremus exemplo. Ponamus quod magnitudo super quam fit motus sit A D, & diuidatur in duas partes. Aut igitur mobile mutatum est in neutra, aut in altera tantum, aut in vtraque, si in neutra quidem mutatum est, neque in ipso toto erit mutatum, & hoc modo nullus erit motus ipsius, vnde frustra est quærere de primo, vel vltimo mutato esse; si vero in ambabus mutatur, mutabitur quoque in toto, & sic necesse est mutatum esse in quauis parte totius, hæ autem sunt infinitæ, cum quodlibet continuum in infinitum sit diuisibile, & in infinitis non est assignare primum, manifestum est igitur, quod non est in quo primo mutatum est; si vero in vna tantum parte mutatum est, non erit mutatum in ipso toto primo, quod est contra suppositum; præter quam quod, cum illa sit in infinitum diuisibilis, ex eo quod est continua, neque prima pars erit in ipsa assignabilis, neque primus terminus, neque primum mutatum esse. Similiter possumus loqui applicando, quod diximus ad tempus, videlicet, quod in ipso non datur primum nunc, vel prima pars, & eodem modo sibi non correspondet primum mutatum esse, proportionaliter namq; tempus ad magnitudinem se habet.*

Probatur id in quod mutatur mobile in esse diuisibiles.

Tex. 48. *Neque igitur eius quod mutatum est, aliquid primum est, quod mutatum sit, probatur sic. Accipiamus ipsum mobile, vel mutatum, & sit D E, ac sit diuisibile, nam omne quod mutatur, diuisibile esse, demonstratum est. Designetur primum mutatum esse ipsius, & sit D F. Assignetur etiam tempus in quo ipsum primum mutatum esse fuit, & tempus sit H I, si ergo in toto tempore ipsum mobile D E, mutatum sit; in dimidio minus erit mutatum, & prius etiam mutatum erit, quam peruenerit ad D F, aliter indiuisibilia essent contigua, nempè ipse primus terminus, in quo ponitur primum mutatum esse cum primo termino à quo, quod supra reiectum est; erit igitur aliquid prius quocumque termino assignato, & rursus hoc alius erit prior, & illo alius, & semper sic, quare eius quod mutatur, nihil erit primum quod mutatur. Formetur ratio sic. Mobile est diuisibile, & quælibet pars eius correspondet cuilibet parti magnitudinis, vel spatij in quo mouetur, quibus respondet etiam motus & tempus, ac partes illorum, sed in istis non datur prima pars, sicut probatum est, ergo neque in ipso mobili dari potest.*

Tex. 49. *Quod igitur neque eius quod mutatur, neque in tempore quo mutatur, sit quicquam primum, manifestum est ex dictis. Sed est notandum, quod id quod mutatur, seu mobile, & id secundum quod ipsum mutatur, scilicet terminus ad quem, non eodem modo se habent quoad diuisionem, & quoad habendum terminum primum, vel non, quod vt facilius cognoscatur, sunt memoriæ mandanda ea, quæ diximus necessariò esse in motu. Tria scilicet, quod mutatur, seu mobile, & in quo, seu terminus ad quem, & secundum quod, seu tempus, vt homo, tempus, & album; homo igitur, & quodcunque mobile, ac tempus per se diuisibilia sunt, de albo autem alia est ratio; verum secundum accidens quidem omnia diuisibilia sunt, nam cui accidit quale, vel album, diuisibile est, & per consequens ipsa quoque accidentia sunt diuisibilia ad diuisionem sui subiecti, hæc autem est diuisio per accidens. Quoniam neque in ijs, quæ secundum se diuisibilia sunt reperitur terminus primus, aliter terminus indiuisibilis esset alteri indiuisibili contiguus, quod est impossibile, vt antea demonstratum est, ideo cum sint diuisibilia, semper vna pars alteram præcedit, similiter motus habebit partes infinitas se præcedentes, propterea quod nunquam deficit diuisio, quare non erit primum, in quo mutatum est; similiter autem est in mutatione ad quantitatem, sicut est augmentatio, & diminutio, nam hæc est in continuo, ideo neque in tali datur primum. Manifestum igitur est quod in solo motu, qui secundum quale est, & vocatur alteratio, contingit indiuisibile per se esse, nam sola quantitas est per se diuisibilis, tamen quia qualitas cum sit accidens: est semper in aliquo subiecto, & cum sit educibilis de potentia materiæ, seu subiecti, erit in subiecto quanto, sic ad diuisionem eius erit diuisibilis, vnde neque in ipsa poterit assignari primum mutatum esse, & si hoc habeat à quantitate, nihil refert.*

C A P V T II.

Eà quæ sunt in motu, se se præcedunt.

Quoniam autem omne quod mutatur, in tempore mutatur; dicitur autem in tempore mutari dupliciter, scilicet vt in primo, seu secundum totum, & vt secundum alterum, vel partem, vt si mutetur in die, & dicamus in anno mutari, mutatio in die erit secundum totum, in anno secundum partem. Dicimus ergo, quod si aliquid mutatur in aliquo secundum se totum, vt secundum totum tempus hodiernum, necesse est in quauis parte istius totius mutari, quod manifestum est ex definitione ipsius primo, seu secundum totum, dicitur namque hoc, quod indifferenter quamcumque respicit partem. Tex. 50.

Mutari in tẽpore dupliciter.

Mutari primo quid sit

Sed ex his adhuc magis manifestum erit, sit enim tempus in quo primo mouetur mobile, & vocetur Y R, & diuidatur in duas partes, per instans, quod sit K, omne enim tempus diuisibile est, partes autem ipsius temporis sint Y K, & K R, tunc sic arguitur; aut igitur ipsum mobile mouetur, tam in prima, quam in secunda parte temporis, aut in neutra, aut in altera tantum: si in neutra, in toto tempore vtiq; quiescit, nam impossibile est moueri aliquid in toto aliquo tẽpore, cuius in nulla parte mouetur. Si vero in vna parte tantum, non vtiq; in primo, seu toto mouetur, & hoc est contra suppositum, nam nos loquimur de tempore in quo secundum se totum sit motus, sed hoc modo, esset motus secundum alteram, vel vnam partem ipsius; necesse est igitur in quauis parte ipsius totius temporis Y R, motum esse, & sic habetur intentum. Tex. 51.

Hoc autem ostenso, manifestum est, quod omne quod mouetur, necesse est motum esse prius. Nam si in toto tempore Y R, magnitudo, vel mobile aliquod, quod vocetur K L, motum sit, in dimidio ipsius temporis mobile æque velox, & quod simul incæpit moueri cum ipso, per dimidium erit motum, & in medietate mediatatis, per medietatem medietatis magnitudinis, & cum infinitæ sint partitiones, quæ per tales fiunt medietates, manifestum erit, quod semper mutari præceditur à motum esse. Cum igitur æque velox in eodem tempore per aliquam partem magnitudinis motum sit, & alterum mobile similiter æque velox, necesse est motum esse per Tex. 52.

æqualem

æqualem magnitudinem, quare sicut in vno, motum esse præcedit moueri, & in alio. Idem poterit probari in vno mobili tantum, scilicet, quod sicut in tota magnitudine per totum motum est, ita in dimidia per dimidiam, & sic in infinitum, sed quia aliquis potuisset negare actualem magnitudinis medietatem, prout continua est, ideò in alio mobile exemplificatum est, quod potest poni quiescere in medietate magnitudinis, seu ibi terminatiuè motum esse, vnde habeatur verum mutatum esse, aliud verò mobile continuet suum motum, & hoc modo in dimidio temporis habebimus mutatum esse, & sic in alio dimidio si accipiatur aliud mobile, quibus correspondet motus illius, quod per totum tempus mouetur, vnde manifestè apparent mutata esse, & si de omnibus non posset eodem modo discurri, quia sunt infinita, tamen de aliquibus sufficit, nam similiter alia se habent sine instantia.

Tex.53. *Amplius autem, si in toto tempore motum esse dicimus, aut omnino in quodam tempore toto determinato, vt in vna hora, v.g. aut in quouis tempore, ex eo, quia accepimus vltimum ipsius temporis, nempè Nunc, in quo verè compleuit mutari, seu vltimatè mutatum est. (Nunc est, quod terminat ipsum tempus, tam in fine, quam in qualibet parte, quapropter inter ipsa Nunc, semper mediat tempus) si ideò inquam aliquid mutatum esse dicimus, quia ab vltimo Nunc motus eius terminatus fuit, ergo vbicunque erit Nunc, eadem ratione erit mutatum esse, & si non vltimatè; cum igitur in quolibet tempore sint infinita Nunc, cum sint quoque infinitæ partes temporis ab ipsius Nunc terminatæ, sequitur infinita esse mutata esse; & sicut in vltimo mutatum est, & in alijs vtique similiter dicetur motum esse, nam ipsum Nunc, quod vltimum, vel terminus dicitur, est similiter terminus, & diuiso dimidij temporis, quare in dimidio motum erit, & omnino in quauis parte; semper enim cum ipsa diuisione, tempus est terminatum ab ipsis Nunc. Si igitur omne quidem tempus diuisibile est, quod autem est inter ipsa Nunc tempus est, omne quod mutatur, infinities mutatum erit, cum (vt diximus) infinitæ sint partes temporis.*

Tex.54. *Amplius autem si id quod continuè mutatur, neque corruptum est, neque cessauit à mutatione, aut mutari, aut mutatum esse necesse est in quouis Nunc. Sed in ipsis Nunc non est mutari, vt supra probatum est in textu 29. ergo in quolibet ipsorum necesse est mutatum esse; quare si ipsa nunc infinita sunt, omne quod mutatur, infinities mutatum erit.*

Tex.55. *Non solum autem id quod mutatur, necesse est mutatum esse, sed etiam mutatum necesse est mutari prius, nam omne quod ex quodam in quoddam mutatum est in tempore mutatum est. Quod sic declaratur per oppositum. Sit enim in ipso Nunc ex A in B mutatum, seu de vno loco ad alium, ergo in eodem quidem Nunc, in quo est in A, vel in termino à quo non mutatum est, sed dum est in termino ad quem, ergo si in A dicatur mutatum esse simul erit in A, & in B, seu in termino à quo, & ad quem vltimatis, quod impossibile est; quod verò id quod mutatum est, quãdo mutatum est non sit in termino à quo, ostẽsum est prius in textu 32. erit ergo in aliquo medio inter ipsum, & alium terminum, sed hoc modo erit in tempore, quia ipsa Nunc non sunt contigua, sed inter ipsa mediat tẽpus. Non igitur in nunc est mutari, sed tantum mutatum esse; hoc autem mutatum esse, dicitur quoque in tempore; prout est in aliquo ipsius, scilicet in Nunc, quod est eius terminus.*

Tex.56. *Quoniam igitur in tempore, vel termino eius mutatum est, tempus autem omne diuisibile est, in dimidio ipsius secundum aliud Nunc mutatum erit, et rursus in illius dimidio secundum aliud, & semper sic, quare mutabatur vtique prius, nam ex dictis mutatum esse est necessariò in nunc, inter quæ mediat tempus, in quo est moueri, & sic cum sint infinita Nunc, quodlibet à tempore præceditur, in quo est mutari; quapropter mutari in infinitum præcedit mutatum esse, & è conuerso; & hoc modo patet intentum, maximè in motibus continuis, qui tempore mensurantur, de instantaneis alia est ratio.*

Amplius autem id quod dictum est, erit magis in magnitudine manifestum, propterea quod continua est magnitudo, in qua mutatur id quod mutatur. Sit igitur aliquid mutatum ex C in B, siue ex vno termino magnitudinis ad alium. Ipsi verò termini ponantur indiuisibiles, nec vnus contiguus alteri, quia continuum ex indiuisibilibus constaret, quod est impossibile, vt pluries dictum est; necesse est ergo, quod inter ipsos terminos sit magnitudo, quæ sit quoque diuisibilis in infinitas partes, quare cum in termino sit mutatum esse, necesse est, quod in magnitudine mutetur prius, quæ est in infinitum diuisibilis, & semper à termino terminata, ergo in infinitum mutari præcedit mutatum esse, vel omne mutatum, necesse est mutari prius. Tex.57.

Eadem autem demonstratio est in mutationibus, quæ sunt ad res non quantas, neque continuas, sicut sunt, quæ fiunt inter terminos contradictorios, vt inter ens, & non ens, vel inter terminos contrarios vera contrarietatè, quæ est inter duas qualitates (larga namque oppositione, omnis motus est inter contrarios terminos, vt visum est in 5. Phys. tex. 18) primæ namque sunt ad substantiã, vel ex substantia & sunt generatio, & corruptio; secunda est ad qualitatem, & à qualitate; cum igitur neque substantia, nec qualitas sint per se continuæ, dicitur mutatio in ipsis facta in non continuis. In ijs ergo mutationibus idem quod in alijs dicendum est, nempè quodlibet mutatum esse præcedere mutari, & è contra, nam accipiemus tempus in quo mobile mutatum est, & rursus eadem quæ supra dicimus, hoc est in nunc nihil mutari, sed tantum esse, & ante nunc esse tempus, in quo est mutari, & sic semper cum multis alijs prædictis. Quare necesse est id quod mutatum est mutari, & quod mutatur mutatum esse, & est ipso quidem mutari, mutatum esse prius, & ipso mutatum esse mutari, & nunquam accipietur prius, causa autem est, quia indiuisibile non est alteri indiuisibili contiguũ, nam in infinitum fit diuisio continui, vt patet in ijs lineis, quæ diuiduntur, ac pariter augeri possunt, hæ namq; sunt diuisibiles, & augmentabiles in infinitum per partes proportionales, quæ omnes partes ab ipsis punctis terminantur, & sic mutuò se præcedunt, vnde ante punctum est linea, & è cõuerso, & vniformiter dicatur de nunc in tempore, & de momentis in motu, ex indiuisibilibus namque nullum ipsorum est, semper igitur post indiuisibile accipitur diuisibile, & è conuerso, vnde in infinitum proceditur. Tex.58.

Manifestum est igitur, quod id quod factum est necesse est fieri prius, & quod fit prius factum esse, quod præcipuè habet veritatem in continuis, & diuisibilibus: nam (vt diximus) ratio cur sic factum esse, & fieri se præcedunt, est propter continuitatem, quia scilicet indiuisibile nõ est contiguum indiuisibili, sic namq; ex ipsis continuum constaret, sed semper indiuisibile à diuisibile præceditur, & è conuerso, quibus correspondet indiuisibile, & diuisibile motus & temporis; si verò sint per se, vel per accidens continua Tex.59.

nihil refert, vt si sit alteratio, vel calefactio in aliquo toto ligno, necessariò in ipsa quoque calefactum praecedet calefieri, & è conuerso, & similiter de generatione, & corruptione dici potest, vt lignum successiuè potest corrumpi nempè vna pars post aliam, & similiter generari; in ijs igitur, quae continua sunt per se mutari praecedit mutatum esse, & è contra; in ijs verò, quae per accidens sunt continua, interdum ita quoque est, aliquādo verò nequaquam, vt in alteratione contingit simul aliquod congelari totum, & in generatione simul totam materiam informari, idem de corruptione; praecedit igitur modo praedicto mutari, mutatum esse, & è conuerso, & sic quod factum est fit, non tamen eodem modo, & secundum idem, sed secundum aliquam partem eius, vt dum domus fit, non dicitur secūdum totum, sed totam factam esse, sed secundum fundamētum; similiter dicatur de eo, quod generatur, & corrumpitur in continuo, scilicet, quod aliquid generatur, aliquid verò ipsius, generatum est, et aliquid corrumpitur, aliquid corruptum est, cum sit continuum saltem per accidens (vt diximus) in quo non potest assignari fieri sine aliquo facto, nec factum sine aliquo fieri, & eodem modo dicatur de corrupto, & corruptum esse. Manifestum est igitur, quod id quod factum est, necesse est fieri prius, & quod fit factum esse: omnis enim magnitudo, & omne tempus semper diuisibilia sunt, quare in quocunque sit aliquod istorum, non vtique erit quod primò assignetur.

CAPVT III.

Finitas, & infinitas eodem modo reperiuntur in magnitudine, motu, & tempore.

Tex.60. *Quoniam autem omne id quod mouetur, in tempore mouetur, & in pluri tempore pertransitur maior magnitudo, & sic semper adinuicem correspondent, videlicet, quod etiam in tempore minori, transitur minor magnitudo (maximè si motus sit regularis, de irregulari dicemus in sequenti textu) si (inquam) sic res se habet, impossibile est, quod mobile moueatur per finitam magnitudinem tempore infinito, dummodo non eandē semper iterando pertranseat, vel aliquam partem eius; sic enim tempore infinito pertransiri potest finita magnitudo, vt patet de caelo, cuius magnitudo finita est, & tamen tempore infinito mouetur, et idem posset dici de aliqua eius parte, vel de aliquo alio; sed re vera ista non semel, sed infinities transitur, loquimur ergo nos de ea magnitudine, quae semel tota, secundum totum tempus pertransitur: de qua, quod tempore infinito si finita sit pertransiri non possit, sic probemus. Quod igitur si quid moueatur aequè velociter, seu regulariter, necesse est finitum finito tempore moueri, manifestum est: accepta enim parte magnitudinis, quae plures replicata totā mensurabit, & ipsi parti correspondebit aliqua pars temporis etiam finita, nam infinitum correspondet toti, cum tot igitur partibus aequalibus magnitudinis accipiētur tot partes aequales temporis, & vnaquaeque istarum sit finita, & magnitudine, & numero omnes sint quoque finitae, & tempus vtique erit finitum; nam ipsum tempus tantum erit, quantum erit tempus partis multiplicatum secundum multitudinem partium magnitudinis.*

Tex.61. *Sed si non aequè velociter moueatur mobile, sed motu irregulari, nihil refert, quia non propter hoc poterit per magnitudinem finitam, tempore infinito moueri; probatur sit spatium, vel magnitudo finita A B, per quod mobile motum sit in infinito tempore, et tempus infinitum sit C D; si igitur necesse est prius per vnam, quam per alteram partem magnitudinis ipsum mobile motum esse, hoc autem manifestum est ex prioritate, & posterioritate temporis; nam pars prior dicitur, quae parti priori motui correspondet, & posterior posteriori, sequitur, quod semper in pluri tempore per plures partes erit motum, siue mutetur aequè velociter, siue non aequè velociter, siue remittatur, siue intendatur motus, vel virtus mobilis, siue etiam maneat in eadem virtute, vel intensione nihil minus id verum est. Accipiatur igitur spatij finiti A B, aliqua pars, quae sit A E, hac pluries accepta ipsum totum A B mensurabit; hac itaque pars in aliqua parte temporis infiniti absoluta est; in infinito enim non est possibile, nam totum in infinitum absoluitur. Et rursus si accepero alteram partem ipsius spatij adhuc absoluetur tempore finito, nam totum in infinito absoluitur, vt dictum est, & sic accipiendo omnes partes spatij finiti, similiter partes finitas accipiemus temporis, at si dicatur, quod quia accipiuntur partes inaequales non est ad propositum, quod dicitur. Hoc nihil valet, quia infiniti nulla est pars, quae ipsum mensuret; nam impossibile est infinitum esse ex partibus finitis, siue aequalibus, siue inaequalibus, ergo quomodocunque ab ipsis mensuretur erit finitum, cum hoc modo aequetur partibus mensurantibus. Quod verò partibus finitis, siue aequalibus, siue inaequalibus mensurari infinitum non possit: probatur; nam alia mensura mensuratur finitum, & infinitum, sed finitum talibus mensuratur partibus, vnde quae finita sunt multitudine, vel magnitudine mensurabuntur à quodam vno finito, siue aequalia secundum partes sint, siue inaequalia, tamen definita, & determinata nihil minus erunt à determinata aliqua mensura: infinitum igitur, non hoc modo mensurabitur. Cum ergo spatium praedictum quod vocauimus A B, sit finitum, ex eo quod mensuratum est partibus finitis, quae fuerunt designatae per A E, & ipsis partibus, siue aequalibus, siue inaequalibus temporis quoque finitae partes correspondeant, ipsum quoque totum finitum spatium, quod vocauimus A B tempore finito absolutum erit, nam partes proportionaliter se habent ad totum. Similiter autem in quiete; hoc est non potest esse quies finita, tempore infinito; priuatio namq; mensuratur per habitum, sed quies est priuatio motus. Ex praedictis infertur, quod vnum, & idem non potest semper, seu infinito tempore fieri, vel corrumpi, cum vnumquodque sit finitum, & acquirat esse per finitum motum, & quantitatem.*

Eadem autem ratio est, quod neque tempore finito per infinitum spatium aliquid moueri, aut quiescere possibile sit, siue regulariter moueatur, siue irregulariter. Nam accepta quadam parte finiti temporis, quae totum tempus metietur, in hac ipsum mobile pertransibit aliquam partem infinitae magnitudinis, & non totam; nam in toto ponitur transire totam, et rursus inaequali parte aliam, & in vnaquaq; similiter, siue aequalis sit, siue inaequalis pars, quae posterius sumitur, ei quae à principio sumpta fuit, hoc enim nihil refert, dummodo vnaquaq; sit quid finitū; manifestum enim est, quod consumpto tempore, ipsum infinitum spatium non consumetur, facta semper finita ablatione partium, ita vt accipiantur finita secundum quantitatem continuam, & secundum numerum; sic namque, & non alio modo accipi possunt, si ponamus tempus finitum, & licet Tex.62.

& licet partes proportionales accipi possint infinitæ successiuè, tamen non sunt ad propositum, nàm hic loquimur de infinito secundum partes quantitatiuas, & de istis concludimus ex præhabitis, quod mobile non transibit in tempore finito spatium infinitum: nihil autem refert si accipiatur magnitudo, vel spatium, quod sit ex vna parte tantum infinitum, vt si hic inciperet, & non haberet alium terminum, vel si accipiatur infinita ex vtraque, eodem enim erit ratio.

Tex.63. *His autem demonstratis, manifestum est, quod neque finita magnitudo spatium infinitum poterit pertransire in tempore finito propter eandem causam: nam in parte temporis transibit partem finitam spatij, & in vnaquaque parte similiter, quare in toto tempore transibit finitam magnitudinem, quæ respondebit secundum suas partes partibus mobilis; nam eodem modo se commensurant, vnde accipientur partes mobilis finitæ, & sic non infinitum, sed finitum per finitam magnitudinem tempore finito transibit.*

Tex.64. *Quoniam autem mobile finitum non transibit infinitam magnitudinem tempore finito, manifestum est, quod neque mobile infinitum transibit finitam magnitudinem, nam si infinitum finitam transiret, necesse est finitam trãsire infinitam; nihil enim refert si moueatur vnum, vel aliud, quod enim transit aliquid, ab ipso etiam transitur, & sic vtroque modo finitum transibit infinitum; quod melius declaratur exemplo; sit ergo infinitum quod moueatur A, accipiatur aliquid ipsius finitum ex vna parte, nempe ex B, hoc autem finitum acceptum sit C D, & rursus accipiatur aliud, & aliud semper sic finitum, quibus omnibus partibus semper correspondebunt partes spatij finiti: quare simul accidet infinitum mobile motum esse per finitum spatium, & finitum transisse infinitum. Neque enim fortassis possibile est aliter infinitum mobile moueri per finitum spatium, quam quod finitum transeat per infinitum, aut latione vtendo, ita vt verè moueatur, aut metiendo; quare quoniam hoc impossibile est, vt supra probauimus, ideo mobile infinitum, non pertransibit spatium finitum.*

Tex.65. *At vero neque mobile infinitum tempore finito transibit infinitum spatium, nam si infinitum transibit infinitum, & finitum infinitum transibit, quod impossibile esse probauimus, consequentia est nota, nam si infinitum transibit, etiam qualibet eius pars transibit; accipiatur igitur vno pars eius, hæc erit finita, & sic finitum transibit infinitum. Amplius autem, & tempore accepto finito, eadem erit demonstratio, quod scilicet non pertransitur à mobile infinito, quia eodem modo acceptis temporis partibus aliquibus finitis ipsius mobilis correspondent finitis partibus omnibus temporis, vnde ipsum tempus consummetur, & tamen non nisi aliquæ partes mobilis transiernnt.*

Tex.66 *Quoniam autem neque mobile finitum infinitum spatium transibit, neque infinitum finitum, neque infinitum tempore finito mouetur; manifestum est, quod neque motus erit infinitus in tempore finito, quid enim refert motum, aut magnitudinem infinitam facere? necesse est enim, si vnum eorum sit infinitum, & alterum esse infinitum, nam omnis motus localis de quo loquimur est in aliquo loco, vel magnitudine, ideo adinuicem se commensurant. Notandum est tamen, quod & si sæpè de commensuratione motus magnitudinis, & temporis infiniti fit sermo, non tamen est credendum, dari aliquam magnitudinem infinitam, vt satis probatum est in tertio, sed insinuatur mutua commensuratio prædictorum, ita vt si per impossibile esset magnitudo infinita, etiam motus, & corpus infinita essent.*

CAPVT IV.

In eo quod tendit in quietem, vel quiescit, (vt in motu) non datur primum.

Quoniam autem omne quod aptum natura est moueri, quando, vbi, & quo pacto, necesse est moueri, vel quiescere; sed quod tendit in quietem, & stare dicitur, non quiescit: quod enim tendit ad quietem non contigit, vt sit quiescens, ergo mouetur. Tex.67.

Hoc autem demonstrato, manifestum est, quod & in tempore stare necesse est, non quod mouetur, in tempore mouetur, quod autem stat, ostensum est moueri, quare necesse est in tempore stare, seu ad quietem tendere. Tex.68.

Amplius velocius, & tardius in tempore fiunt, sed stare, vel ad quietem tendere, est velocius, vel tardius, ergo est in tempore. Tex.69.

Necesse est etiam id quod stat, in qualibet parte temporis stare, accipiendo tempus aliquod totum, vel in quo primò, seu adæquatè statur, probatur, nam diuiso tali tempore in duas partes, vel in neutra statur, vel in vna tantum, vel in vtraque; si in neutra, ergo non stat; si in vna tantum, ergo non in toto adæquatè, quod est contra suppositum; si in vtraque habemus intentum; vt autem quod mouetur non habet in quo primò moueatur, sed in qualibet parte, sic neque in quo stat, id quod stat. Tex.70.

Non igitur neque in ipso moueri, neque in ipso stare est aliquod primum. Assignetur enim aliquid in quo primo stetur, vel moueatur, & sit A B, hoc igitur quidem impartibile non contingit esse, quia super ipsum nihil potest moueri, vt visum est, propterea quod illius quod mouetur aliquid necesse est motum esse, nam moueri per motum esse continuatur, vnde si in indiuisibili esset aliquid moueri, & motum esse, non esset indiuisibile, sed quod stat demonstratum est moueri, ergo in indiuisibile stare non potest, erit ergo diuisibile: at verò si diuisibile est, in quauis partium ipsius stat, nam prius ostensum est, quod id quod primò, seu adæquatè stat in aliquo, necessariò stat in quauis parte illius. Quoniam ergo tempus est in quo statur, & non impartibile, nam omne tempus est diuisibile in infinitum, non potest assignari in quo primò stetur, nam infinitorum, non est primum. Tex.71. Infinitorum non datur primum.

Neq; igitur quiescens habet in quo primo quieuit, quia in impartibili non quieuit, propterea quod non est motus in impartibili, ergo neque in ipso erit quiescere: nam moueri, & quiescere sunt circo idem, sicut habitus, & priuatio, vt visus, & cecitas circo oculos, sed quies est priuatio motus; tunc enim dicimus quiescere aliquid, quando, & in quo aptum natura est moueri, & non mouetur id quod aptum natura est, hæc autem est assignatio priuationis, vnde quietem priuationem esse, patet. Tex.72.

Amplius tunc dicimus aliquid quiescere, cum similiter se habet nunc, & prius, tanquam non vno quodã indiuisibili iudicantes aliquid quiescere, sed ad minimũ duobus, quorum vnũ sit prius, aliud posterius, inter quæ necessariò mediat aliquid diuisibile, vt inter nunc tẽpus, inter puncta lineæ, &c. quare in quo mobile quiescet, non erit indiuisibile, si vero partibile est, tempus vtiq; erit, ergo in quauis partium ipsius quiescet, eodem enim modo hoc demonstrari potest, quo supra demonstrauimus de moueri, scilicet Tex.73. Quid sit quiescere.

scilicet quod in aliquo tempore mouetur in qualibet ipsius parte mouetur, & sic non datur primum, est igitur vniuersalis causa, quia omne quod mouetur, & omne quod quiescit, mouetur, & quiescit in tempore, tempus autem, neq; magnitudo neq; vllum continuum, habent primum, cum omnia in infinitum sunt diuisibilia, ergo.

Tex 74. *Quoniam autem omne quod mouetur, in tempore mouetur, & ex quodam in quoddam mutatur; loquendo de tempore in quo secundum se totum mouetur; hoc est de tempore adæquato motui, & non de parte aliqua eius, de hoc (inquam) loquendo, impossibile est tunc secundum aliquam partem ipsius temporis esse, seu manere ipsum totum mobile, in aliqua parte temporis, tunc enim non moueretur, sed quiesceret; nam quiescere est esse in aliquo tempore, & eodem ipsum mobile, & vnamquamque partium eius. Sic enim dicimus quiescere, quando in alio, & in alio Nunc, verum sit dicere, quod in eodem loco, & ipsum mobile, & partes sunt. Si autem hoc est quiescere non contigit id quod mutatur, nec secundum aliquam partem temporis in quo mutatur, ipsum totum mobile esse, vel manere, nam omne tempus diuisibile est; quare in alia, & alia ipsius parte, verum erit dicere quod in eodem sit, & ipsum, & partes, & hoc modo id quod mouetur in qualibet parte quiesceret, quare simul moueretur, & quiesceret. Non igitur in aliqua parte manet id quod actualiter mouetur, quod ideo diximus, & probauimus, quia aliqui oppositum tenent, ac motum quoque negant vt in sequenti videbimus. Si vero non sic est quod in qualibet parte temporis quiescat, sed in vno solo Nunc est, videtur quod saltem in ipso nunc quiescat, & sic licet non sit quiescens in aliquo tempore secundum aliquam partem ipsius, tamen erit quiescens secundum terminum temporis, nam necessariò datur terminus, in quo sit mutatum esse, & hoc quoque modo possumus inferre quod superius inferebamus, nempe mobile quiescere in qualibet parte temporis, nam ipsum Nunc in omni parte reperitur, & hoc pacto quoque possumus (de mente sic opinantium) negare motum. Sed huic obiectioni respondetur, verum esse, quod mobile in ipso Nunc secundum aliquid manet semper, hoc est quia correspondet huic, quod est mutatum esse in motu, & puncto in mobili, vel alteri indiuisibili: non tamen quiescit, nam in ipso Nunc nihil potest moueri, nec quiescere, vt pluries probatum est. Sed verum erit dicere, quod in Nunc non mouetur, sed maneat non simpliciter, sed secundum quid, quod idem est ac dicere, motus per nunc continuatur, & terminatur secundum vnam partem, & secundum aliam incipit; in tempore autem non contingit esse aliquid secundũ quod mobile quiescat; accideret enim id quod mouetur quiescere, si (inquam) in aliqua parte temporis maneret,*

SVMMA QVINTA.

Confutantur errores quidam, circa motum,

CAPVT I.

Adducuntur rationes Zenonis negantis motum, & soluuntur.

Tex.75. Ratio. *Zeno autem male arguit, probando motum non esse, sic enim syllogizat. Omne quod semper est in loco sibi æquali, vel quiescit, vel mouetur; non est dicendum quod moueatur, quia est repugnantia in terminis, esse enim in loco æquali, & moueri, repugnant, ergo quiescit, id autem quod mouetur est in quolibet Nunc in æquali loco, ergo quod dicitur moueri, semper quiescit, vel ea sagitta quæ fertur, immobilis est; & sic motus non datur.*

Hoc autem quod dicit Zeno est falsum, scilicet quod mobile in quolibet nunc quiescat, & per consequens dum mouetur, quiescat; esset enim verum si tempus componeretur ex ipsis Nunc, sic enim, cum in Nunc nihil moueatur, profectò in toto tempore non esset motus, sed res non ita se habet, quia tempus ex nunc non componitur; ideo licet in ipsis non sit motus, sed terminatio; est tamen motus in partibus temporis. Sed ad formam argumenti respondetur, dum dicit; id quod semper est in loco sibi æquali quiescit;. dicimus id verum esse si sit in loco sibi æquali, permanenter, vel in actu, ita vt actualiter, & vltimatè ab extremis loci terminetur; si vero sit in loco adæquato non permanenter, nec in actu, sed in potentia, prout scilicet illi loco statim succedit alter, propositio sua est falsa; & sic totum suum argumentum ruit. Tex.76. Confutatio. Responsio ad formã.

Quatuor autem sunt rationes Zenonis, quæ faciunt difficultatem soluentibus, quibus omnibus motum negare intendit. Prima omne quod mouetur, prius debet peruenire ad medium, quam ad extremum, & ad dimidium illius medij, quam ad ipsum, & similiter ad dimidium dimidij, in infinitum, sed infinitum non potest pertransiri, ergo motus non datur. De hac autem ratione diximus prius, scilicet in tex. 19. quod hoc est infinitum in potentia, & pertransitur tempore hoc quoque modo infinito; vnde verum est, quod infinitum in actu, seu secundum partes quantitatiuas pertransiri non potest, sed de infinito in potentia, & secundum partes proportionales, non est verum, quia non omnes sigillatim numerantur, sed multæ, & infinitæ simul. Tex.77. Quatuor aliæ rationes. Prima. Responsio.

Secunda autem ratio est ea, quæ vocatur Achilles propter difficultatem; est autem hæc. Si daretur motus, tardius currens nunquam apprehenderetur à velocissimo, vt equus nunquam attingeret testudinem; probatur consequentia, nam persequens, seu mobile velocissimum, quod ponatur esse post tardius, & post illud incæperi moueri, necesse est vt eat ante terminum à quo tardius incepit motum, cum vero talem terminum peruenerit etiam ante ipsum mobile, tardius transiuit aliquam partem spatij præcedentis mobile velocius, & antequam iterum ad ipsum peruenerit tardius acquisiuit aliquid spatij, & sic semper, quare nunquam ipsum transibit, & sic id quod tardius est, semper aliquo spatio antecedere necesse est, quæ ratio potest sic roborari, quia spatium inter mobile tardius, & velocius, habet infinitas partes, quas omnes pertransire oportet, hoc autem est impossibile, ergo nunquam tardius apprehendetur à velocissimo, si motus daretur, ideo quia absurdum est, & contra experientiam, quod tardius à velocissimo non attingatur: melius est secundum veritatem negare motum, & si secundum apparentiam hoc negari non possit, tamen referendum ad deceptionem sensuum hoc est. Tex.78. Secunda.

Est autem hæc ratio Zenonis eadem illi sectioni, quæ diuidit magnitudinem in duo æqualia, quorum, accipiendo vnum, iterum in duo æqualia diuidit, & sic de alia medietate, & alia vsque in infinitum, quæ est diuisio per partes proportionales, & potentiales, in quibus proculdubio proceditur in infinitum, & si secundum tales partes mobile deberet transire spatium, ratio eius esset indissolubilis, sed non ita est, imò fit transitus per partes quantitatinas, Tex.79. Responsio.

tatiuas, quarum plures eodem tempore transit velocissimum, quam tardius, ideò citò ipsum attingit. Quia igitur sic diuidit Zeno non concludit. Verum tamen est, quod differt hæc ratio aliquo modo à prædicta sectione, non tamen re, sed nomine, quia ipse non sic in diuidendo accipit duas æquales magnitudines, sed vtitur modo velocitatis, & tarditatis; tamen in veritate in idem coincidit cum prædicta diuisione. Non attingi igitur tardius à velocissimo, accidit ex sua prædicta ratione, & causa est, quia fit idem transitus, & diuisio, cum bipartitione prædicta; in vtrisque enim accidit non peruenire ad vltimum, diuisa magnitudine quodammodo, nempè per partes proportionales, quæ fieri non debet, vt diximus. Sed additur in hac sua ratione, quod neque velocissimum in prosequendo attinget tardius, quod est dictum tragicè, vel modo quodam mirabili. Cum ergo sit eadem cum prædicta, necesse est solutionem esse eandem quod scilicet non per partes in potentia, vel proportionales, debet fieri motus, vel diuisio, si debeat attingi tarminus vltimus, vel ultima pars. Quare putare, quod præcedens velocissimum non attingat tardius, falsum est, cum enim præcedit non attingit, sed tamen attinget, si oporteat ipsum transire finitum spatium. Hæ igitur sunt rationes duæ, & solutiones.

Solutio.

Tex. 80. Tertia. Tertia autem est, quam diximus in principio huius capitis, videlicet, quod sagitta, quæ fertur, stat, quia est semper in loco sibi æquali. Quod ideo secundum suam positionem sequeretur, quia sumit tempus ex ipsis Nunc componi; hoc enim non concesso, syllogismus ipsius nullus erit vigoris, & iam visum est, quomodo hoc sit impossibile, videlicet, quod tempus ex ipsis nunc componatur, sicut quodlibet continuum ex indiuisibilibus.

Tex. 81. Quarta. Quarta autem ratio est ea, quæ fit de ijs, quæ in stadio, vel in aliqua determinata distantia mouentur unum contra aliud, ita tamen quod vtrumque habeat æqualem magnitudinem cum alio, & similiter iuxta æqualem aliam magnitudinem quiescentem moueatur, ita vt unum eorum sis in medio magnitadinis immotæ cum suo principio, aliud verò sit in principio, vel alio termino magnitudinis similiter cum suo principio, & ambo moueantur æquè velociter. Sed pro iuuenibus ad quos totum hoc opus dirigitur, pono exemplum facilius in rebus animatis. Sint igitur tres serpentes æqualis longitudinis, quorum vnus sit distensus in terra, & non moueatur; alij verò duo sint, vnus ex vna parte, alter ex alia, sic quod vnus ipsorum incipiat moueri, vel serpere ex parte capitis serpentis distensi immobilis; alter verò ex parte caudæ, non tamen tunc consideremus motus ipsorum, sed postquam ambo cum suis capitibus peruenerunt ad cor, seu ad medium serpentis immoti; tunc (inquam) moueantur vnus contra alium, æquali velocitate, in quo motu dum vnusquisque partransit, pertransitur ab alio, non tamen transit, nisi medietatem serpentis immobilis, vnus namque transit à corde ad caput, alius à corde ad caudam, & sic unus habebit caput suum cum capite serpentis immoti; alter verò cum cauda, & ex eo quod ambo à medio, seu à corde cœperunt, tantum dimidium iacentis transierunt, seipsos autem totos, hoc posito, & intellecto exemplo, probemus de mente Zenonis, non dari motum. Si enim motus daretur, sequeretur quod dimidium temporis esset æquale duplo, quod est absurdum; probatur consequentia. Nam tempus æquale dicitur illud in quo transitur æquale spatium cum altero mobile, quod eadem velocitate mouetur, sed hic sunt duo mobilia æqualia, & transeunt spatium æquali velocitate, & tamen vnum transit in eodem tempore dimidium spatium; aliud verò duplum, & ex suppositis est idem tempus, & eadē velocitas, ergo tempus duplum erit æquale dimidio; quod vero vnū transeat æquale aliud dimidium spatium in eodem tempore, patet ex prædicto exemplo; nam illi duo serpentes, qui contra se inuicem mouentur, dum vnus transit totum alium, vnusque ipsorum non transit, nisi dimidium serpensis immobilis, tamen eadem uelocitate, & eodem tempore se inuicem totos transeunt.

Est autem deceptio in hoc syllogismo, quod non eodem modo accipit moueri hæc mobilia; nam aliqua accipit moueri, iuxta id quod mouetur, aliud verò iuxta id quod quiescit, & tamen credit, quod per æqualem magnitudinem, æquali velocitate in æquali tempore moueri debeant, aliter vel intendit negare motum, vel ad hoc absurdum inducere, quod duplum tempus sit æquale dimidio; falsum est igitur, quod duo mobilia æquale spatium transeant, si vnumquodque contra aliud mouetur, & eodem modo si moueantur iuxta quiescens, debent enim eodam modo accipi mobilia, & magnitudines, & sic uerum erit, quod tempus æquale est, in quo mouentur duo æqualia, & æquè velocia mobilia per eandem, vel æqualem magnitudinem, sic videlicet, quod semper comparentur, vel ad magnitudinem quiescentem, vel semper ad æquè transeuntem. Hoc autem quod dicit, probat eo modo quo superius probauimus, & ne aliquid intactum literæ relinquatur, iterum probemus sic. Sint stantes æquales magnitudines, & sint A A A, Aliæ autem mobiles, & sint B B B, quæ incipiant à medio ipsarum A A A, quæ magnitudines mobiles sint æquales numero, & magnitudine, magnitudinibus stantibus, sint ex alia parte ipsarum manentium magnitudinum aliæ similiter æquales, & æquè veloces cum prædictis mobilibus, & istæ aliæ sint C C C, incipiant verò moueri ab ultimo A, uersus, seu contra alias mobiles magnitudines, quas in medio secundum suum principium manere diximus; dum igitur initium cuiusq; mobilis magnitudinis est in medio magnitudinis immotæ, moueantur simul super immotam magnitubinem, æquali uelocitate; tunc accidit, ut dum primum B, seu extremum primæ mobilis magnitudinis, est in extremo magnitudinis immotæ, scilicet cum vltimo A, similiter primum extremum alterius magnitudinis erit cum primo A, seu cum principio magnitudinis immotæ. Accidit ergo ipsum C, iuxta omnia ipsa A transiisse (computando motum, quem incępit à principio usque ad finem, & ponendo, quod aliud mobile B incęperit à medio moueri, quando aliud mobile C, fuit quoque in medio) & sic ipsum B transiuit solum dimidium magnitudinis, non tamen eodem tempore, sed ipsum C transiuit totam illam magnitudinem in duplo, B autem in dimidio dimidiam, nam in ęquali transiuit æqualem, ex quibus inferimus, quod quæ sunt æquè uelocia, in æquali tempore mouentur per æquale spatium, & in dimidio temporis per dimidium spatij, vt in prædicto exemplo est manifestum, modo accedamus ad intentum, simul autem accidit ipsa B iuxta omnia C transiisse; nam simul erit primum C, & primum B, in vltimis contrarijs immotæ magnitudinis A.A.A, unde sequitur, quod ęquali tempore motum est ipsum mobile C, iuxta unumquodque ipsorum A, & æquali etiam tempore iuxta eadem A mota sunt ipsa C; transierunt igitur vnumquodque prædictorum mobilium, tantum dimidium ipsius magnitudinis A, et eodem tempore se inuicem transierunt tota, quapropter æquè velocia eodem tempore Tex. 82.

transierunt aliud duplum, aliud dimidium spatium: nam duo mobilia in comparatione ipsorum duplum transierunt, & in comparatione magnitudinis immota transierunt dimidium, & est idem tempus, ergo tempus duplum, & dimidium idem sunt; hoc autem est absurdum, ergo motus non datur, aliter hoc absurdum sequeretur. Ratio igitur ipsius hæc est, sed accidit falsum ob id quod dictum est, quia non eodem modo accipit mobilia, & magnitudines.

Tex.83. Dubitatio contra generationē & corruptionem, At verò secundum eam mutationem, quæ in contradictione est, nempè generationem, & corruptionem, nihil nobis impossibile est, rationem ipsius Zenonis soluere, sic enim contra talem mutationem insurgit; si daretur generatio, & corruptio, tunc daretur aliquid, quod nec esset ens, neque non ens; quod est ridiculum; probatur consequentia, nam omne quod mutatur est partim in termino à quo, partim in termino ad quem, ergo quod generatur, vel corrumpitur esset partim ens, partim non ens, & sic neque

Solutio, esset ens, neq; non ens. Dicimus ergo nos huic rationi, quod sicut ad hoc, vt aliquid dicatur album, non est necesse, vt secundum totum sit album, sed sufficit esse album secundum aliquas partes principales, vnde si ex non albo in album mutatur, & in neutro completè est, non tamen debet dici neque album, neque non album, non enim si non sit totum in aliquo ipsorum terminorum, ideo denominari à neutro potest, quoniam (vt diximus) non debet secundum totum esse album, vel non album, vt denominetur tale, sed sufficit, quod sit secundum partes principales, quoniam est idem dicere aliquid esse in hoc, & aliquid esse in hoc toto, vel non esse in hoc, & non esse in hoc toto. Similiter autem de ijs, quæ mutantur secundum contradictionem, non enim & si non sint secundum se tota in eo quod est, vel in eo, quod non est, debent dici, simul esse, & non esse; ad hoc enim vt aliquid dicatur ens, sufficit, vt habeat esse aliquo modo, & si non completum; id igitur quod generatur, quamquam non sit ad terminum ad quem vltimatum, habet tamen aliquomodo esse, & sic dicitur ens, similiter quod corrumpitur antequam sit completè corruptum habet aliquid de ente, quod sufficit ad ipsum denominandum, concedimus ergo, quod potest esse id quod generatur, & quod corrumpitur partim in termino à quo, partim in termino ad quē, quia non est ex necessitate in altero oppositorum terminorum, sed dum est actualis generatio in neutro ipsum totum generabile est, accipiendo terminos vltimatos, vt visum est in tex.32.

Tex.84. Contra motum circularem. Rursus arguit Zeno contra motum circularem, & probat non dari, tali ratione, id quod est in eodem loco secundum aliquod tempus, ipsum, & omnes partes eius, non mouetur, sed quiescit, sed circulus, sphæra, & omnino quæ in seipsis mouentur (hoc est non de vno loco ad alium, sed in eodem) manent in eodem loco secundum totum & partes per aliquod tempus, ergo accidit, quod quiescant, vel si aliqui dicant ipsa moueri, & tali ratione constringuntur ad oppositum confitendum, incident in contradictionem, ac confiteri habent, ea simul moueri, & quiescere.

Tex.85. Responsio. Huic autem rationi respondetur, quod minor propositio est falsa, nam quæ mouentur circulariter, & secundum partes, & secundum totum variant locum, de partibus namque manifestum est, quod non sunt in eodem loco vllo tempore. Deinde, & totum semper mutatur in alium locum, probatur; nam identitas loci corporis circularis sumitur ex identitate circuli sibi correspondentis, vel sub, vel supra, & diuersitas ex diuersitate; sed corpori circulari nempè cœlo, v.g. semper diuersa circumferentia correspondet, ergo non est in eodem loco, maior est nota; probatur minor. Assignetur punctum in qualibet parte cœli, & sit A, tunc ex ipso ducatur circulus, qui in idem A reuertatur; Alius verò ducatur ex B, vel C, & sic de alijs signis; isti (inquam) circuli dum mouetur cœlum semper variantur, ergo variatur tota circulatio, & per consequens totum corpus circulare, nec sunt ijdem circuli, nisi per accidens, sicut musicus, & homo, quia videlicet, vnum alteri accidit; isti verò, quia omnes accidunt corpori; quare mutatur ipsum totum de altera in alteram circumferentiam, & nunquam quiescit, eodem autem modo dicatur de qualibet sphæra, & de omnibus, quæ in seipsis mouentur.

CAPVT II.

Impartibile quomodo moueri possit.

Demonstratis autem his, quomodo scilicet motus sit diuisibilis, &c. nunc videndum est, si indiuisibile moueri possit. Dicimus ergo id quod impartibile est non posse moueri, nisi per accidens, nempè moto corpore, vel magnitudine, in qua ipsum indiuisibile est; est tamen notandum, quod aliquid dicitur moueri per accidens tripliciter. Vno modo, quod nec est accidens, nec pars alicuius, sed tamen cum alio mouetur ad motum illius, sicut id quod in naui est, mouetur ad motum nauis. Secundò, vt pars mouetur cum toto; Et tertiò, quod est verè accidens: non loquimur nos de duobus primis modis: sed tertiò, & loquimur de impartibile, quod est secundum quantitatem indiuisibile; de alijs verò, quæ per accidens mouentur, non est difficultas, & maximè de eo, quod est per accidens primo modo: homo namque in naui motus, secundum se moueri potest. Id verò quod est per accidens secundo modo, etiam moueri per se potest, sicut pars si à toto separetur: imò motus coniunctarum partium alteri sunt, & inter se, & cum ipso toto, licet non diuisi, quod aliquis id faciliter videre poterit in motu sphæræ: nam non est eadem velocitas partium, quæ sunt iuxta centrum, & quæ sunt extra & totius sphæræ, tanquam non vno existente motu, quæ enim sunt iuxta centrum tardè mouentur, quæ extra velociter; totum verò quasi motu ex vtroque mixto mouetur, vt igitur diximus, id quod impartibile est, sic quidem moueri contingit, vt is, qui in naui sedet, naui currente, per se autem non contingit, nec sic vt qui sedet in naui, quod scilicet etiam sicut ille possit sine suo subiecto moueri, sed est similitudo quoad conuinctionem tantum, non quoad separationem, aliter esset contradictio in dictis, & falsitas. Tex.86. Moueri per accidēs quo tupliciter.

Quod autem indiuisibile moueri non possit, probatur ducendo ad impossibile, supponamus, quod moueatur, & assignentur termini motus, & sint A B, & B C, siue moueatur de magnitudine in magnitudinem, hoc est de loco ad locum, & motu augmentationis & diminutionis, siue de qualitate in qualitatem, hoc est motu alterationis, siue secundum contradictionem, videlicet motu generationis, Tex.87. Probatur indiuisibile non posse moueri.

tionis, & corruptionis; tempus verò in quo primò (hoc est adæquatè mouetur) sit D, tunc sic arguimus; aut tempore quo ipsum impartibile mutatur, est in termino à quo scilicet in A B, aut in termino ad quem, scilicet in B C, aut partim in vno, partim in alio: omne enim quod mutatur sic se habet. Non erit partim in vno termino, partim in alio, quia sic esset diuisibile. At verò neque erit in B C, seu in termino ad quem, quia sic non moueretur, sed motum esset, concessum est autem mutari, relinquitur ergo per sufficientem diuisionem, ipsum in A B esse, seu in termino à quo, eo videlicet tempore quo mutari ponitur, ergo quiescet; nam esse in termino per aliquod tempus, quiescere est, & ponebatur moueri; quare simul mouebitur, & quiescet, quod est impossibile.

Tex.88. Motus propriè dictum quid. Mutatio quid.

Quare non contingit impartibile moueri, neque omnino mutari, hoc est neque motu propriè dicto (qui est subiecto, seu mobile manente tam in fine, quam in principio mutationis) neque mutatione (quæ est dum non sic manet mobile, vt patet de generatione, & corruptione) solum enim sic esset motus, si tempus constaret ex ipsis Nunc. Nam in ipsis semper est motum esse, respectu motus propriè dicti, & mutatum esse respectu mutationis; quare moueri, vel mutari nequaquam est in ipsis nunc, sed semper motum, & mutatum esse; si igitur tempus ex nunc constaret, ita motus ex ipsis momentis, sic indiuisibile moueri posses. Sed quod hoc sit impossibile, superius ostensum est: neque enim ex ipsis Nunc tempus est, neque linea ex punctis, neque motus ex momentis. Vnde qui dicit indiuisibile moueri, nihil aliud facit, nisi asserere motum ex indiuisibilibus momentis esse, sicut si tempus esset ex ipsis nunc, aut magnitudo ex punctis, quæ omnia sunt absurda.

Tex.89. Idem aliter probatur.

Amplius autem ex istis rationibus manifestum erit, quod neque punctum, neque aliud vllum indiuisibile contingit moueri. Omne quod mouetur, impossibile est quod moueatur per spatium maius se ipso, quin prius motum sit per minus, & per æquale. Ergo si punctum mouebitur, vel aliud quoduis indiuisibile moueri debet per minus se, postea per æquale; hoc autem est impossibile, ergo neque per maius mouebitur, & sic nullo modo; quod autem impossibile sit per minus, vel æquale moueri, probatur, quia cum indiuisibile sit, non habet aliquid minus se, Si igitur hoc est verum, remanet quod semper moueatur per æquale, at ex hoc sequitur maius absurdum, quod scilicet linea erit ex punctis, nam ipsum indiuisibile semper motum super æquale spatium sibi semper correspondet punctum, vnde si transeat lineam, ipsa erit ex punctis, quia ex suppositis, & concessis non transit, nisi puncta; si autem hoc est impossibile, quod scilicet linea sit ex punctis, & impossibile quoque erit moueri indiuisibile.

Tex.90. Alio modo si rum intentum probat.

Amplius autem, si omne quod mouetur, in tempore mouetur, nihil verò moueri potest in nunc, & omne tempus est diuisibile, si inquam hoc ita est, sequitur quod dabitur tempus minus quocunque tempore, quo mouebitur mobile, comparando ipsum tempus ad spatium æquale ipsi mobili, quod ex prædictis patet, quia videlicet mobile semper prius per minus spatium mouetur, & quia reuera (quicquid sit de hoc moueri per minus) omne tempus est diuisibile, & in qualibet parte est moueri. Si igitur punctum, vel aliud indiuisibile mouetur, erit aliquod tempus minus, in quo ipsum motum est, hoc autem est impossibile, quia tempus commensuratur motui, & mobili, & sic si esset tempus minus mobili indiuisibili, esset minus indiuisibile; quod verò se commensurent mobile, & tempus, patet, nam in minori tempore, minus ipsius mobilis necesse est moueri. Si hoc igitur erit verum, indiuisibile erit minus indiuisibili, sicut tempus est minus tempore. Solummodo enim mouebitur indiuisibile aliquod, si erit possibile moueri in ipso nunc indiuisibili, nam eiusdem rationis est in ipso nunc moueri, & indiuisibile aliquod moueri. Vtrumque autem impossibile esse, probauimus.

CAPVT III.

Nullus motus, nullaque mutatio est infinita.

NVllus motus neque mutatio est infinita. Probatur. Nullum terminatum est infinitum, omnis motus, & omnis mutatio est terminata, ergo nulla est infinita. Maior est nota, nam terminari, & esse infinitum, sunt repugnantia. Probatur minor, nam omnis motus est ex quodam in quoddã, hoc est de termino ad terminum, tam inquam mutatio, quæ est in contradictione, scilicet generatio, & corruptio, quam motus in contrarijs, vt inductione patebit. Nam earum mutationum, quæ sunt affirmatio, & negatio habent ens, & non ens, vt generatio est de non ente ad ens, corruptio è contra. Eorum verò motuum, qui sunt inter contraria, à contrarijs terminis est finitas, & terminatio, qui termini sunt vltima, vel extrema quædam mutationis; quare etiam erunt cuiusque alterationis; ex contrarijs enim quibusdam est alteratio, scilicet de qualitate in qualitatem. Similiter autem sunt termini augmentationis, & diminutionis. Augmentationis quidem terminus est, qui est perfectæ magnitudinis conuenientis propriæ naturæ rei augmentabilis, hic inquam est terminus ad quem. Diminutionis verò est remotio ab hac perfecta magnitudine, seu est magnitudo imperfecta, vel potius defectus magnitudinis; de termino à quo non est aliud dicendum, nam intelligitur per oppositum termini ad quem. Tex.91. Ens, & non ens sunt termini generationis, & corruptionis.

Motus autem localis sic non erit finitus; nam non omnis est in contrarijs determinatis, solum enim motus simplices naturales, vt terræ deorsum, ignis sursum, vel qui ab istis fiunt, inter contraria determinata sunt; motus verò animalium, vel naturales quomodo hoc modo terminabuntur? aliter ergo est assignandus terminatio, loquendo, scilicet de motibus rectis, Dicimus ergo quod (sicut impossibile est, aliquid diuisum esse, vel decisum, vel transitum, (multis namque modis dicitur impossibile) quod diuidi, vel decidi, vel transiri non potuit, pariter impossibile est aliquid mutatum esse, quod fuit impossibile mutari; sed per infinitum totum aliquod est impossibile moueri, vt probatum est, ergo mutatum vltimum esse erit quoque impossibile, & consequenter motus non erit infinitus, sed terminatus. Tex.92.

Si ergo quod mouetur, in aliquod mouetur, & possibile est, quod ad ipsum, vt ad terminum moueatur, motus non erit infinitus, quia hic ad nihil terminatur: si enim poneretur infinitum spatium, pertransiri non posset. Quod igitur quidem sic non sit infinita mutatio, vel motus) sæpe vnum pro altero accipitur, non enim est multum Tex.93.

multum cura de nominibus) quin terminis finiatur, manifestum ast, & dicitur notanter quin terminis finiatur, nam datur motus infinitus in potentia, cum omne continuum hoc modo infinitum sit, tamen actualiter finitur terminis.

Tex.94. *Sed considerandum est, an contingat esse vnum motum tempore, vel duratione infinitum, ita vt sit plurium existentium mobilium (de motu namque vnius mobilis determinatum est.) Respondetur, quod fortassis nihil prohibet esse motum infinitum, non tamen vnum, sed plures, & plurium mobilium, vt si post loci mutationem alteratio sit, & post alterationem augmentum, & iterum generatio; sic enim quidem semper erit tempore motus, sed non vnus numero, imò nec specie, propter id quod ex omnino sic diuersis non potest fieri vnus eiusdem naturæ; vt autem sit vnus infinitus tempore non contingit, præter vnum, qui est motus circularis Cæli, hic namque vnus est, & infinito tempore durat; an verò sit simpliciter vnus, & quomodo, alibi videbimus.*

Finis Paraphrasis Sexti Libri Physicorum.



ANTO-

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN SEXTVM LIBRVM PHYSICORVM Aristotelis Quæstiones.

QVÆSTIO PRIMA.

Si igitur est continuum, & tangens, &c. Tex. 7.

Circa hunc textum quæritur, an continuum ex indiuisibilibus componi possit.



Arguitur primò quod sic, si etenim non componeretur ex indiuisibilibus, in quolibet continuo essent actualiter infinitæ partes; & per consequens esset actualiter infinitum, quod alibi impossibile esse probauimus: consequentia est nota, quia data quacunque parte ipsa est diuisibilis, vnde infinitas alias (quarum quælibet quantitatem aliquam haberet) includeret, & sic infinitum actu efficerent; quia ex infinitis partibus infinitum efficitur, nec dicatur, illas partes esse in potentia, quia re vera actualiter in continuo sunt, aliter partes non dicerentur, vnde quamuis actualiter non sint diuisæ, non propterea ratio partis aufertur.

Secundò. Quod ponitur in definitione quidditatiua alicuius, vel est genus, & differentia, vel partes essentialiter constituentes, sed indiuisibilia sunt in quidditatiua definitione continuorum, vt habet Arist. in 1. Post. cap. 4. tex. 9. nam lineam in primo modo per se puncta includere ait; non vt genus, & differentia (addo) quia punctum ipsum nec in quid, nec in quale de linea prædicatur, ergo vt partes, & sic habetur intentum.

Tertiò. Sphæra (vt est commune Mathematicorum proloquium) tangit planum in puncto indiuisibili; quod etiam ratione patet, quia si non in puncto tangeret, sed in plano, in ipsa sphæra esset aliquid plani, vnde perfectè sphærica non esset, sicut supponitur; consequentia est euidens, nam quod æquatur plano, planum est, & quod planum includit, circulationem perfectam excludit; tangit igitur in puncto, moueatur itaque, proculdubio describet lineam, quod ad sensum patet; ergo illa linea ex punctis constabit; quia semper eodem modo in puncto tanget, & sic continuum ex indiuisibili erit.

Quartò. De tempore non habemus, nisi nunc, ergo quod succedit semper est nunc, & sic ex ipsis componitur; consequentia est clara, quia accipere possumus quęcunque ipsi succedunt.

Quintò. Si omne continuum esset in infinitum diuisibile, vnumquodque alteri esset ęquale, vt cęlū grano milij, quod ridiculum est; consequentia probatur, nam in omnibus essent æqualiter partes infinitæ; totum autem magnitudinem partium sequitur.

Sextò. Vel inter omnia puncta lineæ aliquid mediat, vel non: si nihil ergo tota linea ex punctis constat; si aliquid, hoc non est, nisi linea; at in qualibet linea sunt puncta, ergo omnia puncta accepta non sunt; ponantur autem accipi saltem per intellectum.

Septimò. In quolibet terminato assignari potest prima, & vltima pars; sed omne continuum est actualiter terminatum; ergo habet primam partem, & sic ex infinitis non constat; nam sicut à prima est inceptio, sic ad ipsam est resolutio, quod pariter de vltima dici potest.

Octauò. Si omne continuum ex infinitis constaret nullus daretur motus, quia infinitum non potest pertransiri; nec dicatur, hoc esse verum de infinito in actu, quia in quocunque infinito partes omnes commensurantur mobili, vnde quomodocunque sit, infinitæ pertranseundæ erunt.

Nonò. Detetur qualitas infinitè intensa, quod est falsum; probatur consequentia, acquiratur qualitas continuè per aliquod tempus, tunc in qualibet parte temporis aliqua pars qualitatis acquiri debet, aliter acquisitio non esset continua: sed partes ex supposito sunt infinitę; ergo sūt infinitæ quoque partes qualitatis, quę infinitam intensionem efficiunt. Multa alia difficillima quidem argumenta contra hanc difficillimam materiam formari possunt, quæ breuitatis gratia omittantur.

Tota istius quæstionis difficultas in aduertanti ū argumētorum solutione consistit, vt tamen ordinatim procedamus, prius aliqua adnotabimus, deinde conclusionem, ac tandem solutionem prædictorum argumentorum habebimus.

Sit igitur primò notandum, quod compositio continui, quamuis sit suo modo essentialis, prout partes continuæ ad essentiam totius pertinent; tamen ad differentiam materiæ, & formæ, necnon generis, & differentiæ dicitur ex integralibus, quia seipsis integrant, & dant esse toti composito, sic ab alijs præfatis partibus differenter, vt ipsum totum quantum non sit, nisi ex quantitate partium, quod in alijs non accidit: forma namque, & materia non quantæ efficiunt aliquid quantitate præditum: aliud est discrimen, quod partes ipsæ integrantes, cum

cum quælibet propriam habeat quantitatem, etiam partialiter proprium locum, licet non seiunctim occupant; vnde plures partes maiorem locum exposcunt, quòd de alijs dici non potest: materia etenim, & forma, genus, & differentia, subiectum, & accidens (seclusa quantitate) ac quodlibet aliud compositum, eundem cum partibus locum occupat.

Secundò notandum, quod compositio, & diuisio continui ex partibus, & in partes infinitas, est per partes proportionales, potentiales, & communicãtes, vt in 3. Physicorum, & alibi expresse docet Philosophus; quare quidam hoc negantes nesciunt quid dicant; & dum aiunt, quod etiam hoc modo infinitum consumeretur, hoc est probandum; præterquam quod aliquis ordo diuisionis assignandus est, nec alter est aptior, vel doctrinæ Peripateticæ conformior; quid autem sint partes proportionales communicantes, vel alio modo, in 3. Phys. tractatu de infinito, dictum est.

Tertiò notandum, quod diuisio hæc non realiter (vt puta gladio, vel serra) efficienda est, quia tunc totum corrumperetur; dum etenim ad aliquam paruam particulam peruentum fuerit, & vi instrumenti secantis, & contrarietatum circumstantium, supposita debilitate virtutis in resistendo, fortè amplius diuidi nequit, & vel non semper; fiat itaque per intellectum sic videlicet, quod quælibet pars considerata diuisibilis vera intellectione existimetur, & dum per dimidia, vel proportionales partes id efficitur, non omnes simul accipiantur, sed vna post aliam.

Quartò notandum, quod diuisibilitas continui est eadem cum acceptione infiniti, & quoad successionem, & quoad actum; primò namque modo semper accipiuntur partes communicantes; secundò verò non reducuntur ad actum completum, sed incompletum; quapropter dum in continuo partes in potentia infinitæ dicuntur, credendum non est, quod re vera ibi non existant, sed sic adinuicem communicantes, & coniunctæ, vt nec actualiter separatæ, nec simul vnquam separabiles sint, sed successiuè tantum.

Quintò notandum, quod Arist. in tractatu de lineis insecabilibus habet, esse proprium rudis, & imbecillis ingenij, dimittere opinionem euidentissimis rationibus comprobatam, eo quod aliqua argumenta contra ipsam solui non possint, ex quibus verbis infertur, quod quamuis omnia præhabita, & cætera huiusmodi argumenta, non adæquatè propter maximam ipsorum difficultatem soluerentur, non est nostra, vel Aristotelica positio (quæ validioribus fundamentis innititur) deserenda; neque hoc imperfectioni scientiæ, sed intellectus imbecillitati, qui à fallacibus obiectis, & sensibus cognitionem haurit, tribuendum est. Nunc ad conclusionem perueniamus.

Conclusio.

OMne continuum (tam videlicet permanens, quam successiuum) ex semper diuisibilibus componitur, probatur; quia quantum non potest integratiuè ex non quantis constitui, sed omne continuum est quantum, ergo. Vel sic; non quantum & indiuisibile non potest alteri tribuere quantitatem continuam; nam indiuisibile additum alteri non facit ipsum maius, in ratione continui, quod dicitur propter numerum, qui maior ex indiuisibilibus appositis vnitatibus efficitur. Præterea si continuum ex indiuisibilibus cõstaret, mobile velocissimum eodem tempore moueretur cum tardissimo, vel essent æquè velocia, quod absurdissimum est. Probatur consequentia sic. Detur spatiũ per quod vtrumq; mobile moueatur, quod ex decem indiuisibilibus constet, & ambo simul moueri incipiant; tunc dũ mobile velocius transit vnũ indiuisibile tardius, idẽ similiter transit, & sic dum velocius aliud transit, & tardius quoque vsq; ad finẽ, nam indiuisibile non potest prius, vel posterius trãsiri, quia sic esset diuisibile, priori, & posteriori transitui, & tempore respondens, vnde æquè velociter mouebuntur, vt illatum fuit. Amplius, si indiuisibilia continuum constituerent, necessariò se tangerent, vt docet Philosophus, aut ergo se tangerent secundum se tota, aut secundum partem; si primo modo non efficerent maius, quia totum totum tangens penitus ei adæquatur absque extensione, vt possumus imaginari dum vitrum à lumine penetratur cogitando lumen esse corpus, quod tamen non est, sed hoc pacto sine aliqua extensione, vel maiori occupatione loci penetratio adæquata intelligenda est, aut pars tangit partẽ, sed hoc supponit si indiuisibile esset diuisibile. Hęc autem est ratio Aristotcles in textu. Item sequeretur, quod indiuisibile esset diuisibile, probatur; accipiatur linea, quæ ex nouem punctis constet, diuidatur in partes æquales, cum omne continuum sit diuisibile; tunc indiuisibile diuideretur, quia hinc inde essent quatuor puncta, & dimidium; ergo. Denique Diameter esset æqualis lateri, quod est contra omnem veritatem, & experientiam. Probatur consequentia, trahantur sic lineæ inter latera, vt totum quadratum repleant, patet, quod omnes per diametrum transibunt, & sic tot punctis vnaquæque constabit, quot diameter; nam omnes extremitates lineæ ad latera terminabuntur, & sic tot ibi designabunt puncta, quot per diametrum transierunt, & sic æqualitas patet.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur, ibi esse infinitas partes actualiter quidem existentes, sed sic adinuicem communicantes, & in minimum secundum proportionem abeuntes, vt actuale infinitũ constituere nequeant. Vel dicatur, infinitum actu non constitui nisi à partibus determinatis.

Ad secundum respondetur, quod in quidditatiua definitione alicuius non solum partes ponuntur, sed alia essentialiter requisita, maximè in rebus continuis, in quibus indiuisibilia profectò sunt de essentia, licet non sicut partes, quod si paradoxicum videtur, considerandum est, quod sicut naturæ, & res sunt diuersæ, ita diuersimodè ipsorum essentia constituitur, sicut in eisdem continuis alia de causa est notum, in quibus vna species ad essentiam alterius necessariò attinet, vt linea ad superficiem, hæc autem ad corpus.

Ad tertium, ego prædictam propositionem, vt veram non admitterem, quod etiam est de mente Philosophi in Metaphysicis, & si id Mathematici asserant, aliquem finem prætendunt, sicut dum lineam aliquam pedalem, vel infinitam supponunt. Quod autem non sit vera, patet, nam eadem ratione sphæra ex indiuisibilibus constaret, potest enim in gyrum verti, & sic cum semper punctum tangat, ex punctis constaret. Sed ad rationem dicitur, quod & si aliqua pars plani sibi respondeat, eam tamen in ordine ad vniuersam circuli rationem non admittit, vt quamuis terra esset perfectè sphærica, aliqua in ea esset planities quoad nos, licet non in comparatione ad ipsam totam; imò si hoc non esset aliud magis absurdum sequeretur, puta, quod in puncto esset aliqua circulatio, & sic ipsum diuisibile esset; quod autem ibi esset circulatio, notũ est, quoniam ideò plano non dicitur adęquari, vt in circulum aptetur. Amplius, omnis talis circulatio esset indiuisibilis, quia à puncto inciperet, & sibi eadem ratione alter punctus succederet.

Ad quartum respondemus; de tempore nos non habere, nisi nunc, vt aliquo vel suo modo existens, sed sibi semper tempus succedit.

Ad quintum negatur consequentia, quoniam quamuis in vnoquoque sint infinitæ partes proportionales, tamen circa has non attenditur æqualitas, sed circa quantitatiuas, vel (hoc loco) æquales duntaxat.

Ad

Ad sextum dicitur, quod omnibus punctis acceptis impossibile est remanere, vel imaginari lineam, cum ab ipsis continuetur.

Ad septimum, si de partibus proportionalibus loquamur, negatur maior, si de quantitatiuis non est ad rem.

Ad octauum negatur consequentia, quia mobile infinitas proportionales partes simul occupat.

Ad nonum pariter consequentia negatur, non enim in qualibet parte temporis quælibet pars albedinis acquiritur, sed datur quoque continuatio, & mutatum esse, sicut puncta in linea, vel Nunc in tempore.

QVÆSTIO II.

Circa primum caput illius Libri, quæritur de natura indiuisibilium, an scilicet sint entia positiua, vel non.

Arguitur primò, quod non. Si essent entia positiua possent à subiecto, vel (potius) ab eo cuius sunt termini separari, nempè punctus separari posset à linea; hæc autem à superficie, &c. sed hoc est falsum, & impossibile, ergo. Probatur consequentia, quia omne absolutum realiter distinctum potest saltem diuinitus separari ab alio, sed hæc sunt entia absoluta, nempè de genere quantitatis, & realiter distincta cum sint species diuersæ, ergo. Probatur impossibilitas; si punctum à linea separetur, vel ipsa linea erit actualiter terminata, vel non; si dicatur, quod sit, ergo sine termino, vel puncto terminata erit, quod implicat; si dicatur, quod non, maius absurdum, & paradoxum sequitur; puta, quod ipsa ex remotione puncti terminantis remanserit infinita, quia interminatum est infinitum, quare melius dicendum est, hæc indiuisibilia esse entia priuatiua.

Secundò. Si positiua essent, in aliquo terminato reperirentur actualiter infinita, vt in linea infinita puncta in superficie infinitæ lineæ, & consequenter etiam puncta, quod absurdum est, nam actum aliter infinitum dari non potest.

Tertiò. Si hæc indiuisibilia essent entia absoluta, & positiua, specie inter se differrent, hoc autem est falsum, quia duo specie differentia, vnam tertiam speciem non constituunt, vt patet de calido, & frigido, de homine, & equo, quod maximè veritatem habet, si non corrumpantur, nec effectiuè causent. Sed hæc vnam speciem constituunt, vel ad ipsam constituendam concurrunt, vt ad constituendum corpus lineæ superficies, & puncta requiruntur sine corruptione, nec effectiuè, ergo.

Quartò. Quod sine aliqua generatione, vel productione acquiritur non habet esse positiuum, quia solum generatio, vel productio ad ens positiuum terminatur; sed hæc indiuisibilia hoc modo producuntur, ergo. Probatur minor, nam ex simplici diuisione continui causantur.

Quintò. Si essent entia positiua non posset saluari quin continuum ex indiuisibilibus constaret, quod inconueniens est, vt in præcedenti quæstione probauimus. Probatur consequentia; nam facta diuisione lineæ, punctum in quo facta fuit profectò destructum est, & duo alia puncta terminantia partes lineæ, diuisæ remanserunt; ergo illa duo contigua erant, cum tertio destructo, vnde lineam constituebant pro illa parte, & sic de alijs dici potest; si sint entia priuatiua, nullum absurdum sequitur.

Sextò. Aristot. 3. de anima tex. 25. habet hæc verba; punctum autem, & omnis diuisio sic, & indiuisibile monstratur sicut priuatio; ergo positiua non sunt.

Pro intelligentia notandum est, quod indiuisibilium quædam sunt de genere substantiæ, vt substantiæ ipsæ incorporeæ, puta Angeli, & animæ rationales separatæ; quædam sunt de genere quantitatis, vel continuæ, vel discretæ; si continuæ, vel quantitatis permanentis, vel successiuæ; de genere quantitatis permanentis aliqua sunt simpliciter indiuisibilia, puta quæ nullam partem habent, vt puncta; definitur namque ab Euclide punctum hoc modo. Punctum est cuius pars non est; quædam indiuisibilia sunt secundum quid, & sic est linea, & superficies; linea namque est indiuisibilis secundum latitudinem, & profunditatem, superficies secundum profunditatem tantum. In genere quantitatis discretæ, sunt vnitates, quæ numerum constituunt, ac simpliciter indiuisibiles sunt; at in genere quantitatis successiuæ sunt etiam omni ex parte indiuisibilia, puta in motu mutatum esse, & in tempore Nunc, quod instans, & momentum quoque appellatur: instans propter instabilitatem; momentum, prout ad instantaneum motum mensurandum ordinem habet; sic itaque vniuersaliter loquendo, simpliciter indiuisibilia sunt, punctus, vnitas, Nunc, & mutatum esse. Secundum quid verò, sunt linea, & superficies; Sed animaduertendum est, quod hęc per se indiuisibilia sunt, sicut per se sunt termini quātitatis; tamen alia quædam possunt esse indiuisibilia per accidens sicut quamplurima sunt quanta per accidens; vnde imaginor, quod sicut albedo, vel alia qualitas dicitur quanta per accidens, scilicet ratione superficiei in qua fundatur, ita quoque credendum est, quod sibi respondeant puncta, & lineæ eiusdem superficiei, quibus per accidens continuetur, & termineutr, nec rationabile est, dari aliquid nec diuisibile, nec indiuisibile, in quo ipsa albedo secundum superficiem non sit; idem dicatur de quolibet accidente quod quantum per accidens dicitur. Nunc quæstionem resoluamus.

Conclusiones.

Indiuisibile est entitas positiua. Probatur, species generis realis est necessariò ens reale, & positiuum; sed numerus est species quantitatis, ergo est ens reale positiuum; ergo pariter vnitates, quæ ipsum constituunt reales, & positiuæ sunt, quia negatiuum, priuatiuum, vel ens rationis aliquid reale non constituunt; cum itaque vnitates ipsæ sint indiuisibiles habetur intentum. Amplius receptiuum entis realis positiui debet esse positiuum; sed superficies, quæ secundum profunditatem est indiuisibilis, est quoque receptiua entis realis positiui, puta qualitatis, & aliorum, ergo. Præterea, quod est vnio aliquorum non potest esse nihil, quia sic non haberet rationem vnionis, sed indiuisibilia sunt vniones, vel (melius) rationes vniendi continua, ergo sunt aliquid, amplius de nunc dicitur, quod existat, quod si esset ens, sed priuatiuum, vel non positiuum existere non posset, ergo. Item puncta habent positionem in continuo, vt habetur in 1. de Anima tex. 70. ergo sunt entia positiua.

Secunda. Indiuisibilia quantitatis continuæ non sunt ab ipsa quantitate realiter, sed solum formaliter distincta, diximus notanter quantitatis continuæ, quia de indiuisibilibus discretæ, quemadmodum sunt vnitates, secus dicendum est. Quod autem ita se habeat, probatur: quia omne absolutum realiter distinctum, potest vel separari, vel corrumpi ab alio à quo distinguitur, sine corruptione illius, vt habetur ex definitione realis distinctionis, sed nullum prædictorum indiuisibilium sic se habere potest, ergo. Probatur minor; nam destructa superficie, vel puncto, aut alio, vel tale continuum remanet terminatum, vel non; si dicatur, quod non, est absurdum, & non intelligibile, nec dicendum est cum aliquibus philosophastris, remanere terminatum priuatiuè, quia idem est, ac si diceremus, videns videt sine visu, nihil aliud namque est priuatiuè terminari, nisi carere termino; dicamus itaque re vera terminatum rema-

remanere, ergo per terminum, ergo non ablatus fuit, nec auferri potuit; quia sic terminus esset contiguus termino, puta ablatus, huic qui remanet, sed fatendum est, quod cum termino ipso ablatum fuit immediatum subiectum, vel aliqua pars quantitatis ab ipso terminata, nec aliter auferri potest, hoc autem identitatem realem indicat, & sic in destructione puncti, quæ fit in diuisione lineæ, aliquid lineæ (& sic interdum insensibiliter) aufertur. Quod vero formaliter distinguantur, patet ex ipsorum diuersis conceptibus, vel definitionibus. Sed hic insurgit difficultas, nam duæ species realiter ad inuicem distinguuntur, sed superficies, & linea sunt duæ species quantitatis, ergo distinguuntur realiter, & sic linea non habebit rationem termini respectu superficiei. Respondetur; quod re vera hæ non sunt species diuersæ cōpletæ, sed potius passiones, & termini eiusdem corporis; quod si ab Aristot. species quandoque dicantur, nihil aliud denotare vult, nisi in sua ratione formali (quasi essent diuersæ species) non concurrere; vt risibilitas, & flebilitas. Quod vero non sint propriè species, probatur, quia in quocunque genere species specialissimæ sic se habent, quod vna non sit, nec esse possit pars alterius, hæ autem (si species sunt) specialissimæ in comparatione ad se ipsas erunt; quia vna de alia non prædicatur; vt de subalternis accidit, ergo. Quod si alibi eas species vocaui, hoc feci sequendo communem vsum, sed nunc est locus determinationis. Hæ autem duæ conclusiones intelligendæ sunt de indiuisibilibus tam continuantibus, quam terminantibus continuum.

Ad Argumenta.

AD primum patet; sunt enim passiones, vel termini ideo separari non possunt.

Ad secundum respondetur; hæc infinita coniuncta potentialia, & quæ nullam dicunt magnitudinem, nullum inconueniens inducere, si in aliquo continuo terminato existant: dicuntur autem potentialia, prout actualem situm, vel separationem non habent; non autem quod in continuo non sint, sed tātummodo esse possint.

Ad tertium patet, quod non differunt specie completa, sed vt diuersi termini, vel passiones; nec est necessarium, quod omnia entia absoluta positiua specie differant, vt notum est de partibus respectu totius.

Ad quartum negatur minor; producuntur namque, saltem comproducuntur (quod sufficit) ad productionem illorum, quorum sunt termini, & in diuisione non simpliciter acquirunt esse, sed ex eo quod erant continuantia fiunt terminantia; atque semper in diuisione cum destructione puncti, aliqua lineæ pars perit, vt dictum est.

Ad quintum patet per idem, nam lineæ pars destruitur, & sic punctum non est contiguum puncto.

Ad sextum dicitur, mentem Aristot. illic esse, quod sicut priuatio solum in ordine ad habitum cognoscitur, sic punctum in ordine ad id cuius est terminus, namquandam rationem relationis, puta terminantis ad terminatum includit, sicut priuatio suo modo respectu habitus.

QVÆSTIO III.

Quod autem nihil in ipso Nunc mouetur, ex his manifestum est. Tex. 29.

An aliquid moueri possit in instanti.

Primum argum. VIdetur quod sic, nam illuminatio, & multi alij motus, & mutationes in instanti fieri possunt; vt est communiter in vniuersa philosophia concessum.

Secundum. Præterea. Mouens alicuius virtutis mouet in tanto tempore, ergo maioris virtutis in minori, ergo denique virtutis infinitæ in instanti; & sic saltem à Deo instantaneus motus fieri potest.

Tertium. Tertiò. Aliquid in natura non statim producitur, vel propter impedimentum, vel propter debilitatem agentis, ergo vbi hæc non adsint statim effectus producetur; quare nulla est repugnantia, vt hoc quoque de motu asserere possimus.

Pro intelligentia sciendum est, quod præsens quæstio solum de motu locali dubitationem habet; de alijs namque alibi dictum est, quod nullam inuoluant repugnantiam, maximè si mouens, & mobile debitè sint approximata, & disposita; de motu itaque locali negatiuè respondendum est; ratio est, quoniam contradictoria verificarentur de eodem, scilicet, quod idem esset, & non esset in aliquo termino, esset scilicet in termino à quo mouetur, & tamen in eodem instanti in eodem esset, cum vnicum instans ponatur. Amplius omnis motus localis potest esse velocior, & tardior; sed velocior, minus tempus requirit, tardior maius; ergo instans diuideretur secundum maius, & minus, vnde indiuisibile esset diuisibile. Conclusio (quia ibi mutatum esse nō esset, quia à termino à quo mouetur — see text)

Ad Argumenta.

AD primum respondetur, quod prædicti non sunt motus locales, de quibus solum est verum, quod diximus.

Ad secundum negatur vltima consequentia, quia est implicatio, vt in instanti fiat motus; ideò neque à Deo suppleri potest.

Ad tertium respondetur, semper in motu locali esse impedimentum, puta distantiam terminorum.

QVÆSTIO IV.

Quod autem mutatur omne diuisibile est. Tex. 32.

Vtrum indiuisibile moueri possit.

PRiusquam argumēta de more ponamus, distinguendum est de indiuisibili, & de motu; dicimus itaque (vt supra) duplex esse indiuisibile, scilicet in genere substantiæ, vt Angeli, & animæ separatæ, & in genere quantitatis, quod quidem, vel est simpliciter indiuisibile, vt vnitas, & punctum, vel secundum quid, vt linea, & superficies. De motu etiam dicimus, vel (potius) quod alibi sæpe dictum est repetimus; aliud esse per se, aliud per accidens; mobile per se, quod secundum se totum mouetur; per accidens, quod mouetur ad motum alterius, vt accidentia, vel partes ad motum subiecti, vel totius, quibus suppositis per aliquas conclusiones quæstionem resoluamus.

Conclusiones.

PRima. Indiuisibilia in genere substantiæ per se moueri possunt. Probatur, quod est perfectionis in entibus finitis à nobilioribus negandum non est, alioquin essent ignobiliora, & imperfectiora, sed esse mobile est perfectionis in rebus finitis, ergo ab immaterialibus non est auferendum; diximus notanter in rebus finitis, quia secus de infinito, nempè de Deo, dicendum est. Probatur minor; acquisitio entis positiui est acquisitio alicuius perfectionis, sed per motum localem substantiæ prædictæ ens positiuum (scilicet locum, vel vbi) acquirunt ergo. Deus autem est vbique, ideo aliud vbi acquirere nequit.

nequit, hæc autē conclusio intelligenda est de motu locali. Sed quid de alijs motibus? Respondetur, secundum alios esse penitus immobiles excepto motu alterationis; patet, quia sunt ingenerabiles, incorruptibiles, inaugmentabiles, & indiminuibiles; siquidem omnes hæ mutationes materiam, & corpus supponunt, vt exactius videbimus in primo de Cęlo, quoad motum alterationis, dicendum est, alteratione perfectiua, alterabiles esse, corruptiua nequaquam; prima pars est euidens; nam scientiam, & diuersas intellectiones suscipere possunt; hoc autem est perfectiuè alterari; secunda quoque est euidens, quoniam quod incorruptibile est ad corruptionem disponi non potest; sic autem tales separatæ substantiæ se habent, ergo. Cùm igitur per se moueri possint, etiam quod per accidens moueatur non eis repugnat; patet, quia si cum alio, quod mouetur vniantur, poterunt ad illius motum cieri, vt nauta in naui, hoc autem est moueri per accidens; vnde diceremus omnia entia, quæ per se moueri possunt præter orbes cęlestes, etiam per accidens esse mobilia, saltem secundum aliquas sui partes, vt discurrenti per se manifestum erit, excludo autem cęlos, quia cum alteris sic iungi nequeunt, nisi dicamus moueri per accidens à superiori orbe, sed hoc est potius moueri per alterum. Quod verò per accidens mobile est, non omnes per se moueri potest, vt de multis, & fortè omnibus accidentibus (naturaliter loquendo) notum est.

Secunda. Omnia indiuisibilia de genere quantitatis sunt per accidens mobilia motu locali, hæc est expressa sententia Aristot. in hoc libro tex. 86. motu namque subiecto, quæcunque in ipso subijciuntur, moueri necesse est; alijs verò motibus, secus dicendum est; nam quoad generationem, & corruptionem non mouentur, cum hę sint mutationes solum ad substantiam, etsi suo modo incipiant, & desinant esse, quæ est generatio, & corruptio secundum quid; pariter, augeri, diminui, & alterari, est proprium subiectorum; etsi accidentia aliqualiter, has easdem mutationes patiantur; vnde proportionaliter loquendo, etiam secundum alios motus per accidens moueri possunt.

Tertia. Indiuisibilia secundum quid, vt linea, & superficies, si separata essent à subiecto, per se moueri possent; probatur, nam in ipsis saluatur ratio sufficiens diuisibilitatis, & possunt esse partim in termino à quo, partim in termino ad quem, quod quidem satis est ad motum.

Quarta. Penitus indiuisibilia de genere quantitatis, vt vnitates, & puncta per se nullatenus moueri possunt; patet ex sententia Aristotelis, quia omne, quod mouetur, partim est in termino à quo, partim in termino ad quem; sed indiuisibile non habet partes & partes, ergo. Respondent tamen aliqui duplicem esse diuisibilitatem, scilicet spatij & mobilis; primam necessariam esse dicunt, alteram verò nequaquam; sed hæc responsio (pace ipsorum, quos alias vbi veritas, quæ cunctis præponenda est, viguit sequutus sum) est contra Aristot. & veritatem, contra ipsum, quoniam expresſè de diuisibilitate mobilis (vt est videre in textu) loquitur. Contra veritatem, quia impossibile est, quod mobile, vel locatum non adæquetur loco; ita vt si mobile sit quantum, & extensum, & locus similiter, ergo si id quod mouetur est indiuisibile, sibi spatium indiuisibile respondet; quare consequenter sequitur, quod spatium ipsum ex indiuisibilibus componatur; signato namque puncto in quo est aliud punctum, vel indiuisibile mobile, & hoc moueatur, statim sibi respondebit punctum, & sic semper, quæ cùm sint infinita, (præter quam quod compositio ex ipsis insinuaretur) pertransiri non possunt, nec dicatur, quod post punctum non succedat aliud punctum, sed pars continui, quia etsi secundum veritatem ita se habeat; tamen ad rem est contra ipsos, nam indiuisibile ipsum nunquam adæquaretur diuisibili huic continuo, quod est contra suppositum, vel si adæquaretur, aut ipsum indiuisibile non esset, aut spatium esset indiuisibile, & ex indiuisibilibus constans. Nec pariter dicendum est, quod puncta prædicta spatij sunt in potentia solum, ideò pertransiri possunt; nam data hypothesi, quod punctum super ipsa moueretur, quilibet punctus actualiter signaretur, & numeraretur, & sic esset infinitas suo modo actualis. At si quis iterum obijciat; si hoc esset verum, eadem quoque ratione nec indiuisibilia de genere substantiæ moueri possent, si quidem ipsis quoque punctum indiuisibile respondere debet, vnde omnia præcedentia incommoda sequerentur. Respondetur, disparem esse rationem; hæc namque spiritualia, etsi quod ad substantiam, & repletionem loci indiuisibilia sint, tamen quoad virtutem sunt diuisibilia; sic nimirum quod virtus eorum se extendere potest absque vlla loci circumscriptione, eo modo quo lumen de cęlo ad terram extenditur.

At præter prædictas instantias, sunt aliæ quoque obiectiones pro opinione opposita. *Argumenta.*

Prima, dum aliquod mobile mouetur; clarum est, quod etiam mouentur indiuisibilia ipsius, sic videlicet, quod indiuisibili puncto spatij respondent, successiuè ergo, vel huic indiuisibili respondet aliud indiuisibile, vel non; si respondet: ergo neque ipsum moueri poterit, sicut de separato dictum est, quia hoc nihil aufert de ratione; si non respondet, ergo indiuisibile est diuisibile, nam cum diuisibili commensuratur. *Primum.*

Secunda. Sphæra dum in plano mouetur sibi semper punctum respondet; aliter non esset sphęrica per totum, ergo ratione puncti fit motus. *Secundum.*

Tertia. Detur per quamcunque potentiam, vel etiam per simplex suppositum aliquod punctum separatum, quod iuxta cęlum conseruetur per aliquot dies; huic respondebit motus & tempus cęleste, ergo è conuerso pariter moueri poterit, quia nihil refert ad hoc, vt aliquid sit mobile, quod transeat, vel transeatur, dummodo non sit locus, vel spatium; nam dum transitur, transit, vt habet Philosophus in hoc libro textu 64. Hæ tamen obiectiones nostras conclusiones non inficiunt; ideò eas soluamus. *Tertium.* *Solutiones.*

Ad primam respondetur, indiuisibilia non sic adæquatè sibi mutuo respondere, vt argumentum supponit, sed cum ipsis sic continuum coniunctum est, vt simul moueatur, vnde puncta coniuncta sunt in potentia, & modo prædicto designari non possunt. *Ad primū.*

Pro secunda, respondetur: non esse verum, quod sphæra tangat in puncto, vt alibi visum est. *Ad secundum.*

Ad tertiam denique dicendum est, quod ex supposito impossibili nil mirum est, si aliud impossibile sequatur quamobrem cum punctum sit penitus inseparabile, si separatum esset, hoc & alia absurda sequerentur. At si aliquis iterum cum Arist. instet, puta, quod etiam ipse hoc supposuerit. Respondetur, quod ipse quoque ex supposito impossibilitatem inducere intendit, quare obseruandum est, quod ea supposita, quæ contradictionē non implicant, vel ad impossibile manifestum non inducunt, possunt ad reliqua probanda admitti; quæ verò modo opposito se habet, nequaquam. Vel dicatur, disparē esse rationem, quod aliquid transeat, vel trāseatur, quia dum pūctum transitur, etsi ipsi aliud punctum corporis transeuntis respondeat, tamen cum hoc partes continuæ respondent simul partibus spatij; vnde transitus fieri potest, eo quod non solum punctum illud mensuratur, sed cum hoc spatij aliqua pars, vt intuenti notum est, dum autem Aristot. dicit, ęquam esse rationem de eo, quod transitur, & de transeunte; respondetur, hoc esse verum quoad complementum, sic nimirum, quod simul complentur, non tamen quoad adæquationem. *Ad tertiū.*

QVÆSTIO V.

Quod igitur neque eius, quod mutatur, neque in quo mutatur tempore, primum quicquam sit, manifestum est. Tex. 49.

An detur prima pars, & primum mutatur esse in motu.

ARguitur primò quod sic, cuiuslibet habentis principium secundum continuationem, vel partes datur prima pars, sed omnis motus (præter celestem secundum Aristot.) habet principium hoc modo, vt patet, ergo.

Secundò. Motus commensuratur magnitudini supra quam fit; sed in ipsa assignari potest prima, & vltima pars, necnon primus, & vltimus terminus, ergo.

Tertiò. Datur vltimum mutatum esse, vt ex libro tex. 45. patet, ergo & primum, quia primum, & vltimum sunt correlatiua.

Pro intelligentia duo adnotanda sunt, alterum est, quod hic loquimur de motu secundum partes proportionales, quia secundum quantitatiuas nulli dubium est, quin prima, & vltima sibi conueniant; vt sicut in die prima, & vltima hora assignatur, sic motui sibi commensurato. Secundum notandum, quod quamuis mutatum esse se habeat in motu sicut nunc in tempore, & punctum in linea; hoc tamen non est in omnibus verum, quia punctum in linea, semper dicitur punctum, tam in principio, quam in medio, & fine, pariter dicatur de nunc in tempore; sed mutatum esse, non dicitur, nisi post inceptum motum, & deinde semper, quod patet ex vi vocabuli. Sed si quæratur, quid itaque est primum indiuisibile motus? Respondetur, instans. Quibus habitis ponitur Conclusio. Non datur prima pars, nec primum mutatum esse in motu; patet, nam est diuisibilis in infinitum, ergo quacunque assignata minor assignabilis est, quemadmodum de magnitudine diximus, sic pari ratione non datur vltima pars. Conclusio.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, maiorem esse veram de parte quantitatiua, non de proportionali.

Ad secundum respondetur eodem modo.

Ad tertium negatur consequentia; sufficit enim, quod vltimo respondeat primum instans, non autem mutatum est.

Finis Sexti Libri Physicorum.



ANTO-

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN SEPTIMVM LIBRVM PHYSICORVM Aristotelis Paraphrasis.

S V M M Æ L I B R I.

In hoc libro agitur de motu in ordine ad motorem, ideo dirigitur ad octauum, quasi præambulum; diuiditur ergo in quatuor summas.

In prima declaratur, omne quod mouetur moueri ab alio.

In secunda probatur, quod omnia mota in loco reducuntur ad vnum primum, quod mouetur, vnde non est processus in infinitum in mouentibus, & motis.

In tertia ostenditur mouens esse simul cum re mota; & alterationem non esse nisi in tertia specie qualitatis.

In quarta denique agitur de proportione motuum adinuicem, in velocitate, & tarditate.

Summæ primæ, Caput Vnicum.

Tex. 1

Omne, quod mouetur ab alio mouetur.



Mne quod mouetur, necesse est ab alio moueri. Si enim in se ipso non habeat internum principium motus, manifestum est quod ab alio mouetur, vt in iis, quæ violenter mouentur patet; si etenim lapis sursum proijciatur, proculdubio ab externo motore proijci, omnes cognoscent, sed de eo quod non sic mouetur, est maior difficultas. Ideò hoc idem de huiusmodi mobili probemus hoc modo; sit igitur mobile, quod non extra se, sed in seipso habeat principium motus. Accipiatur igitur id quod mouetur, & sit A B, quod mouetur (dico) secundum se totum, & non ex eo, quia aliqua partium huius mouetur, seu non moueatur secundum partem, vt homo dicitur moueri, quia manus eius mouetur; sed totus homo v. g. moueatur. Primum igitur dicamus, quod opinari ipsum mobile A B à se ipso moueri, propterea quod totum mouetur, & non mouetur ab aliquo externo, est imaginatio crassa, & simile hoc est, ac si quis imaginetur aliquid moueri à se ipso, etsi vna pars moueat aliam, ex eo, quod non cognoscit, quæ pars sit mouens, quæ vero mota; vt sit pars mouens DE pars vero mota sit EF, quibus constet totum mobile D E F, & quia aliquis non intuetur vtrum ab vtro moueatur, vtrum D E, ab E F, an è conuerso, ideo habeat prædictam imaginationem decipitur.

Tex. 2 *Amplius id quod à se ipso mouetur nunquam cessabit moueri, propterea, quod aliquid aliud, quod mouebatur quieuit, vel stetit. Hoc est manifestum, nam si à se ipso mouetur, non dependet in mouendo ab alio, & sic siue aliud quiescat siue non, nihil ad motum eius attinet, è conuerso autem, necesse est, quod si quid desinat moueri, eo quod aliquid aliud quieuit, hoc ab alio moueatur; non enim quiesceret ad quietem illius, nisi motus eius à tali quiescente dependeret, vt aliquis non diceret Socratem necessariò quiescere, quiescente Platone. Sed bene quiescente naui, diceret res in naui existentes quiescere, ratio est, quia motus Socratis non dependet à motu Platonis, sed motus rerum in naui existentium, à motu nauis, seu à nauigatione dependent, clarum est igitur id quod necessariò quiescit ad quietem alterius, recipere motum ab illo, & per consequens ab alio moueri. Hoc autem cum sit manifestum, necesse est omne quod mouetur, ab alio moueri, quia quicquid mouetur quiescit ad quietem alterius.* Omne, quod mouetur quod ab alio moueatur probatur.

Quod sic probatur. Accipiamus aliquod mobile, & sit A B, quod etiam prius acceptum est moueri. Hoc autem diuisibile erit: nam omne quod mouetur diuisibile est; diuidatur igitur in puncto C, per duas partes, quæ sint B C, & A C; necesse est igitur vna parte quiescente videlicet B C, & ipsum totum A B, quiescere, si enim non quiescat; accipiatur quod moueatur altera eius pars scilicet A C, quiescente parte prædicta B C, ergo ipsum mobile A B, nō per se mouetur, sed supponebatur per se moueri primum, seu secundum se totum; manifestum est igitur, quod vna parte quiescente, totum quiescere dicitur, nam si alia pars moueatur, dicitur moueri secundum partem, de quo motu non est nunc sermo; quare si quid stat, ex eo quia aliquid quiescit, hoc ab alio mouetur, & sic manifestum est quod omne quod mouetur ab alio mouetur, nam omne

Omne quod mouetur est diuisibile.

quod mouetur est diuisibile, & parte quiescente, quiescit totum, mouetur ergo à partibus saltem. Potest sic reduci syllogismus. Omne quod quiescit ad quietem alterius, ab alio mouetur. Omne mobile quiescit ad quietem alterius; ergo omne mobile ab alio mouetur.

SVMMA SECVNDA

CAPVT VNICVM.

Omnia mota in loco reducuntur ad vnum quod mouetur; non tamen est processus in infinitum.

Tex 3. In mouentibus non est processus in infinitum, sed standum est in causa prima immobili.

QVoniam autem omne quod mouetur, ab aliquo mouetur, necesse est, & omne quod mouetur in loco moueri ab alio; & similiter id quod mouet ex eo, quod etiam mouetur, ab alio moueri debet, & rursus hoc ab altero, non tamen in infinitum abibit, sed stabit alicubi, & erit aliquid immobile, quod primo causa erit motus.

Tex 4 Probatur, quod standum sit in vna causa immobili.

Si enim non stabitur in aliquo, sed in infinitum procedatur, sequitur quod motus infinitus erit tempore finito, quod absurdum est, & pluries reprobatum; probatur consequẽtia, nempè quod esset motus infinitus tempore finito. Sit A quidem mobile, quod ab ipso B moueatur, B vero ab ipso C, C autem ab ipso D, atque hoc igitur modo in infinitum procedat. Supponamus autem sicut verum est, quod simul motum cum motore mouetur, (dato quod omne mouens in mouendo moueatur, vt debet concedi si in infinitum proceditur,) manifestum est quod simul mouebitur A & B, nam cum mouetur B, mouetur A, & cum mouetur B, mouetur C, & sic de alijs, erit igitur simul motus ipsius A & ipsius B, & reliquorum cuiusque, & vnumquodque ipsorum mobilium cum suo motu accipere poterimus, seu per intellectum successiuè designare; etenim si vnumquodque ab vnoquoque mouetur, motus tamen vniuscuiusque erit vnus numero, & terminos proprios habebit, non autem habebit extrema, seu terminos infinitè distantes, quoniam omne quod mouetur ex quodam in quoddam mouetur vt in 6. probatum est.

Tex. 5.

Aut enim accidit vnum numero esse motum, aut vnum genere, vel specie. Vnus numero motus est, qui ex eodem, ad eundem terminum numero est, & in eodem tempore numero, & mobilis eiusdem, vt ex hoc albo quod est vnum numero in hoc nigrum, & in hoc tempore vno numero; si enim fiat secundum aliud tempus, non vnus numero, sed specie motus erit. Genere verò idem motus est, qui in eodem prædicamento substantia, vel alterius generis est. Specie autem qui est ex eodem specie, in idem specie, vt ex albo in nigrum, aut ex bono in malum, hæc autem dicta sunt in prioribus scilicet in quinto; modo tamen ea iteramus ad propositum; nam quomodocunque sumatur motus vnus cuiuscunque mobilium infinitorum, hoc erit in ipso accipere, quod est ex quodam in quoddam, siue ex termino ad terminum.

Motus quo tupliciter sint idem.

Motus idẽ numero, specie, & genere.

Tex. 6

Accipiatur igitur motus ipsius A, vel mobilis, quod ab alio, & alio suppositum est moueri, in infinitum, qui motus designetur, & sit E, deinde accipiatur motus ipsius B mouentis A, & sit ipse motus F, postea, accipiatur motus ipsius C, & D, & sit G H, & sic de alijs. Designetur etiam tempus in quo vltimum motum mouetur scilicet in quo mouetur A, & hoc tempus sit K. tunc sicut motus ipsius A est determinatus, sic quoque tempus eius erit determinatum, & non infinitum, nam motus, & tempus, mutuò sibi correspondent. At ex suppositis in eodem tempore mouebatur A, B, & reliquorum vnumquodque; vnde motus E F G H, qui est omnium simul, erit infinitus, nam constat ex infinitis motibus secundum numerum, tempus verò in quo fit est finitum, ex suppositis, quarè motus infinitus erit tempore finito, nam (vt diximus) in quo tempore A mouebatur, & quæ post A consequenter sunt, omnia mouebuntur infinita existentia, quare in eodem tempore mouentur. Etenim siue motus ipsius A sit æqualis motui ipsius B, aut maior, vel minor; nihil refert, prorsus enim infinito motu, in tempore finito accidit mobile moueri, hoc autem impossibile est.

Sic igitur videbitur demonstratum id quod à principio diximus; videlicet, quod si in mouentibus, & motis procedatur in infinitum, sequeretur, motum infinitum fieri tempore finito, non tamen demonstratum est nisi apparenter; propterea quod nullum inconueniens accidit; nam contingit in tempore finito, esse motum infinitum non dico vnum numero, sed alterum, & alterum si multa, vel infinita mobilia moueantur, vt si essent infiniti homines, possent omnes simul eadem hora mouri absque vlla repugnantia, quod quidem accidit, & in ijs, quæ nunc dicta sunt, vnde non sequitur absurdum, quod dicebamus, etiam si procedatur in infinitum in mouentibus, & motis, nam non erit vnus motus, sed infiniti. Text. 7.

Obiectio contra prædictam rationem.

Sed adhuc ratio prædicta est in suo robore; Nam si id quod primò mouetur secundum locum, & corporali motu, necesse est vt tangat, aut continuum sit ipsi mouenti, vt in omnibus hoc accidere videmus, exemplum in ijs, quæ tangunt, homo mouens baculum; exemplum in his, quæ sunt continua, in animali vnum membrum alterum mouet, quomodocunque tamen sit, ex eo quia continua, & tangentia se inuicem sunt, possunt fieri vnum continuum, nam ratione saltem magnitudinis, eis non repugnat. Hoc igitur quod possibile est accipiatur, & sic magnitudo quidem, aut continuum hoc mobile, quod idem est ABCD, motus autem huius sit EFGH, nihil tamen refert, si accipiantur finita, vel infinita mobilia, quo ad hoc exẽplum, nam eodem tempore mouebuntur finita, & infinita, supposito, quod simul moueatur mobile, & mouens, quapropter habemus primum intentum, nempè quod in tempore determinato K, erit motus infinitus, & finitorum, & infinitorum mobilium simul, horũ autem vtrunque impossibile est, scilicet quod sit motus infinitus, vel contiguorum, vel continuorum. Ratio hæc in motu locali non habet instantiam, quia illa corpora mouentia, & mobilia, non possunt esse in eodem loco, sed vnumquodque propriam partem spatij transire debet, vnde necessariò, data contiguatione, vel continuatione, cum simultate temporis, in quo mobile, & mouens moueantur, sequitur propositũ, quod scilicet motus infinitus esset tẽpore finito. Text. 8.

Nota.

Manifestum est igitur quod stabit aliquando processus in motis, & mouentibus, & non in infinitum abibita, ita vt vnumquodque mobile semper ab alio moto moueatur, sed erit aliquid quod primum mouebitur; Nihil autem refert, quod probauerimus impossibile esse processum in infinitum ex aliquo supposito. Nam tale suppositum erat possibile, stante positione aduersariorum, si enim sunt infinita continua, mouentia, & mobilia, possibile est poni, quod continuentur. Sed eo quod possibile est, posito, nullum inconueniens oportebat accidere. Id autem quod primum mouet, non in ratione finis, sed in ratione causæ efficientis, Tex. 9.

Dato possibili nullum incõueniẽs sequitur.

ficientis, simul cum eo est quod mouetur; simul, autem dico, quia nihil inter ipsa est, hoc enim quod sint simul commune est in omni quod mouetur, & quod mouet.

SVMMA TERTIA.

CAPVT I.

Primum mouens simul est cum eo, quod mouetur. Incipit autem propriè in textu praecedenti, ibi id autem quod primum mouet.

Tex. 10. Quoniam autem tres sunt motus, si genericè loquamur, videlicet is qui est secundum locum, & dicitur latio, & qui secundum quale, qui est alteratio, & qui secundum quantum, & est augmentatio, & diminutio, necesse est, ea quae mouentur esse quoque tria, loquendo de motibus, & mobilibus propriè dictis, non autem de mutatione. Primum igitur de latione dicamus, hac enim primus motuum est; vt exactè manifestabimus in octauo, de ipsa inquam loquendo videamus quomodo mouens sit simul cum mobili. Omne itaque quod fertur, vel localiter mouetur, aut à se ipso mouetur, aut ab alio. Si igitur mouetur à se ipso, manifestum est, quod mouens sit simul cum ipso, quod mouetur; ita vt inter ipsa nihil sit medium, vt est notum in animalibus, in quibus mouens est anima, motum vero est corpus, vel totum animal: Nunc de ijs, quae ab alio externo mouentur idem probemus. Quod autem ab alio mouetur quadrifariā mouetur, motus enim ab altero quatuor sunt, scilicet Pulsio, Tractio, Vectio, & Vertigo, etenim alios omnes ad hos reduci congruum est. Pulsio igitur diuiditur in impulsionem, & expulsionem. Impulsio igitur est, cum mouens non relinquit id quod mouetur, vt dum per hanc tabulam impello hoc atramentarium, quod solum dum impellitur mouetur, & non amplius; expulsio vero est quādo expellens relinquit id quod mouetur, vt dum lapis sursum proijcitur. Vectio autem in tribus erit motibus, hoc est requirit vnum ex tribus motibus, quos infra dicemus, nam quod vehitur non secūdum se mouetur, sed secundum accidens; eo enim mouetur, quia in eo, quod mouetur est, vt homo in naui, vel supra id quod mouetur, vt supra equum, ideo ipsa vectio alios supponit motus, & per consequens est motus per accidens. Id autem quod vehit, mouetur, aut pulsu, aut tractu, aut vertigine actum, manifestum est igitur, quod vectio erit in aliquo ex istis tribus motibus. Non tamen hoc est intelligendum de omni vehiente, nam lapis, v. g. descendens in centrum naturaliter, potest aliquid secum leue vehere, vt si in ipso esset clausus aer, &c. & tamen non mouetur aliquo istorum motuum, sed naturaliter; similiter animal vehens fortè non mouetur aliquo ex praedictis motibus, et si melius sit exemplum primum, nam fortè in motu animalium saluatur pulsio, & tractio, sed sufficiat quod non sit verum vniuersaliter, sed tantum in vehentibus, quae non simpliciter naturaliter mouentur. Tractio autem est, aut cum ad ipsum trahens, aut ad aliud aliquid trahitur, ita vt sit velocior motus trahentis, quam rei tractae, non tamen separatus à motu eius quod trahitur, etenim ad se ipsum est tractio, & ad alterum, vt dum quis trahit rete, vel ad se, vel ad socium sibi proximum, in hac tractione est velocior, seu vigorosior motus trahentis, quam tracti, nam motus tracti habet esse, & vim ab illo. Reliquae autem tractiones eiusdem speciei cum praedictis ad ipsas reducuntur, vt inspiratio, quae est attractio aeris, & expiratio, quae est eiusdem emissio, & sputatio, & quaecunque corporum excretiuae, vel receptiuae actiones sunt ad pulsionem, & tractionem reducuntur, vnde ad has etiam pertinet spathatio, quae est quaedam percussio facta gladio ad modum gyri, pariter radiatio, quae est actio textoris, horum enim aliud quidem congregatio est, aliud vero disgregatio, si congregatio, est tractio, si disgregatio est pulsio. Cū autem omnis motus localis violentus sit congregatio, vel disgregatio, sequitur, quod omnis talis motus ad pulsionem, & tractionem reducuntur. Vertigo autem componitur ex tractione, & pulsione, id enim quod tali motu mouet pellit hanc partem, trahit autem illam, vt in his qui rotam aliquam in gyrum impellunt, vel vertunt. Manifestum igitur est, quod simul pellens, & trahens est, cum eo quod pellitur, & eo quod trahitur, nihil est medium inter id quod mouet, & quod mouetur, & per cōsequens simul sūt. Hoc autem manifestum est ex dictis, nā pulsio, aut à se ipso, aut ab alio ad aliud motus est; Tractio autē ab alio ad se ipsum, aut ad aliud; ad hac autem cōpulsio, & depulsio, ad pulsionem attinent. Proiectio autem est quādo velocior motus fit eo, qui est secundum naturā mobilis, vehementiori facta pulsione, & eo vsq; facta accidit ferri, quo vsque vehementior fit motus eius quod fertur. In quibus omnibus motibus, manifestum est, quod id quod mouetur, & mouens simul sunt, & nihil inter ipsa est medium.

At vero neq; inter alterans, & id quod alteratur aliquod mediū est, hoc autem manifestū erit est inductione in qualibet alteratione. In omnibus enim simul esse accidit alterans vltimū, & primum quod alteratur, res enim qualitatibus affectae ideo alterantur, quia habent qualitates sensibiles, quae à contrarijs sensibilibus qualitatibus patiuntur, vt aliquid ideo calefit, quia erat frigiditate affectū, vel aliquo medio; media. n. habent locū contrariorum, & sic qualitas sensibilis alterans, necessariò erit simul cum subiecto alterabili, & cū qualitate ipsius sensibili, quae alteranti est contraria. Sunt autem qualitates sensibiles, quibus corpora naturalia à se ipsis differunt (differentia scilicet accidentali) grauitas, leuitas, durities, mollities, sonus, silentium, albedo, nigredo, dulcedo, amaritudo, humiditas, siccitas, densitas, raritas, & horum media; similiter autem sunt aliae, quae sub sensibus cadunt, quorum est calor, & frigus, lenitas, & asperitas, hae enim sunt passiones subiectae qualitatis; qualitas namque est genus, & veluti subiectum istarum, à qua scilicet fluunt, & dependent, vt passiones à proprio subiecto, non quod verè qualitas sit subiectum propriè dictum, cum sit accidens, & subiecto indigeat. Corpus igitur naturale est ipsarum subiectum; ideo ipsa naturalia corpora per tales differunt qualitates, vel quia diuersa corpora diuersas habent qualitates, vel quia si habeant eandem, tamen vnum magis, aliud minus ipsa participat, vt magis, & minus durum, vel calidum; diuersificantur igitur accidentaliter, (vt diximus) praedicta corpora secundum quod per tales qualitates aliquid patiuntur; nam quia calefiunt, aut frigefiunt, aut dulcescunt, aut amaricantur, aut secundum aliud praedictarum disponuntur, sic diuersa dicuntur. Quibus qualitatibus tam animata, quam inanimata corpora patiuntur, imò, & ipsae partes animatorum, non tantum animatae anima sensitiua, sed etiam quaecunque tali animatā non sunt, vt partes plantarum, & animalium aliquot, sicut pili, vngues &c. Cum igitur omne alterans tangat alterabile, & quae se tangunt sunt simul; habemus propositum, quod alterans, & alterabile simul sunt.

Tex. 11.

Moueri ab alio, quadrupliciter.

Impulsio quid.

Expulsio quid.

Tractio quid.

Vertigo quid.

Alterans, & alterarum, simul.

Tex. 12. Atque etiam ipsi sensus alterantur, patiuntur enim, quia actio ipsorum motus quidam est per organum corporeum, patiente aliquid sensu, ab obiecto sensibili. Secundum quæ igitur inanimata alterantur, secundum hęc quoque alterantur animata, non autem è conuerso, nam ipsa inanimata non alterantur secundum sensus, cum sensibus careant. Est aliud discrimen, quod dum inanimata alterantur, non est nobis sic notum, sicut dum alterantur animata, etsi interdum etiam ignoremus alteratione animatorum, pręcipuè dum non est alteratio secundum sensus. Si igitur dantur passiones sensibiles, per quas fit alteratio, nec possit fieri, nisi suo modo se tangant, hoc iam manifestum est, quod patiens & passio, seu qualitas, quæ habet locum agentis, sunt simul, & inter hęc medium nihil est, vt in visione; visui enim est aer contiguus, aeri autem coniungitur corpus, & superficies rei visibilis, quæ coniunguntur cum lumine, lumen autem per aerem diffunditur vsque ad visum, & sic licet obiectum visibile, non videatur esse simul cum visu, tamen species eius visibiles per aerem, vel aliud medium multiplicatæ simul cum ipso medio, sunt simul cum visu, seu cum patiente, vel moto. Similiter autem auditus, & odoratus se habent ad primum mouens ipsos, sunt namque simul cum specie sensibili proprij obiecti, & cum medio deferente, quamquam ab ipso obiecto distent. Eodem autem modo simul, & gustus, & tactus est cum specie suorum sensibilium, omnes namque sensationes, seu actiones sensuum, per species fiunt sensibiles, & non immediatè ab obiectis.

Tex. 13. Similiter autem, & in inanimatis, & in insensibilibus est alterans immediatum, cum eo, quod alteratur. Pariter id quod augetur est simul cum augente, & quod diminuitur cum diminuente. Augmentatio enim est, quędam appositio, sed id quod additur, & ei cui additur debent esse simul, nec aliter intelligi potest. Diminutio quoque ita se habet. Nam diminutionis causa est ablatio quędam, sed nihil potest auferri ab aliquo, nisi sit cum illo à quo aufertur. Manifestum est igitur, quod inter mouens vltimum (quod etiam sępe vocatum est primum ratione immediationis) & quod mouetur primum, nihil est in medio existens. Vnde vniuersaliter concluditur, quod mouens immediatè simul est cum re, quę mouetur in quolibet genere motus propriè dicti.

CAPVT II.

Probatur, quod solum ad qualitates sensibiles, quæ sunt de tertia specie, est alteratio.

Tex. 14. QVod autem ea, quæ alterantur, omnia à qualitatibus sensibilibus alterentur, & solum sit alteratio, quæ secundum tales fit qualitates, et circa ea, quæ ab ipsis pati possunt, ex his, quę modo dicemus considerabimus.

Tex. 15. Quis enim maximè existimabit, quod sit alteratio in prima & quarta specie qualitatis, videlicet in habitu, qui est de prima specie, et in forma, et figura, quæ sunt de quarta, & similiter in priuationibus, vel remotionibus eorum, sicut in acceptionibus, vel acquisitionibus. Attamen non est verum; nam ista fiunt, vel insurgunt ex præcedenti alteratione aliorum (nos verò loquimur de ijs, quæ immediatè alterationem terminant) vt densata, vel rarefacta materia, vel etiam calefacta, & frigefacta, diuersa fiunt, seu consequuntur formæ, figuræ, & habitus; ex densatione enim fit minor figura, ex rarefactione maior, variatur quoque forma, seu speciositas rei, ac tandem varius fit habitus & dispositio in corporibus) non igitur tales alterationes immediatè ad habitum, & dispositionem, vel ad formam, & figuram terminantur, sed tantum secundariò, & quasi per accidēs, vt calefactio terminatur per se, & immediatè ad caliditatē, rarefactio ad raritatem, & sic de alijs. Vnde non est alteratio per se, nec ad primam, nec ad quartā speciem qualitatis. Amplius; id quod alteratur prædicatur de qualitate alteratiua in concreto sumpta æquiuocè, seu reciproco nomine, vel conuertibiliter (hoc enim hoc loco significat iste terminus ęquiuocè) sed quod recipit formā, figuram, & habitum, non hoc modo prędicatur, ergo per tales qualitates non debet dici alterari, nec in ipsis esse alterationem. Probatur maior; nam æs humidum esse dicimus aut calidum, aut durum, & non solum sic dicimus, sed è conuerso, ipsum humidum, & calidum, dicimus æs, ęquiuocè, vel conuertibiliter ęquo nomine dicentes materiam, seu subiectū alterationis, cum passione alteratiua, vel qualitate sensibili. Probatur minor; nam id subiectum ex quo forma statuæ est, non dicimus formam, neque id ex quo figura pyramidis est, vocamus figuram, neq; id ex quo est figura lecti, sicut est lignum, figuram esse dicimus. Sed bene dicimus, figuram ligneam, vel ceream, vel æneam. Quoniam igitur forma, & figura, & quod factum est formatum, vel figuratum non dicuntur ęquiuocè, seu conuertibiliter, quod autem alteratur, cum passionibus, seu qualitatibus sensibilibus, & alteratiuis, æquiuocè dicitur, manifestum est, quod in solis sensibilibus alteratio est. Sed hæc ratio nihil videtur valere, nam sicut dicimus lignum est humidum, & humidum est lignū, ita quoque dicimus lignum est figuratum, & figuratum est lignum, & sicut non dicimus, lignum est figura, ita neque lignum est albedo. Vnde non videtur bona applicatio, seu comparatio inter formam & humidum, nam forma sumitur in abstracto, humidum in concreto; si tamen eodem modo sumantur, eodem quoq; modo prędicabūtur, & sic nulla erit ratio, cū nulla sit differentia prędicandi, ex qua tamen tota vis argumenti pendet. Respondetur, formam, & figuram non esse simpliciter abstracta, sed concreta, sunt enim quædam artificialia, vel etiam naturalia, quę necessariò includunt subiectum, vt patet per earum definitiones; figura enim est, quæ termino, vel terminis clauditur, forma verò est speciositas quædam accidentalis, ex proportione partium insurgens; habitus similiter, & dispositio connotant necessariò rem habituatam, & dispositam, & per consequens sunt concreta, nam figura non potest intelligi sine re figurata, nec forma sine ordine ad partes, nec similiter habitus, & dispositio, vt dictum est, quapropter concreta sunt, hoc enim concretum dicitur, quod aliquid concernit. Cùm igitur sint concreta, & non prędicentur, qualitates autem sensibiles prędicantur, manifesta est differentia. Verū tamen est, quod hęc habent alium modum, & peculiarem concretionis, vt figuratum, formatum, habituatum, & dispositum secundum quem prędicantur, vt probat argumentum, sed comparatio est de prima concretione, sicut accipitur in qualitatibus sensibilibus, quamquam in eis vna tantum videatur, ex qua potest sumi alia differentia, seu præcedens confirmari.

Quod alterat prædicatur de qualitate alteratiua in cōcreto vt calidum.

Dubitatio.

Solutio.

Concretū quid.

Amplius, id quod perficitur, & finem accipit, dum fit perfectum, & finitum, non debet dici alterari; imò hoc esset ridiculum. Sed qualitates quartæ speciei res perficiuntur, & complentur, ergo non debent dici alterari, nec per consequens secundum tales qualitates esse alterationes. Probatur minor, (maior namq; est manifesta ex terminis). Tex. 16.

minis). Domus enim dum figuram recipit perficitur, similiter homo dum formam, vel pulchritudinem, vel habitum, vel dispositionem recipit, ergo non dicuntur alterari.

Tex.17. *Manifestum autem est, quod alteratio non est in ijs, quæ fiunt, seu perficiuntur, neque in habitibus, habitus namq; sunt virtutes, & vitia. (per virtutes autem hoc loco debemus intelligere, quicquid facit ad bene esse, & per vitia, ad male, siue sint circa corpus, siue circa animam). Sed omnis virtus, & omne vitium sunt eorum, quæ ad aliquid, hoc est de genere relatiuorum, ad quæ, probatum est in quinto, non esse motum. Quod verò sint ad aliquid probatur.* Sanitas quid. *Nam sanitas, quæ est virtus corporis est quædam commensuratio, seu proportio frigidarum, & calidarum qualitatum, seu proportio quatuor humorum, & inter se, & etiam ad aerem continentem, ita scilicet quod habeant tales humores, proportionem cum continente, aliter citò dissoluerentur. Proportio verò est relatio quædam, nam dicitur, esse habitudinem rerum differentium, ergo virtus corporalis est ad aliquid. Similiter autem pulchritudo, & robur eorum sunt, quæ ad aliquid sunt, nam sunt quædam dispositiones eius, quod præstantissimũ est, ordinatæ ad optimum, nempè ad finem, seu operationem; dico autem præstantissimum, quod conseruat, & disponit circa naturam, sicut est Deus, sunt igitur prædicta, scilicet robur, pulchritudo, & alia, dispositiones à Deo ordinata ad finem, vnde nihil aliud dicunt de formali, nisi habitudinem, seu relationem. Quoniam ergo virtutes quidem, & vitia sunt ad aliquid,* Oppositorum eadem est ratio. *oppositorum namque eadem est ratio, & genus, hæc autem ad aliquid neque per generationem, neque per alium motum acquiruntur, nec ipsa sunt generationes nec motus, manifestum est quod alteratio non est circa ipsa, & per consequens neque circa habitus corporales, quia tales, & vitia sunt habitus, ac denique, nec in prima qualitatis specie.*

Tex.18. *Neque igitur circa animæ virtutes, & vitia alteratio est, virtus enim perfectio quædam est, nam vnumquodque tunc dicitur perfectum cum adaptum fuerit propriam virtutem, & maximè virtutem conuenientem sibi secundum propriam naturam, vt circulus tunc maximè perfectus secundum suam naturam est, cum maximè circulus est, idest dum habet perfectam rotunditatem; sed ad virtutem non est alteratio, vt enim supra diximus, ridiculum esset dicere hominem, vel domum alterari dum perficiuntur, cum ergo ad virtutes alteratio non sit, sequitur, quod neque sit ad vitium, nam oppositorum eadem est ratio, vt in quinto probatum est de generatione, & corruptione, quia enim generatio non est motus, neq; corruptio est motus, quæ tamen opponuntur, sicut virtus, & vitium.*

Tex.19. *Fit igitur acceptio virtutis, & abiectio vitij; cum aliquid aliud alteratur, neutrum tamen horum, scilicet nec virtus, nec vitium alteratio est, nec ad ipsa alteratio immediatè terminatur. (Loquimur autem hic de virtutibus, quæ sunt in parte appetitiua animæ videlicet de moralibus, de speculatiuis namq; dicemus in sequenti textu.) Quod vero ad ipsa immediatè non fit alteratio, sed aliud alteretur antea, manifestum est. Nam virtus est quædam impassibilitas, hoc est carentia omnium passionum, & inordinatorum effectuum, aut passiuum quid sic, seu aliquomodo, hoc est, vel est mediocritas, aut moderatio prædictorum affectuum, & quomodocunque ponatur, ratio eius consistit in hoc quod sit sedatio passionum, vnde ex præcedentibus alterationibus circa potentias animæ insurgit, & sic ad ipsam, non immediatè terminatur alteratio. Vitiũ autem est passio quædam priuatiua, & virtuti contraria; tamen nec ipsum est sine præcedenti alteratione, circa alias passiones, & per consequens neque ad ipsum immediatè est alteratio, nec ad alias virtutes morales. Probatur, nam omnino quamlibet virtutem moralem esse contingit in voluptatibus, & tristitijs, quia voluptas est, vel secundum actum quo rem delectabilem actualiter apprehendimus, aut per memoriam præteriti obiecti delectabilis, aut per spem, si igitur sit delectatio secundum actum, sensus actualiter motus, & alteratus causa est talis delectationis, si autem est per memoriam, aut spem, ab ipso quoque sensu est, & ab obiecto, aut enim dum recordamur delectabilis obiecti similia passi sumus ijs qui præteritæ voluptatis, reminiscuntur; aut si per spem concipimus, similia patiemur sperantibus, & quoquo modo sit, semper est alteratio in sensu præcedens virtutem, & vitium, vt patet ex declaratis, omnis namque actio obiecti est circa sensus.*

At verò neq; in intellectiua parte animæ alteratio est, Tex.20. *hoc est neque ad qualitates, quæ in parte animæ intellectiua sunt: cuiusmodi sunt habitus speculatiui, vt scientia, sapientia, & intellectus. Probatur, nam ad relatiua non est motus nec alteratio, vt probatũ est in quinto, sed sciens, & scientia, maximè dicuntur esse eorum, quæ sunt ad aliquid, sciens enim alicuius, scibilis est sciens, & similiter scientia. Quod autem ad scientiam, & alios habitus speculatiuos, non immediatè terminetur alteratio, adhuc probatur. Nam in nobis non fit scientia, ex eo quod secundum aliquam potentiam moti simus, sed potius cum ipsa potentiæ extiterint, seu quieuerint, nam ex ea experientia, quæ est secundum particularia, & fit per cognitionem, & alterationem sensitiuam, accipimus scientiam vniuersalẽ, & sic est scientia post alterationem sensuum, vnde alteratio non immediatè ad scientiam terminatur. Amplius; actus considerandi per quem acquiritur scientia, nõ est generatio, propriè dicta, nisi quis omnes actus, generationes appellare vellet, & sic respicere, tangere, & alia dicerentur generationes, quod est absurdum, ergo nondum alteratio, sed neque generatio est ad scientiam, & multo minus alij motus cum minus de ipsis appareat. Scientia igitur, quæ à principio acquiritur in parte intellectiua animæ, nec per generationem, nec per alterationem acquiritur, imò quia quieta est, & residet in se anima, sine motu, & perturbatione, fit sciens, & prudens.* Animaquiescẽt fit sciẽs & prudẽs. *Si autem per motum scientia acquireretur immediate motus non ipsam impediret, sed iuuaret; quod vero motus impediat scientiam probatur à simili, vt enim neque cum dormiens excitatus est, neque cum quis esse desijt ebrius, aut cum ægrotans reualuit factus est sciens, ex talibus motibus, & perturbationibus sensuum in somno, vel ebrietate, vel in infirmitate habitis; sed potius, quia tales motus sedati sunt, ideo vtitur scientia, qua prius vti non poterat. Cũ igitur in prædictis videtur quædã noua adeptio, vel vsus scientiæ, ex quiete animæ, sic ea sciẽtia, quę à principio habet in intellectu existentiã, non à motibus acquiritur, sed potius ex quiete, est enim quædã quies, & tranquillitas perturbationis. Quapropter cõturbati, aliquid addiscere, nec iudicare bene possũt, vt pueri neq; quid discere rectè, neq; quid iudicare sẽsibus possunt, eo modo quo neq; possũt discere, & iudicare seniores, quia ipsi pueri habent multas perturbationes, & motus; sunt enim in augmentatione, ideo maxime abundãt humido fluente, & refluẽte, quòd species, & imagines obiectorum perturbat. Sedantur autem, & desinunt perturbari, aliquando quidem à natura, cum scilicet ad firmiorem statum peruenerint; aliquando verò ab alijs, nempe*

à bonis

à bonis consuetudinibus, abstinentijs, regulis, &c. ars eum perficit, & adiuuat naturam. Seniores verò, ideò discere, ac iudicare non possunt, quia sensus sunt in declinatione maxima, vnde carent debit i temperie, & dispositione, abundant etiam frigido, & sicco, quod reddit naturam ineptam, & quasi insensibilem, cognitio verò intellectus à sensibus pendet. In vtrisque autem, tam videlicet in pueris, quam in senioribus, cum sciunt eo modo quo possunt, non fit alteratio ad scientiam, sed accidit aliquid prius alterari, seu moueri, videlicet sensus; sicut cum quis dormiens excitatur, & fit vigilans ad actum sciendi, ideò est, quia sedati sunt motus internorum sensuum, qui in somno vigebant. Manifestum est igitur, quod alteratio in sensibilibus est, & in sensibili parte animæ, in alia autem nulla, nisi secundum accidens, hoc est non immediatè; probatum est igitur, quod neque ad primam, neque ad quartam speciem qualitatis est motus, de secunda specie, quę est naturalis potentia, & impotentia, nihil oportet dicere; nam ipsa non per motum acquiritur, sed simul congeneratur cum suo subiecto substantiali. Dubium tamen est, quomodo prima, & quarta species qualitatis dicantur ad aliquid, si sunt species qualitatis. Respondetur, quod sunt relatiua secundum dici, scientia enim etsi sit qualitas, & quid absolutum, tamen secundariò refertur ad scibile, similiter forma, & figura vt visum est, & secundum hanc considerationem non sunt termini immediati alterationis. Pro clariori intelligentia prędictorum, est notandum, quod dum dicitur in textu 16. id quod perficitur alterari dicere esse inconueniens, intelligitur de alteratione corruptiua, aliter dictum est falsum, & contradicens textui 19. vbi asseritur sensus alterari à voluptatibus, quæ etiam sunt perfectiones; non igitur negatur omnis alteratio in perfectione rei, sed corruptiua, quæ maximè dicitur alteratio, vt videndum est in libris de generatione, & corruptione, vnde non est inconueniens, quod dum simpliciter de alteratione fit sermo, de corruptiua intelligatur; nam termini plura significantes, si absque limitatione ponantur, verificantur de pręcipuis significatis.

SVMMA QVARTA.

De proportione motuum.

CAPVT I.

Quis motus cui motui sit comparabilis.

Tex. 21. *DVbitabit autem aliquis, vtrum omnis motus sit omni motui comparabilis, an non, & videtur, quod non; quia si omnis comparabilis est omni, sequitur, quod linea recta possit comparari cum circulari, ita quod vna esset maior, vel minor, vel æqualis alteri, quod est absurdum: probatur consequentia, & postea probabimus absurdum. Mobile æquè velox est, quod in ęquali tempore, per ęquale spatium mouetur, sicut ęquè velox, vel per maius, vel minus; si ergo motus factus super rectam, & circularem erunt comparabiles in velocitate, & tarditate, sequitur, quod tales lineæ sint quoq; in longitudine comparabiles, & sic quædam circularis erit ęqualis cuidam recta, super quas scilicet fiunt motus ęquè veloces, quædam erit maior, quędam verò minor, illę videlicet super quas fiunt motus diuersæ velocitatis; erunt igitur comparabiles, si motus comparabiles sint, quia velociori motui maius correspondet spatium; ęquè veloci, ęquale; minori, minus, & sic illę magnitudines essent vel ęquales, vel inęquales, & habetur comparatio. Quod verò sit absurdum, probatur. Nam illę magnitudines dicuntur ęquales, quarum vna non excedit aliam, in longitudine, latitudine, &c. Sed quomodo linea circularis potest commensurari, & ęquari rectę? similiter nec potest esse maior, vel minor vna altera, quia maior linea dicitur, quæ in longitudine aliam excedit, minor quæ exceditur. Sed linea circularis nec excedit, nec excedi potest in longitudine à recta, cum omni longitudine careat; ergo nec sunt æquales, nec vna est maior, vel minor altera, ergo non sunt comparabiles, & per consequens, neque sunt comparabiles motus, qui super illas fiunt, & sic non omnis motus est omni motui comparabilis. Amplius, si omnis motus esset cuilibet comparabilis, alteratio, & motus localis essent adinuicem comparabiles, cum in æquali tempore aliquid alteratum sit, aliquid verò localiter motum, vnde passio, seu qualitas per alterationem acquisita esset æqualis longitudini; nam sicut per longitudinem fit motus localis, ita per passionem fit motus alterationis, essent dico ęquales, si in ęquali tempore (vt est possibile) fieret alteratio, & motus localis. Sed impossibile est, quod sint ęquales, quia ęqualitas est passio quantitatis, sicut inęqualitas, ergo non conuenit qualitati, & sic nec ęqualis, nec inęqualis erit magnitudini, ac per consequens nec motus illarum, ergo nec istæ, vel illi comparabiles sunt, & sic non omnis omni comparabilis erit. Modo afferamus rationes pro parte affirmatiua; probando scilicet, omnem motum esse omni motui comparabilem, et pręcipuè de motu facto super rectam, & circularem sic.*

In circulo autem, & recta linea, quomodo accidet, quod motus non sint ęquè veloces, vel non comparabiles in velocitate, & tarditate? nonne eo tempore, quo per circulum aliquis mouetur, potest alter eodem tempore per rectam transire, ac maiori, vel minori, vel ęqua velocitate? Inconueniens enim est, nisi sit moueri similiter, hoc est eodem modo, vel eadem velocitate, tam circulariter, quam super rectam; sed necessarium sit confestim, hoc est, in qualibet parte motus, aut velocius moueri, aut tardius, sicut si hoc moueretur deorsum naturaliter, hoc verò sursum violenter, hoc inquam est inconueniens, quod tales sint diuersitates in motibus factis super rectam, & circularem, ergo oppositum dicendum est, nempè quod sint ęquales, vel possint esse, & sic sunt comparabiles. Tex. 22.

Amplius, etsi necessarium sit confestim in linea recta aliquid velocius moueri, in circulari tardius, vel è contra, non tamen hoc contradicit nostræ pręcedenti rationi, imò ad ipsam reduci potest, quia secundum hanc positionem, linea recta erit maior, vel minor circulari, & per consequens inter ipsas erit quoque æqualitas saltem secundum partes, quia vbi est reperire maius, & minus, ibi etiam potest æquale assignari; probatur. Si enim in tempore vnius horæ, quod vocetur A, hoc quidem mobile transit lineam vnius palmi, quæ sit B. Aliud verò mobile, nempè tardius, eodem tempore transibit lineam minorem, quæ vocetur C, sic enim quod velocius est dicebatur, videlicet, quod in eodem tempore transit maius spatiũ, & etiam quod in minori tempore æquale transit; quare erit aliqua pars ipsius temporis A, in qua mobile velocius, si moueatur per lineam circularem, transibit partem ipsius circuli, quę pars sit B, hęc autẽ erit ęqualis lineę rectę C, Tex. 23.

Vbi est maius, vel minus ibi potest assignari æquale.

quam

quam in toto tempore mobile tardius transeat, vnde inter ipsas erit æqualitas, vt ex definitione velocioris patet, ex illa parte videlicet, in qua habetur, velocius per æquale spatium eodem tempore moueri.

Tex. 24. *Ex alia parte non videntur comparabiles omnes motus, nam accideret id quod nuper dictum est, scilicet rectam lineam esse æqualem circulari, & sic ipsę essent comparabiles, at non sunt comparabiles, ergo neque motus super ipsas facti comparabiles erunt, & sic non omnis omni comparabilis est. Dicendum est igitur, quod vt motus, & alia comparabilia sint, non debent esse æquiuoca, sed vniuoca. Veluti cur comparabile non est, vtrum acutior sit stylus, an vinum, vel vltima chorda cithara; ratio inquam est, quia hoc nomen (acutum) æquiuocè illis conuenit, ideò quia æquiuoca sunt, non comparantur. Sed vltima chorda bene comparatur alteri, quæ est iuxta ipsam, quia idem significat acutum in vtraque, in alijs verò nequaquam; nam acutum in stylo dicitur in ordine ad penetrationem celerem corporis duri, in vino, in ordine ad gustum, in chorda in ordine ad auditum. Cùm ergo velocitas non vniuocè, sed æquiuocè dicatur de motu facto super rectam, & super circularem, ideò adinuicem comparabiles non sunt in velocitate, & tarditate; adhuc autem multo minus est comparatio in alteratione, & motu locali, propter eandem rationem.*

Vniuoca cõparantur.

Tex. 25. *Sed videtur primum, verum non esse; quod si aliqua non sunt æquiuoca, comparabilia sunt. Nam in aere, & aqua, multum significat idem & vniuocè, & tamen comparabiles non sunt, quia non dicimus, aerem esse magis, vel minus, vel æquè multum cum aqua. Si autem dicamus, quod multum non idem significat in vtraque accipiamus duplum, quod proculdubio significat idem & sic vniuocè: quod verò idem significet patet ex eius definitione, dicitur enim duplum ad vnum secundum excessum medietatis dupli, & iterati vnius, sed in aere, & aqua talis excessus reperiri potest, saltem secundum aliquas partes, & tamen secundum hoc comparabiles non sunt, quia non dicimus, aerem esse magis, vel minus, vel æquè duplum ad aquam, nec è contra. Non sufficit igitur vniuocatio ad comparationem inter aliqua efficiendum.*

Tex. 26. *Sed in ijs non est eadem ratio, etenim multum æquiuocum est, ideò secundum ipsum comparatio fieri non potest, & si dicatur quod habet vnam diffinitionem, & sic non est æquiuocum, hoc nihil refert, nam quorundam non tantum nomina, sed etiam definitiones æquiuocę sunt, vt si dicat aliquis, quod multum est tantum, & adhuc aliud tantum, & æquale alteri multo, ęquiuoca definitio est, quia non eodem modo in omnibus multis hæc ratio adaptari potest, pariter respectu aeris, & aquę multum ęquiuocè dicitur, saltem secundum rationem acceptam per magis, & minus, non enim de aere dici potest esse magis multum, quam aqua, vel è conuerso, & idem potest dici de duplo, quia vnum non dicitur magis duplum altero, & tamen comparationes hoc modo acceptę fuerunt secundum magis, & minus, ergo non vniuocè eis competunt, sed ęquiuocè tantum. Ipsum igitur multum ęquiuocum est respectu aeris, & aquę, quare habet ęquiuocam definitionem, & vnumquodque si contingit habere definitionem ęquiuocam, erit ęquiuocum, si autem hoc est verum, etiam duo, seu duplum, in aere & aqua ęquiuocum erit, hac ergo de causa non est inter ipsa comparatio, quia etsi vniuoca videantur, sunt tamen æquiuoca; est igitur vna conditio comparabilium, quod vniuocè conueniant in re in qua comparatur, tamen hęc non videtur sufficiens, quia homo, & equus in animali conueniunt, et tamen non comparantur; non enim dicimus hominem esse magis animal, quam equum, nec è conuerso. Ideò alia conditio, quę primam limitet est indaganda, quærimus ergo ad hoc propositum.*

In aliquibus non tantum secundum nomina, sed etiã secundũ definitiones est æquiuocatio.

Propter quid alia comparabilia sunt, alia verò non, si vna quidem est natura in qua conueniunt, & vniuoca? vt homo, & cygnus possunt comparari in albedine secundum magis, & minus, non tamen in ratione animalis, & nihilominus in vtraque conueniunt. Respondetur, ideò aliqua vniuoca non esse comparabilia, quia sunt in alio, & alio susceptiuo primo, seu immediato; ad hoc igitur, vt comparabilia sint aliqua, non tantum vniuoca esse debent, sed in susceptiuo primo eiusdem rationis sunt recipienda, vt equus quidem, & canis comparabiles sunt, vtrum vnus eorum sit albior altero; nam primum susceptiuum albedinis vtriusque est eiusdem rationis in vtroque, est etenim superficies, sunt quoque comparabiles secundum magnitudinem, vt equus dicitur maior cane, eadem ratione, receptiuum namque primum magnitudinis in vtroque est substantia, aqua autem, & vox non sunt comparabiles in magnitudine, v. g. in alio namq; sunt, vox etenim habet suam magnitudinem fundatam super qualitatem sensibilem, seu naturam ipsius vocis intrinsecè, sed extrinsecè, super magnitudinem medij, vt aeris, vel aquę. Aquę verò magnitudo, super eius substantiam immediatè fundatur, est igitur secunda conditio comparabilium, quod in eodem immediato susceptiuo eiusdem rationis conueniant. Tex. 27.

Sed manifestum est, quod non sufficit ratio susceptiui, ad hoc vt aliqua sint vniuoca, & comparabilia, quia sic erit omnia, quæ in susceptiuo eiusdem rationis recipiuntur facere vnum, & si in alio susceptiuo ponantur nihil refert, si susceptiua sint eiusdem rationis, vnde æquale, dulce, & album idem erunt, nam etsi sint in alio, & alio susceptiuo, est tamen eiusdem rationis in omnibus; superficies etenim est immediatum susceptiuum ipsorum, non igitur susceptiuum tantum est sufficiens ratio vniuocationis, & comparationis aliquorum, licet sit eiusdem rationis in omnibus comparabilibus, quod tamen est falsum. Tex. 28

Amplius, susceptiuum non quoduis est indifferenter vniuscuiusque, sed vnumquodque habet suum primum & immediatum, vt dulcedo, v. g. non potest recipi in igne, vel felle, ergo ipsum susceptiuum non est causa sufficiens, vniuocationis, & comparationis, quę enim sic est causa, est eiusdem rationis in omnibus comparabilibus, vt albedo, v. g. circa quam fit comparatio inter cygnũ, & niuem, est eiusdẽ rationis in vtroque. Oportet igitur adhoc vt aliqua sint comparabilia, non solum nõ ęquiuoca esse, sed non habere differentiam, neq; quod, neq; in quo, dico quod, idest quod nõ differãt specie, quod vocatur differre vt quod, quia quę specie differunt, dicuntur differre secundum suum esse, vel secundum quod sunt, neque differant in quo recipiuntur, sed susceptiua sint eiusdem rationis. Vnde quia color habet diuisiones specificas, ideò simpliciter in ipso non fit comparatio, non enim dicere possumus, vtrum nigrum sit magis coloratum, quam album, nam hæc comparantur hoc modo non secundùm aliquem colorem specificum, sed quatenus color est genericè sumptum; sed secundum albedinem, potest fieri comparatio, quia est species coloris. Ideò quærere possumus, an nix sit albior cygno? & quia aliæ duæ prędictę conditiones in tali comparatione inueniuntur; est enim albedo vnius rationis in niue, & cygno, & in superficie, seu receptiuo eiusdem rationis. Tex. 29.

Similiter

Similiter ad hoc, quod in velocitate, & tarditate motus comparari possint, requiritur eadem conuenientia spatij, temporis, & termini ad quem; ista namque omnia ad specificam assignationem, & constitutionem concurrunt, vt mobile ęquè velox dicitur, quod in æquali tempore mouetur, per ęquale spatium, seu per tantum longitudinis ęquale, (quod idem est) & in hoc, seu in terminum ad quem; habemus igitur tres conditiones comparabilium. Prima quod conueniant in aliqua ratione vniuoca. Secunda in receptiuo eiusdem rationis. Tertia, quod sint eiusdem speciei. Potest addi quarta, scilicet, quod suscipiant magis, & minus, quæ ex prędictis expresse elicitur, quia semper de magis, vel minus talis sit sermo.

Tres conditiones comparabiliũ.

Tex. 30. Sed circa prędicta est dubitatio. Si aliquid alteratum est, aliquid verò localiter motum, in eodem tempore, an inquam hoc posito, sit ęquè velox alteratio motui locali, & per consequens, an tales motus genere diuersi sint comparabiles. Respondetur, inconueniens esse, quod hi motus comparabiles sint, causa est, quia motus habet species, ideò comparatio circa motus eiusdem speciei fieri debet, & non circa genericos. Quare si quæ in æquali tempore lata sunt, per ęqualem longitudinem, ęquè velocia erunt, linea recta, & circularis erunt ęquales, quod est absurdum: non sufficit igitur hoc, sed requiritur vnitas specifica motuum, vt dictum est. At dubium aliud est, an motus differant specie, vel genere ex sua natura; vel ex ratione spatij, super quod fiunt, vt, an motus circularis differat à recto, quia motus localis genus sit, & sic ex ratione diuersa specifica motus, specie differant, an quia linea genus est, & sub ipso genere continentur, vt species diuersæ, recta & circularis, ex quibus motus rectus, & circularis specificè distinguantur; de tempore nihil est dicẽdum, quia semper est eiusdem speciei in quolibet motu. Respondetur, eos motus scilicet rectum, & circularem specie differre, vtraque causa; nam motus, & magnitudo se concomitantur, & ad differentiam vnius; sequitur differentia alterius. Vnde latio species habet diuersas, si magnitudo super quam mobile mouetur, species habeat. Amplius autem quęritur, si motus differant specie, per quod, hoc est per instrumenta, quibus motus fiunt, vt si ambulatio, quę fit per pedes, differat specie à volatione, quæ fit per alas. Respondetur, non differre specie essentialiter, sed sunt lationes diuersæ tantum figuris, quia alia figura designatur per ambulationem, alia per volationem, vt pateret si in aere, vel alio medio remanerent impressæ figuræ animalium volantium, & ambulantium; figurę verò huiusmodi non faciunt essentialiter differre. Quare, quæ in ęquali tempore mouentur, per eãdem magnitudinem æquè velocia sunt, si etiam sint secundum motum eiusdem speciei, & ad terminum eiusdem speciei; eandem igitur debent habere magnitudinem specie, & motu in differenti specie moueri debent, quæ comparabilia sunt, aliter non.

Tex. 31. Quare ad hoc, vt possimus circa motus comparationem efficere, considerandum erit, quæ sit differentia motuum, an scilicet differant genere, specie, vel numero, & significat sermo iste, genus non esse vnum quid simpliciter, sed iuxta ipsum multas latere naturas, & differentias, quæ aliquomodo sunt æquiuoca, prout diuersas habent rationes, etsi non in ratione generis, sed secundum suas peculiares, vnde non simpliciter ęquiuoca sunt dicenda; pro cuius maiori intelligentia est notandum, tria esse genera ęquiuocorum, sunt enim ęquiuocationum aliæ quidem multum distantes, quæ scilicet in nomine tantum conueniant, vt ęquiuocatio canis, v.g. respectu canis terrestris, marini, & cęlestis, quę ęquiuoca dicuntur à casu. Secundum genus est eorum, quæ habent aliquam similitudinem, vt hoc nomen (homo) respectu hominis viui, & picti; nam homo pictus dicitur homo, vt assimilatur homini in figura, colore, &c. & hęc ęquiuoca dicuntur à consilio, & etiam analoga. Alię verò sunt ęquiuocationes propinquę, aut genere, quia videlicet participant eodem genere, aut similitudine rationis, quia videntur habere eandem rationem, prout sub eodem genere continentur, quapropter non videntur ęquiuocationes esse, cum sint. Hęc autem æquiuoca sunt species cuiusque generis, quæ in tantum æquiuoca dicuntur, in quantum non omni ratione particulari participant, vt homo alio modo est animal, quam equus, saltem in ratione contrahentis, & possunt vocari æquiuoca secundum quid. Vnde vera vniuocatio, quæ omnem tollat æquiuocationem videtur esse tantum in specie specialissima. Omnis tamen ęquiuocatio est sufficiens ad tollendam comparationem. Sed dubium est, quomodo debeat sumi diuersitas specifica, pręcipuè accidentium, an scilicet ex parte subiectorum specie distinctorum, ita vt illa differant specie, quę sunt in alio, & alio subiecto specie distincto, etsi secundum se sint eadem, vt albedo, v.g. quæ est in niue, differat specie ab ea, quæ est in lycno. Vel sumatur hac differentia, quia talis species secundum se est aliud ab alio; et per consequens etiam sint in alio subiecto, sed distinctio essentialiter, & à priori sumatur ex parte specierum, à posteriori, & accidentaliter ex parte subiectorum. Respondetur, sumendas esse differentias ex parte rerum pręcipuè, vnde illa specie differunt, quę habent diuersas essentiales definitiones; sumuntur igitur diuersitates ex diuersis definitionibus, & definitiones ex rebus ipsis, non ex subiectis specialiter, vt si quis quęrat, quęnam definitio, aut quo discernemus, quod quidem est album, & dulce, aut aliud, ex eo ne quia vnum eorum videtur esse in alio subiecto, aliud verò in alio, an quia omnino ex suis naturis sunt non idem, sed diuersa? Respondetur, vt supra, nempè definitionem sumi principaliter ex parte rei, & rem distinctè ab alia cognosci ex diuersa eius definitione, non tamen est circulatio, quia non est idem genus cognitionis; nam definitio cognoscitur à re insinuatiuè, & confusè, res verò per definitionem determinatè, & distinctè.

Quot sunt genera ęquiuocationũ.

Vniuocatio perfecta est tantum specie specialissima.

Sumitur ex diuersitate essẽtialium diffinitionum.

De alteratione autem, quomodo est ęquè velox alteri altera. Respondetur, quod si sanari est alterari (dicitur si est, nam supra in textu 17. dictum est ad sanitatem non esse alterationem; ideò nunc loquimur conditionaliter, & gratia exempli) & aliquis sanatur velociter, alter verò tardè; aliquis verò simul inter alterationes est comparatio, quia aliqua in æquali tempore alterata sunt, aliqua verò in minori, vel maiori. Sed dubium est; quomodo aliquid dicatur æqualiter alteratum cum alio, cum ęqualitas non reperiatur in qualitate circa quam fit alteratio, imò in ipsa fundatur similitudo, sicut in quantitate ęqualitas: non igitur videtur fieri posse comparationem inter alterationes, quoad esse æquales, vel inęquales in velocitate, vel tarditate. Respondetur, quod licet æqualitas non reperiatur in qualitate, tamen bene potest esse in alteratione, prout est motus non est simpliciter qualitas, imò est potius quantitas, quia saltem includit tempus, quod est quantitas, & secundum quod possunt dici alterationes æquales, vel inęquales in velocitate. Vnde si idem mutatur motu alterationis in ęquali tempore cum alio, erit ęquè velox, si non æquali, non ęquè velox, & sic ex parte temporis sumitur ęqualitas, vel inęqualitas. Alia dubitatio; Tex. 32.

catio; an oporteat efficere comparationem secundum subiecta alterabilia, in quibus passiones, seu qualitates, quæ sunt termini alterationis recipiuntur, an circa passiones, vel qualitates ipsas verbi gratia sanentur, vel calefiant duo homines æquali tempore; an hæc æqualis alteratio sit dicenda, quia illi duo homines sunt æqualis magnitudinis, & hæc est comparatio ex parte subiectorum, an quia qualitates acquisitæ per tales alterationes sunt æque intensæ, & hæc est ex parte qualitatum, seu formarum. Respondetur, quod præcipuè attenditur ex parte qualitatis. Hoc igitur quod æqualiter alterari dicatur cum altero, ex eo est accipere, quod sic æqualiter sit alteratus, quia sanitas, verbi gratia secundum quam alterari ponamus, est eadem, & non existit in vtroque secundum magis, vel minus, sed similiter, ac eadem intensione. Si autem altera passio, vel qualitas sit secundum quam alteratur vnum, alia vero secundum quam aliud alteratur, altera dico, seu diuersa specie, ita vt vnum alteretur secundum dealbationem, aliud vero sanetur; his nihil inest commune, neque idem quod est in substantia, neque æquale, quod est in quantitate, nec simile quod est in qualitate eiusdem speciei, hæ namque prædictæ sunt diuersæ species alterationis, nec possunt esse vna, sicut neque est vna species alterationis cum latione, seu motu locali, vnde nec adinuicem sunt comparabiles; Quare vt comparare optimè possimus, considerandum est, quot sunt species alterationis, si comparatio est inter ipsas, quot autem lationis si in ipsa sit, & sic de alijs, ita vt comparatio fiat in specie specialissima, vt sæpe dictum est. Vt autem sciamus, qui motus specie differunt, consideranda sunt mobilia, quæ scilicet per se mouentur, & non per accidens; si igitur ista specie differunt, & motus erunt specie differentes, si autem genere, motus quoque genere differunt, si specie, specie, & si numero, numero; verbi gratia cælum differt genere ab igne, (genere dico physico quod eandem materiam, & aptitudinem ad motum concernit, aliter nullum exemplum, nec veritas posset circa hoc assignari, cum omne mobile sit corpus, de genere substantiæ, sed quantum, (physicè loquendo) vnde nulla esset diuersitas generica motuum, quod textui repugnat) ideo motus cæli, genere quoque differt, motus namque circularis est genus ad omnes circulares, & rectus ad rectos; motus vero ignis differt specie, à motu terræ, istius verò, & illius ignis motus differunt numero, quia sic mobilia differunt. Est tamen notandum, quod hoc intelligitur tantum de motu locali, aliter non esset verum, quia idem homo numero potest alterari, & moueri localiter, motus isti genere differunt, & tamen subiectum est idem numero. Similiter è contra potest esse alteratio ad duo specie distincta, & genere, & est alteratio eadē specie, vt albefactio in lapide, & homine. Secundò notandum, quod differentia specifica, & generica non debent sumi hoc loco pro differentia sumpta simpliciter ex essentia rerum, quia quod dicitur esset falsum, & præcedenti doctrinæ repugnans, nam motus lapidis deorsum est eiusdem speciei, cum motu terræ pariter deorsum, & tamen mobilia differunt specie, debet igitur talis differentia attendi ex diuerso prædominio elementorum in corruptibilibus, vt illi motus dicuntur diuersi specie, in quorum mobilibus dominantur elementa specie diuersa, vt motus olei in quo dominatur aer differt specie, à motu plumbi in quo dominatur terra. Si autem loquamur de cælo in comparatione vnius ad aliud, non sic sumitur differentia, sed ex terminis. Si in comparatione ad inferiora, sumitur ex habere grauitatem, & leuitatem, vel ex non habere, ac tandem ex diuersa natura. Differunt igitur specie, genere, & numero motus ex diuersitate mobilium modo prædicto. Sed etiam alio modo, scilicet ex parte spatij si sit rectum, vel circulare.

Qui motus differant specie.

Sed adhuc dubitatur; an debeant comparari alterationes quo ad velocitatem, vel similitudinem, ex parte subiectorum alteratorum, an ex parte qualitatis, qua fit alteratio. Vtrum igitur oporteat ad passionem, seu qualitatem respicere si eadem, vel similis sit in vtroque alteratorum, ac propter hoc debeant dici alterationes æque veloces, an id quod alteratur, ita vt æquales dicenda sint, quia huius subiecti tantum alteratum est, alterius vero æque tantum, an ad vtrumque, ita vt debeant esse æqualia, vel subiecta alterata, ac similes, vel eædem qualitates saltem in specie, quibus alterantur. Respondetur quod ad vtrunque respicere oportet, si debeat esse alteratio similis, vel dissimilis, æqualis, vel inæqualis. Vnde est dicenda eadem, vel similis alteratio altera alteri, si passio, vel qualitas ad quam terminatur sit eadem (scilicet specie) alia vero, vel diuersa; si passio sit alia, vel diuersa; Æqualis autem aut inæqualis vna alteratio alteri erit, si subiecta, quæ alterantur, sint æqualia, vel inæqualia, verbi gratia adhoc vt duæ calefactiones sint æquales, & similes debent esse ad duo calefactibilia, quæ sint æqualis magnitudinis, & ipsæ quoque caliditates per calefactionem acquisitæ, vel acquisibiles, debent esse æque intensæ, vel similes, atque dicentur eædem non tantum specifice, quia sic intensa, & remissa qualitas eiusdem sunt speciei, sed secundum eundem gradum perfectionis. Tex. 33.

Quæ alteratio alteri sit similis.

Et in generatione quoque, & corruptione idem considerandum est; quomodo generatio dicitur æque velox altera alteri, si in æquali tempore generetur idem, & indiuisibile specie, hoc est generentur duo, quæ sint eiusdem speciei specialissimæ, vt duo homines, non autem animal, hoc est non accipiatur generatio inter duo animalia specie differentia, sicut sunt homo, & equus, cum comparatio (ex prædictis) sit in specialissima; Si igitur duo eiusdem speciei specialissimæ in eodem tempore generentur, dicuntur æquales generationes; si vero in æquali tempore aliud non generetur cum alio, non æquales sunt generationes, sed vna altera velocior erit. Non tamen in substantia habemus proprios terminos diuersitatis, vel similitudinis, quibus tales comparationes efficere possimus, ita vt dicamus per comparatiuum, sicut albius, vel nigrius, sed oportet circumscribere per plures terminos tales varias velocitates. Si autem substantiæ essent numerus, vt Pythagorici asserebant, possumus dicere, quod sit maior, vel minor substantia, sicut dicitur maior, vel minor numerus eiusdem speciei, vt maior numerus hominum, vel equorum. Sed est innominatum quod commune est in hac, vel illa substantia, tam ex parte perfectionis, quam imperfectionis; vtrumque igitur innominatum est in substantia, tam videlicet terminus qui velocius acquiritur in generatione, quam qui tardius; non sic in qualitate, & quantitate, nam in qualitate dicitur maior passio, aut magis excedens, in quantitate dicitur maius, vel minus; sicut etiam magis, & minus in qualitate. Tex. 34.

Æqualis generatio.

De substantia non dicitur maius vel minus.

CAPVT II.

Quo pacto mouentia, & quæ mouentur proportionem habeant in motu.

Tex. 35. *PRiusquam de proportione motoris ad mobile agamus, duo supponenda sunt pro huius maiori intelligentia. Primum. Mouens mouet semper aliquid, & in aliquo, & vsque ad aliquid, dico autem in aliquo, quia in tempore, vsque ad aliquid autem, quia per quantam aliquam longitudinem, vsque ad terminatum vbi, vel locum; id autem quod mouetur satis ex se cognoscitur, esse scilicet corpus aliquod naturale. Secundum. Id quod mouet semper simul mouet, & mouit, & è contra, id quod mouetur, semper simul mouetur, & motum est. Nam hoc est de ratione cuiusque motus continui, aliter ex indiuisibilibus constaret, vt supra visum est. Quare quantum aliquod erit per quod mobile motum est, & in quanto, cum continuo motui, quantitas, seu continuum spatium correspondeat. Istis habitis, declaremus propositum ponendo aliquas veras proportiones, & quæ non bene sunt reijciamus. Prima proportio. Sit mouens quod vocetur A, mobile vero B, longitudo autem per quam motum est sit C, Tempus vero in quo motum est sit vnius horæ v.g. & vocetur D, tunc sic. Si detur aliquod mouens quod sit æqualis potentiæ cum prædicto A, motore, in æquali tempore mouebit dimidium eiusdem mobilis, per duplam magnitudinem, per totam autem prædictam magnitudinem, mouebit in dimidio temporis, hoc est in media hora, sic enim erit proportio.*

Tex. 36. *Secunda proportio. Si eadem potentia, idem mobile in hoc tempore per tantam magnitudinem mouet, per dimidium in dimidio tempore mouebit, & dimidia virtus mouebit, dimidium mobilis in æquali tempore per æquale spatium, vt sit dimidia potentia ipsius motoris A, quæ potentia dimidia vocetur E, & ipsius mobilis B, accipiatur dimidium quod vocetur F, similiter igitur se habet, & secundum proportionem, virtus mouentis ad grauitatem, seu resistentiam mobilis, quare per æquale spatium, & in æquali tempore mouebunt, hoc scilicet mouens cum præcedenti.*

Tex. 37. *Et si aliquod mouens quod vocetur E mouebit aliquod mobile quod sit F, in aliquo tempore, per aliquam magnitudinem, non est necesse quod idem mobile moueat in æquali tempore duplum mobile per dimidiam magnitudinem, quia virtus eius actiua mouens non superaret forsan resistentiam mobilis. Similiter si ipsum mouens moueat aliquod mobile per aliquam magnitudinem in aliquo tempore, non est necesse, quod dimidia virtus ipsius mouentis moueat ipsum mobile in eodem tempore, per dimidiam magnitudinem, vel in duplo tempore per eandem, nec alio modo, quomodocunque sumatur proportio, vel analogia temporis ad magnitudinem, omnino enim si contingerit sic accipi non mouebit aliquid, quia (vt diximus) virtus eius actiua non excedet resistentiam passi, sine quo excessu non fit actio. Vnde si tota virtus per totam magnitudinem mouet, dimidia virtus non mouebit, neque per quantumuis, neque in quantouis tempore, nam si hoc esset, vt scilicet dimidia virtus, vel alio modo sumpta minor, moueret totum, sequeretur quod vnus homo solus traheret nauem, saltem per aliquod spatium sibi proportionatum, & in aliquo tempore, si diuidatur virtus trahentium nauem, secundum numerum trahentium, & secundum longitudinem per quam omnes mouerunt, ipsamq; v.g. sint viginti homines trahentes nauem, per vnum milliare, vnus ipsorum traheret ipsam, per vigesimam partem milliaris in vigesima parte horæ, sic enim esset proportio; Hoc autem est impossibile, ergo talis proportio non est bona. Propter hoc Zenonis ratio non est vera quod quæuis pars milij sonet, v.g. si cadat modius milij per aerem efficit sonum, vel rumorem aliquem, dicebat igitur Zeno, quod quodcunque granum milij per se solum acceptum efficeret proportionaliter suum sonum, hoc inquam non est verum ratione prædicta, nihil enim prohibet ipsum granum non mouere eum aerem ad efficiendum sonum in vllo tempore, quem mouet dum caderet totus modius, neque itaque pars tantum mouet per se solam, quantum mouebit cum toto, neque enim vlla est ei propria potentia, nisi iuncta cum toto, cuius est pars.*

Tex. 38. *Si vero sunt duo mouentia per se distincta, & vtrumque horum mouet proprium mobile, in tanto tempore, per tantum spatium, & compositæ potentiæ ex vtroque compositum mobile ex vtrisque ponderibus, per æqualem mouebunt longitudinem, vel spatium, & in æquali tempore. Proportio enim est inter ista.*

Tex. 19. *Num igitur sic est assignare proportiones in alteratione, & augmentatione. Respondetur affirmatiuè, nam omnia prædicta in istis assignari possunt, vt in augmentatione aliquid est augens, aliquid autem id quod augetur, & in quanto, seu aliquo determinato tempore, aliud auget, aliud vero augetur, & similiter aliquod quantum est quod augmentationem recipit pariter in alteratione, est aliquid alterans, aliquid quod alteratur, & in aliquo quanto tempore, sicut quod alteratur est quoque quantum, quæ autem alterata, secundum magis, & minus alterata fuerunt, vnde in eis faciliter potest sumi proportio, ita vt in duplo tempore ab alterante eiusdem virtutis duplum alteratum sit, dimidium autem in dimidio à dimidia virtute, aut in æquali duplum, si dupla sit virtus. Si vero alterans, aut augens tantum, in tanto tempore auget, vel alterat, non necesse est, quod dimidia virtus in dimidio tempore idem augeat, nec etiam in duplo, vel in aliquo alio, quia non est excessus eius ad resistentiam alterati, vel mobilis. Sed si contingerit sic assignari dimidiam, nihil alterabit, aut augmentabit, sicut dictum est in pondere, vel exemplificauimus de naui, modio atque grano milij.*

Finis Paraphrasis Septimi Libri Physicorum.

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN SEPTIMVM LIBRVM PHYSICORVM Aristotelis Quæstiones.

QVÆSTIO PRIMA.

Omne, quod mouetur, necesse est ab aliquo moueri. Tex. 1.

Quæritur de veritate istius propositionis.

1. Arg. Idetur itaq; non esse veram, nam Aristot. in octauo huius operis tex. 27. diuidit ea, quæ mouentur in mobilia à se ipsis, & ab alio, quę igitur à se ipsis mouentur vt animalia, ab alio moueri non possunt, & sic non omne quod mouetur ab alio mouetur.

Secundum. Amplius. Hoc ideo esset verum, quia mobile est diuisibile, & à partibus mouetur, vt expresse habetur in litera, sed nihil valet; quia partes ipsæ mouentur; vel non; si mouentur, ergo ab alio mouerentur, & sic in infinitum; si non mouentur, neque totum moueretur, quod est absurdum, & contra suppositum.

Tertium. Præterea. Animalia mouentur ab anima, in quorum motu etiam ipsa mouetur, saltem per accidens, quod nihil refert, nec potest moueri ab alio, puta à partibus, quoniam est indiuisibilis, nec præter ipsas partes aliud mouens apparet, ergo.

Quartum. Denique. Substantiæ immateriales finitæ, vt Angeli, & animæ separatæ secundum Theologos mouentur, non tamen ab alio, quia est in sua potestate moueri, & partibus, quarum vna sit mouens, alia mobilis carent, ergo.

Pro intelligentia sciendum est, quod scopus Aristotelis est per hanc propositionem primum Motorem indagare; nam vt patet, processum in infinitum negat, & statum ad vnum primum motorem immobilem necessariò dandum esse probat; quapropter cum ab ipso primo motore omnia pendeant, vniuersaliter dicere possumus cuncta ab ipso moueri, vel ad actum primum, scilicet ad formam substantialem, seu ad suum esse quodcunque sit; vel ad actum secundum, nempe ad formam accidentalem; secundum quam explicationem breuiter soluitur quæstio, & omnis euitatur difficultas; quod autem omnia ab ipso moueantur patet, quia est vniuersalissima, & prima causa, quæ ad omnes effectus cuiusque causæ particularis, & secundæ primariò concurrit, ita vt ipsæ secundæ causæ sine ipsa nihil causare possint. Si autem circa hæc inferiora ipsam propositionem aptare velimus, aliter dicendum est. Aut igitur loquimur de motu locali, aut de alijs motibus; si de motu locali, totum mouetur à partibus, vt animal ab anima, grauia, & leuia à propria forma, quod maximè veritatem habet in motu naturali; in violento namq; ab externo aliquo mouētur, & partes ipsæ in naturali motu ab obiecto, vel fine mouentur, omne etenim naturale agens propter finē agit; hic vero non opus est, vt ab alio dū mouet moueatur; idem dicatur de eo quod violenter mouet, scilicet, quod vel à fine immobile moueatur, vel quod ex se immobile tali motu quo mouet sit. Si verò sit sermo de generatione, & corruptione, clarior est propositio; quia nihil se ipsū gignit, aut corrumpit, sed ab alio, quod quidem tali motu moueri, non est necesse; & sic quod generatur, ab alio generatur, quod dum generat non mouetur motu generationis, & quod corrumpitur ab alio corrumpitur, quod pariter tunc motu corruptionis non mutatur; quare proportionaliter secundum eundem motum, quo mobile mouetur, motorem immobilem tunc esse asserendum est, quod multas quoque difficultates tollit. Si denique de alijs motibus, puta de augmentatione, diminutione, & alteratione loquamur, veritatem quoque reperiemus. Idem enim secundum idem non est augens, & augmentabile, quoniam secundum idem esset in actu, & in potētia, quod implicat; idem dicatur de diminuente, & diminuibile, alterante, & alterabile, quamobrem omne quod his motibus mouetur ab alio mouetur, difficultas tamen est, quomodo ad immobile deueniendum sit; at hęc quoque facilè soluitur, si aliquod quod solum his motibus sit immobile inuestigare contenti simus; in augmentatione namq; primū augens est anima, quæ tamen per se non augetur, cum augmentatio sit acquisitio quantitatis, & molis circa corpus, vel si anima ipsa per accidens augeatur, adhuc remanet cibus, vel nutrimentum, quod est pariter causa materialis augmentationis, nec tamen augetur; imò potius in naturam aucti resoluitur; sed fortè melius est dicere, vt supra. In diminutione autem clarius responderi potest, hæc namque prouenit ex defectu naturalis caloris, qui à contrario frigore, & extraneo humido debilitatur, vnde frigus, & humidum extranea, sunt effectiuæ causæ diminutionis, quæ quidem diminuendo non diminuuntur, sed potius crescunt. In alterationibus verum recurrendum est ad causas efficientes vniuersaliter remotas, vt quamuis dum aliquid calefit frigefaciat, si debita sit dispositio, primum tamen alterans, puta cęlum non alteratur, de qua tamen materia fusè, & ex professo in libris de generatione, sub titulo de reactione dicetur, patet ergo quomodò prædicta propositio veritatem habeat. Nunc argumenta soluamus.

in eodem loco continentur, vt materia, & forma; subiectum, & accidens. Simul denique contactu sunt, quæ mutuò se tangunt; & sicut duplex est contactus videlicet mathematicus, & virtualis, ita duplex est talis simultas. Mathematicus est, qui ex duabus quantitatibus immediatè sibi inuicem inhærentibus causatur. Virtualis est, qui per virtutem efficitur; sicut Sol dum in istis sublunaribus operatur, non mathematico, sed virtuali contactu id efficit. Simultas autem contactus mathematici immediatio suppositi, alia verò virtutis appellari solet; prout videlicet, in illo suppositum, vel agens est contiguum patienti, in hoc virtus dumtaxat. Hoc tamen pro clariori intelligentia animaduertendum est, quod quandoque vterque contactus simul est, interdum est solum simultas virtutis, aliquando verò suppositi tantum; exemplum primi; dum ignis appositus ligno ipsum comburit, tunc namque est virtus, & ignis simul; exemplum secundi, dum ignis aliquid procul existens calefacit; exemplum tertij; si duo corpora eiusdem temperiei, vel qualitatis immediatè se tangant; vt duo ligna, vel alia; ista namque ratione conuenientiæ, & similitudinis agere, vel pati adinuicem non poterunt, licet se tangant, vel immediata sint immediatione suppositi. Sed duæ dubitationes insurgunt. Prima, cur Arist. in post prædicamentis solum de tribus modis simultatis egit? Secunda. Cur nō dantur tot modi simultatis quot sunt ipsius prioris, eo quod, sicut aliquid potest dici alio prius, sic poterit dici simul, saltem secundum aliam rationem; præterquam quod, sicut prioritati naturæ, & tempori respondet simultas eorundem; sic alijs proportionaliter respondere deberet, cum non magis appareat ratio de vna, quam de alijs. Ad primam dicitur, quod sicut vniuersaliter de generibus Philosophus ipse in logica tractauit; sic pariter de post prædicamentis locutus est; quare sub simultate temporis, simultatem loci, & contactus comprehendidit; verum etenim est, quod quæ in eodem loco sunt, vel se tangunt, necessariò in eodem tempore existunt, quamuis nec è conuerso, neque secundum eandem rationem id accidat; & sic præcisius loquendo, sunt quinque peculiares modi simultatis. Ad secundum dicitur quibusdam prioribus penitus repugnare simultatem, sicut de ijs, quæ sunt priora ordine patet; in ordine namque est implicatio, aliqua esse simul, si quidem prius tantum, & posterius per ipsum ordine connotetur; si vero sint res alterius ordinis, neque prioritas, neque simultas, sed disparitas inter ipsa attenditur. Quædam vero, etsi simultatem aliquam habere possint, vt de ijs quæ eadem dignitate pollent, apparet; magis tamē propriè similia, vel æqualia, quam simul dici debent. Secundò notandum, quod virtus agentis, vel motoris est talis conditionis, vel naturæ, quod non agit nisi in passum sibi proportionatum, actiuitas enim ipsius passiuitatem patientis, vt proprium correlatiuum respicit, sic tamen quod plura passibilia secundum diuersas rationes etiam afficere potest, vnde ignis ceram liquefacit, lutum indurat; Sol hic ranas, alibi muscas, vel aliud producit; sic etenim materiæ dispositio efflagitat, hinc est, quod quandoque intacto medio, extrema diuersis afficiuntur qualitatibus; lumen etenim Solis per inferiores orbes cælestes pertransiens, eos nullatenus afficit, etsi corruptibilia hæc multifariam disponat; quod non aliunde accidit, nisi quia in cælestibus non adest dispositio, quæ huiusmodi actionis sit capax. Quibus habitis aliquæ conclusiones (etsi non omnes directè ad difficultatem videantur, pro distincta tamen cognitione) ponentur.

Contactus duplex.

Conclusiones.

PRima mouens, & quod mouetur sunt simul tempore, patet, quia, dum vnum agit alterum patitur. Secunda. Mouens, & motum sunt simul natura; probatur, quia sunt relatiua saltem secundum dici, mouens enim alicuius, quod mouetur, mouens est hoc tamen sufficit.

Tertia. Mouens, & motum non sunt simul diuisione, sic videlicet, quod vnum pars alterius existat, hoc autem de se notum est.

Quarta. Neque semper sunt simul loco; quod patet; nam interdum ambo sunt corpora; diximus neque semper, quia quandoque sic esse non repugnat, vt patet dum anima corpus mouet.

Quinta. Semper necessario simul sunt per contactum virtualem, patet nam virtus agentis attingere debet patiens, aliter actio non fieret; hęc autem simultas interdum est cum contactu mathematico, quandoque vero nequaquam, vt supra patuit.

Sextum. Non semper sunt simul per contactum mathematicum, vt per præcedentem conclusionem, & per aliqua argumenta in principio quæstionis patet.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur, quod ipsa sunt simul simultate virtutis; nam virtus, vel influentia cœli ad hæc inferiora extenditur.

Ad secundum eodem modo dicatur. Magnes namque virtutem quandam ad ferri passiuitatem respondentem orbiculariter diffundit, vnde nisi impedimentum adsit ad se ipsum trahit; potest autem impediri, si magnes ipse sanguine hirci, vel oleo, aut alio perungatur. Mirabilius autem est, quod ex vna parte trahat, ex alia expellat, vt sæpe ipse vidi, quare fatendum est, duplicem in ipso virtutem existere; & per consequens esse quid virtualiter heterogeneum. Pariter tali, vel simili virtute occulta, electrum paleas trahit, polus arcticus magnetem, vel acum eodem lapide fricatum, vt nautæ sciunt; similiter quam plurima alia.

Ad tertium respondetur, tam homines fascinatores, quam Basiliscum emittere ab oculis, qui sunt partes subtiliores, & facilè penetrabiles, spiritus quosdam venenatos, qui aerem primò, & postea alia secundum dispositiones diuersas, maximè pueros tenellos inficiunt; pariter eodem modo mulieres menstruatæ speculum maculant, è contra vero aues quædam aspectu solum, ægrotos ad meliorem dispositionem inducunt, & sic virtus est simul cum eo, quod patitur, vel mouetur.

Ad quartum dicatur eodem modo, addendo solum quod virtus illius pisciculi quamuis per medium diffundatur, tamen in manu tantum effectum stuporis producit, quia ibi aptam reperit dispositionem.

Ad quintum respondetur, ibi non esse tam intensum frigus, quin à calore penetrari possit; causatur autem talis frigiditas immediatè ab aqua, quæ in extrema pugna contra aduersarium vires omnes vt se tueatur, colligit.

Ad sextum respondetur, substantiarum quarundam animatarum, suppleri à Deo formam, & sic est agens immediatum; nec tamen est pura creatio, quia modo ordinario, & alijs concurrentibus operatur; quare qui in hoc Scotum reprehendunt, ignorant, vt suo loco dicetur.

Ad septimū respondetur, eam esse motionem metaphoricam, nos vero de efficienti, & reali loquimur.

QVÆSTIO IV.

Quod autem, ea quæ alterantur, & omnia à sensibilibus alterantur, & solum horum alteratio, &c. Tex. 14.

Num alteratio sit solum ad qualitates tertiæ speciei.

ARguitur primo, quod non. Vbicumque reperitur contrarietas atque intensio, & remissio, ibi potest

 verè

verè fieri motus, sed in qualitatibus primæ speciei hæc reperiuntur, ergo; probatur minor; nam sanitas, & ægritudo, virtus, & vitium, quæ in hac specie ab ipsomet Arist. in prædicam. cap. de qualitate reponuntur, sic se habent vt de se notum est.

Secundò. Quicquid paulatim incrementum sumit successiuè acquiritur, & secundum ipsum est motum; sed naturalis potentia, quæ est secunda species qualitatis, nec non forma, & figura, quæ sunt quartæ speciei sic augentur, vt patet in animalibus, ergo.

Tertiò. Nisi ad formam, & figuram esset motus, ideo esset, quia vt dixit Aristot. in tex. 15. huius, non dicuntur æquinocè, seu æquo, & conuertibili modo cum subiecto; at hoc nihil valet; quia sicut dicimus æs humidum, & humidum æs, ita lignum figuratum, & figuratum lignum enunciamus.

Quartò. Idem Philosophus quinto physic. tex. 31. nec non in octauo tex. 26. & in hoc etiam tex. 12. alterationem ad qualitates, quæ de prima specie sunt, esse asserit, vt in præcitatis locis videri potest, ergo.

Pro intelligentia sit primo notandum, quod qualitates tertiæ speciei, sunt omnes, quæ circa sensum versantur, sic videlicet, quod ipsum aliquo modo afficiant, vel ab ipso causentur; exemplum primarum; sapor, color, sonus, calor, &c. exemplum aliarum, verecundia, timor, pallor, & sic de alijs; quæ quidem doctrina est Arist. in prædic. cap. de qualitate, ex quo patet error quorundã, qui per sensibiles qualitates solum qualitates primas intelligunt. Est tamen animaduertendum, quod non omnia sensibilia ad hanc qualitatis speciem attinent, sed solum obiecta sensuum externorum vt calor, sonus, sapor, odor, & qualitates, quæ dicuntur tangibiles, nempè caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, & aliæ ab his dependentes, præter istas namque dantur sensibilia communia, quæ videlicet à pluribus sensibus percipi possunt, vt magnitudo, motus, quies, numerus, & figura; quorum procuidubio, quædam non sunt qualitates, quædam non tertiæ speciei, vt patet. Aliud obseruandum est; quod quamuis hæ dicantur qualitates sensibiles, vel in ordine ad sensum, non tamen ab alijs rebus remouendæ sunt, imò ferè omnes, vel maior ipsarum, pars rebus inanimatis reperiri possunt, sed à sensu tanquam per notius procedentes eas præcipuè denominamus, atque cognoscimus.

Species, & modi quomodo differant.

Secundò notandum; quod quatuor communiter conficete qualitatis species non sunt propriè species, sed modi, differt autem species à modo, quoniam species dicit naturam aliquam completam sub genere contentam, quæ nunquam est nata esse pars essentialis alicuius, vt patet si per singulas, vel aliquas discurramus; nec enim Homo est pars Leonis, nec albedo nigredinis, & sic de alijs, dummodo sint species specialissimæ, de his etenim solum loquimur, quia subalternæ in comparatione ad specialissimas sunt genera, & partes. Modus autem est conditio rei, qui circa eandem rẽ variari potest, vt si eadem albedo modo sit intensior, modo remissior, vel secundũ quantitatem magis, vel minus extensa res ipsa sit, aut aliter affecta, modificata dicitur; ad propositum autem, eædem qualitates diuersimodè conditionatæ, vel modificatæ modi diuersi, & impropriè species quoque alteræ dicuntur; vt si aliqua qualitas sensum afficiat, dicitur sensibilis qualitas, si radicata maneat, vocatur habitus, si faciliter mobilis dispositio, & sic de alijs, verum est tamen, quod quidam sunt modi magis conuenientes, quidam vero magis inter se differentes, sicque de his philosophandum est. Dicerem itaque habitum, & dispositionem relationem significare, nam alicuius habitus, & dispositio dicuntur, & sic modi ab alijs diuersi sunt; sic tamen relationes vt qualitatem, sic vel alio modo radicatam, vel subiectum disponentem connotent. Nunc conclusionem ponamus.

Conclusio.

Alteratio propriè dicta immediatè, & per se primò est solum ad qualitates tertiæ speciei, dicimus alterationem propriè dictam, quæ videlicet ad corruptionem disponit, ac per quatuor efficitur qualitates, nam de hac videtur loqui Aristotel. vnde in tex. 16. ait, ridiculum esse aliquid alterari dicere, dum perficitur, quare vera alteratio est corruptiua; quod autem hæc ad qualitates sensibiles attineat, de se notum est; caliditas etenim, frigiditas, humiditas, & siccitas, per quas terminatur, sensibiles quidem sunt; vt alibi exactius videbitur, dicimus immediatè, & per se primò, quia secundariò, & quasi per accidens ad alias quoque species esse potest, sicut de relatiuis diximus in quinto, & per auctoritatem Aristot. in principio quæstionis istius in arg. 4. est manifestum. Quod verò solum ad istas sit per se primo alteratio probatur, inducendo per singula. Habitus namque, & dispositio dicuntur talia, habita, vel adepta aliqua qualitate, quæ rem postea habituatam, vel dispositam denominat, quare secundariò per ipsas terminatur motus. Naturalis verò potentia, & impotentia, ex tali adepta natura insurgunt, vnde nec per se motum terminant. Pariter forma, & figura, hæc etenim ex varijs qualitatibus, sic vel sic dispositis insurgunt; accipitur autem hic forma pro pulchritudine, vel decore, aliter omnia prædicamenta concerneret; figura vero pro qualitate, quæ ex diuersis terminis prouenit. At si dicatur, hoc modo hæ omnes qualitates sunt ad aliquid; respondetur, id non posse negari, saltem loquendo de relatiuis secundum dici, & sustinendo quod diximus, imò hæc est expressa sententia Aristot. in hoc libro tex. 17. Modo argumenta, quæ oppositum suadebant soluamus.

Ad Argumenta.

Ad primum respondetur ad maiorem, quod vbi reperitur contrarietas, intensio, &c. potest esse motus, vel per se primò, vel secundariò, & sic ad prædicta est secundariò alteratio, vel dicatur ad minorem; hæc reperiri in istis fundamentaliter, videlicet prout qualitates simpliciter sunt, non autem quatenus in tali formalitate considerantur, nam relationem dicunt.

Ad secundum respondetur, id quod sic augetur, per accidens, vel secundariò ad auctionem alterius augeri quandoque potest; sic itaque ista; aucto namque viuente, quæcunque in ipsa sunt augentur, licet non primò.

Ad tertium negatur comparatio, in forma namque, & figura duplex est concretio, altera immediata, & per modum absoluti, non autem per modum connotatiui explicata, altera vero est secundaria, & per modum connotatiui; exemplum primæ, arca, statua, domus, &c. hæ etenim non formam simpliciter, sed materiam quoque includunt, non etenim est arca, vel statua sine materia; exemplum secundæ, figuratum, formatum, &c. dum ergo dicitur in istis non fieri reciprocam denominationem, in alijs vero sic; intelligendum est secundum primam concretionem, & sic nulla est difficultas.

Ad quartum dicitur, secundariò ad tales qualitates esse alterationem, vel ad ipsas esse alterationes perfectiuas non autem corruptiuas, vtrumq; tamen rationabiliter, & Aristotelis doctrinę conformiter pronunciatur.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

Amplius susceptiuum non quoduis est, &c. Tex. 29.

An comparatio tantum in specie specialissima fiat.

ARguitur primò quod non. Nam dicimus hominem esse perfectiorem asino; Deo creaturis, &c. ergo.

Secundò. Magis aliquid esse bonum, quam aliud malum pronunciamus, & tamen bonum, & malum non sunt eiusdem speciei.

Tertiò. Quæcunque conueniunt in aliquo possunt circa illud comparari; sed omnia conueniunt in ente, ergo in ipso omnia sunt comparabilia.

Circa hanc quæstionem tres sunt modi dicendi. Primus, quod triplex est comparatio; scilicet Physica, Metaphysica, & Logica. Physica fit in specie specialissima, quæ dicitur Physica, quia Physicus ipse res secundum accidentia sensibilia, & particularia speculatur, vnde quæ nimis abstrahunt ab eius consideratione recedunt, qua de causa in hoc libro tex. 31. habetur quod in genere latent æquiuocationes, quod est à specie, & physica considerationе recedere; Comparatio Metaphysica fit in genere, vel subalterno, vel generalissimo, de vtroque namque reali Metaphysica agit. Logica verò est quæ attenditur secundum proportionem, vel consequẽtiam; vt sicut se habet rector nauis ad nauem, ita rector exercitus ad exercitum, &c. Secundus modus est, quod duplex est comparatio, scilicet propria, & impropria; prima est in specie specialissima; alia in quolibet ente; ad impropriam reducitur abusiua, quæ fit inter contraria, vt dum Deum magis bonum, quam Diabolus sit malus enunciamus. Tertius est, quod semper id in quo fit comparatio quamuis videatur genus, est tamen species; nam etsi plura animalia in ratione perfectionis comparentur; perfectio est quædam species entis; similiter motus in velocitate, respiciunt ipsam vt speciem; tamen positio hæc est nimis dura, & extensa; dicere namque ens in quo omnia comparari possunt esse speciem, ridiculum est, forsitan tamen in aliquibus veritatem habere poterit; accipiantur ergo duo primi modi, nec aliud prolixius est inquirendum, hoc tamen prætereundum non est, quod in qualibet comparatione quatuor necessariò requiruntur, videlicet duo comparabilia, vel vnum supplens vicem duorum; nam idem secundum diuersa tempora potest sibimet ipsi comparari, vt Socrates senex est doctior se ipso iuuene. Tertium est id in quo conuenire debent, vt Socrates senex, & iuuenis in doctrina. Quartum denique est susceptio magis, vel minus, vel saltem maioris, & minoris perfectionis; nam comparatio fit, vel secundum æqualitatem, vel secundum excessum, vel secundum defectum, quod autem non in omnibus requiratur, quod comparabilia suscipiant magis, & minus patet, dum in substantijs fit comparatio, sicut dum Hominem esse perfectiorem Asino dicimus, interdum autem hoc requiritur maximè in accidentibus, non tamen in omnibus, sed sufficit excessus graduum, vel maioritatis, vel alio modo. Hoc tamen obseruandum est, quod comparatio inter diuersas species secundum perfectionem essentialem semper fit per excessum, & defectum, nunquam verò per æqualitatem; quia impossibile est duas species esse eiusdem perfectionis essentialis, nam esset vna tantum, si quidem essentialis perfectio est differentia essentialis, vel ab ipsa profluit, quæ verò habent eandem differentiam essentialem eiusdem speciei sunt.

Patet itaque quid dicendum sit. Argumenta similiter ex predictis facilè soluuntur, comparationes illæ, vel sunt Metaphysicæ, vel logicales, vel impropriæ.

QVÆSTIO VI.

Quoniam autem mouens mouet semper aliquid &c. Tex. 35.

CIrca caput hoc vltimum septimi Phys. sunt quatuor regulæ proportionis motus, quæ aliquam difficultatem afferunt, ideo eas examinare oportet, est igitur prima talis. Si aliquod mouens mouebit aliquod mobile per aliquod determinatum spatium, & præfinito tempore; aliud mouens eiusdem potentiæ, vel virtutis, æquali tempore mouebit dimidium mobilis per duplum spatium; vt si illud in hora mouit per vnum milliare duo pondera; hoc mouebit pariter in hora vnum pondus per duo milliaria. Hæc autem regula videtur falsa; imò falsitas eius ad sensum manifesta est, non etenim verum est, quod si duo homines, alter duplo, alter vero dimidio, vel simplo pondere oneratus duplum spatium eodẽ tempore ab alio compleatur vt quisque sanæ mentis cognoscere potest, maximè si ambo omni conatu, vel tota qua possunt virtute, moueantur. Alia regula, vel potius appendix præcedentis est ista, scilicet quod idem mouens æqualis virtutis cum prædicto mouebit per totum spatium ipsum dimidium pondus, in dimidio tempore, vt si primum mouit duo pondera per milliare in hora, hoc per idem milliare mouebit vnum pondus in medietate horæ; quæ potest impugnari sicut præcedens; & adhuc alio argumento; quia ex remotione ponderis poterit augeri velocitas motus quasi in infinitum, quod est irrationabile, & incredibile, quis namque capere posset, quòd si aliquis homo per milliare pondus aliquod ferret, alter vero decimam æqualis ponderis partem, hic in decima parte horæ milliare totum compleret? Tertia regula talis est. Si eadem potentia mouentis in hoc tempore per tantam magnitudinem, vel spatium mouet, & per dimidium in dimidio mouebit; & dimidia virtus, dimidium ponderis in æquali tempore per æquale spatium pariter mouebit. Contra; nam hæc virtus mouens, vel est animata; puta animal ipsum, vel ens naturale inanimatum, vt elementa, vel mista; non animal quia motus eius circa principium est tardus, & pariter circa finẽ, in medio verò est velocissimus; non naturalium inanimatorum, quia si naturaliter mouentur, motus ipsorum est velocior in fine; si violenter in principio; quamobrẽ, nec illic, neque hic seruatur eadem proportio velocitatis per diuisionem, vel medietatem. Amplius contra aliam partem. Virtus mouentis non est diuisibilis, imò accidit, quod si diuidatur nihil mouebit, vt idem Philosophus docet in 8. phys. tex. 44. atque exemplo etiam declarari potest; nam diuisa virtute hominis, destruitur, debet namque tota simul in toto composito simul; & agere, pariter virtus. Intelligentiæ mouentis cœlum est ita determinata, vt neque augeri, nec diuidi possit, vt idem Philosophus docet in secundo de cœlo. Est denique quarta regula talis. Sint duo separata mouentia, quorum vtrumq; æquale pondus cum alio in æquali tempore per æquale spatium moueat; tunc si ambo simul cũ ponderibus vniantur, per idem spatium, & eodem tempore mouebunt, quæ quidem regula ex eo inualida apparet, quia virtus vnita est fortior, vnde maius põdus duo vniti motores, quam vnusquisque seorsum ferent, ergo.

Pro intelligentia sciendum est, quod regulæ istæ sumẽdæ sunt secundum præcisam virtutem mouẽtis, & mobilis, abstrahendo videlicet à quocunq; motore particulari, & determinato; ratio est, quia in talibus determinatis

motoribus, præter pondus, vel mobile ab ipsis diuersum, potest esse aliqua causa impedimenti, videlicet, vel proprium corpus, seu pondus in corporibus, vel determinata indiuisibilis virtus in alijs. At si dicatur, non ne physicè (hoc est secundum determinatum naturæ modum) in rebus naturalibus procedendum est? cur ergo de ijs, quæ fortè esse non possunt regulæ traduntur? Respondetur, tales virtutes secundum se reuera in natura dantur, quæ quamuis impedimentum, vel aliunde limitationem habeant, propter hoc tamen rationes, & conditiones ipsarum non auferuntur, sicut patet de accidentibus, hec namque dantur in natura, sed semper subiectis inhærentia, tamen interdum suo modo dimissa subiecti consideratione, secundum se considerantur, vt albedo sine pariete, abstrahentium namq; non est mendacium; sic de virtutibus istis motiuis philosophemur, Quare concludendo dicere possumus, regulas prædictas esse bonas, quod melius argumenta soluendo patebit.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur, ideò in tali casu non valere, quia non tantum pondus, sed corpus quoque ipsius hominis mouentis resistit, quare abstrahendo sumenda est regula.

Ad secundum eodem modo respondetur, addendo tamen, quod nihil esset nec mirabile, nec incredibile, nisi proprij corporis ponderis obstaret.

Ad tertium per idem responderi potest; grauia etenim, & leuia inanimata cum naturaliter mouentur, augmentum semper velocitatis recipiunt, quia corpus ipsum semper ad locum tendens, cum motu, & velocitate natum est maiorem velocitatem efficere; non enim est inconueniens, vt vbi est eadem virtus semper accidens producens, perfectius eiusdem rationis semper quoque efficiat, nam accidens simul cum substantia ad accidens sibi simile causandum concurrit, & sic velocitas à velocitate, & virtute naturali augetur; hæc autem (vt patet) non solum à virtute mouentis, sed à corpore, & alia velocitate, vel accidente causatur, dum verò violenter mouentur, deficit virtus mouentis propter impedimentum alio tendentis, & sic patet defectus. Animalia autem ob corporis resistentiam irregulariter mouentur.

Ad quartum dicitur, verum esse, quòd si consideretur virtus cum determinato subiecto non semper diuisibilis erit, vt argumentum assumit; secus tamen dicendum est, si secundum se consideretur.

Ad quintum respondetur virtutem vnitam esse fortiorem se ipsa dispersa, quando non seruatur proportio in partibus dispersis, sed quando seruatur, verum non est, v. g. paruum ferrum etiam si hominem percutiat, non poterit ipsum neque decies iteratum interficere, tamen si sit decies maius id efficiet, quia in partibus illis non erat sufficiens virtus actiua. Arist. verò actiuam vim in quolibet mouente sufficientem supponit, vt si vnus homo potest vni aduersario, & alter alteri resistere, ambo vtrique simul resistent.

Finis Septimi Libri Physicorum.



ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum,

IN OCTAVVM LIBRVM PHYSICORVM Aristotelis Paraphrasis.

S V M M Æ   L I B R I.

Hic liber diuiditur in quatuor summas. In prima declaratur, motum sempiternum esse tam à parte ante, quam à parte post.

In secunda agitur de immobilitate, perpetuitate, & vnitate primi motoris.

In tertia quæritur an detur motus continuus, & quis motuum sit primus.

In quarta determinatur de indiuisibilitate, immaterialitate, nec non de virtute primi motoris.

Summæ primæ, Caput Primum.

Determinatur motum esse æternum, vbi multa de Antiquorum opinionibus interseruntur.

Tex. 1 
Trum autem factus sit aliquando motus cum non esset prius, & corrumpetur rursus, adeò vt moueatur nihil; an neque factus sit neque corrumpetur, sed semper erat, & semper erit, & hoc immortale, & sine quiete inest ijs, quæ sunt, veluti vita quædam, quæ inest naturaliter subsistentibus omnibus. Quod autem sit motus non oportet in controuersiam adducere, cum omnes qui aliquid de natura dicunt motum esse affirment; propterea, quod mundum factum esse dicunt, & omnes contemplantur generationem, & corruptionem, quam impossibile est esse nisi sit motus. Sed differunt inter se circa motus assignationem; nam omnes qui infinitos mundos esse dicũt, ita vt quidam mundi fiant, quidam vero corrumpantur, semper dicunt esse motum, nam necesse est generationes, & corruptiones ipsorum esse cum motu, hæc autem fuit opinio Democriti, & sequacium, qui ponebant hos mundos successiuè generari, & corrumpi, ita vt generatio vnius esset corruptio alterius, vnde non vnus motus simpliciter æternus ab ipsis ponebatur, sed infiniti successiuè. Qui autem vnum Mundum constituunt, ac ipsum non æternum esse affirmant, etiam de motu supponunt secundum rationem, hoc est motum non esse æternum, sed aliquando incæpisse, quæ fuit positio Anaxagoræ, & Empedoclis, qui tamen in modo positionis differunt.

Tex. 2 *Si igitur contingit aliquando nihil moueri, & sic motum non esse æternum, vno ex duobus modis necesse est hoc accidere, aut enim vt Anaxagoras dicit; aut sicut dicit Empedocles. Inquit igitur Anaxagoras, quod simul omnibus rebus existentibus, & quiescentibus, infinito tempore, Mens, vel Deus fecerit motum, ac tales res ab inuicem disgregauerit, hanc autem disgregationem, generationem appellabat, vt in primo Physicorum visum est. Empedocles vero alio modo negat æternitatem motus, ait enim, interdum res moueri omnes, interdum verò quiescere, & sic motum non semper esse, moueri quidem (ait) cum amicitia ex multis facit vnum, vt cum ex elementis fit mixtum, aut lis ex vno multa facit, videlicet dum mista in elementa resoluuntur, (ponebat namque causam effectiuam generationis, & corruptionis, litem, & amicitiam) quiescere vero in intermedijs temporibus, hoc est dum neque mista, neque elementa generantur, sed genita permanent, vt autem sententia eius sit notior, propria verba carmine disposita afferamus. Sic igitur ait. Quatenus vnum quidem ex pluribus consueuit nasci (hoc est mistum ex elementis) Et rursus vno generato plura perficiuntur (hoc est elementa ex misto) Eatenus quidem fiunt, & non est ipsis firmum æuum (hoc est non quiescunt) Quatenus vero permutantur omnino, neq; simul desinunt (hoc est quatenus sunt totaliter mutata, nempè aliquam ista in elementa, & aliqua elementa, vel partes in mista, neque statim desinunt, sed permanent sic in suis naturis) eatenus semper sunt immobilia secundum circulum. (Hoc est eatenus quiescunt, secundum partem quandam orbit immobilem, nam vt ex dictis constat,*

pon-

ponitur in vniuerso quædam circulatio rerum, partim mobilis, partim immobilis) Vnde opinandum est ipsum dicere, tunc esse motum, quando res ipsæ hinc illuc permutantur, (vt diximus) de generatione videlicet in corruptionem, & è conuerso.

Tex. 3. Considerandum igitur de hoc, quomodo se habeat, an scilicet, motus sit æternus, vel non. Operępretium enim est, non solum aspicere ad eam veritatem, quæ de rebus naturalibus est, sed ad eam doctrinam, quæ est de primo principio, scilicet de Deo.

Tex. 4. Incipiemus igitur primum ex definitis à nobis prius in 3. Physic. ad probandum motum esse æternum: Dicimus itaque motum esse actum mobilis, secundum quod est mobile, ex qua definitione sequitur hoc, quod necesse est existere res, quæ secundum quemlibet motum possunt moueri, antequam moueantur; nam si motus est actus, necessariò pręsupponit subiectum in quo recipiatur, & sic res mobiles sunt priores motu, saltem prioritate naturæ. Quod etiam vnusquisque confitebitur sine tali definitione, videlicet, quod necessarium sit id quod mouetur, posse prius moueri, secundum vnumquemque motum, & per consequens prius esse, quam moueretur, vt alterabile posse prius alterari, quam alteretur, mutabile secundum locum, posse prius mutari, quam mutetur. Quare prius oportet combustibile esse, quam comburatur, & etiam combustiuum prius quam comburat, quia non tantum quod mouetur debet præcedere motum, sed etiam quod mouere potest; nam est actus, vel effectus vtriusque, vt visum est in 3. Physic. tex. 23. effectus autem à causa præceditur. Præcedunt igitur motum mobile, & motiuum.

Subiectum motus debet esse ante sit motus.

Tex. 5. Ergo & hæc scilicet motiuum, & mobile necessarium est, aut facta aliquando esse, cum non essent, aut perpetua esse.

Tex. 6. Si igitur factum est vnumquodque mobilium, ac motiuorum, necessarium est prius, quam accepta, vel facta fuissent, aliam factam esse mutationem, & motum, secundum quem factum est, id quod potest esse motum, aut mouisse, seu necesse est fuisse, motum per quem factum fuit mobile, & motiuum. Si autem motus alter fuit, necessariò præcessit motiuum, & mobile, vt supra probatum est, & sic de illis quæritur, an sint facta, vel non, si facta, eodem modo quærendum est de motu per quem sunt facta, & de motiuo, & mobili pręcedentibus, & sic vel in infinitum procederetur, vel tandem standum esset ad aliquod motiuum & mobile, quæ non sint facta, & hoc est, quod volumus.

Tex. 7. Si autem quæ sunt motiua, & mobilia, semper erant, necessariò semper erat motus, quia existentibus mobilibus, & motiuis, motu non existente, irrationabile quidem videtur etiam ijs, qui à seipsis sciunt, hoc est, qui à seipsis absque doctrina & docente speculantur, ducti solo naturali lumine intellectus. At verò magis vltra in scientijs progressis, hoc necessarium est accidere, quod scilicet irrationabile pateat esse, dari motiuum, & mobile sine motu. Si enim alijs quidem mobilibus, existentibus, alijs autem motiuis, aliquando quidem est, quod primum aliquid mouet, aliquid autem quod ab ipso mouetur, aliquando verò nihil mouet, nec mouetur, sed quiescit, necesse est, quod ante hanc quietem sit aliquis motus quo impediatur motiuum, & mobile, à mouendo, qui motus impeditiuus sit causa talis quietis, nam quies est priuatio motus; at priuatio non accidit rebus, nisi ex aliquo impedimento, impedimentum autem in rebus physicis, non accidit, nisi per motum, (nisi aliunde ponantur motiuum & mobile, ex sua natura insufficientia ad motum efficiendum, quod est absurdissimum, maximè de primo motore, & primo mobili) quare ante primam mutationem, erit mutatio prior, illa videlicet, quæ fuit causa quietis, de qua mutatione sicut de alijs discurrendum est, quod scilicet pręsupponat motiuum, & mobile, & iterum ad aliquod quod semper mouetur deueniendum est, & sic debet dari motus æternus, aliter esset processus in infinitum in motiuis, mobilibus, & motibus.

At si quis dicat, rationem prędictam valere in agentibus naturalibus, quod scilicet desistant à motu, propter aliquod impedimentum ex alio motu causatum. Sed in agentibus voluntarijs nequaquam, quia absque impedimento possunt mouere, & incipere motum ad placitum, & sic ante motum non oportet esse alium motum, qui sit causa quietis. Mouent igitur alia singulariter, seu vno modo tantum, & hęc sunt agentia purè naturalia; alia autem mouent secundum contrarios motus. exemplum primorum. Ignis quidem calefacit, frigefacit autem non. Exemplum secundorum, seu agentium per voluntatem. Scientia vna videtur esse contrariorũ vt calidi, & frigidi, &c. at ipsa scientia est regula humanarum actionum, ergo, qui per talem scientiam agunt, possunt contraria efficere, vt mouere, & non mouere, agere bene, vel malè. Huic autem obiectioni respondetur, quod licet sit verum, id quod de agente naturali, & voluntario, dictum est, quod scilicet illud per se vnico tantum agat modo. Hoc verò possit ad opposita, tamen per accidens vtrunque ad opposita potest. Videtur igitur etiam in agente naturali esse aliquid huiusmodi, videlicet posse ad opposita, quamquam per accidens; frigidum enim calefacit versum, seu remotum quodammodo, & abscedens, nam ex sua absentia fortificatur contrarium, quod etiam accidit interdum per suam pręsentiam, nempè per antiparistasim, sic igitur per accidens potest opposita, sicut peccat voluntarius sciens, quando è contrario vtitur scientia, quod peccatum dicitur ex auersione à scientia, vel rectitudine. Quicquid tamen etiam de hac distinctione agentis naturalis, & voluntarij, quam exposuimus ferè incidentaliter non ad eam tollendam cum sit bona. Dicimus, rationem nostram valere, quia tam in agente naturali, quàm voluntario requiritur aliquod impedimentum, & causa quiescendi, quia si interdum mouent, interdum non, hoc fieri nequit sine aliqua mutatione, seu noua dispositione in motore, vel mobili, vel in vtroque, vel saltem in aliquo extrinseco, quod ad motum excitet, & sic ante mutationem esset alia mutatio, ac eadem ratione ante illam esset alia, & sic in infinitum, deueniendum est ergo ad motum ęternum. Quęcunque igitur possunt facere, aut pati, aut mouere, aut moueri, ea moueri non penitus possunt, quæ non sunt penitus disposita, ac debitè appropinquata, sed bene mouebunt, & mouebuntur si sic se habeant, quod scilicet optimè sint disposita, & appropinquent sibi inuicem. Quare cum propinqua fuerint, & ita fuerit, vt sit hoc quidem motiuum illud autem mobile bene disposita, aliud quidem mouet, aliud autem mouetur. Tex. 8.

Scientia vna est contrariorum.

Si igitur non semper mouebatur, manifestum est, quod non sic se disposita habebant, vt posset hoc quidem mouere, illud autem moueri, sed oportebat mutari alterum ipsorum, vt patet in ijs, quæ sunt ad aliquid, de quibus minus videtur. Vt si non erat duplum, & nunc duplum est, necesse est, quod ipsum, vel aliud videlicet suum correlatiuum mutatum sit, ergo, similiter si existentibus motore, & mobili non est motus, necesse est vt fiat aliqua mutatio Tex. 9.

tatio

tatio ante motum in aliquo ipsorum, & sic ante motum esset mutatio prior in infinitum, vt sępe deductum est. Nihil autem refert, quod mouens sit agens voluntarium, vel naturale, in vtroque enim eadem militat ratio. Si namque (quicquid sit mouens) antea non mouebat, & postea mouet, aliqua est facta mutatio, & dispositio, qua ad motum prouocatur, & si ponatur nouum velle motoris voluntarij, est magis absurdũ; nam velle aliquid, quod prius nolebat, est inconstantiæ signum, quæ longè à primo motore abest, ponendum igitur esset potius impedimentum ex parte dispositionis mobilis, & sic esset nota impotentia motoris, quod scilicet non posset ipsum auferre, vsque ad aliquod determinatum tempus, vel hoc impedimentum per motum tolleretur, & sic ante motum esset motus in infinitum. Hæc autem omnia sunt absurda, ergo rationabilius est ponere motum æternum, cum æterno motore, & mobile.

Tex.10. *Amplius. Tempus est æternum, ergo & motus, consequentia tenet, nam tempus est, vel ipsius motus numerus, aut quid identificatum realiter cum ipso motu, siquidem igitur tempus semper est, necesse est & motum perpetuum esse, probatur antecedens, ratione, & auctoritate. Ratione sic. Si tempus prius non erat, & postea factum est, sequitur, quod tempus esset ante quam esset; nam prius, & posterius sunt differentiæ temporis, ergo dum dicitur tempus prius non erat, in ly prius includitur tempus, vnde ponendo tempus prius non esse, ponitur tempus esse, non igitur est dandum aliquod prius in quo non fuisset tempus, & per consequens tempus fuit semper; si verò tempus, & motus: quomodo namque erit tempus non existente motu, vel motus non existente tempore, si idem inseparabiliter sunt? Auctoritate idem confirmatur. Nam omnes Philosophi pręter vnum, concordes esse videntur, affirmando nempe de tempore ingenitum, seu perpetuum esse, & propter hoc Democritus monstrat, quod impossibile est omnia esse facta, tempus enim ingenitum esse ait. Ille verò vnus, qui negat ęternitatem temporis, fuit Plato, qui solus ipsum tempus genitum, vel factum esse asserit. Dicit namque simul ipsum tempus cum cęlo, vel mundo factum esse. Cęlum autem factum esse credit.*

Tex.11. *Præterea. Si impossibile est & esse & intelligere tempus sine ipso Nunc, impossibile quoque erit, quod tempus non sit æternum. Antecedens est notum; probatur consequentia. Nam Nunc est medium quoddam videlicet principium simul & finis temporis, principium quidem futuri, finis verò præteriti. Necesse est ergo tempus semper esse, quia vltimum ipsius temporis finiti accepti, erit in aliquo ipsorum Nunc, nihil enim est accipere in tempore præter Nunc. Quare quoniam est principium simul, & finis ipsum Nunc necesse est ex vtraque parte ipsius semper esse tempus, quia nunquam est finis, quin sit quoque principium, (vt dictum est) & sic nunquam potest accipi tempus simpliciter, & vltimatè terminatum ab ipsis Nunc, sed cum terminatione vnius partis sequitur initium alterius. Quapropter semper est tempus, at verò si tempus semper est, manifestum est, quod necesse est motum esse, siquidem tempus passio quædam motus est, at passio non separatur à subiecto, nec è conuerso, ergo quandiu vnum est, & alterum erit. Hæ igitur sunt rationes probantes æternitatẽ motus à parte ante. Nunc adducendæ sunt aliæ, quæ idem probent à parte post, vnde denique concludamus, ipsum motum esse simpliciter æternum, principio & fine carentem.*

Nihil est accipere in tẽpore pręter nunc.

Tex.12. *Eadem autem est ratio, & de eo, quod est corruptibilem esse motum. Vt enim si ponamus factum esse motum, accidit esse quandam mutationem priorem prima; sic si demus motum corrumpi, dabitur mutatio aliqua posterior vltima, quod sic probatur. Non simul desinit moueri, & esse mobile, vt comburi, & esse combustibile, nam contingit esse combustibile, quod non comburitur, similiter neque motiuum, & mouens simul desinunt esse cum motu, non enim substantia desinet esse ad desitionem accidentium, neque causa ad desitionem effectus, at mobile est substantia, motus verò accidens, & motiuum est causa, motus effectus; possunt igitur manere mobile, & motiuum, cessante motu, quod pręcipuè habet veritatem de motu locali, de quo nunc quoque fit sermo, ipse enim cum sit perfectiuus, illæsum (ne dicam incorruptum) relinquere potest mobile; si igitur desinat moueri, & non per corruptionem eius, nec etiam mouentis, quia cum ipsum sit magis extrinsecum motui, & causa effectiua eius, multo minus lædi, vel corrumpi potest corrupto motu, ergo desinet motus ex aliqua indispositione ipsius mobilis; hæc autem accidere nequit sine aliqua mutatione, cum omnes dispositiones physicæ sic se habeant; hæc igitur mutatio, quæ motum tollit, & ad oppositum disponit mobile, erit posterior vltima mutatione, cum post illam ponatur, & sic daretur posterior mutatio, mutatione vltima, quoniam, & alia deberet dari per quam ista cessaret, & sic in infinitum procederetur, vel si dicatur, quod hæc semper manet, sequitur, quod saltem hęc esset infinita, ac hoc modo haberemus quoque motum infinitum, cum hæc per motum fiat, & conseruetur.*

Si verò dicatur, quod ipsum mobile sit corruptibile, Tex. 13.
ideò desinet esse motus propter ipsius corruptionem, quod etiam potest dici de motore, si corruptibilis ponatur. Si hoc inquam dicatur, adhuc sequitur, quod prius dictum est, nam ipsum mobile, vel mouens cum corrumpatur, vel cum sit corruptibile, oportet, quod denique corruptum sit, cuius corruptionis oportet assignare quoque corrumpens, non enim corrumpitur per motum localem, igitur debet esse aliquod corruptiuum, quod ipsum corrumpat post motum localem per corruptionem, at corruptio est quædam mutatio, ergo si mobile, vel mouent corruptibilia sunt, & propter hoc cessabit motus, erit mutatio aliqua posterior mutatione vltima; & si dicatur, quod hæc, quæ ponitur posterior vltima, debet vltima dici, & sic nullum sequitur absurdum. Hæc responsio, vel euasio, nihil valet, quia corruptio non terminatur ad nihil, nec per ipsam corrumpitur corrumpens, & sic remanet corrumpẽs, vel agens, & vltimum subiectum, in quod resoluitur corruptibile, quapropter habetur actiuum, & passiuum, de quibus vt supra discurrendum est, an motum efficiant, vel non; si efficiant, habemus intentum; si non, irrationabile est, quia actio eius retardatur ab aliquo motu, & hoc modo, motum negando, ipsum concedimus. Si igitur hæc impossibilia sunt, manifestum est, quod est perpetuus motus, & non aliquando quidem est, aliquando autem non. Etenim sic dicere figmento magis assimilatur, quam phylosophicæ veritati.

Similiter autem dicere motum non esse semper, ex eo Tex. 14.
quod est sic aptũ esse in natura, ita vt hoc sit veluti quoddam principium primum, de quo alia non sit reddenda ratio, est quid fictitium, & vanum. Hoc autem modo videtur locutus Empedocles, dixit enim interdum mouere amicitiam, interdum verò litem, nec esse aliam causam assignandam, sed hoc inesse ipsis rebus ex necessitate, sicut eadem necessitate, eis inest quiescere tempore in-

termedio,

termedio, eo modo quo expositum fuit in textu 2.

Tex. 15. Fortassis autem illi, qui ponunt vnum principium effectiuum omnium, sicut fuit Anaxagoras, sic vtique dixerint, nempè motum non semper esse, sed fuisse quietem tempore infinito, vt visum est in tex. 2. huius, non alia ratione, sed quia sic est necessitas, & ordo naturæ. Sed errant. Nam eorum, quæ à natura, & secundum ordinem naturæ fiunt nihil est inordinatum, quia natura causa ordinis est omnibus, sed infiniti ad finitum nulla est ratio, vel proportio, aut ordo; ergo ponere quietem tempore infinito, & postea motu, non est quid naturale, nec secundum ordinem naturæ; omnis enim ordo, ratio, vel proportio quædam est. Infinito autem tempore quiescere, postea aliquando motum esse, & huius nullam assignare differentiæ rationem, quare scilicet nunc potius, quam prius motus incęperit, neque rursus ponere aliquem ordinem, non amplius naturæ est opus. Nam quod naturaliter fit, aut se habere oportet simpliciter, idest semper eodem modo, & non aliquando quidem hoc modo, aliquando verò aliter, aut habere rationem; seu causam, cur non semper hoc modo se habeat. Vnde ignis, v. g. quia naturaliter operatur, sursum semper natura fertur, nisi habeat impedimentum, & non aliquando, quidem, aliquando verò non. Quare melius est, vt Empedocles dixit, & alij qui idem dixerunt, quod ipsum vniuersum interdum quiescat, interdum verò moueatur, nam quod ita se habet (etsi falsum sit) admittit saltem aliquem ordinem, vnde magis naturaliter loquitur. Attamen præter falsitatem positionis, deficit eo, quod causam non assignat, vnde hoc dicentem oportet non affirmare solum, sed & causam ipsius dicere, & non ponere, neque censere vllam sententiam irrationabilem, sed aut inductionem, aut demonstrationem afferre, tam in alienis sententijs improbandis, quam in proprijs confirmandis. Hæc enim quæ vt causæ ab ipso supposita sunt, causæ non sunt, ponit namque causam omnium litem, & amicitiam, quæ vt aliquando motum, aliquando verò quietem efficiant, non sufficiunt; nam etiam secundum ipsum, proprium amicitiæ est congregare, litis verò disgregare, vtrumque autem fortè est mouere. Si verò insuper determinetur actio litis, & amicitiæ secundum partem, ita vt dicamus, amicitiam, vel litem interdum efficere motum, interdum autem quietem, adhuc indeterminatè loquitur; nam determinatè dicere debet, in quibus sic se habeant, in quibus autem non, sicut dicimus, quod amicitia congregat homines, & fugiunt inimici ab inuicem propter litem, vel discordiam; at hoc in toto, vel vniuersaliter affirmare de omnibus secundum æquale tempus, ita vt tanto tempore sit motus in vniuerso, quanto est quies, & è conuerso, hoc autem accidere ex amicitia, & lite, indiget aliqua ratione; nam licet in quibusdam hoc sit, vt de hominibus exemplificauimus, non tamen ad omnia debet transferri, nec poni æqualitas motus, & quietis, quæ neque in prædicto exemplo assignari potest, quia non æquali tempore homines sunt in amicitia, & inimicitia. Existimare igitur omnino vel vniuersaliter, hoc esse principium sufficiens, quod semper sic est, aut fit, non rectè est opinari. Ad quod principium Democritus reducit causas naturales, ait enim causas omnium rerum dependere ab hoc, quod sic semper fiebat, vel sic est perpetuus ordo naturæ, ipsius autem quod semper est non vult principium quærere, prout enim semper sunt, principio carere dicit. In quibusdam tamen rectè dicit, quod aliqua æterna principium non habeant, sicut Deus, in omnibus autem non rectè. Etenim triangulus habet semper angulos æquales duobus rectis, sed tamen huius perpetuitatis est altera quædam causa, hæc namque est conclusio geometrica, quæ ex præmissis causatur, principiorum tamen quæ perpetua sunt, non est altera causa; possunt igitur aliqua esse æterna, & tamen habere causam, in quibus talis causa est assignanda, sic ad propositum non sufficit dicere motum, vel quietem esse æternam, ideò non aliam oportere causam ipsorum indagare; sunt etenim æterna causata, motus namque à motore, & mobile causatur; ideò causa est inuestiganda, quam nos superius adduximus, nempè æternitatem motoris, & mobilis cum debitis dispositionibus. Errat igitur Anaxagoras, Empedocles, & Democritus diuersimodè vt visum est. Quod igitur nullum tempus, aut erat, aut erit, quando motus non erat, aut non erit, tot dicta sint.

Natura est causa ordinis. Finiti ad infinitum est proportio.

Non oportet neq; censere aliquã sententiam irrationabilẽ sine causa.

CAPVT II.

Rationes contra æternitatem motus, & earum solutiones.

Contrarias autem rationes, scilicet contra æternitatem motus factas, non difficile est soluere. Videtur autem ijs, qui considerant ex ijs, quæ modo dicemus, motum non esse æternum, imò contingere posse, quod aliquando sit, seu incipiat esse, cum antea omnino non esset, est igitur prima ratio. Nihil terminatum est perpetuum, vel æternum, sed omnis mutatio est terminata, scilicet termino à quo, & ad quem, ergo nulla est æterna, vel infinita; accipiatur autem hic indifferenter mutatio, & motus. Tex. 16. *Prima ratio.*

Amplius in rebus inanimatis potest incipere motus cum antea non esset, ergo de quolibet motu hoc possumus affirmare, & sic non est necesse ponere aliquem esse æternum. Consequentia tenet à simili, quia non videtur maior ratio de vno, quam de alio, vterque namque requirit motorem, & mobile distinctum, atque vterque est motus localis, ergo si vnus nuper incipere potest, & alter. Antecedens probatur, vel potius experientia notum est, videmus enim quotidie, quod possibile est id moueri, quod neq; mouetur, neq; habet in seipso vllum motum, vt in inanimatis, quorum neq; pars vlla, neq; totum mouetur, sed quiescens mouetur aliquando. Si ergo motus non potest incipere esse, vel fieri cum non esset antea, oporteret de istis dicere, quod aut semper mouentur, aut nunquam, vtrumque autem falsum, & absurdum est. Tex. 17. *Secunda.*

Multo magis manifestum est, quod dicimus in animalibus. Cùm enim in nobis aliquando nullus insit motus, sed quiescamus, mouemur tamẽ interdum, & fit in nobis ex nobismetipsis principium motus absque vllo motore extrinseco. Imo propter hoc sumus ab inanimatis differentes (differentia scilicet aliqua, sunt etenim alia.) At quod ipsa inanimata à seipsis moueantur, nos non videmus, sed semper mouet ipsa aliquid eorum, quæ sunt extra ipsa, vt lapis, v. g. mouetur à proijciente, si sursum, vel violenter moueatur, si verò deorsum, mouebitur à remouente impedimentum, animal autem ipsum dicimus seipsum mouere, quare si aliquando penitus quiescit, & iterum incipit moueri, fiet & incipiet motus in eo, quod est immotum à seipso, & non ab externo. Si autem in animali hoc possibile est fieri; quid prohibet idem hoc accidere in vniuerso? si enim in paruo mundo fit, & in magno; & si in mundo hoc fieri potest, & in infinito quiescente, eo modo quo posuit Anaxagoras, chaos infinitum, & per *Tertia.*

infini-

infinitum quiescens, sic igitur motus tam vniuersi, seu cęli (accipitur enim hic vniuersū pro parte nobiliori, & precipua ipsius, quod est cęlum) incipere potest, quam etiam aliarum rerum, & ipsius quoque infiniti positi ab Anaxagora, si contingit quidem quod infinitum aliquod totum moueri, vel quiescere possit, si hoc inquam ponatur (quod tamen est impossibile) ratio prædicta videtur probare, quod motus eius incipere possit, & non sit æternus, quæ tamen ratio supponit infinitum dari, esse totum, & mobile, quæ omnia reprobauimus in 3. Physic. Est notandum, quod animal dicitur paruus mundus, quia omnia, quæ sunt in mundo aliquomodo in se continet, vt virtutes elementorum, vitam plantarum, motum cęlorum, cognitionem Intelligentiarum, & maximè homo, ac cæteris ipse homo præsidet, sicut Deus quidam huius mundi. Hæ igitur sunt rationes contra æternitatem motus, nunc ad earum solutiones accedamus.

Tex. 18. Solutio 1. Ad primam igitur, in qua assumptum est, motum qui ad opposita fit, scilicet ex termino ad terminum, non esse semper eundem, nec per consequens æternum, sed terminatum. Respondetur, quod rectè dicitur de tali motu, non enim hunc terminatum, infinitum esse asserimus; imò hoc fortassis necessarium est, quod non sit semper vnus, & perpetuus motus eiusdem mobilis, qui fiat inter terminos contrarios, licet infinities reflectatur de vno in alium terminum. Dico autem, vtrum vnius chordæ, quam pluries percussa, sit vnus & idem sonus, an semper alius, & alius licet ipsa semper similiter se habeat, & eodem modo moueatur; negatiuè est respondendum, quia sunt diuersæ terminationes ipsius soni, sic igitur motus, qui ad opposita sit, æternus non est. Qualitercunque tandem se habeat, hoc quod diximus de vnitate, & pluralitate motus, qui est circa terminos oppositos, & de quo determinabimus exactè in sequentibus, hoc (respondendo ad argumentum) dicimus, quod videlicet nihil prohibet, vnum & eundem esse aliquem motum, qui continuus est, atque perpetuus, hic namque non est inter opposita, sicut est motus cęli, de quo magis manifestum erit ex ijs, quæ posterius dicemus. Vnde posset negari minor, quæ fuit omnem motum esse terminatum, nam de motu circulari cæli falsum est.

Tex. 19. Solutio 2. Ad secundam rationem, in qua dicebatur, posse moueri id, quod antea non mouebatur, vt inanimata, ergo similiter vniuersum, vel cœlum. Respondetur, disparem esse rationem, quia moueri id quod antea non mouebatur, nullum est inconueniens, si aliquando sit id quod extrinsecè mouet, aliquando verò non sit, nam mouetur dum mouens adest, dum verò non adest non mouetur, si verò semper adesset mouens, & nullum esset impedimentum, nec dependeret ab alio motore, tunc semper necessariò moueret, sic est in proposito de primo motu, primo mobili, & primo motore, semper namque est debita dispositio, præsentia, & sufficientia, quare talis motus perpetuus esse debet. Hoc tamen quomodo vtique erit, inquirendum est, dico autem, vt idem interdum moueatur, interdum verò non, etsi maneat semper idem motiuum, nihil enim aliud dubitat hoc dicens, quam propter quid eorum, quæ sunt in natura, non semper aliqua mouentur, aliqua autem non semper quiescunt.

Tex. 20. Solutio 3. Maximam autem habet dubitationem tertium argumentum de motu animalium, propterea quod fit motus in ipsis cum non esset prius, vt prius quiescens, postea vadit, & tamen nullum externum mouet, vt patet, quare non possumus dicere sicut superius, nempe non semper moueri, quia non semper adest motor, cum motor ipsorum sit internus, nempe anima, quæ semper (ipsis viuentibus) adest, & tamen non semper mouet, vnde pari ratione posset dici de motu cęli, videlicet, quod non sit æternus, sed aliquando cępisset, etsi semper ponantur esse motiuum, & mobile: Cùm igitur videatur bona similitudo, argumentum difficilis est solutionis. At respondetur, hoc argumentum falsum assumere, videlicet, quod animalia moueantur à principio tātum interno, nullo extrinseco concurrente. Conspicimus enim semper aliquid eorum, quæ congenita sunt animalibus, sicut sunt potentiæ, vel sensus ipsorum, moueri antequam animal secundum corpus, vel secundum se totum moueatur. Motus autem istius, qui in potentijs, vel sensibus sit ipsum animal causa non est, & sic non incipit ab interno principio, sed causa huiusmodi est forte aer continens, ipse namque suis qualitatibus, vel influentijs, sic vel sic, afficit potentias animalium, quæ sic affectæ, ad conueniens quærendum ipsum animal excitant, v. g. aer calefacit, vel humectat, vel frigefacit animal, quod sic affectum mouetur ad suum bonum, nempe ad calorem, vel frigus, &c. melius tamen dicamus, quod ipsa animalia mouentur à continenti obiecto, vt à cibo, vel alia re delectabili, ad prosequendum, ad fugiendum autem mouentur ab obiecto nociuo: non igitur à seipsis omnem motum, sed secundum locum motum incipiunt. Vnde dicimus animal seipsum mouere, non secundum omnem motum, sed secundum motum localem, qui alios motus præsupponit, vt declaratum est: sic igitur, cum ipsa animalia non habeant motorem primum, & independentem, non inconuenit, quod aliquando moueantur, aliquando non; si verò semper coniunctum motorem, à nullo dependentem, & cum debita dispositione haberent; curreret argumentum, ac semper mouerentur. De cęlo autem hoc dicere necesse est, habet n. semper coniunctū motorem primum, cum debitis dispositionibus, ideo semper est motus eius. Nihil igitur prohibet, animalia non habere in se motorem, qui solus absque vlla dependentia ipsa moueat, quinimo necessariū forte est, in corpore animalis multos fieri motus ab aere continente, qui motus vel sunt circa intellectū, vt apprehensio obiecti vniuersalis, vel in vniuersali sub ratione conuenientis, vel disconuenientis, vel circa appetitum concupiscentiæ, vt cibi, vel irascibilis, vt fugere malum, vel prosequi res arduas, &c. qui motus postea totum animal motu locali mouent, sicut accidit circa somnos, quia nullo existente motu sensibili, postea tamen aliquo existente, animalia excitantur, vnde incipit excitatio, & motus in potentijs animalis prius ab extrinseco, etsi postea motu locali à se, vel interno principio moueatur, sed de his manifestum erit in sequentibus.

SVMMA SECVNDA.

De immobilitate, perpetuitate, & vnitate primi Motoris.

CAPVT I.

Diuisiones quædam motus, & quietis, prout rebus conueniunt, ac non omnia semper moueri, nec omnia semper quiescere, probatur.

Principium autem considerationis ad cognoscendū primum motorem immobilem esse, ac æterno motu mouere, id erit, quod etiam est prædicta dubitationis, quare scilicet, Tex. 21.

scilicet, quędam eorum quæ sunt aliquando quidem mouentur, aliquando autem rursus quiescunt, vt de animalibus exemplificatum est. Pro cuius maiori intelligentia est ponenda diuisio eorum, quæ mouentur, vel quiescunt, sic namque ordinatè propositum attingemus. Necesse est igitur, aut omnia quiescere semper, aut omnia semper moueri, aut alia quidem moueri, alia autem quiescere, & horum, aut ea, quæ mouentur, moueri semper, quæ verò quiescunt quiescere semper, aut omnia apta nata esse similiter moueri, & quiescere, aut reliquum adhuc tertium prædictæ subdiuisionis, videlicet, quod alia semper moueantur, alia semper quiescant, vt dictum est, tertium verò est hoc, quod alia vtroque participent, scilicet, quod interdum moueantur, interdum vero quiescant; quod quidem à nobis determinandum est, hoc enim soluto dubio, habebimus solutionem omnium dubitationum, quæ de æternitate motus fieri possunt, & etiam habebimus finem huius negotij de inuestigatione primi motoris. Singula nūc membra prædictæ diuisionis examinemus.

Diuiſio mouentium, & quiescētiū.

Tex. 22. Dicere igitur, omnia quiescere, & huius rationem sophysticam quærere, dimittentes sensum, est quædam infirmitas intellectus; omnis namq; ratio physica, cum sit circa sensibilia innititur maximè sensibus, & rebus sensatis, vnde sensum dimittere, non erit amplius discursus rationalis, & physicus, sed sophysticus, & vanus, præcipuè cum non sit ambiguitas de parte aliqua vniuersi, sed de ipso toto, scilicet de omnibus partibus eius; hoc est; erit maximè absurdum dubitare, vel dicere totum vniuersum quiescere, de parte autem aliqua ipsius dubitare, non sic esset absurdum. Neque hæc positio solum contra Physicum est, sed contra omnes scientias, & (vt dicam) contra omnes opiniones, propterea quod omnes vtuntur motu suo modo, saltem secundum rationem; vnaquæque namque ex præmissis ad conclusionem discurrit, hic autem est quidam motus. Præterea. Instantiæ, seu negationes de principijs non sunt examinandæ in scientia cuius sunt principia, vt in ijs principijs, quę sunt circa Mathematicam, si occurrat negatio, amplius ad Mathematicum non pertinebit disputare, & similiter in alijs scientijs, sic neque de eo quod nunc dictum est ad Physicum pertinet, nam suppositum est in 2. Phys. quod natura est principium motus, qui igitur motum negat, destruit principia naturalis Philosophiæ, & per consequens, non philosophicè loquitur, ideò dimittendus est talis sermo, quod melius in 2. Physic. declarauimus.

Tex. 23. Dicere autem omnia moueri, quidem fere falsum est, (dicitur fere falsum, quia est propositio in parte, & non in toto falsa) minus autem hoc est pręter methodum, seu doctrinam Philosophiæ naturalis, nam in Physicis positum est, naturam esse principium motus, & quietis, ideo vel motum, vel quietem negare naturali doctrinæ repugnat, sed magis negare motum, quia est quid magis physicum; est enim quid positiuum, quies autem priuatio quędam est. Hi autem qui dicunt omnia moueri, & semper, asserunt quod hoc nos per sensus cognoscere non possumus, quæ fuit opinio Heracliti, & sequacium. Contra quos, (etsi non determinent, quo motu omnia moueantur) non tamen est difficile insurgere, probando videlicet de singulis motibus, hoc quod dicunt impossibile esse, neque enim augeri, neque minui omnia semper est possibile, sed est medium in quo aliqua neque augentur, neque minuuntur, & tamen de ijs mutationibus maximè verum deberet esse, quod dicunt, cum præ cæteris lateant. Argumentum autem ipsorum ad probandam perpetuam augmentationem, & diminutionem tale est. Datur augmentatio, & diminutio rei quantæ, & continuæ, ergo datur in singulis partibus ipsius: hæ autem partes sunt infinitæ, quibus correspondent infinitæ partes temporis, ergo omnia, quæ sunt augmentabilia, vel diminuibilia semper augentur, vel diminuuntur, quanquam non innotescat hoc nobis. Similis autem est hæc ratio illi, quæ fit de guttis cadentibus, prout conterunt, vel scindunt lapidem, ac de plantis nascentibus prope saxa, quæ ipsa saxa diuidunt, vt patet de hedera circa quæ posset argui hoc modo, guttæ cauant lapidem, vel plantæ discindunt saxa, ergo hæc gutta, hanc partem lapidis cauat, & hæc pars plantæ, hanc partem saxi conscindit, & ista aliam partem, & sic de alijs, quæ argumentatio non est bona; non enim si tantum lapidis expulit, aut remouit gutta, & dimidium in dimidio temporis prius remouit, vel alia gutta præcedens etiam suam partem proportionalem remouit, sic quoque dicatur de scissione saxi à plantis facta: sufficit enim quod præcedentes guttæ disponant lapidem, vltimæ vero scindant, vel conterant. Sicut nec valet de tractione nauis, decem hominis trahunt nauem in vna hora per vnum milliare, ergo vnus homo ipsam trahet in decima parte horæ per decimam partem milliaris, hoc inquam non valet, ita & guttæ tot tantum lapidis mouent vel conterunt, pars autem illarum in nullo tempore tantum determinatum mouent. Vnde verum est, quod diuiditur id quod motum est in plures partes, sed nulla pars eius seorsum mota est, sed simul cum toto. Manifestum est igitur, quod non est necessarium semper aliquam partem abire, seu remoueri ex eo, quod ipsa diminutio diuidatur in infinitum, per partes proportionales ad diuisionem sui subiecti, sed totum aliquando simul abire, seu conteri potest, data præcedenti debita dispositione: sic quoque dicamus de augmentatione, & diminutione, quod licet in infinitum diuidi possint secundum partes proportionales subiecti augmentabilis, & diminuibilis, ipsæ tamen non semper secundum tales partes fiunt; imò habita præcedenti dispositione, simul aliquod totum augeri, vel minui potest, & sic non semper est augmentatio vel diminutio, nec ipsorum argumentum aliquod ualet; similiter autem in qualibet alteratione dici potest; non enim si id quod alteratur sit partibile in infinitum, & ob id alteratio sit secundum tales partes in infinitum, sed simul tota alteratio fit sæpe, vt congelatio, fit namque congelatio alicuius aquæ, vel alterius rei tota simul per omnes partes, & non prius in vna, quam in alia; quod præcipuè est clarum in plumbo liquefacto, quod statim amoto calore, secundum se totum congelatur, & sic de multis alijs. Amplius cum aliquis ægrotauerit, & postea redierit ad sanitatem, necesse est tempus fieri in quo sanabitur, seu erit in sanitate, & non quod sanetur in termino, seu nunc temporis, ita vt cum quis ex ægritudine tenderit ad sanitatem, in nunc temporis solum sanitatem accipiat, quia tunc simul tenderet ad infirmitatem, post enim sanitatem est infirmitas, & post nunc sequitur tempus, & sic si in nunc tantum sanitas esset, statim infirmitas sequeretur, quia motus est de opposito ad oppositum, hoc autem est inconueniens; nam si motus est ad sanitatem, necesse est mobile ad sanitatem moueri, & in aliud nihil. Quare dicere semper esse alterationem cuiusque rei, est contrariari rebus valde manifestis, alteratio namque est in contrarium terminum, & ex contrario, vt in calidum ex frigido, vel è conuerso, ergo terminata est, & per consequens non est semper vel infinita. Amplius lapis, neque durior fit neque mollior, ergo non semper alteratur, & sic non

est altera-

est alteratio semper circa quamlibet rem, Nunc autem de motu locali idem probemus, quod scilicet non omnia semper moueantur.

Tex. 24. Et de ipso ferri, seu localiter moueri mirabile esset quod sequitur, si dicamus omnia semper moueri, sequeretur nāque hoc, quod nos lateret quando lapis mouetur deorsum, & quando manet in terra; hoc est, nesciremus discernere motum eius à quiete, nam si dicamus semper moueri, motum eius non cognosceremus, dum eum quiescere dicimus, & sic auferretur omnis cognitio sensitiua. Amplius autem terra, & aliorum vnumquodque corporum naturaliū simplicium, ac mistorum inanimatorum manēt quidem ex necessitate in proprijs locis, ex quibus violenter tantum mouentur. Si ergo ex necessitate quiescunt, quomodo semper mouentur? Quod igitur impossibile sit, aut semper omnia moueri, aut semper omnia quiescere, ex his, & alijs similibus rationibus prædictis, crediderit vtiq; aliquis. At verò, neque contingit, quòd alia quidem semper quiescant, alia verò semper moueantur, nihil autem sit, quod aliquando quiescat, aliquando verò moueatur. Dicendum est autem, quod hoc est impossibile, quemadmodum in dictis prius, & in his, quæ modo diximus, videlicet esse impossibile, quod omnia semper quiescant, vel omnia semper moueantur, & præterea, quia contradicit rebus manifestis, qui hoc asserit; tolleretur namque motus violentus, ac augmentatio, si quod prius quiescebat, non moueri posset, nam motus violentus est à naturali quiete ad oppositum terminum, & sic iste motus supponit mobile quiescere in proprio loco, ac per consequens, si vel semper esset motus omnium, vel semper quies, motus violentus tolleretur. Similiter de augmentatione est dicendum, quia si semper esset quies, augmentatio non esset, si semper motus, tunc augmentatio esset in infinitum, & sic corpora naturalia saltem viuentia in infinitum augerentur, quod est absurdum, nā vniuscuiusq; rei est determinata ratio magnitudinis, & augmenti. Imò hic sermo aufert quoque generationem, & corruptionem, & ferè ipsum moueri; generatiò namq; est progressio de non esse ad esse, corruptio verò è conuersò, quare neq; erit semper generatio, neq; corruptio, cum terminis vtraq; claudatur; at si dicatur omnia semper quiescere, tales mutationes auferuntur; Si verò dicatur, semper esse generationem, & corruptionem, etiam tolluntur, quia id essentialiter repugnat ipsis. De moueri id quoque patet, nam omnibus est notum, quod in multis ipsum fit, & corrumpitur, nam id quod mutatur ex aliquo ad aliquid, aut fit hoc, (si sit mutatio generationis simpliciter, vel secundum quid, vt fit homo, vel album, vel quantum) aut in hoc, si sit motus localis rectus; ex termino igitur à quo mutatur, aut corrumpitur hoc, si sit simplex corruptio, vel secundum quid, vt corrumpitur homo, vel album, vel quantum, aut hinc, si sit motus localis, cum igitur in omnibus prædictis sint termini, sequitur quod non semper omnia moueantur nec semper quiescant, vt iam sæpè probatum est.

Tex. 25. *Quare manifestum est, quod alia quidem mouentur, alia verò quiescunt; censere autem, omnia aliquando quidem quiescere, aliquando verò moueri, hoc iam contingendum est ad olim dictas rationes; videlicet, quod hoc sit impossibile, & præcipuè contra sensum, & experientiam. Nunc autem idem principium ex prius determinatis assumendum est pro eodem proposito de primo motore.*

Tex. 26. *Aut enim omnia quiescunt, aut omnia mouentur, aut eorum quæ sunt, hæc quidem quiescunt hæc autem mouentur. Et si eorum, quæ sunt, alia quidem quiescunt, alia autem mouentur, necesse est, aut omnia aliquando quidem quiescere, aliquando verò moueri, aut ipsorum, quædam quidem semper quiescere, alia verò semper moueri; alia autem aliquando quidem quiescere, aliquando verò moueri. Quod igitur non possibile sit omnia quiescere, dictum est prius, dicamus autem, & nunc. Et si enim secundum veritatem sic se haberet, (vt quidam dicunt) quod vniuersum esset infinitum, & immobile, attamen quia de hoc nihil videtur secundum sensum, sed videmus quod eorum, quæ sunt multa mouentur, hæc habenda est pro veritate, cum naturalis Philosophia ex sensibilibus pendeat. Imò etiam si nullus appareret motus realis rerum naturalium, quæ sunt extra nos, adhuc cogeremur ponere motum, nam si detur aliqua opinio, vel vera, vel falsa, motus erit; & similiter si concedamus esse imaginationem, hoc idem fatendum est, namque opinio quidam discursus intellectus, qui causatur ex imaginatione, hæc autem est motus factus à sensibus, & sensibilibus; cum igitur imaginatio, & opinio videantur esse quidam motus, sequitur quod motum negantes, ipsum concedunt, non enim possunt ipsum negare, nisi aliquid opinando de ipso, ac per consequens concedendo motum, qui in opinione, & imaginatione consistit; Sed de hoc quidem considerare, & quærere rationem eorum, quæ melius nobis sunt nota, quam si ratione vteremur, est malè iudicantis, ac illius qui nescit discernere inter melius, & peius credibile, & non credibile, ac inter principium, & non principium, nam est melius, credibilius, ac principium notum in Philosophia, quod motus sit. Similiter autem impossibile est omnia moueri, aut alia quidem semper moueri, alia verò semper quiescere. Ad omnia enim hæc sufficiens est vna fides. Videmus enim, quædam aliquando quidem moueri, aliquando autem quiescere. Quare manifestum est, quod impossibile sit, similiter omnia quiescere, & omnia moueri semper, & quod alia semper moueantur, alia verò quiescunt semper.*

CAPVT II.

Omne quod mouetur, ab alio moueri.

Reliquum est igitur considerandum, vtrum omnia sint huiusmodi, vt aliquando moueantur, aliquando autē quiescant, an aliqua particularia tantū sic se habeant, vt interdū moueantur, interdū verò quiescant, & præter ista, sint aliqua, quę semper quiescant, aliqua, quæ semper moueantur; hoc n. demonstrandum est à nobis, & sic habebimus intentum. Pro cuius intelligentia est notandum, quod mouentiū, & mobilium, alia sunt per se, alia verò per accidens, per accidēs quidem sunt ea, quę in tantū mouere, vel moueri dicuntur, in quantum sint cōiuncta cū mouentibus, vel mobilibus, aut prout sunt partes ipsorum, vt si dicamus album ædificare, albū erit mouens per accidens, prout cōiungitur cum mouente per se .s. cū ædificatore; similiter de mobili per accidēs, vt si dicatur album calefit, vel currit, &c. accidit namq; album calefieri, vel currere. Secundū partem etiam, nā in mouentibus dicimus hominē percutere, quia manus percutit, in motis dicitur hominem sanari, quia oculus sanatur &c. Per se autē moueri dicuntur, quæ neq; per accidens, neq; per partem aliquam mouent, vel mouentur, vt in mouentibus ædificator ædificat, in mobilibus, calidum frigefit, & secundum oppositionem ad partes, homo secundum se totum trahit, vel impellit aliquid,

Tex. 27.

Mouentia & mobilia per se, & per accidens.

ac in motis, homo ambulat, vel currit, vel ægrotat, non ex aliqua parte tantum, sed secundum totum, vt fortè accidit in febri; & dicitur hic, motum secundum partem esse per accidens, ad differentiam motus totius, nam prout opponitur motui propriè per accidens, hic vocatur motus per se, vt visum est in 5. phys. tex. 1. patet igitur, quæ per se, & quæ per accidens moueant, & moueantur. Eorum autem, quæ per se mouentur, alia mouentur à se ipsis, alia verò ab alijs, & alia quidem mouentur naturaliter, alia vero violenter. Quæ autem à se ipsis mouentur, naturaliter moueri dicuntur, vt vnumquodq; animalium, mouetur enim animal ipsum à se ipso, nam quorumcunq; est in se ipsis internum principium motus, hæc à se ipsis moueri dicimus, & naturaliter. Quapropter totum, animal, naturaliter ipsum se ipsum mouet, corpus tamen eius cõtingit moueri naturaliter, & præter naturam, refert enim quali motu moueatur, & ex quali elemento prædominante constet (omnia namque ex quatuor elementis constant, ideo debet accipi quale sit elementum prædominans) vnde si animal terrestre moueatur sursum saltando v. g. talis motus ex parte corporis non erit naturalis, si vero deorsum, erit naturalis, nam hic est motus naturalis grauium; sed secundum totum animal, si animal terrestre moueatur motu progressiuo, naturaliter mouetur, sicut si volucres moueantur motu volatiuo, sic namque est proportio motus ad elementum prædominans, nam in terrestribus prædominatur terra, in volucribus aer, saltem sufficienter ad præbendam inclinationem ad motum. Eorum vero, quæ ab alio mouentur, alia mouentur naturaliter, vt si lapis proyciatur deorsum, alia verò præter naturam, vt terra sursum, ignis deorsum. Amplius autem partes animalium, sæpè mouentur præter naturam iuxta positiones, & motus, vnde quæ mouentur secundum proprium situm, naturaliter moueri dicuntur, vt brachia ex parte anteriori; sicut per oppositum, si contra proprium ordinem, & situm moueantur, non naturaliter moueri dicuntur, nam si grauia mouentur deorsum, leuia vero sursum, naturaliter mouentur; at si quis dicat, quænam partes leues assignari possunt in animalibus? Respondetur, quod spiritus vitales, & animales, qui licet non sint partes principales, nec fortè essentiales, tamen nihil refert.

Tex. 28. *Maximè autem est manifestum, quod ab alio mouetur, in ijs, quæ mouentur præter naturam; si enim sagitta sursum feratur, vnusquisque faciliter cognoscet, ab alio, & non à se proiectam esse. Sed post ea, quæ præter naturam mouentur, id quoque manifestum est in ijs, quæ mouentur à se ipsis naturaliter, vt animalia, non enim est immanifestum, an ab aliquo mouentur, cum ferè omnes cognoscant, moueri ab anima. Sed difficultas est, quomodo oportet accipere distinctè aliquid ipsius animalis quod mouet, aliquid verò quod mouetur, quomodo videlicet, anima moueat, & corpus moueatur. Videtur igitur vt in nauibus, & in ijs, quæ non sunt naturalia, sed artificialia, vt currus sic, & in animalibus esse diuisum id quod mouet, & id quod mouetur, sicut nauta est diuisus à naui, & auriga à curru. Tamen, quia nec nauta, nec auriga sunt partes, vel formæ nauis, & currus; anima verò est pars, & forma animalis, ideo illa non dicuntur moueri à se ipsis, sed animal à se ipso moueri dicitur, nam sibi conuenit talis motus, ratione alicuius quod est de sua natura, licet sit pars, tamen nihil refert, nam motus secundũ partem potest denominare totum, vt visum est in quinto phys. tex. 1. & in 4. tex. 25. est igitur similitudo in hoc, quod sicut mouens in naui, vel curru est distinctum à mobili, ita in animalibus, sed est dissimilitudo, quod in illis non est pars, neq; forma ipsum mouens, sed totum aliquod completum, & extrinsecum mobili. Maximè autem dubitatur circa reliquũ vltimæ diuisionis, nam eorum, quæ ab alio mouentur, alia posuimus moueri violenter, alia vero relinquitur, quod opposito modo moueantur, nempè naturaliter, quorum diximus, animalia à se ipsis moueri, at dubitationes maximam faciunt inanimata, quæ naturaliter mouentur, nempè grauia, & leuia, vt terra deorsum, ignis sursum, à quo inquã sic moueantur, dum enim mouentur violenter, vt terra sursum, ignis autem deorsum, nulla est difficultas, quod ab alio moueantur, vt declaratum est, à quo autem moueantur naturaliter vt leue sursum, graue deorsum, nunc est examinandum.*

A quo autem sic moueantur, non adhuc manifestum est, sicut quando mouentur præter naturam. Dicere quod à se ipsis moueantur, est impossibile, cum hoc sit opus vitale, & proprium animatorum. Plantæ namq; mouentur à se ipsis motu augmentationis; animalia verò præter hunc etiam locali, & sic à se ipsis. Præterea si à se ipsis mouerentur, sistere possent se ipsa, dico autem sic, quia sicut aliquid est sibi ipsi causa ambulandi, ita est quoque causa non ambulandi, seu sistendi se, sic igitur dum grauia mouentur deorsum, vel leuia sursum, possent in medio absq; aliquo adiutorio, vel impedimento quiescere, sicut animalibus progredientibus accidit, hoc autem est ridiculum, ergo non à se ipsis mouentur. Amplius. Quod à se ipso mouetur, potest moueri oppositis motibus, sicut animal ante, & retro, ad dexteram, & sinistram, quare si in ipso igne, & alijs rebus purè naturalibus (scilicet non animatis) est ferri à se ipsis, possent ad opposita loca naturaliter moueri à se, nam quæ à se ipsis mouentur, irrationabile est quod tantum vnico motu, seu ad vnam solam differentiam loci moueri possint; ignis igitur posset moueri naturaliter sursum, & deorsum, quod est absurdum, non ergo grauia, & leuia à se ipsis mouentur. Tex. 29.

Amplius id quod est continuum, non potest se ipsum mouere secundum quod verè continuum est, & non per contactum tantum; hæc namq; sunt contigua, sed si re vera sit vnum, & habeat partes, quarum extrema sint vnum, hoc modo (inquam) impossibile est, quod se ipsum moueat; nam quod mouet debet esse distinctum, ac diuisum ab eo, quod mouetur; secundum igitur quod vnum est ab alio diuisum, aliud natum est facere, aliud vero pati, vel aliud mouere, aliud vero moueri. Cum ergo nullum ipsorum sit diuisum, sed continuum, sequitur, quod nullum à se ipso moueri possit, quod de quolibet continuo dici potest, sed in quibuscunque sit motus, necesse est quod mouens sit diuisum à mobili, sicut in inanimatis videmus, cum aliquod animal ipsa mouet, sunt enim mouens, & mobile diuisa. Hoc autem quod diximus habet præcipuè veritatem in motu locali, in alijs fortè non est necessarium, nam pars aquæ calida nata est calefacere partem frigidam sibi continuam, verum est tamen quod ista possunt vocari non continua ratione formæ, seu qualitatis, licet sint quantitate continua, tamen melius est si loquamur de motu locali tantum. Tex. 30.

Sed accidit quod hæc ab aliquo semper moueantur dum mouentur, quod fiet vtique manifestum ijs, qui diuidunt causas motus, ijs videlicet qui considerant, quot modis aliquid ab aliquo, vel à se ipso moueri possit. Potest etiam ipsis mouentibus accipi, vel applicari, quod dictum est, de mobilibus, nam sicut dictum est, quod aliquid mouetur præter naturam, seu violenter, sic quoque aliqua Tex. 31.

sunt

sunt motiua extra naturam, vel violenter, vt vectis, seu baculus est motiuus rei grauis, non naturaliter, sed violenter, prout etiam ipse violenter sursum, vel ad aliam differentiam mouetur. Alia verò sunt naturaliter motiua, vt actu calidum naturaliter est motiuum, vel calefactiuum eius, quod est calidum in potentia, similiter autem, & in alijs huiusmodi, vt actu frigidum est motiuum illius, quod est potẽtia frigidum. Similiter mobile naturaliter dicitur, quod est ex se, vel est sua natura in potentia ad illam, vel istam formam per motum acquisibilem, vt quod est in potentia ad qualitatem, dicitur alterabile naturale, ad quãtitatem augmentabile, ad vbi mobile secundum locum, dico autem si accipitur secundum, quod est per se in potentia ad talem formam, non autem per accidens; vt si aliquid sit simul quantum, & quale, si dum secundum quantitatẽ mouetur, nempè ad illam acquirẽdam ad quam erat in potentia, & dicatur moueri æquale, erit motus, & mobile per accidens, sicut si dicamus musicum ædificare, quia vnum eorum accidit alteri, nempè quanto accidit esse quale, & è conuersò, cum igitur aliquid dicitur moueri ad id, ad quod est per se in potentia, tunc naturaliter moueri dicitur. Sic quoque id naturaliter mouet, quod mouet id quod aptum est moueri, sicut frigidum mouet calidum motu alterationis, vel è contra. Ignis igitur, & terra mouentur ab alio violenter, cum mouentur extra proprium locum, quod est moueri extra naturam, & inclinationem ipsorum; quia scilicet non sunt in potentia, vel propensione ad talem motum. Naturaliter autem mouentur, cum potentia ipsorum erit reducta ad proprium actum, ad quẽ ordinatur, sicut cum mouentur ad propria loca, quando videlicet sunt extra.

Tex.32. *Quoniam autem aliquid esse in potentia stat dupliciter, ideo si hoc non cognoscatur erit sanè causa, vt non sit manifestum, à quo nam talia mouentur, vt ignis sursum, terra verò deorsum; potentiarum igitur, alia est ad actum primum, alia ad actum secundum; dicitur ad actum primũ, id quod est in potentia ad formam principalem; ad actum secundum, quod est in potentia ad formam secundariam, seu accidentalem, ita vt res postquam ad actum primum reducta est, potest adhuc esse in potentia ad actum secundum, v.g. qui discit est alio modo in potentia vt fiat sciens, quam qui iam habens scientiam, ad considerationem, seu discursum scientificum, cum actualiter non considerat, seu discurrit, nam addiscens est in potentia ad actum primũ, scilicet ad scientiam, quæ respectu sciẽtis est primus actus, quia ipsum in esse scientis constituit; sciens autem, sed non actualiter speculans, est in potentia ad actum secundum, nempe ad speculationem; vtrumq; autem, tam quod est in potentia ad actum primum, quam quod ad actum secundũ, reducuntur ad ipsos actus, cum simul actiuum, & passiuum sunt, vt addiscens ex eo, quod est in potentia ad scientiã, reducitur ad ipsam, si adsit actualiter docens, & sic existens in actu primo fit in potentia ad alterum, seu secundũ. Vnde habens scientiam, & non actualiter considerans est etiam aliquo modo in potentia vt sciat, sed non sicut antequam addisceret, quia tunc erat in potentia ad actum primum, nunc autem ad secũdum. Cum autem sic se habeat, vt ad actum primum reductũ sit; si aliquid non prohibeat, operatur, & considerat, aliter non erit verum quod actũ primum habeat, imò erit in contradictione scientiæ, hoc est in nescientia, vel ignorantia. Similiter autem hæc, quæ diximus se habent in rebus naturalibus, in quibus potest quoq; assignari actus primus, & secundus; actus primus erit forma, actus secundus erit operatio, & cum ad actum primum fuerint reducta, operabuntur, nisi adsit impedimentum. Vnde frigidum est in potentia calidum, cum autem fuerit mutatum, seu ad actum primum reductum, iam ignis est, vnde operabitur, nempe calefaciet, & ascendet nisi aliquid prohibeat, vel impediat. Similiter autem res se habet circa graue, & leue. Leue enim fit ex graui, vt ex aqua aer, hic namq; aer prius quam factus sit ex aqua est in potentia ad actum primũ, scilicet ad propriam formã, ad quam non potest reduci, nisi à generante, nam ad talẽ actum reduci est generari, nihil autem generatur à se ipso. Cum autem iam leue est, seu est in actu primo, operabitur mox nisi aliquid prohibeat, operatio autẽ, vel actus eius est alicubi esse, vel fieri, sursum, prohibetur autẽ cum est in loco contrario, hoc est impediente; similiter hoc se habet in quantitate, & qualitate, quod videlicet dum aliquid ex eo, quod erat in potentia ad quantitatem, vel qualitatem, ad actum primũ reductum sit ab agente, operabitur statim, secundum talẽ actum, & sic ex se ad actum secundum se ducet, vt quod factum est calidum calefacit, & si quantitas non sit de genere actiuorum, tamen eo modo quo agere potest, vt vel disponere subiectum, vel recipere alia, vel præbere aptitudinem ad diuisionem, motum, &c. operatur. Sic igitur patet, quomodo ipsa grauia, & leuia mouetur ad actum primum à generante, sed ad operationẽ, vel actum secundum, cuiusmodi est moueri sursum, vel deorsum à se ipsis mouentur. Cum igitur quæritur, quare grauia, & leuia mouentur ad propria loca; Respondetur causam esse, quia apta nata sunt esse in proprijs locis, & hoc prouenit ex natura, seu esse ipsorum grauiũ & leuiũ. Vnde leue dicitur prout ex sua natura habet determinatã propensionem vt sit sursum, graue vero deorsum. Est igitur graue, & leue in potentia dupliciter, vt dictum est. Scilicet ad actum primum, & secundum, vt cum est aqua est quodãmodo in potentia vt fiat leuis, quia est in potẽtia vt fiat aer, qui est leuis, vnde est in potẽtia ad formam aeris, seu ad actum primum. Cum autem facta est aer, est in potentia alio modo, scilicet ad actum secundum, vel ad moueri sursum, nam contingit propter aliquod impedimentum, ne sursum statim feratur, sed si auferatur impedimentum, agit, & semper sursum fit; similiter autem quale, postquam iã ad actum qualitatis primum erit, ex se ad actum secundum immutat, vt postquam aliquis factus est sciens mox cõsiderat nisi aliquid prohibeat. A se ipsis igitur grauia, & leuia mouẽtur, nisi adsit impedimentũ; quæ vero ipsũ aufert est aliquomodo mouens, aliquomodo non, vt qui columnã diuulsit, aut qui lapidẽ remouit à vase in aqua (qui scilicet lapit obstruebat foramen ex parte posteriori, vnde aqua postea exit) hæc igitur, quæ impedimenta tollunt, nõ sunt nisi aliquomodo mouẽtia, videlicet per accidens tantum, sicut reflexa pila à pariete non dicitur per se à pariete moueri, sed à proijciente; à pariete vero per accidens, sic grauia, & leuia, ad actum primum mouentur à generante, ad actum secundũ per se mouentur à se ipsis, per accidens autem à remouente impedimẽtũ, vel prohibens. Quod igitur, nihil horum grauium, & leuiũ ipsum moueat se ipsum ad actum primum, manifestum est, sed respectu talis primi actus, habet vnumquodque horum principium non mouendi, neque faciendi, sed patiendi.*

Si igitur omnia, quæ mouentur, aut naturaliter mouentur Tex.33.
aut violenter, & ea quæ violenter mouentur, omnia ab alio mouentur; similiter ea, quæ mouentur naturaliter, vel dicũtur à se ipsis moueri, vt animalia, vel non à se ipsis, vt grauia, & leuia; vtraq; autẽ ab alijs mouentur, vt animalia ab anima, grauia autem, & leuia, aut à generante, vi-

delicet ad actum primũ, vel attributione quadã ad secundum, vt (in quæstionibus dicã) per accidens ab eo quod abstulit impedientia, & prohibentia; omnia igitur quæ mouentur, ab alio mouentur. Hoc autem accidit dupliciter, nam quod mouet, vel per se ipsum immediatè mouet, vel per alterum, & si per alterum, vel per vnum tantum, vel per plura, vt si quis moueat lapidem per manum, per vnum tantum mouet, si vero per baculum, mouebit per plura, nempe per manum, & baculum, homo vero non amplius per aliud mouet manum, sed per se ipsum, quando autem plura mouentia ad vnum motum concurrunt, omnia mouere dicimus, tam primum videlicet quam vltimum mouentium, sed magis primum ipsum mouet vltimum, sed vltimum non mouet primum, & ipsum vltimum non mouebit sine primo, primum autem sine ipso mouebit, vt baculus non mouebit, non moto homine, sed homo mouebit, non moto baculo, potest igitur tota ratio breuiter hoc modo reduci. Omne quod mouetur, vel mouetur violenter, vel naturaliter, & si naturaliter, vel vt animata, vel vt non animata, omnia vero, vel per se immediatè, vel per vnum aut plura instrumenta, sed quæ mouentur violenter ab alio mouentur; similiter animalia ab anima, grauia vero, & leuia à generante, vel remouente prohibens; ergo omnia quæ mouentur, ab alio mouentur, instrumenta autem nihil tribuunt, vel tollunt istius, quod est à se, vel ab alio moueri.

CAPVT III.

Necesse est deuenire ad primum aliquod, quod vel sit immobile, vel moueat se ipsum.

Tex. 34. *Si ergo omne quod mouetur necesse est ab alio moueri, & aut ab eo, quod etiam mouetur ab alio vt declaratum est, aut ab eo, quod non mouetur ab alio; etsi ab alio quod etiam ab alio mouetur, necesse est tandem deuenire ad aliquod primum mouens. Cum vero tale primum assignetur, non est necesse esse alterum, nam impossibile est in mouentibus, & mobilibus abire in infinitum, nulla enim infinitorum nihil est primum, nec vltimum, & sic neque esset motus. Si ergo omne quod mouetur ab alio mouetur, primum autem mouens si ponatur moueri, non debet moueri ab alio, quia sic non esset primum; necesse est si mouetur, ipsum à se ipso moueri.*

Infinitorũ nullum est primum.

Tex. 35. *Amplius autem sic eandem rationem formare possumus. Omne mouens mouet aliquid, & aliquo, ita vt ipsum mouens, moueat, vel immediatè se ipso, aut mediante alio, vt homo mouet aliquid, vel se ipso, vel baculo, & ventus deiecit aliquid, aut ipse immediatè, aut per lapidem quem impulit, hoc igitur est reperire in quolibet mouente, quod scilicet in eo sit ratio qua mouet, & ipsum mouens, quæ ratio, vel non est distincta à se ipso, & sic dicitur idem mouens, & quo mouet, & hoc est dum aliquid immediatè mouet, vt anima mouet corpus, vel est distincta, & sic aliud est mouens, & quo mouet, vt dum homo mouet lapidem baculo. In omnibus autem motibus, impossibile est mouere id quo fit motus, (seu impossibile est vt ratio, seu medium mouendi moueat) sine eo, quod à se ipso mouet, hoc est omne mouens vt quo, debet reduci ad id quod per se immediatè mouet, hoc namque habet rationem instrumenti, ideo ab agente, seu principali mouente dependet; si igitur aliquid immediatè per se ipsum mouet, non est necesse vt id quo mouet sit distinctum à mouente. Si vero alterum sit quo mouet ab eo, quod mouet, etiam reducendum est ad hoc quod aliquid non alio, sed se ipso moueat, aut in infinitum abibit, quod est absurdum; si igitur aliquid quod mouetur, mouet, necesse est stare ad id quod à se ipso mouetur, & non in infinitum abire; si enim baculus mouet ex eo, quia mouetur à manu, manus mouet baculum, si autem hanc aliud mouet, & aliud hoc aliquid mouens est, non tamen iu infinitum; sed deueniendum est ad id quod se ipso mouet. Cum itaque mouens moueat semper aliquid aliquo, necesse est quod ipsum mouens prius moueat se ipso. Si autem mouetur quidem hoc, nec est aliud quod ipsum moueat (aliter procederetur in infinitum) necesse est ipsum, se ipsum mouere. Quare secundum hanc rationem, hoc (epilogando) intendimus concludere, quod id quod mouetur, aut mox mouebitur ab eo quod à se ipso mouetur, aut veniet aliquando ad aliquid tale, sic ergo deueniendum est ad aliquod mouens, quod non moueatur ab alio; omnia namque media, instrumenta, & agentia secundaria, ad vnum primum reducuntur; loquendo maximè in totius naturæ ordine; non tamen est ex istis asserendum, primum motorem esse mobilem à se ipso; quia hæc quæ supradicta sunt, tendunt per diuisionem ad probãdum immobilitatem primi motoris, ita vt primo probandum esset, quod detur vnus primus motor, postea si dicatur moueri, necesse sit, quod à se moueatur, tandem hoc etiam membrum destruetur, quod scilicet moueri possit, vnde ordinatim deuenietur ad hoc, quod detur primus motor, & immobilis. Nunc etenim probandum est, quod non sit processus in infinitum in mobilibus, & mouentibus, idest non esse necessarium, quod omne mouens moueatur ab alio, sed deueniendum sit ad vnum primum, quod ab alio non mouetur.*

Postea autem, quæ dicta sunt hæc eadem accident considerantibus hoc modo. Si omne quod mouetur, mouetur ab aliquo, quod etiam mouetur, aut hoc inest rebus per accidens (idest quod mouens inquantum mouens moueatur, non tamen mouet secundum rationem mouentis absq; eo scilicet, quod moueatur ab alio) aut hoc non per accidens inest, sed per se. Si inest per accidens, ita vt nihil possit moueri, nisi ab eo, quod mouetur ab alio, & sic accidentale sit quod ab alio moueatur, si (inquam) sic per accidens mouens ab alio mouetur; nec tamen mouere potest nisi moueatur, sequitur id quod mouetur posse quoque non moueri, & per consequens quod aliquando possit non esse motus, nam motore non moto (ex suppositis) nihil mouet, & sic nullus motus erit; quod vero hoc sequatur, patet; nam quod per accidens conuenit, non conuenit necessariò, sed contingenter, & potest non conuenire, si ergo ponamus possibile esse, nullum impossibile accidet, etsi interdum possit accidere falsum, ergo si ponamus, mouens per accidens moueri, sequitur non esse impossibile, quod interdum non moueatur, & sic neque moueat, ac per consequens omnis motus cesset. Sed motum non esse impossibile est, non tantum falsum; ostensum est enim prius hoc, quod scilicet necesse est motum semper esse; non ergo omne quod mouetur ab alio, quod etiam mouetur, ipsum mouetur; sic vt ipsi mouenti, conueniat quoque moueri, licet per accidens, sic tamen quod si non moueretur non moueret, quia posset accidere, quod motus totaliter periret, vt probatum est. Tex. 36.

Et rationabiliter accidit hoc, quod scilicet nõ sit necessarium omne mouens moueri, aliter prædicta absurda sequerentur; pro cuius probatione supponamus tria, quæ neces- Tex. 37.

necessariò sunt in motu; nempè mouens, quod mouetur, & id mediante quo mouens mouet; vt in animali mouens est anima, motum est corpus animalis, & illud mediante quo anima mouet, est musculus, vel calor naturalis. In istis autem reperitur differentia, nam quod mouetur, necesse est moueri, non autem est necesse, quod moueat, id autem mediante quo mouet, necesse est quod moueat, & moueatur, nam eodem modo, & simul existens cum eo, quod mouetur, necesse est quod ab ipso mouente moueatur, quod potest manifestari in mouentibus, & mobilibus secundum locum. Vnde præter prædictum exemplum commune potest aliter exemplificari, sit igitur homo mouens, mobile vero sit liber de hac parte cathedræ in istam, quo verò fit motus est brachium, vel manus, in istis ergo, liber mouetur tantum, brachium mouet, & mouetur eodem motu cum libro, nam simul cum ipso existit coniunctum, homo vero est mouens, accidit autem quod mobile, & illud quo mouetur, vt liber, & manus simul moueantur, quia necesse est quod se inuicem tangant, vsque ad aliquid, seu vsque ad terminum, quod maximè habet veritatem, in motu impulsionis, vt est hic de libro: mouetur igitur mobile, & simul cum ipso mouetur id quo fit motus; mouens autem sic se habet (dummodo non sit mouens quo fit motus, sed principale) vt sit totaliter immobile. Istis suppositis, sic intentum probemus. Quoniam videmus vltimum, quod moueri quidem potest, non tamen habet actiuum principium, vt alia moueat, saltem eodem motu, vt patet de libro, qui nec manum, nec hominem mouere potest, dum mouetur. Similiter est aliud quod mouetur quidem ab alio, & non à se ipso, ac pariter mouet, rationabile est (vt ne necessarium dicamus) & tertium esse, quod mouet quidem, cum sit immobile. Quapropter Anaxagoras rectè dicit, mentem (nempè diuinam, quam causam omnium effectiuam ponebat) impassibilem, & immistam esse à rebus mobilibus, si namque esset mista, simul cum ipsis moueretur, hoc autem ideo dicit, quoniam (vt diximus) facit ipsam mentem, vel intellectum principium motus; sic enim vtique solum mouebit, cum sit immobilis, & vincet (hoc est aget sine reactione) cum sit immistus. Patet ergo, non omne quod mouetur moueri ab alio, cui per accidens contingat, vt moueatur. Nunc probandum est, quod neque omnia moueantur ab eo quod moueatur per se, & sic erit aliud membrum diuisionis assumptum in præcedenti argumento, & habebimus intentum, quod videlicet oporteat deuenire ad aliquod mouens, quod ab alio non moueatur, sed vel à se ipso, vel à nullo.

Tex. 38. *At vero si non secundum accidens, sed ex necessitate mouetur mouens, ita quod nisi moueatur non moueat, necesse est, quod moueatur, vel secundum eandem speciem motus quo mouet; vel secundum alteram; secundum eandem speciem erit, si calefaciens, calefiat, vel sanans sanetur, aut quod fert, vel localiter mouet, feratur, vel moueatur localiter. Secundum aliam speciem; si sanans, feratur; aut ferens augeatur. Sed manifestum est, quod vtroque modo impossibile est; quod vt melius intelligatur; oportet vsque ad indiuiduas, seu vltimas species specialissimas exemplificare. Si igitur quod mouet moueatur eadem specie motus, sequitur quod, si quis docet geometrice operari, is docetur geometrice operare, secundum idem, seu eodem modo, & secundum eandem doctrinam, ac lectionem, aut si quis proijcit aliquid, proijcitur secundum eandem proiectionem, & eundem motum. Aut si non secundum eandem speciem, sed ex vna specie, vel genere mouens ipsum secundum aliud moueatur; vt quod fert, quidem augeatur, quod autem hoc auget, alteraretur ab alio; quod autem hoc, secundum alium quendam moueatur motum; si autem hoc dicatur, necesse est denique stare ad aliquam speciem, finiti enim sunt motus ipsi. Si igitur quod mouet, mouetur altera specie motus ab eo quo mouet, vel oportet, quod stet in aliqua specie, & sic non erit vniuersaliter verum, quod dicitur, scilicet, quod omne mouens moueatur alia specie motus, & si ferens augeatur augens diminuatur, diminuens alteratur; alterans denique non habebit aliam speciem motus quo moueatur; ideo rursum necesse erit reflectere, ita vt alterans dicatur ferri, ac dicere hoc modo, quod sit reflexio ad primam speciem, idem est, ac si diceretur statim ferens ferri, & doceri docens, & similia; nam manifestum est, quod à primo mouente mouetur id quod vltimo mouetur, ergo si ipsum quoque primum mouens mouetur, & non procedatur in infinitum in speciebus motus, sequitur quod eodem motu, & mouet, & mouetur, quia omnes prædicti, & posteriores ab ipso causantur, ergo quocunque accipiatur moueri, eodem quoque mouebit, & sic redit inconueniens prædictum, quod scilicet aliquid eadem specie motus moueret, & moueretur, at vero hoc quidem impossibile est; nam accideret, quod docens disceret, quod est absurdum, & sunt rationes incompossibiles, nam discens necesse est non habere scientiam, docens autem necesse est eam habere; & sic idem esset doctus, & non doctus, ac contradictoria de eodem verificarentur, secundum idem. Amplius autem, etiam magis irrationabile est quod accidit, nam omne motiuum esset mobile; quod oportet dicere, si omne quod mouetur, ab eo mouetur, quod etiam mouetur, & sic asserere motiuum quodlibet esse mobile, idem erit, ac si aliquis dicat, omne sanatiuum, ac sanans sanabile esse, & ædificatiuum ædificabile, aut statim, aut per plura media, nihil tamen refert; quod dico si ponamus omne motiuum esse mobile, non eadem specie motus quo mouet propinquum sibi mobile, sed secundum alteram, vt sanatiuum si discat, nam ascendendo perueniet tandem ad eandem speciem motus, vt diximus prius. Alterum igitur horum impossibile est, scilicet quod idem immediatè eodem moueat motu, & moueatur, alterum autem figmentum, nempè quod detur reflexio, vt dictum est, nam inconueniens est alteratiuum ex necessitate esse augmentabile.*

Tex. 39. *Non ergo necesse est semper moueri quod mouetur ab alio quod ipsum etiam sit motum, stabitur ergo. Quare id quod primo mouetur, vel mouebitur à quiescente, vel ipsum primum mouens, si erit mobile, mouebitur à se ipso. Præterea si rectè considerabimus, quid potius debeat poni causa motus, vel id quod se ipsum mouet; vel id quod mouetur ab alio, vnus quisque vtique ponet illud quod se ipsum mouet, nam id quod per se est causa, semper prius est eo quod est causa secundum alterum, & ex existentia alterius. Sed quod à se mouetur est per se causa motus, quod vero mouetur ab alio, habet ab alio quod moueat, & illo alio non existente, ipsum non mouebit; non ergo est ponendum omnia moueri ab alio, quod etiam ab alio moueatur, sed standum est ad vnum, quod non moueatur ab alio, sed vel à se, vel à nullo.*

CAPVT IV.

Quod, & si perueniamus ad primum se ipsum mouens, necesse est tamen deuenire ad mouens immobile.

Tex.40 QVare cum hoc, ita se habeat, quod scilicet primum mouens non mouetur ab alio, sed à se ipso, vel à nullo, considerandum est, si ponamus à se ipso moueri, quomodo hoc sit verum; qua scilicet ratione, vel modo se moueat, quo rectè fecerimus, sumpto alio principio discurrendi, videlicet ex parte mobilis. Necesse est igitur, omne quod mouetur esse diuisibile in semper diuisibilia: hoc enim ostensum est prius in ijs, quæ vniuersaliter de rebus naturalibus diximus, quod omne quod per se mouetur continuum est, & per consequens in infinita diuisibile. Si igitur primum mouens mouetur, erit quoque diuisibile; supponamus autem, (vt declaratum est) quod ab alio non moueatur, relinquitur ergo, quod moueatur à se ipso, hoc supposito, probemus quòd sit falsum, & impossibile, tali ratione. Omne quod à se ipso mouetur, vel mouetur secundum se totum, ita vt totum mouens absque vllo discrimine moueatur, vel mouetur ratione partis, quia vnaquæq; pars se ipsam mouet, vel tertiò, quia vna pars mouet aliam, & ab alia quoque reciprocè mouetur, aut denique quod vna pars mouet aliam, etsi ab alia non moueatur, sic quod vna sit tantum mouens, alia vero tantum mota. Tria prima membra diuisionis probabimus esse impossibilia, quartum autem remanebit, vnde habebimus intentum, quod videlicet detur aliquod mouens, quòd non moueatur; de primo igitur membro, dicimus quod impossibile est ipsum mouens penitus mouere se ipsum, ita vt totum secundum totum sit mouens, & motum; nam idem ferret, & ferretur secundum eandem lationem, quinimo vnum, & indiuiduum secundum speciem existens (hoc est vnum numero alicuius speciei specialissimæ, vt vnus homo, vnus leo) alterabitur, & alterabit, quare docebit vtique, & docebitur simul, & sanabit, & sanabitur secundum eandem sanitatem. Amplius autem determinatum est in 3. physic. quod mouetur id quod mobile est, idest quod mouetur hoc quod est in potentia dum mouetur, non autem in actu, quod autem in potentia est ad actum tendit, ideo in actu esse non potest, quia ad ipsum non pergeret (loquendo nempè de actu, & potentia respectu eiusdem, nam respectu diuersorum, res aliter se habet, homo enim existens actu homo, est in potentia ad vbi, ad qualitates, & alia) reducitur autem ad actum per ipsum motus, qui est actus mobilis, imperfectus tamen, vt in 3. physic. visum est. At mouens est in actu, vt calefacit, quod est actualiter calidum, & omnino id quod formam, vel actum essentialem habet generat. Si igitur id quod mouetur est in potentia, quod autem mouet est in actu, & idem secundum se totum mouet, & mouetur, ergo idem secundum idem erit in actu, & in potentia, ac per consequens calidum, & non calidum, frigidum, & non frigidum; similiter autem aliorum vnumquodque eorum, in quibus necesse est quod mouens sit vniuocum, cum termino per motum acquisibile (loquendo de mouente instrumentali, vt calefaciens secundum calorem, est vniuocum cum calore acquisibile per calefactionem, similiter frigefaciens cum frigiditate &c.) cum igitur id quod calefacit sit in actu, id autem quod calefit sit in potentia, sequitur quod diximus, idem esse calidum, & non calidum, in actu, & in potentia; hoc autem est absurdum, & implicat contradictionem, ergo totum secundum se ipsum non mouetur, dicendum est ergo, quod eius quod se ipsum mouet, hoc quidem, nempe vna pars mouet, alia vero mouetur. Est notandum quod prædicta ratio non videtur concludere de motu locali, quia localiter mouens non habet formam vniuocam cum termino acquisibili per motum, ipsum namq; non habet in se vbi, quod per motum intenditur, ideo non sequitur, quod sit in actu, & potentia respectu eiusdem, vnde non videtur probare quod idem non possit à se ipso moueri localiter, nam est in actu propriæ formæ, & virtutis actiuæ, in potentia autem respectu vbi, sicut homo est in actu homo, & in potentia ad vbi. Intelligatur igitur conclusio indefinitè, videlicet, quod mouens vniuocum non potest moueri, & mouere, quæ sufficit, quod de aliquo motu verificetur, & præcipuè de alteratione, de alijs autem alia erit ratio, nam motu augmentationis, diminutionis, & localis ideo non mouetur, quia quantitate caret, vt videbimus, cum igitur de omni motu est probandum, quod moueri non possit, inconueniens non videtur, si vnica ratione tantum de omnibus simul non concludatur, maximè cum sigillatim de alijs motibus rationes propriæ fiant, vel expressè, vel implicitè; patet igitur impossibile esse, mouens primum à se ipso secundum se totum moueri. Nunc autem reliquas partes diuisionis probemus.

Quod autem ipsum mouens non mouet se ipsum, sic vt vtraque pars moueat aliam, & reciprocè ab alia moueatur, ex his manifestum erit. Nam in quolibet motu debet Tex.41
esse aliquod primum mouens, quia cum motus sit quidam effectus, debet ab aliqua causa dependere, & si prima non assignetur esset procedere in infinitum, at in istis non esset aliquod primum mouens, si vtraque pars vtramque mouebit reciprocè, nam illud dicitur prius, quod est magis causa mouendi, & magis mouet, quam sequens; in istis autem hoc modo positis non potest hæc ratio primitatis assignari, probatur; nam dupliciter est mouere, vno modo sic quod ipsum mouens, ab alio vero, quod se ipso moueatur, in ijs autem in quibus mouens ab alio mouetur, concurrunt plura mouentia; quorum id magis mouere dicitur, quod est proximius primo mouenti, & longius ab eo, quod mouetur, quam id quod est in medio, seu magis à primo mouente remotum, vt homo mouet lapidē brachio, manu, & baculo, quorum brachium est magis mouens, quam manus, & manus quam baculus, quia scilicet magis appropinquat primo mouenti, vel virtuti ipsius, at quando aliquid est tale propter aliud illud, est magis tale, cū ergo quæ secūdariò mouent, moueant in virtute primi mouentis, sequitur quod vbi non est primum mouēs, ibi altera mouere non possunt, sic ergo, si vtraq; pars vtramque moueat, & eodem modo ab alia moueatur erunt tales indifferenter mouētes, & mobiles, ita vt nulla sit prior, & sic non dato primo motore, (ex suppositis) non esset motus, quare si vtramque, ab vtraque moueri ponatur, erit motus, & nō erit. Amplius non est necesse, quod mouens moueatur nisi à se ipso, probatur nā ipsū mouens in mouendo vincit virtutem mobilis, nec est necesse, quod ab eius virtute quoque vincatur, quia sic fortè non fieret motus, nam actio omnis, & motus fit excessu virtutis agentis ad passum; cum ergo non sit necesse quod mouens ab alio quam à se ipso moueatur, sequitur, quod si mouetur à moto hoc sit tantū per accidēns, quia inter per se, seu necessariū, & per accidens non datur mediū, at declarauimus, quod mouens per accidens potest non mouere, ergo si vna pars ponatur mouere aliam, & ab ipsa quoque moueri, mouebitur per accidens, & sic poterit non moueri, vnde erit aliquid quidem

dem quod mouetur, aliud autem mouens immobile. Amplius non est necesse, (vt probatum est) mouens contra moueri, dum mouet, sed aut immobile aliquid mouere, aut seipso moueri, si necesse sit ponere, quod semper moueatur. Amplius secundum quem motum mouet necesse est, vt etiam moueatur, saltem in motu alterationis, quare calefaciens calefiet, non ergo vtraque pars aliam mouebit. Est notandum, quod cum primus motor sit causa omniũ motuum cuiusque generis, nempe augmentationis, diminutionis, alterationis, &c. si ponatur, quod in mouendo moueatur, sequitur, quod dum alterat alteraretur. Quod licet non sit simpliciter verum in bono sensu, quia modo quodam eminenti cętera mouet, tamen si ponatur, quod moueatur in mouendo, hoc necessariò sequeretur, ideò namque moueretur à mobili, quia ipsum mobile haberet actiuitatem supra ipsum, agerent igitur & paterentur ab inuicem, vnde in qualitatibus communicarent, & sic prout primus motor alteraret, vel calefaceret, etiam calefieret, qua igitur ratione calefaceret esset actu calidum, qua calefieret esset calidum in potentia, & sic esset calidum, & non calidum. Siue reflexio fiat statim, siue non nihil interest, vt probatum est.

Tex. 42. At vero neque quod seipsum primò mouet possumus dicere, quod moueatur ex eo, quia vna pars mouet seipsam, aut plures seipsas mouent, ita quod vnaquæque seipsam moueat. Nam ipsum totum si à seipso mouetur, vel mouebitur ab aliqua parte ipsius, aut totum à toto. Si dicatur à seipso moueri, quia aliqua pars eius à seipsa mouetur, hæc vtique erit primum se ipsum mouens, & non totum; probatur, nam parata hæc ab ipso toto, & ab alijs partibus, ipsa seipsam mouebit; nam si à seipsa mouetur, habet in se rationem, vt moueat, & moueatur absque dependentia ad aliud, vnde ista pars habebit rationem mouentis, & mobilis cum sit diuisibilis, omne enim quod mouetur diuisibile esse ostendimus, quare deuenietur ad id, quod mouet, & non mouetur, vnde haberetur intentum; tamen hæc acceptio istius membri diuisionis non est directè ad propositum, quia sic non moueretur totum, vt suppositum est. Si dicatur, totum à toto moueri, partes mouerentur per accidens, scilicet, ad motum totius, vnde possent accipi non moueri, vt de rebus per accidens dictum est. Sed dicere moueri totum, non motis partibus absurdum est, cum ipsum totum in esse, & operari à partibus dependeat. Remaneat igitur quartum membrum, videlicet, quod ipsius totius aliud mouebit, & erit immobile, aliud autem mouebitur, solum enim sic possibile est, aliud per seipsum motiuum esse. Amplius si totum ipsum seipsum mouet, hoc quidem mouebit, illud autem mouebitur, vt accipiatur totum quod vocetur A B, per quas duas literas designentur quoque partes ipsius, hoc inquam totum ideo à seipso moueri dicetur, quia vna pars mouetur ab alia; ergo deueniendum est ad hoc, quod vna sit mouens, altera mota, & habebitur propositum.

Tex. 43. Quoniam autem eorum quidem, quæ mouent, quoddam ab alio mouetur, quoddam vero mouet existens immobile, & similiter eorum, quæ mouentur aliud mouet aliquid, aliud verò nequaquam. Ipsum quod seipsum mouet, necessariò constabit ex parte, quæ mouet, & non mouetur, & ex eo quod mouetur, & non necessariò mouet, sed si interdum moueat hoc erit per accidens, prout videlicet habebit aliud mobile post se, vnde necesse est deuenire ad duas partes, quarum vna sit tantum mouens, altera tantum mota. Probatur. Sit A mouens, & immobile, B vero id quod mouetur ab ipso A, & mouet aliud mobile, quod sit C; hoc autem ab ipso B motum nihil mouebit. Si autem adhuc ponantur plura intermedia inter primum mouens, & vltimum mobile, tandem ad vnum vltimum deuenire oportebit, sicut si ponatur tantum vnum, vt nunc fecimus; hoc autem vltimum (sit quodcunque) vocetur C. Totum ergo mobile, quod à seipso mouebitur erit A B C, ex quo si aufero ipsum C, seu vltimam partem, quæ mouetur, et non mouet, ipsum quidem A B mouebit ipsum seipsum, nam remanet mouens & mobile, seu A, & B; Ipsum autem C non mouebit seipsum, neque penitus mouebitur, cum nullum in eo remaneat mouens. Imò neque B C, mouebit ipsum seipsum sine A, nam B, ideo mouebat C, quia ipsum B ab alio mouebatur, & accipiebat virtutem, vt moueret, nempe ab ipso A, & non, quia in seipso haberet virtutem se mouendi, ita vt in vna parte eius esset virtus mouens, in alia vt moueretur. Ipsum igitur A B solum seipsum mouet. Necesse est igitur ipsum seipsum mouens habere mouens immobile tamen, & habere quoque quod mouetur, quod tamen ex necessitate non aliud moueat: hæc autem quorum vnum est mouens, alterum autem mobile, necesse est, quod se tangant, aut vtraque seinuicem, contactu videlicet mutuo, si essent quanta vtraque, aut saltẽ, quod vnum tangat alterum, non è conuerso; sicut accidit in ijs, quorum vnum est quantum, alterum autem non, vt anima tangit corpus, vel intelligentia tangit cęlum, contactu scilicet virtutis, cęlum autem ipsam non tangit, quia neque mathematicè, neque virtutem in ipsam influendo operatur. Si igitur continuum est id quod mouet (quod enim mouetur, necessarium est esse cõtinuum) manifestum est, quod totum seipsum mouet, non eo quod sit aliqua pars ipsius, quæ seipsam moueat, sed quia totum mouet ipsum seipsum, & mouens, & motum ideo est, quia aliqua pars eius est mouens, alia vero mota; non enim totum mouet, neque totum mouetur, sed mouet quidem ipsum A, mouetur autem ipsum B solum, ipsum autem C ab ipso B non amplius mouetur; nam impossibile est, si ponamus A esse tantum mouens, B vero mobile solum; si vero mouens non sit continuum cum mobili, vt intelligentia non est continua cum orbe quem mouet, multo magis habebimus, quod aliquid est per se mouens tantum, aliud vero quod solum mouebitur: imò hæc pars diuisionis erit directè ad propositum, cum intendamus inuenire primum omnium, ac vniuersalissimum motorem, quem habere magnitudinem, ac per consequens continuitatem cum aliquo, impossibile esse ostendemus; patet igitur vniuersaliter, quod in omnibus, quæ mouentur siue à seipsis, siue ab alijs, necesse sit deuenire ad vnum mouens immobile.

Sed ea, quæ dicta sunt dubitationem habent. Nam si Tex. 44. ab ipso mouente immobili, quod vocauimus A, & positum fuit continuum cum mobili auferatur aliqua pars, vel auferatur ab ipso B, quod mouetur, hoc namque possibile est si ponantur continua, facta hac diuisione. An reliquum ipsius A mouebit, aut reliquum ipsius B mouebitur, si dicatur, quod pars remanens ipsius A mouebit, vel ipsius B mouebitur, non poterit assignari aliquid quod primò à seipso mouebitur, & assignatum fuit supra A B, nam remota vna parte ab A mouente, si altera quæ restat mouere dicatur, ipsum totum A non erat primum mouens, quod est contra suppositum, & declaratum, & similiter si pars, quæ remanet ipsius B mouebitur, ipsum non erat primum mobile, quod pariter prædictis repugnat, primum namque dicitur, quod non habet aliud ante se, & maximè eo modo quo hic loquimur de primo, videlicet de illo, quod secundum se totum mouet, vel mouetur, si ergo ista diuidantur,

tur, aliquod eorum non erat primum mouens, vel mobile, sed potius id quod remauet. Si verò dicatur, quod tunc non monebit mouens, neque mobile mouebitur; adhuc videtur inconueniens, quia ad diuisionem subiecti diuiditur virtus eius, & maximè motus, vt visum est in 6. Physic. tex. 33. Respondetur, quod nihil prohibet, vtrumque scilicet mouens, & mobile, esse diuisibile in potentia, si ponantur continua, aut quod vnum eorum sit diuisibile solum, si non ponantur continua, & se mutuò tangentia, vt declaratum est, ita quod mobile solum sit diuisibile, quod vero actu mouet, sit indiuisibile; possunt igitur vnum, vel ambo diuidi secundum partes quantitatis, sed tamen si vnum diuidatur, vel aliud, maximè vero mouens non vlterius esset habens eandem potentiam, quia potentia, & virtus rerum naturalium requirit determinatam quantitatem; quare nihil prohibet in ijs, quę diuidi possunt, quod virtus primo eis insit sic, quod insit secũdum totum, & adæquatè tantum, at non secundum aliquas partes, vnde si diuidantur, amplius virtutem, vel potentiam non retineant. Sequitur ergo, quod detur primum mouens, ac primum mobile indiuisibilia in ratione virtutis, & habet præcipuè veritatem de mouente, cuius propria est virtus, & actiuitas, de mobili vero non sic, propter tex. 33. tertij Physic. & quia hoc nihil tollit, intendimus namque nunc probare, quod detur primum mouens immobile, etsi de primo mobili loquamur, non tamen sic ad indiuisibile reduci debet, cum hoc sibi repugnet, sed vocetur primum, quadam primitate adęquationis, prout sibi primo, seu adęquatè moueri conuenit, & non partibus eius. Manifestum est igitur ex his, quod est primum mouens immobile; siue enim confestim id quod mouetur, ab aliquo autem mouetur stet ad immobile primũ, siue ad id quod mouetur quidem, sed à seipso, ac sistere potest, vtroque modo accidit, id quod primum mouet, in omnibus immobile esse. Est autem notandum, quod in his, quæ mouent per contactum mutuum, prout tam mouens, quam mobile sunt quanta, mouens non est omnino immobile, maximè in motu locali, sed potest per accidens moueri, vt patet de prima parte animalis, siue sit cor, siue aliud, ex hoc autem magis, ad intentum deueniemus, nam probandum est, quod in vniuerso naturæ ordine deueniendum est ad vnum motorem immobilem per se, & per accidens.

CAPVT V.

Primus motor est perpetuus, vnus, ac immobilis per se, & per accidens.

Tex. 45. QVoniam autem oportet motum semper esse, & non intermitti, (cum vniuersa natura ex motu dependeat) necessarium est, esse aliquod perpetuum, quod primum mouet, siue autem sint plura perpetua mouentia, siue vnum nihil refert, sed ad vnum primum omnium tandem deuenire oportet.

Tex. 46. Quod verò vnumquodque mouentium immobilium sit perpetuum vel non, nihil ad præsentem sermonem determinare pertinet, sed opus est metaphysicum, quod autem necessarium sit esse aliquod, quod semper immobile quidem sit omni extranea mutatione, & simpliciter, & secundum accidens, motiuum autem alterius; manifestum est considerantibus sic (sed prius quam rationem conficiamus, notare oportet) quod dicitur primus motor esse immobilis, omni extranea mutatione; non tamen debet inferri, ergo poterit moueri, non extranea, sed propria, & sibi conuenienti, & sic non erit immobilis. Non (inquam) sic inferre oportet, sed ly extranea mutatione oportet construere cum ipso primo motore, sic quod omnis mutatio sit sibi extranea, & non conueniens, vel dicatur esse immobilem omni extranea mutatione, ad excludendos motus intellectuales, sicut est intelligere, scire, &c. qui sunt motus quidam interni, & sibi conuenientes; sed prima responsio est fortè melior, nam isti non sunt propriè motus. Nunc ad rationem accedamus. Sit autem, si quis velit in quibusdam contingens hoc, quod detur aliquid, seu fiat, & corrumpatur sine vera generatione, & corruptione, quod fortassis est necessarium, in rebus indiuisibilibus, sicut sunt puncta, lineæ, superficies, &c. hæc enim aliquando quidem sunt, aliquando autem non, quia accipiunt esse cum corporibus quorum sunt termini, & cum illis quoque desinunt, non tamen per generationem, & corruptionem, quia hæ sunt tantum circa substantias. Sic igitur hæc sine vera generatione, & corruptione, interdum sunt, interdum non sunt. Idem potest dici de principijs immobilibus, quæ tamen alia mouent, quod scilicet aliquando sint, aliquando non, sine generatione, & corruptione; hæc autem immobilia principia mouentia, sunt animæ præcipuè brutorum animalium, quæ mouent corpora ipsorum, & interdum sunt, interdum nequaquam, quia desinunt esse ad destructionem totius, & tamen sine generatione, & corruptione, quia licet per generationem acquirantur, non tamen formæ, sed composita generari dicuntur, & pariter corrumpi, vt diximus 1. Physic. tex. 64. & alibi quoque dicemus, licet ergo hoc sit verum, quod aliqua sine vera generatione accipiant esse, & sine corruptione desinant, tamen non est possibile, quod omnia sint huiusmodi. Nam in ijs, quæ seipsa mouent, sicut sunt animalia, manifestum est, quod datur aliqua causa, vt aliquando sint, aliquando non per generationem, & corruptionem; nam omne quod est seipsum mouens, necesse est, quod habeat magnitudinem, vel corpus, cum nihil indiuisibile moueatur, quod autem mouet, non est necesse sic se habere: cum igitur corpus habeant, quod mouetur, ac etiam forma, quæ est mouens, sequitur, quod ex materia, & forma componantur, horum autem, si non semper sint, necessaria est generatio, & corruptio per se; patet igitur quod aliqua, imò & multa generentur, & corrumpantur verò generatione, & corruptione. Vt igitur aliqua generentur, alia verò corrumpantur, nulla causa est immobilium quidem principiorum; quæ non semper sunt, neque rursus eorum, quæ semper quidem hæc mouent, horum autem mouent alia; hoc est, neque potest esse causa perpetuæ generationis illa, quæ ipsa animalia generant, nempe alia animalia generantia, vel etiam mista, aut alia generantia corpora, nec horum, ipsa quæ ab ipsis generantur. Vel non potest esse perpetua generatio, ex eo, quia vnum generat aliud, & illud genitum iterum aliud generat, nam ipsius quod semper est, & continuum (hoc est perpetuæ, & continuæ generationis, & motus) neque vnumquodque ipsorum non semper existentium, neque omnia possunt esse causa; non vnumquodque ipsorum, quia quod non est perpetuum non potest esse causa perpetuitatis. Sed quod sic est causa, perpetuum, & ex necessitate semper est. Non omnia, quia ipsa sunt infinita successiuè, quare non sunt simul omnia, quæ autem sunt causæ simul esse, & causare debent.

Manifestum est igitur, quod quamuis decies millies aliqua principia immobilium quidem, mouentium autem, & Tex. 47.

multa

multa eorum, quæ seipsa mouent, corrumpantur, alia verò insuper generentur, & hoc quidem immobile existens hoc mouet, alterum verò hoc. Attamen præter omnia ista, necessarium erit, quòd sit aliquid, quod omnia ista sua virtute contineat, & hoc præter vnumquodque necesse est esse, ab omnibus scilicet distinctum, ac omnium aliorū causa, vt alia quidem sint, alia verò non, ac etiam sit causa continuæ mutationis, vel motus cęli, & hoc scilicet cęlum sit causa motus aliorum, nempe elementorum; hæc autem elementa alijs causa motus sint.

Tex. 48. *Si igitur perpetuus est motus, perpetuum erit primum mouens, & si vnus est primus motus, vnum quoque erit primum mouens; si vero plures perpetui sunt motus, vel plura perpetua mobilia, plura quoque erunt perpetua mouentia. Sed magis oportet existimare vnum esse, quam multa, & finita, quam infinita, nam quando eadem accidentia, vel effectus, aut saltem eodem modo proueniunt; semper finitas causas sumere oportet, si namq; infinitæ essent, variarentur effectus, & modi ipsarum; cum ergo effectus naturales semper eodem modo eueniant, vt experientia patet, non infinitas oportet ponere causas; in ijs* In ijs, quæ natura sunt, finitum, & melius ponendum est. *enim quæ à natura sunt, oportet finitum, & id quod melius est magis esse, quam infinitum. Sed vnum sufficiens est ad motum perpetuum efficiendum, à quo cętera quoque moueri, & dependere possunt, ergo neque infinita, neque multa, sed vnum est primum mouens, quod cum primum immobilium, & perpetuum sit, erit alijs quoque mouentibus principium motus, à primo namque cętera dependent, & in esse, & in operari.*

Tex. 49. *Quod autem necesse sit vnum tantum esse primum, ac perpetuum mouens, ex hoc manifestum erit. Ostensum est enim quod necesse est, semper motum esse, si vero semper, necesse est continuum esse, nēpe sine intermissione, hoc namque est de ratione motus continui, & perpetui, vnde si non esset continuus, & sine intermissione, neque esset vnus. Quod enim consequenter est, non est continuum, nec vnum: debet igitur motus perpetuus esse vnus, & continuus, ita vt, si continuus sit, vnus etiam sit, & è contra. Sed non poterit esse neque vnus, neque continuus, nisi sit ab vno mouente, & vnius mobilis, nam si quoddam aliud mouens, & aliud postea mouebit, non continuus totus motus, sed consequenter erit, quod intelligi debet circa eos motus, qui ab vno tantum fieri possint, aliter non est verum, nam nauis à multis trahi potest, & tamen est vnus motus continuus. Sed quando est vnum mobile, quod ab vno motore determinatæ virtutis secundum suum totum posse motu regulari mouetur, tunc vnius mobilis, & vnius motus, est vnus motor, si namq; accederet alter motor, mouente alio, velocius moueretur mobile, & sic esset motus irregularis, vel fortè non moueret, si supponamus etiam ipsum mobile esse determinatæ capacitatis correspondentis virtute actiuę mouentis, cum in natura, maximè in perfectissimis entibus cuilibet actiuæ virtute, respondeat passiuum, & è contra; si ergo alius motor mouere deberet, non esset nisi post recessum alterius motoris, & sic fieret intermissio motus, ac per consequens non esset vnus, neque continuus. Vnde hæc conditio de vnitate mouentis non est necessaria omni motui, ideo dimissa fuit in 5. Physic. sed est necessaria ad motum regularem cuius mobile, & mouens sit determinatæ virtutis, sicut est ad propositum de primo mobili, & primo mouente. Ex his igitur crediderit aliquis esse quid primum mouens immobile.*

Tex. 50. *Et rursus manifestum erit, cum respexerimus ad principia mouentia in communi, ex istis namque hoc quod diximus colligetur. Esse igitur quædam entium, quę aliquando quidem mouentur, aliquando vero quiescunt, manifestum est, vt homines, cętera animalia & quamplurima alia. Et per hoc factum fuit manifestum, quod neque omnia mouentur, neque omnia quiescunt, neque alia quidem semper quiescunt, alia vero semper mouentur, quæ namq; ad ambo, (tam .s. ad motum, quam ad quietem) prona, seu inclinata sunt, vt ipsamet animalia, &c. quæ potentiam habent, vt aliquando quidem moueantur, aliquando vero quiescant, demonstrant hoc, quod diximus de ipsis. Quoniam autem hæc sunt omnibus manifesta, ideo ex ipsis, tanquam ex notioribus nobis volumus demonstrare duorum vtramq; naturam, quod .s. sunt alia quidem semper immobilia, sed mouentia, alia autem quæ semper mouentur, & sic habebimus primum mouens, & primum mobile, procedentes autem ad hoc, & ponentes omne quod mouetur, ab aliquo moueri, & hoc esse aut immobile, aut quod mouetur, & quod mouetur, aut à seipso, aut ab alio semper; processimus vt accipiamus, quod eorum quæ mouentur est principium mouens. Eorum quidem quę mouentur, id quod seipsum mouet, hoc namque supra probatum fuit, omnium autem, id quod immobile est. Videtur autem manifestè esse hoc quod mouet aliud in ijs, quæ seipsa mouent, vt animalia, & qualibet alia animata cuiusmodi sunt plantæ, herbæ stirpes, & similia, quæ etsi non moueantur à seipsis motu locali, mouentur tamen motu augmentationis, alterationis, & diminutionis: omnium enim istorum motuum principium est anima, & si diminutionis sit potius defectus virtutis, quam ipsa virtus, nihil tamen refert, nam ad ipsam virtutem reducitur, sicut priuatio ad habitum. Hæc igitur animata, & animalia ex eo quod à seipsis mouentur prębebant opinionem quod posset motus de nouo fieri cum antea omnino non esset, propterea quod nos in his videmus hoc contingere; immota enim cum sint aliquando, mouentur rursus, vt videtur.*

Hoc autem quod à seipsis moueantur, oportet accipere, Tex. 51. *quod secundum vnum motum, nempe localem, seipsa mouent, & quod secundum hunc non propriè, non enim ex ipsis est totalis causa, sed insunt alij motus naturales animalibus, secundum quos non mouentur per seipsa, vt augmentatio, diminutio, respiratio, quibus mouetur animalium vnumquodque cum quiescit, & non mouetur simpliciter secundum eum motum tantum, qui est à seipso. Huius autem causa est continens, nempe aer cum suis qualitatibus, & influentijs, & multa alia ingredientia, vt quorundam est alimentum, aliorum respiratio, &c. nam dum alimentum concoquitur dormiunt, excitatur enim tunc vapor quidam veluti fumus concoctionis, qui obstruit meatus sensus communis, vel phantasiæ, ex qua obstructione fit somnus, vel ligatio externorum sensuum, vt alibi dicendum est; dum autem talis vapor disgregatur, & resoluitur, excitantur, & mouent seipsa localiter, quorum principium, vt moueantur est ab externo, nam nihil aliud est, nisi obiectum, à quo excitantur, vel ad prosecutionem, vel ad fugam. Quapropter non semper animalia ipsa continuè à seipsis mouentur; nam aliud est mouens ipsum, quod mouetur, & mutatur quocunque mutatione in ijs, quæ à seipsis moueri dicuntur. Animalia igitur, & plantæ, quāuis à seipsis moueri dicantur, prout scilicet habent internum immediatum, & fortè principale principium motiuum, quod est anima, quæ animali, localiter mouet, ac alijs motibus (quibus plantæ, & inanimata mouentur, etiam animalia moueri possunt, secluso motu circulari) plantas vero mouet augmentatione, alteratione, &c. vt*

dictum

dictum est, tamen ipsa anima non est totale, & sufficiens principium motus, quia (vt dictum est) obiectum, continens, & alia ipsam excitant ad motum; plantæ vero ab alimento externo, quod ab aqua, & terra, vel alijs quoque elementis trahunt, mouētur. Vnde patet, quod nullum prædictorum mouetur totaliter à seipso, sed ab externo, et hæc est causa, quod non semper moueantur, sed quiescant interdum, ac iterum motum denuò incipere possint; si vero adesset aliquod internum, totale, ac sufficiens, & necessarium mouendi principium, proculdubio semper mouerentur. Cùm autem principium tale non sic se habeat, oppositum accidit. Vnde mouens ipsorum est quoque mobile, & per se, & per accidens; per se ab obiecto, per accidens ad motum corporis, quod mouet, mutat enim locum corpus, quare, & quod in corpore existit, nempe ipsa anima, vt vectis, vel baculus mouens aliud, etiam ipsum mouetur, motu igitur locali ipsa anima per accidens tantum mouetur ad motum corporis, vel potest dici, quod ipsa anima per accidens moueatur, siue ab obiecto, siue alio modo, quia non ipsa, sed totum mouetur, etsi sit ratio pręcipua vt moueatur; quod autem mouetur ad motum alterius per accidens moueri dicitur, quicquid tamen sit de hoc, quod alibi examinandum erit, hoc sit satis ad propositum, quod animalia non simpliciter, vel totaliter à seipsis moueantur, ideo quiescere, & iterum moueri possint.

Tex. 52. Ex quibus credere licet, quod si quid mouentium immobilium sit, quod tamen per accidens moueatur, vt sunt animæ animalium, quæ ad motum corporis mouentur, impossibile est continuo, seu perpetuo motu mouere, & ratio est quia, quæ sic mouent, ex eo quod ab alio motore dependent vt ab obiecto, vel alio, possunt quandoque non mouere, nempe si talis motor non adsit, vel sit aliud impedimentum. Quare si necesse est quidem semper esse motum, oportet esse mouens aliquod immobile, & per se, & per accidens; si futurum est (vt diximus) in ijs, quæ habent esse, vt sit incessabilis quidem, & immortalis motus, hic autem motor debet esse talis naturæ, quod à nullo dependeat, sed sit ipse in seipso, ac in eodem mobili, quod mouet assistens, sic namque conseruabitur vniuersum; nam principio manente, necesse est, quod maneat quicquid est ipsi principio coniunctum. Primus igitur motor nec per se, nec per accidens debet esse mobilis, non per se, quia haberet alium motorem, & idem moueret, & moueretur, vt satis supra probatum est. Non per accidens à seipso, vt anima quæ mouet corpus, quia contingeret non mouere, vt dictum est, & potest addi, quod neque per accidens ab alio, sicut, v.g. mouetur albedo in lapide proiecto, per accidens ad motum lapidis, qui ab alio mouetur; nam sic non esset primus motor, vel non haberet virtutem omnia superantem; idem si diceremus, quod in mouendo, moueatur à moto corpore, quod est ab alio quoque moueri. Est tamen notandum, quod non est idem moueri per accidens à seipso, & moueri per accidens ab alio. Nam moueri per accidens ab alio, est moueri ad motum alterius à seipso distincto, & separato, quod conuenit quibusdam principijs, seu corporibus cęlestibus, (quę principia dicuntur, provt sunt causæ omnium generationum, & corruptionum istorum inferiorum,) omnes enim orbes, qui secundum plures feruntur lationes, sic per accidens ab alio moueri dicuntur; nam per se à proprio motore de Occidente in Orientem, ab alio autem videlicet à primo mobili, ex Oriente in Occidentem mouentur. Moueri autem per accidens à se, solis corruptibilibus, hoc est animalibus inest; primum autem moueri per accidens potest esse perpetuum, non autem secundum. At si quis dicat, ergo non repugnat perpetuo motui, quod motor per accidens ab alio moueatur hoc secundo modo? Respondetur, quod licet hoc non repugnet perpetuitati motus, repugnat tamen primitati, & independentiæ primi motoris, si namque ab alio moueretur, nec esset primus, nec independens.

Tex. 53. At verò si aliquid est semper huiusmodi mouens quidem immobile autem, ac perpetuum; necesse est, & ipsum primum mobile, quod ab hoc mouetur, perpetuum esse, cum non sit mouens sine mobili. Probatur idem præterea ex eo, quòd non esset perpetua generatio, & corruptio in alijs, nempè in istis inferioribus, nisi daretur primum mobile perpetuum, ac aliquod mouens, nempe primum quòd ipsum perpetuo moueat. Nam existente primo aliquo principio immobile, nempe ipso quem dicimus primum motorem, qui scilicet non moueat primum mobile, sed ex se immediatè agat in res naturales, semper se habebit eodem modo, ac per consequens non euenirent tot rerum diuersitates; & similiter potest dici de causalitate ipsius primi mobilis, videlicet, quòd si non moueretur, non essent varietates rerum, ac generationes, & corruptiones, quæ sic alternatim fiunt propter illius varios aspectus, ac influentias, à motu (vt ita loquar) hinc illuc translatas. Immobile igitur eodem modo se habens semper mouebit, uel causabit eodem modo, tanquam ipsum nihil mutetur, nec influxus variet respectu eorum, quæ ab ipso mouentur. Quod autē mouetur ab eo quidem quod mouetur, vt Sol, & alia astra, quæ à primo mobili moto mouentur, (& si à proprio motore etiam) dicuntur quoque ab ipso primo immobili motore moueri, atq; ista sunt causę, quod res aliter & aliter se habeant, hoc est modo generentur, modo corrumpantur, vel alterentur, provt secundum varios aspectus, & formas, vel influentias, res ipsas respiciunt, sunt enim interdum in contrarijs locis, aut formis, vel influentijs, ideo efficiunt vt contrariè moueantur omnia ista inferiora, & aliquando quiescant, aliquando vero moueantur, & sic Sol tempore hyemis, quia à nostro hemisphęrio recedit est causa corruptionis multorum, vt herbarū, stirpium, &c. tempore autem veris, ex accessu eiusdem, eorundem fiunt generationes, & similiter discurratur de reliquis anni temporibus, quod melius, ac directè in libris de generatione, & corruptione examinandum est; hoc tantum sit ad propositum pro modo, quod necessariò sit mobile quoque æternum, nec vnum, sed plura mobilia, videlicet corpora cęlestia, etsi omnium vnum sit primum, quod vniuersaliter cum omnibus concurrit. Manifestum igitur factum est ex dictis, & quod in principio dubitabamus, cur non omnia, aut mouentur, aut quiescunt, aut alia quidem mouentur semper, alia vero quiescunt, sed quædam aliquando quidem, aliquando autem non. Huius enim causa manifesta nunc est, quod alia quidem ab immobili motore sempiterno mouentur, quapropter semper mutantur, alia vero mouentur ab eo, quod mouetur, & mutatur; quare ipsa etiam necessarium est mutari. Aliqua vero non habent motorem semper necessariò mouentem, vel primum, ideo interdum mouentur, interdum autem quiescunt. Quod autem necesse sit esse motum, ac plures, dictum quoque est, ac qua de causa, quia scilicet, immobile (vt dictum est) tanquam simpliciter, & eodem modo se habens, ac semper in eodem permanens, secundum vnum, & simplicem mouebit motum, vel influentias, quare non esset generatio, & corruptio in rebus.

SVM-

SVMMA TERTIA.

An detur motus primus, & æternus.

CAPVT I.

Motus localis est omnibus alijs prior.

Tex. 54. *AT verò posito alio principio, magis manifestum erit de his, quæ diximus, quomodo scilicet sit primus motor immobilis perpetuus, &c. Hoc autem principium erit, si quæramus, vtrum aliquem motum contingat esse continuum, vel perpetuum, an non, & si contingit quis est hic, & quis primus est motuum. Manifestum enim est, quod si necessarium quidem sit, motum esse semper, hic profectò erit primus, & perpetuus, quo mouet primum mouens, ac erit quoque vnus, & è conuerso, sic videlicet, quod motus perpetuus vnus, ac primus necessariò fit à primo motore, & motus qui à primo motore est, erit vnus primus, & perpetuus. Nunc autem videndum est, quisnam omnium sit primus, an scilicet, latio, vel augmentatio, &c.*

Tex. 55. *Tribus autem existentibus motibus, alio quidem secundum magnitudinem, nempe augmentatione, & diminutione, alio secundum passionem, vel qualitatem, vt alterationem, alio secundum locum, quem vocamus lationem, hunc autem necessarium est esse primum. Quod vero nullus aliorum possit esse prior motu locali, probatur discurrendo per singulos. Augmentatio igitur impossibile est, quod sit, alteratione non præexistente; nam quod augmentatur, est aliquo modo simili augmento, aliquo modo dissimile, vel contrarium; alimentum enim dicitur esse contrarium rei augmentabili in principio tamen, cui rei adiungitur in fine factum omne vel totum simile ipsi. Cùm igitur alimentum per quod fit augmentatio, sit in principio dissimile rei augmentabili, in fine autem sit simile necessariò ante augmentationem est alteratio, quia hæc mutatio, quæ fit de dissimili ad simile, vel de contrario in contrarium alteratio est; non igitur augmentatio erit prior omnibus motibus, cum ab alteratione præcedatur. Nec ipsa alteratio prior erit, probatur. Nam si aliquid alteratur, oportebit esse alterans, & faciens ex potentia calido actu calidum. Sed manifestum est, quod mouens, vel alterans, non semper similiter se habet, sed aliquando quidem propinquius est, aliquando autem longius ab eo, quod alteratur; si igitur alteratio fieri debet, necesse est, quod alteratiuum, & alterabile approximentur, hoc autem fieri nequit sine motu locali, ergo alteratio non est prior omnibus motibus. Si igitur necesse est semper motum esse, necesse est motum localem esse omnium aliorum primum, etsi inter motus locales, alter est prior, alter vero posterior; necesse est, quod tandem assignetur vnus, qui sit omnium primus, aliter in infinitum procederetur, vnde multa sequerentur absurda, vt in septimo deductum est. Amplius autem omnium passionum principium est raritas, & densitas (non secundum veritatem, sed secundum eos, qui ponebant omnia fieri per congregationem, & disgregationem, sicut Anaxagoras, & Empedocles) etenim graue, & leue, molle, & durum, calidum, & frigidum, densitates (secundum istos) videntur esse, & raritates quædam, densitas autem, & raritas sunt congregatio & disgregatio, secundum quas dicunt fieri generationem, & corruptionem substantiarum, sed quæ congregantur, & disgregantur mouentur localiter, ergo etiam illi, qui congregationem, & disgregationem primum omnium motuum ponunt, coguntur confiteri, non istas, sed motum localem esse omnium primum, & sic etiam non rectè philosophantes, circa principia rerum, vt rationum debent confiteri, quod diximus. Vnde hoc fuit argumentum ad hominem. Amplius omne quod augetur, vel diminuitur mutatur secundum locum maiorem, vel minorem, non autem omne quod localiter mouetur, augetur, vel diminuitur, ergo motus localis est prior augmentatione, & diminutione, prius namque dicitur à quo non conuertitur existendi consequentia, vt ex post prædicamentis patet.*

Tex. 56. *Amplius, hinc considerantibus erit manifestum, quod motus localis primus est omnium. Primum enim, vt in alijs rebus sic, & in motu dicitur vtique multifariam, & maximè tripliciter secundum propositum. Dicitur autem prius illud, quo non existente, non erunt alia, illud vero sine reliquis esse potest, & vocatur prius natura, vt vnum dicitur prius duobus, quia vno non existente, non erunt duo, & ipsum potest existere; non existentibus duobus, vt notum est. Secundò dicitur prius tempore. Tertiò dicitur prius secundum substantiam, seu perfectionem, vt homo dicitur hoc modo prior leone, vel equo. Sed motus localis est prior omnibus modis alijs motibus, ergo simpliciter est primus; probatur per ordinem de qualibet prioritate, scilicet de prioritate naturæ prius, & postea de alijs. Quoniam autem necessarium est esse motum continuè, vel semper, aut igitur erit continuè, vel sempiternus motus, qui continuus est, vel qui consequenter, magis autem qui continuus est, & melius est continuum, quam consequenter esse; nam per continuum melius saluatur perpetuitas vniuersi, ergo perpetuus motus debet poni, qui est continuus, nam quod melius est semper arbitramur in natura esse si possibile est, possibile autem est, continuum, & æternum motum esse, vt demonstrabimus posterius, nunc autem supponatur, neque alter motus æternus esse potest, nisi localis, quod etiam pro nunc supponatur, ergo necesse est, quod ipse motus localis sit omnium primus prioritate naturæ, nam ex eo, quod est perpetuus non dependet ab alijs, ideo sine ipsis esse potest, sed alijs non possunt esse sine ipso; nulla enim necessitas est, aut augeri, aut alterari vel diminui, id quod localiter fertur, neque est necesse, quod generetur, vel corrumpatur, & sic sine istis poterit esse; horum autem aliorum motuum, nullum esse contingit, si non sit motus continuus, & æternus, secundum quem mouet primum mouens, nam ipse æternus motus est causa omnium mutationum, vt dictum est, & dicetur in libris de generatione, & corruptione.*

Primum tripliciter.

Tex. 57. *Quod vero sit prior tempore, probatur. Nam motus perpetuus est prior tempore, non perpetuo, sed localis tantummodo perpetuum est, nam perpetuis rebus videlicet cœlo solum secundum hunc moueri contingit, non autem alijs motibus, ergo hic solus est perpetuus, alij namque motus, qui corruptibilibus conueniunt, necessariò desinent ad corruptionem ipsorum. Verum tamen est, quod licet motus localis sit simpliciter omnium primus, non tamen hoc est verum in comparatione ad quodlibet mobile; sed in vnoquoque eorum quidem, quæ habent generationem, motus localis est omnium vltimus; nam post generationē, est primum alteratio, & augmentatio; latio vero est motus perfectorum, vt experientia patet in animalibus, & præcipuè in homine. Sed præter omnes istos motus generationis, augmentationis, ac particularis lationis, necesse*

cesse est aliquid aliud moueri prius motu locali, quod est causa generationis omnibus ijs, quæ generantur, sic tamen quod non sit causa generationis veluti causa particularis, quæ ideo generat, vel causat, quia genita, vel causata est, hoc namque non generatum est: huius autem mobilis motum æternum, & priorem tempore omnibus ponimus, ipsum vero mobile est cęlum. Videbitur autem vtique generatio esse prima omnium motuum, propterea quod oportet, rem prius factam, vel genitam esse, quam moueatur. Hoc autem in vnoquoque eorum, quę generantur sic se habet. Sed præter ista, quæ fiunt, necesse est, quod aliud moueatur prius, quod ipsum non generetur, sed sit causa generationis alterius, & hoc est cęlum, vel orbis Solis præcipuè, quo est etiam aliud mobile prius, videlicet primum. Quoniam autem generationem impossibile est esse primam, (omnia enim, quæ mouentur essent corruptibilia, nam omne generabile, est corruptibile) manifestum est, quod neque vllus eorum motuum, qui post generationem sunt, poterit esse primus. Dico autem motus consequenter, seu posteriores ad generationem, augmentationem, postea alterationem, & diminutionem, & corruptionem, omnes enim posteriores sunt generatione; quare si neque generatio prior motu locali est, neque vlla aliarum mutationum; quod enim est posterius posteriori, est etiam posterius priori; sed alij motus sunt posteriores generatione, & ipsa est posterior motu locali, ideò omnes erunt motu locali posteriores.

Tex. 58. Generatione posterius est perfectione prius.

Quod vero ipse localis motus sit quoque omnibus alijs prior perfectione, probatur. Omne quod fit, dum fit est imperfectum, & tendit ad terminum suæ vltimæ perfectionis, hinc est, vt quod generatione posterius est, sit prius natura, seu perfectione, nam ab ipsa natura principaliter intenditur, & in fine perfectissimè acquiritur. Ideò quod est prius generatione, est vltimum perfectione, & è conuerso, quod est vltimum in generatione, est primum perfectione, sicut experientia patet; in generatione namque hominis, primum est semen secundum generationem, anima est vltima secundum eandem viam, & tamen anima est prior perfectione, semine. Sed motus localis est vltimus, via generationis, non enim mouentur, nisi quę iam perfecta sunt (vt declarauimus) ergo est prior perfectione; hoc autem valet in ijs, quæ generantur, in quibus successiuè tales motus reperiuntur; tamen ratio est bona, & vniuersalis, nam vniuersaliter est verum, quod vltimum generatione est prius perfectione, quare si cęlum generaretur, hoc idem in ipso valeret. Quod vero sit hoc modo prior, confirmatur. Nam aliqua viuentia sunt omnino immobilia propter indigentiam instrumenti, vt plantæ, & multa genera animalium, nempe spongiæ, quædam conchæ, &c. alijs autem inest moueri localiter cum perfecta iam sint, vel ad perfectionem accedant, vt sunt homines, & multa alia animalia: cũ igitur prædicta propter eorum imperfectionem non moueantur, sequitur, quod motus localis tantum perfectis conueniat, & per consequens ipse præ cæteris perfectus sit, nam accidens dicitur perfectius, quod perfectiori subiecto conuenit proportionaliter, & ad ipsum perficiendum. Quare si magis inest motus localis ijs quæ perfectiorem consecuta sunt naturam, & hic quoque motus erit omnium aliorum primus secundum substãtiam, vel perfectionem suæ naturæ. Vnde animalia imperfecta, & plantæ, possunt alijs motibus omnibus moueri, vt generari, corrumpi, augeri, diminui, & alterari, non autem motu locali propter imperfectionem ipsorum, nisi velimus appellare motum localem, augmentationem, & diminutionem, quod alibi fecimus; sed hoc non est ad propositum, nã dicuntur motus locales secundum quid, prout scilicet respiciunt maiorem, & minorem locum, hic vero loquimur de motu locali propriè dicto, qui est de vno vbi ad aliud, secundum totum mobile, ita quod fiat dimissio vnius vbi, & acquisitio alterius si sit motus rectus, vel fiat variatio situs partium, ac etiam totius circa aliquod immobile, si sit circularis, neutrum autem prędictis accidit.

Est igitur latio prior perfectione cæteris, et propter hæc, Tex. 59. *& quia dum mobile tali motu mouetur, non deperdit aliquid de sua substantia, nec de aliqua accidentali perfectione, nam secundum hanc solam lationem nihil ipsum mobile mutatur ab esse, nec essentiale, nec accidentale, sicut contingit in alijs, nam dum alteratur fit mutatio vnius qualitatis in aliam, dum augetur, vel diminuitur, fit talis mutatio quantitatis, in quibus semper est aliqua deperditio. Quod in motu locali non est verum, ideo remanet, quod sit simpliciter perfectior, & per consequens cęteris perfectione prior. Verum est tamen, quod interdum per motum localem inducuntur malę dispositiones, vt patet in animalibus, quæ debilitantur. Sed hoc est per accidens, prout scilicet ex grauitate corporis laxantur. Vnde non motui, sed improportionatæ virtuti motrici ab mobile, talis imperfectio est tribuenda.*

Maximè autem manifestum est, quod diximus de perfe- Tex. 60. *ctione lationis, ex eo quod id quod seipsum mouet, vt animal mouetur à seipso motu locali. Imò principiũ omnium quæ mouent, & mouentur id esse diximus, quod seipsũ mouet, vel est immobile. Cùm igitur perfectissimis mobilibus conueniat, (quę namque à seipsis mouentur, alijs mobilibus perfectiora sunt) sequitur, quod ipse sit perfectissimus.*

C A P V T II.

Motus alij à latione non sunt perpetui, nec continui.

QVod igitur latio primus motuum sit, manifestum est Tex. 61. *ex prædictis. Quæ autem latio prima sit, nunc demonstrandum est, simul autem & quod nunc, & quod prius suppositum est, videlicet, quod contingit quendam motum continuum esse, & perpetuum eodem modo ordinato procedendi ostendemus.*

Quod igitur aliorum motuum nullũ contingat esse con- Tex. 62. *tinuum, vel perpetuum ex his, quę statim dicemus manifestum est. Nihil terminatum est perpetuũ, sed omnes motus pręter localem sunt terminati, ergo nullus pręter localem erit perpetuus, maior est nota ex terminis. Probatur minor. Nam omnes tam motus, quã mutationes, sunt ex oppositis ad oppositos terminos, ergo terminos terminati sunt, vnde termini generationis, et corruptionis sunt ens, & nõ ens, alterationis autem contrariæ qualitates vt caliditas, & frigiditas, augmentationis, & diminutionis, magnitudo, & paruitas, aut quantitas perfecta, & imperfecta; contrarij autem motus sunt, qui ad terminos contrarios fiunt, ideò omnes, qui sunt contrarij, necessariò sũt terminati, etsi videantur esse continui, sicut si esset motus ex albedine in nigredinem, vel è conuerso; hi namq; continuari non possunt, vnde id quod non semper mouetur hac motione, existit autem prius, necesse est prius quiescere, sed quod de vno contrario in aliud mutatur, non semper vna motione mouetur, cum ex contrario ad contrarium accedat, ideò necesse est, quòd prius quiescat, quam aliud acquisierit contrarium; manifestum est igitur, quòd quiescit in contrario id quod mutatur.*

mutatur. Hoc autem diximus propter aliquos qui credunt, motum alterationis posse per reflexionem perpetuari, vt si aliquid ex calido fiat frigidum, et ex frigido calidum semper in infinitum, hoc (vt diximus) non est verum, nam frigidum terminatur ad calidum, & ibi quiescit, sicut è conuerso, calidum ad frigidum; quapropter cum tales motus terminentur oppositis terminis, et quietes quoque intercidantur, non erit vnus motus æternus, & continuus, sed plures contigui, vel consequenter, de quibus non negamus æternitatem, imò necessariò est ponenda, vt patet de æternis generationibus, corruptionibus, ac alijs quoque mutationibus; sermo verò noster quærit de æternitate vnius motus simpliciter continui. Prædicti autem oppositis terminãtur terminis, vt dictum est, quare non sunt vnus continuus. Similiter autem accidit mutationibus, quod .s. sint terminatæ, & nulla eorum vna numero manens sit perpetua, nam generationi opponitur corruptio, & è conuerso, tam simpliciter, seu vniuersaliter, quam singularis singulari; vt generationi in communi, opponitur corruptio in communi, & generationi hominis, corruptio hominis. Quare si impossibile est, quod aliquid simul mutetur secundũ oppositas mutationes, non erit continua mutatio vna cum altera, vt generatio cum corruptione, nam secundũ motum continuum, mobile tam in principio, quam in fine, vel potius circa finem moueri dicitur, vt qui calefit semper ad calorem mutatur, si ergo generatio, & corruptio essent ad inuicẽ continuæ, quod generatione mouetur, etiam moueretur corruptione, hoc autem est absurdum, ergo tales mutationes non sunt continuæ altera alteri, sed inter ipsas mediat tempus, ac per consequens neque sunt æternæ, tam seiunctim, (ita quod non est æterna generatio, nec æterna corruptio) quàm copulatim, ita vt ex ambabus vna æterna, vel continua fiat mutatio. Nihil tamen differt, si istæ mutationes sint inter terminos contrarios, vel inter contradictorios; hoc enim sufficit ad hoc, quod perpetuæ esse non possint, nec ad inuicèm continuari, quod .s. impossibile sit, simul eidẽ ambas conuenire, vt declaratum est; hoc enim quod sint inter terminos contrarios, vel non, nihil prædictæ rationi vtile, vel inutile est. Nec obstat præfatæ positioni, quod in termino contradictionis, (nempe in non ente, quod enti contradicit, & est terminus corruptionis) non sit necesse, quod mobile quiescat, non enim fortassis quiescit, quod non est, neque mutatio est contraria quieti, vt in quinto dictum est, licet ergo in termino contradictionis non sit quies, non tamen propter hoc, in ipso sequitur statim mutatio, vnde alteri mutationi continuetur. Sed sufficit, quod solum sit medium tempus inter vtranque mutationem, sic enim non est mutatio continua; neque enim in prioribus rationibus erat necessaria, vel vtilis ad continuitatem tollendam diuersorum motuum, etsi in illis reperta, vel allata fuit, sed hoc erat sufficiens, quòd non contingeret idẽ simul esse sub diuersis motibus, vt quod non potest idem simul fieri album & nigrum, sed terminatio accipitur ex terminis oppositis. Non oportet autem turbari, quod idem pluribus erit contrarium, vt motus quieti, & alteri motui, qui ad contrarium terminum fit. Sicut calefactio contrariatur frigefactioni, vt motus motui, & non calefactioni, vt motus quieti. Nam verum est vnum esse tantum vni contrarium, si eadem contrarietate accipiantur, & secundum maximam distantiam contrariorum, verum alio, & alio modo considerata contraria, prędicta propositio non est vniuersaliter vera. Quare in proposito non est accipienda talis contrarietas primo modo, sed solum hoc accipere oportet, quòd aliquomodo motus opponitur quieti, & aliquo modo alteri motui secundum diuersas rationes, vt æquale opponitur minori, & maiori, secundum varias rationes. Atq; simul ad propositum accipere debemus, quòd non contingit simul oppositos esse, aut motus, aut mutationes.

Tex. 63.

Amplius, quod generatio continuetur corruptioni, vel è contra absurdum est, nam penitus absurdum esse videbitur, si quod factum vel genitum est, statim corrumpatur, & nullo tẽpore permaneat; at si generationi, sequatur veluti quid continuum statim corruptio, hoc eueniret, quod genitum non duraret per aliquod tempus. Quare ex his vtique fiet fides in alijs motibus. Physicum enim est similiter se se habere in omnibus, quæ sunt eiusdem rationis, sic autem sunt omnes motus, & mutationes, saltem quoad hoc, quod est posse continuari, vel habere oppositos terminos, quod ad rem nostram est satis. Est notandum, quod non negatur, alios motus esse continuos, puta vnumquemque per se sumptum, cum hoc satis declaratũ sit in 5. Physic. sed negatur, vnum posse cum alio fieri continuum, quare non efficient vnum motum numero æternum, sicut videbimus posse fieri de motu locali, nec quilibet per se sumptus est æternus, cum sit proprijs terminis clausus, vt nunc hic, & alibi probatum est.

Physicum est similiter se habere in omnibus.

C A P V T III.

Nullus motus localis, nec rectus, nec reflexus potest esse perpetuus, nec continuus.

Tex. 64.

QVod autem contingat esse quendam infinitum vnum existentem, & continuum motum, et hic sit circularis, nũc dicamus. Omne enim quod localiter mouetur, aut motu recto, aut circulari, aut misto moueri necesse est. Quare si neque rectus, neque circularis, continuus, ac perpetuus esse poterit, sequitur, quod neque mistus erit talis (loquimur autem hic de circulari reflexo, non autem de completo; dicitur reflexus circularis, qui fit per circulum, sed non perficit ipsum, imò quando ad punctum aliquem peruenerit, retro voluitur mobile, completus verò, vel non reflexus est, qui absque retrogradatione per circulum fit, pluries ipsum transeundo, & de hoc probabimus, quod sit perpetuus, & continuus.) Quod autem id quod mouetur motu recto, & finito, non feratur motu continuo, & perpetuo, etiam si semper moueri videatur manifestum est, nam reflectitur, si semper durare dicatur, vt de sursum in deorsum, & è conuerso; At quod motu recto reflectitur, mouetur motibus contrarijs, quare non vnus, nec continuus erit motus, sed plures, & consequenter, motus autem contrarij secundum locum sunt, sursum, ei, qui fit deorsum, vel è contra, & qui est in ante, ei, qui est retro, & qui ad sinistram, ei, qui est ad dextram, loci enim contrarietates hæ sunt. Quis autem sit vnus, & continuus motus prius in 5. Phys. definitũ est, videlicet, qui est vnius mobilis vnius termini ad quẽ, et tempore sine interruptione continuato. Tria enim in motu sunt .s. quod mouetur, vt homo, vel Deus (more gentium ponentium Deos, vel exempli causa) secundum est quando, vt tempus; tertium verò est id in quo, nempe terminus ad quem; hoc autem est passio, vel qualitas, aut forma, si sit generatio, vel locus in motu locali, aut magnitudo in augmentatione, & diminutione. Cùm igitur motus sursum, & deorsum, uel alij motus locales, sint ad contrarios terminos specie differentes, sequitur, quod tales motus vnus esse non possint, ac simi-

Motus reflexus.

Completus circularis.

liter motus reflexus non est unus cum sit ad contrarios terminos specie differentes. Contraria namq; differunt specie, & non vnum sunt, loci autem sunt sex contrariæ differentiæ prędictæ. Quod autem motus, qui est ex contrariis locis sit contrarius, probatur à signo, ponatur namque quod A sit mobile & moueatur de B ad C, aliud vero mobile de C ad B moueatur, ista inquam mobilia se sistere faciunt, ergo tales motus contrarij sunt, qui namq; non sunt contrarij non se impediunt. Similiter autem accidit in circulo si fiat motus modo prædicto, vnus namque impedit alterum. Si autem fiat reflexio, seu circulatio completa, non hoc accidet, sed motus continuabitur absque impedimento. Non fit autem continuatio in prædictis, propterea quod contraria se impediunt. Non autem sic, quæ non sunt contraria, vt dextrum, & sursum.

Tex. 65. Maximè autem manifestũ est, quod impossibile sit, eum motum esse continuum, qui super lineam rectam fit, quia id quod reflectitur necesse est, quod stet in termino reflexionis, sed si in linea ponamus motum aliquem continuum, ac perpetuum, necessariò erit reflexus, cum linea infinita non detur, ergo in tali reflexione est status, vnde non erit motus continuus, qui enim quiete intercipitur continuus non est; imò non tantum motus, qui super rectam fit per reflexionem, intercipitur quiete, sed si fiat per lineam circularem, vel in circulo. Est tamen notandum, quod non est idem moueri, vel ferri in circulo, & secundum circulum, nam ferri in circulo, est moueri super circulum, quomodocunque moueatur, siue continuando motum, siue retrocedendo, sed moueri secũdum circulum est complere circumlationem sine retrogradatione, unde id quod secundum circulum mouetur continuat motum per totum circulum, quod autem mouetur in circulo, absque tali continuatione potest in eum terminum à quo incępit iterum reflecti, vtroque enim modo in circulo potest fieri motus. Dũ autem nos dicimus, quod etiam in motu circulo facto necessariò est status, intelligimus primo modo, scilicet de motu facto in circulo, & non secundum circulum. Quod autem necesse sit stare in termino reflexionis, tam si motus fiat super lineam rectam, quam si fiat in circulo, nõ solum ex sensibus, sed etiam ex ratione credere oportet, ex sensu namq; comprehenditur, animalia si reflecti debeãt necessariò quiescere, ac Medici asserunt, se sensibiliter duas quietes in motu reflexo pulsus cognoscere, nempe systoles, & dyastoles. Ratione verò probatur, posito hoc principio. In quolibet spatio super quod fit motus, tria assignare possumus .s. principium, medium, & finem; Medium autem secundum diuersos respectus ad vtrumque ambo est .s. & principium, & finis, nam respectu principij est finis, respectu finis est principium, quod tamen non plurificatur, vel diuiditur, sed est vnum numero, ratione vero duo, nam secundum diuersas rationes dicitur principium, & finis, vt declaratum est. Notandum est etiam, quod aliud est esse terminus in actu, aliud est esse in potentia in eodem spatio. Quare lineę rectę, quodlibet signum acceptũ inter extrema, seu quilibet terminus medius, est tantum terminus in potentia, non autem in actu, nisi actualiter ipsum spatium in tali termino diuidatur, vel ipsum mobile postquã ad talem terminũ peruenerit ibi quiescat, ac superstans incipiat iterum moueri; dicitur nãq; terminus in actu, in quo terminatur, & non continuatur motus, terminus autem in potentia, è cõtra, quo .s. motus non terminatur, sed continuatur tantum. Sic igitur patet, quomodo differat terminus in actu, à termino in potẽtia, et quomodo terminus medius sit principium, et finis, principiũ quidem posterioris motus, finis autẽ prioris. Quibus suppositis, veniamus ad intentum, ad probãdum videlicet, quod in puncto reflexionis necessariò sit status, & per consequens non sit motus continuus. Moueatur igitur aliquod mobile, quod vocetur A, per lineam quæ sit ABC, & ponamus, quod terminetur motus eius ad C, in quo stet, & iterum ponamus, quod non stet in B, sed reflectatur continuè vsq; ad A. Vnde habebimus super eandẽ lineam duos motus, alterum continuum vsque ad C, alterum reflexum ex B ad A, inter quos erit hæc differentia, quod cum mobile continuè feratur non poterit adesse neque abesse in B, vel in termino medio, sed solum in ipso esse, in nunc temporis, in quo non est motus, neq; quies, quæ sunt tantum in tempore, ita vt si in nunc esse dicantur, non dicetur, nisi ad hũc sensum, quod sit in ipso, vt in termino continuante, vel sicut ipsum nunc habet rationem diuisionis totius tẽporis, quod idem est, nam habet rationem diuisionis prout est terminus continuans, & est vt principium & finis; non potest ergo in termino medio spatij, vel temporis esse quies, nec motus, neque aliquid in ipso adesse, & abesse. Si enim aliquis ponat mobile adfuisse, & abfuisse a tali termino, necessariò deberet ponere, ipsum mobile dum mouetur semper stare, & quiescere, nam si in quolibet puncto, vel nunc adest, in quodlibet quiescit; cum autem in omni tempore sit nunc, & in quolibet continuo sint termini, etiam in quolibet tempore, quod mouetur, dum mouetur quiesceret; est igitur impossibile, quod in pũcto medio sit motus, uel quies. Si verò ipsum B ponatur terminus reflexionis, ex quo videlicet mobile reflectatur ad principium spatij, res aliter se habet, nam impossibile erit, quod in tali signo simul mobile adsit, & absit, & tamen vtrunque ponere oportet, adest enim, quia non ulterius procedit, abest quia ab eodem reflecti debet, ergo hoc accidit in alio, & alio signo temporis, tempus igitur erit, quod in medio est ipsius adesse, & abesse, quare ipsum mobile A quiescit in B, similiter autem in alijs signis, quæ sint reflexionis, eadẽ .n. est ratio in omnibus. Cũ igitur ipsum mobile A vtatur ipso B medio pro principio & fine actuali, necesse est, quod in ipso stet, propterea quod duo actualiter facit, nempe principium, & finem, similiter atq; si cogitauerit esse realiter distincta, vel diuisa, sicut si ab aliquo signo, quod vocetur A ipsum mobile absuit, veluti à principio, & aliud statuatur signum, quod sit C in quo ipsum mobile stet cũ finierit, sic inquam est cogitandũ de termino reflexionis. Vnde si in puncto reflexionis non cessaret motus, sed continuaretur, terminus in potentia non differret à termino in actu, nã (vt diximus) dicitur terminus in potentia per quem motus cõtinuatur, per quem autem terminatur in actu, sed per terminum reflexionis terminatur, ergo non erit terminus continuationis.

Ex prædictis soluitur dubitatio quædam, quæ talis est. Tex. 66.
Si sint duæ æquales magnitudines, quarum vna vocetur E, altera verò F, & similiter sint duo mobilia æquè velocia, scilicet A & D, moueatur igitur continuè ipsum mobile A à principio magnitudinis vsque ad aliquod signũ, quod vocetur C simul autem ipsum A sit in aliquo signo medio, quod vocetur B, atq; etiã aliud mobile D sit quoq; in signo eiusdem quantitatis cum ipso A, ponamus ergo quod A ex tali medio signo reflectatur, et moueatur versus principiũ, D vero eadem velocitate, ac motu regulari continuet motum vsque ad finem, ita vt tantum spatium restet transeundum ipsi A quantum ipsi D, & eadem moueantur velocitate, & regulariter, sed A in medio spatij reflectatur, D verò nequaquam, in quo casu etsi æquale spatium debeat pertransiri, & æquali velocitate moueantur, tamen ipsum D, quod sine reflexione motum efficit, prius complebit

Ferri in circulo, & circulariter differunt.

Terminus in actu.

In potentia.

suum

suum spatium, ac ad extremum perueniet, quam mobile A, quod reflectitur compleat suum & sic æquè uelocia non essent æquè talia. Soluitur ergo hæc dubitatio, sic. Mobile quod continuè sine reflexione mouetur, non quiescit in medio termino, sed quod reflectitur quiescit; quare dum ipsum mobile, quod sine reflexione mouetur continuat motum, aliud non continuat, & sic mobile sine reflexione prius ex tali medio signo mouetur, quam aliud, nam mouetur dum illud quiescit; cum igitur prius moueatur, necesse est prius ad terminum venire, prius enim se mouens, & discedens, prius venire necesse est. Non ergo ponendum est cum A affuit in signo medio B, ipsum D simul moueri ab F, quod erat signum eius æquale, quasi ab extremo simul motum incipiant, nam ipsum D ante mouetur, vt declaratum est. Si verò diceretur, quod ipsum A continuè sine reflexione moueretur, non possemus dicere, quod in tali signo medio quiesceret, vnde licet in eodem signo adfuerit & ab eodem abfuerit, quod simul fieri non posse videtur; hoc tamen non est in tempore, sed erat in sectione, vel termino temporis, in quo non est motus, nec quies, vnde in tali termino non est propriè abfuisse, nec abfuisse actualiter, sed tantum in potentia, quod est continuare motum. Hic igitur impossibile est sic dicere in motu continuo, & sine reflexione, quod videlicet in termino medio sit status, sed in eo, quod reflectitur necesse est sic dicere, nam si aliquod mobile, quod vocetur G feratur ad aliquem terminum, qui sit D, qui motus sit sursum, & iterum reflectens deorsum feratur, ipsum mobile vtetur ipso D fine, vt actuali principio à quo incipit moueri, & actuali extremo, in quo desinet, & sic cum vtatur tali extremo, vt duobus actualibus, necesse est quod stet, & non simul affuit in ipso D termino, & abfuit ab eodem, nam sequerentur contradictoria, videlicet, quod simul esset, & non esset in eodem termino; esset, si ponamus quod adsit, non esset si simul abest, imò hoc etiam sequeretur, quod simul motus inciperet, & non inciperet; nam dum abest incipit, dum adest non incipit; hæc omnia ergo cum sint absurda, necesse est dicere, quod mobile in termino reflexionis quiescat.

Tex. 67. *At verò solutio quæ à quibusdam allata est, non est dicenda. Dum enim quærebatur, quomodo mobile se habeat dum est in aliquo termino medio, dicebant, ibi actualiter adesse, & postea ab eodem abesse. Hæc (inquam) solutio olim allata non est bona, quia non contingit dicere, quod ipsū G mobile sit in aliquo termino medio, & in eodem adsit & absit, sic enim tali termino corresponderet tempus, & non instans, quod falsum est, quia termino magnitudinis respondet Nunc, vel diuisio temporis; sed in tali nunc, vel sectione, non adsuit, nec absuit mobile in termino medio, qui est tantum terminus in potentia, nam ad hoc vt adsit, vel absit, necesse est ad finem, vel terminum venire qui actu est, non potentia; quod igitur signum in medio est, potentia est, (vt diximus) hoc autem in quo ponitur adesse, & abesse mobile actu & finis, & principium est, finis quidem à deorsum, si sursum incipiat motus, principium autem desursum, si ex deorsum reflectatur, & motus ipsius similiter non vnus erit, sed duo, scilicet sursum, & deorsum: necesse est ergo stare, quod reflectitur super recta linea, non igitur contingit esse continuum & perpetuum motum super recta. Ex prædictis possumus quoque rationem Zenonis soluere, qua motum intendebat destruere. Dicit enim, quod in quolibet motu, oportet prius pertransire partes proportionales, ita vt si debeat pertransiri aliquod spatium, transeatur dimidium illius, deinde dimidium dimidij, & sic dimidium alterius dimidij, hæc autem infinita sunt, infinita autem transire impossibile est, ergo motus non datur. Aut, vt alij, hanc eandem rationem examinant, dicentes, quod in quolibet spatio sunt infinita dimidia, vel partes, quas omnes numerare oportet, si debeat pertransiri, hoc autem est impossibile, quia cum pertransierit totum, accidit infinitum numerasse numerum, quod omnes, non fieri posse confitentur.*

In primis ergo sermonibus de motu habitis in 6. Phys. textu 19. soluebamus hanc rationem hoc modo, quod non est inconueniens transiri aliquam infinitam magnitudinem tempore quoque infinito, nam sicut illa magnitudo habet infinitas partes, sic quoque tempus infinitas habet, nam similiter est infinitum in longitudine, & tempore. Sed hæc solutio erat solum sufficiens secundum interrogationem ipsius; nam interrogabat si in infinito tempore contingat infinita transire, aut numerare. Ideò responsum fuit, quod sicut accipitur magnitudo infinita, vel finita, sic ei correspondet infinitum, vel finitum tempus, vt si illa sit infinita in potentia, & istud, si in actu similiter & tempus erit tale, ac eodem modo dicendum est de finitate vtriusque. At si aliquis dimittens magnitudinem, & interrogationem modo prædicto factam, interroget hæc de ipso tempore, an scilicet in ipso transeantur infinitæ partes (habet enim tempus infinitas diuisiones) non amplius sufficiens erit prædicta solutio, nam data fuit de tempore in ordine ad quantitatem super quam fit motus; hoc autem quæritur de tempore tantum. Sed pro responsione dicendum est, id quod diximus in nuper dictis sermonibus, videlicet, quod ibi non sunt partes, nec termini actu infiniti, sed in potentia tantum, at infinitum in potentia potest pertransiri; ad hoc enim vt sint partes, & termini in actu debent esse actualiter diuisi. Vnde si quis aliquam continuam magnitudinem diuiserit in duo dimidia, hic vno signo tanquam duobus vtitur, nam facit ipsum vltimum terminum rei diuisæ actualiter principium, & finem, sic autem facit qui actualiter numerat, & qui in dimidia diuidit, quare accipit partes potentiales, & terminos, ac si actuales essent, ideò meritò contingit, quod non transeantur secundum ipsos, qui sic actualiter infinita constituunt. Quare si aliquis sic diuidat lineam, neque ipsa, neque motus super ipsam factus continuus erit, nam motus continuus est continui spatij, at in continuo insunt quidem infinita dimidia non actu, sed potentia, si verò faciat actu terminum, non faciet continuum motum, sed stabit, quod quidem in eo, qui dimidia actualiter numerare intendit manifestum est, quod accidit, nam vno signo vtetur, vt duobus actualibus, ita vt sit actuale principium vnius partis, & finis alterius, si non numeret vnam magnitudinem continuam, sed in dimidia diuidat, vt dictum est. Vnde non tantum secundum ipsos motus non esset, quia non possint actualiter infinita pertransiri, sed etiam alia ratione, quia scilicet in omni termino esset quies. Quare simpliciter ad interrogantem si contingat infinita transire, aut in tempore, aut in longitudine; respondetur, quod aliquomodo transire contingit, aliquo verò non; nam si sint infinita in actu, non contingit transire, si verò sint infinita in potentia contingit; qui enim continuè mouetur, secundum accidens infinita transiuit, hoc est, provt non omnia ex se determinatè transiuit, sed simul cum toto, & alijs partibus; simpliciter autem, vel per se non; accidit enim lineæ infinita esse dimidia ipsius secundum quæ pertransiri debet; nam substantia, vel natura ipsius lineæ, provt spatium pertransibile est, altera est ab infinito, quia non transitur tali ratione, cum infinitum sit Tex. 68.

impertransibile. Et notanter dicitur, ei accidere infinitum, & substantiam eius alteram esse, prout habet rationem spatij, nam prout est continuum quid, fortè hoc non est verum, cum omne continuum ex infinitis constet, & in infinita sit diuisibile, vt visum est in 6. Phys.

Tex. 69. *Manifestum est autem, quod nisi aliquis ponat signum temporis, seu nunc, quod diuidat partem priorem à posteriori eiusdem temporis, quod quidem nunc sit posterius semper ipsa re, quæ in tempore est tanquam terminus eius, sequeretur, quod idem erit simul ens & non ens, & quando factum erit, non erit; signum igitur indiuisibile vtriusque partis temporis commune est & priori, & posteriori, & idem, & vnum numero, ratione autem non idem, quia alia ratione dicitur principium, alia finis; licet respectu rei temporalis sit veluti passio, vel affectus quidam posterior ipsa re, nam in quolibet tali nunc, res terminari dicitur, & sic ipsum nunc est posterius re. Quod vero nisi ponatur nunc indiuisibilis terminus vtriusque partis temporis, sequatur, quod diximus .s. quod idem esset simul ens & non ens, & quod factum erit dum factum erit, non erit, probatur. Sit enim tempus ACB, res autem quæ in tempore fit, non alba sit D, ipsius autem temporis prima pars sit A, secunda sit B, ipsum autem C sit medium, vel signum, tunc sic. Res ipsa D, in prima parte temporis est alba, videlicet in A; in secunda verò, scilicet in B est non alba (positum namque est, ex alba, faciendam esse non albam) in C, ergo erit alba, & non alba, nam in qualibet parte temporis ipsius A, verum erit dicere, quod sit alba, si toto hoc tempore erat alba, & similiter in toto B est non alba, C autem est in vtroque tempore, ergo in ipso erit simul alba & non alba, & sic ens, & non ens, atq; cum factum fuerit non erit, nam in C factum est alba, & tamen est etiam nõ alba; cum hæc igitur sint absurda, non erit dandum ipsum signũ, vel nunc in toto tempore, ita quod participet parte præterita, & futura, velut quid diuisibile (sic namq; non terminus, sed tempus esset) sed debet poni; præter totum tempus & vltimum ipsum nunc C, quod quidem posterius est tempore præterito, & re acquisita in ipso, unde si fiebat non album, etsi corrumpebatur album, in toto tempore præcedenti A factum est, aut corruptum, quare in ipso nunc C verum erit dicere, quod terminatum est album, vel non album, non autem quod in ipso fiat album & non album, aliter sequeretur quod diximus, scilicet, quod factum est non erit, vel cum corruptum est, erit, aut simul album, & non albũ, aut omnino ens, & non ens necesse est esse, vt autem in summa dicam, in nunc nihil fit, sed est terminus indiuisibilis continuans ipsum tempus, & fieri. Quod autem sit indiuisibile, probatur adhuc. Si quod fuerit prius non ens, necesse est fieri ens, & cum fit non est, non est possibile, quod tempus constet, vel diuidatur in tempora impartibilia, seu in nunc; probatur consequentia, nam in tempore res fit alba, in nũc autem terminatur ipsum fieri, ac dicitur res facta, ergo si tempus ex nunc componeretur, nihil fieret, sed semper factum esset; quare si in aliquo nunc necesse est factum esse, & ante fiebat, debet poni aliqua generatio media per quã fiebat, quare, & tempus erat in quo fiebat. Neque hæc ratio potest reddi ab ijs, qui non ponunt signa impartibilia in tempore, sed debent dicere, quod ipsius temporis in quo res fiebat, etiam facta sit, cum eadem sit ratio per totum tempus, secundum ipsos, imò etiam secundum eosdem, res ipsa erit facta in vltimo signo temporis (hoc namque assignare debent si dicant rem aliquando factam) cui tamen (per eandem positionem) nullum aliud signum erit contiguum, vel consequenter, quod absurdum est, quia qua ratione dant vltimum rei factæ, debent alia concedere per totum tempus, cum in qualibet parte aliquid falsum esse possit, debent igitur poni indiuisibilia in tempore, quæ inter se consequenter sint, ac temporis media. Cum ergo hæc sint indiuisibilia, manifestum est, quod si aliquid fiebat in toto tempore A, atque in ipso Nunc sit factum, quod propter hoc non est maius tempus, quod videtur constare ex eo in quo fiebat, & ex eo in quo factum est (seu nunc) quam id in quo solum fiebat, quia indiuisibile additum alteri non facit maius. Patet ergo ex prædictis, quod motus factus super lineam rectam non potest esse perpetuus, nec infinitus, quia non datur linea infinita, nec per reflexionem perpetuari potest, quia non esset vnus motus continuus, cùm actuali puncto, vel termino terminetur; ideò finit, ac iterum incipit postquam quiete interceptus fuit; & hac de causa determinatum est etiam de differentia inter puncta, & indiuisibilia media, & vltima, similiter eadem occasione determinauimus de partibus in potentia, & in actu, & quomodo necessariò debent dari indiuisibilia in tẽpore, non componentia, sed terminantia, omnia enim ista circa hanc materiam sunt sic annexa, vt cuilibet mediocriter intelligenti est notum, quod vnum sine reliquis determinari non potuit.*

Quibus igitur tanquam proprijs & physicis rationibus Tex. 70.
aliquis credet, quod motus reflexus non sit, nec possit esse continuus, & perpetuus, & hæc prædictæ, & aliæ similes sunt. Logicè autem, seu per rationes vniuersales considerãtibus, ex his rationibus sequentibus videbitur hoc idem quod diximus accidere, seu verum esse. Omne quod continuè mouetur, si à nullo prohibeatur, in terminum ad quem vltimatè venit secundum motum localem, ad eũdem prius quoq; mouebatur, vt si venit ad B ferebatur ad B, non tantum cum erat prope ipsum B, sed mox cum cœpit moueri, cur enim magis nunc, quam prius? similiter autem in alijs motibus: si ergo motus reflexi sunt vnus tantum, & continuus, quod ab A, seu à principio lineæ fertur ad C, seu ad extremum, & iterum ad A reuertitur, ergo cum mouebatur ad C, simul mouebatur ad A (posito quod sit vnus motus) quare simul moueretur motibus contrarijs, nam contrarij sunt motus, qui super rectam lineam fiunt, vnus videlicet contra alium. Imò aliquid moueretur ex termino in quo non est, quia, prout tendit ad terminum ex quo incepit per vnum continuum motum, debet intelligi, quod moueatur à termino opposito, cum omnis motus sit de termino ad terminum oppositum, at in tali termino nondum peruenit, cum incipiat moueri, ergo moueretur ab aliquo in quo non est; si igitur hoc impossibile est, necesse est stetur in C, seu in vltimo termino reflexionis, non est ergo vnus motus, qui enim quiete intercipitur non est vnus.

Amplius autem ex his manifestum est vniuersaliter de Tex. 71.
omni motu, quod scilicet si reflectatur de termino ad terminum, non possit esse vnus, & continuus. Pro cuius dilucidatione, duo supponamus; primum. Omne quod mouetur, mouetur aliquo dictorum motuum, nempe augmentatione, uel alteratione, &c. et quiescit quiete opposita prædictis, ut quod iam auctum est, quiescit ab augmentatione, & quod factum est calidum, quiescit à calefactione. Secundũ. Quod non semper mouetur secundum hunc, vel illum motum, necesse est, quod prius quiescat secundum oppositam quietem, quies .n. priuatio motus est, at habitus & priuatio respectu eiusdẽ non possunt esse simul, vt quod non mouetur motu locali, necesse est quiescere, quiete opposita locali motu. Loquor autem de motibus, qui sunt diuersi speciei, vt est augmentatio, alteratio, &c. non autem de motibus

bus secundum partes, quod sic intelligitur. Motus totius habet totaliter oppositam quietem, vt augmentationi opponitur, quies ab augmentatione; si vero accipiatur motus secundum aliquam partem totius, tunc ad quietem illius partis, non oportet quod totum, vel omnes aliæ partes quiescant, vt si quiescat pes, non ideo est necesse quiescere manum, vel cor; ad hoc igitur vt sit vera suppositio debet accipi quies, & motus secundum suam specificam rationem respectu eiusdem, nec cauillare debemus secundum varias acceptiones totius, vel partis. Quibus suppositis, accedamus ad intentum. Motus, qui secundum lineam rectam fiunt sunt contrarij, vt sursum & deorsum, ante, & retro, &c. Sed contrarijs motibus non contingit moueri, cū vnusquisque, opposita quiete terminetur ex prædictis, ergo idem moueri non potest simul, de vno termino lineæ, ad eundem per reflexionem, vt quod ab A ad C fertur, non vtique ferretur simul ab ipso C ad A. Quoniam autem non simul fertur, & mouebitur secundum hunc motum lineæ rectę, necesse est, vt prius quiescat apud C, seu apud vltimum terminum; hæc enim est opposita quies ei motui, qui ab ipso C incipit, vt probatum est in 5. Physic. Manifestum est igitur ex his, quæ dicta sunt, quod non est continuus motus reflexus, discurrendo per singulos cuiusque speciei, nec alij præter prædictos assignari possunt, vt in prima suppositione dictum est, ac in 5. Physic. tex. 7. & inde declarauimus.

Tex. 72. *Amplius autē, et hęc ratio magis propria est ijs, quę dicta sunt ad idem probādum (& dicitur magis propria idest particularis) quæ vt facilius intelligatur supponenda est hæc veritas, quod quando aliquid desijt esse tale, factū est aliud oppositum ei ex quo esse desijt, vt si corruptū sit non album, simul factū erit album, nam ex non albo fit album; tunc sic arguitur, si alteratio, quæ fit ex albo & ad album erit continua, & non manet aliquo tempore sub vno, sequitur oppositum suppositionis, nempe quod simul corruptum est non album, & factum est non album, nā ipsius non albi corrupti, & ipsius non albi facti, ac albi etiam facti, erit idem continuum tempus, ac per consequens, trium incōpossibilium prędictorum, erit vnus motus, & vnum tempus, hoc autem accidit in motu reflexo, ergo non erit vnus. Declaratur idē facilius sic. Moueatur aliquid de non albo ad album, & ponatur, quod est albo sine quiete media, fiat statim reflexio ad ipsum non album ex quo incępit motus, tunc cum nulla sit quies media, erit unus motus, qui incipit à non albo, & ad ipsum quoq; vltimatè terminatur, & sic quia ex non albo incipit motus, ac per consequēs tendit ad esse album, si absque interruptione, ad ipsum non album reflexio fiat, tendit ad non album, et hoc modo, ex corruptione non albi, esset generatio non albi, & sic idem fieret non album, et corrumperetur non album, vel idem esset oppositus terminus eiusdem motus; hæc autem sunt impossibilia, ergo non est unus motus reflexus, in quo tria includūtur incompossibilia, videlicet non albū vt terminus à quo, album vt terminus ad quem, & non album similiter vt terminus ad quem. Amplius etiam si posset, esset tempus continuum diuersorum motuum, & contrariorum, non tamen propter hoc motus ipsi diuersi, & oppositi essent vnus cōtinuus, sed consequenter tantum, nam ratio diuersitatis non sumitur præcisè ex tempore, sed ex incompossibilitate terminorum, quomodo .n. erit idem vltimū contrariorum, vt dealbationis & denigrationis? vt autem aliqua sint vnum continuum, debent habere vltima, quæ sint vnum, sed vnum tantum vltimum, & per hoc differunt à contiguis, & consequenter entia, vt in 5. Physic. visum est.*

CAPVT IV.

Solus motus circularis potest esse perpetuò continuus.

Motus autem, qui super lineam circularem fit, erit vnus & continuus, etiam si infinities reflectatur, loquendo tamen de circulationibus completis, & non retrogradis, in quibus nihil impossibile contingit, vnde non erunt varij motus, nec contrarij termini, sed vnus & idem. Quod enim ex A termino in circulo designato mouetur, simul ad idem A mouetur secundum idem propositum, vel intentum, nam ad eum terminum ad quem mobile veniet per vnum continuum motum ad hunc mouebatur antea, sed in motu circulari ad eundem terminum mouetur ex quo incępit moueri, ergo ad ipsum ante mouebatur, vnde non simul mouebitur contrarijs, vel oppositis motibus, sicut accidit si ponatur motum reflexum per lineam rectam continuari. Quare non omnis motus, qui est ad hoc, seu ad hunc terminum est contrarius, vel oppositus ei, qui est ex hoc termino; sed hæc contrarietas reperitur inter motus, qui super rectam lineam fiunt, alteri enim ipsorum est alter motus localis contrarius, nempe, qui fiunt secundum diametrum, vel lineam rectam, sic namque vnus ab altero plurimum distat, quæ est ratio contrarietatis in motu locali: hæc autem motu circulari conuenire non possunt, quare nihil prohibet aliquid continuè circulariter moueri, & nullo tempore deficere. Nam motus circularis est, qui fit ab eodem in idem. Rectus autem qui ab eodem in aliud, & qui in circulo quidem, nunquam est in eisdem terminis actualibus, & vltimatis, qui verò secundum rectam lineam, si ponatur reflecti, sæpe est in eisdem vltimatis terminis, eo igitur motu, qui semper fit in alio, & alio termino non actuali & vltimato, sed potentiali, contingit mobile moueri continuè & semper, nam ex eo, quod aliquo actuali termino non finitur, non oportet quòd interrumpatur, sed semper continuari potest, eo vero motu, qui in eisdem actualibus terminis fit sæpe, non contingit mobile semper moueri, quia necesse esset moueri oppositis motibus, nam(vt visum est)motus, qui super rectam fiunt ex opposito, sunt oppositi, præterquam quod talis reflexus motus, quia intercipitur quiete, non esset vnus, nec continuus. Quare neque in semicirculo, neque in alia circumferentia vlla, cōtingit moueri continuè, si videlicet non compleatur motus, sed fiat regressio, vel retrogradatio, vt dictum est supra; & ratio est, quia necesse est, quòd sæpe mobile moueatur secundum eosdem actuales terminos vltimatos, & contrarijs mutari mutationibus, vt declaratum est in hocmet libro tex. 64. non enim in talibus motibus coniungitur principio finis; motus verò qui circuli est, coniungitur, & solus est perfectus, quia fine, & principio caret, vnde est æternus, & incessabilis. Tex. 73.

Manifestum autem est ex hac immediatè sequenti diuisione, quòd non contingit alios motus præter circularem esse continuos per reflexionem (sic namque intelligi debet, quotiescunque dicitur, alios motus non esse continuos, aliter esset falsum) in omnibus enim accidit, quod mobile sæpe per eadem media moueatur, at non potest talis reditio fieri, nisi per reflexionem & quietem mediam, ut in alteratione per media, nempe ex albo in nigrum per fuscum, & in eo motu, qui est quantitatis, sicut est augmentatio, & diminutio per medias magnitudines, Tex. 74.

scilicet ex imperfecta quantitate ad magis perfectam, ac denique ad perfectiorem, vel è contra. Idem potest dici de motu locali recto, quòd videlicet ex medio fiat, si reflectatur, & in generatione, & corruptione similiter, nam ex semine fit sanguis, ex sanguine caro, & postea animal, & in corruptione ex animali cadauer, ex illo elementa, vel alia resolutio, nihil tamen differt ponere pauca, vel multa media inter terminos prædictorum motuum, vel aliqua media augere, vel auferre, vtroque enim modo accidit, mobile, quod talibus mouetur mutationibus, vel motibus sæpe per eadem media moueri, si tales motus debent poni per reflexionem continui, sed vbi sunt media, ibi sunt quoque extrema, nam medium in ordine ad extremum dicitur, ergo in quolibet prædictorum sunt actualiter extrema, & sic actualiter terminatur motus ab ipsis, vnde vnus non erit, quia actualiter terminatus, quiete intercipitur, at in motu circulari, nec media, nec extrema actualiter sunt, cum in quacunque parte circuli super quem fit motus possit indifferenter medium, & extremum assignari, seu potius mente designari, nam reuera, nihil est actualiter tale; quapropter in ipso motus continuari, ac perpetuari potest. Manifestum est igitur ex his, quod neque antiqui Philosophi, qui de rebus naturalibus differunt, bene dicunt, asserendo, omnia sensibilia semper moueri; nam omne quod mouetur, necesse est moueri aliquo illorum motuum, quos supra, & exactius in 5. Phys. assignauimus, maximè autem secundum illos mouetur motu alterationis, augmentationis, & diminutionis, generationem namque, & corruptionem tollunt, sed eas, dicunt alterationes esse. Ratio namque nostra nunc vniuersaliter probauit de omni motu, quod scilicet nullo motu aliquid contingit moueri continuè, præterquam circulari; quare neque secundum alterationem, neque secundum augmentationem, vel alium motum, id possibile erit. Quod igitur, neque infinita sit vlla mutatio, neque per reflexionem continua, præter circularem lationem, tot à nobis dicta sint.

C A P V T V.

Motus circularis est primus omnium.

Tex. 75. *QVod autem omnium motuum localium motus circularis sit primus, manifestum est. Omnis enim motus, aut circularis est, aut rectus, aut mistus, vel tortuosus, vt prius diximus in hoc libro tex. 64. sed necesse est, quod motus rectus, & circularis sint priores misto, nam mistus constat ex illis; quod verò ex alijs constat est posterius illis, & per consequens illa sunt priora, & veluti principia; circularis autem est prior recto, nam ipse circularis est magis simplex, & magis perfectus, & sic prioritate perfectionis excedit motũ rectum. Quod autem sit simplicior, & perfectior, probatur, supponendo hoc, quod nihil potest in infinitum moueri super lineam rectam, quod enim sic recta linea est, infinitum non est, cum nulla detur actualis quantitas infinita, vt in 3. Physic. visum est, sed neque si esset infinitum, moueretur vtique aliquid per ipsum, non enim id fit, quod impossibile est, transire autem infinitum est impossibile; hoc posito, sic probatur intentum. Motus localis, qui super linea recta finita fit (infinita namque non datur,) vel erit reflexus, vel non, si reflexus, erit motus compositus, ita quod non erit vnus, sed duo motus, quiete media intercepti, & sic non, cum erit simplex, motus verò circularis sine reflexione, & interceptione quietis potest esse vnus & continuus, ergo est magis simplex, nam quo aliquid est magis vnum, magis simplex videtur; si vero non reflectatur, ipse erit imperfectus, & corruptibilis, nam perfectio motus attenditur ex duratione, abstrahendo videlicet à quolibet termino ad quem. Cùm igitur motus rectus sit corruptibilis, ac paruæ durationis, circularis vero opposito modo se habeat, sequitur, quod ipse circularis sit perfectior recto. Vnde quod est perfectum, est prius natura, definitione, & tempore imperfecto; natura, quia ex eo quod perfectius est, ab imperfectiori non dependet, definitione, quia imperfectius non perfectè explicari potest, nisi in ordine ad perfectius; tempore, quia propter independentiam ab altero, potest ipsum præcedere. Similiter eisdem prioritatibus incorruptibile est prius corruptibili, at motus circularis est perfectior recto, vt probatum est, ergo est prior illo. Amplius, motus qui potest perpetuus esse, prior est eo, qui perpetuus esse non potest; sed motus circularis potest esse perpetuus, aliorum autem, neque corruptio, neque generatio, nec vllus alius esse potest, nam in omnibus istis oportet fieri quietem, si autem hoc est verum, corrupti sunt quiete, videlicet existente, ac per consequens non possunt esse perpetui, nec incorruptibiles, ergo motus circularis, qui incorruptibilis, & perpetuus esse potest, erit omnibus istis prior, & sic quolibet motu circularis prior, & perfectior erit.*

Rationabiliter autẽ accidit, circularẽ motum vnum esse et continuum, et non eũ, qui super recta linea fit; eius .n. qui super recta fit determinatum est principium mediũ, et finis, et omnia ista habet determinatè, et distinctè in seipso: quare est vnde id incipiat, quod mouetur, et vbi desinat; omne enim quod sic per lineam rectam mouetur quiescit apud terminos, nempe aut vnde incipere debebat moueri, videlicet in principio, vel termino à quo, aut vbi desinit in fine, vel termino ad quem; ipsius autem circularis lineæ hæc omnia, scilicet principium, medium, & finis indeterminata sunt; cur enim magis quodvis eorum, quæ sunt in linea circulariter minus erit? similiter namque vnumquodque principium, medium, & finis est, ita vt quædam quæ super talem lineam mouẽtur semper sint in principio motus, non autem in fine actuali, sicut neque sunt propriè in actuali principio veluti in termino à quo, hoc etenim repugnaret prædictis, sed dicuntur esse in principio, prout motus semper de nouo fit, nunquam verè desinit. Quare corpus circulare, vel sphæra mouetur quodammodo, & quiescit, nam prout non discedit de loco ad locum, sicut quæ mouentur motu recto, sed eundem locum semper occupat, quiescere videtur, prout vero in gyrum vertitur, mouetur; causa autem est, quoniam hæc omnia accidunt ipsi centro, nam est principium, medium, & finis ipsius magnitudinis circularis, quæ circa ipsum mouetur; vnde quia nunquam à principio videtur recedere, nec ad finem accedere, ideo non videtur moueri. Quare fit etiam, vt propterea quod ipsum centrum sit extra circunferentiam, hoc est non sit terminus, vel punctum assignabile, vt quid vltimatè terminatum, in ipso circulo, qui mouetur, sed sit semper in medio, non fit vbi id quod circulariter fertur quiescat quasi spatium transierit, & ad terminum vltimatum peruenerit, sicut accidit in motu recto, semper enim fertur circa medium, & non ad extremum; propterea autem, quòd hoc centrum manet eodem modo, ita quòd nunquam habet magis rationem principij, medij, Tex. 76.

vel

vel finis, quam è contra; ideo ipsum totum corpus circulare semper quiescit quodammodo, & semper etiam mouetur, vt declaratum est. Amplius, quòd ipse motus circularis sit omnium primus, pròbatur sic. Ille motus est primus, qui est aliorum mensura, (videlicet perfectionis, nam alio modo non esset verum; quantitas namque est mensura substantiæ, & tempus est mensura motus, & tamen neque quantitas est prior substantia, neque tempus est prius motu, sunt namque ista mensuræ quantitatiuæ, quæ vel adæquationis, vel reduplicationis secundū rationem quantitatis, vel continuæ, vel discretæ dicuntur) sed motus circularis est mensura perfectionis omnium aliorum, ergo est primus, (dicitur mensura perfectionis, quod in aliquo genere est perfectius, nam alia dicuntur perfecta magis, vel minus, prout magis, & minus ad ipsum perfectissimum accedunt, & sic perfectio ipsorum ab ipso primo mensurari dicitur, quod etiam in transcendentibus reperiri potest, vt Deus est hoc modo mensura omnium, motus autem circularis est cęteris perfectior, quod probatum est) Quòd verò ipse motus sit aliorum mensura, probatur, nam ista conuertuntur adinuicem, scilicet, quod aliquid si est primum, est mensura, & si est mensura est primum; quòd vero omnes motus ipso primo mensurentur, ex perfectione eius satis est manifestum; quia igitur ipse est primus omnium, est etiam omnium mensura, & quia est mensura, est primus. Amplius, motus regularis est prior, seu perfectior irregulari, sed solum circularem contingit esse regularem, ergo ipse est omnium primus primitate perfectionis. Maior est nota, quia motus regularis prout semper eodem modo se habet est simplicior, ac perfectior; probatur minor, quia motus qui super rectam lineam fiunt, sunt irregulares à principio vsque ad finem, & præcipue motus purè naturales, vt grauium deorsum, leuium sursum; omnia enim ista quanto plus distant à termino à quo, (in quo quiescebant, vel quiescere dicitur, per quandam similitudinem, prout semper æquè distat à termino ad quem) tanto velocius feruntur, mouentur namque velocius circa finem, quam circa principium. Sed solius motus circularis, non est principium neque finis, ergo non velocius mouetur circa vnum, quam circa aliud, & sic semper motus eius est regularis; non tamen intendimus negare, quod nullus alius motus possit esse regularis, cum oppositum docuerimus in 5. Physic. tex. 43. sed volumus dicere, quod circularis tantum est ex sua natura regularis, & irregularis esse non potest, vt in libris de cęlo melius probabimus; alij vero motus, etsi possint esse regulares, hoc erit tantum per accidens, quod autem est per accidens posterius est eo, quod est per se, vt in 2. Phys. tex. 66. & sic motus regularis erit prior omnibus.

Mensura perfectionis.

Solus motus circularis est regularis.

Naturalia mouentur velocius in fine, quã in principio.

Tex. 77. *Quod autem ille motus, qui fit secundum locum sit omnium primus, testantur omnes Philosophi, qui de motu sermonem fecerunt, nam principia motus in vniuersali tribuunt mouentibus secundum locum, hoc est omnes alij motus habent principium à mouente, & motu locali. Vnde Anaxagoras ponit principium omnium rerum, & mutationum, disgregationem, & congregationem: hi autem sunt motus locales. Imò ipsemet Anaxagoras dicit, primum motorem esse mentem, cuius motus est disgregare, & congregare, & sic disgregare, & congregare, quod est localiter mouere, tribuit menti, vel Deo, tanquam perfectissimo mouenti, perfectissimum motum. Amplius, qui nulla de causa dicunt esse motum, nisi propter vacuum, (vel vt ipsum corpora motu repleant, vel quia sine ipso motus fieri non potest,) ponunt omnium primum esse motum localem, nam motus, qui fit propter vacuum, localis est, Imò dicunt nullum alium motum inesse primis principijs, seu cęlestibus corporibus, nisi hunc; alijs verò rebus, quæ ex ipsis primis sunt generabiles, & corruptibiles, alios motus conuenire putant, augmentari enim & diminui, & alterari hæc omnia inferiora dicunt cum corpora indiuisibilia, vt athomos congregari, vel disgregari dicuntur, quę fuit positio Democriti, & Leucippi, & eam in 1. Physic. examinauimus, quæ siue sit bona, siue mala, nihil refert ad propositum, sed sufficit, quod nobiscum in hoc conueniant, quòd motus localis sit omnium primus. Amplius autem, & præter hos, illi, qui dicunt, animam esse causam motus etiam motum localem primum omnium esse affirmant; dicunt namque quod ipsum seipsum mouens secundum locum est causa omnium eorum, quæ mouentur. Et quod omne animal, & omne animatum mouet seipsum motu locali; qui autem sic dixerunt, existimauerunt Mundum esse animatum, & ab eius anima moueri; quæ fuit positio Platonis, ex qua etiam hoc solum elicere intendimus, quod ponat motum localem primum omnium, & sic non solum rationibus, sed etiam Antiquorum auctoritatibus nostram veram sententiam determinamus. Amplius. Ille debet dici simpliciter, ac prior, & perfectior motus, per quem aliqua simpliciter moueri dicuntur, sed propriè & simpliciter dicitur aliquid moueri secundum lationem, ergo ipsa est simpliciter prima; probatur minor. Si aliquid quiescat à motu locali in eodem loco, & tamen augmentetur, vel diminuatur, vel alteretur, ipsum non dicimus simpliciter moueri, sed quodammodo, vel secundum quid tantum. Quod igitur semper motus erat, & erit omni tempore, & quod non sit principium perpetui motus; adhæc autem quis motus primus, quem motum perpetuum contingit solum esse, & quod primum mouens immobile sit, dictum est.*

SVMMÆ QVARTÆ.

CAPVT VNICVM.

Primus motor est indiuisibilis, nullam habet magnitudinem, atque habet infinitam potentiam, ac in circunferentia primi mobilis residet.

QVod autem hoc primum mouens necessariò sit indiuisibile, & nullam habeat magnitudinem; nunc Tex. 78.
dicamus, determinantes tamen prius de quibusdam, quæ ante resolutionem istius materiæ sciri debent prout ad notitiam illius attinent; horum autem vnum quidem est, quod impossibile est, vllum mouens finitæ potentiæ mouere infinito tempore, tria enim sunt in motu, quæ proportionaliter se habere debent, circa finitatem, & infinitatem; scilicet, quod mouens, & tertium in quo fit motus scilicet tempus, hæc autem aut omnia infinita sunt, aut omnia finita, aut aliqua infinita, aliqua vero finita, vt duo, aut vnum: impossibile autem est, quod vnum, vel duo sint finita, & aliud infinitum, vel è contra, ergo necesse est, quod æqualiter se habeant circa esse finitum, & finitum, quod verò sit impossibile alterum esse finitum, alterum infinitum, probatur. Sit igitur mouens finitæ virtutis, quod vocetur A, quod autem mouetur sit quoque finitum,

finitum, & vocetur B, tempus autem sit finitum, & vocetur C, nunc probemus impossibilitatem, accipiamus vnam partem virtutis ipsius mouentis, & sit D, & similiter vnam partem ipsius mobilis, quæ pars sit E, hanc partem non mouebit pars virtutis mouentis in toto tempore C, nam in ipso mouetur totum mobile, ergo ipsam mouebit in minori, seu in parte temporis infiniti, quia in maiori tempore maius mobile mouetur, & in minori, minus, (si sit motus proportionalis secũdum velocitatem, vt nunc supponimus) pars igitur mouentis virtutis, mouebit partem mobilis in tempore finito, quare tempus in quo ipsa pars mouetur non erit infinitum, sed finitum, quod vocetur F, sic addendo ipsi parti mouentis aliam, & aliam partem consumam totum mouens A, nam finitum est, & omne finitum per acceptionem partium actualium consumitur, & eodem modo si parti mobilis addatur alia, & alia pars ipsum totum mobile B consumetur; tempus autem non consumam, semper remouens æquale tempus ipsi mouenti, & mobili, vel partibus eius, infinitum enim est, quod per ablationem finitarum partium non consumitur, quare ipsum mouens A mouebit totum mobile B in aliquo tempore finito, seu in parte ipsius temporis infiniti C; Non ergo possibile est à finito motore, moueri finitum mobile, per tempus, & motum infinitum. Quod intelligendum est de motore fatigabili, & dependenti, ac qui moueat non corpus circulare, & circulari motu, aliter non est verum, nam alij orbes præter primum absque controuersia mouentur ab intelligentia propria, quæ est virtutis finitæ, & tamen infinito tempore mouet magnitudinem, vel mobile finitum circulare; tamen quia ipsa dependet à prima, ideo in virtute illius semper mouet, ac adiuuatur ex propria virtute, quia non est fatigabilis, fatigatio namque prouenit ex resistentia mobilis, ac debilitate mouentis cum consumptione spirituum, (vt videbimus in libris de cælo) ad hoc ergo vt aliquid moueat infinito tempore à se ipso absque vlla dependentia ab alio debet esse infinitæ virtutis, nam in motione tanti temporis requiritur tanta virtus, & in motione maioris temporis, maior virtus? ergo infiniti temporis, infinita virtus, quia cum ipsum primum mouens à nullo dependeat, virtutem suam mouendi à seipso conseruat; cum ergo possit eam semper conseruare absque limitatione, & dependentia, necessariò erit infinita, non duratione tantum, sed vigore, nam duratio est vt effectus suæ virtutis, semper enim quærere possumus, vnde habet, quod semper diceret? nec aliter possumus moueri, nisi à sua virtute illimitata, & infinita; non sic de alijs motoribus, qui licet sint durationis infinitæ, non tamen sunt infinitæ virtutis, quia talem durationem habent à primo, ideo finita virtus illorum ab alio semper conseruatur, vnde limitata est. Sic ergo supplenda est ratio de infinitate motoris, & temporis, de magnitudine autem, vel mobile, non est ratio ad propositum, nisi fiat, vel intelligatur fieri motum per lineam rectam, tunc namque erit proportio, & æqua diuisio, virtutis motoris, temporis, mobilis & magnitudinis, vel spatij, ideo meritò nulla de spatio in hoc loco facta fuit mentio, quia ad propositum satis erat assignare prædicta. Quod igitur non contingat mouens finitæ virtutis infinito tempore mouere, manifestum est.

Fatigatio vnde proueniat.

Secundò supponendum est, quod nullo modo contingit
Tex. 79. *in magnitudine finita, infinitam esse potentiam, quod ex his manifestum erit. Sit enim vna potentia actiua maior aliqua alia, hęc semper in minori tempore faciet æqualem effectum cum ipsa virtute minori, vt virtus calefactiua maior in minori tempore calefacit quam minor, & similiter quæ dulcefacit, aut proijcit, & omnino mouet, vel quacunque alia agit actione. Si ergo in magnitudine finita sit infinita virtus, necesse est, quod à tali finito habente virtutem infinitam aliquod patiens pati posset, & plus quam ab alio, nam maior est infinita potentia, ergo magis agere potest. Sed nullum contigit esse tempus in quo agat, ergo non ageret, & sic ageret & non ageret, quod est impossibile; ageret namque, prout est virtus actiua, & non otiosa; non ageret, quia omnis actio physica (de qua est sermo, cum de virtute motiua propriè loquamur) fiat in tempore, ista autem in tempore fieri non posset. Probatur. Sit tempus aliquod, quod vocetur A, in quo infinita virtus calefecit, aut pepulit. Sit aliud tempus in quo virtus aliqua finita similiter agat, & tempus vocetur A B; tunc si semper accipiam aliam virtutem maiorem hac finita, perueniam aliquando ad id, quod hac virtus finita aucta poterit mouere in tempore, quo mouit ipsa virtus infinita, posito enim quod in aliquo determinato tempore infinita virtus agat, (aliter non esset actio, vt dictum est,) ipsum tempus potest æquari ab actione virtutis; finitum etenim ab alio finito potest æquari, & sic in tempore æquali mouebunt finita, & infinita virtus, hoc autem est impossibile; nullum itaque finitum contingit infinitam potentiam habere. At si quis dicat, non posse fieri talem additionem, & æquationem temporis, in quo agat virtus finita, & infinita, non bene dicitur, quia ad finitum aliquod semper addens, excedam omne determinatum, seu finitum, sicut auferens semper deficere faciam. Sed tempus in quo est actio virtutis infinitæ est determinatum, & finitum, ergo æquari, & excedi potest. Virtus ergo infinita non est in magnitudine finita, quia non ageret, nec in tempore, nec in instanti; non in tempore, quia æquaretur à virtute finita, non in instanti, quia ipso non fit actio, maximè motiua. Sed circa prædicta est dubitatio, nam eadem ratione possumus dicere Deum non agere, vel quod sit virtutis finitæ; dicere quod sit finitæ virtutis est falsum, vt videbimus. Si verò sit infinitæ, aut ageret in tempore, & sic æquaretur à finita virtute, vel in instanti, quod neque esse potest ex prædictis. Respondetur, quod dispar est ratio, nam virtus in magnitudine, si secundum correspondentiam ipsius magnitudinis ageret, ita vt in agendo dependeret ab ipsa, & pars virtutis corresponderet parti magnitudinis, ageret ex necessitate naturæ, quare secundum totum suum posse ageret, & sic vel in instanti, vel in tempore, quod improbatum est; virtus autem diuina, quia à magnitudine non dependet, nec agit ex necessitate naturæ, vt examinabimus in quæstionibus, ideò etiam si sit infinita potest agere in tempore, quia non agit modo infinito, hoc est secundum totum posse, ac per consequens, neque in hoc est absurdum, quod ab aliqua virtute finita æquari possit. Vel dicatur, quod ipse Deus non agit immediatè, sed mediantibus causis secundis, nempe mediante Intelligentia motrice, & sic non oportet, quod in instanti agat. Vnde elicitur ex hoc textu, quod virtus infinita Dei, nec sit in magnitudine, quod exactius probabitur inferius, & quod non immediatè moueat, vel quod non necessario, sed voluntariè agat ad extra, quæ omnia, quomodo habeant veritatem, ac textui quadrent, suo loco, in quæstionibus examinandum est.*

Neque in infinita magnitudine potest esse finita virtus, Tex. 80.
nam licet sit verum, quod interdum in minori magnitudine sit maior virtus, quam in maiori; tamen si semper maior, & maior sumatur magnitudo, necesse erit quod in

maiori

maiori magnitudine sit maior virtus, quia in qualibet parte est aliqua virtus etiam si pauca, cum nihil sit otiosum; ergo tot partes multiplicari possunt, quod excederit aliam virtutem minoris molis, & sic si in infinitum augerentur, esset infinita virtus, quare in magnitudine infinita esset virtus infinita. Quod etiam hoc alio modo probatur, sit igitur aliqua infinita quantitas, quæ vocetur A B, pars igitur ipsius, quæ vocetur B C habet potentiam aliquam, quæ in aliquo tempore mouet mobile D, in tempore scilicet quod sit vnius horæ, & vocetur tale tempus E F, si igitur ipsius partis duplum accipiam, mouebit in dimidio tempore ipsius E F, hoc est in dimidia hora, sit enim hæc proportio partis duplæ ad dimidiam, quare in F H, seu in dimidia hora mouebit, vt diximus: ergo semper sic accipiendo partes mobiles, seu quantitatis infinitæ, ipsam numquam transibo, cum sit infinita, tempore autem dato, in quo prædictæ partes accipiantur, semper minus ipsius accipiam; tempus ergo finitum erit, imò sic fiet semper minus, quod tandem deuenietur ad non tempus, potentia verò infinitæ quantitatis ex eo quod semper accipi, & duplicari potest in infinitum, erit infinita, cum sic duplicata omnem finitam excedat. Sed omnes finitæ potentiæ necesse est esse finitum, vel determinatum tempus in quo agat, si enim in quodam tempore tanta potentia agit, maior aget qui det in minori tempore, tamen si accipiatur semper potentia finita, mouebit tempore determinato secundum conuersionem proportionis, hoc est dupla potentia, mouebit in dimidio temporis, quadrupla in quarta parte temporis, & sic quo magis augebitur potentia, diminuetur tempus. Cùm ergo omnis finita potentia agat determinato tempore, modo præexposito, sequitur, quod infinita non agat tempore determinato, sed prout ad multiplicationem potentiæ sequitur minoratio temporis, ita potentia infinita agat in non tempore, hoc est in instanti, sed virtus, vel potentia quantitatis infinitæ est necessariò infinita, nam omnis potentia, tam in multitudine, quam in magnitudine, quæ omnem finitum exceedit, est infinita; ergo si aget, hoc erit in non tempore, quod impossibile est, cum actio omnis motiua sit in tempore, præcipuè si moueat secũdum locum de quo motu est sermo, dum loquimur quod fiat in tempore, & maximè in hoc loco, ad propositum de actione primi motoris, aliter non esset vniuersaliter verum, multa namq; actiones physicæ fiunt in instanti, vt in hoc eodem 8. Phys. visum est, præcipuè in tex. 23.

Tex. 81. Potest autẽ sic demonstrari, quod diximus, videlicet, quod in magnitudine finita non sit virtus infinita, nec in infinita sit virtus finita. Accipiemus enim quandam potentiam finitam eiusdem generis cum ea, quæ est in infinita magnitudine, quæ potentia accepta existat in magnitudine finita, v. g. sit in magnitudine infinita virtus, vel potentia calefactiua, accipiamus similiter in aliqua finita magnitudine potentiam quoq; calefactiuam, quæ erit eiusdem generis cum ea, quæ in magnitudine infinita ponitur, nam finitum, & infinitum non variant genus; hæc igitur virtus finita existens in magnitudine finita, si accipiatur secundum determinatas partes, mensurabit virtutem finitam, quæ ponitur in magnitudine infinita, nam cum vtraque finita ponatur, poterunt adinuicem commensurari; at sicut potentiæ existenti in magnitudine finita correspondet semper finita pars magnitudinis, donec virtus, & magnitudo æquentur, sic virtuti finitæ correspondet finita quantitas, quare habebimus intentum, scilicet, quod si virtus sit finita, etiam quantitas erit finita, vnde in magnitudine infinita non erit virtus finita, nec è contra, quia similiter possumus incipere mensurationem à quantitate; si enim ponamus quantitatem infinitam, quæ habeat finitam virtutem, accepta virtus secundum suas finitas partes, habebit partes quantitatis finitas, & non infinitas, & sic in magnitudine infinita, non erit virtus finita. Quod igitur in magnitudine finita non contingat esse infinita potentia, neq; finita in infinita, ex his manifestum est.

Nota finiti & infinitũ non variant genus.

Sed prius quam compleamus tractatum de primo motore, bene se habet dubitare quandam dubitationem de ijs, quæ feruntur violenter, vt lapis sursum, ignis deorsum, & vocantur communiter proiecta; cum enim determinandum sit à quo omnia moueantur, vt ex hoc ad primum motorem facilius peruenire possimus, & quomodo ipse sit omnium aliorum motuum causa, de motione proiectorum, non est prætermittendum, aliter esset insufficiens tractatus. Oritur autem specialis difficultas de istis, ex eo quo diximus in septimo, & in hoc octauo; omnia quæ mouentur, ab alio moueri: si enim hoc sit verum, quomodo ea, quæ non mouent seipsa mouentur continuè, non tangente ea ipso mouente, sicut sunt (vt diximus) proiecta, quæ enim seipsa mouent, non afferunt difficultatem, cum habeant semper motorem coniunctum, sicut sunt animalia; nec similiter habent difficultatem, quæ mouentur naturaliter, vt grauia sursum, leuia deorsum, nam etiam à propria forma mouentur, vt visum est in tex. 32. nec denique, quæ violenter mouentur, sed habent motorem coniunctum, vt quæ trahuntur, pelluntur, vel vehuntur, &c. Sola ergo ista proiecta, quibus dum mouentur, non videtur motor coniunctus, ac tangens difficultatem habent. Si dicatur, quod is motor, qui mouet, seu proijcit prædicta, simul etiam mouet aliquid aliud, vt aerem, & hic aer motus mouet proiecta, similiter impossibile est, videlicet, quod hic aer moueri possit, non tangente primo mouente. Omne enim, quod mouetur, est simul cum motore, quare pari ratione, tam ipse aer, quam res proiecta, & cætera ab ipso proijciente mota, debent simul cum ipso primo mouente moueri, & quiescere, hoc est moueri dum ipsum mouet, & quiescere dum ipsum cessauerit à motu, si sit verum, quod ipsum facit, vt non tantum lapis proiectus moueatur, sed quemadmodum lapis mouetur, ita quoque ab ipso moueatur aer, qui mouet lapidem, quem ipsum primum mouens mouit, siue impulit. Omnia enim à virtute ipsius (secundum prædictam responsionem) mouentur, ergo ipso cessante mouere, omnia debent cessare moueri. Responsio igitur allata est insufficiens, quia non declarat, quomodo ipse aer, vel aliud medium habeat virtutem mouendi proiecta, ideò oporteret eam supplere, & sic erit bona. Necesse est igitur hoc dicere, quod primum mouens facit, vt aer, aut aqua, aut aliud quid huiusmodi medium, quod est aptum mouere, & moueri, non tantum moueatur, sed etiam mouere possit, imprimit namque ei ipsum mouens quandam virtutem, vel vim impulsiuam, quæ in tali medio remanet, etiam sine actuali motione primi mouentis, quare ipsum medium non simul cessat moueri, & mouere, cum cessauerit primum mouens, sed cessat simul moueri, cum mouens cessauerit mouere, nam ab ipso mouetur, ideo nisi moueat, moueri non poterit, mouens autem adhuc est, ex virtute, seu impetu sibi collato ab ipso mouente, quapropter mouetur ab ipso medio quid contiguum alij, & in hoc eadem ratio est, quod videlicet ex virtute à sibi proximo mouente impressa mouet aliud. Cessat autem motus omnium istorum cum in ipso contiguo medio mouente minor fuerit virtus mouendi, ac insufficient, vt possit mouere, semper namq; virtus

Tex. 82.

sic

sic impressa in motibus violentis debilitatur; tandem igitur cessat totalis motus omnium, quæ ad mouenda proiecta concurrunt, cum non amplius medium mouens fecerit, seu habuerit virtutem vt moueat, sed tantum patiens motum, seu tantum moueri potest, cum ergo non amplius possit mouere proiectum, hæc omnia necesse est simul cessare, hoc quidem mouere, hoc autem moueri, & totam etiam motionem. Hic igitur motus proiectionis fit in ijs, quæ possunt aliquando quidem moueri, aliquando autem quiescere, qui tamen non est continuus, sed videtur esse; & ratio est, quia ad continuitatem motus, seu vnitatem, quod idem est, requiritur vnitas mouentis; hæc autem mouentia non sunt vnum quid continuum, sed aut sunt consequenter, aut se tangentia, cum ergo non sit vnum mouens, sed plura contigua adinuicem, non erit vnus motus. Quapropter in aere, & in aqua fit huiusmodi motus, quæ non sunt corpora continuata adinuicem, sed contigua solum; potest enim aliquid moueri, seu proijci per aquam, & continuare motum per aerem, ergo cum aqua, & aer habeant rationem non tantum medij, sed etiam mouentis, & non sint vnum continuum, sed contigua ac in mouendo sibi inuicem succedentia, non est vnus motus, vt etiam declaratum est in hoc libro textu 49. sic igitur prædicta dubitatio de motu proiectorum est soluenda; soluere autem aliter est impossibile, quam prædicto modo, quod scilicet ipsa proiecta, à mouente primo moueantur, deinde à medijs, &c. quod intelligendum est instrumentaliter, & coadiuuanter, sic videlicet, quod ab ipso primo mouente imprimatur in re proijcienda impetus quidam, qui ipsam principaliter ferat, & in medijs etiam virtus similis coadiuuans imprimatur; nam quod totaliter ab ipsis medijs feratur, id namque ratio capere nequit, quomodo scilicet ferrum ab aere tantum sursum ferretur, si omnem impetum ferro impressum ab eo remoueremus. Quidam dicunt, moueri ipsa proiecta ob circumobsistentiam, seu antiparistasim, quæ nihil aliud est, quam quædam contra resistentia vnius corporis ad aliud, vt dum aqua frigescit in puteis tempore æstatis, dicimus esse ab antiparistasi, quia aqua sua frigiditate contraresistit calori aeris, ideò vnit, ac fortificat virtutem frigoris, ac per consequens fit maior frigiditas eius; sic ipsi dicunt circa motum proiectorum, quod aer videlicet, vel aqua ex parte inferiori contraresistat mobili proiecto tendenti deorsum, & sic ipsum sursum ferat, quod præcipuè accidere aeri dicunt, quia magis sursum tendit, quam aqua. Vnde positio istorum est ista. Proijciatur lapis sursum ex vi impellentis, scindit ex parte sursum aerem, altera verò, quæ deorsum est pars aeris, statim occurrit, & replet scissuram, ne detur vacuum, & sic illa pars aeris inferior sursum lata resistit lapidi ne deorsum cadat, & sic altera pars similiter facit, ac quendam etiam impetum sursum ascendendo conferunt lapidi, & sic mouetur. Sed hæc positio non est vera, quia circumobsistentia simul omnia mouere facit & moueri, cum ex qualibet parte indifferenter fiat, non enim magis ex parte deorsum, quam sursum, vel dextram aer resistit, quare ex omni parte, simul omnia moueret, vnde tali circumobsistentia cessante, omnia simul cessarent mouere & moueri, quod falsum est, nam videtur vnum aliquod continuè moueri, alio non moto, quare ab aliquo alio mouetur, & non ab eodem, quod primo mouit. Præterea cur magis aer resistit ex parte deorsum, quam sursum? vel magis ex illa impellit, quam ex ista? profectò nulla est ratio, sed potius oppositum, cum ex se sit indifferens ad tales resistentias, & impulsus.

Antiparistasis quid.

Tex. 83. *Ex omnibus istis possumus denique inferre, quod primus motor sit vnus, quod sic quoque probatur; In ijs, quæ sunt in rerum natura, necesse est semper esse motum continuum, ex quo habeant esse, & conseruari omnia generabilia; si autem continuus erit, similiter erit vnus, vt in textu 49. declaratum est, & per oppositum de motu proiectorum (quod scilicet non sit vnus ex defectu vnitatis mouentis) declarauimus; si autem est vnus, necesse est, quod sit vnius mobilis quanti, seu magnitudinis (non enim mouetur, quod magnitudine caret) est igitur vnius mobilis, & ab vno motore; non enim esset vnus, & continuus, nisi ab vno esset motore, sed essent plures contigui alteri, alter, ac diuisi, vt exactè, quomodo sit verum in textu præcitato 49. declaratum est. Si igitur mouens est vnum, aut mouet, & est mobile, aut mouet immobile existens, si mouet motum subiens, seu si mouens, & est mobile sequi oportebit, simul ipsum moueri ab aliquo, siue sit pars eius, siue aliud nihil refert, quare tandem stabit, & perueniet ad id quod est moueri ab immobili, ne in infinitum procedatur, hoc enim mouens immobile, non est necesse simul mutari dum mouet, sed semper poterit aliquid mouere, sine sui mutatione; nam mouere immobiliter est mouere sine fatigatione, & labore; est namque proprium immaterialium (materialia enim in mouendo mouentur, præcipuè motu locali) quæ infatigabilia sunt; patet ergo, quod primus motor sit immobilis, ac quoque æternus, vnus, & infatigabilis cum æterno motu moueat, ac vno, vel continuo, & sine labore. Hic autem motus, qui fit à primo motore, aut solus est per se regularis, aut maximè, & ratio est, quia id quod mouet non habet vllam mutationem, sed semper est immobile, & eodem modo se habens; quare id quod mouetur ab illo, oportet non habere mutationem variabilem, vel irregularem, vt similis sit motus mouenti, similitudine scilicet proportionali.*

Tex. 84. *Nunc autem videndum est, in qua parte primi mobilis maneat primus motor. Necesse est autem aut in centro ipsius, aut in circumferentia manere; hæc enim principia sunt, seu extrema quæ in circulari corpore assignari possunt, in quibus rationabile est manere motorem, vt inde moueat, omnis namque motus suo modo à principio, vel extremo incipit, idem namque est principium, & extremum ad diuersa comparatum. Sed conueniens est, ibi manere, vbi magis viget operatio ipsius, seu vbi est celerrimus, aut velocissimus motus, nam quæ proxima sunt mouenti, celerrimè mouentur. Cùm autem circumferentia velocissimè moueatur, sequitur, quod ibi maneat primus motor, motus autem ipsius circumferentię, & propter velocitatem, ac propter continentiam aliarum partium, dicitur maximè motus totius; sic autem motus ipsius totius est huiusmodi, nempè velocissimus, quod meritò illic est ipsum mouens, per centrum tamen intelligitur poli.*

Tex. 85. *Habet autem dubitationem si fieri possit, vt id quod mouetur, continuè moueat, non vt id quod pellit iterum, & iterum, nam de hoc certum est, quod non continuè mouet (hoc est vnico motu) sed motus ab ipso factus est alteri consequenter, & non vnus (seu melius) non est vnus omnimoda vnitate, quæ etiam regularitatem includit, vnde dum dicitur, quod talis motus non est vnus, forte intelligendum est de vnitate, quæ consistit in regularitate, vt visum est in 5. Physic. tex. 43. & similiter motus proiectorum potest dici non vnus, hoc est non regularis, sic namque multæ difficultates faciliter soluuntur, nec literæ repugnat. Quod vero motus factus ab alio, quod mouetur, non sit regularis probatur; nam aut ipsum mouens vtrumque*

oportet pellere, aut trahere, vel vtrumque, aut alterum aliquid efficere, scilicet expellere, vel excipere vnum mobile ab alio, hoc est prius mouere vnum, & hoc aliud, vt dudum dictum est in ijs, quæ proyciuntur, vnde aqua, vel aer, cum sit diuisibilis vna pars mouet aliam, quæ tamen mouens, etiam mouetur, vtroque autem modo, non est possibile, quod sit, vnus regularis, sed solum contiguus, vel irregularis, quia in prædictis motibus includitur diuersa velocitas, ac diuersa media, quæ continuitatem, vnitatem, & regularitatem impediunt; quare non poterunt esse sic vnus, & continuus, quod regularitatem includant. Solus itaque is motus continuus, & regularis est, quo ipsum mouens immobile mouet. Semper enim similiter se habens ad id mobile, quod mouetur, & ipsum similiter se habebit, & semper; quapropter semper eodem modo mouebitur, & sic erit vnus motus eius continuus, & regularis.

Tex. 86. *Determinatis autem his, manifestum est, quod impossibile est primum mouens, & immobile habere aliquam magnitudinem, seu molem, vel corpus, ac per consequens debet esse immateriale, & incorporeum: si enim magnitudinem habet, necesse est, aut ipsam magnitudinem esse finitam, aut infinitam. Sed quod non contingat esse magnitudinem actu infinitam, ostensum est prius in 3. Physic. Quod verò non habeat finitam, similiter patet, nam in magnitudine finita, impossibile est esse potentiam infinitam, sed primus motor est infinitæ potentiæ, aliter ex se independenter non moueret per tempus infinitum, nam virtus finita ex se non potest infinito tempore mouere, vt demonstratum est nunc in textu 79. ipsum autem ex se independenter mouet tempore infinito, quare habet virtutem infinitam, ac omni magnitudine, seu quantitate caret. Manifestum itaque est, quod indiuisibile est (quod namque quantitate caret est indiuisibile) & impartibile (indiuisibile potest referri ad partes quantitatiuas, impartibile verò ad alias quascunque partes, sic vt ab ipso omnis compositio tollatur) & nullam habens magnitudinem, ac est quoque vnus, æternus, immobilis, & infinitæ virtutis.*

Paraphrasis Librorum octo de Physico auditu Finis.



ANTONII ROCCI

de Scurcula Marſorum.

IN OCTAVVM LIBRVM PHYSICORVM Ariſtotelis Quæſtiones.

Q V Æ S T I O P R I M A.

Vtrum autem factus eſt aliquando motus. Tex. 1.

Quæritur, an Mundus ſit æternus de facto, ita vt neque habuerit principium, neque habiturus ſit finem.



PRæſens quæſtio ſecundum Ariſtot. nullam dubitationem habet, ſiquidē expreſsè rationibus quamplurimis affirmatiuam partem oſtendere nititur; tamen quia fides noſtra omniumque aliarum ſectarum dogmata ipſi Ariſt. in hoc contradicunt, cui fidei (alijs ſuperſtitionibus relictis) firmiter hærendum eſt; ideò rationes eiuſdem Philoſophi in medium adducendæ ſunt, & ſoluendę; ſi namque fides veritatem infallibilem dicat; profectò circa idem mentietur Ariſtot. veritati etenim veritas non repugnat; quare nec rationes ipſius demonſtrabiles erunt, quoniam demonſtratio eſt de rebus ſic neceſſarijs, & veris, vt per quancunque potentiam, nec falſæ, nec contingentes vnquam fieri poſſint. Hoc tamen obſeruandum eſt, quod quamuis Ariſt. circa hoc veritatem non attigerit, non tamen in intellectus, vel rationis defectum ſibi adſcribendum eſt; ſufficit namque, vt doctiſſimus, & ſapientiſſimus habeatur, quod ſecundum humanas rationes, quæ naturaliter cognoſci poſſunt cognouerit: ſi autem arcana quoque diuina, & quæ ipſi Deo duntaxat ſunt cognita cognouiſſet, limites ſibi humanitatis præſcriptos tranſiuiſſet. Verum eſt tamen, quod aliqui putant, nec ipſum Mundi æternitatem ex propria opinione, ſed contra Antiquorum dogmata poſuiſſe, quod ex dicto quodam ipſius in 1. Topic. cap. 9. confirmant: ibi enim inter problemata dialectica (quæ ad vtramq; partē ſoluenda ſunt) connumerat hoc; Vtrū Mundus æternus ſit, an non? Sed re vera iſti decipiuntur, quoniam vt in toto proceſſu huius Libri patet ex propria ſententia loquitur, imò nullibi ſic mordicus alienas opiniones impugnat, ſicut hic eas, quæ contra prędictam poſitionem facere videntur, nec locus præcitatus Topic. aliquid efficit, quia alijs problema, quod ſibi certiſſimum videbatur, nuncupat. Eſt autem dubitatio quædam non pertranſeunda, an ſcilicet Ariſt. ipſe creationem cognouerit. Videtur namque quòd non, quia cum æternitate, quam ponit non ſtat creatio aliqua, quæ de nouo, & poſt non eſſe, incipit.

Amplius, vulgatū eſt in vniuerſa Philoſophia, quod ex nihilo nihil fiat; creatio tamen ex nihilo eſt: ergo. Præterea, cauſam efficientem definit per motum; at motus eſt circa determinatum ſubiectum, quòd verò circa ſubiectum huiuſmodi fit non creatur; atque Deus ipſe eſt cauſa efficiens; quare nihil creat, quamuis efficiat. Iſtis non obſtantibus affirmatiuè tamen reſpondendum eſt. Ipſe namque in 2. de gener. & corrupt. tex. 59. ait, Deum compleuiſſe totam generationem, & in 1. de Cœlo tex. 100. habet, ab eo pendere, eſſe, & viuere omnia; & in 2. Metaphyſ. tex. 4. primam cauſam eſſe alijs cauſam, vt ſint, affirmat; atque in eodem 2. cap. 2. non dari proceſſum in cauſis efficientibus, ſed ad vnam primam deueniendum eſſe docet; atque in 12. Metaphyſ. tex. 38. Cęlum, & naturam à Deo dependere affirmat; & eodem Libro tex. 43. Deum eſſe abſolute principium, & cauſam primam omnium aſſerit; ac tandem in 2. Rhet. c. 23. Dęmones eſſe opus Dei fatetur; per Dęmones autem intelligentias quaſdam intelligit; ſi itaq; iſtæ à Deo factæ ſunt, multò magis alia, quoniam ipſæ ſunt cæteris nobiliores. Amplius, niſi Ariſtot. creationem admitteret; fateri conaretur, omnia quæ ingenita videntur ſicut Cęli, materia prima, Intelligentiæ eſſent penitus independentia ab aliquo, ſed à nullo dependere eſt ſolius primi motoris, vt ipſe in hoc octauo fatetur, quare omnia hæc eſsēt Deus. Pręterea quis eſſet ita rationis inops, vt materiam à ſe eſſe putaret? & tamen ſi increata eſſet, hoc ſibi conueniret; fatendum eſt igitur, quod ipſe Philoſophus creationem agnouerit; aliter notam maximæ inertiæ ſibi tribueremus, præterquam quod eiuſdem clariſſimis pręcitatis teſtimonijs contradiceremus. Pro maiori tamen intelligentia ſciendum eſt, quod creatio eſt Creatio quid.
ex nihilo in eſſe reale productio; dicitur ex nihilo, quia quæ ex aliqua materia ad id diſpoſita eliciuntur, quamuis nihil ipſorū præfuerit, creari non dicuntur, ſed generari tantum, vt quamuis ex ligno educatur forma ignis, quæ nihil antea erat, quia tamen lignū erat in potentia, & diſpoſitione ad ipſam, non dicitur creari, anima vero rationalis, & ſupernaturalis gratia, quia ſic in ſubiecto naturaliter non continentur, creari ſimpliciter dicuntur, vnde aliqua creantur ſubſiſtentia, vt ſi homo nunc immediatè ab ipſo Deo abſque præiacenti materia fieret; alia exiſtentia in alia, vt anima rationalis, & alia, quæ ab agenti

naturali

naturali effici nequeunt; nec materia est in potentia ad ipsam; vtrumque namque simul requiritur: si etenim solum non esse in potentia materiæ sufficeret; tunc omnia accidentia violenta creari dicerentur, quod est ridiculũ: dicitur in esse reali, quia producere solum in esse cognito non est vera creatio: quamobrem errant Thomistæ asserentes creaturas ab æterno habuisse verum esse reale in mente diuina: sic etenim hoc à veritate abest: sicut si hominem mente dumtaxat cõceptum, re vera genitum esse pronunciaremus. Est tamen non sicco pede pertranseunda dubitatio: quomodo videlicet creatio a conseruatione differat: sunt qui putent eas solum ratione differre: sic nimirũ, quod dicatur creatio respectu principij rei productæ, conseruatio verò in ordine tantum ad durationem: sed re vera decipiuntur, imò realiter differunt, nam creatio dat simpliciter esse essentiale; conseruatio vero ipsum supponit; præterea creatio est quid instantaneum, nullum supponens subiectum; conseruatio vero opposito modo se habet. Sed adhuc dubitari potest; an creatio ipsa sit mutatio, vel non. Respondetur affirmatiuè non ex parte creantis, sed ex parte rei creatæ, ipse enim Deus in se immotus dat cũcta moueri; potest etiam dici, quòd si accipiatur mutari pro omni eo, quod aliter se habet nunc quam prius, ita vt ipsum supponatur esse, tunc creatio non potest dici mutatio; sed ad differentiam cuiusque mutationis, emanatio appellatur; & quoniam interdum dicitur mutari, quidquid aliquid noui præ se fert, sic creatio mutatio appellari potest. Patet itaque quid sit; & quomodo Arist. ipsam cognouerit. Nunc argumenta, quæ contra hoc videbantur esse, soluamus. Dum ergo dicitur, cum æternitate Mundi ab Arist. posita, non posse manere creationem, hoc est negandum, sufficit namque prioritas naturæ, & causalitatis, ita vt si causa sit æterna effectus possit æternus esse, cum dependentia à causa, vt si Sol esset æternus, lumen ab ipso productum æternum quoq; extitisset. Dum dicitur ex nihilo nihil fieri; Respondetur, hoc esse verum, ordine naturali, & per generationem. Dum denique dicitur; ipsum definire causam efficientem per motum; eodem modo respondetur; nempe, quod ipse definit causas naturales per modum generationis agentes; imò in 9. Metaphys. cap. 1. etiam efficientem causam sine motu agnouit. Sed ad præcipuum intentum deueniamus. Est ergo conclusio de fide. Mundus non est æternus, sed ab initio quodam temporis determinato à Deo creatus; quæ quidem conclusio cum sit de fide, alijs rationibus comprobanda non est; contra ipsam igitur argumenta Arist. & sequacium quorundam adducamus, est igitur primum.

Conclusio.

Arg. 1. Ante motum est mouens, & mobile, hæc autem, vel sunt facta, vel æterna, si facta, ergo per alium motum, quem aliud mouens, & mobile præcedere debent, & sic in infinitum: si non sunt facta, ergo æterna; tunc sic, vel mouens mouebat, vel non; si mouebat, ergo motus est æternus, & pariter mobile, vnde consequenter Mundus, quia primus motus est respectu cœli, in quo vniuersum continetur, ne vacuum intra recipiatur; si verò non mouebat; ergo erat aliquod impedimentum, quod ex impotentia, vel à superiori, aut potentiori motore causatur, hoc autem est absurdum, quia ponimus primum motorem à nullo dependentem; quare fatendum est, æternum fuisse motorem, mobile, motum, & mundum, quæ ratio habetur in hoc libro tex. 4. 5. 6. & 7. licet hic sit paulò clarius explicata.

Secundum. Præterea. Tempus est æternum, ergo, & motus, & per consequens multo magis mobile, & Mundus, quia vnum sine alio esse nequit; probatur antecedens: quia si tempus incæpisset prius non fuisset, & postea fuisset, at prius, & posterius sunt differentiæ temporis, ergo ante tempus, esset tempus, & sic in infinitum: quæ ratio habetur, in tex. 10.

Item. Tempus nec esse, nec intelligi potest sine Nũc, at ipsum Nunc est semper principium, & finis, ergo tempus semper est, & nunquam penitus deficiet, vel interdum cæpit: hæc autem desumitur ex textu 11. Tertium.

Adhuc post motum remanet mobile, & mouens, ergo mouere debent; ne sint frustra, & sic motus, nunquam cessabit, ex tex. 12. Quartum.

Amplius ex tex. 56. sic arguit. Quod melius est arbitramur esse in natura si possibile sit: sed motum esse æternum est melius, & possibile in natura, ergo. Præter hæc Arist. argumenta sunt quædam aliorum, maximè, Simplicij, Auicennæ, & Procli, qui eandem Aristotelicam sententiam tuentur. Quorum primum (sextum tamen in ordine) sit hoc. Aut Deus noluit, aut non potuit, aut potuit, & noluit, aut voluit, & non potuit ab æterno creare mundum, aut tandem voluit, & potuit. Si noluit fuit inuidus, vel malus. Si non potuit fuit imperfectus, & per consequens non Deus. Si denique potuit, & voluit, creauit, & habetur intentum. Quintum. Sextum.

Præterea. Si ab æterno non creauisset, mutatus esset (quam rationem etiam tangit philosophus) Deus autem ipse est penitus immutabilis. Septimum.

Item. Proprium boni est se immediatè communicare, vel diffundere, Deus est summum bonum, ergo: quãplurima alia recensentur; Sed hæc (breuitatis causa) sufficiant, Ad solutionem tamen accedamus. Octauum.

Ad primum respõdetur, Motorem esse æternum, mobile vero nequaquam, quod quidem factum est, non per alium motum, sed per creationem, quæ nihil supponit; ipse autem primus motor ante mobile non erat actualiter mouens, nec postea mutatus est, sed mutatio fuit solum ex parte mobilis, Sed hæc responsio videtur contradicere prædictis, ijs scilicet, quæ Arist. creationem cognouisse afferunt; si etenim ipsam cognouisset; non argumentatus fuisset hoc modo, sed sciuisset per creationem factum esse, & sic suum argumentum esset inualidum. Respondetur, argumentum Arist. tenere in virtute illius particulæ, quod si mundus esset factus de nouo, per mutationem aliquam nouam ex parte Dei factus esset, qui tamen si ab æterno sit creatus, hoc inconueniens non admittit, sed concedit creationem ab æterno, non autem de nouo, quia sic mutatio ex parte Dei præcessisset, illam autem alia, & sic semper. Sed neq; hæc responsio difficultatem euacuat, quia ipse non solum Motorem, sed etiam mobile ante motum esse supponit. Respondetur hanc rationem valere, suppositis ambobus; sic videlicet, quod dato motore, & mobili, est inconueniens non esse motum; & sic fiant duæ rationes; prima: si motus non esset æternus, Deus mutatus esset de nõ mouente in mouentem, at si æterna ponatur creatio, hoc non accidit. Secunda; dato Motore, & Mobili æterno, necessariò est motus æternus, cum Deus ipse vt videbimus de mente Arist. necessariò moueat; quare cum istis rationibus non aufert, sed supponit creationem. Solutiones.

Ad secundum negatur antecedens, ad probationem dicimus, illas differentias esse imaginarias, & secundum modum nostrum intelligendi.

Ad tertium dicitur; Nunc intermedia temporis esse principium, & finis, sed instantia, & terminata vltimate nequaquam; quod in punctis lineæ rectæ videri potest, ibi enim datur primus, & vltimus, quorum neuter est principium, & finis simul, sed hic, aut ille tantum.

Ad quartum respondetur, quod potest remanere mobile sine motu, nec tamen esset frustra, quia saltem ad finem, vel voluntatem ipsius motoris ordinaretur.

Ad quintum dicimus, melius esse quod sue causæ conformatur, maximè primę, ideo est optimum vt motus incipiat quando Motor vult.

Ad sextum dicitur. Deũ ab æterno potuisse, & voluisse ab eterno, non pro eterno, sicut, qui nunc statuit crastina die pugnare, licet hodie non pugnet, non mutatur.

Ad septimum negatur consequentia eadem de causa, quia semper in eadem voluntate manent, & hoc quoque modo producit, & destruit, sicut ab ęterno ordinauit, quare est mutatio in effectibus, non autem in voluntate diuina.

Ad octauum dicitur, sat esse, vt summum Bonum se diffundat, quando, & quomodo decet; decuit aut in tempore, vt potentia, libertas eius atque omnium rerum dependentia ab ipso nobis innotesceret. At si quis adhuc instet, nonne est perfectior causa operans, vel actualis, quam non operans, & potentialis? Respondetur, quasdam esse causas, quæ perfectionem ab effectu recipiunt, vt dum quis discit, speculatur, vel moraliter operatur, & hęc est perfectior in actu; quędam verò ab effectu perfectionem non hauriunt, sed è contra, vt ædificatiua, nautica, &c. & de istis aliter dicendum est; sic Deus nullam perfectionem ab effectu recipere potest; cum sit summus, & infinitus.

Causæ aliquæ recipiunt perfectionem ab effectu, aliquæ non.

QVÆSTIO II.

An Mundus ab æterno fieri potuisset.

Postquam de facto secundum fidei veritatem Mundum æternum non esse statuimus, consequens est, vt si id fieri potuisset explicemus. Sunt igitur aliqui, qui hoc esse penitus impossibile multis argumentis probare conantur, quorum præcipua in mediū adducemus. Primum. Infinitum non potest pertransiri, si ergo Mundus fuerit, vel potuisset esse ab æterno (supponamus namque quod fuerit, vt facilius discurramus, quia nihil contra propositum erit; possibile namque posito in esse, nullum sequitur impossibile) iam infinitum tempus trāsactum esset, vel transiri potuisset, nam ex nunc ad æterni temporis initium non potest esse infinita mensura, quoniam finitum æternitati repugnat; hoc proculdubio est validissimum, quod fieri possit circa hanc materiam argumentum.

Argumentum Primum.

Secundum. Æternitas est propria mensura Dei, ita vt eam creaturis tribuere sit falsum, impium, & impossibile, vt multi sancti Doctores, præcipuè Augustinus, Ambrosius, Damascenus, Hugo, & alij exclamant, ergo nihil præter Deum æternum esse potuit.

Tertium. Omne quod causatur a causa præceditur, æternum autem non potest præcedi, quia si ante ipsum aliquid esset, iam æternum non esset, ergo si Mundus æternus ponatur, vel erit incausatus, & sic erit Deus; vel non æternus, & habetur intentum.

Quartum. Si Mundus ab æterno fuisset, etiam motus sic se habuisset vt Arist. fatetur, sed dicere motum esse, vel potuisse esse ab æterno est ridiculum, quoniam motus sic causatur à motore, vt non dicatur motus nisi post adeptas aliquas partes successiuas, in quibus ratio motus consistit, qua propter est post motorem, & mobile, vnde eis coæqualem æternitatem habere non potest, & sic non est æternus, quia vnum æternum non exceditur ab alio in duratione.

Quintum. Si Mundus ab æterno fuisset; tam dies, quam menses, anni, & horæ infiniti fuissent, ac per consequens tot essent, vel fuissent dies, quot anni, horæ, vel menses, quod est ridiculum, & paradoxon; consequentia est nota, nam vnum infinitum non excedit aliud, nam excessum, infinitum non esset, & sic prædicta tempora essent æqualiter infinita.

Sextum. Ponatur quod Sol ab æterno incæperit ex aliqua parte cœli moueri, nam hoc necessariò confitendum est, tunc prima reuolutio completa fuisset in tempore viginti quatuor horarum, & sic non per tempus infinitum, sed per determinatum ab æternitate distabat, quare non est ab æterno, quia quod sic se habet nullum terminum, vel finitum tempus connotat.

Septimum. Si a Deo ab æterno producta fuisset mulier grauida, vel peperisset post nonum mensem, vel nō; si peperisset, ergo partus solum nouem mensibus ab æternitate distaret, & sic mulier non fuisset producta ab æterno, sed illinc ad nouem menses dumtaxat. Si vero post nonum mensem non peperisset, esset contra ordinem naturæ; præter quamquod, quodcunque tempus assignetur si erit finitum, idem sequetur inconueniens, si infinitum nunquam pariet, neque per diuinam potentiam, quod est similiter ridiculum; consequentia est nota, quia infinitum pertransiri est contradictio.

Octauum. Sequeretur, quod actualiter esset infinitus numerus animarum rationalium, posito namq; quod anima ipsa sit immortalis, proculdubio, quæ ab æternitate vsque ad præsens tempus seruatæ sunt infinitatem efficiunt.

Nonum. Infinitus quoque esset numerus hominum existentium, quia vt experientia patet, plures nascuntur quam moriantur, ergo si ab æterno fuissent, infinitus esset numerus ipsorum; nec dicatur, à bello, pestilentijs, diluuijs alijsque calamitatibus diminui, quia hoc est contra ordinem naturæ, quæ conseruationem intendit; & contra experientiam ipsam.

Decimum. Si hoc esset, vel esse posset verum; naturaliter hominum animaliumque cæterorum natura in nihilum reduceretur, vel reduci posset, quod bonitati, & prouidentiæ naturæ repugnat; probatur consequentia; nam per calorem naturalem humidum radicale patitur, & consumitur, quod quidem, & si per nutrimentū restauretur, non tamē ita perfectè, quare in die diminuitur, & imperfectior efficitur, & sic partes debiliores efficiunt filios, illi vero alios se ipsis debilioris caloris, ac breuioris vitæ, vnde tandem ad breuissimam, & nullam ab æternitate vsque ad nunc redacta esset; quod exemplis confirmatur, si quidem ex omnibus historijs habetur, antiquissimos illos homines diu vixisse, & paulatim vitam comminutam esse.

Quæstionis resolutio.

Tanta est prædictorum argumentorum vis, vel potius apparentia, vt multi in multos errores, diuersasque pueriles ineptias abire fecerint, alij namq; solum res permanentes à Deo fieri ab æterno posse confitentur, alij mulieres grauidas ab æterno per infinitum tempus non peperisse; alij verò Solem è nulla parte incæpisse motum, ac alij animas, vel esse mortales, vel alia corpora quasi circulariter informare (ne actualiter infinitum concedant) statuunt, alij vnam animam, vel intellectum numero in omnibus hominibus ponunt. Alij ordinem naturæ alio modo, quam nunc se habuisse fatentur; ita vt res ab æterno genitę, in ęternum duraturę essent, ne aliquod tempus ab initio ad corruptionem ipsarum numerari possit.

Alij tandem nihil à Deo ab ęterno creari potuisse pertinaciter defendunt. Nos autem, vt probabiliorem Aristotelicamque veritatem tueamur, oppositum statuemus, quod antequam fiat, aliqua necessaria annotabimus. Primum. Æternitas aliter accipitur hic, & à Philosopho, aliter à Theologis in theologicis locutionibus, hic nāq; nihil aliud denotat, nisi quod principio tēporis caret siue sit successiuum, siue permanēs, siue corruptibile, siue non. Theologi vero ex Boetio ęternitatē definiunt, esse interminabilis vitę totā simul, & perfectam possessionem; ex quibus diuersis acceptionibus nimirum est, si aliqui nescientes distinguere in errores diuersos labūtur; accipitur nāq; à Boetio pro beatitudine, quę dicitur tota simul prout nullum ibi sit augmentum, vel decrementum, senectus, vel defectus, vt etiam annotauit Aristot. in

Æternitas.

in primo de Cœlo tex. 100. & hac etiam ratione dicitur indiuisibilis, prout videlicet nihil ab ea est diminuibile, vel resecabile, quæ omnia ab æternitate alio modo dicta longè absunt; si quidem ipsa successionem, & alia omnia vel admittit, vel non excludit. Secundum. Infinitum dicitur dupliciter; scilicet ex parte principij & finis, & simul, ex parte vnius tantum, verbi gratia. Mundus ab æterno huc vsque est per Aristot. infinitus solum ex parte principij, quia ab hodierna die de facto terminatus est; si vero consideretur, pro vniuerso futuro tempore erit ex vtraque parte infinitus; quæ distinctio elicitur ab eodem Aristot. in 6. Physicorum tex. 62. & est maximè obseruanda, multum namque interest inter vtrumque; si quidem quod solum ex vna parte est infinitum pertransibile est, vt idem Arist. per totum sextum testatur; ait namque sæpè, infinitam magnitudinem, vel spatium non posse pertransiri, quia semper restat aliquid pertranseundum, vt ex definitione ipsius infiniti patet; quare ex parte spatij, vel magnitudinis pertransita est infinitas ex vna parte tantum, & non simpliciter; & hæc vocetur infinitas secundum quid; alia vero simpliciter; quę præter alias differentias in hoc quoque discrepant, quod infinitum simpliciter nullam potest recipere additionem, nec in natura datur. Infinitum verò secundum quid, semper additionem recipit, & in omnibus rebus quantis reperitur. Tertium. In infinitis non datur æquale, nec inæquale, vt etiam elicitur ab Aristot. in sexto Physic. tex. 61. quod patet, nam æqualia dicuntur, quæcunque determinatam aliquam quantitatem habent; inæqualia, quorum quantitates se excedunt; sed infinitum, nec determinatam, nec excessam ab alio quantitatem habere potest; ergo. Quartum. In rebus difficillimis, eam opinionem amplecti debemus, quæ efficacioribus suadetur rationibus, etsi argumenta opposita non adæquate soluantur; debilitas namque nostri intellectus ob impedimenta diuersa, claram de omnibus veritatem attingere nequit. Cum autem demonstratiuè propositam difficultatem ostendemus, dimissis dialecticis aliorum argumentis, erit profectò amplectenda, etsi fortè solutio aliquorum argumentorum non ita omnibus satisfaciet; sic itaque conclusio responsalis.

Conclusio. Res omnes per creationem ab æterno esse potuerunt, dicimus per creationem, quia quæ per generationem fiunt, dispositiones præuias, motum, & tempus expostulant. Conclusio hæc de facto multis rationibus ab Aristotel. in litera comprobatur; quæ si ad possibile reducantur efficacissimæ, & insolubiles erunt; sed ex ipsiusmet Aristotelis doctrina, ad veram, & vnicam demonstrationem accedamus sic. Posita causa sufficientissima non impedita, potest poni effectus, aliter non esset causa sufficientissima: sed Deus ab æterno ex se fuit sufficientissima causa, absque vllo impedimento; ergo ab æterno quicquid sibi placuit producere potuit, & proculdubio est admirabile, & omnem superat intelligentiam, quod Deus quasi auxilium aliunde recepturus ad creandum aliquid expectare debuisset. Quod autem quidam dicunt, hoc repugnare ex parte creaturæ, est voluntariè dictum; quia potentia ad possibile refertur, vnde si ab æterno creatura creari non potuit, nec Deus habebat potentiam creandi; sicut dicimus non posse super contradictoria; quod quamuis dicatur id esse ex parte rei non factibilis, tamen re vera simpliciter, & in veritate ea efficere nequit, vndecunq; repugnantia eueniat; & sic ab æterno Deus non potuisset creare; ergo postea potuit, & vnde? dicat qui potest. Amplius. Si ab æterno, & cum æternitate (secundum Theologos) filium producere potest; cur non & alia? forsitan, quia ille est eiusdem naturæ, & essentiæ, ac independens. Sed hæc nihil faciunt; solum namq; maiorem perfectionem in producto, non maiorem facilitatem, vel possibilitatem insinuant; imò si (secundum eosdem Theologos) essentialia notionalia præcedunt, ac potentia creandi est inter essentialia, generandi inter notionalia, cur si ab æterno generare potuit, non etiam creare valuit? dicent fortè, æternitatem repugnare creaturæ eo, quod quandam æqualitatem cum Deo præsefert. Sed hoc est ineptè dictum; si quidem maior, vel minor duratio vsque etiam ad infinitum nec essentiam aufert; nec maiorem, aut minorem perfectionem infert, materia namque secundum Arist. est ingenerabilis, incorruptibilis, & æterna, non tamen perfectior corruptibilibus, sed omnibus substantijs imperfectior. Nunc argumenta soluamus.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur; infinitum non posse pertransiri sic quod totum pertranseatur, sed successiuè semper partes eius pertranseuntur, nunquam totum, & hoc pacto infinitum hoc, vel potius pars infiniti transacta est.

Ad secundum respondetur, illam non esse proprietatem in quarto modo, nempè cum Deo conuertibilem, sed sibi ex se conuenientem, alijs verò etiam communicabilem; sicut esse ab ipso creaturis quoque largitur.

Ad tertium dicitur, quod effectus potest præcedi à causa secundum prioritatem naturæ: vt lumen præceditur à Sole, non per aliquod tempus, sed sub ratione causæ, & naturæ.

Ad quartum conceditur, motum potuisse esse æternum, non secundum omnes partes, sed eo modo quo sibi conuenit produci; sic nimirum quod cum mobile per instans simul cum parte immediatè sequenti cæperit, vt patet dum aqua descendendo congelatur est simul productio glaciei, & motus; nec cogitationes sophysticæ in rebus grauibus philosophicis sunt admittendæ.

Ad quintum potest negari consequentia, nam respectu dierum, & annorum, vel aliorum temporum præteritorum non est simpliciter infinitas, vt visum est, ideo plures sunt dies quam anni, horæ quam dies &c. at respectu totius æternitatis potest dici hoc non esse inconueniens, quia infinitum non habet æquale nec excedens, & sic omnia tempora prædicta essent simpliciter infinita; hoc autem quod dicimus potest videri in continuo, in quarum qualibet parte infinitæ quoque sunt quamuis in maiori maiores, minores vero in minori; sic ibi essent infinita tempora maiora, & minora.

Ad sextum dicitur, spatium illud esse viginti quatuor horarum, quæ tamen ab æterno cæperunt, non sic tamen quod aliæ in æternum fuissent, sed tempus illud fuit in æternitate primum, eo modo quo dicunt Theologi prius fuisse ab æterno productum filium, deinde etiam ab æterno spiritum sanctum, sic itaque ipsum tempus (per modum intelligendi, & ratione ordinis, & successionis) cum Dei æternitate incipere potuisset. Difficultas tamen est; quomodo totum tempus æternum transactum fuisset: cui dubitationi iam satisfactum est; potest tamen hoc addi, quod non minus difficilè est videri, quomodo ab æternitate huc vsque Mundus de facto peruenerit, dicere namq; quod non erat tempus positiuum, vel verum, sed imaginarium quod potest transiri, vel æternitas, quæ est indiuisibilis; gratis, & grossè dicitur; quia esse tempus positiuum est esse mensura motus cælestis; dato autem quod aliquis esset extra cœlum, sicut de Beatis dicitur; tunc eadem duratio eis correspondere, ita vt possemus reuera dicere centum, vel mille annos proportionales ibi fuisse, & sic est successio durationis. Quod autem æternitatem indiuisibilem dicunt, aut sic intelligunt, quod fiat in instanti, & tunc Deus æternus iam statim transisset, aut quod æqualiter sine vlla successione sunt ipsi Deo præsentia, (quod est verum) & hoc nihil officit. Amplius; Deus expectasset per æternitatem ad creandum; at ipsa est (vt dicunt im-

pertransibilis, vnde per hoc nostram positionem impugnant) ergo nunquam finietur, & sic nunquam mundus creari potuit, quod est maximum absurdum; quare conclusio nostra; dico Aristotelicam (de possibili) pro certa habenda est, vt rationes ostendunt.

Ad septimum respondetur eodem modo quo ad sextum; puta eam peperisse post nonum mensem, quorum primus ab æternitate cæpit, ita vt nullum tempus nihil, quæ aliud in ratione durationis præcesserit, sed solum Deus in ratione causandi, & secundum prioritatem naturæ, sic autem si æternitas intelligatur, omnes difficultates tollentur; nec aliter eam nec de facto, nec de possibili imaginari possum; si aliqui melius sciunt, ostendant.

Ad octauum negatur consequentia, numerus enim actualiter infinitus est, cui non potest fieri additio; sed animabus semper fieri potest, sicut de facto fit; vnde magna est multitudo, sed non infinita.

Ad nonum pariter negatur consequentia; quamuis namque plures essent homines, quam nunc, non tamen simpliciter infiniti; quoniam non multiplicantur secundum proportionem dierum, vel annorum, vt aliqui puerilliter deducunt; non enim si hodie sit vnus homo, hinc ad quadraginta annos quadraginta erunt; sic enim solum procederetur in infinitum; & quamuis sæpè ex vno homine plures nascantur, sæpè etiam tamen multæ familiæ penitus extinguuntur, imò ciuitates, regiones, prouinciæ, & regna olim gentium fæcundissimæ, nunc penitus deserta, & sine hominibus (nulla facta in alias regiones transmutatione) existunt, quod vltra progredi, vel ostendere, ad historicos attinet.

Ad decimum negatur consequentia, ad probationem dicitur, quod quamuis calor naturalis agat in humidum radicale, non est verum quod semper sit peior restauratio, imò datur augmentum, status, & decrementum in quolibet viuente, vt habetur in secundo de anima. Adde; quod semen non generatur ex humido radicali, vt argumentum supponit, sed ex sanguine, vnde Aristot. 1. de gen. animalium cap. 19. ait, semen esse excrementum sanguinei alimenti, quod vltimum in membris digeritur. Cum ergo ex alimento, & sanguine generetur, etiam si humidum radicale deficeret (quod est falsum, vt diximus) adhuc perfectio seminis maneret, vnde animalia æque perfectionis cum genitis, non autem deterioris vitæ nascerentur. Præterquam quod hoc pacto Mundus naturaliter desiturus esset, quod nedum Theologi (vt Philosophos omittam) somniare possint. Imò secundum rationem prædictam, nunc Mundus, quo ad viuentia, vel destructus esset, vel ad breuissimam vitam (vt est decem, vel fortè quinque annorum) homines deuenissent, quod patet; nam si tempore Troianorum communis hominum vita erat septuaginta, vel octoginta annorum, ita vt, pro miraculo haberetur Hecubam centum attigisse, à proportione nunc ad prædictam vsque paruam ætatem reducta esset, quod est falsum, & contra experientiam, hic etenim, (Venetijs inquam) quamplures octogenarij venerabiles senes reperiuntur. Præter quam quod ex ratione dicta, nunquam filius ætatem patris attingeret, quod quam sit ridiculum, ne dicam stultum, nemo est qui non videat. Hæc paulo prolixius quam soleo dicere volui, ne quorundam credentium, magnam prædicto argumento doctrinam tradidisse nimis insolentia crescat. Idem dici potest de quodam simili argumento, quod probare intendit, semper homines eo eundem defectum humidi radicalis minorem habere staturam, & virtutem, nimirum esse falsum, & ex fundamentis malè intellectis.

Semē qu. 3.

QVÆSTIO III.

Si igitur non semper mouebatur, manifestum est, quod non sic se habebant, vt posset, &c. Tex. 9.

An Deus agat necessariò ad extra,

Arguitur primo pro parte negatiua. Quod necessariò agit, libertate caret, & per consequens est ignobilissimum, & minimum omnium intellectualium, ad genere brutorum, vel non viuentium; quæ quidem de Deo asserere stultum, & impium est.

Secundò. Agens necessariò agit secundum totum suum posse, vt ignis quantum potest comburit, & calefacit; Si autem Deus sic ageret, cum sit infinitæ virtutis (vt videbimus) ageret, vel moueret cœlum in instanti, quia maior virtus in minori, infinita verò in non tempore mouet; Imò produceret effectus infinitos; quod est pariter absurdum.

Tertiò. In 8. Eth. cap. 7. Deum ipsum habere cum bonis amicitiam fatetur Arist. at amicitiam est cum libertate, ergo.

Quartò. Ex 10. etiam Eth. cap. 8. habetur, sapientes esse gratissimos Deo, ac eisdem beneficia conferre, quod à libera voluntate procedit; antequam enim sapientes essent, vel si tales esse desinant, æquum non est, vt vel gratissimi sint Deo; vel ab ipso beneficia recipiant, quamobrem voluntati diuinæ libertas tribuenda est. Quamplura alia sunt loca Aristot. quæ expresse libertatem Deo tribuunt, vt patet in 4. Top. c. 5. In 2. de gener. tex. 59. in libro de Mundo ad Alexandrum; & specialiter in suo Testamento, vbi aliqua religionis, et pietatis gratia, apud Deum fieri reliquit.

Præsens quæstio secundum fidei, & fortè omnium intelligentium determinationem, nullum habet dubium; siquidem auferre à Deo libertatem, quę hominibus omnibus ipsam tribuit, nec aures ipse sine perturbatione audire possunt; dubitant tamē quidam quid circa hoc senserit Arist. ipse etenim eum necessariò agere in hoc octauo videtur expresse fateri; nā dum arguit, si et at æternus motor, & mobile, cur non mouebant? &c. si libertatem Motoris cognouisset, profectò sciuisset, quia non sibi placuit, & sic nullam vim argumenti cognouisset. Pariter; dum circa finem, primum motorem carere magnitudine asserit, quia in non tempore propter infinitam virtutem moueret; etiam libertatem ab ipso adimit, aliter sufficiebat dicere; quod quamuis sit infinitæ virtutis, & in magnitudine, tamen non mouet in non tempore, quia est liber, & ad placitum operatur.

Resolutio Quæstionis.

Pro solutione ergo duo breuiter declarabimus, alterum est, quotuplex sit Dei operatio. Secundum, quotuplex sit necessitas. Pro primo ergo sciendum est, operationem ipsius Dei esse duplicem, videlicet internam, & externam; operatio interna, quæ etiam immanens dicitur, est quæ non terminatur principaliter ad res creatas; sed in ipsomet Deo manet; vt intelligere, velle, sapere, & secundum Theologos generare filium; spirare, vel producere Spiritum sanctum, &c. diximus notanter, actiones internas non terminari principaliter ad creaturas; quia, aliquæ ipsarum possunt secundariò ad ipsas terminari, vt patet de intelligere, & velle, quia tamen omnia intelligit in sua essentia, ideo & est actio immanens, & secundariò creaturas respicit; amare autem, vel velle, dum simpliciter considerantur, in ipso Deo sunt; dum verò crea- Operatio Dei duplex.

creaturas concernunt, secundariò ipsas respiciunt; quia primariò propter se ipsum operatur Deus. Sed de his fusius prosequi Theologicum est; ad aliam actionem deueniamus. Actio itaque transiens, est quæ primariò ad aliquid extra ipsum Deum terminatur, vt creatio, conseruatio, punitio, destructio, &c. quæ ambæ actiones etiam proportionaliter in creaturis maximè in viuentibus reperiuntur, vt sentire, augeri, &c. sunt permanentes actiones. Sed scribere, texere, calefacere, &c. sunt transeuntes. Non est igitur difficultas de quibusdam actionibus permanentibus Dei, neque apud Aristot. ipse enim optimè nouit, vt plurimis in locis, & maximè in primo de Anima fatetur, sapientissimum esse Deum; quòd si interdum non intelligeret, vel posset non intelligere, à sapientia, & deitate deficeret; imò prima intelligentia, quasi in eius philosophia vocatur, non alia de causa, nisi quia semper, & primò intelligat. Difficultas autem est de actione externa, an scilicet necessariò creauerit Mundum, necessarióque conseruet, &c. Pro determinatione igitur aliam propositam partem de multiplici necessitate aggrediamur. Est itaq; necessitas sex modis, scilicet Violentiæ, Coactionis, Indigentiæ, Ineuitabilitatis, Exigentiæ, & Immutabilitatis. Prima est dum aliquid cōtra propriam naturam ab aliquo externo mouetur, vel agitatur, vt dum lapis sursum proijcitur, quæ opponitur simplici naturalitati; & hæc profectò non est in primo Motore; nam cum sit primus, & infinitus, à nullo superari potest, vt contra naturam operetur. Secunda opponitur voluntati, vel libertati, vt dum aliquis inuitus ad carcerem ducitur; & hęc quoq; longè est à Deo, ratione etiam prædicta. Tertia est paupertas, vel cuiusque boni indigentia, cui opponitur abundantia; & hæc etiā vt de se notum est à Deo penitus remouetur. Quarta est dum aliquid ob sui imperfectionem malū aliquod euitare non potest; qua omnes morimur, & res generabiles corrumpūtur, neq; hæc in Deo ponenda est. Quinta est respectu perfectionis, & ordinis, quo pacto dicimus, materiam debitè dispositam, necessariò ab aliqua forma informari, & hæc potest poni in eo, quia ipse secundum dispositiones rerum, & ordinem sibi ab æterno præfixo, semper necessariò concurrit, nè immutabilis, vel improuidus existat, hæc autem cum summa libertate, & nobilitate manet, vt melius in vltima necessitate dicetur. Necessitas itaque immutabilitatis est, qua aliquid semper sibi constans, nulla vnquam leuitate affectum, eo modo quo decet operatur; hæc autem opponitur inconstantiæ, vertibilitati, & fundamentaliter ignorantiæ, qui etenim inconstanter operantur, nesciunt quid prius, quidve posterius faciant, vel facturi sint, hac itaque necessitate necessariò Deus agit, sic tamen, quod quæ ab æterno statuit, ac eminenter cognouit, sine vlla sui mutatione, sed rebus dumtaxat motis exequatur; hæc autem cum libertate manet, nam ipsi libertati opponitur solum coactio, vertibilitas, & aliæ imperfectæ qualitates, secundum istam pariter, non tantum Mundum creauit, & Arist. ab æterno creatum esse putauit, sed cum secundis causis necessariò (naturaliter, & secundum modum naturalem loquendi) operatur, nec tantum Cœlum, & aliqua, sed omnia hoc eodem modo quo ab æterno statuit, infallibiliter producit; atque hæc eadem ex parte eiusdem Dei immutabilitatis, ex parte rerum exigentiæ necessitas dici potest. De hoc itaq; loquitur sæpe Aristot. si namque Deus ab æterno non mouisset, aliquod impedimentum fuisset, vel aliqua causa vt eum ad mutandum propositum impulisset; agit enim rationabiliter, quare quicquid obstaret, pro impedimento computandum esset. Sed quid dicendum est ad id, quod ipse Arist. adduxit de magnitudine infinita, videlicet, quod ageret in non tempore, videtur namq; ratio illa de simplici necessitate naturæ procedere. Respondetur, eam esse validam, supposito quod virtus diuina esset in magnitudine infinita; quia sic esset virtus purè naturalis inanimata, impossibile namque est, quod detur corpus animatum infinitum, vt habetur in primo de Cœlo tex. 72. est ergo sensus, si virtus infinita esset in quantitate infinita, ageret in non tempore, quia esset purè naturalis, at hoc est impossibile de Deo, ergo non est in quantitate infinita, neque infinita, quamuis prima ratio de infinita virtualiter educatur ex eiusdem Philosophi rationibus; sed propriè asserit, infinitam quantitatem non dari, & in infinita non esse infinitam virtutem. Concedit itaque libertatem Aristot. ipsi Deo, vnde Argumenta adducta non sunt contra ipsum, sed solum necessitatem, vel coactionis, vel violentiæ, vel alias exceptis immutabilitatis, & exigentiæ, excludunt. Est notandum tamen, quod necessitas exigentiæ dicitur etiam necessitas naturæ, qua ignis calefacit, grauia descendunt, leuia necessariò ascendunt, &c. dum autem ponitur in Deo, ex parte creaturarum præcipuè verificari intelligitur, hoc est ita necessariò operari, quia sic naturæ ordo ab ipso tamen unpermutabiliter institutus exigit; vel si dicatur, sic suam quoque naturam, vel bonitatem exigere, nullum inconueniens sequitur. Notandum est deniq; quod cum hac necessitate immutabilitatis stat contingentia, & libertas rerum; quoniam cum causis liberis liberè, cum contingentibus contingenter, cum necessarijs suo modo necessariò ab æterno, sine vlla mutatione concurrere decreuit. Secus esset, si necessitate simplicis naturæ operaretur; tunc namque omnia necessariò euenirent; si quidem operaretur omni, & infinito conatu suæ virtutis, cui aliqua finita causa resistere non potuisset, vt subtilissimè probat Scotus in 1. sent. d. 8. q. 5. & alibi, cuius positionem aliqui, vel nolentes, vel nescientes intelligere, immeritò, & inconsultò reprehendunt.

Necessitas quotuplex.

Quomodo Deus necessariò agat cum causis secundis.

Argumenta soluta sunt.

QVÆSTIO IV.

Animal autem dicimus ipsum seipsum mouere. Tex. 17.

An animalia à seipsis moueantur.

QVæstio ista ex professo ad tertium de Anima attinet; hic tamen incidentaliter, ad melius motum grauium, & leuium cognoscendum eam determinabimus. Primū itaq; argumentū contra ipsam adducemus. Videtur igitur non à se ipsis moueri, nam omne quod mouetur ab alio mouetur, ex 7. Physic. tex. 1.

Amplius. Nullum continuū mouetur à se ipso ex hoc libro tex. 30. Animal omne est quid continuum, ergo.

Denique. Quod mouetur à parte à se ipso non mouetur, nam pars non est idem penitus cum toto, sed animalia mouentur à parte, puta ab anima, ergo.

Pro solutione ergo sciendum est, quod in motu animalium multa mouentia diuersa ratione, seu sub diuerso modo causandi concurrunt; primum namq; est obiectū, quod eis, vt bonum, vel disconueniens præsentatur, quamobrem excitatur, vel ad prosecutionem, vel ad fugam, & hoc metaphoricè, vel in ratione finis mouere dicitur; nec propriè de hoc est difficultas, clarum namque est, omnia sic ab alio moueri, prout omnia propter finem operantur, qui finis, etsi interdum sit ipsummet operans, veluti cum quis propter se ipsum agit, ratione tamen distinguitur, & ad propositum sufficit. Aliud est mouens principale, quod quidem est duplex, scilicet quo, & quod: primo modo dicitur à quo incipit motus, & est anima ipsa: secundum est ipsummet totum animal, quod re vera mouet; nam imaginandum est, formam ex se non mouere neq; moueri totaliter, sed esse principium illorum; sunt deniq; mouentia alia instrumentalia,

Argumenta.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Mouēs quo & quod.

vt appetitus, cor, nerui, & alia membra, vel instrumenta, quæ sunt interna, & ad eandem naturam attinent. *Conclusio.* Quibus habitis, respondetur; Animalia a se ipsis efficienter moueri; dicimus efficienter, vt excludamus obiectum, quod mouet in ratione finis, quod autem sic moueatur, patet, nam mouentur ab anima, vel alijs partibus, quæ sunt de natura totius, at quod ratione motus partibus conuenit, de toto verificatur, & sic habetur intentum; Imò reuera ipsum se totum mouet, quia tam anima, quam corpus ad complendum motum concurrunt, sic tamē quod anima sit principium magis actiuū, corpus vero passiuum, vnde dum aliqua pars incipit, vel dat principium mouendi alteri; non est dicenda simpliciter mouens, sed solum principium motus; nam mouens simpliciter debet esse quid completum; similiter pars mota habet potius rationem principij passiui, quā mobilis, maximè in motu locali, etsi fiat comparatio inter partes essentiales, vt est ad propositum de anima, & corpore; quod enim localiter mouetur est in actu completo, vtrumque tamen nempè, & principium mouens, & motum per accidens mouentur, ipsum vero totum per se, accipiendo tamen moueri per accidens prout opponitur ad moueri per se totum, quia si acciperetur, prout dicit penitus accidentaliter, tunc non est verum. Amplius animalia dicuntur moueri à se, quatenus nullo extrinseco efficienter concurrente possunt incipere motū, & eodem modo ab ipso desistere; sicut è contra de rebus inanimatis dicendum est; ipsa namque quatenus externum agens requirunt quod impedimētum remoueat vel ipsa generet ab alio moueri dicuntur. Notandum est etiam, quod non solum motu locali, sed alijs quoque (exceptis generatione, corruptione, & diminutione, quæ ab externo fiunt) animalia à se ipsis modo prædicto mouentur, anima etenim est principium augmentationis, nutritionis, alterationis, &c. vt in libris de anima dicemus. Nunc argumenta soluamus.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur; Animalia prout à parte, nempè ab anima mouentur, ab alio moueri dicuntur, quatenus nempè pars non est prorsus idem cum toto; tamen quia est de natura ipsorum, ideo à seipsis quoque moueri dicuntur, & sic licet non moueantur ab alio extraneo, mouentur ab alio quod non est adæquatè idem cum ipsis.

Continua secundū quātitatem, & virtutem. Ad secundum respondetur dupliciter. Primò, quod aliqua sunt continua, vel non continua bifariam, nempè ratione quantitatis, & qualitatis. Primò modo, sunt partes quantę simul vnitæ, vel non. Secundò, quæ habent eandem qualitatem, vel virtutem, aut non; secundum continuitatem vtramque nihil mouetur; sed quando aliqua continua sunt ratione quantitatis, quia vel vna est ipsorum quantitas, vel vnus ipsorum terminus, & ratione virtutis diuersitatem habent, moueri possunt; sic namq; aqua calida se ipsam refrigerat; sic vna pars aliam afficit &c. Aliter dicitur, quod continua vera continuatione quantitatiua sine vna parte dissimilari, vt est lignum, ferrum, vel alia, non possunt à se moueri, motu animalium, qui est ad diuersas loci differentias; modo animalia ipsa non sic se habent.

Ad tertium patet in solutione primi.

∴

QVÆSTIO V.

Hæc autem sunt, quæ dubitationem afferunt, à quo moueantur, vt leuia, & grauia.
Tex. 28.

An grauia, & leuia inanimata dum naturaliter mouentur à se ipsis actiuè moueantur.

ARguitur primo quod non. Moueri actiuè à se ipso est proprium animalium, vt habetur in hoc libro tex. 29. ergo.

Secundo. Quæ à se ipsis moueri possunt; etiam ex se possunt sistere, vel quiescere, nec non ad diuersa loca moueri, ex eodem textu; hæc autem vt notum est non sic se habent, ignis namque solum sursum, terra vero dumtaxat deorsum naturaliter mouetur, ergo.

Tertiò. Nullum continuum à se ipso mouetur ex hoc eodem libro tex. 30. hæc autem sunt continua, ergo.

Quartò. Hoc idem expressè habetur ab Arist. in hocmet libro tex. 33. dicit enim, grauia, & leuia non à se ipsis moueri, sed aut ab eo, quod generauit, & fecit leue aut graue, aut ab eo quod impedientia & prohibentia soluit; sunt verba formalia ipsius, quibus nil clarius circa hoc esse potest.

Quintò. Idem secundum idem non potest esse mouens, & mobile, quoniam simul esset in actu, & in potentia, quod est impossibile, & implicans, ex hoc eodem 8. tex. 40.

Sextò. Grauia, & leuia prout talia sunt, non sunt actiua, ex secundo de generat. & corruptione, tex. 8. & ex hoc 8. tex. 32. ergo motum efficere nequeunt.

Septimò. Dum ipsa grauia, & leuia violenter mouentur, dicuntur ab alio moueri, prout ex impetu à proijciente in ipsis impresso mouentur; ergo cum naturaliter mouentur à generante (quod sibi qualitatem motricem nempè grauitatem, vel leuitatem tradidit) moueri dicendum est.

Pro intelligentia est memoriæ mandandum, quod alibi de duplici actu, dupliciq; motu diximus, alium namque esse actum primum, alium secundum, similiter alium ad illum, alium ad hunc motum esse statuimus. Actus primus est prima forma, siue substantialis, siue accidentalis. Secundus est vtriusque operatio, vel (melius) alia perfectio ipsi formæ superaddita, v.g. anima est actus primus hominis; scientia, vero, vel discursus, vel sentire, sunt actus secundi. Similiter in accidentibus, scientia est actus primus, speculatio secundus, quibus proportionaliter respondet potentia ad actum primum, & secundum. Obseruandum est tamen quod actus accidentales primi in ordine ad substantiam sęmper sunt secundi, vt de scientia notum est; sed in comparatione ad alias accidentales disponens superuenientes ex ipsorum natura primi dicuntur. Diximus non solum operationem esse actum secundum, sed quamcunque additam perfectionem, nam potentia motiua est actus primus, motus secundus, sed terminus per motum acquiritur, qui non est operatio est quoque secundus, & sic actus secundus, aut est operatio, aut perfectio superaddita; imò secundum ordinem possent plures actus puta primus, secundus, tertius, &c. multiplicari; tamen ne fiat inutilis, & confusiua multitudo; primus solum, & secundus sufficiat, sic nimirum, quod omnes à prima forma fluentes, siue mediatè, siue immediatè, in comparatione ad ipsum, non autem ad alios actus secundi dicantur; eo modo quo substantiæ omnes vniuersales, secundæ dicuntur, etsi vna sit vniuersalior, & posterior altera. Motus verò ad actum primum est acquisitio, vel tendentia ad ipsum;

de

de secundo proportionaliter dicatur; puta quod sit via ad formam accidentalem superadditam, non autem ad operationem cum ipsamet sit motus. Secundo notandum, quod in quolibet mobile, quod à se ipso mouetur, duplex est mouens, scilicet principale, & instrumentale; vt in animalibus principale est anima, instrumentale est cor, vel aliud membrum, ac vis motiua, quæ tamen sic se habent, quod instrumentale sine principali nullatenus agere, vel mouere potest, ita vt si ipsum principale non agat, penitus deficit virtus alterius; principale vero, quãuis sine instrumento agere nequeat, tamẽ virtute instrumenti deficiente, non deficit eius virtus, quæ vniuersa doctrina elicitur ex hoc lib. tex. 33. Tertio notandum, quod duplex est agens, videlicet vniuocum, & æquiuocum. Vniuocum est quod generat, vel producit aliquid eiusdem naturæ cum ipso, vel saltem eiusdem naturæ cũ immediato instrumento, vel qualitate, quia operatur; vt ignis generans ignem est agens vniuocum primo modo; sed si per calorem, calorem generet, est vniuocum secũdo modo, & primo modo potest dici vniuocum essentiale; secundo verò accidentale. At agens æquiuocum est quod producit aliquid, vel diuersæ naturę à se ipso, vel ab immediato instrumento quo agit, vnde, & essentiale, & accidentale æquiuocum proportionaliter cum vniuoco dici poterit; v.g. ignis respectu caloris producti est æquiuocum primo modo, similiter Sol respectu luminis, vel Ranæ genitæ. Si autem ignis per calorem dissicet, vel condenset, erit secundo modo æquiuocum, idem de Sole dicatur, quæ doctrina ex hoc libro 8. tex. 41. elicitur. Quibus suppositis per aliquas conclusiones quæstionem resoluamus.

Mouens duplex.

Agens duplex.

Conclusiones.

PRima. Grauia, & leuia inanimata dum ad actum primum mouentur, ab alio (puta à generante) mouentur; hoc de se notum est; quia sic moueri est generari, loquendo de actu primo essentiali, sed nihil generat se ipsum; ergo.

Secunda. Dum ad actum secundum puta ad locum (nam de motu locali præcipuè est difficultas) mouentur; per accidens ab eo, quod impedimentum aufert, mouẽtur, hæc est expressa Aristot. sententia in hoc lib. tex. 32. habet enim hæc verba; Qui autem id quod sustinet, & prohibet mouit, est vt moueat, est autem vt non, vt qui columnam diuulsit, aut qui lapidem remouit à vase in aqua; secundum accidens enim mouet. Amplius id per accidens mouere dicitur, quo solo posito nullus motus causatur, sed posito solum remouente, quod prohibet non causatur motus, ergo; maior est nota, quia ex opposito quod per se mouet, absq; alio principali mouet; probatur minor. Si lapis detineatur ab aliquo impedimento ne cadat, si per casum lapis ipse non esset grauis, etiam impedimento remoto non caderet; quia solum grauia cadunt, vel descendunt naturaliter, vt perspicuum est; ergo nullum motum, nullamque virtutem à remouente impedimentum habuit, quod confirmatur à simili, sit aliquis auis in cauea detentus, propter hoc impedimentum non poterit volare; amoueatur impediens, non tamen volabit, nisi virtutem volandi ex se habuerit; vnde remouens prohibens nullam tribuit virtutem, sed quòd ex se virtutem habebat operatur; quare ipsum quod impedimentum abstulit, solum per accidens mouit.

Tertia. Dum ad locum mouentur principaliter, & per se mouentur à propria forma, seu à se ipsis, (pars nãque vt sępè visum est denominat totum) probatur auctoritate Arist. in hoc libro tex. 32. postquam etenim de duplici potentia distinxit, ac de potentia essentiali ad actum primum ipsa grauia, & leuia reducta à generante statuit, ex se ipsis ad actum secundum, vel locum moueri his verbis affirmat. Leue enim fit ex graui, vt ex aqua aer; hoc enim potentia primum, & iam leue est, & operabitur confestim nisi quis prohibeat, actus autem leuis est alicubi esse, & sursum, &c. nisi aliquis dixerit actum, ac operationem, vel operari, ibi accipi passiuè, vt quidam Theologiæ magister nudius tertius publicè non timuit cuidam hac ratione ipsum obiurganti respondere. Item ipsemet Arist. in 4. phys. tex. 16. habet hæc verba. Densum enim, & rarum secundum hanc contrarietatem lationis factiua sunt; si igitur factiua sunt lationis à se ipsis actiuè mouentur. Pręterea in quarto de cęlo tex. 24. sic inquit; quærere vero propter quid fertur ignis sursũ, & terra deorsum, idem est, propter quid sanabile si moueatur, &c. ponit postea differentiam quod ipsa grauia, & leuia videntur in se ipsis habere principium suæ mutationis, illa autem non, sed ab extrinseco; & clarum est, quod loquitur de principio actiuo; nam principium passiuum etiam sanabilia à se ipsis habent, vnde nulla esset in hoc differentia quam assignat. In tex. vero 25. eiusdem libri, habet hæc verba. Cum igitur fit ex aqua aer, & ex graui leue, venit ad ipsum sursum, si itaque venit à se mouetur, nam aliter non veniret, sed ferretur. Sed dicent moueri, sed à grauitate, principaliter verò à generante. Contra nam grauitas est instrumentum, vel causa secundaria subordinata essentialiter primo agenti, ergo nõ potest agere nisi ipsum primum agat simul cum ipsa, sicut est de ratione causæ subordinatæ, sed primum agens, nempe generans, vt plurimum dum ipsa grauia, & leuia mouentur, non adest, ideo ad aliud principale, & simul existens recurrendum est: hoc autem nullum aliud præter formam esse potest. Quod confirmatur, nam naturalia accidentia à formà naturali educũtur: ergo ab ipsa dependent, & sic erit causa principalis ipsorum, & aliorum quæ ab ipsis fiunt, si itaque forma est causa grauitatis, & leuitatis, ignis namque est leuis, quia est talis naturæ, vel formæ; & motus ab his qualitatibus procedentis forma ipsa erit causa. Amplius; effectus in actu requirit causam in actu: ergo non sufficit generans, non existens ad actualem motum, hæc tamen ratio coincidit cum prædictis; tamen sit veluti epilogus.

Quarta. Grauia, & leuia mouentur instrumentaliter à grauitate, & leuitate, patet nam sine istis non mouerentur, vnde instrumenta quædam, etsi ab alijs dependeant, necessariò tamen requiruntur; quod autem hæ qualitates solum instrumentaliter moueant, ex prædictis patet; nam sicut in esse, ita quoq; in operari à forma, & natura dependent, si ergo in operando sic se habent, profecto non principalia, sed instrumentalia tantum agentia erunt.

Quinta. Quamuis principaliter à forma, instrumentaliter à grauitate, & leuitate, per accidens à remouente prohibens moueantur; per attributionem tamen dicuntur, vel dici possunt moueri à generante; ratio est, quia sic ab ipso habent esse, & qualitates, vt statim genita nisi adsit impedimentum moueantur, quæ autem sic se habeat ab ipso generante dependent, & effectus ipsorum generanti tribui possunt; v.g. quis proijcit ignem in aliquam domum; tunc dicimus proijcientem domum combussisse, quia ignem applicuit, etsi reuera ignis sit, qui combussit. Animalia vero non oportet, quod statim genita moueantur, sed est in sua potestate moueri, & quiescere; ideo etsi etiam ipsa à generante recipiant esse, ac motiuas qualitates: hac solum de causa, à se ipsis moueri dicuntur. Vnde si ex eo, quod grauia, & leuia à generãte virtutem mouendi receperunt, ab ipso moueri dicuntur, eadem de causa, & similiter deberent dici moueri animalia; quæ pariter virtutem hanc receperunt; nec obstat, aut aliquid diminuit quod sit in sua potestate moueri, & quiescere, quia hoc solum diuersam, & perfectiorem virtutem insinuat; cum autem secundũ veritatem hoc non sit verum in ipsis animalibus, neque in prædictis erit. Est tamen quædam dubitatio. An ipsa inani-

inanimata moueantur, vel moueri possint à se ipsis ad aliam formam quam ad locum, vel vbi; id est an possint à se ipsis alterari, augeri, &c. Respondetur quòd generari, & corrumpi (vt sigillatim de omnibus resoluamus) à se ipsis non possunt, quia generans, præcedit genitum, nihil autem se ipsum præcedit, pariter corrumpens est contrarium corrupto, vel corrumpendo; at nihil est contrarium sibimetipsi, saltem secundum totum, nam quandoque partes diuersæ repugnant, præcipuè elementa, quæ sunt in mistis, & contraria: per quæ ex interno accidunt corruptiones in viuentibus, & non viuentibus; hoc tamen non est à se ipsis corrumpi, quia nec propria forma, nec propria materia id efficiunt. Quoad augmentationem, & diminutionem, negatiuè respondendum est, quia propriè inanimata non sunt augmentabilia, nec diminuibilia, etsi per iustâ positionem hoc interdum patiantur; sicut dum aquæ additur aqua, vel ab ipsa remouetur, hoc ab externo agente eis accidit. De alteratione distinguendum est; nam alia est perfectiua, alia corruptiua; secundum primam possunt à se ipsis moueri, vt aqua calefacta à propria forma ad frigiditatem redit, de corruptiua verò oppositum est sentiendum; quoniam sicut à se ipsis non corrumpuntur, ita neque ad corruptionem alterantur. Violenter autem quicquid mouetur ab externo mouetur, vt per definitionem violenti notum est, dicitur namque violentum, cuius principium est extra non conferente vim, seu inclinationem passo, hoc est secundum naturalem inclinationem non concurrente.

Violentum quid.

Ad Argumenta.

Ad primum dicitur; proprium animalium esse moueri actiuè ad diuersa loca, & sistere quando volunt: & hoc modo quidem inanimata non mouentur à se ipsis.

Ad secundum eodem modo respondetur; scilicet, quod quæ mouentur à se ipsis per cognitionem, & motu animali, possunt sistere quando volunt, &c. alia verò nequaquam.

Ad tertium respondetur, continua non moueri à se ipsis, sic videlicet, quod vna pars eiusdem rationis aliam moueat, vt vna pars lapidis aliam, quia non est maior ratio in vna, quam in alia; sed quod forma sit principium mouendi, totum verò sit mobile, hoc à continuis negandum non est. Vel dicatur, Aristotel. negare continua moueri à se ipsis eo modo quo mouentur animalia; quia re vera in istis inanimatis ob vniformitatem partium, diuersi motus sicut in animalibus assignari minimè possunt.

Ad quartum dicitur, quod à generante moueri dicuntur per attributionem, vt visum est in vltima conclusione; à remouente prohibens per accidens vt visum est in secunda.

Ad quintum respondetur re vera alia ratione esse in actu, alia in potentia, quia sunt in potentia ad locum, sunt in actu entia: & sic non sunt secundum idem in actu, & in potentia: hæc autem responsio elicitur ab Aristot. in 3. phy. sic. tex. 8. aliquid enim est in potentia calidum, & actu frigidum, &c.

Ad sextum respondetur, ibi actiua, & passiua esse negari in ordine ad generationem, non autem in ordine ad motum localem: quod est dicere, grauitatem, & leuitatem, non esse qualitates generatiuas. Vel dicuntur passiua quatenus motus ipsorum tribuitur generanti.

Ad septimum negatur similitudo, quoniam dum violenter mouentur; nihil est proprium ipsorum, quod moueat, sed totum extraneum, ideo semper ab alio moueri dicuntur; sed dum mouentur naturaliter, propria forma, & naturales qualitates ad hoc concurrunt, ideo sibimet ipsis motum tribuere possumus.

QVÆSTIO VI.

Quare considerandum est, sumpto alio principio, si quid mouet se ipsum, &c. Tex. 40.

An primus motor sit penitus immobilis.

Arguitur primò quòd non. Idem, & similiter se habens semper idem natum est facere; ex 2. de gen. textu 56. & ex hoc 8. textu 53. si ergo primus Motor sit prorsus immobilis, vel semper eodem modo se habens, (quod idem est) profectò tot rerum diuersitates ab ipso non essent, & sic non erit prima, & nobilissima omnium causa.

Secundò. Quod ad aliquod interdum refertur, & prius non referebatur, aliquam suscipit (saltem per accidens) mutationem. Primus autem Motor sic se habet, si quidem ex creatione rerum dicitur Dominus, qui tamen antea dici non poterat, cum seruus, vel serui (ad quos Dominus refertur) non adessent; nec obstat si dicatur cum Aristot. ab æterno Mundum creauisse; ideo semper fuisse Dominum, sufficit namque pro vi præsentis argumenti, vt saltem aliqua denuo creet, vt ipsorum dominus, qui ante non erat, dicatur.

Tertiò. Quod mouetur ad motum alterius per accidens mouetur. Sed primus motor mouetur ad motum primi mobilis, ergo; probatur minor; dum aliquod est in alio, mouetur ad motum illius, ex sexto Physic. tex. 86. sed ipse primus Motor est in circunferentia primi mobilis ex hoc octauo, tex. 84. ergo.

Quartò. Intelligere, velle, amare, & aliæ similes operationes sunt quidam motus, nam operatio idem valet quod motus; At ipse primus Motor hæc omnia prædicta exequitur, ergo. Sed si dicatur, ipsum semper intelligere, semperque amare, & per consequens non mutatur, ita vt de non intelligente fiat intelligens, vel è contra, hoc magis propositum confirmat, quia semper continua operatione mouetur; vt de facto mobilissimi sunt cæli, quia semper mouentur, etsi eodem modo.

Quintò. Si esset immobilis ideo esset, quia est indiuisibilis, & magnitudine caret, vt habetur in textu; at hoc nihil valet, quia etiam res, vel substantiæ spirituales mobiles sunt, vt Theologi sciunt; ergo.

Quæstio hæc non multa expostulat præmittenda; sufficit namq; scire, quid sit moueri per se, & per accidens, quod iam pluries declaratum est, atq; ex illis nodus difficultatis soluetur, vt autem omnis defectus memoriæ addiscentium iuuetur, breuiter iterum id repetere non pigebit. Moueri itaque per se est esse immediatum receptiuum motus, siue localis, siue alterius rationis nihil refert, quamuis de materia prima sit quod diximus limitandum, ratione alibi assignata. Moueri verò per accidens est moueri ad motum alterius; vt anima cum corpore; nauta cum naui; accidentia cum substantia, &c. sit igitur conclusio.

Primus Motor est immobilis per se, & per accidens, quocunque motu; probatur de motu per se; nam re vera non generatur, nec corrumpitur, nec augetur, nec diminuitur, quoniam hæ sunt passiones corporum materialium, vt patet ex primo de cœlo tex. 20. & inde. Neque alterabilis est; quia si esset alteratio corruptiua esset corruptibilis; si perfectiua imperfectus; quicquid enim alicuius perfectionis est receptiuum, imperfectum est; recipitur namque quod deest, at primus Motor est perfectissimus, ergo. Quòd verò non moueatur localiter patet: nam omne quod sic mouetur secundum Aristot. est diuisibile, & quantum; sed ipse est indiuisibilis, & omnis

Conclusio.

omnis quantitatis expers vt videbimus,ergo. Præterea. Omne quod mouetur est in potentia ad terminum ad quem; sed primus Motor est purus actus; quare &c. Quod denique neque moueatur per accidens, probatur, quoniam quod sic mouetur, alium motorem, a quo moueatur, & a quo aliquo modo dependeat supponit; at impossibile est, primum aliud supponere, vel dependere, hæ namq; passiones primo principio, vel motori repugnant: ergo.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur, prædictam propositionem esse veram in agentibus pure naturaliter, id est sine cognitione, vel libertate, vt ignis solum calefacit, & semper, sic tamen, quod nunquam facit oppositum; non autem quod nihil aliud efficiat; quia ignis ipse calefacit, dissiccat, comburit, rarefacit &c. sensus est ergo. Idem agens naturale eodem modo se habens, non potest effectus oppositos producere, etsi diuersos possit. Quare cum Deus sit agens voluntarium, & summum, sibi hoc non conuenit. Vel dicatur, quod dum agit per causas secundas, si semper eodem modo, & vnico motu primi mobilis dumtaxat moueret, non efficeret effectus oppositos; ideò requiruntur alij orbes, & motus, & hic videtur verus sensus huius 8. physic. tex. 53. ex quo non colligitur, quod ipse moueatur, sed quod producendo primum motum, ex illo alij quam plures nempe inferiorum orbium causentur, & sic diuersi,& oppositi fiant effectus.

Idem natū est facere idem quomodo verum.

Ad secundum respondetur, totam mutationem esse ex parte creaturæ productæ,quãuis relatio aliqua à Deo non possit negari; hæc tamen non est per mutationem aliquam, contingit namque (ait Arist. in 5. phys. tex. 10.) altero mutationem patiente, aliud dici alterum, etsi nullam patiatur mutationem. Alij autem dicunt, hanc non esse relationem mutuam, sed decipiuntur, quia Dominus serui domini dicitur, & è contra. Alij vero esse relationem rationis asserunt, quod quidem nec est intelligibile; quia sunt ambo extrema realia, & positiua ex parte rei ex quibus relatio insurgit; dicamus itaque non esse ex parte ipsius mutationē, nisi impropriè, vt actum est.

Ad tertium negatur minor; ad probationem dicitur, id quod est in alio veluti pars, vel accidens, vel necessariò coniunctum cum ipso per modum inhærentis, moueri ad motum illius, at quod simpliciter assistit, vt agens, non sic se habere, hoc autem modo se habet primus Motor respectu Cœli, an verò ipse immediatè moueat, vel non, posterius dicetur, accipiatur tamen hic primus Motor, pro quocunque immediatè mouente.

Ad quartum negatur maior; nam de ratione motus est vt acquiratur pars post partem, vnde potentialitatē, & imperfectionem claudit, sed operationes illæ sunt ab æternitate secundum esse perfectissimum, & immanentes dicuntur.

Ad quintum dupliciter respondetur, vno modo, quòd ex rationibus naturalibus non facile colligitur, indiuisibilia, & spiritualia moueri; ideo si hac via procedamus sufficiens est ratio ad probandam immobilitatem primi Motoris. Secundò dicatur; quòd quia primus motor est causa non tantum motus proprij primi mobilis; sed aliorum omnium, saltem mediatè, nam à primo omnia dependent; hinc est, quòd saltem per reflexionem, eodem motu moueret, & moueretur, vt optimè probat Philosophus in tex. 38. quare si moueret localiter, etiam eodem motu moueretur, & sic respectu eiusdem esset in actu, & in potentia, quod est penitus impossibile. Sed contra, nam dato, quod Angelus moueatur localiter a se, non sequitur hoc inconueniens, nam alia ratione est in actu, alia in potentia, est namque in actu mouens, sed in potentia ad locum, quare idem de primo motore dici possent, & sic mobilis erit. Respondetur, disparem esse rationem; quia Angelus est finitæ virtutis, ideo non inconuenit, vt careat, aliquo loco, vel vbi, de Deo autem supponere oportet (quod postea probabimus) esse infinitæ, & vbique; quare si moueretur v. g. ad locum, careret ipso, & ex supposito esset vbiq; & sic per consequens, esset in actu, & in potentia respectu eiusdem; quod quidem non tantum de motu locali, sed de quolibet alio in comparatione ad eundem primum Motorem dici potest.

QVÆSTIO VII.

At vero si continuus est, vnus est, vnus autem si ab vno mouente.
Tex. 49.

An primus Motor sit tantum vnus.

VIdetur quod non; quia nullum est inconueniens vt idem mobile à pluribus motoribus simul moueatur, vt patet de tractione nauis, &c. ergo.

Secundò. Quod melius est, semper arbitramur in natura esse, si possibile est, ex hoc 8. tex. 56. sed plures Motores sunt meliores vno, nec impossibilitas aliqua apparet: ergo.

Tertiò. Si vnus dumtaxat sit primus Motor, ideo hoc erit, vt generationes rerum sint perpetuæ, quemadmodum videtur velle Arist. in tex. 49. huius libri: at hoc nihil est; quoniam vnaquæque species habet determinatum, & sufficiens principium generationis, & conseruationis sui, homo namque hominem, leo leonem, equus denique equum generat, & sic de alijs; quamobrem tot requiruntur motores, quot sunt species; vel nullus primus est necessarius, eo quod ex se sint sufficientia (vt diximus) agentia particularia. Pro intelligentia sciendum est, quòd per primum Motorem nihil aliud intelligimus nisi primam omnium, & vniuersalissimam causam, quã communiter Deum vocamus, vnde præsens quæstio idē valet, ac si quæreremus, an sint, vel esse possint plures Dij; quæ quidem posset Theologicè, & Philosophicè examinare. Tamen ne simul res diuersorum ordinum confundamus, eam secundo modo determinabimus. Repetendum est igitur, quod alibi de causis fusè tractauimus, & præcipuè quod attinet ad causas essentialiter, vel accidentaliter subordinatas; causæ itaque per se, & essentialiter ordinatæ sunt talis naturæ, & conditionis, vt subordinatæ ab aliqua principali dependeant, & sine ipsa causare non possint; accidentaliter verò quamuis sint per se, hanc tamen necessariam connexionem non expostulant. Obseruandum est etiam; quod vnaquæque res creata, imperfectionem, & defectum includit; nam impossibile est, vt omnes perfectiones contineat; sic namque esset infinita, quod implicat; nam esse creatum est habere esse ab alio ex nihilo, & per consequens limitatum, & finitum, ac imperfectioni, atque defectui obnoxium, ob idque à Theologis dicitur; nihil inter creaturas sic perfectum existere; quin maxima sit potentialitate admistum; seu cui non possit alia perfectio superaddi: cum itaque sic se habeant res omnes sunt defectibiles, & in nihilum saltem per potentiam creatoris reducibiles, verum quædam soli ipsius immediatæ potentiæ subduntur, quemadmodum res materiæ expertes vt cœli, Angeli, &c. quædam verò ex vi ipsius creatæ naturæ deficere possunt; quamuis non ad nihilum redigi; sic autem se habent omnia composita sublunaria, puta, elementa, plantæ, animalia, & cætera denique mista;

sta; diximus tamen omnia composita; vt quædam simplicia (animam videlicet rationalem, & materiam, quæ naturaliter incorruptibiles sunt) excludamus. Quibus positis, quæstioni per conclusionem satisfaciamus.

Conclusio.

VNus est primus Motor, vel Deus, nec plures esse possunt, probatur. Quoniam omnes causæ secundæ, vel finitæ, ex se sunt defectibiles, quare ab aliqua indeficiente necessariò dependent; hæc autem solum vna esse potest: aliter non saluaretur ordo, & dependentia essentialis; plures namque, plures ordines constituunt. Mundus vero hic singularem, & præstantissimum ordinem includit, vt videbimus in libris de cœlo. Amplius. Si plures essent, vel essent æquè potentes, vel non. Si æquè potentes, possent se mutuò in actionibus impedire, & sic neuter esset Deus; quoniam potentia eius cum sit infinita (vt dicetur) ab impedimento cohiberi non potest; si autem æqualiter potentes non essent: minus potens alterius potentiæ subijceretur, & sic Deus non esset: quoniam nihil est maius ipso nullique subiectum existit. Adde quod Aristot. in hoc 8. physic. in secundo, & duodecimo Metaphys. atque alibi sæpè id disertissimis verbis, ac rationibus comprobat.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, quòd si motor sit totalis, sufficientissima, & prima causa motus, reliqui sunt inutiles, vel posteriores, & veluti instrumenta primi; quare, vel nullatenus requiruntur, vel à primo dependent, & sic vnus est primus, mouentes autem nauim non sic se habent.

Ad secundum respondetur, id esse impossibile, vt in conclusione probatum est; dicitur quoque minorem esse falsam, quia cum primus motor sit infinitæ virtutis, omnia continet, quare quamuis decies mille, vel innumerabiles alij essent: adhuc maiorem perfectionem non adderent, nisi fortè extensiuè, & impropriè, sicut res omnes vniuersi non dicunt simul cum Deo maiorem perfectionem, quia omnes simul, sigillatim, & seorsim in ipso eminentissimè continentur.

Ad tertium dicitur, omnes causas secundas à prima sic in esse, & conseruari dependere, vt sine ipsa in nihilum redigerentur, quamobrem omnes sub vna continentur, vt rationem essentialis ordinis decet.

QVÆSTIO VIII.

Amplius autem, & in generatione, & corruptione etiam penitus absurdum esse videbitur, si factum confestim necesse est corrumpi. Tex. 63.

An aliquod genitum statim corrumpi possit.

ARguitur primò quod sic; nam instantia, vel nunc, atque mutata esse in motu simul fiunt, & corrumpuntur, vt de se notum est, ergo.

Secundò. Quamplurima in instanti generantur, vt omnes concedunt; ergo in eodem instanti corrumpi possunt; consequentia est euidens; quia non maior virtus agentis ad generandum, quam ad corrumpendum requiritur.

Pro intelligentia sciendum est, quod triplicia sunt rerum genera, vt ad propositum spectat, scilicet permanentium, successiuarum, & instantanearum; res primi generis omnes partes simul habent, & semper; vt patet de homine, equo omnibusque substantijs, & quamplurimis accidentibus. Secundi vero nequaquam, imò vni altera succedit, vt de tempore, & motu, notum est. At res tertij generis diuersam rationem ab vtrisque prædictis sortiuntur, neque enim simul, nec successiuè diuersas partes requirunt. Obseruandum est etiam; quod quatuor instantia circa initium, & desitionem cuiusque rei imaginari possumus; & dicimus notanter imaginari, quia non opus est vt semper sint vera instantia, vel indiuisibilia temporis, sed secundum nostrum modum intelligendi. Primum igitur est dum res incipit, & vocatur primum instans esse rei. Secundum dum desinit, & dicitur vltimum instans esse rei. Tertium est respectu præcedentis durationis, & vocatur primum instans non esse rei. Quartum denique est respectu subsequentis durationis, & vocatur vltimum instans non esse rei. Exemplum primi; statim quod homo genitus est dicitur esse in suo primo instanti. Exemplum secundi, dum spirat, vel moritur, dicitur vltimum esse ipsius. Exemplum tertij; quando est immediatè corruptus; tunc namque dicitur, & est vltimum instans non esse ipsius, quia tunc primo dimittit esse. Exemplum quarti, quando est immediatè generandus, sed nondum genitus est; tunc etenim verum est dicere non esse, sed immediatè futurum fore, & sic habet primum instans sui non esse; at si dicatur post mortem semper habet non esse, sicut etiam ante, ergo ex vtraque parte assignanda sunt, alia instantia non essendi, puta antequam nascatur primum, post mortem vltimum, &c. Respondetur; quod quia infinita præcesserunt, ideo aliquod non est assignabile, similiter infinita sequentur, ideo vltimum non est dabile. Animaduertendum est denique, quod duo prima instantia assignantur rebus permanentibus, de ipsis namque possumus verè enunciare dum genitæ sunt, quod primo sunt, pariter dum desinunt, quod vltimò sunt. In successiuis verò, & instantaneis alijs duobus tantum vtimur, nam de tempore non possumus dicere nunc primò est, quia infinitæ sunt partes eius, vnde videretur veluti quid permanens; quamobrem de tempore futuro dicimus, nunc non est, sed immediatè erit, & hoc pacto explicatur inceptio; de præterito verò dicimus, nunc non est, sed immediatè ante hoc fuit; eodem quoque modo, alia tamen ratione de instantaneis dicatur. Quibus declaratis tres conclusiones ponamus. Quatuor instantia inceptionis & desitionis rerum.

Conclusiones.

PRima. Res successiuæ non possunt durare solum per instans; hæc conclusio de se patet; nam successiuum, & instans opponuntur sicut diuisibile, & indiuisibile, quare sicut impossibile est diuisibile esse indiuisibile, ita successiuum esse instantaneum.

Secunda. Res instantaneæ solum per instans durant, vt ex vi vocabuli notum est; quare simul fiunt, & corrumpuntur.

Tertia. Res permanentes non durant solum per instans, probatur, quia natura nihil efficit frustra, sed ad aliquem finem; finis autem naturalis à rebus naturalibus per motum solum acquiritur; hic autem non est in instanti, ergo de primo ad vltimum neque res ipsæ sic durant. At si quis dicat; idem argumentum fieri posset, de rebus instantaneis; negatur: ipsæ etenim non sunt sicut aliæ ad aliquod per motum acquirendum ordinatæ, imò sunt viæ, & medium acquisitionis: & quo ad hoc idem de motibus successiuis dici posset. Est tamen dubitatio. An per diuinam potentiam fieri posset, vt simul generarentur, & corrumperentur. Respondetur; id nobis esse incognitum; multa namque credimus implicare contradictionem, quæ non implicant; si autem defenderemus, idem non posse simul esse, & non esse, quia est vera

vera contradictio, negatiuè respondendum est, sed quid de instanti? nonne simul est, & non est? Respondetur, negatiuè, sed fit, & desinit.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur, Aristotelem non de instantibus, sed de alijs rebus, quæ per motum acquiruntur, loqui.

Ad secundum negatur consequentia, quia est implicatio ex parte rei, vel dicatur, Aristot. loqui de facto, non autem de possibili.

QVÆSTIO IX.

Quod autem id quod fertur recto, & finito, non feratur continuè, manifestum est reflectitur enim. Tex. 64.

An Mobile quiescat in termino reflexionis.

DIfficilis est proculdubio quæstio hæc, ita vt multi Aristotelis doctrina (veluti erronea, & Philosopho vt dicunt indigna) dimissa per aliam quandam in veritate erroneam incesserunt. Nos autem, & veritatem, & efficacissimas eiusdem Philosophi rationes respicientes, ab ipso desciscere minimè intendimus. Tria igitur validissima argumenta difficultatem efficiunt; quæ in medium adducentur, & pro viribus soluere conabimur. Est igitur primum hoc. Si Mobile in termino reflexionis quiesceret, aliquid moueretur violenter, & à nullo motore; vel locus expelleret res à se ipso per violentum motum, quorum vtrumque est falsum, absurdum, & paradoxicum; probatur prima consequentia. Tempore quietis cessat omnis virtus actualiter motiua, vt ex se euidens est, quies namque est priuatio, vel cessatio à motu; projiciatur, itaque pila deorsum si dum reflectitur quiescit in illo termino, iam amisit actualem virtutem à projiciente impressam ex suppositis, à quo ergo sursum violenter mouetur? profecto, vel à nullo motore, & sic patet prima consequentia, vel à terra ipsa, & sic est nota secunda.

1. Arg.

Secundū. Secundum argumentum. Projiciatur sursum granum milij quod maximæ descendenti molæ, vel lapide occurrat, profecto deorsum reflectetur; si itaque in termino reflexionis quiescat; lapis ipse quoque descendendo quiesceret, nam granum prædictum, quiescit ex occursu, & contactu lapidis, vnde simul quiescere debent, nec possibile est imaginari, quod lapis descendat, & granum impellat, quod simul granum ipsum non descendat; vel quod grano quiescente, lapis impellens moueatur; eo modo, quod impossibile est, vt aliquid trahat aliud, & non simul moueatur, & quiescat; dicere autem, lapidem sursum à grano milij detineri est ridiculum.

Tertium. In indiuisibili nihil potest moueri nec quiescere, quoniam motus, tempus, & spatium, vel magnitudo mutuo se commensurant, vt notum est ex 6. Phys. per totum; ergo aliquid quiescere in termino, vel puncto est impossibile.

Pro intelligentia sciendum est, duplicem esse quietem; altera est quæ successiuo motui opponitur, & à tempore per accidens mensurari dicitur, sic videlicet, quòd per aliquod tempus duret, alia est quæ opponitur motui instantaneo, & hæc non tempore, sed instanti, vel nunc per accidens mensuratur; nec dicatur hoc esse inuentionem, vel commentum; quoniam vnicuique habitui propria priuatio respondet; si itaq; datur instantaneus motus, cur auferenda est quies instantanea? hæc itaque quies nullam temporis moram admittit, sed tantum diuersos motus simul copulat; quæ est doctrina Aristot. in 5. Physic. tex. 40. habet enim hæc verba. Contigui igitur motus erunt, & qui neque idem specie, neque genere, postquam enim cucurrit aliquis, statim febricitare potest, & veluti lampas ex successione latio est contigua, continua autem non, ponitur enim continuum, quorum vltima sunt vnum, quare contigui, & consequenter sunt, quia tempus continuum est; patet ergo, quod cum continuitate temporis, absq; vlla quiete successiua possunt esse motus contigui, diuersi, atque contrarij. Sed si dicatur; hoc modo etiam in qualibet parte motus, assignabilis esset quies sicut in vnaquaque est instans terminans, sine successione, vt in prædictis dictum est. Respondetur, hoc non valere, quia est omnimoda continuatio, tàm ex parte motus, quàm ex parte temporis, & omnium aliorum, cuius oppositum accidit in motibus contrariis. Vnum tamen est obseruandum, quòd quies hæc instantanea non traditur expresse ab Arist. sed ex eiusdem doctrina elicitur; atq; immutabilitas ad differentiam verè quietis nuncupari posset; quę videtur doctrina ipsiusmet Philosophi in 5. Phys. tex. 55. ibi enim ait, quietem non contrariari generationi, & corruptioni, quæ non sunt motus, sed mutationes; sed eis contrariari immutabilitatem, quare qui generationem, & corruptionem mutationes instantaneas esse asserunt, vt optimam hanc doctrinam accipient; qui verò oppositum sentiunt etiam nobiscum, solum de nouitate, vel applicatione nominis nos arguent, sed si rationibus credent, desistent. Nunc conclusionem ponamus.

Conclusio.

MObile quod motu recto mouetur si reflectitur necessariò quiescit in termino reflexionis. Probatur, quia impossibile est vt idem oppositis simul motibus moueri possit, imò sequerentur contradictoria, vt si quod mouetur sursum, dum reflectitur non quiescit; moueretur sursum, & deorsum, seu sursum, & non sursum. Amplius idem non potest esse contrarium sibi ipsi, sed motus sursum, & deorsum sunt contrarij, ergo non sunt idem; ergo habent diuersos terminos, si quidem per ipsos terminos, distinguuntur; si vero non esset aliqua quies vnus vtriusque terminus esset, & sic essent idem. Denique, quæ cessare se faciunt, vel se impediunt, non sunt vnum, & idem. Sed motus reflexi sic se habent, ergo sunt diuersi, & per consequens diuersos terminos habent. In quibusdam verò continuari possunt; puta in circularibus, quia vnus, & idem simplex conseruatur motus, vt diffusè visum est in expositione textuum.

Ad Argumenta.

AD primum negatur prima consequentia; ad probationem respondetur, ipsa reflexa moueri à projiciente principaliter, à virtute vero, vel impetu sibi impresso instrumentaliter; dum autem dicitur, quod cessat per quietem, hoc non est verum de quiete ista instantanea, quia non habet virtutem auferendi vim motiuam, sed disterminare, vel distinguere solum inter diuersa.

Ad secundum eodem modo respondetur; nimirum, quod quies est ex parte milij reflexi, cum continuitate temporis, ex parte vero lapidis nequaquam, quia in lapide idem motus, & tempus continuatur, sed in grano milij idem est tempus cum diuersitate motuum, ques namque hæc (vt diximus) instantanea est.

Ad tertium dupliciter responderi potest. Primò quod quies hæc instantanea potest fieri in termino. Secundò, quod dum dicimus in termino fieri quietem, intelligimus terminatiuè, sic videlicet, quod dum ad talem termi-

terminum peruenit, vel extremum mobilis huic termino commensuratur, per ipsum terminum cognoscitur, & terminatur quies.

QVÆSTIO X.

Necesse est autem, aut in medio, aut in circulo esse. Tex. 84.

An primus Motor sit in circumferentia cœli, aut alibi, uel ubique.

Primum Arg. Videtur namq; primò, quod solum in circumferentia resideat, nam(præter expressam Arist. sententiam in præcitato textu) ibi residere debet, vbi maximè eius virtus motiua viget, hæc autem apparet in circumferentia si quidem velocissimus illic est motus, ergo; quæ quidem ratio est ab eodem textu desumpta.

Secundum. Quòd autem non sit vbique probatur; nam quod habet determinata essentiam, etiam determinatum locum sibi præscribit, siue occupatiuè, siue definitiuè tantum, nihil interest. Primus autem Motor determinatam essentiam habet; si quidem sic est hoc, quod nõ aliud, ergo.

Tertium. Amplius. Si Deus esset vbique, etiam in inferno, in hominibus malis, ac Dæmonibus esset, quod aures quidem abhorrent.

Præsens quæstio apud Theologos nullam habet difficultatem, concorditer namque ipsum vbique per essentiam, per potentiam, & per præsentiam esse asserunt; per essentiam quidem, quia cum ipsa sit infinita (vt etiam philosophicè videbimus) nullis terminis, vel locis circumscribi, vel definiri potest. Præterea; vbi operatur ibi est; nam operatio ab essentia ipsius non distinguitur, sed operatur vbique, dando, & conseruando esse, ergo: per potentiam, quia omnia potest, omnia conseruat, vt tetigimus; per præsentiam, quatenus omnia immediatè, & per se cognoscat; præsentia namque dicitur in ordine ad cognitionem; his ergo tribus modis Deum propriè, & vbique esse asserunt, sed per attributionem diuersis in locis ipsum constituunt; dicunt namque, esse in extrema Empyrei Cœli circumferentia, vt glorificatorem; in primo mobili, vt Motorem: in Inferno, vt Iudicem, in animabus iustis, & in sacramentis per gratiam, &c. Dubitatio tamen est, quid circa hoc Arist. senserit, vel philosophicè dici possit. Problematicus profectò videtur Philosophus, si quidem diuersis in locis, diuersa quoq; pronunciauerit; primo etenim libro de partibus animalium cap. 5. Heraclitum asserentem Deum in casula quadam etiam furnaria adesse, commendat, quasi non solum in Cœlo, sed vbi minus videtur, in locis, scilicet humilibus esse, fateretur. Pariter in libello de Mundo ait, vim Dei esse, vt eius munus in toto Mundo collocetur, & profectò cum esse infinitæ virtutis in hoc octauo asserat, consequens est, vt vi illationis etiam vbique esse confiteretur. Ex alia parte non desunt loca, in quibus ipsum non vbique: sed alicubi tantum esse affirmare videtur; vt in hoc libro tex. 84. in primo de cœlo tex. 100. & alibi, quapropter diuersi Philosophi in diuersas abierunt opiniones, Auerroes namque, & sequaces, Aristot. Deum vbique non esse sentiisse, constanter affirmant. Alexander

Conclusio. vero, Simplicius, Themistius, Iamblicus, & alij oppositum sentiunt; quæ sententia cum sit rationabilior, & maximi Philosophi digna, eam Aristoteli tribuendam esse censeo, & dum oppositum dicere videtur, dicatur, quod appropriatè loquitur, nempè alibi esse, vt motorem, puta in circumferentia cœli; alibi alio modo vt diximus. Vtrum autem reperiatur extra Cœlum, determinabitur in primo de cœlo, circa textum 100. nunc argumenta soluamus.

Ad primum negatur antecedens: valeret namque si virtus ipsius esset diminuibilis, vel per maiorem, aut minorem distantiam fortior euaderet: quod quidem de Dei virtute dicere non possumus, nam est vbique, & secundum rerum diuersarum exigentiam operatur. Solutiones Argum.

Ad secundum respondetur, quod habet determinatam, hoc est finitam essentiam, etiam alicubi determinatè esse; quod verò habet essentiam determinatam, hoc est ab alijs distinctam, sed cum hoc etiam infinitam, non oportet, vt alicubi determinatè tantum existat, & sic est Deus.

Ad tertium dicitur, nullum esse absurdum, quod in Inferno, & in rebus malis reperiatur, non quatenus malæ sunt, sed prout sunt entia naturalia, & positiua, quæ cõseruatione indigent. Notandum est tamen, quod licet sit, vbique non tamen intelligendum est, neque quod locum repleat, neque quòd vna pars sit in vno, alia verò in alijs locis, vtrumque etenim est solum corporum, sed ipse incorporeus, & impartibilis est; vnde esse ipsius vbiq; est esse immensiuè, seu sine aliqua limitatione, circumscriptione, vel repletione.

QVÆSTIO XI.

Circa prædictum tex. 84. quæritur. An primus Motor moueat primum mobile mediatè, vel immediatè.

Titulus quæstionis est. An ipse Deus per se effectiuè moueat Cœlum pellendo, & trahendo ipsum quod est immediatè mouere; an id alicui Intelligentiæ, vel Angelo commiserit, quod est mouere mediatè, quatenus videlicet ab alio efficitur, sed gratia ipsius. Quod igitur immediatè moueat defenditur à Zimara, à Gregorio Ariminens. à Francisco Piccolomineo, & alijs, 1. Arg. quorum præcipua argumenta sunt ista. Primum. Nisi immediatè moueret, per motum non possemus deuenire in cognitionem ipsius Motoris, hoc autem est falsum, nam in hoc octauo sic inuestigatur; cõsequentia est euidens; nam demonstratio, quia si est bona, debet ab immediato effectu immediatam causam ostendere.

Secundum. Secundum. Nisi immediatè moueret frustra diceretur Motor; frustraque esset in natura, si quidem res omnes naturales per motum complentur, vel dicendum esset; quod per creationem, vel sine motu omnia operaretur.

Tertium. In duodecimo Metaphys. Arist. colligit numerum Intelligentiarum ex numero orbium motorum, Tertium. quod esse non posset, nisi omnes Intelligentiæ immediatè mouerent. Oppositum tamen defendit Scotus in 1. Rationes Scoti. sent. dist. 8. q. 5. cuius præcipuè rationes sunt istæ. Prima. Primus motor est infinitæ virtutis, & necessariò secundum Philosophum (ad mentem cuius tunc Scotus loquitur) agit; ergo moueret in non tẽpore, siue in instanti; Prima. nã maior virtus mouet in minori tempore, & adhuc maior in minori, ergo infinita mouebit in non tempore. Secunda. In 12. Met. 37. habetur. Primum Motorẽ mouere vt amatum, & desideratum, sed mouere hoc modo est Secunda. mouere in ratione finis; quemadmodũ dicimus moueor ad faciendum hoc à sanitate, quæ nimirum est causa finalis operationis, atque amata, & desiderata. Tertia. Primus Motor est penitus immobilis, sed magis videbitur Tertia. talis si solum in ratione finis moueat, nam immediatè mouere est aliquo modo pellere, quod fieri non posse videtur sine aliquo motu mouentis, ex 7. Physic. tex. 10. Adde, quod nobilius sit præcipere, quam per se immediatè efficere. Quæstio hæc pro vtraq; parte probabilis apparet,

apparet, nec magis hinc quam illinc rationes cogere videntur, nec magis istæ quam illæ, Aristoteli aduersantur, vel obsequuntur; ideo vtrasque soluere intendo; nec ideo à Doctrina subtilissimi Doctoris recedo; quia dum eam probabilem admitto, ipsam non reijcio; præterquam quod cum obsequio libertatem, & veritatem præ cunctis, vt mihi cognitam venerari intendo. Antequam igitur ad solutiones accedamus, sciendum est, nullam esse implicantiam, aliquid simul mouere posse in ratione efficientis, & finis, vt patet dum Medicus sibi ipsi medetur; hic namq; effectiuè, & etiam propter se ipsum agit. Similiter fini tribuitur ratio motionis, vt de se notum est, sit igitur conclusio. Deus potest mediatè, & immediatè Cœlum mouere. Probatur, nam cum sit omnipotens, hanc mouendi virtutem alijs communicare potest, & tunc mediatè mouebit; pariter ex vi sua quicquid vult, exequi potest, aliter non esset infinitæ virtutis, sed alterius indigens; & sic immediatè mouebit. Ad Argumenta itaque primæ opinionis. Ad primum negatur consequentia; nam per motum deuenimus ad vnum, à quo principaliter motus, & mobile dependent, siue immediatè, siue non, nihil interest.

Conclusio.

Soluuntur argumenta primæ opinionis.

Ad secundum negantur omnes illæ consequentiæ; quia ad hoc vt Motor dicatur, vel non sit frustra in natura, nec omnia creet; sat est vt alijs hoc præcipiat, & ab ipso omnia absque immediato motu dependeant.

Ad tertium dicitur, quòd ibi colligitur numerus Intelligentiarum secundarum; & immediatè mouentium, supponendo primum Motorem, vt omnium primum, & eminentissimum. Nunc alia quoque soluamus. Ad primum. Respondetur, quòd argumentum valeret si Deus ageret necessitate naturæ; sed agit solum necessitate immutabilitatis, & voluntariè, ideo etsi vi infinita polleat, tempore aliquo determinato mouebit. Ad secundum patet, ratio namque finis potest cum ratione efficientis existere. Ad tertium dicitur, quòd hoc valet in mouentibus corporeis. Ad additionem respondetur, nobilius esse præcipere quam exequi res viles, non autem nobilissimas, sicut sunt, quæ bonum vniuersi concernunt.

Soluuntur rationes Scoti.

QVÆSTIO XII.

De ijs autem quæ feruntur, bene se habet dubitare. Tex. 82.

Quæritur à quo moueantur proiecta.

Primum Argum.

SI secundum primum intuitũ id quod hic, & in 4. phys. textu 68. Arist. asserit consideretur, proiecta ipsa non nisi ab aere, vel alio medio moueri fatebimur; in prædicto etenim 4. Physicorum libro; reprehendens eos qui vacuum in natura ponebant, inter præcipuas rationes hanc assignat; nempe, quod proiecta mouentur, vel propter Antiparistasim, vel quia aer pulsus pellit, idem de pulsione aeris in hoc libro tex. præcitato (antiparistasim remouendo) confirmat, quare intentio eius proposita, videtur certissima, quæ etiam tali ratione corroborari potest. Mouens debet esse simul cum eo quod mouetur ex 7. Physic. tex. 10. & inde, sed dum mouentur proiecta, nullum aliud mouens videtur esse simul cum eis, nisi aer, vel aliud medium, puta aqua, vel ignis &c. ergo medium videtur mouens, & nullum aliud, loquendo præcipuè de motore immediato, de quo propriè intendimus.

Secundum.

Quæstio tamen hæc facili soluetur negotio, si quæ passim de motorum diuersitate diximus ad memoriam reuocentur, maximè vero, quod alter sit motor principalis, alter instrumentarius, & inter instrumentarios, alter magis, alter minus ad ipsum motum complendum conferant. In motu itaq; proiectorum, seu eorũ quæ violenter, aut ab extrinseco mouentur, ipsũ proijciens est principalis motor, nam ab ipso incipit, ab ipsoq; motus depẽdet; Instrumentalis autem est qualitas, vel impetus in re proiecta impressus; sua namq; actiuitate, & virtute qualitatem quandam immanentem in re mobili secundum ipsius mobilis capacitatem producit, & hac de causa velocius, vel tardius ipsa proiecta agitantur; si etenim sint parua, vel leuia, parum ob ipsorum tenuitatem sunt apta suscipere impetu, vnde velocius mouetur etiam sursum lapis, quam palea. Si vero sint magna, vel nimis grauia, difficiliter quoque mouentur, non ob capacitatem mobilium, sed ex defectu, vel debilitate proijcientis, quia videlicet passiuitatem ipsorum superare non faciliter potest; omnis autem actio, fit secundum excessum agentis ad patiens; quamobrem si fortissimum esset grauissima, vel pergrandia hec, non tardius quam minora cierentur; ideo maximus ad motorum virtutes respectus habendus est, non enim eadem, vel æqualis est virtus motiua pueri, & viri. Sit ergo quæstionis resolutio. Proiecta ipsa principaliter monẽtur à proijciente; secundariò verò ab impetu impresso; aer autem, vel medium, vel nullo modo mouet, vel est quasi secundarium instrumentum receptiuum impetus à proijciente impressum. Prima pars patet ex dictis; secunda vero notissima videtur ex Arist. in 4. Phys. tex. 71. vbi ait tarditatem, & velocitatẽ motus prouenire ex diuersa resistentia, vel densitate, aut raritate medij; sic nimirum, quod vbi medium est densius ibi motus est tardior, eo quod medium scindi non potest; vbi rarius, ibi velocior, quia facilius diuiditur; quare medium ipsum ad motum simpliciter non videtur conferre, sed solum ad diuersam velocitatem, & tarditatẽ, secundum quam considerationem secundariò adiuuat, vnde patet tertia pars propositæ propositionis. Pro vberiori tamen intelligentia duo adhuc annotabimus; primum, quod hęc proiecta in principio tardius mouentur, in medio velocius, & circa finem etiam tardius; ratio est, quia in principio nondum bene impetus impressus est, si quidem credibile est, qualitatem hanc (vt ferè omnes alias) successiuè, vel paulatim produci; circa finem est deficientia; vnde ex cõsequenti maxima in medio vigebit virtus. Aliud notandum, quod quandoq; motus proiectorũ est etiam naturalis, seu (potius) ipsi naturali superadditus; vt dum quis lapidem deorsum proijcit; & tunc motus iste in principio est minus velox, deinde semper velocior euadit, sicut quilibet motus naturalis velocior est circa finẽ, quam circa principium; quod fortè non aliunde prouenit; nisi quod natura in suis operationibus infatigabilis, motu, vel actuali virtute, alteri incrementũ tribuit. Nũc argumenta soluamus. Ad primum dicitur, Aristotelem vtrobique, vel de mouente secundario modo præexposito, vel secundum Antiquorum suppositionem loqui, quia etenim ipsi credebant, medium ferre proiecta, ideo contra hoc suppositum procedit maximè in 4. Physic. quod institutum repetendo hic eodem pacto prosequitur, neque hæc est fuga, vt accuratè literam intuenti patere poterit. Ad secundum dicitur, immediatum motorem esse impetum ipsum, & satis est.

QVÆSTIO XIII.

Determinatis autem his, manifestum est, quòd impossibile est, primum mouens, & immobile habere aliquam magnitudinem. Tex. 86.

An primus Motor sit omnis magnitudinis expers.

ARguitur primò quod non. In supremo, & perfectissimo ente omnis perfectio reperiri debet; Sed ma-

magnitudo est quædam perfectio, cum sit ens, ergo.

Secundò. Quàm plurima ad magnitudinem attinentia, tum ex sacris, tum ex prophanis literis Deo tribuuntur; dicimus namque dexteram eius excelsam, oculos eius ad nos, & innumera huiusmodi, præterquam quod, magnus, & maximus simpliciter, & secundum veritatem dicitur.

Pro intelligentia sit primo notandum, quòd cũ Deus, vel primus Motor sit perfectissimus, ab ipso remouere debemus quæcunq; aliquam imperfectionem continent: vt autem hæc cognoscantur; sit secundo notandum, quod eorum, quæ sunt, quædam includunt imperfectionem in primo modo per se, quo pacto se habent cæcitas, surditas, mors, omnesq; aliæ priuationes; entia verò positiua nulla sic se habere possunt; sufficit namq; quod sint entia positiua, vt ab omnimoda imperfectione recedant; quędam verò includunt imperfectionem in secundo modo, & hæc sunt omnes creaturæ subcælestes, vel (melius) omnia, quæ formaliter in Deo non reperiuntur, vt omnes Angeli, omnes homines, cælestia corpora, elementa, &c. quatenus etenim à summa, & infinita diuina perfectione recedunt, imperfectionem, vel carentiam aliquam admittunt. Alia sunt in se quidem entia perfecta simpliciter, sed per accidens, vel per vnionem cum alijs imperfectionem admittunt; hæc autem sunt entitas, bonitas, sapientia, scientia, intellectus, voluntas, & denique omnia, quę in Deo reperiuntur, sed aliquibus creaturis etiam competere possunt, prædicta namq; omnia, & Angelis, & hominibus conueniunt, quæ quidem dicũtur perfectiones simplices. Est autẽ perfectio simplex, quæ in quocunq; melior est, quam suum incompossibile; v. g. comparetur humanitas ad quodcunque incompossibile, si erit melior omnibus erit perfectio simplex, sin autem, minimè; vt est incompossibilis cum Asino, atque est melior ipso; est incompossibilis cum Angelo, non tamen est melior ipso, quare non erit simplex perfectio. Si autem faciamus comparationem cum sapientia, & alijs, eam simplicem perfectionem videbimus esse; comparetur namque cum quocunq; incompossibili, semper erit melior; vt est melior cane, omnibusque brutis, & rebus inanimatis cum quibus est incompossibilis, non tamen est melior homine, vel Angelo, cum quibus esse potest. Sed hic insurgit obiectio, quia substantia est melior accidenti, prædicta vero omnia sunt substantiæ, sapientia est accidens, ergo. Respondetur, fundamentaliter, & ratione entitatis, vel subsistentiæ substantiam esse accidentibus meliorem, sed ratione secundarię perfectionis, & ad finem optimum ordinatæ non est verum; melior namque est esse sapiens, quam canem, vel si possibile esset caninam naturam recipere, adhuc melius esset recipere sapientiam. Hę itaque sunt simplices perfectiones; quę dum entibus finitis inhęrent, accidentaliter sunt imperfectę, quatenus scilicet compositionem aliquam per accidens efficiunt; omne namq; componens ad modum partis est aliquomodo imperfectum, prout videlicet à ratione totius deficit. In Deo autem, quia nullam compositionem faciunt, simplicem immistamq; retinent perfectionem. Sunt deniq; alię res quidditatiuè, vel essentialiter perfectę, vt Deus ipse, si secũdũ essẽtiam, & essentialia sumatur; quoniã notionalia non dicunt perfectionẽ, nec imperfectionem, aliter (secũdum Theologos) aliqua perfectio esset in Patre, & nõ in Filio, vel Verbo, & è contra; quare respectu notionalium, ipsæ simplices perfectiones Deo non cõueniunt. Sunt autem notionalia proprietates, aut relationes quędam personarum, quę sic dicuntur, quia nobis diuinas personas notificãt, & sunt quinque; videlicet innascibilitas, quę est Patris dumtaxat, generatio actiua, quę est etiam solius Patris, generatio passiua, quæ est solius Filij, spiratio actiua, quę est communis Patri, & Filio, & spiratio passiua, quę est solius Spiritus sancti. Essentialia vero dicuntur, quę indifferenter omnibus tribus personis, vel diuinę essentię competunt; vt potentia, sapientia, bonitas, spiritus &c. quorum aliqua vocantur attributa, prout, vel ex creaturis cognitis eas Deo tribuimus, etsi principaliter, & nobiliori modo in ipso existant; vel prout secundum diuersos respectus, aut aliquos errores tollendos diuersis tribuuntur personis; potentia namque tribuitur Patri, ne credatur instar senium impotens; sapiẽtia Filio ne veluti iuuenis cogitetur insipiens; bonitas deniq; tribuitur Spiritui Sancto, ne credamus esse spiritum nequam, etsi omnes tres personæ sint æqualiter potentes, sapientes, & bonæ, vnica nimirum potentia, sapientia, & bonitate, sicut vna atque indiuidua essentia consistunt. Hæc autem incidentaliter, & vt varijs interdum oblectamentis, adolescentium mentes excitemus sint dicta; fusius autem prosequi Theologiæ est munus; ad conclusionem itaque accedamus.

Entia quot modis perfecta vel imperfecta.

Perfectio simplex quod.

Notionalia in diuinis.

Conclusio.

DEus nullam habet nec habere potest corporeã magnitudinem. Probatur, nam hæc dicit materialitatem, compositionem partium, & potentialitatem, quæ omnia imperfectionem connotant, Deus autem perfectissimus est. Sed est instantia; nam magis est imperfecta quantitas discreta, quam continua, si quidem ex ipsa continua causatur; & tamen discreta, puta numerus ternarius in ipso Deo secundum Theologos ponitur; ergo & alia quantitas poni debet. Respondetur; illum esse numerum transcendentalem, nõ autem de genere quãtitatis, vnde imperfectionem non dicit; imò secundum modum, etiam quantitatem (supple virtutis) ipsi Deo assignamus.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur in supremo ente reperiri formaliter, vel actualiter omnes perfectiones simplices; alias vero eminenter, vel nobiliori modo.

Ad secundum dicitur, per locutiones illas diuersos effectus, vel opera ipsius Dei, eo modo quo possumus, circumscribere intendimus; excelsa namque Dei balbutiendo resonamus. Magnus autem dicitur secundum magnitudinem virtutis.

QVÆSTIO XIV.

Quod igitur infinitam non contingat magnitudinem esse &c. Tex. 86.

An primus Motor sit infiniti vigoris.

NVllam secundum fidei, & fortè apud omnes nunc receptam veritatem quæstio hæc dubitationem habet; sed solum si secundum Aristotelis doctrinam hoc admittendum sit discutitur; sunt etenim quidam, qui ipsum ab hac sententia alienissimum fuisse putant; atque solum infinitatem durationis ex eiusdem Philosophi doctrina sibi tribuendam esse censent; quorum præcipua argumenta sunt hæc. Primum. Si primus motor esset virtutis infinitæ moueret in non tempore, seu in instanti, eo quod necessariò agat; hoc autem est falsum. & contra experientiam, ergo; consequentia maioris propositionis est euidens; quia maior virtus mouet in minori tempore; ergo infinita in instanti. 1. Arg.

Secundum. Si Motor primus esset virtutis infinitæ, ideo esset, quia infinito tẽpore mouet, vt deducit Arist. in textu, sed ad hoc sufficit infinitas durationis, vt patet Secundum.

de

de alijs Intelligentijs, quæ semper determinatos orbes mouent, nec tamen infinitæ sunt.

Tertium. Tertium. Causæ infinitæ respondet effectus infinitus: ergo si Primus motor esset infinitæ virtutis, infiniti effectus, ac Mundi darentur, vel saltem Mundus infinitus secundum quantitatem, & naturam.

Quartum. Quartum. Infinitum in actu non datur, vt patet ex 3. phys. ergo neque hoc pacto Deus est infinitus.

Quintum. Quintum. Infinita virtus à nullo defatigari potest, sed omnia sunt sibi æquè possibilia; Primus vero motor non potest omnia mouere, ergo; probatur minor ex sententia eiusdem Philosophi in 2. de cœlo, tex. 70. ait namque ibi, ideo inferiores orbes vnum astrum habere; quia feruntur à primo mobili, quamobrem si plura astra haberent, excederetur potentia ipsius mobilis primi, quæ finita est, vt suppletur in tex. 71. hæc autem finitas mouendi, est à motore, nam à quo prouenit motus, ab eodem euenit, finitas, atque infinitas eiusdem, & sic primus motor erit finitæ virtutis. Quod etiam confirmat Auerroes in 12. Metaphys. tex. 40. ibi etenim secundum Arist. sententiam inquit, primum mobile si plura astra haberet, vel tardius moueri, vel nullomodo; quod oblimitatam virtutem mouentis prouenit.

Sextum. Denique. Aut Primus motor potest velocius mouere quam moueat, aut non: si non potest, non erit omnipotens; si potest, moueret, quia in æternis non differt esse, & posse.

Pro intelligentia sciendum est, quod duplex ad propositum potest Deo infinitas tribui, videlicet virtutis, & durationis; prima est si infinita, vel simul, vel successiuè efficere possit: simul inquam ex parte sui, quamuis ex parte rei quod ad effectum non sit possibile, quia non potest dari actualiter infinitum, & productum, & si ex parte modi, nempè ex nihilo efficere, actualitas infinitatis exerceatur, vt alibi visum est. Infinitas verò durationis est semper absque deficientia existere. Obseruandum est etiam, quod tam infinitas durationis, quàm vigoris, non sunt primæ, sed ab alio dependent, quoniam tam duratio, quam virtus supponit esse; vnde si datur infinita duratio, vel virtus, etiam essentia infinita, à qua aliæ prædictæ fluant, supponenda est. Denique notandum est; quod de infinitate durationis nulla est apud Aristot. dubitatio; nam cum posuerit Mundum æternum, expresse infinitatem durationis, non tantum primo motori, sed ipsi quoque vniuerso concessit; difficultas igitur est de infinitate vigoris; de qua resolutoriè aliqua dicamus.

Conclusio.

Deus ex sententia Arist. est infinitæ virtutis; probatur, nam in præcitato textu 86. procedit ex infinitate durationis ad infinitatem potentiæ, ait namq; quod autem finitam impossibile est habere infinitam potentiam, & quod impossibile est à finita moueri aliquid infinito tempore, demonstratum est nunc; quare ex eo quod mouet tempore infinito, concludit non esse finitæ, sed infinitæ potentiæ, & sic supponit durationem, vel motum cum tempore infinito, vt notum est, ergo si hanc durationem intenderet, maximè principium peteret. Amplius; manifestum est, quod duratio infinita conuenit etiam corporibus cælestibus, vnde frustra colligeret hanc infinitatem potentiam esse sine magnitudine, cum etiam in magnitudine reperiri posset; si ergo eam, quæ sine magnitudine est colligit, profectò alia diuersa ab ea, quæ est in magnitudine esse debet, & sic non durationis tantum. Præterea, vbi ponitur simpliciter hic terminus potentia, pro principaliori significato, puta pro virtute actiua accipi debet, nec est in vsu (si rectè obseruemus) quod pura duratio dicatur potentia; quamobrem dum infinitam potentiam simpliciter primo motori tribuit, de virtute, atq; vigore intelligendum est; aliter pari ratione, Cœlum, & Mundum infinita potentia pollere, iure passim secundum propositum dixisset, quod nunquam fecit. Item in 12. Metaph. tex. 39. habetur Deum esse sempiternum, optimum, absque aliqua indigentia, &c. vnde si esset finitæ virtutis hoc ei competere nequiret; quia omne finitum, aliquam habet priuationem saltem in ratione entitatis. Denique, omne finitum ab alio finitur, vel terminatur, nempè à quo producitur, secundum determinationem talis essentiæ, at Deus est omnium primus, vt in hoc octauo sæpè fatetur Arist. ergo à nullo limitari potest, & sic est infinitus, non solum secundum potentiam, sed etiam secundum essentiam, & secundum durationem; nam hæc ab ipsa infinita essentia procedunt; addatur quoque, quod sit infinitus secundum præsentiam, quod ex dictis quoque euidenter elicitur.

Ad Argumenta.

Ad primum negatur consequentia; ad probationem dicitur, quod non mouet necessariò nisi secundum immutabilitatem, quæ cum libertate manet.

Ad secundum dicitur rationem illam esse validam cum hac additione (quæ subintelligenda est) quod moueat à se independenter, nec sit à quo limitetur; quam intellexit Aristotel. sub ratione primitatis; cum etenim probauerit esse primum, independenter, & à se mouere implicitè dixit.

Ad tertium dicitur, ei quidem infinitos effectus successiuè respondere, quod sufficit, vel quod etiam sibi respondent in modo producendi, quia creatio (quam etiam nouit Aristot.) est solius infinitæ potentiæ opus. Infinitum autem in actu repugnat rebus creatis, ideo factibile non est.

Ad quartum dicitur, non dari infinitum in actu, in rebus quantis, & creatis, sed in Deo dari potest.

Ad quintum dicitur, quod ibi videtur velle Arist. primum Motorem non mouere immediatè, quare cum aliç immediatæ motrices Intelligentię finitę sint, consequens est, vt sint virtutis finitæ, ideo opus ipsarum vltra excessum augeri non potest; & hoc etiam modo intelligendus est Auerroes.

Ad sextum dicitur, vel quod non mouet immediatè; vel quod potest, & non vult, dum verò dicitur in æternis non differt esse, & posse, intelligitur, quod æterna semper habuerunt esse, & nunquam fuerunt in potentia; non autem, quod quæcunque possunt, efficiant.

Finis Primæ Partis.

ANTONII ROCCI
DE SCVRCVLA
MARSORVM
Doctoris, Philosophi, atque Theologi

PHILOSOPHIÆ
NATVRALIS,
PARS SECVNDA.

Quæ in quatuor Libros de Cœlo, duos de Generatione, & Corruptione,& quatuor Meteorologicorum Aristotelis Paraphrasim, vnà cum Quæstionibus ad mentem Scoti comprehendit.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.



VENETIIS. M. DC. LIV.

Apud Franciscum Baba.



ANTONII ROCCI

de Scurcula Marſorum.

IN PRIMVM LIBRVM ARISTOTELIS de Cœlo Paraphraſis.

SVMMA LIBRI I.

IN hoc Libro declaratur primò intentio, cur ſcilicet ad Phyſicum pertineat agere de Cælo. Traditur definitio corporis naturalis, ac probatur ipſum eſſe perfectum. Idemque probatur de Mundo. Demonſtratur quoque eſſe corpus ſimplex, rotundum, diuerſæ naturæ à corporibus ſimplicibus, quæ mouentur motu recto; hoc autem eſt, quod communi nomine Cælum vocamus. Declaratur etiam, quod tale corpus non ſit graue, nec leue. Quod ſit ingenerabile, incorruptibile, inalterabile, inaugmentabile, & indiminuibile, ac corpora ſimplicia eſſe quinque, videlicet quatuor elementa, & Cælum. Vniuerſum eſſe finitæ quantitatis, vnum numero tantum, & extra ipſum non eſſe vacuum, nec plenum, ac tandem impoſſibile eſſe, generabile eſſe incorruptibile, vel incorruptibile generabile, ex qua doctrina confirmatur magis, quod dictum eſt de incorruptibilitate Cæli. Diuiditur autem ab Auerroe in decem ſummas, ſeu tractatus, quam diuiſionem etiam nos ſequemur.

SVMMÆ PRIMÆ, CAPVT VNICVM.

Declaratur intentio iſtius ſcientiæ.

Tex. 1. *Cientia naturalis ferè plurima, videtur verſari circa corpora miſta, vt ſunt animalia, plantæ, &c. ac circa ſimplicia, ſicut ſunt elementa, & Cælum, (quæ magnitudines vocantur, prout magis videntur pollere mole, quam varietate accidentium, & inſtrumentorum.) Verſatur etiam circa paſſiones, & motus prædictorum corporum; adhuc autem circa principia, quæ talis naturæ, ſeu corporis naturalis ſunt: Vnde omnia iſta conſiderando, perfectiſſima, & abſolutiſſima erit, cum omnia naturalia comprehendat. Entium enim naturalium, hæc quidem ſunt corpora miſta, hæc verò ſimplicia, ſeu magnitudines, hæc autem corpus habent, & magnitudinem, ſicut ſunt præcipuè animalia; hæc verò ſunt principia eorum, quæ magnitudinem, & corpus habent, vt ſunt cauſę, alia verò ſunt paſſiones. Cùm autem Cęlum ſit corpus naturale, de ipſo quoque in naturali ſcientia agendum eſt. Notandum eſt tamen, quod dicitur ſcientia naturalis ferè plurima, &c. quia non tota verſatur circa prædicta, conſiderat namque de Vacuo, & Infinito in actu, quæ non ſunt entia naturalia, licet ad remouendos errores circa Philoſophiam incidentes ſit ipſorum ſpeculatio neceſſaria. Idem dici poteſt de multis alijs, quæ in ipſa non determinantur, vt vera, ſed ad maiorem cognitionem, & doctrinam reprobantur.*

SVMMÆ SECVNDÆ, & Tertiæ.

CAPVT VNICVM.

Definitio corporis naturalis, & ipsius, ac Mundi perfectio, explicatur.

Tex. 2.

Antequam corpus definiatur, oportet definire genus ipsius, generis enim cognitione ignorata, ignorabitur quoque species; corporis autem genus est quantitas continua, seu continuum, quod multas species comprehendit, videlicet corpus, lineam, superficiem, tempus, & motum; est igitur continuum, quod diuisibile est in semper diuisibilia. Corpus verò quod omniquaque diuisibile est, & si addatur substantia mobilis, erit definitio corporis naturalis, ita vt corpus naturale, sit substantia mobilis perfecta, quæ est omni quaque diuisibilis, scilicet per longum, latum, & profundum, aliter dicta definitio conueniret etiam corpori mathematico. Diuiditur igitur magnitudo continua permanens, in lineam, superficiem, & corpus. Magnitudinis igitur, ea quidem, quæ secundum vnam dimensionem, scilicet tantum per longum diuisibilis est, linea est; quæ autem secundum duas, nempe per longum & latum, est superficies, seu planum, quæ vero secundum tres, scilicet secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem corpus est; & præter has tres dimensiones, non est alia magnitudo; propterea, quod ipsa tria, omnes sunt dimensiones, & ipsum quod tales habet dimensiones, omniquaque diuisibile est, & sic conuertuntur, omniquaque diuisibile, & omnes dimensiones, & tres. Vnde Pythagorei aiunt, ipsum vniuersum, & omnia esse tribus determinata, scilicet principio, medio, & fine; ita vt hæc tria habeant numerum, qui dicitur omnis, & omnia numerum habeant trinitatis. Sic ergo Pythagoreorum authoritate (quomodocunque se habeat quoad veritatem) numerus ternarius est omnis, ac perfectus, & ille numerus qui dicitur omnis ante alios, ternarius est, ac cum corpus hunc numerum includat secundum dimensiones, erit proculdubio perfectum, respectu aliarum quantitatum, vel magnitudinum; ex perfectione igitur ternarij numeri à natura instructi, lege quoque ipsius naturæ, quæ omnia sine errore dirigit, hoc vtimur ad sacrificia Deorum; nempe oblatione victimæ, oratione, & incenso. Præterea ille est numerus perfectus, qui præ alijs vocatur omnis, vel omne, sed hic est numerus ternarius, (vt etiam supra tetigimus) nam assignamus appellationes, vel locutiones ad hunc modum; duo enim ambo quidem dicimus, & ambo duo, omnes autem de duobus non dicimus; sed de tribus hanc appellationem dicimus primum; hæc autem, quemadmodum dictum est, sequimur, propterea quod natura ipsa sic inducit, dictat, ac instruit.

Continuũ. Corpus. Corpus natur. Linea. Superficies. Numerus ternarius est perfectus.

Tex. 3. Omnia, totum, & perfectũ, quomodo differant.

Quapropter, quoniam omnia, totum, seu omne, ac perfectum secundum formam, vel essentiam non differunt ab inuicem, nisi secundum materiam de qua dicuntur (nam totum dicitur perfectum in quantitate continua, omnia in quantitate discreta, perfectum in omnibus alijs accidentibus, & formis) cum ergo corpus sit omne, vel totum, ac omnes tres includat dimensiones, erit similiter inter omnes alias magnitudines solum perfectum; nam (vt diximus sæpe) solum terminatum est tribus mensuris; hoc autem quod triplex dicitur est omne, ac perfectum; tripliciter namq; cum sit continuum diuisibile, scilicet in latum, longum, & profundum, ipsum est omniquaque diuisibile; aliorum autem continuorum, hoc quidem est diuisibile secundum vnum, vt linea; hoc autem secundum duo, vt superficies; vt enim numerum differentiarum quantitatis adepta sunt, sic & diuisionem, & continuitatem, nã quia linea est continua secundum longitudinem tantum, & solam hanc differentiam quantitatis habet, ideo sic solum est diuisibilis; superficies vero duas habet differentias, scilicet longitudinem, & latitudinem, ideo duabus ex partibus diuisibilis erit; similiter corpus omniquaque est diuisibile, quia omnes habet dimensiones, ideoque solum est perfectum.

Tex. 4.

Notandum est tamen, quod omnes magnitudines, quæ sunt diuisibiles in partes continuas sunt continuæ; si autem è conuerso valeat, videlicet, quod omnes continuæ sint diuisibiles, nondum manifestum est ex ijs, quæ nunc dicimus, sed hoc declarauimus in 6. Physicorum. Hoc tamen modo sit manifestum, quod perfectio solum corpori inter omnes magnitudines conuenit, quod sic (præter rationes superius adductas) declaratur. Illud est perfectum cui non potest fieri additio, seu cui non est transitus in aliud genus, quod idem est; sed ex corpore non fit additio, seu transitio in aliud genus, quemadmodum ex longitudine fit additio in latitudinem, & superficiem; ergo corpus solum est perfectum; probatur maior, exemplo, nam ex superficie ideo potest fieri additio in corpus (idest ad ipsum addi, quousque fiat corpus) quia talis magnitudo adhuc non est perfecta, omnis namque egressus à proprijs terminis cum additione extraneorum fit propterea defectionem, ergo è conuerso, cui non poterit fieri additio, erit perfectum: quod verò corpus sit huiusmodi patet, nam omnes habet dimensiones, ergo nulla sibi addi potest; cum ergo sit omniquaque diuisibile, & dimensionatum, erit similiter perfectum, ac impossibile erit, quod deficiat. Vnumquodque igitur corporum, quæ sunt in forma partis totius Vniuersi, (hoc est, quæ habẽt rationem partis totius Mundi, sicut sunt elementa, animalia &c.) secundum rationem prædictam tale est, videlicet perfectum, quia ei nulla potest fieri additio dimensionum, cùm omnes tres contineat. Vnde ratio superius adducta non concludit, Mundum esse perfectum, sed omnia corpora, nec simpliciter, sed in ordine ad alias magnitudines; est tamen ipsum vniuersum perfectum, alia & maiori perfectione à corporibus particularibus, quia omnia particularia corpora sunt ad propinquum tactum terminata, hoc est terminantur à propinquo corpore contangente, & continente ea; vt terra terminatur ab aqua, aqua ab aere, & sic de alijs: quapropter vnumquodque corporum est quodammodo multa, per contactum, et vnionem, hoc est quodlibet corpus particulare non sic est vnum solum, quin ab alijs contineatur, ac per contactum vniatur multis, siue mediatè, siue immediatè; quare non habet absolutam perfectionem; (contineri namque habet rationem partis, & potentialitatis, vnde tribuitur materiæ, quæ est imperfectissima) imò cum ex contactu terminetur, recipit additionem, etsi non alterius generis, tamen aliquomodo, quod sufficit ad hoc, quod non sit plenè perfectum. Ipsum autem Vniuersum, cuius hæc particularia corpora sunt partes, perfectum necessariò est, non tantum communi perfectione, quæ est habere tres dimensiones, sed alia peculiari, quia scilicet omnia continet, & quemadmodum nomen ipsum Vniuersi significat, omniquaque perfectum est, & à nullo contentum, & non hac quidem parte, hac autem non; claudit ergo omnia, ac omnium perfectiones,

Perfectum quid. Summa tertia de Mundi perfectione, Perfectio propria Vniuersi.

fectiones, ideò perfectissimum est. De ipsius igitur Vniuersi natura, siue infinita sit secundum magnitudinem, siue finita sit secundum totam molem, posterius considerandum est.

SVMMÆ QVARTÆ.

CAPVT VNICVM.

Demonstratur dari corpus circulare simplex, diuersum ab vnoquoque simplicium, quæ mouentur motu recto.

Tex. 5. *DE ijs autem corporibus, quæ secundum speciem, seu naturam, vel formam diuersam sunt partes ipsius Vniuersi, nunc dicamus, posito hoc principio. Omnia corpora naturalia mista, vt animalia, plantæ, &c. ac similiter simplicia, vt Cœlum, & elementa, quæ magnitudines dicuntur (ratione supra adducta) mobilia secundum locum esse dicuntur, naturam enim dicimus esse ipsis principium motus. Omnis autem motus, qui secundum locum fit, quem vocamus lationem, aut rectus, aut circularis, aut ex his mistus est; quorum solum rectus, & circularis simplices sunt; causa autem est quoniam tantum magnitudo recta, & circularis super quas fiunt sunt simplices; mista namque, vel tortuosa componitur ex recta, & circulari, ideo simplex non est. Est igitur motus circularis, qui fit circa medium, seu centrum. Rectus autem, qui sursum, & deorsum. Dico autem illum motum esse sursum, qui est à medio, hoc est qui recedit à centro mundi, & accedit ad circumferentiam, seu de terra ad Cœlum Lunæ.*

Motus rectus. Sursum.

Deorsum. *Deorsum verò, qui ad medium tendit, hoc est de circumferentia ad centrum, seu de Cœlo ad terram. (Pro iuuenibus) siue incipiat propriè à Cœlo, siue non nihil refert, imò etiam si ex superficie terræ fieret motus ad centrum eius esset quoque deorsum, & sic si ex centro ad eius superficiem, esset sursum, vnde est motus sursum, qui recedit à medio, deorsum, qui ad ipsum accedit.*

Tex. 6. *Quare necesse est, quod omnis motus simplex sit vel à medio, & erit sursum, vel ad medium, & erit deorsum,*

Circularis. *vel circa medium, & erit circularis, & videtur sequi hoc, quod scilicet tantum sint tres motus simplices, & principales, secundum rationem, quæ à principio huius Libri allata est, videlicet quod corpus est perfectum in tribus dimensionibus, & sic quoque perfectum dicatur propter tribus motibus moueri potest, licet non in se, sed in partibus, loquendo de corpore totius Vniuersi, de quo est principaliter sermo. Vnde circulariter mouetur Cœlum, & sursum, & deorsum elementa, quæ sunt partes principales eius, alia vero quæ deorsum, vel sursum mouentur, habent hoc ex prædominio elementorum, vt suo loco dicemus.*

Tex. 7. Corpora simplicia. *Quoniam autem corporum, alia sunt simplicia, alia autem ex simplicibus composita (dico autem simplicia quidem, quæcunque habent principium motus secundum propriam naturam, hoc est, non habent tale principium ab alio prædominante elemento, sed ex se) hęc autem sunt ignis, terra, & horum species, & cognata his (hoc est, & aliæ species elementorum, sicut sunt aer, & aqua, quæ sunt cognata, seu coniuncta, vel similia ijs in simplicita-*

Composita. *te, & ratione elementi; composita verò sunt, quæ ex talibus elementis constant, ac mista dicuntur, & sunt omnia alia corpora naturalia, præter Cœlum, & elementa,) necesse est, & motus alios quidem esse simplices, alios autem quodammodo mistos, idest corporum simplicium esse simplices, compositorum autem mistos, qui dicuntur misti quodammodo, quia non sunt compositi, sicut corpora, imò fiunt secundum vnum simplex elementum prædominans; corpora namq; mista mouentur ex prædominio elementi, vt terrea mouentur deorsum à prædominio terræ. Est tamen notandum, quod composita, seu mista, non componuntur ex omnibus simplicibus, nam Cœlum non ingreditur compositionem aliquorum.*

Si igitur datur motus simplex, ac etiam motus circularis est simplex, & simplicis corporis simplex est motus, & simplex motus simplicis corporis (etenim si composito quoque interdum conueniunt, vt lapidi conuenit moueri deorsum, hoc erit non ex natura compositi, sed secundum elementum prædominans, vt lapis deorsum mouetur, quia in ipso dominatur terra) necessarium est esse aliquod corpus simplex, quod secundum suam propriam naturam natum sit circulariter moueri. Tex. 8.

At si quis dicat, talem motum circularem conuenire alicui corpori naturaliter, tamen non esse proprium illius, sed alterius, hoc non est verum, nam bene contingit, quòd aliquod moueatur motu alterius & alterius corporis, tamen sic non naturaliter, sed violenter mouebitur, vnde est impossibile, quod aliquid moueatur, secundum naturam motu alterius corporis, si vnus sit motus secundum naturam vniuscuiusque simplicium corporum. Si ergo aliquod corpus circulariter mouebitur, hic motus erit ei proprius, & naturalis, vnde habebimus intentum, quod scilicet, detur simplex corpus, quod natum est circulariter moueri, ac per consequens erit diuersum ab ijs, quæ mouentur motu recto; vel dicendum erit, quòd talis motus ei violenter conueniat, quod modò probabimus esse impossibile. Tex. 9.

Pro cuius probatione supponamus duo. Primum: Motus præter naturam contrarius est ei, qui secundum naturam est, Secundum; vni est tantum vnum contrarium secundum eundem modum contrarietatis, vt declaratum est in 8. Physic. tex. 62. tunc sic arguamus. Si motus circularis, cum sit simplex, non erit secundum naturam corporis moti, necesse est præter naturam ipsius esse, nam vnius corporis simplicis est vnus tantum motus simplex secundum naturam, & è conuerso. Si igitur ignis, aut aliud elementorum sit circulariter latum, (aliquod enim corpus simplex ponere oportet, quod sic moueatur) motus eius naturalis erit contrarius huic circulari, at præter hunc habebit alium quoque contrarium, nam motus sursum ignis contrariatur motui deorsum eiusdem, et sic vni erunt plura contraria, quod falsum esse diximus. Sic namque sequitur si ponatur ipsum corpus circulare non esse naturæ diuersæ ab elementis. Tex. 10. Vni est vnū tantum cō trarium.

Si verò dicatur, hoc corpus circularis non esse aliquod elementorum, sed ab ipsis diuersum, & alterum, tamen circulariter moueri præter naturam, erit hoc quoq; impossibile; quia si talis motus circularis ei præter naturam conuenit, habebit alium motum, qui sibi conueniat naturaliter: nihil enim præter naturam dicitur, nisi supponat naturale, vt ideo lapis dicitur moueri præter naturam sursum, quia ei primò conuenit moueri naturaliter deorsum. Si verò alter motus ei conueniret naturaliter, non erit nisi motus rectus sursum, vel deorsum; vnde erit tale corpus de natura alicuius elementi, quod hoc modo mouetur, vt ignis, aut aer, aut aqua, vel terra, quod absurdum est, ratione prædicta, (pręter alios) quia videlicet eidem plures essent motus contrarij, nempe circularis, & rectus. Patet ergo, quòd ei non conuenit talis motus præter naturam Tex. 11.

turam. Vnde relinquitur, quòd sibi competat naturaliter, ac per consequens sit vnum corpus naturale ab elementis diuersum, cum vnius motus simplicis secundum naturam sit vnum corpus simplex.

Tex. 12. Amplius, primus motus debet conuenire primo corpori, sed necessarium est talem circularem lationem esse omnium primam, cum sit omnibus perfectior, & perfectum est prius natura imperfecto, ergo alicui primo corpori conuenit. Quòd verò motus circularis sit perfectior recto, probatur ex parte magnitudinis, vel spatij per quod fiunt; motus namque ex spatio mensuratur, & cognoscitur. Fit igitur motus circularis per lineam circularem, rectus per rectam: at circulus est perfecta figura, quia nullam recipit additionem, nec diminutionem, nec finem; recta verò linea nulla est perfecta; nam vel est finita, vel infinita; si infinita non est perfecta, quia perfectum dicitur, quod est completum, vnde si esset perfecta haberet terminum, atque finem, quod infinito repugnat. Si vero est finita, neque perfecta erit, quia extra omnes lineas finitas aliquid est accipiendum; quare contingit, vt augeri possit quacunque ex parte, & sic eum additionem recipere possint, perfectione carent; perfecto etenim additio fieri nequit, non sic de circulo, qui est completus, per quod opponitur infinitati, nec ei potest fieri additio, vnde differt à finito, ac omni tandem caret imperfectione; circulus ergo est prior perfectione omnibus lineis, ideo motus circularis erit prior omnibus motibus rectis. Quare si prior motus prioris sit naturæ, seu corporis mobilis, circularis autem sit prior recto, & qui super recta fit est simplicium corporum, vt ignis super rectam lineam sursum fertur, terra vero deorsum; necesse est (circularem motum) alicuius simplicium esse corporum; neque possumus dicere, quòd sit corporis misti; nam motum localem corporum mistorum dicimus esse secundum dominium corporum simplicium, ex quibus mista constituuntur: at sicut motus circularis non est compositus, sic neque mobilis.

Perfectum quid.

Perfecto non fit additio.

Tex. 13 Ex his igitur manifestum est, quòd nata est esse quędam substantia corporea, diuersa ab ijs, quæ sunt apud nos diuinior, ac prior ijs omnibus.

Tex. 14. Atque id facilius quoque aliquis probabit, si accipiat, omnem motum esse, aut secundum naturam, aut præter naturam, ac eum motum, qui alteri conuenit præter naturam, alteri secundum naturam conuenire, qualiter patiuntur motus, qui fiunt sursum, & deorsum, vt igni quia conuenit moueri deorsum præter naturam, terræ conuenit moueri secundum naturam, & quia terra sursum præter naturam mouetur, ignis sursum mouetur naturaliter. Quibus suppositis, sic discurri potest. Motus circularis conuenit præter naturam alicui, nempe elementis, vt ignis in sua sphæra mouetur circulariter præter naturam ad motum cæli, & similiter aer, maximè suprema regio, ergo hic circularis motus necesse est, quòd sit alterius cuiusdam corporis ab elementis distincti secundum naturam, & sic habebimus, quòd detur corpus ab elementis distinctum, quòd naturaliter sic in gyrum moueatur. Sed hic est magna dubitatio, nam in textu decimo dictum est, motum circularem non esse præter naturam, quia vni essent plura contraria; hic autem ponitur motus circularis, qui præter naturam conueniat elementis quibusdam, vt aeri, & igni, quare est contradictio, & abrogatio præcedentis doctrinæ. Respondetur, quòd aliquid dicitur præter naturam dupliciter: vno modo, quod alicui naturæ sic repugnet, quòd ad eius destructionem faciat, vt motus ignis deorsum: alio modo, quod non sequatur ex inclinatione naturæ, tamen non ei repugnat. Dum ergo dicitur, vnum vni contrarium esse, debet intelligi de contrarietate, quæ est inter verè violentum, & naturale, non autem secundo modo; elementa igitur, etsi circulariter moueantur, non tamen hic motus est eis propriè violentus, vnde ad differentiam violenti posset dici præter naturam, sed secundum naturam corporis nobilioris, nempe cæli, & secundum ordinem vniuersi, qui pręualet naturæ particulari; quæ igitur sic sunt præter naturam, plura possunt habere contraria, vt tangit instantia, & declaratum est in 8. Physic. Sed quæ sunt propriè, ac directè violenter opposita, vni est vnum tantum contrarium, vt motui sursum ignis contrariatur tantum motus eiusdem deorsum, loquendo secundum eundem ordinem, aliter id quoque esset falsum, nam ipsi motui sursum ignis etiam contrariatur motus deorsum terræ; sed hæc est oppositio naturalis ad naturale; illa vero naturale ad violentum, & sic sunt diuersi ordinis, vt satis declaratum est in 5. Physic. tex. 65. Cùm ergo motus propriè violentus opponatur naturali, & secundum eundem ordinem, vni sit vnum contrarium; si motus cęli esset violentus, plura essent vni contraria eodem ordine, & vera oppositione, quod est impossibile. At si quis dicat, cur sic ponitur motus violentus cęli presse captus, & non eo modo quo elementa moueri dicuntur præter naturam, & sic habent plures motus contrarios; respondetur, quod quia elementa sunt corpora inferiora superioribus subiecta, ac potius ordinata, quam ordinantia, ideo debent subijci motui corporis superioris, scilicet cęlo, quare hic motus circularis ex ordine superioris corporis non debet eis repugnare, nec per consequens esse sic violentus. Sed supremum corpus, videlicet primum mobile, cùm nulli alteri corpori subiaceat, non ordinatur ad aliud: imò cętera ad ipsum ordinantur, vt ad perfectissimum, ideo nullus alter motus secundum ordinem Vniuersi potest ei conuenire, quare si alter ei assignetur præter circularem, erit simpliciter violentus, & sic habebit plura contraria eodem ordine, & oppositione perfecta.

Dubitatio.

Solutio. Prętet naturam dupliciter.

Vnum vni cōtrarium quomodo verum.

Instantia.

Solutio.

Tex. 15. Adhęc autem si motus circularis conuenit alicui secundum naturam, palam est, quod erit aliquod simplex corpus, ac primorum, quod natum est naturaliter moueri circulariter, sicut mouetur ignis sursum, & terra deorsum, aliter talis motus esset frustra; & dicitur notanter, quod esset aliquod corporum primorum, quia primus motus (sicut est circularis) debet primò, vel alicui ex primis conuenire. Præterea si quæ mouentur circulariter, mouentur violenter, irrationabile est, quia nullum violentum est perpetuum, hic autem motus circularis est perpetuus, & continuus, ergo non violentus; videntur enim violenta citissimè corrumpi, & non esse perpetua; at si dicatur cur perpetuò mouentur circulariter, ac præter naturam ignis, & aer? Respondetur, vt supra, quod scilicet talis motus elementorum non est propriè violentus, sed secundum ordinē, & subiectionē corporis superioris. Quare si ignis est, quod circulariter mouetur, vt dicunt quidam, sequeretur absurdum prædictum, ac etiam quod haberet plura contraria, vera, & directa contrarietate, nam si talis circularis motus est ei violentus, cum habeat alium violentum deorsum, essent plura contraria: intelligendo, quod ipsum sit ignis, nam de igne propriè loquendo non valet, vt in præcedenti textu exposuimus. Vnde isti ponendo cęlum esse de natura ignis, dupliciter errant; primò, quia sic affirmarent moueri violenter, eò quod non subesset alteri corpori, & per consequens esset verè violentus motus; secundò, quia plures haberet contrarios, positio autem quod

Nullum violentum perpetuum.

Cęlum

Anaxag. *Cęlum sit de natura ignis, fuit Anaxagora.*

Tex. 16. *Quapropter ex his crediderit aliquis discurrendo, quod præter corpora, quæ hic sunt apud nos, vt elementa & mista, est aliud corpus separatum, & diuersum, tanto nobiliorem habens naturam, quanto quidem plus distat ab ijs corporibus, quæ apud nos sunt.*

SVMMÆ QVINTÆ.

CAPVT VNICVM.

Corpus circulare simplex non est graue, nec leue.

Tex. 17. *QVoniam autem eorum, quæ dicta sunt, hæc quidem supponuntur, alia autem ostensa sunt, supponitur namque corpus circulare non moueri sursum, neque deorsum; quare manifestum est, quod non omne corpus habet grauitatem, vel leuitatem; pro cuius declaratione, supponendum est, quid dicimus graue, & leue (dico supponendum est pro nunc, prout in præsentia erit sufficienter opus, diligentius autem id speculabimur rursus, cum considerabimus de natura grauium, & leuium, videlicet in quarto de Cęlo.) Graue igitur est, quod natum est ferri ad medium. Leue autem quod à medio. Leuissimum verò, quod supereminet omnibus, quæ sursum feruntur, hoc est, quod etiam ipsum feratur sursum, sed super omnia, quę sic feruntur. Grauissimum autem est, quod substat omnibus, quæ deorsum feruntur. Necesse est autem omne quod fertur deorsum, aut sursum, aut leuitatem habere, aut grauitatem, aut ambo, non autem respectu eiusdem, sed in ordine ad diuersa, nam respectu vnius est graue, respectu alterius leue, vt aer respectu aquæ est leuis, respectu ignis est grauis, & aqua est grauis respectu aeris, leuis respectu terræ. Ea ergo quæ solum grauitatem habent, vel omnibus substant, dicuntur simpliciter grauia, sicut ea, quæ omnibus supereminent, ac sursum mouentur dicuntur simpliciter leuia; alia verò quæ aliquibus supereminent aliquibus non, dicuntur leuia in respectu, & quæ aliquibus substant, aliquibus non, dicuntur grauia in respectu, vt melius videbimus in quarto.*

Graue. Leue. Leuissimũ. Grauissimum.

Leuia, & grauia simpliciter, & in respectu.

Tex. 18. *Ex prædictis sequitur, corpus, quod circulariter fertur, non posse habere grauitatem, nec leuitatem, quia moueretur ad medium, vel à medio; at impossibile est, quod sic moueatur, neque naturaliter, neque violenter. Non naturaliter, quia ei non conuenit moueri motu recto naturaliter, nam vnius corporis simplicis, non est nisi vnus motus simplex, & è conuerso, sed moueri motu recto conuenit naturaliter elementis, ergo si Cęlum sic moueretur, erit idem alicui eorum elementorum, quæ sic feruntur, quod falsum esse, supra probauimus. At neque potest tali motu moueri violenter; nam si præter naturam, vel violenter moueatur aliquid deorsum, idem mouebitur sursum naturaliter, vel si sursum moueatur violenter, deorsum mouebitur naturaliter: posuimus enim superius, contrariorum motuum, si vnus conueniat alicui naturaliter, alter conueniet eidem præter naturam, & è contra. Si ergo Cęlum moueretur violenter motu recto, vel posset moueri, necessariò moueretur sursum, vel deorsum, quia non potest moueri aliquid motu generico, quin moueatur secundum aliquam speciem, si ergo moueretur deorsum violenter, moueretur sursum naturaliter, & sic esset de natura elementi leuis, scilicet aeris, vel ignis; si verò moueretur sursum violenter, deorsum moueretur naturaliter, sic esset de natura aquæ, vel terræ, quia (ex prædictis) motus vnus simplex est vnius corporis simplicis, sic quòd ex tali motu simplici insinuetur natura talis corporis, præcipuè considerando motum secundum vltimatum terminum, aliter non est verum, quia omnia elementa mouentur motu simplici recto, & tamen sunt non vnum simplex corpus, sed quatuor specie diuersa. Si verò attendatur motus secundum vltimum terminum ad quem, sic est veritas sine instantia, alius namque est locus ignis, alius aeris, & sic de alijs. Esset igitur Cęlum (si moueretur motu recto) de natura illius elementi, ad locum cuius naturaliter sic moueretur; at probatum est, ipsum esse alterius naturæ ab elementis, ergo non potest moueri motu recto, nec naturaliter, nec violenter, ac per consequens non est graue, neque leue, quod alia ratione confirmatur.*

Vnius corporis simplicis est vnus motus simplex.

Tex. 19. *Pro cuius maiori intelligentia, supponendum est, quòd idem sit locus totius, & partis (videlicet quoad inclinationem, & tendentiam, non quoad æqualitatem, vt declaratum est in 3. Physic. tex. 48.) secundum naturam, vt tota terra, & parua gleba ad eundem feruntur locum naturalem. Quare si nulla pars Cæli potest naturaliter moueri motu recto, vel sursum, vel deorsum, neque totum Cælum moueri poterit hoc modo, & similiter si nulla pars habet grauitatem, nec leuitatem, contingit primò quidem quòd neque ipsum totum habeat grauitatem, vel leuitatem, nam aut ad medium, aut à medio moueri posset secundum naturam ipsius. Quòd verò aliqua pars Cęli non sit grauis, neque leuis, ac per consequens non possit moueri motu sursum, nec deorsum, probatur; quia si hoc modo moueri posset, interdum moueretur, aliter talis naturalis potentia esset frustra, ac si moueretur, iam Cęlum esset diuisum, & destructum, ac astra, quæ sunt eius partes præcipuè cecidissent, vel successiuè caderent, nam siue essent grauia, siue leuia deberent moueri ad locum sub Cęlum, quia locus grauium est terra, leuium est vbi reperitur ignis, siue concauus orbis Lunæ, & sic necessariò descenderent, ac caderent, & Cælum scinderetur; at si quis dicat, ideo non posse cadere, quia sunt sic connexa cum toto, quòd diuelli non possunt, hoc nihil est, quia sic æterno tempore manerent, & partes, & totum violenter sursum, quod absurdum est, quia nullum violentum est perpetuum, ac corpora naturalia, nisi sint impedita tendunt ad propria loca, & pręcipuè nobiliora, Cęlum autem semper extra violenter maneret. At si quis dicat, ipsum moueri posse motu recto sursum, vel deorsum, sed violenter detractum. Hoc quoque est impossibile, nam æquè naturaliter contingit moueri motu alio opposito ei, qui violentus diceretur, vt si violenter moueretur sursum, naturaliter moueretur deorsum, vel è conuerso, & sic incideretur in absurda prædicta, videlicet, quod ipsum esset de natura alicuius elementi, quòd violenter perpetuò moueretur circulariter, & quod vni essent plura contraria; non igitur potest moueri motu recto, neque violenter, neque naturaliter, nec ipsum, nec particularium vlla: eadem enim est ratio de toto, & parte quoad posse moueri ad suum locum, vel naturaliter vel violenter, vt sæpe dictum est.*

Idem est locus totius, & partis.

SVM-

SVMMÆ SEXTÆ.

CAPVT VNICVM.

Corpus circulare simplex, nec est generabile, nec corruptibile, nec susceptiuum alterius mutationis, præterquam localis. Corpora vero simplicia sunt quinque.

Tex. 20.

Omne, quod generatur fit ex materia, & contrario, & in materiam resoluitur.

Similiter autem rationabile est existimare de ipso Cęlo, quod ingenerabile, & incorruptibile, & inaugmentabile, & inalterabile sit; propterea quòd, omne id quod generatur, fit ex subiecto, seu materia, & ex contrario quodã, scilicet ex priuatione, & quod corrumpitur, in subiectum, vel materiam resoluitur, ac in priuationem, & ab aliquo quoque contrario effectiuè corrũpitur à frigido, vt dictum est in primis sermonibus habitis in 1. Physic. Cęlum autem non habet neque subiectum, neque priuationem, neque corrumpens contrarium, ergo non est generabile, neque corruptibile, quòd autem non habet materiam, nec priuationem, in sequentibus dicemus, hoc in eodem libro. Quòd verò non habeat contrarium corrumpens, probatur; nam contrariorum corporum contraria sunt lationes, vel motus locales, vt quia ignis & aqua sunt contraria, ignis sursum fertur, aqua vero deorsum; si igitur huic corpori cęlesti nihil contrarium contingit esse, ex eo, quia motui circulari non sit aliquis motus contrarius (vt postea videbitur) sequitur quod rectè fecerit natura, cum à contrarijs liberauerit id corpus, quod futurum erat ingenerabile, & incorruptibile, nam omnis generatio, & corruptio in contrarietate consistit. Ex hoc textu potest elici, cęlum habere causam effectiuam; quia habetur, naturam exemisse illud à contrarijs, quod non potest intelligi, nisi de natura naturante, sicut est Deus à quo habet esse, nam ab eodem recipiuntur proprietates, & esse, ergo si esse absque contrarietate habuit à natura, ab ipsa quoque habuit esse, non tamen per generationem, nec in tempore, sed per simplicem productionem, vel creationem, & ab æterno, quæ positio multis alijs in locis declarabitur, & hæc est expressa sententia Auerrois.

Nota de causa effectiua cęli, secundum mentē Auerrois.

Tex. 21.

Quòd autem sit inaugmentabile, atque indiminuibile: probatur: Omne quod augetur, augetur à sibi simili aduenientε, & resoluto in materiam, ac à forma ipsius aucti informatam: diminuitur verò quod non potest nutrimentum in suam substantiam conuertere, seu materiam nutrimenti non potest sua forma informare, imò in suamet materia præparatur ad corruptionem, in ijs ergo quæ augentur, & diminuuntur debet esse materia, quæ vniatur cum materia nutrimenti, ac à forma ipsius augmentabilis informetur; si verò diminuatur materia eius ab aliqua parte, vel dispositione formæ, destituitur: Cęlum autem nullam habet materiam, ergo non potest augeri, nec diminui. Si autem est inaugmentabile, & incorruptibile eiusdem intelligentia est existimare, inalterabile esse: est enim verè, & propria alteratio motus secundum qualitates primas; qualitatum autem istarum, habitus & dispositiones non fiunt sine mutationibus, quæ sunt secundum passiones ad corruptionem, vel generationem disponentes, vt sanitas, & morbus; imò quæcumque naturalium corporum transmutantur secundum passionem talium qualitatum, videmus, quod omnia sunt habentia augmentationem, & diminutionem, vt corpora animalium, & partes ipsorum, & plantarum; similiter autem, & partes elementorum, quæ talibus qualitatibus sic alterantur, vt ad corruptionem disponantur, non autem ad augmentationem propriè dictam, quæ est animatorum solum, vt in libris de Anima videndum erit. Cùm ergo alteratio secũdum primas qualitates sit dispositio ad augmentationem, vel diminutionem, vel generationem, & corruptionem; Cęlum autem sit inaugmentabile, indiminuibile, ingenerabile, & incorruptibile, erit quoque vera alteratione (quæ per prædictas fit qualitates) inalterabile; & dicimus notanter inalterabile alteratione talium qualitatum, quæ corruptiua dicitur, quia negandum non est, ipsum alterabile esse alteratione perfectiua, nam illuminatur, quod est quadam perfectiua alteratio, vt alibi quoque fusius videbimus.

Augmentatio, & diminutio est per materiam.

Cęlum materiam non habet.

Tex. 22.

Quare si (vt etiam supra, propter connexionem conclusionis deduximus) corpus circulare, neque augmentationem habere contingit, neque diminutionem, rationabile est, & inalterabile esse. Quod igitur sempiternum, neque augmentationem habens, neque diminutionem, sed insenescibile, & inalterabile, & impassibile sit primum corpus, si quis partim in 8. Physic. partim hic suppositis, ac aliquomodo declaratis non credit, ex dictis manifestum erit. Videtur autem, & ratio circa hoc testari ijs, quæ de Cęlo apparent, & ea, quæ apparent de ipso idem testari rationi, hoc est habere conformitatem, ac rationem, cum ijs, quæ videntur manifestè, & ab omnibus approbantur de Cęlo, & hęc cum ratione. Omnes enim homines de Dijs habent existimationem, & omnes tribuunt Deo eum locum, qui sursum est, nempè Cęlum, & Barbari, & Gręci quicumque putant esse Deum, tanquam videlicet, Cælum immortale, immortali Deo coaptatum sit, ita vt sit impossibile aliter esse. Si igitur est aliquod Diuinum, videlicet Deus, (quemadmodum est) quæ nunc diximus de prima corporea substantia cęlesti dicta sunt bene, cum sint conformia rationi, ac omnibus humanis existimationibus. Accidit autem, quod sufficienter secundum humanam fidem dixerimus, si idem quod diximus de ipso Cęlo, confirmemus per ea, quæ per sensum sunt omnibus nota. In omni enim præterito tempore secundum traditam adinuicem memoriam inter homines, nihil videtur transmutatum, neque secundum totum vltimum Cęlum, quod nobis est propinquius, & notius, neque secundum vllam propriam ipsius partem; sic ergo de alijs dicendum est, imò cum sint superiora id magis eis conuenit, non igitur Cęlum est transmutabile, neque secundum totum, neque secundum partem. Quod autem hoc sit verum, confirmatur. Nam ipsum nomen Cęli, quasi diuinum, & immortale, videtur ab Antiquis traditum esse, vsque ad tempus præsens, quia hoc modo de ipso Cęlo existimauerunt, sicut nos; quare nihil mirum est si idem nos opinemur, quod illi; quia neque semel, neque bis, sed infinities oportet putare easdem peruenire opiniones ad nos. Quapropter appellauerunt supremum corpus æthera ponentes talem denominationem ipsi à currendo sempiterno tempore, & veluti sit quid distinctum, & diuersum à terra, igne, aere, & aqua, & sic sempiternum, quatenus immobilitatem ei tribuunt, æthera appellant. Verum est tamen, quod Anaxagoras abutitur hoc nomine, quia non Cęlum, sed ignem appellat æthera, at non bene facit.

Non semel, nec bis, sed infinities eędem reuertuntur opin.

Aethera sē per currēdo.

Ignis dicitus æthera secundū Anaxagorā.

Tex. 23.

Manifestum est autem ex dictis, cur sit impossibile corporum simplicium esse maiorem numerum quinario, nam simplicis corporis necesse est, esse motum simplicem, solos autem hos motus dicimus esse simplices, scilicet eum, qui circularis est, & eum qui fit super lineam rectam, hic autem

tem

tum diuiditur in duos, scilicet in eũ qui fit à medio, seu sursum, & in eum qui est ad medium, seu deorsum, & sic habetur motus rectus sursum, & deorsum, ac etiam circularis. Sed quia tam motus sursum quam deorsum est duplex, ideo quinque sunt simplices motus, ac per consequens quinque corpora simplicia, videlicet cælum, & quatuor elementa. Quod autem motus sursum, & deorsum sit duplex probatur, quia motus distinguuntur per terminos ad quos fiunt, sed alter est terminus, seu locus ignis, alter aeris, similiter alter aquæ, alter terræ; cum ergo quatuor sint termini motuum rectorum, quatuor erunt motus simplices recti, ac quatuor corpora simplicia, quæ his motibus mouentur, & correspondent. An autem motus omnium orbium cælestium sit idem, vel d uersus specie, & pariter ipsi orbes, alibi dicemus.

Corpora simplicia quinque.

Tex. 24. Quod autem circulari motui non sit alter contrarius, ex multis vtique rationibus quispiam accipiet fidem. Vnde cum hoc probatum fuerit, habebimus, cælum esse incorruptibile, cum omne quod corrumpitur à contrario corrumpatur, (& hac de causa id examinare statuimus) erit similiter ingenerabile, inaugmentabile, indiminuibile, atq; inalterabile, quia omnes hæ mutationes ab eadem radice contrarietatis procedunt. Sit igitur prima ratio. Si motus circularis haberet contrarium, hoc ideo esset, quia maximè ponimus, quod rectus ei contrarietur; hoc autem est falsum, ergo nullus alius est ei contrarius. Quod autem sequatur hoc; videlicet quod si ipse habeat contrarium, hic contrarius erit rectus, probatur, quia contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & repugnant, sed sub genere motus plus distat, & repugnat circularis recto, quã circularis circulari, ergo si circularis habet motum contrarium, necessariò hic erit rectus, & non alter, vnde si hic non sit ei contrarius, nullum alium contrarium habebit.

Motui circularis non est alter cõtrarius.

Tex. 25. Quod autem rationabilius sit, quod motus circularis contrarietur recto, quam alicui alteri, si possit contrarietatem habere, adhuc declaratur; ipse motus circularis videtur contrarius recto duobus modis, scilicet secundum concauum, & secundum conuexum (dicitur concauum pars interior circuli, cõuexum pars exterior). Concauum enim, & conuexum non solum ad inuicem opponi videntur, sed etiam recto, etiam si ipsa (scilicet concauum, & conuexum) sint combinata, seu coniuncta, & adepta compositionem (hoc est in eodem composito, tanquam partes, vel accidẽtia) Cum igitur videatur dupliciter circulum opponi rectæ lineæ, si aliquis motus erit ipsi circulari contrarius, necesse est, quod is motus, qui super rectam fit, maximè sit ei contrarius; quod si probabimus id fieri non posse, nullus alter ei contrarius erit.

Concauum Conuexũ.

Tex. 26. Quod autem id non possit esse, probatur. Nam motus qui super rectam fiunt inuicem opponuntur propter opposita loca ad quæ fiunt, sursum enim, & deorsum ad quæ fiunt motus recti, sunt contrariæ differentiæ loci, cum ergo sint inter se contrarij non possunt alteri contrariari, vera, & directa contrarietate (quæ ad corruptionem secundum nostrum propositum requiritur) cum tali contrarietate vni vnum tantum contrarium sit.

Tex. 27. Deinde si quis dicat, eadem ratione contrarium esse motum circularem alteri circulari, sicut rectus contrariatur alteri recto, ita vt sicut motus factus per lineam rectam à principio ipsius quod vocetur A, vsq; ad finem, qui vocetur B, sit contrarius alteri motui, qui incipit à fine lineæ videlicet à B, & tendit ad A, ita quoq; motus circulares, qui ex eisdem terminis ad eosdem fiunt sint contrarij, (intelligendo non de circularibus completis, sed semicircularibus, ita vt sit arcus, & chorda, duo motus oppositi fiant contra se inuicem per chordam, & erunt recti, duo vero super arcum, & erunt circulares, & sic motus circularis, habebit alium circularem contrarium). Si quis inquam sic dicat, nõ bene dicit, quia & si verum sit, quod ij qui fiunt super rectam sunt contrarij, non tamen ij qui fiunt super circularem, ratio est, quia linea recta est finita, tali modo videlicet, quod de vno puncto ad alterum non potest duci nisi vna linea recta, circulares autem infinitæ circa eadem signa, vel puncta duci possunt; quare si hac ratione circularis esset circulari contrarius, vni essent infinita contraria, quod absurdum esse diximus. In linea autem recta hoc non contingit; imò saluatur, quod vni sit tantum vnum contrarium.

At si quis diceret; Verum est, quod plures, & infinitæ circulares lineæ possunt trahi super duo puncta lineæ rectæ, quarum vna linea circularis sit maior, alia verò minor, & sic non sunt contraria, nec contrarij motus, tamen si super vnam tantum lineam circularem, seu super semicirculum fiant duo motus, vnus contra alterum, videlicet, quod vnus incipiat ex puncto lineæ rectæ, quod punctum vocetur C, & tendat per arcum versus aliud punctum, quod vocetur D, alter vero ex D ad C, tunc isti necessariò erunt contrarij, nec istæ infinitæ lineæ erunt, nec alia absurda sequentur. Quod potest confirmari ex eo quod dictum est in 8. Physic. tex. 64. videlicet, quod motus facti in circulo contra se inuicem contrarij sunt, ac cessare se faciunt. Respondetur, quod motus qui fiunt in vno semicirculo contra se inuicem, vt ex C ad D, & ex D ad C. non habent aliam contrarietatem, quam eam, quæ ex diametro, seu linea recta attenditur, nam semper vnumquodque distare, ac opponi ponimus alteri secundum lineam rectam (loquẽdo de oppositione secundum locum, ac per consequens de oppositione motuum, quod fusius declaratum est in 5. Physic. tex. 24.) quare negandum non est, quod sit aliqua oppositio inter prædictos motus factos contra se inuicem in semicirculo, tamen non est perfecta nisi vt reducitur ad diametri oppositionem, quæ perfecta est, & de qua loquimur. Tex. 28.

Similiter autem si quis circulum faciens, ac eius duos assignet semicirculos, per quos fiant duæ oppositæ lationes atque contrarias esse dicat, non tamen probabit, quod motus circulares sint contrarij; nam licet tales motus facti super semicirculos essent aliquomodo oppositi, vt declaratum est, tamen motus completi circulares non essent oppositi; quia sicut pars circuli non est circulus, ita motus super ipsam factus, & si opponatur aliquo modo motui facto super alteram, non tamen infertur, quod motus completi circulares, (de quibus intendimus) sint contrarij. Possunt autem semicirculi designari per G. & H, & extrema vnius sint E F, alterius vero F H, quæ tamen parui referunt, cum satis sit declaratum intentum. Tex. 29.

At verò neque ea actio circularis, quæ est ab A ad B, seu de vno puncto circuli ad aliud, est contraria ei quæ est ab A ad C, ita vt ad idem punctum ambæ terminentur, sed oppositis semicirculis, ac si diceremus, duæ lationes circulares, quarum vna incipiat à dextris, altera à sinistris, sed ad eundem terminum perueniant, & finiant, hæ (inquam) non sunt contrariæ, nam est motus ex eodem puncto in idem; sed contraria latio determinata est ex contrario in contrarium, vnde sic fiat syllogismus, omnis motus contrarius est de contrario in contrarium, sed motus circulares facti à dextris, & à sinistris ad eundem terminum terminati non sunt huiusmodi, ergo neque sunt contrarij. Tex. 30.

Tex. 31. Præterea. Si circularis latio est alteri contraria secundum diuersas partes, frustra vtique eßet altera pars, seu altera latio facta super alteram partem circuli, quia in idem punctum tendunt, quare cum vna possit idem punctũ acquirere, ac eundem producere effectum, altera latio esset otiosa. At si diceretur; eadem ratio est etiam si alia latio non sit contraria, quia fit ad idem punctum, hoc non est verum, nam ex istis duabus non contrarijs integratur vna totalis, quæ magis est sufficiens ad effectus producendos. Præterea necesse est, quod circulariter fertur, (vndecunq;incipiat)similiter peruenire ad omnia loca contraria;sunt autem loci contrarietates,sursum,& deorsum,ante, & retro,dextrum, & sinistrum,& contrarietates motuum localium sunt secundum contrarietates locorum; si (inquam) motus circularis omnia loca contraria transit, non poterit vna pars alteri contrariari, nam contrarij motus sunt ad determinata contraria loca, & non indifferenter ad omnia.

Tex. 32. Si autem motus partium eßent contrarij,vel essent æquales in virtute,vel inæquales;si ęquales,non vtiq; esset motus aliquis ipsarum partiũ, quia vnus alterum impediret, si autem eßent inæquales, ita vt alter dominaretur alteri, alter non esset,nempè qui superatur à virtute alterius: quare si ambæ partes ponantur mobiles, & vna impediatur ab altera,frustra vtiq; esset alterum corpus, seu pars corporis non mota suo motu; nam calceamentum dicitur frustra, cuius non est calceatio. Deus autem, & natura nihil frustra faciunt. Non ergo sunt contrarij motus partium circuli. Fortè idem intelligi potest de diuersis corporibus circularibus, ita vt sit sensus,quod motus circularis vnius corporis non sit contrarius alteri, licet fiant contra se inuicem, vt de oriente in occidentem, & è conuerso, quia vel essent æqualis virtutis, vel non; si æqualis impedirentur ambo, si inæqualis, alter non esset, & sic frustra tale corpus non motum factum fuißet. Ex quo textu elicitur quoque cęlum factum esse,nam dicitur nisi moueretur factum esset frustra. Sed est dubitatio. Quomodo motus circularis non habet contrarium, si tamen supra positum est, quod si motus circularis esset cęlo violentus,ei essent plures motus contrarij? Respondetur eam esse rationem non aßertiuam, sed ducentem ad impossibile, expositione eorum, qui violentum esse ponebant, ac rectis contrarium.

Calceamentum est frustra, cuius non est calceatio. Deus,& natura nihil frustra faciunt.

Nota de factione cæli.

SVMMAE SEPTIMAE.

CAPVT VNICVM.

Mundus est finitæ quantitatis.

Tex. 33. SEd quoniam iam manifestum est de his, videlicet quod cælum sit corpus simplex, diuersum ab elementis, ingenerabile, incorruptibile,inaugmentabile,indiminuibile, & inalterabile, nunc de reliquis considerandum est; & primum; vtrum sit quoddam corpus infinitum, quemadmodum plurimi Antiquorum Philosophorum putauerunt; an hoc sit vnum quid impossibilium,sic enim aut illo modo se habere(hoc est ponere tale corpus finitum,vel infinitum) nõ aliquid parum, sed totum,ac omnino refert ad eam speculationem, quæ de veritate philosophica, & maximè de corporibus; est fere enim hoc vel illo modo ponere corpus, principium contrarietatum, ac dissensionum omnibus, qui aliquid de tota natura enunciarunt, imò hæc dissensio ex talia varia positione non tantum est, sed semper fuit, ac erit; si quidem ij qui modica transgressione à veritate in principio discedunt, fit eis postea discessio, & error decies millies maior, vt si quis dicat esse minimam quandam magnitudinem, seu in quantitate continua esse partem indiuisibilem; hic eis minimum introducens, maxima vtiq; amoueret mathematicorum. Huius autem causa est, quia principium scientiæ,virtute maius est,quam magnitudine; hoc est, expositione veri principij virtualiter multa vera educuntur,& ex negatione inducuntur multi errores, etsi tale principium videatur vna propositio parua quantitatis; quapropter quod in principio modicum est, in fine fit perquam magnum, sed infinitum habet virtutem maximam, & ratione principij, & ratione quantitatis; ratione principij, quia si ipsum concedatur in Philosophia,sequuntur ferè opposita omnes veritates ipsius, tollitur namque primo motus, quia vt in 3. Phys. probatum est, infinitum est immobile, & (vt vnico verbo complectar) omnes aliæ operationes,ac accidentia naturalia tolluntur;motus enim est prima omnium affectionum naturalium, ac passio, quæ immediatè ex visceribus naturæ oritur, ideo ipso ablato, cætera quoq;naturalia auferre necesse est. Quod autem sit maximum quantitate, declaratione non indiget, si infinitum in actu ponatur; quare cum tot ista sequantur ex positione infiniti, & ex positione finiti sequantur opposita, nihil absurdum est, neque irrationabile, admirabilem esse differentiam, ex eo quod acceptum sit, esse aliquod corpus infinitum, ac ideo hoc examinandum est, an sit possibile.

Qui modica transgressione a veritate in principio discedunt: in fine fit error notabilis.

Quod in principio modicũ est in fine fit magnum.

Quapropter de ipso dicendum est à principio resumentibus, (hoc est, incipiendo in vniuersali de corpore) Necesse est igitur omne corpus, aut simplicium (vt elementum, & cælum) aut compositorum esse, sicut sunt animalia, plantæ &c. & similiter ipsum infinitum, necesse est, quod sit corpus simplex, vel compositum. Si autem est compositum, aut erit ex elementis finitis numero, & magnitudine, aut ex infinitis: non ex finitis, nam quod ex finitis, & multitudine, & magnitudine componitur, finitum est, & multitudine, & magnitudine, tantum enim erit, quanta sunt ex quibus componitur. Non igitur potest esse aliquod corpus compositum infinitum, ex finitis elementis, neque numero, neque magnitudine. Nunc autem videndum est, si ex infinitis esse possit, aut numero, aut magnitudine. Sed quod non possit esse ex infinitis numero, probatur,nam elementa, ac corpora simplicia determinata sunt numero, quod probabitur in sequentibus,ergo. Quod verò nõ ex infinitis magnitudine, modo probabimus, videndo scilicet, quod non detur aliquod corpus simplex infinitum magnitudine,ex quo ipsum infinitum componatur, & sic habebimus intentum, & quamuis cælum secundum veritatem, non sit pars,seu elementum ingrediens compositionem mistorum; tamen etiam de ipso probabimus non esse infinitum, & quia id attinet ad propositum, & quia multi crediderunt esse de natura ignis,qui cum alijs sit pars misti, sicut fuerunt Anaxagoriei, ideo ad methodum de Philosophia hoc determinare opus est. Tex. 34.

Quod ex finitis cõstat finitum est. Tantum est aliquod totum quanta sunt componentia.

Restat igitur videre, vtrum contingat, aliquod simplicium corporum infinitum esse magnitudine, an hoc sit impossibile. Prius itaque cum tractauerimus de primo corpore, scilicet de cælo, sic consideremus de reliquis. Quod igitur necesse sit, omne corpus quod circulariter fertur finitum esse, ex his manifestum est. Si enim infinitum sit corpus, quod circulariter fertur, infinitæ erunt lineæ,quæ à medio, seu centro ipsius eijciuntur versus circumferentiam, infinitorum autem distantia infinita est, distantiam dico linearum,extra quam nullam est sumere magnitudinẽ tangentem lineas, hanc ergo necesse est infinitam esse, nam Tex. 35.

finita-

Infinitorũ distantia in finita est. *finitarum semper erit finita. Amplius autem linea finita quæ ducatur à centro corporis infiniti versus circumferentiam semper possumus lineam maiorem, & distantiam inter duas lineas accipere, quare quemadmodum dicimus numerum infinitum, quia non est maximus, vel determinatus, sed quia semper est alium, & alium accipere, ita hæ lineæ erunt infinitæ, quia semper protẽdi in infinitum possunt, & sic eadem est ratio de distantia inter illas, quare, & lineæ, & distantia inter eas infinita erit. Non autem debent simpliciter trahi lineæ infinitæ adhoc vt semper fiat maior, ac infinita distantia inter illas, quia si traherentur paralellæ, nunquã esset inter eas distantia infinita, sed semper terminata, & æqualis; trahantur igitur ad modum anguli, ita vt conus anguli sit in centro corporis rotundi infiniti, & illæ lineæ, quæ angulum constituunt semper dilatentur quo magis versus circumferentiam proijciuntur, & sic si in infinitum protrahantur, proculdubio erit distãtia infinita inter illas: hoc posito, probatur quod non possit dari corpus circulare infinitum, & maximè cælum, de quo est præcipuè sermo, & quod multi infinitum ponunt. Infinitum nõ est pertransibile, & si sit aliquod corpus circulare infinitum, erit distantia inter lineas, quæ ex centro ipsius ducuntur, vel mente designantur, vt declaratum est; ergo talis distantia pertransiri non potest, quare cęlum nõ posset moueri circulariter, quia omnes distantias circumferentiæ motu circulari transire deberet, & sic cęlum esset immobile, quod est contra sensatam veritatem, nam videmus ipsum cælum circulo ferri, & ratione etiam determinauimus, quod motus circularis est alicuius corporis simplicis. Præterea; ipsum cęlum non esset corpus naturale, quod absurdum est, probatur consequentia, quia omne corpus naturale est mobile, sed cælum non posset moueri motu circulari, propter infinitam distantiam, neque motu recto, vt probatum est in præcedentibus, ergo nullo motu, & sic corpus naturale non esset.*

Tex. 36. *Amplius; si à finito tempore abstuleris finitum tempus, necesse est reliquum tempus esse finitum, & habere principium, si autem tempus habet principium sui incessus, vel successionis, etiam erit principium motus, quare, & magnitudo quoque principium habebit, super quam fit motus, nã similiter hoc reperiri debet in magnitudine sicut in alijs sibi correspondentibus, quæ sunt motus, & tempus, eodem namq; modo se commensurant, vt in 6. Physſ. declaratum est. Quod verò sit principium temporis, ac motus corporis cælestis probabimus modo, loquendo videlicet de principio correspondente quantitati, ita vt si designetur punctum in corpore circulari, tempus in quo ipsum corpus de eodem puncto ad idem reuersum erit, necessariò erit finitum, & similiter motus; si enim loquamur de tempore, & motu simpliciter secundum durationem, & cum reduplicatione, sic vtrunq; est infinitum, vt visum est in 8. Physic. & hoc modo non habent reciprocam mensurationẽ, imò per quantitatem finitam circularem, fit motus æternus, vel infinitus, vt autem sit debita commensuratio, & æqualitas motus temporis, & magnitudinis, debet attendi, secundum eadem puncta, & terminos non plurificando vnum sine altero. Hoc igitur modo probabimus tempus, & motum cęli esse finitum, & concludemus, magnitudinem eius quoque finitam esse. Sit itaque linea, quæ incipiat à centro corporis infiniti, & versus circumferentiam extendatur, vnde ex parte centri erit finita, ex parte vero circumferentiæ erit infinita, quia nullum inuenit terminum, supposito, quod tale corpus infinitum sit; at si dicatur; neque poterit assignari centrum, quia hoc ponitur in medio, sed in infinito non est medium, quia medium dicitur, quod æqualiter distat ab extremis, ac infinitum non habet extrema, ergo neq; medium. Respondetur, quod secundum veritatem res ita se habet, tamen ij qui ponunt corpus circulare infinitum, ex eo quod circulare ponunt habent concedere centrum, & sic ad multa absurda inducuntur, quare nos arguendo ad homines, & ducendo ad impossibile, vtimur fundamentis, quæ contra ipsos sunt satis ad propositum. Trahatur igitur linea de centro ad circumferentiam talis corporis, hæc ex parte centri erit terminata, ex parte circumferentiæ erit infinita, vocetur autem ista linea A C E. Deinde designetur alia linea, ex alia parte corporis, quæ scilicet non ex centro incipiat, sed intelligatur duci, ex circumferentia, ad aliud circumferentiæ extremum, quæ sit ex vtraq; parte infinita, sic enim necesse est, cum in corpore infinito, non sit aliqua terminata circumferentia; Vnde si interdũ dicimus ex extrema partis circumferentiæ ad aliud, hoc est gratia maioris intelligentiæ. Vocetur autem hæc linea infinita ex vtraq; parte B B. Tunc ponatur quod corpus circulare infinitum voluatur, ipsa linea, quæ ex centro ducta fuit, describit necessariò circulum, vt bene consideranti facilè est videre, quare necesse est, quod aliquando perueniat ad lineam infinitam B B, aliter non efficeret circulum, at perueniet ad ipsam tempore finito, quia secundum veritatem, & vt ipsi quoque cõfitentur totum tempus in quo circulariter latum est cęlum, finitum est, ergo, & qualibet pars erit finita, & sic illa pars qua ferebantur lineæ secans infinitam, erit quoq; finita simul, & tempus. Vnde concedendo hoc, erit aliquod principium, quo primum lineam A C E, secuit lineã B B, sed impossibile est si corpus circulare ponatur infinitum, quia non posset sic per partes designari, & transiri, ergo poni non debet, cum sit impossibile, infinitum corpus circulariter verti; quare neque cęlum si esset infinitum, moueretur circulariter.* Medium quid.

Tex. 37. *Amplius autem, & ex his manifestum est, quod infinitum impossibile sit moueri, & per consequens cęlum quod mouetur infinitum non esse. Sint enim duæ lineæ finita, scilicet A, & B, & A feratur iuxta B, necesse est quod simul absoluantur, idest quod dum vna transierit alteram, illa altera, transacta sit, nam quantum vna acceperit alterius, & altera tantum acceperit alterius. Si igitur ambæ moueantur in contrarium, idest vna contra aliam, velocius vtique absoluerentur, si autem vna moueatur iuxta aliam manentem, tardius se transirent .s. si eadem celeritate qua prius mouebatur, moueretur illa linea, quæ fertur iuxta aliam; ex quibus inferimus pro nunc, quod si vna linea transit aliam, eodem transit tempore quo altera transitur, etiam si altera finita sit, altera infinita.*

Tex. 38. *Sed illud quidem manifestũ, ac pro sequenti ratione supponendum, est, quod impossibile sit, infinitam quantitatem pertransiri in tempore finito, in infinito ergo. Hoc autem quod modo supponimus, ostensum est prius, in ijs quæ diximus de motu in 6. Physic. Nihil autem refert, quod aut finita linea feratur iuxta infinitam, aut infinita iuxta illam, nam cum hæc mutatur iuxta illam, & illa mutatur iuxta hanc, similiter si vna sit mota, altera non, vel etiã si ambæ moueantur. Verum si moueantur ambæ, citius absoluẽtur; quamuis aliquando nihil prohibeat, eam quæ mouetur iuxta quiescentẽ, velocius pertransire, quã ea, quæ contra moueatur, si quis fecerit, eas quæ cõtra mouentur ambas ferri lentè, eam autẽ, quæ mouetur iuxta quiescentẽ ferri multo velocius illis. Nullũ est igitur ad nostrã rationem impedimentũ, quod moueatur iuxta quiescentem, quando quidẽ*

contingat, quod A, mota iuxta lineam B, tardius transeat, & citius, iuxta diuersam velocitatem. Si igitur infinitũ est tẽpus, in quo finita, quæ per infinitam mouetur, absoluitur; & id in quo infinita per finitam mota est, necesse est infinitum esse. Impossibile est igitur infinitum moueri omnino, vt declaratum est in tertio Phys. & ad propositum de cęlo applicando, quæ diximus nunc, videlicet quod etiam si per minimam, seu paruam lineam infinitum moueatur, necesse est vt infinitum fiat tempus, in quo talis linea transitur ab illo, & sic, cęlum esset infinitum circulus vltimus versus nos, qui est concauum orbis lunæ, & si finitus sit, transiretur in tempore infinito, ex suppositis. Hoc autem falsum est, nam cęlum circumit, & vertitur totum circulo tempore finito, quare circumit totam magnitudinem circuli, quæ intus est finitam, videlicet circulum concauum orbis Lunæ, qui potest describi per A B. Impossibile est igitur, id infinitum esse, quod circulariter mouetur.

Tex. 39. *Amplius, quemadmodum impossibile est lineam, quæ habet finem infinitam esse, sed si ad longitudinem extendatur erit secundum longitudinem infinita in potentia, tamen etiam si poneretur in actu, non esset simpliciter infinita, quia non in latitudine, hac enim parte terminatur, & similiter se habet superficies, scilicet quod non contingit esse infinita, qua finis est, vnde si simpliciter infinita ponatur, nusquam erit, ac per consequens nihil erit, cum sibi repugnet sic esse; eodem modo neque quadrangulus, aut circulus, aut sphæra, aut figura pedalis, possunt esse infinita, quia videlicet intelliguntur proprijs figuris, & superficiebus terminata. Si igitur neque sphæra, neque quadrangulus, neque circulus est infinitus, non existente autem circulo, neque vtique circularis latio erit, similiter autem non existente infinito corpore, neque vtique erit latio infinita; si vero circulus infinitus non sit, non vtique mouebitur circulariter infinitum corpus.*

Tex. 40. *Amplius autem, assignetur centrum ipsius infiniti corporis circularis, & sit C. & ex vna extremitate circumferentiæ ad aliam ducatur infinita linea, quæ sit A B, atque ipsum centrum secet, alia vero linea trahatur similiter infinita ex vna extremitate circumferentiæ ad aliam, quæ tamen non secet centrum, & vocetur E, deinde ex ipsomet centro ducatur alia linea versus circumferentiam, quæ erit ex parte centri finita, & ex parte circumferentiæ infinita, & hæc intelligatur moueri in gyrum, & vocetur C. D. hæc inquam nunquam pertransibit lineam E, neque ab ipsa absoluetur, sed semper se habebit, quemadmodum linea C E. hoc est sicut linea altera recta immota, quæ semper æqualiter distat à linea A B, nam ipsa linea mota secat lineam E, in puncto F. in quo intelligitur æque distare. Cum ergo sit semper æqua distantia, quia semper infinita, non poterit infinita linea circulariter ferri.*

Tex. 41. *Præterea; si infinitum sit cælum, moueatur autem circulariter; in tempore finito, pertransibit spatium infinitũ; quod reprobatum est in 6. Phys. probatur assumptum. Sit enim cælum quidem infinitum, quod tamen ponatur manere, seu quiescere, & ponatur aliud æquale ipsi cęlo, quod moueatur iuxta illud; quare si transiret circulariter, infinitum cum sit, transiuit infinitum æquale sibi, in tempore finito, sed hoc erat impossibile. Hæc ratio potest sic facilius sumi; demus cęlum infinitum, quod tamen mouetur, secundum veritatem in viginti quatuor horis, hu c cælo possumus designare quẽdam infinitum circulum sibi æqualem, & infinitum, & sic ipsum pertransiet in tempore finito, quod est absurdum, cum infinitum, ab infinito, tempore finito transiri nõ possit; si autem ille circulus designatus ponatur moueri, & cęlum quiescere in idem recidit.*

Est autem conuersim dicere, videlicet, quod si finitum est tempus in quo reuolutum est cęlum de vno puncto designato ad idem, & magnitudinem eam quam pertransiuit, seu circa ipsum designata fuit, necesse est esse finitam, nam pertransiuit æqualem sibi, quapropter etiam ipsum finitum est, si magnitudini designatæ finitæ æquatur, ac è conuerso si tempus est finitum, & ipsum cælum finitum erit, sed quod tempus finitum sit in quo ipsum voluitur, omnibus manifestum est, cum sint viginti quatuor horarum. Tex. 42.

Quod igitur id quod circulariter mouetur, non sit interminatum neque infinitum, sed habeat terminum atque finem, manifestum est. Tex. 43.

At vero neq; id quod ad medium, seu deorsum mouetur, (sicut sunt corpora grauia, vt aqua, & terra), neque quod à medium, seu sursum, (vt aer & ignis) est infinitum, probatur; nam motus sursum, & deorsum, sunt contrarij, contrarij verò motus sunt ad contraria loca, ergo omnia ista corpora habebunt loca propria, contraria vnum alteri. At contrariorum locorum si vnus est determinatus, & alter, sed locus deorsum est determinatus; probatur, nam vndecumque feratur deorsum id quod substat, seu graue est, non contingit transire vltra medium, ergo determinato medio, vel loco deorsum, & eum locum qui sursum est, necesse est determinatũ esse; si vero loca definita sunt, & terminata, & corpora erunt terminata. Si enim vnus locus contrariorum non esset terminatus, sed infinitus, similiter corpus, quod ibi esset, infinitum existeret, aliter esset locus sine corpore, quod natura abhorret. Imò si sit infinitum corpus, non permittet aliud secum, & ratione dimensionis, quia omnia occuparet, & ratione virtutis, quia aliud contrarium vinceret, ac destrueret, & sic non essent elementa contraria in natura, quod etiam est absurdum, quia sunt de essentia Vniuersi, ac ad perpetuam generationem, & corruptionem mistorum necessaria; vnde habetur; si vnum contrariorum sit in natura, necesse est, reliquum esse, quod præcipuè de elementis est verum. Non potest igitur vnum eorum esse infinitum, nec non esse in natura, ergo sunt necessario finita. Tex. 44.

Motus contrarij sũt ad contraria loca. Contrariorum locorũ si vnus est determinatus, & alter.

Contrariorum si vnũ est in natura, & alterum.

Amplius. Si sursum, & deorsum sint loca determinata, etiam medium locum necesse est esse determinatum; si enim determinatus non est, motus corporis quod ex medio, vel ad medium mouetur erit infinitus, quia si debet (dum est extra suum locum) moueri ad ipsum, debet per mediũ illum infinitum locũ moueri, vt si ignis sit in terra, & ad suam sphæram moueri deberet, transiret per aerem, vel aquam, quæ sunt loca media; si ergo ista sint infinita, motus ipsius ignis esset infinitus, quia per locum infinitũ fieret; hoc autem quod impossibile sit, ostensum est prius, & in 3. Phys. vbi ostendimus non dari aliquam quantitatem actu infinitam, & in 8. in quo vidimus nullum motum localem pręter circularem posse esse infinitum; determinatus est ergo locus medius, quare corpus, quod in hoc aut est, aut fore potest determinatum est; at vero corpus quod sursum, & deorsum fertur potest in hoc fore, cũ omne corpus simplex quod mouetur motu recto natum sit moueri, vel ad mediũ, vel à medio; si à medio vsq; ad circumferentiã cęli, erit corpus extremũ; si non vsq; ad talem circũferentiã, sed prope, sicut est aer, erit in medio; si vero ad mediũ, vel vsq; ad vltimum, seu vsq; ad centrum, erit determinatum, vt declaratum est in præcedenti textu; si non sic vsq; ad cẽtrum, sed prope, vt aqua, erit in hoc loco medio, & sic quoq; determinatũ erit; patet ergo omnia quatuor simplicia corpora, quæ elementa dicuntur finita, ac terminata esse. Tex. 45.

Ex

Tex. 46. *Ex his itaque manifestum est, quod non contingit corpus esse infinitum, neque mobile motu recto, neque circulari, sed de his quæ motu recto mouentur adhuc idem probemus. Si grauitas non est infinita, neque vtique horum corporum vllum erit infinitum, necesse enim est infiniti corporis infinitam esse grauitatem; eadem autem ratio erit & de leuitate. Quod autem necesse sit infiniti corporis esse infinitam grauitatem, vel leuitatem: (postea probabimus esse impossibile dari grauitatem, vel leuitatem infinitam, vnde concludemus, quod neque possit dari infinitum corpus) modo probemus.*

Tex. 47. *Patet autem ex his quod infiniti corporis non sit finita, sed infinita grauitas. Ponamus ergo quod sit finita, & designetur corpus infinitum per A B, & grauitas ipsius designetur per C, auferatur ab ipso corpore infinito finita magnitudo, & vocetur B D, & assignetur grauitas eius, quæ vocetur E, ipsa igitur grauitas talis partis, minor erit grauitate totius corporis infiniti, nam grauitas minoris corporis, minor est grauitate maioris, si sint corpora eiusdem rationis, vt supponimus, aliter non esset verum, quia parum plumbi maiorem habet grauitatem, quam maius lignum; hæc igitur grauitas minor partis mensuret alias partes grauitatis eiusdem infiniti corporis quoties libet, & vt se habet grauitas minor ad maiorem, ita pars corporis minor, ad maiorem, hoc est sicut augetur, vel sumitur maior grauitas, ita augeatur, vel sumatur maior pars corporis. Si ergo proportionales sunt magnitudines grauitatibus, minor autem grauitas minoris est magnitudinis, & maior vtique erit maioris. Si hoc inquam ita se habet, sequitur quod grauitas corporis finiti, erit æqualis grauitati corporis infiniti; quod facilius sic declaratur. Accipiatur grauitas corporis infiniti, quæ finita sit, ac designetur, ita vt sit verbi gratia viginti, tunc accipiatur aliqua pars corporis (non eiusdem infiniti, sed dicatur pars per æqualitatem partis, quæ ab ipso infinito accipi potest, quia si semper partes ab ipso infinito acciperentur, etiam si grauitas eius finita ponatur, tamen aliquæ partes nunquam ipsam adæquabunt, & sic non erit verum quod finiti, & infiniti æqualis esset grauitas, nam illa grauitas infiniti corporis intelligi posset diffusa æqualiter per totum, & sic ab aliquibus partibus tantum nunquam adæquaretur) Accipiatur dico aliquod finitum corpus diuersæ naturæ ab infinito, & secundum se magis graue, itavt si infinitum cogitaretur de natura, & grauitate ligni, aliud corpus finitum sit de grauitate plumbi, & tunc hæ partes corporis finiti sic augeri possent cum augmento grauitatis, quod peruenirent ad grauitatem corporis infiniti, quæ finita ponitur; & sic corporis finiti, & infiniti, æqualis esset grauitas. Amplius. Si maioris corporis, maior est grauitas, ipsius partis maioris accepta finiti corporis maior erit grauitas, quam minoris, quare si sumatur adhuc maior grauitas talis prædicti corporis finiti, erit maior grauitas ipsius, quam infiniti, & inæqualium etiam magnitudinum eadem grauitas erit; inæquale enim est finitum infinito; hoc autem est absurdum; loquendo de inæqualitate tam improportionata, quanta est inter finitum, & infinitum, aliter non esset absurdum, vt patet de ligno, & plumbo.*

Tex. 48. *Nihil autem refert si sumantur semper grauitates æquales, vel inæquales, quia etiam si inæquales sumantur, idem sequitur, seu eadem ratio erit, vt si vna pars grauitatis ter sumpta, excedat, vel excedatur ab alia parte grauitatis, tamen sumptis tribus magnitudinibus earum grauitas maior erit, quam ea quæ accepta fuit, & sic possent tot partes accipi magnitudinis, & cum tali proportione, quod fieret talis æquatio, vel commensuratio finiti ad infinitum, & sic erit idem impossibile.*

Tex. 49 *Amplius autem contingit grauitates commensurabiles sumere, quia nihil referet incipere mensurationem, vel æqualitatem à grauitate an à magnitudine, ita quod possumus accipere æqualem grauitatem etiam si ex parte magnitudinis sit inæqualitas, vt si grauitas vnius libræ esset in vno palmo magnitudinis, & grauitas eiusdem ponderis in alia quantitate sit in duobus palmis, quapropter æqualem accipere possumus, ac intentum habebimus, quod scilicet ad hoc deueniemus, quod finiti, & infiniti erit æqualis grauitas. Hoc autem quod diximus exemplis alijs illustremus. Vt si sumatur æqualis grauitas ipsi C, idest grauitati, quæ est in minori magnitudine, sit æqualis, vel sumatur æqualis ipsi E. seu grauitati, quæ est in maiori quantitate, & ab ipso infinito auferatur hæc maior quantitas, quæ habet grauitatem E, & tota ista quantitas cum tali grauitate vocetur BD, deinde vt se habet grauitas minoris partis magnitudinis, ad hanc maioris, ita fiat comparatio ad aliam partem magnitudinis, quæ potest vocari B F; contingit enim infinita existente magnitudine quantumuis auferri. His enim sic sumptis commensurabiles erunt, & magnitudines, & grauitates inuicem; magnitudines secundum eandem mensuram, grauitates secundum idem pondus, siue sint in æquali quantitate, siue non.*

Tex. 50. *Nihil igitur refert ad demonstrationem, si magnitudo sit similis, vel dissimilis grauitatis, semper enim est assumere æque grauia corpora ipsi B D, seu ipsi parti quantitatis sumptæ, etiam si quantitas alia sit inæqualis; ab infinito namq; possumus quantum volumus auferre, aut addere de partibus designabilibus in ipso. Si ergo corporis infiniti sit finita grauitas, sequitur ex prædictis, quod grauitas corporis infiniti possit esse æqualis cum grauitate corporis finiti, quod est absurdum. Quare manifestum est ex dictis, quod non erit infiniti corporis finita grauitas. Infinita igitur erit. Si ergo hoc probabimus impossibile esse, infinitum aliquod esse corpus similiter impossibile esse probatum erit.*

Tex. 51. *At vero quod infinitam quandam esse grauitatem impossibile sit, ex his manifestum erit. Si enim tanta grauitas per tantum spatium, in hoc tempore mouet, tanta adhuc, & plus in minori mouebit, & eam proportionem quam grauitates habent, tempora è contrario habebunt, videlicet, quo maior sumitur grauitas, minus erit tempus in quo mouebit, & quo minor erit grauitas, maius erit tempus, vt si dimidia grauitas in hoc tempore mouebit, v. g. in vna hora, & dupla mouebit in dimidio huius, seu in dimidia hora.*

Tex. 52. *Præterea finita grauitas omnem finitam lineam transibit, in quoddam tempore finito. Quare ex his necessariò sequitur, quod si est aliqua grauitas infinita, ipsa moueat, & non moueat; moueat quidem quatenus tanta est, quanta finita, & etiam maior, non moueat autem, quatenus debet mouere secundum excessum proportionis grauitatũ, & temporis ad tẽpus, vt supra declaratũ est, videlicet quod maior grauitas mouet in minori tẽpore, sed si grauitas esset infinita hæc proportio nõ seruaretur; quia si maior mouet in minori tempore infinita moueret in non tẽpore, quod implicat, quia in non tempore, hoc est in instanti non fit motus, non seruaretur igitur proportio nec ex parte grauitatis, nec ex parte temporis; non ex parte grauitatis, quia finiti ad infinitum non est proportio; non ex parte temporis quia tempus, ad non tempus similiter proportio-*

Tex. 60. *Præterea. Corpus est, quod vndique dimensionem habet, scilicet in longum, latum, & profundum, ergo dimensiones talia constituentia corpora erunt infinitæ, & sic vnumquodque illorum, ex qualibet parte erit infinitè extensum, ac omnia occupabit; quare, aliud secum non permittet, & sic non potest esse aliquod corpus dissimilare infinitum, quod videlicet ex elementis infinitis constet; de cælo autem in præsenti sermone nulla est facta mentio, quia ipsum non ingreditur compositionem alicuius, sed peculiaris habebitur sermo in sequentibus.*

Tex. 61. *At vero neque totum aliquod corpus similare contingit esse infinitum. Probatur primum, quia non datur alius motus præter prædictos, scilicet rectus, & circularis, loquendo de motu simplici correspondente corpori simplici, quod maximè & ante alia est similare, ergo si erit corpus similare infinitum habebit vnum horum motuum, si autem hoc erit: accidet, quod esset grauitas, vel leuitas infinita, quod suprà impossibile esse probauimus. Si autem dicatur, quod hoc argumentum valet, si ponatur tale infinitum corpus similare esse vnum ex elementis, quæ motu recto mouentur, ac grauitate pollent, & leuitate; tamen de corpore circulari, quod neque est graue, neque leue, argumentum non est ad propositum. Si quis inquam sic dicat, nihil facit, quia neque corpus, quod circulo fertur, potest esse infinitum, nam impossibile est aliquod infinitum moueri circulariter, vt supra declaratum est in summa septima; nihil autem refert hoc dicere, videlicet, quod aliquis motus circularis possit esse infinitus, aut dicere, cælum infinitum esse, at cum ostensum sit in præcitata summa, hoc esse impossibile, quod nempe sit motus circularis infinitus (eo modo quo illic exposuimus) ergo neque corpus rotundum erit infinitum.*

Tex. 62. *At vero neque omnino contingit infinitum moueri, ergo non datur, quia omne corpus naturale est mobile; quare si aliquod daretur immobile non esset corpus naturale, quod supra probauimus esse absurdum. Quod autem infinitum moueri non contingat, probatur; nam aut mouebitur secundum naturam, aut violentia, si mouebitur violentia, conueniet ipsi moueri secundum naturam, nam violentum supponit naturale, ita quod nihil dicatur violentum, nisi quod mouetur alio modo, quam sit ex sua natura aptum moueri, & sic violentum fundatur in naturali, seu in aptitudine naturæ, quod idem est. Si ergo violenter moueatur, habebit alium proprium locum, ad quem naturaliter feratur; hoc autem est impossibile, quia sic non occuparet omnia loca, ac per consequens non esset infinitum. Si verò moueretur naturaliter tantum, deberet habere locum naturalem ad quem moueretur, & à quo contineretur, & sic neque esset infinitum, nam contineri localiter repugnat infinito, hoc ergo valet de his, quæ mouentur motu recto, sicut sunt grauia, & leuia; de motu circulari adhibeatur ratio superius adducta, & erit vniuersalis conclusio, quod videlicet, nullum sit corpus infinitum.*

Violentum supponit naturale.

Tex. 63. *Præterea, si daretur corpus infinitum, necesse est, quod ageret, vel pateretur, cum in natura nihil sit otiosum. Sed impossibile est, ergo impossibile est quod detur. Probatur minor, nam si ageret, vel pateretur, hoc esset respectu corporis finiti, vel infiniti, ita vt ageret in corpus finitum, vel ab ipso pateretur, vel ageret, aut pateretur ab infinito. Sed nullo modo esse potest, ergo non datur. Quod autem omnino impossibile sit infinitum à finito pati aliquid, aut finitum facere aliquid circa infinitum, ex his manifestum erit. Sit enim infinitum patiens quod vocetur A, finitum vero agens vocetur B, tempus autem in quo agens finitum aliquomodo mouet ipsum infinitum vocetur C, si itaque ab ipso agente finito, infinitum, calefactum est, aut pulsum, aut aliquid aliud passum, aut etiam quouis modo motum in tempore prædicto, tunc accipiatur aliud agēs finitum, minus prædicto, & vocetur D, & minus in æquali tempore minus moueat; accipiatur autem passum, seu alteratum ab ipso D, quod sit quoque finitum, & vocetur E: sicut ergo se habet D ad B, hoc est agens finitum ad finitum, sic se habebit E ad finitum aliquod, hoc est, sic se habebit patiens finitum, ad aliquod finitum, sed cum infinito non habebit proportionem, cùm inter finitum, & infinitū non sit proportio; ergo si ponatur infinitum pati aliquid ab agente finito, aliud quoque finitum ab alio finito agente pati poterit, & sic passio corporis finiti, & infiniti haberent proportionem, & æqualitatem, cum vtraque ab agente finito fit, hoc autem est impossibile, propter improportionem finiti ad infinitum; ergo à finito aliquid pati non potest corpus infinitum. At si diceretur, quod licet non possit pati secundum se totum, tamen potest pati secundum aliquam partem, hoc nihil est; quia sic, non secundum quod est infinitum pateretur, sed prout finitum est; pars namque finita esset, & hoc modo esset contra assumptum, quia scilicet, non infinitum, sed infinitum pateretur.*

Tex. 64. *Sit itaque quod æquale quidem est, in æquali tempore æquale alterans, quod autem minus est in æquali tempore minus, quod autem maius, maius, tantum autem plus alterabit, quantum proportionale erit in excessu, id quidem quod maius est ad minus. Non igitur infinitum ab vllo finito mouebitur vllo tempore, nam aliud minus ipso finito in æquali tempore, à minori agente mouebitur secundum proportionem agentis, & patientis, ergo in æquali tempore, vel saltem proportionali finitum erit mouens, & mobile cum infinito, sed infinitum ad finitum in nulla proportione est, cuius ratio est; quia proportio consistit in quadam habitudine, & conuenientia secundum aliquem determinatum excessum, vel agendi, vel mensurandi, &c. sicut dicimus, octo habere proportionem ad quatuor, quia secundum excessum duplum excedit. Sed in infinito nihil est determinatum, ergo nulla proportio ad finitum habere potest.*

Finitum ad infinitū non est proportio cur sit verum.

Tex. 65. *At vero neque infinitum vllum in tempore aliquo mouebit finitum. Probatur, sit enim infinitum quod vocetur A, finitum vero sit B, tempus autem in quo fit talis actio, & passio sit C. Accipiatur aliud finitum agens, quod vocetur D, hoc autem mouebit aliquod finitum corpus, minus tamen eo quod ab infinito moueri ponimus, quia est minoris virtutis, sed tamen in eodem tempore C, quia minus in eodem tempore minus mouet, seu per breuius spatium; sit autem hoc, quod mouetur ab alio agente finito F: tunc sic arguamus. Sicut se habet mobile finitum motum ab agente finito, sic mobile finitum motum ab agente infinito; nam in eodem tempore mouentur, sed impossibile est; nam in minori tempore supponebatur mouere, quod est virtute maius, ita vt tempus sumptum semper idem facies, hoc est erit semper minus, quo maior erit virtus mouentis, & in corpore infinito est virtus infinita, vt in 8. Physic. declarauimus, ergo vel est ponendum agere tempore aliquo determinato, quod est absurdum ob prædictam rationem; vel non erit tempus vllum in quo mouebit, sed in instanti, quod etiam est absurdum, quia tempore infinito, hoc est in instanti (quod tempus infinitum dicitur, negatiuè, prout omni caret quantitate, & termino) non est mouisse, neque motum esse, quia instans non habet finem, neq; terminum,* actio

In instanti non fit actio.

actio autem, & passio habent, vel intelligatur sic. Si agens infinitum ageret circa finitum, vel hoc esset tempore aliquo determinato, & finito, vel tempore infinito; non primo modo, quia actio eius æquaretur ab actione finiti, quod est absurdum; neque secundo, quia omnis actio est in aliquo tempore determinato non tempore infinito, prima tamen expositio est magis consona vero, & ijs, quæ dicta sunt in 8. Physic. presertim si ponamus in magnitudine infinita non esse virtutem finitam, & in minori tempore, maiorem virtutem agere; secunda autem videtur magis literalis.

Tex. 66. Neque infinitum igitur ab infinito contingit aliquid pati. Probatur, sit vnum infinitum, quod vocetur A, aliud vero B, tempus autem in quo vnum ab alio passum est, sit CD. Pars autem infiniti passa sit in vna parte temporis, quia ipsum totum infinitum passum est non in æquali tempore cum aliqua eius parte, nam supponi debet in minori tempore moueri, quod minus est, saltem si per intellectum fiat diuisio, vel applicatio; sit igitur pars infiniti, mota ab ipso infinito agente in parte temporis; sicut igitur se habet pars temporis ad totum tempus, sic se habet pars ipsius mobilis ad totum; quare necesse est, quod ipsa pars mobilis infiniti mota sit in eodem toto tempore, quo totum motum est (sic tamen quod proportionaliter sibi tribuatur pars temporis in toto infinito contenta) nam supponebatur ab eodem in maiori, & minori tempore maius, & minus pati, quæcunque proportionaliter tempori diuisa sunt, hoc est, quod in minori tempore mouet maior virtus, & sic semper diuidendo magnitudinem & virtutem, itaque ipsum mouens infinitum moueat aliud infinitum, vel de loco ad locum, vel de qualitate ad qualitatem, & ab ipso non sint partes separatæ, clarum tunc est, quòd eodem tempore mouebit totum, & omnes partes, quia si aliqua pars quiesceret, totum non moueretur, vt patuit in 7. Physic. circa principium; si ergo infinitum, moueret infinitum tempore aliquo, eodem tempore moueret quamlibet eius partem finitam, & sic finitum, & infinitum eodem tempore mouerentur, quod est absurdum; quia minus in minori moueri oportet, vt supposuimus; nec est recurrendum ad tempus infinitum, vel ad instans, quia hoc satis reprobatum est superius, & etiam idem statim breuiter tangemus.

Tex. 67. In nullo igitur tempore finito possibile est infinitum ab infinito motum esse; in infinito ergo, sed tempus infinitum quidem non habet finem, quod autem motum est habet, ergo non potest in infinito motum esse, vel moueri, cum motus, & tempus se commensurent, vt in 6. Physicorum visum est.

Tex. 68. Si igitur omne corpus sensibile habet virtutē actiuam, aut passiuam, aut ambas, impossibile est, esse corpus infinitum sensibile, quia hoc nullam haberet virtutem, actiuam, nec passiuam, vt probatum est, & sic, vel non esset corpus naturale, vel esset in natura otiosum; quorum vtrumque est absurdum, nam corpus præter naturalem non datur in re, (Mathematicum namque est per intellectum abstractum) nec otiosum esse aliquid potest, cùm id non permittat natura.

Tex. 69. At vero, & quæcunque quidem corpora in loco sunt omnia sunt sensibilia, non est igitur vllum corpus infinitum extra Cælum. At vero neque vsque ad aliquid, hoc est, neque extra ipsum Cælum datur corpus determinatum, & finitum, nullum igitur omnino corpus est extra Cælum, neque intra potest aliquod infinitum esse, quia si intra est ab ipso Cælo continebitur, ac contineri infinito repugnat, non igitur datur corpus sensibile aliquod infinitum, imò neque intelligibile (dicitur corpus intelligibile, *Corpus intelligibile.* quod abstractione consideratur, sicut sunt corpora mathematica) nam si intelligibile daretur, erit etiam in loco, quia nec potest plena intellectione intelligi, nisi intra, vel extra Cælum, si debeat habere conformitatem cum veritate, sed extra, & intra locum significant: sunt etenim eius differentiæ, quare si in loco secundum veritatem erit, licet per intellectum abstractum, erit etiam sensibile; sensibile autem nullum est non in loco. *Omne sensibile in loco est.*

Tex. 70. Rationabilius autem, ac breuius sic eandem rationem aggredi possumus. Omne corpus sensibile, vel naturale mobile est, vel motu circulari, vel recto; sed corpus infinitum neutro moueri posset, ergo non datur. Probatur minor, nam omne quod mouetur circulariter, mouetur circa medium, sed infiniti non est medium, (quia medium dicitur, quod æquè distat ab extremis, quæ extrema non habet infinitum, nam esset terminatum) ergo circulariter non moueri potest. At vero neque super recta possibile est ferri infinitum, nam oporteret duo esse loca; vnum ad quem ferretur secundum naturam; alterum ad quem violenter, cùm omne quod naturaliter motu recto mouetur, possit quoque violenter moueri, & sic cum essent duo loca, & moueri posset de vno ad alium, non esset infinitum, cum infiniti ratio sit omnia occupare.

Tex. 71. Amplius, siue naturaliter habeat motum eundi in rectum, siue violentia, vtroque modo oportebit infinitam esse potentiam mouentem, etenim infinita infiniti corporis est, & infiniti infinita vis, quare erit mouens infinitum. Ratio autem huius assignata est in ijs, quæ diximus de motu in 8. Physic. quod nihil finitorum virtutem habet infinitam, neque infinitorum quicquam, virtutem habet finitam. Si igitur aliquod violenter, & naturaliter contingit moueri; erunt duo infinita, & quod mouet, & quod mouetur, quod est impossibile.

Tex. 72. Amplius quid est id quod infinitum mouet. Si enim ipsum seipsum moueat, motu indifferenti, ac in eius potestate sit sistere, animatum erit; si vero ponatur moueri à se, vt grauia, & leuia adhuc erit aliud mouens ipsum ad actum primum, nempe generans, & sic erunt quoque duo infinita, at si moueatur veluti animatum, (præter id quod diximus de generante) est proprium absurdum, videlicet, quod aliquod animatum sit infinitum, quod est absurdum; nam debitis organis, & quantitate omne animal necessariò terminatum esse debet. Si iterum dicatur esse inanimatum, & ab alio moueri, duo erunt infinita, differentia secundum naturam, vel formam, ac secundum potentiam; cùm vnius sit pati tali alius agere, quod impossibile esse, pluries probauimus.

Tex. 73. Si autem Vniuersum, quod à quibusdam infinitum ponitur, non sit continuum, sed quemadmodum dicit Democritus, & Leucippus, corpora ipsius disterminata, seu diuisa sunt vacuo intercidente, ita tamen (vt ipsi quoque asserunt) sint talia corpora eiusdem naturæ, ac veluti arenæ auri diuisæ; necessarium est omnium vnum esse motum, nam sunt tantum disterminata, vel diuisa figuris, vt ipsi dicunt, non autem natura, alia namque sunt rotunda, alia quadrata, &c. si inquam tantum figuris distinguuntur, necesse est omnium vnum esse motum, nam quo fertur tota terra, illuc fertur qualibet eius gleba, & quo totus ignis, & qualibet scintilla, cum sint eiusdem naturę. Quare si hoc erit, uel omnia corpora essent grauia, uel omnia leuia, quorum vtrunque est absurdum, quia periret locus, ac motus sursum, vel deorsū, & totus Vniuersi ordo.

Præterea

Tex. 74. *Præterea, si leuitatem habet, ei erit locus infinitus in vltimo Vniuersi, ad quem leuia feruntur, videlicet concauum Lunæ, vel medium (scilicet centrum) si tale corpus sit graue. Vtroque autem modo impossibile est, cum infinitum sit, in quo nec medium, nec vltimum assignari potest, omnino autem vbi non est medium, aut vltimum, neque hoc quidem erit sursum, hoc verò deorsum, & sic non erit aliquis locus alijs corporibus, ac per consequens neque motus, necesse est enim moueri omne corpus, aut naturaliter, aut violenter; hæ autem determinata sunt locis, & proprijs, & alienis. Proprijs in motu naturali, alienis in violento.*

Tex. 75. *Præterea, si vbi aliquid manet, præter naturam, aut præter naturam fertur, necesse hunc locum conuenire alteri secundum naturam, & è contra (quod inductione patefieri potest; ignis enim quia deorsum fertur, & manet præter naturam, terra ibi manet, & illud fertur naturaliter) necesse sane est, non omnia grauitatem habere, aut leuitatem, sed hæc quidem habere grauitatem, hæc verò leuitatem, prout ad loca contraria nata sunt ferri, & ibi manere; si verò infinitum aliquod esset, hoc tolleretur, quia omnia occuparet, & sic non esset distinctio grauium, & leuium. Quod igitur infinitum non sit Vniuersum, ex his quæ diximus notum est.*

SVMMA OCTAVA.

De vnitate Mundi.

CAPVT I.

Ponuntur quædam propositiones attinentes ad resolutionem huius quæstionis de vnitate Mundi.

Tex. 76. *CVr autem neque possibile sit plures esse Mundos nunc dicamus; hoc enim diximus esse considerandum, si quis non putet vniuersaliter ostensum esse de omnibus corporibus (quod videlicet impossibile sit extra Mundū hunc esse, quoduis eorum) sed credat dictam rationem esse indefinitè de aliquibus tantum, maximè de elementis. Declarabimus autem id, aliquas supponendo propositiones ad propositum attinentes. Prima, omnia corpora grauia, & leuia, quiescunt, & mouentur naturaliter & violenter. Secunda. In eo loco quo manent secundum naturam, in ipsum quoque feruntur secundum naturam, & è conuerso, scilicet quo feruntur naturaliter, ibi naturaliter manent. Tertia. In quo violenter manent, violenter feruntur, & in quem violenter feruntur violenter manent, vt quia ignis fertur naturaliter sursum, ibi naturaliter manet, & quia ibi naturaliter manet, etiam naturaliter fertur; deorsum verò, quia fertur violenter, etiam manebit violenter. Quarta. Motus, qui alicui est violentus, alteri erit secundum naturam, & è contra, vt motus sursum terræ est violentus, igni verò naturalis.*

CAPVT II.

Demonstratur vnitas Mundi.

Tex. 77. *HAbitis præcedentibus suppositionibus, nunc ad propositum accedamus, ostendendo videlicet vnum tantummodo esse Mundum, nec plures esse posse. Si plures essent Mundi, accipiamus terram alterius Mundi, & istius nostri, & sic arguamus. Terra alterius Mundi, aut mouebitur ad medium, seu centrum, quod in hoc Mundo est violenter, vel naturaliter (supposito quod omnia corpora naturalia sint apta moueri) si mouebitur violenter, hæc terra mouebitur hinc illuc naturaliter, & si manet hic naturaliter, motus, qui illinc fit non erit violentus, sed naturalis; nam vnus est motus secundum naturam cuiuslibet simplicis corporis, ergo cum terra istius, & alterius Mundi esse debeant eiusdem naturæ, vnum tantum naturalem motum habebunt, ideo si erit ad hoc nostrum centrum, alter motus ad centrum alterius mundi erit violentus, & è conuerso. Hæc omnia ex suppositionibus prædictis sunt manifesta. Quid autem ex hoc, quod modo in præsenti textu diximus sequatur ad propositum, videbitur statim in textu 79. ad cuius tamen maiorem euidentiam, aliud declarandum est, vt sequitur.*

Præterea necesse est omnes Mundos ex eisdem esse corporibus, ac similes secundum naturam, ita vt vnumquodque corporum tam illius, quam istius Mundi habeat eandem potentiam, & virtutem, dico ignem, terram, & quæ inter hæc media sunt, scilicet aer, & aqua; ita videlicet, quod sicut ignis istius Mundi est leuissimus, calidus, & siccus, sic ignis alterius se habeat, & eodem modo de alijs elementis dicatur. Si enim non sic se habebunt, sed erunt diuersæ naturæ, ita vt ignis æquiuocè dicatur de isto, & illo, & similiter terra, & alia corpora, etiam Mundus æquiuocè diceretur de isto, & illo, & sic nulla esset quæstio, nec difficultas; palam enim est, quod secundum æquiuocationem plures sunt Mundi, vt verus, & pictus, magnus, & paruus. Quærimus ergo de pluribus Mundis eiusdem naturæ, ita quod elementa vnius sint eiusdem speciei cum elementis alterius, sic namque est difficultas, & quæstio. Si ergo sic ponendi sunt eiusdem naturæ, palam est, quod tam in isto, quam in quouis alio Mundo, corpus simplex vel est natum ferri à medio, & erit corpus leue, vt aer, & ignis, vel ad medium, & erit graue, vt aqua, & terra; si videlicet ponamus (vt poni debet) esse ignē eiusdem speciei cum igne alterius Mundi, & sic de alijs elementis, sic inquam eiusdem speciei, sicut partes ignis, quæ sunt in hoc Mundo sunt eiusdem speciei cum ipso igne. Quod autem necesse sit sic se habere, ex ijs suppositionibus, quæ circa motum superius dictæ sunt, manifestum est: nam motus finiti sunt, & vnumquodque elementorum dicitur secundum vnumquemque motum, ita vt vnius sit vnus motus naturalis. Tex. 78.

Quare si motus ijdem sunt, eorum elementorum, & istorum, & elementa necesse est esse vbique eadem, & è contra. Quare partes terræ alterius Mundi nata essent ferri ad hoc medium, sicut partes terræ, quæ hic est; similiter ignis, qui ibi est, natus esset moueri ad hoc extremum, seu ad locum, ad quem ignis nostri Mundi mouetur. Hæc namque omnia necessaria sunt ex suppositis, maximè quod vnius corporis simplicis sit vnus motus simplex, & ad vnum locum numero, & quod elementa istius Mundi, & alterius, sint eiusdem speciei. Ex istis (inquam) suppositis sequitur, quod si sint plures Mundi, terra alterius ferretur ad centrum nostri Mundi, & ignis illius ad locum nostri ignis, vel è conuerso, scilicet terra nostra ferretur ad centrum alterius Mundi, & ignis ad locum illius ignis, & sic de alijs elementis, quod est impossibile. Si enim hoc accidat, necesse est, quod terra alterius Mundi moueatur sursum in alio Mundo; nam debet ex proprio centro discedere Tex. 79.

scedere, & versus Cęlum proprij Mundi moueri, vt huc veniat, sed sic moueri à centro versus Cęlum est sursum moueri; idem potest dici de terra nostra, si ad centrum illius Mundi moueretur, discederet namque à medio versus nostrum Cęlum, ut illuc pergeret, eo quod sic Mundi (si plures ponantur) positi erunt, videlicet vnus iuxta alium, ad similitudinem duarum pilarum se tangentium, nec aliter imaginandum est: si enim vnus alterum circundaret, esset absurdum; nam (præter alias rationes) non duo Mundi essent, sed vnum integrarent, sine ordine. Positis igitur prædicto modo Mundis, sequitur quod diximus, videlicet, quod terra ista, vel illa sursum ascenderet, & ignis similiter vel iste, vel ille descenderet ad medium proprij mundi; nam de ratione ignis est manere sursum, ita vt tangat concauum vltimi Cæli per totum, et sic circulariter; quare si ex omnibus partibus debet ad alium mundum accedere: discedendo ex proprio loco, necessariò transibit per medium proprij Mundi, vt cuilibet rectè intelligenti facile erit cognoscere. Hæc autem omnia sunt impossibilia, ergo impossibile est esse plures Mundos.

Tex. 80. *Aut enim non ponendum est eandem esse naturam simplicium corporum in pluribus Mundis, aut dicentes vnam esse naturam ipsorum, necessariò debent ponere vnum centrum vtriusque, vel etiam plurium (eandem namque ratio militat de multis) ac similiter vnum extremum, ad quæ corpora grauia, & leuia moueantur, cùm ad eundem tendant locum, vt supra exposuimus. Sed absurdum est plurium Mundorum esse vnum centrum, ac vnum extremum. vt declaratum est; ergo impossibile est esse plures Mundos. Si vero ponantur Mundi diuersæ naturæ, iam visum est in textu 78. quod Mundus æquiuocè de ipsis diceretur, & quæ absurda ex hac positione sequerentur.*

CAPVT III.

Soluuntur quędam dubitationes, quibus existimari posset plures esse Mundos.

Tex. 81. *Existimare autem aliam esse naturam simplicium corporum, si distent plus, vel minus à proprijs locis irrationabile est. Quid enim refert dicere, quod distent tanta longitudine, vel tanta? nam differrent solum secundum rationem maioris, vel minoris distantiæ, forma autem, vel natura eadem esset, quare esset idem motus, & eadem quæ supra induximus sequerentur. Si quis vero dicat, nullum esse motum ipsorum, ideo hoc non sequi, falsum est.*

Tex. 82. *Nam necesse est aliquem esse motum ipsorum, cùm ponantur corpora naturalia, quæ mouentur. Sed fortè quis dicere posset, quod non naturaliter, sed violenter moueantur, vnde prædicta non sequuntur absurda, quia nullum videtur inconueniens, quod terra sursum, ignis verò deorsum violenter moueantur. At neque hoc bene dicitur. Nam quod omnino non est natum naturaliter moueri, impossibile est, quod hoc violenter moueatur; violentum namque supponit naturale, vt in 4. Physic. tex. 67. dictum est. Si igitur est aliquis motus ipsorum secundum naturam, necesse est eorum corporum, & singulorum, quæ sunt eiusdem speciei ad vnum numero locum existere motum, vt si sint corpora grauia, ad hoc, vel illud medium. Si vero leuia, ad hoc, vel aliud extremum, & sic iterum incidimus in absurda inducta in textu 79.*

Si autem quis dicat, quod corpora simplicia diuersorum Mundorum sunt quidem eiusdem speciei, differunt autem numero; quia singula elementa plura sunt, vt plures ignes, vel terræ, &c. sed specie vnumquodque est indifferens, sic tamen quod differre numero, & conuenire in specie, non conueniat huic parti tantum, hoc est tantum partibus elementorum istorum Mundorum, sed similiter omnibus, ita quod omnes ignes sint numero differentes, & specie conuenientes, et similiter alia elementa, ac ipsi quoque integri Mundi: similiter enim omnes secundum speciem indifferentes sunt adinuicem, numero autem altera est, quæcunque pars à quacunque; quamobrem non est inconueniens, quod sint quoque plura loca, non specie, sed numero differentia, ita quod neque terra illius Mundi ad nostrum feratur, neque hæc ad illum, & sic de alijs elementis. Sed grauia illius Mundi ad medium, illius moueantur. Leuia verò ad extremum, & sic sint plura loca, ac corpora, & Mundi numero tantum differentes, & nullum absurdum sequetur. Tex. 83.

Dico autem hoc ad hanc dubitationem, quod si partes, quę hic sunt, & quæ in altero Mundo adinuicem similiter se habent & sunt eiusdem speciei, ita quod partes sumptæ hinc nihil differenter se habeant ad aliquam earum partium, quæ in alio Mundo sunt, sed similiter, sed differant solum numero, ac propter hoc debent poni plura loca numero diuersa; eadem ratione in hoc Mundo deberent poni plura media loca, & plura extrema, cùm partes grauium corporum, numero differant, & similiter partes leuium. Sed tamen hoc est falsum, nam omnia corpora eiusdem specie tendunt ad eundem locum numero. Non igitur ad saluandos plures Mundos, sufficit ponere plura loca solum numero differentia. Tex. 84.

Quare necessarium est, aut dimouere has suppositiones de vnitate numerali loci, & de tendentia ad eundem locum corporum eiusdem speciei, & alias ad hoc pertinentes, & superius positas in textu 76. aut confiteri, vnum tantum esse medium, & vnum extremum locum. Hoc autem existente verò, necesse est, Mundum vnum solum esse, & non plures, quod eisdem prædictis argumentis, & necessarijs suppositionibus patet. Tex. 85.

CAPVT IV.

Declarantur quędam propositiones, quibus vnitas Mundi concludebatur.

Quod autem sit aliquid, quo nata est terra ferri, & ignis, palam est ex alijs mobilibus, & alijs motibus; nam omne quod mouetur ex quodam in quiddam determinatum mutatur, qui termini ex quo, & in quem specie differunt, quare cum omne quod mouetur prædictis terminetur terminis secundum suum motum, omnis mutatio finita erit, ac duobus terminis limitata; vt quod sanatur ex morbo tendit ad sanitatem, & quod augmentatur ex paruitate in magnitudinem, ergo similiter quod mouetur localiter terminari debet, ita vt motus eius sit alicunde, aliquo, hoc est de aliquo, ad aliquem locum; oportet autem, quod terminus à quo, & terminus ad quem ipsius motus localis naturalis specie differant, ita vt non possit mobile naturale moueri quo contingerit, & quasi à casu, vel quo vult mouens, sed quo aptum est moueri; nam in alijs quoque motibus tales specie differentes termini reperiuntur, vt quod sanatur, ex ægritudine pergit Tex. 86.

ad

ad sanitatem, qui termini specie differunt, & sic dicatur de alijs, vt supra exemplificatum est. Si ergo hæc ita se habent, sequitur quod ignis & terra, ac alia quoque elementa non in infinitum feruntur, hoc est non ad interminatum, sed ad opposita determinata loca. Opponuntur autem secundum locum sursum, & deorsum, quare isti sunt termini motus localis, & sic non oportebit plura, & diuersa loca ad placitum assignare ad saluandam pluralitatem Mundi, quia tales assignationes essent vanæ, & sine fundamento.

Tex. 87. *Imò sic omnes motus sunt inter oppositos terminos, quod etiam in ipso circulari (cui nullum contrarium esse motum probauimus) est aliquam oppositionem inuenire, quæ determinatos insinuat terminos. Vnde si motus circularis consideretur, prout ex eodem puncto in idem fit, contrarium & oppositum non habet, quia idem non contrariatur sibi ipsi; si vero consideretur linea recta ducta ex vna parte circumferentiæ concauæ ad aliam, sic quod transeat per centrum, & vocabitur talis linea diameter, sic terminos oppositos inuenire possumus in motu circulari, nempe duo puncta extrema prædicti diametri; quare licet simpliciter vniuerso, vel cęlo non sit aliquod contrarium, tamen aliquomodo his positis punctis motus ad opposita fit, & finita est talis oppositio, vel latio; necesse est igitur esse aliquem terminum ipsius circularis motus, modo exposito, & non in infinitum, seu indeterminatè ferri. Si ergo hoc in motu circulari (de quo minus apparet) est verum, multo magis habebit veritatem in motu recto.*

Tex. 88. *Quod autem terra, ignis, & alia elementa non in infinitum, sed ad loca determinata ferantur, potest sumi coniectura ex hoc, nam terra quidem quanto propinquior fuerit medio, ignis autem quanto propinquior fuerit ei loco, qui sursum est velocius feruntur. Si ergo infinitum esset spatium pertranseundum, vtique infinita esset velocitas; si velocitas sit infinita, similiter infinita esset grauitas, & leuitas, nam à maiori grauitate, vel leuitate prouenit maior velocitas. Vnde sicut quod deorsum magis tendit velocitate, quam aliud, grauitate vtique est velox, sic si in infinitum esset incrementum velocitatis, esset etiam infinitum incrementum grauitatis, & è conuerso, ac eodem modo de leuitate respectu motus sursum dicendum est. Sed non datur grauitas, nec leuitas infinita, vt in textu 51. & inde probatum est; ergo neque dabitur infinita velocitas, ergo neque infinitum spatium, vel locus, vbi talis velocitas per motum exerceri debeat, ac denique neque indeterminatus locus, sed determinatus, ac finitus alteri oppositus.*

Tex. 89. *At si quis dicat, elementa moueri ad loca sursum, & deorsum, non naturaliter, sed violenter, & sic non oportere, quod si locus sit indeterminatus, & infinitus, quod velocitas eorum augeatur in infinitum, & similiter grauitas, & leuitas, nam hoc habet veritatem in ijs tantum, quæ naturaliter mouentur. Si aliquis (inquam) sic euadat, non bene facit, quia falsum est, quod ab alio moueantur elementa, hoc quidem sursum, vt ignis; alia vero deorsum, vt grauia, neque violenter (quemadmodum dicunt quidam) per extrusionem, seu expulsionem, ita vt terra sit in medio, & ad ipsum moueatur quasi expulsa à cęlo, vel alijs elementis, & ignis moueatur sursum expulsus ab aqua, & terra; nam si hoc esset, tardius moueretur maior ignis sursum, & maior terra deorsum; nunc autem è contra apparet, semper namque maior ignis velocius sursum fertur, & maior terra deorsum in suum locum. Neque velocius vtique propter finem ferrentur, si vi, & extrusione mouerentur; omnia enim ab eo, quod vim attulit, longius existentia, tardius feruntur, & vnde mouentur vi, illuc feruntur non vi, sed naturaliter. Quare etiam si ignis, verbi gratia moueretur vi sursum, necessariò moueretur naturaliter deorsum, & sic quoque modo haberet determinatum locum, & non in infinitum ferretur.*

Quod mouetur violēter, circa finem est tardius.

CAPVT V.

Confirmatur vnitas Vniuersi ex Metaphysica.

Quare ex supradictis speculantibus accipere est fidem, de ijs quæ diximus sufficienter, de Mundi vnitate. Præterea autem, & per eas rationes, quæ factæ fuerunt ex Metaphysica lib. 12. tex. 29. ex 8. Physic. tex. 83. ostendetur idem ex eo motu, qui circulariter fit; hunc enim necessarium est sempiternum similiter hic esse, & in alijs Mundis (si sint eiusdem rationis, vt esse debent) quia si vnus sit sempiternus motus primus circularis, erit ab vno sempiterno primo Motore, quos plures esse non posse in præcitato loco primæ Philosophiæ patet; ac neque poterunt esse plura prima mobilia, nec per consequens plures Mundi, cùm illud sit primum, & nobilissimum corpus, à quo alia dependent: primo autem non existente, impossibile est existere, quæ consequenter sunt ad primum. Manifestum igitur sic fiet considerantibus, quod necesse est vnum esse Mundum. Tex. 90.

Non existēte primo, alia nō sūt.

CAPVT VI.

Demonstratur iterum vnitas Mundi ex determinatis locis corporum simplicium.

Tribus autem existentibus corporeis elementis, scilicet Cęlo, graue, & leue, tria quoque erunt loca elementorum, ac per consequens non poterunt poni ad placitum plura loca, vel plura elementa, & Mundi, si eiusdem naturæ Mundi esse debent, vt satis etiam superius declaratum fuit. Sed antequam ista tria corpora declarentur, duo notanda sunt. Primum, quod Cęlum vocatur elementum, non quod sit de natura elementorum corruptibilium, nec quod ingrediatur compositionem misti, sed in ordine ad Vniuersum, nam est pars ipsius, elementum enim dicitur omne ex quo aliquid componitur, & in quod resoluitur, siue illud sit pars essentialis, siue integralis, vnde materia, quæ est pars essentialis compositi, & syllabæ, quæ sunt partes integrales dictionis, & literæ syllabarum elementa dicuntur, vt patet in 1. & 2. Physic. Secundum. Cęlum licet dicatur hic esse in loco, tamen hoc non debet sumi in rigore, quia propriè esse in loco est ab alio contineri, quod Cęlo non conuenit, dicitur tamen esse in loco, ratione determinationis, hoc est, determinatè reperitur supra elementa, nec alibi esse potest, hoc namque satis est ad propositum, quod omnia corpora Mundi, sunt in determinatis locis, vnde plura loca ad placitum fingere non oportet. Nunc ad reliqua accedamus, & peculiariter ista tria corpora, ac loca ipsorum inuestigemus. Vnus igitur locus est corporis subsistentis, hoc est grauis, quod omnibus substat, & hic locus est circa medium, vel centrum, Tex. 91.

trum, qui aquam, & terram continet. Alter autem locus est eius corporis, quod circulariter fertur, qui quidem est extremus omnium locorum, & hic est locus Cęli, accipiendo locum modo praexposito. Tertius inter hac loca medius est, qui est corporis medij, nempe aeris, & ignis, necesse est enim in hoc loco esse id corpus, quod superfertur, videlicet ignem, & aerem; si enim non in hoc, extra erit, sed impossibile est extra esse, hoc namq; quod in medio est, sine grauitate est, hoc autem quod extra hunc locum est, habet grauitatem (loquendo de corporibus, quæ moueatur motu recto, nam de circulari dictum est prius) sed corpus, quod grauitatem habet, magis est aptum esse deorsum, ibi namque est locus grauium, nam locus, qui in centro est, ipsius corporis grauis est. At vero nec dici potest, quod tale corpus leue sit in hoc loco præter naturam, nam hic locus erit alij secundum naturam, sed aliud non est, quod ibi sit natum naturaliter esse, necesse est igitur, vt hoc corpus leue in hoc loco medio inter centrum, & extremum sit. Huius autem corporis differentias posterius dicemus. De corporeis igitur elementis, & quæ sint & quot, & quis vniuscuiusque locus, insuper autem omnino, quot secundum multitudinem sint ipsa loca, manifestum est nobis ex dictis. Quod autem non solum vnus est Mundus, sed impossibile est esse plures; insuper autem, quod sempiternus incorruptibilis, & ingenerabilis sit dicamus, facta primum dubitatione quadam, contra eius vnitatem.

CAPVT VII.

Dubitatio contra vnitatem Mundi, ac eius resolutio.

Tex. 92. *VIdebitur enim vtique sic considerantibus, quod impossibile sit, vnum tantum esse Mundum. In omnibus enim quæ & à natura, & ab arte facta sunt, & constant, aliud est ipsa per seipsam forma, & aliud est, prout consideratur mista cum materia; vt sphæra cuius forma est rotunditas, alia est rotunditas, ipsa aliud est esse aurea, vel ænea, quæ est forma cum materia, & rursus circuli, alia forma est ipsa circulatio, àliud vero est esse æneus, vel ligneus; nam dicentes definitionem sphæræ, vel circuli, non assumemus in tali definitione aurum, vel æs, tanquam hæc non sint de essentia illorum. Si verò æneum, aut aureum dicemus, etiam si non possemus intelligere, aut sumere, aliud præter vnum singulare, (quandoque enim nihil prohibet sic accidere, vt si solus vnus sumatur circulus) nihilominus aliud erit esse circulo, nempe formæ, & quidditati ipsius, & huic circulo singulari, nam ille dicit solum formam, & quidditatem, hic autem dicit formam in materia, & alia, quæ sunt conditiones, vel requisita singularium. Quoniam autem Mundus sensibilis est, singularium vtique erit, sensibile enim omne in materia existit, (cum nihil possit sub sensum cadere, quod non sit quantum, ac per consequens aliquam materiam, vel corporeitatem includat, saltem vt subiectum) ergo erit singulare; nam quæ existunt in materia, singularia sunt, ad differentiam eorum, quæ abstrahuntur ab ipsa. Si autem ipse Mundus est singularium, aliud erit esse huic Mundo, & Mundo simpliciter, seu in vniuersali sumpto, vel secundum quidditatem. Alterum igitur est hic Mundus, & Mundus simpliciter; nam Mundus simpliciter, se habet vt species, & forma; hic autem vt cum materia mistus. Istis suppositis, probemus quod plures possint esse Mundi. Quæcunque habent formam, & speciem, hæc possunt multiplicari in plura singularia (quod est verum, siue ponantur species separatæ, idest Ideæ, vt dicebat Plato, siue etiam nihil talium sit separatum, non minus verum erit; nam in omnibus sic videmus, videlicet, quod quorumcunque substantia in materia est, plura, & infinita esse ea, quæ eiusdem sunt speciei) Sed cęlum, siue Mundus (ex prædictis) habet materiam, quare aut sunt plures Mundi, aut contingit plures esse. Ex his igitur suspicabitur aliquis, & esse, & contingere posse, plures esse cęlos, vel Mundos.* Notandum est autem, quod hic per cęlum intelligitur Mundus, vt ex præcedentibus patet, & per materiam, intelligitur corpus sensibile, vt in processu expressè dicetur; vnde malè hinc aliqui colligunt cęlum constare ex materia, & forma, accipiendo cęlum propriè, pro corporibus circularibus supernis, & materiam pro altera essentiali parte compositi, sed hoc postea exactius videbitur.

Aliud est esse forma, aliud formæ in materia.

Omne sensibile est materiale.

Alterum est hoc cęlum, & cęlũ simpliciter.

Quæcunque habent formam in materia multiplicari possunt.

Considerandum autem est rursus, quid horum dicitur bene, & quid non bene. Aliam igitur esse rationem formæ, quæ sine materia consideratur ab ea, quæ est simul cum materia bene dicitur. Atque verum est. Sed nihilominus nulla necessitas est propter hoc plures esse Mundos; nam etiam si totus Mundus ex materia constaret, non tamen contingit esse plures, si hic noster Mundus est ex tota, ac vniuersa materia, quemadmodum est. Tex. 93.

Sic autem fortè magis manifestum est, quod dicitur. Si enim simitas, curuitas est in naso, aut carne, & caro est materia simitatis, si ex omnibus carnibus vna fiat caro, & existat in hac simitas, nihil vtique esset aliud simum, aut fieri contingeret. Similiter autem si carnes, aut ossa materia sunt in homine, si ex omni carne, & ossibus non potentibus dissolui, homo fieret, non vtique contingeret, alium esse hominem, similiter autem in alijs. Omnino enim, quorumcunque essentia est in subiecta materia, horum nihil contingit fieri, non existente aliqua materia. Tex. 94.

Quorum essentia est in materia, sine materia fieri nequit.

Cęlum autem, vel Mundus, est quidem eorum quæ singularia sunt, & eorum quæ ex materia, sed si non constat ex parte aliqua materiei, sed ex tota licet aliud sit esse cęli, & huius cęli, non tamen aut erit aliud, aut vtique contingit fieri plures, propterea quod hoc materiam comprehendit vniuersam. Hoc igitur ipsum restat ostendere, quod Mundus ex vniuerso naturali, & sensibili corpore constat, tanquam ex materia (quare per materiam Mundi intelligitur corpus sensibile, nempe cęlum, & elementa, non materia, quæ est altera pars compositi, hæc namque non est corpus sensibile, vt est notum, & melius innotescet in secundo de generatione.) Cùm igitur hæc corpora tota comprehendantur sub hoc Mundo, nec sit aliquod agens, quod ipsa corrumpere ex toto possit, ac in aliud conuertere, cùm maximè principaliora nempe cęlestia sint incorruptibilia, sequitur, quod non sit altera materia, pro altero Mundo producendo, & sic licet ex parte quidditatis, & naturæ Mundi concedatur communicabilitas, vel plurificatio, tamen ex parte materiæ, hoc non est possibile, ac simpliciter impossibile censendum est ex vi naturæ, cùm omnis actio physica in materia fundetur, accipiendo materiam modo prædicto. Sed accedamus iterum ad declarandum, id quod propositum est de hac vniuersi vnitate. Tex. 95.

Nota de materia cęli.

CA-

CAPVT VIII.

Redditur ratio, cur non possint esse plures Mundi.

Tex. 96. *ANtequam ad exactam resolutionem propositæ quæstionis de vnitate Mundi, vel Cæli accedamus, dicendum est primum, quid dicimus esse Cælum, & quotupliciter, vt magis nobis manifestum fiat quod quæritur; prius namq; indifferenter Cęlũ pro mundo accepimus, nunc autem distinctè opus est determinare. Dicitur ergo Cęlum tripliciter. Vno modo Cęlum dicimus substantiã extremæ circumlationis Vniuersi, aut corpus naturale, quod est in extrema circumlatione Vniuersi; consueuimus enim maximè extremum, & sursum vocare Cęlum, in quo diuinum omne; collocatum esse dicimus, & vocatur primum mobile. Rursus autem alio modo dicitur Cęlum corpus, vel corpora contigua extremæ circumlationi ipsius Vniuersi, hoc est alia corpora, vel orbes, qui sunt immediatè sub primo mobili, in quibus Luna, & Sol, & quædam astrorum sunt, etenim hæc astra dicimus esse in Cęlo, & per consequens hæc corpora sunt Cęlum. Præterea aliter dicimus Cęlum s. corpus cõtentum ab extrema circumlatione, hoc est quicquid ab ipso primo mobili continetur inclusiuè, ita vt etiam ipsum sub hac acceptione Cęli comprehendatur. & sic Cęlum nihil aliud est quam Mũdus, vel Vniuersum, totum enim & Vniuersum consueuimus dicere Cęlum.*

Cælum tripliciter.

Tex. 97. *Tripliciter igitur cum dicatur Cęlum, de tertio tantum loquimur, nempè de Vniuerso, ac de ipso est sermo, quod nõ sit, nec esse possit, nisi vnum & quod ex tota materia constet. Totum igitur Vniuersum contentum ab extrema circumlatione necesse est ex omni constare naturali, & sensibili corpore; propterea quod neque vllũ extra Vniuersum est corpus, neq; contingit esse, vnde materia ipsius sunt corpora sensibilia, quæ licet sint partes integrales potius, quã essentiales, tamen hæ etiam ad rationẽ materię reducuntur vt in 2. Phys. tex. 31. visum est. Quod autem extra Vniuersum non sit aliqua materia, seu corpus sensibile, nec esse possit (vnde magis apparet impossibilitas plurificationis eius) nunc probemus. Si enim est extra extremam circumlationem corpus aliquod naturale, necesse est, quod ipsum sit aut de natura simplicium corporum, aut mistorum, & quod ibi maneat, vel naturaliter, vel violenter. Sed non potest esse corpus aliquod simplex neque mistum, ergo. Probatur de simplici; nam corpus simplex, vel est circulare, ac circulariter mobile, & neque graue, neque leue, aut est eorum, quæ mouentur motu recto, & est graue, vel leue. Non potest esse ibi corpus simplex circulare, nam de ipso ostensum est, quod non potest permutare suum ipsius locum, quia moueri de loco ad locum sic, vt alter locus relinquatur, conuenit solum ijs, quæ recto mouentur motu. At vero nec ibi esse poterit corpus simplex, quod recto mouetur motu, idest vel à medio nempè sursum, neque quod subsistat, seu deorsum mouetur; nam vel ibi essent secundum naturam, vel violenter, at secundum naturam non vtique erunt, quia vnius corporis simplicis vnus est locus naturalis, sed ipsorũ corporum simplicium sunt alia loca propria naturalia, ut grauium in medio huius mundi, leuium in extremo, ergo ibi non erunt naturaliter. Neque ibi possunt esse præter naturam, nam si hoc modo sint, ille locus erit aliorum corporum naturalis, positum namque est, quod si locus aliquis sit alicui corpori præter naturam, necessarium est alij esse secundum naturam, sed non est aliud corpus præter hæc, quæ in suis proprijs locis sunt naturaliter, ergo aliud corpus ibi præter naturam esse non potest; neq; ista ibi possunt præter naturã esse, cùm è proprijs locis discedere nequeant, & propter impenetrabilitatem Cęli, & propter repugnantiam propriæ naturæ, ignis namq; descenderet terra vero ascenderet, vt probatum est in textu 79. neque alia corpora ibi possunt esse, quia essent eiusdem naturæ, & speciei cum istis, aliter non diceretur Mundus vniuocè, quod est absurdum, vt satis patuit in textu 78. Non ergo est possibile vllum simplicium corporum, neq; rectum, neq; circulare, nec naturaliter, nec violenter esse extra Vniuersum; si vero nullum simplicium poterit ibi esse, neq; poterit esse aliquod mistorum; nam existente misto corpore, necesse est simplicia, quæ ipsum constituunt esse, quare si simplicia esse nequeunt, neq; mista, & quamuis mistum ex elementis solum constet, & non ex Cælo, tamen satis probatur, quod si elementa ibi esse non poterunt, nec mistum aliquod erit.*

Nota de materia Cęli, & quod Cęlum dicatur ex materia constare.

Rationes igitur prædictæ probant non esse aliquod corpus extra Vniuersum. Sed modo subdimus (etsi ad maiorem claritatem etiam supra sæpe dictum sit) quod neq; sit possibile esse. Aut enim erit præter naturam, aut secũdum naturam, et aut simplex, aut mistum. Quare rursus eadem veniet ratio, nihil enim refert considerare si est, an fore potest. Manifestum est igitur ex dictis, quod neque est extra Vniuersum, neque fore contingit moles alicuius corporis; nam totus Mundus hic est ex tota propria materia; materia enim ipsi, est naturale corpus, & sensibile. Quare cum talis materia, vel corpus sensibile extra ipsum Vniuersum non contingat esse, vt sufficienter probatum est, neque nunc sunt plures Cęli, seu Mundi, neque fuerunt, neque continget fore, sed vnus, solus & perfectus hic est. Tex. 98.

Nota expressè de materia Cęli.

SVMMÆ NONÆ,

CAPVT VNICVM.

Extra Mundum non est plenum, nec vacuum.

SImul autem manifestum est, quod neq; locus, neq; vacuum, neque tempus est extra Cęlum, vel Vniuersum; nam in omni loco possibile est esse corpus, sed ibi non potest esse aliquod corpus, vt declaratum est, ergo neque locus. Vacuum autem esse dicunt, in quo non est corpus, sed esse potest, sed ibi non potest esse corpus, ergo neque secundum ponentes vacuum potest extra Cęlum poni. Tempus autem est numerus, seu mensura motus, hic autem non est sine naturali corpore, ergo si ibi non sit corpus naturale, neque ibi erit tempus, & sic per carentiam naturalis corporis, probatur carentia loci vacui, & temporis. Tex. 99.

Quod autem extra Cęlũ, neq; sit, nec esse possit corpus, ostensum est, ac similiter eodem medio ostendimus, quod ibi neq; locus, neq; vacuum, neq; tempus esse possit. Quapropter neq; quæ illic sunt in loco sunt, sed incorporea sunt, neque tempus ipsa facit senescere, cum tempus ibi non sit, neque vlla transmutatio vllius eorum est, quæ super extremã lationem, vel corpore cęlesti mobili disposita sunt, sed inalterabilia & impassibilia, optimam habentia vitam, & per se sufficientissimam, perseuerant toto æuo, vel semper, etenim hoc nomen æui diuinę enunciatũ est ab Antiquis; nam finis, seu terminus vitæ vniuscuiusque tempus ab ipsis appellatur, sed cuius nihil est extra, ita vt omnia semper contineat sine fine, et defectione, secundum propriam naturam hoc appellatum fuit æuum vniuscuiusque. Secundũ eandem Tex. 100.

Vita beata.

Tempus.

Æuum.

rationem, finis, seu terminus interminabilis totius Cęli, qui omne tempus, ac infinitatem continet, quum est appellatū, Omnibus à Deo pendet esse, clarius vel obscurius, *ab eo quod sit semper, sumpta denominatione, quod est quid immortale, & diuinum (accipiendo Cęlum pro omnibus, quæ ibi sunt) vnde alijs pendet esse, & viuere, his quidem clarius; his autem obscurius, etenim sic est quemadmodum in quibusdam vulgaribus sententijs rationibus sæpe declarauimus, quod diuinum ipsum Cęlum, ac cælestia necesse est omnia intransmutabilia esse, sicut ipse primus motor, vel Deus primum, ac maximè summum est. Quod autem sic se habeat cōformatur ijs rationibus, quas supra attulimus; neq; aliud .n. melius est, quod moueat, nam illud esset diuinius, quod est impossibile, cum primum, & independens, à nullo excedi possit in perfectione, & nobilitate. Quare hic primus Motor, neque habet prauitatem vllam, neque vllo aliorum bonorum est indigens, neque alterius, qui per imaginationem poni possit. Vnde mobile quod ab ipso mouetur, inceßabili vtique motu mouetur rationabiliter, omnia enim quæ mouentur, quiescunt cùm venerint in proprium locum, eius autem corporis, quod circulariter mouetur, idem est locus vnde incępit, & in quem finit, & sic cum non sit locus ad quem motus eius terminetur, nec Motor desistat mouere, quiescere, nequit, sed sempiterno mouetur motu.*

SVMMA DECIMA.

Mundus est incorruptibilis, ac fieri non potest, aliquod generabile esse incorruptibile, nec aliquod corruptibile esse ingenerabile.

CAPVT. LV.

Opiniones Antiquorum de generatione, & corruptione Mundi, ac earum confutatio.

Tex. 101. P*Ostquā de prædictis sufficienter determinauimus, nunc examinandum est, vtrum ipse Mundus sit ingenerabilis, vel generabilis, & incorruptibilis, an corruptibilis, narratis prius aliorum opinionibus; nam demonstrationes, vel rationes contrariorum, excitant dubitationes de contrarijs positionibus. Simul autem quę à nobis dicenda erūt, magis erunt credibilia ijs, qui audierint iustificationes, vel rationes sermonum aduersariorum, nam minus nobis tribuetur, quod videamur alios condendare indicta, vel non* Iudices non debent esse Inimici, vel Ignorantes. *examinata causa, vel ratione prædictorum sermonum. Etenim qui sufficienter veritatem sunt iudicaturi, non debent esse aduersarij, sed arbitri, vel iudices iusti, rationales, ac indifferentes.*

Tex. 102. *Genitum igitur omnes esse dicunt. Sed alij asserunt, eum in posterum futurum esse sempiternum: alij vero corruptibilem, quemadmodum corruptibile esse aiunt, quodcunque eorum quæ natura constant, seu omnia entia naturalia. Quidam autē vicissim, quandoque quidem generari, quandoque vero corrumpi, & hoc modo semper successiuè mundos perseuerare, credunt quę fuit opinio Empedoclis Agrigentini, & Heracliti Ephesii. Genitum igitur ipsum esse, ac* Quę in multis videntur sunt in Philosophia ponenda. *etiam in futurum sempiternum, est vnum ex impossibilibus, nam solum hæc rationabiliter in Philosophia ponenda sunt, quæcunque in multis, aut in omnibus videmus; de hoc autem quod dicitur accidit contrarium, omnia enim quæ generantur, corrumpi videntur, ideo ponere Mundum genitum, & incorruptibilem, vel æternum ex parte post, irrationabile est.*

Amplius autem, quod non habet principium sic se ha- Tex. 103. *bendi (hoc est non habet principium vt generetur) sed non potest aliter se habere prius per omne æuum, (idest ab æterno necessariò eodem modo se habet) impossibile est mutari, vel generari, nam esset aliqua causa eius generationis, quæ si prius, vel quandocunque poneretur, possibile vtique esset aliter se habere (hoc est mutari, vel generari,) quod impossibile est aliter se habere, vel generari, sed Mundus est ingenerabilis, seu non potest aliter se habere, vt videbimus in sequentibus, ergo non debet poni genitus. Præterea. Si ex principijs Mundus constitutus est, quæ ante ipsius Mundi constitutionem aliter se habebant quam post, vel ante ipsam constitutionem poterant aliter se habere, vel non, si dicatur quod non, ergo Mundus vtique non est factus, quia ante constitutionem non erant hæc principia vnita, nec (ex suppositis) vniri poterant. Si autem aliter se habere poterant, & sic factus est Mundus, quia videlicet, ex non vnitis, et componentibus, facta sunt componentia; necesse est, quod illa, quæ poterat aliter se habere possint, cum sint eiusdem naturæ; quare & constituta dissoluentur, & dissoluta, prius constituta fuerunt, & hoc infinities, aut sic se habebat, aut poterat sic se habere. Si autem hoc sit verum, non erit vtique incorruptibilis, sed si genitus, ponatur corruptibilis quoque erit, quod verificatur, siue de facto ponatur quod aliquando aliter se habeat, hoc est corrumpetur, siue ponatur, quod possit esse.*

Auxilium autem, quod quidam eorum hoc asserentium Tex. 104. *conantur afferre sibi ipsis non est bonum. Dicunt namque, Mundum esse factum, sed incorruptibilem, quod tamen, non vt verum id se dicere asserunt, sed gratia exempli, vt scilicet facilius addiscant, qui sentiunt, ac similiter se hoc dicere aiunt ijs, qui designationes, vel lineas describunt; ibi namque non semper per illas id quod describitur intendunt, sed aliud, vt per circulos in tabella interdum designant Cælum. Sic ipsos se dixisse dicunt de Mundi generatione, ita vt dicant ipsum genitum, non tanquam aliquando generato, sed gratia doctrinæ, quasi rudes magis cognoscant, si velut designationem, ipsum viderint factum, nam hoc modo melius ipsius principia distingui possunt. Hæc igitur est eorum euasio.*

Sed hoc exemplum, & ratio (vt diximus) non est ea- Tex. 105. *dem vel similis, in vtroque. Nam in effectione talium designationum, positis omnibus simul lineis, idem accidit, quod in exemplato quoad talem positionem, nam sicut in circulo depicto, circumferentia æquè distat à centro, ita in Cęlo per circulum designato; in demonstrationibus autem horum, videlicet de productione, & incorruptibilitate cęli, non idem, sed impossibile accidet, si ponatur esse factum, nam quæ prius, & posterius accipiuntur sub contraria & repugnantia sunt.*

Ex inordinatis enim elementis, vel principijs aliquando Tex. 106. *ordinata facta esse dicunt; at si hoc esset, simul aliquid esset ordinatum, & inordinatum, quia ordinatum ex inordinatis non existit, hoc autem est impossibile, & repugnantiā inuoluit, ergo neq; causa exempli est addūcendū. Vnde necesse est, quod generatio, & tempus diuidāt, vel medient inter ipsa inordinata, & ordinata, vt .s. ordinentur, ac per consequens non erunt ingenita, & sic si ingenitus in ueritate ponatur mundus, sed causa exempli genitus, hæc repugnantia dicuntur. In designationibus autem, nihil tempore segregatum est, sed semper accipi possunt eadē suppositiones, absque*

nes, absque repugnantia. Quod igitur est impossibile, simul sempiternum esse ipsum, & factum, manifestum est.

Tex.107. Vicissim autem ipsum Mundum constituere atque dissoluere nihil aliud facere est, quam constituere ipsum sempiternum quidem, sed mutantem formam, & dispositiones, quemadmodum si quis ex puero virum factum, & ex viro puerum, putet hoc esse quandoque quidem corrumpi, quandoque autem generari, quod non est verum, & per consequens talem in mundo ponendo mutationem, vel dispositionem, non est verum simpliciter, quod ipse vicissim generetur, & corrumpatur. Nam palam est, quod etiam nunc, & semper in mundo tales sunt mutationes, quia elementa inter se inuicem conuenientia, hanc mutationem efficiunt, licet non quiuis ordo, & constitutio indifferenter seruetur, sed idem, præsertim secundum eos, qui hunc sermonem dixerunt, & qui vtriusque dispositionis, hoc est alternatiuæ generationis, & corruptionis causam ponunt contrarietatem elementorum. Quare si totum corpus Vniuersi continuum existens ex diuersis corporibus, quandoque quidem hoc modo, quandoque autem alio disponitur, & perornatur, & constitutio vniuersi dicitur Mundus, & cælum, non vtique Mundus fiet, & corrumpetur ob tales mutationes, sed potius variantur dispositiones illius, non tamen essentialiter, cùm semper sit idem ordo, (vt dictum est), sed accidentaliter tantum.

Tex.108 Omnino autem dicere, quod Mundus sit factus, & postea corrumpendus sit, ita vt nunquam reuerti debeat, si vnus tantum Mundus ponatur, impossibile est, nam si genitus sit, prius quam fieret, vel generaretur, semper existebat materia ex qua constitutus fuit, quam nisi ponamus non erit possibile dicere, quod ipse transmutabilis sit, neq; per generationem neque per corruptionem, ipsa namque materia est harum mutationum subiectum, ideo si corrumpatur in prædictam resoluetur materiam, ex qua iterum generari poterit, nam sicut antea potuit generari, quia hæc præexistens materia ponitur, hac eadem ratione postea. Si vero plures, vel infiniti mundi ponantur, vel simul, vel successiuè, magis contingit esse, quod dicunt (idest magis erit verum, quod in corruptione vnius, alter & non idem generetur) quia si ponantur plures formæ mundi contrariæ (sic namque poni debent, si mundi sint adinuicem generabiles, & corruptibiles, nam generatio, & corruptio inter contraria est) altera alteram expellet ex propria materia, & ipsam materiam informabit, & sic erit altera forma, & alter mundus, cum ex forma præcipue distinctionem, & esse fortiatur. At vero, & hoc (scilicet si mundus sit generabilis, & corruptibilis) erit manifestum ex ijs, quę posterius dicemus. Sed hic est difficultas, nam dictum est, quod si vnus Mundus ponatur corruptibilis, vel corrumpi, idem iterum generaretur, quia manet eadem materia, ac eadem forma in formari potest; hoc namque falsum est, quia sic omnes res corruptę possent naturaliter eædem numero reuerti, cum materia earum remaneat eadem, est namque ingenerabilis, & incorruptibilis. Respondetur, non esse parem rationem in alijs rebus, & mundo si poneretur vnus, ac corruptibilis, alia namque res ab opposita, vel contraria forma corrumpuntur, & ipsarum materia contrarijs induitur dispositionibus à diuersa contrariæ formæ actione, ideo impossibile est quod eadem forma informetur, cum ad aliam formam sit alia materia, aliter disposita; quare idem numero corruptū reuerti nequit; nam ad rem præteritam corruptam nulla est potentia. Si vero vnus ponatur mundus, ex eo quod vnus sit contrarium non habebit; quare si ponatur corrumpi, materia eius non imbuetur contrarijs dispositionibus, cùm sint tãtum à contrario agente, imò cum omnis corruptio à contrario tantummodo fiet, hæc non esset propriè corruptio, sed veluti quædam separatio, ideo remanentibus eisdem dispositionibus, & materia, cū forma salua, non est inconueniens, quod idem reuerti possit; hoc igitur sequitur ex tali ipsorum positione, sic namq; ponunt, vel ponere debent mundum corrumpi si vnus sit. Sed adhuc est dubitatio, quęnam sit forma mundi. Respondetur, quod cum Mundus sit quid aggregatum ex pluribus corporibus nempè ex cęlo, elementis, & mistis, non potest vnam formam habere, sed debemus accipere formas particulares, nempè elementorum, & mistorum, secundum transmutationem, quorum sequitur prædicta, vel dicatur, quod omnia quę diximus de forma sic Mundum, vel materiam ipsius informante, sunt ad mentem prædictorum, vnde ipsi ponunt Mundum esse animatum, & sic animam esse formam eius, ex quorum positione optimè progrediuntur, quę contra hoc, vel circa hoc diximus. Secundum autem veritatem, non est vnica Mundi forma, nec in omnibus partibus si accipiamus formam informantem, sed potest vniuerso ipsi assignari pro forma ordo corporum superiorum, & inferiorum. Forma Mundi.

Sunt autem quidam, quibus fieri posse videtur, & ingenerabile quippiam existens, corrumpi, & genitum incorruptibile perdurare, vt in Timęo scripsit Plato, ibi enim, ait Timęus, Cęlum factum quidem esse corruptibile, sed fore quidem reliquo semper tempore. Contra quos tantum de Cęlo per naturales rationes diximus, vniuersaliter autem de omnibus speculantibus, (an scilicet aliquid generabile possit esse æternum, vel æternum generabile) manifestum erit. Tex.109.

CAPVT II.

An dari possit ingenitum corruptibile, aut genitum incorruptibile.

PARS I.

Quot modis dicatur generabile, & corruptibile, ingenerabile, & incorruptibile, causaq; assignatur, cur æquiuoca prius distinguenda sint quam determinanda.

PRimum autem diuidendum est, quomodo ingenerabilia, & generabilia, corruptibilia, & incorruptibilia dicimus. Cùm enim multis modis, vel æquiuocè dicantur, etsi nihil referat ad præsentem sermonem omnia eius significata exponere (prout scilicet non omnia sunt ad nostrum propositum) tamen nisi distinguantur, sed omnibus ipsis vtatur intellectus tanquam vno, & indiuisibili, vel indistincto, necesse est quod ipse intellectus indeterminatè, seu confusè se habeat, immanifestum est enim secundum quam naturam, seu acceptionem talium membrorum diuisionis, & secundum quam intentionem accidat, quod dictum est; hoc est nesciemus cui istorum membrorum quæstionem propositum applicemus. Tex.110 Æquiuoca sūt prius distinguenda, quam terminanda.

Dicitur autem ingenerabile, vno quidem modo omne, quod acquirit esse, sed sine vera generatione, quemadmodum quidam dicunt fieri, tangi, & moueri, non enim generari dicitur id quod tãgitur, aut mouetur generatio namq; solius substantiæ est. Secundo modo, quod potest fieri, aut factum esse, et tamen non est, similiter .n. hoc ingenerabile Tex.111

dicitur, quia contingit fieri, & non est factum per veram generationem, vt substantiæ, quod proprio, ac peculiari nomine deberet vocari ingenitum, vel improductum. Tertio dicitur ingenerabile, quod omnino impossibile est factum esse, vel fieri, ita vt sit impossibile, quod aliquando sit, aliquando non; & sic quod nunquam est, vel erit, vel fuit, ingenerabile dicitur. Est tamen notandum, quod impossibile dicitur dupliciter, videlicet simpliciter, & secundum quid. Impossibile simpliciter dicitur, quod nullo modo esse potest, ita vt nunquam sit verum dicere, quod factum vtique erit. Secundum quid est, quod non potest faciliter, vel citò, vel benè fieri: Cùm autem de ingenerabili tertio modo dicto locuti fuerimus, ac ipsum impossibile esse dixerimus, de impossibile simpliciter debet intelligi.

Impossibile dupliciter.

Tex.112. Eodem autem modo generabile dicitur sicut ingenerabile, hoc est tot modis, sed oppositis. Vno igitur dicitur, si quod non erat prius posterius sit, siue acquirat esse per generationem, siue absque generatione, ita tamen quod quandoque quidem non sit, postea autem sit, et hic modo correspondet primo, imò diuersa ratione, sub hoc & illo modo, idem potest dici generabile, & ingenerabile, vt tactus est ingenerabilis vera generatione, & generabilis, prout post non esse acquirit esse. Secundo modo dicitur, quod generari possibile est, siue sit possibile simpliciter, siue secundũ quid, hoc est facile, vel bene, vel citò, tot enim modis dicitur impossibile, quot possibile, & è conuerso. Hic autem modus correspondet tertio de ingenerabili. Tertio dicitur generabile illud cuius generatio est ex non esse ad esse, dummodo hoc fiat per veram generationem, siue id quod generabile sic dicitur sit de facto genitum, siue non, sed tantum generabile nihil differt, sed hoc modo generabilitatis, generabile dicitur; & hic respondet secundo modo ingenerabilis.

Tex.113. Et corruptibile autem, & incorruptibile similiter tot modis dicuntur, atque inter se oppositis, sicut generabile, & ingenerabile. Dicitur ergo vno modo corruptibile, aut quod prius aliquid est posterius autem non est, aut contingit non esse, siue hoc sit per veram corruptionem, siue non, & hic respondet primo modo, de ingenerabili, & generabili. Secundo dicitur corruptibile, quod per veram corruptionem contingit non esse; & hic correspondet secundo modo de ingenerabili, & tertio de generabili. Tertio dicitur corruptibile, quod potest, vel facilè, vel citò, vel benè corrumpi, & hic modus respondet tertio de ingenerabili, & secundo de generabili.

Tex.114. Et de incorruptibili eadem est ratio. Dicitur enim incorruptibile vno modo de eo quod, quandoque quidem est, quandoque vero non, sed non per veram corruptionem, vt tactus, & alia accidentia, quæ interdum sunt, interdum non, sed sine corruptione. Secundo est incorruptibile, quod existit in natura, ita quod sit impossibile non existere, vel quod non potest deficere; aut quod nunc existit, licet in futurum non erit existens, vt tactus nunc est, & similiter tu, sed interdum erit verum, quod non es tu, nec tactus; hoc autem melius, ac peculiari vocabulo debet dici incorruptum, quam incorruptibile. Maximè autem propriè id incorruptibile dicitur, quod existit, & impossibile est, quod postea non sit, vel possit non esse. Aut incorruptibile dicitur, quod nondum corruptum est, contingit autem posterius non esse, sed per verã corruptionem, quod incorruptum dicatur. Dicitur autẽ incorruptibile, quod non facile corrumpitur. Quomodo vero hi modi cum præcedentibus comparari possint, faciliter quiuis ex se considerare potest.

PARS II.

Quo pacto aliqua dicantur habere potentiam, aut non habere, quave lege potentiæ, & impotentiæ definiantur.

Itaque si hæc prædicta sic se habent, vt diximus, considerandum est, quomodo dicitur possibile, & impossibile, nam ex horum dilucidatione, melius supra dicta clarescent, in ipsis namq; possibile, et impossibile includũtur. Vnde incorruptibile propriissimè dictũ est, quod nullo modo possibile est corrumpi, neq; aliquando quidem esse, aliquando autẽ non, sed semper necessariò est. Dicitur autem ingenerabile propriissimè, quod impossibile est fieri, ita quod sit quoque impossibile, quod aliquando non fuerit, & postea sit, seu (vnico verbo) quod nullo modo esse potest, vt diameter nunquam potest esse commensurabilis lateri. Tex.115.

Est autem notandũ, quod possibile in ordine ad actum, seu potentiam actiuam denominatur ab vltimo in quod potest, non autem ab intermedijs; vt si aliquid potest aliud mouere per stadia centum, aut leuare pondus centum librarum, semper ad plurimum dicitur, vt dicitur potentiam eius esse ad ferendum centum libras, aut per stadia ambulare centum, quamuis etiam possit partes, quæ infra talem excessum sunt; vt ferre quinquaginta, & mouere per stadia quinquaginta, ab ijs tamen partibus non denominatur, tanquam oporteat definire potentiam per finem excessus; necesse est igitur id quod secundum excessũ tot potest, & quæ infra sunt posse, vt si talenta centum leuare potest & duo, & si per stadia centum, & per duo posse ambulare, vt etiam diximus. Potentia autem ipsius ad excessum refertur, & per ipsam definitur. Impotentia vero ex negatione excessus, & aliorum supra ipsum determinatur, ac cognoscitur. Vt si nos dicamus aliquid non posse tantum secundum excessum aliquem, & plura non posse dicemus, vt non potens per mille ambulare stadia, manifestum est, quod neque per mille, & vnum. Tex.116

Denominatio potentiæ actiuæ fit ab excessu.

Nihil autem nos turbet, quod id quod posse dicitur determinetur secundum excessum finis potentiæ eius, ex eo, quia oppositum in aliquibus uidetur esse. Forsitã enim instabit vtique aliquis, quod non necesse sit, quod dictum est. Nam videns stadium, non vtiq; videbit magnitudines minores ipso, imò è conuerso potius, quod potest videre minus poterit etiam videre maius, vt potens videre punctum, aut paruum audire sonum, & maiorem videbit quantitatem, & maiorem audiet sonum. Respondetur tamen huic obiectioni, quod hæc oppositio nihil refert, seu nihil est contra id quod determinauimus. Nam duplex est potentia, actiua .s. & passiua, nostra positio habet veritatem de actiua, in passiua autem est è conuerso, illa videlicet est maior, quæ à minori pati potest, & sic visus, & auditus, quia sunt potentiæ passiuæ determinantur per minus, ita vt illa sit maior potentia visiua, quæ minus obiectum videre potest, et quæ potest in minus potest etiam in maius; opposito modo se habet in actiuis. Vnde in potentijs passiuis excessus determinatur ex parte potentiæ magis, scilicet potentis recipere; ex parte actiuæ excessus determinatur ex excessu rei; quare id quod dicitur manifestum est; visus enim qui minoris obiecti est visiuus excedit visum, qui est visiuus obiecti maioris. Velocitas autem quæ est potentia actiua excedit aliam si possit circa actum, vel distantiam, quæ est maioris magnitudinis. Tex.117.

Determinatis autẽ his, dicere oportet id quod cõsequenter Tex.118.

est ad

est ad propositam quæstionem. Si itaque sunt quædam, quæ possunt esse, & non esse, necesse est quod sit aliquod determinatum tempus in quo tales res esse possint, & aliud in quo possint non esse, quod est verum secundum quodcumque prædicamentum, vt in substantia verificatur de homine, & alijs, in qualitate de albo, in quantitate de tricubito, bicubito, aut si assumatur aliud quodcunque talium; si enim non erit quantum, seu determinatum quoddam tempus, in quo res, & possit esse, aliud in quo possit non esse, sed semper dabitur maius tempore proposito, quo nunquam poterit assignari minus, vel determinatum; tempore infinito idem possibile erit esse, ac alio tempore infinito non esse, quod est impossibile, quia non dantur duo infinita tempora, ergo debent duo determinata tempora assignari, in quorum vno possit esse, & in alio non esse.

P A R S III.

Impossibile est aliquid esse perpetuum, & ei inesse potentiam ad corruptionem.

Tex. 119. PRincipium autem ex dictis accipiamus ad declarandum quomodo sit impossibile, vt aliquod perpetuum sit corruptibile, pro cuius maiori intelligentia sunt aliqua supponenda. Primum. Impossibile, & falsum non idem significant. Secundum. Impossibile, & possibile, verum, & falsum dupliciter dicuntur, vno modo ex suppositione, alio modo simpliciter, ex suppositione dicuntur, quæcunq; sunt talia nō ex se, sed ex alio supposito, vt impossibile est triangulum duos rectos angulos æquales habere si sit impossibile, quod ipse sit figura; & possibile erit quod diameter sit commensurabilis lateri, si ponantur latera esse æqualia ipsi triangulo. Simpliciter dicuntur, quæ ex se absq; ordine, & relatione ad aliud talia sunt, vt quod homo sit lapis, &c. ex primo supposito sequitur non esse idē, aliquid esse falsum simpliciter, & impossibile simpliciter. Nam te non stante, & dicere stare falsum est, non autem impossibile, similiter autem dicere citharizantem non autem cantantem, cantare, falsum est, sed non impossibile. Dicere vero quod aliquis simul stet, & sedeat, & quod diameter sit commensurabilis lateri, non solum falsum est, sed impossibile; non igitur idem est supponi falsum, & impossibile; quare ex impossibile sequitur impossibile, non autem ex falso semper impossibile sequitur; potest igitur aliquid habere potentiam ad opposita, vt quis simul habet potentiam sedendi, & standi, quia quando habet vnā, & alteram, sed tamen non possunt oppositi actus simul esse, vel reduci, vnde non potest simul aliquis sedere, & stare, sed alio tempore.

Possibile, & impossibile dupliciter, pariter verum, & falsum.

Tex. 120. Istis suppositis probemus, quod nullum perpetuum possit esse corruptibile; si itaque aliquid tempore infinito habet potentiam ad plura, idest ad esse, & non esse hanc potentiam simul habebit, ex suppositis, licet simul ad actus oppositos non possit reduci. Quare si sit aliquod perpetuū, ac infinito tempore existens (hoc namq; est de ratione perpetui) & ponatur corruptibile, habebit etiam potentiam ad non esse, si itaq; ex eo quod est perpetuum infinito tempore sit, & ex alia parte habet potentiam ad non esse, sequitur quod eodem tempore simul erit, & non erit, nam prout est perpetuum semper erit, & quia aliquo tempore potest non esse, hoc tempus in tali infinito, vel sempiterno includitur, & sic in eodem erit, & non erit; si vero dicatur, quod nunquam erit tempus in quo actualiter non erit, licet possit non esse, hoc falsum est, quia nihil dicitur posse, vel potentia nisi in ordine ad actum; falsum igitur est quod sequitur, quia falsum etiam principium positum est, videlicet, quod perpetuum possit non esse; sed si non impossibile esset quod dicitur, videlicet quod perpetuum sit corruptibile, neq; id quod sequitur esset impossibile, imò idem simul esse, & non esse posset, hoc autem cum sit impossibile, erit impossibile quoq; illud ex quo sequitur, quod est ipsorum positio, nempè quod perpetuum sit corruptibile, vel esse possit. Omne igitur quod semper est, simpliciter incorruptibile est, similiter autem ingenerabile, si enim generabile erit, possibile vtique erit aliquo tempore non esse, quia generatio est progressio de non esse ad esse.

P A R S IV.

Generabile, & corruptibile nullum potest esse æternum.

COrruptibile autem est id, quod prius quidem erat, nunc autem non est, aut quod contingit aliquando posterius non esse. Generabile autem est, quod contingit prius non esse. Sed id quod semper vel perpetuum est, non potest habere aliquod tempus, vel infinitum, vel finitum in quo non sit; non infinitum, quia semper non esset, neque finitum, quia etiam sic non esset perpetuum, & semper ens. Præterea si haberet tempus infinitum in quo posset non esse, haberet quoque finitum, quia finitum in infinito continetur; non igitur contingit unum & idem semper posse esse, & non esse; quod tamen contingeret, si perpetuum aliquod poneretur corruptibile, nam ratione perpetuitatis, semper posset esse, & ratione corruptibilitatis, semper non esse. At verò neque negationem habere potest ipsum perpetuum, hoc est, quod possit semper non esse, hoc namq; eius rationi repugnat: non igitur perpetuum potest esse corruptibile; similiter autem neque generabile, duorum enim terminorum, quorum vnus sit prior, vel vniuersalior, alter vero posterior, vel particularior, si sit impossibile priorem esse, & posteriorem quoque esse, impossibile erit, vt homo & animal: si enim sit impossibile esse animal, erit quoque impossibile esse hominem. Quare cum aliquando non esse sit terminus superior ad generabile, omne etenim generabile habet aliquando non esse, & non è contra & ipsi perpetuo non conuenit aliquando non esse (vt probatum est) ergo neque ipsi conueniet generabile esse. Tex. 121.

Si prius nō est, neque posterius eius erit.

P A R S V.

Quibus in rebus inueniatur generatio, & corruptio, & quod generabile, & corruptibile non possunt esse æterna.

QVoniam autem contradictorium huius propositionis (semper potest esse) erit hoc (non sempre potest esse) contrarium autem illius est hoc (semper potest non esse) & contradictoriū huius vltimæ est hoc (non semper potest non esse;) cum autem istæ duæ propositiones sint cōtrariæ semper posse esse, & semper posse non esse, & inter contraria possit dari mediū, ideo aliquod mediū ponere debemus inter istas duas, nēpe hoc quod aliquid possit interdū esse, & interdū non esse, & sic negatio vtriusq; cōtrarij quandoq; existet, si aliquid nō semper sit, neque semper non sit, et hoc Tex. 122.

generabile, & corruptibile sunt consequentia, E vero, & F, idest ingenerabile, & generabile nulli eidem conuenire possunt, sed quodlibet eorum est alterum, vel diuersum ab alio; similiter autem se habent ipsa G H, idest incorruptibile, & corruptibile; necesse est ipsa G E hoc est incorruptibile, & ingenerabile sequi se inuicem. Sit enim E, vel ingenerabile consequens G, idest incorruptibile, ipsum igitur F, seu generabile non sequetur, quodlibet enim aut E, aut F, idest, aut ingenerabile, aut generabile est, & similiter ipsum H, seu corruptibile, sequetur ipsum F, seu generabile; aut si hoc non sit verum, ipsum igitur G, seu incorruptibile sequetur H, seu corruptibile, sed supponebatur impossibile esse. Eadem autem ratio est, quod G sequatur E, idest incorruptibile ingenerabile, vnde sic se habet ingenerabile E, ad generabile F, vt incorruptibile G ad corruptibile H, ergo sicut impossibile est, quod ingenerabile sit generabile, ita impossibile erit incorruptibile esse corruptibile, erit igitur ingenerabile, incorruptibile; & generabile, corruptibile.

Tex.130. Dicere autem nihil prohibere, generatum quippiam esse incorruptibile, & ingenerabile existens corrumpi, ita vt semel conueniat huic quidem generatio, alteri vero corruptio, est perimere aliquod datorum à nobis principiorum. Nam omnia, quæ possunt agere, vel pati, aut esse, & non esse, vel id poterunt in tempore aliquo determinato, vel in tempore infinito, non in infinito, (nisi per infinitum accipiamus aliquod tempus, quo non potest dari maius, tali actioni, vel passioni conueniens) quia omnis actio & passio habent finem, & terminum temporis, si etenim aliquo pacto accipiatur tempus simpliciter infinitum, non erit infinitum respectu actionis, vel passionis, cum nulla sit infinita; neque erit determinatum ex suppositione, & sic nullum erit: relinquitur ergo, quod omnis actio & passio, ac posse esse, & non esse respiciant determinatum aliquod tempus, & sic quod corruptibile erit, quia potest non esse, in aliquo determinato tempore non erit, & similiter (eadem ratione) quod est generabile; oppositum vero de ingenerabili, & incorruptibili dicendum est, propter oppositas rationes.

Tex.131. Præterea, si id quod semper est corruptibile sit; cur potius in hoc signo corruptum est, quam in alio? sicut id quod non erat infinitum, sed generabile cur magis in hoc signo, quam in alio genitum est? profecto nulla est maior ratio, quod in vno magis, quam in alio signo aliquid sit genitum, vel corruptum. Si autem in tempore infinita sunt signa, palam est, quod si ponatur aliquod genitum incorruptibile, vel aliquod incorruptibile genitum, infinito tempore aliquid erit generabile, & corruptibile, & sic infinito tempore poterit aliquid non esse; imò si ponatur aliquid genitum incorruptibile, simul habebit potentiam, vt non sit, & sit; vnde si ponatur ingenitum corruptibile, habebit potentiam vt non sit; si vero incorruptibile ponatur genitum, habebit potentiam vt sit, & sic si posuerimus esse, quæ possunt, videlicet omne generabile esse corruptibile, & è conuerso, ac dicatur generabile, vel genitum esse incorruptibile, opposita simul erunt, quia poterit semper esse, & non esse.

Tex.132. Amplius autem & hoc similiter in omni signo existet, scilicet, quod erit incorruptibile, & genitum: quare infinito tempore habebit potentiam existendi, & non existendi, sed ostensum est, quod impossibile hoc est. Amplius, si aliquid generandum prius est in potentia, quam in actu, ipsum quod ingenerabile (vel potius ingenitum) est, omni tempore existet in potentia antequam generetur, & per consequens erit tempore infinito, vel indeterminato non ens in actu, fieri autem potest, ita quod sic existens non ens erit in potentia ens, id igitur, quod genitum est simul non erat, & potentiam existendi habebat, sicut ergo tunc habebat potentiam existendi, & simul non existebat, poterat quoque non existere (nihil namque est tale, quod tale esse non possit) ergo & posterius in finito tempore poterit non existere (non enim hæc potentia non existendi auferri potest, cum sequatur naturam generabilium ex ratione materiæ) quod igitur genitum est habebit potentiam non existendi, & sic omne genitum corruptibile erit, est enim corruptibile, quod potest non esse.

Manifestum est autem aliter, quod impossibile sit corruptibile non corrumpi aliquando, semper enim erit simul corruptibile, & non corruptibile actu; quare simul erit possibile semper esse, & non semper; corrumpitur igitur aliquando corruptibile, & si generabile est, factum est; possibile enim est factum esse, & non semper esse, at per consequens si est generabile, erit quoque corruptibile; sunt namque conuertibilia, vt declaratum est; omne igitur genitum corruptibile est, & sic si Mundus ponatur genitus tandem quoque corrumpetur. Tex.133.

Est autem sic considerare, quod impossibile est, aut factum aliquando quippiam per generationem, incorruptibile perdurare, aut quod ingenerabile est, & semper prius existens sine generatione, corrumpi. Nihil enim à casu, aut incorruptibile, & generabile esse potest, neque corruptibile, & generabile, probatur. Tex.134.

Quod enim à Casu est, & quod à Fortuna; est, vel fit, præter semper, & frequenter, hoc est raro. Quod autem tempore infinito, aut semper ab aliquo determinato agente, vel determinato tempore fit, siue semper existat, vel fiat, siue frequenter, id non à Casu, & Fortuna est. Tex.135.

Necesse est igitur hæc fieri à natura, & sic cum corruptibilia semper vel frequenter à determinato agente fiant, non erunt à Casu, vel à Fortuna, sed ex tali natura; quare cum possint esse & non esse, à natura hoc habebunt, talium autem causa vt sint & non sint, est quia habent potentiam contradictionis, hoc est, essendi, & non essendi, & fundamentum, & causa huius potentiæ, & contradictionis est materia, vnde ipsa materia est causa, vt sint & non sint; quare si aliquid genitum, ponatur incorruptibile, necesse est simul existere actu opposita; nam prout genitum est, includit materiam, & potentiam ad non esse; prout vero ponitur incorruptibile, tollitur potentia illa non essendi, & sic est potentia ad semper esse, & non semper esse. Quæ igitur ex sua natura sunt talia, & non à Casu, semper seruant eandem naturam, & potentiam; cum igitur, generabilia, & corruptibilia, ac ingenerabilia quoque, & incorruptibilia, sint ex sua natura huiusmodi, & non à Casu, impossibile erit, quod aliter vnquam sint; ac similiter erit impossibile, quod aliquod genitum incorruptibile sit, cum includant potentiam & naturam oppositam, & similiter est impossibile, quod aliquod incorruptibile sit genitum, eadem ratione. Tex.136. Materia est causa qua res potest esse, ac est potentia contradictionis.

At si quis dicat, sufficit ad hoc vt aliquod incorruptibile non semper sit respectu temporis præteriti, & hoc modo incorruptibile non habet potentiam vt semper sit, quia respectu temporis præteriti non potest esse. Respondetur, quod verum est dicere, id quod in priori anno fuit non esse, nunc neque quod in priori anno, quod nunc est, tamen posse esse, & non esse non accipitur respectu temporis præteriti. Impossibile ergo est id quod aliquando non est, posterius sempiternum esse, nam etiam posterius habebit Tex.137.

poten-

potentiam nõ existendi, accipiendo potentiam (vt accipi debet) respectu futuri.

Tex. 138. *Verum incorruptibile habet potentiam vt non sit, non tunc quando est (existit namque actu ens, ideo pro tunc potentia ens esse nequit) sed si aliquam habeat potentiam non existendi, hæc erit respectu anni prioris, vel præteriti temporis, vt supra de mente aliorum diximus, non tamen secundum veritatem, quia propriè hoc non est habere potentiam. Si itaque quod est actu existens, ac potentiam aliquam non existendi habere dicitur, & hac potentia accipiatur in ordine ad tempus præteritum, erit verum dicere de eo, quod nunc est, non futurum esse, quia in priori anno esse non habuit: sed impossibile hoc est, nulla enim est potentia ipsius fuisse, sed ipsius esse, aut futurum esse, & sic re vera ad præteritum nulla est potentia. Quare licet aliquod perpetuum, vel incorruptibile, respectu temporis præteriti, dicatur non posse esse, hoc est non iterum reuerti ad tempus præteritum: ex hoc tamen non concluditur simpliciter, ipsum habere potentiam ad non esse, quia hæc non est potentia, etsi eam superius potentiam ad mentem aliorum nuncupauerimus.*

Ad præteritum nulla est potentia.

Tex. 139. *Imò dicere, quod debeat accipi potentia ad non esse respectu temporis præteriti, est similiter dicere, ac si diceretur, quod aliquid prius sempiternum existens habeat posterius potentiam ad non esse, quod etiam falsum est, nam nullum sempiternum habet non existendi potentiam, cùm omne huiusmodi ingenitum sit, ac materiam excludat, quæ sola est talis non existentiæ fundamentum; præter quam quod, neque est par ratio, respectu præteriti, & futuri, ideo qui similiter, hic & ibi credunt dicere, pariter errant. Quare si secundum prædictorum positionem, ex concessis ab ipsis, videlicet, quod potentia sit respectu præteriti, posuerimus quod ex positione tali possibile est poni, verum erit dicere, quod hoc, vel illud erit in priori anno, & vniuersaliter in præterito tempore, quo nihil est absurdius. Non igitur quod sempiternum est habet non existendi potentiam, nec quod genitum, semper existendi.*

Tex. 140. *Et si quis physicè, (idest per rationes magis sensatas) consideret, & non sic vniuersaliter, vt supra; impossibile iudicabit, aut quod sempiternum est prius, corrumpi posterius, aut quod prius non erat, posterius sempiternum esse. Omnia namque corruptibilia, & generabilia alterabilia sunt alteratione corruptiua, nam alterantur à contrarijs, & ab ijs qualitatibus, & dispositionibus ex quibus ipsa entia naturalia, & generabilia constant; & ab eisdem ipsis corrumpuntur, absque eo quod ad externa corrumpentia recurramus; quapropter cum omne genitum, saltem mistum, ex talibus aduersis qualitatibus constet, & maximè ex materia, quæ est præcipua corruptionis radix, non est dicendum genitum aliquod in perpetuum duraturum. Ex opposito vero cum omne ingenitum prædictis aduersitatibus careat, non habet vnde corrumpatur, & sic non bene dicitur, ipsum aliquando interiturum.*

Materia est causa corruptionis.

Finis Paraphrasis primi Libri de Cælo.



ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN PRIMVM LIBRVM ARISTOTELIS de Cœlo Quæstiones.

QVÆSTIO PRIMA.

De subiecto huius scientiæ.



On parua difficultas est quod nam istorum librorum sit adæquatum subiectum. Quidam enim existimant, cœlum prout simul elementa comprehendit; atque vniuersum dicitur esse subiectum; quæ positio videtur Aristotelica; imò ipsius Aristotelis expressa, si quidem de vniuerso hoc modo accepto per omnes hos libros pertractat. Ex alia parte ex eo falsa videtur; quia si exactè de vniuerso tractaret, alibi de ipsius præcipuis partibus tractandum non esset; quia partes principales per se ad scientiam in qua agitur de toto pertinent; & tamen de elementis agitur in libris de generatione, & corruptione, imò specialis tractatus de ipsis habetur, ergo. Alij autem existimant, corpus simplex prout est mobile ad vbi esse horum librorum adæquatum subiectum, cælum namque hic consideratur in ratione motus, & elementa pariter. Sed hi de Cęlo tractantes vniuersò errant; Aristoteles namque, præcipuè de natura, & substantia ipsius celi, (vt per totum patet) agere intendit. Quidam vero cælum sub ratione causæ efficientis hic considerari dicunt; quia autem immediatè elementa ab ipso effici, & dependere videntur; ideo de eis sicut de immediato effectu, & correlatiuo fit specialis sermo; qui sicut præcedentes reprobandi sunt; non enim, solum vt causa aliorum, sed secundum propriam naturam cęlum ipsum considerатur. Dicamus ergo nos, Cælum ipsum secundum se, vel prout cælum est considerari hic vt adæquatum subiectum: in ordine vero ad vniuersam Philosophiam naturalem, vt partiale. Pro cuius intelligentia, sciendum est, quod cælum capitur tripliciter, ex hoc primo, tex. 96. vno modo pro primo corpore quod omnia alia continet, & est (philosophicè loquendo) primum mobile. Secundò pro omnibus alijs sphæris cælestibus, quæ ipsi primo contigua sunt, seu quæ ab ipso primo ordinatim continentur (non etenim re vera omnia sunt sibi immediatè contigua, sed vnum tantum, cui alia postea contiguantur, & sic sunt Saturnus, Iupiter, & alij planetæ omnes. Tertiò denique prout inclusiuè omnia corpora includit; puta sphæras ipsas cælestes, & elementa. Hoc itaque modo consideratum cælum, dicimus esse huius tractatus adæquatum subiectum; Quæ positio antequam declaretur, quandam requirit declarationem, videlicet, quid sit aliquid prout tale est in aliqua scientia considerare; ex hac namque tota hæc difficultas, & omnes aliæ similes pendent. Dicimus itaque aliquod sic consideratum includere prædicata propria essentialia, ac immediatas passiones, vel accidentia, quæ ab ipso fluunt, remota vero nequaquam; exemplum; ens prout ens consideratur adæquate in Metaphysica; ideo in tali facultate, de natura entis, de principijs, & immediatis passionibus eius peragitur, de remotis autem nequaquam; quia hoc pacto de omnibus rebus ipsa ageret, ac aliæ quæque facultates superfluerent; Similiter, si homo per se in aliqua scientia consideratur, ibi de natura, & proprietatibus eius inmediatè fieret per se sermo; de remotis vero nequaquam; non etenim quibus omnibus manus inseruiret ageretur, nam hoc pacto omnes mechanicas facultates pertingeret. Ad rem igitur; hic agitur secundum se de cælo tertio modo dicto, ideo de natura, partibus, & proprietatibus eius agendum est; ac per consequens, & de numero cœlorum, & elementorum, atque de ipsorum motu tractatur. At quia præter hunc modum considerandi; ipsa elementa prout ad inuicem agunt, & patiuntur, & prout etiam ad generationem misti ordinantur considerari possunt, ideo alter peculiaris tractatus sibi relinquitur; puta de generatione, & corruptione, vel de elementis. Præter quam quod, nullum est inconueniens quod præter tractatum totius, possit aliquis peculiaris secundum proprietates aliquas ex se de partibus fieri; vt respectu hominis, fit tractatus de anima, &c. Cælum igitur secundum se est adæquatum subiectum. Probatur, quia & natura ipsius, & quæ ad ipsam pertinent, cum præcipus partibus, & proprietatibus hic considerantur, ergo. Hæc autem est prima positio, & Aristotelica.

QVÆSTIO II.

Ipsum autem omne cuius hæ partes sunt, perfectum necesse est esse. Tex. 4.

An Vniuersum sit perfectum.

Arguitur primo pro parte negatiua sic. Perfectum est cui nihil deest, vel cui non potest fieri additio, ex 3. Physicorum textu 64. & ex hoc libro textu 4. sed vniuerso multa desunt, multaque sibi addi possunt, ergo; probatur minor, nam tempore hyemis quam plurimæ species plantarum deficiunt; similiter multa in dies augentur,

gentur, & auferuntur cuiusque speciei corruptibilis indiuidua, ergo.

Secundò. Vbi est aliqua deformitas, vel turpitudo, ibi non est omnimoda perfectio, vt de se notum est, at in vniuerso multæ sunt deformitates, tam ex parte naturæ, quam ex parte morum, ergo; minor patet de pestilentijs, inundationibus, monstris, alijsque innumeris malis naturæ; de morum autem defectibus nihil dicendum est; si quidem vitia, & scelera hominum maxima nimis omnibus, & semper innotescunt.

Tertio. Vbi includitur aliquod imperfectum tanquam pars, illud non est omniquaque perfectum, sed vniuersum sic se habet, ergo. Probatur minor, nam in omnibus sub cælestibus includitur materia, quæ est ens imperfectissimum, ergo.

Pro intelligentia sciendum est; quod vniuersum accipitur propriè pro aggregato ex omnibus creaturis, prout videlicet, cœlum, elementa, animalia, plantas, ac denique mista omnia sub ratione specifica comprehendit, quo pacto vocatur etiam Mundus, quasi vndique Mundus, vel ornatus existat, quare dum quærimus an vniuersum sit perfectum, idem est, ac si hoc de Mundo quæramus, quia sunt termini synonimi. Verū et tamen quod multis alijs modis Mundus accipitur, quos distinctionis, & vberioris doctrinæ gratia, hic recensebimus; dicitur ergo Mundus Archetypus, qui est mens diuina, in qua est ratio, vel exemplar sempiternum omnium rerum. Alter est Mundus Angelicus, puta ipsorum aggregatio, vel triplex Hierarchia; alter est elementaris, qui solum cœlos, & elementa comprehendit; alter denique est Mundus paruus, nempè homo, in quo omnia vniuersi, vel simpliciter, vel virtualiter, vel eminenter, vel per participationem continentur; verum ne simul diuersa, diuersarumque scientiarum confundamus dimittantur. De vniuerso itaque dumtaxat est sermo, an scilicet perfectum omnibusque numeris absolutum existat. Sed statim insurgit difficultas, nam quæstio hæc subiecti adæquati naturam excedit; diximus namq; cælum prout solum elementa includit esse horum librorum subiectum adequatum, quomodo ergo quæstionem ad omnia creata, seu ad vniuersum extendimus? Respondetur; has quoque esse partes ipsius, & sic sub tali ratione ad ipsum pertinere, maximè in vniuersali non inconuenit; quamuis de alijs magis principalibus solum sit principalis intentio. Sic itaque cælum, & elementa principaliter considerantur, ac secundum ipsorum naturam, vt partes perfectionem integrantes, vel prout cælum habet rationem continendi has includere potest.

Notandum est etiam, quod duplex est perfectio rei videlicet essentialis, & accidentalis. Essentialis est quæ naturam rei cum omnibus partibus essentialibus includit, cui opponitur essentialis imperfectio, quę solum partem respicit; vt homo ex anima, & corpore constitutus essentialiter perfectus dicitur; Sed priusquam animam recipiat, est essentialiter imperfectus, quæ autem sic se habent longè à natura, quæ perfecta dicitur absunt; vt corpus, vel embrijon non est homo, vel animal; quamobrem quæcunque sunt, necessariò essentialiter sunt perfecta, quia si non sic se habeant non sunt, homo namque cui deficit anima vel corpus, non est homo; similiter si corpori desit essentialiter aliquid, corpus non esset; vnde frustra videtur quæstio, magisque vana resolutio, de perfectione essentiali Mundi. Est tamen dubitatio, an partes integrales essentialiter ad rei perfectionē attineant, vt pes, vel brachium hominis &c. Respondetur cum distinctione, scilicet, quod in rebus physicis, quarum esse in materia, & forma consistit, tales partes, quo ad essentiam non necessariò requiruntur, vt homo est homo, & si manu, vel pede careret; sed quo ad existentiam, quædam sunt simpliciter necessaria, vt caput, cor, &c. Iis autem quæ in ratione quadam quantitatiua consistunt simpliciter conueniunt; nam de essentia talium, integrales, non autem essentiales sunt, vt domus sine fundo non esset, domus, nec nauis sine carina. Verum inter istas integrales dantur principales, & hæ essentiam, vel integralem naturam auferunt; aliæ sunt minus principales, & hæ essentiæ non officiunt; secus de simpliciter essentialibus, & physicis dicendum est; vnaquæque etenim est simpliciter necessaria, ac remota essentiam dirimit. Ad essentialem perfectionem reduci potest perfectio ordinis, & finis; sic nimirum quod ordinari ad finem non sit accidentale rei; aliter omnia accidentaliter contingerent, quod falsum est, quia natura principaliter agit propter finem; quare sicut efficiens, & finalis causa necessariæ sunt, nec accidentariæ vocari possunt, sic rei perfectio ex ipsis nō erit accidentalis, ac denique modus, species, & ordo essentialem respiciunt perfectionem. Modus dicitur (ad propositum) certa determinatio, & naturæ vis, vel facultas operandi. Species est naturæ essentialis determinatio. Ordo est ad finem ordinatio secundum diuersa media; vnde definitur, esse dispositionem parium dispariumque rerum vnicuique sua loca tribuentem. Dum ergo aliquid perfectum esse enunciamus, in modo, specie, & ordine constitutum asserimus; vel (quod idem diuersis verbis est) in numero, pondere, & mensura. Numerus respondet speciei; pondus ordini, mensura modo. Perfectio autem accidentalis, in qualitatibus, & dispositionibus naturæ super additis consistit, sic namque hominem perfectum dicimus si sanus, si debita quātitate, & qualitatibus, cum animæ, tum corporis sit præditus; elementa si in debita temperie existant; &c. ad quam reducitur pulchritudo; quæ nihil aliud est nisi perfectio, quæ ad sui contemplationem animum, vel aspectum allicit; atque vt plurimum in rerum diuersarum proportione consistit, sic namque pictura ex vmbris, varijsque coloribus spectabilis efficitur; Harmonia ex vocibus, & silentijs, sic quoque de alijs; qua quidem consideratione res in se non multum spectabiles, sed quandoque etiam deformes ad hanc attinent perfectionem; quo pacto peccata, virtutibus, monstra animalibus perfectis, vmbræ, & priuationes, rei veræ, & completæ pro sunt. Notandum est etiam quod perfectio rei vniuersaliter spectatæ ad singularia non extenditur, neque essentialiter, neque accidentaliter; potest namque perfecta esse natura humana omni sibi conuenienti perfectione, absque Petro, vel Paulo, quod maximè veritatem habet, si aliqua, dumtaxat, vel saltem pauca indiuidua tollantur; quia multitudo integritatem, perfectionem, & finem concernit; quibus declaratis quæstionem resoluamus.

Modus. Species. Ordo. Numerus pondus, & Mensura. Pulchritudo.

Conclusio.

VNiuersum est omniquaque perfectum, si vniuersaliter loquamur, hoc est si species, & partes principales eius consideremus. Probatur, nam quo ad perfectionem essentialem (de qua tamen non esset dicendum) clarum est, omnia, quæ in ipso sunt perfecta esse, aliter non essent. De perfectione ordinis est etiam manifestum; quia inter se res omnes miro ordine vt mutuo se adiuuent ordinantur; & præcipuè verum hoc est in ordine ad finem vltimatum, puta Deum, ipse namque propter se ipsum omnia operatus est. Sed quo ad modum etiam notissimum cuique speculanti erit; si quidem res omnes insitam conuenientem vim operandi retinent, quæ si in particularibus quibusdam deficiat, in specie vero hoc asserendum non est, non etenim est imaginabile omnes homines virtute, vel generatiua, vel nutritiua, vel alia quacunque carere. Similiter dicatur de alijs, sed quo ad perfectionem accidentalem maior est difficultas; non etenim rationabile, nec veritati consentaneum videtur, omnia omnibus debitis qualitatibus prædita esse. Tamen si specifice loquamur; non irrationabile, sed

sed probabile summopere videbitur; credo etenim in vniuerso genere hominum omnes qualitates, & virtutes conuenientes seorsum, seu sparsim saltem reperiri, sic de alijs dicatur; hæc autem conclusionis pars, non vt demonstratiua, sed vt probabilis habeatur. Conclusio autem hæc si secundum prædictas perfectiones adminicem ordinatas sumatur, veritatem clariorem continebit, sic nimirum, quod vbique vniuersaliter loquendo, sit vel perfectio ordinis, vel modi, vel accidentalis, quo pacto plantæ, & viuentia omnia, dum propriam quantitatem conuenientem adepta non sunt, ac à perfectione accidentali recedunt, eam quæ est ordinis mirificè admittunt.

Ad Argumenta.

AD primum negatur minor, species namque principales semper sunt, vel in diuersis Mundi regionibus; vel diuersis temporibus, virtute, vel semine, vel radice; quod, & pulchritudinis, & ordinis perfectionem respicit. Si quæ vero imperfectarum rerum species nouæ generentur, vt fortè de multis coloribus, vel saporibus per varias mixturas accidit, in pulchritudinis perfectionem recidunt.

Ad secundum ferè eodem modo dicatur, omnia namque prædicta ad pulchritudinem conferunt. Præterquam quod indiuidua solum respiciunt, Nos vero loquimur de perfectione vniuersalium, vt diximus.

Ad tertium negatur maior, quoniam ex imperfecto, & perfecto aliquod perfectius constituitur, sic ex materia, & forma efficitur.

QVÆSTIO III.

Omnis autem motus, qui secundum locum fit, quem vocamus lationem, aut rectus, aut circularis, aut ex his mistus est. Tex. 5.

An diuisio motus in rectum, circularem, & simplicem sit sufficiens.

ARguitur primò quod non, dicitur namque circularis qui fit circa medium, vel centrum mundi; at re vera multi quoque sunt circulares qui hoc modo non fiunt; patet nam omnes motus rotarum, lapidum molarium, imò & ipsarum cælestium sphærarum (si quidem aliquando magis, interdum vero minus ad centrum accedunt, vt suo loco videbimus) sic se habent, ergo.

Secundò. Dicitur motus rectus, qui est, vel ad medium, vel à medio; quod etiam falsum videtur, nam motus ad dextram, vel sinistram super rectam lineam est proculdubio rectus, & tamen non à medio, nec ad medium, ergo.

Tertiò. Simplici accidenti mistio non conuenit, ac motus est simplex accidens, ergo. Maior est nota, nam mistio est diuersarum rerum aggregatio; probatur minor, quoniam solum illa accidentia mista sunt, quæ ex alijs prioribus, puta ex caliditate, frigiditate, &c. constant; si quidem ex his solum fiat mistio, motus vero non sic se habet, vt omnibus notum est, ergo.

Motus quadruplex. Pro intelligentia sciendum est, quod motus ad propositum est quadruplex videlicet naturalis, mathematicus, voluntarius, & violentus. Naturalis est qui à vi naturali, & ad terminum, vel locum naturalem efficitur, vtrumque namque requiritur; virtus vt principium, terminus vero, vel vbi, vt finis. Mathematicus est solum qui ex parte magnitudinis attenditur; prout videlicet fit per talem lineam, vel superficiem; quare non dicitur mathematicus quod à mathematico consideretur, cum ipse ab omni motu abstrahat; sed ratione prædicta, & gratia distinctionis, vt clarius in processu patebit. At motus voluntarius est qui ad libitum alicuius efficitur, ad quem pertinet motus artificialis, hic namque à voluntate quoque dependet. Violentus est qui fit contra inclinationem mobilis, vt dum ignis deorsum, terra vero, vel alia grauia sursum mouentur. Hæ autem motuum differentiæ, vel species, non simpliciter essentialiter inter se distinguuntur, sed accidentaliter solum, puta ex parte spatij principij, vel termini; distinctio namque essentialis ex intrinseca natura spectanda est; quomodo autem hoc fit verum fusè in 3. Physicorum declaratum fuit. Quibus breuiter declaratis, ponitur conclusio.

Recta, & sufficiens est diuisio motuum prædicta, quæ conclusio priusquam declaretur sciendum est, quod intelligi debet de motu naturali tantum. Quod autem sit sufficiens probatur; nam motus naturalis dicitur secundum inclinationem mobilis; mobilia vero (ad propositum) sunt triplicia, aut enim sunt simplicia, & hæc sunt duo; quædam mouentur motu recto, quædam circulari, aut denique mista; ea mouentur motu recto, quæ sunt grauia, vel leuia; quamobrem cum simplicibus, quæ ipsorum virtute participant connumeranda sunt; sic itaque non solum elementa, sed omnia grauia, & leuia inanimata simplici mouentur recto motu, quia prouenit à virtute elementi prædominantis; cum itaque tria sint genera diuersa corporum naturalium, triplex erit motus. At quæritur; quis nam erit motus mistus? Respondetur, quod motus animalium; puta ambulatio, natatio, volatio, &c. Sed hic duæ insurgunt difficultates, prima quod motus iste in aliquibus puta in hominibus coincidit cum voluntario; quare non erit bona diuisio. Secunda; videtur in omnibus violentus, quia vt plurimum corpus ipsorum graue sursum mouetur. Ad primam respondetur, diuersa ratione aliquid potest esse voluntarium, & naturale; prout etenim ad opposita differentias fieri, atque etiam non fieri potest, voluntarius est; prout à natura, vel anima procedit, est naturalis, præter quam quod, artificialis ad purum voluntarium cum participatione violentiæ reduci potest. Ad secundam dicitur, reuera si positionem corporis attendamus violentus erit, at ratione animæ, quæ est potissimum principium, & naturale mouendi est naturalis. Nunc argumenta principalia soluamus.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, illos esse motus artificiales, vel violentos, de quibus non loquimur; quamuis possint dici circulares, vel recti ratione mathematica, prout scilicet super lineam rectam, vel circularem fiunt. De cælo autem alia est ratio; & pro nunc dicatur esse naturalem, & circularem, quia fit circa medium; & quamuis interdum fit aliqua maior, vel minor approximatio ad centrum, non propter hoc ratio præcipua circulationis aufertur.

Ad secundum dicitur ferè eodem modo quo supra, nempè hos esse rectos per modum mathematicæ considerationis, non secundum naturæ facultatem.

Ad tertium dicitur; accidenti simplici posse conuenire mistionem externam, ex parte spatij, vel subiecti, sic motus ex spatio eam sumit.

QVÆSTIO IV.

Simplicis corporis simplex est motus, & simplex motus simplicis corporis. Tex. 8.

An prædicta propositio sit vera.

ARguitur primo pro parte negatiua, nam multa corpora composita simplici mouentur motu; vt omnia inanimata simpliciter deorsum, leuia verò sursum, ergo.

Secundò. Omnes orbes cæle stes inferiores, seu omnes alij à primo mobili pluribus mouētur motibus, vt in progressu patebit; similiter aqua præter motum naturalem, deorsum habet alium qui dicitur fluxus, & refluxus, ergo.

Tertiò. Ignis mouetur naturaliter sursum, & etiam circulariter, aliter ille motus non esset æternus, quia nullum violentum est æternum, quare secundum naturam plures motus simplices sibi conueniunt.

Pro intelligentia sciendum est, quod Aristoteles hic solum de naturali motu loqui intendit, sic nimirum quod vnius corporis simplicis sit vnus motus simplex naturalis, seu à principio, vel inclinatione propriæ, & particularis naturæ fluens, vnus inquam specie non numero, aliter semel tantum moueri posset, quod absurdum est; terra namque si infinities extra centrum poneretur, infinities moueretur ad ipsum nisi impedimentum adesset; at manifestum est, illos motus non esse vnum numero, si quidem vnitas temporis, quæ ad hoc requiritur, non adesset. Vt autem causam huius veritatis inueniamus, sciendum est; quod sicut productio singularis, ad vnam singularem essentiam, vel naturam terminatur, ita de conseruatione dicendum est; si quidem ad esse sequitur immediatè conseruari; quamobrem quemadmodum frustra essent vnius rei plures productiones, sic quoque essent superflui plures motus ad conseruationem efficiendam. Cum itaque vnumquodque simplicium corporum vnum dumtaxat locum naturalem pro sui conseruatione respiciat, profectò vnum solum localem motum ad ipsum adipiscendum expostulabit, quare clara est propositio. At de corporibus cælestibus, quę conseruatione non indigent, quid dicendum est? prædicta nāque ratio pro ipsis non militat. Respondetur tamen, etiam ipsa vnum simplicem motum habere, non ex ratione conseruationis, sed ex ratione locandi, quia nimirum cum vno tantum modo eis alia locare, puta in ratione circularis ambitus conueniat; solum ex sua natura vno simplici motu, quo varias efficiant per partes circa hæc inferiora locata influentias moueri possunt. Vel dicatur, quod sicut corruptibilibus corporibus vnus locus pro conseruatione conuenit: sic istis incorruptibilibus vnus quoque cum vno respondente motu pro alijs proportionaliter conseruandis aptantur; vel sicut vni corpori non conuenit esse in pluribus locis naturaliter, sic nulli potest multiplex naturalis motus localis competere; quare eo modo quo cæli vnum locum respiciunt, sic vnico motu gaudent. Sed circa hoc duæ insurgunt dubitationes. Prima. Motus circularis est vnus secundum speciem, & tamen conuenit omnibus corporibus cælestibus, quæ specie differunt, vt dicemus; ergo vnus motus simplex, non vnius, sed plurium simplicium corporum esse potest. Secunda. Non magis motus, & locus ad conseruationem rei, quam propria accidentia, vel dispositiones pertinent, imò minus; si quidem facilius ignis extra proprium locum conseruatur, quam sine debito calore, & siccitate; cum ergo hæc accidentia sint plura

Conclusio.

vno; cur ergo non plures motus, & loca? Ad primam rationabiliter dicendum credo, motus circulares non esse eiusdem speciei Physicæ, sed diuersæ, (voco speciem physicam, quæ diuersas respicit naturales, vel physicas dispositiones, ad differentiam speciei logicæ, quæ solum prædicationem, & idem genus prædicamentale concernit) quod sic patet; nam ad diuersos terminos fiunt, sic quod vnus non potest esse terminus alterius; quare ad efficiendam differentiam, vel identitatem specificam atque physicam motus, non sufficit spatium secundum rationē lineæ rectæ, vel circularis; sic namque motus omnium elementorum essent eiusdem speciei; sed præcipuè attenditur motuum terminorumque diuersitas, & hac ratione cælestes motus sunt specie distincti. Ad secundam respondetur, disparem esse rationem de motu, & alijs accidentibus; hęc namque diuersas efficere debent dispositiones, & ad diuersa munera exequenda, & vt à diuersis oppositis vindicentur; motus vero solum locum vnum respicit, & ad ipsum tendit.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, quod mouentur ratione elementi prædominantis, quare motus talis huic elemento tribuendus est.

Ad secundum respondetur, illos non esse motus talium corporum naturales, sed præter naturam; qui scilicet ab alio superiori corpore causantur.

Eodem modo dicatur ad tertium; dum dicitur, nullū violentum esse perpetuum, respondetur, hunc motum non esse propriè violentum, sed præter naturam; quod magis patebit, dum prædictam propositionem examinabimus. Notandum est tamen, quod interdum vnum corpus simplex mouetur ad locum alterius, & sic eodem motu specie ratione termini, ne detur vacuum, vel propter aliud bonum vniuersi, vt aqua vsq; ad centrum, quod est locus terræ descenderet, ex quo multo magis patet, quod diximus, has species motus non esse simpliciter essentialiter diuersas; quæ etenim sic se habent incommutabilia sunt, maximè si ex natura fluant, homini etenim mutatio de risibilitate in aliud nunquam accidere potest, sic accidit de motu, vel aptitudine ad ipsum.

QVÆSTIO V.

Vnum vni contrarium est. Tex. 10.

Quæritur de veritate istius propositionis.

VIdetur ergo quod non sit vera; nam vnica est via bene procedendi, deficiendi vero sunt multæ, quæ quidem omnes rectæ ipsi opponuntur.

Amplius. Liberalitati opponitur auaritia, & prodigalitas, idē de alijs virtutibus moralibus dici potest, ergo.

Confirmatur auctoritate Arist. in 8. Physic. textu 62. ibi etenim ait, non oportet autem turbari, quod idem pluribus erit contrarium, quare, &c.

Pro resolutione sciendum est, quod contrarietas accipitur ad propositum dupliciter; vno modo pro quacunque oppositione, vel repugnantia, & hoc modo, certum est eidem plura esse contraria; si quidem multa eidem opponi, vel officii possunt; omnis namque mala dispositio, vel qualitas nocet, repugnat, & contrariatur hoc modo; sic motui est quies, & alter motus contrarius, diuersa tamen oppositione, sic quoq; albo colori, & niger, & vnusquisque medius opponitur; imò multa per accidens ad hanc contrarietatem conferunt; densitas namque igni, raritas terræ, & aquæ repugnant. Sumitur alio-

alio modo propriè pro repugnantia entitatum positiuarum accidentalium, quæ sic ab Aristotel. in 5. Metaph. tex. 16. definiuntur: Contraria dicuntur, quæ non possunt simul eidem adesse, mutuo se expellunt, & sub eodem genere maximè distant. Quare cum maximè distare sit solum extremorum, & extrema solum sint duo ad inuicem collata, sequitur, quod vnum solum alteri contrarietur, quia alia rationem extremorum sortiri non possunt in eodem genere: vnde si ex alia parte repugnent, vel hoc erit in alio genere; vel ratione participationis extremorum, quæ non erit perfecta contrarietas.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur illas esse diuersitates, vel alias oppositiones, seu repugnantias, non verè contrarietates.

Ad secundum similiter; sunt etenim opposita dispositiones; contrarietas autem propriè est inter extrema ipsa, puta inter auaritiam, & prodigalitatem. Eodem modo ad Aristotelis authoritatem dicatur.

QVÆSTIO VI.

Perfectum est prius natura imperfecto. Tex. 12.

NE aliquid desiderabile relinquatur, propositiones omnes famosas huius, & aliorum sequentium librorum breuiter exponere, seu limitare decreui. Videtur itaque propositio prædicta falsissima. Nam prius natura est à quo non conuertitur subsistendi consequentia, vt habetur in post prædicamentis; hoc autem quod sic est prius est semper imperfectius; vt notum est; vniuersalius namque est prius natura particulari, & imperfectius ipso, vt patet de animali in comparatione ad hominem, de colore in ordine ad albedinem, &c. pariter partes hac prioritate præcedunt totum, quas esse ipso toto imperfectiores nemo est qui eas inficiatur.

Respondetur itaque, propositionem prædictam non esse vniuersaliter veram, vt optimè probat argumentum; sed solum veritatem habere in genere causæ efficientis, siue æquiuocæ, siue vniuocæ, siue principalis, siue instrumentalis cæteris tamen paribus, nempè vniuocam causam cum vniuoco effectu, æquiuocam cum æquiuoco, instrumentalem cum instrumentali comparando; quod sic declaratur; omne posterius dependet à priori, quod autem ab alio dependet est imperfectius, & posterius eo à quo dependet; ergo prius natura est perfectius, sic motus circularis cæli est alijs motibus perfectior, quia ab ipso illi dependent, substantia est perfectior accidentibus, atque est causa æquiuoca illorum; nec non generans genito, vt homo homine, saltem secundum aliquas conditiones accidentales, & in ratione generantis, & geniti, nam dum generans generat, est in esse perfecto, genitum vero statim imperfectissimum est; huic vero propositioni concordat alia quædam, nempè effectus non est nobilior causa; quæ eodem modo de causa efficientis, & proportionaliter intelligenda est. Ad argumentum patet quid sit dicendum; neque enim partes, nec vniuersalia sunt causæ efficientes respectu totius, vel singularis. Posset etiam dici; quod sit vniuersaliter vera, in comparatione ad ordinem totius vniuersi, ad hunc videlicet sensum, quod tota vniuersi natura ab aliquo ente perfectissimo, & priori dependet; nec non motus omnes particulares ab vno qui est omnium causa vniuersalis, cum qua expositione concordat alia quædam propositio, quod actus sit prior potentia; prout omnia ab ente actualissimo pendent.

QVÆSTIO VII.

Finitum est cui potest fieri additio. Tex. 13.

HAbetur hæc propositio his verbis, circulus autem perfectorum est, recta vero linea nulla, neque enim infinita, haberet enim terminum atque finem, neque finitarum vlla, extra enim omnes aliquid est accipere, augeri enim contingit quantumcunque. Circa cuius expositionem aliqui multum laborant. At si verba ipsius Philosophi ponderentur: nulla erit circa hoc difficultas; si quidem ipse solum de recta linea loquitur, de qua ex se manifestum est quod dicitur; de alijs vero rebus non est vniuersaliter verum si accipiatur finitum pro completo, determinato, vel perfecto; si etenim perfectum est, cui nihil deest, quomodo huic fieri potest additio? quamobrem, vt (ordinate loquar) duplex esse finitum dicerem; aliud quod idem valet quod completum, & perfectum, & huic additio fieri nequit; aliud vero quod opponitur infinito, sic videlicet, quod sit aptum in infinitum saltem potentialiter abire; vt accidit motui tempori, magnitudini, & alijs, quæ vel per se, vel per accidens sunt in infinitum diuisibilia, aut augibilia, & de istis propositio est infallibiliter vera; quod vero in alijs fallat, probatur; nam homo secundum suam naturam augmentum recipere nequit; nam essentiæ sunt indiuisibiles; idem dicatur de alijs, finitum itaque omne, quod materialiter, & in ordine ad infinitum consideratur, additionem recipere potest; aliter vero nequaquam.

QVÆSTIO VIII.

Quare necessarium est, & circularem motum quoniam his præter naturam est, alterius cuiusdam esse secundum naturam. Tex. 14.

An motus cæli sit naturalis.

1 ARguitur primò quod non. Quod à voluntate extrinseca alicuius in aliud prouenit, non est illi alteri naturale; vt quod lapis incidatur ex voluntate hominis ipsi lapidi naturale non est. Sed cælum mouetur ex voluntate intelligentiæ, ergo.

Secundò. Omnis motus naturalis est determinatus ad vnum terminum tantum, vt ignis sursum, terra deorsum, &c. sed motus cæli posset indifferenter fieri ex qualibet parte ad libitum motoris, quatenus vi figuræ rotundæ non sibi repugnat, ergo.

Tertiò. Omnis naturalis motus est ad locum, & quietem ordinatus, at neutrum cælo conuenit, nam neque in loco est, neque quiescere potest, ergo.

Quartò. Motus naturalis dicitur quatenus à natura prouenit, sed in cælo non est natura, ergo; probatur minor, quoniam natura dicitur solum de materia, & forma, vt habitum est in 2. phys. cælum autem materia, & forma caret, vt videbimus, ergo.

Quintò. Omnis motus naturalis est ad locum, vt ibi corpus mobile conseruetur, at cælum conseruari à loco non indiget, si quidem est ingenerabile, incorruptibile, atque inalterabile, vt dicemus, ergo.

In hac quæstione videtur controuersia inter Scotum, &

&alios

& alios ferè omnes Doctores, imò ab ipsomet Philosopho discrepare videtur; si quidem multis rationibus motum cæli esse naturalem in hoc libro ostendere conatur, Scotus autem ex opposito in 2. sent. d. 2. q. 6. neutrum ipsum appellat. At si re vera perfectè positio Scoti examinetur, nec à Philosophi positione diuersa, nec Philosophiæ repugnans, sed magnopere sibi consentanea videbitur. De mente itaque ipsius Scoti sciendum est, quod motus cæli potest dici naturalis dupliciter, vno modo, prout à principio passiuo inclinationem ad circularem motum habet, & sic nullatenus negandum est eum naturalem esse, vt rationes Aristotelicæ ostendunt, & ex figura ipsius ad hunc maximè disposita elicitur, aliter frustra, & otiosa esset. Alio modo potest dici naturalis ratione termini, quietis, & loci; ratione inquam termini, quod videlicet natum sit magis moueri versus hanc partem qua mouetur, quam versus aliam; & hoc pacto meritò neuter, vel indifferens est appellandus, nam ex circulari dispositione, sic ad vnam, sicut ad aliam partem inclinetur; nec aliunde prouenit determinatio, nisi à voluntate Motoris; qui etsi necessario agere cum Arist. ponatur, adhuc ex ipsius necessaria, (vel quomodocunque sit) actione, non ex insita propensione cæli cietur; quare meritò hac ratione neuter est vocandus, ita vt oppositum dicere, non sit bene intelligibile. Pariter, quia neque ad locum aliquem determinatum, neque ad quietem vt alia naturalia corpora videtur; hinc est, quod neque penitus sic naturalis vocandus est; sed prima ratio est efficacior; huic enim responderi potest; esse naturalem ab alijs diuersum, ideo non sicut alios ordinari. Patet itaque, simul naturale, & neutrum diuersa ratione dicendum, quare argumenta soluamus.

Ad Argumenta.

AD primum dicimus, maiorem esse veram; si ipsum mobile inclinationem ad huiusmodi motum non præbeat; cælum autem inclinationem habet, vt sic moueatur.

Ad secundum dicitur; quod secundum hanc indifferentiam, potest vocari neuter; qui tamen, quoniam inclinationem prædictam supponit, etiam naturalis erit.

Ad tertium dicitur, maiorem esse veram, de motu recto.

Ad quartum negatur minor; materia namque accipitur ibidem non solum pro subiecto formæ substantialis, sed pro quolibet subiecto in quo est principium motus.

Ad quintum dicitur, maiorem esse veram, de motibus corporum corruptibilium; cælum autem mouetur, non vt conseruetur, sed vt alijs esse, & conseruationé præstet.

QVÆSTIO IX.

Videntur enim in alijs citissimè corrumpi, quæ præter naturam sunt. Tex. 15.

An aliquod violentum sit, vel esse possit perpetuum.

PRædicta Aristotelica propositio his verbis iam ex communi vsu elicitur, Nullum violentum est perpetuum; quæ quia aliquas euidentes instantias habet, de veritate ipsius quærere superuacaneum non puto. Est igitur prima instantia de igne, qui perpetuò, & violenter tamen in gyrum ad motum cæli ducitur. Secunda est de fluxu, & refluxu Maris. Tertia de motu orbium cælestium inferiorum. Pro solutione tamen sciendum est, quod violentum dupliciter dicitur; vno modo quod immediatè, & directè repugnat alicuius inclinationi, v.gr. graui sic est violentus motus sursum; igni frigiditas, aquæ caliditas, &c. quæ quidem violentia non tantum in motibus, sed in multis qualitatibus naturalibus reperiri, vel adaptari potest; quæ (vt vnico verbo suppleatur) datur vbi est contrarietas aliqua, ac in ordine ad ipsa contraria, mutuo se expellentia. Aliud dicitur violentum, quod alicui particulari naturæ ex propria sibi inclinatione non conuenit, quamuis nec sibi, vel eius dispositioni directè repugnet, vel officiat, quo pacto lapis se habet ad recipiendum formam Mercurij, vel alterius, non etenim inclinationem habet ad hoc, neque repugnantiam. Dicimus ergo. Violentum primo modo nullatenus perpetuum esse posse. Probatur, quia si sit violentia ex parte motus, deberet propter perpetuitatem in infinitum protendi, at non datur motus infinitus rectus; sicut neque spatium, vel magnitudo infinita, vt in 8. Physic. visum est, circularis autem contrarium non habet, vt dicemus, ergo. Neque potest esse perpetua duratio violenta ex parte aliorum contrariorum accidentium, quia vnum contrarium tandem aliud corrumpit; vt si aqua diu sub calore permaneat in exhalationem vertitur. Dicimus secundò. Violenta secundo modo dicta nullam includere repugnantiam, vt æternitatem habeant; probatur, quia nec ad malam dispositionem, nec ad naturæ corruptionem aliquid in ipsis recipitur. Quare non immerito à quibusdam, hæc non simpliciter violenter, sed præter naturam (ad differentiam prædictorum) dicuntur. Præter naturam inquam particularem, nam secundum ordinem vniuersi; superiorum corporum instinctum, & dominium sequuntur, & quamuis quandoque Arist. idem esse violentum, & præter naturam dicat, hoc de violento secundo modo intelligendum est; nec ipsum latuit hæc distinctio, si quidem æternitatem motibus prædictis præter naturam factis concedat, aliter sibimet contradiceret, ait namque cui motus sursum est naturalis, eidem circularis est violentus, & tamen ignis naturaliter sursum mouetur, circulariter vero perpetuò, & violenter, quod si esset verè violenter, motus ipsius non esset perpetuus, & sic propositio esset falsa. Ad instantias patet solutio, nam non propriè violenter, sed præter naturam, & secundum dominium superiorum corporum (quibus ipsa subduntur) tales motus efficiuntur. Si quis autem motus, vel dispositiones has præter naturas, neutras appellaret (quibus potentia neutra respondeat,) nullum fortè sequeretur inconueniens, sed solum voces (neque penitus inutiliter) multiplicarentur.

QVÆSTIO X.

Quapropter ex omnibus his aliquis ratiocinando crediderit, quod est aliquod præter corpora, quæ hic, & circa nos sunt alterum separatum, &c. Tex. 16.

An cælum sit diuersæ naturæ ab elementis.

ARguitur primò quod non. Rerum essentiæ, vel naturæ diuersæ, vel cum alijs conuenientes ex accidentibus cognoscuntur, sed cælum non habet diuersa, sed communia accidentia cum elementis, ergo. Probatur minor, quoniam quantitas, est cælo communis, & elementis; imò figura ipsa (de qua minus videtur) si quidem omnia elementa, ex mundi rotunditate, sunt ipsa quoq; rotunda; nec dicatur, id habere à cælo continente, quoniã hoc de terra minimè pronũciari potest, & de alijs non est adeo efficax, quia idem de celis dicere possemus, nam saltem inferiores orbes hanc figura à primo (quod ex parte conuexa nõ sic se habeat) accipere possunt. Sed

quoad

quo ad qualitates id magis notum est; nam ficut aliqua elementa sunt calida, alia humida, vel sicca, seu frigida, sic quoque cæli præcipuè planetæ se habent; Luna etenim humida dicitur, Mercurius siccus, Venus pariter humida, & sic de alijs.

Secundò. Si cæli essent alterius naturæ, hoc non aliunde præcipuè colligeretur, quam ex diuersitate motuum, vt deducit Arist. in textu; at hæc ratio est nulla; ergo id asserere nequimus. Probatur minor; nam si diuersitas motuum, naturas diuersas inferret, sequeretur, cælum magis cum elementis, quam elementa inter se conuenire, consequentia est nota; quia motus sursum, & deorsum plus differunt quam sursum, & circularis; at sursum, & deorsum elementis conueniunt, circularis cælo, ergo. Quod verò plus differant patet, nam, nam motus circularis est compossibilis cum motu sursum, saltem aliquomodo, seu corpus quod sursum mouetur, potest etiam moueri circulariter, non motu violento, vt notum est de igne in propria sphæra; at motus deorsum, non est ita conueniens ei corpori, quod sursum est aptum moueri, sed violenter tantum; ergo plus differunt.

Tertiò. Cælum ex materia, & forma constat, & elementa quoque, ergo non differunt, saltem vt diuersæ penitus naturæ, differentia namque ex forma, non facit talem diuersitatem, quin conuenientiam admittat vt patet in omnibus sublunaribus, quæ cum diuersitate formæ in aliqua natura communi corruptibili conueniunt. Quod verò cælum sit ex materia, & forma compositum, in propria quæstione videbimus.

Circa naturam cæli, tres præcipuas (præter Aristotelicam) Antiquorum opiniones reperio. Prima est Platonis in Thimæo asserentis cælum ex perfectionibus terræ, & ignis conditionibus constare; ex terra ratione cōpaginationis, & duritiei; ex igne propter claritatem, vel trāsparentiam. Secunda est Pythagoræ, & Heracliti; qui ipsum simpliciter igneum esse, asseruerunt; moti fortè à lumine astrorum, & à summa ipsius actiuitate, qua in istis inferioribus mirabilia operatur, maximè autem calorem. Tertia tandem est Empedoclis, qui ex aere, & igne constitutum esse affirmabat: quæ omnes pro nunc vnica ratione reijci possunt; videlicet; quod si hoc modo (vt dicunt) cælum se haberet, dissolubile esset; omne etenim quod ex elementis constat, est corruptibile. Potest etiam addi; quod moueretur motu recto; quoniam omne corpus mistum mouetur secundum prædominium elementi in ipso prædominantis. Præter quam quod, si ex igne constaret, omnia inferiora iam combusta fuissent; nec non in aerem immediatè, in alia verò elementa mediatè conuerteretur, nam omnia elementa sunt adinuicem transmutabilia, vt in libris de generatione, & corruptione notum erit. Est alia tandem opinio Aristotelis nunc in scholis communiter recepta, cælum videlicet esse alterius naturæ ab elementis, & ab omnibus alijs inferioribus; quæ vt intelligatur, sciendum est, quod duplici via substantia rerum inuestigamus; puta per motum, & per transmutationem; per motum, quia ipse immediatè à natura fluit. (Semper de naturalibus corporibus ad propositum loquendo), quare si motus sit ab alijs diuersus; diuersam quoque naturam, necessariò colligemus. Ex transmutatione corruptibilitatem, & incorruptibilitatem colligimus; vel (melius) res habere materiam, vel non habere; si quidem si ex vna in aliam formam mutetur aliquod, materiam includit; si verò penitus intransmutabile apparet, oppositum est concludendum. Potest quoque addi collectio multorum accidentium simul; hæc etenim, quamuis sparsa in pluribus reperiantur; simul tamen in vno collecta ipsum ab alijs distinguunt; vt quamuis lac album simul cum niue sit; tamen quatenus est etiam dulce, liquidum, &c. ab ipsa niue differt, accidentaliter quidem, & à posteriori; sed internam essentialem naturam diuersam insinuat. Concludendo itaque dicimus. Cælum esse diuersæ naturæ ab elementis, & ab omnibus inferioribus. Probatur, quoniam motus, & figura ipsius est ab ipsis diuersa, ex his autem præcipuè natura rerum colligitur; similiter ipsum est ingenerabile, & incorruptibile, vt dicemus, ac etiam est simplex, seu materia, & forma caret, vt quoque probabimus, quare per consequens nulla ratio essentialis transmutationis, quæ diuersitatem insinuet in ipso assignari poterit.

Ad Argumenta.

AD primum negatur minor, saltem quo ad propria accidentia, quæ immediatè è posteriori distinguunt, vel distinctionem insinuant. Cælum namque ex se est sphericæ figuræ vt suo loco in 2. dicemus; terra verò nequaquam, sed solum vt ad centrum se comprimat; vt etiam dicetur ibidem. Quo ad qualitates dico quod in cælo sunt solum virtualiter, & effectiuè, formaliter verò nequaquam; quamobrem luna non est formaliter humida, sed humiditatis productiua; & sic de alijs. Quamuis aliæ quædam qualitates vt lumen, raritas, & densitas (si fortè situm non dicant) ab ipso non sint negandæ; sed nihil officiunt; nam conuenientia cum elementis in quatuor primis qualitatibus potissimum attenditur.

Ad secundum negatur minor; ad eius probationem negatur consequentia; quāuis etenim magis repugnent motus sursum, & deorsum, quam sursum, & circularis, hoc non arguit maiorem diuersitatem mobilium, sed maiorem contrarietatem; differt autem diuersitas à cōtrarietate; quia entia diuersa, vt plurimum distant, vel distare possunt genere, contraria verò sub eodem genere sunt. At hic insurgit curiosa dubitatio. Si etenim ex contrarietate motuum contrarietas naturæ, sicut ex diuersitate diuersitas indagatur; ignis, & terra magis contrariarentur, quam ignis, & aqua; quod falsum est, sicut consequentia est notissima; nam motus ignis est simpliciter sursum ad extremum, terræ vero simpliciter deorsum ad medium. Respondetur, reuera motus contrarios naturas contrarias insinuare, & etiam terram magis igni, quam æquam eidem igni oppositam esse; nam quāuis in quatuor primis qualitatibus ignis, & aquæ magis discrepent, tamen in soliditate, grauitate, opacitate, duritie, densitate, alijsque innumeris affectionibus terra ab igne diuersa est magis; quamobrem per motum non solum qualitates primas, sed omnes alias simul colligere debemus, & sic vel identitatem, vel diuersitatem naturarum colligemus.

Ad tertium negatur maior; de qua nihil modo dicemus, sed in propria quæstione examinabitur.

QVÆSTIO XI.

Corpus igitur quod circulariter fertur impossibile est habere grauitatem, aut leuitatem. Tex. 18.

An cælum sit graue, vel leue.

SAtis in litera quæstio hæc ab Aristotele agitata, ac optimis rationibus pro parte negatiua munita fuit; hic tamen duo argumenta, quæ difficultatem simul, & curiositatem faciunt adducenda, & soluenda sunt. Primum. Id dicitur graue quod magis tendit ad centrum; sed cælum sic se habet, ergo. Probatur minor, ex communi Astrologorum positione; dant enim accessum, & recessum Solis à nobis; non inquam solum ex Zodiaci proprio cursu, hoc etenim cum æquali semper à terra distantia compleri potest; sed per veram approximationem, & elongationem à terra, ergo dum approximatur

habetur expreſsè in Mundi Theatro Abrahami Ortelij in principio in ſuppoſitionibus quibuſdam aſtronomicis. Pro ſolutione igitur ſciendum eſt, quod non eſt alia via inueſtigandi cœli incorruptibilitatem niſi eam quam ſuperius tetigimus, puta quod in ipſo non ſit materia, quæ ſolum per tranſmutationem phyſicè eſt cognoſcibilis; cui rationi addenda eſt Antiquorum, & recentium memoria, quæ nihil in cælo vnquam ad ipſius naturam attinens mutatum eſſe affirmat; qua quidem via Philoſophus ipſe incedit, nec aliam tutiorem poſſibile eſt imaginari; ſi quidem longè ab eo, non tantum diſtantia locali, quanto natura, & cognitiua perſpicacitate recedimus; quamobrem directè ad quæſtionem de materia cæli hæc attinet; ſed ne multum eam extendamus (vt dictum eſt), & vt aliqua præcipua argumenta ſoluamus, hic hoc modo determinetur; Cœlum eſt ingenerabile, incorruptibile, inaugmentabile, & inalterabile; probatur prima, & ſecunda pars; nam omne generabile ex materia conſtat, & corruptibile in ipſam reſoluitur. Cœlum autem materia, vt dicemus in ſequenti quæſtione, ergo. Probatur ſecunda pars. Augmentatio fit per conuerſionem nutrimenti in ſubſtantiam nutriti; ſed cælum non indiget nutriri nec materiam habet cui altera addi poſſit, ergo; pariter nec poteſt minui, quoniam diminutio ſupponit augmentationem, vel aptitudinem ad ipſam vt priuatio ſupponit ſubiectum cum aptitudine. Non eſt denique alterabile; quia alteratio eſt diſpoſitio ad generationem, & corruptionem, quare vbi non poteſt eſſe generatio, neque corruptio, fruſtra eſt alteratio, loquendo de alteratione corruptiua, nam de perfectiua ſecus dicendum eſt, vt patebit in ſolutione quinti argumenti. Quo ad materiam hominum ſatis in litera notum eſt.

Scotum.

Ad Argumenta.

AD primum negatur minor, cælum namque materia, & forma caret, ſed eſt corpus ſimplex, vt vidēbimus.

Ad ſecundum reſpondetur, quod virtus finitæ actiuitatis poteſt eſſe infinitæ durationis naturalis, dum autem dicitur, infinitam virtutem in magnitudine finita eſſe non poſſe, ibi loquitur Ariſtotel. de virtute actiua. Verum eſt tamē quod in comparatione ad primam cauſam ipſum cœlum eſt annihilabile, ſicut omnia alia entia creata; qui enim habet poteſtatem creandi, etiam annihilandi habet; tamen non eſſet propriè corruptio, quæ eſt reſolutio in materiam, & formam, quare aliquid dicitur incorruptibile, vel indefectibile dupliciter; vel ſimpliciter, & ſic ſolus Deus ſe habet, vel in ordine ad cauſas, ſecundas, & hoc pacto omnes ſubſtantiæ materiei expertes, Intelligentiæ, & cæli incorruptibiles ſunt, quia eo quod materia carent, ſunt etiam priuationis expertes, hac autem ablata ratione, corruptio penitus tollitur.

Ad quartum multi multa dicunt; alij namque eas veras ſtellas fuiſſe negant, ſed cometas in ignea regione apparentes extitiſſe; ſed coarguntur ab alijs, nam cometæ nec vbique eandem diſtantiam oſtendunt, nec adamuſſim cælorum motum ſequuntur, cuius oppoſitum de iſtis affirmant. Alij, exhalationes vſque ad Cælum ſtellatum, quod vocant etiam aplane penetraſſe, & ſic ibi apparere, & cum ipſo moueri autumant; ſed hi cælum penetrabile, & per conſequens corruptibile coguntur ponere, quod nos modo quærimus, ac euitare intendimus. Quidam vero facilè ſe expediunt negotio ad miraculum confugientes. Sed alij quos in argumento retulimus expreſsè cælum ipſum, corruptibile, & generabile ſtatuunt. Dicerem itaque ego (meliori iudicio ſaluo) non alia de cauſa tales nouas ſtellas apparere, & euaneſcere potuiſſe, niſi ob aliquam diuerſam denſitatem, vel raritatem orbium inter nos, & aſtra oppoſitorum; clarum namque eſt, Cælos ipſos non vbique eſſe æque raros, vel denſos, ſtellæ etenim ipſæ ſunt denſiores alijs partibus; quare quid prohibet quod ſecundū diuerſos orbium motus, ſuperioris orbis ſtellati aliqua nobis videnda præbeatur pars, quæ vel ante non viſa, vel non obſeruata fuit; deinde alia difformi ſuccedente denſitate, vel raritate iterum ſine interitu (ſicut prius ſine generatione apparuit) abſcondatur? quod eo magis veriſimile apparet; quo motus ipſius ſtelliferi orbis in ſeptem millibus annis compleri dicunt, vnde mirum non eſt, ſi nunc aliqua ſtella, cum applicatione, & correſpondentia partium inferiorum orbium modo prædicto ſic ſe habeat; hęc autem ſolum ſint adumbrata, nam fuſius loqui ad doctrinam Aſtrologicam, maximè ad Planetarum, vel orbium, aut ſtellarum theoricam attinet.

Ad quartum dicitur, cælum non eſſe propriè animatum anima informante, vt ſuo loco dicemus, quare neque augmentationem, quæ viuenti ſolum conuenit recipere poteſt. At ſi dicatur, cur alia augmentatione impropriè dicta, quæ fit per iuxta poſitionem (ſicut dum aquę ponitur alia aqua) non poteſt augeri? Reſpondetur, ideo hoc fieri non poſſe, quia eſt ingenerabile; ſi namque aliqua pars ſibi adderetur, generanda prius eſſet, vel ſaltem aggeneranda, quod nihil refert. Secus ſi per creationem, & diuinam abſolutam potentiam loqueremur, dicendum eſſet.

Ad quintum dicitur, alterationem perfectiuam, maximè ſecundum illuminationem ab eo auferendam non eſſe, ſolum namque corruptiuam, quæ per quatuor primas efficitur qualitates ab ipſo remouemus. Verum eſt tamen, quod diuerſæ apparitiones, vel colorum apparentium mutationes, vt plurimum, & fortè ſemper, ex multis inter nos, & aſtra interpoſitis vaporibus ſiunt, vt alibi quoq; tetigimus, & fusè in Meteorolog. dicemus.

QVÆSTIO XIV.

Huic autem non eſt ex quo factum ſit. Tex. 21.

An cælum ſit corpus ſimplex.

PRiuſquam opiniones cum fundamentis adducamus, de multiplici ſimplicitate, & compoſitione (& ratione diſtinctionis, & vberioris quoque pro tyronibus doctrinæ) dicendum eſt. Sciendum eſt itaque; tot modis compoſitionem, vel compoſitum dici, quot dicitur ſimplicitas, vel res ſimplex; nam hæc eſt oppoſitorum ratio. Dicitur ergo vtrunque octo modis. Primò eſt compoſitum ex genere, & differentia, cui opponitur ſimplex, vtroque carens, ſicut eſt genus generaliſſimum, & quælibet differentia, & hoc modo nemini dubium eſt, cælum eſſe compoſitum; nam eſt ſubſtantia corporea mobilis, incorruptibilis, vbi ſubſtantia eſt genus, corporea cum alijs differentiam dicunt. Secundò modo dicitur ſimplex, quod ex elementis non conſtat, quo pacto ipſa quatuor vocata elementa, ſcilicet ignis, aer, aqua, & terra ſimplicia corpora vocantur; compoſita verò è contra, omnia mixta dicuntur, ſiue ex omnibus, ſiue ex aliquibus tantum elementis ſint conſtituta, nihil refert. Neque hoc modo de compoſitione, vel ſimplicitate cæli eſt controuerſia, receptum etenim eſt apud omnes, ipſum ex elementis non conſtare, ſed ſimplex quintum corpus dicitur. Tertiò modo dicitur compoſitum ex partibus integrantibus, ſeu quātitatiuis, vel ad quantitatem attinentibus, vt homo prout ex membris cōſtituitur, numerus quatenus ex vnitatibus conflatur; ille .n. ex partibus quantis, & hic ex vnitatibus

Simplex, & compoſitū octo modis

ad quãtitatem attinentibus efficitur. Simplex autem est, quod his partibus caret, vt res spirituales, & indiuisibiles, sicut est vnitas ipsa, punctum, &c. At neq; hoc modo de Cęlo est difficultas; si quidem omnibus notum est, ipsum partes quantas habere. Quartò, quod substantiam, & accidens includit, compositum, & per accidens vocatur, vt homo albus, vel homo niger, &c. cui opponitur substantia, vel tantum accidens, vt homo, vel albedo. Neq; sic est de ipso cælo difficultas, est etenim substantia, cum quantitate, ac qualitatibus multis: habet enim virtutes, & proprietates, quamobrem compositio ex subiecto, & proprietatibus, ad compositionem per accidens (ne plura frustra multiplicentur) reducatur. Quintò est compositum ex natura, & supposito, seu ex quidditate, & cuius est quidditas, vt homo, & humanitas; homo namq; habet rationem suppositi, humanitas est quidditas; verum hæc non est propriè compositio, quoniam, vt dictum est in 1. Phys. quidditas, vel tertia entitas non facit compositionem cum partibus, sed ex ipsis resultat; tamen dicitur compositum, quia vel compositionem supponit partium, vel saltem vnionem aliquam connotat; nec tantum in rebus, quæ ex partibus essentialibus, & integralibus constant reperitur; sed in omnibus quorum singularia, secundum existentiam aliquid propriè quidditati addũt; sicut est differentia indiuidualis, & fortè compositio hæc in omnibus rebus creatis, ac perfectis, specificis, & substantialibus inuenitur; simplex autem huic composito oppositum est ipsa natura, vel quidditas abstractè considerata; suppositum vero sine natura intelligere forsitan implicat, sed si possit (quod alibi examinandum erit) etiã simplex dicatur. Cælum autem ipsum proculdubio hac compositione compositum est, quod insinuat Philosophus in hoc libro tex. 92. ait namque, alterum est hoc cęlum, & cælum simpliciter, &c. Sextò modo dicitur compositum ex materia, & forma, vt homo ex anima, & corpore; cui opponitur simplex quod tali compositione caret, vt forma, vel materia ipsa, res spirituales, &c. de hac autem compositione est inter Philosophos controuersia de cælo; sed antequam institutum prosequamur; distinctiones compositionis, & simplicitatis sunt supplendæ. Dicitur, ergo septimo modo simplex quod nullam includit compositionem ex prædictis, quod simpliciter simplex nuncupatur; sic autem se habent vltimæ rerum differentiæ, vt differentia Petri, Socratis, & aliorum singularium, & prima communissima principia rerum, vt ens, vnum, &c. & huic quælibet compositio opponitur. De qua circa cælum non est dubitandum, cum multas habeat compositiones. Octauò deniq; modo dicitur summè simplex, quod videlicet nec compositionem aliquam habet; neque cum alteris componibile est; qua simplicitate solus Deus præditus est; creaturæ namque omnes, vel sunt compositæ, vel componibiles, vnde quæ dicuntur simpliciter simplices, quamuis non constent ex alijs, sunt tamen cum alijs semper compositæ, vel componibiles. Duplicia namq; sunt composita, vniuersaliter loquendo, videlicet ex his, & cum his. Primò modo sunt, quæ ex partibus constant, (vocentur hic partes omnia componentia, siue accidentia, siue substantiæ, &c.) Secundò vero sunt partes ipsæ, quæ simul cum alijs compositionẽ faciunt; vt alibi quoque dictum est. Compositio ergo ex his, & cum his simul semper sunt, & in qualibet compositione, diuersa tamen ratione, nam compositum ex his includitur à componentibus, quæ dicuntur composita cum his, & hæc è contra ipsum ex ipsis compositũ includunt. Notandum est autem pro maiori intelligentia, quod omnes prædictæ compositiones, præter eam, quæ est subiecto, & accidenti, ad quam pertinet ea, quę est accidentis cum accidẽti, vt albi cum dulce, sunt essentiales rerum compositarum, quamuis non omnes sint substantiarum. Nunc difficultatem præcipuam examinemus adducendo prius aliquas opiniones cum fundamentis.

Opiniones cum fundamentis.

Circa hanc quæstionem tres præcipuas opiniones reperio, quæ omnes Aristotelicam sequi contendunt. Prima est D. Thomę, & sequacium asserẽtium, cęlum ex materia, & forma constare, nec non quod materia ipsius à materia horum inferiorum diuersa sit. Secunda est Ægidij qui pariter materiam cęlo assignat, sed eiusdem rationis cum hac inferiorum esse autumat. Tertia denique est Auerrois in libro de substantia orbis. Hic etenim cælum nullam includere materiam, sed simplex esse asserit, quam Scot. 2. sent. d. 14. q. 1. commendat, & ipsum quã plures nobilissimi Philosophi sequuntur, & nos quoque (eo quod magis veritati, & Aristotelicę doctrinæ consẽtanea videatur) sequemur. Prius itaq; duarum prædictarum argumenta communia de materia adducemus, deinde ea in quibus differunt; ac tandem veram habebimus solutionem. Quod itaque cęlum ex materia, & forma constet, probatur. Omne quod mutatur materiam habet ex 12. Metaph. tex. 10. cęlum mutatur, ergo. 1. Arg.

Pręterea. Omne singulare sensibile ex materia constat, vt docet Philosophus in hoc libro tex. 92. Cęlum est singulare, & sensibile ex eodem textu, & ex 8. Metaph. tex. 3. ergo. Secundum.

Amplius immateriale, & incorporeum idem penitus significant; sed Cœlum non est incorporeum, vt patet, ergo neque immateriale, quare materiam includit. Maior est nota ex quodam vsu communi loquendi, qui quidem in veritate fundatur, vnde ex ipso locus topicus desumitur. Tertium.

Item. Cęlum ipsum, vel est purus actus, vel pura potentia, vel ex vtroq; compositum; non purus actus, quia sic esset intelligens, incorporeum, & omnium accidentiũ experso; nam pura potentia, quia hoc modo esset prima materia, non quanta, neq; corporea, nec aliquam actionem habens; relinquitur ergo, ex actu, & potentia, seu ex forma, & materia componi, hæc autem vniuersa diuisio est Arist. 2. de anima tex. 2. vnde sufficiens est. Quartum.

Pręterea; quantitas sequitur materiam vt docet Auerroes in libro de substantia Orbis cap. 1. & ab omnibus vt nota propositio recipitur. Sed in Cęlo est quãtitas, ergo. Quintum.

Adhuc Arist. 9. Metaph. tex. 17. ait, Cęlum habere materiam nihil prohibet, ergo. Sextum.

Amplius in secundo de gener. & corrupt. tex. 51. habetur, principia sempiternorum, & corruptibilium esse æqualia numero, & eadem genere; quare si corruptibilium sunt materia, & forma, ergo æternorum, seu Cælorum etiam. Nũc autem secundum D. Thom. videamus cur materia Cœli sit alterius rationis à materia horum inferiorum. Ratio itaq; præcipua ipsius est; quoniam cũ hæc inferiora sint corruptibilia, Cœlum vero incorruptibile, necessario habent materias diuersas, itaut materia istorum inferiorum sit semper cum priuatione, qua mediante alias formas appetit, vnde corruptio sequitur; Cœli autem materia non sic se habet, nam solum ad ipsius formã ordinatur, qua propter cum eam indissolubili nodo connexam habeat, nec alias appetere potest neque ipsis priuatum dicitur; nihil namque aliquo priuatum appellatur, quod aptum habere non erat. Amplius, ad aliam formam alia materia ex 2. Physicor. tex. 26. Sed forma Cęli est alia à forma horũ inferiorũ; ergo materię quoq; sunt diuersæ. Secundũ hunc ergo Doctorem, differentia cęlestis, & sublunaris materiæ, ex ordine, vel inclinatione ad diuersas formas desumitur. Ratio autem Ægydij est; quod omnis distinctio fit à forma, quare cum ipsa materia in se nullam includat formam, non habebit distinctionem. Præterea, in quolibet genere causarum, est deueniendum ad, vnum ergo ad vnam quoque materiã. Amplius vnica est forma mũdi; ergo vnica materia. Quæ tamen ambæ opiniones communiter reijcientur, si Cœlum nullam materiam includere probabimus.

Quæ-

Quæstionis resolutio.

PRo intelligentia, & resolutione quæstionis, tria breuiter annotabimus, alterum est, quod materia quatuor dicitur modis. Primo namq; dicitur,quæ est altera pars compositi, seu quæ est ens in potentia ad formam substantialem, & cum ipsa per se vnum compositum cōstituit,atque forma partis,seu forma,quæ est pars appellatur. Secundò accipitur pro vltima differentia indiuiduali, quæ videlicet constituit aliquid in esse singulari, vt differentia qua Socrates differt à Platone, quæ a Scotistis vocatur hæcheitas, & in singulari, petreitas Petri, platoneitas Platonis, &c. dicitur autem materia quatenus constituit rem in esse subijcibili; materiæ enim est subijci, quare, &c. appellatur quoq; materia totius ad differentiam materiæ, quæ est altera pars compositi, etsi alio quoque modo materia totius dicatur vt alibi dictum est. Tertiò accipitur materia pro quantitate, quod habetur ex Arist. 1. de gener. & corrupt. tex. 41. habet etenim, quod si nutrimentum sine augmento fiat,erit forma sine materia, hoc est acquisitio substantiæ sine quantitate. Quartò accipitur pro subiecto motus, ita vt quicquid moueri localiter, & occupatiuè potest,materiale censeatur; quæ est etiam Arist. 12. Metaph. 10. asserentis, omnia, quæ mouentur, materiam habere. Aliud obseruandum est, quod omnibus his prædictis materijs non opus est, vt forma respondeat, si quidem solum, quæ est altera pars compositi, ad formam ordinatur, aliæ vero per similitudinem, vel analogiam quandam sic nuncupantur. Tertiò denique notandum est; quod in cœlo residet Intelligentia motrix,quæ ab Arist. in secundo de Cælo tex. 13. vocatur anima,vel forma ipsius, ita vt quilibet peculiaris orbis propriam Intelligentiam habeat,vt docet in 12. Metaph. quamobrem si cęlum cum Intelligentia ipsa consideretur, dicendum est,quod ex materia,& forma constet;sic nimirum,quod corpus cęleste sit materia, Intelligentia forma; verum, neque intelligentia est vera forma informans,vt videbimus in secundo;neq; hoc modo inter Doctores præfatos est controuersia, sed solum de ipso cœlesti corpore; an videlicet,seclusa Intelligentia sit compositum, vel non; tamen negandum non est, aliquando à dignis Philosophis sic capi,vt Intelligentia pro forma, Cœlum pro materia sumatur. Sed ad conclusionem accedamus.

Materia quadruplex.

Conclusio.

COelum nullo modo ex materia, & forma constat; (loquendo de materia,quæ est altera pars compositi, de alijs enim, nec difficultas,nec controuersia notabilis est) probatur. Omne constans ex materia,& forma est corruptibile, nam, Materia est causa præcisa vt res sint, & non sint; seu quod sint generabiles,& corruptibiles ex hoc libro, tex. 136. Cœlum autem est ingenerabile, & incorruptibile, vt in hoc eodem declaratum fuit, ergo. Amplius. Materia cognoscitur per diuersam formarum transmutationem, vt in 1. Physic. visum est; hæc autem transmutatio nec apparet, nec aliquando in cælo visa fuit,vt omnes fatentur; ergo,vel in ipso materia non erit; vel eam ponere, non rationibus Philosophicis, sed temerè, vel credulitate, aut coniectura tantum inefficaci efficitur. Præterea. Arist. 12. Metaph. tex. 39. habet quod substantiæ sempiternæ sine materia esse debent, & in nono eiusdem operis tex. 17. habet, vel cælum non habere materiam, vel non nisi ad vbi mobilem, quæ nihil aliud est, quam corporeitas, vel moles ipsius. Item; si in cælo esset materia, vel esset eiusdem rationis cum materia horum inferiorum, vel asserebat Ægidius,vel diuersę, vt dicebat D.Th. non primo modo, quia sic eandem haberent definitionem, quare sicut hæc est subiectum generationis, & corruptionis, vt habetur in 1. Phys. tex. 82. ita illa, & sic cælum esset generabile, & corruptibile; nec dicatur, quod quia forma eius satiat totum appetitum materiæ, ideò aliam non appetit, & sic ad corruptionem non tendit; quia suppositum est falsum; nulla namque forma penitus appetitum materiæ satiare potest; nisi sit adeo præstans, quod omnes alias formas eminenter cōtineat; sed Celi materia non sic se habet, non enim forma inferioris orbis, vt Lunæ, vel Mercurij continet modo prædicto formam alterius, quare ad illas esset in potentia. Præterquam quod neq; talis continentia est sufficiens,posterius namq; non variat naturam prioris,ergo non tollitur a quacunque adueniente forma, natura materiæ,quæ est vt sic in potentia contradictionis ex hoc libro tex. 136. quod exemplo comprobatur;forma hominis eminenter omnes alias horum inferiorum continet; & tamen materia eius non satiatur ipsa, imò alias appetit, & deterioribus quoque informatur. Neq; rectè dicitur, cæli ideo non esse corruptibile, quia non habet contrarium corrumpens; quoniam dato hoc, non tamen sequeretur ex se incorruptibile esse, vt docet Aristot. nam aliquid est scibile quamuis nemo sit qui ipsum scire posset, vt est eiusdem Philosophi doctrina. Præterquam quod frustra esset corruptibile nisi ad corruptionem reduci posset, & aliquod corrumpens agens adesset; vnicuique etenim potentiæ passiuę,actiua aliqua respondet; quamobrem,quia incorruptibile est,ideò natura exemit ipsum à contrarijs, vt loculenter habetur in hoc libro tex. 20. Quod vero non habeat materiam alterius rationis vt docet D. Thom. probatur. Omnis distinctio est à forma, ergo materiæ hæ, forma quacunq; seclusa,distinctæ non essent. Respondent; distingui quidem per formas ad quas ordinantur; sic nimirum, quod materia cæli ad formam cæli, alia vero ad aliam ordinatur, & sic est distinctio per formas. Contra. Nullum absolutum distinguitur essentialiter per relatiuum; materia est ens absolutum, puta de genere substantię,sed ordinari ad aliud est relatio,ergo;aliter vero dicendum esset,dum actualiter materia est informata, quia tunc non solum relationem, vel ordinem, sed absolutam formam continet; neque dicatur quod per hunc ordinem circumscribimus aliquam internam differentiam materiæ; quia cum omnis differentia sit actualitas, materia actum aliquem includeret, & sic non esset ens in pura potentia, vt fatetur. Adde;quod cum de essentia materię sit esse ens in potentia contradictionis,vt sustinent; semper esset in potentia ad aliam formam, quia essentia non aufertur, sit ergo firma, & Aristotelica determinatio cælum esse corpus simplex. At si instetur, nonne est corpus naturale? Respondetur affirmatiuè, ergo (inferatur) est compositum ex materia,& forma, si quidem hæc est corporis naturalis definitio. Respondetur, hanc esse ineptorum Philosophantium, sibique ipsis contradicentium positionem, corpus namque naturale in sua communi vniuoca ratione est (vt alibi quoque diximus) substantia corporea, mobilis, &c.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, quod ibi accipitur materia pro corporeitate, vel corpore quauto.

Ad secundum eodem quoque modo respondetur, videlicet, quod omne sensibile materiam, vel quantitatem includit; ratio est, quia cum agat in sensu debet sibi proportionari, quare cum ipse sensus sit corporeus, vel quātus, omne sensibile erit quantum, corporeum, & materiale, quæ omnia idem significant. Alij autem respondent, cælum constare ex materia totius, quod licet sit verum; tamen nec est ad propositum, nec ad mentem Aristotelis; non ad propositum, quia etiam immaterialia, vel spiritualia creata,hanc materiam includūt, quare difficul-

difficultatem non effugiunt, nec rationem euacuant. Non ad mentem Arist. quia ipse expresse declarat, quæ nam sit hæc materia cæli, & quid per cœlum illic intelligat; dicit itaque in tex. 95. materiam cœli esse naturalia sensibilia corpora, vbi per cælum vniuersum intendit, vt in tex. sequenti declarat. Præter quam quod in tex. 96. habet, ideò cœlum non multiplicari posse, quia ex tota materia constat; quare si de materia totius, vel differentia indiuiduali (quod idem est) loqueretur, nihil quidem concluderet; nam vnaquæque res ex tota sua materia sic sumpta constat, & tamen multæ sunt plurificabiles, merito tamen formæ specificæ, quo pacto etiam cęlum plurificari posset, & sic nihil Philosophus concluderet; miror itaq; quod homines isti in re tanti momenti, sic crassa minerua loquantur; dicamus itaque ad singulas illius syllogismi propositiones, dum dicitur omne singulare sensibile ex materia constat. Respondetur, esse verum de materia, quæ est moles, vel corporeitas, vt diximus. Ad secundam dum dicitur, cælum est corpus singulare, & sensibile modo prædicto conceditur, ergo constat ex materia, similiter prædicto modo concedatur; & si accipiatur pro toto vniuerso (vt accipi debet) tunc materia ipsius sunt corpora cælestia, & alia, quæ dicuntur materia, etiam ratione molis, partes namque integrantes ad materiales pertinent; quando infertur, ideo Mundum multiplicari non posse, quia non adesset materia, intelligatur, quia non sunt nec esse possunt extra ipsum alia corpora naturalia, vt clare docet in tex. 100.

Ad tertium respondetur, immateriale, quod etiam quantitate caret, esse prorsus idem cum incorporeo non autem quod solum materiæ, quæ est altera pars essentialis compositi est expers.

Ad quartum dicitur, cęlum esse purum actum in comparatione ad substantiam; hoc est, esse substantiam, quę materiam, vel potentiam non includit; sed in comparatione ad accidentia, actum purum non esse, si quidem quantitatem, & alia includit; & per quantitatem ipsam ab intelligentijs, & spiritualibus differt. Aristoteles autem dum diuidit substãtiam sensibilem in materiam, formam, & compositum, loquitur de degenerabili, & corruptibili, quæ propriè sensibilis (sensu nimirum tactus) dicitur, vt habetur in secundo de gener. & corrupt. tex. 7. Vult ergo substantias tangibiles dici primariò sensibiles, has autem corruptibiles sunt, vnde dicit vnum genus substantiæ sic se habere; quasi non omnes substantiæ sic diuidantur, sed corruptibiles solum. Vel dicatur, cælum posse dici compositum ex orbe, & intelligentia, quasi ex materia, & forma; vel ipsum esse materiam, puta corpus mobile, & in potentia ad vbi, sed melior est prima responsio.

Ad quintum dicitur, quantitatem ideo materiam sequi dicitur; prout est ei similis in receptione, & passiuitate; quia sicut materia est receptiua formæ substantialis, ita quantitas accidentis, & sicut illius est pati sic, quoque istius, quod autem a materia fluat dumtaxat verũ nõ est.

Ad sextum dicitur, cælum habere materiam mobilem ad vbi, quæ est quantitas vt ibidem patet.

Ad septimum dicitur; quod ibi Arist. loquitur de principio efficiente mistorum, & elementorum, quæ quidem elementa vocat prima, prout ex illis fit mistum, vocat sempiterna, quia per equiualentiam sunt semper eadem, vt eundem fluuium esse dicimus eodem modo; quod verò sic loquatur in processu literæ patet; assignat namque pro communi efficienti horum Solem in obliquo circulo manentem, vel per Zodiacum decurrentem; quare patet quod de cælo non intendat; si quidem Sol non est causa ipsius. Vnde etiam multorum ineptæ circa hunc textum expositiones fiunt consideranti manifestæ; quas tamen relinquo, & breuitatis causa, & quoniam nõ aliorum errorum censor, sed Academicorum Innouatorum lector esse profiteor. Argumenta vero peculiaria D. Th. & Ægydij non sunt contra nos, quoniam supponunt materiam, quam penitus remouemus. Tamen vt omnibus satisfaciam vtriusq; soluam. Ad primum D. Th. pro Ægydio dicitur, non esse necessarium cælum habere diuersam materiam ab istis inferioribus, vt sit incorruptibile, sed sat esse, quod forma ipsius appetitum satiet; & contrarium non habeat, vt cęlum incorruptibile maneat. Ad secundum dum dicitur, ad aliam formam, alia materia; respondetur id esse verum de materijs secundis, vel dispositis, non si sint nudæ, vel penitus primæ. Ad rationes Ægydij, ad primam dum dicitur; omnis dictinctio est à forma; respondetur dupliciter; primò quod hæc quoq; est à forma, nempe in ordine ad ipsam, secundo, quod propositio illa valet, de distinctione specifica; in alijs vero sufficit, quod vel ab extrinseco, vel ab aliqua proprietate sumatur; sic aliæ sunt proprietates, vel inclinationes istius, aliæ illius materiæ. Ad secundam dum dicitur, in quolibet genere causarũ deueniendum est ad vnam; respondetur, hoc sufficere in ratione vniuersali non enim est vna forma nisi in communi, sic quoque in ratione vniuersali vna est prima materia, etsi in particulari sint plures. Ad aliam dum dicitur vnica est forma, mundi &c. Respondetur in mundo non dari propriè vnicam formam informantem; nam vnitas ipsius est ex aggregatione multarum rerum cum ordine ad primam causam, ideo neque ei vnica materia respondere debet.

QVÆSTIO XV.

Quod autem non est circulari lationi contraria alia latio, ex multis vtique quispiam accipiet fidem. Tex. 23.

An motui circulari sit alter motus contrarius.

ARguitur primo quod sic. Contrarietas motuum ex contrarietate terminorum attenditur, vt in 5. Physic. fusè probatum est; at in circularibus hi termini contrarij assignari possunt, ergo; probatur minor; nam sex differentiæ loci adinuicem ex directo combinatæ, vt dextrum cum sinistro, sursum cum deorsum, &c. sunt oppositæ, & in motu circulari sunt assignabiles, vt habetur in 2. huius operis tex. 13. ergo.

Secundò. Ea sunt contraria, quæ mutuo se expelliunt, vel impediunt; sed duo motus circulares ex opposito super eandem circularem magnitudinem facti sic se habent, vt omnibus patere potest, ergo.

Tertiò. Si motus circulares non essent contrarij, hoc esset ob rationes ab Arist. adductas in litera; sed illæ nihil valent, ergo. Probatur minor; dicit namq; contrarietatem attendi secundum maximam distantiam; hanc verò secundum rectam lineam esse; at in vtroque deficit; nam de centro mundi ad concauum lunæ est minor distantia, quam de extremo ad extremum ipsius concaui orbis lunæ, etiam secundum rectam lineam; & tamen contrarietas sumitur ex centro ad circumferentiam, non ex vno ad aliud extremum; si quidem centrum est deorsum, circumferentia sursum à quacunque parte sumatur, & sic contrarietas non sumitur ex maxima distantia. Quod vero in linea circulari sumatur maior distãtia, probatur, nã ipsa includit rectam, & plus, vt notũ est si extẽdatur, ergo. Alia ratio est, quia motus ipsi circulares se impedirent, quare vnus esset frustra; sed hæc ratio multo magis militat de motibus rectis, hi. n. si ad contraria loca fiant penitus repugnabunt, vt euidens est, si lapis sursum proiectus, alteri deorsum cadenti occurrat; quamobrem cum hi motus recti sic se habeant, & nullus sit frustra, hac ratione neque alter circularium frustra erit.

Pro

Pro intelligentia istius difficultatis præter ea, quæ habuimus in litera, tria supponenda sunt; primum, quod contrarietas motuum sumitur ex parte terminorum, & secundũ ex parte qualitatum contrariarum, loquendo præcipuè, & ad propositũ de motu locali, hic etenim ad locum terminatur, at locus naturalis, non est pura superficies, vel quantitas, sed simul qualitates conseruatiuas includit, quamobrem diuersi motus, diuersos terminos, vel vbi, simulq; diuersas conseruatrices qualitates respiciunt. Tertium, quod motus aliquis naturalis nunquam potest ad contrarium locum terminari, neque per ipsum naturaliter transire, quia aliter ad ipsum tenderet, quod naturæ, vel rationi naturalitati repugnat, vt ignis nunquam deorsum mouebitur, neque terminatiuè, neq; per modum transitus. Ex dictis facilè concludi potest; motũ circularem non habere alium motum cõtrarium, probatur ex primo supposito, quia possunt plures motus circulares ad eundem terminum terminari, & sic non est cõtrarietas terminorum, quod verò ad eundem terminum fieri possint ex se euidens est, si quidem tam ex oriente, quam ex occidente, vel ex alia quauis parte mobile ad idem pũctum peruenire potest, quod etiam verum esset si per lineam rectam moueretur. Ex secundo supposito etiam manifestum est; nam in vniuersa cæli circumferẽtia non sunt contrariæ qualitates, patet, nam ignis à quacunque parte centri moueatur versus cęlum tendit, vt ibi conseruetur, ergo in nulla istarum partium est diuersitas, vel contrarietas qualitatum, quare vndecunq; per circulum fiat naturalis, vel etiam violentus motus contrarietatem non inueniet, & sic non erit motuum ipsorum contrarietas. Ex tertio denique supposito magis intentum declaratur; nam dum aliquid circulariter mouetur, omnes differentias, quæ in tali reperiuntur magnitudine naturaliter transit, quare nulla est alteri contraria, & sic habetur, quod quæritur.

Ad Argumenta.

AD primum respondetur; non omne dextrum, & sinistrum, sursum, & deorsum, &c. esse differentias contrarias, sed solum, quæ attendantur ex lineis rectis; vel dicatur, has differentias non reperiri simpliciter in corpore circulari cælesti, sed in comparatione; quod tamen modo non determinamus, sed ex professò disputabitur in 2. de cælo,

Ad secundum dicimus, majorem esse insufficientem; non enim hæc expulsio est sufficiens, sed requiritur contrarietas terminorum, qualitatum, &c. quod autem hoc sit verum, patet a simili, duo enim corpora in eodem loco esse non possunt, sed necessariò vnum expellit aliud; & tamen omnibus compertum est, ipsa corpora non esse propriè contraria.

Ad tertium negatur minor. Ad primam probationem respondetur, summam distantiam in motuum contrarietate, non ex simplici spatio attendi, sed ex ipso cum qualitatibus maxime distantibus, vel repugnantibus, & hac de causa est contrarietas, vel summa distantia centri ad circumferentiam, non autem vnius extremi circumferentiæ ad aliud, quoniam non solum quantitas, sed qualitas in locis naturalibus attendenda est, vt diximus. Ad secundam probationem dicitur; quod & si in linea circulari aliquomodo includatur linea recta virtualiter, necesse est tamen, quod contrarietas ex recta, non autem ex circulari sumatur; sicut quamuis inter colorem rubeum, & viridem sit aliqua contrarietas, vel repugnantia, tamen extremis tribuitur, puta albo, & nigro. Vel potest negari, quod in circulari linea formaliter recta includatur; sic etenim non esset simpliciter circularis, sed mista, at includere virtualiter tantum (quod est posse in rectum extendi) non est ad rem, vt diximus, quoniam à recta tunc contrarietas sumeretur,

Ad tertiam deniq; respondetur, diuersa ratione sumendum esse impedimentum in circularibus, & in rectis motibus; nam in rectis sumitur ex parte mobilium tantum, non autem ex parte terminorum; quod est dicere; si duo mobilia mutuo sibi inuicem per rectam lineam occurrerent, se impedirent, ita vt transitum alterum alteri auferret; sed secundum terminos vltimatos nequaquam, quia ad contrarios, vel oppositos atq; distantes terminos tenderent, motus autem circulares se impedirent ex parte terminorum; quia videlicet mobilia ipsa ad eundem terminum terminarentur, vel terminari possent, & sic profecto alter ipsorum motuum esset frustra, quia proprium terminum non attingeret; mobilia vero, quæ recto cientur motu, per diuersas lineas diuersos terminos petunt, quãuis paulisper ob violentiam, vel resistentiam alterius contra se moti, vnum ex eis à linea penitus recta recederet, vt notum erit, si imaginemur terrã, & ignem sibi inuicem in aeris regione occurrere, sic nimirum quod terra deorsum, ignis sursum feratur, est ergo impedimentũ, & incompossibilitas ex parte terminorum. Quod autem quidam dicunt de centro ad circumferentiam plures rectas lineas trahi posse, non autem sic circa centrum, est voluntariè, & inconsultò dictum, si quidem si centrum formaliter sumatur est punctum indiuisibile, & terminus vnius lineæ rectæ, præcipuè in ordine ad mobilia, quæ per eandem lineam contra se moueri debent (contrarietas namq; est circa idem) quamobrem si per alias lineas moueantur, vel non directe ad centrum tendent, vel ab ipso recedent, aut non secundum verã contrarietatem; si vero non sic pressè centrum sumatur, ita vt lineæ ad ipsum vltimatè, & immediatè non terminentur, sed potius circa ipsum, sic nihil concludunt; quoniam hac ratione etiam, & multo magis circa idem centrum plures, & innumerabiles lineæ circulares duci possunt, dicatur itaque vt diximus, & prædicti non audiantur.

QVÆSTIO XVI.

Augmentatio supponit alterationem. Tex. 28.

ELicitur hęc propositio in pręcitato textu sub his verbis; Quare si circulare corpus neq; augmentationẽ habere contingit, neq; diminutionem, rationabile est, & inalterabile esse. Quæ tamen videtur falsa; quoniam ipsemet Philosophus in Postprædicamentis cap. de motu, probat augmentationem fieri posse sine alteratione, & exemplificat de gnomone addito quadrato. Amplius, sicut quãtitas est prior qualitate, (nam quantitas ipsa est omnium corporalium accidentiũ immediatum receptiuum) sic augmentatio, quæ est motus ad quantitatem est prior alteratione, quę est motus ad qualitatem, quare nõ augmentatio alterationem, sed hæc illam supponit. Pro intelligentia sciendum est, triplicem esse augmentationẽ (vt etiam annotauit Zimara) quædam fit per iuxta positionem, sicut dum aliquod corpus alteri vnitur, vt aqua aquæ &c. secunda per rarefactionem, vt dum glacies liquefit, &c. tertia tandem per conuersionem nutrimenti in substantiam rei nutritæ, vt dũ per cibũ homo, vel aliud viuens crescit. Primæ duæ species sunt augmentationes secundũ quid, & rebus nõ viuentibus conueniunt, quãuis negandum non sit, rarefactionem animalibus, vel viuentibus quoq; conuenire, vt de se notum est, non tamẽ vniuersaliter, nec ex vltimato fine naturæ. Augmẽtatio vero tertio modo dicta est vera, & simpliciter talis, solũq; viuẽtibus cõuenit, de cuius natura, & proprietatibus alibi fusè dicetur. Ad propositũ autẽ; augmentatio, quæ fit per iuxta positionẽ, non supponit alterationem, vt primũ argumentum probat, & ex se quoq; est euidens. Ea vero

Augmentatio triplex.

quæ

quæ fit per rarefactionem, quandoq; alterationem supponit, vt dum aliquid rarefit per calorem, sicut accidit aquæ feruenti; interdum vero hoc non est necessarium, sed per simplicem motum localem partium fieri potest; vt accidit spongiæ dum dilatatur. Alia tandem augmentatio necessariò supponit alterationem, quia nutrimentum, prius quam in substantiam, & quantitatem rei nutriendæ conuertatur debet disponi, & alterari, quamobrem de hac est simpliciter verum, quod Aristot. asserit. Sed est difficultas; nam hoc modo non videtur, quod Philosophus vniuersaliter intentum concludat; posset enim aliquis dicere, quod & si cælum non sit augmentabile vera augmentatione; possit tamē alio modo augeri, ad hoc respondetur alia causa id negari posse; nam cum sit ingenerabile, & incorruptibile, non poterit aliqua noua pars sibi addi; quia hæc generaretur, cum vero non habeat contrarium, ab aliquo superari, vel rarefieri non poterit. Nunc soluamus argumenta. Ad primum dicitur, illam augmentationem quadrati esse iuxta positionem. Ad aliud respondetur; reuera quantitatem esse priorem qualitate, tamen prima quantitas simul cum substantia per generationem acquiritur, quia supposita, vt alia quæ ad augmentum pertinet acquiratur, alteratio requiritur, quare quantitas acquisibilis per augmentationem supponit alterationem, sed quæ est cum re genita, acquisita non supponit alterationem saltem in se.

QVÆSTIO XVII.

Deus, & Natura nihil frustra faciunt. Tex. 32.

NOtissima est propositio hæc, habet tamen instantiam manifestam; id namque dicitur frustra, quod finem intentum non consequitur, vt docet Philosophus in 2. Physic. tex. 62. quot autem sint res naturales, quæ finem proprium non consequuntur, rationibus probare non est opus; abortus etenim omnes (vt cætera omittam) ab ipso debito fine declinant, hi autem plures, vel paulo pauciores sunt, quam quæ perfectione potiuntur. Respondetur tamen, verissimam esse propositionem si ordine, & conseruationem vniuersi in vniuersali, seu secundum ipsius præcipuas species spectemus, finis etenim naturæ (quæ pro nunc sit aggregatio superiorum, & inferiorum causarum adinuicem ordinatarum) est mundum, & res omnes perpetuò conseruare; at quoniam aliquas easdem numero conseruare nequit, id efficit solum in specie, nēpe per generationem sibi simile producendo; quamobrem cum multa impedimenta, vel contrariē dispositiones vt plurimum adsint, multa, & ferè innumerabilia in eadem specie producit; & sic licet quamplurima ipsorum ob præcitatam causam corrumpantur, nullum tamē est frustra, quia omnia simul ad speciei conseruationem (vt diximus) diriguntur; non itaque frustra facta fuerūt: hoc est dicere, non fuerunt, sine intentione finis, etsi ipso non sint potita; quapropter si frustra intelligatur respectu finis; propositio est vniuersaliter vera, quia Deus, & natura propter finem operantur. Si autem intelligatur in ordine ad finem attingendum à quolibet singulari, sic propositio veritatem vniuersalem non habet, vt argumentum probat; non tamen simpliciter sunt frustra, quia ad finem aliquem ordinata, sed impedita fuerunt, vt accidit quoque de monstris. Sed hic insurgit instantia non spernenda. Quoniam hoc modo de rebus singularibus non appareret diuina prouidentia, cum ad debitum finē non perducat, vel debitè disponat, aut conseruet; quod quidem asserere, non parum deformitatis primæ causæ inurit, maximè si id circa rationales creaturas applicetur. Respondetur; Diuinam prouidentiam profectò ad singularia se extendere; non tamen ea quasi miraculosè ad finem perducere debet; si quidem prouidentia ipsa naturæ ordinem, summamque sapientiam supponit, potiusquam euertat; cum ergo naturales causæ ad inuicem agant mutuoque se impediant, si omnia singularia Deus ad finem sibi conuenientem duceret, vim causandi à rebus naturalibus auferret; nec non pulcherrimum, quem constituit vniuersi ordinem dirimeret; sat itaque est, vt cum causis secundis vniuersali, vnicuique competenti in fluxu concurrat, vt prouidenter operetur, & ab alijs causis secundis causalitatem non adimat; res igitur omnes sic constituit, vt consentaneum sit, vnamquamque proprium motum agere, secundum quam lege, agere prouidentiæ est proprium.

QVÆSTIO XVIII.

Frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum. Tex. 32.

HAbetur hæc propositio in præcitato textu his verbis; Frustra est calceamentum cuius non est calceatio. Quod autem non sit vera; probatur, nam Deus habet infinitam potentiam, quam tamen ad actum non reducit, aliter infinitos mundos, aliosque effectus crearet. Pariter. Continuum est in potentia, vt diuidatur in partes infinitas, nunquam tamen ad actum reduci potest. Item, nec materia infinitas recipiet formas, quamuis ad ipsas sit in potentia; nec cælum vnquam quiescet, etsi possibile sit quiescere; innumeraque alia huiusmodi adduci possunt. Pro solutione itaque sciendum est; potentiarum aliam esse physicam, aliam logicam, vt alibi dictum est; item physicarum, quædam ordinantur ad perfectionem rerum, quædam vero nequaquam; & hæ possunt considerari, vel in ordine ad indiuiduu, vel in ordine ad speciem. Dicimus itaque, potentiam logicam non necessariò ad actum reducendam esse; ratio est, quia ad hoc vt aliquod reducatur ad actum, debet habere determinatum agens; huic autem potentiæ (cum sit pura repugnantia terminorum) aliquod agens determinatum præter Deum non respondet, Deus autem ipse, solum cū agentibus naturalibus de potentia ordinaria operatur. Dicimus secundò, potentiam physicam, tam actiuam, quam passiuam, si ad bonum aliquod ordinetur, semper ad actum reduci, saltem in aliquo indiuiduo speciei; vt quia homo ordinatur ad beatitudinem, aliquis profectò eam consequetur. Dicimus tertio, non omnes potentias æqualiter ad actus ordinari; quædam namq; ad perfectum, & permanentem; aliē ad imperfectum, & successiuum, quod melius patebit si instantias soluamus. Ad primā dicitur, potentiam Dei non ordinari ad perfectionē eius, nec rerum, nisi vt ipsius sapiētia expostulat, quamobrem ad hunc actū reduci non debet. Ad secundam respondetur; continuum quandoq; reduci ad actum incōpletum; nec aliter in potentia est, vt diximus in 3. Phys. tract. de infinito. Ad tertiam dicendum est, materiā non esse in potentia ad recipiendas simul infinitas formas, sed successiuè, quas quidem recipiet. Ad quartam resp. cælū non ordinari ad quietē, vel ad ipsā habere potentiam, veluti ad actum perfectiuum, ideo nunquam quiescet. Vel dicatur, omnē potentiam ad actū reducendam esse, nisi ab aliquo externo agente, ad alium finem meliorem ordinetur; sic cælum quiesceret, nisi ab intelligentia ad motum excitaretur. Quod aliqui dicunt in cælo esse potentiā logicam, non Physicā ad quietem; gratis dictum videtur; quoniam ibi est vera natura, quæ est tam motus, quā quietis principiū; Quod verò addunt esse in potentia ad quietem,

quietem, vt corpus, non vt Cælum, pariter inconsulto dicitur; quia quod superiori ex se conuenit etiam inferiori aptatur, vt si animal, prout animal est, sit sensitiuum, omne animal erit tale. Præterquam quod corpus vt corpus ab omni motu abstrahit, vt de se notum est, si quidem in genere substantiæ, sub consideratione Metaphysicæ cadat: quemadmodum in 1. Physicorum in quæst. de subiecto Philosophiæ diximus, maneat itaque propositio modo prædicto limitata.

QVÆSTIO XIX.

Infiniti ad finitum nulla est ratio. Tex. 52.

Quæritur de veritate huius vulgatissimæ propositionis; videtur itaque falsa; quoniam Deus est infiniti vigoris, vt etiam de mente Philosophi in 8. Physicorum probauimus, & tamen est agens, & creator omnium finitarum rerum. Respondent communiter aliqui; propositionem habere veritatem secundum proportionem (idem est hic ratio, & proportio) entitatis, non autem causalitatis, quod est dicere; finitum non est proportionale, vel comparabile infinito in natura, sed in ratione effectus, & causæ non est inconueniens; nam infinitum potest esse causa, & agens rei finitæ, si quidem circa hoc attenditur excessus potius, quã æqualitas causæ, quod confirmant argumento prædicto. At hæc positio non est vera, nec Aristotelis doctrinæ consentanea. Non inquam vera, quia causalitas, vel actio, seu operatio causæ infinitæ est finita, vel infinita; si finita, tunc est comparatio finiti ad finitum; si infinita cum sit quædam entitas (quicquid etenim est, ens est) neque ratione talis entitatis, vel suo modo naturæ proportionem habebit; non est denique secundum Aristot. doctrinam, quoniam ipse in hoc libro textu 65. validissima ratione probat finitum ab infinito pati non posse. Dicamus itaque, propositionem esse simpliciter veram, sed accipienda est ratio infinitatis reduplicatiua, hoc est sub ratione infinitatis, sic enim inquam proportionem habebunt, siue accipiatur finitum in entitate, siue in causalitate, vel alio modo, nihil refert; quod autem sic res se habeat probatur; proportio est rerum differentium eadem habitudo, seu conuenientia, vel commensuratio aliquomodo in aliud; sed quæ imaginabilis (ne dicam vera) commensuratio erit inter finitum, & infinitum? Ad Argumentum dicamus; Deum esse quidem secundum essentiam, & vigorem infinitum, tamen quia voluntariè agit; non simul in res creatas infinitam vim exercere, nisi fortè secundum modum operandi ex nihilo, circa quem non attenditur proportio, nam modus non comparatur cum effectu, sed cum agente.

QVÆSTIO XX.

Cur autem neque plures esse cælos possibile est dicamus. Tex. 76.

An possint esse plures mundi.

Arguitur primò quod sic. Plurificatio effectiuum ex virtute causarum procedit, sed causa, quæ Mundum hunc produxit est infinita, ergo plures, & infinitos mundos efficere potest.

Secundò. De natura boni est esse communicabile, ergo quo magis bonum, magis communicabile, & quo maximè, maximè. Mundus autem est summum bonum saltem creatum (vt Deum excludamus) nam omnia bona comprehendit, ergo vel ex sua natura effectiuè, vel aliunde sibi plurificari non repugnat.

Tertiò. Omne quod habet materiam, & formam est multiplicabile, nam forma ipsa non indissolubiliter materiæ vnitur, quamobrem materia sub pluribus esse potest. Mundus verò ex materia, & forma constat, vt patet in litera, & si dicatur, argumentum concludere de his, quæ veram habent materiam, sed materia mundi sunt naturalia corpora vt alibi diximus, ideo non est ad propositum; hoc nihil valet, quoniam vnum quodque corpus naturale, quomodocunque sit, cum sit bonum, erit communicabile, & sic habetur intentum.

Pro intelligentia sciendum est, quòd mundum esse plurificabile tripliciter intelligi potest; videlicet per potentiam naturalem, logicalem, & Diuinam; dicitur naturalis potentia ad propositum, dum virtute agentis naturalis, & per motum aliquid fieri potest, vt dum ignis generat ignem, homo hominem. Potentia vero logica est solum non repugnantia terminorum, sic nimirum, quod quamuis nullum naturale agens, id quod hoc modo possibile dicitur complere posset, tamen sibi fieri non repugnat, quo pacto dicimus cælum diuisibile esse, quoniam, etsi nullum naturale agens ipsum diuidere possit, ei tamen diuisibilitas non repugnat. Diuina vero potentia est infinita virtus, quæ omnia possibilia, siue potentia naturali siue etiam logica comprehendit. Pro cuius tamen maiori intelligentia duo annotanda sunt, alterum est, quod potentia naturalis infert potentiam logicam, non è conuerso, quæcunque etenim ab agente naturali fieri possunt, non habent repugnantiam vt fiant. & sic potentiam logicam includunt; quæ verò hanc repugnantiam non habent non omnia à naturali fieri possunt, sicut de cæli diuisibilitate exemplificauimus. Secundum est, quod potentia logica, & Diuina mutuò se inferunt, ita tamen quod potentia logica se teneat ex parte rerum factibilium, vel non habentium repugnantiam, vt fiant; Dei autem ex parte ipsius, & sic est eius actiua vis, & facultas operandi; quæ cum non sit frustra aliquod operabile sibi respondet, cum vero sit omnipotens quæcunque non implicant ab ipso fieri possunt; hæc autem logicam potentiam habere dicuntur. At quæreret aliquis, cur hæc non repugnantia dicatur potentia logica; respondetur, id esse, quoniam Logicus non rerum existentias, sed rationes vniuersales, non repugnantes considerat; & fortè hac eadem de causa melius diceretur potentia metaphysica, si quidem metaphysica ipsa res in abstracto, & prout sunt etiam contemplatur, possibilitas vero est quædam passio entis. Quibus habitis per duas conclusiones quæstionem resoluamus.

Potentia naturalis logica, & diuina.

Conclusiones.

Prima. Potentia naturali, nec sunt, nec esse possunt plures Mundi; probatur, quia nullum naturale agens cælos producere potest, quoniam sunt ingenerabiles, & incorruptibiles, naturale vero agens solum generando producit. Quamobrem cum nobiliores, & maiores vniuersi partes producere non possit; totum mundum non produceret.

Secunda. Potentia logica; vel Metaphysica, vel Diuina, nullum est inconueniens, vt esse possint plures Mundi, probatur, nam ex parte ipsius mundi non est repugnantia, huic autem Diuina potentia (vt diximus) respondet; quare &c. Sed si dicatur cum Aristotel. quod tunc elementa præpostero ordine mouerentur, puta terra istius mundi ad centrum alterius, vel è contra; quod naturæ repugnat. Respondetur (salua pace Philosophi) argumentum illud nullius esse vigoris; quoniam verum est, omnia grauia tendere ad centrum, leuia ad extremũ; tamen si plures essent mundi; omnia grauia vnius mundi

ad

creatarum tantùm, & hæc est propriissima acceptio. Alio modo prout etiam in ipso includitur Deus; & hæc non est acceptio tam propria; quoniam ponere Deum esse vniuersi partem, est sibi imperfectionem tribuere, nam in qualibet parte clauditur potentialitas, & imperfectio. Secundo notandum, quod vacuum non dicitur nisi in ordine ad res naturales, materiales, & corporeas, sic videlicet, quod solum illud vacuum dicendum sit, quod non est corpore repletum, vt disertissimis verbis docet Philosophus in 4. physicorum. Quamobrem si in hoc cubiculo nullum esset corpus, sed solum ingens spirituum multitudo, vacuum re vera ad bonum sensum dicendum esset; quoniam cum spiritus locum non repleant, semper remaneret implendus, & per consequens semper vacuus. Quibus declaratis ponuntur duæ conclusiones.

1. Cōclusio. Prima. Extra celum secundum Aristotel. doctrinam, & veritatem est Deus benedictus; probatur quia nobilissimo enti, tribuitur, & à Græcis, & à Barbaris nobilissimus locus; hic autem est cælum, maximè primum, ergo. Verum est tamen quod locus cæli tribuitur Deo veluti glorificatori, & per excellentiam, quia in veritate vbique reperitur, vt alibi dictum est. Secunda conclusio.

Secunda. De fide ibi etiam sunt Angeli, & animæ beatorum, at secundum Aristotel. ibi Angeli minimè sunt, sed vnusquisque in proprio residet orbe, quem mouet, nam secundum numerum orbium, Intelligentiarum multitudinem statuit. De animabus vero beatis apud eundem Aristotel. est dubitatio; sicut enim de ipsarum immortalitate est dubius, vt suo loco dicemus; sic de ipsarum gloria, vel pæna indeterminatè sentit, vt inter alia ipsius præcipua testimonia manifestissimum est id quod habetur in 1. libr. Mor. Nicom. cap. 11. Quamobrem in hoc præcitato textu centesimo huius libri, in plurali, de ijs, quæ extra cælum sunt alludendo suo modo ad animas beatas; vel in plurali numero, ob excellentiam de Deo solum locutus est. At hic insurgunt duæ dubitationes.

Dubia. Prima. Cur potius extra, quam intra cælum Deo locus tribuitur. Secunda. An ipse Deus sit in vniuerso tantum, an etiam extra, sic nimirum, quod totum illud imaginarium infinitum spatium extra cælum contineat.

Solutiones. Ad primam respondetur, magis ab Aristotel. & alijs extra cælum, quam alibi locum ei tribui, ne ab aliquo contineri putemus, & vt summitatem ei adaptemus, quamuis alibi quoque, & vbique etiam sit. Ad secundam ex eiusdem Philosophi doctrina, responderi potest, Deum esse etiam in illo infinito spatio, quia cum sit extra, non est maior ratio, cum in aliqua parte imaginaria sit, quam in toto. Præterquam quod, sic melius infinita eius essentia explicatur, quam si in Mundo tantum restringatur. Sed est instantia; quia in nihilo non videtur aliquid esse. Respondetur, in nihilo non esse aliquid, quod sustentatione indiget; quod vero à nullo dependet non sic se habet; nam re vera Deus est propriè in se, sed quia à nullo est coarctabilis, & vbique, & extra, eo modo quo possumus intelligimus esse.

Ad Argumenta.

AD primum negatur consequentia, locus namque dicitur in ordine ad corpora locata, quamuis de definitiuo in comparatione ad animas fortè nullum esset absurdum.

Ad secundum respondetur, Deum cum vniuerso non contineri, pariter nec beatas animas, quia ibi est ordo præter naturam.

Ad tertium patet, nam est in extremo cæli per attributionem.

QVÆSTIO XXIV.

Si igitur aliquid potest mouere per stadia centum, aut leuare pondus, semper ad plurimum dicimus. Tex. 116.

Quæritur quomodo potentiæ naturales sint determinatæ.

PRo determinatione istius quæstionis, duo obseruanda sunt. Primum est, quadruplicem esse potentiam naturalem, videlicet, actiuam, passiuam, resistitiuam, & neutram, vel purè receptiuam. Actiua est vis agendi, vel transmutandi aliud, vt virtus calefactiua, vel combustiua ignis. Passiua est naturalis quædam capacitas simul cum inclinatione ad aliquid patiendum, vel recipiendum, quo pacto semen habet potentiam vt embrionis formam recipiat, materiaq; alia quæcunq; ad propriam formam disposita. Resistitiua est qua aliquid potest in contrarium agens reluctari, vt dum aqua calefit ab igne, resistit calori ipsius; quæ tamen potentia ad actiuam reduci posset, si quidem contrario modo in oppositum agens resistendo agit; tamen quia actionis vltimatum terminum non producit, imò vt sic vincitur, simpliciter actiua non dicitur, sed ad differentiam veræ actiuæ, quæ intento potitur fine, resistitiua meritò nuncupatur. Neutra autem est, qua aliquid capacitatem quidem ad aliud recipiendum habet, sed absque aliqua inclinatione, vel dispositione, quo pacto se habet æs ad statuam, lignum ad lectum, &c. quamobrem (vt patet) est quædam species passiuæ potentiæ, ita vt duas actiuas, puta simpliciter actiuam, & resistitiuam, duas vero passiuas nempe purè passiuam, & puro neutram constituere possumus. Aliud notandum est; quod potentiæ ipsæ possunt considerari more geometrico, & naturali; primo modo est si considerentur operationes, vel capacitates, aut virtutes ipsarum secundum diuisionem partium proportionalium, eo videlicet modo quo dicimus, omne continuum esse in infinitum diuisibile; at naturaliter, nihil aliud est, nisi quod secundum determinatum finem assequendum, & modo suarum naturarum se habeant. Quibus habitis per duas conclusiones respondeamus. Potentia naturalis quadruplex.

Conclusiones.

PRima. Nulla potentia naturalis est indeterminata si modo naturali loquamur. Probatur, nam vis actiua, & resistitiua, ex forma, vel essentia operante proueniunt: sed nulla forma, vel essentia rerum naturalium est infinita, ergo nulla potentia, vel operatio. Idem dici potest de potentia passiua, & neutra; nam hæ capacitates, conditiones naturæ cuius sunt consequuntur. Duo tamen pro clariori notitia sunt obseruanda; alterum est; quod præcedens conclusio intelligenda est de potentia ad effectus simul, & immediatos, non autem ad successiuos, vel remotos; vt cælum simul infinitos effectus producere nequit, nec materia infinitas simul formas recipere; sed successiuè ratione æternitatis mundi vtrumque est necessarium; nimirum, quod cælum infinitos edere possint effectus; materia vero infinitas recipere formas; quod quia dependenter id efficiunt, infinita virtus, vel potentia simpliciter eis tribuenda non est, vt patuit in 8. physic. At si diceretur, ergo de aliquibus asserere possumus habere simpliciter infinitam potentiam, quod his, quæ modo, & alijs, quæ alibi diximus repugnat; consequentia est euidens; quoniam pars in modo includit totum, & ab ipso recipit denominationem, vt homo albus dicitur homo, atq; ipsum includit; sed potentia ad infinitos effectus successiuè est veluti pars in modo ipsius potentiæ

tentiæ infinitæ, quare ipsam includit; & per consequens potentia simpliciter, & infinita dici potest. Respondetur, non esse simpliciter infinitam potentiam, nec partem in modo ipsius, sed potius secundum quid, quod denominationem simpliciter non efficit; imò potius ad falaciam de secundum quid inducit, vt in hac; Æthiops est albus secundum dentes, ergo est albus; quod vero non sit simpliciter potentia, probatur; nam potentia ordinem immediatum habet ad actum, hæc autem ad infinitos hos nequaquam; quod exemplis declaro. Agnus est aliquo modo in potentia ad hominem; quia nimirum si comedatur, ex ipso generabitur nutrimentum, semen, ac tandem alius homo; non tamen propriè asseri potest, ex agno generabilem esse hominem, vel ad ipsum esse in potentia, quatenus est remota, & secundum quid; sic itaque prædicta potentia est remota, & secundum quid. Sed est instantia quoniam cælum habet simul infinitam virtutem resistitiuam, nam cum sit impassibile, à nullo agente patietur, sed omnibus etiam infinitis simul resistet. Respondetur dupliciter. Primo; quod virtus resistitiua dicitur in ordine ad agens contrarium, vt resistentia frigoris ad calorem; cælum autem nullum contrarium agens habet, quamobrem vera resistentia, quæ est cum reluctantia in eo non datur. Secundò, quod neq; in ipso esset infinita resistentia; quoniam in ordine ad agens infinitum, puta Deum, non est indefectibile, vnde sibi non resistet, agentia vero naturalia vi infinita non pollent, vnde neque infinitam exigerent resistentiam; quamobrem prorsus hæc infinitas resistentiæ ab eo remouenda est. Aliud obseruandum est; quod potentiarum passiuarum, quædam sunt animatæ, quædam vero nequaquam, inter quæ multiplex est discrimen; sed ad rem tantum dicimus (reliqua videbuntur in libris de anima) potentias animatas, vt vegetatiuas, nutritiuas, visiuas, &c. sumere virtutem, vel maiorem operationem ex minoritate obiecti, vt visus est maioris virtutis qui minus obiectum, quam qui maius respicere potest, & nutritiua, quæ vsque ad minimum alimenti in suam naturam conuertit; sed fortè in hac sumitur maioritas ex parte quoque obiecti; quæ etenim plus cibi, vel nutrimenti digerit est maior, vel fortior, quam quæ minus, at propriè loquendo in sensibus non est limitatio, nam sensus est maior, qui debilius respicit, vel cognoscit obiectum, vt auditus qui paruum percipit sonum; tactus, qui exiguas cognoscit qualitates, &c. Inanimatæ autem solum ex magnitudine obiecti cognoscuntur, vt maior virtus ignis, qui fortius, vel maius combustibile superat, & sic dicatur de alijs; sed cum istis connumerandæ sint omnes quoq; actiuæ viuentium potentiæ, quæ scilicet circa aliquam externam materiam versantur, vt quæ possunt plus mouere, vel ferre, & sic vnico dicamus verbo, potentias sensitiuas sumere vim, à minori obiecto, vel termino; alias verò à maiori, siue sint actiuæ, siue passiuæ, vel resistitiuæ nihil refert, & proportionaliter sumi debent denominationes, ita vt maior dicatur visus, qui minus obiectum respicere potest, nam in hoc clauditur quoq; posse in maius; minor vero, vel debilior, qui maius dumtaxat cognoscit.

Secunda conclusio. Geometricè loquendo, non datur determinatio potentiæ alicuius; probatur, quia omnis operatio, vel secundum quantitatem sui ipsius, vel secundum magnitudinem subiecti, vel obiecti, vel temporis diuisibilis est in infinitum, vnde nullus esset assignandus terminus, nec maioritatis, nec minoritatis, seu nec magnitudinis, nec paruitatis; vt si quis posset portare centum libras, si ei granum milij addatur, credibile est non succumbere; illud vero est in infinitum partibile; sed hic modus loquendi non est naturalis, ideo sufficiet sic de ipso determinauisse. At dubiū est de paruitate, seu de determinatione potentiarum in minus; an scilicet actiua omnem paruum, & iterum minorem effectum producere possit, passiua vero recipere. Respondetur, has determinari secundum possibilitatem existentiæ ipsius effectus; sic videlicet, quod si effectus paruus, adhuc minor existere non repugnet, producendus est; & pariter receptibilis in passiua potentia, vt ignis qui magnum calorem potest producere, & paruum producet, & si materia, vel stomachus recipiat magnum nutrimentum, recipiet etiam minus, quod in magno continetur, vnde habetur, quod potest in maius potest etiam in minus; secludendo semper potentias sensitiuas, cuius magnum, se tenet ex parte obiecti minoris, paruum ex parte maioris.

QVÆSTIO XXV.

Ad præteritum nulla est potentia. Tex. 138.

QVæritur de veritate istius propositionis, quæ sic ab Arist. pronunciatur. Nulla enim est potentia ipsius fuisse. Quod autem non sit vera, probatur, nam multa eadem numero reparari possunt, vt patet si quis arcam, vel nauem in partes diuidat; ergo in illis partibus referuatur potentia ad id, quod præteritum fuit, nempe ad idem compositum numero, quod dissolutum est, quare &c. Respondetur, quod præteritum dupliciter considerari potest; videlicet connotatiuè, & formaliter; primo modo est res, quæ iam præteriisse intelligitur; vt statua vel arca, quæ fuit; secundo est illa præteritio, quo ergo ad primum modum propositio non est vniuersaliter vera, nam vt probatum est, multa secundum identitatem numeralem redire possunt, præcipuè quorum destructio solum per partium diuisionem facta fuit, vt notum est de aqua, vel alio corpore fluido diuiso; potentia autem hæc reperitur in agente, atq; in partibus ipsis diuisis; sic namque ordinem, & possibilitatem ad totum claudunt. At secundo modo fallit; nam nihil potest esse extra rationem sui ipsius, quare si præteritum in rationem præteriti redire posset, præteritum ad ipsum non pertineret essentialiter cum in futuro saluaretur. Amplius esset preteritum, & non præteritum, hęc autem est contradictio, quæ à nulla potentia suppleri potest. Verum est tamen, quod etiam secundum priorem modum aliqua dumtaxat restaurari naturaliter possunt, sed quæ vere fuerunt corrupta nequaquam. De potentia autem Dei secus dicendum est, verum de hoc ad Theologos attinet.

Finis Primi Libri de Cælo.

ANTO-

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marſorum.

IN SECVNDVM LIBRVM ARISTOTELIS de Cœlo Paraphraſis.

S V M M A L I B R I.

Hic Liber diuiditur in quatuor Tractatus, vel Summas.

In Prima continetur epilogus primi Libri, ac Proœmium ſecundi, cùm quibuſdam opinionibus Antiquorum circa æternitatem motus cæleſtis.

In Secunda agitur de differentijs poſitionis, & de animatione Cæli, de pluralitatè, æqualitate, & diuerſitate motuum, ac de figura ipſius Cæli.

In Tertia de Stellis, videlicet de natura, motu; de varia velocitate & tarditate, de figura, ac de quibuſdam alijs ipſarum proprietatibus tractatur.

In Quarta agitur de terra, & primo ponuntur aliquæ Antiquorum opiniones, de cauſa quietis ipſius, de figura & motu. Deinde reijciuntur. Ac tandem vera aſſignatur cauſa ipſius quietis, & quæ ſit eius figura declaratur, ac tandem de eius magnitudine diſſeritur.

SVMMÆ PRIMÆ, CAPVT PRIMVM.

Cælum non eſſe generabile, neque corruptibile, ex Antiquorum teſtimonio comprobatur, & eſt Epilogus Libri primi.



Tex.1. *Vòd igitur neque factum ſit vniuerſum Cælum, vel Mundus, neque contingat ipſum corrumpi, quemadmodum quidam (videlicet Heraclitus, & Empedocles) dicunt, ſed ſit vnus & ſempiternus principium quidem, & finem non habens Vniuerſi æui (hoc eſt in tota æternitate) & ſit continens in ſe ipſo infinitum tempus, & ex dictis, & per eam opinionem, quæ effluxit ab ijs, qui oppoſitum dicebant, ex quo multa incommoda ſequuntur, vt abundè in primo libro declarauimus) licet accipere fidem. Si enim ſic quidem vt nos dicimus ſe ſe ipſum Vniuerſum habere contingat, eo autem modo, quo illi dicunt, non contingat, magis vtique habebit hoc momentum ad fidem de immortalitate, & ſempiternitate ipſius.*

Tex.2. *Quare bene ſe habet, quemque, ſibi ipſi perſuadere antiquos ſermones, & maximè patrum noſtrorum eſſe veros; dicebant namque, quod eſt immortale aliquid, ac diuinum eorum, quæ motum quidem habent, talem tamen habent, vt nullus ſit finis ipſius, ſed potius ipſe ſit finis aliorum, nam ille dicitur finis, qui alia continet & terminat, hic autem motus, talis æterni, & immortalis corporis omnes alios continet, & ratione durationis, & ratione perfectionis; hic etenim perfectus exiſtens continet imperfectos (quomodo autem motus circularis, ſit perfectior rectis viſum eſt in 8. Phyſic. tex. 75. & inde) ratione vero durationis continet alios, quia omnes alij habent finem, ac quietem, ipſe quidem neque principium vllum habet, neque finem, ſed inceſſabilis eſt infinito tempore; aliorum autem, horum quidem datur cauſa ſui principij, vt ab alia cauſa præcedenti cæperit, & ſic non ſemper fuerit, horum autem, aliquis ſuſcipit quietem, & ſic infinitatem non habent, imò omnis qui habet principium, habebit ex ſua natura quoque finem; tamen dum dicimus, alium habere principium, alium vero finem, vel quietem, non loquimur diſiunctiuè reſpectu duorum, vel plurium motuum, ſed reſpectu vnius in duas partes conſiderati, quarum vna habet principium, altera finem: Cælum autem & qui ſurſum eſt locum Antiqui noſtri patres prædicti (maximè Chaldæi, qui æternitatis Cæli fuerunt primi peruestigatores, & ſecundum veritatem, ideò patres appellari debent) Dijs attribuerunt, vtpote quod ſolum eſt immortale, ac immortalem quoque motum ſubiens. Vniuerſum igitur immortale eſt, & maximè pars ſuprema, quæ eſt cæteris nobilior, vocaturque communi nomine Cælum, de quo etiam eſt hic ſpecialiter ſermo.*

CAPVT II.

Corpora cæleſtia non fatigantur, ac ideò non indigent aliquo quod ipſa ſuſtentet.

Tex 3. PRæſens autem prædicta ratio teſtificatur, quod ingenerabile, & incorruptibile ſit ipſum cælum, nam ſi motus eius eſt æternus, ipſum quoque æternum, ac etiam ingenerabile, & incorruptibile erit, non enim erit æternus motus, ſine æterno mobili. Amplius autem impaſſibile omnis mortalis difficultatis eſt (hoc eſt expers eſt omnis alterationis corruptiuæ, vt in primo libro declarauimus.) Amplius; motus eius eſt ſine labore, propterea quod nulla indiget violenta neceſſitate, quæ prohibens detineat ipſum, quaſi ſit aptum naturaliter aliter moueri, quam mouetur, hoc namque ſolum eſt laborioſum, vt ſi quis moueat lapidem ſurſum, quia eſt aptus naturaliter moueri deorſum cum labore mouebit, cælum autem non eſt natum moueri niſi circulariter, ideo ſic ipſum mouere, ſine labore eſt; præter quam quod: Intelligentia mouens, eſt etiam infatigabilis, cum ſit incorporea, & immaterialis, & ſic tam ex parte cæli, quod natum eſt moueri circulariter, quam ex parte mouentis nullus eſt labor in motu ipſius. Violentũ eſt laborioſũ. Quod enim naturaliter mouetur, ſine labore mouetur, ſicut violentum è contra, omne namque violentum laborioſum eſt, quo magis ſempiternum fuerit (hoc eſt quo magis violenter durat,) & quo fuerit expers optimæ diſpoſitionis, ideſt, & quo magis caret optima diſpoſitione, eo magis fatigatur.

Tex. 4. Quapropter neque ſecundum Antiquorum fabulam, arbitrandum eſt ſic ſe habere, vt de ipſo cælo affirmant. Dicunt namque, ipſum cælum eſſe graue, ac naturaliter aptum moueri deorſum, circulariter verò moueri violenter, quare ex ſua natura caderet, niſi aliunde adiuuaretur, ideo ad ſalutem ipſius opus eſſe quodam Atlante, qui ſuis humeris ipſum ſuſtinere ſomniant. Videntur enim, qui hunc conſtituerunt ſermonem, eandem habere opinionem quam poſteri, videlicet quod ipſum cælum habeat grauitatem, ideo quaſi grauitatem haberent, terreaque eſſent omnia corpora, quæ ſurſum ſunt, ſubſtituerunt ipſi fabuloſe neceſſitatem animatam (hoc eſt animal, vel hominem ſuſtentantem) at neque hoc modo exiſtimandum eſt, nam declarauimus, ipſum non eſſe graue, nec leue.

CAPVT III.

Cauſa perpetuitatis motus cæli non eſt eius velocitas, nec anima ipſum violenter mouens.

Tex. 5. NEque dicendum eſt cum Empedocle, ideo ipſum cælum perpetuo moueri, quia talis motus circularis licet ſit violentus, vel præter naturam ipſius, tamen quia eſt velocior proprio motu, qui eſſet deorſum, ipſum proprium motum impedit, ac circularis perpetuo durat, vt aqua in vaſe circumgirata velociter, etiam ſi apta ſit deſcendere, non deſcendit, ſed à velociori violento circulari motu impeditur; oſtenſum eſt enim nullam habere grauitatem, ac violentum aliquod perpetuum eſt non poſſe; quare Empedocles errat.

At vero neque vt dicebat Plato in Timæo, ab anima cogente, ac violenter ipſum mouente manere ſempiternum motum, dicendum eſt, neque enim poſſibile eſt; talem eſſe vitam animæ huic, quæ quidem anima, ex eo quod eſt cæleſtis, debet eſſe ſine triſtitia, & beata; oppoſitum tamen eſſet; neceſſe etenim eſt, motum cum violentia exiſtentem, (ſi quidem ponatur animam mouere, aliter quam aptum moueri ipſum primum corpus, & continue vt ponebat Plato) negocioſum eſſe, & omni carentem otio, etiam mente concepto. Si quidem neque ei tribuitur aliqua requies ſaltem in ſomno, vt tribuitur animabus mortalium; imò neceſſe eſſet quod fatum cuiuſdam Ixionis ſempiternum, & indomitum (qui Ixio ſecundum poetas perpetuò in inferno rotam voluit) ipſam cæleſtem animam detineret. Si itaque quemadmodum diximus de prima latione, contigit ſe habere, videlicet, quod non violenter ſit, non ſolum de ipſius ſempiternitate ſic exiſtimare melius eſt, ſed & ſolum vtique habebimus ſic conformiter enunciare ſermones de motu, cum iis, qui de Diis immortalibus, & diuinis rebus enunciantur. Sed de talibus quidem ſermonibus ſatis ſint, quæ nunc dicta ſunt. Tex.6.

SVMMÆ SECVNDÆ.

CAPVT I.

Cælum habet omnes differentias poſitionis, ac animatum quoque eſt.

QVoniam autem quidam ſunt, nempe ij qui vocantur Pythagorei, (hoc eſt ſequaces Pythagoræ) qui dicunt, eſſe quippiam cæli dextrum, & ſiniſtrum (illorum namque hic ſermo eſt) conſiderandum eſt, vtrum hoc ſe habeat modo, vt illi dicunt, an potius aliter, ſcilicet quod hæc principia poſitionis non tantum ipſi vniuerſo conueniant, ſed potius ei ipſa adiungere oporteat, ita quod alia ſupponant. Confeſtim enim primum apparet, ac ſequi videtur, quod ſi in ipſo dextrum exiſtit, & ſiniſtrum, adhuc prius exiſtimandum eſt priora alia principia poſitionis exiſtere in ipſo, videlicet ſurſum, & deorſum, ante, & retro; vbi namque poſterius reperitur, ibi rationabile eſt reperiri prius, maximè ſi de primitate ordinis (vt ad propoſitum) fiat ſermo. De iis autem differentiis poſitionis diſtinctione, varietate, & ordine, determinatum eſt in libro de motu animalium, propterea quod hæ ſunt propriæ illorum diſpoſitiones, manifeſtè enim animalibus ineſſe videntur. Aliis quidem omnes tales partes (dico autem vt dextrum, & ſiniſtrum &c.) his autem aliquæ tantum, vt animalibus perfectis omnes inſunt, ſicut homini, leoni &c. imperfectis verò vt vermibus, oſtreis &c. non omnes, ſed ſolum ſurſum, & deorſum, ante, & retro. Plantis autem ſurſum, & deorſum ſolum. Tex.7.

Si autem oportet accomodare cælo aliquid talium, vel aliquam iſtarum differentiarum poſitionis, rationabile eſt exiſtere in ipſo id quod primum (vt diximus) animalibus ineſt, videlicet, ſurſum, & deorſum, ante, & retro, nam cum tria ſint præcipua, videlicet, ſurſum, ante Tex.8.

ante & dextrum, vel tria complicata, vel combinata, id est sursum, & deorsum vnum, destrum, & sinistrum alterum, atque ante, & retro tertium. Vnumquodque veluti principium quoddam est, ac omnes has distantias rationabile est inesse corporibus perfectis. Est autem sursum quidem longitudinis principium, dextrum autem latitudinis, ante verò profunditatis. Amplius autem aliter distinctius possunt hæc vocari principia quo ad motum. Principia enim hæc dico vnde ijs, quæ hæc habent primum moueri incipiunt; est autem ab ipso quidem sursum augmentatio, à dextris autem, vnde incipit motus localis, ab ijs vero, quæ ante sunt, incipit motus qui fit secundum sensum, ante enim dico in quo sensus sunt (à quibus sensibus non fit propriè motus localis, sed quædam alia mutatio, vel actio, quæ dicitur immanens, & per quandam similitudinem dicitur motus, prout videlicet est influxu, & respicit obiectum, vel terminum, vt facit motus) sunt igitur prædicta tres distantię principia modo prædicto, oppositæ vero nempe deorsum, sinistrum, & retro, non sunt principia, sed potius veluti remotiones. Præcipuè ergo tales distantiæ, sunt modo prædicto principia in animalibus, & per quandam similitudinem, vel modum nostrum comprahendendi alteris applicantur; ideo melius est vt eas intelligamus copulatim sic. Est autem sursum principium longitudinis, hoc est augmentationis. Dextrum autem latitudinis hoc est motus localis, qui incipit à dextris, & per latitudinem ad sinistram terminatur. Ante vero profunditatis, hoc est motuum sensuum, qui ex parte ante recipiunt species sensibiles, & versus imaginatiuam, quæ in profundum tendit terminantur: nam vt dictum est, in rebus inanimatis nec omnes prædictæ differentiæ reperiuntur, nec commodè nisi ex ratione eis diuersas assignare possumus, maximè corporibus circularibus.

Tex.9. *Quapropter, & non in omni corpore sursum, & deorsum, & dextrum, & sinistrum, & ante, & post, quærendum est, sed in ijs, quæ cum animata sint, habent in se ipsis principium motus localis, quare in nullo inanimatorum videmus, vnde est principium motus, ac per consequens neque dextrum, aliqua enim omnino non mouentur (videlicet dum sunt in proprio loco) aliqua vero mouentur quidem, sed non indifferenter ab omni parte, vt ignis quidem sursum solum, terra vero ad medium, (dum scilicet extra propria loca existunt, & non sunt impedita) quare habent etiam principium motus in se, cum hoc sit de natura omnium naturalium corporum; sed dicuntur non habere similiter ad omnem partem, vt animalia perfecta, quæ sursum, & deorsum, ante, & retro, ac ad dextram, & sinistram moueri possunt. Non igitur inanimatis sex differentiæ prædictæ sunt.*

Tex.10. *Sed in his quidem dicimus sursum, & deorsum, & dextrum, & sinistrum, ac ante, & retro, ad nos referentes, aut enim dicuntur dextra, secundum nostram dextrā, quemadmodum dicunt augures, vel diuinatores, videlicet ex dextra parte terræ ortum esse hoc, vel illud; aut secundum similitudinem ad nostram, quemadmodum, ea quæ sunt statuæ in quibus assignamus has differentias, quia nobis assimilantur, aut quæ contrario modo se habent positione. Dextrum enim dicimus id quod est secundum nostrum sinistrum, sinistrum vero contrarium, quod est secundum nostrum dextrum, & retro, quod est secundum nostrum ante, & sic alio modo ad placitum dicere possumus in rebus inanimis, & præcipue in statuis, in quibus propter figuræ varietatem id facilius fieri potest. In his autem inanimis nullam videmus ex natura differentiam, cum neque vt hinc, vel illinc moueantur, neque vt augeantur, neque vt sentiant, principium aliquod habeant, sed tantum secundum nostrum modum considerandi vario modo denominari possunt; quare si è contrario vertantur, contraria dicimus dextra, & sinistra sursum, & deorsum, ante & retro, nempe quod dicitur dextrum, poterit quoque dici sinistrum, & è conuerso; sic de alijs.*

Quapropter vtique quispiam Pythagoreos admirabitur, quod in animalibus, & in cælo posuerint hæc duo principia positionis tantum, scilicet dextrum, & sinistrum, illa autem quatuor omiserunt, quæ non minus principalia sunt; nihilo enim minorem differentiam habent, quæ sursum sunt ad ea, quæ deorsum, & quæ ante ad ea, quæ post, quam dextra ad sinistram in omnibus animalibus, hæc enim (scilicet dextrum, & sinistrum) differunt solum potentia, & virtute, illa autem differunt etiam figuris, nam dextra nullam habet figuram diuersam à sinistra, sed virtutem mouendi, sursum vero, est alterius figuræ à deorsum, & ante à retro. Quare in animalibus, quæ distinctione organorum abundant, hæc prius ponenda sunt, cum sint quoque vniuersaliores, maximè sursum, & deorsum. Tex.11.

Vnde ipsum sursum, & deorsum omnibus animatis inest, similiter animalibus, & plantis; dextrum autem, & sinistrum non inest plantis. Præterea; vt longitudo est prior latitudine, & sursum est principium longitudinis, dextrum autem latitudinis, & quod prius est, habet etiam principium prius, prius vtique erit sursum dextro; dico prius prioritate generationis, & ordinis, quandoquidem multifariam dicitur prius, vt visum est in post prædicamentis. Amplius autem; si sursum quidem est vnde est motus augmenti, dextrum autem à quo incipit motus localis, ante autem ad quod terminatur motus sensibilium, qui quidem motus ab ipsis sensibilibus incipiunt, & in sensibus terminantur, vt visio incipit ex speciebus visibilibus egredientibus à re colorata, & terminatis ad visum; si ergo hoc modo se habent, ipsum quoque sursum habebis etiam quandam potentiam principiandi motum in ordinè, vel secundum comparationem ad alias species, vel differentias prædictas distantiarum; vnde Pythagorei eam dimittere non debebant. Itaque, & quia omiserunt maximè propria principia talium positionum, ac motuum, iustum est eos increpare, & etiam increpandi sunt, quia hæc (scilicet dextrum, & sinistrum) in omnibus similiter putabant inesse, tam videlicet in animalibus, quam in plantis, & rebus inanimis, quod falsum est. Nobis autem dicendum est, sicut prius determinatum fuit, quod tales potentiæ sunt solum in ijs, quæ habent principium motus à se ipsis, idest in animalibus perfectis. Tex.12.

Cęlum autem animatum est, & habet principium motus localis, quare manifestum est, quod habet sursum, & deorsum, & dextrum, & sinistrum, an ante, & retro, anima enim, quæ mouet localiter est perfecta, & non sicut anima plantarum, quapropter corpori ab eo moto omnes sex differentiæ prædictæ conuenient ex natura rei, non solum secundum nostrā considerationem. Nec oportet dubitare ex eo quod rotūda sit figura ipsius vniuersi, vel cæli (dicitur cælum vniuersum, per synecdochem; est namq; principalis pars vniuersi, & loquimur hic de cælo supremo, nō propriè de mundo) quomodo erit ipsius, hoc quidem dextrū hoc autē sinistrum, cum omnes partes existant similes, & moueantur omni tempore, quare ratione similis figuræ non possunt assignari diuersæ positiones, & prout sēper mouentur, non possumus assignare vnde incipiat motus, & vb Tex.13.

destinat, & sic neque distinctæ hæ positionis in ipso reperiri videntur. Nō oportet (inquam) propter hoc de hoc dubitare, sed intelligere, quemadmodum si quis habeat dextrum oppositum ad sinistrum figura, & virtute diuersum, & hoc modo circumponamus sphæram cęlestem, ita vt vnde incipit motus, ibi sit propriè dextrum, & si non sit figura ab alijs partibus diuersa, habebit tamen potentiam, vel virtute differentem; quod tamen non apparebit propter similitudinem figuræ in omnibus partibus Cæli. Eodem autem modo de principio motus philosophandum est, videlicet, quod sit (vt diximus) à dextris; etenim etsi nunquam incępit, tamen necessarium est, quod habeat principium vnde incępisset moueri, quod mouetur, si incępisset, atque si ponatur, quod quieuerit, mouebitur vtique iterum ex eadem parte. Sunt igitur in ipso Cęlo sex prædictæ distantiæ; posita namque vna videlicet dextra, aliæ sequuntur secundum diuersam oppositionem, nam dextræ opponitur sinistra, & consequenter sequitur sursum; hæc enim differentia reperitur in omnibus naturalibus, atque ei correspondet deorsum; ante autem ratione animæ poni debet, cum in qualibet re animata id sit, & ad dextrum ordine quodam sequitur, cui d rectè opponitur retro. Habet igitur has sex distantias, ac etiam longitudinem, latitudinem, & profunditatem, cum harum dimensionum sint hæ differentiæ principia, vt visum est.

Tex.14. *Dico autem longitudinem quidem ipsius eam distantiam, quæ est secundum polos, hoc est de polo antarctico ad arcticum, & polorum, hunc quidem sursum, hunc autem deorsum dicimus, nam differentiam hemisphæriorum ex ijs solum sumimus, eo quod ipsi poli non mouentur. Simul autem consueuimus dicere latera mundi, non quod sursum est, & deorsum, sed quod est præter polos, tanquam distantia de polo ad polum, non latitudo, vel latera, sed potius longitudo sit, id enim ad latus est, quod est præter sursum, & deorsum, quare si distantia polorum sit longitudo cæli, & principium longitudinis sit sursum; sequitur polos esse sursum, & deorsum. Polorum autem is quidem qui supra nos apparet, & arcticus vocatur ab arctos, seu vrsa (est enim ibi figura stellarum, quæ vrsa dicitur) est ea pars cæli, quæ deorsum existit.* Poli. *Polus vero qui nobis immanifestus est, & dicitur antarcticus, (hoc est oppositus arctico,) est pars cæli, quæ sursum est. Sunt autem poli duo puncta immobilia, & insensibilia in cælo diametraliter oppositi, supra quos reuoluitur totum cælum; diameter vero qui ex vno polo ad alterum duci dicitur,* Axis. *axis vocatur; quare isti poli non cognoscuntur sensibiliter à nobis, sed dicuntur cognosci, & apparere, ex vicinitate quorundam astrorum. Vnus igitur eorum scilicet antarticus dicitur sursum, alter vero, scilicet arcticus dicitur deorsum. Nunc de alijs differentijs ipsius cæli disseramus.*

Tex.15 *Dextrum ergo vniuscuiusque dicimus, vnde est principium eius motus, qui secundum locum fit. Motus autem circularis cæli principium est vnde sunt ortus astrorum, quare hoc vtique erit dextrum ipsius: vbi autem occasus, sinistrum. Si igitur à dextris incipit motus circularis cæli, & ad dextrum circumfertur, necesse est, eum polum qui nobis non apparet sursum esse, si enim is polus qui nobis apparet sursum erit, ad sinistram erit motus ipsius cæli, quod quidem non dicimus, nec dici debet, cùm hoc sit imperfectionis.*

Tex.16. *Manifestum est igitur, quod polus nobis immanifestus est sursum, & qui illic habitant sunt in eo hemisphærio, quod sursum est (dicitur hæmisphærium dimidia pars sphæra, seu mundi, vel terræ) & apud dextram cæli: nos autē sumus in eo hemisphærio, quod deorsum est, & apud sinistram, è contrario quā vt Pythagorei dicunt.* Hemisphærium. *Nos etenim ponunt sursum, & in dextra parte, illos vero qui illic sunt, deorsum, & in sinistra; accidit autem contrarium; hoc autem quod diximus, debet intelligi in ordine ad primum mobilem. Verum secundæ circumlationis (hoc est in ordine ad motum aliorum orbium veluti planetarum) nos quidem sumus in ijs partibus, quæ dicuntur sursum, & in dextris; illi autem in ijs, quæ deorsum, & sinistris, è contrario enim his alijs orbibus principiū motus est, propterea quod contrariæ sunt lationes ipsius primi mobilis, & aliorum orbium; illud namque mouetur ex oriente in occidentem, isti vero è conuerso; nec est imaginandum quod sint propriè isti motus contrarij cum hoc repugnaret ijs, quæ diximus in primo de cælo; sed debent vocari diuersi, & aliquo modo contrarij, per quandam similitudinem, nam vera motuum contrarietas attenditur per lineam rectam; quod satis dilucidatum est in primo. Sunt igitur largo modo contrarij, & sic nos, & in altero hemisphærio habitantes in oppositis sumus differentijs positionis, quare accidit nos esse apud principium motus, hoc est à dextris, illos autem apud finem, hoc est à sinistris, & deorsum, sicut nos sursum. De partibus igitur determinatis secundum distantias, & secundum locum, quo ad materiam cæli attinebat, tot dicta sint.*

CAPVT II.

Cur motus circulares sint plures.

QVoniam autem motus circularis non est alteri circulari contrarius, considerandum est cur nam plures sint lationes cælorum, (hoc est, cur non omnes Tex.17.
eodem modo, & vno motu moueantur, nempe ad eundem terminum, vt omnes versus orientem, vel omnes versus occidentem, aut aliorsum. Si namq; contrarij essent nulla esset difficultas, vel facilis solutionis, nam propter perfectionem vniuersi si vnum contrariorū est in natura, necesse est reliquum esse, maximè si hæc contraria ponantur corpora simplicia, quæ ad essentiam vniuersi attinent) cum igitur contrarij tales motus non sint, difficultas est in suo robore, ac eam soluere tentemus. Quamquam igitur tentemus facere quæstionem è minus (hoc est de rebus à nobis maximè distantibus) longè .s. sunt non adeò loco, sed multo magis, cognitione (nam cum omnis nostra cognitio, ortum habeat à sensu, & sub sensu prius cadent accidentia sensibilia, ac eorum accidentium, quæ ipsi cælo accidunt, de admodum paucis habeamus sensum, vel sensitiuam cognitionem, ideo difficultas, ac cognitionis distantia est manifesta) attamen eo modo quo possumus, dicamus. Causa autē de ipsis, quæ proposuimus hinc sumenda est. Eorum vnum quodq; quæ habent opus, vel actionem aliquam, est gratia sui operis, omnia namq; sunt propter finem, finis autem rei est operatio eius. Dei autem, seu cæli (vocatur cælum Deus secundum positionem Platonis, qui cęlos Deos minores vocauit) operatio est immortalitas, hoc est motus æternus, vel immortalis, qui est vita sempiterna ipsius cæli (vita autē hic accipitur pro operatione cōueniente rebus viuentibus maximè perfectis, sicut est motus localis) itaq; necesse est motum sempiternum Deo, vel cælo inesse. Quoniam autem cælum tale est, videlicet diuinum, ac gratia operis immortalis, nempè motus (corpus enim quoddam diuinum est) ob hoc habet circulare corpus, quod ex sua natura circulari-

ter moueatur semper. Cur igitur non totum vniuersi corpus tale est, quod circulariter moueatur? Quia necesse est manere aliquid in medio eius corporis, quod circulariter mouetur: id inquam quod in centro est, videlicet terram; nam ipsius cœli nullam possibile est manere partem in medio, etenim motus ipsius secundum naturam esset ad medium, vbi namq; aliquid naturaliter manet, illuc natum est naturaliter moueri, sed motus naturalis cœlestis corporis est circularis, ergo circulariter, & non ad medium naturaliter mouetur, qui est motus rectus deorsum, ergo si illuc moueri poneretur, violenter moueretur, quod est inconueniens, quia hic motus non esset sempiternus, nam nihil violentum sempiternum est; ratio est quia violentum, seu præter naturam (pro eodem nunc accipi debent) posterius est, eo, quod est secundum naturam, cum nihil violentum dicatur nisi ex ordine ad naturale, imò id quod prẹter naturam est, veluti excessus, vel accidens, aut extraneum quoddam est respectu naturalis generationis, & essentiæ; cùm autem sempiternum nihil possit habere prius, ac motus violentus habet alium priorem, nempè naturalem ipse non erit sempiternus, ac per consequens ipsum Cœlum non mouebitur deorsum, vel ad medium, nec naturaliter, nec violenter, non naturaliter, quia motus vnus naturalis est vnius corporis simplicis, nec violenter, quia hic non est perpetuus, sed actio, & motus æterni corporis, æterna esse debent; relinquitur ergo, quod semper circulariter ex propria natura moueatur, & sic habetur finis, & operatio eius in communi; nunc autem diuersitatis, vel pluralitatis motuum causas inuestigemus.

Tex.18. *Necesse est igitur ex prædictis, terram esse; hæc enim quiescit in medio, nunc igitur supponatur hoc; posterius autem demonstrabitur de ipso. At vero si terram necesse est esse, etiam ignis necessariò erit: contrariorum enim si alterum est in natura, necesse est alterum quoque esse, si sit contrarium, & sit aliqua natura ipsius perfectionem vniuersi concernens: eadem enim est materia contrariorum, quare ab eisdem, & ambobus informari debet, secundum diuersas partes, aliter non essent essentiales partes in mundo, vt si ignis tantum esset, alia elementa, ac perfectio vniuersi non esset, cùm igitur terra, & ignis contraria sint, saltem in vna contrarietate, quia ignis est calidus, terra frigida, ac etiam sunt contraria ratione distantiæ, vel loci, cùm vnum sit in medio, aliud in extremo, quorum contrariorum existentia etiam ad perfectionem vniuersi attinet, si terra est, ignis est. Præterea affirmatio est prior priuatione, hoc est res, quæ habet esse perfectius, & magis positiuum, est prius negatione, hoc est ijs, quæ habent esse imperfectius, & priuatione admixtum; dico autem veluti calidum est prius frigido, & motus quiete, sed ignis est calidus, & magis aptus moueri, quam terra, quia saltem perpetuò voluitur in gyrum, ergo est prior ipsa, terra enim est grauis, & quiescit, quies autem, & grauitas dicuntur per priuationem motus, & leuitatis: si igitur terra est, ignis quoque erit, cùm prius debeat poni esse.*

Eadem est materia cō trariorum.

Tex.19. *At verò si est ignis & terra, necesse ea corpora, quæ inter ipsa sunt, nempè aerem, & aquam similiter esse ob eandem prædictam rationem; nam vnumquodque elementorum contrarietatem habet cum vnoquoque: supponatur autem hoc nunc, posterius autem, nempè in libris de generatione, & corruptione tentandum erit ostendere. His autem quatuor contrarijs elementis existentibus, manifestum est, quod necesse est generationem, & corruptionem ipsorum esse, eo quod nullum ipsorum possibile sit esse sempiternum, patiuntur enim, & agunt contraria à se inuicem, & corruptiua inuicem sunt.*

Amplius non est rationabile aliquod mobile sempiternum esse, quod non habet motum naturalem sempiternum, cùm vnumquodque sit gratia sui operis, vt visum est, & cuius opus sempiternum non est, nec ipsum sempiternum erit; hæc autem elementa mobilia sunt, non motu sempiterno, sed determinato, & defectibili, nempè sursum, vel deorsum, ergo ipsa sempiterna non sunt, ac per consequens sũt generabilia, & corruptibilia. Quod igitur necesse sit esse generationem, & corruptionem istorum, ex his, quæ diximus manifestum est. Si vero generationem, & corruptionem necesse est esse, erit necessariò alter motus localis circularis cẹlorum, præter primum primi mobilis, nam secundum eum motum, qui ipsius primi mobilis est, similiter necessarium est se sic habere elementa corporea adinuicem, hoc est vel semper generari, vel semper corrumpi, nam vnus & idem motus semper eodem modo se habens semper natus est facere idem, ista autem inferiora dependent in esse & conseruari à corporibus superioribus, ita quod sine ipsis nec esse, nec agere, aut pati possunt, vt igitur generari, & corrumpi ad inuicem elementa possint, non sufficit vnus & idem motus cẹlorum, sed plures sunt necessarij. Dicetur autem de hoc exactius in sequentibus. Tex.20.

Nunc autem tantum manifestum est, propter quam causam plura sint circularia corpora, & circulares motus, quia necesse est generationem esse, generationem autem si & ignem ponamus & alia elementa ad inuicem contraria: ignem autem necesse est ponere, & alia elementa, si terram ponamus, hanc autem quia necesse est manere aliquid semper in medio, si moueri aliquid semper circulariter oportebit, & sic de primo ad vltimum concludimus, quia sunt plura elementa, contraria, & corruptibilia, & generabilia ad inuicem, necesse est plura esse corpora, & motus cẹlestes, ipsi namque cẹlestes motus ad vniuersi bonum, & conseruationem ordinantur; hæc autem ex mutua elementorum generatione dependent. Tex.21.

CAPVT III.

Figura Cẹli est rotunda.

Figuram autem sphæricam necesse est habere Cẹlum. Probatur, nam hæc cum sit & natura, & perfectione prima omnium aliarum figurarum, erit maximè propria primæ, ac perfectiori substantiẹ, videlicet cẹlesti, nam ex perfectiori substantia, sunt perfectiora accidentia, maximè accidentia propria, sicut inter alia est ipsa figura. Quod autem Cẹlum sit omnium corporum substantia nobilissima, in primo libro de Cẹlo abundè declaratum est. Nunc autem est videndum si figura circularis sit omnium aliarum nobilissima, vel prima, & habebimus intentum. Dicamus autem vniuersaliter de figuris, quæ prima sit, & in planis, vel superficiebus, & in solidis, seu corporibus, ex planis autem, quæ corporis sunt intelligentur. Omnis itaque figura plana, aut ex rectis lineis constat, vt triangulus, quadrangulus, & alia, aut ex linea circulari. Ea autem figura, quæ rectis linea dicitur, ac ex rectis constat lineis à pluribus lineis continetur, circumlati linea, vel circularis ab vna sola tantum. Quoniam autem Tex.22.

CAPVT II.

Corpora cælestia non fatigantur, ac ideò non indigent aliquo quod ipsa sustentet.

Tex. 3. PRæsens autem prædicta ratio testificatur, quod ingenerabile, & incorruptibile sit ipsum cælum, nam si motus eius est æternus, ipsum quoque æternum, ac etiam ingenerabile, & incorruptibile erit, non enim erit æternus motus, sine æterno mobili. Amplius autem impassibile omnis mortalis difficultatis est (hoc est expers est omnis alterationis corruptiuæ, vt in primo libro declarauimus.) Amplius; motus eius est sine labore, propterea quod nulla indiget violenta necessitate, quæ prohibens detineat ipsum, quasi sit aptum naturaliter aliter moueri, quam moueatur, hoc namque solum est laboriosum, vt si quis moueat lapidem sursum, quia est aptus naturaliter moueri deorsum cum labore mouebit, cælum autem non est natum moueri nisi circulariter, ideo sic ipsum mouere, sine labore est; præter quam quod: Intelligentia mouens, est etiam infatigabilis, cum sit incorporea, & immaterialis, & sic tam ex parte cæli, quod natum est moueri circulariter, quam ex parte mouentis nullus est labor in motu ipsius.
Violentū est laboriosū.
Quod enim naturaliter mouetur, sine labore mouetur, sicut violentum è contra, omne namque violentum laboriosum est, quo magis sempiternum fuerit (hoc est quo magis violenter durat,) & quo fuerit expers optimæ dispositionis, idest, & quo magis caret optima dispositione, eo magis fatigatur.

Tex. 4. Quapropter neque secundum Antiquorum fabulam, arbitrandum est sic se habere, vt de ipso cælo affirmant. Dicunt namque, ipsum cælum esse graue, ac naturaliter aptum moueri deorsum, circulariter verò moueri violenter, quare ex sua natura caderet, nisi aliunde adiuuaretur, ideo ad salutem ipsius opus esse quodam Atlante, qui suis humeris ipsum sustinere somniant. Videntur enim, qui hunc constituerunt sermonem, eandem habere opinionem quam posteri, videlicet quod ipsum cælum habeat grauitatem, ideo quasi grauitatem haberent, terreaque essent omnia corpora, quæ sursum sunt, substituerunt ipsi fabulose necessitatem animatam (hoc est animal, vel hominem sustentantem) at neque hoc modo existimandum est, nam declarauimus, ipsum non esse graue, nec leue.

CAPVT III.

Causa perpetuitatis motus cæli non est eius velocitas, nec anima ipsum violenter mouens.

Tex. 5. NEque dicendum est cum Empedocle, ideo ipsum cælum perpetuo moueri, quia talis motus circularis licet sit violentus, vel præter naturam ipsius, tamen quia est velocior proprio motu, qui esset deorsum, ipsum proprium motum impedit, ac circularis perpetuo durat, vt aqua in vase circumgirata velociter, etiam si apta sit descendere, non descendit, sed à velociori violento circulari motu impeditur; ostensum est enim nullam habere grauitatem, ac violentum aliquod perpetuum est non posse; quare Empedocles errat.

At vero neque vt dicebat Plato in Timæo, ab anima cogente, ac violenter ipsum mouente manere sempiternum motum, dicendum est, neque enim possibile est; talem esse vitam animæ huic, quæ quidem anima, ex eo quod est cælestis, debet esse sine tristitia, & beata; oppositum tamen esset; necesse etenim est, motum cum violentia existentem, (si quidem ponatur animam mouere, aliter quam aptum moueri ipsum primum corpus, & continue vt ponebat Plato) negociosum esse, & omni carentem otio, etiam mente concepto. Si quidem neque ei tribuitur aliqua requies saltem in somno, vt tribuitur animabus mortalium; imò necesse esset quod fatum cuiusdam Ixionis sempiternum, & indomitum (qui Ixio secundum poetas perpetuò in inferno rotam voluit) ipsam cælestem animam detineret. Si itaque quemadmodum diximus de prima latione, contigit se habere, videlicet, quod non violenter sit, non solum de ipsius sempiternitate sic existimare melius est, sed & solum vtique habebimus sic conformiter enunciare sermones de motu, cum ijs, qui de Dijs immortalibus, & diuinis rebus enunciantur. Sed de talibus quidem sermonibus satis sint, quæ nunc dicta sunt. Tex. 6.

SVMMÆ SECVNDÆ.

CAPVT I.

Cælum habet omnes differentias positionis, ac animatum quoque est.

QVoniam autem quidam sunt, nempe ij qui vocantur Pythagorei, (hoc est sequaces Pythagoræ) Tex. 7. qui dicunt, esse quippiam cæli dextrum, & sinistrum (illorum namque hic sermo est) considerandum est, vtrum hoc se habeat modo, vt illi dicunt, an potius aliter, scilicet quod hæc principia positionis non tantum ipsi vniuerso conueniant, sed potius ei ipsa adiungere oporteat, ita quod alia supponant. Confestim enim primum apparet, ac sequi videtur, quod si in ipso dextrum existit, & sinistrum, adhuc prius existimandum est priora alia principia positionis existere in ipso, videlicet sursum, & deorsum, ante, & retro; vbi namque posterius reperitur, ibi rationabile est reperiri prius, maximè si de primitate ordinis (vt ad propositum) fiat sermo. De ijs autem differentijs positionis distinctione, varietate, & ordine, determinatum est in libro de motu animalium, propterea quod hæ sunt propriæ illorum dispositiones, manifestè enim animalibus inesse videntur. Alijs quidem omnes tales partes (dico autem vt dextrum, & sinistrum &c.) his autem aliquæ tantum, vt animalibus perfectis omnes insunt, sicut homini, leoni &c. imperfectis verò vt vermibus, ostreis &c. non omnes, sed solum sursum, & deorsum, ante, & retro. Plantis autem sursum, & deorsum solum.

Si autem oportet accomodare cælo aliquid talium, Tex. 8. vel aliquam istarum differentiarum positionis, rationabile est existere in ipso id quod primum (vt diximus) animalibus inest, videlicet, sursum, & deorsum, ante, & retro, nam cum tria sint præcipua, videlicet, sursum, ante

ante & dextrum, vel tria complicata, vel combinata, idest sursum, & deorsum vnum, destrum, & sinistrum alterum, atque ante, & retro tertium. Vnumquodque veluti principium quoddam est, ac omnes has distantias rationabile est inesse corporibus perfectis. Est autem sursum quidem longitudinis principium, dextrum autem latitudinis, ante verò profunditatis. Amplius autem aliter distinctius possunt hæc vocari principia quo ad motum. Principia enim hæc dico vnde ijs, quæ hæc habent primum moueri incipiunt; est autem ab ipso quidem sursum augmentatio, à dextris autem, vnde incipit motus localis, ab ijs vero, quæ ante sunt, incipit motus qui fit secundum sensum, ante enim dico in quo sensus sunt (à quibus sensibus non fit propriè motus localis, sed quædam alia mutatio, vel actio, quæ dicitur immanens, & per quandam similitudinem dicitur motus, prout videlicet est influxu, & respicit obiectum, vel terminum, vt facit motus) sunt igitur prædictæ tres distantię principia modo prædicto, oppositæ vero nempe deorsum, sinistrum, & retro, non sunt principia, sed potius veluti remotiones. Præcipuè ergo tales distantiæ, sunt modo prædicto principia in animalibus, & per quandam similitudinem, vel modum nostrum comprahendendi alteris applicantur; ideo melius est vt eas intelligamus copulatim sic. Est autem sursum principium longitudinis, hoc est augmentationis. Dextrum autem latitudinis hoc est motus localis, qui incipit à dextris, & per latitudinem ad sinistram terminatur. Ante vero profunditatis, hoc est motuum sensuum, qui ex parte ante recipiunt species sensibiles, & versus imaginatiuam, quæ in profundum tendit terminantur: nam vt dictum est, in rebus inanimatis nec omnes prædictæ differentiæ reperiuntur, nec commodè nisi ex ratione eis diuersas assignare possumus, maximè corporibus circularibus.

Tex.9. Quapropter, & non in omni corpore sursum, & deorsum, & dextrum, & sinistrum, & ante, & post, quærendum est, sed in ijs, quæ cum animatæ sint, habent in se ipsis principium motus localis, quare in nullo inanimatorum videmus, vnde est principium motus, ac per consequens neque dextrum, aliqua enim omnino non mouentur (videlicet dum sunt in proprio loco) aliqua vero mouentur quidem, sed non indifferenter ab omni parte, vt ignis quidem sursum solum, terra vero ad medium, (dum scilicet extra propria loca existunt, & non sunt impedita) quarę habent etiam principium motus in se, cum hoc sit de natura omnium naturalium corporum; sed dicuntur non habere similiter ad omnem partem, vt animalia perfecta, quæ sursum, & deorsum, ante, & retro, ac ad dextram, & sinistram moueri possunt. Non igitur inanimatis sex differentiæ prædictæ sunt.

Tex.10. Sed in his quidem dicimus sursum, & deorsum, & dextrum, & sinistrum, ac ante, & retro, ad nos referentes, aut enim dicuntur dextra, secundum nostram dextrã, quemadmodum dicunt augures, vel diuinatores, videlicet ex dextra parte terræ ortum esse hoc, vel illud; aut secundum similitudinem ad nostram, quemadmodum, ea quæ sunt statuæ in quibus assignamus has differentias, quia nobis assimilantur, aut quæ contrario modo se habent positione. Dextrum enim dicimus id quod est secundum nostrum sinistrum, sinistrum vero contrarium, quod est secundum nostrum dextrum, & retro, quod est secundum nostrum ante, & sic alio modo ad placitum dicere possumus in rebus inanimis, & præcipue in statuis, in quibus propter figuræ varietatem id facilius fieri potest. In his autem inanimis nullam videmus ex natura differentiam, cum neque vt hinc, vel illinc moueantur, neque vt augeantur, neque vt sentiant, principium aliquod habeant, sed tantum secundum nostrum modum considerandi vario modo denominari possunt; quare si è contrario vertantur, contraria dicimus dextra, & sinistra sursum, & deorsum, ante & retro, nempe quod dicitur dextrum, poterit quoque dici sinistrum, & è conuerso; sic de alijs.

Quapropter vtique quispiam Pythagoreos admirabitur, quod in animalibus, & in cælo posuerint hæc duo principia positionis tantum, scilicet dextrum, & sinistrum, illa autem quatuor omiserunt, quæ non minus principalia sunt; nihilo enim minorem differentiam habent, quæ sursum sunt ad ea, quæ deorsum, & quæ ante ad ea, quæ post, quam dextra ad sinistram in omnibus animalibus, hæc enim (scilicet dextrum, & sinistrum) differunt solum potentia, & virtute, illa autem differunt etiam figuris, nam dextra nullam habet figuram diuersam à sinistra, sed virtutem mouendi, sursum vero, est alterius figuræ à deorsum, & ante à retro. Quare in animalibus, quæ distinctione organorum abundant, hæ prius ponendæ sunt, cum sint quoque vniuersaliores, maximè sursum, & deorsum. Tex.11.

Vnde ipsum sursum, & deorsum omnibus animatis inest, similiter animalibus, & plantis; dextrum autem, & sinistrum non inest plantis. Præterea; vt longitudo est prior latitudine, & sursum est principium longitudinis, dextrum autem latitudinis, & quod prius est, habet etiam principium prius, prius vtique erit sursum dextro; dico prius prioritate generationis, & ordinis, quandoquidem multifariam dicitur prius, vt visum est in post prædicamentis. Amplius autem; si sursum quidem est vnde est motus augmenti, dextrum autem à quo incipit motus localis, ante autem ad quod terminatur motus sensibilium, qui quidem motus ab ipsis sensibilibus incipiunt, & in sensibus terminantur, vt visio incipit ex speciebus visibilibus egredientibus à re colorata, & terminatis ad visum; si ergo hoc modo se habent, ipsum quoque sursum habebit etiam quandam potentiam principiandi motum in ordine, vel secundum comparationem ad alias species, vel differentias prædictas distantiarum; vnde Pythagorei eam dimittere non debebant. Itaque, & quia omiserunt maximè propria principia talium positionum, ac motuum, iustum est eos increpare, & etiam increpandi sunt, quia hæc (scilicet dextrum, & sinistrum) in omnibus similiter putabant inesse, tam videlicet in animalibus, quam in plantis, & rebus inanimis, quod falsum est. Nobis autem dicendum est, sicut prius determinatum fuit, quod tales potentiæ sunt solum in ijs, quæ habent principium motus à se ipsis, idest in animalibus perfectis. Tex.12.

Cęlum autem animatum est, & habet principium motus localis, quare manifestum est, quod habet sursum, & deorsum, & dextrum, & sinistrum, an ante, & retro, anima enim, quæ mouet localiter est perfecta, & non sicut anima plantarum, quapropter corpori ab eo moto omnes sex differentiæ prædictæ conuenient ex natura rei, non solum secundum nostrã considerationem. Nec oportet dubitare ex eo quod rotũda sit figura ipsius vniuersi, vel cæli (dicitur cælum vniuersum, per synecdochę; est namq; principalis pars vniuersi, & loquimur hic de cælo supremo, nõ propriè de mundo) quomodo erit ipsius, hoc quidem dextrũ hoc autẽ sinistrum, cum omnes partes existant similes, & moueantur omni tempore, quare ratione similis figuræ non possunt assignari diuersæ positiones, & prout sẽper mouentur, non possumus assignare vnde incipiat motus, & vb Tex.13.

destinat, & sic neque distinctæ hæ positionis in ipso reperiri videntur. Nõ oportet (inquam) propter hoc de hoc dubitare, sed intelligere, quemadmodum si quis habeat dextrum oppositum ad sinistrum figura, & virtute diuersum, & hoc modo circumponamus sphæram cęlestem, ita vt vnde incipit motus, ibi sit propriè dextrum, & si non sit figura ab alijs partibus diuersa, habebit tamen potentiam, vel virtute differentem; quod tamen non apparebit propter similitudinem figuræ in omnibus partibus Cœli. Eodem autem modo de principio motus philosophandum est, videlicet, quod sit (vt diximus) à dextris; etenim etsi nunquam incępit, tamen necessarium est, quod habeat principium vnde incępisset moueri, quod mouetur, si incępisset, atque si ponatur, quod quieuerit, mouebitur vtique iterum ex eadem parte. Sunt igitur in ipso Cęlo sex prædictæ distantiæ; posita namque vna videlicet dextra, aliæ sequuntur secundum diuersam oppositionem, nam dextra opponitur sinistra, & consequenter sequitur sursum; hæc enim differentia reperitur in omnibus naturalibus, atque ei correspondet deorsum; ante autem ratione animæ poni debet, cum in qualibet re animata id sit, & ad dextrum ordine quodam sequitur, cui à rectè opponitur retro. Habet igitur has sex distantias, ac etiam longitudinem, latitudinem, & profunditatem, cum harum dimensionum sint hæ differentiæ principia, vt visum est.

Tex. 14. Dico autem longitudinem quidem ipsius eam distantiam, quæ est secundum polos, hoc est de polo antarctico ad arcticum, & polorum, hunc quidem sursum, hunc antem deorsum dicimus, nam differentiam hemisphæriorum ex ijs solum sumimus, eo quod ipsi poli non mouentur. Simul autem consueuimus dicere latera mundi; non quod sursum est, & deorsum, sed quod est præter polos, tanquam distantia de polo ad polum, non latitudo, vel latera, sed potius longitudo sit, id enim ad latus est, quod est præter sursum, & deorsum, quare si distantia polorum sit longitudo cæli, & principium longitudinis sit sursum; sequitur polos esse sursum, & deorsum. Polorum autem is quidem qui supra nos apparet, & arcticus vocatur ab arctos, seu vrsa (est enim ibi figura stellarum, quæ vrsa dicitur) est ea pars cæli, quæ deorsum existit. Poli. Polus vero qui nobis immanifestus est, & dicitur antarcticus, (hoc est oppositus arctico,) est pars cæli, quæ sursum est. Sunt autem poli duo puncta immobilia, & insensibilia in cælo diametraliter oppositi, supra quos reuoluitur totum cælum; diameter vero qui ex vno polo ad alterum duci dicitur, axis vocatur; Axis. quare isti poli non cognoscuntur sensibiliter à nobis, sed dicuntur cognosci, & apparere, ex vicinitate quorundam astrorum. Vnus igitur eorum scilicet antarticus dicitur sursum, alter vero, scilicet arcticus dicitur deorsum. Nunc de alijs differentijs ipsius cæli disseramus.

Tex. 15 Dextrum ergo vniuscuiusque dicimus, vnde est principium eius motus, qui secundum locum fit. Motus autem circularis cæli principium est vnde sunt ortus astrorum, quare hoc vtique erit dextrum ipsius: vbi autem occasus, sinistrum. Si igitur à dextris incipit motus circularis cæli, & ad dextram circumfertur, necesse est, eum polum qui nobis non apparet sursum esse, si enim is polus qui nobis apparet sursum erit, ad sinistram erit motus ipsius cæli, quod quidem non dicimus, nec dici debet, cùm hoc sit imperfectionis.

Tex. 16. Manifestum est igitur, quod polus nobis immanifestus est sursum, & qui illic habitant sunt in eo hemisphærio, quod sursum est (dicitur hemisphærium dimidia pars sphæra, seu mundi, vel terræ) & apud dextram cæli: nos autẽ sumus in eo hemisphærio, quod deorsum est, & apud sinistram, è contrario quã vt Pythagorei dicunt. Hemisphærium. Nos etenim ponunt sursum, & in dextra parte, illos vero qui illic sunt, deorsum, & in sinistra; accidit autem contrarium; hoc autem quod diximus, debet intelligi in ordine ad primum mobilem. Verum secundæ circumlationis (hoc est in ordine ad motum aliorum orbium veluti planetarum) nos quidem sumus in ijs partibus, quæ dicuntur sursum, & in dextris; illi autem in ijs, quæ deorsum, & sinistris, è contrario enim his alijs orbibus principiũ motus est, propterea quod contrariæ sunt lationes ipsius primi mobilis, & aliorum orbium; illud namque mouetur ex oriente in occidentem, isti vero è conuerso; nec est imaginandum quod sint propriè isti motus contrarij cum hoc repugnaret ijs, quæ diximus in primo de cælo; sed debent vocari diuersi, & aliquo modo contrarij, per quandam similitudinem, nam vera motuum contrarietas attenditur per lineam rectam; quod satis dilucidatum est in primo. Sunt igitur largo modo contrarij, & sic nos, & in altero hemisphærio habitantes in oppositis sumus differentijs positionis, quare accidit nos esse apud principium motus, hoc est à dextris, illos autem apud finem, hoc est à sinistris, & deorsum, sicut nos sursum. De partibus igitur determinatis secundum distantias, & secundum locum, quo ad materiam cæli attinebat, tot dicta sint.

CAPVT II.

Cur motus circulares sint plures.

Qvoniam autem motus circularis non est alteri circulari contrarius, considerandum est cur nam plures sint lationes cælorum, (hoc est, cur non omnes eodem modo, & vno motu moueantur, nempe ad eundem terminum, vt omnes versus orientem, vel omnes versus occidentem, aut aliorsum. Si namq; contrarij essent nulla esset difficultas, vel facilis solutionis, nam propter perfectionem vniuersi si vnum contrariorũ est in natura, necesse est reliquum esse, maximè si hæc contraria ponantur corpora simplicia, quæ ad essentiam vniuersi attinent) cum igitur contrarij tales motus non sint, difficultas est in suo robore, ac eam soluere tentemus. Quamquam igitur tentemus facere quæstionem è minus (hoc est de rebus à nobis maximè distantibus) longè .n. sunt non adeò loco, sed multo magis, cognitione (nam cum omnis nostra cognitio, ortum habeat à sensu, & sub sensu prius cadent accidentia sensibilia, ac eorum accidentium, quæ ipsi cælo accidunt, de admodum paucis habeamus sensum, vel sensitiuam cognitionem, ideo difficultas, ac cognitionis distantia est manifesta) attamen eo modo quo possumus, dicamus. Tex. 17. Causa autẽ de ipsis, quæ proposuimus hinc sumenda est. Eorum vnum quodq; quæ habent opus, vel actionem aliquam, est gratia sui operis, omnia namq; sunt propter finem, finis autem rei est operatio eius. Dei autem, seu cæli (vocatur cælum Deus secundum positionem Platonis, qui cęlos Deos minores vocauit) operatio est immortalitas, hoc est motus æternus, vel immortalis, qui est vita sempiterna ipsius cæli (vita autẽ hic accipitur pro operatione cõueniente rebus viuentibus maximè perfectis, sicut est motus localis) itaq; necesse est motum sempiternum Deo, vel cælo inesse. Quoniam autem cælum tale est, videlicet diuinum, ac gratia operis immortalis, nempè motus (corpus enim quoddam diuinum est) ob hoc habet circulare corpus, quod ex sua natura circulari-

ter

ter moueatur semper. Cur igitur non totum vniuersi corpus tale est, quod circulariter moueatur? Quia necesse est manere aliquid in medio eius corporis, quod circulariter mouetur: id inquam quod in centro est, videlicet terram; nam ipsius cæli nullam possibile est manere partem in medio, etenim motus ipsius secundum naturam esset ad medium, vbi namq; aliquid naturaliter manet, illuc natum est naturaliter moueri, sed motus naturalis cælestis corporis est circularis, ergo circulariter, & non ad medium naturaliter mouetur, qui est motus rectus deorsum, ergo si illuc moueri poneretur, violenter moueretur, quod est inconueniens, quia hic motus non esset sempiternus, nam nihil violentum sempiternum est; ratio est quia violentum, seu præter naturam (pro eodem nunc accipi debent) posterius est, eo, quod est secundum naturam, cum nihil violentum dicatur nisi ex ordine ad naturale, imò id quod pręter naturam est, veluti excessus, vel accidens, aut extraneum quoddam est respectu naturalis generationis, & essentiæ; cùm autem sempiternum nihil possit habere prius, ac motus violentus habet alium priorem, nempè naturalem ipse non erit sempiternus, ac per consequens ipsum Cœlum non mouebitur deorsum, vel ad medium, nec naturaliter, nec violenter, non naturaliter, quia motus vnus naturalis est vnius corporis simplicis, nec violenter, quia hic non est perpetuus, sed actio, & motus æterni corporis, æterna esse debent; relinquitur ergo, quod semper circulariter ex propria natura moueatur, & sic habetur finis, & operatio eius in communi; nunc autem diuersitatis, vel pluralitatis motuum causas inuestigemus.

Tex.18. Necesse est igitur ex prædictis, terram esse; hæc enim quiescit in medio, nunc igitur supponatur hoc; posterius autem demonstrabitur de ipso. At vero si terram necesse est esse, etiam ignis necessariò erit: contrariorum enim si alterum est in natura, necesse est alterum quoque esse, si sit contrarium, & sit aliqua natura ipsius perfectionem vniuersi concernens: eadem enim est materia contrariorum, quare ab eisdem, & ambobus informari debet, secundum diuersas partes, aliter non essent essentiales partes in mundo, vt si ignis tantum esset, alia elementa, ac perfectio vniuersi non esset, cùm igitur terra, & ignis contraria sint, saltem in vna contrarietate, quia ignis est calidus, terra frigida, ac etiam sunt contraria ratione distantiæ, vel loci, cùm vnum sit in medio, aliud in extremo, quorum contrariorum existentia etiam ad perfectionem vniuersi attinet, si terra est, ignis est. Præterea affirmatio est prior priuatione, hoc est res, quæ habet esse perfectius, & magis positiuum, est prius negatione, hoc est ijs, quæ habent esse imperfectius, & priuatione admixtum; dico autem veluti calidum est prius frigido, & motus quiete, sed ignis est calidus, & magis aptus moueri, quam terra, quia saltem perpetuò voluitur in gyrum, ergo est prior ipsa, terra enim est grauis, & quiescit, quies autem, & grauitas dicuntur per priuationem motus, & leuitatis: si igitur terra est, ignis quoque erit, cùm prius debeat poni esse.

Eadem est materia cō trariorum.

Tex.19. At verò si est ignis & terra, necesse ea corpora, quæ inter ipsa sunt, nempè aerem, & aquam similiter esse ob eandem prædictam rationem; nam vnumquodque elementorum contrarietatem habet cum vnoquoque: supponatur autem hoc nunc, posterius autem, nempè in libris de generatione, & corruptione tentandum erit ostendere. His autem quatuor contrarijs elementis existentibus, manifestum est, quod necesse est generationem, & corruptionem ipsorum esse, eo quod nullum ipsorum possibile sit esse sempiternum, patiuntur enim, & agunt contraria à se inuicem, & corruptiua inuicem sunt.

Tex.20. Amplius non est rationabile aliquod mobile sempiternum esse, quod non habet motum naturalem sempiternum, cùm vnumquodque sit gratia sui operis, vt visum est, & cuius opus sempiternum non est, nec ipsum sempiternum erit; hæc autem elementa mobilia sunt, non motu sempiterno, sed determinato, & defectibili, nempè sursum, vel deorsum, ergo ipsa sempiterna non sunt, ac per consequens sūt generabilia, & corruptibilia. Quod igitur necesse sit esse generationem, & corruptionem istorum, ex his, quæ diximus manifestum est. Si vero generationem, & corruptionem necesse est esse, erit necessariò alter motus localis circularis cęlorum, præter primum primi mobilis, nam secundum eum motum, qui ipsius primi mobilis est, similiter necessarium est se se habere elementa corporea adinuicem, hoc est vel semper generari, vel semper corrumpi, nam vnus & idem motus semper eodem modo se habens semper natus est facere idem, ista autem inferiora dependent in esse & conseruari à corporibus superioribus, ita quod sine ipsis nec esse, nec agere, aut pati possunt, vt igitur generari, & corrumpi ad inuicem elementa possint, non sufficit vnus & idem motus cęlorum, sed plures sunt necessarij. Dicetur autem de hoc exactius in sequentibus.

Tex.21. Nunc autem tantum manifestum est, propter quam causam plura sint circularia corpora, & circulares motus, quia necesse est generationem esse, generationem autem si & ignem ponamus & alia elementa ad inuicem contraria: ignem autem necesse est ponere, & alia elementa, si terram ponamus, hanc autem quia necesse est manere aliquid semper in medio, si moueri aliquid semper circulariter oportebit, & sic de primo ad vltimum concludimus, quia sunt plura elementa, contraria, & corruptibilia, & generabilia ad inuicem, necesse est plura esse corpora, & motus cęlestes, ipsi namque cęlestes motus ad vniuersi bonum, & conseruationem ordinantur; hæc autem ex mutua elementorum generatione dependent.

CAPVT III.

Figura Cęli est rotunda.

Tex.22. Figuram autem sphæricam necesse est habere Cęlum. Probatur, nam hæc cum sit & natura, & perfectione prima omnium aliarum figurarum, erit maximè propria primæ, ac perfectiori substantię, videlicet cęlesti, nam ex perfectiori substantia, sunt perfectiora accidentia, maximè accidentia propria, sicut inter alia est ipsa figura. Quod autem Cęlum sit omnium corporum substantia nobilissima, in primo libro de Cęlo abundè declaratum est. Nunc autem est videndum si figura circularis sit omnium aliarum nobilissima, vel prima, & habebimus intentum. Dicamus autem vniuersaliter de figuris, quæ prima sit, & in planis, vel superficiebus, & in solidis, seu corporibus, ex planis autem, quæ corporis sunt intelligentur. Omnis itaque figura plana, aut ex rectis lineis constat, vt triangulus, quadrangulus, & alia, aut ex linea circulari. Ea autem figura, quæ recti linea dicitur, ac ex rectis constat lineis à pluribus lineis continetur, circumlati linea, vel circularis ab vna sola tantum. Quoniam autem

tem

Vnű prius multis. Simplex prius composito. *tem prius natura in vnoquoque genere est vnum, quam multa, vt patet de vnitate in numero, ac in quolibet alio genere in quo prius intelligitur natura talis generica, quam multitudo suppositorum, vel inferiorum, & similiter simplex est prius, ac perfectius composito cęteris paribus (vt intelligentia est perfectior homine, & anima corpore.) Figura vero circularis est simplex, vel simpliciter recta, ac vna, ideo prioritate perfectionis, & natura est alijs figuris prior.*

Tex. 23. *Amplius autem si perfectum, id est, extra quod nihil eorum quæ ad suam naturam pertinent possibile est accipere, seu quod nihil habet diminutum, vel nihil ei deficit, quemadmodum determinatum est prius in 3. Physicorum tractu de infinito, tex. 64. & rectæ lineæ quidem semper fieri potest additio, circulari autem nunquam, manifestum est, quod perfecta vtique erit ea, quæ continet circulum, recta vero nequaquam. Quare si perfectum prius est imperfecto, ob hanc quoque causam circulus erit vtique prima, & perfectissima omnium figurarum. Similiter autem sphæra solidarum* Circulus differt à sphæra. *(differt circulus à sphæra, quia circulus non est corpus solidum, sed potest esse ex vna tantum superficie rotunda; sphæra autē est corpus solidum & plenum, vt lapis, v. g. rotundus ad modum pilæ) sola enim illa circularis figura continetur vna superficie; rectæ lineæ autem pluribus; vt enim se habet circulus in planis figuris, sic sphęra in solidis, sed ille continetur vna tantummodo, & perfecta linea, ergo & ista.*

Tex. 24. *Amplius autem, qui omnia corpora diuidunt, vel resoluunt in superficies, & ex ipsis superficiebus componi dicunt, quamuis in hoc errent, tamen quoad hoc quod circulus sit prima figurarum, & perfectior bene dicunt, ac testes videntur esse his, quæ nos supra diximus. Nam omnes alias figuras in alias diuidunt, quasi ex illis componantur, solidarum autem figurarum, solum sphæram non diuidunt, tanquam non habentem plures superficies, quod non est sicut si quis aliquod totum diuidat, in suas partes, sic namque in sphæra infinitæ essent superficies, cum in infinitum sit diuisibilis, non igitur hoc modo debet intelligi diuisio prædicta, sed vt in diuersa specie, ita quod figura sphærica non contineat alias figuras à specie diuersas, nec in illis resolui posit, similiter nec in alias lineas, nec ex illis componatur, sicut per oppositum aliæ figuræ se habent, vt triangulus ex pluribus constat lineis. Quod igitur solidarum figurarum prima sit sphæra, manifestum est.*

Tex. 25. *Est autem rationabilissimum, quod dicimus de primitate circularis figuræ, si id conformemus cum ijs, qui ordinem numeri cum ordine figurarum comparant, dicunt namque, circulum esse sicut vnum, triangulum autem sicut dualitatem, quoniam duo recti sunt anguli externi, quibus tres interni correspondent. Si autem secundum triangulum assignaretur vnum, circulus non erit figura; nam manifestum est, cum esse simpliciorem triangulo, ideo si triangulus dicat vnitatem, & ante ipsam nihil sit, circulus secundum talem ordinem, figura non esset, posito videlicet, quod figuræ incipiant ab vnitate, vt ponunt, circulus ergo se habet sicut vnitas in numero respectu figurarum; ideo sicut vnitas est prior numero, simplicitate, natura, & generatione, ita figura circularis erit omnibus alijs prior prædictis prioritatibus, & maximè prioritate perfectionis, quæ est magis propria, & de qua est præcipua intentio; est igitur sphærica figura omnium prima.*

Tex. 26. *Quoniam autem prima quidem figura, primi est corporis; primum autem corpus, quod in extrema parte circularis vniuersi est sphæricum vtique erit, ac circulari circumferetur motu, hoc autem est ipsum cęlum primum, vel primum mobile; & quod igitur contiguum est illi, similiter sphæricum erit; sphærico enim contiguum, sphæricum est, quare omnes alij orbes, vel cęli, qui à primo continentur, & tanguntur, secundum superficiem concauam ipsius primi, & conuexam ipsorum, necessariò sunt sphærici. Similiter autem quæ ad medium horum sunt, videlicet elementa; quæ enim à sphærico continentur, & tangunt tota, sphærica necesse est esse; quæ autem corpora sunt infra eam sphæram, quæ planetarum hoc est (infra Lunæ orbem) tangunt eam sphæram, quæ supra ipsa est, scilicet eundem Lunæ orbem, ipse vero orbis Lunæ alios tangit, & ille alterum, quo vsque ad supremum perueniant; quare vtiq; sphærica erit omnis talis natura, omnia enim tangunt, & continua sunt sphæris.*

Amplius, quoniam videtur, & supponitur ipsum cęlum circulariter moueri, ac etiam demonstrauimus, quod extra vltimum cęlum, neque vacuum est, neque locus, necesse est, & propter hæc sphæricum esse ipsum cęlum, nam si erit rectilineum, accidit, & locum esse extra vltimum cęlum, & corpus, & vacuum, nam rectilineum, quod circulariter mouetur nunquam eandem occupabit regionem, sed vbi prius erat corpus, nunc non erit, & vbi nunc non est iterum erit, per mutationem angulorum (dicitur corpus rectilineum, quod constat ex lineis rectis, vt triangulare, quadrangulare &c.) dum talis angulus ibi non est, erit vacuum; dicitur etenim vacuum, in quo non est corpus, sed aptum est esse; dum vero ibi est talis angulus, tunc erit corpus, quod repugnat ijs, quæ diximus in primo de Cęlo tex. 99. Non igitur ex parte superficiei conuexæ cælum potest esse rectilineum, imò nec alicuius alterius figuræ, nisi circularis. Nam similiter, si quæ alia figura ei tribuatur, dummodo non sit ea quæ habet æquales lineas à centro, vel medio ad circumferentiam, quæ est circularis, eadem sequentur inconuenientia, vt si poneretur oualis, seu de figura oui, vel lenticularis: in omnibus eum accidit, & locum & vacuum esse extra lationem, vel vltimum cęlum, quod circulariter mouetur, propterea quod non eandem regionem secundum omnes partes occupabit; sic igitur patet quadam peculiari ratione, cęlum ex parte conuexa esse necessariò rotundum, de superficie verò concaua, valeant rationes prædicta, quę sunt vniuersales, vel communes etiam ad conuexam aliorum. Tex. 27. Corpus rectilineum.

Amplius autem, si motus primi cęli est mensura omnium aliorum motuum, quia solus continuus, vel sempiternus, ac regularis est, & in vnoquoque dicitur mensura id quod est minimum, minimus autem est motus velocissimus, manifestum est, quod velocissimus erit omnium motuum ipsius cęli motus. Tex. 28.


At verò eorum motuum, & linearum, quæ de eodem termino ad eundem sunt, minima est linea circularis, cùm sine interpositione fiat reditio in idem, & secundum minimam lineam fiat velocissimus motus; sequitur quod si cęlum velocissimè mouetur, & hoc non fiat, nisi per minimam lineam, & linea minima sit sphærica, quod ipsum sphæricum sit. Tex. 29.

Sumet autem aliquis fidem de ijs, quæ diximus ab ipsis corporibus, quæ infra cælum collocantur sicut sunt elementa. Si enim aqua quidem est circa terram, aer vero circa aquam, ignis autem circa aerem, & superiora corpora cælestia sunt eodem modo disposita (continua enim quidem non sunt, essent namque vnum solum omnia, tangunt autem hæc se adinuicem) superficies autem aquæ Tex. 30.

sphærica

sphærica est, quod autem sphærico contiguum est, aut mouetur circa sphæricum & ipsum tale (nempè sphæricum) necesse est esse, quare propter hoc manifestum fuerit, quod sphæricum est Cęlum.

Tex.31. *At vero quod aquæ superficies talis sit, videlicet figuræ rotundæ manifestum erit, sumpta hac suppositione, scilicet, quod aqua per lineam breuissimam apta est semper confluere ad magis concauum, magis autem concauum est, quod centro est propinquius; ponamus ergo quod superficies eius non sit sphærica, sed plana, quæ magis ei conuenire videtur post sphæricam: designemus autem centrum & sit A, ex ipso igitur centro ducantur duæ lineæ, vna videlicet ab A, ad B, altera ab A, ad C, & ex extremitatibus prædictarum linearum, alia ducatur recta, quæ sit B C, hæc autem erit plana, tunc ex basi, vel medio ipsius ducatur alia linea ad centrum, quæ vocetur A D, hæc autem linea erit minor quam aliæ duæ prædictę ex centro ductæ. quare aqua, quæ ponitur in extremitatibus talium linearum, vt per breuiorem lineam descendat fluet ad hanc breuiorem, donec ex omnibus partibus æquè distet à centro, & breuissimam lineam respiciat, linea autem quæ æqualiter à centro distat cum alijs duabus erit A E, quare necesse est aquam esse apud eas lineas, quæ ex centro æqualiter sunt, tunc enim quiescet, linea autem quæ tangit extrema earum linearum, quæ sunt æqualiter ex centro ductæ circularis est; sphęrica igitur aquæ superficies est, quæ designetur per istas literas B E C, hæc autem facile patebunt ex sequenti figura.*



Tex.32. *Quod igitur sphæricus sit mundus palam est ex his prædictis, & quod cum diligentia adeo rectè ornatus sit, vt nihil aut manufactum similiter se habeat, aut quippiam aliud eorum quæ existunt apud oculos nostros. Nihil enim eorum, ex quibus ipse mundus constitutus est tanquam ex partibus integrantibus, sicut sunt elementa, & mista potest sic regularitatem, & diligentiam, aut pulchritudinem habere, vt natura primi corporis, quod circa nos est, vel circulariter mouetur, quod Cęlum est. Manifestũ igitur est; quod proportionaliter se habet, quemadmodum aqua ad terram, & alia elementa, quæ plus semper ab ipsa terra distant, nempè aer, & ignis: ita quod proportio consistit in hoc, quod sicut aqua est figuræ rotundæ, vt facilius ad centrum descendat, ita quoque eadem ratione erit terra (de aqua autem exemplificatum est, quia propter eius fluxibilitatem facilius æqualis descensus perspici potest, licet idem sit dicendum de terra, & certius cum sit aqua grauior) ac alia quoque elementa propter contiguitatem, & ne detur vacuum, & eisdem rationibus Cęlum.*

CAPVT IV.

Cur Cęlum magis moueatur ad vnam partem, quam ad aliam.

Tex.33. *Qvoniam autem est dupliciter circulo moueri, vt ab A, aliud quidem ad B, aliud autem ad C, hoc est, tam ad dextrum, quam ad sinistrum (quod autem hi motus non sint contrarij, dictum est prius) sed si nihil à casu, vel accidentaliter in sempiternis esse potest, Cęlum vero sempiternum est, & similiter motus eius, propter quam causam, ad alteram mouetur partem, potius quam ad alteram? necesse est enim hoc aut principium, vel causam alicuius esse, & ideo ob talem finem sic fieri semper, aut ipsius esse aliquam causam, quæ magis ad vnam partem, quam ad aliam moueat.*

Tex.34. *Fortè igitur tentare aliquid de quibusdam enunciare difficilibus, ac etiam de omnibus, nihil prætermittendo, videbitur vtique esse signum, aut multæ amentiæ, aut multæ promptitudinis, non tamen omnes, qui causas inuestigant, iustum est similiter increpare, sed videre oportet, quænam sit causa, quæ eos ad dicendum moueat. Præterea, respicere etiam oportet quo pacto huiusmodi difficillimorum indagator se habeat in credendo, vtrum humano modo, an validius (idest, an credat probabilior tantum se veritatem horum rerum inuenisse, & tunc excusandus est, vel etiam laudandus, an potius se demonstratiuè, & quasi diuinitus sine aliquo errore, vel incertitudine veritates has assecutum fuisse, & tunc increpandus erit.) Certiores igitur res necessarias, ac difficiles, quando quis humano modo fuerit assecutus adminiculo aliorum modo prædicto inuentorum, tunc gratiam habere oportet inuenientibus. Nunc autem eo modo possumus, id quod circa propositam difficultatem, nobis videtur, dicendum est. Si enim natura, eorum quę fieri possunt, semper facit, quod optimum est, & sicut eorum motuum, qui super rectam fiũt lineam, ille qui fit sursum est honorabilior eo qui fit deorsum (diuinior enim est locus, qui sursum est, eo qui est deorsum) eodem modo, & ille motus, qui ad ante fit est nobilior eo qui fit retro: si igitur sic se habet dextrum respectu sinistri, ita videlicet, quod moueri à dextris est honorabilius, & melius, quam moueri à sinistris, hac de causa Cęlum à dextris, & non à sinistris mouetur. Attestatur autem hæc ratio, quod ipsum Cęlum habet prius, & posterius, nam dextrum, & sinistrum, prius & posterius supponunt, vt supra declaratum est; hac igitur visa causa, nempè quod ipsum Cęlum habeat sex omnes distantiarum differentias, & quod honorabilius sit moueri à dextris, quam ex alia parte, faciliter dubitatio soluitur: si enim se habet ipsum Cęlum quam potest optimè, hæc prædicta vtique erit causa eius, quod dictum est, optimum enim est moueri simplici motu, & incessabili, & hoc fieri, ex ea parte, quæ honorabilior est.*

Natura facit de possibilibus optimum.

CAPVT V.

Motus primi mobilis est regularis.

Tex.35. *De motu autem ipsius Cęli, quod regularis sit, & non irregularis, deinceps post alia, quę de ipso dicta sunt, erit percurrendum; dico autem hoc de primo Cęlo, & de prima latione; in ijs enim orbibus, vel Cęlis, qui sub ipso primo*

primo sunt, plures iam lationes conuenerunt in vnum, nam vnumquodque pluribus mouetur motibus, & per consequens motus eorum non sunt regulares (accepta videlicet regularitate pro omnimoda simplicitate, ita vt omnem excludat mistionem aliorum, si etenim præssè sumatur regularitas, nempè pro fluxu, vel successione motus, quæ fiat semper eadem velocitate, absque intensione, vel remissione, tunc neque ab ipsis Cęlis inferioribus neganda est propter easdem rationes, quæ de ipso cęlo primo afferuntur) probatur igitur quod ipsum regulariter moueatur. Si enim irregulariter moueb:tur, manifestum est, quod intensio erit, & debilitas, & remissio motus ipsius. Omnis enim irregularis latio, & remissionem habet, & intensionē, & debilitatem: status autem vel debilitas, ac similiter fortitudo, vel intensio accidunt cuilibet motui, vel in principio, vel in medio, vel in fine vt fortè ijs, quæ naturaliter mouentur, vt terra deorsum, intensio, vel fortitudo erit circa finem, motus namque prędictorum velocior est in fine, quam in principio, ij autem quæ mouentur præter naturam vel violenter, fortitudo motus est vnde incipiunt, tunc enim maiori vi pollet virtus proijcientis, non scilicet in principio tantum, sed circa; ijs vero quæ mouentur ab anima (& vocantur hic per quandam similitudinem proiecta, quasi ab anima proijciantur, vel impellantur) inest virtus fortior circa medium, nam in principio non est bene excitata virtus motrix, sed in medio augetur à calore, qui auget spiritus mouentes, in fine vero ipsi spiritus consumuntur, & fit fatigatio, & quies. Circularis autem lationis, non est aut vnde, aut quo, aut medium, seu non est principium, aut finis, vel medium, quod enim simpliciter æternum est, non habet principium, nec medium, nec finem. Sed latio cęli sempiterna est, & tempore, & longitudine simul ducta, hoc est reuertente, & copulata per idem punctum, & minimè intersecta, seu diuisa; quare si ipsius sempiternæ circularis non est intensio, nec remissio motus in aliqua parte eius, neque irregularitas erit; nam hæc fit propter intensionem, & remissionem.

Tex.36. Præterea, quoniam omne quod mouetur ab aliquo mouetur, necesse est motus irregularitatem fieri, aut propter ipsum mouens, aut propter id quod mouetur, aut propter ambo; siue enim ipsum mouens non eadem virtute moueat, siue id quod mouetur, alteretur, & non permaneat idem, siue ambo mutentur; nihil probibet moueri irregulariter id quod mouetur. Nihil autem horum possibile est circa cęlum fieri, nam id quod mouetur ostensum est, quod primum corpus est (scilicet, virtute, dignitate, natura, & ordine, vnde ab alijs alterari non potest,) & simplex, & ingenerabile, & incorruptibile, ac omnino inalterabile (alteratione videlicet corruptiua, quæ variam virtutem, vel debilitatem inducit, vnde irregularitas fieri posset) ipsum autem mouens multo magis rationabile est esse tale, nempè ingenerabile, incorruptibile, & inalterabile. Primum enim mouens primi mobilis erit, & simplex simplicis, & incorruptibilis, & ingenerabilis, ac inalterabilis, incorruptibile, ingenerabile, & inalterabile erit. Quoniam igitur id quod mouetur, non mutatur, seu non potest aliter se habere, cùm sit corpus inuariabile, nec id quod mouet mutabitur cum sit incorporeum, ac nulli mutationi subiectum.

Tex.37. Quare cum hoc ita se habeat, impossibile est, motum ipsius irregularem esse. Etenim, si sit irregularis, aut totus mutabitur motus, ita vt nunc sit velocior, nunc verò tardior, vel partes, ita quod aliqua pars eius nunc velocior sit, nunc vero tardior. Sed neutro modo esse potest, probatur, & primò de partibus. Si enim partes motus ipsius cęli irregulares essent, iam facta fuisset distantia astrorum in infinito tempore, quo mouentur; nam data hac parte cęli, quæ mouetur velocius, hac autem tardius, proculdubio semper magis adinuicem distarent astra, vel aliud alteri appropinquaret, & sic numquam eandem distantiam, vel situm inter se seruarent; attamen non videtur vllum astrum ab alio, diuersa distare distantia, vel aliter in ratione situs se habere, & tamen hoc apparere deberet; nam motus cęli est velocissimus, & sensibilis, ac similiter motus partium ipsius. Notandum est tamen, quod si vna pars comparetur ad aliam in motu circulari, absque dubio vna est altera velocior, vt ea, quæ est circumferentiæ est velocior ea, quæ est in centro, vel circa, nam in eodem tempore illa transit maius spatium, hæc autem minus, vt in 6. Physic. tex. 86. declarauimus, & hæc varia velocitas non opponitur regularitati, sed vniformitati; si autem fiat comparatio partium ad diuersum tempus, ita vt modo hæc pars sit velocior, modo tardior, tunc esset irregularitas, ac distantia astrorum, vt tangit ratio, & hoc modo est impossibile, quod sit irregularitas in partibus. At vero quod neque totam lationem contingat mutari, hoc est velocius, & tardius se habere, probatur, nam remissio vniuscuiusque motus fit propter impotentiam: impotentia autem est præter naturam, etenim omnes impotentiæ, quæ animalibus insunt, præter naturam sunt, vt senectus, & decrementum; tota enim fortasse animalium constitutio, vel compositio, ex talibus partibus constat, quæ differunt, vel distant à proprijs locis; nulla enim partium habet suam regionem: sunt enim in ipso quatuor elementa, extra propria loca, ac per consequens præter naturam, quæ cum ad sua loca tendant, molestant ipsa animalia, ac eis impotentiam inducunt, nec scilicet vincere, vel resistere possint, ideò debilitantur propriæ ipsorum animalium virtutes, ac tandem penitus superatæ dissoluuntur, & sic quælibet impotentia prouenit ex aliquo, quod est præter naturam, quod ipsum naturale comprimit. Si igitur in primis corporibus non reperitur aliquid præter naturam (simplicia enim sunt, & immista, & in propria regione, & nihil est ipsis contrarium) neque vtique impotentia erit; quare neque remissio, neque intensio; si enim intensio fuerit, erit quoque remissio, nihil enim intendi dicitur, nisi in ordine ad hoc, quod prius fuit remissum, & sic sunt relatiua disquiparantiæ.

Præterea, si in motu cęli esset intensio, et remissio, vtraque erit infinito tempore, cùm motus ipsius sit infinitus; Tex. 38
sed irrationabile est infinito tempore impotens esse id quod mouet, & rursus alio infinito potens (sumitur hic impotentia ex parte mouentis, supra autem ex parte mobilis, & sic erit sufficiens diuisio, & discursus.) Nihil enim videtur esse infinito tempore præter naturam; impotentia autem præter naturam est. Neque æquali tempore præter naturam, & secundum naturam, neque omnino æquali tempore æquali erit potens, & impotens, quia naturalia, vel semper, vel frequenter sunt, nec æqualitatem habent cum ijs, quæ sunt præter naturam, & tamen si motus cęli intendi & remitti ponatur, necesse erit, quod intendatur, & remittatur infinito tempore, quia est infinitus, & sic naturalia æquabuntur ijs, quæ præter naturam sunt. At vero neque intendi semper, & rursus in alia parte temporis alternatim intendi, & remitti possibile est, infinitus vtique erit (hoc est indeterminatus, & non terminatus, ac ordinatus motus ipsius cęli,) quod absurdum est, cum sit omnium primus, ac perfectissimus, ac multo magis, cum

o mnis

omnis motus sit ex aliquo termino, ad aliquem, ac determinatus, vt in Physicis dictum est. Potest etiam addi, quod cum primus motor à nullo dependeat, nec mistionem vel compositionem aliquam habeat; non est vnde ei adueniat impotentia, qua motus remittatur, vel vnde iterum accipiat, qua intendatur.

Tex. 39. *Amplius, si quis accipiat, esse aliquod tempus minimum, hoc est determinatum secundum paruam quantitatem (non enim datur simpliciter minimum) quo non contingat in minori moueri cęlum, (vt enim neque ambulare, neque citharizare in quouis tempore possibile est, sed vniuscuiusque actionis est determinatum tempus, in non excedendo, hoc est, quæ non possit fieri in minori; sic neque moueri cęlum in quouis tempore possibile est, sed in aliquo determinato; quo non possit dari minus in quo videlicet fiat motus eius.) Si igitur hoc verum sit; non vtique erit semper intensio lationis; si autem nõ erit semper intensio, neque remissio. Similiter enim se habẽt ambę, & altera ipsarum, quare si eadem intenditur semper velocitate, aut maiori, hoc erit infinito tempore (cum determinato esse non possit) sed hoc quoque impossibile esse probauimus.*

Tex. 40. *Reliquum est itaque dicere, si quis proteruiando persistat in attribuendo motui cęli irregularitatem, quod scilicet vicissim ipsi motui insint velocius & tardius, pro tali determinato tempore quo fit. Hoc autem penitus irrationabile est, & figmento simile; oportet namque eidem cęlo, & motori primo, varias vicissim potentias, & impotentias tribuere, quod quam sit absurdum ex superius dictis abundè patet. Amplius autem, si hoc esset, rationabile esset, nos non latere, nam cognoscimus motum cęli, ergo melius cognosceremus hanc intensionem, & remissionem sui motus; sensibiliora enim fiunt opposita, iuxta se inuicem posita. Quod igitur vnum, & solum est cęlum primum, & hoc ingenerabile, & sempiternum, & insuper motum regulariter, hactenus nobis dictum sit.*

Opposita iuxta se posita sunt sensibiliora.

SVMMA TERTIA.

De Stellis.

CAPVT I.

De substantia, vel natura Stellarum.

Tex. 41. *DE ijs verò partibus Cæli, quæ communiter astra vocantur, consequens vtique erit dicere, & ex quibus constent, & quibus quoque figuris, & quinam sit motus ipsorum. Rationabilissimum itaque fuerit, & consequens ad ea, quæ à nobis dicta sunt prius de cęlo, facere vnumquodque astrorum de natura corporis in quo existit, & cum quo mouetur; quoniam autem diximus aliquod esse corpus, quod circulariter mouetur diuersæ naturæ ab elementis, & rebus corruptibilibus, ac æternum, ingenerabile, incorruptibile, & inalterabile, ita quoque de ipsis astris, quæ in tali sunt corpore dicendum est; partes namque sunt de natura totius, præcipuè integrales, & quoad conditiones, & proprietates essentiales, quare partes misti, sunt mistæ, simplicis, simplices, corruptibilis, corruptibiles; & si quoad alia differre possint, vt patet de partibus corporis heterogenei, dicamus ergo, astra esse de natura orbis, in quo sunt. Quare qui dicunt ea ignea esse, non id asserunt quasi sint naturæ diuersæ à cælo, sed quia quod sursum est corpus (nempe ipsum cælum) ignem esse existimant; quasi rationabile sit, etiam secundum ipsos, vnumquodque constare ex ijs, in quibus est, dummodo scilicet vtrumque ponatur substantia, & naturaliter simul cohærere, quod & nos ipsi dicimus, licet non concedamus cælum esse de natura ignis, vt statim hic, & alibi in Metereologicis examinabimus. Fuit autem opinio hæc Anaxagoræ, & sequacium. Non igitur neque cælum, neque astra sunt ignea, quamuis lumen, & calor ab ipsis generetur, id etenim alia de causa accidit.*

Tex. 42. *Calor igitur, & lumen generatur ab ipsis astris, non quod sint ignea, vt diximus, sed quia à motu eorum conteritur aer vicinus: hæc autem attritio, & motus simul cum lumine nata sunt ex se efficere calorem, ita vt calor, & lumen non sint effectus ignis tantummodo, vt videtur supponere argumentum, imò & à solo motu calor effici potest, nam ex sua natura natus est ignire ligna, lapides, & ferrum. Rationabilius igitur est id prius atteri, ac calefieri à motu ipsorum astrorum, quod est igni propinquius (ignis enim, cum ex se sit summè calidus, hanc passionem recipere nequit) propinquior autem est aer. Quod autem motus sit aptus calefacere, patet experientia in ijs sagittis, quæ velociter feruntur; hæ enim sic & ipsæ, & mucrones igniuntur, vt si tales mucrones sint plumbei colliquescant, & quoniam hæ igniuntur propter motum, necesse est eadem ratione, cum aerem, qui in circuitu est hoc idem pati à motu astrorum, vel cęlorum. Hæ igitur Stellæ, incalescere dicuntur, (seu dicuntur calidæ, prout efficiunt calorem) hoc autem fit, non quod re vera ipsæ calidæ sint, sed quia feruntur prope aerem, qui ob motum calescit, & ignis quoque efficitur. Notandum est tamen, quod aliquorum astrorum quædam sunt magis prope aerem, quædam magis procul, (accipiendo astra tam fixa, quam errantia, seu Planetas, ita quod etiam Sol, & Luna cum ipsis includantur) eorum autem astrorum, quæ magis sursum sunt (hoc est in cęlo Stellato) vnumquodque in sphæra, nempe in primo ipso cęlo fertur, & quia maximè ab aere distant, non sic eis tribuere possumus, vel ignire, vel calefacere, ac ignita esse, quia non sic propinque conterunt aerem, etsi secundum aliquam peculiarem eorum virtutem, & influentiam, hoc negandum non sit. Aerem autem, cum existat sub sphæra, vel circumferentia corporis particulariter lati, necesse est, cùm talis sphæra mouetur incalescere, & ea maximè parte, qua Sol extat infixus; quapropter approximante ipso, & Oriente, super nos existente, generatur calor, qui calor (vt diximus non motu tantum, sed etiam lumine producitur, ideo à maximo lumine Solis maximè quoque producitur, præcipuè per repercussionem) calor igitur, & lumen ab astris generatur, & si ignea non sint. Qui calor recipitur primo in aere, quia cum ignis non sit in potentia ad ipsum, recipere eum non potest; Cęli autem non sunt peregrinarum qualitatum, maximè primarum, (sicut est calor) susceptiui, ideo vbi primum calor ipse recipi potest, recipitur, hoc autem est in aere; deinde in alijs inferioribus partibus, & sic calor generatur ab astris. Quod igitur neque ignea sint, neque cum igne (in regione videlicet ipsius) ferantur astra, hæc nobis dicta sint. Si enim ignea essent, cum igne ferrentur.*

Cœli non suscipiunt peregrinas qualitates.

CA-

C A P V T II.

Quomodo Stellæ moueantur.

Tex. 43. QVoniam autem videntur astra moueri de loco ad locum, & etiam totum cęlum; quæritur ergo, quomodo ipsa astra moueantur. Necesse enim est aut fieri mutationem quiescentibus vtrisque, sed aliquo alio moto, nempe terra, sicut mota naui; videntur omnia quæ in circuitu sunt moueri, aut vtrisque motis, ita quod non solum cęlum moueatur, & in eo astra, sed ipsum proprio moueatur motu, illa verò etiam suo peculiari. Aut altero quiescente, altero autem moto, hoc modo; quiescentibus astris in cęlo, moueatur ipsum cęlum, & astra ferantur cum illo, sicut aliquis quiescens in naui, mouetur ad motum ipsius; tot igitur modis astra moueri imaginari possumus, quos omnes examinare oportet. Dicere ergo quod vtraque quiescant, videlicet cęlum, & astra, sed videantur moueri, quia mouetur terra, impossibile est, terra namque quiescit, aliter non fierent, quæ videntur (hoc est non semper ex eadem parte astra orirentur, vt melius in tractatu de quiete terræ videbimus,) pro modo autem ipsam terram quiescere supponamus.

Tex. 44. Reliquum itaque est, aut vtraque (scilicet, & cęlum, & astra moueri) aut hoc quidem moueri, hoc autem quiescere. Si igitur ambo mouebuntur, irrationabile est easdem esse velocitates astrorum, & cęlorum, vnumquodque enim astrum æquè velox esset atque cęlum in quo fertur, cùm simul cum ipso circulo, vel cęlo, videantur ex eodem in idem eodem tempore transferri, quare accidit, simul astrum pertransiuisse circulum, & circulum latum esse sua latione, suamque transiuisse circumferentiam. Non est autem rationabile eandem rationem velocitates astrorum habere cum magnitudinibus circulorum. Circulos enim nihil absurdum esset, æquè veloces esse, cùm sint non sic inæqualis magnitudinis; de astris verò ad circulos, vel cęlos comparatis irrationabile est, quia necessarium est, proportionaliter se habere velocitates ad magnitudines, astrorum autem eorum vnumquodque, quæ in his circulis sunt, nequaquam proportionem magnitudinis cum illis habet; quare neque rationabile existit, esse æqualem vtrorumque velocitatem. Siue enim ponatur, illud quod maiori circulo fertur, ex necessitate velocius ferri, siue contingenter, tamen absurdum erit; nam palam est, quod si astra cogitentur transferri in suos inuicem circulos, hoc quidem erit velocius, hoc autem tardius, quia si id necessariò sibi conuenire ponamus, vbicunque sint, sibi conueniet, & sic, quæ erant in maiori circulo cęli, vel maiorem circulum dum mouebantur describebant, hoc idem facient vbique; quare hoc modo non habebunt proprios motus, sed ferentur à circulis; patet consequentia, nam à quo aliquid habet velocitatem, habet quoque motum, sed hanc velocitatem habent à circulis ex suppositis, ergo & ab ipsis habent motum, vnde velocius astra mouentur, quia sunt in maiori circulo, qui velocius fertur. Accipiamus autem circulum hic pro cęlo, non toto, sed pro illa parte, quæ in gyrum designari videtur à motu astrorum. Non igitur astrum quod in maiori circulo fertur ex se necessariò velocius mouetur, vt declaratum est; restat videre, an hoc contingenter accidat, vel à casu.

Tex. 45. Si verò à casu accidit, quod velocius astrum sit in maiori circulo, tardius in minori, neque sic rationabile est, vt in omnibus simul circulus sit maior, & latio astri, quod in ipso est sit velocior. Vnum enim aut duo hoc modo se se habere, nihil absurdum est; omnia autem similiter sic esse, figmento simile est, debent namque proportionari magnitudines velocitatibus. Præterea, in rebus naturalibus, maximè perfectissimis, vt sunt cælestes, res non fiunt vt accidit, seu à casu, & sine determinata causa. Neque id debet dici à casu, & fortuna, quod vbique, semper, & in omnibus est, nam Fortuna, & Casus sunt præter, vel extra semper. Sed vbique, semper, & in omnibus cęlestibus seruatur ordo, proportio, & eadem ratio mensuræ magnitudinis, in velocitate astrorum, ac cęlorum, ergo non à casu.

Tex. 46. At verò rursus, si cęli manent, ipsa autem astra mouentur, eadem, & similia erunt absurda, accidet enim ea astra velocius moueri, quæ sunt extra (hoc est magis remota à centro) & velocitates astrorum esse secundum magnitudinem circulorum, in quo mouentur, quod reprobatum est. Quod vero sic necesse sit esse, patet, nam quæ in maiori sunt circulo, maius eodem tempore spatium complent, quam quæ in minori. Quoniam igitur, neque vtraque moueri rationabile est, neque astrum solum, reliquum est, cælos quidem moueri, astra autem ex se quiescere, sed ferri infixa circulis; solum enim sic nullum absurdum accidet; nam rationabile est, celeriorem esse velocitatem eorum astrorum, quæ in maioribus sunt circulis, ac velocioribus, velociores namque circuli sunt circa idem, qui à centro magis distant, vt enim in alijs corporibus cęlestibus maius corpus velocius fertur proprio motu, sic in istis circulis, maior velocior mouetur, nam eodem tempore maius spatium transit; maius enim spatium est eorum, quæ auferuntur ab ijs, quæ ex centro, (hoc est eorum, quæ distant ab ijs, quæ sunt in centro, & circulariter mouentur) id quod est segmentum, seu signatio, vel secatio maioris circuli.

Tex. 47. Quare rationabiliter in æquali tempore maior circulus circumfertur, & propter hoc non accidet diuelli cęlum, sicut accideret, si poneretur astra moueri in ipso quiescente, sicut pisces in aqua. Ostensum est enim in primo de cęlo, ipsum esse continuum, ac inalterabile, & indiuisibile.

Tex. 48. Præterea, quoniam sphærica sunt astra, quemadmodum, & alij, qui ex cęlesti corpore ipsa constare asserunt dicunt & nobis conueniens videtur. Corporis autem sphęrici duo sunt motus per se, scilicet volutatio, & vertigo; est enim volutatio (hoc loco), rotatio quædam. Vertigo verò, est motus quidam in gyrum, ita vt pars posterior, vel retro fiat ante. Exemplum de vtroque, sit lapis molaris, quæ ex vna parte habeat imaginem cuiusdam faciei, vt oculus, aures, &c. ex alia non, sed sit velut occiput, seu pars retro capitis. Si iste lapis suo motu molari circulariter moueretur, ita quod semper ex eadem parte imago faciei appareret, esset volutatio. Si vero ex facie transuersaliter moueretur, ita vt modo faciem, modo partem oppositam ostenderet, diceretur vertigo secundum hanc acceptionem; nam alio modo accipitur hic, & in septimo Physicorum. Si ergo astra per se (hoc est proprio motu, & non infixa cęlestibus corporibus) mouerentur, altero vtique istorum motuum mouerentur, sed neutro videntur moueri, ergo per se non mouentur. Probatur minor, scilicet, quod neutro moueantur. Si enim vertigine voluerentur, vtique manerent in eodem, & non mutarent locum, cuius oppositum videmus, & omnes

dicunt,

dicunt, mouentur namque ex Oriente in Occidentem. Amplius, si hoc motu mouerentur, rationabile esset, quod omnia eodem mouerentur, cùm sint eiusdem naturæ, & figuræ, sed hoc experientia patet esse falsum; solus autem astrorum Sol hoc facere videtur dum oritur, & occidit, qui tamen nec per se sic mouetur, sed apparet hoc modo ob distantiam à nostro visu, visus enim longe porrectus, vel respiciens, voluitur propter imbecillitatem. Quæ forte causa est, vt scintillare, ac tremere videantur Stellæ fixæ, Planetæ autem non scintillare; nam Planetæ prope nos sunt magis, quam Stellæ fixæ; quare visus existens potens, vel vigorosus ad ipsos Planetas faciliter peruenit, absque imbecillitate, & trepidatione, ad fixas autem respiciens tremit propter distantiam ab illis, ad quas valde longe porrigitur; tremor autem ipsius efficit, vt astrum videatur moueri, scintillare, vel tremere. Nihil enim refert si moueatur visus, an id quod videtur, ad hoc vt moueri, quod videtur appareat; sufficit enim quòd vnum ipsorum moueatur, quapropter ex eo quod ipsæ Stellæ fixæ moueri, vel tremere videntur, non oportet hoc de ipsis asserere, sufficit namque tremor visus. Non igitur astra proprio motu volutationis agitantur.

Planetę cur non scintillant.

Tex. 49. At verò quod non voluantur motu vertiginis, manifestum est. Quod enim sic voluitur, necesse est verti, hoc est partem anteriorem retro voluere, & è contra, sed hoc non efficiunt ipsa astra, ergo. Probatur minor, nam id quod vocatur facies Lunæ, videlicet illa pars in qua apparent maculæ, semper nobis patens est eodem modo (nunquam videlicet se vertendo) ergo idem eadem ratione de alijs asserendum est. Quare quoniam ea quidem quæ per se ipsa mouentur, rationabile est moueri proprijs motibus, (hoc est motibus correspondentibus propriæ figuræ, & naturæ), has verò Stellas non sic videmus moueri, palam est, quod non mouebuntur per seipsas.

Tex. 50. Præterea, si astra à seipsis mouerentur hic eorum motus esset progressiuus, (supposito videlicet, vt probatum est, quod non moueantur volutatione, vel vertigine, sed currant) at quæ sic mouentur, debent habere organa ad hunc motum apta, quæ astra non habent, cum sint figuræ rotundæ, ideo dicendum est ea per se non moueri; nam irrationabile est, nullum organum ipsis præbuisse naturam ad motum, quæ quidem natura nihil facit, vt contingit, seu à casu, sed determinatis modis, ac instrumentis; at similiter est irrationabile, ipsam naturam habuisse curam animalium, quibus omnia organa ad motum apta concessit, quæ autem tam pretiosa sunt corpora, despexisse. Sed videtur, tanquam ex industria, ab ipsis astris abstulisse omnia organa, per quæ eis per se ipsa progredi contingebat, quia scilicet per se apta moueri non sunt.

Tex. 51. Quapropter, & rationabiliter vtique videbitur, & totum cęlum sphæricum esse, & vnumquodque astrorum, ad eum etenim motum, qui fit ex eodem in idem, sicut est motus circularis, figura sphærica maximè vtilis est, sic enim vtique velocissimè mouebitur, & maximè occupabit eundem locum; ad eum autem motum, qui ante fit, hoc est ad motum progressiuum, qui incipit à dextris, per partem anteriorem, ipsa figura sphærica est ineptissima; nequaquã igitur talis figura conueniens est motiuis per seipsis prædicto motu progressiuo, quæ enim sic mouentur, diuersam habent figuram, & situm, vt patet in animalibus, sed sphærica figura nullam continet diuersitatem, nihil enim depressum habet neque eminens, aut rectilineum, sed plurimum differt à figura corporum, quæ progrediuntur.

Quoniam igitur oportet cælum quidem moueri eo motu, qui in ipso reperiri ex sua natura, & figura potest, alia autem astra non possint progredi per se ipsa, vt probatum est, rationabiliter vtique, vtrumque erit sphæricum: sic enim maximè ipsum cælum mouebitur, ipsa vero astra, in ipso quiescent, sed infixa cum illo mouebuntur.

Manifestum autem est ex his, quod dicere, fieri sonum, vel harmoniam ex motu prædictorum astrorum tanquam ex consonanter motis lepidè quidem, ac egregie ab ijs, qui dixerunt, dictum est, non tamen sic se se veritas habet. Videtur autem quibusdam necessarium esse fieri sonum, latis tantis corporibus, quoniam fit sonus, latis ijs corporibus, quæ apud nos sunt, quæ tamen non habent æquales moles, neque tali velocitate mouentur, qualis est velocitas lationis Solis & Lunæ, & aliorum; quare si in istis inferioribus causatur sonus ob motum duorum, vel plurium corporum se tangentium, pari, & fortiori ratione, astra, & cæli, sonum efficere debent. Amplius autem, motis tot multitudine astris, tantisque magnitudine, ac tanta latione, & tanta velocitate, non solum sonum efficere debent, sed impossibile videtur, quin immensum magnitudine sonum efficiant. Supponentes autem hæc, quæ diximus, atque lationes ipsorum habere quandam consonantiam, & regularitatem, non tantum simpliciter sonum ipsis conuenire prætendunt, sed harmoniacam etiam consonantiam, ex tali bene consonanti latione. Quoniam autem eis obijci poterat, irrationabile esse, nos hanc vocem non audire. Respondent causam esse, quia nobis statim genitis, etiam cælorum sonus adest, quare, quia non habet oppositum silentium, percipi non potes, opposita enim sentiuntur cum ordine ad opposita, vnde asserunt idem esse iudicium de sono, & silentio, & sic qui vnum non percipit, nec aliud. Quare sicut fabriferrarij propter consuetudinem soni malleorum videntur nihil soni sentire, ita nos propter similem à natiuitate consuetudinem, nihil cælestis soni audimus: hæc autem, vt diximus concinne, & musice dicuntur; impossibile est tamen hoc se habere modo. Tex. 52.

Non enim solum absurdum est dicere, nos nihil audire, quod soluere conantes, causam illam afferunt de consuetudine à natiuitate. Sed illud quoque absurdum erit dicere, videlicet, quod ista inferiora nihil patiantur à talibus ingentibus sonis, etiam sine sensu (hoc est etiam si tales sonos non audiant) excedentes enim soni non tantum in auditum agunt, sed destruunt etiam moles corporum inanimatorum, vt sonus tonitrui dissipat lapides, & validissima corpora; si ergo hoc facit sonus tonitrui, rationabile est, quod latis tot corporibus cælestibus, & sono pertranseunte per eam magnitudinem cęlestem quæ fertur, vel mouetur, necesse est multiplicem sonorum magnitudinem secundum multiplicitatem corporum peruenire huc, & ingens esse robur violentiæ ipsius, quod tamen audiremus, vel sentiremus, vel alio modo cognosceremus. Tex. 53.

Sed rationabiliter neque audimus, nec corpora videntur pati violenta vllam passionem, quia nullus fit sonitus. Simul autem ex istis causa horum, quæ diximus erit manifesta, videlicet non audiri sonos, nec corpora dissipari, quia non fiunt, & testimonium habemus dictorum à nobis sermonum, quod sint veri ex hoc quod omnes Mathematici conueniunt in quod Stellæ primi cæli sint fixæ, ideo non se percutiunt, nec sonum efficere possunt, cuius oppositum censebant Pythagorei. Quare id quod dubitatũ est, fecitq; Pythagoreos dicere, fieri consonãtiam, latis illis nobis erit indicium, quod res non ita se habeat. Quæcunque enim per se Tex. 54.

ipsa feruntur, ita quod vnum feratur contra aliud, at se mutuo percutiant, faciunt sonum, & plagam, vel percussionem, quæcunque vero infixa sunt in eo quod mouetur, aut sibi alio modo ligata, vel immota insunt, vt in naui partes, non est possibile sonare, sicut neque sonabit ipsa nauis si feratur à fluuio, non enim se ad inuicem percuterent, sed nauis quasi immota per se à fluuio ferretur.

Tex. 55. Quamuis eisdem rationibus quibus dictum est, astra efficere sonum, posset dici, absurdum esse, quod tantus malus, vel arbor nauis lata in ipsa naui non faciat sonum, aut rursus ipsa nauis mota à fluuio; quod si hoc dicere non possumus, neque de astris dicere licebit; arbor namque nauis non facit sonum cum ipsa, quia infixa cum ea mouetur, sic quoque astra cum cælo, & inter se, quod namque sic fertur infixum sonare nequit. Quod autem fertur in eo quod non fertur facit sonum, in eo autem quod fertur continuè cum illo, nec facit percussionem, impossibile est sonare.

Tex. 56. Quare hic dicendum est, quod si corpora horum astrorum ferrentur, siue diffusa per molem aeris circa vniuersum, siue per ignem, vt multi putauerunt, necessarium esset, vt facerent sonum ingentem magnitudine, hunc autem factum necesse esset huc peruenire, ac ista inferiora destruere. Quare, quoniam non videtur hoc accidere, neque vllum ipsorum fertur, aut motu animalium à seipso, vt supra declaratum est, neque violenter; sequitur quod sonum non efficiant, veluti prouidente natura circa id quod futurum erat, nam motu cælestium non se habente hoc modo, quo se habet (videlicet sine sono) nihil vtique eorum, quæ sunt circa hunc locum, vel mundum inferiorem esset similiter se habens, sed dissipatum, vel alio modo male ab ingenti sono affectum. Astra igitur sonum inter se efficere nequeunt, quia non se percutiunt, nec contra se mouentur, sed in cælo infixa feruntur. Orbes autem cælestes, etsi contra se inuicem ferantur, ac se tangant, tamen sonum non possunt efficere, quia sonus est qualitas nata percipi ab auditu, per species sensibiles, vel audibiles; istæ autem species ex eo quod non sunt totaliter spirituales, vel forte nullatenus, feruntur modo quodam extenso penetratiuo, & alteratiuo. Cum autem cæli sint impenetrabiles, & inalterabiles, etiam si se tangant, has species emittere non possunt, nec sonum causare; si autem quæratur, cur penetrantur cæli à lumine solis, & aliorum astrorum; respondetur, quod lumen est magis immateriale, quam sonus, ideo dispar est ratio. Cur autem vltimum cælum, scilicet Lunæ saltem cum igne quem tangit non sonat, ratio est, quia ignis rapitur ab ipso cælo, ideo fertur quasi infixus in illo. Hæc igitur est causa materialis, vel potius defectus sonationis cælorum; finalis autem est, ne vniuersum dissipetur. Quod igitur sphærica sint astra, & quod non moueantur per se ipsa, nec sonum efficiant, dictum est.

CAPVT III.

Cur quædam stellæ tardioris sint motus, quædam velocioris.

Tex. 57. De ordine autem ipsorum astrorum, quo quidem modo singula disponuntur, vt quædam sint priora (hoc est in cælo superiori) sicut sunt stellæ fixæ, quædam vero posteriora, (hoc est in alijs orbibus) sicut sunt planetæ, & quomodo spatijs se habent ad inuicem, (hoc est, quomodo distent inter se, maximè, fixæ) considerandum est ex ijs, quæ circa res astrologicas diximus; ibi enim sufficienter de hoc dictum est. Nunc vero de varia velocitate ipsorum agamus.

Accidit autem rationabiliter, quod motus vniuscuiusque orbis fiat secundum diuersum spatium, vel distantiam, quam habet à primo mobili, & hac de causa, alij quidem sint velociores, alij autem tardiores. Quoniam enim supponitur, motum extremum extremi cæli, seu primi mobilis, (quod dicitur extremum quo ad nos incipiendo enumerare ipsos cælos ab inferiori, videlicet luna) simplicem esse, vel vnum, & velocissimum; eos autem motus qui aliorum sunt orbium, & tardiores, & plures; nam vnumquodque cælum inferius suo motu naturali secundum proprium circulum, vel gyrum, contrafertur ipsi primo cælo, & ab ipso alio motu opposito etiam mouetur, vel rapitur, & sic omnes orbes inferiores habent plures motus, & non tantæ velocitates, quanta est primi mobilis. Vnde cælum propinquissimum primo in plurimo tẽpore necesse est pertransire suum proprium circulum secundum motum naturalem, quia maximè à motu ipsius primi mobilis retardatur, oppositè namque mo[...]ur contra se inuicem. Cælum autem maximè distans à primo in minimo (vel minori tempore quod possit assignari in motibus cælorum) mouebitur, quia minus impeditur ab ipso primo mobili, vel motu eius, nam cum maximè distet ab ipso, non ita efficaciter potest impetus illius sibi imprimi, & contra proprium motum rapi, & agitari, aliorum autem orbium similiter proportionaliter tardius, vel velocius mouentur, secundum approximationem, vel elongationẽ ab ipso primo; quare semper propinquius ipsi in maiori tempore mouebitur, longius autem distans in minori; propinquissimum enim, (vt diximus) maximè superatur à motu ipsius primi; quod autem omnium longissimè abest minus superatur propter distantiam, media autem secundum proportionem distantiæ, vt etiam ostendunt Mathematici; & sic motu proprio, orbes mouentur velocius, vel tardius, secundum varias distantias ad primum mobile; motu vero raptus, qui est ab ipso primo, omnes mouentur in viginti quatuor horis, vel circa. Tex. 58.

CAPVT IV.

De figura Astrorum.

Figuram autem vniuscuiusque astrorum maximè vtiq; quis rationabiliter existimabit sphæricam esse. Quod sic declarari potest. Quoniam enim ostensum est, quod neque naturaliter apta sunt per se ipsa moueri, (motu videlicet progressiuo, & ad modum animalium,) ideo conueniens est, quod non habeant figuram ad talem motum aptam, quia frustra eam haberent, cum ea non vtantur; natura autem nihil absque ratione, vel fine, nec frustra facit; palam est, quod eis talem figuram non præbuit, sed aliam ab ista valde diuersam, videlicet talem, quæ minimè sit conueniens eis, quæ per se motiua non sunt, sed bene conueniens sit immobilibus, motu progressiuo. Minime autem sic motiua est figura sphærica, propterea quod nullum habet organum ad motum progressiuum, Tex. 59.

quare

quare patet, quod ipsa astra sphærica vtique erunt secundum molem (hoc est secundum figuram quantitatis). Amplius autem similiter quidem omnia quo ad figuram se habere debent vt vnum eorum, cum omnia eodem modo moueantur, videlicet circulariter; vt probatum est; sed vnum eorum, nempè Luna manifeste sphærica cognoscitur per ea, quæ circa nostrum visum de ipsa apparent; videmus enim, quod ipsa crescit, & decrescit, plurimum quidem ex altera parte curua, ex altera concaua, aut vtrinque curua, semel autem bipartita, quibus omnibus modis sphærica semper videtur, ergo & alia astra similiter, & rursus id confirmari potest per Astrologicas rationes; obseruatum namque est, quod eclypsis solis fit per sectiones arcuales, ita vt ipsæ vmbræ, vel Eclypses, quæ à Luna causantur in Sole, circulos, ac figuram quandam Lunæ quo ad rotunditatem repræsentent; Rotunda est igitur Luna, aliter vmbram rotundam non efficeret, quare si vnum astrorum est tale, palam est quod alia vtique erunt sphærica.

C A P V T IV.

Proponuntur, ac soluuntur duæ pulchræ dubitationes de Astris, & motibus diuersis cælorum.

Tex.60. CVm duæ existant curiosæ dubitationes, de quibus meritò quilibet dubitare poterit, cum ex prædictis clarissimè sequantur, pro solutione id dicere tentandum erit, quod magis veneratione, quam temeritate iudicabitur dignum; atque istorum solutio à nobis tradenda; reputari debet non temeritas, sed potius promptitudo, & solertia quædam; ab ijs inquam saltem, qui propter Philosophiæ sitim ament in ijs magnis difficultatibus etiam paruas sufficientias, ac eis contenti sint, non inquirendo demonstrationes potissimas. Est igitur prima dubitatio. Cum multa sint huiusmodi corpora cælestia, non minus mirabile existit, propter quam causam non semper ea corpora, quæ plus distant à prima latione, vel primo mobili, mouentur pluribus motibus, imò corpora intermedia pluribus mouentur, quam ipsa; rationabile enim esse videtur, primo corpore vna latione lato, propinquissimum paucissimis moueri motibus (hoc est duobus, vno videlicet proprio, & altero ipsius primi) contiguum autem tribus nempè vno proprio, & alijs duobus superioribus corporibus, & sic procedendo per alia; nam sicut primum mobile suo motu rapit, ac mouet cælum sibi propinquum, ita hoc aliud sibi propinquum, rapere deberet, & illud aliud, & sic quo aliquod cælum est inferius pluribus deberet moueri motibus, videlicet, proprio, & omnibus alijs orbium superiorum. Nunc autem accidit contrarium, paucioribus enim Sol, & Luna mouentur motibus, quam nonnulla astrorum errantium, quamuis ipsa errantia astra (simul videlicet cum suis orbibus) longius à centro, & propinquius primo corpori sint, quam ipsa, hoc est quam Sol, & Luna. Quod autem prædicta astra sint propinquiora primo mobili, quam Sol, & Luna, manifestum factum est de quibusdam per visum; Lunam enim vidimus bipartitam (hoc est secundum medietatem) subintrasse ex astris illud quod est Martis (hoc est secundum suam medietatem, cooperuisse nobis stellam Martis) quæ quidem stella occultata quidem fuit secundum nigrum ipsius Lunæ, (seu ex ea parte qua apparet macula) exiuit autem secundum claram, & lucidam partem; ergo Luna est sub Marte, aliter ipsum ea nobis occultare non posset. Similiter de multis alijs astris dicunt Ægyptij, & Babilonij, qui dudum ea obseruauerunt per multos annos, à quibus etiam multam cognitionem, & fidem habemus de vnoquoque astrorum.

Tex.61. Secunda dubitatio, propter quam causam in prima quidem latione, seu primo mobili, sit tanta astrorum multitudo, vt totus ordo ipsorum videatur innumerabilis (Primũ mobile secundum Arist. primum mobile, & cælum stellatum antiquis illis temporibus, idem & vnum esse credebantur, nunc autem per varias, & longas obseruationes, duos alios cælos supra ipsum stellatum Astrologi cognouerunt esse, videlicet chrystallinum, & primum mobile, & sic stellatum non erit primum, sed tertium) in alijs autem orbibus, vnum seorsum singulare, duo autem, vel plura non videantur astra infixa in eadem latione, vel corpore cælesti mobili. De ijs igitur difficultatibus quærere quidem bene se habet, non tantum ad cognitionem istorum, sed etiam ad intelligentiam, quæ ad plura diffunditur; ex determinatione namque, vel cognitione istorum, mirabiles naturæ ordines, ac dispositiones cognouerimus, quamuis non exactè causas prædictarum dubitationum habeamur, sed paruas tantum (hoc est non adæquatas, & proximas) tanquam multum distemus ab ijs, quæ circa ipsa corpora cælestia, & astra accidunt; si tamen ex talibus contempletur (hoc est secundum propriam eorum naturam, ponendo videlicet quod sint animata, & perfectissima entia) nihil vtique videbitur irrationabile esse, id quod duabus dubitationibus, nunc dubitatur. Sed nos de ipsis, vt corporibus solum, vel vnitatibus, (more Pythagoreorum qui omnia in vnitatibus cõsistere asserebant, vel vnitates esse principia omniũ, cælum autem, & astra, partes, & principia vniuersi, etiã esse, quare, & vnitates,) quæ quidem ordinem aliquem inter se seruent, sed veluti essent omnino inanimata, cogitamus; cũ igitur modo non conuenienti naturæ ipsorum consideremus, mirum non est, si difficultates prædictæ, insolubiles videantur, principijs namq; non rectè traditis, nec conclusiones conuenĕtes erunt. Oportet igitur cogitare, & determinare de ipsis, ac si actione voluntaria, vel animali, ac vita participarent; sic enim nihil videbitur esse præter rationem id quod accidit; sed omnes actiones, ac motus eorum, esse propter determinatum finem, & ab ipsis intentum, & cognitum. Pro solutione igitur primæ dubitationis, supponendo, (vt dictum est) cælos esse animatos, sit notandum quod sequitur.

Tex.62. Videtur autem, id, quod est optimum in natura, sicut prima Intelligentia, cuius actio est sua substantia, habere omne bonum sine aliqua actione. Propinquissimum, aut sibi, vt alia Intelligentia, per paucam, aut vnam actionem, nempè per intelligere, aut velle; ea autem, quæ longissimè absunt à prima, sicut hæc inferiora per plures obtinere. Quod exemplo declaratur in humanis corporibus; aliud namq; sine aliquo exercitio bene se habet, hoc vero, si paruo vtatur exercitio, vt si modicum deambulauerit, alteri autem est opus, & lucta, & cursu, & pugna. Rursus autem, alteri corpori propter malam eius indispositionem, vel complessionem, nullum prodest exercitium, ita vt quantumlibet laboranti, non ei insint bonum, vel sanitas, sed aliud aliquid, nempè dispositio quædam, vel melioratio. Sic igitur rebus secundum diuersas earum virtutes, vel fines, variæ, ac plures, vel pauciores conueniunt actiones, vel motus.

Tex. 63. Quæ autem pluribus indigĕt actionibus ad suum finem consequendum difficilius operantur; est enim difficile, aut

multa, aut sæpe rectè agere, veluti multos tallos censes proijcere (hoc est multa puncta eiusdem numeri ludendo) sed vnum, aut duo facilè. Et rursus, quoniam hoc quidem opus est gratia efficiendi, vel consequendi hunc finem, hoc autem gratia alterius, & hoc alterius; si vnus finis, vno quidem, aut duobus operibus acquiritur, facilè est adipisci, quanto autem vtique per plura, difficilius. Sic igitur, quæ perfecta sunt, faciliuŝ, & per vnam, vel paucas operationes finem consequuntur, quæ vero imperfectiora, per plures, & difficilius. Hoc modo igitur philosophandum est de astris, & cælestibus corporibus, vnde actionem eorum oportet putare esse talem, qualis est animalium, & plantarum (hoc est ad varios fines ordinatas, per plures, vel pauciores actiones, ac motus secundum diuersam ipsorum cælestium corporum virtutem, sicut animalibus, ac plantis accidit.) Quarè actiones hominis plures sunt quam aliorum animalium, vel plantarum, non respectu vnius finis, quia sic esse debent pauciores, cum sit perfectior, sed quia multa bona potest adipisci, quare necesse est vt multa agat gratia aliorum, hoc est finium.

Deus est omnium finis.

Et autem quod optimum est in vniuerso, vt est Deus, nihil actione est opus; est enim ipse finis, & gratia cuius omnia sunt. Actio enim duo includit distincta, scilicet id gratia cuius fit, nempè finem, & ipsam operationem, quæ huius gratia fit.

Deus est sua actio.

Deus autem est idem cum sua actione, ideo propriè actio dici non debet. Aliorum autem animalium ab homine pauciores actiones sunt, quia non multa, vel tot bona intendunt, vt homo; plantarum autem parua quædam, ac vna fortassis est operatio, quia vnum tantum finem prætendunt, videlicet conseruationem. Est igitur ordo, quod entium quædam sunt perfecta, quædam imperfecta; perfecta si ad vnum finem tendant, cum imperfectis, cum paucioribus acquirent actionibus, si plures intendant fines, pluribus indigent actionibus, quæ actiones, & fines, propter imperfectionem ab imperfectis remouentur, vt patuit de homine, & alys animalibus; si sit perfectissimum sine actione; si imperfectissimum, quia vel nullum, vel parum bonum intendit, vnica etiam actione, vel parua, vel nulla, suum consequitur finem, sed ab alio recipit.

Tex. 64. *Sic igitur variæ sunt operationes rerum secundum finem, quem assequi volunt; aut enim vnum aliquod bonum est, quod vnaquæque res assequitur, vt homo qui vnum præcipuum assequi intendit, nempè felicitatem (& si multa alia bona non primaria intendat, vt in præcedenti textu dictum est,) aut si multa intendantur, sunt omnia præuia, ac dispositiua ad ipsum præcipuum bonum, vt ad propositum de homine, qui quidem plura intendit, sed ad felicitatem ordinata. Vnde secundum nobiliorem finem intentum, sic quoque appropinquare videntur ad perfectissimum ens. Hoc igitur ens habet quid optimi, & particeps est eius, illud autem peruenit ad optimum per paucas operationes, aliud vero per multas, aliud autem nec acquirit quidem, sed ei satis est, peruenire ad id, quod est prope vltimum, & hoc erit verum loquendo de bono in communi, & proportionaliter secundum naturam vniuscuiusque, vt si intendatur, vel fælicitas, vel conseruatio, vel sanitas &c. at de omnibus prædictis modis exemplificemus in sanitate. Sit igitur sanitas finis adipiscendus à diuersis hominibus, tunc manifestum est, alium quidem semper sanum esse, & assimilatur habenti finem sine actione, quod est perfectissimum; alius vero fit sanus cum attenuatus fuerit, & hic assimilatur perfecto, quod vna actione, & faciliter finem consequitur, alter autem cum cucurrit, & attenuatus est, & hic assimilatur imperfecto, quod pluribus indiget actionibus ad eundem finem consequendum, alter autem sanitatem acquirit, quopiam alio facto ad sanitatem disponente; quare plures sunt motus ad eundem finem, & hic magis imperfecto assimilatur.*

Alter autem non potest ad sanitatem peruenire, sed ad hoc solum, vt currat, aut attenuetur, & hic assimilatur imperfectissimo eorum, quæ sunt eiusdem generis, seu ad vnum finem tendentium, omnium autem horum finis ab ipsis intentus diuersus est, & aliud ab ipsis; ad differentiam finis primi entis, qui non est ab ipso diuersus. Tex. 65.

Maximè autem in omnibus prædictis ad eundem finem tendentibus id optimum est, quod statim illum sortitur finem. Si autem non semper nec statim sortiatur, id erit melius, quod propinquius fuerit optimo (hoc est, quod per pauciora finem attingit.) Quare, quæ imperfectissima sunt, quia nullum, vel debilem finem intendunt, actione carent, vel parua pollent, & ob hoc terra, quæ imperfectissima inter naturalia corpora existit, omnino quidem non mouetur; propinquissima vero ipsi, nempè aqua paucis motibus; non enim oeueniunt ad ipsum vltimum per motum acquisibile bonum, sed illud acquirunt quod possunt. Modo ad propositum de cælis ad dubitationem respondetur, ideo varios habere motus, quia finem facilius, vel difficilius consequi possunt; non quod in ipsis sit fatigatio, vel labor, sed quia adsunt vnius virtutes plures, vel pauciores. Cælum igitur primum acquirit suum finem vno motu veloci, ideo vnico mouetur; quæ autem cælestia corpora sunt inter primum, & vltimum, perueniunt quidem ad finem, sed per plures motus, eo quod non sunt, ita perfecta sicut primum, & sic pluribus mouentur; quare secundum varias eorum virtutes, quibus finem consequi possunt, varios habent motus; est autem finis ipsorum, bonum, ac conseruatio vniuersi. Quod vero adducebatur in principio huius dubitationis, nempè, quod motus cælorum debent multiplicari, prout magis sunt inferiores, ita quod inferius ab omnibus superioribus moueatur, sicut cælum Saturni à primo mobile, &c. facilè soluitur; quia non oportet, vt alij cæli à primo mobili sint tantæ virtutis, & impetus, vt secum alios trahant, sicut facit ipsum primum mobile; tantummodo igitur ob diuersam virtutem, & perfectionem, ac vt etiam diuersos fines obtineant, plures, vel pauciores habent motus, fortè etenim verum non est omnium vnum, ac eundem esse finem; Sol namq; facit generationes, & corruptiones, quæ à primo mobili non fiunt, & sic de alijs discurri potest. Tex. 66.

CAPVT VI.

Soluitur secunda dubitatio.

DE dubitatione autem, quod in primo quidem mobili, seu cælo stellato, quod vnum est, sit magna astrorum multitudo, aliorum autem singulatim vnumquodque vnum tantum habeat, & si singulum habeat proprium motum, vt ipsum primum mobile, nunc dicendum est. Tex. 67.

Ob vnã quidem vtiq; causam quis rationabiliter putabit id esse. Intelligere n. oportet, primũ ipsum mobile excedere multũ alia cælestia corpora in ratione principij vitæ vniuscuiusq; ita quod vita, & esse rerum magis ab ipso, quã ab alio corpore inferiori etiam cælesti dependeant, & hac de causa plura debet habere astra, quæ varias habent influentias ad diuersitatem rerum, ac vitam conuenientes. Tex. 68.

Erit

Tex.69. *Erit autem vtique hęc alia accidentalis, seu probabilis, sed rationabilis causa. Prima enim latio primi corporis vna existens multa mouet corpora diuinorum astrorum; multæ autem lationes aliorum orbium, vnū solum astrum vnaquæque latio (simul cum alijs vnius videlicet corporis) mouet. Vnumquodque enim errantium astrorum, pluribus fertur lationibus (dicuntur astra errantia, planetæ, vt Sol, Luna, Mercurius &c. quia nunquam inter se seruant eundem situm, ad differentiam Stellarum fixarum, quę cùm sint tantum in vno orbe semper eundem situm retinent, & sic fixæ dicuntur.) Sic igitur natura exæquat, et ordinem quendam facit, vni quidem motui, multa tribuendo corpora, vni vero corpori, vel astro multas lationes.*

Tex. 70. *Et insuper ob hoc vnum habent corpus, vel astrum alia sphæra à prima, quia eæ Stellæ, quæ sunt ante vltimam sphæram Stellarum errantium, hoc est Stellæ primi mobilis, vel cæli stellati, multa corpora mouent, videlicet omnes eas sphæras, quæ vnum astrum habēt, seu omnes sphæras inferiores. Vltima namque sphæra, fertur innexa, & coniuncta in omnibus alijs inferioribus, quarum vnaquaque corpus est (hoc est rapitalias inferiores sphæras suo motu, & sic tali motu cum illis mouetur.) Illius igitur suprema sphæra erit commune opus omnes alias mouere, harum autem inferiorum est vnaquæque propria naturalis latio.*

Tex. 71. *Hæc autem suprema sphæra velut adiacet, seu copulatur alteri, vt eas moueat communi motu, quare cum omnis corporis finiti sit quoque potentia finita ad finitum opus ordinata, si aliæ phæræ plura haberent astra, excederent virtutem motricem finitam, & determinatam supremæ sphæræ, ac per consequens eas mouere non posset, quod absurdum est, cùm opus ipsius sit alias mouere. Sed de astris quidem circulariter motis, ac qualia sint secundum substantiam, & figuram, & de latione, & ordine ipsorum dictum est.*

SVMMA QVARTA.

De Terra.

CAPVT I.

De loco Terræ. Opiniones Antiquorum.

Tex.72. *Reliquum autem est de Terra dicere, & vbi posita sit, & vtrum de ijs sit, quę quiescunt, an ex ijs, quę mouentur, & de figura ipsius. De positione vel loco, in quo ipsa sit, non omnes eandem habent opinionem. Sed multi, qui dicunt secundum veritatem cęlum esse finitum, hi Terram in medio vniuersi iacere affirmant. E contra qui circa Italiam incolunt, vocanturque Pythagorei, in medio enim ignem esse dicunt, Terram autem existentem velut vnum astrorum, circulariter latam circa medium, noctem, & diem facere, quę positio sic forte intelligi potest, quod Terra ad modum astri sit cęlo infixa, & cum ipso cęlo moueatur circulariter circa medium Mundi, & respiciatur, ac illuminetur à Sole, modo ex vna, modo ex alia parte, & sic ex ea parte qua illuminatur efficiat diem, ex altera noctem. Amplius autem dicunt aliam esse quoque Terram huic nostræ oppositam, veluti aliud astrum, similiter cęlo infixum, quam Antichtona nomine vocant, quod fortè dicebant ob varias eclipses Solis, & Lunæ, quas à varietate vmbræ euenire putabant, ideo cum discrimen sit inter vtramque eclipsim, diuersas causas constituebant, nempe pluralitatem Terræ, ita quod vmbra vnius efficiat eclipsim Solis, altera verò Lunæ, cuius opinionis non quærunt causas & rationes, secundum ea, quæ apparent, ita vt rationes ipsæ conformentur sensibili veritati, sed potius ea, quæ sensui apparent, nituntur trahere, ad suas opiniones, & rationes; quod quia durum, ac incredibile videtur, tentant adornare quibusdam apparentibus veritatibus.*

Multis alijs quoque videtur, non oportere terræ assignare locum medij; cuius positionis non accipiunt fidem ex ijs, quæ manifestè apparent, sed potius ex rationibus in vniuersali à rebus sensibilibus abstractis, honorabilissimo enim corpori, honorabilissimum locum conuenire putant, ignem autem esse nobiliorem Terra, ergo ipsi, & non Terræ conuenit locus medij, quem nobiliorem inter omnia loca elementorum esse affirmant; & sic terminum corporis nobilioris esse in loco medio; duo namque termini ab ipsis assignantur nempe medium, & extremum vniuersi, in quorum vno nobilius corpus esse dicunt, nempe in medio, quod concauum orbis Lunæ statuunt, ac esse nobilius, atque & ignis locum; quare ex his ratiocinantes, ipsam Terram non putant in medio sphæra vniuersi iacere, sed magis ignem. Amplius autem Pythagorei quidem hanc quoque positionem tali argumento confirmant. Quod maximè inter elementa conuenit seruari, id in nobilissimo loco, qui est maximè conseruatiuus esse debet, sed ignis maximè debet seruari, cum sit omnium elementorum nobilissimus, ergo debet esse in nobilissimo loco, qui est medium ipsius Vniuersi, & appellatur ab ipsis carcer Iouis. Tex. 73.

Sed isti æquiuocant de medio, ac medium magnitudinis cum medio simpliciter, vel à natura intento confundunt, tanquam vnum, & idem sint, quod tamen falsum est; nam sicut in animalibus non est idem medium magnitudinis, & medium naturæ animalis (hoc est à quo omnes virtutes oriuntur, quod medium virtutis dici potest) sic existimandum magis est circa vniuersum, ita vt ipsum centrum, quod est vniuersi medium magnitudinis non debet propter hoc poni medium virtutis, & nobilitatis, nec in ipso poni ignis, qui est nobilissimus aliorum elementorum, sed ei medium virtutis est assignandum. Propter hanc igitur causam, nihil eos oportet turbari circa vniuersum, nec adducere carcerem Iouis, vel locum ignis ad centrum, sed illud quærere medium ipsi, quale quid est sibi conueniens, & vbi naturaliter ipsum elementum ignis natum est esse, natura etenim secundum nobilitatem corporum etiam loca designat; nihil namque sine ordine, & proportione efficit; ignis igitur non est in medio magnitudinis, seu centro, sed in extremo, quod medium virtutis dici potest, quare hoc medium principium est, & honorabile. Loci autem medium magnitudinis assimilatur extremo magis, quam principio. Quod enim determinatum est, medium magnitudinis est, quod verò determinat finis est; honorabilius autem est continens, & finis, quam finitum, hoc enim vt materia est, quia determinatur sicut ipsa, illud autem vt substantia, seu forma constitutionis, vel generationis, at sicut forma est nobilior materia, & principium magis sic locus ignis respectu loci Terræ, quare Terra ab ipso potius continetur, & principia influendi ab ipso quoque sunt. Tex.74.

Xx 3 CA-

CAPVT II.

Opiniones Antiquorum de causa motus, & quietis terræ,

Tex 75. *DE loco igitur terræ hanc habent quidem opinionem, quam diximus ipsi Antiqui Philosophi. Similiter autem de quiete & motu ipsius secundum ipsorum opiniones determinemus. Non enim omnes eodem modo existimant, sed quicunque quidem aiunt, ipsam non in medio, vel centro iacere, dicunt eam moueri circulariter circa medium, non solum autem hanc, sed antichtonam, quemadmodum diximus prius. Quibusdam autem videtur & plura corpora talia, hoc est plures terras, posse ferri circa medium, vel centrum, nobis immanifestas propter obiectum huius nostræ terræ. Quapropter & Lunæ eclipses plures quam Solis fieri inquiunt; eorum enim corporum terrestrium, quæ circa hoc centrum feruntur, vnumquodque occultare ipsam Lunam, sed non solum hanc terram. At quia posset obijci, si hæc terra est in medio, circa quam aliæ mouentur, nos vero non propriè simus in centro, sed in circumferentia ipsius, ac à centro distantes, sequitur quod non æquales semicirculos astrorum videamus, nam distantia à centro ad circumferentiam, facit differentiam in respiciendo astra, quod intelligi debet dum ipsa astra apparent super Orizontem. Respondent (& verum in hoc dicunt) quod l cet ipsa terra non sit centrum, (nam centrum propriè dictum est punctum indiuisibile) sed distat à centro per totum hemisphærium, nihil tamen prohibet, vt quæ astra apparent videantur nobis, sicut si essemus in centro, nihil enim insigne hæc distantia è centro ad circumferentiam, quæ est per dimidium diametri terræ efficere potest, quoad tales apparentias, quia ipsa terra respectu magnitudinis cæli, est quasi insensibilis molis. Quidam autem, & iacentem in centro, dicunt ipsam volui, & moueri circa immobilem Polum, quæ opinio fuit Platonis in Timæo,*

CAPVT III.

Antiquorum sermo de figura Terræ.

Tex.76. *SImiliter autem de figura ipsius Terræ est discrepantia inter Antiquos. Alijs enim terra esse videtur sphærica; alijs vero lata, & similis figura tympano, ita vt sit ex vna parte rotunda, ex alijs plana. Quod autem sit plana ex partibus præcipuè quibus habitatur, faciunt hoc indicium; Sol Oriens, & Occidens videtur secari ab ipsa terra per lineam rectam in dimidium, & non per circularem, ergo ipsa terra plana est, & non sphærica, quia si sphærica esset, secaret ipsum Solem, per lineam circularem, vt patet experientia, si duo nummi, vel aliæ res circulares approximentur, ita vt se tangant per circulares dimidias lineas se secabunt; cum igitur per rectam secetur, ipsa terra erit plana. Sed isti decipiuntur, & non attendunt distantiam Solis à terra, & magnitudinem circumferentiæ ipsius terræ, & quomodo etiam in ijs, quæ apparent parui circuli, à longe videntur recti. Propter hanc igitur apparentiam, nihil ipsos oportet credere molem terræ non esse rotundam. Sed adhuc addunt, atque dicunt, necessarium esse, ipsam habere hanc figuram planam propter quietem; est etenim maximè hæc figura quieti conueniens, etenim de motu, & quiete ipsius multi sunt modi superius dicti, ideo secundum diuersas positiones, varias rationes adducunt, de quibus adhuc differemus.*

CAPVT IV.

Antiquorum dicta de causa quietis Terræ.

NEcessarium est, quod omnibus contingat dubitare de quiete Terræ. Forsitan enim mentis fuerit irrationalis, qui non admiratur, quonam modo, parua quidem particula Terræ si eleuata in aere, dimittatur feratur deorsum, atque in aere manere non valet, & maior Terra si eodem modo eleuetur, & dimittatur, velocius deorsum fertur, si quis vero eleuauerit (quod mente sufficit vt fiat) ac dimiserit totam Terram non feratur deorsum; qui sic inquam dixerit, videlicet, quod tota Terra eleuata in aere, & dimissa non descendat deorsum, est mentis irrationabilis, cum in qualibet ipsius parte Terræ id cernatur. Si igitur mirabile, ac irrationabile videtur, quod Terra maneat in aere, mirabile quoque erit, ac digna dubitatio, quomodo tanta grauitas Terræ nunc quoque quiescat, cùm etiam in aere, vel in aqua quiescere videatur. Præterea latis particulis ipsius Terræ in aerem, si quis antequam cadant super Terra, subtrahat Terram ipsam, ferentur deorsum, nullo resistente, ergo cum toti moli Terræ non est, quod resistat, cur etiam non descendit? vel cur quiescit? Tex.77.

Hæ igitur dubitationes de quiete Terræ fieri possunt, quæ ad veritatem de ipsa speculandum inducunt; dubitare enim fuit omnibus causa, vt philosopharentur. De solutionibus autem huius dubitationis aliquis etiam mirabitur, quod non habeantur absurdiores ipsa dubitatione (vocatur absurda dubitatio, quia oritur ex ignorantia Philosophiæ, particulæ namque non quiescunt in aere, quia non sunt in proprio loco, non sic tota Terra, ideò sic dubitans rationes proprij loci naturalis corporis ignorat.) Dicunt namque aliqui, ipsam Terram ex parte inferiori esse infinitam, ac in infinitum radicatam, & sic esse immobilem, ac omnem laborem quærendi causam de quiete ipsius, auferunt; huius autem opinionis fuit Xenophanes Colophonius. Quapropter Empedocles sic eum increpauit, dicens. Forte magnitudo Terræ, ac largior Æther, vel Cælum, aut ignis non sunt manifesta, vt indigeamus ad fictiones recurrere, & hac de causa, à multorum lingua, multa frustra dicta fuerunt effusa ex ore hominum, de toto vniuerso pauca cognoscentium. Alij autem, ipsam Terram in aquam iacere dixerunt, hunc enim antiquissimum accepimus sermonem, quem aiunt dixisse Thalem Milesium, tanquam ex eo maneat in aqua, quia natet super ipsam, quemadmodum lignum, vel aliquid tale aliud; etenim horum super aerem quidem nihil naturaliter aptum est manere, sed super aquam. Quod tamen de Terra falsum est. Tex.78. Dubitatio est causa philosophandi.

Eadem namq; est ratio de terra, & aqua vehente Terram, videlicet quomodo aqua in aere maneat, neque enim ipsa aqua nata est manere subleuata, sed super aliquid est, vel erit eadem difficultas, cur sic maneat, vel à quo substentetur. Amplius autem, quemadmodum aer est leuior aqua, sic aqua est leuior terra, cum autem leuius Tex. 79.

non

non sub, sed supra graue natum sit esse, quonam modo possibile est, id quod leuius est, deorsum magis iacere eo, quod est naturaliter grauius? impossibile est igitur terram iacere super aquam, cum sit grauior ipsa. Præterea; si tota terra nata est manere super aquam, manifestum est quod vnaquæque particularum ipsius idem faciet, nam idem est locus totius, & partis, nunc autem non videtur hoc fieri, sed qualibet particula fertur, in fundum, & maior pars velocius fertur, ergo tota terra velocissime ad fundum ferretur, & non maneret.

Tex.80. *Verum isti videntur quærere causam dubitationis vsq; ad aliquid, (hoc est vsque quo contradictiones sibi apparentes soluant, vel aliquo modo licet superficiali, & sibi alijs mentem quietare videantur,) non autem quærunt quousque in veritate possibile sit dubitari. Omnibus namque nobis hoc consuetum est, non ad rem, seu ad veritatẽ, & naturam rei inueniendam quæstionem facere, sed ad contraria dicentem, (hoc est, quousque contrariorum sermones dissoluamus.) Vnusquisque igitur istorum ipse in se ipso quærit, quo vsque, non habeat ipse sibi ipsi, vel aduersarius contradicere, parum curando de veritate rei, & sic deficiunt. Quapropter bene quæsiturum oportet esse idoneum, ad faciendum instantias proprias in genere, (seu secundum naturam rei, de qua sit quæstio) quod fit, si omnes ipsius rei differentiæ considerentur, & non ad respondendum tantum dicenti.*

Tex.81. *Anaximenes autem, & Anaxagoras, & Democritus dicunt, causam manendi ipsam terram esse latitudinem ipsam, non enim eam diuidere aerem qui subtus est credunt, sed eum obturare: quod videntur facere corpora, quæ latitudinem habent, hæc enim contra ventos cum difficultate mobilia sunt, propter reluctantiam, & latitudinem. Hoc igitur ipsum facere (aiunt) terram ad suppositum aerem. Aerem vero non moueri, quia non habet locum sufficientem quo transferatur, quemadmodum aqua in clepsydris, quæ quia non habet locum (eo quod impeditur ab aere, ne detur vacuum) manet. Quod autem comprehensus, vel restrictus aer manens multam grauitatem ferre possit, multa indicia esse dicunt, quod maximè manifestum est in vtribus. Si igitur terra non esset lata, non vtique propter hanc causam quiesceret, sed quia secundum ipsos lata est, ideo quiescit.*

Tex.82. *At istorum ratio est insufficiens, nam etiam ex ijs, quæ dicunt sequitur quod non latitudo sit causa quietis, sed potius magnitudo, aer namque etiam secundum ipsos manet, propterea quod coarctatur à magnitudine terræ, ita quod non habet transitum, vel quò vadat, multus autem est aer, propterea quod à magnitudine multa terra comprehenditur. Quare similiter si coarctaretur, quiesceret, ac terra comprimenti resisteret, etiam si ipsa terra sphærica esset, & tanta secundum magnitudinem, quanta est, quare etiam secundum illorum rationem maneat ad huc sphærica.*

Tex.83. Omnino autem est dubitatio contra eos, qui de motu, vel quiete totius terræ loquuntur, non de partibus tantum, nam causa quietis partium est manifesta, nempè impedimentum totius terræ, quæ partes descendere, vel alio moueri non permittit. Pro solutione igitur à principio, & in vniuersali determinandum est, vtrum corporibus conueniat naturaliter aliquis motus, an nullus, & vtrum eis non conueniat motus naturalis, sed violentus. Quoniam autem de ijs determinata sunt prius in primo de cælo, quæcunque determinanda erant, secundum eam facultatem, quæ nobis aderat, modo eis vtendum est, vt existentibus claris, & veris; determinauimus namque; omne corpus naturale habere naturalem motum, ac violentum esse posteriorem naturali, ita vt si nullus naturalis sit motus ipsorum corporum, neque violentus erit; remoto namque priori, & posterius remoueri necesse est. Si autem non erit motus neque naturalis, neque violentus, nihil omnino mouebitur, quare cum hoc sit absurdum, (omnia enim corpora naturalia sunt mobilia) sequitur, eam habere motum, & maximè naturalem, qui est prior violento, & quod sic necessarium sit accidere determinatum est prius in præcitato loco.

Et insuper, nisi daretur motus in corporibus neq; quiescere contingeret, quies enim in ordine ad motum dicitur, & sicut datur motus, aut naturalis, aut violentus, sic quies. At vero si est motus aliquis secundum naturam, non vtique erit solum motus violentus, nec solum violenta quies, nam quo aliquid naturaliter mouetur, ibi naturaliter quiescit, & quo mouetur violenter, similiter quiescit violenter; ex quibus suppositis inferre intendimus, quod si aliquis naturalis motus conueniat terræ existenti extra proprium locum, ei quoq; naturalis conueniat quies, vnde quæstio tandem soluatur, quod in progressum fiet, vt autem ordo, & propositum pateat; & ne iuuenum mens confundatur, hæc duo verba hic apponere volui. Tex.84.

Quare si violenter nunc terra quiescit, vt quidam dicunt, asserentes ipsam venisse ad medium expulsam propter vertiginem cæli, & aeris, ac in ipso medio violenter manere, eo modo quo accidit omnibus grauibus, quæ circa aquam, vel aerem feruntur; ea enim si in gyrum agitentur ad medium propter talem versionem aquæ, vel aeris reducuntur. Quapropter, & terram, omnes quotquot cælum genitum esse dicunt ad medium hac de causa conuenisse credunt, & ibi violenter quiescere, & quærunt causam, de quiete hac. Si (inquam) violenter nunc terra quiescit, oportet ei, ex suppositis, assignare locum vbi quiescat naturaliter, & ad quem moueatur, quod cum impossibile sit efficere, habebimus intentum, quod naturaliter quiescat, & cur. Nunc autem causam quietis ipsius secundum eorum positiones assignemus. Dicunt igitur quidam hoc modo, quod latitudo, & magnitudo ipsius causa est talis quietis. Alij autem, quemadmodum Empedocles dicunt, lationem cæli circulariter circumcurrentem, & velocius latam, prohibere motum terræ, ac eam in medio violenter detinere, quemadmodum aqua, quæ in cyathis est, etenim hæc circulariter cyatho lato, cum plerunque sub aere ipso existat, non tamen fertur deorsum, & si nata sit deorsum ferri propter eandem causam, motus videlicet circularis, & velocis. Tex.85.

Ac vero nisi à tali vertigine prohibeatur moueri neque à magnitudine, aut latitudine ipsius, vt re vera non prohibetur vt probabimus, sed prohibeatur tantum ab aere qui subtus est, (quod etiam statim videbimus esse falsum) quonam inquam (istis impedimentis remotis) feretur? nam si mouetur (vt dicunt) violenter ad medium, & in ipso violenter manebit; ergo necesse est ei aliquem alium motum, ac quietem naturalem conuenire. Hæc igitur naturalis quies illius vtrum sursum, an deorsum, an vbi est? esse enim quandam est necessarium, vt sæpe suppositum, ac declaratum est. Si autem dicatur, quod nihilo magis apta est moueri, ac quiescere deorsum quam sursum, contra. Quia sicut aer qui sursum est; non prohibet lationem eius sursum, vt ipsi quoque confitentur, (totum namque impedimentum ne moueatur, tribuunt aeri deorsum existenti compresso à magnitudine, vel latitudine terræ) Tex.86.

terræ) neque vtique aer, qui sub terra est probibebit eam lationem, quæ deorsum est. Easdem enim causas eorundem, necesse est eisdem esse, cum aer sub, & supra terram existens sit eiusdem rationis. Accipitur hic sub, & supra, pro circa, vel secundum nostram considerationem, nam secundum veritatem, aer tam in nostro, quam in alio hemisphærio est supra terram, & circa, prout eam circundat.

Tex.87. *Amplius autem ad Empedoclem illud etiam quispiam dixerit. Quando elementa stabant separata per litem (vt ipse dicit,) quæ erat causa quietis ipsi terræ? non enim tunc vertiginem causam esse dicet. Præterea, absurdum est, non intelligere, quod prius quidem propter vertiginem ferebantur partes terræ ad medium, nunc autem propter quam causam omnia habentia grauitatem ad ipsam terram feruntur, non enim propter vertiginem, quia vertigo ad nos non appropinquat, cognosceretur namque; si ergo hac de causa, modo grauia ad medium non feruntur, neque tunc ferebantur; sunt etenim eiusdem rationis, quapropter absurdum est intelligere, quod tunc vertigine ferrentur, nunc vero nequaquam.*

Tex.88. *Præterea, propter quam causam & ignis sursum, fertur? non enim propter vertiginem; hæc namque est causa (etiam secundum ipsos) tantum motus deorsum, ergo non sursum, quia diuersorum, diuersæ sunt causæ, non igitur ignis sursum vertigine fertur, sed quia natus est illuc ferri. Si autem hic ferri aliquò natus est, manifestum est, terram etiam aliquò natam esse ferri, & similiter quiescere.*

Tex.89. *At vero graue, & leue non sunt talia, vel sic determinatæ naturæ, & inclinationis propter vertiginem, sed seclusa quacunque vertigine, prius intelliguntur grauia, & leuia esse in se talis naturæ, vt graue sit aptum moueri ad medium, leue vero supereminere, seu aptum est moueri sursum, vel à medio; quare cum hæc sit natura ipsorum, sic mouebuntur, & non vertigine. Antequam igitur circa ipsa fieret vertigo, hoc quidem graue, illud vero leue existebat. At de ipsis grauibus, & leuibus videndum est quanam inclinatione determinata sunt, & quo pacto sunt apta naturaliter ferri, aut quò. Infinito enim existente vniuerso, impossibile est esse sursum, & deorsum, determinata autem sunt his, graue, & leue, nam graue deorsum, leue sursum natum est ferri. Cùm autem nec infinitum sit vniuersum nec graue, & leue sint indifferenter, vt ad quemcunque locum moueantur, sed graue deorsum, leue sursum; sequitur quod ipsa terra deorsum naturaliter moueatur, cum sit grauis, & ibi naturaliter quiescat.*

C A P V T V.

Terram non moueri, probatur.

Tex.90. *Plurimi igitur circa causas has de quiete terræ immorantur. Sunt enim quidam qui dicunt eam manere in medio propter similitudinem, (hoc est propter similem, & æqualem distantiam ipsius à cęlo) quæ fuit Antiquorum opinio, & præcipuè Anaximandri; quod enim (dicebant) in medio collocatum est, & similiter ad extrema se habet, nihil magis sursum, quam deorsum, aut ad latera ferri, conuenit; quia qua ratione ad vnam partem moueretur, & ad aliam; nec ad omnes simul moueri potest, cum sint contrariæ, & impossibile est motum ad contraria fieri; cùm ergo terra sit in medio, & æqualiter distet à cęlo, ex necessitate manet.*

Hoc autem lepidè quidem, non verè tamen dicitur; secundum enim hanc rationem, necessarium esset omne quod ponitur in medio manere; quare & ignis in medio quiesceret: quod enim dictum est, non est proprium ex natura terræ, sed ex æquali distantia à cęlo, vel mansione in medio, & sic si ignis illic poneretur, quiesceret. Tex.91.

At vero non est neceßarium hoc peculiariter de terra, nec de alijs; videmus enim non solum ipsam manere in medio, sed ferri ad medium, quo enim quęuis particula ipsius fertur, eo totam etiam ferri est neceßarium, (si supple extra locum tota existeret,) idem enim est locus totius, & partis; & sic cum qualibet pars terræ naturaliter feratur deorsum, & ibi quiescat, etiam tota terra sic feretur & quiescet, non autem propter æqualem distantiam ad extrema, hoc enim commune omnibus est, ferri autem ad medium, proprium est terræ. Tex.92.

Absurdum autem est hoc quidem quærere (videlicet, cur nam terra maneat in medio) non quærere autem, cur ignis maneat in extremo; nam si illi, scilicet igni, locus extremus est locus naturalis, manifestum est, quod necessarium est, esse quendam locum naturalem terræ; non est enim maior ratio de vno, quam de alio; sunt enim ambo elementa, ac corpora naturalia, & mobilia. Si autem huic terræ non est locus hoc medium, sed manet propter necessitatem similitudinis distantiæ à cęlo, quærendum similiter est ab ipsis qui hoc dicunt, de quiete ignis in extremis, cur scilicet quiescat in concauo orbis Lunæ (dicitur quiescere, quiete opposita motui recto, circulariter namq; mouetur ad motum cęli rapientis eum.) Sermo autem de terra (quod scilicet quiescat, ob æqualem distantiam à cęlo) confirmatur à sic opinantibus per quædam exempla; dicunt enim, quod sic si esset capillus validus, vel fortis, & æqualiter vndique extensus, ac æqualiter fortis, si violenter à duobus extremis æqua vi traheretur, non rumperetur, quia ex eo quod vndique sit æquè fortis, non est ratio, cur ab vna parte potius quam ab altera rumpatur. Similiter si quis æqualiter esuriat, & sitiat, ac æqualiter distet à cibo, & potu, nec voluntariè agat, necessariò quiescet, quia non est magis causa impellens ad bibendum, quam ad edendum; sic terra (vt dictum est) propter æqualem distantiam, non habet quo moueatur; quod (vt vidimus) nihil valet, quia idem de igne dici posset. Mirabile autem est, de quiete quidem quærere, de motu vero ipsorum elementorum non quærere, propter quam inquam causam, hoc quidem sursum moueatur, vt ignis, hoc vero deorsum, vt terra, si nullum adsit impedimentum; par etenim est difficultas de quiete, & motu, cum ipsa elementa, non tantum in suis locis quiescere, sed etiam illuc moueri apta sint. Tex.93.

At verò neque verum est, quod dicitur, quod aliquod positum in medio non moueatur propter æqualem distantiam, tametsi secundum accidens tantum possit esse verum, & non ex natura, vel conditione talis distantiæ (erit secũdum accidens si ibi ab aliquo impediente detineatur.) Propter hanc ergo rationem æqualis distantiæ non manebit in medio, quod ibi aptum manere non est, sed ab ipso mouebitur diuisum circa omnia signa in gyrum. Tex.94.

Eadem enim congruet ratio in igne, videlicet, quod si ponatur in medio, quiescet sicut terra, similiter enim se habebit æquè distans à quocunque signorum cęlestium, vel loci sursum, sicut terra, vt iam diximus. Attamen feretur à medio ad extremum, nisi adsit impedimentum, quemadmodum nunc sursum ferri videtur; verum non totus mouebitur ad vnum signum, nam hoc modo accideret, quod Tex.95.

non

non moueretur, propter æqualem distantiam, cur enim magis ad vnum, quam ad aliud? sed proportionalis particula moueretur ad proportionalem partem extremi, seu loci ipsius: dico veluti quarta pars, ad quartam partem ipsius continentis, non autem diuideretur per indiuisibilia, vel puncta, ita quod puncta ipsius, ad puncta loci mouerentur, nec enim sic est diuisibilis, neque punctum est locus corporum. Vt igitur ex magno loco si condensetur potest venire, & recipi in paruo, sic ex paruo potest venire in maiorem si sit rarefactus. Quare si medium non esset locus naturalis terræ, ab ipso moueretur hoc modo, videlicet diuidendo se, & rarefaciendo, propter rationem similitudinis, quia videlicet similis est ratio quoad hoc de terra, & igne. Quæcunque igitur ab Antiquis existimata sunt de figura, loco, quiete, & motu ipsius Terræ, hæc ferè à nobis dicta sunt.

CAPVT VI.

De loco, & causa quietis terræ, secundum veritatem.

Tex.96. *Nos autem dicamus primum, vtrum ipsa terra habeat motum, an maneat. Nam vti diximus, alij quidem ipsam vnum astrorum esse, ac consequenter ad modum astri moueri dicunt. Alij autem eam in medio Mundi ponentes moueri circa medium Polum, (hoc est circa medium cęli) existimant, æqualiter enim à cęlo distat, & sic in medio eius est, ac in medio, vel circa eam moueri putant. Quod autem impossibile sit eam sic moueri, manifestum est, sumpto hoc principio, quod si mouetur, siue in medio existens, siue extra medium, necessarium est, ipsam violenter hoc motu moueri, non enim est motus naturalis ipsius terræ, etenim vnaquæque particularum ipsius hunc quoque motum haberet, quod experientiæ repugnat, nam omnes per lineam rectam mouentur ad medium; quapropter eum talis non sit motus naturalis terræ, erit violentus, sed neque hoc esse potest, quia nullus motus violentus est æternus, & tamen motus elementorum debet esse æternus propter ordinem Vniuersi, qui quidem ordo sempiternus est, & præcipuè in elementis, quæ ipsius Vniuersi sunt partes. Sed si dicatur, etiam ignis sempiterno motu mouetur in gyrum, qui non est ei motus naturalis, ergo nullum esset inconueniens, si terra non naturaliter, sed violenter sempiterno quoque motu moueretur. Respondetur, disparem esse rationem, quia ignis mouetur ad motum cęli, & sic motus ipsius ignis sequitur naturam vniuersalem, seu corporis nobilioris, & hoc modo non est violenter moueri, omnes namque alij cęli inferiores raptu primi mobilis æterno motu mouentur: terra autem non sic potest moueri, quia impetus cęlestium corporum ad eam nō peruenit, quare hic esset purus motus violentus, ac nullam, nec vniuersalem, nec particularem naturam respiciens, ideo sempiternus esse non posset.*

Tex. 97. *Præterea omnia quæ mouentur motu circulari sub primo mobili sub deficere videntur (hoc est videntur moueri motu diminuto, vel inæquali, quia motus eorum retardatur à motu primi mobilis, & sic pluribus mouentur, scilicet proprio, & motu primi mobilis, vnde motus proprius retardatur, & subdeficit) quare necesse erit, terram quoque, siue circa medium, siue in medio posita fuerit, si circulariter moueatur pluribus moueri motibus. Si autem hoc acciderit, necessarium esset fieri mutationes, ac conuersiones astrorum fixorum, (hoc est non semper eodem modo, ac ex eadem parte apparere, vel oriri, ac occidi deberent, supposito quod ipsa astra fixa vnico moueantur motu sui orbis, vel primi mobilis) hoc autem non videtur fieri; (quod scilicet varientur) sed semper eadem apud eadem loca ipsius primi mobilis, & oriuntur, & occidunt.*

Tex.98. *Præterea. Motus partium, ac ipsius totius terræ est naturaliter ad medium Vniuersi (ob hoc enim nunc posita in centro existit, quia illic est locus eius naturalis ad quem naturaliter mouetur, & non circa,) si ergo ad medium naturaliter mouetur, non mouebitur naturaliter circa, quia vnius corporis simplicis est vnus simplex motus naturalis.*

Tex.99. *Sed circa prædicta est dubitatio, cùm idem sit medium terræ, & Vniuersi, vtrum grauia quæ ad medium feruntur, moueantur ad ipsum prout est medium terræ, vel Vniuersi. Respondetur ad ipsum ferri, quia est medium Vniuersi, etenim leuia vt ignis, &c. quæ feruntur in contrarium terræ, & corporū grauium, feruntur ad extremum locum continentem medium, (hoc est ad extremam partem cęli versus nos) quare ista leuia ordinem Vniuersi respiciunt, (aliter possent quiescere circa superficiem terræ, cum de natura ipsorum sit ferri à medio, quod sufficeret vt à centro recederent, nisi locum, & ordinem Vniuersi intenderent) cum igitur ista extremum prout ab Vniuersi ordinem pertinet petant, pariter terra, & grauia ad medium prout est Vniuersi ferri debent.*

Tex.100. *Accidit autem, idem esse medium terræ, & Vniuersi; feruntur enim, & ad terræ medium, sed secundum accidens, quatenus ipsa terra habet medium in medio Vniuersi. Quod autem ipsa grauia ferantur ad terræ medium, signum est, quod lata pondera ad hanc terram non feruntur æquè distantia, sed ad similes angulos, (hoc est semper ex parte inferiori approximantur, ita vt tendant ad angulum) vnde si quis duo perpendicula multum distantia mitteret in terram valde profunde, semper appropinquarentur adinuicem; & hac ratione domus, putei, &c. sunt angustiora in fundamentis, quam in cacumine, & si insensibiliter; ad vnum igitur medium, nempe Vniuersi, & terræ ipsa grauia feruntur.*

Tex.101. *Manifestum est igitur, quod necesse est terram in medio esse, & immobilem, & propter dictas causas, & quia pondera, quæ sursum violenter feruntur ad perpendiculum, siue per lineam rectam, rursus feruntur, seu cadunt in idem punctum, ex quo proiecta fuerunt, etiam si in infinitum (vt ita loquar) vis illa proijciat, quod non accideret si ipsa terra mobilis esset; imò illa proiecta procul à signo, à quo proiecta fuerunt caderent, vt patet si quis manens in naui mota, proijciat sursum lapidem, non cadit supra nauem, vel signum à quo proiectus fuit etiam si perpendiculariter sit proiectus, sed procul. Quod igitur neque moueatur, neque extra medium iaceat, manifestum est ex prædictis.*

Tex.102. *Præterea, ex prædictis est etiam manifesta causa quietis ipsius terræ, si enim naturaliter nata est moueri vndique ad medium, quemadmodum videtur, vt ignis à medio ad extremum; impossibile est, quod quæcunque particula ipsius terræ mota à medio, non violenter mota sit; vnus enim motus naturalis vnius corporis est, & motus naturalis simplex, simplicis corporis naturalis, sed non contrarij motus, eidem naturaliter conueniunt, motus autem qui à medio fit, contrarius est ei, qui fit ad medium. Si igitur impossibile est, quod quæcunque pars ipsius moueatur*

ueatur à medio naturaliter, manifestum est, quod adhuc impossibilius est totam moueri; ad quod enim pars nata est moueri, & totum illuc quoque moueri natum est. Quare si impossibile est terram à medio moueri, nisi potiori virtute (hoc est violenter) necessarium vtique erit eam manere in ipso medio, à quo enim aliquid violenter mouetur, ibi naturaliter quiescit.

Attestantur his, quæ diximus, ea quæ à Mathematicis
Tex.103. dicta sunt circa Astrologicam; ea enim quæ apparent de astris translatis secundum diuersas figuras, quibus determinatus est astrorum ordo, accidere dicunt ex eo quod terra in medio posita est, ac quiescit. De loco igitur, & quiete, ac motu, quomodo se se habeat, tot dicta sint de ipsa.

CAPVT VII.

De figura Terræ.

Tex.104. Terra in suo loco grauitat.

IPsam autem terram, necesse est sphæricam habere figuram, probatur; nam vnaquæque particularum ipsius grauitat quo vsque ad centrum perueniat; & minor pars à maiori pulsa non potest intumescere, sed magis comprimi, & cedere altera alteri, donec veniat ad medium; hoc autem facere debent istæ partes per lineas breuissimas, grauia enim per breuissimam lineam ad medium tendunt, sicut leuia ad extremum, quod accidet si se circulariter comprimant, sic enim omnes lineæ æqualiter à centro distabunt, & erunt æquè breues, aliter vna esset breuior, vel longior altera, & non omnes partes, per breuissimam lineam ad centrum tenderent, quod est contra suppositum. Id autem quod dicimus, potest manifestè apparere, si quæcunque alia figura circa centrum designetur, per cuius lineas partes terræ descendere ponantur, erunt namque inæquales, & sic non omnes per breuissimam tendent, hac igitur ratione terram sphæricam esse demonstratur. Oportet autem intelligere id quod dicitur, perinde atque si ipsa terra facta esset, ac dimissa, vt ad centrum descenderet hoc modo, sicut quidam Philosophorum factam esse dicunt. Verum illi ponunt causam motus eius deorsum, esse violentiam, quasi ab aliquo illuc expulsa sit. Melius tamen est ponere veritatem, & dicere, hoc accidere; propterea quod id quod grauitatem habet, naturam quoque habet, vt ad medium feratur; si imaginemur igitur, quod omnes partes terræ simul mistæ extra proprium locum existant, ac sint in potentia vt ad ipsum perueniant, ipsæ disgregatæ ab inuicem vndique ad medium, per breuiorem lineam confugient, ac figuram circularem efficient. Siue igitur similiter (hoc est secundum æqualem distantiam, partes diuisæ inter se ab extremis ad medium conueniant) siue aliter se habentes (hoc est non æquè distantes) idem tamen facient, hoc est in sphæricam figuram se conglobabunt.

Quod igitur à partibus similiter, & æqua distantia la-
Tex.105. tis ab extremis ad medium, necessarium sit fieri ex omni parte similem molem, manifestum est, æquali enim ex omni parte aliquo apposito, æqualiter necesse est extremum distare à medio; hæc autem figura sphærica est. Nihil autem refert ad rationem, etiam si non vndique partes ipsius terræ similiter conueniant ad medium, nam semper necessarium est, maiorem partem pellere minorem, quæ ante se est, cum vtraque habeat inclinationem tendendi ad medium, & grauius semper vsque ad medium impellit minus pondus, quare etiam in gyrum se comprimunt.

Quod autem vtique quis dubitauerit, eandem solutionem habebit cum prædictis. Dubitatio autem erit ista. Si Tex.106
terra existente in medio, & sphærica, multa grauitas addatur ad alterum hemisphærium, tunc medium totius Vniuersi, ac ipsius terræ non idem erit, ex ea enim parte qua grauitas addita fuit è medio magis aliqua pars recedet, (intelligendo, quod addatur grauitas simul cum parte aliqua terræ, quæ maiorem ea parte qua addita fuit molem efficiat) quare si ita erit, aut non manebit in medio, aut si quiescet quidem non in medio, poterit ad ipsum moueri, quod est contra prædicta, videlicet, quod in medio sit, & immobilis.

Quod igitur dubitatur hoc est. Videre autem non est Tex.107.
difficile modicum sistentes in consideratione huius dubitationis, quod fiet diuidentes, quomodo censemus quantamuis magnitudinem grauitatem habentem ad medium ferri (hoc est quomodo magna pars terræ habens grauitatem feratur ad centrum.) Manifestum autem est, quod non quousque tangat extremum centri tota terra ad ipsum centrum mouetur, sed oportet præualere, quod est maius donec vtique medio sui ipsius, medium Vniuersi acceperit, hucusque enim propensionem habet (hoc est vsque ad ipsum centrum peruenire inclinantur quousque ex omnibus partibus æquè distet, & approximetur ipsi) si igitur ponatur in vno hemisphærio maior pars terræ, ita vt non æqualiter hemisphæria distent à centro, tunc pars maior pellit minorem; quousque æqualiter distent, & in hoc casu, non est inconueniens, quod terra moueatur, quia non intelligitur esse complete in suo loco, quod tamen non simpliciter, sed ex supposito asseritur. Nihil igitur refert hoc dicere in gleba, & parte quauis, aut in tota terra, (hoc est sicut si tota terra distaret à centro, ad ipsum tenderet per æqualem distantiam, sic quoque de qualibet parte eius dicendum est, & è contra) non enim propter paruitatem, aut magnitudinem dictum est id quod accidit, sed de omni, quod habet propensionem ad medium; quare siue tota terra alicunde ferebatur, siue secundum partem, necessarium est eo vsque ferri, donec vtique vndecunque similiter sumat medium, coactis minoribus partibus à maioribus propulsione propensionis (hoc est impetu & vi) qua maiores partes habent ad medium tendentiam.

Siue igitur facta sit siue non, hoc modo necessarium est, Tex.108.
quod facta sit, vel cogitetur; quare manifestum est, quod sphærica generatio ipsius est, siue ingenerabilis semper manens eodem modo se habere necesse est, quo & si primum genita fuisset, & secundum hanc itaque rationem necessarium est figuram ipsius sphæricam esse, & quia omnia grauia ad similes angulos, sed non æquè distantia feruntur, vt declaratum est, hoc autem aptum est ad id, quod natura sphæricum est, aut igitur est sphærica, aut natura sphærica. Oportet autem vnumquodque tale dicere, quale solet esse à natura, sed non quod vi, aut præter naturam tale est. Cùm igitur terra ex sua natura sit apta fieri circularis, sic denominanda est, etiam si ex aliqua causa extrinseca saltem secundum partes, totalem ac perfectam sphæricitatem non retineat, quod forte est verum in partibus montuosis, vel imis; figura enim hæc licet naturaliter ex ratione grauitatis terræ conueniat, non tamen sic ei essentialiter conuenit, quin ab ea remoueri possit, saltem secundum partes, quia elementa non habent determinatam figuram, ita quod ab illis inseparabilis sit, sed conformantur corpori continenti, vel sequuntur naturam grauitatis, & leuitatis, vt patet maximè de alijs tribus à terra.

Præterea, per ea quæ apparent secundum sensum, terra Tex.109

rotunda

rotunda iudicabitur; Lunæ enim eclipses non haberent decisiones, vel sectiones arcuales, vel circulares, nisi terra à cuius vmbra efficiuntur rotunda esset. Nunc enim in ijs figurationibus, quæ fiunt in Luna secundum mensem (hoc est in augmento, & decremento luminis eius) omnes accipit diuisiones, etenim recta fit, & vtrinque curua, & concaua, secundum quod diuersimodè à Sole respicitur, & illuminatur. Circa autem eclipses semper habet curuam secantem lineam; quare quoniam ipsa Luna patitur eclipsim propter obiectionem terræ, ideo hæc figura circularis in Luna, causabitur à figura sphærica ipsius terræ.

Tex. 110. *Præterea, per astrorum apparentiam non solum manifestum est, quod rotunda est, sed & quod magnitudine, non magna sit. Paruo namque à nobis facto transitu à meridie versus vrsam, vel partem Septentrionalem, manifestus fit alter circulus Orizon, ita vt astra, quæ sunt super caput magnam habent mutationem, & non eadem apparent ijs, qui accedant ad Vrsam, & ijs qui ad Meridiem. Similiter in Ægypto, & circa Cyprum quædam Stellæ videntur, quæ tamen non videntur in ijs regionibus, quæ ad Vrsam vergunt; sunt enim Ægyptus, & Cyprus regiones magis meridionales: similiter astra quæ apparent habitantibus prope Vrsam, occidunt in illis regionibus Cypri, & Ægypti; hoc autem esse non potest, nisi terra esset rotunda, & parua; si enim plana, vel alterius figuræ esset, non sic successiuè apparerent astra, qui enim super planum manet totum ab vno ad aliud extremum respicit, nec aliud nouum sibi apparet, donec ad extremum peruenerit, vt cuilibet consideranti potest patere, in figura autem sphærica semper successiuè, & quasi statim alia & alia pars discooperitur, vt notum est: cùm ergo sic accidat ambulantibus super terram, de aspectu astrorum, erit ipsa terra sphærica, plana namque esse non poterit ob oppositam rationem, quia non sic successiuè astra viderentur, alterius verò figuræ est magis irrationabile, nec ab aliquo ponitur. Patet etiam ex hoc, quod sit paruæ quantitatis, aliter non sic statim diuersæ fierent apparitiones nobis adeo parum translatis.*

Quapropter, qui existimant eum locum, qui est circa columnas Herculeas circa Occidentem coniungi ei, qui est circa Indicam regionem Orientalem, & hoc esse vnum Mare, ita quod sit principium & finis vniuersæ terræ, non videntur existimare valde incredibilia; De quo coniecturam adducunt ex elephantibus, quorum genus fit circa extrema vtriusque loci sibi magis approximantia, tanquam ipsa extrema eandem habeant influentiam ad hæc animalia generanda, propter vicinitatem, si enim valde distarent diuersas haberent influentias, ac proprietates, quia vero sibi inuicem coniunguntur, easdem retinent proprietates. Tex. 111.

Mathematici etiam, qui magnitudinem circumferentiæ ipsius terræ inuestigare tentant, dicunt eam esse quadringenta millia stadiorum, ex quibus coniectantibus, non solum necessarium est, molem terræ esse sphæricam, sed & non magnam, respectu magnitudinis aliorum astrorum, hic autem stadiorum numerus, efficit numerum quinquaginta millia milliarum Italicorum, si quidem octo stadij vnum Italicum milliare complent. Tex. 112.

Finis Paraphrasis secundi Libri de Cælo.



ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN SECVNDVM LIBRVM ARISTOTELIS de Cœlo Quæstiones.

QVÆSTIO PRIMA.

Cælum autem animatum est. Tex. 13.

An hoc sit verum.



Non defuerunt olim, nec modo desunt opiniones, quæ cælum formaliter animatum esse putent, quibus breuitatis causa, missis, argumenta pro eis solum adducamus, sit igitur primum. Dans rebus esse animatum effectiuè, necessariò est animatum, aliter causa efficiens esset suo effectu deterior. Cælum autem multa animalia, vt principale agens in his inferioribus producit, vt notum est de omnibus, quæ ex putri materia gignuntur, ergo.

Amplius. Vbicunque ex natura rei sunt sex differentiæ positionum, illud non solum animatum, sed perfectum animal existit, vt docet Philosophus in hoc libro tex. 9. Cœlum autem has omnes differentias habet, vt ex hoc tex. 13. notum est; quare, &c.

Præterea. Esse animatum est nobilius, quam esse inanimatum; sed cælum est nobilius omnibus his inferioribus, vt docet Arist. in 2. Phys. tex. 45. ergo animatū erit.

Pro intelligentia sciendum est, duplicem esse formam, vel animam ad propositum, scilicet informantem, & assistentem; primo modo est forma, quæ est pars essentialis compositi animati, vt anima hominis, leonis, &c. quamobrem de ratione essentiali informantis animæ est quod sit pars, vel in actu incompleto. Forma vero assistens est, quæ vnitur inseparabiliter alicui corpori ad ipsum perpetuò mouendum, de ratione cuius est quod sit in actu completo, & immaterialis; in actu inquam completo, quia mouere, vel agere, non est nisi suppositi, idest entis completi, & singularis, loquendo præcipuè de agente vt quod; dicitur quod sit immaterialis, quia omnis forma in se à materia præcisa vt immaterialis se habet; & hoc modo ipsi materiei opponitur, quamobrem frustra diceretur hæc forma nisi in hoc materiæ opponeretur, dicitur, quod vniatur alicui corpori mobili inseparabiliter, ad similitudinem animæ, quæ ad mouendum corpus, & ad alia munera obeunda indissolubiliter sibi inest; sic videlicet, quod corpus incorruptum, vel ad corruptionem citò non tendens, ipsa recedente relinquatur; quare nauta nauis hac consideratione forma ipsius dici non potest. Ex prædictis sequitur; hanc non esse verè animam, vel formam nisi per similitudinem, quoniam omnis forma est pars, & incompleta; hæc autē ens completum existit. Sed quæreret aliquis vnde similitudo sic exacta sumatur, quod anima dici possit. Respondetur, ex ratione motus, & inseparabilitatis; munus namque animæ (præter alia, de quibus dicetur in libris de anima) est effectiuè mouere corpus hoc, vel illo motu (non enim vnaquæque localiter mouet;) pariter inseparabiliter ipsum corpus informare; quamobrem si aliquod ens immateriale perpetuò aliquod corpus moueat, & inseparabiliter secundum naturæ cursum, licet non secundum informationem assistat, anima illius assistens non informans dici poterit; ex dictis duas, se consequentes conclusiones elicimus.

Conclusiones.

Prima. Cælum non est formaliter animatum; si videlicet, quod Intelligentia, quæ ipsum mouet, sit verè forma, vel anima ipsius, sic namque omnes loquuntur, probatur, quoniam Intelligentia est ens in actu completo, vt est ab omnibus, & præcipuè ab Aristot. in Metaph. receptum; quod vero sic se habet, non potest esse anima, vel forma. Amplius si esset anima informans, proculdubio vniuersum cælum informaret, hoc enim est de ratione cuiusque animæ, vel formæ; (ne materia sine forma existat) sed intelligentia non est in toto cælo, imò solū in circumferentia eius, nec in qualibet parte, sed vnde incipit motus, vt docet Arist. in 8. Phys. tex. 84. & quidem hoc est validissimum argumentum. Amplius. Anima informans formaliter localiter mouendo fatigatur, vt in omnibus animalibus notum est; quod autem sic cum labore efficitur sempiternum esse non potest, quare motus ipsius cæli non esset sempiternus; nec anima ipsa mouens esset beata, sed maxima cum tristitia, omni carens otio, vel requie, quod absurdissimum, & indignissimum est; hoc autem argumentum est totum ex Aristot. desumptum in hoc lib. tex. 6. Item anima informans est actus corporis organici, &c. Sed quænam sunt organa cæli? dicent aliqui, stellas, vel planetas; at quamuis gratis dicatur, nec reprobatione indigeat, cum ex se puerile appareat; tamen quid dicent de cælo chrystallino, quod Stellis (vt est omnium Astrologorum consensus) caret? præter quam quod, diuersa organa à natura sunt animalibus tributa ad diuersa munera obeunda, quamobrem multa, & penè infinita eiusdem rationis multiplicare frustra esset; cur ergo in firmamento innume-

rabilis

rabilis Stellarum multitudo reperitur, aliorum vero organorum nec vnum quidem; nunquid animal Solis innumerabilibus oculis, vel manibus præditum, vel organizatum esse debet? Amplius. Aristot. in 1. de Cœlo tex. 72. dicit non posse aliquod corpus infinitum esse animatum, ob molem maximam (addo) cui operationes animæ non bene coaptantur; hoc ergo quoque de vastissimo primo mobili, quamuis non sit infinitum suo modo dicendum est. Præterea, vel erit animatum anima vegetatiua, vel sensitiua, vel intellectiua, non primis duabus, quoniam sic animata sunt augibilia, nutribilia, & generabilia, vt expressè habetur in secundo de Anima; Cœlum autem horum omnium est expers, vt in primo de Cælo visum est; non anima intellectiua; quoniam hæc esse non potest sine sensitiua, vt expressè habetur ab Aristot. in 3. de Anima tex. 62. quid clarius? Quidam hanc eandem conclusionem sic probant; si Cælum est animatum formaliter, vel est dicendum, quod cælum erit tantum anima intellectiua, quia Philosophi non posuerunt in cælo nisi animam intellectiuam, & ita intellectus erit quantus; quod non est intelligibile: vel in cælo erit ipsa intellectiua anima, vt forma, & sic esset in potentia contradictionis, & corruptibile. Amplius. Ipsa Intelligentia moueretur per accidens ad motum corporis moti, puta cæli, sed hoc est contra Aristot. in 8. Physic. vbi ait, quod Intelligentiæ non mouentur per se: Sed re vera hæ duæ rationes parum valent, ac minus concludunt; prima etenim, quoad primam partem (alia pars transeat) est penitus insulsa & nugatoria; quis enim diceret album esse albedinem, vel si aliquod est album, ergo vel est albedo? sic dicere cælum est animatum, ergo vel est pura anima, seu intellectus (quod idem est ad rē) quasi anima sit, vel assumi possit vt animata, vnde notum est; illam primam diuisionis partem esse malè assumptam, si autem vna pars diuisionis sit mala, tota vitiosa intelligitur. Secunda vero ratio nihil concludit, quoniam nullum absurdum sequeretur (dicerent aduersarij) Intelligentias alias à prima esse mobiles per accidens, nec id nunquam in toto octauo dicit Arist. vt vaticinando dicunt; sed loquitur solum de primo Motore, de quo responderent, quod immediatè non moueat: hi autem quicunque sint nil curo, sed veritatem quomodo à me cognoscitur, vel iudicatur attendo.

Secunda conclusio. Cœlum est animatum anima assistenti, idest habet intelligentiam motricem sibi perpetuò, & indissolubiliter coniunctam, quæ etiam sine labore mouet, quatenus à corpore non dependet: hæc autem est Aristot. in tex. 13. & ex sequenti dependet, cum etenim cæli perpetuò moueantur, non ab anima informante, ergo ab alio Motore; nam omne quod mouetur ab alio mouetur. Sed hic duæ dubitationes oriuntur; prima est, cur necessariò semper indissolubiliter Intelligentiæ sint cum suis orbibus coniunctæ; hoc enim dicit violentiam, vel coactionem quare beatæ non essent, vt supra de anima cæli deductum fuit. Secunda, cur in mouendo non fatigentur; si quidem solus motus & operationes naturales sine fatigatione sint: illi autem sunt motus voluntarij & ipsis Intelligentijs externi. Ad primam dicitur, ipsas Intelligentias ad motiones cælorum veluti ad proprium finem à primo Motore ordinatas esse propter bonum Vniuersi; finis autem assecutio, semper cum iucunditate est, si quidem ipsum est optimum. Ad secundum dicitur; fatigationem non aliunde procedere, nisi ex reluctantia partium agentis, quia videlicet oppositam habēt dispositionem ad aliam operationem; vt ideo animalia in motu defatigantur, quia corpus non est natum moueri sursum, neque totaliter, neque partialiter, & tamē in motu locali animali (vt simplicem naturalem deorsum excludamus) hoc necessariò accidit. Sic etiam terra fructificando debilitatur, quia à seminibus, vel plantis virtus eius minuitur, nec est penitus ipsius pura naturalis operatio: sicut ex opposito nunquam aqua fluens, vel terra descendens, aut ascendens, vel comburens ignis lapsantur, quia simpliciter naturaliter procedunt. Intelligentiæ itaque cum sint partium expertes, penitusq; immateriales, hanc reluctantiam non admittunt: quare vel aliquid est prorsus sibi impossibile, vel sine labore factibile.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur pro nunc, Cælum non solum à se dare esse animalibus, sed cum intelligentia, & Deo; qui principaliter operantur, videbimus autem de hoc postea dum scilicet, de cæli nobilitate differemus.

Secundum soluetur ex sequenti quæstione, vbi de his positionibus, & quomodo cælo conueniant, agetur. Sed nunc dicatur, eas attendi secundum diuersas magnitudines, vt docet Aristot. in præcitato textu, & cum Intelligentia.

Ad tertium similiter in quæstione de Cæli nobilitate dicetur: sed pro nunc dicatur, ipsum cum Intelligentia dare esse, & sic quoque nobilius existere.

QVÆSTIO II.

Manifestum est, quod habet sursum, deorsum, dextrum, & sinistrum. Tex, 13.

An in Cælo reperiantur ex natura rei sex positionum differentiæ.

ARguitur primo, quod non. Hæ differentiæ connotant diuersas figuras, vel dispositiones in his, quorum sunt differentiæ, vt in animalibus notum est, sed in cælo talis diuersitas non reperitur, cum sit figuræ rotundæ, ergo.

Secundò. Si dextrum est Oriens, vt habetur in textu, non ex parte rei hoc ipsi cælo conueniret, quia quod modo est nobis Oriens, fit successiuè oriens alijs, deinde alijs, atque alijs, vt de se notum est in reuolutione Solis, ergo hoc non ex parte rei, sed solum secundum nostram considerationem existit.

Tertiò. Sursum est principium augmenti. Ante secundum sensuum motum, vt Philosophus in tex. 8. huius libri asserit, sed Cælum est inaugmentabile, ac sensibus caret, ergo.

Pro intelligentia sciendum est, quod differentiæ hæ positionum secundum duo genera principiandi considerari possunt, vt in præcitato textu 8. Arist. docet, videlicet secundum principium magnitudinis, & secundum principium mouendi, quæ quidem acceptiones ex parte rei sumuntur sicut magnitudo, & motus, seclusa quacunque intellectus operatione in rerum natura reperiuntur; sic itaque sursum est longitudinis principium, deorsum est sibi oppositus terminus, dextrum est principium latitudinis, sinistrum eiusdem terminus, ante denique profunditatis, retro oppositum, vel terminatio. Alio vero modo, sursum est principium augmenti, deorsum terminus; dextrum motus localis, sinistrum oppositum; ante est principium sensationum, retro pariter oppositum. Secundum itaque has diuersas acceptiones de Cœlo vtique ad rem philosophandum est. Dicimus ergo, secundum primam acceptionem, in Cælo ex natura rei, proculdubio has differentias dari; siquidem ipsum est corpus longitudine, latitudine, & profunditate præditum, quod cum sit finitum, principia horum determinata necessariò habebit: hæc autem sex differētias, vt diximus includunt, Verū si hæc positio valeret, vnumquod-

que corpus his differentijs præditum esset, sicut has continet dimensiones, cuius oppositum in littera docet Philosophus, vult enim quod solum corporibus animatis, imò nec quibuscunque, sed perfectis duntaxat ex natura rei conueniant; quare dicendum est consequenter, has positiones sic principia esse in rebus animatis, & perfectis; at quoniam ipsi cęlo animam (licet solum assistentem) tribuimus, ac perfectissimum est, consequens est, vt ab ipso non secludantur, nec sic exacta animatio est exquirenda, quod solum animam informantem includat. Sic itaque dextrum cæli est Oriens, sinistrum Occidens; sursum est Polus Antarticus, seu qui nobis immanifestus est: Arcticus vero puta is, qui nobis perpetuo apparet est deorsum. Ante vero est pars versus, quam ab Oriente voluitur, retro est ei opposita, & hoc de primo mobili loquendo, & secundum Philosophos, alij etenim orbes inferiores sicut supra proprios cientur Polos, sic opposito, vel suo modo sunt eis assignandæ differentiæ, diximus notanter secundum Philosophos: Astrologi namque Occidentem dextrum, Orientem sinistrum appellant: Poetæ dextrum Septentrionem, Austrum sinistrum constituunt. Geographi autem cum Phisicis conueniunt, imò (quod silentio prætereundum non esse existimo) sic exacte, vel rigorosè latitudinem cæli, & proportionaliter terræ ex parte Orientis per æquinoctialem circulum vsque ad Occidentem accipiunt; quod etsi multum excedat longitudinem, latitudinem tamen nuncupant, verbi gratia, si sit spatium centum milliarium ex Oriente ad Occidentem; aliud verò ex Septentrione ad Austrum sit decem, illud tamen latitudinem, hoc longitudinem appellant. Quoad secundam acceptionem, nescirem quidem, quomodo re vera, & non sophistico modo ex parte rei tales differentiæ possent cælo adaptari; nam quoad dextrum, etsi statuatur ex ea parte vbi residet intelligentia motrix, tamen re vera hoc est secundum nostram considerationem, quia applicatio illa est cælo ipsi externa, & sic est purus respectus, & variabilis; sursum vero, & deorsum, atque ante, & retro optimè probant argumenta, quod nullo modo eis conuenire possint, nisi dicamus (quod forte bene dictum erit, & à dignissimis Pgilosophis comprobatum) esse ibi has differentias virtualiter, sic videlicet, quod in assignatis partibus sint virtutes, vel Astrorum, vel ipsiusmet cæli aptas ad influendum, vel causandum quod ad differentias istas animalium pertinet; quamobrem non alia ratione ex natura rei sibi conuenire dicuntur, sicut quoque dicimus esse virtualiter calidum, &c. Quod autem hoc sit verum, potest sic comprobari. Causa vniuersalis virtualiter continet omnes effectus, cælum est causa vniuersalis omnium horum inferiorum; ergo in ipso sunt virtutes ad omnia; non omnes in qualibet parte cæli, quoniam sicut ipsum est diuisibile, sic virtutes cum diuisione in eo continentur, ergo in determinata parte determinata virtus, & sic habetur intentum, quod confirmatur auctoritate Philosophi in 2. de gener. & corrupt. tex. 50. ait namque species omnium rerum esse in terminis, idest exemplaria, & virtutes omnium effectibilium subcęlestium contineri in cælo, quod terminum vocat; vnde non immerito quidam diuersas Stellas ad hoc confirmandum in diuersis cæli stelliferi partibus collocant. Sic itaque dicendum est, vel cælum formaliter animatum est statuendum, aut simul anima, & differentiæ, istæ contra Aristotelem sunt auferendæ. Ad argumenta patet quid sit dicendum. Valerent namque, si formaliter in ipso cælo differentię à nobis assignarentur, vel dicatur, quod ipsa concludunt si accipiantur differentiæ hæ secundum principium motus in secunda acceptione, sed secundum primam non valeant; siquidem sufficit principiare secundum latitudinem, longitudinem, & profunditatem, quæ dimensiones sunt realiter in cælo, vt dictum est.

QVÆSTIO III.

An Cælum sit omnibus sublunaribus nobilius.

CVm de animatione cæli in superioribus egerimus consequens est, vt de ipso in comparatione ad alia disseramus. Quamplurimi itaque philosophantium sic cælum (seclusa intelligentia sine qua etiam nos de ipso quærimus) infimæ notæ esse autumant, vt quodlibet viuens eo nobilius esse contendant. Quorum præcipua argumenta sunt hæc. Gradus viuentium in communi cuilibet non viuenti dignitate præstat; nam quicquid entis in non viuente clauditur, ipsum quoque continet, & plus: Cælum sine intelligentia anima & vita caret, ergo est viuentibus ignobilius: sic itaque secundum istos, Ranæ, Serpentes, Vermes, Plantæ, atque Herbæ quæcunque etiam vilissimæ sunt Diuino cælesti corpore præstantiora, nam vnumquodque (addunt) etiam infimum in genere nobilioris, est dignius quodcunque dignissimo inferioris generis, vt quilibet homo quemlibet excedit asinum. Amplius. Moueri à se ipso est nobilius quam moueri ab alio, illud namq; sufficientiam, hoc indigentiam indicat. Viuentia à se ipsis mouentur vel motu locali, vel augmentationis. Cælum vero nequaquam, ergo. Denique, quæ consilio, prudentia, ac intellectu pollent, longe excedunt, quæ sunt horum expertia, animalium vero quorundam, maximè autem homo sic se habet, cælum vero nequaquam, ergo.

1. Arg. — Secundum. — Tertium.

Quamuis argumenta prædicta non sint parui momenti, nec faciliter solubilia, vel spernenda, sic tamen ipsorum conclusio semper mihi dura, & contra Aristot. visa est, vt nunquam plenè eam digerere potuerim, quãobrem ne recitator, aut simpliciter credulus aliarum sim positionum, sed secundum proprium ingenium philosophans, oppositum cum Philosopho statuendum censeo. Quoniam autem termini ex se sunt euidentes, & si quid declarandum supersit per cõclusionem, & rationes fiet, ad ipsam conclusionem accedamus, & sit ista.

Concluſ.

Cœlum est nobilius omnibus inferioribus viuentibus, & non viuentibus humano intellectu excepto. Probatur prima pars. Causa efficiens in suo genere totalis, vel est æquè nobilis, vel nobilior suo effectu, cælum sic se habet in ordine ad hæc inferiora, ergo. Maior est nota, & veluti axioma philosophicum, tamen potest hoc modo declarari, nam in causa est virtus producendi effectum, quare effectus ipse, & entitatem, & virtutem à causa habet, ergo ipsa causa prius in se talem continet virtutem, & vltra hoc, propriam habet naturam, ideo si communicat, vel efficit aliquid à se diuersum, est profecto nobilior, ratione excessus naturæ vltra virtutem, & vocatur tunc causa æquiuoca, vel alterius naturæ ab effectu; si vero suam naturam communicat est quoque æquè nobilis, cum sit eiusdem naturæ. Quod autem cælum sit omnium inferiorum causa, probatur auctoritate Arist. in primo Metheor. c. 2. ait enim; oportet hunc Mundum inferiorem esse contiguum lationibus superioribus, vt omnis virtus ipsius inde gubernatur, gubernatio autem ad causam principalẽ attinet. Amplius in 1. de Cælo tex. 100. ait, ab ipso pẽdet esse omnibus; his autẽ clarius, his vero obscurius, & in 2. de gen. & corrup. tex. 55. Solem esse omniũ generatiuum affirmat, hoc autem argumentum, quod validissimum, & demonstratiuum existimo, diuersimodè diuersi soluere conantur. Alij etenim dicunt, Cælum non esse causam sic in suo genere totalem, vt suppositum est, sed potius Intelligentiæ instrumentum; sed hi circa cælum agentes ipsum vniuersum ignorãt; nã quod solum actiuũ aliquod applicat, non

est

est causa totalis, imò quasi per accidens; sicut si quis ignem rei combustibili applicaret, non ipse, sed ignis cõbureret, vel alium produceret effectum, ac ipsius vera efficiens totalis causa existeret; sic Intelligentia solum cælum mouendo ipsum diuersis effectibilibus applicat, sed secundum suam virtutem operatur, vt de se notum est. Sol enim vbicunque existat illuminat, calefacit, generat, abstrahit, &c. quare ipsa Intelligentia pro diuersitate rerum effectibilium mouendo diuersis applicat locis, vnde est quasi instrumentum cælestium operationum. Alij respondent, cælum non esse causam totalem, quia etiam Deus vt principale in operationibus concurrit. Sed neq; hi rectè philosophantur; verum est namq; Deum esse vniuersalissimam causam omnium, tamen in suo genere, sic nimirum quod alias causalitates nec auferat, nec suppleat (nisi miraculosè, & præter naturæ consuetum ordinem operetur, quod rarò euenit) quamobrem homo est in suo genere totalis in productione hominis etiam Deo, & Sole concurrentibus; imò, si hoc pacto dicendum esset, omnis causa totalis auferretur in rebus creatis, quod aures philosophicæ abhorrent. Dicitur autem causa totalis, quod in suo genere (vt alibi quoque diximus) nullius est indigens; quamuis in alio genere, vel ordine causandi, aliæ requirantur, vt homo est totalis causa hominis in genere causæ efficientis, & secundum ordinem causandi hominis; quamuis secundum alium ordinem, etiam in eodem genere efficientis aliæ, puta Sol, & Deus requirantur; non autem esset totalis, si alter homo requireretur, sicut tractor nauis qui per se totam trahere nequit, totalis non dicitur; hæc autem totalis causa, in genere efficientis, semper est nobilior, vel æque nobilis cum effectu; Quod vero cælum sic totalis causa existat, manifestum est, si quidem in suo genere, vel modo causandi, à nullo adiuuamen expectat. Qui igitur sustinet, cælum propria virtute in suo genere animalia quam plurima, præcipuè, quæ ex putri gignuntur, producere, nullatenus defendere queunt, omnia viuentia esse cęlo nobiliora, & tamen sibi ipsis parum constantes, vtrumque defendunt; scilicet, viuentia esse nobiliora cælo, & multa ipsorum ab ipso cælo virtute propria produci. Quidam vero dicunt; omnes animantium, & viuentium animas immediatè à Deo creari; quæ etiam positio non est philosophica, frustra namque præcipua agentia naturalia instrumentalia dumtaxat constituit; quod de nobilissimis agentibus, sicut sunt cæli, vanum est asserere. Vel dicendum esset, Deum secundum naturæ ordinem immediatè operari; quod esset causalitatem à rebus auferre, & quamplurima ad creationem puram reducere; quod gratis, & pueriliter (parcant) dicitur. Maneat ergo conclusio præcedens, nimirum nobilius inferioribus (dempto humano intellectu) esse cælum. Quod sic quoque confirmatur. Quod suo modo cum Deo proportionem habet, est nobilius his, quæ non sic se habent; cælum est huiusmodi, vt habetur in primo de cęlo textu 100. Diuinum (inquit Philosophus) est Deo coaptatum. Item. Incorruptibile, & completum (quod dicimus propter incorruptibilem incompletam materiam primam) est dignius corruptibilibus, non enim alia de causa sic se habet, nisi quia propria actiua virtute omnia superat, quod de potentiali materia omni carens actiuitate dici non potest. Cælum autem est incorruptibile, & actuale, ergo. Confirmatur auctoritatibus Aristotelis pluribus in locis; in primo namque de cælo textu 26. tantum nobilius his inferioribus esse asserit, quanto distantia locali ab ipsis distat. Item in 2. Physicorum textu 45. cælum esse diuinius sensibilibus dicit. Amplius, in primo de partibus animalium capite primo, corpora cælestia, & stellas, nobilissimas omnium sensibilium esse affirmat. Et in sexto Eth. capite septimo asserit, corpora cælestia esse homine diuiniora, quod intelligendum est quo ad corpus, nam de intellectu oppositum dicemus. Possent tamen aliqui respondere; loqui in prædictis locis Aristotelem de cælo simul cum Intelligentia; sed non benè respondent; si quidem in textu 100. primi libri huius operis, comparando cælum ad intelligentias, vtrunque diuinum, & proportionale nuncupat, quare ex se ipsum cælum est diuinum quid; imò in Metaph. sæpè sæpius, & in hoc secundo textu 17. Deum, & diuinum corpus cælum appellat. Quo ad secundam conclusionis partem, ferè nulla est probationis necessitas, intellectus namque hominis, cum sit immortalis, immaterialis, seu spiritualis, diuinæque beatitudinis particeps, & ab ipso solum producibilis cælo præponendus est. Secũda pars conclusionis probatur.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, gradum quemlibet viuentium excedere quodcunque non viuens, nec formaliter, nec virtualiter; sic nimirum quod ipsum nec animam habeat, nec virtutem alijs tribuendi in ipso insideat, sed quod est virtualiter tale, ab eo quod est tale actualiter non exceditur, vt aurum excedit argentum, & naturam ipsius prout vt plus virtualiter in ipso existit, quam in argento, sic in cælo sunt virtualiter omnes viuentium corruptibiles animæ, & eas excedit, non exceditur.

Ad secundum respondetur; motum duo importare, scilicet perfectionem, & indigentiam; perfectionem, quia ipse est actus, & perfectio quædam; indigentiam, quoniam ad aliquod quo caret mobile ordinatur; animalibus itaque, & viuentibus motus ex se tribuitur, vt indigentiam suppleat, quare cum perfectione imperfectionem continet. Cælum vero nullius est indigens; vnde neque opus est, vt à se ipso moueatur, sed sicut externis prodest, sic externus adest motor minister. Vel dicatur, primam propositionem non esse vniuersaliter veram; si quidem nobilitas aliunde attenditur, maximè ex causalitate; nam si valeret, quæ sunt prorsus immobilia vt Deus, alijs deteriora essent, quod non est intelligibile.

Ad tertium dicitur, argumentum prædictum de humano intellectu concludere, in alijs vero, vel nulla, vel adumbrata dumtaxat prudentia, vel consilium, existit, quare à virtute cælesti facilè superari possunt.

QVÆSTIO IV.

Contrariorum enim si alterum natura est, necesse est, & alterum esse natura. Tex. 19.

Quæritur de veritate istius propositionis.

DVo potissimum occasionem præbent de hoc Aristotelico dicto disserendi. Alterum est auctoritas eiusdem in post prædicamentis cap. de Oppositis vbi directè oppositum docet. Secundum est, quia contrarium non confert ad existentiam sui contrarij, quin ipsum dirimit; sunt enim contraria, quæ mutuo se expellunt. Pro intelligentia sciendum est; Dupliciter contraria considerari posse, videlicet logicaliter, & naturaliter; & hoc dupliciter, vno modo secundum ordinem, & conseruationem vniuersi; secundo in ordine ad particulares ipsorum conditiones, & naturas. Considerare cõtraria logicaliter est in abstracto per modũ consequentię sic namq; logicus speculatur. Secundum igitur hanc considerationem, non oportet, quod si vnum contrariorum sit in natura; quod etiam aliud existat; imò oppositum

sequitur; nimirum ex positione vnius remotio alterius; vt si aliquod est calidum non opus est, quod sit frigidum; quamobrem cum nullo modo se inferant, ex positione vnius nullatenus alterius existentia sequitur, (quicquid diceudum sit, de expulsione respectu eiusdem, quod ad maiorem quandam declarationem posuimus) hoc itaq; modo bene logicaliter loqui possumus; nec mirum est, multa secundum logicæ rationem veritatem habere, quæ tamen physicè sunt falsa: siquidem diuersa abstrahendi methodus ad hanc varietatem est sufficiens. Si autem naturaliter, & secundum ordinem vniuersi loquamus, necessariò, si vnum contrariorum fuerit in natura, & aliud, probatur, nam est de ratione, & conseruatione vniuersi, quod perpetuo fiant generationes, & corruptiones ob perpetuam rerum generabilium conseruationem; at sine contrarijs qualitatibus elementorum fieri nequeunt; ergo ipsa contraria simul existentia necessariò requiruntur. Si autem in particulari, sed naturaliter quoque loquamur; fortè hoc non erit sic necessarium; dico autem in particulari, si aliquas peculiares contrarietates spectemus, vt amaritudinem, & dulcedinem, albedinem, & nigredinem, nec non alia similia, quæ à primis contrarijs qualitatibus pendent; quod autem non sic necessariò coexistant, ex eo probari poterit, quia ad vniuersi bonum principale non pertinent; & quia non sic necessariò semper eueniunt, quin impediri possint; quamuis fortè si naturas specificas ex quibus fluunt respiciamus etiam necessitatem includunt; quamobrem cum alijs prædictis melius coniungantur, atque etiam necessariò existere, affirmandum erit; vnde solum modum logicalem excludamus. Sed obseruandum est, quod si pro formali quecunque contraria accipiantur sunt correlatiua, & posita se ponunt, atque perempta se perimunt, contrarium namque alicuius contrarij contrarium, sed loquimur de connotatis, idest de qualitatibus, vel rebus ipsis, quæ contrariæ dicuntur; vt sunt caliditas, & frigiditas; humiditas, & siccitas, &c.

QVÆSTIO V.

Et priuatione prior affirmatio.

An prædicta propositio sit vera.

Arguitur pro parte negatiua hoc modo. Vnumquodque generabile, priusquam ad actum reducatur, intelligitur non esse, & in veritate non est, quamobrem priuatio ipsius præcedit esse, vel affirmationem, quod confirmatur ex doctrina Arist. in 1. Physicorum, qui priuationem constituit principium; quamobrem necessariò præcedit principiatum, hoc namque est de ratione cuiusque principij. Respondetur tamen, propositionem esse veram simpliciter; quia data quacunque priuatione, ipsa semper supponit aliquem actum, saltem entitatiuum, puta materiam ipsam in qua fundetur, præter agens vniuersale æternum, quod est Deus; sic itaque vniuersaliter in genere omnium entium priuatio est posterior affirmatione, sicut actus est hoc eodem modo prior potentia (concordant namque hæ duæ propositiones) quamuis in comparatione ad particularia, priuatio præcedere possit, vt argumenta prædicta demonstrant. Obseruandum est tamen, quod quia priuatio, vel non esse in natura particulari præcedent particulare esse; & esse vniuersale præcedit quodcunque non esse; ideo ad primum sensum negatio dicitur prior affirmatione particulari, & ad secundum, affirmatio dicitur prior negatione; quia hi sunt simpliciter termini, qui ab eo quod res sunt, vel non sunt tales, ipsi quoque tales dicuntur.

QVÆSTIO VI.

Quod igitur necessarium sit esse generationem ex his manifestum est; si verò generationem, necesse est, & aliam esse lationem, &c. Tex. 20.

An cælum agat in hæc inferiora, & quomodo.

Quamuis omnibus innotescat, cælum in hæc inferiora agere, si quidem (omnibus alijs dimissis) lumen & calor à nemine negari possunt; tamen, & circa actiones ipsas, & multo magis circa modum agendi, difficultates non desunt. Quo etenim ad actiones quidam duobus potissimum argumentis innixi oppositum suadere nituntur. Primum est hoc. Si cælum in hæc inferiora ageret, maximè primum mobile, vel Sol, aut alij superiores orbes, per qualitates alteratiuas id efficerent; hæ namque sunt primum instrumentum operationum, præcipuè generationis, & corruptionis, quæ hic efficiuntur. Hæ ergo qualitates (quæcunque sint) transirent per orbes inferiores, quare ipsi quoq; alterarentur; quoniam id alterari dicitur, quod alteratiuas recipit qualites; at cæli sunt his qualitatibus inalterabiles, vt visum est in primo, ergo in ipsis hæ qualitates prædictæ recipi minimè possunt; & sic neque ad hæc inferiora perueniret. Secundum. Agens debet esse simul cum patiente ex 7. Physicorum textu decimo, & inde. Cælum autem non est simul cum istis inferioribus, eo modo quo esse simul requiritur, nempè per contactum, quod explicatur ab Arist. in 3. phys. tex. 16. De modo etiam agendi non desunt, imò plures, & difficiliores sunt controuersiæ. Aliqui etenim existimant, ipsum vniuersum cælum lumine solum, & motu in hæc inferiora agere. Quidam vero (cum quibus conuenire intendo) præter prædicta, etiam influentias addunt. Quod itaque solum lumine, & motu agat, probant hoc modo. Nihil in rebus naturalibus est ponendum, quod & aliqua sensata cognitione elici nequeat; vt educitur ex Arist. tum in proæmio physicor. tum in 3. eiusdem operis tex. 45. & in 8. tex. 22. ac alibi sæpe, & hac de causa dicitur scientia de rebus sensibilibus; at quis namque sensuum, influentias eas vnquam percepit, nisi fortè somniando? præterea. Omnis actio physica sit per contactum (vt etiam supra tetigimus) cælum vero non per se ipsum immediate, sed lumine, & calore dumtaxat hæc inferiora tangit; ergo. Denique. Nobilissimum agens paucioribus indiget instrumentis. Sed cælum est agens inter naturalia nobilissimum; ergo quam plura instrumenta sibi tribuenda non sunt. Pro solutione autem tres conclusiones elicimus. Prima. Cælum agit in hæc inferiora, probatur; nam hæc inferiora omnia sunt corruptibilia (de compositis loquendo vt materiam primam excipiamus) ergo vt perpetuo conseruentur, aliquo incorruptibili conseruante indigent, vt deducit Arist. in 8. Physic. conseruatio autem fit solum per actiones, ergo. Amplius in primo Meteorol. cap. 2. cælum hæc inferiora gubernare asseritur, & in 2. de gener. tex. 55. Sol generatiuum omnium vocatur. Præterea, in natura nihil est frustra; sed si cæli non agerent frustra essent, nec possunt agere in se ipsos, quia sunt impassibiles, ergo. Secunda conclusio. Non solum cælum in vniuersali, sed secundum diuersas partes, vel orbes, aut astra diuersas sortitur operationes; hęc autem conclusio ex se etiam manifestissima videtur, si quidem non alia de causa, in diuersis regionibus diuersa, varijsq; dispositionibus affecta, & animalia, & plantæ, aliaque id generis, & diuersas, gignuntur, nisi ob ipsius

1. Arg.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Conclus. Prima.

Secunda.

cæli

cæli diuersas, secundum diuersas partes operationes Quod peculiarius Astronomorum sententia comprobatur; Ptolemæus etenim, Alphraganus, Alphonsus Rex, & alij, sic animalia, maxime verò hominem in eorum productione à Planetis dependere asserunt; vt quolibet mense, proprius adsit enascenti protector planeta; primo itaque mensi respondet Saturnus, secundo Iuppiter, tertio Mars, quarto Sol, quinto Venus, sexto Mercurius, septimo Luna, octauo iterum Saturnus, & nono denique Iuppiter. Quamobrem (addunt) octauum mensem periculosum esse, ac in ipso nascentes homines non viuere, eo quod Saturnus sit noxium, frigidum, & asperum, etsi multis in locis ob aliam cæli benignitatem oppositum accidat, vt Ortelius in Mundi Theatro refert. Præsunt similiter planetæ humoribus, Saturnus namque Melancholiam excitat, Iuppiter sanguinem, Mars flauabilem, quam etiam vulgariter choleram appellant. Sol cordi fouet. Venus pituitæ, quam phlegma vocant, huic autem etiam præsidet Lunæ, secundum diuersas dispositiones, Mercurius vero spiritibus animalibus. Amplius, etiam ætatibus respondent.

Septem hominis ætates.

Septem enim sunt hominis ætates, scilicet Infantia, Pueritia, Adolescentia, Iuuentus, Virilitas, Senectus, & Aetas decrepita; primæ præest Luna, secundæ Mercurius, tertiæ Venus, quartæ Sol, quintæ Mars, sextæ Iuppiter, septimæ denique Saturnus. Præsunt pariter membris, nam Sol præest cordi, Mars felli, Iuppiter iecori, linguæ Mercurius, capiti Saturnus, genitalibus Venus, & Luna. Quinnimo ad metalla quoque se extendunt. Siquidem Saturnus Plumbo dominatur, Iuppiter Stanno, & electro, quod est quid ex auro, & argento conflatum, atque æquiuoce dictum cum eo quod latine Succinum, & Italice Ambra appellatur. Mars vero ferro, & chalybi, seu vt vulgo dicitur *Acciaio*, Soli subijcitur aurum, Veneri æs, Mercurio argentum viuum, ac denique Lunæ argentum. Sic itaque patet, cœlum diuersimodè in hæc inferiora agere.

Tertia conclusio.

Nunc ad instrumenta accedamus, & sit tertia conclusio. Cœlum agit in hæc inferiora triplici instrumento, videlicet lumine, motu, & influentia; de lumine, & motu apud omnes est manifestum, quod verò etiam per influentias agat, probatur, nam multæ sunt qualitates contrariç, quæ ab eadem naturali causa prouenire non possunt, nam contrariorum effectuum, contrariæ sunt causæ vt habetur in 2. de gener. & corrupt. lumen autem, & motus sunt causæ caloris ex hoc 2. tex. 42. à quo ergo causatur intensum frigus? non ab elementis, quia id accidit diuersis anni temporibus, quæ à cœlo dependent, immo in eadem regione ob solam cœli diuersitatem, non solum ex remotione solis, vel luminis, quia frigidus est ens positiuum, quod causam positiuam expostulat, ergo ab aliquo influxu præcipuè stellarum, vt bene dicunt Astrologi. Amplius; in visceribus terræ, vbi nec calor, nec lumen penetrat, multa & non parui momenti gignuntur, à quo ergo? non profectò ab alio quam ab influentia. Sed pro maiori intelligentia duo quæruntur, alterum, quid sit hæc influentia, secundum an cęli in hominis voluntatem operentur.

Influentia quid.

Ad primum respondetur. Influentiam esse qualitatem insensibilem, mirabiliter, & occulte operantem, omnia corpora absque vlla resistentia penetrantem; quod de lumine & motu dici non potest.

Cęlum an agat in voluntatem.

Ad secundum respondetur; cęlum non agere per se, & immediatè in voluntatem, ita vt ipsa cogere possit, quia est essentialiter libera; quod vero est essentiale, immutabile est; agit tamen in sensus, qui ipsam voluntatem leniunt & alliciunt; vnde secundum ipsorum inclinationem vt plurimum non tamen simpliciter tracta, sed suauiter allecta operatur; trahit namque sua quemque voluntas. Sequitur ex prædictis, cęlum ipsum etiam sine motu, multa in his inferioribus, agere posse, siquidem lumen & influxus sint ad hoc satis, motus tamen, cum diuersas adducat, & reducat influentes stellas, vel alias cęlestes partes, diuersitatis effectum est causa, qua re ipso cessante, res semper eodem modo se haberent, sic videlicet quod semper & in eodem loco esset ver, in alio semper hyems, & sic ex externa causa non essent variationes, sed bene ex interna, nēpè ex elementis.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur; re vera cęlum agere per prædicta tria instrumenta, quæ tamen non alterant cęlum sed alterabilia tantum; quia quod in alio recipitur, per modum recipientis recipitur; cęlum autem est inalterabile; neque est verum, quod omne receptiuum qualitatum alteretur, sed debet esse alterabile.

Ad secundum dicitur. Cęlum esse simul cum istis inferioribus per contactum virtualem, quod sufficit, vt alibi in septimo Physicorum dictum fuit.

Ad tertium negatur minor. Sensibus namque patet, multa gigni sine lumine, & cælesti motu, quare ex alio fieri colligitur; nec omnia immediate sub sensu in Philosophicis cadere debent; sed sufficit, vt ex ipso eliciantur; vt patet de primo motore.

Ad quartum dicitur, minorem esse simpliciter falsam, nec ab ipsis probatur, aut facile posset probari.

Ad quintum dicitur; agens nobilissimum exquirere paucissima, sed sufficientia instrumenta; at illa duo non sunt satis.

QVÆSTIO VII.

Quid circa cęlum cognoscant Astrologi.

NOn est extra propositum disserere quomodo & in quibus errent, aut veritatem enuncient circa cælestes causas Astrologi, sic namque euidentior erit philosophica veritas, & adolescentium ingenia varietate referta delectabuntur. Pro intelligentia igitur, sciendum est, Astrologiam diuidi in Cosmographicam, & Iudiciariam.

Astrologia. Cosmographia.

Cosmographia, est facultas, quæ vniuersam Mundi machinam, seu sphæram, atque eius principia, partes & passiones contemplatur.

Iudiciaria.

Iudiciaria, quę etiam diuinatrix dicitur, est quæ ex motibus & aspectibus Stellarum futuros euentus circa hæc inferiora contingentes præuidere docet; hæc igitur est diuisio Astrologiæ in vniuersali; sed ad subdiuisiones accedamus.

Cosmographia.

Cosmographia diuiditur in contemplatricem, & operatricem, seu speculatiuam, & practicam.

Speculatiua.

Speculatiua est quæ solum res ad ipsam pertinentes secundum veritatem considerat, atque continet Astrologiam, propriè dictam. Geographiam, Corographiam, & Topographiam,

Astrologia propriè dicta.

Astrologia propriè dicta, est quæ cælestium corporum numerum, motus, magnitudines, figuras, illuminationes, aspectus, atque à se ipsis & à terra distantias contemplatur;

Geographia.

Geographia est quæ totum terræ & aquæ globum, quo ad vniuersaliores eius partes describit.

Corographia.

Corographia est quæ particularia terræ loca, puta, agros, rura, flumina, torrentes, siluas, valles, montes, & similia alicuius particularis regionis considerat.

Topographia.

Topographia tandem ad minutiora descendit, atque situm ciuitatis, palatiorum, turrium, aliaque eiusdem generis particularia, dispositiones, picturas, & cætera huiusmodi ad hæc pertinentia speculatur. At si dicatur, Geographia, Corographia, & Topographia, non possunt esse sine designatione, vel pictura, ergo practicæ potius quā speculatiuæ facultates videntur. Respondetur; picturam ad maiorem esse declarationem; sed essentialiter cognitio ipsorum in mente cognoscentis consistit; sicut nec Philosophia sine voce, & scriptura acquiritur, quāuis speculatiua existat. Sed ad practicam descendamus. Est igitur operatrix,

Practica. quæ instrumentorum Astronomicorum, & tabularum fabricam atque vsum, quibus motus, & passiones cælestium corporum obseruantur, & reperiuntur explicat, & Gnomonica. diuiditur in Gnomonicam, Meteoroscopicam, & Dioptricam. Gnomonica est, quæ in vmbrarum, & horarum dimensione, positione Gnomonum exercetur, sub qua Meteoroscopica. Horologiographia continetur. Meteoroscopica est, quę vtitur instrumentis in sublimi pendentibus, quibus etiam Dioptrica. diuersas distantias motusque cælestes cognoscit. Dioptrica tandem est, quæ pariter instrumentis ad prędicta indaganda vtitur, non tamen pendentibus, sed in terra fixis. Verum dicerem, has non esse per se partes Astrologiæ principales cum vsus instrumentorum ad præcipuum attineat finem, & ab ipso dependeat, nec diuersitatem aliquam in scientia efficiat, vt cuilibet intelligenti patere poterit. Astrologi tamen (quos hic ad litteram sum secutus) maioris distinctionis gratia, in hac diuisé- Iudiciaria dup. runt partes. Iudiciaria denique adhuc diuiditur in eam, quæ temporum qualitates, mutationes, aliaque ipsius Chronica. accidentia, prænoscere docet, atque temporalis, vel Chronica vocari posset; imò si circa dies peculiares versetur æphemerica, vel æphemerides dicitur, & in eam, Auguratrix. quæ genituras casusque omnes, hominibus præsertim contingentes, præuidere existimat, & hæc auguratrix, vel diuinatrix propriè dicta dicatur, quarum prima Medicis, Nautis, & Agricolis maxime inseruit; alia vero penitus vana, & reijcienda est, vt melius per conclusiones videbimus.

Conclusiones.

Prima. Astrologia Cosmographica quo ad singulas eius partes, & in vniuersali, & in particulari potest sine errore, vel falsitate esse. Probatur, nam principia, passiones, partes, motus, distantias, conuenientias, & differentias Cælorum, nec non globi terrestris, ac peculiaris regionis, ciuitatis, & palatij, possunt infallibiliter cognosci, quia sub sensitiua cognitione cadunt, saltem quo ad aliqua requisita quod sufficit, vt de se notum est. Et sic Cosmographia in vniuersali, Geographia, Corographia, & Topographia, sunt facultates optimæ nec tantum verissimæ, sed vtiles atque magnopere delectabiles. Vnde eclypses Solis, & Lunæ, diuersitates dierum, & noctium, aliaque eiusmodi certè cognoscuntur.

Secunda. Cosmographia practica, quæ Gnomonicam, Meteoroscopicam, & Dioptricam comprehendit similiter vera esse potest, præsertim si prædicta principia, partes, & passiones cælestes indagare intendat. Probatur, quia cognitiones istæ sensui innituntur, addita proportione locorum, distantiarum, & aliorum, quæ per regulas, obseruantias, aliosque veracissimos intellectus discursus percipi possunt; quæ autem sic se habent, vel synceram, vel paucis mistam erroribus veritatem ostendunt; diximus si versentur circa prædicta; quoniam si ad futura contingentia, quæ sub auguratrice continentur extenduntur, non habent veritatem, sicut nec illa, vt videbimus.

Tertia conclusio. Astrologia iudiciaria, quo ad eam partem, quæ temporum qualitates prænoscit non est vera simpliciter, vel sine errore, sed probabilis tantum, probatur prima pars; nam quamuis ab aliquo astro, vel planeta tempestates, pestilentiæ, penuriæ, morbi, cæteraque id genus portendantur, ab alijs tamen, & vniuersalibus, & particularibus causis, vel impediri, vel modificari possunt; quamobrem secunda conclusionis pars ex se notissima remanet; data namque causa, quæ impediri potest, probabile solum non autem simpliciter necessarium est, quod effectus sequatur. Verum, quomodocunque se habeat, est admodum vtilis, & honesta facultas; nec non Medicis, & Nautis ferè simpliciter necessaria; nisi etenim temporum dispositiones prænoscant, nec medicinam infirmis, nec iter nauibus commodè parare poterunt.

Quarta conclusio. Astrologia iudiciaria, quatenus futura simpliciter contingentia maximeque hominibus præuidere præsumit est simpliciter vana, falsa, ab Ecclesia, & legibus reiecta, quod vero sit penitus falsa, & vana, probatur; aut enim hæc futura contingentia contingenter eueniunt, aut necessariò; si contingenter, ergo possunt non euenire (quod est de ratione contingentium) & sic dicendo quod necessariò eueniant, mentiuntur. Si necessariò, non daretur in natura contingens; quod vniuersæ Philosophiæ, sed præsertim experimentali quotidianæ cognitioni repugnat. Amplius, hoc pacto omnis libertas, omnique meritum, & demeritum, laus ac vituperium ab hominibus remouendum esset, quod enim necessariò euenit, prædicta omnia adimit. Præterea. Quam plures, & innumeri homines, eodem tempore, & sub eisdem Cælorum aspectibus nascuntur, qui tamen diuersas penitus sortiuntur fortunas, & conditiones, vt optimè est vnicuiq; perspicuum. Amplius. Ipsi Astrologi sumunt principium augurandi ex die, hora, & minuto nascentium; sed quam sit hoc vanum, probatur; nam dum res constituuntur in esse, influxum, & omnes sibi conuenientes qualitates recipiunt; nascentia autem ipsa dum in vtero concipiuntur recipiunt esse substantiale, vt clarum est, ergo nihil, vel parum facit natiuitas extra vterum; præterquam quod, adhuc in ipsorum conceptione, multæ, & graues reperiuntur difficultates; non enim omnia membra simul formantur, nec statim introducitur anima, quamobrem circa singulas partes, nouas diuersasque augurationes sumere deberent. Item. Astra ab Astrologis cognita sunt tantum mille, & viginti duo; quomodo ergo ex ipsis, & paucis, & adeo distantibus innumeras hominum aliorumq; proprietates, & casus cognoscere poterunt? dicerent ex diuersa ipsorum commistione, & complicatione, ad similitudinem litterarum, ex quibus paucissimis ingentia conscribuntur volumina. At hoc magis arduum, magisve ridiculum extat, quis namque modus, quæue causa sic ad libitum eorum Stellas applicandi assignari poterit? litteræ namque sunt voluntariæ, quamobrem pro hominis voluntate sunt complicabiles. Hæ igitur, & aliæ quam plures rationes contra prædictos fieri possunt, tamen neque ipsi suis carent argumentis; sit igitur primum. Vnicuique rei particulari determinata causa est assignanda, non tantum particularis, sed vniuersalis quoque: sic videlicet, quod in quacunque re, vel effectu, & agens particulare, & cælum etiam concurrant, aliter ipsum cælum non esset causa vniuersalis; omnium ergo ipsum cælum est causa principalissima, æterna, & incorruptibilis quod cum cognosci possit, & sensu, & intellectu; fatendum est, quod rationem, & modum causandi circa singula cognoscere possimus, & sic effectus ex ipso futuros prænunciare. Amplius. Philosophus in secundo de gener. & corruptione tex. 50. ait formas, & species omnium esse in terminis, quod est dicere, exemplaria, vel, causalitates expressas omnium in cælo reperiri, cur ergo cognosci non poterunt? Item per artem Physiognomicam multa certissimè præuidentur, vt quotidie notum est, cur ergo per Astrologiam id facilius non fiet? Amplius experientijs quam plurimis omnibus compertum est, veritates certas pronunciasse Astrologos, quas omnes nunc recensere nimis prolixum, & tædiosum esset, si quidem his pleni sunt libri. Denique, etiam secundum Philosophos variè proprietates, & influxus diuersis tribuuntur astris, si ergo non sunt frustra, effectum aliquem producent; & sic habetur intentum. Verum facili negotio hæc argumenta soluuntur. Ad primum igitur dicatur. Causas illas vniuersales cæelestes, & à nobis non plenè cognosci, & à particularibus, maxime à liberis retardari, vel modificari; imò ob-

1. Arg. Secundum. Tertium. Quartum. Quintum. Solutiones. Ad primũ.

cou-

contingentiam ſecundarum cauſarum, non neceſſariò cauſare. *Ad ſecundum.* Ad ſecundum ferè eodem modo reſponderi poteſt; videlicet re vera in cælo eſſe cauſas omnium, ſed nec id plene à nobis cognoſci; nec neceſſariò effectus omnes producere. *Ad tertiū.* Ad tertium reſpondetur, Phyſiognomicam artem eſſe certiorem Aſtrologia, quia per ſenſibiliora, & proximiora, & magis particularia atque immediata ſigna procedit, præter quam quod ipſa non effectus ſimpliciter contingentes, ſed inclinationes dumtaxat enunciare intendit; Iudiciarij vero, ſic res futuras temerè, & inconſultò pronunciant, vt oppoſitum euenire non exiſtimant. *Ad quartū.* Ad quartum dicitur, vel veritates illas fuiſſe à caſu (qui enim multa dicit, cum innumeris falſitatibus, veritatem aliquam diuina permiſſione, quæ hęc inferiora per homines etiam impios dirigit enũciat,) vel tandem Dæmonum tacita, vel expreſſa traditione, poteſt namque accidere quod alicui primo hoc reuelauerit, & ſic eſt expreſſa traditio; quam ſequentes alteri licet hoc ignorantes prænoſcunt, & hæc tacita erit. Verum neque credendum eſt, Dæmones ipſos infallibiliter futura omnia contingentia prænoſcere, ſed longa experientia, ac ſapientia probabilem admodum cognitionem de his retinent. Deus autem ſolus omnia prænoſcit. *Ad quintū.* Ad quintum reſpondetur, Philoſophos influxus vniuerſales concedere, cum hoc tamen, quod modificari, & determinari, ac etiam fruſtrari poſſint.

QVÆSTIO VIII.

Figuram autem ſphæricam neceſſe eſt habere Cælum. Tex. 22.

QVamuis multis rationibus affirmatiuam partem oſtendat Ariſt. in littera; tamen aliqua ad maiorem dilucidationem breuiter addenda ſunt. Videtur ergo primum, ipſum ſphæricum non eſſe. Nam quod omnia continet capaciſſimam, vel maximam omnium debet habere figuram, ſed ſphærica eſt omnium Iſoperimetrarum (vt aiunt Geometræ) minima, ergo.

Secundò. Si ſphærica eſſet, hoc ideo accideret, quia hæc eſt perfectiſſima, & quia vacuum in motu non admittit, vt videtur velle Philoſophus, ſed neutra de cauſa hoc eſt verum, probatur, nam perfectior figura eſt magis articulata, pluribus ve varietatibus ornata, qua de cauſa figura animalium eſt rerum inanimatarum præſtantior, hominis vero brutorum; pariter poſſet ſaluari motus Cæli ſine vacuo etiam ſi poneretur in Cælo figura oualis, vel Cylindri, ergo.

Tertiò. Eadem eſt figura aſtrorum, & totius Cœli, vt docet Philoſophus in textu; at Aſtra quamuis ſphærica videantur non tamen ſic ſe habere pro certo credendum eſt; ſi quidem res angulares à longè perſpectæ ſphęricæ apparent; nam ob diſtantiam anguli reſtranguntur, vel potius, ſpecies ipſorum ad oculos delatæ, obtuſæ, vel remiſſæ fiunt.

Pro Intelligentia ſciendum eſt, figuram eſſe vnum ex præcipuis accidentibus, quæ ſic naturam rei ſequitur, vt à quam plurimis Philoſophis ſubſtantia, vel rei eſſentia ſit credita, ac maximè ad operationes, & motus efficiendos eſt ordinata; quamobrem, quæ imperfectiſſima ſunt, vt inanimata, nullam determinatam figuram ſibi vendicant, aqua namque ignis, & huiuſmodi ſub qualibet figura ſeruantur; oppoſitum dici poteſt de animalibus, & de cælo, quod eſt omnium (dempto homine) perfectiſſimum. Secundò notandum, quod figura ſphærica hoc loco accipitur pro circulari, nam re vera cæli non ſunt ſphæræ, ſed orbes; differt autem ſphæra, ab orbe; in hoc, quod ipſa ſphæra eſt corpus circulare plenum, ſicut eſt pila ferrea, lapidea, &c. At orbis eſt corpus ex vna parte concauum, ex alia conuexum, ſicut eſſet dimidium pilæ vacuę: Nunc ad concluſionem deueniamus. Dicimus itaque cælum eſſe ſphæricæ figuræ; probatur, nam perfectiſſimo corpori, perfectior conuenit figura; Cælum autem eſt perfectiſſimum, & figura ſphærica eſt etiam omnium perfectiſsima, ergo: perfectio autem eius conſiſtit in continentia, nam ſecundum paruam loci occupationem quam plurima continet; eſt etiam ſine terminis, vnde ei non poteſt fieri additio, ſeu nihil deeſt, quod eſt proprium rei perfectæ; nec non eſt aptiſſima ad perfectiſſimum motum, qui eſt circularis, & regularis, vt in 8. Phyſic. viſum eſt. Præterea cælum eſt ingenitum, incorruptibile, & per Philoſophum ſecundum omnes partes, & diſpoſitiones æternum; quamobrem æternitati Dei quo ad fieri poteſt aſſimilatur; at hoc melius eſſe nequit niſi in figura circulari (loquendo præcipuè de accidentibus) nam circulus principio, & fine caret, vnde æternitatem æmulatur. Amplius niſi figura ſaltem primi eſſet circularis, extra ipſum daretur vacuum, nam partes illæ inæquales nunc iſtud, modo aliud ſpatium teplerent, aliud vero inane relinquerent.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, figuram circularem eſſe minimam aliarum figurarum Iſoperimetrarum quo ad occupationem loci, ſed quo ad continentiam eſt maior, vocantur autem figuræ Iſoperimetræ, quæ angulis carent, vt oualis, cucurbitalis, lenticularis, &c.

Ad ſecundum dicitur, non eſſe de perfectione figuræ, quod ſit magis articulata, ſed perfectiones eius attenduntur ſecundum conditiones in concluſione poſitas, & præcipuè ex parte finis, & motus præſtantioris. Ad aliam partem dicitur, quod re vera primum mobile moueri poſſet ſine vacuo, per figuram oualem, vel cylindri (quæ eſt ſimilis figuræ ouali, ſed habet extrema æqualiter ampla non ad pyramidalem tendentia vt oua) ſed alij orbes inferiores nullo modo ſic poſſent moueri, quia cum non moueantur ſuper eoſdem polos cum primo mobili, mutuo ſe impedirent, quamobrem ratio illa valet ſolum de primo mobili.

Ad tertium dicitur, quod quamuis ſenſus circa hoc deciperetur, quo ad ſimplicem intuitum, alio tamen modo firmis hæret experientijs, & præcipue motuum aſtrorum, ipſa etenim paulatim, ac tali ordine ſic ſuccedunt, non circa polos æquales diſtantias, & apparentias ſeruant, vt per nullam aliam figuram, quam per circularem ſaluari poſſent, præter quam quod rationes ipſæ in concluſione adductæ, ſi in aliquibus ſenſus deciperetur corrigerent.

QVÆSTIO IX.

Quoniam autem eſt dupliciter in circulo moueri. Tex. 33.

De numero, ordine, ac motu cæleſtium orbium.

NOn paucas quo ad ſingulas partes difficultates cõtinet propoſita quæſtio; nec enim de numero, neque de ordine, ac multo minus de motu inter ſe Philoſophi atque Aſtrologi conueniunt. Nos autem ne in ſtudia impatientes tyronum mentes irritemus, ſuperflua omnia reſecantes, quòd probabilius videtur, breuibus aperiemus. Circa numerum itaque quatuor præcipuè ſunt opiniones. Prima eſt aliquorum, qui exiſtimant vnum numero dumtaxat eſſe cæleſte corpus, ſic videlicet, quod orbes particulares ſint veluti partes, vel mẽbra

vnius

vnius totalis corporis; & ficut idem corpus organizatum, diuerſos ſortitur motus ad diuerſa munera obeunda, ſic cælum ipſum in orbibus particularibus vel partibus, diuerſos ad diuerſos fines ſubire motus. Quæ poſitio confirmari poteſt ex his, quæ docet Ariſtot. in primo de cęlo; tex. 16. & alibi, videlicet, quod præter quatuor ſimplicia corpora elementaria, eſt alia quædam natura ab his diuerſa, & nobilior; quamobrem videtur quintum connumerare ſolum; quod ſi eſſent plures inſufficienter locutus fuiſſet. Verum hæc opinio eſt falſa, & contra eundem Philoſophum, atque Aſtrologos omnes; nam partes, vel membra aut organa cuiuſuis corporis debent eſſe inter ſe continua, diuiſa namque, eſſent ſimpliciter plura corpora, & vnum non eſſet pars alterius, cęli autem inter ſe continui non ſunt, nam ſecundum ſe totos diuerſis, & totalibus mouentur motibus, quod nullatenus ſi continui eſſent accidere poſſet. Nec Ariſt. eſt pro eis, quoniam ſufficit vt ſit natura diuerſa ſpecifice, etſi non vna numero, vt melius dicetur.

Secunda eſt opinio quorundam exiſtimantium tres duntaxat eſſe cęleſtes orbes, ſcilicet Stellarum, Solis, & Lunæ, ita vt omnes planetæ vel aſtra errantia eſſent in eodem orbe cum Stellis fixis, in alio vero orbe eſſet Sol, & in alio Luna. Verum hi ab Aſtrologis facile redarguuntur, ſi quidem per diuerſos orbium motus, diuerſitatem quoque ipſorum cæleſtium corporum inuenerunt, quod vero ſint plures motus quam tres, non tantum ipſis Aſtrologis, ſed iam ferè omnibus mediocriter intelligentibus eſt experientia compertum. Tertia opinio aſſerit, octo eſſe cæleſtes globos, quam videtur amplexus Ariſt. in 12. Metaph. tex. 47. & quidem vbique octauam ſphæram, ſeu cælum ſtellatum primum mobile eſſe affirmat; tamen non ſie ratam hanc habuit opinionem, quin oppoſitum ſentiendum poſſibile eſſe putaret; ſiquidem idem in 12. Metaph. cap. 8. Calippum, & Eudoxium Aſtrologos, quadraginta ſeptem, vel quinquaginta quinque ſphæras totidemque motrices intelligentias ponentes, laudat, ac ſequi videtur; quod non aliunde contigiſſe exiſtimo, niſi quia per exactas mathematicas obſeruationes nondum certus ipſorum numerus compertus erat; ſed apud plures vel ferè omnes, octo credebantur; apud paucos plures; quamobrem cum non minus prudens, quam ſapiens extitiſſet, in re dubia dubie locutus eſt, idemque fecit de Dæmonibus, vt forte alibi in hoc eodemmet opere philoſophico dicemus. Quod vero neque octo ſolum, nec quadraginta ſeptem, aut quinquaginta quinque exiſtant ab Aſtrologis ratione prædicta conuincitur; ſi quidem plures apparent motus quam octo, nec ad aliud prædictum pertingunt numerum. Sit itaque Quarta opinio, videlicet vndecim eſſe ſphæras cæleſtes, quarum decem naturaliter cognoſcuntur, ſeu per motuum diuerſitates, alia vero ex ſacris literis (quam ne aliquid deſideretur ab adoleſcentibus appoſuimus) expreſſe habetur. Sunt itaque iſtæ. Cęlum Empyreum, Primum mobile, Cælum chryſtallinum, Cælum ſtellatum, Saturni ſphæra, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, & Lunæ.

Poſitio vera de numero cęlorum.

Cęlū Empyreum.

Cælum autem Empyreum vt Theologi fatentur eſt immobile, lucidiſſimum, atque Beatorum ſedes; quamobrem alij quadratum; alij ſphæricum ſecundum placita ponunt; dicitur autem Empyreum, quaſi igneum, non quod ita ſe habeat; nam omnes ſuperiores ſphæræ ſunt ab elementis diuerſæ, atque nobiliores, ſed propter lucem, & ſplendorem, quam ſupra omnes habere prædicant. At quæret aliquis, cur ſi ita fulgidiſſimum exiſtit ab oculis noſtris non conſpicitur; ſi quidem Stellas aliaque fulgentia etiā procul exiſtentia reſpiciamus. Reſpondent. Lucem illam ſolum ex parte conuexa eiuſdem cæli verſus Beatorum ſedes eluceſcere, ex parte vero concaua, & verſus nos, ſecus ſe habere; nempe, quod ſit terminatum, vel aliquomodo opacum, non ſecus atque ſpeculum ex vna parte imagines, & lumen reddens, ex alia vero plumbatum exiſtens. Alij vero aſſerunt; Deum generalem concurſum verſus nos ab ipſo auferre, quo remoto, agere, vel illuminare non poteſt, quorum vtrumque eſt poſſibile, ac de fide credendum; vnde rationibus Philoſophicis, ſicut non poteſt comprobari; ſic neque reijciendum eſt. Pariter quæri poteſt; an aliquid aliud (dimiſſa luce) in hæc inferiora influat, vel efficiat. Reſpondent pariter affirmatiuè, quia cum ſit corpus quoddam, debet habere ordinem ad mundum, & in tali connexione non eſſe fruſtra; influit igitur (dicunt) in intellectum, & voluntatem ſicut ſunt bonæ inſpirationes, vaticinia, & alia altioris gradus, & ordinis, quemadmodum ipſum cæteris corporibus dignitate præcellit. Sed adhuc alia eſt difficultas; an dici poſſit corpus naturale, cum omni motu careat; natura autem eſt principium motus. Reſpondetur pariter affirmatiuè, quod ſi non moueatur, hoc eſt Deo ſic diſponente, ſed motum quo ad aptitudinem ſubterfugere, intelligibile non eſt; quamobrem, cum aptitudo ad finem ordinetur, debet potius rotundæ quam alterius figuræ exiſtere, etiam ex parte conuexa; dato namque quod ad motum ex Dei voluntate reduceretur; ſi eſſet quadratum, daretur vacuum, vt probat Ariſtot. de primo mobili; Poſt Cælum empyreum ſequitur primum mobile, in quo nulla adhuc cognita eſt exiſtens Stella; ſequitur poſtea Cælum cryſtallinum; quod hoc modo vocatur, quatenus eſt tranſparens ſine aliqua ſtella, ſicut chryſtallum, vel aqua; deinde ſuccedit Cęlum ſtellatum, quod firmamentum, & Aplane vocatur; dicitur firmamentum; prout in ipſo numerus innumerabilis aſtrorum firmiter hæret, ſic inquam firmiter, vt nunquam inter ſe diſtantiam varient, ad differentiam planetarum, qui errantes dicuntur, vt inferius, vbi de aſtris agemus fuſe dicetur. Creditum autem olim fuit primum mobile, eo quod ſenſibiliter, & ſolum ſupra orbes planetarum videbatur; ſed poſtea ab Aſtrologis diligenter obſeruatum eſt, quod tribus moueatur motibus, ideo duos alios orbes ſupra ipſum ſtatuerunt, ad motus quorum duos alios præter proprium ſubiret motus, ſi quidem vnius corporis ſimplicis eſt vnus ſolus motus ſimplex naturalis; poſt hoc ſequitur Saturnur, deinde Iuppiter, &c. Sed ad ordinem accedamus. Circa hunc itaque diuerſi diuerſa quoque ſentierunt; alij namque ſphęram Solis ſecundum orbem ſtatuerunt, inter quos connumerant Ariſtot. Sed re vera, neque id Ariſtot. aſſerit; nec experientiæ conſonat; ſi quidem per diuerſas obſeruationes, aliter compertum eſt, dicamus itaque cum Aſtrologis, ſine alia pro nunc inquiſitione; ſphæras ipſas cæleſtes ordinari, vt ſupra, ſic videlicet, quod in ſupremo loco ſit cælum empyreum, deinde primum mobile, tertio cęlum chryſtallinum, quarto ſtellatum, quinto Saturnus, ſexto Iuppiter, ſeptimo Mars, octauo Sol, nono Venus, decimo Mercurius, vndecimo, & vltimo Luna; ordine vero præpoſtero Luna eſt prima, Mercurius ſecundus, & ſic de alijs.

Ordo cęleſtium corporum.

De motu autem pariter multæ ſunt opiniones. Nos autem breuiter dicamus, vnumquodque cæleſtium corporum moueri vno ſimplici motu naturali (excepto item Empyreo) at præter hunc omnes inferiores orbes mouentur motu ipſius primi mobilis, eſt enim hic motus adeo efficax, & velociſſimus, vt alij inferiores orbes reluctari minime poſſint. Verum eſt tamen, quod quanto aliquis orbis ab eo magis diſtat; tanto tardius hoc motu mouetur, quia ob diſtantiam virtus ipſius primi mobilis langueſcit, vt docet Philoſophus in hoc libro textu 58. Eſt igitur motus primi mobilis ab Oriente in Occidentem, iterum ad Orientem reuertens in viginti quatuor horis, quo motu omnes aliæ ſphæræ inferiores rapiuntur, vt diximus; quare in ordine ad ipſas, motus hic dicitur raptus. Cœlum autem chryſtallinum, ſecundum Ptolemæum in triginta ſex millibus annis, ſed non per eoſ-

Motus ipſorum.

dem

dem polos, motu proprio mouetur; videlicet in centum annis gradu vno; totum autem cælum in tercentum sexaginta gradus diuiditur, vt postea dicemus. Hæc autem reuolutio dicitur magnus annus & præcipuè Platonis; Magnus annus Platonis. nam circa hunc singulariter philosophatus fuit; asserebat namque; omnia eadem numero (post hunc completum) eisdemque conditionibus & operationibus reditura; ita vt non tantum ego sim reuersurus; sed tunc, seu hinc ad triginta sex millia annorum, modo in hac eadem cathedra vobis omnibus eisdem verbis cæterisque alijs sim lecturus &c. quamuis hunc orbem cum cælo stellato confunderet. Ratio vero ipsius erat; quia stante eadem causa, ijdem sequuntur effectus; sed cęlum maxime stellatum est præcipua causa horum inferiorum; ergo eisdem existentibus circa nos eiusdem cæli dispositionibus cur sequentia negabimus? Quæ tamen opinio iam in scholis, meritò aboleuit, si quidem non à solo hoc cælo res pendent, sed ab alijs quoque atque à Deo, innumerisque particularibus causis. At cęlum stellatum motu trepidationis proprio, in 7000. mouetur. Saturnus autem in triginta annis, Iuppiter in duodecim. Mars in duobus. Sol in vno anno, seu in trecentis sexaginta quinque diebus, & sex horis. Venus ac Mercurius eodem tempore. Luna denique in viginti septem diebus, & horis octo. At præter hos motus, sunt alijs motus epyciclorum, de quibus dicemus, dum de Astris tractabimus. Sunt alij quoque per participationem orbium superiorum; vnde aliqui Astrologi multiplicant semper, secundum descensum orbium; sic videlicet, quod primum mobile moueatur vno solum motu; cælum chrystallinum duobus, cælum stellatum tribus, Saturnus quatuor, & sic consequenter; tamen hoc non est necessarium; quia motus alicuius orbis superioris non semper est tantæ virtutis, vt alium mouere possit; Præterquam quod, quamplures super eosdem polos, vel etiam contrarios mouentur; cui addendum est, quod experientiæ repugnat, Luna namque quod duodecim moueatur motibus nemo adhuc certa experientia asserere potest. Quamobrem dicerē (certiorem tamen cognitionem ad Astrologiam referendo) duobus motibus omnes præter primum, tribus vero stellatum moueri. Sed dubium est de motoribus, cum enim animati non sint, à se ipsis moueri non poterunt, cui tamen dubitationi facile est satisfacere, asserendo nimirum omnes à propria Intelligentia cieri, hæ autem sic determinatæ sunt ad mouendum, vt nec velocius, nec tardius mouere possint, saltem secundum cursum ordinarium naturæ. Verum intelligentia superior posset inferiorem orbem mouere non è contra. Dicuntur autem à Philosophis Intelligentiæ, quia sunt puri intellectus immateriales, numquam ab intelligendo desistentes. Dicuntur etiā à Theologis Angeli, nec aliud quam Dei ministros significando, Aristoteles autem noluit ad aliud quam ad mouendum (præter intelligere) ordinatos esse, vnde quot sunt cæli tot Angelos statuit; Theologi vero plura eis munera tribuunt, vnde ferè in infinitum augent.

QVÆSTIO X.

An orbes cælestes inter se solum numero differant.

PRoblematica est presens quæstio, rationes namque probabiles ac æqualis difficultatis hinc inde continet; quia tamen est quoddam dictum philosophicum ex quo negatiua pars aptius colligitur, ideo eam sequi decreui. Sed de more prius aliter opinantium argumenta
1. Arg. adducantur. Quod igitur solum numero, non autem specie differant, probant primo sic. Diuersitas specifica sumitur, vel à posteriori eo modo quo potest colligitur ab accidentibus, & præcipuè à figura & motu; sed cælestes orbes eandem figuram sphæricam, eundemque motum circularem (vt satis probatum est) habent, ergo.

Secundò. De ratione vel conditione rei perfectæ est Secundum. vt pluribus communicetur, cæli autem sunt perfectissimi, ergo multiplicandi sunt secundum eandem naturam, & sic sunt plures numero tantum. Neque dicatur, rationem non valere, eo quod Mundus est quoque perfectissimus, nec tamen plurificabilis, quia defectus non prouenit ex parte ipsius, sed quia vniuersam claudit materiam, vt visum est, quod de cælestibus sphæris asserere minime possumus, siue ex materia compositæ, siue ipsius expertes ponantur.

Tertiò. Si specie differrent, hoc ideo asserendum videretur, quia effectus ipsorum specie differunt, alij enim sunt effectus Solis, alij Lunæ &c. at hoc nihil valet; quia nobilissima entia quamuis vnitatem numericam (ne dicam specificam) haberent, effectus tamen specie diuersos efficere possent, vt patet de ipsomet Sole, qui ranas, muscas, serpentes, aliaque id generis diuersa producit, cum ergo aliunde hæc diuersitas colligi nequeat, profecto ponenda non erit.

Oppositum tamen sentiendum cum plerisque Philosophis existimo. Pro cuius tamen maiori intelligentia sciendum est, Mundum adeo cum diligentia & ordine ornatum ac dispositum esse, vt nihil aut manufactum se se habeat similiter, aut aliud quippiam eorum quæ apud nos existunt, vt docet Philosophus hoc in lib. tex. 31. de ratione autem ordinis & decoris, est quod omnia in suis disponantur locis, sic videlicet, quod quæ sunt eiusdem speciei eundem numero locum habeant, quæ diuersæ, diuersum; locus enim correspondet locato, vt etiam de facto est videre, aqua enim supra terram, aer super aquam existit, & sic de alijs; quamobrem si diuersa corpora naturaliter in diuersis locis existant, ea specie differre fatendum est, & sic ad propositum de corporibus cælestibus est concludendum. Sunt enim in diuersis Conclusio. locis, vnum videlicet supra aliud, ergo specie differunt. At si dicatur, vnum esse omnium locum, non tamen immediate in ipso existere, quia non possunt se penetrare, & sic nihil prædicta ratio concludit, vt etiam experientia comprobari potest, vnus est locus aquæ, vel terræ, tamen diuersæ ipsarum partes pariter diuersis loci partibus respondent, & sic dicatur de cælo. Respondetur, disparem esse rationem, quia aqua & terra sunt corpora continua, ita vt vniuersa aqua simul vnita vnicum sit corpus numero; quamobrem vnum expostulat locum, quia partes non sunt in loco nisi in potentia; cælestes autem orbes nec sunt, nec esse possunt continuati, vt per diuersitates motuum probatum est, quapropter sunt corpora actualiter diuisa, & actualiter quoque in loco suo modo, quod dicimus propter vltimam sphæram, quæ ab alio non continetur localiter, cum itaque sint in locis diuersis, specie necessario differunt. Sed adhuc obijci posset, quoniam corpora hæc ideo non sunt in eodem loco, quia vnum ipsum locum occupat, quare alteri non relinquitur idem occupandus, vnde sufficit, quod ad eundē tendant. At hoc nihil valet; nam quia continuari non possunt, signum est quod sunt diuersæ naturæ, vnde neque quo ad occupationem, neque quo ad tendentiam eundem locum requirunt. At si respondeatur, non posse continuari propter soliditatem, non propter diuersitatem naturæ; vt lapis alteri continuari nequit, quamuis specie non differant. Neque hoc valet; quia & si lapides iam de facto continuari nequeant ob duritiem; tamen in ipsorum productione si simul coniuncti fuissent, vel potius non fuisset distantia inter ipsorum materias, nulla adfuisset diuisio; sic etiam orbes cælestes, cum se tangant nihilque inter ipsos mediet, in ipsorum productione vnus ex omnibus

velu-

veluti ex partibus constitutus fuisset, nulla namque tunc aderat causa diuisionis, præcipuè cum essent eiusdem speciei, & naturæ. Neque hoc videatur ad placitum philosophari; quia in rebus animatis organicis, id quoque contingit, plantæ namque, semina, & animalia ipsa, nisi aliquid mediet, sic in generatione, vel secundum totum, vel secundum partes vniuntur vt quotidie patet. Amplius, Natura non producit plura indiuidua eiusdem speciei, nisi propter conseruationem, quod accidit in rebus corruptibilibus, vt docet Aristoteles in secundo de anima, textu 34. & 35. Cæli autem neque corruptibiles sunt, neque conseruari indigent, ergo; hoc est maximum fundamentum, quod ex Philosophi doctrina elicitur. Præterea. Vnicum perfectum indiuiduum alicuius speciei, omnes proprietates, dispositiones, cæteraque accidentia in se continet, vt notum est; Si ergo cæli essent eiusdem speciei, ac solum numero differrent; in quolibet ipsorum omnia, quæ in alijs sunt reperirentur; quod eo magis veritatem habet, quo ipsa cælestia corpora sunt omnium peregrinorum accidentium expertia; quamobrem dato vno, alia essent superflua, quod est contra ordinem naturæ; cum ergo sint plura, dicendum est, quod specie differant. Sed responderi posset; vnum ipsorum non sufficere ad vniuersi bonum, ideo plurificata esse in eadem specie. At hæc responsio est vana; quoniam vnumquodque ipsorum est tantæ capacitatis, continentiæ, & virtutis, vt vniuersum restringat, sicut notum est. Si vero iterum diceretur, in diuersis, diuersas esse dispositiones, quæ in vnico contineri non possunt, redit difficultas prædicta; videlicet, quod specie differant; nam vnumquodque indiuiduum omnia perfectionalia speciei continet. Si quis vero cum aliquibus diceret, materiam esse causam indiuiduationis, & plurificationis in eadem specie, simulque cælum materia carere, facile colligeret intentum; sed sicut suppositum est falsum; sic non benè intentum concluditur; non enim materia est indiuiduationis principium, vt alibi dicetur. Maneat ergo conclusio, cælestia corpora inter se specie differre, prout philosophicis probabilioribusque rationibus colligi potest; sed duæ

Cæli an similares.

remanent examinandæ dubitationes. Prima An cæli sint corpora similaria, vel non. Secunda; quæ sint ipsorum accidentia. Ad primam negatiuè respondetur, quoniam neque quælibet pars cæli est de natura, & penitus similis alteri, vt patet de Sole in comparatione ad reliquas ipsius orbis partes, neque conueniunt in figura totius, nam pars circuli non est circulus; verum est tamen, quod non sunt dissimilaria sicut viuentia, vel animalia, nam quamlibet cæli partem, cælum vocamus, & non quamlibet partem animalis animal; vnde plus, & minus in similaribus, & dissimilaribus reperitur. Ad secundum respondetur, cælos esse raros, & densos, quæ dispositiones ad situm attinent; nam rarum dicit distantiam partium; densum propinquitatem; verum sic se habent à natura, quod nunquam de hac in aliam, vel diuersum mutabiles sint; habent præterea lumen, influentias, motus, nec non sunt sensibiles visu, vt patet, ac etiam tactu; ad hunc tamen sensum; quod si quis ipsis digitum apponeret inueniret impedimentum, & resistentiam ab ipsorum quantitate, sunt namque impene-

Quomodo tangibiles.

trabiles, & corpora quanta; quamuis qualitates tangibiles sicut est caliditas, frigiditas, & aliæ ibi non sint; vnde sunt tangibiles tactu mathematico, vel quantitatiuo, non autem physico, vel quale; sunt pariter diaphani, vel transparentes, quod quidem de se notum est; stellæ namque, quæ in firmamento existunt, à nobis videntur, quamuis septem planetarum orbes, inter nos, & ipsas intercipiantur, de lumine vero posterius fusè dicetur.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur; figuram in rebus inanimatis non esse sufficiens accidens ad specificam naturam insinuandam; multa namque determinata carent figura; pleraque vero in eadem conueniunt; in animalibus tamen perfectis facilius id sequitur.

Ad secundum dicitur, duplicem esse communicationem, scilicet propriæ naturæ, & hæc non est necessario in omnibus rebus perfectis, sed in quibusdam vt conseruentur, sicut sunt res generabiles, &c. alia est communicatio munerum, vel beneficiorum, & hoc est de ratione cuiuslibet rei perfectæ, & sic cæli maximè communicantur.

Communicatio duplex.

Ad tertium patet in conclusionibus, vnde sumatur talis diuersitas; quæ si ex effectibus etiam sumenda erit, non debet accipi ex diuersis effectibus eiusdem corporis vt optimè probat argumentum, sed ex eo quod à diuersis orbibus diuersi fiunt effectus, quod si eiusdem essent speciei, & inalterabiles id minimè contingere posset, vt dictum est.

QVÆSTIO XI.

In sempiternis casus esse non potest. Tex. 33.

Quæritur de veritate istius propositionis.

QVod itaque vera non sit, duabus rationibus comprobatur. Prima. Casus est quid per accidens, seu præter intentionem, vel finem agentis eueniens (sit namque sermo hic de effectu casuali, vt videtur sensus literæ textus) hoc autem rebus sempiternis præterquam Deo non repugnat, ergo. Probatur minor; si etenim homo esset æternus, quid obstaret, vt quamplurima à casu sibi contingerent? imò vnumquodque non existens infinitæ cognitionis, & intellectus, potest in multa incidere, de quibus non intendebat; & sic à casu sibi contingent. Secunda ratio. Cælum est secundum Philosophum æternum, de quo præcipuè loquitur; & tamen multa ei à casu contingunt, nam poterit aliquod astrum intendere aliquem finem, vel generationem, quę ob impedimentum, vel virtutem maiorem alterius non efficitur, sed aliud diuersum, & non intentum, & sic à casu eueniet, ergo. Pro intelligentia sciendum est; quod casum rebus æternis conuenire, potest dupliciter intelligi; vno modo, quod ipse recipiant aliquod ad quod per se ordinatæ non erant; vt si cælo aliqua macula, vel simile accideret; secundo, quod effectus non intentos producant, quod quidem etiam dupliciter contingere potest; scilicet, vel comparatione ad ipsa vniuersa sempiterna, sicut si aliquis effectus à nulla parte cæli intentus proueniret; sic namque totum cælum à casu operatum esset, aut secundum aliquas partes tantum, sic nimirum quod aliquid ab vna parte cæli intendatur, & oppositum tamen adueniat ob oppositam victricem partem eiusdem. Secundum has ergo acceptiones, diuersimode respondendum est. Dicimus ergo primo, sempiterna non admittere casum in prima acceptione. Probatur, quia si sempiterna sunt, debent esse ingenerabilia, inalterabilia, &c. quamobrem à non determinato agente aliquid recipere non poterunt: dicimus à nullo indeterminato; quia de determinatis, & perfectiuis hoc non est necessarium, Sol enim astra illuminat, &c. tamen, quia determinata sunt, casum non admittunt. Quæ ratio sic clarius deduci posset. Sempiterna sunt talis ordinis, & dispositionis, vt vel nulli agenti, vel solum æterno, & perfectiuo subsint; vt Intelligentijs cæli, hæ autem determinate,

Prima conclusio.

minate, & immutabiliter operantur; quare nihil à casu eis contingere potest; quoniam ab alijs agentibus sunt libera, & aliena, quatenus incorruptibilia, & insuperabilia sunt. Secunda. Dicimus secundò, ipsa sempiterna in comparatione ad se tota, neque effectum aliquem casualem, siue non intentum producere, præcipue cælos, de quibus est sermo; probatur, nam sunt causæ vniuersales omnium; ideo quicquid fit ab ipsis, vel aliqua parte ipsorum intenditur. Idem de Intelligentijs dici potest, scilicet, quod nihil efficiant à casu, si quidem secundum dispositionem vniuersi, & cum causis secundis agere intendunt. Tertia. Quo vero ad aliam acceptionem casus, dici potest, in sempiternis aliquid à casu euenire, vt probat secundum argumentum. Ad Arg. At nunc primum soluamus. Dicimus itaque, quod si homo sempiternus esset, nihil re, vera sibi casualiter contingeret, quia nullius esset indigens, vnde inuentio thesauri verbi gratia sibi vt quid bonum non esset, quare potius res indifferens quam casualis respectu eiusdem esset; pariter neque ei accideret malum, quia omne æternum est incorruptibile, & prauis dispositionibus inalterabile. Eodem modo dicatur de alijs, Intelligentiæ namq; & si fortè non omnia præuoscerent (quicquid tamen sit de hoc nunc determinare non curo) tamen non sunt sibi pertinentia, quæ incognita accidunt, & sic nihil eis euenit casuale.

QVÆSTIO XII.

De motu autem ipsius, quod regularis sit &c. Tex. 35.

An Motus cæli sit regularis.

Diximus de regularitate, & irregularitate motus in communi in 5. physic. quest. 7. tamen quia Astrologorum aliquæ vrgent difficultates circa regularitatem motus cælestis, ideo eas hic adducere, & quatenus contra Arist. & Philosophiam naturalem militant, soluendę sunt; dicunt etenim quidam ipsorum, cælestem motum esse irregularem, quod duabus præcipuis rationibus probant. 1. Arg. Prima. Dies non sunt semper æquales noctibus, nec è contra, vt omnibus notissimum est, ergo quando sunt dies longiores, Sol velocius sub altero hæmisphęrio, quam sub nostro mouetur, è contra vero quando sunt longiores noctes, id autem quod eodem motu tardius, & velocius mouetur, irregulariter mouetur, vt idem Aristoteles docet. Posset tamen responderi, non esse verum quod velocius, vel tardius moueatur, sed dies esse longiores, quia Sol super nostrum hæmisphærium maiorem circuli partem transit, è conuerso vero dum sunt longiores noctes. At hoc ipsi sic mordicus impugnant: circuli maiores totius sphæræ ipsam semper æqualiter per medium diuidunt, quare semper erit æquale spatium, quod die, & nocte à Sole peragitur; imò (addunt) sex signa Zodiaci semper super terram nostram, sex alia æqualiter ex altero hæmisphærio apparere: quod rationibus, & experientijs demonstrant; quamobrem erit æquale spatium semper, transactum, & sic inæqualitas ex irregularitate solum proueniet.

2. Arg. Secundum argumentum. Sol modo tardius, modo velocius mouetur, ergo motus eius est irregularis. Antecedens in vniuersa ipsorum scientia notum est, si quidem datur statio, retrogradatio, atque auctio motus ipsius, ergo. Præsens quæstio nulla indiget declaratione terminorum, nam 5. Phys. quæst. 7. quæ ad motum regularem, & irregularem requiruntur exposuimus, tantum superest, vt Arist. positionem fulciamus, & aliorum soluamus argumenta. Quod itaque motus cælestis, & præcipuè primi mobilis sit regularis, probatur; nam cælum ipsum est inalterabile, ergo ex parte eius nunquam potest mala dispositio esse, vt modo sit aptius modo ineptius vt moueatur. Pariter, Intelligentia motrix est immaterialis, & insatigabilis, quamobrem eadem semper mouendi virtute pollet, & sic solum dicendum esset, nunc velocius, nunc tardius mouere, quia sic ei libet, dato quod voluntariè moueat; at hoc est penitus ad placitum, sine ratione, & cum imperfectione, vel mutabilitate Intelligentiæ; præter quam quod experientia contra hoc est manifestissima; si quidem si nunc designetur alicubi aliqua linea, quæ in tali puncto temporis tangatur à radio solis, hinc ad annum eadem hora, & instanti pariter tangetur; quod non aliunde euenit nisi ex regularitate motus orbis ipsius Solis, quod si hoc de Sole est verum, pariter de alijs philosophandum est, Physici enim est eodem modo se habere ad omnia, quæ sunt eiusdem rationis, vt in 8. Physicorum. Si diceretur, interdum velocius, quandoque vero tardius medio tempore moueri, sic tamen, quod hæc difformitas proportionata motus, cum irregularitate, ad eundem terminum statutis temporibus fiat; profectò est sine ratione, & merè voluntarium. Diximus tamen notanter, motum primi mobilis esse præcipuè regularem, quia est omnium mensura, à nullo alio corpore dependens, & primum, ac etiam quoniam Philosophus in præcit. tex. 35. alijs inferioribus orbibus hanc simplicem, & perfectissimam regularitatem tribuere non videtur, quod non est simpliciter intelligendum, ob rationes superius adductas, non solum etenim de primo mobili, sed de alijs omnibus directè, & satis probabiliter concludunt; quamobrem dicendum est quod motus aliorum orbium à primo non dicuntur regulares, vt ipse, quoniam ab ipso dependent, & retardationem aliquam à motu ipsius habent; at quamuis hæc retardatio detur, tamen quia est semper vniformis, & suo modo regularis; irregularitatem non simpliciter causat, sed solum ad hunc sensum, quod ipsi orbes non omni conatu, vel virtute impulsiua suæ Intelligentiæ motricis cientur. At argumenta soluamus.

Ad primum negatur consequentia: ratio namque, vel causa vt dies sint longiores noctibus, vel è conuerso, est quoniam maiorem, vel minorem circuli supra nostrum hæmispherium existentis Sol ipse pertransit, vt oculis, & circa ipsum Solem, & in sphæra materiali videri potest; dum autem dicitur, semper æqualem partem circuli supra terram, vel circa vnum hæmisphærium apparere, verum est, in comparatione ad vniuersam terram, non autem in ordine ad diuersas ipsius terræ regiones, vt ipsi quoque (implicitè saltem) fateri debent; confitentur namque, in quibusdam regionibus per quatuor menses, in aliquibus per sex continuos Solem videri, totidemve alio tempore occultari; quamobrem dum semper videtur, circulus æquinoctialis cum omnibus signis ipsis apparet, sicut dum non videtur occultatur. Idem proportionaliter, dici potest de ijs regionibus in quibus dies sunt inæquales cum alijs aliarum; quamobrem (vt notum est) non bene discurrunt, nec suamet supposita (salua pace bonorum) intelligunt. Sol. primi Argum. Cur dies sine noctibus inæquales.

Ad secundum negatur antecedens; ad probationem dicitur: tales Solis varietates esse quo ad nostram cognitionem sensitiuam. Quæ autem sit causa huius cum maiori approximatione, in sequentibus (vbi de Astrorum motibus agetur) dicemus.

QVÆ-

QVÆSTIO XIII.

De vocatis autem Astris consequens vtique erit dicere, ex quibus constent, & quibus figuris. Tex. 41.

De natura, & figura Astrorum.

DVo sunt hic breuiter, & sine multis argumentis expendenda; alterum, quæ sit Astrorum natura; aliud vero qua sint figura prædita. Quoad primum, diuersi diuersa senserunt; alij etenim Astra de natura ignis esse affirmarunt, alij terrea; quidam aerea: nonnulli saxea, vel ad modum chrystalli, & similia huiusmodi. Verum hæ omnes positiones facilè conuincuntur; quodcunque etenim horum corruptibile est, cælum autem, & omnes ipsius partes sunt incorruptibiles, vt fusè in primo libro probatum est, ergo. Amplius si essent ignea, qualitatibus elementaribus prædita essent, ac inter se generarentur, & corrumperentur, nec non ad locum ignis (sicut si essent saxea, vel vitrea ad locum terræ) tenderent, aut semper violenter in cælo manerent; quorum vtrumque est absurdum, & contra veritatem; dicamus itaque cum Philosopho, esse eiusdem naturæ cum cælo in quo sunt, sic videlicet, quod astrum orbis Iouis sit eiusdem speciei, sicut pars cum toto, cum ipso orbe: nec non ab alijs astris specie differat, sicut orbis ab orbe, hoc est enim rationi consentaneum, quod pars sequatur naturam totius, quod vero sic res se habeat, ratione confirmatur sic; quę sunt alterius speciei non possunt naturaliter continuari vt docet Arist. in 5. Physic. tex. 39. quamobrem astra, & sui orbes non essent adinuicem continui, quod est absurdum. Amplius, diuersorum corporum secundum speciem diuersi sunt quoque motus, præcipuè si sint corpora simplicia, vt per totum precedentem librum visum est; quamobrem astra ipsa per se sine orbe mouerentur, quod reijcit Arist. hoc in libro tex. 43. & inde, imò quot sunt astra firmamenti, tot motus essent, quod nullus Astrologorum somniauit, quin fixa vocantur, non alia de causa, nisi quia immobiliter herent; fatendum est itaque eiusdem esse naturæ. At contra hanc positionem non desunt difficultates; si etenim sunt eiusdem naturæ, cur sicut Sol est lucidissimus, & innumerabilium effectuū productor, non sic totus eius orbis se habet? quæ etenim sunt eiusdem speciei easdem retinent conditiones, & proprietates. Amplius, id quod dicitur, diuersa secundum speciem nō posse naturaliter continuari est falsum, & contra experientiam; nam elementa ipsa continuantur in misto, & tamen differunt specie, pariter caro, sanguis, os, & alia membra specie differunt, & nihilominus continuantur. Quod vero differant specie probatur, nam plus differt caro ab osse, quam hoc os, ab hoc, vel alio osse; at hæc differunt numero, ergo illa differunt plusquam numero, & sic specie. Item, particularis figura, etiam diuersam naturam insinuat, præcipuè si non sit pars alterius figuræ; at astra ipsa habent propriam figuram à cælo, nec sunt pars eius, quoniam pars recipit additionem in ordine ad totum, sphærica autem figura omnis additionis est expers, vt alibi visum est, ergo. Hæ tamen obiectiones non officiunt, sed facilè hoc pacto diluuntur. Ad primam dicitur, nullum esse inconueniens, quod aliqua pars maiori polleat virtute, quam alia, vt patet de corde in comparatione ad quamplurima membra. Dum iterum infertur, quæ sunt eiusdem speciei easdem habere proprietates, & conditiones; Respondetur, id esse verum, si sint indiuidua completa eiusdem speciei, non autem si vnum sit pars alterius, vt patet de omnibus dissimilaribus. Cælum autem est aliquomodo dissimilare, vt alibi dictum est. Ad secundam dicitur, elementa non continuari, sed misceri, quomodo autem id fiat in libris de generatione dicendum est. Ad aliam vero eiusdem argumenti partem respondetur; ossa, sanguinem, &c. non differre specie in eodem animali, imò nec numero cum sint indiuisa (ad hoc enim quod aliquis differat numero ab alio, actualiter ab ipso diuisum esse debet) dum autem infertur, plus differt hoc os à carne, quam ab alio osse, ergo specie, negatur consequentia; differentia namque verè specifica supponit species completas, quas constituit; vnde est differentia specifica secundum quid, & illę sunt species tantum prædicabiles. Ad tertiam negatur maior, cor namque, & quamplurima alia membra propriam habent figuram; dum dicitur hanc rotundam non esse sub ordinatam, vel non recipere additionem, nihil refert; sufficit namque quod sub ratione continuitatis, non sit diuersa. Patet itaque quid sit circa hoc determinandum. Vnum tamen pro vberiori doctrina est obseruandum; quod astra firmamenti dicuntur fixa, prout nunquam inter se situm variant, eo quod sint in eodem orbe, cum quo mouentur; alia vero puta planetæ dicuntur errantes; quia non semper inter se æqualiter distant, prout videlicet, proprij orbes diuersis agitantur motibus, quamuis re vera, & illa, & ista sint suis orbibus fixa, quod tamen melius in sequentibus dicetur. De figura autem ipsorum breuiter dicendum est, esse rotundam; quod duobus argumentis confirmatur. Primum; hæc est figura perfectissima, ergo perfectissimis corporibus conuenit, vt de cælo dictum est. Secundum; Eclypsis Lunæ, & Solis, nec non incrementum, & decrementum luminis circa eandem lunam per portiones arcuales fiunt; ergo ipsa, & Sol sphæricitatem habent: idem dicatur de alijs in quibus nulla circa hoc ratio diuersitatis apparere potest.

QVÆSTIO XIV.

Calor autem ab ipsis, & lumen generatur. Tex. 42

De lumine Astrorum.

NOn est dubitatio apud aliquem, quem nouerim, Astra lumen habere; at quid sit lumen ipsum, & quomodo eis conueniat, non est omnium eadem sententia. Aliqui enim existimant ipsum lumen esse substantiam, quam positionem in 2. de anima tex. 70. Arist. Empedocli Agrigentino tribuit, atque his rationibus stabilitur. Prima. Si lumen non esset substantia, sed accidens, esset verum dicere, quod accidens ipsum de subiecto in subiectum migraret, nam re vera lumen de cælo ad terram, vel de corpore luminoso ad opacum peruenit; quod autem accidens non sic se habeat, in vniuersa Philosophia optimis rationibus receptum est. Amplius. Refrangi, vel reflecti est proprium corporum; at lumen reflectitur, ergo. Item quæritur si est accidens in quo genere sit, videtur etenim quod in nullo esse possit (vt breuitati consulam) nisi in qualitate, si quidem sensibile sit per se, quod proprium, vel principalius est qualitatis; at hoc esset qualitas prima, vel secunda; non prima, quoniā inter primas (quæ sunt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas) non connumeratur; præter quam quod, qualitates primæ concurrunt dispositiuè ad generationem, & corruptionem omnium, quod de lumine dici non potest; sic namque cœlestia lucida corpora ad corruptionem disponerentur. Neque est qualitas secunda, quoniam hæc à primis dependet, vt patet de saporibus, coloribus, odoribus, & alijs, at lumen ipsum non sic se habet, ergo; cum itaq; non sit accidens necessario vtiq; substantia erit. Oppositum tamen sentiendum est; quoniam si lumen esset

1. Arg.

Secundum.

Tertium.

esset substantia, vel esset spiritualis, vel corporalis; non primo modo, nam à re corporea spiritualis nõ gignitur; non secundo, quia duo corpora essent simul, videlicet lumen, & aer, vel aliud medium diaphanum in quo recipitur. Amplius substantia non est per se immediatè sensibilis; lumen vero est sensibile per se, & immediatè, ergo. Item. Omne corpus longo temporis secessu de loco ad locum determinatum transit; sed ipsum lumen in instanti, ac vndique se diffundit, ergo. Dicamus itaque, lumen esse qualitatem per se sensibilem, nec non speciem intentionalem, vel rationem, qua corpus luminosum, ac alia quoque conspici possunt. Quod autem sit qualitas sensibilis ex prædictis notissimum est, cum etenim non sit substantia, nihil conuenientius esse potest, quam qualitas, siquidem disponit, ac quale efficit subiectum in quo recipitur. Quod vero sit etiam species sensibilis, probatur, quoniam purum sensibile positum supra sensum non facit sensationem, vt habetur passim in secundo de anima, at lumen super oculum positum sensationem facit, quare habet rationem sensibilis speciei. Amplius. Species sensibilis dicitur imago, vel ratio repræsentandi obiectum sensibile potentiæ sensitiuæ; sed per lumen corpus lucidum ostenditur potentiæ visiuæ, ergo; duo itaque ob suam ingentem præstantiam includit lumina, videlicet rationem qualitatis realis, vnde multa realia dispositiuè producit, maximè calorem, & rationem intentionalem, seu speciei sensibilis, qua obiectum lucidum potentiæ visiuæ repræsentat; neque est inconueniens duabus indui rationibus, quoniam non sunt oppositæ, sed potius subordinatæ, ita vt species in realitate fundetur: pro cuius tamen maiori intelligentia duo sunt breuiter notanda.

Species sensibiles cur dicantur intentiones.

Primum, quod species istæ visibiles nec non aliæ quoque sensibiles dicuntur intentionales, & intentiones, non quod ab intellectu fiant, sicut de intentionibus logicalibus dicitur; sed quoniam sunt rationes vel immediata instrumenta efficiendi, vt potentiæ in obiectum intendant; quamobrem non sunt entia rationis, quod non solum de lumine, verum de qualibet alia specie sensibili, nec non de intelligibili quoque afferendum est; nam ab obiectis realibus producuntur, & sine intellectus operatione. Verum quia nullum alium effectum ipsarum præter hanc potentiarum eccitationem cognoscimus, ideo simpliciter intentiones nuncupamus, excepto lumine, de quo alia effecta sensibiliter percipiuntur. Secundò notandum, quod lumen non est idem cum luce, vt aliqui falso arbitrantur, sed differunt sicut species, vel imago, & id cuius est imago, vel species, sic nimirum, quod lux sit qualitas manens in corpore lucido; lumen vero sit species ipsius, quæ ad oculos per medium defertur, qua lux, & lucidum corpus perspicitur; quamobrem hæc omnia inter se differunt lux, lumen, splendor, & radius; nam lux est (vt diximus) qualitas existens in corpore lucido. Lumen est species ipsius per medium diffusa; splendor est qualitas visibilis ex repercussione luminis causata, sic nimirum, quod splendor non immediatè proueniat à corpore lucido, sed à lumine; vt in hoc cubiculo modo est splendor, quamuis lumen non adsit; sed ex reflexione ipsius causetur. Radius vero est lumen quasi per lineam extensum; qui quidem radius diuiditur in rectum reflexum, fractum, ac refractum. Rectus est lumen quod sine impedimento per lineam rectam ex corpore luminoso ad oculum pergit. Reflexus est cum radius ipse corpori opaco obuiat, & quasi directè reuertitur, vt patet de radijs reflexis à speculo, per plumbum oppositum. Fractus est qui ex medio raro in densius tendit, vt dum ex aere transit in aquam. Refractus est qui à medio densiori, in rarius redit, absque opaco, vt cum ex aqua resultat in aerem, ex prædictis sequitur, quod si aliquod corpus ex sua natura non luceat, qualitas illa

Lux quomodo differt à lumine.

Splendor.

Radius.

Rectus.

Reflexus.

Fractus.

Refractus.

visibilis non debeat lux, sed lumen dumtaxat nuncupari, quamuis vsus iam sit apud quam plurimos vnum pro alio accipere. Quid igitur sit lumen dictum est. Nunc quomodo ipsis Astris conueniat dicamus, sunt itaq; aliqui arbitrantes, omnia astra ex se lumen habere, quod hac ratione confirmant; sicut Sol ex se lumen habet, sic alia astra; quoniam sicut ipse est de natura sui orbis, ac densior pars ipsius, sic illa suorum, ergo sicut nullum apparet discrimen inter orbem Solis, & aliorum quo ad lumen; sic neq; in ipso Sole, & alijs astris differentia est assignanda; vnde sicut ex se ipse lucet, sic alia astra se habere debent. Verum oppositum docet experientia; Luna etenim dum a Sole non aspicitur, vel nullum, vel parum prorsus retinet lumen. Dicamus itaq; lumen ex corpore terso, terminato, denso, ac diaphano bene compacto prouenire, vt patet de multis, quæ per tales dispositiones lucida fiunt; sic se habet ferrum, calybs, &c. Cum itaque astra sint partes densiores suorum orbium, ac orbes ipsi prædictarum habeant aliquas conditiones, (nulla namq; apparet circa hoc instantia) omne penitus lumen ab ipsis auferendum non est; habent itaq; omnia astra debile quoddam lumen, vel lucem, pro ratione suarum dispositionum; quod tamen à Solis lumine augetur; minus tamen omnium est lucida Luna, quia non est, ita tersa, solida, & sufficienter ad hoc habilis; imò partes eius sunt difformes, aliæ scilicet rariores, aliæ densiores; sunt rariores, quæ minus lucidæ apparent, & communiter macula quædam videtur, quod non aliunde accidit, nisi quia lumen Solis per illas transit, nec potest ob defectum soliditatis reflecti, sicut reflectitur in alijs; ipsa itaq; Luna etiam remissum obtinet lumen, vt tempore eclypsis manifestum est; tempore autem ipsius accrementi, & decrementi non videtur; quia à propinquo Solis splendore offuscatur; maius etenim lumen, minus offuscat; nec tamen (inferat aliquis) lumina esse contraria; quia contrarietas positiua est solum inter qualitates elementares; ratio autem offuscandi est; quia maius lumen est magis sensibile, vnde primo se potentiæ visiuæ præsentat; hæc autem cum sit limitatæ virtutis aliud attingere nequit; non itaq; lumina sunt contraria, nec diuersę speciei; aliter non mutuo se intenderent; quę etenim specie differunt, vel confunduntur in aliam speciem vt patet de coloribus, saporibus, &c. vel se corrumpunt, quorum neutrũ de lumine afferere possumus. Pro complemento tamen huius quæstionis, quatuor restant soluendæ dubitationes. Prima, quid sit eclypsis Lunæ, vel quomodo fiat; Secunda, si alijs astris eclypsis contingat. Tertia, quomodo lumen Solis non reflectatur secundum determinatam figuram à Luna, eo videlicet modo quo reflectitur à speculo; ex ipso etenim non indeterminate, vel vndique, sed ad aliquam partem secundum præfinitam figuram diffunditur, vt experientia notum est. Quarta, cur ipsa Luna non appareat facies, vel imago Solis, sicut in speculo, in aqua, & alijs corporibus diaphanis terminatis videtur. Ad primam itaq; dicitur, eclypsim Lunę nil aliud esse nisi priuationem luminis Solis causatam ex interpositione terræ inter ipsum Solem, & Lunam; dum etenim diametraliter terra ipsa inter vtrunq; opponitur, vmbra eius ex oppositione ad Solem priuationem luminis causat; quod accidit dum ambo sunt in linea eclyptica, vnde eclypsis dicitur, nec non Sol in capite Luna in cauda draconis, vel è contra; interdum autem non sic exactè terra ipsa opponitur diametraliter, sed ex aliqua parte tantũ, & tunc non obscuratur tota; dum autem vniuersa Luna lumine priuatur, in vniuerso terrarum orbe eclypsata videtur, si quidem cum lumine realiter careat, nullibi lucida ostendi potest. Ad secundam dubitationem respond. Eclypsim etiam Soli contingere hoc modo; opponitur Luna inter ipsum Solem, & nostrũ aspectum, quę cum sit opaca, vmbram vel tenebras causat, nõ secus, ac si aliud corpus opponeretur

Astra an suo luceant

Lunæ macula.

Dubitationes curiosæ

Solutiones.

Lunæ eclypsis.

Solis eclypsis.

hæc autem eclypsis potest esse partialis, & totalis, dum enim aliqua tantum pars Solis nobis occultatur partialis dicitur, dum vero occultatur totus, vocatur totalis; circa quod duo sunt breuiter annotanda; primum est, quod Sol non priuatur lumine sicut Luna, sed solum nos ipsum perspicere nequimus; fons enim luminis à nullo exhauriri potest. Secundum, quod nunquam eclypsis Solis naturaliter est per vniuersum orbem; quia cum Luna sit minor terra, non potest ex qualibet parte inter visus hominum omnium, & Solem interponi. At videtur quod nullibi esse possit totalis Solis eclypsis, si quidem corpus minus sicut est Lunare, non potest cooperire, vel occultare maius, quod est Solare. Respondetur, quod si iuxta se inuicem posita essent, quod dicitur veritatem haberet; at si corpus minus prope visum, maius procul existat, oppositum euenit; parua etenim nubecula, nec non manus ante oculos posita Solem, & maiorem cæli tractum occultat; sic itaq; efficitur, supponendo etiam, quod ambo sint in eclyptica, quæ est linea quædam diuidens æqualiter Zodiacum per latitudinem, vt infra melius dicetur. Alia vero astra, eclypsim non patiuntur, quia vel ad ipsa non pertingit vmbra terræ, vel si ad aliqua pertingere posset, puta ad Mercurium, vel Venerem, non sufficienter a Sole elongantur, vnde lumine priuari non possunt; Venus etenim duobus signis, Mercurius dumtaxat vno à Sole distant; est autem quodlibet signum triginta graduum, ad hoc autem vt directè opponerentur, distantia sex signorum necessaria esset, nec potest vnum aliud offuscare, quoniam inter se talem non habent oppositionem, vel altem non adhuc ab Astrologis obseruata fuit. Ad tertiam respondetur, corpora sphærica plena, sic videlicet quod non sint plana, vt speculum, vndiq; lucem emittere; & sic determinatam reflexionem effugere, quod si hoc modo formetur speculum, manifestissimum erit. Ad quartam dicitur, ideo non videri faciem Solis in Luna, quia non est adeo tersa, vt non confundatur, cuius exemplum patere potest in aquis crassibus, ac in speculis maculosis. Luna ergo quoniam est infimum astrorum, crassitiæ elementorum participat; sic namque mirabili ordine suprema infimis, & infima supremis iunguntur. Nunc soluamus argumenta, quibus lumen esse substantiam ostendi videbatur. Ad primum dum dicitur, quod si esset accidens migraret de subiecto in subiectum; negatur consequentia; producitur namq; suo modo in diuersis, vel omnibus medij partibus. Ad secundum dicitur, quod refrangi propriè secundum corpoream, vel quantitatiuam diuisionem est proprium corporum; at alio modo, & per similitudinem est etiam accidentium prædictorum. Ad tertium patet; nam est accidens de tertia specie qualitatis: dum vero dicitur, vel est prima, vel secunda qualitas. Respondetur, neutram; quoniam illa est diuisio qualitatum rerum generabilium; vnde in ordine ad omnes potius prima, quam aliter vocari debet; hac eadem de causa non habet contrarium nisi priuatiuum; quia contrarietas reperitur solum inter qualitates elementares, quæ corruptiuæ dicuntur.

Eclyptica linea.

Astra alia an eclypsim patiantur.

QVÆSTIO XV.

Circa textum prædictum. 42.

Quæritur quomodo ab astris causetur calor.

1. Arg.

VIdetur etenim quod nullatenus caussari possit; nam si caussaretur hoc esset per motum, vt docet Arist. in tex. quod quidem esse non potest, quoniam motus est quantitas, quæ nullam habet actiuitatem, ergo.

Secundò. Quamplurima astra sunt frigefactiua, multa vero humefactiua, ac desiccatiua, ergo non omnia calorem generant.

Tertiò. Si calorem caussarent per motum, vt ab Arist. dictum fuit, hoc esset per attritionem aeris, vel ignis vt ibidem dicitur; sed hoc pacto solum orbis Lunæ qui est igni contiguus efficeret, alij vero nequaquam, quod quidem absurdum est; nam maior virtus alijs quam huic inest; quamobrem de nullo vtique hoc asserendum erit.

Pro intelligentia sciendum est; duplex esse proprium (æquiuocum tamen) caloris productiuum, videlicet lumen, & motum; diximus notanter æquiuocum; quoniam de vniuoco nulla est dubitatio, calor enim calorem gignit; sicut quodlibet simile vt plurimum aliud simile; quomodo autem lumen sit caloris productiuum, nulla alia ratio assignari potest; nisi quia est talis virtutis, & conditionis, sicut cur magnes attrahat ferrum, electrum paleas, &c. non est nobis adæquata causa manifesta. Verum est tamen, quod non quomodocunque se habeat lumen calorem gignit; sed multiplicatum, & per reflexionem; quare tempore hyemis Sol minus calefacit, quam æstate, quia nimirum non ex directo ad nos radij, sed oblique feruntur; ac eadem de causa in vallibus plus quã in campestribus, & in his magis quam in cacuminibus montium est calor, quia in vallibus magis quam in alijs est radiorum reflexio; ratio esse potest; quoniam radij hoc pacto magis, ac immobiliter (sit ita fas loqui) vniuntur, vnde fortius operantur; & sic à radijs qui feruntur oblique non omnis est auferendus calor, sed sensibilis, vel ingens. At hic est dubitatio, quoniam si lumen esset caloris causa, omnia quæ lumen edunt calefacerent, quod experientiæ repugnat; Luna etenim, adamas, & quamplurimi lapides pretiosi lumen emittunt, nec tamen calorem efficiunt. Respondetur, quòd sicut lumen ipsorum est remissum, sic quoque calor est ferè insensibilis; imò noctes plenilunij calidiores alijs ab Arist. in Probl. ponuntur. Sed quo ad motum sciendum est, quod ipse est rarefactiuus, ad rarefactionem autem sequitur calor, sicut è contra, calidi enim est rarefacere, & ad calorem rarefactio sequitur, quemadmodum frigidi est condensare, & ad condensationem sequitur frigus, datis namq; debitis rerum dispositionibus, forma ex ipsis apta prouenire statim insurgit, aliter essent frustra. Sed aliquæ hic adsunt dubitationes. Prima, quomodo ex calore producatur ignis, cum calor sit accidens, ignis vero substantia, quæ ab accidente produci nequit. Secunda, quomodo ex lapidibus, ferro, calybe, & alijs ignis producatur. Tertia, cur motus velocitas mirabiliter res ad finem perducit, & sine ipsa eisdem manentibus actiuis, & passiuis non fit actio; vt si grauissimus malleus super aliquod ponatur non conteret, motus vero statim confringet. Ad primam dicitur, calorem esse dispositiuum productiuum ignis, principale vero esse substantiam elementorum, vel cælestem; hæc etenim virtualiter rem producibilem attingunt, quæ virtualis attingentia est sufficientissima vt alibi vidimus. Ad secundam dicitur, res prædictas ex quibus ignis elicitur, esse vel durissimas, vel secundum duritiem ad id sufficientem; hæc autem per contactum vehementem aerem conterunt, quo sic contrito statim ignis educitur, vt ex superioribus constat, vnde credendum non est, quod in ipsis virtualiter magis, quam in alijs ignis contineatur, sunt etenim (sicut alia mixta) ex quatuor elementis constituta. Verum est tamen quod magis ex extremitatibus acutisque angulis, quam ex alijs efficitur, quia ob subtilitatem, & acutiem, facilius illinc, quam ex alia parte aer conteritur. Ad tertiam dicitur, agens per velocitatem motus resistentiam patientis sic vincere, vt ei tempus resistendi non relinquatur; præter quam quod, motus ipse est vis efficacissima, vnde ad operationem maximè confert. Nunc argumenta principalia soluamus.

Motus quomodo est causa caloris.

Dubitationes.

Solutiones

Ad Argumenta.

Quantitati quæ sit actiua. AD primum dicitur, quantitatem permanentem non esse de genere actiuorum, quia est pure receptiuum sicut materia; motus verò non sic se habet; imò ab Arist. in 5. Physic. ab actione non distinguitur, quod est eius efficacissimam vim insinuare.

Ad secundum dicitur; ratione diuersarum virtutum, diuersa efficere; at per lumen semper calorem producunt pro posse, non tamen est negandum, quod aliud à lumine prꝑter calorem produci possit; nam ipsum lumen est vniuersale instrumentum cæli, etsi frigoris generatiuum non sit.

Ad tertium respondetur, alia astra per lumen id efficere; nec non per motum quoque, quia orbes inferiores motu superiorum participant.

QVÆSTIO XVI.

Quoniam autem videntur, & astra transferri, & totum cælum. Tex. 43.

De motu astrorum.

DVo sunt ad propositum Astrorum genera, videlicet fixorum, & errantium, vt alibi quoque diximus, fixa dicuntur, quæ manent in firmamento, ac cum ipso, vel in ipso infixa mouentur, semperque inter se æqualem seruant distantiam; ex opposito, quæ dicuntur planetæ sunt errantia, quatenus non semper inter se æqualiter distant, sed modo magis, nunc vero minus, de fixis itaque parua est dubitatio; de errantibus vero maximè de Sole, & Luna, diuersæ extant opiniones, imò sic ab Astrologis ob varias apparentias tuendas multiplicantur, vt confusionem potius, quam aliquam distinctam doctrinam afferant; dicunt igitur aliqui; Solem præter motum proprij orbis sub Zodiaco, moueri alio motu in quodam paruo circulo vbi est ipse Sol infixus, & quem epyciclum vocant; imaginantur namque quod Sol non immediatè fixus sit in orbe; sed in alio quodã circulo, vel parua cęlesti sphera, & hæc in cęlo immediatè fixa sit; volunt itaque hanc sphærulam proprio motu moueri, & sic Solem à proprio orbe, & ab hoc quoque circulo simul verti; rationem reddunt; quoniam ex certissima obseruatione compertum est, ipsum Solem magis ad terram appropinquare tempore hyemis, quam æstatis; at hoc accidere nequit ex parte cæli, sic videlicet, quod modo plus, modo minus ad terram approximetur, quoniam è proprijs polis recederet, ac grauitatem insinuaret, quamobrem, vt hæc euitentur absurda, prædictum circulum inuenerunt, in ipso etenim Sol motus diuersas facit approximationes, quando etenim in circumferentia versus cælum

Aux. inuenitur maximè à terra distat, & in Auge esse dicitur; dum vero est in opposita, terræ vicinior existit, atque in

Augis oppositum. opposito Augis reperitur. De Luna vero plura dicunt; quoniam non solum motum orbis proprij, ac epycicli sibi tribuunt; sed eam immediatè in eodem epyciclo volui (sicut si volueretur gemma in annulo moto) asserunt.

Epicicli reijciuntur. Nec non quam plurima similia, de alijs planetis enunciant, quæ quidem positiones Aristoteli, & Philosophicis rationibus repugnat. Aristot. quoniam expresse in hocmet libro tex. 48. & inde, hunc motum vertiginis, vel volutationis ab astris remouet. Rationibus; quoniam plures multiplicarentur sine necessitate orbes cælestes; qui tamen nec cælestes orbes dicendi essent, nec eiusdem naturæ cum cælo; probatur, nam orbes cælestes circa centrum moueri debent, hi autem non sic se haberent, ergo; imò cum ex se proprio cierentur motu essent corpora ab orbibus distincta, & diuisa; pars etenim dum in toto est, non mouetur actualiter proprio motu; sic itaq; essent ex se corpora completa præter orbes cælestes, ac motus diuersos ab ipsis haberent, quare à natura ipsorum etiam differrent; nec dicatur, satis esse quod moueantur in gyrum, vt sint de natura cæli; quia hoc modo, non esset verum, quod motus circularis sit ex sua definitione circa medium mundi; imò contra ipsorum inclinationem, veherentur de loco ad locum, quod sanè non videtur in Philosophia asserendum. Vt autem Astrologorum apparentias saluemus, alter est modus magis Philosophicus minusque continens difficultatis, quo varias planetarum approximationes, vel elongationes ad nos saluari possunt, sciendum est itaque orbes cælestes posse cogitari eccentricos, vel concentricos. Eccentrici dicuntur quorum centrum vnius Eccentrici.
est extra centrum alterius, quod quidem dupliciter imaginandum est; vno modo quod sint totaliter eccentrici, sic videlicet quod vnus sit extra alium, sicut si essent duæ, vel plures pilæ simul alicubi positæ, & hoc pacto non est possibile, quia mundi multiplicarentur; vnus etenim orbis in alio ordinem non haberet, & sic ad vnius mundi naturam non attinerent; quod vero naturaliter plures esse non possint Mundi, suo loco visum est. Alio modo dicuntur eccentrici, qui idem centrum non habent, sed tamen alter alterum in gyrum continet, quod vt commodè esse, & intelligi possit, supponendum est, non omnes esse æqualis latitudinis, seu grossitiei, neque in comparatione ad alios, neque vnius ad ipsum; sed in aliqua parte maiorem, in alia minorem habere latitudinem, quod tamen de omnibus non est necessarium, sed sufficit quod verificetur de ijs, qui immediatè se tangunt, & per quos maior, vel minor approximatio ad nos apparet; ponamus ergo orbem inferiorem inæqualem modo prædicto, super quem moueatur alius orbis; huius quidem planeta, modo magis, modo minus ad nos appropinquabit, quod sicut de vno planetarum est verum, sic de alijs ad ipsorum apparentias saluandas proportionaliter verificari potest, & quando à nobis maximè distat, Aux sicut in epiciclis dicitur, quemadmodum maximè appropinquantur oppositum Augis dicatur. Quorum quidem orbium eccentricorum alij possunt esse eccentrici secundum superficiem conuexam tantum, alij secundum concauam, alij vtroque modo. Est tamen notandum, quod quamuis positio, quæ epiciclos aufert Aristotelica, & magis Philosophica rationibus prædictis existat; non tamen contra ingentem Astrologorum multitudinem epyciclos ponentes sentire intendimus, quare probabiliter positio nostra intelligatur, nostra (inquam) scilicet Aristotel. sequacium, & Concentrici.
mei. Concentrici vero dicuntur orbes, qui idem habent centrum.

Hæ igitur sunt opiniones secundum diuersorum captum, & sententiam de Astrorum motu communiter receptæ. Diximus communiter receptæ, quoniam non desunt qui asserant, Astra ipsa cælos non secus atque pisces aquam decurrere, quæ opinio iam in Scholis aboleuit; si quidem sic cælum penetrabile, atque alterabile ponitur, nec non expresse Aristoteli in hoc capite contradicit, vult etenim nullum per se motum habere; sed in orbibus infixa simul cum illis motum subire, sicut partem cum toto; quod multis rationibus confirmat, quæ ne iterum pluries repetantur in literæ expositione videantur. Conclusio itaque est notissima, quod simul cum cælo moueantur. At duæ hic supersunt examinandæ dubitationes. Prima. Quomodo Sol tempore hyemis ad nos magis appropinquat (quemadmodum dicunt Astrologi, & vt verum recipitur) si experientia

sensata oppositum omnibus est compertum; nam saltem quo ad nostras regiones, per maiorem hæmisphærij partem recedit. Secunda. Cur si est propinquior non magis calefacit. Ad primam dicitur, nobis apparere remotiorem ob distantiam ab his nostris regionibus, quæ cum sit proxima, pergrandis quidem videtur; sed in comparatione totius cæli est ferè nulla; quare magis ex parte cæli poterit esse approximatio, quam ex parte terræ elongatio, & si hæc sit sensibilior. Ad secundam dicitur, hoc ideo esse, quia radij ipsius non directè, sed oblique nos respiciunt, vt autem calor à lumine effici queat directè radiorum conuenientia est necessaria, vt alibi dictum est.

QVÆSTIO XVII.

Manifestum est autem ex his, quod dicere fieri his latis harmoniam, &c. Tex. 52.

An ex cælorum motibus causetur sonus.

ARguitur primo quod sic; Quandocunque corpora dura, & sufficienter lenia se aliquo impetu mutuo tangunt, sonum efficiunt, vt habetur in 2. de anima, tex. 78. Cæli autem sic se habent, ergo.

Secundò. Nisi sonum causarent, hoc ideo esset, quia non est aer, vel aliud medium, quod percuti, & ad nos sonum deferre possit, vt etiam in expositione literæ tetigimus; hoc autem nihil est; quoniam sensationes omnium sensuum fiunt ab obiectis non per realem approximationem, vel motum, sed per species sensibiles, vt in secundo de anima dicetur, & pro nunc de obiecto visus sit manifestum, hoc autem sufficienter efficitur sine tali medio; Sol etenim ipse, ac reliqua quoque astra, à nobis videntur, quamuis non immediatè eis tale medium adsit; cur ergo non sic euenit de sono?

Tertiò. A nobilissima causa non debet effectus non repugnans, nec imperfectionem dicens remoueri. Cælum autem est causa nobilissima, sonus autem nec sibi repugnat, nec imperfectionem (si saltem sit harmonicus vt supponitur) claudit, ergo.

Quartò. Auferendus esset sonus à cælestibus corporibus, quia hæc inferiora dissiparet, vt docet Philosophus in textu; at hoc non est verum si sit harmonicus, & suauis, sic etenim potius delectationem afferret; nec alio modo est ponendus; si quidem quemadmodum corpora cælestia, ordine, & motu, sunt debitè ordinata, & consonantia, sic proportionaliter sonum ederent.

Quæstionem hanc de astris inter se comparatis, vel nullam affert difficultatem, vel si quæ est, sufficienter in litera soluta fuit, de ipsis autem orbibus difficultatem præhabita argumenta efficiunt. Pro quorum solutione, ac totius quæstionis dilucidatione sciendum est; sonum sic esse per se effectum immediatum motus, vt ab Aristotele in secundo de anima, esse ictum, vel percussionem (quod est dicere motum) determinatum sit; non tamen credendum est esse effectum cum causa conuertibilem, sic nimirum, quod omnis motus sit soni effectiuus; quamuis sonus à solo motu proueniat; Requiritur itaque motus ad sonum duplici de causa, & vt ipsum producat, & vt sit veluti vehiculum, & instrumentum; quo ad aures deferatur, vel deferri incipiat; pro cuius vberiori doctrina sciendum est; sonum ipsum esse accidens quoddam, magis materiale quam sit color, vel alia qualitas visibilis; quod ex eo patet, quod tardius ex corpore sonoro ad potentiam auditiuam, quam ex corpore visibili ad visum color peruenit; ex sua itaque materialitate, requiritur aliquod realiter per aliquod spatium deferens, ex quo postea species sensibiles ad auditum per gyrum multiplicantur, eo quidem, quo aqua, lapide, vel alio quouis percussa circulos orbiculariter multiplicat. At hic est fortissima instantia; dictum namque est, sonum esse magis materialem, quam sint colores, vel qualitates aliæ visibiles; hoc est etenim falsissimum; quia si materiale dicendum sit, quod crassitiem, vel coniunctionem cum rebus corporeis habet, profecto sonus à prædictis exceditur; nam nec ex qualitatibus elementaribus insurgit, nec permanentiam in materia quemadmodum prædicta habet. Respondetur. Optimam esse instantiam; & dum sonum magis materialem vocauimus, intelligendum est non ratione sui, sed in ordine ad potentiam auditus mouendam; est namque magis ineptus, ac tardius vt de se notum est; vnde dicere possumus, potius species ipsius sensibiles, esse tardiores, quam sonum materiei magis participem. Sed adhuc est dubitatio, si sonus non sit adeo materialis sicut res visibiles, cur non statim species producit, sicut ipsæ. Respondetur hoc esse, quia ipse sonus causatur (vt dictum est) per motum localem, qui necessariò est in tempore, imò est ipsius motus inseparabilis comes, quem etiam imitantur suæ species sensibiles, effectus namque causæ assimilatur. Multa superessent de sono dicenda; sed referuentur vsque ad libros de anima; ne in rebus ordinatis præposterus fiat ordo. Hoc duntaxat ad rem sit satis, quod sonus ipse necessariò requirit motum, qui realiter per aliquod spatium ipsum ferat; vt deinde species sensibiles causare possit; hæc autem est soni natura, vt melius suo loco dicetur; ad determinationem accedamus.

Conclusio.

COrpora cælestia quamuis mutuo, & contra seinuicem tangant, ac dura, & leuia sint, sonum efficere nequeunt; quam conclusionem antequam fulciamus, aliquæ sunt explicandæ particulæ. Diximus corpora cælestia, quamuis contra se inuicem tangantur; quia nisi esset talis contactus, nulla esset dubitatio; imò accideret quasi vectio nulla habita resistentia, vel repercussio, sicut dum nauis, vel currus secum vehit aliquod lignum &c. diximus ipsa corpora cælestia esse dura, ad hunc sensum, quod sint impenetrabilia, non autem quod hæc durities sit qualitas ex dominio siccitatis proueniens, vt habet Philosophus in 2. de generat. tex. 12. cælum namq; his qualitatibus est expers. Nunc conclusionem probemus sic. Vbicunq; non potest reperiri medium aliquod deferens per sui motum sonum saltem per aliquod spatium, ibi motus causari nequit; in cœlo autem sic euenit, ergo. Maior est nota ex prædictis; probatur minor; nam si cælum sic se haberet, scinderetur, pars namque vicinior sono numero producto, moueri deberet, ac aliam pellere, & in gyrum sonum multiplicare, sic namque sonus est ipsius motus comes, vnde quæcunque motio non sufficit, aliter ratio se diffundendi secundum propriam naturam non saluaretur.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, maiorem propositionem esse insufficientem; requiritur enim medium quoque deferens, vt declaratum fuit.

Ad secundum dicitur, in sono, non solum species sensibiles, sed etiam motum requiri, vt visum est.

Ad tertium negatur minor; repugnat namque, cælos efficere sonum; quia sonus est obiectum auditus, & ad ipsum defertur, quare si deferri non possit, non erit sonus. At hæc responsio (quæ aliorum est) non est bona; quia sonus est quædam qualitas absoluta, ideo relatiuo

actuali

actuali non indiget, quod etiam facilè est suadere; si quis consideret, multos in concauitatibus terræ effici sonos, qui à nullo audiuntur. Dicamus itaque; ipsum sonum effici non posse nisi per medium deferens, (quod siue sit aer, siue aqua, vel aliud nihil refert) quod quidem in cælo assignari non potest.

Ad quartum dupliciter responderi potest; primo quod illa est ratio solum probabilis. Secundò; quod quamuis harmonicus esset sonus, tamen sua ingenti velocitate vehementer læderet; præcipuè sonus primi mobilis, qui esset vehementissimus sicut ipsius motus; Quomodo vero sonus corpora dissipet, dicetur in 2. de anima. Verum est tamen, cælos efficere harmoniam metaphoricè, hoc est consonantiam motuum, dispositionis, ordinis, & causalitatis; hæc namque harmonia, vel consonantia non immerito vocari solet, ad similitudinem tamen harmoniæ vocalis, vel Instrumentalis.

QVÆSTIO XVIII.

Propter quam causam in prima quidem latione tanta sit astrorum multitudo, vt ex ijs, quæ numerari nequeunt esse videatur. Tex. 61.

De numero, magnitudine, ac imaginibus astrorum.

Difficultas proposita si exactè secundum rationes determinanda esset, ad subtilissimas, ac ferè inextricabiles Mathematicorum positiones recurrere deberemus; quod quia nimiam prolixitatem, nimis ve extra propositum philosophicum exsisterent, per modum narrationis, (vt sat est pro tyronibus) quæ ab ipsis Astrologis probata traduntur, afferemus; prius itaque de numero, postea de magnitudine, ac tandem de ipsorum imaginibus tractabimus. Quo ad primum, sciendum est, numerum simpliciter stellarum non esse penitus cognitum, ac fortè etiam difficulter cognoscibilem, vt Aristot. in præcitato textu asserit, ex ijs enim, quæ numerari nequeunt, astra ipsa videri dicit; tamen quæ sub nostra cognitione sensitiua cadere possunt, ab Astrologis ad numerum determinatum redacta fuerunt, ac mille, & viginti duo esse statutum est; quæ quidem in octo ordines diuersarum magnitudinum distinguunt. Primus omnium maximas continet, quæ primæ magnitudinis vocantur, & sunt quindecim. Secundus secundæ est magnitudinis, ac 45. continet. Tertius tertiæ, ac 208. in ipso numeratur. Quartus quartæ, atque 474. continet. Quintus quintæ, & est 217. Sextus sextæ, & 49. habet. Septimus septimæ magnitudinis est, qui solum quinque habet, ac nebulosæ dicuntur. Octauus tandem octauæ magnitudinis 9. continet astra, quæ obscura dicuntur. Verum hi duo postremi ordines sunt veluti additi, sex namque ex consuetudine duntaxat numerantur. Sciendum est etiam, quod hic astrorum numerus solum ad ea, quæ sunt firmamenti extenditur, vnde planetæ non computantur inter ipsa. Nunc de magnitudine ipsorum, ac planetarum, quæ ab Astrologis dicuntur referamus. Sciendum est itaque, omnia astra primæ magnitudinis continere magnitudinem terræ 107. quæ quidem terræ magnitudo (ne alibi pro nunc quæratur) est secundum Arist. 50000. milliariũ; stellæ vero secundæ magnitudinis ipsam continent 90. Tertiæ vero magnitudinis pariter ipsam continent 72. Quartæ 54. Quintæ 36. Sextæ 18. De nebulosis, & obscuris nondum determinatum est, eo quod cum sic se habeant, non est eorum quantitas facilè perceptibilis. De planetis autem dicamus. Saturnus itaque magnitudinem terræ continet 91. Iuppiter eam continet 95. Mars semel. Sol 166. Venus vero ab ipsa continetur 37. Mercurius etiam ab eadem continetur 219. ac denique Luna continetur 39. De Imaginibus tandem dicamus. Sciendum est itaque diuersas stellas simul coaptatas in diuersas imagines effermortas ab Astrologis consideratas esse; quæ quidem imagines vniuersi stellati orbis (non est enim sermo de planetis) sunt ad summum 48. quarum duodecim in Zodiaco; 21. in Septentrionali, vel Boreali octaui orbis hæmisphærio citra Zodiacum sunt; 15. vero in alio Australi hæmisphærio octaui orbis vltra Zodiacum reperiuntur; ac in hæmisphærio boreali, vel in ipsius imaginibus 360. continentur stellæ, in australi vero 316. in duodecim autem signis Zodiaci 346. sunt autem Zodiaci imagines hæ, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, & Pisces. Quæ his nominibus vocantur, vel quia figuram prædictorum ostendunt, vel quoniam in effectibus quibusdam assimilantur, aut tandem propter quasdam poeticas fabulas, quibus poetæ diuersa significare voluerunt. At quo ad primum si diligens adhibeatur obseruatio figura aliquorum prædictorum ex astris constituta apparebit, puta quæ est Arietis, Arietem ipsum repræsentans, & sic de alijs, sed quo ad secundum. Vocatur figura Arietis in qua existit Sol mense Martij, quia sicut Aries est animal callidum, & bellicosum; sic Sol calorem notabilem efficere incipit, ac quasi pugnando hyemẽ superat. Taurus dicitur, quia sicut ipse est animal fortius Ariete, sic Sol Aprilis mense in quo Taurus viget, fortior ac efficacior se ipso existente in Ariete existit. Sequuntur Gemini mense Maij, sic dicti quia Sol in his sublunaribus calorem geminat, vel quia perfectè omnia germinare incipiunt. Succedit tempore Iunij Cancer, quia Sol instar Cancri à nostro hemisphęrio recedere incipit. Sequitur mense Iulij Leo, quia sicut alijs animalibus fortitudine præstat, sic est tali mense efficacissimus Solis calor, & vigor. Sextò loco tempore Augusti succedit Virgo; quoniam tunc terra, vel parum, vel nihil fructuum (ad similitudinem virginis) producit. Septimò loco ponitur mense Septembris Libra; eo quod dies æquilibrationem, vel æqualitatẽ cum noctibus habeat. Octauo sequitur Scorpio mense Octobris, eo quod propter elongationem Solis à nobis primò incipiat acriter percipi frigus. Nono est Saggitarius mense Nouembris, sic dictus, quod veluti Saggittas emittens frigus corpora viuentium feriat. Decimo mense Decembris est Capricornus, quia ad similitudinem Capræ, versus nos Sol iterum saltare, vel ascendere incipiat. Vndecimo mense Ianuarij est Aquarius, ob Pluuiæ multitudinem. Duodecimo tandem mense Februarij sunt pisces; quasi tanta aquarum pluuialium magnitudo crescat, vt instar maris in ea pisces natare, & viuere possint. At obseruandum est, quod per hæc signa non in principio cuiusque mensis Sol incipit moueri, sed circa medium, vt in Ariete est circa medietatem mensis Martij, & vsq; ad dimidium Aprilis, vel circa per durat; quare vnumquodq; signorum duobus participat mensibus, etsi denominatio fieri soleat ab eo mense in quo in signum Sol ipse ingreditur. Alia vero signa, vel non sic ad propositum, vel nullatenus notam ad hunc sensum significationẽ habent; dico de alijs signis, vel imaginibus, quę in cælo stellifero extra Zodiacum reperiuntur. At quo ad Poeticas fabulas, nihil dicendum est; parum .n. prodest, quin plurimum Philosophico candori obest, quod canicula Helenæ in cęlo collocata fuerit &c. ipsos itaque Poetas perlegat, qui istarum fabularum est cupidus. Hoc tamen prætereundũ non est, quod etiam Astrologi fabulantur, dicũt namq; Pisces sic dici, quia qui nascuntur Sole in ipsis existente fiunt piscatores. Qui vero nascuntur oriente corona fiunt reges, & alia non minus falsa, quam ineptissima. His itaq; relictis alias figuras breuiter enarremus. In hæmisphærio itaque boreali figuræ 21. quæ nume-

Astra firmamenti sunt maiora quã terræ.

Planetæ an maiores terra.

Imagines stellarum quot, & quæ.

Signa Zodiaci.

numerantur sunt istæ. Vrsa minor, Vrsa maior, Draco; Cepheus, Bootes, vel Arcturus; Corona Ariadnæ; Hercules; Cygnus, Lira vel Testudo, Cassiopea, Perseus, Auriga, vel Erictonius; Serpentarius, Sagitta; Aquila; Delphinus; Equus maior, Equus minor, vel alatus, aut Pegasus, Andromeda, & Triangulus. Sed imagines hæmisphærij Australis sunt quindecim sequentes, videlicet Cetus, vel Vrsus, seu Leo marinus, Orion, Fluuius Eridanus, siue Nilus; Lepus, Canis maior, vel Syrius, Canis minor siue Canicula, Argus vel Nauis; Hidra vel Serpens Australis, Cratera, Coruus, Centaurus, Lupus, Ara, vel Thuribulum, Corona australis, vel meridionalis, ac tandem Piscis Australis, vel Marinus. Sic itaque breuiter de numero, magnitudine, & astrorum imaginibus patet; si quis vero fusius id optet, Astrologorum libros consulat. Sed est quædam nec prætereunda, vel alio commodius deferenda dubitatio. Cur videlicet Sol in Leone existens ardentius vrat; si quidem tunc non est adeo prope nos, sicut quando est in Cancro, ac per consequens nec adeo directè ipsius radij feriunt; quæ omnia necessariò requiruntur adhoc vt Lumen calorem gignat, sicut alibi diximus. Respondetur; virtutem ipsius Solis augeri à stellis, quæ in canicula existunt; hæc etenim calefaciendi virtutem habent; quare cum Sol in tali reperiatur signo, hinc inde virtus augetur, atque ardentior calor producitur. Vnde Geographi asserunt, quod dum Sol in alio hæmisphærio in tropico Capricorni existit, vehementius calefacit, quam apud nos dum est in tropico Cancri, quamuis sit æqua distantia, vel recessio ab æquinoctio, quod ex prædicta ratione accidere potest; vel forte etiam, quia tunc est in opposito Augis, ac illis qui illic habitant propior. Hac eadem de causa diuersas regiones sub eisdem climatibus, ac eleuatione tum æquatoris, tum polorum diuersas sortiri temperies ab eisdem Geographis asseritur; quod quidem non ratione duntaxat, sed certissima experientia peragrantium terras compertum est. Posset etiam dici, quod Sol dum est in Leone, sic terram calefaciat, & exsiccare compleuerit, vt ex præcedentibus caloribus, & siccitatibus virtus magis, ac magis calefaciendi, & exsiccandi geminetur, vnde non Soli, sed prædictis dispositionibus excessus hic tribuendus est. Sed adhuc alia insurgit dubitatio; quomodo Sol possit in canicula reperiri, sicut dictum est, cum nunquam è signis Zodiaci egrediatur. Respondetur. Solem, & alios quoscunque planetas (fixa etenim astra non dicuntur esse in signis, sed sunt signorum constitutiua) dici esse in signis quadrupliciter. Vno modo quod directè sub aliquo signo contineantur, & sic nunquam ex signis Zodiaci egrediuntur, ipse autem Zodiacus est in orbe stellato, sicut aliæ imagines; & Sol, ac alij planetæ feruntur sub ipso, quamuis Sol semper per medium quandam lineam, quæ ecliptica dicitur, alij vero modo magis, modo minus ab ipsa recedant; hoc itaque modo Sol nunquam est in Canicula, vel in alijs signis extra Zodiacum. Secundus modus est si signum consideretur tanquam pyramis quadrilatera; cuius basis sit in ipso signo, acumen vero versus centrum mundi; & tunc quicunque planetæ intra hanc pyramidem aliquomodo clauduntur in signo illo dicuntur esse; quo pacto etiam, quæ sunt in Zodiaco in alijs signis constitui possunt. Tertiò modo, possumus vniuersum Cælum stelliferum per circulos, vel partes semicirculares diuidere, quod efficitur per sex maximos eiusdem sphæræ circulos; ita vt in polis diuisio incipiat, sic videlicet quod in ipsis polis ad modum plurium crucium se intersecent, ac paulatim per totum orbem dilatentur; & sic omnes quoque planetæ qui inter lineas, quæ signum aliquod claudunt reperiuntur, in tali signo dicuntur esse; sicut si pila multis semicircularibus lineis designetur; quæ tamen ad duo puncta eiusdem pilæ definant. Quartò denique modo considerari potest signum, tanquam scindæ peponis simile; sic nimirum quod basis eius sit signum tertio modo consideratum, vel (melius) consideretur signum vt dimidium circuli, vel potius eo modo quo apparet Luna ex media tantum parte illuminata, sic itaque sit signum, ita vt alter ipsius Conus ad polum arcticum, alter ad antarcticum terminetur; sub quo signo sic late extenso planeta collocari potest; sic ergo Sol in diuersis esse poterit signis, ac difficultas soluitur. Plura autem de Zodiaco ipso, ac de alijs circulis qui sphæram diuidunt (breuiter tamen) in sequentibus dicemus.

Stellæ fixæ non sunt in signis cælestibus.

QVÆSTIO XIX.

Reliquum autem est de Terra dicere, & vbi posita sit &c. Tex. 72.

De loco Terræ.

NOn defuerunt de loco terræ opiniones, vt satis notum est in litera, alij etenim eam ab aquis sustentari credebant. Sed dupliciter errant; primò quia cum aqua sit leuior terra, non potest manere sub ipsa, & per consequens nec eam sustentare. Secundò, quia eadem difficultas est de aqua, à quo videlicet sustentetur, quare vel in infinitum procedendum est, vel alia est assignanda causa. Quidam autem ex vna parte eam in cælo quasi in quodam profundo radicatam, vel fixam esse arbitrabantur, sed hi quoque facilè redarguuntur, quoniam sic non posset cælum circa ipsum volui, sed vel impediretur, vel scinderetur ab ea. Alij autem violenter à velocissima cæli agitatione ne cadat detineri in medio arbitrantur, non secus quam aqua in aliquo vase circulariter mota; hæc etenim quamuis sæpe super orificium etiam apertum reperiatur, non tamen (vt notum est) ob prædictam causam, vel cadit, vel egreditur. At hi quoque dupliciter errant. Primò, dum hunc celerrimum motum cælestem hucusque pertingere autumant; sic namque in girum hæc omnia inferiora, non secus quam ignem in sua sphæra raperet. Secundo, quia semper violenter terra maneret, quod ordini naturæ repugnat, nullum enim violentum perpetuum esse potest. Sunt aliæ quam plures opiniones, quas hic recensere non oportet, vt prolixitas euitetur, & quoniam prout præsens expostulat negotium satis in lit. examinatæ fuerunt. Dicamus itaque cum Philosop. eam in medio Vniuersi naturaliter sitam esse, itaut ipsum sit eius naturalis locus. Probatur, nam locus naturalis corporis est ad quem ipsum corpus, (si sit extra) mouetur, sed vbicunque terra, quælibet pars ipsius ponatur extra centrum vniuersi modo non sit impedita ad centrum ipsum tendit, ergo; Quare si ab ipso centro discederet quorsumlibet, necessariò ascenderet, quod suæ naturæ repugnat; consecutio est clara, quoniam ascendere, est de centro versus cælum appropinquare. Ex hoc infertur corollarium contra quosdam non benè philosophantes, qui credunt antipodas pendere, vel (quia hoc est impossibile) nullatenus ipsos Antipodas inueniri; hi inquam decipiuntur, quoniam ex quocunque loco, terram sub pedibus habeamus, naturaliter situati sumus; & sic tam illi quam nos cælum sursum, terram deorsum naturaliter habemus, & sicut est impossibile, quod ex hac parte ad cælum tendat, sic etiam ex illa. At hic est dubitatio; quoniam non solum terra, sed etiam aqua ad centrum tendit, quare non videtur locus proprius ipsius. Amplius; locus continet rem locatam, centrum vero non continet, sed potius continetur à terra, ergo. Ad primam dicitur, quam non descendere ad centrum nisi vt auferat vacuum, vel (si non habeat impedimentum) vt fiat sub leuioribus corporibus nempe

Conclusio.

nempe sub aere. Sed dato, quod simul cum Terra concurrant, semper super terram manebit. Verum etiam tamen, quod propter ipsius insitam grauitatem decliuiora loca petit, vt de fluminibus patet, quare ex prædictis sequitur, quod aqua etiam Oceani sit in infimis, vel depressis Terræ locis, ac quasi in concauitatibus eius; ita vt ex ipsa & Terra, corpus circulare quoddam formetur. At si dicatur, non ne dum sumus in alto mari, terram depressam & inferiorem aqua, aut quasi sub ipsam conspicimus. Respondetur, hoc duplici de causa contingere. Prima, quia Terra est perobscura, qui color depressionem, & concauitatem demonstrat, vt in picturis est notum. Secunda, quoniam cum ipsa aqua circulum cum Terra efficiat, & qui in circuli circumferentia existit alias partes depressiores censet, ideo Terram infimari putat. Quod verò non sic se habeat patet; quia tunc naues, velocissimè, & sine labore, vel remigatione, aut velis ad portum tenderent, sic vt per rapidissimum ferrentur fluuium quorsum defluens aqua præcipitaretur, quod absurdum, (ne dicam falsum) esse omnibus est compertum. Ad secundam dubitationem dicitur dupliciter, aliquid dici locum alicuius, scilicet ratione continentiæ, quo pacto aer, & aqua sunt, vel integrant locum Terræ, vt etiam cum Aristot. in 4. Physicorum tetigimus. Secundo modo ratione stabilitatis, quo pacto dicimus locum arborum, & hominum esse Terram, quamuis præcipuè ab aere contineantur, qui quidem modus est vsitatissimus apud omnes, & secundum quem Terram in centro collocamus.

Aqua est in concauitatibus terræ.

Sed adhuc alia restat difficultas, quomodo videlicet aqua in cauitatibus, vel imis terræ partibus existens, possit illinc discedere, & per cacumina montium ascendendo penetrare, vt de ingentibus fluminibus notum est. Respondetur, aquas fluuiales (vt videbimus in Meteorologicis) vt plurimum in montibus generari, vel etiam si ex mari prouenian t; diuersas ob causas, quando in profundis visceribus terræ reperiuntur altius scandere possunt, maximè ad euitandum vacuum, vel ob aliquem præruptum descensum, vel concitationem alterius aquæ fluentis; sic etenim valde ascendere non est impossibile, quod ante oculos fingi poterit, si quis aquam ex aliquo pleno foramine, impetuosè prorumpentem sibi repræsentaret.

QVÆSTIO XX.

Sunt autem quidam, qui propter similitudinem dicunt ipsam manere. Tex. 90.

An Terra moueatur.

ARguitur primò, quod sic; omne corpus naturale est mobile, Terra est corpus naturale, ergo est mobile; quod autem mobile est aliquando moueri debet, aliter frustra esset mobile, moueri igitur debet Terra, non raro, quia res naturales, vt plurimum, vel semper sunt, vt habetur in secundo Physicorum tex.77. quare, &c.

Amplius. Motus ordinatus est ad aliquam perfectionem acquirendam, si quidem est via ad terminum, qui perfectio quædam est; quare cum Terra sit inter alia elementa imperfectissima profectò ad perfectionem acquirendam moueri debet.

Præterea. Omne graue tendit ad centrum, sed aliquæ partes Terræ sunt grauiores alijs, puta quæ teguntur aquis his, quæ à Sole disiccantur, ergo saltem secundum partes, quarum vna alteram pellat, Terræ tribuendus est motus.

Pro intelligentia sciendum est, quod motus est quasi via, vel medium acquirendi aliquam perfectionem, vt in secundo argumento tactum fuit, quare duo genera entium ab ipso actualiter excluduntur, videlicet perfectissima, & imperfectissima; illa quia non indigent, hæc verò quia alterius perfectionis non sunt capacia; in primo genere est Deus, & secundum Philosophum etiam Intelligentiæ; in secundo verò sunt res omnes inanimatæ, & diximus notanter excludi à motu actuali, quoniam secundum aptitudinem, omnia secundi generis sunt mobilia, aliter naturalia non essent, sed quid intelligitur per motum actualem? si etenim nunc moueri intelligatur, neque viuentia motum includunt. Respondetur, per actualem motum intelligendam esse vim in ipsis mobilibus actualiter existentem, vt etiam extra propria loca, vel in ipsis moueri possint, vt patet de plantis, quæ in proprijs locis augentur, nutriuntur, &c. Sic itaque intelligatur, quod habeant actualem vim ad actum reducibilem dum in proprijs locis existunt, quod moueri possint, à qua quidem vi duo genera prædicta entium excluduntur.

Sed est instantia, quoniam Cœlum est perfectissimum inter omnia naturalia corpora, & tamen actualiter mouetur. Respondetur, quod quamuis Cœlum in se perfectionem recipere nequeat, vel saltem propter hoc non moueatur (aliquæ enim perfectiones in ipso receptibiles, vt illuminatio, &c. auferri non possunt, tamen alijs perfectionem impartitur, quas perfectè communicare nequit nisi moueatur, quamobrem ratione huius finis consequendi est suo modo indigens motu, & imperfectum. Quibus habitis ponitur quæstionis resolutio, secundum Arist. doctrinam.

Conclusio.

TErra nullo modo mouetur: probatur, quia vel moueretur naturaliter, vel violenter; si naturaliter motu recto vel circulari: non recto, quia tali naturali motu corpora mobilia ad proprium locum feruntur: ipsa autem in proprio loco existit: non motu circulari, quia hic non est motus naturalis corporum grauium, sicut est Terra. Præterquam quod, si hoc esset, stantibus diuersis cælorum motibus, (vt dictum est alibi) non semper eodem modo, ac ordine astra apparerent. Neque mouetur violenter, quia motus violentus eius esset sursum, cum naturalis sit deorsum, quod quam sit falsum, & extra naturalem finem ex se manifestissimum est. Aliæ efficacissimæ & forte demonstrabiles rationes habitæ sunt in littera, ideo hic eas repetere superuacaneum est.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, satis esse, quod corpora naturalia moueantur, dum extra propria loca existunt, nam ad locum, & conseruationem acquirendam sibi à natura tributa est mobilitas; secludimus tamen Cælum, quod alia de causa in gyrum cietur, vt dictum est.

Ad secundum dicitur, quod in sua natura Terra alijs non indiget perfectionibus, paucissimis namque est contenta, quare non opus est quod moueatur.

Ad tertium dicitur, quod quamuis aliquæ essent partes Terræ alijs grauiores, tamen propter continuitatem, & non excedentem vim aliarum ad alias hanc impellentem sufficientem virtutem non habent; quamuis nec forte est verum, quod omnes partes, quæ sub aquis teguntur sint alijs grauiores; lapides enim qui in montibus, vt plurimum magnopere abundant grauissimi sunt.

sunt. Quare non existimo esse ponendum distinctum centrum magnitudinis à centro grauitatis ipsius Terræ, nec etiam à centro Vniuersi. Dicitur autem centrum magnitudinis Terræ, vel etiam alterius corporis, cuius partes secundum æqualem magnitudinem ab ipso centro distant, siue sint æquæ graues, siue non. Sed centrum grauitatis est, cuius partes eandem habent grauitatem, quamuis essent secundum magnitudinem inæquales, sicut si esset aliquod corpus sphæricum quod vnam medietatem plumbeam aliam ligneam haberet, hoc haberet centrum magnitudinis in medio, ex quo omnes lineæ ad circumferentiam ductæ essent æquales, sed centrum grauitatis esset in parte plumbea; quia ad hoc, vt lignum æqualem haberet grauitatem cum plumbo, vel plumbea parte, aliquid ipsius plumbi, & forte multum assumendum esset, vbi itaque esset æqualitas grauitatum facta, illic esset grauitatis medium, vel centrum. At centrum Vniuersi est punctum, quod æqualiter distat à circumferentia concaua primi mobilis, quod quidem centrum Terræ, & grauitatis eiusdem esse arbitror, quod si geometrice non sit, tamen sensibilis, ac physica diuersitas non apparebit.

Centrũ magnitudinis.

Centrum grauitatis.

Centrum Vniuersi.

QVÆSTIO XXI.

Ipsam autem figuram habere sphæricam necesse est. Tex. 104.

De figura, magnitudine, ac diuersis Terræ partibus habitabilibus, vel non.

STatueram circa finem istius secundi Libri, quamplurima de Terra dicere, & præcipuè de partibus ipsius diuersis, quomodo ad habitationem sint aptæ, vel non; in quibus alia ad hæc pertinentia de celestibus circulis, vel (vt vnico absoluam verbo) de Sphæra opportunè addere volebam; tamen quia de his omnibus in secundo Metheorologicorum summa secunda, capite secundo exactius, quam hic Aristoteles peragit, ideo vt ipsum melius imiter, vsque ad illud tempus, non tantum in text. expositione, sed multo magis in quæstionibus reponatur.

Finis Secundi Libri de Cælo.



ANTO-

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marſorum.

IN TERTIVM LIBRVM ARISTOTELIS de Cœlo Paraphraſis.

SVMMÆ LIBRI.

Hic Liber diuiditur in octo Summas.
Prima eſt quaſi exordium.
In Secunda ponuntur ſententiæ Antiquorum de generatione, & corruptione.
In Tertia probatur non dari indiuiſibile.
In Quarta probatur non omnia corpora naturalia generari.
In Quinta examinantur cauſæ generationis in compoſitis.
In Sexta agitur de corruptione elementorum.
In Septima declaratur modus generationis prædictæ.
In Octaua refelluntur Antiquorum ſententiæ circa idem.

SVMMÆ PRIMÆ, CAPVT PRIMVM.

Tex. 1. *E primo igitur Cœlo, & partibus eius (hoc eſt de corporibus ſuperioribus cęleſtibus) inſuper autem de aſtris in ipſo latis, & ex quibus conſtant, & qualia ſint natura; ad hac autem & quod ingenita ſint, & incorruptibilia percurrimus prius in duobus precedentibus libris. Quoniam autem eorum, quæ naturalia dicuntur, hæc quidē ſunt ſubſtantia, illa verò opera, & paſſiones harum, (dico autem ſubſtantias quidem ſimplicia corpora vt ignem, & terram, & quæcunque ſunt eiuſdem ordinis cum his, vt aqua, aer, ac Cęlum ipſum, quæ eiuſdem ſunt ordinis ſimplicitatis, ac vniuerſi conſtitutionis; ſimiliter ſunt ſubſtantiæ, quæcunque ex his conſtant, veluti totum Vniuerſum, & partes eius, & rurſus animalia, & plantæ, & partes horum. Paſſiones autem ſunt, opera, & motus horum vniuſcuiuſque, & aliorum, quorum cauſæ ſunt hæc elementa ſecundum ſuam virtutem: hæc autem alia ab elementis ſunt miſta. Inſuper autem alterationes, & inuicem tranſmutationes) manifeſtum eſt, quod hiſtoriam naturalem accidit plurimam eſſe de corporibus; omnes namque naturales ſubſtantiæ, aut corpora ſunt, aut cum corporibus generantur, vel producuntur, vt animæ, atque ſimiliter cum magnitudinibus. Hoc autem manifeſtum eſt ex eo, quod determinauimus, quæ ſint ſubſtantiæ ſecundum ſuam naturam, ac magis patet ex contemplatione ſingulorum. Cùm igitur ſcientia naturalis ſit de naturalibus ſubſtantijs, ac earum accidentibus, de ipſis agendum eſt. De primo igitur elementorum (hoc eſt de Cœlo) dictum eſt, & quale quid ſit ſecundum naturam, & quod incorruptibile, ac ingenerabile. Reliquum autem eſt de duobus dicere, nempe de corpore leui, quod ignem, & aerem includit, ac de graui, quod comprehendit terram, & aquam; ſimul autem accidit de ijs dicentibus, ac de generatione, & corruptione ipſorum agere. Conſiderantur igitur in libris de Cœlo, non tantum cęleſtia corpora, ſed etiam elementa, quia ſcopus iſtorum librorum eſt agere de Vniuerſo, & partibus integralibus eius, quæ ſunt Cœli, & elementa; attamen alia ratione agitur de illis hic, & in libris de generatione, & corruptione; hic namque agitur de eis, provt ſunt partes Vniuerſi, & ſecundum ſe generabilia, & corruptibilia, in illis vero libris, provt ſunt ordinata ad generationem miſti, quare hic ſunt conſideranda, vt ſubiecta partialia, illic, vt cauſa.*

SVM-

SVMMÆ SECVNDÆ,

CAPVT VNICVM.

Antiquorum sententiæ de generatione, & corruptione rerum naturalium.

Tex. 2. *GEneratio autem, aut omnino non est, aut solum est in quatuor elementis, nempe igne, aere, aqua, & terra, atque in ijs rebus, quæ ex ijs sunt, vt in animalibus, plantis, ac cęteris mistis. Hoc autem ipsum primum est contemplandum, vtrum hoc modo sit, vel non. Ii igitur, qui prius de veritate rerum philosophati sunt inter se discrepantes fuerunt in multis, ac etiam in ijs sermonibus, quos nunc dicimus de generatione, & corruptione. Quidam enim ipsorum auferebant omnino generationem, & corruptionem; nihil enim eorum, quæ sunt, aut generari, aut corrumpi dicebant, sed solum videri nobis, sic etenim placuit Melisso, atque Parmenidi. Qui etsi in aliquibus bene dicant (dantur namque res ingenerabiles & incorruptibiles, vt intelligentiæ, & cælum) non tamen oportet putare, eos naturaliter dicere: esse enim entium, quædam ingenerabilia, & incorruptibilia, vt diximus, ac etiam quædam immobilia, vt Deum, magis est alterius, atque prioris scientiæ, quam naturalis, nempe diuinæ, vel Metaphysicæ considerationis. Errauerunt ergo dupliciter; primò, quia quæ sunt propria rerum diuinarum, corruptibilibus tribuerunt. Secundò, quia inconsulto locuti sunt; nō .n. credebant dari aliud ens, pręter ista sensibilia, & sic proprietates incorruptibilium, non ratione, vel scientia, sed casualiter tribuerunt sensibilibus. Illi igitur, quia nihil aliud quidem esse putauerunt præter substantiam rerum sensibilium, ac quia tales naturas, & conditiones scientiæ, ipsi primi Philosophi intellexerunt, vt si aliqua scientia esse debeat, vel prudentia, incorruptibilium sit, ideo vt de rebus naturalibus scientiam traderent, eas ingenerabiles, ac incorruptibiles esse dixerunt, & conditiones rerum incorruptibilium, transtulerunt illinc ad hæc inferiora sensibilia, licet aliud præter sensibilia non cognouerint.*

Tex. 3. *Alij autem quasi de industria, contrariam his habuerūt opinionem. Sunt enim quidam, qui aiunt nullam rerum ingenerabilem esse, sed omnes generari, generatas vero, has quidem incorruptibiles permanere; alias autem rursus corrumpi, quorum maximè quidem Hesiodus, deinde & aliorum ij, qui primi de natura disseruerunt, opinati sunt. Alij autem, omnia dicunt generari, & fluere, esse vero fixę nihil, vnum autem quoddam solum persistere, ex quo hæc omnia nata sunt transfigurari, & fieri; hoc autem incorruptibile erat primum principium materiale, ex quo cætera fieri affirmabant, quod secundum aliquos est ignis, vel secundum alios aqua, vel aer, nam in hoc etiam diuersificati fuerunt; huius autem opinionis, quod scilicet omnia sint generabilia præter vnum fuit Heraclitus Ephesius, & alij multi. Sunt autem quidam, qui dicunt omne corpus generabile esse, ac corruptibile, sed generari ex superficiebus, ac in ipsas quoque resolui, & corrumpi, quæ est positio Platonis.*

SVMMA TERTIA.

Destruitur positio, quæ ponit indiuisibilia, vt principia rerum.

CAPITIS PRIMI, PARS PRIMA.

Quæ sunt impossibilia Mathematicis, sunt etiam naturalibus, & non è conuerso.

Tex. 4. *DE alijs igitur sermonibus Antiquorum, alterius scientiæ erit sermo. Modo volumus perscrutari de sermone dicentium, quod corpora fiant ex superficiebus; ijs igitur, qui hoc modo dicunt, & omnia corpora constituunt ex superficiebus, conuenit dicere manifestè contraria ipsis Mathematicis disciplinis, quæ omnia indiuisibilia tollunt, (quoad hoc vt ex illis aliquod corpus, vel diuisibile componatur) quod autem contradicant promptum est videri. Attamen iustum erat, aut principia Mathematica non auferre, aut ea amouere credibilioribus rationibus, quam sint suppositiones eorum, hoc est propositiones sine probatione, vel euidentia.*

Tex. 5. *Deinde manifestum est, quod eadem ratione, corpora componerentur ex superficiebus, & superficies ex lineis, istæ vero ex punctis, quod si ita esset, non erit necesse quod linea sit pars lineæ, quod falsum, & impossibile esse, considerauimus in 6. Phys. videlicet, quod lineæ non constant ex indiuisibilibus, & similiter nec aliæ magnitudines.*

Tex. 6. *Nunc autem paululum consideremus, quæ impossibilia accidant circa naturalia corpora secundum eos, qui dicunt lineas, ac superficies indiuisibiles esse ipsorum principia, nam quæcunque impossibilia accidunt ex tali positione in Mathematicis, etiam eadem in naturalibus accidere necesse est, & non è contra, cuius ratio est, quia Mathematica fiunt per ablationem, vel abstractionem à Physicis, considerant enim solum quantitatem, abstrahendo à materia, & motu, & sic non omnia, nec omni modo naturali considerant. Physica vero dicuntur per oppositionem ad Mathematica, (hoc est, quia considerant quantitatem; quæ à Mathematico consideratur, & præter hanc aliud apponunt, nempe motum, materiam, & alia accidentia sensibilia) ideo præter inconuenientia, quæ in Mathematicis tanquam in proprio loco examinantur positionis huiusmodi, alia quoque quæ ex additione naturalitatis sequuntur, hic sunt examinanda.*

Tex. 7. *Quod autem res naturales, ac earum consideratio addat ad Mathematicas, adhuc specialiter declaratur. Multa namque sunt, quæ indiuisibilibus Mathematicis inesse non possunt, naturalibus vero insunt. Veluti si ponamus, quod indiuisibile possit diuidi, hoc namque in Mathematicis simpliciter impossibile est, tamen in naturalibus non est impossibile, cuius ratio est, quia Mathematica considerantur solum secundum quantitatem, naturalia vero alijs quoque modis. Quare passiones omnes, vel qualitates sunt secundum Mathematicum indiuisibiles, quia quantitate carent, at secundum Physicum dupliciter diuisibiles sunt, aut enim secundum speciem, aut secundum accidens; secundum speciem quidem, vt color, qui est genus, diuiditur in albedinem, & nigredinem, quæ sunt species. Secundum accidens autem, si id cui inest color, diuisibile sit, color quoque diuidetur ad diuisionem illius, quare passiones quęcunque simplices sunt, omnes sunt diuisibiles hoc modo.*

PARS

PARS SECVNDA
Primi Capitis.

Contradicitur dicentibus, generationem fieri ex superficiebus.

Tex. 8. *QVapropter id quod in talibus rebus (si ex indiuisibilibus componi dicantur) impossibile sequatur, considerandum est. Si itaque impossibile est, quod vtraque partes non habentes seorsum grauitatem, coniunctæ & in composito vnitæ habeant, impossibile quoque erit, quod corpora sensibilia, quæ (vt dicunt) omnia, aut aliqua grauitatem habent, veluti terra, & aqua, alia leuitatem, vt ipsi quoque concedunt; ex indiuisibilibus, quæ grauitate, ac leuitate carent componantur; quare si punctum non habet grauitatem, nec leuitatem, neque linea habebit, si ex ipsis componatur; similiter si lineæ non habebunt, nec superficies, si ex lineis constent, quare neque vllum corporum, si (vt dicunt) ex superficiebus constabit.*

Tex. 9. *At verò quod non sit possibile punctum habere grauitatem, vel leuitatem, manifestum est; graue enim omne, ac leue, contingit esse grauius, & leuius aliquo, vel etiam minus graue, vel minus leue; si itaque punctum est graue, vel leue, poterit esse grauius, vel leuius altero, ac magis, vel minus tale, quare cum omne graue, vel leue sit hoc modo diuisibile secundum magis, & minus, & ipsum quoque punctum diuisibile erit, quod tamen supponitur esse indiuisibile, vt Mathematici ostendunt, & nos quoque in 6. Physic. declarauimus. Notandum est tamen quod licet omne graue, & leue possint dici grauiora, & leuiora, vel minus grauia, ac minus leuia; non tamen valet è contra, videlicet, quod grauius alio, possit dici simpliciter graue, vel leuius simpliciter leue, quemadmodum magnum potest dici maius, vel minus alio, sed maius non dicitur semper magnum; multa enim sunt, quæ cum sint parua simpliciter, dicuntur maiora quibusdam alijs, vt granum tritici, dicitur maius grano milij. Cuius ratio esse potest, quia quod dicitur simpliciter graue, vel leue, vel magnum, includit quasi simpliciter, ac perfectè grauitatem, ita vt sic dicatur per quandam excellentiam, vel antonomasiam; vnde cum hæc sit quædam affectio, quæ suscipit magis, & minus, sic diuidi potest, ac magis, & minus tale dici; quod verò dicitur graue, vel leue, &c. per comparationem est graue secundum quid, ideò ipsum dicere simpliciter tale, est fallacia. Sed loqui semper debemus secundum subiectam materiam, ita vt quando inter grauia re vera vel leuia, fiat comparatio, tunc quod grauius est, erit graue, & quod leuius leue, quia à comparatiuo ad suum positiuum est bona consequentia. Vnde diceremus vnico verbo, quod à comparatiuo ad positiuum non valet consequentia, quando est comparatio abusiua, sicut est in proposito, quando est vera comparatio, consequentia est bona.* Comparatio abusiua. *Dicitur comparatio abusiua, dum comparabilia non propriè participant re, in qua comparantur, sed secundum quid, vt si dicamus fel est dulcius absintio. Propria vero, quando participant re vera, et non per quandam similitudinem.*

Tex. 10. *Præterea, si graue (vt dicunt) densum quidem est, leue autem rarum, densum autem (etiam secundum ipsos) in hoc differt à raro, quod ipsi denso in æquali mole cum raro plures partes insunt: si igitur punctum erit graue, & leue, erit similiter densum & rarum, sed densum quidem est diuisibile (plures namque partes in eadem mole habet, & omne habens partes diuisibile est) punctum autem indiuisibile. Idem dicatur de leui, cum partes quoque habeat, cum igitur punctum indiuisibile sit, non erit graue, nec leue, ac per consequens nec corpora grauia, & leuia componet, mediatè (vt dicunt) prius namque lineæ ex punctis, postea superficies ex lineis, ac tandem corpora ex superficiebus componuntur, & sic si à punctis tollatur grauitas & leuitas, aufertur quoque à superficiebus, lineis, atque corporibus.*

Si verò omne graue necesse est aut molle esse, aut durum, facile est ex his aliquod impossibile ex opinione ipsorum colligere. Nam molle est, quod in seipsum cedit circa profundum, durum verò quod non cedit circa profundum, quod autem cedit, vel non cedit ex eo, quia profundum habet erit diuisibile, & sic si punctum esset graue, vel leue, esset etiam durum, vel molle, ac diuisibile. Tex. 11. Molle. Durum.

At verò neque ex ijs, quæ grauitatem non habent, aliquid graue fieri poterit, in quot enim rebus, aut in qualibus accidet, aut quomodo determinabunt ex non grauibus grauia fieri, nisi velint fingere, & sine fundamento loqui? cùm igitur puncta grauitatem non habeant, aliquod graue ex ipsis constitui impossibile est. Præterea; si omnis grauitas maior est alia grauitate, per additionem grauitatis, & ponatur omnia ex punctis esse, sequitur ipsa puncta impartibilia grauitatem habere, quod iam sæpe reprobatum est; probatur consequentia. Si enim id quod constat ex quatuor punctis grauitatem habet, quod autem ex pluribus constat, quam hoc, eo quod est graue, grauius existit; quod autem grauius est graui propriè dicto, necesse est, quod ipsum sit quoque graue, quemadmodum quod est albius albo, album erit: sit igitur aliquod grauius, quod sit ex quinque punctis, hoc habebit illam maiorem grauitatem, ex tali puncto addito, & sic quod est excedens in vno puncto grauius erit, sicut ablato tali puncto erit æquale, quare ex vno puncto grauitatem habebit, non enim grauitatem daret, nisi eam haberet, præcipuè si dat esse per modum partis integralis, sic namque omnes prædictæ rationes intelligi debent, verbi gratia, dum dicitur ex non grauibus quomodo potest fieri graue, &c. nēpe quod ex non grauibus non potest fieri graue, tanquam ex partibus integralibus, sicut ex non quantis non potest fieri quantum, sic namque ponebant prædicti Philosophi, vnde si de partibus essentialibus loqueremur, hoc non esset verum; materia enim, & forma, non sunt graues, nec leues (cum hæ sint qualitates tantum corporum sensibilium, & corruptibilium) & tamen ex ipsis fit graue, & leue. Tex. 12.

Præterea; si superficies poterit componi solum ex lineis, absurdum est, quemadmodum est absurdum, quod linea, ex lineis vtroque modo componatur (hoc est secundum latitudinem, ac longitudinem) oporteret enim & superficiem cum superficie eodem modo componi, tam videlicet secundum latitudinem, quam secundum profunditatem, vel latitudinem, hoc est superpositionem, ita vt vna superficies alteri superponatur, & sic compositum efficiant: omnia inquam hæc sunt absurda, quia indiuisibile additum alteri ex ea parte, qua est indiuisibile non facit maius, & tamen ipsi dicunt, quod linea potest cum linea componi secundum lineam superpositam, non solum appositam in longum. Quare si secundum latitudinem superficierum (hoc est secundum superpositionem Tex. 13. Indiuisibile additum alteri nō facit maius.

vnius

vnius ad alteram) contingit corpus componi, erit aliquod corpus, quod neque est elementum, neque ex elementis, sed tantum ex superficiebus compositum, hoc autem est absurdum, & contra vniuersam Philosophiam, veritatem, ac eorum quoque positiones; ipsi etenim elementa, ac compositionem ex ipsis concedunt.

Tex. 14. Præterea; si ob multitudinem superficierum grauiora sunt corpora, quemadmodum à Platone in Thimæo determinatum est; manifestum est, quod linea, & punctum grauitatem habebunt; proportionaliter enim inuicem se habent, quemadmodum, & prius diximus, videlicet, quod sicut corpora ex superficiebus, ita superficies ex lineis, & lineæ, ex punctis debent componi. Si vero diuersitatem corporum (dicant) non assignari, ex maiori, vel minori multitudine superficierum, sed ex ipsa grauitate, & leuitate, vt terra differt ab igne, quia ipsa est grauis, ille leuis; hoc tamen non soluit, quia ex hac positione concedere quoque debent, quod superficierum, hæc quidem sit grauis, illa vero leuis, & linearum itaque, & punctorum similiter, & quod superficies terræ sit grauior superficie ignis, non enim (vt diximus) aliquod graue, vel leue erit, nisi ex partibus integrantibus, quæ sunt secundum ipsos puncta, lineæ, & superficies; in idem igitur absurdum, quod euitare intendunt, recidunt. Præterea; si ex indiuisibilibus modo prædicto componantur corpora, omnino accidet, aut nullam vnquam esse magnitudinem, aut posse tolli, si inquam sit verum, quod similiter se habeat punctum ad lineam, linea vero ad superficiem, hæc vero ad corpus. Probatur prima consequentia, videlicet, quod nulla esset magnitudo, quia ex indiuisibilibus magnitudo consistere non potest. Probatur secunda, videlicet, quod omnis magnitudo posset tolli. Vnumquodque potest resolui in ea ex quibus compositum est, quod maximè est verum de composito ex partibus integrantibus & quantitatiuis. Si igitur corpora, ex superficiebus, hæ autem ex lineis, & istæ ex punctis composita sint, omnia in se inuicem resolui possunt, ac in prima quoque resoluentur, videlicet in puncta, quare continget vtique puncta sola esse; corpus autem nullum, & sic magnitudo tolleretur.

Tex. 15. Ad hæc autem, si tempus similiter se se habeat, videlicet, quod componatur ex indiuisibilibus, vel nunc (eadem namque ratio est, cum sit ipsum quoque de genere quantitatis continuæ) auferretur vtique aliquando, aut saltem continget auferri, ac resolui in Nunc, quod est quoque indiuisibile, & sic se habet in tempore, veluti punctum in linea. Sed auferre tempus est absurdum, & impossibile, etiam secundum ipsos ne dicam secundum veritatem.

Tex. 16. Idem autem accidit absurdum ijs, qui ex numeris ipsum Vniuersum componi dicunt, scilicet, quod concedere coguntur, ex ijs, quæ nullam grauitatem, nec leuitatem habent, corpora grauia, ac leuia componi. Quidam enim vniuersi naturam ex numeris constituunt, quemadmodum Pythagoreorum aliqui.

Tex. 17. Naturalia igitur corpora, videntur habere grauitatem, & leuitatem (loquendo semper de sublunaribus, ad differentiam Cœli, quod non est graue, nec leue) at ipsæ vnitates, quæ sunt principium numeri, nec grauitatem habent, nec leuitatem, ergo corpus graue, & leue componere non possunt. Præterea; cùm sint indiuisibiles, etiam si simul compositæ, vel aggregatæ intelligantur, corpus facere non possunt, nam ex indiuisibilibus, (vt sæpe dictum est) diuisibile non efficitur.

CAPVT II.

Omne corpus mobile in rectum est graue, aut leue; aer autem inseruit tam motui naturali, quam violento.

Quod autem necessarium sit, motum aliquem omnibus simplicibus corporibus naturaliter inesse, ex his, quæ modo dicemus manifestum erit. Quoniam enim corpora naturalia moueri videntur, nisi habeant proprium motum naturalem, necessarium est, quod vi moueantur, idem autem est moueri violenter, & præter naturam, (accipiendo præter naturam strictè, aliter non est verum; nam ignis in sua sphæra mouetur circulariter præter naturam, & tamen non violenter; quando ergo violenter, & præter naturam debent esse idem; debet accipi ly præter naturam, vt opponitur naturæ, seu inclinationi particulari rei mobilis, ac inclinationi, & ordini Vniuersi, quia si opponatur tantummodo naturæ particulari, non erit violenter simpliciter, vt de igni circulariter moto manifestum est.) At verò, si præter naturam est aliquis motus, necesse est aliquem alium motum secundum naturam eidem conuenire, cui talis præter naturam tribuebatur, etsi multi præter naturam eidem conueniant; nam quod est secundum naturam, simpliciter, & vno modo dicitur, quod vero præter naturam multis modis, & ratio est, quia rectitudo, & perfectio in vno, ac indiuisibili consistit, declinatio vero ab ipsa, pluribus contingit fieri modis, at natura vniuscuiusque est vna, & indiuisibilis in se. Tex. 18.

Moueri violenter, & præter naturam, idē quomodo.

Naturaliter simpliciter præter naturam multipliciter.

Amplius autem, & ex quiete manifestum est; etenim quiescere necessarium est corpora naturalia, & sublunaria, de quibus loquimur; aut igitur quiescunt violenter, aut naturaliter. Pro cuius clariori intelligentia, supponendum etiam est. Quod vbi aliquid violenter manet, illuc violenter fertur, & vbi manet naturaliter, illuc quoque naturaliter mouetur, tunc sic probemus intentum. Quoniam igitur videtur aliquid manere in medio; aut igitur manet illic secundum naturam, aut violenter; si manet secundum naturam manifestum est, quod latio, quæ ab ipso huc fit, secundum naturam sibi inest. Si autem vi manet, quid prohibet, vt inde discedat, ac ad suum locum feratur? Si dicatur, quod prohibens ipsum moueri, est quoque quiescens, & sic semper quiescere facit. Contrà; si hoc prohibens quiescit, eundem reuoluemus sermonem, necesse est enim aut secundum naturam esse hoc primum quiescens impediens, aut in infinitum abire, quod quidem est impossibile. Si vero id quod prohibet moueri, mouetur, quemadmodum Empedocles inquit, terram ob vertiginem quiescere, aliquò sane (remoto hoc impedimento, quod cum sit externum remoueri posset, saltem per præcisionem) ferretur, cum sit impossibile in infinitum ferri. Quod autem impossibile est, fieri non potest; infinitum autem transire impossibile est. Quare necesse est, quod stet alicubi quod fertur, & ibi non vi maneat, sed secundum naturam. Si autem est secundum naturam quies, & motus erit secundum naturam, ea (inquam) erit latio secundum naturam, quæ fit ad hunc locum, vbi naturaliter quiescit. Tex. 19.

Quo aliquid naturaliter mouetur, ibi naturaliter manet, quo violēter violenter.

Quapropter & Leucippus, & Democritus, dicentes semper moueri prima corpora; (hoc est athomos illas, vel corpuscula, quæ ponebant indiuisibilia) in vacuo, & infinito, dicere debebant, quo motu hæc corpora mouebantur, Tex. 20.

& quis

& quis esset motus ipsorum naturalis. Si enim dicant, quod vnumquodque horum principiorum, mouetur ab alio violenter, necesse est, quod vnumquodque habeat motum quoque naturalem, præter violentum. Et oportet primum mouentem, non vi mouere primum mobile, sed secundum naturam ipsius mobilis, in infinitum enim abibit, si non erit quippiam primum mouens secundum naturam, sed semper quod prius vi mouetur, mouebitur, semper etenim violentum, à naturale præceditur. Oportet ergo deuenire ad vnum primum quod naturaliter moueat. Hoc autem dato, & alia naturaliter mouebunt, & mouebuntur, omnia etenim eo modo se habent, quo à primo principio, & motore dependent, & secundum ordinem ad primum mobile. Quare si ipsum naturaliter moueatur, & alia quoque corpora sic moueri conueniens erit.

Tex. 21. Hoc autem idem accidere necessarium est, etsi quemadmodum à Platone in Thimeo scriptum est, antequam factus esset Mundus, mouebantur elementa inordinatè. Necesse est enim, aut violentum fuisse hunc motum, aut secundum naturam. Si autem secundum naturam mouebantur, necesse est, Mundum fuiße, si qui velit insistendo contemplari. Tunc enim necesse est primum mouens mouere naturaliter ipsum primum mobile, ac similiter alia naturaliter moueri, vt ex prædictis patet. Similiter quæ non violenter mouentur, sed in proprijs locis quiescunt cum alijs quæ mouentur, fecissent enim ordinem, qui nunc in Mundo fit, ita vt ea quæ grauitatem habent essent in medio, vel ad ipsum mouerentur, quæ autem leuitatem à medio, hanc autem Mundus habet dispositionem, & sic si elementa ante Mundum mota fuissent naturaliter Mundus fuisset, antequam eßet; si autem violenter, esset ante alter motus naturalis, & sic etiam ante Mundum eßet Mundus, vel saltem esset processus in infinitum, quia motus violentus alium supponit, vt supra deductum est.

Tex. 22. Præterea, tantum insuper quæret aliquis. An possibile erat, vel impossibile, ea quæ mouentur inordinatè, etiam misceri talibus mistionibus, quibus nunc aliqua miscentur, (scilicet ex talibus partibus ex quibus constant ea corpora, quæ secundum naturam constituuntur, vt animalia ex carnibus, & ossibus, &c.) quam mistionem etiam affirmat Empedocles fieri per amicitiam; dicit enim multa sine collo capita emerserunt; quę tamen postea coniuncta, ac mista corporibus per amicitiam fuerunt. Si igitur, ex talibus inordinatis elementis, hæc mista facta fuissent, absurdum est, quia non seruato tali ordine, nec talis erit compositio, perfectio namq; rei, maximè in ordine consistit. Si verò non fieret, hoc est quoque absurdum, nam existentibus ijsdem principijs, eadem quoque composita fieri possunt, & eodem modo disponi.

Tex. 23. Hi autem, qui infinita corpora mobilia, in infinito vacuo moueri ponunt, ex quibus Mundus postea constitutus sit (quæ est opinio Democriti, & Leucippi de athomis, seu corpusculis indiuisibilibus) dicere sunt coacti, quod si id quod hæc infinita corpora mouet, vnum sit (hoc est si ipsa sint vnius naturæ, vel formæ, cuius est mouere) necesse est, quod omnia ferantur vna latione; sicut omnia grauia deorsum, & leuia sursum; quare non inordinatè mouebuntur (ponebant etiam isti, hæc corpuscula inordinatè moueri, ante Mundi constitutionem). Si autem infinita sint ea quæ mouent (hoc est sint infinita forma specie differentes) necesse est esse lationes infinitas specie differentes, hoc autem est impossibile, quia non possunt multiplicari motus locales, nisi secundum multiplicitatem differentiarum loci, quæ sunt tantummodo sex, scilicet, ante, retro, sursum, deorsum, dextrum, & sinistrum. Si vero dicatur, quod tales lationes, ac formæ finitæ sint, ordo aliquis erit secundum motum; non enim ex eo quod non feruntur in eundem locum numero, inordinatio accidit; neque enim nunc in hoc mundo in idem feruntur omnia, sed solum quæ sunt eiusdem generis, vel naturæ, vt omnia grauia ad medium, omnia leuia ad extremum. Si ergo sunt infinita numero, ac finita specie, erit ordo, quia ad determinata loca ferentur. Si vero sint infinita specie, & numero, tollitur motus, ac locus qui secundum sex differentias prædictas determinatus est.

Præterea. Inordinatio nihil est aliud, quam quod præter naturam: ordo enim est propria natura rerum sensibilium, vel naturalium. Quare si hoc sit verum, absurdum ac impossibile erit, id quod est infinitum, habere motum inordinatum, vt dicebat Plato. Quod sic probatur, nam natura dicitur rerum, quam plures habent, & pluri tempore, ergo si infinito tempore habeant, magis id erit naturale, vt patet de æterna generatione, corruptione, ac cælorum reuolutione; quare si ponantur infinita, quæ motum infinitum habeant, erunt magis naturalia saltem quo ad habere motum infinitum, ac si magis naturalia erunt, non habebunt inordinationem, cum proprium naturæ sit, ordo. Quare qui sic dicunt, contrarium dicere coguntur, (videlicet quod inordinatio sit secundum naturam, ex eo quod ipsam inordinationem ponunt in infinitis, quæ magis naturalia sunt; intelligendo de infinitis duratione, ordinem verò & Mundum præter naturam, quia ipsos ponunt finitos (quamquam eorum quæ sunt secundum naturam, nihil sit vt contingit, hoc est vel à casu, vel rarò) sed vel vt plurimum, vel semper, vnde infinitatem respicit, ac ordinem. Tex. 24.

Naturæ proprium est ordo.

Videtur autem hoc ipsum Anaxagoras rectè accepisse, ad fugiendam hanc difficultatem de motu, nam Mundum inchoat ex immobilibus, simul manentibus, vt fusè in primo Physicorum declarauimus. Tentant autem alij hoc modo congregantes principia Vniuersi quiescentia, & rursus aliquo modo mouere, ac segregare, ita vt incipiant motum, ac multiplicationem rerum, congregant autem simul omnia principia, ac ea quiescere dicunt, quia ex distantibus, ac motis, non videtur rationabile facere generationem. Si enim distent, compositum non efficiunt, si verò moueantur, accidunt inconuenientia prædicta. Quapropter Empedocles prætermittit eum motum, qui est per amicitiam, (hoc est congregationem in Vniuersi constitutione) neque enim potuisset constituere Mundum ex separatis quidem elementis construens, ac congregationem per amicitiam faciens; sic namque elementa essent in motu (hoc est efficiendo congregationem, ante Mundi constitutionem) quare in absurdum præcedens incurreret, ac ponit Mundum ex segregatis, & immotis elementis esse constitutum, quare secundum ipsum necessarium est, vt Mundus fiat ex vnione, & congregatione elementorum. Tex. 25.

Quod igitur sit naturalis quidam motus vniuscuiusque corporum, quo non vi mouentur, neque præter naturam, ex prædictis manifestum est. Quod autem sit neceßarium, vt quædam naturalia corpora habeant propensionem, ac impetum grauitatis & leuitatis, ex his, quæ modo dicemus, patebit. Moueri autem dicimus esse necessarium. Si autem id quod mouetur non habebit naturaliter propensionem, impossibile erit moueri, aut ad medium, seu deorsum, aut à medio, seu sursum. Quod sic probatur. Si aliquod corpus non graue, & vocetur A. Aliud verò graue, et vocetur B; feratur autem non graue per lineã breuiorem, Tex. 26.

rem, quæ sit C D, ipsum verò graue in æquali tempore per lineam longiorem, quæ linea sit C E, per maius enim æquali tempore feretur id quod grauitatem habet. Si itaque diuidatur corpus graue, ita quod pars ipsius moueatur per lineam, qua mouebatur non graue, (debent enim accipi proportionaliter lineæ partes, cum partibus corporis) dum ergo totum graue fertur per totam lineam longiorem, & pars eius mouebitur per breuiorem, videlicet per illam in qua mouebatur non graue; quare cum hæc pars grauis per eandem lineam moueatur, qua non graue mouebatur, per æquale tempus feretur non graue, & grauitatem habens, quod quidem est impossibile; debet namque esse proportio mobilium, secundum virtutem motricem, spatium, et tempus, sed inter graue, & non graue, talis proportio non seruatur, sicut nec inter ens, & non ens, eadem autem est ratio, & in leuitate.

Tex. 27. *Præterea. Si erit aliquod corpus quod mouetur, neque leuitatem, neque grauitatem habens, necesse est vi moueri, seclusa etenim naturali propensione, non remanet nisi vis. Quod autem vi mouetur si nullam habet resistentiam, infinitum facit motum, seu instantaneum, quod motui repugnat. Quod autem hoc sit verum, probatur; cùm enim potentia quadam externa sit ea, quæ mouet violenter, quod autem minus sit, ac leuius ab eadem potentia plus mouetur, secluso omni alio impedimento, quia non est, quod tali impellenti potentiæ resistat. Sit igitur motum aliquod corpus non graue, & vocetur A per lineam quandam, quæ sit C E: graue verò quod vocetur B, moueatur æquali tempore per lineam minorem, quæ sit C D. Diuisio igitur corpore graui in duas medietates, & similiter diuidatur linea, per quam ipsum corpus graue mouebatur, tunc sequitur quod ipsum dimidium corporis grauis, mouebitur per duplam lineam, qua mouebatur totum, in eodem tempore, quoniam totum ferebatur per dimidiam lineam, quæ erat C D, cuius ratio est; nam velocitas minoris corporis, seu dimidij se se habebit ad velocitatem maioris, vt maius corpus ad minus, hoc est exeedet velocitatem corporis maioris, & grauioris in duplo, loquendo semper de motu violento, videlicet de graui sursum, nam quanto est grauius, tanto difficilius, ac tardius sursum mouetur. Si igitur non graue ponatur successiuè moueri cum graui, sequitur, quod eodem tempore mouebitur graue, & non graue, quod esse impossibile, superius probatum est. Si verò admittatur, quod non graue si moueatur violenter (de quo motu est sermo) recipit virtutem & impetum ab impellente, vel proyciente, sequitur, quod mouebitur in instanti, quod etiam impossibile est, quod verò hoc sequatur iterum declaratur. Quoniam omni proposito interuallo, vel spatio semper per maius mouebitur, eo quod nullam habet resistentiam id, quod graue non est, quare per infinitum vtique mouebitur (hoc est non tempore aliquo, sed in instanti; si enim de infinitate spatij esset sermo, non esset ad propositum, quia seruaretur successio, & non infinitas velocitatis, quod intenditur) vel dicatur, quod moueretur, per infinitum spatium (hoc est, quantum est de se, semper moueretur) cum nulla sit resistentia, nec ex parte sui, nec ex parte medij, quod supponi debet. Manifestum est igitur, quod necesse est, omne corpus finitum habere grauitatem, & leuitatem.*

Tex. 28. *Quoniam autem ea, quę mouentur secundum naturam, sunt quæ in seipsis habent principium motus internum; ea autem quæ à potentia, seu virtute externa mouentur sunt quorum principium est in alio, quatenus aliud est, & sic omnis motus, vel est naturalis, vel violentus, qui (præter differentiam supra assignatam de principio interno, & externo) differunt in hoc, quod motus naturalis (veluti motus lapidis deorsum) id quod secundum internam potentiam mobilis ipsum motum facit, semper velociorem faciet, quod multo magis erit verum, si etiam ab externa potentia adiuuetur, vt si lapis, vi & impetu deorsum proyciatur. Eum autem qui pręter naturam, omnino facit ipsa externa potentia, non præbente inclinationem aliquam passo, vel moto, vnde in motu naturali potest misceri aliquomodo violentia, sed in violento naturalitas non admiscetur, vtraque tamen potentia motiua, tam videlicet naturalis, quam violenta vtitur aere ad vtrumque motum tanquam instrumento, nam ipse aer natus est esse grauis, & leuis, non enim est summè leuis, nec propriè grauitatem habet, ideo veluti corpus quoddam medium, natum est huc, atque illuc discurrere, & grauia quoque, ac leuia, siue violenter, siue naturaliter moueantur adiuuare, eam igitur lationem, quæ sursum est, faciet ipse aer prout est leuis, cum pulsus fuerit, ac sumpserit principium, vel impetum mouendi, ab ipsa motiua potentia impellente; eam vero quæ deorsum, rursus faciet lationem, prout est grauis, veluti enim imprimens mobili virtutem à mouente sibi impressam, tradit vtique facultatem, vel adiuuamentum vt moueantur. Quapropter, quod violenter motum est, licet id quod mouit, vel impulit non sequatur ipsum, sed dimittat, attamen ad huc mouetur propter aerem impellentem. Si enim non tale aliquod corpus esset, non vtique esset motus violentus, quinimo etiam ipse aer promouet, vel coadiuuat eodem modo eum motum, qui est secundum naturam vniuscuiusque. Quod igitur omne corpus mobile motu recto, aut leue, aut graue sit; & quomodo se se habeant motus præter naturam, ex his, quæ diximus, manifestum est.*

Aer adiuuat omnē motum rectum.

SVMMÆ QVARTÆ,

CAPVT VNICVM.

Generatio non omnibus, sed quibusdam corporibus naturalibus conuenit.

QVod autem neque omnium sit generatio, neque simpliciter nullius, patet ex dictis, cęlum etenim vidimus ingenerabile esse, elementa autem, & mista generabilia sunt, quod exactius suo loco examinabitur. Impossibile enim est vniuersi corporis, (videlicet totius mundi) esse generationem, si non sit possibile esse aliquod vacuum separatum, in quo hoc vniuersum corpus reciperetur. Quia si nullum aliud corpus præexistat, in quo aliud generandum est, proculdubio erit vacuum, id spatium dico, vel in quo aliquod factum est, vel genitum. Cùm igitur ante Mundum non fuerit aliud corpus, ex quo ipse Mundus generaretur (sunt etenim impossibiles plures Mundi, & simul, & successiuè, vt in primo de Cęlo probauimus) sequitur, quod si genitus sit, necessariò fuisset vacuum, in quo receptus fuit, sed hoc quoque est impossibile, vt visum est in 4. physicorum, ergo nullatenus ipse mundus est genitus, secundum se totum, & maximè secundum partem cælestem, quare non omnia generabilia sunt, vt aliqui Antiquorum credebant. Quod vero aliqua sint generabilia (contrà alios, qui nihil generari dicebant) sic probatur; Tex. 29.

nam

nam aliud corpus potest fieri, ex alio, & maximè elementa, vt ex aere potest fieri ignis, & è conuerso; si vero nulla alia praeexistat magnitudo (hoc est corpus naturale quantum) impossibile esset aliquid generari, maximè enim fieret corpus in actu ex corpore in potentia, hoc autem esse non potest, quod enim est corpus in potentia tantum, & non in actu prius quam aliud ex ipso generetur, hoc vacuum erit, separatum, in quo tale generabile corpus, recipitur, quod est absurdum. Sed est dubitatio, quia materia prima non est corpus, tamen non debet dici vacuum, & praeterea, quia ex ipsa fit corpus, non autem ex corpore in actu, ipsa etenim est pars compositi, non autem corpus, vnde habetur in 1. physicorum textu 76. quod si fiat animal ex animali, hoc non erit quatenus animal est, sed quatenus non animal, & sic potius ex non corpore, quam ex corpore, corpus generari debet. Respondetur ad primam partem dubitationis, quod licet materia prima non sit corpus, attamen quia locum non replet, nec sine forma naturaliter esse potest, ideo vel vbi ipsa esset, non tolleretur ratio vacui, vel quia est naturaliter impossibile, non debet poni, vt possibile. Ad aliam partem respondetur, quod quidem ex materia fit corpus substantiale generabile, tanquam ex parte essentiali, non autem hoc modo fit ex corpore, vt in 1. physicorum textu pracitato dictum est: tamen debet necessario corpus aliquod praecedere, ex corruptione cuius fiat alterius generatio, non enim ex nihilo generari aliquid potest, nec materia absque forma existit, nec agens naturale potest agere nisi in quantum, quapropter corpus praecedere debet, vt omnes hae difficultates tollantur.

SVMMA QVINTA.

De causa generationis in compositis, quae causa sunt elementa.

CAPVT I.

Principia corporum mistorum sunt elementa.

Tex.30. R*Eliquum autem est dicere, & quorum corporum est generatio, & propter quid est. Quoniam igitur in omnibus rebus cognitio scientifica, & à priori, est per prima principia atque causas, prima autem principia corporum mistorum sunt elementa; considerandum est, quaenam sint haec elementa; & propter quid sint aliorum corporum principia; deinde post haec, & quot, & qualia sint.*

Tex.31. *Hoc autem quod inuestigare de elementis intendimus, manifestum erit, si supponamus, quaenam sit natura, ac elementi definitio. Est igitur elementum corpus in quod* Elemẽtum quid. *alia corpora resoluuntur, quod inest talibus corporibus potentia, aut actu, hoc enim vtro modo insit, adhuc ambiguum est, sed in libris de generatione, & corruptione determinabitur. Ipsum autem elementum est indiuisibile in diuersa specie, hoc est non amplius resoluitur in alia corpora specie differentia, sicut resoluuntur mistum in ipsa quatuor elementa, etsi diuidi possit in partes essentiales, seu in materiam, & formam. Omnes igitur confitentur tale esse elementum, quale diximus, ac in omnibus mistis esse.*

Si itaque quod dictum est elementum sit, necesse est esse aliqua talia corporum; in carne enim, & ligno, & vnoquoque talium, inest potentia ignis, ac terra. Tex.32.

Manifesta autem sunt haec ex illis segregata; in igne autem caro, aut lignum non inest, neque secundum potentiam, neque secundum actum, segregarentur enim vtique. Qua propter ignis, terra, aqua, & aer elementa sunt, cum in ipsa mista resoluantur, vt ex definitione patet, non igitur mista in elementis, sed haec in illis sunt. Quare neque si vnum tantum esset elementum, propter hoc dicendum esset, quod mista sint in ipso, nam siue vnum, siue plura sint, semper naturam elementi retinebit. Similiter neque si datur mistum, vt caro, aut os, aut aliorum quodcunq; statim absque ratione dicendum est, inesse illis elementa in potentia, sed prius est considerandum, quis nam sit generationis modus. Tex.33.

Anaxagoras autem contrario modo, quam Empedocles dicit de elementis, hic enim, videlicet Empedocles, dicit elementa corporum esse ignem, & terram, atq; ea, quae sunt eiusdem ordinis cum istis, sicut sunt aqua, & aer, & cõponi omnia mista ex his. Anaxagoras vero contrarium, ea enim corpora, quae sunt similaria, vel homogenea, elementa dicit esse. Dico autem veluti ligna, carnem, & os, & vnumquodque talium. Aerem autem, & ignem, terram, & aquam, esse misturam istorum, & omnium aliorum seminum, vel corporum similarium, quae seminaria vocabat. Vtrumque tamen ipsorum (hoc est tamen elementum, quam mistum) ex indiuisibilibus esse affirmabat, nempè ex similaribus partibus indiuisibilibus congregatis. Quapropter ex his similaribus partibus fieri omnia statuebat, & mista videlicet, & elementa; ac inter ipsa elementa, ignem appellat Etherem. Quare non simpliciter mista, elementa appellabat Anaxagoras, sed partes similares ipsorum. Tex.34.

Quoniam autem omnis naturalis corporis est motus proprius; motuum autem, alij quidem simplices sunt, alij misti, & misti quidem, mistorum sunt corporum, simplices autem simplicium, manifestum est, quod erunt quaedam corpora simplicia; sunt enim, & motus simplices. Tex.35.

Quare patet, & quod elementa sint, & propter quod sint. Vtrum autem finita sint, an infinita, & si finita, quot numero, consequens erit considerare. Tex.36.

CAPVT II.

Principia, & elementa finita sunt.

P*Rimum igitur quod non sint infinita, quemadmodum putant quidam, est contemplandum, & primum contra eos, qui omnia, quae similaria sunt, elementa faciunt, quemadmodum Anaxagoras, aliquid dicendum est. Nullus enim eorum qui sic censent, rectè accipit elementum; videmus enim multa etiam similaria corpora; ac partes ipsorum, in alia similaria diuidi, quare elementa non erunt, debet namq; elementum esse indiuisibile; haec autẽ diuisibilia similaria sunt caro, os, lignum, lapis, & alia; quare si elementum non est compositum, non omne quod similare est, erit elementum, sed id quod est indiuisibile in diuersa specie, quemadmodũ dictum est prius. Sed est dubitatio; quia haec diuisio partium similarium, est per partes* Tex.37.

integrales, quæ etiam elementa sunt diuisibilia, aqua enim in partes aquæ diuiditur, & aer in partes aeris, & sic nulla est instantia. Respondetur, quod secundum veritatem instantia nulla esset, cum re vera elementa hoc modo sint diuisibilia, vt bene dictum est. Sed est instantia ad hominem, seu secundum ipsorum positionem, dicunt enim elementum id esse, quod rem componit; ita quod sit pars essentialis eiusdem rei, & hoc elementum dicunt esse quid similare, quare eum similare, in similare diuidatur, componetur elementum ex alijs elementis, tanquam ex partibus essentialibus, at hoc modo indiuisibile est, non enim partes essentiales elementi, sunt elementa, sed materia, & forma. Præterea neque sic sumentes elementa, necesse est ea facere infinita. Omnia enim composita ex elementis redduntur, etiam si quis sumat ipsa composita fieri ex elementis finitis existentibus, idem enim facient, & si duo, aut tria solum sint alia, quemadmodum conatur Empedocles omnia ex quatuor tantum constituere; quia non oportet sumere tot elementa numero, quot sunt res composita numero, sed in vniuersali, eo modo quo dicimus formam esse vnum principium; sic isti quomodocunque ponant elementa, non infinita ponere debent, sed sumere rationes determinatas principiandi, & ad numerum determinatum reducere. Quoniam autem ipsis accidit non omnia facere ex similaribus, facies enim non fit ex faciebus, neque aliquid quicquam eorum, quæ secundum naturam figurata sunt, vt manus neque fit ex manu, &c. Ideo manifestum est, quod longè melius est finita facere principia, si eadem quidem omnia demonstrari possunt, quemadmodum censent, qui in Mathematicis versantur. Semper enim finita sumunt principia, aut specie, aut quantitate (hoc est, vel secundum formam, vel figuram) vt trianguli, pyramidis &c. vel secundum vnitatem in numeris. Præterea; si corpus differt ab alio corpore per propriam essentialem differentiam, corporum autem differentiæ sunt finitæ (differunt enim qualitatibus sensibilibus à posteriori, per quas differentias essentiales insinuamus, hæ autem sensibiles qualitates sunt finitæ, vt ostendere oportebit in libris de generatione, & corruptione, & in libris de anima) manifestum est, quod necesse est elementa finita esse. At vero, neque vt alij quidam dicunt de ipsis principijs primis rationabilia sunt, quæ ex ipsis principijs sequuntur. Democritus enim Abderites, & sequaces ponunt pro principijs primas magnitudines, quas dicunt esse multitudine infinitas, magnitudine autem indiuisibiles: & neque ex vna multas res fieri, neque ex multis vnam. Sed complexione, ac mutatione omnium istarum, omnia generari. Nam quodammodo isti entia omnia faciunt numeros, & ex numeris, & si enim non manifeste declarent, hoc tamen volunt dicere. Hoc autem est impossibile, vt supra declaratum est; res etenim naturales nec grauitatem nec leuitatem haberent, & alia, quæ diximus. Adhuc autem (addunt) quoniam differunt figuris, vt alia est figura plantæ, alia animalis; infinitæ autem sunt figuræ saltem secundum numerum, & successiuè, ideo infinita ipsa simplicia corpora esse aiunt (hæc corpora simplicia secundum ipsos sunt, quæ primò ex prædictis magnitudinibus componuntur, nempè elementa) qualis autem, & quæ nam sit cuiusque elementorum figura, nihil insuper determinauerunt, sed solum igni sphæram assignauerunt, aerem autem, & aquam, atque alia diuiserunt magnitudine, & paruitate, ita vt differant ad inuicem, quia aliqua sunt magna, alia parua, & hoc modo magnum, & paruum crediderunt tanquam

lis esse naturæ, quod sint seminarium, vel radix in elementis, ad omnia alia generanda.

Primum igitur idem est his error cum ijs qui dicunt principia esse infinita, deberent namque finita sumere, cum cuncta eadem, quæ dicunt ex infinitis, per finita dicere liceat. Præterea; Si non sunt infinitæ elementorum differentiæ, patet quod non erunt elementa infinita. Præterea, necesse est vt ij, qui dicunt, dari corpora indiuisibilia, repugnent Mathematicis scientijs, & multa probabilium, & apparentium secundum sensum perimant, de quibus dictum est prius in ijs, quæ diximus de Motu, & tempore. Tex.38.

Simul autem necesse est ipsos dicere contraria sibi ipsis, impossibile enim est, si indiuisibilia sint elementa, nempè aerem, aquam, &c. quod differant magnitudine, & paruitate; non enim est possibile, nec ex se inuicem fieri, neque magnitudinem aliquam habere; probatur prima pars, quia deficient semper maxima corpora, si segregentur ex se inuicem vt dicunt, ac multo magis deficient minora, aiunt enim sic fieri, aerem, aquam, & terram, ex se inuicem per segregationem vnius ab alio. Probatur secunda pars, quia indiuisibile non habet magnitudinem. Præterea, contradicunt etiam sibi, cum ponunt magnitudines indiuisibiles pro principijs omnium, & postea etiam elementa, hæc enim principia esse non possunt, nec indiuisibilia etiam secundum eorum doctrinam; non principia, quia principium non fit ex principijs; non indiuisibilia, quia ex infinitis indiuisibilibus nempè ex illis corpusculis componuntur, ac per consequens in ipsa quoq; diuisibilia erunt, qua propter opinio eorum, ne dum irrationalis, sed etiam inintelligibilis est. Tex.39.

Præterea. Neq; secundum horum opinionem videbuntur infinita fieri ipsa elementa, si corpora quidem elementaria differunt figuris, nam omnes figuræ componuntur ex pyramidibus (vt dicunt,) & in ipsas resoluuntur, ita vt figura rectilinea ex pyramidibus rectilineis constet, sphæra vero ex octo partibus, & sic de alijs, ergo cum figuræ sint finitæ, ac etiam principia ipsarum, & sint essentiales elementorum differentiæ, ipsa quoq; elementa finita erunt, quare siue vna, siue plures sint figuræ, tot erunt multitudine ipsa elementa, & non infinita. Tex.40.

Præterea. Si vnicuique quidem corporum corpora alicuius motus naturalis, & motus qui simplicis est corporis erit quoque simplex, non sunt autem simplices motus infiniti, vt declarauimus in primo de Cælo, quia videlicet simplices lationes rectæ non sunt plures duabus (hoc est sursum, & deorsum) neque loca infinita sunt, neque vtique sic erunt ipsa elementa infinita. Tex.41.

CAPVT III.

Elementa sunt plura, quam vnum.

Quoniam autem necesse est finita esse elementa, restat considerare, vtrum plura erunt, an vnum; Quidam enim vnum solum supponunt; & horum hi quidem aquam, illi vero aerem, alij autem ignem, nonnulli corpus quoddam subtilius aqua, sed densius aere, quod quidem cum infinitum esse dicant, omnes cælos continere aiunt, ita vt non tantum ista inferiora, sed omnia ex tali principio sint producta. Quicunq; igitur vnum hoc faciunt aerem, aut aquam, aut aqua quidem subtilius, aere autem densius, deinde dicunt omnia ex ipso generari, secundum Tex.42.

dum raritatem, & densitatem (hoc est fieri res diuersas secundum quod tale principium est rarum, vel densum, aut magis, vel minus rarum, vel magis, & minus densum) nesciunt seipsos, vel suos sermones, quia ex tali positione deberent aliud elementum prius tali elemento posito ponere, quod sit principium ipsius; nam generatio est compositio (vt aiunt) ex elementis, corruptio verò est resolutio in ipsa elementa, cùm autem resolutio sit semper ad minora sicut compositio à minoribus incipit; ideò hoc debet poni elementum, ac prius natura, quod subtilium, ac paruarum est partium; quoniam autem aiunt ignem subtilissimum esse omnium corporum, primum vtique erit natura, ac elemẽtum ignis, non autem aqua, vel aer, aut aliud medium. Si verò ignis non esset secundum veritatem subtilior omnibus, nihil referret, nec est contra nostrum sermonem, hoc enim tantum contra eos probare intendimus, quod necesse est esse vnum aliquod subtilissimum, quod sit primum omnium, (loquendo etiam secundum ipsorum positionem) & non medium aliquod.

Tex. 43. Præterea. Generare alia densitate, ac raritate nihil differt, ac si subtilitate, & crassitie generent, subtile enim rarum, crassum verò volunt esse densum; rursus vero generare subtilitate, & crassitie, idem est, quod & magnitudine, & paruitate; subtile enim est, quod paruarum est partium, crassum vero, quod magnarum; quod enim extensum est ad multum, subtile est, tale autem est quod ex paruis partibus constat, quare ipsis accidit, magnitudine & paruitate distinguere substantiam aliorum. Sic autem determinantibus omnia accidit dicere ad aliquid, & non erit simpliciter hoc quidem ignis, hoc vero aqua, hoc autem aer, sed idem ad hoc quidem ignis, ad aliud vero quippiam aer, sicut idem dicitur magnum, respectu vnius, & paruum respectu alterius. Quod quidem ijs quoque accidit, qui plura quidem ipsa elementa dicunt, magnitudine vero, ac paruitate differre aiunt; nam cum quantitate determinatum sit vnumquodque erit aliqua proportio, ac relatio magnitudinum ad se inuicem secundum diuersam rationem magnitudinis, & paruitatis. Quare eorum quæ hanc habent relationem ad se inuicem magnitudinis, & paruitatis, necesse est hoc quidem aerem esse, hoc verò ignem, hoc autem aquam; dico autem, quod aqua erit ignis, ipse vero aqua, vel aer, & è contra; probatur, nam partes maiores continent minores, vel minores insunt in maioribus, ergo si ratio paruitatis constituit vnum elementum, ratio magnitudinis, vel maioritatis aliud, tunc in eodem elemento, pars vna, quia est maior altera erit vnum elementum, & eadem, quia erit minor altera, erit aliud elementum, & sic consequentia patet.

Tex. 44. Quicunque autem ignem supponunt elementum esse, has quidem difficultates effugiunt, alia verò irrationabilia necessarium est accidere ipsis. Quidam .n. ipsorum aptant ipsi igni figuram pyramidalem, & horum alij quidem simplicius afferunt rationem de hac figura; videlicet quod ideo talis figura conuenit igni, quia est maximè incisiua, seu penetratiua; sicut etiam ipse ignis inter corpora maximè incisiuus est, & sic incisiua figura, incisiuo corpori aptant.

Tex. 45. Alij verò persuasibilius dicunt (vel rationem huius positionis adducunt) videlicet, quod corpora quidem omnia componuntur ex eo quod est maximè subtilium partium; figuræ verò solidæ componuntur ex pyramidibus; quare quoniam inter corpora ignis subtilissimus est, & inter figuras, ipsa pyramidalis maximè est paruarum partium, ac prima; figura autem prima, est primi corporis, ipse ignis habebit pyramidalem figuram, cùm sit primum omnium aliorum elementorum.

Alij autem de figura nihil dicunt; sed solum id elementum esse asserunt, quod est subtilissimarum partium, deinde ex hoc elemento ex talibus subtilissimis partibus composito aiunt fieri alia; quemadmodum si ex arena auri conflata, seu coagulata, ac constricta fieret statua vel aliud; sic ex diuersis partibus huius elementi conflatis, vel constrictis alia fieri dicunt. Vtrisque autem eadem accidunt difficilia. Si enim ex indiuisibilibus primum corpus, vel elementum faciunt, rursum ad eandem hanc positionem venient prius dictæ rationes, quas adduximus contra eos, qui corpus ex indiuisibilibus componunt. Tex. 45.

Præterea, naturaliter volentibus considerare, non contingit hoc dicere. Si enim omne corpus omni corpori comparabile est secundum quantitatem (nam habent sic proportionaliter partes, & magnitudines adinuicem: sicut enim duæ medietates in magno reperiuntur corpore, ita quoque in paruo) ergo partes elementorum erunt quoque comparabiles, & proportionales, velut omnes aquæ partes, ad omnem partem aeris, & totum elementum ad totum, similiter autem in alijs. Aer autem maior est aqua, & omnino id quod subtiliorum est partium maius est eo, quod est crassiorum, manifestum est, quod elementum aquæ minus est quam aeris; quibus stantibus, sic probatum impossibile, quod ex prædicta opinione sequitur. Si minor magnitudo inest maiori, partes aeris erunt maiores aquæ (ex suppositis) ergo illæ partes continebunt partes ipsius aquæ maiores, omne autem quod partes continet diuisibile est, quare partes aeris erunt diuisibiles sicut est diuisibile ipsum totum elementum aeris, & hoc est contra id quod dicunt, videlicet, quod constent elementa ex partibus indiuisibilibus; similiter autem dicatur de ipso igne, & omnino de subtilioribus, respectu crassiorum. Tex. 47.

Si verò diuisibile, vel ex partibus diuisibilibus sit ipsum elementum, sequetur contra eos, qui ponunt figuram esse differentiam essentialem elementorum magnum absurdum, accidet namque, quod pars ignis non sit ignis, propterea quod figura non componitur ex figuris eiusdem rationis, vt pyramis non componitur ex pyramidibus. Præterea, non omne corpus esset elementum, aut ex elementis, pars enim ignis eo quod non haberet figuram totius, non esset ignis, neque alterum elementum vllum, quia figuras & essentias distinctas ab ipso igne habent, neque pariter esset ex elementis, quia non videtur ex quibus componatur; & tamen ipsa pars est corpus, pars namque integralis corporis, corpus est, & sic non omne corpus esset, vel elementum, vel ex elementis, quod est contra veritatem, loquendo præcipuè de corporibus sublunaribus, & etiam contra ipsos. Tex. 48.

Iis verò, qui determinant, aliquod elementum esse prius magnitudine elementis ipsis, accidit etiam impossibile dicere, videlicet, quod procederetur in infinitum, si (vt dicunt) omne corpus diuisibile sit, & quod minimarum partium est elementum, ita quod positio eorum in hoc consistit, quod illud est elementum primum, quod est paruarum partium, vel minorum, ex quibus componuntur elementa hæc, aer, videlicet, aqua, ignis, & terra, ita vt propriè elementum secundum ipsos est quid minus, nec datur magnitudo vel pars indiuisibilis, quare secundum hoc manifestè sequitur processus in infinitum, nam quæcunque pars ponatur est diuisibilis, & semper minor debet dici elementum, hæc autem diuisio, & minoratio fieri potest in infinitum. Tex. 49.

Tex. 50. *Præterea, & his etiam accidit dicere, quod idem secundum diuersos respectus erit ignis, aer, aqua, & terra. Probatur consequentia, quia secundum ipsos id quod est rarius, vel minorum partium est ignis, quod vero densius, vel maiorum, aqua, vel aer, & sic quod magis densum terra. At contingit, quod quædam sint minora, & rariora vno, ac maiora, & densiora altero, ergo respectu diuersorum idem erit ignis, aqua, aer, & terra.*

Tex. 51. *His autem omnibus, qui vnum elementum faciunt est hoc commune peccatum, quod solum sit vnus motus rerum naturalium omnium, & idem omnibus conueniat; cuius ratio est, nam omnes motus naturales, vel sunt elementorum immediate, vel ex prædominio ipsorum insunt mistis; ergo si vnum sit elementum, vnus & idem erit motus naturalis omnium tam mistorum, quam elementorum. Videmus igitur, omne naturale corpus habere in se principium motus, si igitur omnia elementa vnum quid sunt, omnium vtique erit vnus & idem motus, & quanto maiora corpora sunt, eo magis ad eundem locum mouebuntur; quemadmodum ignis quanto quidem vtique maior sit, fertur velocius sursum, suo proprio motu; si itaque vnus sit motus omnium, omnia ad eundem locum tendent, & maiora velocius; iste igitur locus, vel erit sursum, vel deorsum; si sursum ipsa terra sursum naturaliter mouebitur, & quo maior fuerit, eo mouebitur velocius, si deorsum, & ignis deorsum naturaliter mouebitur, et quo maior fuerit, eo velocius, & sic de alijs leuibus; quare accidit multa leuia deorsum ferri velocius eo quod leuiora sunt, quod est absurdum, & contra experientiam. Quare & propter hæc, & præterea, quia determinatum est prius, quod plures sunt naturales motus, manifestum est, quod impossibile est, vnum esse elementum.*

SVMMÆ SEXTÆ, CAPVT VNICVM.

Elementa generantur, & corrumpuntur secundum partem, & non secundum totum.

Tex. 52. *Cvm autem neque infinita sint elementa, neque vnum; necesse est plura esse, atque finita. Considerandum autem est primum, vtrum sempiterna sint, an generata corrumpantur; hoc enim ostenso manifestum erit, quot & qualia sint. Sempiterna igitur esse, est impossibile; videmus enim & ignem & aquam, & vnumquodque simplicium corporum dissolui, & transmutari in aliud. Necesse est ergo, aut in infinitum abire dissolutionem, aut denique stare. Si igitur in infinitum abeat, erit tempus dissolutionis infinitũ, & rursus compositionis (non .n. debet dari dissolutio, vel corruptio, sine compositione, vel generatione) vnaquæque enim partium in alio tempore dissoluitur, in alio componitur; quare accidet extra infinitum tempus, aliud esse infinitum, cum tempus compositionis infinitum sit, & insuper prius hoc erat infinitum tempus dissolutionis, ita vt extra infinitum, fiat infinitum, quod quidem est impossibile; quare dissolutio, & compositio, vel corruptio, & generatio elementorum, non erunt tempore infinito. Si autem stabit alicubi dissolutio, & per consequens erit tempore finito; aut indiuisibile erit corpus in quo statur, aut diuisibile quidem, non autem diuidetur, quemadmodum videtur velle dicere Empedocles. Indiuisibile igitur non erit propter rationes prius dictas. Verum neque diuisibile quidem erit, nunquam autem dissoluendũ, minus enim corpus facilius corruptibile est maiori; si igitur & maius corrumpitur secundum hanc corruptionem, & dissoluitur in minora; adhuc quod minus est, magis est rationabile hoc pati, si sit eiusdem rationis, vt esse debet. At si quis dicat, non corrumpitur illud paruum, quia non habet contrarium corrumpens, contra. Nam aliquid corrumpitur dupliciter, nempe à contrario externo, & intrinsecè; vnde istis duobus modis videmus corrumpi ignem; quia à contrario corrumpitur extinctus, & ipse à seipso marcescens, hoc autem patitur minor ignis à maiori, & quanto vtique fuerit minor, tanto velocius corrumpetur, quare necesse est corruptibilia, & generabilia esse elementa corporum. At si quis diceret, quod prædicta diuisio ad probandam dissolutionem elementorum est insufficiens, quia posset dici, quod stat resolutio illorum, non ad aliquod corpus, vt supponitur, sed ad ipsam materiam, quæ est incorruptibilis, ac ingenerabilis, hoc nihil valet, nam materia non potest naturaliter esse sine forma; vnde quod impossibile est, poni non debet; sit igitur resolutio quæsiti, quod ipsa elementa, sunt corruptibilia, & generabilia secundum partes, hoc est, quod nunquam totum simul aliquod elementum corrumpitur, vel generatur, hoc namque esset contra ordinem, ac bonum Vniuersi, etsi re vera totum generabile, ac corruptibile vnumquodque sit, quia est eiusdem naturæ cum partibus. Dum autem quæritur an hæc generatio, & corruptio fiant in infinitum, vel tandem cessent. Respondetur fieri successiuè in infinitum, non tamẽ esse duo infinita tempora, sed ex ambabus mutuis transmutationibus successionem fieri per infinitum tempus, ita quod corruptio vnius partis, sit alterius generatio, & è conuerso.*

Corrumpi aliquid dupliciter.

SVMMÆ SEPTIMÆ, CAPVT VNICVM.

Generatio elementorum, neque ex non corpore, neque ex alio corpore ab ipsis elementis diuersum, sed ex alterutris est.

Qvoniam autem generabilia sunt ipsa elementa; aut igitur ex non corpore, aut ex corpore erit generatio, & si ex corpore, aut ex alio, aut ex se inuicem. Tex. 53.

Sermo igitur, qui ex incorporeo ea generari dicit, ponit vacuum. Omne enim quod fit, in aliquo fit, & aut incorporeum erit id in quo fit talis generatio, aut habebit corpus, & si habebit corpus erunt duo simul corpora in eodem loco, id videlicet, quod generatur, & id quod ponitur præexistere, qua ratione nixi prædicti, ex incorporeo generant, quod sic impugnatur. Si autem incorporeum est, necesse est dari vacuum separatum, illud nempe spatium, in quo hoc corpus recipi debet, hoc autem quod impossibile sit, ostensum est prius in 4. Phys. Tex. 54.

At vero neque ex corpore aliquo contingit elementa, accidet enim, quod aliquod corpus esset prius ipsis elementis, videlicet illud ex quo ipsa fient, & sic elementa non essent elementa, quia elementum idem est, quod principium, at principium non fit ex alio. Præterea, hoc corpus, vel habebit grauitatem, vel leuitatem, vel non; si habebit, erit aliquod elementorum, quod enim proprietates alicuius habet, & naturam illius habere necesse est, quare Tex. 55.

frustra

frustra quæreretur an fiat ex alio corpore, cum eadem sit ratio de illo, & de alijs elementis. Si autem nullam habeat propensionem, aut grauitatem, vel leuitatem, vt moueatur, immobile erit, & Mathematicum, tale autem cum sit non erit in loco, in quo enim aliquid quiescit, & in hoc moueri potest, ita vt si vi quiescit, vi etiam moueri potest: si autem non vi quiescit, poterit moueri secundum naturam, ergo cum immobile aliquid ponatur, non est dicendum quod ipsum quiescat, nec per consequens sit in loco, si autem erit in loco, vel alicubi, erit aliquod elementorum; quod supra improbatum fuit, si autem non erit in loco, nihil ex ipso erit; quod enim fit, & ex quo fit, necesse est simul esse in eodem loco, vt patet de materia, ex qua fit corpus. Quoniam autem neque ex incorporeo possibile est fieri elementa, neque ex alio corpore, relinquitur, quod ex se inuicem fiant; non tamen est credendum, quod sint simul in eodem loco, vt ratio præcedens videtur insinuare; sed approximantur, ac se tangunt, deinde vnum superat, ac corrumpit formam alterius, & in materia ipsius corrupti introducit formam propriam, non eam quam habet, quia forma non migrat de materia in materiam, ac quia hoc modo ipsum quoque corrumperetur, sed formam eiusdem speciei cum sua, numero tamen diuersam, & sic sunt simul forma ignis verbi gratia geniti, cum materia corrupti aeris.

SVMMA OCTAVA.

Refelluntur opiniones Antiquorum de mutua elementorum generatione.

CAPVT I.

Refellitur opinio asserentium, generationem elementorum fieri per modum segregationis ac exitus.

Tex. 56. *Rursus igitur considerandum est, quis nam sit modus generationis elementorum ex se inuicem; vtrum vt Empedocles dicit, & Democritus, an vt ij, qui in superficies resoluunt; an alius sit modus præter hos. Empedocles igitur, & Democritus ignorant ipsi se ipsos, eo quod dum elementa ad inuicem generari dicunt, non faciunt propriè ex se inuicem verâ generationem, sed apparentem tantum. Nam inquiunt, vnumquodque quod inest ipsis elementis, segregari, & hoc modo generari, tanquam ex vase sit generatio, ita quod res, quæ generatur sit actualiter in elementis veluti in vase aliquo clausa, & non fiat generatio ex quadam materia, neque mutato, vel corrupto aliquo.*

Tex. 57. *Deinde, & si sic est, quod omnia claudantur actualiter in elementis, non minus sunt absurda, quæ accidunt, quam præcedentia. Nam eadem magnitudo non videtur per simplicem constrictionem fieri grauior, vt patet de aqua congelata, & multis alijs, quare qui dicunt, omnia actualiter contineri in aliquo elementorum, necessario hoc idem confiteri debent, & sic dicere, quod quando aqua ab aere segregatur, non sit grauior ipso aere (quia secundum ipsos continebatur in eo, & nihil aliud fecit, nisi segregari, & constringi, minor namque locus occupatur ab ea, quam ab aere) hoc autem falsum est, cum enim aqua ex aere facta est, grauior est, ergo non actualiter erat in illo.*

Præterea; si dentur duo, vel plura corpora mista, seu congregata, ita vt vnum contineatur actualiter in alio, si vnum eorum separatur, non oportet, vt occupet maiorem locum quam antea, dum videlicet erat simul; cum autem ex aqua aer fit, ipse aer maiorem occupat locum, quod enim subtiliorum est partium in maiori loco fit, ergo non continebatur actualiter in aqua, sed fit denuo. Quod autem maiorem occupet locum, experientia comprobatur. Manifestum est enim hoc in ipsa transitione, seu transmutatione aquæ in aerem, euaporante enim aqua, ac intumescente, rumpuntur vasa, quæ moles aquæ, & aeris continent, propter loci angustiam, quia scilicet aer propter suam raritatem maiorem petit locum. Quare si omnino non sit vacuum, neque extenduntur corpora, vt dicunt qui sic opinantur de segregatione, sequitur aliud impossibile, videlicet, quod aer ex aqua generari non possit, quia vacuum nõ datur in quo recipi possit, vt ipsi quoque concedunt, nec corpora extenduntur, ita vt vnum pellat aliud, sic namque fluctuaret vniuersum, neq; duo corpora simul esse possunt, & sic non esset vbi aer genitus reciperetur. Si autem est vacuum, & extensio, irrationabile est, quod ex necessitate id quod separatur semper occupet maiorem locum, quia id corpus quod segregatur, poterit recipi in æquali vacuo, ac vacuum quoque dimitti intra corpus continens, vel tantum extendi corpora, quod recipiatur; at quia ipsi vacuum, & extensionem negant, ideo neque hoc modo dicere possunt. Tex. 58

Præterea; si generatio fiat per segregationem, necesse est generationem deficere, nisi dicatur quod in magnitudine finita, sint infinita generabilia finita, infinita dico numero, sed finita quantitate. Cum enim ex terra aqua fit, ablatum est aliquid ipsius terræ, hoc est quod in ipsa continebatur, si quidem generatio segregatio sit; & rursus cum ex derelicta terra, aliquid aliud segregatur, & sic in infinitum. Si igitur semper hoc erit, accidit finito infinita inesse; quoniam autem hoc impossibile est, non vtique semper fiunt generationes per segregationem vnius rei ab altera; præter quam quod sequeretur etiam, quod tandem, vel generationes naturaliter deficerent, quia id à quo aliud separatur, necesse est semper fieri minus; vel saltem dicere oporteret, quod ea quæ generantur semper fiunt minora, eo modo quo imaginamur fieri diuisionem continui in infinitum per partes proportionales, at vtrumque est impossibile. Quod igitur transmutatio vnius rei in aliam, non fiat per segregationem; dictum est. Tex. 59.

CAPVT II.

Reprobatur opinio eorum qui dicunt generationem elementorum ex figuris, & superficiebus esse.

Relinquitur autem ex prædictis, non per segregationem fieri generationem, sed fieri, vel generari omnia maximè elementa transmutata in se inuicem, hoc est, quod generatio vnius sit corruptio alterius. Hoc autem adhuc dupliciter quidam fieri imaginantur, scilicet vel transfiguratione, quemadmodum eadem cera fiet sphæra, & cubus, sic vna res, vel elementũ dicatur fieri aliud, vel ex alio, quia recipit figuram illius; aut dissolutione in superficies, quemadmodum quidam aiunt, videlicet Plato, & sequaces, hi enim asserunt corpora non differre Tex. 60.

nisi

nisi per superficies, ita quod figura ignis constat secundum ipsos ex tribus superficiebus triangularibus, figura cubica ex sex quadrangulis, & octoedras ex octo triangulis, ac in ipsas quoque superficies dissolui. At vtraque positio est irrationalis. Si igitur transfiguratione fiunt, accidit ex necessitate, indiuisibilia dicere corpora, diuisibilibus enim existentibus, non erit ignis pars ignis; neque terra, pars terra, propterea quod neque pyramis est pars pyramidis, neque cubus, cubi; ac tandem figura non diuiditur in figuras eiusdem rationis; si ergo essentia rei, & elementorum esset figura, vnumquodque esset indiuisibile in partes eiusdem rationis.

Tex. 61.

Si autem superficiei dissolutione omnia fiunt, aliqua absurda quoque sequuntur; primum quidem absurdum est, non omnia generari ex se inuicem, quod ipsi quoque pro absurdo debent habere, cum omnia ex se inuicem generari fateantur. Neque enim rationabile est, vnum solum elementum fieri expers mutuæ transmutationis, neque id videtur secundum sensum, sed similiter omnia videntur transmutari in sese inuicem. Accidit autem eos de apparentibus, seu sensibilibus dicentes, non consentanea, vel conuenientia ipsis apparentibus sensibilibus dicere. Huius autem causa est, non bene sumere prima principia rerum de quibus agunt, sed omnia velle ad quasdam determinatas opiniones reducere, & maximè ad positiones Mathematicas, quæ ex lineis, ac superficiebus procedunt, ac eas naturalibus accommodare prætendunt; oportet enim fortassis sensibilium quidem, sensibilia principia esse (dicitur fortassis, quia interdum principia vniuersalissima, & metaphisicalia possunt esse principia licet remota sensibilium, est enim scientia communissima, tamen vniuersaliter, sensibilium propria immediata principia sunt sensibilia, non tamen quod immediatè subiaceat sensui, vt patet de prima materia, quæ est insensibilis, sed sufficit mediatè; vel dicatur, quod sunt principia proportionata sensibilibus) sempiternorum vero sempiterna (accipiuntur hic sempiterna pro mathematicis, quæ ab omni mutabilitate abstrahunt.) Corruptibilium autem corruptibilia, (hoc est proportionata corruptibilibus, nam eadem prima Materia est corruptibilium principium, & incorruptibilis est; similiter locutio est de principijs intrinsecis, vt de materia, & forma, nam de efficienti non est ad propositum, nec de fine) atque omnino eiusdem generis debent esse principia cum principatis. Hi vero propter amorem horum principiorum, idem facere videntur, quod ij, qui positiones suas in disputationibus seruant, ne videantur redargui, potius quam veritatis causa, ideo omne sustinent quod accidit ex suis positionibus, tanquam vera habentes principia, perinde quasi nulla indicare oporteat, quæ ex talibus principijs eueniunt, & maximè ex fine; oportet ergo respicere finem, & secundum ipsum assignare interna principia, ac secundum diuersitatem scientiarum, diuersos quoque constituere fines, non enim omnium, finis est vnus. Vnde finis effectiua, vel practicæ scientiæ est opus ipsum. Naturalis autem id verum, quod semper, & propriè rebus ipsis sensibilibus dè quibus agit correspondet.

Sensibilium sensibilia, sempiternorum sempiterna sunt principia, corruptibilium corruptibilia.

Finis practicæ est opus, speculatiuæ sua veritas.

Tex. 62

Accidit autem ipsis dicere, quod præcipuè inter omnia terra sit elementum, quod est absurdum, nam licet sit elementum, non tamen est sola, nec præcipuè. Quod autem sic eis dicere contingat, ex ipsorum positione probatur; dicunt namque solam ipsam esse inter elementa incorruptibilem, ac etiam affirmant elementa incorruptibilia esse, cum sint id ex quo res primo componitur, & in quod resoluitur, ergo cum terra solum sit in aliud corpus indissolubilis, ipsa tantum erit elementum, ex quibus patet, in quot incidant contradictiones, maximè quod elementa non sint elementa, &c.

Tex. 63.

At vero neque in ijs elementis, quæ dissoluuntur (vnum videlicet in aliud) est rationabilis transmutatio triangulorum, nam remanerent aliqua, quæ non essent elementa, nec ex elementis, quod quidem accidet in ea transmutatione, quæ fit ex se inuicem; quando scilicet corpora, vel elementa ipsa constant ex inæquali multitudine triangulorum, verbi gratia sit corpus quod habeat viginti triangulos, quod dissoluatur in elementum quod habeat tres, tunc remanebunt decem, & septem superflui, qui non sunt elementum, nam aliquid ex ipsis non generatur, neque ex elementis, quia ponuntur principia aliorum.

Tex. 64.

Præterea; necesse est vt hi qui hæc dicunt, non ex corpore faciant generationem, cum enim ex superficiebus, & triangulis corpus factum fuerit, non è corpore erit factum, hoc autem est absurdum, quia ex superficiebus non fit corpus. At quis dicere posset, quod neque secundum veritatem corpus fit ex corporibus, sed ex materia, & forma. Respondetur, hoc esse verum, tanquam ex partibus essentialibus, non tanquam ex integralibus, ipsi autem vtrasque has partes confundebant, ac pro eodem accipiebant, ideo corpus non fit nisi ex corporibus, tanquam ex partibus integrantibus, quare secundum suam positionem, benè procedit ratio.

CAPVT III.

Refellitur adhuc vniuersaliter opinio eorum, qui dicebant, differentias essentiales elementorum esse figuras.

Tex. 65.

Ad hæc autem necesse est dicere his, qui figuras essentiales elementorum differentias ponunt, non omne corpus esse diuisibile, ac necesse est eos contradicere certissimis scientijs Mathematicis. Nam Mathematicæ non tantum sensibile corpus, sed ipsum quoque intelligibile; seu abstractum à materia, & motu ponunt diuisibile. Hi vero neque concedunt omne corpus sensibile diuisibile esse, quia volunt conseruare ipsam suppositionem, seu principium, ex quo omnia eliciunt. Necesse est igitur, eos qui figuras faciunt, differentias essentiales elementorum, & his determinant substantiam, vel naturam ipsorum, indiuisibilia facere ipsa elementa. Nam diuisa pyramide, aut sphæra aliquo modo, quod relinquitur sphæra, aut pyramis non est, & sic elementa in elementa non diuiderentur; seu pars elementi, non esset elementum, & sic pars ignis non erit ignis, sed erit quid prius elemento, propterea quod omne, aut elementum est, aut ex elementis; sed hæc pars non est elementum, cùm non sit de natura eius, neque ex elementis cum sit prius toto, ac elemento ipso. Quare aut dicendum est, figuras non esse essentiales elementorum differentias, aut, non omne corpus diuisibile esse, sed hoc secundum est absurdum, ergo, concedendum est primum, nempe figuras non esse differentias essentiales elementorum.

Tex. 66. Elementa non sunt figurata.

Omnino autem tentare simplicia corpora figurare, irrationabile est. Primo quidem, quia accidit dicere quod totus locus elementorum non repleatur, & sic detur vacuũ, nam in figuris planis, tres tantum videntur implere locum, etiam si simul sint, & se tangant, scilicet triangulus, & qua-

& quadratum, & sexangulus; hæ namque figuræ possunt totaliter se tangere, absque relictione vacui; in solidis verò duæ tantum, scilicet pyramis, & cubus; necesse est autem plures figuras bis sumere, qui plura constituunt elementa; isti etenim qui figuras essentiales elementorum differentias constituunt, ponunt elementa alia infinita cum quatuor illis simplicibus, quæ quidem elementa sunt corpuscula, vel athomi; cum igitur aliæ figuræ præter prædictas non repleant perfectè locum vniuersum propter varium impedimentum angulorum; sequitur, quod si omnia elementa per figuras essentialiter differant, necessario dabitur vacuum.

Tex. 67. Deinde, omnia quidem simplicia corpora videntur accipere figuram à continente, & maximè elementa fluxibilia, vt ignis, aer, & aqua; quare si aliquod vas sit rotundum, & aqua quæ est in ipso rotunda erit, & sic de alijs. Permanere igitur elementi figuram est impossibile, non enim totum ipsum cælum continens tangeret omni parte elementa, & sic daretur vacuum. At verò si vnum elementum transformetur de vna in aliam figuram, vt de sphærica in quadratam, non amplius erit tale elementum, vt aqua non erit amplius aqua, posito videlicet, quod figura sit essentialis differentia; nam differentia essentiali remota, tollitur id cuius est differentia. Quare manifestum est, quod non sunt determinatæ figuræ ipsorum. Sed videtur natura hoc ipsum declarare nobis, & quod rationabile sit. Quemadmodum enim in alijs oportet subiectum ipsum, quod formas recipere debet, esse sine omni forma, & figura, maximè enim sic poterit formari, & figurari, quemadmodum scripsit Plato in Thimæo de materia, quæ est omnium formarum susceptiua; sic & elementa oportet putare esse vt materiam compositis, vel mistis; quapropter possunt transmutari in se inuicem, separatis ijs differentijs, quæ secundum passiones sunt (hoc est differentijs accidentalibus, quæ sunt secundum qualitates) non enim mistum ex ipsis generaretur, nisi adinuicem transmutabilia essent, vt melius videbitur est in libris de generatione.

Tex. 68. Præterea, quo pacto contingit fieri, carnem, vel os, aut aliud quodcunque mistorum corporum, ex figuris? neque enim ex ipsis elementis si hoc modo figuris differant possibile est, propterea quod non fit corpus continuum mistum ex compositione figurarum, neque ex superficiebus simul compositis. Imò elementa (secundum ipsos) generantur compositione superficierum, & non ea, quæ ex elementis constant, & tamen hoc quoque dicere debent, cum ipsa elementa incorruptibilia ponant, ac ex ipsis incorruptis mistum fieri asserant. Quare si quis exactè loqui vellet, & non in transitu, vel superficialiter rationes elementorum suscipere, videbit auferre generationem mistorum ex entibus, si videlicet, modo prædicto dicat, quod ipsa elementa figuris essentialiter differant.

Tex. 69. At verò figuræ elementorum quas dixerunt, non sunt conuenientes ad passiones, virtutes, ac motus ipsorum, ad quæ tamen accidentia ipsi respicientes, eis tales figuras tribuerunt. Vnde dicebant, quod quia ignis est facile mobilis, & calefactiuus, & exustiuus, debet habere figuram sphæricam, alij verò ob eandem causam, ei tribuebant pyramidalem. Hæc enim sic figurata facillimè quidem mouentur; propterea quod ipsæ figuræ minima tangunt, nam sphæra tangit (dicunt) in puncto, & pyramis in acumine, si illinc incipiat moueri, atque dicunt, quod minimè stabilia maximè vero calefactiua, & maximè exustiua sunt; quia sphærica quidem figura tota est angulus, prout ex qualibet parte tangit in puncto planum, quod quidem punctum, extremum anguli videtur. Pyramis autem habet acutissimum angulum; exurunt autem, & calefaciunt anguli, vt aiunt.

Primum igitur circa motum vtrique peccauerunt, tam scilicet ponentes figuram sphæricam, quam pyramidalem; nam etsi figurarum, hæ sint facillimè mobiles, non tamen facile mobiles sunt motu, qui conuenit igni; motus enim ignis sursum fit & secundum lineam rectam, hæ autem facile mobiles sunt circulariter, eo scilicet motu, qui volutatio appellatur. Tex. 70.

Deinde, si terra est cubus, propterea quod stabilis est (dicunt enim figuram cubi, non ad motum, sed ad quietem aptam esse) ac manet, ipsa autem terra non manet vbi vis, sed in suo ipsius loco, ex alieno vero fertur ad suum, nisi prohibeatur, & ignis etiam & alia similiter in suis locis manent; patet quod ignis, & vnumquodque elementorum in alieno quidem loco pyramis, vel sphæra est, eo quod tunc mouetur, & figura sphærica est apta ad motum, sicut etiam pyramidalis, in proprio vero loco erunt cubus; & sic hæ figuræ non sunt nisi relatiuæ, ac per consequens non essentiales differentiæ. Tex. 71.

At verò, si calefacit, & vrit ignis propter angulos; omnia elementa erunt calefactiua, magis autem forsitan alterum altero: omnia enim habent angulos, veluti id quod octo sedium, & id quod duodecim sedium. Democritus autem dicit, quod etiam sphæra tanquam angulus quidam existens vrit, quare ipsa elementa different ipso magis, & minus, ita quod vnum sit magis, aliud minus calefactiuum, hoc autem quod sit falsum manifestum est. Simul autem accidit dicere, Mathematica corpora vrere, & calefacere (habent enim & illa angulos, & in ipsis indiuisibilia, & sphæræ, & pyramides sunt) præsertim si sint indiuisibiles magnitudines, vt dicunt, nam ex ratione indiuisibilitatis combustionem, ac calefactionem procedere credunt. Si verò dicant, Mathematica non comburere, alia vero sic, assignanda est differentia, & non simpliciter, & absque ratione dicendum est, vt dicunt. Tex. 72.

Præterea. Si id quod vritur fit ignis, ignis autem sphæra est, aut pyramis, necesse est, id quod vritur fieri sphæram, aut pyramidem, quod falsum esse, omnibus patet. Dicamus igitur, quod licet incidere, vel diuidere, possit aliquomodo dici, quod conueniat veluti accidens istis figuris, tamen quod pyramis faciat pyramidem, aut sphæra sphæram, penitus est irrationabile, & simile est, atque si quis censeat, gladium diuidi in duos æquales gladios, vel serram in serras. Tex. 73.

Præterea. Ridiculum est assignare igni figuram aptam ad diuidendum solum, videtur enim esse magis ipsius ignis congregare, & terminare, quam diuidere, vel segregare; segregat enim ea, quæ non sunt eiusdem generis, vt lapides segregat ab auro, & argento, ac partes ipsius auri, vel argenti simul congregat; sed congregatio eorum, quæ sunt eiusdem generis dignior est, ergo figura apta ad hoc, potius quam ad segregandum ei tribui debet. Est igitur congregatio per se conueniens ipsi igni, conterminare enim & vnire ipsius ignis est, segregatio autem per accidens, congregans enim est (vt diximus) ea quæ sunt eiusdem generis, separat autem aliena. Quare aut ad ambo oportebat assignare figuram, aut magis ad congregandum. Tex. 74.

Ad hæc autem quoniam calidum, & frigidum contraria sunt secundum virtutem, contrariorum autem idem est modus, ergo si calidum habet talem figuram, Tex. 75.

etiam

etiam aliam oppositam oportebat assignare frigido, & sic duæ erunt contrariæ figuræ: hoc autem est impossibile, quia figuræ nihil est contrarium, cum sint de genere quantitatis. Quapropter figuram frigidi omnes omittunt, & tamen omnia decebat determinare figuris, aut nihil.

Tex. 76. *Quidam autem de virtute ipsius frigoris tentantes dicere, & secundum hanc assignare differentiam à calore, contraria dicunt ipsi sibi ipsis. Aiunt enim, frigidum id esse, quod magnarum est partium; propterea quod constringit, & non transit per meatus; manifestum est igitur, quod calidum erit transiens, tale autem est id quod subtilium est partium; quare secundum hanc positionem accidit, calidum, & frigidum differre paruitate, & magnitudine, sed non figuris, & sic sibi ipsis contradicunt, qui figuris differre dicebant, licet addant quod differre differant virtute etiam. Præterea, si inæquales sunt pyramides, ac ignis sit subtilium tantum, & paruarum, vt dicunt; magnæ vtiquepyramides non erunt ignis; quare neque figura pyramidalis erit causa vrendi, vt credunt; sed contrarium eueniet huic quod dicunt; & sic errant, ac sibimet contradicunt, dicendo pyramidem esse causam vrendi. Quod igitur figuris non differant elementa, manifestum est ex dictis.*

Quoniam autem proprijssimæ differentiæ corporum sunt quæ sumuntur secundum passiones, & operationes, & virtutes ipsorum corporum (vniuscuiusque enim eorum, quæ natura constant, & opera & passiones, & potentias esse dicimus) erit de istis proprietatibus elementorum dicendum, vt cum considerauerimus hæc, sumamus differentias essentiales vniuscuiusque ab vno quoque, non enim possunt essentiales differentiæ à nobis inuestigari, & cognosci, nisi per accidentia, & passiones. Tex. 77.

Finis tertij Libri de Cælo.



ANTO-

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marſorum.

IN TERTIVM LIBRVM ARISTOTELIS de Cœlo Quæſtiones.

QVÆSTIO PRIMA.

Quoniam autem neceſſe eſt finita eſſe, reſtat conſiderare, vtrum plura erunt, an vnum. Tex. 42.

De Numero Elementorum.



Iuerſæ circa numerum elementorum Antiquorum opiniones extiterunt. Quidam enim vnū, alij duo, vel tria, vel alij infinita, nec non quidam ſuperficies, nonnulli numeros elementa conſtituunt; quorum Auctorum nomina atque rationes, quia ſatis in litera examinatæ ſunt, dimittantur. Eſt itaque Ariſtotelica iam vbique recepta poſitio, quatuor duntaxat elementa eſſe. Ad cuius explicationem priuſquã accedamus, videndum eſt
Elementum quid. quid elementum ſignificet. Definitur itaque in hoc lib. tex. 31. hoc modo. Elementum eſt illud corporum in quod alia corpora diuiduntur, quod ineſt potentia, aut actu, ipſum autem eſt in diuerſa ſpecie indiuiſibile. Quæ quidem definitio ſi ſubtiliter perpendatur, quo ad aliquas conditiones non tantum ſimplicibus primis corporibus conuenit, ſed omnibus primis componentibus, ſiue ſint partes eſſentiales ſiue integrales, ſiue etiam ſimplicia corpora, vnumquodque etenim ipſorum prima componentia in ſuo genere ſunt; vt autem clarius pro-
Elementum tripliciter dicitur. cedamus, ſingula iſtius diuiſionis membra aſſignanda ſunt, dicitur itaque elementum de principijs intrinſecis, tam per ſe, quam per accidens, quod expreſsè ab Ariſt. in 1. Phyſicorum tex. 56. his verbis comprobatur. Tria igitur dicere eſſe elementa, &c. Secundò dicitur de partibus integralibus codē Ariſt. teſte in 2. Phyſ. tex. 31. ait namque, elementa enim ſyllabarum, & materia ſactibilium, &c. Tertiò de quocunque corpore ſimplici, ſiue ingrediatur compoſitionem mixti, ſiue non, quo pacto etiam cælum includitur, vt idem teſtatur Philoſophus his verbis in primo de cælo tex. 91. Tribus enim exiſtentibus corporeis elementis, &c. Quod autem his omnibus aliquomodo ratio, & nomen elementi conueniat manifeſtum eſt, ſi quidem omnia compoſitionem proportionaliter efficiunt; quod de ſingulis declarandum eſt; prima itaque intrinſeca principia, & rem conſtituunt, & in illa res ipſa reſoluitur, ac ſimplicia ſunt, ergo; ſed eſt inſtantia de priuatione, ipſa namque non conſtituit; Reſpondetur eo modo quo eſt ad conſtitutionem eſſe neceſſariam, & in ipſa fit reſolutio vt notum eſt, quod ſufficit. Partes autem integrales totum quantitatiuum efficiūt, & in ipſas quoque reſoluitur, quãuis hæc conditio (quod in plures ſpecies ſint indiuiſibiles) eis deſit, quia cum ſint vt plurimum entia mixta, in diuerſa ſimplicia corpora diuiſibilia ſunt. Cælum autem in ordine ad vniuerſum etiam elementū dicitur quatenus ex ipſo Vniuerſum conſtat, etſi reſolueretur, pariter in ipſum vt in partem principalem abiret; Eſt etiam indiuiſibile ſecundum ſpeciē; Si vnuſquiſque orbis particularis (vt accipi debet) ſumatur; quia tam qui aſſerunt, quod ſit corpus ſimplex, quam qui ex forma, & materia ipſum conſtituunt, hoc modo indiuiſibile ponere debent, primo etenim modo eſt certiſſimum; de ſecundo parua eſt difficultas; nam materia, & forma nō differunt propriè ſpecificè; ad hoc enim vt aliqua ſic differant, debent eſſe ſpecies, vel indiuidua completa. Idem dici poteſt de corporibus ſimplicibus elementaribus. Quod etenim compoſitionem efficiant clarum eſt, ſed ex profeſſo videbitur in libris de generatione, & corruptione; quod vero non reſoluantur in plura ſecundum ſpeciem diuerſa, etiam ex ſe patet; ſi quidem ſolum in materiam, & formam diuiduntur. Sed eſt dubitatio circa illam particulam (quod ineſt actu, aut potentia) quomodo intelligenda ſit. Reſpondetur, eam eſſe vniuerſalem, quæ ſe extendit ad elementa, vel prima principia, quæ actualiter ſecundum ſe inſunt; & ad elementa, quæ ſolum inſunt in potentia, ſeu ſecundum virtutem; idem enim illic potentia quod virtus ſignificat, & ſic elementaria ipſa ſimplicia corpora includuntur. Quamobrem directè partibus eſſentialibus, & corporibus ſimplicibus conuenit; integralibus verò ſecundum quid. Quod verò non ſit tantum definitio ſimplicium corporum, vt aliqui falsò putarunt, (præter rationes adductas) ex conſueto loquendi modo Ariſtot. manifeſtum eſt; ipſe etenim vbicunque de iſtis ſimplicibus corporibus loquitur, non ſimpliciter elementa, ſed vocata elementa appellat; quaſi ſic iam communiter vocentur. At quamuis diſtinctionis, & claritatis gratia 1. Arg.
ſermonem hunc fuſius quam par erat extenderimus, ſolum de iſtis ſimplicibus corporibus eſt ſermo; an videlicet ſint tantum quatuor, vt Philoſophus docet, vel plura,

aut

aut pauciora. Quod itaq; sint plura, sic suaderi potest. Illud est ponendum elementum ex quo res mista componitur, & in quod resoluitur vt supra visum est; at quam plurima mista non in quatuor prædicta tantum, sed in alia quoque resoluuntur, videlicet quædam in materiam liquidam odoriferam, vel alijs qualitatibus effectam, quibus ab elementis distincta cognoscuntur. Quod vero sint pauciora, probatur. Si datetur elementum ignis, etiã proprius locus ei assignandus esset, sicut cæteris simplicibus corporibus. At assignati non potest, ergo, probatur minor, quoniam hic non esset nisi locus sursum in concauo orbis Lunę vt est communis Philosophorum sententia; at nullatenus esse potest; quoniam, & hæc inferiora consumeret, ac etiam quia videretur à nobis sicut alij apud nos existentes, nec non, quia non habet materiam, quæ perpetuo nutriatur. Amplius, vel esset eiusdem speciei cum hoc qui apud nos existit, vel alterius; non eiusdem, quoniam sicut hic est visibilis, pabulo indigens, & vt plurimum in materia crassa, & graui, vt patet de carbone, sic ille se haberet, quod falsissimum esse notum est; non alterius, quoniam æquiuocè diceretur ignis de vtroq;, quare cum ille non esset de natura istius, nulla relinqueretur via ad ipsum indagandum. Oppositum tamen docet Philosophus, cum quo resolutionem statuamus.

Conclusio.

QVatuor tantum sunt elementa, quę compositionem mistorum efficiunt, nec plura, aut pauciora esse possunt. Probatur. Quoniam si vnum contrariorum fuerit in natura, necesse est reliquum esse; sed aqua, quæ est humida, & frigida in natura existit, ergo aliud corpus quod sit calidum, & siccum existere debet, hoc autem vocamus ignem, ergo; pariter datur terra, quæ est frigida, & sicca, ergo dandum est aliud corpus, quod sit calidum, & humidum, quod aerem vocamus. Quomodo autem prima propositio sit vera, videlicet, quod si vnum contrariorum fuerit in natura, & alterum; iam declaratum est in primo huius operis. Quod autem detur ignis elementaris (de alijs tribus est notissimum) probatur; nam exhalationes, quæ sursum feruntur, cum supra aerem peruenerint igniuntur, vnde fiunt cometæ, trabes accensi, & similia, ergo ibi esse debet aliqua vis igniens, nec aliud cogitari potest, quam ignis; nam etsi cometæ non sint in regione ignis, sed aeris, tamen aer, & cometæ ipsi ab igne incenduntur. Præterea, vnumquodque corpus naturale ad proprium locum tendit, at ignes qui hic sunt, nisi adsit impedimentum tendunt sursum, ergo ibi est locus communis, & per consequens datur ignis elementaris, quia locus non est sine locato. Sic itaque ex rationibus prædictis, maximè ex ratione contrarietatum patet quod necessario sunt quatuor, non autem pauciora; quod verò non sint plura etiam ratione manifestum est; nam elementa ipsa sunt ordinata ad communem generationem mistorum; sed nullum aliud corpus sic in vniuerso commune (sicut sint ista) apparet; vel si aliquod sit, quemadmodum exhalationes, vel vapores, non tamen erunt elementa, si quidem ex elementis ipsis generantur; quæ autem elementa vocari debent, prima sunt alijs, & non ex ipsis genita; non tamen excludimus compositionem ex materia, & forma, sed quæ mistionem supponit, nam reuera ex forma, & materia elementa ipsa constant.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur ad maiorem, & ad eius probationem simul, tunc non esse perfectam resolutionem, sed ad elementa deuenietur, ac tandem ad ipsam primam materiam.

Ad secundum dicitur, reuera locum sursum in concauo orbis Lunæ esse locum ignis elementaris; dum dicitur, quod hæc inferiora destrueret, negatur; quoniam ab aere cohibetur, nec non quia est rarissimum, nec immensam habet voracitatem. Ad aliud, quod videretur, negatur, est enim tantæ raritatis, atq; omnis coloris expers, vt visum necessario effugiat; neque hoc mirum esse debet, si quidem in fornacibus ignitis, hoc etiam accidit; quamuis enim nulla appareat flamma, tamen ardentissimus adest ignis, vt ex effectibus videri potest. Ignes vero qui apud nos sunt, eo quod multis sunt annexi vaporibus, vel alijs accidentibus, sunt visibiles. Dum dicitur, quod indiget nutrimento; negatur, quod hoc ei in propria sphæra conueniat, sufficit namque, quod in propria existens materia conseruetur; hic autem nutriri indiget, (accipiatur nutriri large, quia præsè est solum vi-uentium) quia cum ab aduersarijs circundetur, & sit minimæ resistentiæ, nisi habeat vnde vires resumat, statim perit; quare dum in aliqua materia infixus est, etiam diu durat. Posset etiam dici, quod perpetuo à cælo, & motu ipsius generetur, quod videtur velle Aristotel. in Meteorolog.

Ad tertium dicitur, esse eiusdem speciei, dum alia adduntur, respondetur, esse accidentales differentias; est etiam grauis carbo etiam ignitus, quia non est ignis purus; sed cum materia crassa, & graui. At quæritur cur nudam materiam non informet, & sic puram naturam ipsius cum omnibus conditionibus attinentibus retineat. Respondetur; quod quia est maximæ actiuitatis, & subtilitatis, faciliter, & prius penetrat, quam simpliciter formam expellat; ideo manet in alia non nuda materia, nec prima; & quando ad simplicem eius naturam peruenire proximus est, ab aduersario vincitur, & extinguitur; ac remanet carbo, vel aliæ reliquiæ quasi corpora imperfecta, vel cadauera, quæ fortè in nullo sunt genere nisi reductiuè. Sed est quædam difficultas; cur scilicet, flamma, quæ est leuis à summo vsque ad imum candelæ descendit. Respondetur vt nutriatur, res namque naturales, prius conseruationem, quam aliud intendunt; vnde hac eadem de causa, gutta aquæ pendet, ac in gyrum se condit, vt scilicet conseruetur, si etenim diuideretur corruptionem sibi moliretur. Pari ratione ignes, vt escam fumant, quorsumlibet se extendunt, & pariter, tam in visceribus terræ, quam alibi manent.

QVÆSTIO II.

Alij autem de figura nihil enunciant. Tex. 46.

De figura elementorum.

NOn defuerunt opiniones, quæ elementis diuersas tribuerunt figuras, vt in textu notissimum est. De quibus (ne in prolixitatem incidamus) nihil aliud dicamus. Pro solutione ergo quæstionis sciendum est; quod nullum corpus similare secundum se aliquam sibi præscriptam figuram determinare potest, imò hoc directè ipsius naturæ repugnat; nam cum ipsum similare corpus determinationem totius circa quamlibet partem admittat, & per hoc similare dicatur, oppositum profectò eueniret, si determinatam figuram quasi sibi essentialem, vel ab essentia (instar propriæ passionis) fluentem haberet; quia nulla pars figuræ denominationem totius recipit, neque enim pars circuli est circulus; nec pars pyramidis est pyramis, & sic de alijs. Obseruandum est etiam, quod figura naturalis sic illi cuius est figura conuenit, vt naturaliter sine illius destructione penitus inseparabilis existat; aufer namque canis figuram, amplius canis

cȳnis non erit, pariter dicatur de alijs. Verum aliquam accidentalem mutabilitatem patiuntur, vt patet de diuersis earundem rerum secundum speciem figuris; tamen hæ potius figurarum dispositiones, quam simplices figuræ nuncupandæ sunt. Quibus positis, determinetur quæstio.

Conclusiones.

Prima. ELementa ex se aliquam naturalem figuram non expostulant, sed sub vnaquaque conseruari possunt, aqua enim, vel terra si intra vas rotundum, vel quadratum ponatur, rotundam, vel quadratam figuram recipit; idem dicatur de alijs. Amplius si hoc esset, non qualibet pars elementi esset elementum, sic vt non qualibet pars sphæræ est sphæra, vt optimè deducit Philosophus.

Secunda. Secunda conclusio. Si secundum actualem dispositionem ipsa elementa considerentur, determinatam circularem figuram habent; probatur prima pars, nam omne finitum est terminatum, elementa sunt finita, ergo terminata, at terminatio ipsa figuram insinuat; cum nihil aliud sit figura quam clausio, vel circumscriptio termini, vel terminorum. Quod vero figura ipsorum sit circularis; probatur; quoniam quæ ex se figuram non habent, si figurentur, recipiunt figuram à continente, vt patet de liquoribus, sed elementa continentur à corpore circulari, nempe à Cælo, ergo ipsa quoque (saltem secundum superficiem conuexam) circularia sunt. Amplius id eis contingit ex parte finis; quoniam cum ignis sursum tendat, & ex qualibet parte cælum in comparatione ad terram sit sursum, vndecunque ad cælum meabit, quamobrem ipsum necessariò continget, quod autem sphæricum tangit, ex ea parte qua tangit sphæricum est, huic succedit aer, qui eadem ratione, & ne detur vacuum igni contiguus erit. Terra autem cum ad centrum tendat, omniquaque (vt per breuiores lineas descendat) se comprimit, quod est in circulum se aptare, cui necessario succedit aqua, & sic figuram circularem complent. Verum de figura terræ ex professo dicemus in 2. Meteorolog, hæc autem pro nunc sufficiant.

QVÆSTIO III.

Considerandum autem est primum, vtrum sempiterna sint, an generata, &c. Tex. 52.

An elementa sint sempiterna.

ARguitur primo quod sic, si totum aliquod est sempiternum, & partes principales ipsum constituentes sempiternæ erunt, nam totum sequitur naturam, & dissolutionem partium; at vniuersum, cuius elementa sunt principales partes est sempiternum, vt in 8. Physic. & in 1. de Cælo visum est, ergo.

Secundò. Prima rerum principia debeant esse incorruptibilia, vel semper manere, vt docet Philosophus in 1. Physic. tex. 50. & ratione etiam comprobari potest, quia si dissolubilia essent, vel in nihilum abirent, vel in alia principia resoluerētur; primum in Philosophia non conceditur, secundum est contra rationem principiorum. At hæc sunt principia mistorum, ergo.

Pro intelligentia sciendum est, quod elementa possunt tripliciter considerari, videlicet secundum ipsorum simplicem, & puram naturam, aut secundum totalitatem, aut denique secundum æquiualentiam. Resolutio. Si primo modo considerentur sunt simpliciter corruptibilia, quia quæ ex materia, & forma constant, simul, quæ corruptiuas habent qualitates, corruptibilia sunt, elementa sic se habent, vt docet, Aristot. in secundo de gener. & corrupt. (vbi melius cum eodem id quoque examinabitur) ergo. Si vero secundum totalitatem considerentur, sic non sunt de facto corruptibilia, ita nimirum quod vnum elementum totaliter ab alio simul corrumpi possit; probatur, quia sic ordo vniuersi periret; præter quam quod, sic disposita sunt in natura, vt in vna qualitate, quæ sunt contigua conueniant, in alijs vero in quibus differunt, est quædam proportio resistentiæ ad actiuitatem, vt non facilè vnum ab alio vinci possit; declaratur; ignis est aeri contiguus, & ambo in caliditate conueniunt; differunt autem, quod ignis est, siccus aer humidus, sed hæ sunt qualitates parum actiuæ, vnde non sequitur facilis interitus. Addo, quod elementum quod aliud corrumperet è propria sede discederet, & ad alienam naturaliter adtentaret, quod est absurdum; vt ignis si aerem totum corrumperet, locum ipsius repleret, corrumpendo etenim, debet tangere corruptibile, & sic semper eidem in eundem locum succedere. Sic itaque elementa secundum se tota cathegorematicè sumpta non sunt naturaliter corruptibilia; secus dicendum est, si syncathegorematicè sumantur, hoc enim modo distributiuè omnes partes accipiuntur, & de qualibet verum erit dicere, quod corrumpi possit. Si tandem tertio modo loquamur, elementa incorruptibilia dici possunt, eo quidem modo quo fluuius perpetuus vocatur ob eandem æquiualentiam aquarum fluentium, secundum quam considerationem Aristot. in secundo de generat. & corrupt. æterna, & prima ea vocat; quod autem sic se habeant, patet, quia eundem locum, situm, & ordinem in vniuerso seruant.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, quod vniuersum cathegorematicè sumptum scilicet secundum omnes partes est sempiternum solum per successionem, vel continuas generationes, sicut etiam sunt partes; secus de Cælo dicendum est, at elementa non sunt partes eius.

Ad secundum dicitur, quod principia debent semper manere sub ratione principiandi, non tamen omnia sunt æterna, vel incorruptibilia vt patet de forma, de quibus fusè in 1. Physicorum visum est.

Finis Tertij Libri de Cælo.

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN QVARTVM LIBRVM ARISTOTELIS de Cœlo Paraphrasis.

SVMMÆ LIBRI.

IN hoc Libro agitur de Graui, & Leui secundum opiniones Antiquorum. De Graui & Leui simpliciter, & in respectu. Ac tandem quid vtrumque sit ostenditur; quibus corporibus insint, & quot sint ipsa corpora, quæ accidentia ipsorum, quam summam in tres partiales communiter diuiditur.

SVMMÆ PRIMÆ, CAPVT PRIMVM.

Declaratur intentio Libri.

Tex.1. *DE graui autem, & leui quid vtrumque est, & quænam est natura ipsorum, considerandum est; & similiter est speculandum, propter quam causam ipsa elementa has virtutes, vel potentias ad diuersos motus efficiendos habeant; etenim contemplatio de istis est propria sermonibus, qui fiunt de motu, seu sermonibus naturalibus, ipsa namque natura est principium motus, quare quæ ad motum efficiendum concurrunt, naturalia sunt, ac in naturali Philosophia consideranda.*

Tex.2. *Graue itaque & leue aliquid dicimus esse, quia potest aliquomodo naturaliter moueri. Actionibus autem eorum (scilicet grauis, & leuis) nomina posita non sunt, nisi quis in communi dicat, propensionem ad motum esse nomen proprium actionum talium, at hoc est magis commune, quam proprium: si vero dicatur, quod mouere deorsum, & sursum, nec bene dicitur, quia hoc non est tam ipsius grauitatis, & leuitatis, quam etiam formæ substantialis grauis, & leuis. Quia vero naturalis est tractatio de motu, hæc autem habent in se ipsis veluti fomenta motus, ideò omnes Philosophi naturales vtuntur potentijs, seu virtutibus ipsorum ad motum, non tamen de eis rectè determinauerunt, præter paucos. Visis igitur primum ijs, quæ ab alijs dicta sunt, & disquisitis ijs, quæcunque necessarium est ad hanc considerationem diuidere; quod postea nobis videbitur, de ipsis determinatè dicemus.*

CAPVT II.

Quotupliciter dicatur graue, & leue, & quomodo hoc Antiqui determinauerunt.

DIcitur itaque graue, & leue dupliciter, scilicet simpliciter, & in respectu, seu secundùm quid. Eorum enim quæ grauitatem habent, ac leuitatem, dicimus, aliud quidem esse leuius altero, aliud vero grauius, vt æs dicitur grauius ligno, & hoc est graue in respectu, potest enim aliquid cum parua grauitate esse grauius altero, non vero simpliciter. (Quid autem sit simpliciter graue, vel leue posterius examinabitur, ac etiam melius de graui, & leui in respectu.) De ijs igitur, quæ simpliciter grauia, & leuia dicuntur, nihil dictum est à prioribus Philosophis, sed tantum de ijs, quæ ad alterum, seu in respectu dicuntur talia, determinauerunt. Non enim dicunt, quid est ipsum graue, & quid ipsum leue, sed quid ipsum grauius, & quid ipsum leuius, in habentibus grauitatem, & leuitatem. Tex.3.

Magis autem erit manifestum, quod dicimus (nempè quod non tantum dentur graue, & leue in respectu, sed etiam simpliciter) sic. Nam aliqua corpora semper quidem nata sunt ferri à medio, absque respectu, vel comparatione ad aliud corpus, & hæc dicuntur ferri sursum, ac simpliciter leuia poterunt vocari; alia verò nata sunt ferri ad medium, seu deorsum, & hæc simpliciter possunt vocari grauia, addendo tamen, quod ea, quæ à medio nata sunt ferri, ad extremum quoque perueniant, nisi adsit impedimentum, quæ vero ad medium, perueniant ad centrum, etiam impedimento remoto; datur enim in natura sursum, & deorsum ex parte rei, & non solum secundum nostrum modum considerandi, Tex.4.

vt in

vt in 4. Phys. & in 2. de Cęlo declarauimus. Quare absurdum est non arbitrari, in Mundo aliquid esse, quod quidem sursum sit, aliud autem deorsum, quemadmodū quidam censent; dicunt n. non aliud esse sursum, aliud vero deorsum in Mundo, ex eo quod omni ex parte similis est, et vndique vnusquisque potest ambulare, ita vt pedes possint diametraliter sibi ipsis opponi successiuè, quia qui modo est in hoc nostro hemisphęrio, per successum temporis directè in alio esse potest, in regionibus inquam Antipodum, quod non aliunde accidit, nisi propter vniformitatem, ac rotunditatem terrę, ac Mundi; ideò has differentias, varietatem figurę, ac situs requirentes, ab ipso Mundo remouent, hoc inquam non obstat, ac facile tales obiectiones soluuntur, vt in pręcitato 2. de Cęlo tex. 13. visum est. Quare nos, ipsum Vniuersi extremum sursum dicimus, quod secundum positionem, & ordinem Vniuersi est sursum, & primum natura, ac dignitate, sicut ipsum medium è contra debet dici deorsum, ac posterius.

Tex. 5. *Quoniam autem aliquid ipsius Vniuersi extremum est, aliud vero medium, patet, quod in ipso erit & sursum, & deorsum, quemadmodum multi etiam dicunt, verum non sufficienter. Huius autem insufficientię causa est, quia putant non vndiq; simile esse Cęlum, vel Mundum, sed solum vnum hemisphęrium esse, nempè hoc, quod est circa nos, ita vt hanc partem Cęli, quam respicimus sursum esse dicebant; alteram vero coniungi, ac tangere terram in altero hemisphęrio, & illam totam esse deorsum. Quoniam tamen totum Mundum cum Cęlo, & terra circularem esse credebant, & medium similiter se se habere ad Vniuersum (hoc est ęqualiter ipsum diuidere) ideo hanc nostram partem Mundi, seu hemisphęrium, sursum vocabant; alterum vero totum deorsum, & in hoc defecerunt, etsi bene dixissent, in Mundo esse sursum, & deorsum ex natura rei, ac circularem esse, sed ad propositum.*

Tex. 6. Leue simpliciter. Graue simpliciter. Leue in respectu. Graue in respectu. *Simpliciter igitur leue dicitur, quod sursum fertur, & vsque ad extremum per lineam rectam, vsque scilicet ad concauum orbis Lunę. Graue autem simpliciter, quod deorsum fertur, & ad medium, vel centrum. Leue vero in respectu (quod leuius quoque dicitur est, quod inter duo, quę sunt ambo leuia, & ęqualis molis, sursum velocius fertur naturaliter. Grauius autem, vel graue in respectu est, quod seruatis eisdem conditionibus, ceteribus paribus) velocius deorsum fertur naturaliter.*

Tex. 7. *Eorum igitur Philosophorum, qui prius ad hanc considerationem, quę de his est, peruenerunt, plurimi ferè de grauibus, & leuibus hoc modo, seu in respectu Solis dixerunt, de his igitur (dico) quorum ambobus habentibus grauitatem, vel leuitatem; alterum est leuius, vel grauius altero (quod idem est, ac graue, & leue in respectu) sic autem cum pertractauerint, putant determinatum esse, et de simpliciter graui, & leui. Sed ratio ipsorum non conuenit istis (graui scilicet, & leui simpliciter) ideo defecerunt.*

CAPVT III.

Aliæ opiniones Antiquorum Philosophorum, & reprobatio.

Tex. 8. *Manifestum autem erit ijs, qui vlterius processerint, quod ipsi Antiqui non de graui, & leui simpliciter, sed in respectu tantum locuti sunt. Dicunt enim aliqui eorum, vt Plato in Thimęo; id esse grauius, quod ex pluribus partibus eiusdem naturę constat, leuius autem quod ex paucioribus, quemadmodum plumbum maius alio plumbo grauius est, & ęs ęre; similiter autem aliorum eiusdem speciei vnumquodque; nam in excessu ęqualium partium, vnumquodque grauius existit; eodem autem modo dicunt, plumbum esse grauius ligno, quia plures habet partes, vnde omnia corpora ex quibusdam partibus, quę sint eiusdem naturę, ac ex vna materia communi fingunt, etsi id non appareat. Quare cum hoc modo de graui, & leui determinent, non de ipsis simpliciter, sed in respectu tantum determinant.*

Quod autem non bene hoc modo ab ipsis determinetur natura grauis, & leuis, sic declaratur. Ignis enim quidem semper leuis est, & sursum fertur, cuiuscunque sit magnitudinis; terra autem, & terrea semper sunt grauia, ac deorsum feruntur, ergo nullo habito respectu ad maiores, vel minores partes, aliquod est graue, aliquod vero leue, & sic non propter paucitatem triangulorum, ex quibus vnumquodque ipsorum constare aiunt, ignis natus est sursum ferri; nam maior minus vtique ferretur, & grauior esset, cùm sit ex pluribus triangulis; nunc autem videtur contrarium, quanto enim fuerit maior, leuior est, & sursum fertur velocius. Pręterea, si multitudo triangulorum facit grauitatem, & paucitas leuitatem, paucus ignis difficilius moueretur deorsum, magnus vero facilius, quod falsum est, quia quo est maior, eo velocius sursum fertur, & per oppositum, deorsum tardius. Tex. 9.

Pręterea, cum ipsi dicant, id leuius esse, quod habet pauciores partes eiusdem naturę, id vero grauius quod plures habet, ac similiter dicant, aerem, ignem, & aquam, ex eisdem triangulis esse, sed differre paucitate, & multitudine, & hac ratione aliud ipsorum esse leuius, quod scilicet pauciores partes, vel triangulos habet; aliud vero grauius, quod plures, sequitur quod aliqua multitudo aeris erit grauior aqua, quia potest in tanta quantitate sumi, vel plures partes contineat, quam aliqua pars aquę. Sed accidit totum contrarium, nam & semper maior aer sursum fertur magis, & omnino quęlibet pars aeris sursum ex aqua fertur, ergo non per multitudinem partium, nec triangulorum differunt elementa in ratione grauitatis, & leuitatis. Tex. 10.

Nonnulli igitur hoc modo pradicto de leui, & graui determinarunt. Alijs autem non sufficienter visum est hoc modo de ipsis distinguere, sed quamuis antiquiores essent hac nostra ętate, tamen nouo magis modo intellexerunt de ijs, quę nunc dicta sunt. Nam videntur quędam corpora minora alijs secundum molem, quę tamen grauiora sunt; quare patet, quod insufficienter dicitur, ea esse ęquè grauia, vel leuia, quę habent ęquales partes; ea vero grauiora, vel leuiora, quod plures, vel pauciores habent; si enim hoc esset, ea quę ęquè grauia sunt, ęqualis essent molis, quę vero grauiora, maioris, & leuiora minoris. Tex. 11.

Qui autem dicunt, principia, vel partes, ex quibus constant corpora, grauitatem, & leuitatem habentia, esse superficies indiuisibiles, absurdum enunciant; hę namq; superficies non sunt capaces grauitatis, nec leuitatis; hi vero qui corpora pro principijs ponunt, magis dicere possunt id esse grauius, quod est maius, vel plurium partium, id leuius, quod minus, vel pauciorum partium. At quia inter composita non videmus omnia hoc modo se habere, ita vt quod maius est mole, sit quoque grauius, quod minus leuius, sed multa grauiora videmus minora mole esse, quemadmodum ęs grauius est lana, ac minus, ideo alij putant aliam esse causam grauitatis, & leuitatis, quam assignant modo statim sequenti. Tex. 12.

Tex.13. *Dicunt igitur, in corporibus includi, ac comprehendi vacua veluti foramina quędam; hæc autem quia corpora non sunt, nullam habere grauitatem, ideò vacuum comprehensum, aiunt, reddere corpora leuia & facere, vt interdum corpora maiora sint leuiora minoribus, quia videlicet plus habent vacui; imò ex hac causa esse etiam maiora mole, ea quæ ex æqualibus partibus solidis, vel plenis composita sunt, aut etiam si ex minoribus componantur, quia videlicet maius vacuum facit maiorem extensionem corporis, ac ipsum maius apparere, etsi quò ad partes solidas sit minus, vel æquale, sic igitur dicunt, causam videlicet leuioris omnino esse plus vacui inesse.*

Tex.14. *Qui autem hoc modo determinant de graui, & leui, debent necessariò addere (si sufficienser loqui volunt) quod leuius non solum debet habere plus vacui, sed etiam quod habeat minus solidi, vel pleni. Si enim excedit talem proportionem, non eris leuius, nam partes solidæ, si sint plures quam in alio, in quo sit minus vacui, trahent ipsum quod plus vacui habet deorsum, ac graue efficient, & sic vacui abundantia simpliciter non sufficit ad efficiendum aliquod leuius, sed requiritur etiam paucitas soliditatis, & pleni. Ob hoc enim aiunt ignem esse leuissimum, quia plurimum habet vacui, quod si ita esset, sequeretur quod multum aurum posset esse leuius pauco igne, quia in tam multitudine auri plus vacui reperiri posset, ideò addere debent, quod leuius habet minus solidi, grauius plus, & sic soluere instantiam; aurum esse grauius, quia licet habeat plus vacuum (si multum aurum sumatur, & ignis paucus) tamen habet etiam plus solidi, quare hoc est dicendum, & sic insufficienter loquuntur, qui vacuum causam leuitatis assignant.*

Tex.15. *Quidam igitur eorum, qui dicunt esse vacuum, nihil determinauerunt de leui, & graui, vt Anaxagoras, & Empedocles. Qui autem de ipso graui, & leui determinauerunt quidem, non autem admittunt vacuum, non dixerunt, cur corporum, hæc quidem simpliciter leuia sunt, illa vero grauia, & feruntur hæc quidem semper sursum, illa autem deorsum. Præterea, de eo, quod corpora quędam maiora secundum molem sint leuiora minoribus, nihil meminerunt, neque manifestum est, quo pacto ex ijs, quæ dicta sunt, ipsi possint dicere conuenientia ijs, quæ apparent, vel omnibus sunt sensibiliter nota.*

Tex.16. *Nunc autem iterum reuertamur ad impugnandos eos, qui causam leuitatis, vacuum esse affirmant. Necessarium igitur est, vt ij, qui causam leuitatis ignis multum vacui esse dicunt, ferè ijs omnibus difficultatibus, quas modo diximus, hęrere. Aut enim dicere habent, quod ipse ignis minus habebit solidi, quam alia corpora, & plus vacui. At si hoc erit, posset dari quędam multitudo ignis, in qua partes solidæ excedent partes alicuius paruæ terræ, & sic ipsa parua terra, erit leuior magno igne. Si autem dixerint huic difficultati, quod res, vel ignis est leuis, causa vacui tantum, non secundum aliquem respectum ad plenum; hoc non rectè dicitur, quia quonam pacto definient ipsum simpliciter graue? Aut enim dicent id esse simpliciter graue, quod plus solidi habet, aut quod minus vacui. Si autem hoc dicent, adhuc in difficultatem aliam incident, nam erit quædam multitudo terræ adeo pauca, in qua solidi erit minus, quam in magna multitudine ignis, & sic terra ista parua erit leuior magno igne. Similiter autem, si ipsum graue simpliciter definierint per vacuum, videlicet id esse graue simpliciter, quod minus vacui habet, etiã errant, & in difficultates incidunt, nam erit aliquid, quod semper deorsum fertur, & erit leuius simpliciter leui, & eo quod sursum fertur; probatur, nam in maiori terra erit plus vacui, in minori minus, & sic minor terra esset grauior maiori, imò in minori igni erit minus vacui, quam in magna terra, & sic magna terra erit leuior igne, qui sursum est natus ferri, hoc autem est impossibile; nam simpliciter leue semper leuius est ijs, quæ grauitatem habent, ac deorsum feruntur. Leuius autem non semper leue est, propterea quod in ijs, quæ habent grauitatem, aliud dicitur leuius altero, vt aqua dicitur leuior terra. At vero dicere, quod vacuum proportionaliter se habeat ad plenum, ita quod plus pleni faciat grauius, plus autem vacui leuius, neque soluit hanc difficultatem. Accidet enim hoc modo dicentibus similiter impossibile, nam in maiori igne, atque in minori eandem habebit proportionem plenum ad vacuum, ita quod sicut se habet plenum minoris ad suum vacuum, ita plenum maioris ad suum, & hoc modo cum eadem seruetur proportio, eadem velocitate moueretur sursum paruus ignis, & magnus, vel parua, & magna terra deorsum, quod est falsum; nam maior ignis velocius sursum fertur, & maius aurum, vel plumbum deorsum, similiter autem vnumquodque habentium grauitatem. Non oportebat autem hoc accidere, si graue, & leue definita essent secundum proportionem vacui ad plenum in eodem corpore.*

Absurdum est autem, etsi ob vacuũ quidem sursum ferantur corpora, vacuum autem ipsum non feratur similiter sursum, quod enim formaliter dat esse tale, ipsum erit magis tale. Sed absurdum est vacuum ferri, vt in 4. Physic. ostendimus, ergo etiam erit absurdum, quod ob ipsum ferantur corpora. At vero si vacuum quidem sursum natum est ferri, deorsum autem plenum, & propter hoc sunt causæ alijs vtriusque lationis .s. sursum & deorsum, nihil de mistis oportebat considerare, videlicet propter quod alia corpora sunt leuia, alia vero grauia, sed de his ipsis dicere, propter quid aliud graue est, aliud leue; tunc enim de mistis sufficiens fuisset dicere, ideo grauia vel leuia esse, quia habent plenum, vel vacuum. Præterea, determinare oportebat, quæ causa est vt non distent vacuum, & plenum, ita quod ipsum vacuum, quia leue est, sursum sit, graue autem deorsum, nam (vt dicunt) simul in eodem est vacuum, & plenum. Tex.17.

Irrationabile autem est, vacuo locum assignare, (quod facere debent, si vt dicunt mouetur) cum ipsum vacuum secundum ipsos, sit locus, at loco assignare locum est in infinitum procedere, & tamen necessarium est (vt diximus) ei locum assignare, si mouetur, vnde habebit locum, ex quo, & in quem mouebitur. Præterea, quænam est causa motus in corporibus, in quibus vacuum simul & plenum existit? non enim vacuum est sufficiens causa, quia non ipsum solum mouetur, sed etiam plenum. Tex.18.

Similiter autem accidit impossibilia dicere, si aliquis definiat grauiora, & leuiora, magnitudine, & paruitate, ita quod grauius sit, qood maioris est magnitudinis, leuius, quod minoris, siue ponat eandem materiam, vt qui omnia ex triangulis cõponit, siue diuersam, vt qui rarum, & densum, vel vacuum, & plenum dicunt esse materiam; qui igitur vnam ponunt non possunt saluare graue, & leue simpliciter, sed solum in respectu, nam aliquid est maius, & minus respectu diuersorum. Qui verò contrarias, vel diuersas assignant, non possunt rationem reddere, cur ea, quæ sunt media inter simpliciter grauia, & simpliciter leuia, ac grauiora, & leuiora dicuntur sic se habeant, nam vtroque contrario participant, ideò non est magis ratio de vno, quam de alio. Tex.19.

Magnitu-

Tex. 20. *Magnitudine autem, & paruitate definire ipsa grauia, & leuia, figmento magis assimilatur, quam quæ prius diximus de ijs, qui ex triangulis superficiebus, ac alijs indiuisibilibus elementa componunt, hæc namque constitutio est relatiua, quæ absolutio vt sunt elementa non conuenit, tamen quia secundum hanc positionem contingit ponere differentiam inter quæcunque elementa quatuor, tutius est eam ponere quam præcedentes, quo scilicet ad hoc tantum, possumus etenim dicere ignem differre ab aqua, vel è contra, quia est maior, vel minor ipsa, non sic si ponamus superficies, vel triangulos. Qui verò dicit vnam tantum esse naturam eorum elementorum, quæ magnitudine differre dicunt, (hoc est qui dicit, vnum tantum esse elementum omnium rerum) necessariò idem dicere debet, quod dicunt ij, qui vnam faciunt materiam elementorum, videlicet, quod sicut isti elementa differre dicunt, secundũ magnum, vel paruum, aut secundum densum, & rarum, ita quoque illi, eius ratio est, quia vna existente natura, vna existit materia, vel quantitas; quæ naturam sequitur. Quare isti simul confiteri debent, quod neque sit aliquid simpliciter leue, vel graue, nec simpliciter ferri sursum, aut deorsum, sed aut posterius vi latũ ferri, aut expulsum; nam idem respectu diuersorum erit graue, & leue, & sic qua ratione moueretur deorsum, eadem moueretur sursum, vnde ad hoc quod determinetur violentia indiget, si inquam magnitudine, & paruitate, elementa determinentur. Sequeretur etiam, quod multa parua, essent grauiora paucis magnis. Præterea, si sumatur differentia ex parte magnitudinis, ita vt maiora sint grauiora, accidet, multum aerem, & multum ignem, esse grauiorem pauca aqua, vel terra, hoc autem impossibile est. Quæ igitur ab alijs dicta sunt, hæc sunt, atque hoc modo dicuntur.*

SVMMÆ SECVNDÆ, CAPVT VNICVM.

Determinatio de graui, & leui, simpliciter, & in respectu.

Tex. 21. *Nos autem dicamus resolutè de graui, & leui, determinantes tamen prius id de quo maximè quidam dubitant, videlicet, propter quid, quædam corpora sursum, quædam vero deorsum mouentur secundum naturam, vt ignis sursum, terra deorsum, quædam verò mouentur sursum, & deorsum, hoc est ad loca media, vt aqua, & aer; aqua enim respectu terræ est sursum, respectu aeris deorsum, aer verò respectu terræ, & aquæ sursum, & respectu ignis deorsum; ac similiter secundum varios respectus sursum, & deorsum moueri dicuntur. Post hæc autem determinabimus de graui, & leui, ac de passionibus, vel qualitatibus, quæ ipsis accidunt, & propter quam causam, hæc omnia accidentia fiant.*

Tex. 22. *De prima igitur dubitatione, cur videlicet vnumquodque in suum locum feratur, similiter existimandum est, quemadmodum circa alias generationes, & mutationes, quia sicut illæ sunt naturales ob aliquam determinatam earum inclinationem, ita & isti motus; sed exactius loquamur. Cùm sint tres motus, vnus quidem secundum magnitudinem, qui continet augmentationem, & diminutionem, alter vero secundum formam, qua diuiditur in substantialem, & accidentalem; secundum substantialem est generatio, & corruptio, secundum accidentalem est alteratio, tertius autem est motus secundum locum, qui dicuntur tres motus generici, non verò specifici, vel naturales. In vnoquoque igitur horum, videmus fieri mutationem de contrario in contrarium, vel medium, quod locum contrarij supplet, idest, quod non fiat mutatio cuius vis in quod vis indifferenter, sed secundum determinatum, ac conuenientem terminum, medium, ac inclinationem mobilis. Similiter autem neque quod vis indifferenter est motiuum cuius vis, sed vt alterabile, & augmentabile diuersum est, sic alteratiuum est diuersum ab augmentatiuo. Quod igitur calefactibile est, non à frigefactiuo calefit, & sic de alijs, ita quod sunt tales determinatæ mutationes, quia ipsa mutabilia ad talem terminum inclinantur, & à tali motiuo sunt apta moueri. Eodem itaque modo existimandum est, & quod est secundum locum motiuum, & mobile, ita vt non quod vis sit motiuum cuius vis, nec quod vis mobile à quouis sit aptum moueri, vel ad quemcunque locum indifferenter; nam moueri ad proprium locum est moueri veluti ad formam, scilicet externam, & conseruationem: vnde sicut non qualibet materia est indifferenter apta quamcunque formam recipere, (loquendo de materia disposita) sed ad aliam formam, alia materia ordinatur, ita non quodlibet mobile ad quemlibet locum inclinatur, sed ad sibi conuenientem, & secundum propriam naturam, & secundum ipsum motiuum, à quo naturam, & inclinationem recipit, & secundum locum, vel terminum conuenientem. Si igitur ipsum grauefactiuum motiuum est ad ipsum locum deorsum, quia dat inclinationem grauj, vt illuc feratur; ipsum verò leuefactiuum est motiuum sursum, quia similiter inclinationem præbet; mobile verò est, quod potentia est graue, aut leue, quæ in actum primum grauitatis, & leuitatis ab ipso agente reducuntur, necessariò habita forma essentiali grauis, & leuis, ad sua loca feruntur, tanquam ad formam externam completiuam accidentariæ perfectionis, atque conseruatiuam eiusdem, ferri igitur ad suum locum est ferri ad formam, ac perfectionem, cùm autem vnumquodque naturaliter ad suam formam & perfectionem feratur, non est mirum, si omnia corpora naturalia moueantur naturaliter ad sua loca. Et sic magis vtique quis existimabit, id quod dicunt Antiqui verum esse, dicunt namque, ideo corpora moueri ad sua loca, quia ibi sunt alia corpora similia: simile autem fertur ad simile, quod non est simpliciter verum, nisi modo prædicto, hoc est accipiendo similitudinem pro forma conuenienti ipsi corpori mobili. Quare hoc quod dicunt non accidit omnino, vt credunt, non enim, si quis transponat terram vbi nunc est Luna, ideo vnaquæque pars ipsius terræ illuc moueretur; licet esset aliquid simile, sed moueretur ad eum locum, vbi nunc tota terra existit. Omnino igitur similibus, ac non differentibus per motum idem accidet, videlicet, quod in locum ad quem totum fertur, eo nata est ferri qualibet pars, & è contra, quò pars mouetur, & totum, naturaliter semper loquendo, non violenter.*

Quoniam autem locus est finis, vel terminus ipsius continentis corporis, nempe cælestis; quod quidem continent omnia, quæ mouentur, sursum, & deorsum, & extremum, & medium, & hoc modo ipse locus fit forma contenti, nam continere est formæ, contineri vero materiæ, ideo corpora ferri in suum locum, est ferri ad similem, vel conuenientem formam; quare cum ea corpora, quę deinceps, seu sub cęlo sunt similia sint inuicem, eo modo quo sunt similia, vnum potest esse locus alterius, vt aqua est similis Tex. 23.

aeri in humiditate, aer vero igni in caliditate, cui similitudini oportet addere rationem continentiæ, & sic corpus continens similem habet rationem loci naturalis, contentum verò, habet rationem locati. Quare in corporibus elementorum intermedijs è converso dicere possumus, quod sunt similia in aliqua qualitate, vt aer, & aqua in humiditate, sicut in omnibus quoque contiguis, licet vnum eorum sit extremum, vt ignis, & aer similiter conueniunt, ac pariter terra, & aqua: in extremis autem hoc dicere non possumus, non enim ignis & aqua conueniunt, nec aer & terra, quia sunt extrema, non ratione simpliciter loci, sed naturæ & contrarietatis, & quia mediat aliud inter ipsa ratione cuius dicuntur extrema, & sic non se habent, vt aer ad aquam, vel aqua ad terram. Provt igitur similia sunt, vnum potest esse locus alterius, addendo (vt diximus) quod id quod habet rationem loci contineat, & per consequens sit perfectius, ac formæ assimiletur, quod vero continetur, assimiletur materiæ. Quare semper illud elementum, quod est superius ad aliud, est veluti forma ad materiam respectu illius, ac continentis ad contentum, illud vero è contra; hoc igitur modo elementa se habent ad inuicem, quoad similitudinem, & rationem continendi.

Tex. 24. *Quærere vero propter quid fertur ignis sursum, & terra deorsum, idem est, ac si quæratur, & propter quid sanabile si moueatur, ac quatenus sanabile est mutetur, ac veniat de ægritudine in sanitatem, sed non in albedinem, & omnia alia alterabilia similiter. At vero & augmentabile cum mutatur quatenus est augmentabile, non in sanitatem venit, sed in excessum magnitudinis; similiter autem horum vnumquodque, hoc quidem in qualitatem mutatur, hoc vero in quantitatem, aliud in locum, non alia de causa, nisi quia sic apta sunt mutari, & sic leuia mouentur sursum, grauia deorsum, quia hoc modo est natura eorum, sicut augmentabile ad maiorem quantitatem,*
Nota quod graue, & leue à seipsis mouentur. *sanabile ad sanitatem mouentur; differunt tamen graue, & leue ab alijs prædictis mobilibus; nam hæc quidem (dico quippe graue, & leue) in seipsis videntur habere principium mutationis, hoc est, quia mouentur à propria forma ad proprium locum, nullum expectando externum mouens, nisi adsit impedimentum: illa autem non sic mouentur, sed ab extrinseco motore, vt sanabile & à medicina, & ab alijs qualitatibus, & temperamentis cęli, vel aeris, similiter augmentabile, ab externo augmentatiuo. Quamuis quandoque, & hæc ex seipsis mutentur, facto paruo motu à motore extrinseco, hoc est dispositione aliqua externa habita, forma ipsa sanabilis, & augmentabilis cooperatur, & sic alterum quidem in sanitatem venit, alterum vero in augmentum. Et quoniam idem est sanabile, & ægritudinis susceptiuum; si moueatur quatenus est sanabile in sanitatem mouebitur, si vero quatenus*
Nota iterũ vsque ad finem huius capitis. *ægrotabile in ægritudinem. At leue & graue magis videntur habere in se ipsis principium actiuum motus (si enim de passiuo esset sermo, oppositum deberet dici, quia alia ab externo mouentur, ideo eorum est magis pati, quam agere) quam prædicta, quia nullo externo indigent motore sicut illa; cuius ratio est, quia materia ipsorum est magis proxima ad substantiam elementorum, ex prædominio quorum habent motum sursum, vel deorsum, eorumque leuitati, & grauitati conuenientem, quare ipsa quoque elementa à seipsis ad propria loca mouentur, cum hoc*
Posterius generatione, perfectione est prius. *tribuant mistis. Signum autem huius est, quod motus localis est de genere absolutorum, seu perfectorum, atque hac de causa est posterior generatione alijs; nam generatione posterius, perfectione est prius, ideo debet habere principium quoque aliquod absolutum internum, ac minimè (provt decet) alijs indigere; hoc autem erit elementorum forma, à qua primo prouenit, loquendo de motu recto naturali. Quare primus vtique erit, et secundum substantiam hic motus; hoc est quia magis est propinquus substantiæ, vel natura elementorum, quam àliæ qualitates, vel accidentia mistorum.*

Cùm igitur fit ex aqua aer, & ex graui leui, venit absque aliquo externo motore ad suum proprium locum sursum, & non amplius fit leue, sed manet factum iam leue illic. Manifestum est itaque, quod existens in potentia, vt sit ens, in actum veniens, proficiscitur illuc, seu ad suum actum naturaliter, siue sit in potentia ad quantitatem, siue ad qualitatem, siue ad vbi, veniet dico ad tantum, vel tale, vbi erit actus tanti, vel talis, vel vbi. Eadem autem causa est, vt ea, quæ iam existunt, atque sunt terra, & ignis moueantur naturaliter ad suum locum, dummodo non adsit impedimentum. Etenim nutrimentum cum non fuerit prohibens, & sanabile similiter cum non fuerit impediens, mouentur confestim ad suos proprios terminos; sic quoque ipsa elementa, ac omnia grauia, & leuia ad sua loca. Veruntamen est, quod etiam duo alia mouentia concurrunt ad motum grauium, & leuium, nempe id quod ipsa fecit à principio, videlicet generans, & id quod subtraxit impedimentum, seu vnde resiliuit mobile postquam incipit moueri, quemadmodum dictum est in primis sermonibus, hoc est in 8. Physicorum, in quibus determinauimus, quod nihil horum seipsum mouet, eo scilicet motu, quo mouentur animalia, ita quod sit in potestate eorum incipere motum, ac sistere: aliter vero mouetur, vt nuper dictum est, ac etiam in eodem 8. Physicorum; dicuntur tamen moueri à generante per quandam attributionem, quia statim quod genita sunt, eo quod non voluntariè agũt, sed naturaliter, ac necessariò, subito mouentur, eo modo quo inclinatio, & natura ab ipso generante tradita inclinat, & sic iste motus generanti tribuitur, sicut ignis applicatus ad aliquam domum ex se comburit, tamen hæc combustio tribuitur applicanti, ac dicimus ipsum combussisse domum, quia non erat in potestate ignis non comburere, sic ipsa grauia statim genita à seipsis actiuè ad sua loca mouentur, etsi motus eorum tribuatur generanti, ratione prædicta. Remouens autem impedimentum est mouens per accidens, ideo ad per se mouens, motus eius reducendus est. Ob quam igitur causam vnumquodque eorum, quæ feruntur, feratur in suum locum, & quid sit hoc ferri, dictum est. Tex. 25.

SVMMA TERTIA.

Quid sit graue, quid leue, quibus corporibus insint, & quot sint hæc corpora, ac quænam accidentia ipsorum, & accidentium causæ.

CAPVT I.

Definitio grauis, & leuis simpliciter, & secundum quid.

Differentias autem essentiales, ac etiam accidentia ipsorum grauium, & leuium nunc dicamus. Primum igitur definiamus graue, & leue simpliciter, eo modo quo omnibus rectè desiniri videntur. Est igitur Graue simpli- Tex. 26.

simpliciter, quod omnibus subsidet, hoc est, quod natum est ferri, & manere sub omnibus corporibus, nempe in centro, vel medio Mundi. Leue verò simpliciter est, quod omnibus supereminet, hoc est, natum est ferri, & manere super omnia corpora, quæ mouentur motu recto, nempe in concauo orbis Lunæ. Simpliciter quidem graue, ac leue dico ad genus respiciens, idest illa sunt simpliciter grauia, quæ nata sunt omnibus subesse, cuius vis magnitudinis sint, vel naturæ, vt tota terra, & partes eius, ac omnia similiter terrea, & partes ipsorum, ita quod ad hoc vt sint grauia simplicia, sufficit vt sint eiusdem generis, vel naturæ grauitatis, ac in quibus ambo tam grauitas videlicet, quam leuitas non insint. Eodem modo dicatur de leuibus, videlicet, quod sint eiusdem generis, nec grauitatem admistam habeant, & sic ipsius ignis qualibet particula est simpliciter leuis; nam sursum est apta ferri, super omnia elementa, nisi quippiam aliud forte sit prohibens, sicut è contra, qualibet particula terræ nata est ferri deorsum, & sub omnia elementa, ac tanto qualibet ipsarum velocius nata est ferri, quanto maior erit.

Tex.27. *Alio autem modo dicitur graue, & leue secundum respectum, illa videlicet quibus vtraque insint, tam s. grauitas, quam leuitas, ideo supereminent quibusdam ratione leuitatis, quibusdã autem substant ratione grauitatis, quemadmodum aer, et aqua; simpliciter .n. neutrum horum leue est, aut graue; nam ambo sunt leuiora terra, supereminet enim terræ quæuis particula ipsorum, et sic non sunt simpliciter grauia. Sunt tamen grauiora igni, substat enim ipsorum quantumuis fuerit particula ipsi igni. Si verò inter se comparentur; alterum eorum poterit dici graue, alterum vero leue; aer enim quantuscunque sit, supereminet aquæ, aqua autem quantacunque sit aeri substat.*

CAPVT II.

Cur aliqua corpora mista sint leuiora in aliquo loco, quam alia corpora, & grauiora eodem in alio loco.

Tex.28. *QVoniam autem, & aliorum (nempe mistorum) hæc quidem habent grauitatem, hæc autem leuitatem; Manifestum est, quod horum quidem omnium causa est in ipsis compositis differentia elementorum, ex quibus ipsa mista componuntur; secundum enim quod forti a sunt elementa, hoc quidem plus, illud autem minus, erunt alia leuia, alia vero grauia. Quare de illis primis dicendum est, ipsa enim composita sequentur prima, vel simplicia, ideo simplicibus determinatis, alia facile declarabuntur. Quod quidem superius dicebamus oportere facere eos, qui graue dicunt esse ob plenum, leue vero ob vacuum, scilicet, quod prius de vacuo, & pleno determinare debebant, quam de leui, & graui, cum hæc ab illis vt (dicunt) procedunt.*

Tex.29. *Accidit itaque ex prædictis; quod non vbique eadem corpora sint grauia, vel vbique leuia, propter differentiam primorum corporum, seu elementorum; dico autem quod in aere lignum ponderis centum librarum erit grauius plumbo vnius libræ, in aqua autem leuius. Causa autem est, quia omnia grauitatem habent præter ignem, & leuitatem præter terram. Terra igitur, & quæ terram habent, necesse est, quod vbiq; plurimum grauitatis habeant, ac quo magis à loco terræ distant, aut magis grauare.... Aqua igitur vbique habebit grauitatem, præter quam in terra. Aer verò vbique præterquam in aqua, & terra.*

In sua enim regione omnia elementa grauitatem habent præter ignem, etiam aer ipse. Signum autem est, quia plus trahit, vel ponderat vter inflatus, quam vacuus, quod non aliunde prouenit, nisi à grauitate aeris intus inclusi. Tex.30. *Quare si aliquid plus habeat aeris, quam terra, & aqua, in aqua quidem contingit leuius esse, nam supereminet grauiori, scilicet aquæ, & terræ, ratione abundantiæ aeris; in aere verò erit grauius, nam si mistum est vt supponitur, habebit etiam qualitates aliorum elementorum, & secundum istas, maximè quæ est terræ deorsum trahetur, & sic in aere erit grauius; aeri enim non supereminet, aquæ vero supereminet, & ideo lignum in quo est prædominium aeris, natat super aquam, in aere vero grauitat, ac descendit.*

CAPVT III.

Declaratur planius quænam sint corpora simpliciter grauia, & leuia.

QVod autem est aliquid simpliciter graue, & aliquid simpliciter leue, ex his, quæ diximus manifestum est. Tex.31. *Nunc autem exactius examinemus, quænam sint ea corpora, quæ simpliciter grauia, vel simpliciter leuia sunt, incipiendo à definitione. Dico igitur simpliciter leue id esse, quod semper sursum natum est ferri, vsque scilicet ad concauum orbis Lunæ, incipiendo à medio, vel à quocunque alio loco. Graue autem simpliciter est id quod semper deorsum natum est ferri vsque ad centrum, dummodo non sit prohibitum, quod similiter de leui intelligendum est. Aliqua igitur sunt corpora simpliciter grauia, alia vero simpliciter leuia (prætermissis iis, quæ vtroque participant, de quibus satis dictum est,) & non est verum, quemadmodum putant quidem, quod omnia grauitatem habeant.*

Quod vero sint aliqua corpora simpliciter grauia, alia vero leuia probatur. Tex.32. *De graui igitur, etiam à quibusdam alijs conceditur, videlicet id esse, quod semper fertur ad medium, quod etiam inferius melius probabimus. Nunc de leue dicamus, est igitur similiter dicendum de leui; videmus enim, quemadmodum dictum est prius, quod terrea omnibus substant, & feruntur ad medium; ita quod medium ipsum sit determinatum, aliter ferrentur in infinitum, nec suum vnquam finem haberent, quod naturæ repugnat. Si igitur determinatum est medium, & corpora quæ in ipsum feruntur, nempe terrea; pariter debet esse determinatum extremum, & corpora quæ feruntur ad ipsum; nam medium, dicitur correlatiuè ad extremum, ergo determinato vno, & aliud erit determinatum. Nunc quodnam corpus ad extremum sit aptum moueri videamus. Si igitur est aliquod quod omnibus supereminet (hoc namque propter ordinem Vniuersi dari debet) quemadmodum videtur, ac similiter videtur, quod ignis positus in aere adhuc sursum feratur, aer autem quiescat sub ipso, nec amplius sursum ascendat, patet, quod ipse ignis fertur ad extremum ipsum. Quare non est possibile, quod ipse grauitatem vllam habeat, non enim supereminere omnibus, sed aliquibus substaret. Si autem hoc esset, quod scilicet substaret alteris; daretur utique aliud corpus, quod ad extremum ferretur, quod etiam supereminere omnibus, quæ motu*

motu recto mouentur, nunc autem nullum videtur esse tale. Ignis igitur nullam habet grauitatem, neque terra leuitatem vllam, cum omnibus substet, & quod substat fertur ad medium, ac per consequens grauissimum est, & sic terra est simpliciter graue, ignis simpliciter leue.

Tex.33. *At vero quod sit aliquod medium, ad quod fiat motus ab habentibus grauitatem, & à quo leuia recedant, manifestum est ex multis. Primum quidem, quia nihil contingit ferri infinitum, quemadmodum enim non est vllum impossibile, sic quod est tale, fieri non potest. Motus autem localis est aliunde aliquo generatio, idest acquisitio loci de termino ad terminum, habere autem terminos infinitati contradicit, ergo motus localis non est infinitus, nec in infinitum fieri potest, igitur cum grauia moueantur deorsum, vel ad medium, necessariò medium ipsum erit determinatum, cum sit terminus grauium. Deinde ad similes angulos videtur ferri tam ignis sursum, quam terra deorsum, et omnia quæ grauitatem habent, hoc autem & experientia comperitur, & ratione patet, quia sic citius descendunt, & ascendunt; cùm autem lineæ, quæ ad angulos tendunt nō possint in infinitum protrahi, quia tandem concurrunt, sequitur, quod medium non distat in infinitum, sed determinatum est, quo necesse est grauia ferri. Hoc autem vtrum accidat ad ipsum medium terræ, videlicet quod ferantur ad ipsum centrum, prout est centrum terræ, an prout est medium Vniuersi, alius sermo est, ac resolutus fuit in secundo de Cælo tex.99.*

CAPVT IV.

Determinatur de numero corporum grauium, & leuium tam simpliciter, quam in respectu.

Tex.34. *Quoniam autem id quod omnibus substat fertur ad medium, necesse est, id quod omnibus supereminet ferri ad extremum regionis, ad quas diuersas regiones diuersos, ac contrarios motus faciunt: contrarium est enim medium extremo, & sic corpus quod substat nempe terra, contraria est ei corpori, quod supereminet, scilicet igni. Quapropter rationabiliter duo sunt corpora, vnum simpliciter graue, alterum simpliciter leue, etenim loca correspondentia duo sunt, scilicet medium, & extremum. At inter hæc extrema quippiam aliud mediat, quod ad vtrunque extremorum comparatum sortitur nomen alterius extremi, est enim vt extremum, & medium amborum hoc quod intermedium est, ob hoc dicitur graue & leue, ad diuersa comparatum, vt dictum est; hæc autem intermedia corpora sunt aer, & aqua, quare aqua comparata ad extremum vnum, scilicet ad terram, dicitur leuis, & sic sortitur nomen alterius extremæ proprietatis, videlicet leuitatis, quæ est ignis. Cōparata vero ad ignem dicitur grauis, quod est proprium terræ.*

Tex.35. *Sic igitur elementa se habent, alia vt continentia, alia vt contenta, quæ etiam in hoc differunt, quod id quidem quod continet formæ assimilatur, quod autem continetur materiæ; est autem in omnibus generibus hæc differentia; etenim in qualitate & quantitate, & hoc quidem, vt forma magis, hoc autem vt materia, & in iis quæ secundum locum similiter; sursum enim veluti forma, ac determinans est; deorsum vero vt materia & indeterminata, quod intelligendum est ratione maioris, vel minoris perfectionis, ita quod perfectius in quolibet genere formæ assimiletur, imperfectius materiæ. Quare in ipsa materia grauis, & leuis idem accommodari potest, videlicet, quod interdum sit in actu, interdum in potentia, vnde quatenus quidem tale est potentia (idest quatenus aliquid est in potentia vt fiat leue) tunc actualiter est materia grauis, quatenus vero est in potentia vt fiat graue, est aliud actualiter leuis, ita vt eadem sit materia vtriusque, licet differat secundum varium existendi modum, prout videlicet existit modo sub forma grauis, modo sub forma leuis, quemadmodum ægrotabile, & sanabile idem est subiecto, etsi diuersa ratione differat, nam alia est vt tendat ad sanitatem, alia ad ægritudinem.*

Quod igitur talem habet materiam cum tali forma leuitatis, leue est, & semper sursum tendit; dum extra proprium locum existit, ac non impeditur; quod vero contrariam habet materiam informatam contraria forma, scilicet grauitatis graue est, & deorsum mouetur, quæ autem diuersas formas, ac materias habent ab iis vtrisque, ac se se adinuicem ita se habent, sicut prædicta (hoc est quod vnum possit dici graue in comparatione ad aliud, & aliud leue in comparatione illius) hæc (inquam) sursum, & deorsum feruntur, respectu diuersorum, ac sunt grauia, & leuia in respectu, & ista sunt elementa intermedia, vt aer, & aqua: Quapropter, & aer, & aqua habent & leuitatem & grauitatem vtraque, & aqua quidem præterquam terræ omnibus substat, aer vero præterquam igni omnibus supereminet, & sic aqua respectu terræ est leuis, respectu aeris, grauis. Aer vero, respectu aquæ est leuis, respectu ignis, grauis, & sic leuitatem, & grauitatem habere dicuntur. Tex.36.

Quoniam autem est vnum solum, quod omnibus supereminet, & vnum solum quod omnibus substat; necesse est duo alia esse, quæ & substent alicui, & alicui supereminēat, nam eminere omnibus supponit aliqua etiam eminere, & si non omnibus; & similiter omnibus substare, alia quoque substare supponit, etsi non omnibus. Quatuor igitur sunt elementa, duo extrema, duo vero intermedia. Quare necesse est & materia tot esse quot sunt ista, videlicet quatuor; loquendo nimirum de materia disposita, vel de materia in ordine ad mista, quæ quidem materia sunt ipsamet elementa, ita vt possimus dicere tot sunt materiæ mistorum, quot elementa; quæ quidem elementa non sunt materia prima, imò corpora composita formata, sed quia ex illis fit mistum, ideo in comparatione ad illud, materia dicuntur, sunt igitur sic quatuor materiæ respectu misti, vt vna quidem sit etiam illorum communis materia, præsertim si ex se inuicem fiant, omnium enim quæ ad inuicem generantur, & corrumpuntur, debet esse vna communis materia, quamuis essentia ipsorum sit ab ipsa materia, & ab eorummet generatione diuersa. Tex. 37

Si quis autem contra prædicta instet, dicendo, non esse conueniens, quod inter duo extrema sint plura media elementa, quia tunc vni essent plura contraria, cum vnumquodque elementorum habeat contrarietatem cum altero, hoc autem est absurdum. Respondetur, quod nihil prohibet, vt inter contraria sit vnum, vel plura media, quia hæc non habent rationem strictæ, & veræ contrarietatis, nisi prout ad extrema appropinquant, vnde quemadmodum in coloribus euenit, quod inter duos extremos, multi medij esse possint, vt inter album, & nigrum, est fuscum, rubeum, viride; ita etiam inter contraria elementa, nam inter & medium pluribus modis dici possunt; quomodocunque etenim fiat recessio ab extremo, ad medium fit Tex.38.

appro-

approximatio, sed recessio fit multis modis, sicut rectitudo vno tantum, nec sequitur quod vni sint plura contraria, nam (vt dictum est) media non dicuntur contraria nisi per participationem extremorum, quapropter ad illa reducenda sunt, & sic non faciunt plura contraria, vel contrarietates.

test ferri deorsum. Alia vero duo prædicta, quæ dicuntur grauia, vel leuia ad aliud, ideo in alienam regionem ferri possunt, ac in suam, & sic dicuntur leuia respectu eorum quibus supereminent, grauia respectu eorum quibus substant, propter materiæ similitudinem, hoc est prout assimilantur graui, vel leui simpliciter.

CAPVT V.

Omniá elementa in suis locis habent grauitatem præter ignem.

Tex. 39. IN sua igitur regione vnumquodq; eorum elementorum quæ grauitatem, ac leuitatem simul respectu diuersorum (vt sæpè dictum est) habere dicuntur, habent grauitatem, terra autem in omnibus habet grauitatem, leuitatem autem non habet, nisi in ijs quibus supereminet, quæ cum nulla hæc sint, nullam habet leuitatem. Quapropter vbicunque sit extra medium detenta, si subtrahatur id quod ipsam detinet fertur in eum locum qui deinceps, seu deorsum est. Quod autem aer, & aqua habeant grauitatem, probatur; nam si aqua subtrahatur ab aere, ipse aer statim in regione aquæ, ac deorsum fertur, aqua autem fertur in regionem terræ, similiter si terra auferatur; ferri autem in tales regiones est ferri deorsum, hoc autem est proprium grauium. At si quis dicat, id fieri, ne detur vacuum. Verum dicitur, sed ipsa natura, quæ vacuum auferre intendit, operatur secundum conditiones, ac proprietates naturalium corporum, non violenter nec contra inclinationem rerum naturalium, facit namque de possibilibus quod melius, ac (addam) suauius, vel secundum inclinationem vniuscuiusque est, habet igitur aer grauitatem in suo loco, & magis quam leuitatem, quare ablato igni qui sursum est, aer illuc non moueretur quatenus ex se, nisi violenter, vel ad euitandum vacuum, tunc namque substaret virtuti superiori, & vniuersali, quæ eum traheret vt potest, non secundum eius naturam cum sit magis grauis, quam leuis, vnde magis naturaliter tendit deorsum; trahitur violenter aqua, cum superficies fuerit vna, vel coniuncta cum alio corpore quod trahitur, ac velocius quis traxerit sursum corpus cum aqua coniunctum, quam fuerit velox motus ipsius aquæ deorsum, vt patet dum aliquis attrahit aer per fistulam, cuius os aquam pertingit, statim etenim, ac simul sursum trahitur aqua, violenter igitur trahitur aqua sursum, ita quod naturaliter nunquam veniet ad regionem aeris, nisi vti nunc dictum est, violenter. Terra autem hoc autem facilè non patitur, quod scilicet violenter sursum trahi possit sicut aqua, quia superficies eius non potest sic vniri cum aere, vel alio quod secum trahi possit. Quapropter aquam quidem in vase ignita trahimus sursum, non autem terram. Quemadmodum igitur neque terra sursum fertur, sic neque ignis fertur deorsum, etiam si aer subtraheretur, nullam enim habet grauitatem in sua regione, ideo descendere nequit, quemadmodum terra non habet leuitatem, ideo non potest ascendere. Feruntur autem naturaliter deorsum duo elementa, subtractis ijs, quæ sub ipsis sunt, hæc autem, quæ sic feruntur sunt aer, & aqua, quia participant leuitate quâ supereminent, & grauitate, quâ nata sunt substare, aliorum autem duo, quoniam hoc est simpliciter graue (nẽpè terra, quæ omnibus substat) non potest ferri sursum. Aliud vero, quia est simpliciter leue (nempe ignis) non po-

CAPVT VI.

Determinatur, quatuor esse diuersas elementorum differentias, non autem vnam, vel duas tantum, vt Antiqui dicebant.

QVod autem sit necessarium facere æquales numero differentias ipsis elementis, manifestum est. Si enim vna est materia omnium, per quam (secundum Antiquos) constituuntur in esse grauis, & leuis, quæ quidem materia sit, vel vacuum, vel plenum, aut magnitudo, aut trianguli, aut omnia sursum, aut omnia deorsum ferrentur, altera autem latio non amplius erit, si enim omnia sursum ferrentur, non esset latio deorsum, si omnia deorsum è contra, quare si omnia magis inclinantur, seu deorsum tendunt; nullum erit leue simpliciter, sed omnia grauia, quia sunt ex talibus maioribus, vel plenis corporibus, vt dicunt, aut ex pluribus, hæc autem plena, & grauia siue ex maioribus, vel pluribus, siue ex minoribus, vel paucioribus constent, semper deorsum feruntur, licet velocius, vel tardius, secundum maiorem, vel minorem grauitatem; quare ex vna materia omnia asserere quod constent, & si de ipsa participent secundum magis, vel minus est omnia grauia, vel omnia leuia facere, licet magis, vel minus; quare omnia ascenderent, vel omnia descenderent, hoc autem quod sit falsum, & videmus, & ostensum est, quod similiter, & semper, & vbique, aliqua feruntur deorsum, aliqua sursum. Si vero vacuum sit causa vt elementa sursum, & deorsum moueantur (sic videlicet, quod vbi est magis vacui illud sit leuius, vbi minus sit grauius) oportebit assignare aliam causam, vt alia moueantur deorsum, quare insufficienter vnam assignant materiam. Præterea. Quædam elementa intermedia, quæ sunt leuiora quam terra, sicut est aqua & aer, possent citius ferri deorsum quam ipsa terra, nam in multo aere plures trianguli, aut solida, aut corpora indiuisibilia esse possent, & minus vacui, quam in parua terra, ergo cum minus vacui sit causa, vt deorsum feratur, vel plus pleni, parum aeris citius deorsum ferretur, hoc autem est falsum, quia nulla particula aeris deorsum ferri videtur. Similiter autem est dicendum de leui, si ipsum fecerit super abũdare in materia; videlicet, quod multa terra erit leuior pauco aere, quia in ipsa plus vacui reperiri posset, vt dicunt, quare non vna materia, vel causa est omnibus assignanda, quia siue hæc sit vacuum, siue plenum, siue trianguli, siue corpuscula indiuisibilia, multa sequuntur absurda. Tex. 40.

Tex. 41. Si autem duæ assignentur materiæ, vel causæ, altera scilicet graui, altera leui, adhuc est insufficiens assignatio. Quomodò elementa intermedia scilicet aer, & aqua different ab extremis? veluti si quis dixerit, has materias esse vacuum, & plenum, vt aliqui dicunt, ignem esse vacuum, vel multum vacui habere, ideo moueri sursum, & esse leuem; terram vero plenum, quapropter moueri deorsum,

aerem

aerem autem plus ignis habere , aquam vero plus terræ ; quare oportebit quandam multitudinem aeris velocius ferri deorsum, quam paucam aquæ,quia in ipsa aeris multitudine plus pleni poterit esse , hoc autem nullo modo vnquam videtur . Necesse est igitur , quod quemadmodum ignis sursum fertur,quia hoc habet, puta vacuum,vel quia est talis natura, vt aptus sit sursum ferri , alia autem non, quia sunt diuersæ naturæ ab ipso , & sic terra fertur deorsum,quia alia est natura eius, vel (vt dicunt,& nos adducamus causa exempli) quia plus pleni habet , similiter quod aer ex sua ipsius natura superius quam aqua feratur, quia quippiam habet , hoc est suam talem naturam , aqua vero deorsum , quia talem . Non igitur differunt elementa per habere plus vacui, vel pleni,nec omnia habent eandem materiam , quia sequerentur absurda prædicta , sed vnumquodque ab alio per suam peculiarem differentiam , ac propensionem differt; quare quantuscumque sit ignis in superum fertur locum , terra vero deorsum, alia autem intermedia , vt aer , & aqua similiter ad propria feruntur loca, remoto quocunque impedimento , vel quauis alia ratione , vel occasione vt vacui , &c. Si autem sint duo, aut vnum pro materia amborum , scilicet ignis, & terræ, quæ sint vacuum , & plenum , alia vero sint magis leuia , vel grauia, aut minus, prout magis,vel minus participant tali materia, ita quod ipsa materia, scilicet vacuum,& plenum insit vtrique (tam scilicet aquæ quam aeri) erit aliqua multitudo vtriusq; quæ inuicem se excedent , ita quod multa aqua excedet aeris paucum in motu sursum ; prout in ipsa multum vacui contineri poterit , & aer multas paucam aquam in motu deorsum , ratione eadem , quia in multo aere plus pleni inerit quam in pauca aqua, quemadmodum sæpè dictum est , hæc autem sunt absurda, & contra sensibilem experientiam .

CAPVT VII.

Figuræ non sunt causa motus , sed ipsum coadiuuant .

Tex.42. Figuræ autem non sunt simpliciter causa , vt grauia, & leuia ferantur deorsum , & sursum , sed quod ferantur velocius , vel tardius , & sic motum non efficiunt , sed coadiuuant . Propter quam autem causam ipsæ motum coadiuuant, non est difficile videre . Quod per modum dubitationis proponemus , ac soluemus . Dubitatur enim nunc , cur ferrum latum , ac similiter plumbum , & multa alia grauia natant super aquam ; alia autem minora , & minus grauia , alterius tamen figuræ , vt rotundæ , aut longæ , sicut sunt acus, & multa alia , deorsum ferantur ? & cur aliqua propter paruitatem natant in aere, quamuis sint grauia vt arena auri,& alia terrea, & puluerulenta ? De omnibus ijs igitur putare causam esse eam,quam Democritus assignat, non rectè se habet . Dicit ergo Democritus, quod corpora grauia natant super aquam, si lata sint, quia vapores calidi exeuntes ex aquâ, qui sursum feruntur, pellunt ea grauia , quæ lata sunt sursum , ac ipsa retinent super aquam . Stricta vero decidunt, quia propter paucitatem partium non possunt sic opponi ipsis vaporibus, & per consequens neque ab ipsis sustentari supra possunt , sed penetrant tales vapores, ac demerguntur .

At ista ratio nihil valet , nam eadem ratione , eadem Tex.43.
natarent in aere , cum plures exhalationes ab ipso trahuntur quam ab aqua ; quam instantiam ipsemet Democritus sibimet ipsi fecit ; sed leuiter (seu debili fundamento) soluit . Ait enim , motum eorum corporum , quæ sursum feruntur ex aere (quem motum appellat σῦν) non habere impetum, sicut eorum , quæ extrahuntur ab aqua, sed expanduntur , & sparguntur propter tenuitatem , vel subtilitatem aeris, vnde prædicta corpora retinere non possunt , quæ ratio nihil valet , nam vapores ex aere attracti sunt validi , ac magni , vt ij qui ex aqua fiunt .

Respondemus igitur nos, quod . Quoniam continuorum Tex.44
corporum , hæc quidem facilè diuisibilia sunt , hæc autem minus , & diuisiua etiam eodem modo se habent, alia autem magis , alia minus diuisiua sunt , putandum est igitur has esse causas, vt aliqua natent super aliqua corpora, aliqua vero non . Facile igitur diuisibile est , quod bene terminabile existit alieno termino, & magis, quod magis, sicut sunt aqua, & aer, quæ ab alieno termino, vt vase, vel alio facilè terminantur .

Aer autem magis quam aqua talis est , aqua autem Tex.45.
quam terra , & in eodem genere , quanto aliquod corpus fuerit minus , magis facilè diuisibile erit , & distrahitur facilius , vt parua aqua facilius diuiditur quam multa . Applicemus igitur diuisiua , & diuisibilia simul , & habebimus resolutionem dubitationis . Quæ igitur habent latitudinem,sunt minus diuisiua,& eo quod multum comprehendunt sub se corpus , supra manent , propterea quod non facilè distrahitur , nec diuiditur , quod maius est corpus . Quæ vero contrario modo se habent in figuris , quia pauca comprehendunt , feruntur deorsum , propterea quod diuidunt facilius, & in aere multo magis id eueniet,quam in aqua , quanto facilius diuisibilis est , quam aqua . Quoniam autem, & grauitas habet quandam virtutem expellendi , & distrahendi corpus quod deorsum est , ideo oportet etiam grauia ad se inuicem comparare, etiam si cætera sint paria . Si enim virtus grauitatis excedat eam resistentiam , quæ est in continuo diuisibile, & distrahibile , quod deorsum est, per vim fertur velocius deorsum , si autem sit grauitas debilior, etiam si sit eadem figura, & super idem corpus supernatabit . Possunt igitur hæc omnia reduci in hunc modum . Si idem sit corpus, per quod alia feruntur, ipsa vero sint eiusdem grauitatis , & figuræ , eodem modo ferentur ; si sint alterius figuræ, vel grauitatis, non eodem modo , nam figura lata natabit , non autem longa , vel rotunda ; si sint eiusdem figuræ , ac differant grauitate, grauius descendet , non autem minus graue . Si vero sint diuersa corpora , per quæ mouentur , natabit super corpus minus diuisibile , vt lignum super aquam , & non super aerem . De graui igitur & leui , & ijs quæ circa hæc accidunt , determinatum sit nobis hoc modo .

Finis Paraphrasis Quarti Libri de Cælo.

ANTO-

ANTONII ROCCI
de Scurcula Marsorum.

IN QVARTVM LIBRVM ARISTOTELIS de Cœlo Quæstiones.

QVÆSTIO PRIMA.

Dicitur itaque hoc quidem simpliciter Graue, & Leue, illud vero ad alterum. Tex. 3.

An quatuor elementorum vnum sit summè leue, aliud summè graue, duo verò medio modo se habeant.



Rguitur primo quod ignis non sit summè leuis sic. Quod circa medium, vel centrum tendit, summam leuitatem non habet; ignis autem sic se habet, ergo. Probatur minor, quoniam dum aerem corripit, vel in summaturam vertit, ad locum ipsius accedit, hoc autem est centro appropinquare.

Secundo. Quamplurima corpora sunt grauiora quam terra, vt patet de auro, plumbo, &c. ergo ipsa non est summe grauis.

Tertiò. Experientia compertum est, aliquos lapides, nec non insulas quasdam in mari Hibernico, & Ægeo super aquas innatare, ergo terra est leuior aqua, & sic non summe grauis.

Quartò. Si terra perfundatur aqua est grauior se ipsa, quomodocunque constricta, ergo maiorem hanc grauitatem ab aqua recipit, & sic aqua est grauior, nam aliter hanc grauitatem ei non impartiretur.

Quintò. Cadaucra submersa post quam aliquo tempore sub aquis fuerunt, supernatant, & tamen sunt terrea, ergo, terra non est grauissima.

Sextò. Simplicium corporum simplices sunt qualitates, at elementa omnia sunt corpora simplicia, ergo grauitas, & leuitas, quæ sunt ipsorum qualitates, debent esse simplices, & hoc modo non erit verum, quod duo elementa participent grauitate, & leuitate, seu sint grauia, & leuia in respectu.

Simplex duplicter. Pro solutione sciendum est, quod aliquid dicitur simplex dupliciter, vno modo quod summam illius naturæ perfectionem attigerit, secundo, quod nullo alio opposito, vel diuerso gradu sit admistum, vt simplex calor primo modo diceretur, qui omnes possibiles gradus caloris haberet. Alio vero modo, si nihil haberet frigiditatis, & hi modi sic inter se differunt, quod posterior mistus quandoque vocatur, vt statim dicemus; dicitur itaque

Mistum duplicter. mistum etiam dupliciter; primo modo si realiter extrema simplicia componentia contineat, vt dum sapor aliquis ex dulci, & amaro (quod sæpe accidit in medicinis) conflectur; & hoc vocatur mistum per participationem, quatenus videlicet extrema realiter in ipso apponuntur; etsi fortè non remaneant, sed in tertiam illam qualitatem vertantur. Aliud autem mistum vocatur per negationem, prout nimirum neutrum extremum includit, sed medio modo inter ipsa constituitur, quo pacto se habet color viridis, vel rubeus aut alij in comparatione ad nigrum, & album. Hæc autem doctrina quibuslibet qualitatibus forsitan aptari potest, sed ad propositum de grauitate, & leuitate dicamus, quod graue, & leue simpliciter dici possunt, quod omnes gradus possibiles leuitatis, & grauitatis habeant: vel quod nullam habeant oppositam qualitatem admistam. Pariter graue, & leue in respectu, vel per participationem extremorum, vel per negationem vtrorumque dicantur. Quibus declaratis, tres conclusiones ponuntur.

Conclusiones.

IGnis est simpliciter leuis vtroque modo, probatur, nam in sua naturali dispositione existens simplicem sibi conuenientem, ac summam qualitatem expostulat; hæc autem est leuitas, quę additionem recipere nequeat. Amplius, illud est maximè tale propter quod alijs inest vniuocatio ex 2. Metaph. sed alia corpora sunt leuia propter participationem ignis, ergo. Quod vero nullam habeat grauitatem admistam, ex præcedentibus patet; quod enim summum est, contrarij admistionem non patitur; sic autem (vt diximus) se habet ignis, quare, &c. dummodo sit in sua naturali dispositione, vt dictum est. *Prima.*

Secunda. Terra in sua naturali dispositione existens est similiter vtroque modo grauis simpliciter; probatur, nam grauitas simpliciter ex effectu sumi probabiliter potest; hic autem est omnibus, quæ rectò cientur motu substare; terra autem sic se habet; quod autem etiam sine admistione leuitatis sit simpliciter grauis, probatur; nam si leuitatem admistā haberet; tanta terræ quantitas sumi posset, vt leuitatem magnam contineret, & tardius ad centrum ferretur, quam minor; quod quidem est absurdum, & contra manifestissimas experientias; hæ autem rationes possunt de igne quoque effici, puta applicando ad leuitatem, & contrario modo.

Tertia. Aqua, & aer sunt grauia, & leuia in respectu, sic nimirum, quod aliquid participent de grauitate, aliquid vero de leuitate, probatur: nam quę nec ad centrum simpliciter descenditur, nec ad extremum scandunt, non sunt simpliciter grauia, nec leuia; hęc autem sic se habet,

nam

nam locus naturalis aquæ est super terram, aëris sub igne: ergo. Sed dubium est an hæc medietas sit per participationem, vel per abnegationem extremorum. Respondetur quod in aqua, & aere puro (si darentur) esset solum per abnegationem extremorum; quia non videtur simplicium naturæ consentaneum, quod qualitates ipsorum alienis permisceantur, accidentia namque suorum subiectorum naturam sequuntur, quare si subiecta sint simplicia, & accidentia erunt, si vero non considerentur secundum naturalem puritatem, sic per participationem extremorum media vocanda sunt, quod probatur, nam aqua multis terrestreitatibus, vnde ei salsedo, & densitas (præter alia) accidunt, conspersa est; aer autem multis aqueis vaporibus abundat; quare consequens est, vt sibi natiuam auferant puritatem. Sed si quæratur, cur ergo aqua grauitate terræ ad centrum, aer pariter grauitate aquæ ad locum aquæ non pergunt? Respondetur, non sic ab illis extraneis qualitatibus superari, vt penitus succumbant, vel ipsorum natiua vis superetur. Sed numquid ab igne aer in maiorem leuitatem verti posset, sicut ignis ab ipso aere in minorem. Respondetur affirmatiuè, maximè quando de proximo sunt alter in alterum per generationem transmutabiles.

Ad Argumenta.

AD primum negatur minor. Ad probationem dicitur, ignem sua maxima actiuitate aerem vt plurimum superare; & in ipsius naturam conuertere, quamobrem non propriè descendit, sed generatur. Verum aliquo impulsu, vel cælesti, vel nubium (vt accidit in fulgoribus, & fulminibus) descendere potest ignis, sed sicut hic non est motus ipsius naturalis, sic nihil ad propositum de grauitate concludit.

Ad secundum dicitur, quod si terra in sua dispositione naturali existat, est omnibus corporibus grauior, quare si prædicta corpora sint grauiora terra, quæ apud nos existit, mirum non est, cum hæc purissima non sit, sed à vicinis sibi contiguis elementis alienis dispositionibus affecta.

Insulæ natantes super aquas cur. Ad tertium, aliqui potius difficultatem nitentes euadere, quam solutionem argumenti inuenire, dicunt has esse poeticas fabulas. At hi quidem historias verissimas, vel potius geographicas certissimas scientias, quæ hæc asserunt, non cognoscunt. Dicamus itaq; nullum esse inconueniens, quasdam insulas super aquas natare, quod inde accidere potest, quia ingentibus concauitatibus aere plenis abundant; hic autem dum supra aquas esse contendit; quasi manu violenter insulas ne demergantur sustinet; quod in multis vasibus sic plenis facilè est conspicere. Addendum est etiam, quod cum sint spongiosæ, vel laxæ minus habent grauitatis, ac etiam, quia propter latitudinem fundi, non faciliter aquam diuidunt, vt docet Philosophus in 4. Phys. & alibi. De lapidibus illis dicendum est; in eis esse magnum prædominium aeris, quantitas quo ad structuram, vel integrantium partium constitutionē terra præcipuè reperiatur; non enim sola moles est sufficiens, sic namq; ligna super aquam non natarent. Lapides natantes.

Ad quartum dicitur, aquam cum sit subtilior, terram facilius subintrare, quare quasi insensibiliter, vel sine augmento molis ei grauitatem tribuit, quod terræ ob crassitiem minimè conuenit.

Ad quintum dicitur; cadauera ipsa post aliquod tempus in resolutionem elementorum tendere, & quia partes internæ, vel viscera, maximè sunt aereæ, & igneæ quamobrem in hac resoluta, vel in corpus his magis participans, vt est vapor, vel exhalatio, atque cum intra ipsum cadauer adhuc includatur, vt proprium locum petat sursum quasi vehendo ipsum fert; eo quidem modo, quo alia vasa aere plena super aquas feruntur, antequam autem sic resolutum esset, non aderat hæc virtus.

Ad sextum dicitur; quod si elementa in sua naturali simplicitate consisterent, verum concluderet argumentum; sed oppositum supponimus, quod tamen in secundo de generatione, & corruptione probabitur.

QVÆSTIO II.

Quærere vero propter quid fertur ignis sursum, & terra deorsum &c. Tex. 24.

An grauitas, & leuitas sint formæ corporum grauium, & leuium.

QVæstionem hanc examinare proposui propter aliquos, qui nimis inconsultò affirmatiuam partem defendunt; quorum præcipua argumenta sunt hæc duo. Primum id est forma essentialis alicuius qua posita ipsum ponitur, & remota, remouetur; grauitas autem, & leuitas sic se habent, ergo. Probatur minor, nam remota summa leuitate ab igne, descenderet, at descensus est contra naturam eius, vnde consequens fit quod ipsius natura mutata sit, pariter posita in terra summa leuitate, ascenderet, & sic etiam suam naturam mutaret. 1. Arg. Secundum, natura est principium motus, at leuitas, & grauitas sunt principium motus leuium, & grauium corporum, ergo sunt ipsorum natura, maior est manifesta: probatur minor, nam posita grauitate in aliquo corpore nisi sit impeditum statim descendit; & pariter data leuitate in aliquo, ascendit, ergo. Oppositum tamen secundum philosophicam veritatem statuendum est, dicimus ergo, has esse qualitates, quæ ex primis quatuor sequuntur; quod autem sint qualitates notum est per doctrinam Arist. in 2. de gener. & corrupt. tex. 8. quod autem ex primis procedant, probatur; nam calidi est rarefacere, frigidi condensari, sed ad rarefactionem sequitur leuitas, ad condensationem grauitas, vt passim in Physicis Arist. docet. Quod tandem non sint substantia, vel forma essentialis (quod idem nunc sit) probatur; quia substantia non suscipit magis nec minus, grauitas vero, & leuitas suscipiunt. Amplius. Forma essentialis præcedit id cuius est forma, leuitas vero, & grauitas sequuntur, ergo. Probatur minor, nam omnis aptitudo sequitur naturam, ac in ipsa fundatur, sed grauitas est aptitudo ad motum deorsum, leuitas ad motum sursum, ergo. Nunc argumenta aliter opinantium soluamus. Secundum. Ad primum dicitur, maiorem non esse vniuersaliter veram; nam etiam de immediatis, & sufficientibus dispositionibus, quæ non sunt formæ essentiales naturaliter verificatur; posito namque summo calore, ponitur ignis, & remoto remouetur; sic ergo de istis dicendum est, videlicet, quod sunt quædam accidentia, quæ rei naturam concomitantur, vnde mirum non est si simul cum ipsa ponatur, & auferantur, præcipuè si de totali positione, & ablatione (vt loqui fas est) loquamur. Ad 1. arg. Ad secundum dicitur, quod natura est principium motus passiuum; grauitas vero, & leuitas sunt principia actiua, & instrumentaria, principale namque est forma, vt alibi dictum est. Ad secundum.

QVÆSTIO III.

In sua enim regione omnia grauitatem habent præter ignem, &c. Tex. 30.

An elementa in suis locis grauitatem, vel leuitatem habeant.

QVam plurimi modernorum philosophantium, contra Aristotelicam determinationem negatiuam susti-

sustinent partem, sed ante determinatam conclusionem, communem præmittunt distinctionem de grauitate, & leuitate, videlicet, quod vno modo accipiuntur pro qualitatibus actiuis in corporibus existentibus (actiuis inquam in ordine ad motum, nam in comparatione ad generationem, & corruptionem, nec actiua, nec passiua ab Arist. in 2. de generatione, & corruptione tex. 8. dicuntur) & hoc pacto nulla est dubitandi occasio; consentaneum etenim est, quod corpora ipsa cum omnibus conuenientibus accidentibus vbique reperiantur; vel dicendum esset, quod per simplicem motum localem, hęc accidentia acquirerent, quod est magis absurdum, & non intelligibile; quis namque capere potest, quod si terra, vel aliqua eius pars è proprio loco trahatur, statim grauitatem accipiat? quibus namque dispositionibus, aut quo alio modo? Secundo modo accipitur pro illa grauitatione, vel actuali compressione ad centrum si sit corpus graue, vel ad extremum si sit leue, aut denique ad determinatum locum sibi conuenientem, & hoc modo est difficultas; quam maiorem his duobus argumentis efficere conantur. Primum. Corpora naturalia ideo ad sua loca naturaliter feruntur, vt ibi quiescant, & tranquillitate potiantur; ergo non debent partes se pellere, aut grauitate, vel leuitate, sic etenim non vere quiescerent, nec in proprio loco existerent. Secundum, quia si aer grauitaret, nostra capita magnopere degrauaret, & natantes sub aquis pondus magnum suprastantis aquæ sentirent, quorum vtrumque oppositum experientia comperitur. At his argumentis non obstantibus oppositum cum Arist. sentiendum statuo, pro cuius tamen maiori intelligentia duo sunt breuiter annotanda; alterum est, quod quæ ex sua natura sunt grauiora, & extra proprium locum, si super leuiora existant ipsa leuiora grauitantur, aliter vero nequaquam; & diximus, quæ ex sua natura sunt grauiora, quia non debet attendi simpliciter pondus, sed natura, vel temperies tantum; quo pacto, quia aliqua ligna sunt magis aerea quam terrea, super aquam innatant, quod non accidit de paruo plumbo, vel alijs terreis, quamuis actualiter plus ponderis habeant. Secundo notandum, quod partes corporum similarium sunt eiusdem rationis cum toto, quamobrem easdem habent dispositiones, & motus, ac ad eundem locum numero inclinationem. Quibus habitis ponitur conclusio. Elementa grauia in suis locis grauitatem habent, leuia leuitatem. Probatur, nam partes omnes eundem locum petunt quem totum, cum autem simul idem ab omnibus occupari nequeat, quæ magis distant alias comprimunt, quod ad possunt, & hoc est grauitatem habere; quod etiam experientia confirmatur; quia si quis cumulum terræ efficiat, illinc ad paucum tempus compressum, & paruum respiciet, quod non aliunde prouenit nisi quia partes superius existentes, ac deorsum tendentes alias comprimunt, & grauitāt; si ergo hoc est verum de partibus terræ, cur non etiam de tota? Amplius, si quis aliquod animal in fouea aliqua ponat, & terra cooperiat, sentiet profectò grauitatem, ergo terra grauitat, ergo eodem modo dicendum est de alijs elementis, quia minus de terra videtur, cum propius ad suum locum accedat, & ibi quiescat. Item; misceatur aqua salsa cum dulci, illa ad imum descendit, vt experientia in puteis ipsemet sum expertus; quare cum aqua salsa sit grauior maiori impetu quo potuit imum petiuit locum; cum vero omnes partes sint grauitate præditæ etiam locum sibi conuenientem grauitando petent, quamuis ob alias resistentes ipsum consequi fortè nequeant. Præterea, nisi grauitarent, nulla ratio esset, quod aqua, & terra in circulum se complicarent; hoc namque non aliunde prouenit, nisi quia altera pars alteram pellit, & per lineam breuissimam æqualiter descendere appetunt, quod est in sphæram se accomodare; quam tamen rationem, & qui oppositum contra Aristot. sentiunt vt optimam accipiunt, & communiter cum à Philosophis, tum à Mathematicis vt efficacissima recipitur; quam tamen prædicti non ponderantes, sibive contradicentes pondus a rebus ponderantibus, ac multo magis à proprio ingenio auferunt. Hæc autem omnia, quæ diximus applicari possunt secundum leuitatem ad elementa leuia, sic nimirum quod etiam partes ipsorum ad proprium locum tendant, & altera alteram comprimat, &c. Nunc Argumenta soluamus. Ad primum dicitur, quod partes à centro magis distantes non sunt immediate in proprio loco, ideo grauitando ad ipsum tendunt; & quamuis ab alijs impediantur, non desinunt grauitate; at si quis diceret; sic terra moueretur, cuius oppositū dictum est in secundo huius operis. Respondetur, aliquem motum partialem non esse penitus à terra negandum, vel si prorsum ipsum negare velimus, dicamus, quod quamuis ex se partes vt dictum est alias comprimerent, aliæ subtus existentes, quia sunt grauiores magis resistunt, vnde motus non sequitur, quamuis grauitatio adsit. Ad secundum dicimus, ideo nec aquæ pondus natantes, nec nos aeris grauitatem percipere, quia grauiora sub leuioribus existunt, ac leuiora ipsa in proprijs existunt locis; hæc est enim ratio grauitandi, vt scilicet, quæ sunt grauiora sub leuioribus fiant, quo habito fine non grauitant; & diximus notanter si leuiora sint in proprio loco, quia si extra existant, oppositum accidit, aqua enim pluuialis, homines vehementer grauat, similiter vas aquæ, vel alterius liquoris quod fertur, quia non sunt in proprio loco; Quare decipiuntur qui asserunt, tunc elementa esse naturaliter collocata, si vbicunque sint, leuius super grauius existat; sic etenim non secus atque in proprio loco existentia pondus, vel leuitatem haberent; quouis in comparatione ad aliquod tertium seruari possit proportio, vt si esset aliquod vas plenum aquæ, & intra ipsum aliquod esset animal natans, respectu illius esset ordo naturalis, prout aquam leuiorem supra se haberet; sed respectu vehentis nequaquam. Sic itaque elementa grauitant, quam tamen grauitatem non sentiunt grauiora, cum non sit effectus eis conueniens, sicut oculus, vel speculum coloratum non recipiet colorem, nam recipiens est à natura recepti denudatum, sed respectu leuioris oppositum accidit, vnde patet, quod aer sub aqua immissus, à grauitate eius compressus desuper aduolat. Sed sunt duæ dubitationes. Prima; cum terra sit leuior quibusdam animalibus, quæ sub ipsa poni possunt, vt patet si ambo ad pondus mensurentur, cur grauitatem terræ sentiunt? præsertim cum ipsa in proprio loco existat. Respondetur, quod in ingrauitationibus potius temperies, quam simplex ponderatio attendenda est; quamobrem cum terra ex sua natura sit grauior, secundum insitam qualitatem, vel temperiem, quamuis de facto plus ponderis aliquod corpus habeat, tamen grauitate ipsius terrę opprimetur, vt patet in multis alijs præcipuè in lignis ad lapides, vel alia terrea comparatis, atque in aquis appositis. Imò hac eadem de causa quædam, quæ ex temperie magis sunt aerea, ac in locis conuenientibus existentia minus ponderant, plus tamen extra ipsa ponderis habent, quam alia aerea, vt patet de oleo, & aqua, plus namque ponderat oleum, quamuis super aquam natet, quod ex temperie accidit, sicut in lignis. Non tamen credendum est, omnia ligna esse æqualiter aerea, hoc enim est falsum, quædam namque terræ temperiem admittunt; & in aquis demerguntur, vt notum est de Hebeno, & Bussio. Secunda dubitatio. Quomodo terrea animalia super aquas natando detinentur. Respondetur, ab anima mouente; hæc namque per aereos spiritus vitales, quasi violenter detinet, quod etiam accidit in saltando. De piscibus vero non est tam difficultas, cum sint aquei magis, vnde eiusdem ferè grauitatis cum aqua.

Grauitas & leuitas dupliciter.

1. Arg.

2. Arg.

Conclusio.

Dubitationes.

QVÆSTIO IV.

Continere est formæ, contineri materiæ. Tex.35.

Quæritur de veritate huius dicti.

VIdetur itaq; verum non esse, quoniam id aliud continet, quod ipsum recipit, non autem quod recipitur, sicut vas vinum continere dicimus, non è conuerso; sed materia recipit formam, vt subiectum, ergo. Pro intelligentia memoriæ mandandum est, quod diximus in q.3. proœmiali in principio phys. de multiplici continētia. Sed ad rem satis sit, quod diuerso modo aliquid ab alio contineri potest, & ipsum quoq; continere; sicut homo continet animal essentialiter, & ab ipso potentialiter continetur; sic ergo breuiter de materia, & forma philosophemur, sicut namq; materia generi, forma differentiæ assimilantur, sic materia continet potentialiter formam, quia ex ipsa educi potest (quod est propriè potentialiter continere, magis quam posse contrahi, quod ad genus attinet) è contra vero forma materiam essentialiter continet, non quod ipsa materia sit de essentia formæ, sicut diximus de continentia essentiali speciei respectu generis, vel cuiusq; inferioris respectu superioris; sed quia essentiam ipsius materiæ à forma ad determinatam essentiam restringitur; quare altera est hæc essentialis continentia à prædicta; sed vt vna ab alia distincta appareat vocetur hæc Physica, prout magis circa naturalia versatur; alia vero quatenus res abstractas respicit, metaphysica dicatur. Sed quæret aliquis, cur de ipsa non fuit facta mentio, dum de alijs tractatum fuit. Respondetur, non fuisse tunc opus; Vel quia faciliter ad illas reduci possunt; videlicet continentia materiæ ad potentialem; formæ ad essentialem, quæ responsio est melior. Sed alia est dubitatio; cur scilicet non simpliciter Arist. in præcitato textu dicit materiam continere formam, sed è contra, cum tamen mutuo se contineant. Respondetur; denominationem melius fieri ab actu, quam à potentia; & à nobiliori, quam à minus nobili; si ambo perfectionem, vel esse positiuum dicant.

QVÆSTIO V.

Figuræ autem non sunt causæ vt ferantur simpliciter, aut deorsum, aut sursum. Tex.42.

An figuræ sint causa motus.

QVamuis satis in litera quæstio hæc discussa ab Arist. fuerit, tamen propter quasdam sensatas experientias, aliqualem addere declarationem superuacaneum non esse existimo. Appareat itaq; falsum quod ab Arist. asseritur, si quidem si ponatur vas aliquod, vel concauum, vel planum super aquam quamuis esset terreum, nullomodo descenderet. Si tamen esset, vel pyramidale, vel sphæricum, aut alia quauis incisiua figura præditum, deorsum tenderet; quare non celeritas motus, sed motus simpliciter ab ipsa figura recipitur, id enim sit simpliciter tale, quod de non esse penitus, ad esse conducitur, sic autem est in proposito, nam nullo dato motu in corpore plano, si huiusmodi corpus alia disponatur figura, mouebitur. Similiter aliqua ligna stant super aquas, quæ tamen si in sphæricā stant figuram descendunt. Pro intelligentia tamen sciendum est; quod illud dicitur propriè principium motus in corporibus, quod ex se excitat, vel (vt ita dicam) corpora præcipuè impellit, absque alio extraneo adminiculo; quomodo impedimentum non adsit; diximus absq; adminiculo extraneo; quoniam necessariæ internæ dispositiones in qualibet re, & operatione naturali necessariò requiruntur, non etenim produceretur animal, nisi debitè disposita esset materia, & sic de alijs; diximus dummodo impedimentum non adsit, quia hoc existente, aliud quoq; tanquam extraneum, ad extraneum expellendum requiritur. Ex quibus facilè colligi potest; non figuras, sed naturas, & vires insitas corporibus, cum internis instrumentis grauitatis, vel leuitatis, mouere corpora, grauia, & leuia. Probatur, nam dato sufficienti motiuo sine impedimento, sequitur motus, sed data vi, & debita grauitate, vel leuitate in corporibus, id euenit, quacunque posita, vel remota figura; sicut è contra, data quacunque figura sine prædictis, motus effici nequit, ergo. Sed vt clarius quod diximus appareat, exemplis illustremus. Sit itaque aliquod corpus terreum, si per impossibile nullam haberet figuram, adhuc deorsum moueretur, non existente impedimento. E cōtra vero, remota à terra quacunq; grauitate, vel motrice virtute, quacunq; data figura, non moueretur, quod in alijs elementis respici potest, aptetur itaq; ignis in quā volumus figurā, vt ei descensum tribuere possimus; quia internum principium, & leuitas ad hunc motum efficiendum sibi deficiunt, nunquam descendet, ergo figura non simpliciter motum præbet. Patet itaq; quæstionis resolutio. Argumenta autem nihil officiunt, aliud namq; non concludunt, nisi quod stante impedimento, corpora illa non mouentur, sed à figura superatur, & sic fit motus, non ab ipsa figura, sed à virtute motiua corporis. At est dubitatio. Quomodo scilicet figuræ, quę nullam habent actiuitatem cum sint de genere quantitatis cōtinuæ scindere medium possint, ac iter corporibus parere. Respondetur. Quantitatem continuam ex se nullam quidem habere actiuitatē, sed impulsiua virtute agentis, penetrationem, & incisiuam virtutem recipere, vt patet de gladio, &c. fortè etiam dici posset, figuram non esse quantitatē, sed qualitatē, quod videtur sentire Arist. in prædicamentis, vbi inter species qualitatis ipsam connumerat; verū si materialiter loquamur, non benè saluatur, quin ad quātitatem attineat; nā lineas sic, vel aliter connexas includit, quod satis est ad propositū; de hac autem exactius alibi. Eodem modo ad aliud argumentum responderi potest.

QVÆSTIO VI.

De dignitate elementorum inter se.

QVamuis de hac materia alibi ex professo disputandi occasio non desit; attamen ne penitus inutiles libri hi duo vltimi de Cælo videantur, & hanc, & alias quas ex ipsis elicere potui materias discutere statui. Quod itaq; terra sit alijs nobilior, probatur; nam nobilitas rerum maximè imperfectarum præcipuè ex parte finis (à quo perfectionem accipiunt) sumitur, vt materia hominis ideo nobilitate præcellit alijs, quia ad nobiliorem formam ordinatur, terra vero ad vitam hominis, & efficiendam, & conseruandam inter elementa maximè ordinatur, vt cum ex habitationibus, tum ex fructibus alijsque omnibus, & ad simpliciter, & perfectè viuendum, quę ex ea haurimus patet, ergo. *1. Arg.* Quod autem aqua eadem ratione cæteris præstet, probatur, nam animalium vita in humido consistit; quare cum ipsa aqua sit huius humidi materia, & vita sit omnium præstantissima, ergo. *Secundum.* Quod autem aer alia vincat, sic ostenditur. Illud quo vita immediatè conseruatur, est alijs melius; nam si vita, sine conseruatione tribueretur, frustra esset, & in ludibrium potius, quam in vtilitatem, & commodum vergeret. Sed mediante aere per respirationem, & expirationem vita conseruatur, & sine ipso statim perit; ergo. *Tertium.* His autem non obstantibus pro igne determinandum est. *Conclusio* Pro cuius intelligentia sciendum est, quod etsi nobilitas ex fine (vt dictum est) sumi debeat; tamen quod est aliorum causa, & motiuum, vt finis acquiratur, & à quo cætera pendent, nobi-

nobilius est existimandum; sic autem se habet ignis; ipse namque mediante calore, cætera disponit, efformat, & perfectionem tribuit; vnde sine ipso ad nullam operationem peruenirent, nullumque finem perfectum attingerent; at si dicatur; Si calor potest fieri a Sole sicut ab igne produci, cur ipsi Soli sicut communi rerum corruptibilium parenti causalitas hæc potius quam igni non tribuitur. Respondetur, Solem cum in determinato loco existat, non esse sufficientem vbique; & semper generatiuum calorem producere; vnde patet, quod tempore hyemis frigus maximè viget, ignis autem, sublunarem mundum per totum ambit, quare vbique melius adesse potest. Vel dicatur, quod vbi potest causa vniuoca dari, assignanda est potius, quam æquiuoca, sed ignis est vniuoca causa caloris (si fiat comparatio inter immediatum instrumentum, & rem productam, sic namq; loquendum est) Sol autem non sic se habet; aut etiam dici potest, ignem necessariò dandum esse in natura ob contrarietatem, & generationem mutuam elementorum; quare cum sit summè calidus, & ad generationem immediatè cum alijs elementis intrinsecè attinens, causa assignanda est. Sed cur hæc ingens actiuitas ignis non destruit potius, quam constituat mista? Respondetur, hoc ideo non accidere, quia remittitur ab alijs qualitatibus contrariorum elementorum, nam licet sit maximè actiuus, est parum resistitiuus. Sed quæritur adhuc; si in summa actiuitate maneret, an alicui posset esse vitale, vel conseruatiuum, sicut alia elementa. Respondetur negatiuè, quia tam viuentium, quam aliorum mistorum vita, & natura in temperie quadam consistit, vnde si aliqua qualitas esset in summo, temperiem deordinaret. Quod autem aliqui dicunt de Salamandra, quod scilicet in igne viuat, non est verum, sed propter maximam ipsius frigiditatem ignem extinguit, vel non cito superatur, sicut accidit, de quampluribus alijs rebus, quæ summam, vel ingentem duritiem aliamue huiusmodi resistentiam habent. Nunc argumenta, quæ pro alijs elementis concludere videbantur soluamus. Ad primum quod pro terra erat; respondetur re vera omnia prædicta à terra produci, tamen non propter hoc ipsam dignitate ignem æquare. Imò, nec simpliciter ipsa terra omnium prædictorum est parens nisi quasi passiuè, vel materialiter eo modo quo in animalibus fœmina est filij productiua; quod sic declaratur; quæcunque in terra gignuntur, siue viuentia, siue non, mista existunt; ergo ex sola terra constare nequeunt, sed alia elementa necessariò concurrunt; quamobrem ipsa veluti materia existens, rationes (vt ita dicam) seminales aliorum elementorum in græmio suscipit, & ab ipsis fæcunda efficitur, quamuis præcipuè à virtute Solis, vel cœli: quomodo vero elementa ipsa in vnum locum specialiter circa terram, ad generationes faciendas conueniant, in libris de generatione, & corruptione videbitur. Quod autem virtutem prædictam generatiuam, non ex se, sed ex elementis, ac cælo habeat, ad huc dupliciter comprobari potest; primo, quia ad generationem requiritur virtus præcipuè actiua, quæ est calor (frigus namq; quamuis etiam actiuum existat non ingreditur opus naturæ, sed potius ad excessiuum calorem temperandum est à natura comparatum) terra autem calore ex se caret, ergo. Secundò, cum terra ex se vbique sit eiusdem naturæ, ac similare corpus; vbiq; pariter omnia sine discrimine gigneret; cuius oppositum experientia docet; hic etenim Equi, illic Leones, alibi Elephantes producit; hoc ergo ab alijs habet, maximè ab vniuersali omnium parente Sole, vel Cælo. Ad secundum quod pro aere adducebatur, eodem ferè modo responderi potest; nimirum, quod quamuis ad vitam terrestrium animalium conseruandam sit summopere idoneum, ac necessarium, alio tamen nobiliori modo ab igne superatur; dicimus esse necessarium ad respirationem, & conseruationem vitæ terrestrium animalium, quia de aquatilibus secus suo loco dicendum est. Sed est quædam circa aerem expiratum dubitatio; cur scilicet crassus, & visibilis exeat, cum tamen rarus, & inuisibilis ingressus fuerit. Respondetur, quod in egressu non ita purus exsit, sed multis vaporibus in corpore animalium existentium addensatur, & sic visibilis magisq; crassus, nec non calidus extat. Sed cur lato ore egrediens est calidus; stricto frigidus. Respondetur, quia tunc lente egreditur, vnde alium aerem frigidum non impellit, sed ipsemet sentiendus offertur, dum vero compactus egreditur, vi expulsiua pellitur, ac alium aerem pellit, hic autem prius se offert sentienti, & sic frigidus videtur. Fortè etiam dici posset; quod cum calidum debitam raritatem, frigidum densitatem sibi præfigant; dum egreditur strictus, eo quod raritatem conuenientem non retinet, calorem etiam amittit; dum vero raritatem habet, oppositum euenit; dispositiones namque necessariæ mutuo se ponunt, & perimunt, quamuis vna sit diuersæ naturæ ab altera, vt patet in multis, sic namq; se habet odor, & siccitas; sapor, & humidum, &c. Solutio autem hæc de aere tertio loco poni debebat; sed, vt tædio sum rescribendi laborem euitem, postquam hic eam apposui, maneat. Soluamus secundam obiectionem de aqua. Dicimus itaque, ipsam non esse cæteris perfectiorem, nam quamuis materiam præbeat nihil refert, imò sicut materia non nisi passiuitatem præbet, vt de terra dictum est, sic philosophandum est de aqua. Sed est dubitatio, quia materia corporum est præcipuè terra, cur ergo ponitur aqua. Respondetur, terram esse materiam quo ad massam, & soliditatem, sed vt simul coaugmentari possit, æget aqua constringente, & madefaciente, eo modo quo farina, vel alia puluis aqua mediante, in massam constringitur. Sed duæ circa hoc insurgunt dubitationes. Prima, quia aqua ponitur hic vt humiditatem præbeat; sed hoc magis aeri veluti humido in summo tribuendum videtur, non secus quam ignis caliditas. Secunda dubitatio, si aqua terram condensat, sequeretur, quod terra ex se sine aquis esset penitus, vel in puluerem diuisa, vel diuisibilis, quod prorsus absurdum est, quia siccum, & frigidum condensationem efficiunt; præter quam quod, magis fluida, & diuisibilis est aqua quam terra, vnde ei potius quam ipsi terræ dissipatio conueniet. Ad primam dicitur, cum humiditate aerea stare magnam raritatem, quæ densitati opponitur, ideo aquam ad hoc esse aptiorem; imò cum sit densior aere, plus humiditatis in parua portione, quam aer in magna continet. Ad secundam dicitur, terram purissimam (si datur, quod alibi videbitur) esse maximè compactam instar metalli; hanc autem, quæ circa eiusdem terræ superficiem existit sine aqua in pulnerem abire; ratio est, quia non est pura, sed mista, vt ex nutritione plantarum notum est, ipsæ etenim cum sint mistæ, solum ex mistis nutriuntur, cum ergo nutriantur ex terra, habetur intentum. Cum itaque mista sit, si aliud elementum desit, dissoluitur mistio in minutissimas partes; quid igitur mirum est, si aqua deficiente, in puluerem terra resoluatur? Sed instatur, quia deficiente ipsa aqua, in suam naturam reuerti deberet. Respondetur, quod quamuis aqua deficiat, adsunt aliorum elementorum qualitates, maximè caliditas, cuius est segregare diuersa, vt in eisdem pulueribus oculis videri potest. Vnde ad aliam partem dubitationis dicitur, aquam propter fluxibilitatem magnopere aptam esse hinc inde conuenire, ac medium vniendi esse præcipue in mistis, & hac eadem de causa dissipabilis non est; partes etenim connexionem inter se pariter seruant.

Finis Quarti Libri de Cælo.



ANTONII ROCCI

de Scurcula Marſorum.

IN PRIMVM LIBRVM ARISTOTELIS de Generat. & Corrupt. Paraphraſis.

S V M M Æ L I B R I.

Agitur in hoc Libro de Generatione, & Alteratione, quid ſcilicet vtraque ſit, & quomodo differant. Deinde fit tractatus de Augmentatione, ac tandem de Tactu, Agere, Pati, & Miſtione, quæ omnia in tres Summas partiales diuidi ſolent.

SVMMÆ PRIMÆ, CAPVT PRIMVM.

Quæ ſit intentio Libri, ac ſententiæ Antiquorum de Alteratione, & Generatione examinantur.

Tex. 1. 

DE generatione autem, et corruptione eorum, quæ naturaliter (non autem per artem, vel violenter, vel conſilio) producuntur, ac intereūt de omnibus ſimiliter, cauſæ diuidendæ, ac definitiones determinandæ ſunt. Amplius autem de alteratione, & augmentatione, quid vtrumque ſit, & vtrum exiſtimandum ſit eandem eſſe naturam generationis, & alterationis, an diuerſam, vt etiam nominibus diuerſa ſunt. Antiquorum igitur, hi quidem eam quam ſimplicem, vel ſubſtantialem, ac propriam generationem vocamus, alterationem appellauerunt; alij vero dicebant, generationem ipſam ab alteratione diuerſam eſſe. Quicunque enim omnia eſſe vnum dicunt, vt Parmenides, & Meliſſus, ac ex ipſomet vno ſimiliter omnia generari, vel potius apparere, quod generentur, hi quidem neceſſariò dicere debent, quod generatio ſit alteratio, & quod propriè, vel ſubſtantialiter fit, alteretur: cuius ratio eſt, quia ſecundum ipſos, hoc ens vnum eſt in actu, quod autem tale eſt, non poteſt eſſe ſubiectum generationis; præterquam quod, non omnia eſſent vnum, ſed multiplicarentur per veram generationem, & ſic proprijs contradicerent principijs. Quicunque autem plura ponunt materialia principia, vt Empedocles, qui ponit quatuor elementa, Anaxagoras, & Leucippus, qui ponebant infinita, hi diuerſam generationem ab alteratione eſſe, facile affirmare poſſunt, poteſt namque vnum in aliud principium conuerti, vt aer in aquam, ac ſimiliter in miſtum, vel per veram generationem, vel (ſecundum ipſos) per congregationē, quod tamen ſufficit ad hoc, quod generationem ab alteratione diſtinguant. Anaxagoras autem, etſi generationem ab alteratione diſtinguebat, tamen neſciebat quid diceret, ſed propriam vocem ignorabat, repugnando proprijs fundamentis, ac in veritate, naturam generationis, cum alteratione confundebat: dicit enim quod fieri, vel generari, ac deſtrui, idem ſit cum ipſo alterari, & ex alia parte, has mutationes diuerſas eſſe dicit, ſibi igitur ipſi contradicit; conuenit autem cum alijs in hoc, quod plura ſunt elementa, vel principia materialia rerum, ac generationis, & corruptionis. Empedocles igitur, quatuor corporea principia materialia efficit, videlicet ignem, aerem, aquam, & terram; duo autem effectiua, ſcilicet amicitiam, cuius (ſecundum ipſum) eſt congregare, ſeu generare, & litem, cuius eſt diſgregare, vel corrumpere, & ſic principia omnia (computando materialia, et mouentia, vel effectiua) ſunt ſex numero. Anaxagoras autē, & Leucippus, & Democritus, infinita (vt diximus) conſtituunt materialia principia. Differunt tamen in modo poſitionis. Anaxagoras enim ponit ea eſſe elementa, quæ ſunt ſimilium partium, vt os, carnem, medullam, & alia quorum vniuſcuiuſque vniuoca pars eſt, ſcilicet, quorum partes ſunt eiuſdem rationis, vt qualibet pars oſſis eſt de natura oſſis, ac homogenea, vel ſimilaria dicuntur, vnde dicebat in quolibet iſtorum omnia contineri actualiter, ac tunc fieri, cum ſegregantur, vt fusè in primo Phyſicorum viſum fuit. Democritus autem, & Leucippus ex indiuiſibilibus corporibus, quæ athomos, vel ramenta vocant (ſunt autem illa corpuſcula, quæ in radijs Solaribus per feneſtras ingredientibus videntur, hinc illuc vagari, ac agitari) omnia alia componi inquiunt; hæc autem infinita, & multitudine, & figuris eſſe affirmant, ipſa autem compoſita ex iſtis differre inter ſe propter iſta principia ex quibus conſtant, videlicet, & poſitione, & ordine ipſorum, ita vt eſſentialis, & primaria differentia ſumantur ex ſimplici diuerſitate horum corporum, aliud

namque

namque compositum efficiunt corpuscula rotunda, aliud quadrata: alia differentia sumatur ex varia istorum positione, vel situ, nam cum quæ sursum erant, fiebant deorsum, vel è contra, fiebat alia mutatio. Ordine verò, dum quæ priora sunt, posteriora erant, ac istæ duæ vltimæ differentiæ, non essentiales erant, vnde potius variæ alterationes, quam essentiales mutationes dicendæ sunt. Contrariè autem videntur dicere Anaxagorici Empedocleis. Sequaces namque Empedoclis inquiunt, ignem, & aquam, & aerem, & terram, esse quatuor elementa, & principia rerum, ac magis simplicia, quam sint caro, os, & alia homogenea, vel similaria. Anaxagorici autem, hæc quidem similaria, vt caro, os, &c. simplicia, ac elementa omnium esse dicebant, terram autem, & aquam, & ignem, & aerem, composita ex istis, ac propterea ipsa similaria (dicebant) esse omni seminarium horum, nam ex ipsis tanquam ex semine omnia fiebant, vel etiam ipsa elementa (alia ratione) vocabantur omni seminarium istorum, prout in se omnia veluti partes constituentes, ac tanquam semina recipiunt. Hi igitur, qui ex vno actuali principio omnia constituunt, ac omnia unum esse affirmant, vt Parmenides, & Melissus, necessariò dicere debent, quod generatio, & corruptio sint idem cum alteratione, nam ex ente in actu (vt supra quoque diximus) non fit aliquid substantiale, quare cum semper vnum, & idem subiectum in actu maneat, non aliquid generari, vel corrumpi, sed tantum alterari dicimus. Ii autem qui principia multa faciunt, dicere possunt, quod generatio, & corruptio ab alteratione differant; nam coeuntibus istis principijs simul, generatio fieri potest, dissolutis vero corruptio. Vnde dicit Empedocles hoc modo, quod nullius natura est vere acquisita, vel facta penitus secundum partes omnes, sed generatio est mistio horum principiorum, ac fœdus ipsorum mistorum, corruptio vero est segregatio: suo modo tamen saluat generationem, & corruptionem, ponendo plura principia, quod efficere nequeunt, qui vnum tantum constituunt. Quod igitur ita loqui sit sermo conueniens positioni, vel fundamentis ipsorum, manifestum est, & quod dicunt hoc modo; hoc est, manifestum est, quod ex positionibus ipsorum sequuntur ea, quæ intulimus, nec eis aliquid falsò imponimus. Qui igitur plura ponunt elementa, etiam errant, & sibimetipsis contradicunt. Necesse enim est, quod dicant, generationem esse aliquid præter alterationem, vt quidem dicunt, tamen secundum eorum dicta, & fundamenta hoc est impossibile. Quod autem sit impossibile facile est videre, eorum fundamenta examinando, supponendo tamen prius, quod sicut videmus, quod quiescente substantia, ac remanente in ipsa fit transmutatio secundum magnitudinem, quæ augmentatio dicitur, vel diminutio, ita in alteratione, debet manere eadem substantia, vel materia in actu, mutatis tamen qualitatibus, ita quod de calido fiat frigidum, vel è contra. Sed qualitates elementorum, vt calidum, frigidum, siccum, humidum, molle, durum, & alia, vt inquit Empedocles, Solem album videri, imbrem rigidum, & caliginosum, & sic de alijs; ex quibus dicunt fieri alterationes, sunt (secundum prædictos ponentes plura principia) differentiæ essentiales ipsorum, quæ intransmutabiles sunt, ergo secundum ipsas alterationes fieri non possunt. Quapropter si non sit possibile ex igne fieri aquam (nam elementa non propriè secundum ipsos transmutantur in seinuicem per corruptionem, vel generationem, licet congregentur, & segregentur) neque ex aqua terram, neque ex albo nigrum, neque ex molli durum erit aliquid, cum istæ sint essentiales elementorum differentiæ (vt dicunt) nullo modo erit alteratio. Manifestum est igitur, quod semper contrarijs, inter quæ est mutatio, supponenda est vna materia, siue sit mutatio localis, siue secundum augmentationem, & diminutionem, siue secundum alterationem. Quare ipsi quoque in alteratione vnam communem debebant supponere materiam, ita vt si alteratio est, necessariò sit elementum, vel materia vna communis eorum, quæ ad inuicem transmutantur, & si subiectum vnum est, alteratio fieri potest, ergo cum ipsi ponant quatuor corpora, quæ in aliquo vno subiecto non conueniant, ac qualitates sint eorum essentiales differentiæ, alterationem saluare non poterunt.

Empedocles igitur ipse videtur contraria dicere, & ad ea, quæ apparent, ac omnibus nota sunt, & ad seipsum. Simul enim dicit, quod nullum elementorum ex altero elemento fiat, sed omnia alia ex his, & sic rebus notis contradicit quoad primam partem positionis, quia videlicet omnia elementa ex se inuicem fiunt; verum tamen dicit, quod omnia mista ex ipsis fiant elementis, & in hoc ei non contradicimus. Contradicit etiam sibimetipsi, quia cum posuerit, elementa non fieri ex se inuicem, subdit, quod cum natura iunxerit omnia simul in vno chao præter amicitiam & litem, hoc est omnia simul congregauerit, per amicitiam, ex eodem chao rursus omnia fieri denuo asserit sic, quod separatis quibusdam passionibus, & qualitatibus, quæ misturam illam faciebant, elementa accipiant suas proprias qualitates, quas prius dimiserant, ac in suam naturam reuertantur; & sic separatis illis differentijs, quæ mistionem, ac confusionem in prædicto chao concernebant, factum sit iterum hoc quidem aqua, aliud autem ignis, quemadmodum dicit, Solem album & calidum, terrā autem graue & durum (eiusdem namque naturę cęlum, & ista inferiora ponit) ac talibus qualitatibus dimissis in chao confundebantur, ipsis vero reassumptis, in propriam redibant naturam. Vult igitur (vt expressè ex suis dictis patet) quod qualitates elementorum sint auferibiles, & iterum assumptibiles, vnde sibimet contradicit; nam ablatis his differentijs, vel qualitatibus, manifestum est, quod necesse est fieri, & terram ex aqua, & aquam ex terra; similiter autem aliorum vnumquodque, nam remota siccitate à terra, fit aqua, & humiditate ab aqua fit terra, vt melius postea videbimus; nec dicatur, quod tantum tunc (tempore scilicet confusionis in chao, vel separationis) erant tales qualitates auferibiles, nunc vero nequaquam; quia nunc eodem modo se habere debent, cum sint eiusdem naturæ, atque ipsa elementa, talibus transmutentur passionibus; sunt enim (etiam ex dictis Empedoclis) possibiles aduenire, & separari rursus, præsertim aduersantibus ad inuicem lite, & amicitia, ideoque, & tunc (vt dicit) ex vno chao generata sunt, non enim ignis, & terra, & aqua existentia in sua actuali natura, omnia vnum erant; quare generata sunt prius non existentia, nec qualitates proprias habentia; sunt ergo etiam secundum ipsum, generabilia, ac corruptibilia inter se elementa per acceptionem, ac deperditionem propriarum qualitatum, vel differentiarum. Tex. 2.

Incertum est autem secundum Empedoclis positionem, vtrum principium rerum naturalium sit vnum, vel multa: dico autem, an debeamus ponere principia ignem, terram, & alia elementa coordinata istis, nempe aquam & aerem, an potius illud commune confusum chaos; non enim magis est ratio pro illis, quam pro isto, secundū enim quod tale chaos supponitur vt materia, ex quo mutata, vel educta elementa per motum in suam naturam veniunt, Tex. 3.

sic illud Chaos est elementum, ac vnum quoque erit. Secundum autem, quod hoc quidem Chaos ex compositione elementorum fit, coeuntibus scilicet ipsis elementis, ipsa vero elementa fiunt, vel redeunt in suam naturam ex dissolutione talis confusionis, magis illa quatuor sunt elementa, & priora natura, prædicto Chao; illud enim dicitur elementum, ex quo aliquid componitur, & in quod resoluitur; quare cum secundum ipsum elementa ex Chao fiant, & è conuerso; vtraque possunt elementa, vel principia materialia dici vtrorumque, quod absurdum est, quia idem respectu eiusdem esset principium & principiatum, indistinctè igitur, ac confusè loquitur, & sic quoque alio modo errat.

CAPVT II.

De quo tractandum sit in hoc Libro. Quod non dentur indiuisibiles magnitudines. Quod generatio non necessariò fiat per congregationem, nec corruptio per segregationem, ideò generationem, & corruptionem non esse alterationem.

Tex. 4. *OMnino itaque de simplici, vel substantiali generatione, ac corruptione dicendum est, vtrum est, aut non est, & quomodo est, & de alijs simplicibus motibus, puta de augmentatione, & alteratione (qui motus simplices dicuntur, non eadem ratione, qua dicuntur simplices generatio, & corruptio, sed ad differentiam ipsarum, quæ mutationes dicuntur, & non simplices motus.)*

Tex. 5. *Plato igitur solum de generatione, & corruptione scrutatus est, quomodo scilicet existant in rebus, neque de omni generatione, ac corruptione determinauit, sed tantum de ea, quæ est elementorum, quomodo autem carnes, aut ossa, aut aliorum quid talium mistorum generetur, ac corrumpatur, nihil dixit. Amplius, neque de Alteratione, neque de Augmentatione, quomodo existant in rebus sermonem fecit. Omnino autem, præter ea quæ superficialiter dicuntur, nullus Antiquorum Philosophorum, de aliquo istorum motuum aliquid dixit, præter Democritum, hic autem videtur quidem de omnibus curasse, & si differat in modo, quo tales transmutationes fiunt; non enim secundum modum conuenientem, ac naturalem locutus est, vt postea videbimus. De Augmentatione autem, nullus quidem determinauit, nisi quodam modo grosso, quem omnes sciunt, ac dicunt; hoc videlicet, quod augmentatur vnumquodque, adueniente simili; quomodo autem hoc fiat, non vltra determinauit, nec aliquis Antiquorum, nec ipse Democritus, neque de mistione, neque de aliorum, vt ita dicam vllo, vt de ipso agere, aut ipso pati, quomodo hoc quidem agit illud vero patitur secundum naturales factiones. Democritus autem & Leucippus, qui principia rerum corpuscula indiuisibilia, vel athomos ponunt, facientes diuersas figuras ipsorum principiorum ex tali figurarum varietate, alterationem variam constituunt, ita quod generatio fit per congregationem prędictorum corporum, corruptio per segregationē, alteratio vero secundum diuersum ordinem, ac positionem, habito nempe respectu ad figuras, hoc est prout tales figuræ sunt ordinatæ, & dispositæ. Quoniam autem existimabant, verum consistere in apparendo, ita videlicet, quod illa sint vera, quæ nobis vera apparent, quia verò contraria, & infinita sunt ea quæ apparent, ideò vt hoc quoque saluarent, figuras quoque infinitas fecerunt, ita vt transmutationibus ipsius compositi, idem contrarium videatur alij, & transmutetur ipsum compositum, paruo immisto secum, vel commutato aliquo principio, & sic vno transmutato omnino aliud appareat, sicut ex eisdem litteris diuersimodè ordinatis, contraria, & diuersa scribuntur, vt Tragędia, & Comędia: sic igitur ipsi contrarietatem saluabant, ac omnia apparentia, transmutata namque litera in aliquo verbo, aliud significat, & in veritate aliud apparet, & est; sic transmutatio in aliquo prædictorum principiorum secundum figuram, ita vt alicui ostendatur, vt triangulus, alteri vt quadratum, contraria saluantur, & apparent.*

Quoniam autem videtur fere omnibus, generationem ab alteratione differre, vel aliud quid esse, & generari quidem, & corrumpi, quæ congregantur, & disgregantur, alterari autem mutatis passionibus, seu qualitatibus: de ijs ergo agentes, speculari oportet, quomodo hoc fit. Dubitationes enim habent hæc, & multas, & rationabiles; Nam si generatio sit congregatio, multa impossibilia accidunt. Sunt autem rursus rationes aliæ cogentes, nec faciles vt dissoluantur, quod scilicet non possit res aliter se habere, nisi quod generatio sit congregatio, ita vt si non sit hoc modo, aut generatio omnino non erit, aut si est, non erit aliud quam alteratio. Quare & si tales rationes sit difficile soluere, hoc tamen tentandum est efficere. Tex. 6.

Principium autem soluendi has dubitationes est examinare duas quæstiones, ex quibus Antiquorum positiones pendent, ac ex earum confutatione veritas apparebit, est igitur prima quæstio. Vtrum sic generantur, & alterantur, & augmentantur, ea quæ sunt, seu res naturales, & patiuntur contraria his mutationibus dictis, (scilicet corrumpuntur, diminuuntur, & opposita alteratione, vel qualitate alterantur) ex eo quod primæ magnitudines sint indiuisibiles, ex quibus tales mutationes patiantur, an nulla est magnitudo indiuisibilis; differt enim hoc plurimum; nam super indiuisibiles magnitudines fundantur opiniones eorum, qui generationem à congregatione non secernunt. Secunda quæstio supposito quod dentur magnitudines indiuisibiles, vtrum hæc sint corpora, vt dicebant Democritus, & Leucippus, an sint plana, seu superficies, vt in Thimæo scripsit Plato. Quam secundam quæstionem prius resoluamus. Hoc igitur ipsum quod dicitur (corpora videlicet ex superficiebus componi, ac vsque ad tales superficies resolui) irrationabile est, vt alibi quoque diximus, nempe in 3. de Cælo; quapropter magis rationabile fuerit esse indiuisibilia, ex quibus alia corpora componantur. Sed hæc positio quoque multam habet irrationabilitatem, cum corpora indiuisibilia, dari non possint, vt in 6. Physic. visum est. Attamen aliquo modo est melior positio (eo modo quo melius in malis reperiri potest) quia secundum hanc contingit saltem apparenter facere generationem, & alterationem, scilicet vel versione corporum, vel transmutatione figurarum, vt supra dictum est, & vt facit Democritus. Quapropter colorem non dicit esse aliquod verum ens, sed apparere ob diuersam figurarum versionem, sicut in collo columbæ, uel in vitro triangulari varij apparent colores ob variam versionem angulorum, in vitro, vel reflexionis in collo columbæ; ij autem qui in superficies resoluunt, ac ex illis constituunt, non amplius dicere possunt (hoc est, præter talem imaginariam constitutionem, & resolutionem, alias mutationes Tex. 7.

saluare

saluare non poßunt) nihil enim fit ex superficiebus præter solidum, vel corpus Mathematicum, compositis videlicet, vel vnitis simul ipsis superficiebus secundum latitudinem, (quod neque secundum veritatem id dicitur, sed secundum eorundem positionem, & principia) quare passionem aliquam, vel physicum affectum ex ipsis generare non valent. Causa autem, quare minus Platonici possint res manifestas naturales videre, ac cognoscere, est inexperientia eorum de ipsis, ipse namque Plato operam nauabat rebus diuinis, vel abstractis, ideo in naturalibus deficiebat. Quapropter quicunque magis versati sunt in naturalibus, vt Democritus, magis supponere poßunt talia principia, quibus multa complicare possunt, seu addere, ac ad propositum respondere, saltem melius, etsi non plene. Qui autem ex multis rationibus vniuersalibus, vel à materia abstractis, minime contemplatiui sunt rerum existentium naturalium, sed paucas tantum inspicientes, facilius enunciant cum errore; debemus enim in naturalibus, ac sensibilibus sensum respicere, atque cum ipso rationem coniungere.

Tex. 8. *Videbitur autem quis ex his, quæ modo dicemus, quantum differant, qui naturaliter de rebus naturalibus loquuntur, sicut facit Democritus; ab ijs qui Logicè, seu modo vniuersali, & communi speculantur, vt Platonici. De eo enim quod est, indiuisibiles esse magnitudines, Platonici quidem inquiunt, quod nisi magnitudines essent indiuisibiles, triangulus multæ figuræ erit (hoc est diuideretur, ac componeretur ex figuris, quod falsum est, nam est prima figura, quæ ex alijs nõ componitur) cum ergo triangulus ratione figuræ sit indiuisibilis, sequitur quod etiam datur quantitas indiuisibilis, cum figura in quantitate fundetur; quæ ratio vt patet aliena penitus est à rebus Physicis, ac falso, quoque innititur fundamento. Democritus autem videbitur proprijs, ac naturalibus rationibus, suam positionem confirmare. Manifestum autem erit quod dicimus procedentibus sic. Habet enim (inquit) dubitationem. Si quis ponat corpus quoddam eße, & magnitudinem omniquaque diuisibilem, ita quod possibile sit omniquaque diuidi, vt re vera est, ac multi concedunt; quid erit impediens, quod diuisionem effugiat, seu quod diuidi non possit? Si enim omniquaque diuisibile est, & hoc possibile sit, siue hoc corpus, vel magnitudo sit omnino diuisa actualiter, siue non, hoc tamen sufficit quod diuidi possit, nec ei repugnat, vt actualiter sit diuisa, quia possibile posito in esse nullum sequitur impossibile; quapropter & secundum ipsum medium similiter, & omni ex parte cum natura diuisibile sit, nullum erit impossibile factum actu diuisum, quoniam neque si in decem millia decies millies diuisa fuerint, vllum est impossibile, etsi forsan nullus vtique diuidet. Magnitudo igitur, vel corpus omne est omniquaque diuisibile, ac actualiter diuisum eße potest, aliter frustra & falso diuisibile diceretur, tunc sic arguitur. Quoniam ergo omniquaq; diuisibile est corpus diuidatur, quid igitur erit reliquum? vel partes in quas diuisum erit? vel erunt (inquit) magnitudo diuisibilis, vel indiuisibilis, vel puncta, vel nihil, vel qualitates. Quod sint magnitudo diuisibilis non est possibile, nam erit quippiam non diuisum, nempe diuisibilis hæc magnitudo, quæ remanet; nos autem supposuimus, quod erat omniquaque diuisibile, & quod actualiter poterat esse diuisum. Si vero id in quod diuiditur, nullum erit corpus nec diuisibile, nec indiuisibile, tunc diuisio erit in puncta, vel nihil, ac similiter compositio, & sic ea ex quibus componitur magnitudo, sine magnitudine erunt; quare magnitudo ex nihilo generabitur, vel fiet, ac ipsum quoque vniuersum ratione magnitudinis ex nihilo esset, nisi apparenter, non igitur magnitudo in nihilum diuiditur. Similiter autem, si ipsum corpus fuerit ex punctis, non erit quantum, ipsa namque puncta, quando se in vna magnitudine tangebant, vel se tangere supponebatur, licet simul esse ponantur, tamen nihil faciebant maius ipsum totum, quod enim nullam habet magnitudinem, vt puncta, non possunt magnitudinem per modum partis integrantis (vt est ad propositum) efficere; quare similiter ipso corpore diuiso, vel in duo, vel in plura puncta, neque maius, neque minus est ipsum totum, quam prius, imò etsi omnia simul posita fuerint, nullam faciene magnitudinem; non igitur in puncta resoluitur corpus, nec ex illis componitur. At si quis dicat, quod diuisio est insufficiens, quia non oportet vt corpus diuidatur in aliquod prædictorum, sed ipso diuiso, remanet quid veluti rasura, seu fragmentum, vt in rota figuli, & sic ex magnitudine quoddam corpus in rasuram abit, & non in aliquod prædictorum. Sed hæc euasio nulla est; nam eadem ratione quæritur, an talis rasura sit diuisibilis, vel non, si diuisibilis corpus non est omniquaque diuisum. Si non, vel partes talis rasuræ sunt puncta, vel nihil, & sic idem quod supra inducatur. Si vero non sit corpus, sed forma, vel qualitas aliqua separabilis, quæ corpus compouit, & in quam diuiditur, & quæ recessit diuiso iam corpore, & ipsa magnitudo, vel puncta, vel tactus, seu extrema magnitudinis se tangentia hoc patiantur, ita vt, vel ipsa magnitudo immediatè ex qualitatibus componatur, vel ipsa puncta, vel extrema componantur ex ipsis qualitatibus, & postea ipsa componant magnitudinem; hoc (inquam) quomodocunque sit, impossibile est, nam ex non magnitudine non potest magnitudo componi nec mediatè, nec immediatè. Amplius, si ex punctis componitur corpus, ac in ipsa diuiditur; vbi nam ipsa puncta erunt, postquam diuisa sunt? & an erunt immobilia, vel mobilia; nullum istorum dici potest, quia puncta non sunt in loco, cum locus sit corporum tantum; nec sunt immobilia, quia non conuenirent ad compositionem totius, imò nec totum moueretur, cum ratione partis vnumquodque moueri dicatur; nec mobilia, quia tantum corpora sunt mobilia, ergo nullo modo à corpore sunt separabilia, & sic corpus nec componitur, nec diuiditur in ipsa. Præterea, tactus vnus semper est duorum se tangentium, tanquam necessarium sit, quod præter tactum, vel diuisionem, vel punctum (pro eodem nunc accipiantur, diuersa ratione, tactus prout in ipso fit tactus, diuisio prout in ipso diuiditur, ac punctum, prout terminat) vnum aliquod diuersum sit, quare si puncta habent rationem tactus, aliqua erunt se per puncta tangentia, & sic non ex punctis componitur corpus, sed ex his, quæ se per puncta tangunt. Si itaque quis ponat quoduis, aut quantumuis corpus omniquaque diuisibile, hæc omnia impossibilia accidunt; quapropter melius est, ipsum ex indiuisibilibus constituere, vnde habetur intentum. Amplius, si cum diuisero lignum, ac iterum ex partibus diuisis composuero, erit æquale, nunc sibimet & prius (idem potest dici de alijs) & vnum, igitur hoc modo se habere deberet, etiam si ex punctis constaret, & in ipsa diuideretur secundum quodcunque signum, vel punctum, hoc autem est absurdum, nam punctum additum puncto, non facit aliquam magnitudinem, ergo nec æqualitatem; nam æqualitas in magnitudine fundatur, si sit æqualitas rerum continuarum, vt est ad propositum, nam datur etiam æqualitas in numeris. Omniquaque igitur potentia diuisum est corpus, ac actualiter*

diuisum

diuisum esse potest, vt probauimus, quid ergo remanet preter diuisionem, seu in quid tandem vltimate diuiditur? Si enim est aliqua passio, quod est qualitas, vel accidens aliud; quomodo in hęc dissolnetur, aut generatur ex his cum non sint quantitates? aut quomodo diuisa, vel separata esse possunt, cum sint accidentia, quæ non possunt sine subiecto existere naturaliter? Quapropter eum neque ex tactibus, neque ex punctis, neque ex nihilo magnitudo componi possit, nec in ipsa resolui poterit; ac similiter, nec diuiditur in partes diuisibiles, quia non esset omniquaque actualiter diuisibilis; necesse est ergo corpora indiuisibilia esse, atque magnitudines, ex quibus alia corpora componuntur. Hoc igitur est argumentum Democriti, ad probandum quod dentur magnitudines indiuisibiles, ex quibus omnia corpora naturalia generentur, & in quas resoluantur. At vero, & hæc ponentibus, non minus accidunt impossibilia, quamuis magis naturaliter procedant, quæ autem impossibilia hæc sint, consideratum est in 3. de Cælo.

Tex.9. Sed hæc soluere tentandum est, qua propter rursus à principio dubitationem dicere oportet; hoc est sumere principia, per quæ soluitur dubitatio. Respondemus igitur, quod omne corpus sensibile, esse uno modo diuisibile secundum quodcunque signum, vel punctum, alio vero modo indiuisibile, non est absurdum; dupliciter ergo diuisibile omniquaque dicitur, scilicet, vel collectiuè, seu copulatim (quod idem est) vel distributiuè; dicitur collectiuè, vel copulatim diuisibile, si in omnes partes simul diuidi actualiter possit, & hoc modo corpus est indiuisibile; distributiuè vero diuisibile dicitur, quod nullam habet partem, quæ diuidi non possit, licet non omnes simul hoc patiantur, & hoc modo corpus est omniquaque diuisibile; vocant etiam diuisibile primo modo cathegorematice; secundo syncathegorematice, ac diuisibile distributiue, vel syncathegorematice dicitur diuisibile in potentia, aliud vero actu. Democritus igitur accipit, quod corpus sit omniquaque diuisibile cathegorematice, vel actu, ac copulatim, ideo decipitur, nam esse simul omniquaq; actualiter diuisibile impossibile videbitur. Si enim est possibile, & fiat, seu diuidatur, non tamen sic vt simul actu sit diuisum. & indiuisibile secundum eundem respectum, sed sit diuisibile actualiter tantum in omnes partes simul secundum quoduis signum, vel punctum, vt Democritus dicit, bene sequerentur absurda, quæ inducit; quia videlicet nihil erit reliquum, & in incorporeum resolutum erit ipsum corpus, nempè in nihilum, vel in puncta, & generabitur vtique rursus, aut ex punctis, aut omnino ex nihilo; quod quidem impossibile est, vt suum argumentum optimè probat, vel tandem non esset omniquaque diuisum, quod ipse supponit vt possibile; sic igitur dicendum est, ipsum corpus, vel magnitudinem indiuisibilem esse. At vero quod diuidatur alio modo distributiuè scilicet, hoc est in separabiles, & semper minores magnitudines, & separatas, seu remotas successiue vnam ab alia, manifestum est, ac notum apud omnes. Neque itaque successiuè diuidenti erit diuisio in minimas partes, non enim datur minimum in continuo, sed semper diuidendum erit; neque simul possibile est esse diuisum secundum quodcunque signum actualiter (vt credebat Democritus) sed vsque ad aliquid, hoc est vsque ad partes quantas, quæ tamen iterum diuisibiles sunt, quare sic non habet intentum, quia ad indiuisibilia non peruenitur. Necesse est igitur (secundum positionem Democriti) inesse insecabiles, seu indiuisibiles magnitudines in corporibus, & propter argumentum prædictum (quia scilicet putabat omniquaque actualiter posse diuidi continuum) & præsertim si generatio, & corruptio fierent congregatione, & segregatione magnitudinum, sic namque ad indiuisibilia oporteret peruenire, aliter principia ex alijs principijs constarent, hoc est ex partibus in quas diuisibilia essent, quare non essent principia, sed principiata. Quod autem argumentans Democritus erret, & qua de causa nunc dicamus. Quoniam enim non est punctum puncto contiguum, ideo esse omniquaque diuisibile, aliquomodo inest magnitudinibus, aliquomodo non; sunt diuisibiles in omnes partes successiuè per puncta continuantia, non autem in omnes simul, quia dato puncto non statim, vel immediatè sequitur aliud, sed pars, quæ est quoque partibilis, ideo non simul continuum in omnes partes diuidi potest, sed successiuè tantum. Videtur autem hoc esse, quod scilicet simul omniquaque diuisibilis sit magnitudo quando hoc positum fuerit, videlicet, quod vbique, & in omni parte sit punctum, quod est falsum, & impossibile, quia necesse esset, diuisam esse magnitudinem ad nihil, seu ad non magnitudinem; vbique enim essent puncta; quare, aut ex tactibus, seu indiuisibilibus, aut ex punctis esset, & in ipsa quoque diuideretur. Hoc autem (scilicet ratio diuisibilitatis) vt inest in omni parte continui est, quia vbique vnum punctum sumi potest, & omne punctum est, vt vnumquodq; ratione diuisibilitatis, nec plura quam vnum sumere possumus in diuidendo, cum igitur in qualibet parte possimus punctum accipere per quod fit diuisio, erit ipsum continuum semper diuisibile per quamcunq; partem, cum autem hæc puncta non se habeant consequenter, vel se tangant immediatè; non in omni parte simul actualiter continuum poterit esse diuisum; nam facta diuisione in puncto, remanent partes, quæ iterum diuisibiles sunt. Si enim secundum medium est diuisibilis magnitudo ratione puncti, etiam secundum aliud punctum contiguum esset diuisibilis, hoc autem non potest esse, quia contiguum non est punctum puncto, vel signum signo, si enim hoc esset, fieret diuisio, vel resolutio in ipsa puncta, ac ex ipsis etiam compositio; quod quam sit absurdum declarauimus in 6. Physic. Quare concedimus nos, quod datur congregatio, & segregatio; non tamen (vt dicit Democritus) ex indiuisibilibus (multa enim sunt inconuenientia) neque segregatio sit facta diuisione continui in omnes suas partes; hoc enim posset esse, si punctum esset contiguum puncto, sed fit per diuisionem semper in partes minores, & paruas, sicut congregatio ex minoribus, & paruis fit.

Sed errat etiam Democritus asserendo, generationem Tex.10. esse congregationem, corruptionem, segregationem, alterationem vero variam positionem athomorum, quia simplex, & perfecta generatio, ac corruptio non determinata est congregatione, & segregatione, vt quidam inquiunt; neque transmutatio continui per varias athomorum positiones est alteratio. Sed hoc est in quo errant omnes, ponendo videlicet generationem, & corruptionem modo prædicto: est enim generatio simplex, vel substantialis, & corruptio non congregatione, & segregatione, sed cum mutatum fuerit ex hoc in hoc, hoc est ex non substantia in substantiam si erit generatio, vel ex substantia, in non substantiam si erit corruptio; quas quidem mutationes alij putant esse alterationes, sed decipiuntur; nam alterationes sumuntur secundum rationem subiecti, quia scilicet fit in aliquo subiecto, seu substantia completa, & perfecta, generatio vero, & corruptio secundum materiam; nam generatio est acquisitio formæ in materia, quæ est substantia incompleta; corruptio est deperditio prædictæ formæ.

Quando

Quando igitur fuerit transmutatio in substantia, erit generatio, & corruptio; quando autem in passionibus, vel qualitatibus, aut secundum aliud accidens (seclusa quantitate, & vbi ad qua est augmentatio, & motus localis, vel sumatur alteratio large, prout opponitur mutationi substantiali) tunc est alteratio. Non igitur congregatione, vel segregatione, fit generatio, & corruptio, licet eas adiuuent, quare, quæ segregantur, & congregantur facilè corruptibilia fiunt, si enim aqua in minores partes diuisa fuerit, seu segregata, citius ex ipsa generatur aer; si autem congregata sit, tardius; & sic segregatio aquæ adiuuat generationem aeris, eiusdem aeris congregatio adiuuat, ac melius corrumpit aquam, nam est fortior virtus in ipso sic congregato. Manifestum autem erit magis de ijs in sequentibus, nunc autem tantum determinatum sit, quod impossibile est, generationem esse congregationem, vel corruptionem segregationem, qualem quidam esse inquiunt.

CAPVT III.

De generatione, & corruptione simplici, & secundum quid, ac de causa perpetuitatis vtriusque.

Tex. 11. *ANtiquorum opinionibus determinatis; nunc primo speculandum est, vtrum sit aliquid, quod generatur simpliciter (hoc est acquirat esse substantiale) & corrumpitur; an propriè quidem nihil substantialiter generetur, & corrumpatur, sed semper ex aliquo fiat aliquid accidentaliter tantum, dico autem, vt ex laborante fit sanum, & laborans ex sano, aut paruum ex magno, & magnum ex paruo, & omnia alia hoc modo accidentali; sanitas namque, laboratio, magnitudo, & paruitas accidentia sunt. Quod vero non sit generatio simpliciter, vel substantialis, hoc modo suaderi potest. Si enim erit generatio simpliciter, erit ex non ente simpliciter, quare verum erit dicere quod in quibusdam inest non ens, seu quod quædam subiecta, ex quibus fit generatio sint non entia, quod autem ex non ente simpliciter, fieri debeat, probatur à simili, nam sicut generatio secundum quid, fit ex non ente secundum quid, vt ex non albo album, vel ex non bono, bonum, ita simplex generatio, ex simpliciter non ente fieri debet, hoc autem est absurdum, cum ex nihilo aliquid fieri non possit. Sed pro maiori intelligentia, & efficacia argumenti est notandum, quod ens simpliciter, potest intelligi dupliciter, primo quod significet primum omnium prædicamentorum entis, quod est substantia. Secundo, quod significet ens vniuersale, ita quod ens simpliciter omnia comprehendat, & oppositum dicatur de non ente simpliciter, sic videlicet, quod vel neget substantiam; vel omnia entia. Nunc ad propositum redeamus. Si igitur generatio simpliciter, seu substantiæ, fit ex non ente simpliciter primo modo, hoc est, ex non substantia, fieret consequenter ex nihilo, quia vbi non reperitur substantia neq; hoc (idest, quæ neque sit singularis; ipsis namque destructis impossibile est aliud remanere) manifestum est, quod neque aliorum vllum prædicamentorum, vt neque quantitas, neque qualitas, neque ipsum vbi, & sic de alijs; nam separabiles essent passiones, & accidentia ab ipsa substantia; quod est absurdum. Si autem generatio erit ex non ente simpliciter, quod excludat vniuersaliter omne ens, ex nihilo immediatè necesse est generari quod generatur, quod est absurdum (ad idem inconueniens inducit hæc ratio, & præcedens, sed illa hoc efficit mediatè, & illatiuè per discursum; hæc autem statim, & per enthymema.) De hac igitur quæstione, in alijs sermonibus, nempè in 1. Physic. dubitatum, atque determinatum est. Nunc autem breuiter ipsum soluamus, ac quomodo simplex generatio ex non ente fiat, declaremus. Dicimus ergo; quod generatio simplex, aliquo quidem modo ex non ente simpliciter fit, alio vero semper ex ente fit. Est igitur aliquid ex quo generatio substantialis fit, quod est ens in potentia, non autem ens in actu, quod quidem necesse est, quod præexistat vtroque modo, hoc est participando de actu, & de potentia; ita vt non sit nihil, sed aliquid, & sic actu participat imperfecto tamen, & quia ad aliud ordinatur est in potentia ad illud, & sic dicitur vtroque modo in actu, & potentia; quare generatio simpliciter non fit ex ente in actu perfecto, quia esset alteratio, nec ex nihilo, sed ex aliquo ente in potentia ad formam substantialem, ex se autem habente entitatem, quod quidem materia dicitur. Sed quia istis hoc modo determinatis, adhuc restat admirabilis dubitatio, ideo rursus est inquirendum, quomodo est simplex generatio, siue ex ente in potentia, siue etiam ex ente quodammodo aliter, hoc est quodammodo in actu.* Nota de materia actu.

Tex. 2. *Dubitabit igitur aliquis, an detur generatio substantiæ, & huius (hoc est substantiæ singularis, actio namq; omnis, & generatio circa singularia sunt) quæ quidem sit propriè productio veræ substantiæ, sed non talis, seu qualitatis, aut quantitatis, aut ipsius vbi; eodem autem modo de corruptione, an videlicet sit corruptio vera substantiæ, &c. Quod autem non generetur substantia, probatur. Si enim quid substantiale generatur, manifestum est, quod erit aliqua substantia in potentia ex qua generatur substantia in actu, & in qua necesse est resolui, vel transmutari, id quod corrumpitur, idest ipsammet substantiam; fit igitur generatio substantiæ ex substantia in potentia, & non in actu. Vtrum igitur huic substantiæ in potentia inerit quid aliorum prædicamentorum in actu, dico autem, numquid ipsa substantia in potentia, erit quanta, aut qualis, aut vbi actualiter, sed non sit actualiter simpliciter ens, neque hoc, (hoc est, nec sit substantia actualis, & singularis) si dicatur, quod ipsa sit nihil in actu, sed omnia in potentia, ita quod nec sit actualiter substantia, nec quantitas, nec qualitas &c. tunc sequitur, quod datur aliquod ens separabile siue distinctum à substantia, & accidenti, & insuper (quod maximè timebant affirmare primi Philosophi) generaretur substantia ex nullo præexistente, seu ex nihilo, (quod namque non est substantia, nec accidens, nihil est.) Si autem dicatur, quod hoc quidem ens, non est substantia, vel hoc aliquid, sed aliorum quippiam prædicamentorum; sequitur hoc absurdum (quemadmodum prius diximus) quod passiones, & accidentia separabilia sunt à substantijs. Cum igitur ex ente in actu aliquid non generetur (est enim iam) nec ex ente in potentia, quia hoc, nec est substantia nec accidens, quia quod est in potentia substantia, non est substantia, & accidentia non sunt separabilia; sequitur, quod generatio substantialis non detur. Hæc autem sunt, quæ dici possunt contra substantialem generationem; quæ soluenda erunt, & veritas declaranda.*

Tex. 13. *Et de his igitur quantum fieri potest tractandum est, & quæ causa sit, vt generatio semper sit (ex hac enim quæstione pendet resolutio præcedentis) & quæ sit generatio, & corruptio simpliciter, & secundum quid.*

Cum

Tex.14. Cùm autem duplex sit causa, quæ perpetuam generationem reddere potest, vna quidẽ vnde principium motus esse dicimus .s. efficiens, vna autem materia (non fit mentio de finali, quia est nimis extrinseca, nec realiter efficit, aut conseruat, prout talis est, neque de forma, quia cum sit corruptilis non potest perpetuitatis esse causa) talem causam materialem dicere oportet; de efficiente enim dictum est prius in sermonibus vniuersalibus de motu, hoc est in 8. Phys. vbi distinximus de duplici efficienti, vel motore; alterum.s. esse quod immobile est per omne tempus; aliud vero quod semper mouetur; primum est primus motor, secundum est primum mobile, seu suprema sphęra. Horũ autem efficientium principiorum, alterum pertinet ad primam Philosophiam, seu Metaphysicam, & hic est primus motor consideratus in ratione quidditatiua, nam vt motor est, ad Physicum quoque pertinet. De eo autem motore, quid alia mouet prout continuè ipse quoque mouetur (hoc est primum mobile) posterius (in 2.libro) determinandũ est, prout est causa, eorũ quæ singularia dicuntur, ac generabilia, et corruptibilia sunt; nã prout est causa in vniuersali, etiam de ipso egimus in 8. Phys. ac in libris quoque de Cęlo.

Tex.15. Nunc autem dicamus eam causam, quæ in materiæ speciæ ponitur, seu quæ est inter causas materiales, ob qua generatio, & corruptio non deficiunt secundum ordinem naturæ, hac enim causa declarata, simul forsitan fiet manifestum hoc, de quo nunc dubitatum est; videlicet, quonam pacto oporteat dicere de simplici generatione, & corruptione, an scilicet fiant ex ente, vel non ex ente. Sed prius determinandum est de causa perpetuæ generationis.

Tex.16. Habet autem dubitationem rationalem id quod quæsiuimus de perpetuitate generationis, quæ .s. causa sit, vt connectatur, vel coniungatur generatio alteri generationi, ac corruptioni, sicq; perpetuò durent. Videtur enim id fieri non posse; siquidem quod corrumpitur ad non ens abit, non ens autem nihil est, neque .n. substantia, neque quantitas, neque vbi, nec aliquid aliud, ipsum non ens est, quare cum quod corrumpitur in nihilum tendat, res naturales per corruptiones deficient. Si igitur (vt diximus) eorum quæ sunt, semper aliquid per corruptionem abit, uel deperditur, cur iamdudum consumptum non est, ac inane factum, vel in nihilum redactum ipsum Vniuersum? siquidem id ex quo vnumquodque generatur finitum est, quod per continuam ablationem consinni debet. Neque dicendum est, ideo non deficere generationes, quia id ex quo aliquid generatur est infinitum, & propterea licet res genitæ corrumpantur, tamen semper aliæ generari possunt, quia talis infinita materia nunquam deficit, hoc enim est falsum, & impossibile, actu enim nullum est infinitum, sed tantum in potentia ad diuisionem. Quare aliter responderi potest, nempe, quod oportet, hanc solam esse causam, vt non deficiant generationes, quoniam; etsi id ex quo fit generatio sit finitum, tamen quia id quod generatur semper minus est genito, ac corrupto pręcedenti, ideo materia illa ex qua fit res genita nunquam deficit, sicut accidit in diuisione continui per partes proportionales. At hæc responsio est similiter falsa; & consvra experientiam, nunc enim hoc non videmus, imò multoties, maiora generari videntur quam fuerint corrupta, vt patet dum ex aqua generatur aer, vel ex semine animal, vel planta.

Tex.17. Quocirca aliter dicendum est ad quæstionem, videlicet hoc, quod; propterea quod corruptio huius est alterius generatio, & generatio huius est corruptio alterius, necesse est incessabilem, ac perpetuam esse transmutationem, scilicet generationem, & corruptionem, materia namque corrupti sit materia geniti, & sic semper, vnde etsi non sit infinita ipsa materia, etsi non semper minus generetur, hoc modo saluari potest perpetua generatio, ac corruptio. De eo igitur, quod est generationem, & corruptionem similiter semper esse circa vnumquodque entium generabilium, & corruptibilium, hanc existimandum est sufficientem esse causam.

Tex.18. Absoluta quęstione de perpetuitate generationis, et corruptionis, nunc examinandum est, propter quid aliqua dicuntur simpliciter generari, & corrumpi; alia autem non simpliciter, etsi re vera generentur, cum sicut corruptio vnius est generatio alterius, ita è conuerso, ac per consequẽs in generatione cuiusq; non tantũ aliud corrumpi, sed etiam aliud generari sit verum, v.g. cum ex semine generatur animal, dicimus simpliciter aliquid generari; cum autem ex animali generantur vermes, non dicimus aliquid simpliciter generari, sed tantum aliquid corrumpi, nempe animal; quærit enim hoc aliquam rationem. Pro cuius solutione est notandum, quod non tantum respectu substantiarum dicitur aliquid generari, & corrumpi simpliciter, & secundum quid; sed etiam in accidentibus; dicimus enim quod corrumpitur nunc simpliciter, seu substantialiter, & non solum hoc, seu secundum quid, & sic in substantijs datur simplex generatio, & simplex corruptio, quæ autem sunt in accidentibus non simpliciter generari dicuntur in comparatione ad substantiam, sed tantum secundum quid, vnde dum discens fit sciens, non dicitur simpliciter fieri, sed secundum quid; hoc est, factus est sciens, tamen dum ex ignorante fit sciens, dicimus simpliciter factum esse scientem, vel aliquid esse factum; dum autem ex sciente factus est ignorans, nõ dicimus aliquid esse factum, sed tantum secundum quid, nam ratio vt aliquid simpliciter fieri dicatur est, quia est magis vel perfectius ens. Quapropter comparando substãtiam ad accidens, ipsa substantia simpliciter fieri dicitur, & accidens secundum quid. Quemadmodum igitur determinauimus sæpe dicentes, quod hoc quidem significat hoc aliquid, seu substantiam, hoc autem non, sed accidens, propter hoc contingit, quod quæritur, nam transmutatio ad substantiam dicitur simpliciter generatio, & corruptio, ad accidens, secundum quid; vno igitur modo dicitur generatio, & corruptio simpliciter substantiæ per comparationem ad accidentia. Sed de substantijs ipsis modo dicamus, ac dubium propositum soluamus, quare notandũ est, quod termini in quos transmutantur ea, quæ transmutantur per generationem, et corruptionem differunt, nam alij sunt magis perfecti, alij minus, vt etiam supra diximus; quare quia ignis est perfectior terra, ideo via ad acquirendam formam ignis generatio simpliciter dici potest; corruptio autem alicuius, seu secundũ quid, puta terræ, terræ autem generatio, ex corruptione ignis, dicitur aliqua generatio, seu secundum quid, corruptio vero ignis, simpliciter corruptio, quare Parmenides dicit, generationem simplicem dici dum est ad ens, corruptio ex ente ad non ens; ponitque ignem veluti ens, terram vero non ens. Hæc autem aut alia supponere non est inconueniens; modum enim quæsimus (quomodo scilicet dicatur generatio simpliciter) & non subiectum (hoc est quodnam sit id ex quo aliquid generatur, de hoc namque alibi dicendum est) quare etsi non bene dicat Parmenides, quod terra sit non ens, nihil refert; sufficit enim quod generatio simpliciter dicatur fieri ad ens perfectius; substantiæ corruptio vero ad non ens; in non ens igitur simpliciter est corruptio simplex, in simpliciter autem ens, generatio simplex; quibus igitur determinata sunt,

tanquam

tanquam terminis ipsa generatio, & corruptio, siue igni, & terra, siue alijs quibusdam; ad hoc tamen reducenda sunt, quod vnum habeat rationem entis, aliud non entis. Vno igitur modo differt in hoc simpliciter generari, et corrumpi. Alio autem modo ex parte qualitatum materialium, siue connotetur substantia, siue non; cuius enim differentiæ magis indicant substantiam, vel ei approximantur, magis eius generatio substantia est, hoc est perfectior est, ac substantialis similis; cuius autem significant priuationem; non ens, vel corruptio dicenda est, puta si calidum prædicamentum, vel genus aliquod perfectum, ac forma sit, frigiditas autem priuatio, tunc acquisitio calidi dicitur generatio, acquisitio frigidi corruptio, vel generatio calidi, generatio simpliciter frigidi, secundum quid; differunt autem ignis, & terra his differentijs, quare, & generatio ipsorum. Quatuor igitur modis dicitur generatio simpliciter, & secundum quid, ac similiter corruptio. Primo, in comparatione substantiæ, & accidentis. Secundo, comparando ens perfectius, & imperfectius, in genere substantiæ. Tertio perfectius, & imperfectius in quocunque genere. Quarto in genere accidentis tantum.

Generatio, & corrupt. simplexqua druplicitez.

Tex. 19. Videtur autem multis magis sensibili, & non sensibili differre generationem à corruptione, quam modis prædictis; quando enim in formam magis sensibilem facta fuerit transmutatio, materiam, seu corpus generari inquiunt; quando autem in non manifestum, seu non sensibilem corrumpi; determinant namque ens, & non ens, eo quod sentiatur, vel non sentiatur, sic videlicet, quod omne sensibile tantum est ens, quod verò non est sensibile, est non ens, imò cum non aliam esse scientiam affirment, quam cognitionem sensitiuam, ac de rebus sensibilibus, complicant cum prædictis scibile esse ens, ignotum autem non ens, nam sensus (secundum ipsos) habet virtutem scientiæ, hoc est, quod cognoscitur per sensum, scitur, & est res sensibilis, quod autem nec est sensibile, nec per sensum cognoscitur, nec scibile est, nec ens. Quemadmodum igitur illi determinant, ac existimant res omnes, ideo existere, ac esse, quia vel viuunt, vel sentiunt, vel tandem sensibilia sunt, sic eas quoque generari, vel corrumpi, prout sensibiles sunt, vel tales esse desinunt, modo quodam prosequentes veritatem (in hoc videlicet, quod id simpliciter generari dicunt, quod magis ens existimant) & circa idem dicunt non verum, prout scilicet id magis ens existimant esse, quod est magis sensibile; vel etiam in hoc, quod solum sensibilia existimant esse entia. Contingit igitur aliter dicere fieri generationem, & corruptionem secundum opinionem, aliter secundum veritatem; nam secundum prædictam opinionem generatio simpliciter fit in magis sensibile, quod solum ens ponitur, vnde ventus, & aer quia minus sensibilia sunt, quam aqua, & terra, ideo quæ corrumpuntur, ac in ipsa transmutantur, simpliciter corrumpi dicunt; ac simpliciter generari, quando ex corruptione horum in tangibile magis, nempe in aquam, vel terram, transmutata fiunt. At secundum veritatem oppositum est dicendum; nam ista sunt magis substantia, & entia perfecta, ac forma, seu actualia, quam terra, vel aqua; & sic, si in magis ens est generatio simpliciter, & corruptio è conuerso, dum generantur, simplicem debent dicere generationem, dum corrumpuntur corruptionem; ac per consequens non sensibile, & insensibile ens, & non ens, determinare; quia si aliquod minus sensibile est magis ens, poterit esse aliquod totaliter insensibile, quod sit perfectius ens.

Tex. 20. Quod igitur sit simplex generatio, existente corruptione alicuius, ac simplex corruptio, alicuius generatione existente, dicta est causa; videlicet, quod materia vnius, sit materia alterius, vel quia formæ non subordinatæ sunt incompossibiles in eadem materia, differunt etiam generationes in hoc, quod vna dicatur simpliciter, altera secundum quid propter materiam, vel substantiam, vel potius terminum generationis. Prima namq; differentia est, quia id quod generatur est substantia, vel non, si substantia, est generatio simpliciter, si non, est secundum quid. Secunda, prout hoc est magis perfectum, aliud vero minus, vt generatio ignis ex terra, dicitur simpliciter generatio, sed terræ ex igni, dicitur secundum quid. Tertia, quia id quod generatur est magis, vel minus sensibile, ita quod magis sensibile simpliciter generari dicitur; minus vero, secundum quid, quod tamen est secundum opinionem aliorum. Quod autem dicantur alia quidem simpliciter generari, alia vero secundum quid, non semper ex mutua generatione, sed etiam alio modo, causa est diuersitas modi, secundum quem generationes fiunt, hoc est, prout accipitur, vel perfectius ens, vel sensibilius, &c. Vnde nunc determinatum sit, cur aliqua non dicantur simpliciter generari, aliqua simpliciter corrumpi, & si generatio vnius sit corruptio alterius, & è contra, & maximè in ijs, quæ mutuo generantur, vt elementa; cur videlicet ignis simpliciter generari dicitur, ex terra, terra vero ex igni secundum quid tantum, ac similiter in alijs, sistendo maximè in substantijs. Quod autem post dicitur, non quærit hoc, sed cur generatio substantiæ dicatur simpliciter generatio; accidentis vero secundum quid, vnde determinata quæstione de generatione in substantijs tantum, nunc comparando substantiam ad accidens determinemus. Quæstio igitur est, quare discens dum fit doctus, non dicitur simpliciter generari, sed secundum quid, seu fieri tantum sciens, quod autem pullulat, vel substantialiter fit, simpliciter generari dicitur. Respondetur, id euenire, propterea quod distincta sunt prædicamentis, nam aliqua significant hoc aliquid, seu substantiam; alia vero qualisatem, vel quantitatem, &c. Quæcunque igitur non substantiam significant, non dicuntur simpliciter generari, sed tantum secundum quid; quæ vero substantiam, simpliciter: est tamen notandum, quod non tantum in comparatione substantiæ ad accidens dicitur generatio simpliciter, & secundum quid, sed etiam in quocunque ordine vel prædicamento id fieri potest, comparando perfectum ad imperfectum in eodem genere, vt in substantia quidem, si ignis generetur, dicitur generatio simpliciter, non autem si terra; in qualitate si sciens, non autem si nesciens, & sic de alijs. De eo quidem, quod est, hæc generari simpliciter, hæc autem secundum quid, & vniuersaliter, scilicet in comparatione cuiuscumque entis, & particulariter in substantijs tantum, dictum est; ac etiam diximus, cur continuè sit generatio, quia videlicet materia, quæ est ipsius generationis subiectum, est transmutabilis de corrupto in genitum, seu de forma contraria in contrariam, ac per consequens corruptio vnius est alterius generatio, & è contra, maximè in substantijs, vnde perpetuo generationes durant.

Differentia generationum.

At vero neque dubitare oportet, quare videlicet generetur aliquid semper, aliquo alio deperdito, seu corrupto, ita vt dubitatio augeatur ex hoc, quod ex nihilo generari videatur, corruptum enim non est, & ex corrupto generetur. Hæc etenim dubitatio non est propria nostræ doctrinæ, seu contra nos, sed contra omnes, qui ponunt generationem, & corruptionem substantialem, ipsi namque etiam Tex. 21.

ex non

ex non ente fieri, confiteri debent. Quemadmodum n. tunc inquiunt substantiam simpliciter corrumpi, quãdo venerit ad insensibile, quod vocant non ens, similiter quando ex insensibile sensibile factum fuerit ex non ente generari dicunt; ita nos quoque ex non ente dicimus simpliciter generari. Quare dubitatio est communis, & pro omnibus solutio secundum veritatem quaerenda est. Dicamus igitur, quod necesse est, generationem ex non ente esse, siue ponatur aliquod subiectum in actu, ut Antiqui ponebant, siue non, quod enim generatur nullo modo praexistit, nec forma eius est compossibilis cum forma corrumpendi, quare prius quam fiat, erat non ens, & sic similiter generatur ex non ente, & corrumpitur in non ens. Meritò igitur non deficit generatio; nam generatio entis est corruptio non entis, seu rei praexistentis, quae fit non ens; corruptio autem entis est generatio non entis, hoc est substantia verò completa cum corrumpitur abit in non ens, si aliud ex ipsa generandum non respiciamus, ex quo non ente (quod debet intelligi materia, quae est non ens in actu, & de qua statim dicemus in sequenti textu) aliud fit, cum nuda non remaneat, ideo semper est generatio, & corruptio.

Tex. 22. Se de hoc non ente simpliciter, ex quo fit generatio substantiae, dubitauerit vtique aliquis, quidnam sit, an videlicet sit aliquod contrariorum, seu terminorum oppositorum, vt dum ex terra fit ignis, vel ex graui leue ipsa terra, & graue sint non ens, ignis vero, & leue ens, vel è contra, an sit aliquid aliud ab vtroque diuersum, videlicet materia, ita quod materia terrae, sit non ens, materia ignis ens, aut è contra; & dato quod materia sit non ens, an eadem sit vtriusque, vel altera. Respondetur igitur ad primum dubium, quod quidem ipsamet materia est non ens in actu, ex qua res generantur, & in quam resoluuntur; vnde soluitur principalis dubitatio proposita in textu vndecimo, quomodo scilicet ex non ente fiat generatio. Sed ad argumentum in quo dicebatur, quod generatio simplex debet fieri ex simpliciter non ente, sicut generatio secundum quid, ex non ente secundum quid, negatur similitudo, nam generatio simplex attenditur maximè ex noua forma substantiali, & haec est non ens antequam fiat, non autem ex productione omnium partium cõpositi, sic namque esset ex nihilo. Vnde sicut generatio secundum quid fit ex non ente opposito generabili, ita generatio simpliciter; sed sicut illa supponit subiectum, ita haec supponit materiam; vnde patet similitudo, ac ex alia parte dissimilitudo, si per non ens simpliciter intelligatur exclusio cuiusque entis, sicut excluditur ens secundum quid. Hoc autem non ens formaliter acceptum est priuatio, quae necessario requiritur in qualibet generatione, & fundatur in materia, materialiter vero est ipsa materia, quae dicitur non ens, prout est priuata forma, vel prout non est in actu. Ad secundam dubitationem respondetur, quod eadem est materia contrariorum, aliter non fierent ex se inuicem, neque ex contrarijs, quae enim ex se inuicem fiunt, aut ex contrarijs, supponunt necessariò vnam communem materiam, ex qua forma vnius expellatur, & altera inducatur, quae per contrarietates disponitur, & sic quae ex se inuicem fiunt, atque contraria sunt, vnam habent communem materiam; haec autem quae primo ex se inuicem fiunt, ac contraria existunt, sunt ignis, & aqua, aer, & terra. Tamen & si habeant materiam vnam, & eandem communem, ratione praedicta, altera tamen consideratione potest dici non eadem, vnde est eadem, prout eadem existens omnibus subijcitur, sed non eadem, prout aliter est in potentia ad vnum, aliter ad aliud secundum varias dispositiones, & sic est eadem essentialiter, differens secundum esse accidentale. De ijs igitur in tantum dictum sit.

CAPVT IIII.

Quo differant Generatio, atque Corruptio ab Alteratione.

De Generatione autem, & Alteratione dicamus, quomodo differunt, dicimus enim has esse diuersas transmutationes ab inuicem, ideo in quo haec diuersitas consistat examinandum est. Est igitur pro resolutione notandum, quod aliud est subiectum, aliud est passio, vel qualitas ipsius, quae de ipso subiecto nata est dici, vt aliud est homo, aliud albedo, quae dicitur de homine in concreto, vt homo est albus, vtrũq; tamen transmutatur, vt homo corrumpitur, & fit non homo, ac similiter ex albo fit niger, prima est mutatio subiecti, secunda passionis. Alteratio igitur est, quando manente subiecto sensibili in actu, transmutetur in eius passionibus, siue sint contrariae, siue mediae, vt corpus est sanum, & rursus laborat, vel aegrotat, idem tamen actualiter manet, & aes idem existens, quandoque quidem rotundum est, quandoque angulare. Quando autem totum subiectum transmutatur, non manente aliquo sensibili, quod sit idem cum actuali subiecto, sed sicut ex toto semine fit sanguis, aut ex aqua aer, aut ex toto aere aqua, tunc est generatio, & corruptio, videlicet generatio vnius, & corruptio alterius, & sic patet quomodo alteratio à generatione, atque corruptione differat. Notandum est tamen, quod in corruptione non dicitur simpliciter nihil remanere, cum remaneat materia, sed dicitur nullo sensibili, ac in actu, hoc namq; formam supponit, quae non remanet. Tex. 23.

Maximè autem manifestum est, quod in corruptione, & generatione totum sensibile transmutetur, si transmutatio fiat ex insensibili in sensibile (quod quidem sensibile sit tactu, aut alijs sensibus nihil refert) vt quando aqua generatur ex aere, aut corrumpitur in aerem; tunc (inquam) magis manifestum est, quod nihil sensibile remanet, maximè dum corrumpitur aqua, quae est magis sensibilis, aer enim mediocriter insensibilis est. In his autem elementis, quae ad inuicem transmutantur, si aliqua eadem passio, vel qualitas contrarietatis manere possit in genito, & corrupto, vt quando ex aqua fit aer, vel è contra, ambo remanent transparentia, vel humida, non oportet tunc esse alteram passionem diuersam, in quam fiat transmutatio talis qualitatis, sed eandem. Vnde sicut potest fieri alteratio manente eodem subiecto, ita interdum generatio, & corruptio, manente eadem qualitate (quod quomodo sit verum, in quaestionibus examinabitur.) Oportet igitur ad hoc vt sit generatio, & corruptio, quod totum subiectum mutetur, si autem non, erit alteratio, & non generatio, & corruptio, sicut quando musicus homo corruptus est, homo autem immusicus generatus, tunc manet idem homo, & tantum alteratio est. Si igitur musica & immusica, non essent passiones, vel accidentia huius hominis, sed essentiales differentiae, tunc generatio vnius esset corruptio alterius, & è contra; ideò quia sunt accidentia ipsius manentis, horum acquisitio, ac deperditio, alteratio est. Sic igitur differunt generatio, corruptio, & alteratio. Nunc quomodo ob alijs mutationibus differant determinandum est. Quando igitur secundum quantum fit trans- Tex. 24

fit transmutatio contrarietatis, hoc est de quanto imperfecto, ad perfectum, vel è contra, tunc est Augmentatio, & Diminutio. Quando autem secundum locum, Latio; Quando vero secundum passionem, vel qualitatem, Alteratio. Quando autem illius cuius sunt prædictæ passiones accidentia (hoc est subiectum ipsum) nihil sensibile permaneat omnino, tunc est generatio, & corruptio, hoc est corruptio ipsius, & alterius generatio. Differunt ergo hę mutationes specialiter ex parte terminorum, sed in communi differunt quoque ex parte subiecti, vel materia. Nam materia propriè dicta, quæ est ens in potentia & incōpletum, est subiectum proprium susceptibile generationis, & corruptionis. Alio autem modo est subiectum, & materia aliarum transmutationum, nam debet esse ens in actu, seu coniuncta formæ, in hoc tamen conuenit, quod etiam hoc modo est susceptiua contrarietatum aliquarum, per quas prædictæ mutationes fiunt. De generatione igitur, & corruptione, siue est, siue non, & quomodo est, & de alteratione determinatum sit hoc modo.

SVMMA SECVNDA.

De Augmentatione.

CAPVT I.

Quomodo Augmentatio ab alijs motibus differat.

Tex.19. *DE Augmentatione autem reliquum est dicere, & quomodo differat à generatione, & alteratione, & quomodo vnumquodque eorum, quæ augentur, augeatur, ac eorum quæ diminuuntur, diminuatur. Scrutandum itaque primum est: Vtrum differant hæ mutationes tantum circa earum terminos ad quos fiunt, ita vt generatio sit mutatio ex potentia substantiæ ad substantiam in actu; quæ autem circa magnitudinem augmentatio, & diminutio; quæ autem circa passiones vel qualitates, alteratio, vtraque tamen mutatio (tam videlicet accidentalis, quæ includit alterationem, augmentationem, ac diminutionem, quam substantialis, quæ includit generationem, & corruptionem) in hoc conueniat, quod sit transmutatio ex ijs, quæ sunt in potentia, ad actum, vt quod est potentia calidum in alteratione, fiat actualiter tale, & sic de alijs. An etiam differant secundum modum. Respondetur, etiam in modo differre. Videtur enim id quod alteratur, non ex necessitate transmutari secundum locum (& si interdum supponat motum localem, nempe approximationem agentis, vt diximus 8. Physicorum tex. 55.) idem etenim ex albo potest fieri nigrum absque vlla sui locali mutatione, similiter quod generatur, & corrumpitur, quod enim generatur non erat antea, ideo mutari secundum locum dici non potest, nam mutari localiter supponit esse; & pariter quod corrumpitur, & quia in eodem loco potest corrumpi, & quia non remanente non mutatum dicitur, nam etiam in fine, quod localiter mutatum est integrum manere debet; Quod autem augetur, ac diminuitur, localiter mouetur; alio tamen modo ab eo quod fertur, seu simpliciter mouetur localiter; quod enim fertur totum mutat locum, quod autem augmentatur, & diminuitur secundum partem tantum, nam occupat maiorem, vel minorem locum, vt quod augetur mutat, locum quemadmodum, quod extenditur, quod dimmuitur, quemadmodum quod retrahitur. Hoc igitur quod augetur, & diminuitur, manente toto, particulæ eius mutantur secundum locum, non tamen eo modo quo mouentur partes corporis sphærici, hæ namque manente toto corpore sphærico transmutantur semper in æqualem locum, partes vero eius quod augetur, semper in ampliorem: eius vero quòd diminuitur in minorem. Quare differt motus augmentationis, & diminutionis, à generatione, corruptione, & alteratione, quia hæ non sunt secundum motum localem, augmentatio vero, & diminutio sunt. A motu locali recto, quia mobile totum locum relinquit, & ad alium accedit, hæ vero solum maiorem, vel minorem obtinent, non relinquendo locum; à circulari verò, quia semper mobile, ac partes eius sunt in æquali loco, quod non accidit in augmentatione, & diminutione.*

CAPVT II.

De Augmentationis materia.

QVod igitur transmutatio eius, quod generatur, corrumpitur, alteratur, augetur, diminuitur, ac localiter mouetur, vel rectè, vel circulariter, differant, Tex. 26. *non solum in ipso circa quod, seu circa terminum, (modo præexposito) sed etiam sic in modo manifestum est. Videtur igitur, quod transmutatio augmentationis, & diminutionis, circa magnitudinem sit, vt diximus. Nunc autem videndum est; vtro modo accipiendum sit augeri, & diminui ex parte materiæ.*

Vtrum fiat augmentatio ex magnitudine, vel corpore Tex.27. *in potentia, quod quidem videlicet nullam habeat actualiter magnitudinem, & tamen ex ipso corpus, vel magnitudo generatur (secundum partes, scilicet prout ad augmentationem spectet.) An talis augmentatio ex corpore actualiter quanto fiat. Cum autem fieri ex corpore non actualiter quanto dupliciter contingat, scilicet, quod talis incorporea materia sit secundum se separata ab omni corpore, vel cum aliquo corpore coniuncta, quomodo hoc vel illo modo fiat. An impossibile sit vtroque modo. Respondetur igitur, quod ex materia incorporea separata augmentatio fieri non potest, separata enim existens, aut nullum possidebit locum (cum locus sit corporum tantum) vel erit veluti punctum aliquod, aut veluti vacuum, vel sicut corpus non sensibile, seu imaginarium (non etenim datur sensibile corpus, nisi hoc velimus dicere de mathematico, de quo non est ad propositum, nec in loco est) horum autem hoc quidem non contingit (quod scilicet ex materia non possidente locum augmentatio fiat) nam hoc ex quo aliquid fit, vel augetur, necesse est semper in aliquo loco esse, quia quod generatur, vel augetur ex eo, semper alicubi erit, quare etiam illud ex quo generatur, aut secundum se, aut secundum accidens, alicubi quoque erit, cum in eodem loco cum illo esse debeat, non igitur ex materia nullum possidente locum fit augmentatio.*

Sed si in aliquo ipsa materia inerit, veluti quid separatum, vel distinctum ab eo cui inest, ita quod neque per Tex. 28. *se, neque per accidens sit aliquid illius, sed sit v.g. sicut vinum in vase, contingent multa impossibilia. Dico autem vt si generetur aer ex aqua (sic videlicet, quod ex aliquo existente in aqua veluti in vase aer generetur) aqua*

non erit transmutata, & hoc modo generatio vnius ex corruptione alterius non esset, imò (vt diximus) erit aeris generatio, propterea quod materia ex qua aer fieri debet, est in aqua veluti in vase. Praeterea; cum materia non occupent locum, nihil prohibet, infinitas esse materias in eadem aqua, quare simul infinita actualiter generationes fieri possent, ex aliqua etiam parua aquae parte, seu ex materijs in tali parua aqua existentibus. At si quis dicat, quod illa materia sunt infinita in potentia, sed actualiter vnam constituunt, & sic non sequitur, quod dictum est. Hoc non valet, nam qui ponunt hoc modo materias vt in vase, eas actualiter distinctas ponunt, vt sunt grana tritici in sacco. Amplius, neque sic videtur aer generari ex aqua, vt exiens à manente, ita vt ipse aer, vel materia eius exeat ab aqua manente, vel incorrupta, sed ex illius corruptione, istius fit generatio. Non igitur alteri inerit materia veluti quid separatum, vel diuersum ab eo. Quod autem non possit esse materia separata incorporea, vt punctum, vacuum, vel insensibile corpus, aliud dicere non oportet, nam ex se satis est manifestum, quomodo nec punctum, nec vacuum, nec insensibile corpus separata reperiuntur, & sic patet sufficiens diuisio.

Tex.29. *Melius est ergo facere materiã inseparabilem ab omnibus, quorum est materia, ac illorum partem esse, ita quod existat vna numero cum quolibet ipsorum (propria videlicet, vt materia huius lapidis est vna numero cum ipso; pars enim non ponit in numero respectu totius) ratione autem non vna; alia etenim ratio, vel quidditas est materia alia ipsius compositi. At vero neque propter hoc, quod materia est inseparabilis ab eo cuius est materia (ipso videlicet, vel illa remanente sola) debemus dicere sicut faciunt aliqui, omne quod est inseparabile, materiam esse, sic namque puncta, ac linea deberent poni materia (vt quidẽ etiam ponunt) propter easdem causas, quod absurdum est, nam illud est materia, cuius hac sunt termini, materia vero terminus esse non potest, cum proprium eius sit ab alio terminari, nempe à forma, & ab alijs qualitatibus, vnde neque sine ipsa forma, nec sine qualitatibus, vel passionibus esse potest, vt ab ipsis terminata.*

Tex.30. *Generatur igitur simpliciter, seu substantialiter alterum ex altero, vt diximus in 1. Physic. ita vt illud ex quo aliud generatur tanquam ex termino, à quo sit primo in actu, & ex eius corruptione aliud fiat, pars vero geniti ex qua fit sit materia, & in potentia, ita quoque de augmentatione dicendum (nam ad hoc explicandum de generatione id diximus) videlicet, quod neque ex materia separata incorporea, neque ex alio existente in alio distincto, fiat; sed ex corpore actualiter quanto, ac in naturam, vel magnitudinem augmentabilis conuertibili, quemadmodum respectu causae efficientis, semper quod fit ab aliquo actualiter existente fit, quod sit eiusdem generis, vt substantia à substantia, vel eiusdem speciei, vt ignis ab igne, aut homo ab homine, vel saltem conueniant in hoc, quod generans sit in actu, sicut erit generabile, vnde durum, non semper à duro generatur, nec vermis à verme, sed sufficit, quod ab aliquo actualiter existente; quare patet, quod dicitur vulgariter, simile à simili generari, non esse vniuersaliter verum, nisi extendamus similitudinem secundum conuenientiam actus.*

Generans, & genitum quomodo similia.

Tex.31. *Quoniam autem materia est tantum substantia corporea generabilis, ideo non debemus intelligere, quod sit corporis alicuius communis ipsa materia, vel quod commune ipsum generetur, vel augeatur, nullum enim est commune corpus, nisi per intellectum; sed est materia corporis talis, vel singularis, quae est quoque materia magnitudinis, & aliarum passionum ratione quidem separabilis ab istis, loco vero non separabilis, nisi passiones separabiles ponantur, quod absurdum est. Eadem igitur est materia (videlicet remota, & prima) generationis, augmentationis, & alterationis, sed in generatione fit pars essentialis geniti, in augmentatione, & alteratione nunquam habet rationem partis, sed semper subiecti, haec autem materia debet esse singularis in omnibus istis mutationibus, sicut quodlibet corpus quod generatur, corrumpitur, augetur, vel diminuitur, ac quacunque alia mutatione mutatur; actiones namque physicae circa singularia sunt. Manifestum itaque est ex dubitatis, quod augmentatio non est transmutatio ex magnitudine in potentia, & non in actu (hoc est ex pura materia sine quantitate) sic namq; ipsa communis materia esset à quantitate, & alijs accidentibus separata, hoc autem quod impossibile sit, dictum est prius in alijs, maximè in 2. Physicorum tex. 12. Amplius autem, talis trãsmutatio, non esset propria augmentationis, sed penitus generationis, quae immediatè materiam & formam concernit, & licet supponat corpus quantum, hoc non est de essentia illius. Augmentatio vero est existentis magnitudinis additamentum, vnde in eius definitione, & natura actualis magnitudo includitur; Diminutio autem, minoramentum; ideo id quod augetur, ac diminuitur, oportet habere aliquam magnitudinem. Quapropter non ex materia sine magnitudine oportet esse augmẽtationem in actum magnitudinis (hoc est non fit augmentatio, ex magnitudine in potentia, ad magnitudinem in actu) generatio enim erit magis corporis, non autem augmentatio, quia quod sine magnitudine actualiter intelligitur, materia est, quae ad generationem spectat.*

Accipiendum itaque magis exactè, ac veluti tangentes quaestionem à principio causa videndae sunt, quomodo videlicet, ac quali existenti actuali magnitudine, fiat augmentatio, & diminutio. Pro cuius solutione supponamus quaedam communia, quae multis quoque sunt nota ipsi augmentationi conuenientia, quae postea etiam examinabimus. Videtur itaque eius, quod augetur, quod quaecunque pars augeatur. Similiter autem in diminutione, quaelibet pars diminuitur. Amplius autem, quod fiat augmentatio, adueniente aliquo extrinseco, vt in animalibus cibo, ac recedente, fiat diminutio. Quomodo tamen hoc fiat, valde difficile est. Necesse enim est, aut incorporeo fieri augmentationem, aut corporeo. Vtrunque tamen videtur impossibile; si enim incorporeo, erit separatum vacuum, seu materia illa sine dimensionibus, quae locum non occupat, vnde vacuum esset; impossibile autem est à magnitudine materiam esse separatam, sicut dictum est prius. Si autem corporeo, duo corpora essent simul in eodem loco, & quod augetur, & quod auget, est autem, & hoc impossibile. Tex. 32.

Sed neque sic contingit fieri augmentationem, & diminutionem (vt aliqui dicunt) quod ex vno corpore minori fiat maius, vel è contra, vt quando ex aqua generatur aer, tunc enim quidem maior moles generata est, sicut si ex aere aqua, minor, non tamen hoc est augmentatio, & diminutio, sed generatio, & corruptio; erit quidem generatio eius in quod transmutatur, corruptio autem contrarij, augmentatio autem neutrius, vt si ex aqua fiat aer, est generatio aeris, ac aquae corruptio; si verò è contra, aqua generabitur, aer corrumpetur, neutrum tamen augmentabitur. Sed erit augmentatio, aut nullius, aut alicuius communis Tex.33.

nis ipsorum, vt corporis, aqua autem aucta non est, neque aer, sed vnum corruptum, alterum generatum est, corpus vero quod commune ponitur forte potest dici auctum. Quod etiam est impossibile, hoc namque corpus commune ab elementis diuersum, quod ex ipsis fiat, non datur, vel dicamus, quod est mistum ex elementis genitum. At hoc non dicitur augeri, cum ex illis generatur; nam eius quod augetur & diminuitur debet saluari ratio existentia, hoc est (quod maneat integrum) vnde vniuersaliter tres sunt conditiones augmentationis, & diminutionis. Conditiones augmentationis tres. *Prima, quod qualibet pars aucti, fiat maior, diminuti minor, vt si caro sit pars carnis. Secunda, quod fiat aduenente aliquo extrinseco, vel recedente in diminutione. Tertia, vt id quod augetur, ac diminuitur saluetur, ac permaneat. Sed cum simpliciter, vel substantialiter generatur aliquid, vel corrumpitur, siue sit mistum, siue elementum, non permanet, quod vero alteratur, augetur, aut diminuitur permanet idem, licet in alteratione varietur passio, vel qualitas, in augmentatione, & diminutione quantitas. Si itaque augmentatio erit, vt dictum est, ac dicamus, elementum, vel mistum dum generantur augeri, oppositum dicere oporteret, videlicet, quod fiat augmentatio, nullo extrinseco adueniente, ac diminui nullo recedente, nec permanente, quod augetur, & diminuitur, ac neque quamlibet partem augeri, vel diminui; quod enim generatur, non remanere dicitur, cum antea non esset, nec aliquo extrinseco generatur, cum forma educatur de potentia materiæ; ac per consequens, cum ibi nulla sit augmentatio, nec qualibet pars augebitur, pariformiter dicatur de diminutione, quæ corruptioni assimiletur, videlicet, quod in ipsa corruptione, quod corrumpitur non remanet, nec aliquid extrinsecum recedit, imò intrinseca forma, nec denique qualibet pars diminuitur; patet ergo, quod in augmentatione & diminutione, oportet saluare augmentabile, & diminuibile, vt diximus; supponitur enim pro vero, quod talis sit augmentatio, ac diminutio; ideò falsum est dicere, dum aliquid generatur, vel corrumpitur, ipsum augeri, vel diminui, nam tales conditiones non saluantur.*

CAPVT III.

Quid sit id, quod augetur.

Tex. 34. *DVbitabit autem aliquis, quid sit quod augetur; utrum id cui apponitur aliquid, an id quod apponitur, vt si cruri apponatur nutrimentum, an ipsum crus fiat maius, & ipsum nutrimentum quod auget, non. Quare igitur non ambo aucta sunt, ita vt maius factum sit, quod augetur, & quo augmentatio fit, seu crus, & nutrimentum, quemadmodum quando miscueris aquæ vinum, similiter plus vtrumque fit, seu vtrumque augetur, si in quadam misceantur proportione, ita scilicet quod aqua non sic excedat, vt vinum corrumpat, vel è contra. Respondetur, quod id augeri dicitur, quod manet incorruptum post augmentationem factam, vt supra diximus; ideo quia cruris, vel eius quod augetur manet integra substantia, nutrimenti vero non, sed corrumpitur, crus ipsum, vel aliud quod nutrimentum recipit augeri dicitur, non autem nutrimentum; quod autem substantia illius, quod augetur maneat, patet, nam id quod alteri dominatur, ac in suam naturam conuertit, manere debet, at in mistione, vel augmentatione, id quod augetur dominatur nutrimento, at in sui naturam conuertit, vt magna quantitas vini à parua aqua augeri dicitur in mistione vtriusque, quia dominatur; quare tota mistura ex tali vino, & aqua, facit vini opus, sed non aqua, quod signum est, ipsum vinum remanere, ac dominari. Similiter in alteratione, si manet caro existens, & quod substantia, vel subiectum alterationis est, passio autem aliqua earum, quæ secundum se fit alteratio nunc est, ac prius non existebat, ipsum subiectum, vel caro, vel substantia alterari dicitur, non autem passio, eadem ratione, quia etiam in alteratione manere debet integrum, quod alteratur. Est tamen discrimen inter id à quo augetur, seu nutrimentum, & id à quo alteratur, seu quale; nam illud à quo alteratur, interdum alterando nihil repatitur ab ipso alterato, vt dum homo alteratur à Sole, vel alijs cœlestibus, quandoque autem etiam illud quod alterat alteratur, vt cibus alterat stomachum, & alteratur ab illo, id vero à quo fit augmentatio semper alterando alteratur, vt cibus semper alteratur à calore naturali, quem etiam alterat. Sed alterans in augmentatione, ac principium motus, seu virtus alterandi principalis est in eo quod augmentatur, & alteratur, non sic in alteratione, in qua est præcipuè in alterante. Quapropter licet interdum nutrimentum ingrediens corpus nutriendum fieri possit maius, quam antea (sicut etiam fit maius corpus, quod ipso nutrimento fruitur) vt si ipsum ingrediens conuertatur in spiritum (hoc est in substantiam subtilem, vt in sanguinem, vel chilum) tamen virtus talis augmentationis, vel maioritatis ipsius nutrimenti non est ab ipso; sed corruptum, est patiens hoc, & in hoc non est mouens, idest ipsum nutrimentum, quod patitur hoc corruptum est à virtute nutriti, & in hac maioritate ipsum nutrimentum non est mouens, vel agens, sed patiens tantum.*

Discrimen inter augens, & alterans.

Quoniam autem dubitatum est de ijs sufficienter, oportet nunc etiam tentare inuenire solutionem dubitationis, saluantes conditiones in superioribus assignatas, scilicet quod maneat integrum id quod augetur, & quod fiat augmentatio adueniente aliquo extrinseco, & diminutio, recedente; Adhuc autem, quodcunque signum sensibile (seu pars naturalis, quæ actionem conuertendi cibum habet) in augmentatione fiat maius, in diminutione minus. Præterea, quod corpus augmentabile non habeat in se vacuum, neque duas magnitudines, vel corpora simul se penetrent in eodem loco, neque fiat augmentatio aliquo incorporeo, hæ (inquam) conditiones saluari debent in augmentatione, & diminutione. Accipiemus autem causam, & rationem prædictorum, cum prius quadam alia ad hoc pertinentia determinauerimus; quorum vnum est. Quod ideo partes dissimilares, vel heterogeneæ augentur, quia augentur partes similares, ex quibus ipsa dissimilares constant, vt ideo augetur caput, brachium, & alia, quæ dissimilaria sunt, quia caro, os, venæ, & alia similaria, quæ dissimilaria componunt, augentur. Secundum. Quod caro, os, & vnaquæque talium partium similarium est duplex, quemadmodum aliæ res, quæ habent formam in materia, etenim materialis dici potest & formalis. Materialis dicitur, si consideretur illa materia, vel substantia, aut denique corporeitas talium partium, vel potius dicitur materia, prout est fluxibilis, atque à calore naturali restaurabilis, ita vt instar materiæ modo sub tali forma, vel dispositioni modo sub alia sit. Formalis verò, est eadem pars considerata sub tali situ ordine, & figura, quod sic potest declarari; dum Tex. 35.

Partes similares, materiales, & formales.

aliquis est sanus, vel pinguis, ac postea infirmatur, vel macret, proculdubio remanent eadem partes, non tamen in eadem corporeitate, & dispositione; in hoc igitur forma remansit, materia vero fluxit. Dum igitur superius diximus, quod qualibet pars augeri debet, & adueniente aliquo extrinseco, hoc intelligendum est de partibus formaliter acceptis, nam de materialiter sumptis non est possibile, cum ista sint in continuo fluxu.

Partes materiales nō augentur.

Tex. 36. *Oportet enim intelligere, quemadmodum si quis aliqua mensura mensurabit aquam in aliquo vase, ita vt habita prima mensura, aqua illa proijciatur, & alia in eodem vase mensuratur, tunc semper erit alia, & alia aqua, quæ generatur, seu in vase ponitur, tamen vas idem semper erit; vnde aqua assimilatur materiæ, ac parti fluenti, vas vero formæ, sic vtique augmentatur materia carnis, & non cuicumque parti aliquid adijcitur, sed tantum formali, materialium enim, hæc quidem defluit, hæc autem aduenit, ideo eis adijci aliquid non potest; nam id cui adijcitur manere debet, figuræ autem, & formæ cuiuscunque particulæ adijcitur, & sic qualibet pars formalis augetur.*

Tex. 37. *In his autem, quæ sunt dissimilium partium, hoc magis manifestum est (videlicet quod partes formales augeantur) vt manus, quæ proportionaliter aucta est, etsi materia sit altera, & altera; quare in ipsa manu, ac in cæteris dissimilaribus magis forma manifesta est, quam in similaribus, vt in carne, osse, &c. quæ quidem partes formales non tantum ex figura cognoscuntur, sed magis ex distinctis operationibus, ac officijs, vnde organa appellantur; aliud etenim est officium, ac operatio oculi, aliud oris, & sic de alijs, vnde quo ad hoc, partes similares mortui, vt caro, os, & alia, magis videntur esse talia, quam partes dissimilares, vt manus, & brachium, quia cum dissimilares tunc nullo fungantur officio, ex hoc distingui non possunt; licet quo ad figuram distinctionem etiam retineant, non sic partes similares, quæ officia sic distincta non habent. Quapropter est verum, quod quæcunque pars carnis aucta sit vno modo, alio autem non; secundum formam enim, cuicunque parti accessit augmentum, ac aucta est, secundum materiam vero non; quare augentur partes formales secundum quodcunque sensibile signum, non autem materiales.*

Tex. 38. *Fit igitur maius ipsum totum quod augetur, adueniente aliquo extrinseco, quod vocatur nutrimentum, quod quidem in principio est contrarium, vel dissimile nutrito, transmutatur tamen postea in eandem formam, vt si sicco adueniret humidum, in siccum denique transformaretur, sicut sanguis conuertitur in os, & sic sunt in principio dissimilia, & in fine similia, ita cum ipsum humidum aduenit, transmutaretur in siccum, ac siccum generaretur, & sic simile simili aliquo modo augetur, aliquo vero dissimili, hoc est dissimili (vt diximus) in principio, & simili in fine.*

C A P V T IIII.

Quale sit id, quo augetur; Quomodo fiat augmentatio. De differentia inter augmentationem, & nutritionem, & quid sit ipsa diminutio.

Tex. 39. *Dubitabit autem aliquis, quale oportet esse id quo aliquid augetur, hoc est, quale debet esse nutrimentum. Manifestum est quod debet esse in potentia ad id quod augetur, vt si caro augeri debet, erit augmentum caro in potentia, sed actualiter erit aliud, videlicet, vel cibus, vel sanguis, vel etiam caro, sed diuersa ab ea, quæ augeri debet, hoc autem augmento corrupto, caro generata est, non tamen sic secundum se generata erit, vt maneat ab alia carne distincta, & separata, sic namque generatio esset, & non augmentatio, sed debet esse pars ipsius quod augetur, & ipsum auctum in hoc augmento esse etiam debet, sicut totum in parte; & hoc modo non erit generatio, quæ est productio totius, non autem partis. Sed quæritur, quid nam auctum ipsum, ab hoc augmento sit patiens. Respondetur, quod alterationem quandam patiens est, ex qua postea miscetur cum tali augmento, & fit vnum mistum tantum, quemadmodum si quis vino superinfundat aquam; sed hoc vinum (vt exemplum valeat) possit facere de aqua, quod facit mistum de nutrimento, hoc est conuertere aquam in naturam suam, tunc namque ex vtroque vnum tantum est mistum; sic quoque quod augetur cum augmento, & melius; similiter sicut ignis tangens vrenda vrit, ac ex eis in ignem conuersis augetur, ita in eo quod augetur; nam existente iam in actu carne; quod est actualiter, ac proximum augmentatiuum, ex eo quod erat caro in potentia, fecit actu carnem, & vnam ex ambabus, ergo simul vtraque existente id factum est, si enim seorsum aliqua caro generaretur, & alteri non vniretur, generatio esset; quod exemplo declaratur; ignis existens in lignis, si ex lignis sibi additis ignem efficiat, augeri dicitur ignis præcedens, quia ignis separatus ab eo non generatur, sed coniunctus; quando autem ipsa ligna accensa fuerint separata ab igne, tunc est ignis generatio, hæc autem exempli gratia ponimus, nam vera augmentatio non est igne, nec in alijs inanimatis, sed conuenit tantum viuenti, vt exactius postea dicetur.*

Est tamen notandum, quod sicut aliquod quantum, vel corporeum non generatur in vniuersali (quemadmodum non generatur animal, quin generetur homo, vel equus, vel tandem aliquod animal singulare) ita nec fit augmentatio alicuius vniuersalis, sed sicut in generatione se habet animal vniuersale, vel singulare, ita in augmentatione quantum, & sicut in illa generatur aliquid non ex eo quod erat actualiter idem tale, sed solum potentia, ita in augmentatione. Caro igitur, & os, aut manus, aut nerui, & horum alia, quæ sunt similium partium, ac postea etiam dissimilium, augentur, adueniente quidem aliquo quanto, sed non actualiter carne, vel parte illa, quæ augeri debet, vnde erit actualiter cibus, & quantus v. g. sed non actualiter caro animalis augmentabilis, quare augmentatio supponit quantum actuale ex quo fiat, sed in potentia ad aliud per sui corruptionem. Tex. 40.

Secundum igitur quod compositum in potentia ex vtroque (hoc est ex ipsomet augmentabili, & augmento, vel nutrimento) est in potentia, ad quantitatem maiorem, vt ad maiorem carnem, sic quidem nutrimentum auget, ac augmentatio est, in qua, & carnem, seu substantiam oportet generari, & quantitatem simul. Secundum autem quod solum caro est, seu in potentia, vt generetur substantia tantum, quæ faciat ad restaurationem deperdita absque additione maioris quantitatis, tunc ipsum nutrimentum tantum nutrit, & sic nutritio est, atque hoc modo differunt augmentatio, & nutritio, videlicet tantum ratione, vel definitione, non autem subiecto. Ideo viuens nutritur quidem quo vsq; saluum fuerit; seu quandiu viuet, licet diminuatur, nam adhoc vt viuat Tex. 41.

Nutritio.

Viuens quandiu viuit nutritur.

debet

debet semper restaurare substantiam, vel partẽ illius deperditam, & hoc est nutriri, non autem semper augmentatur, nam calor naturalis non est semper sufficiens maiorem efficere quantitatem, nec ad vitam est necessaria. Non tantum igitur augmentatio, & nutritio conueniunt, atq; differunt eo modo quo dictum est, sed eodem modo conueniunt, & differunt augmentum, & nutrimentum, vnde nutrimentum, cum augmento idem quidem subiecto est, ipso autem esse (hoc est ratione, vel definitione) non idem. Nam ipsum nutrimentum quod aduenit nutrito, secundum quod est potentia, vt sit quantum, augmentatiuum dicitur, secundum autem quod solum est in potentia, vt sit caro, vel substantia viuentis, nutrimentum est. Hæc autem nutritio potest aliquo modo per similitudinem dici forma, vel introductio formæ sine materia (hoc est acquisitio substantiæ, quæ forma dici potest, sine quantitate, quæ hic vocetur materia) & sic est quædam virtus, vel potentia immaterialis, tamen in materia existens. Si autem existente hac immateriali virtute, aduenerit aliqua materia, vel quantitas, ad quam ipsa virtus erat in potentia, hæ immateriales virtutes maiores erunt quam antea, hoc est, ad plura se extendere possunt, scilicet, ad nutritionem, & augmentationem; vnde notandum est, quod in omni augmentatione est nutritio, sed non è contra, quod etiam superius tactum est. Sic igitur fit augmentatio, & nutritio. Nunc de diminutione aliqua dicamus.

Tex. 42. *Si autem calor naturalis amplius facere non possit (hoc est, non possit restaurare quantum de substantia deperditum fuit) sed vt aqua vino mista, semper plus, & plus, in finem aquosum facit, ac virtus, & substantia viui diminuitur; sic nutrimentum semper additum diminuit calorem, & substantiam, & sic fit diminutio, & caloris, & substantiæ viuentis, remanet tamen forma ipsius, dum viuit, & substantialis & partium, quam opponi materiæ in superioribus (scilicet in tex. 34.) diximus.*

SVMMA QVARTA.

De Tactu, Agere, Pati, & Mistione.

CAPVT I.

Exponitur intentio, de quibus agendum sit.

Tex. 43. *QVoniam autem oportet primum agere de materia, seu simplicibus corporibus, quæ communiter vocantur elementa (dicitur; vocantur, quia in rigore non sunt elementa; elementũ enim dicitur id, in quod vltimò aliquid resoluitur, & ex quo primo componitur, sed hæc adhuc in materiam, & formam resoluuntur, quare non sunt penitus prima in compositione, nec vltima in resolutione, & sic elementi naturam non propriè habent, licet in ordine ad mista aliquomodo elementa dici possint) etsi sunt, etsi non, & vtrum sempiternum sit vnumquodque, an aliquomodo generetur, & si generetur, vtrum omnia ex se inuicem generentur eodẽ modo, aut aliquod vnum eorum primum sit, veluti materia, ex quo alia generantur. Necesse est igitur prius vtique dicere de istis elementis, de quibus istis nostris temporibus indeterminatè, seu confusè à quibusdam dicitur. Omnes igitur, qui elementa generari dicunt, ac etiam illi, qui tantum ea, quæ sunt ex elementis generari inquiunt, vtuntur congregatione, & segregatione, ac ipso facere, & pati: est autem congregatio mistio quædam, quare vt de elementis tractemus, nos quoque de agere, pati, ac mistione differere debemus, ipsi namque (& si alio modo errent) in hoc bene fecerunt, quomodo autem misceri dicimus non est ab ipsis distinctè determinatum; quapropter nos id efficere debemus; sed neque alterari possibile est, neque segregari, & congregari, nullo faciente, neque patiente; etenim qui ponunt plura elementa, dicunt generationem ex ipsis fieri, agendo, & patiendo ab inuicem, etsi deficiant in hoc quod non ponant vnum commune subiectum, circa quod agerent, & paterentur, necesse etenim est ex vno subiecto communi fieri actionem, & passionem contrariorum. Vnde in hoc rectè dicit Diogenes, quod si omnia elementa non essent ex vno subiecto, vel materia, non esset agere, & pati ab inuicem, vt calidum infrigidari, & hoc calefieri rursus, non enim transmutantur caliditas, & frigiditas in se inuicem, ita vt vna sit alterius receptiua, sed manifestum est, quod subiectum transmutant, à quo mutuo se expellunt. Quapropter in quibus est facere, & pati, necesse est, horum vnam esse subiectam naturam. Non tamen sufficit ad agendum & patiendum vnitas subiecti, vt credebat Diogenes, & in hoc errauit, sed requiritur mutua contrarietas adinuicem. Quare dicere omnia, quæ vnum commune subiectum habere possunt esse talia .s. actiua, & passiua, non verum est, sed solum est verum in illis (vt diximus) in quibus est ipsum ab inuicem pa[illegible], hoc est contrarietas. Sed si de ipso Agere, Pati, ac Mistione videndum est, necesse est de Tactu quoque agere, neque enim propriè possunt hæc facere, vel pati, quæ non possunt se tangere, neque possunt ad inuicem misceri, quæ primum non est possibile, quod se tangant. Quapropter de tribus his determinandum est, quid sit Tactus, quid Mistio, & quid Factio; sed ante omnia de Tactu, est namque vniuersalior prædictis. Necesse est enim entium, quibuscunque conuenit mistio, quæ sunt ad inuicem tactiua, & si aliquid facit, aut patitur, principaliter (hoc est vera actione, & passione physica) in his similiter est tactus, ideo cum ipse tactus ab omnibus prædictis inferatur, & ipsa non inferat, vniuersalior erit, & primum de ipso dicendum.*

CAPVT II.

De Tactu.

PRius quam de Tactu determinemus, oportet ipsum distinguere, nam sicut ferè vnumquodque nominum dicitur multifariam, ita vt aliud æquiuocè, alterum verò analogicè, seu secundum prius & posterius; sic se habet de tactu; dicitur namq; de sensu, sed tamen propriè, ac vniuersaliter inexistit in ijs, quæ habent positionem, positio autem conuenit ijs, quæ sunt in loco, quare corporibus tactus conuenit, hæc namque, & positionem, & locum habent. Vnde mathematicis similiter assignandus est tactus, & locus, siue separata ipsa corpora mathematica à naturalibus ponantur, siue non. (At dices quomodo corpora mathematica sunt in loco, si tantum per abstractionem à naturalibus separantur; abstracta autem locum non occupant, præterquam quod essent accidentia sine subiecto; nam corpora mathematica sunt de genere quantitatis. Item quia sæpius in præcedentibus dictum est oppositum. Respondetur, quod corpora mathematica Tex. 44.

secundum suum esse abstractum à naturalibus non sunt in aliquo loco occupatiuè, sed considerantur cum loco, hoc est modo repletiuo, & similiter de tactu; ita vt sit sensus, quod corpora mathematica à naturalibus abstracta in loco non sunt, sed tamen ab ipso non abstrahunt, & similiter de tactu.) Si igitur (vt determinatum est prius 5. Physicorum tex. 22.) tangere dicuntur quorum vltima sunt simul, hæc vtique tangent se inuicem quæcunque determinatas magnitudines, ac positiones habebunt, ac simul extremitates. Quoniam autem positio quidem conuenit quibuscunque conuenit esse in loco, differentia autem prima loci est sursum, & deorsum, & deinde alia oppositorum locorum, ac omnia, quæ sunt in loco sursum, & deorsum naturaliter, ac mobilia motu recto, habent grauitatem, vel leuitatem, aut ambo (vt elementa intermedia, quæ vtraque participant) aut alteram tantum (vt extrema) habent etiam contrarietates, & sic sunt adinuicem actiua, ac passibilia. Quapropter manifestum est (de primo ad vltimum) quod hæc tangere nata sunt se inuicem, quorum distinctu magnitudinibus, simul vltima sunt, & existunt
Tactus triplicitet. *motiua, & mobilia, atque actiua, & passibilia, & sic tactus dicitur tripliciter, primo de sensu; secundo vniuersaliter de omnibus, quæ magnitudinem, ac positionem habent, qui se extendit etiam ad mathematica; tertio de corporibus actiuis, ac passiuis, motiuis, ac mobilibus, grauibus, ac leuibus. Nunc autem id exactius determinemus.*

Text. 5. *Quoniam autem mouens non similiter mouet id quod mouetur, sed aliud est mouens, quod dum mouet necesse est quod ipsum quoque moueatur, vt Cælum. Aliud autem mouet immobile existens, vt primus motor; manifestum est quod in faciente dicemus similiter, videlicet quod*
Agens, & patiens differunt à mouente, & mobili. *aliquod faciat, vel agat re patiendo, aliud verò nihil patiatur. Notandum est tamen, quod non est idem conuertibiliter mouere, & facere, & moueri, & pati, vnde errant aliqui, dum inquiunt, quod mouens faciat, & faciens moueat, vel motum patiatur, & patiens moueatur, nam differunt, & oportet determinare quomodo. Faciens igitur refertur ad patiens, sed patiens est propriè, quod alteratur, qualitate tertiæ speciei (hoc est passione, vel passibili qualitate) quare tactio, & passio, ad ea quæ qualitate agunt, & patiuntur tantum se extendunt, motus ad plura, & sic mouere, & moueri, se habent vt superiora, ad agere, & pati; quicquid enim agit mouet, & quicquid patitur mouetur, non autem è contra, loquendo physicè. Quare non est possibile omne mouens facere (sicut neque quod omne animal sit homo) si faciens opponitur, ac refertur ad patiens, nam hoc (scilicet patiens) dicitur non simpliciter quod mouetur, sed quando est motus passio, passio autem est secundum quod alteratur solum, vt album, & calidum, sed mouere in plus est ipso facere, vt dictum est. Quare, etsi actiua, & passiua adinuicem se tangunt, non est necesse, quod mobilia, & mouentia omnia se tangant; vnde aliquomodo mouentia, & mobilia se tangunt, aliquo modo non, (hoc est non vniuersaliter se tangunt, sed aliqua tantum) est igitur vniuersaliter determinatio ipsius tangere, vnum quæ positionem habent, quod quidem potest, & mouentibus, & motis, & agentibus, & passis conuenire, nam mouens alicuius potest illud tangere, & ab ipso tangi, sicut patiens, & agens, omnino autem (vt diximus) in faciente, & patiente est ratio motiui, & mobilis, non è conuerso. Est igitur vt plurimum id quod tangitur etiam tangens illud quod ipsum tangit, nam omnia mota, quæ iuncta, vel approximata sunt mouenti, ipsa quoque mouent, quod per mutuum contactum fit. Interdum vero id quod mouet, vel agit, tangit tantum mobile, vel passibile, non tamen tangitur ab illo, vel mouetur, vel patitur, quod accidit in ijs, quæ non sunt eiusdem generis, vt si Intelligentia mouet cælum, vel cælum agit in ista inferiora; quando autem mota, & mouentia sunt eiusdem generis, vel naturæ, ac debitè approximata, tunc, tangens tangitur, ac mouens mouetur, agensque repatitur. Quapropter si quid mouet immobile existens illud quidem mouens tanget mobile, sed ipsum mobile nihil tanget illud, inquimus enim, aliquando tristantem tangere nos, sed nos non eum, quod debet intelligi de tactu virtuali, qui non fit per quantitatem, primus enim motor caret quantitate. De Tactu igitur qui in naturalibus reperitur, quomodo sit, ac actiuo, & passiuo motiuo, ac mobili conueniat, determinatum sit hoc modo.*

CAPVT III.

Antiquorum opiniones circa ea, quæ agunt, & patiuntur, & earum confutatio.

Post quam de Tactu diximus; consequenter dicendum est de facere, & pati; de quibus suscepimus sermones repugnantes, seu aliquomodo contrarios ab Antiquis. Multi enim concorditer hoc dicunt, quod simile quidem à simili omnino impossibile est pati; propterea quod propter eandem qualitatem qua sunt similia, non magis vnum quam aliud erit actiuum, vel passiuum, omnia enim similiter eadem existunt similibus, hoc est non differunt similia inter se, sed existunt, vel sunt aliquomodo eadem. Dissimilia vero, & differentia nata sunt ad inuicem facere, & pati, etenim quando minor ignis à maiori corrumpitur; propter contrarietatem, hoc inquiunt pati, & sic est contrarietas inter virtutem maiorem, & minorem, vel multum ignem, & paucum. Tex. 46.

Alter sermo contrarius prædicto fuit Democriti, qui vltra alios solus oppositum prædictæ positioni asseruit; inquit enim, idem & simile esse faciens, & patiens, nec posse altera, vel diuersa, aut contraria agere ad inuicem, nam contrarium non recipit suum contrarium, vt frigus non recipit calorem, ergo in illud non potest agere; quare si altera, vel diuersa aliquid faciunt, vel patiuntur ad inuicem, non agunt, vel patiuntur secundum quod altera, vel diuersa sunt, sed secundum quod habent aliquod idem commune, hoc eis accidit; quæ igitur sub contraria dicuntur facere, & pati hæc sunt. Tex. 47

Videntur autem qui hoc modo dicunt, apparere dicere sermones sub contrarios, vel ad inuicem repugnantes, vtrique tamen deficiunt, & causa contrarij sermonis, ac defectus est, quia non respiciunt totam rationem agendi, vel patiendi, sed partem, totam autem respicere oportet, vnde nec pura ratio similitudinis, nec pura diuersitatis sunt ad agendum, & patiendum sufficientes, & sic deficiunt. Simile enim, & omniquaq; indifferens, rationabile est non pati aliquid à simili; nam cur magis alterum erit actiuum, quam alterum? Præterea; si possibile est, quod simile à simili patiatur, idem posset pati à se ipso, quod est absurdum. Præterea; si res ita se haberet, quod idem posset pati à se ipso, vel omnino simili (quod idem est) nihil vtiq; erit, aut incorruptibile, aut immobile, sed se ipsum poterit mouere, atque corrumpere quodlibet, & sic patet error Democriti. Tex. 48. Simile non patitur à simili.

Et

Tex.49. *Et omnino alterum, vel diuersum, ac nullatenus idem similiter agere non potest, vt albedo nihil patitur à linea, aut linea ab albedine, præterquam secundum accidens (puta si accidat, quod linea sit alba, vel nigra, vel calida tunc namq; ab alia qualitate contraria pati potest, non prove linea est, sed propter contrarias qualitates; non enim expellunt se ipsa à natura, seu se corrumpunt, nisi ea quæ contraria sunt, vel ex contrarijs constant, vt caliditas, & frigiditas, vel elementa, aut alia, quæ has contrarietates includunt) cum autem contraria in aliquo conueniant, & in aliquo differant, nam conueniunt in genere, & differunt specie, sunt aliquo modo similia, aliquo modo diuersa, & sic neque omnino similia, neque omnino diuersa agunt, & patiuntur, vnde defectus præcedentium opinionum manifestus est.*

CAPVT IIII.

Quid sit agere, & pati, quæ agant, & patiantur, ac propter quid.

Tex. 50. *Sed quoniam non quodcunque natum est pati, & facere, neque simpliciter, neque à quocunque, vt Deus simpliciter à nullo est natus pati, & materia in nullum est nata facere, nec albedo nata est pati à linea, vel agere in ipsam; ideo relinquitur, quod solum quæcunque contrarietatem habent, aut contraria sunt, necesse est facere & pati, (habent contrarietatem elementa, sunt contraria qualitates ipsorum, vt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas) hæc autẽ genere quidem similia sunt, specie autem dissimilia, & contraria, vt caliditas, & frigiditas sunt duæ species diuersæ, & contrariæ in eodem genere qualitatis. Natum est igitur corpus à corpore pati, vt aqua ab igne, color vero à colore, vt albedo à nigredine, sapor autem à sapore, & dulcis ab amaro, & omnino species eiusdem generis, à specie similiter eius generis; non tamen hoc est verum de speciebus cuiuscunque generis, vt species relationis forte inter se non agunt, & sic de multis alijs; sed sensus est, quod quæ agunt & patiuntur sunt eiusdem generis, ac speciei diuersæ, & secundum Logicos diceretur suppositio accommoda.*

Tex.51. *Causa autem prædictorum est, quod omnia contraria sunt in eodem genere, faciunt autem, & patiuntur contraria ab inuicem quapropter necesse est, aliquo quidem modo idem esse faciens & patiens, aliquo autem modo altera, & dissimilia, hoc est eadem (vt diximus) genere, dissimilia specie. Quoniam autem faciens, & patiens, genere quidem eadem, & similia sunt, specie vero dissimilia, manifestum est, quod contraria sunt, quare è conuerso sequitur, videlicet, quod sicut contraria sunt actiua, & passiua, ita actiua, & passiua sunt contraria, vel media, hoc est vel composita ex contrarijs, vel ipsorum extremis participantia. Etenim omnis generatio, & corruptio in ijs consistit, & ab ijs fit, at generatio, & corruptio à contrarijs fiunt. Ideo rationabile est, ignem calefacere, & frigidum infrigidare, & omnino actiuum assimilare sibi passum; nam faciens & patiens contraria sunt, & generatio inter contraria est, quapropter necesse est patiens in faciens transmutari; sic enim erit in contrarium generatio, quod præcipuè habet veritatem in mutua elementorum generatione, & corruptione.*

Tex.52. *Et rationabiliter quoque Philosophi prædicti licet opposita dicant, ac deficiant, tamen ambo tangunt aliquo modo naturam, & veritatem agendi, & patiendi; tam videlicet qui dicunt actionem, & passionem fieri inter contraria, quam oppositum asserentes. Si enim qualitates ipsas respiciamus, vt calorem, & frigus, sic inter contraria est actio, si vero respiciamus subiectum, quod patitur ab istis qualitatibus, sic non est inter contraria. Vnde interdum dicimus, pati quidem quandoque subiectum, hominem calefieri, aut infrigidari, & alia eodem modo, & sic non est contrarietas, nam subiectum non est contrarium calori. Quandoque autem dicimus, calefieri quidem frigidum, sanari autem ægrotum, & sic sunt contraria, ambo autem sunt vera. Eodem autem modo de faciente; quandoque enim hominem calefacere dicimus, quandoque autem calidum; vnde aliquo modo possumus dicere, quod materia patitur, alio vero, quod patitur contrarium. Ad materiam igitur respicientes existimauerunt idem oportere habere agens & patiens, (hoc est non esse contraria) sed similia, quod est habere idem, vel easdem qualitates communes. Ad alterum autem respicientes (videlicet ad ipsas qualitates) inter contraria fieri actionem, & passionem statuerunt. Nunc autem quomodo agentia patiantur, ac mouentia moueantur, determinemus.*

Eandem quoque rationem existimandum est de ipso facere, & pati, quam de ipso mouere & moueri, quoad reactionem, nam alia ratione differunt, vt supra probatum est. Dupliciter igitur dicitur mouens. Primò, quod in se habet principium vt moueat, quod quidem est prima omnium causarum (physice, scilicet mouendo, ad differentiam finis.) Secundo dicitur mouens vltimum, quod est propinquius ei, quod mouetur, ac ipsimet generationi, vel termino, per motum acquisibili, vt si homo moueat baculum, & ille pilam, homo erit primum mouens, baculus vero secundus. Similiter etiam de faciente, aliud est primum, aliud vltimum; etenim medicum, vt primum sanare dicimus, & vinum, vel medicinam, vt secundum. Primum igitur mouens nihil prohibet in motu quidem immobile esse, vt dum primus Motor mouet cælum; in quibusdam tamen est necessarium, quod ipsum non moueatur, vt in exemplo prædicto, in aliquibus non; vltimum autem necesse est semper motum mouere. In actione autem primum quidem agens impossibile est vt patiatur, nam primum agens, vel est Deus, vel cælum & vtrumque est impassibile; vltimum autem faciens, ipsum quoque patiens erit. Quod vt distinctius cognoscatur, ponam hanc regulam. Quæcunque non habent eandem materiam faciunt, & non patiuntur, vt ars medicinæ efficit sanitatem, & nihil patitur ab eo qui sanatur, quia in eadem materia non conueniunt, nam medicina est qualitas & habitus animæ, sanitas vero, vel infirmitas, respicit proportionem qualitatum elementarium in corpore animalis; cibus autem qui sanitatem immediatè facit, patitur, quia conuenit in materia, ideo aut frigesit aut aliud quid patitur dum est faciens. Est autem Medicatiua quidem, vt principium, seu primum faciens, cibus vt vltimum, ac tangens, quare repatitur, nam ad hoc contactus requiritur, cum alijs circumstantijs. Tex.53.

Quæcunque igitur actiuorum non habent formam in materia, vt intelligentiæ, cælum, qualitates spirituales, vt scientiæ, quæ agunt, vel operando, vt medicatiua, vel docendo, vt Philosophia, hæc non repatiuntur; quæcunque autem in materia formam habent, hæc passibilia quidem sunt. Materiam enim dicimus esse similiter eorundem quæ (vt ita dicam) est veluti genus cuilibet oppositorum; Tex.54.

torum; hoc est, est in potentia ipsa recipere, sicut genus est in potentia ad species. Quare ea pati, & agere simul possunt, quæ communem materiam habent; ita quod sit in potentia ad vtrunque oppositum, vt ignis, & aqua, cibus, & stomachus, vel ventriculus, sicut ex opposito ars medicatiua, & sanitas, quæ non materiam communem habent, non agunt mutuo, similiter cælum, & alia. Id autem propriè dicitur posse pati, quod existens in potentia ad aliquam qualitatem, & agente debitè approximato, ad actum reduci potest, vt potius calidum esse, præsente calefaciente, & approximatis, necesse est calefieri. Ideò (quemadmodum dictum est) factiuorum, hæc quidem impassibilia sunt, videlicet quæ non communicant in materia communi; hæc autem passibilia, scilicet, quæ communicant. Et quemadmodum in motu, eodem modo res se habet in factiuis; in motum enim primum mouens immobile est, & in factiuis primo faciens impassibile est, alia autem ratione differunt, vt supra dictum fuit. Conditio igitur necessaria, vt aliqua agant, atque simul repatiantur adinuicem est (vt diximus) materia, nunc de causa præcipua passionis agamus.

Tex. 55. Est igitur causa effectiua, vnde principium motus, ea scilicet, quæ efficiens propriè dicitur, quod probatur per sufficientem diuisionem omnium causarum. Nam causa finalis non est effectiua, ideo sanitas non est effectiua medicationis, nisi metaphoricè, prout propter ipsam acquirendam agens agit, quod sic probatur. Cùm efficiens inest, vel efficit, generatur semper aliquid in passo, vt existente calore, producitur alter calor, sed existente fine non amplius aliquid efficitur, sed est iam, ergo finis non est efficiens. Notandum est tamen quod forma, finis, & habitus idem sunt, differunt tamen ratione, nam dicitur finis prout vltimatè intenditur ab agente; dicitur forma prout informat, vel dat esse rei, habitus vero, prout habetur, ac in materia radicatur, quare cum realiter idem sint forma, & finis, si finis non est causa effectiua, ergo neque forma. Materia autem secundum quod materia, est passiuum, quare vt talis est, effectiuum principium esse non potest, (& dicitur notanter vt materia, quia vt coniuncta formæ agere potest, in aliud passum, non in illud cuius est forma, de quo intelligitur, quod non agat) ergo à sufficienti diuisione solum causa efficiens est, quæ facit passionem in passo, & in agente repatiente: Materia vero est essentialis conditio, quare quæ in materia non communicant, pati non possunt; ignis igitur ideo patitur ab aqua, vel aere, quia habet caliditatem in materia, si autem aliqua esset separata caliditas à materia, hæc nihil vtique pateretur; hanc tamen forsan impossibile est separabilem esse (dicitur forsan, quia alter est locus de hoc disserendi,) si autem sunt quædam talia à materia separata, in illis vtique erit verum, quod dicitur, scilicet, quod pati non possunt. Quid igitur sit facere, & pati, & quibus conueniant, & quare, & quomodo determinatum sit.

Habito fine cessat motus.

Forma finis & habitus idem sunt.

CAPVT V.

Variæ Antiquorum opiniones de Agere, & Pati, earumque examinationes, ac confutationes.

Tex. 56. Quomodo autem potest fieri, vel accidere ipsum agere, & pati, nunc magis particulariter dicamus; primo secundum Antiquorum sententiam, deinde secundum veritatem. His igitur Antiquis videtur, quod vnumquodque patiatur per quosdam meatus, vel poros, per quos videlicet ingrediatur principalissimum, ac vltimum, vel proximum agens in patiens, vt ignis agat in lignum, prout per meatus ipsius ingreditur, ac replet; & hoc modo dicebant fieri omnes passiones sensuum, vt videre, audire, & secundum alios sensus sentire, sic videlicet, quod obiecta sensuum, vt color respectu visus, sapor respectu gustus, & sic de alijs, penetrent corpora media per meatus, quousque ad sensum perueniant. Ideò dicunt nos faciliter videre per aerem, & aquam, & per alia transparentia, vt per vitrum, chrystallum, quia meatus habent, inuisibiles quidem propter paruitatem; spissos autem, & bene ordinatos, ac ita coniunctos, vt hæc corpora possint consistere, & quæ magis sunt transparentia, magis habent poros, & facilius per ipsa fit visio. Hi igitur in quibusdam hoc modo determinauerunt, quemadmodum Empedocles, qui modo prædicto passionem, ac factionem fieri dicit. Mistionē verò fieri alio modo statuerunt, nam ea inquiunt misceri, quæ habent meatus adinuicem commensuratos, hoc est poros correspondentes, ita vt mutuo agens, & patiens se penetrare possint, ac tunc quoque reactionem dari, secundum hanc passionem fateri debent; dum vero (vt diximus) vnum tantum habet poros penetrabiles, aliud autem non, neque est mistio, neque reactio, sed passio tantum passiui, & actio actiui.

Actio, & passio per meatus, secundum Antiquos fit.

Via autem communi vno sermone de omnibus prædictis determinauerunt Leucippus, & Democritus, prout id fecerunt omnium prædictorum principium, quod secundum naturam, re vera principium est; ponendo namque athomos, vel corpora indiuisibilia, etsi in hoc deficiant; tamen motus, ac mutationes naturales per quas fiunt actiones, passiones, ac mistio melius saluant, & sic naturaliter procedunt. Quidam autem Antiquorum, vt Parmenides, & Melissus opinati sunt ex necessitate omnia esse vnum ens, & immobile, vacuum enim esse non ens, nec aliquid posse moueri, non existente vacuo separato à corporibus, neque rursus posse esse multa entia non existente vacuo segregante ipsa; quare cum secundum ipsos non sit vacuum, & omnia sint vnum ens & immobile, nulla dabitur actio, nec passio, nec mistio. Tex. 57.

Hoc autem quod ipsi dicunt, nempe quod corpora differant, vel separentur per vacuum, nihil differre aiunt, à positione illorum qui existimant, ipsum vniuersum non esse continuum, vel vnum tantummodo corpus, sed plura esse, ac diuisa ex eo, quod se tangunt, non autem per rationem vacui; hæc inquam positio (dicunt) non differt ab eo, quod ipsi dicunt, multa corpora esse, non autem vnum, sed per vacuum esse multa, supple si posset dari vacuum, quod tamen negat; est igitur sensus. Quod si posset dari vacuum, tūc corpora vniuersi essent plura per ipsum vacuum distincta, vel separata, quod idem esse (dicunt) ac si dicatur (vt verum est) quod sine vacuo per contactum distinguantur. Quod autem idem sit, probant. Nam vniuersum ipsum, vel est omniquaque diuisum, vel non; si omniquaque diuisum, non erit vnum, imò neque multa, sed vacuum totum, nam in diuisione, vel discontinuitate corpus non est. Si autem non omniquaq; diuisum sit, sed aliqua ex parte sic, aliqua vero non, hoc potius alicui figmento quam veritati assimilatur, propter quid enim ipsius totius, hæc quidem pars ita se habet, & plena est, altera vero diuisa? Amplius; dicere hoc modo, videlicet quod vniuersi corpus sit in corpora distinctum per cōtactum, necessarium Tex. 58.

est

est auferre motum, quia cum corpora se tangant, spatium vel vacuum non relinquunt, ergo moueri non possunt, aliter penetrarentur ad inuicem. Quare etiam hoc modo si volunt saluare motum, necesse est vt faciant diuisionem corporum per vacuum, & sic dicunt sicut nos; at cum vacuum non detur, debent alio modo in nostram positionem incidere, videlicet negando motum, ac pariter pluralitatem entium, cum non sit vacuum distinguens, vel segregans, hæc igitur ab istis dicuntur. Ex his igitur rationibus transcendentes sensum, ac despicientes eum, ac si in naturalibus conueniat dimisso sensu, rationem sophysticam, vel sine fundamento sequi. Dicunt igitur ipsum ens esse vnum immobile, & infinitum, rationibus prædictis, ad rationem infiniti tamen addendo, quod cum omne corpus finitum per vacuum finiatur, nec uacuum detur, corpus erit infinitum. Hi ergo ita, & propter has causas sic malè de veritate enunciauerunt.

Tex. 59. Amplius autem in rationibus, seu in rebus vniuersalibus vel à sensu remotis, hæc videntur contingere, quod .s. nesciamus faciliter discernere diuersitatem eorum, in rebus autem sensibilibus sic opinari, est quid simile dementia, imò, & plus. Nullus enim dementium videtur tantum egredi rationis limites, vt aquam, & ignem vnum & idem esse existimet sicut faciunt isti. Sed tantum iudicant bona vera esse eadē cum apparentibus, propter quandam consuetudinem quam habent, assumendum videlicet apparentia bona pro veris.

Tex. 60. Leucippus autem existimauit, ea esse rationabilia, quæ sunt conformia sensui, & dicuntur ab illis, qui non destruunt generationem, & corruptionem, neque motum & multitudinem entium. Confessus autem hæc quidem conformia apparentibus sensui, conuenit tamen cum ijs, qui constituunt vnum ens tantum in hoc, quod dicunt non esse motum sine vacuo, ac vacuum esse non ens, & nihil quod est non ens esse aliquid entis, quod enim propriè est ens, est omnino plenum: in omnibus igitur istis cum prædictis conuenit, non autem in ponendo vnum ens & immobile; imò dicit tale ens non esse vnum, sed infinita multitudine, & indiuisibilia propter paruitatem molium, hæc autem in vacuo ferri; vacuum enim esse confitetur contra prędictos. Addit autem, quod hæc indiuisibilia congregata faciunt generationem, dissoluta corruptionem, facere autem & pati secundum quod diuersimodè se tangunt; secundū enim id quod dicit, non vnum esse ens affirmare debet, sed multa & infinita existentia, quæ iterum simul composita, & variè applicata generationem faciant.

Tex. 61. Quare ex vno ente in veritate, non generari vtique multitudinem, neque ex vere multis vnum, sed hoc esse impossibile, idem Leucippus affirmabat, ac infinita prædicta principia ponebat, ex quo omnia fierent, & in qua resoluerentur. Sed sicut Empedocles, & aliorum aliqui, inquiunt fieri actionem & passionem per meatus, ita Leucippus omnem alterationem, & omne pati, ac generari hoc modo, atque corrumpi fieri per vacuum dicebat; similiter autem augmentationem fieri, sub intrantibus alijs corporibus in vacuitatibus. Ita vt tota positio Leucippi ad hoc reduci possit. Quod corpora indiuisibilia in vacuo congregata faciant generationem, segregata corruptionem, dum se tangant est actio, & passio; cum mutant ordinem, & situs, est alteratio; cum se penetrant est augmentum; cum recedunt est diminutio, quod intelligendum est, dum recedunt ea, quæ accesserant ad corpus iam constitutum, aliter esset segregatio, per quam fit corruptio.

Tex. 62. Fere autem Empedocles necessariò dicere debet sicut Leucippus, hoc est, quod dentur quædam corpora indiuisibilia, aliter confiteri deberet, quod per totum corpus meatus sint, & sic totum esset vnus meatus, ac vacuum; necesse est igitur esse quædam tangentia indiuisibilia, ac intermedia eorum esse vacua, quos ille dicit meatus, ita autem dicit Leucippus de ipso agere, & pati. Modi igitur, secundum quos hæc quidem faciant; hæc autem patiuntur, fere hi secundum prædictos Antiquos dicuntur, & de his quidem, & quomodo diuersi sunt manifestum est. Et ad eorum positiones quibus vtuntur, alijs conformiter videtur sequi quod accidit; hoc est bene correspondere conclusiones principijs, alijs autem minus, vt Empedocli non bene correspondent, nam ex eius positionibus manifestum esse non potest quomodo fiat generatio, & corruptio, & alteratio per meatus. Sed prædictis, videlicet Leucippo, & alijs sequacibus bene accidit, nam principia secundum istos sunt indiuisibilia prima corpora differentia solum figura, ex quibus primis (vt dicunt) componuntur; & in quæ resoluuntur omnia. Empedocles autem potest omnium ponere generationem, & corruptionem vsque ad elementa, ipsorum vero elementorum quomodo magnitudo, vel corpus congregata, generetur, vel corrumpatur dicere non potest; cum asserat ipsa elementa non habere principia, vt ignis, & alia, ac non existentibus principijs, nec generatio, nec corruptio esse potest, vt omnia igitur saluaret, debebat ipsorum quoque elementorum principia statuere, vt in Thimæo scripsit Plato, qui superficiei esse elementorum principia affirmauit.

Differt autem Plato à Leucippo in assignando principia rerum, nam Plato ponit pro principijs plana, vel superficies indiuisibiles; Leucippus vero indiuisibilia corpora, vnde in ponendo indiuisibilia conueniunt. Secundo differunt, quia Leucippus asserit, vnumquodque indiuisibilium corporum terminatum esse figuris, ita vt sunt corpora indiuisibilia infinita, ita quoque sint infinitæ figuræ ipsorum. Plato vero suas superficies terminatis, vel finitis constituit, & sic vtrique indiuisibilia ponunt principia, ac figuris terminata, diuersa tamen modo prædicto; conueniunt etiam in hoc, quod ex istis principijs faciunt generationes, ac segregationes, sed in modo quoque differunt. Nam Leucippus per vacuum, & per tactum hæc fieri dicit, per vacuum etenim (secundum ipsum) vnumquodque est diuisibile, vel separabile ab alio, quare cum in qualibet mutatione, aliqua diuisio requiratur, vacuum ponit. Plato autem solum secundum tactum hæc fieri asserit, uacuum enim non esse inquit. Quas positiones modo impugnare opus non est, nam de indiuisibilibus quidem planitiebus diximus in prioribus sermonibus, hoc est in 3. de Cęlo, ac etiam aliquid diximus de solidis, seu corporibus indiuisibilibus, ideo pro nunc relinquatur dicere inconueniens, quod ex istis opinionibus accidit. Tex 63

Vt autem tamen (parum à proposito egredientes) dicamus aliquid contra prædicta maximè contra Leucippum: Necessarium est vnumquodque istorum indiuisibilium impassibile esse, quia secundum Leucippum, non est possibile, quod aliquid possit pati, nisi per vacuum, at ista, vacua esse non possunt, ergo non possunt pati, & per consequens, nihil potest esse effectiuum, vel actiuum, quod ad passiuum refertur, ac eandem neque aliquid erit durum, vel molle, frigidum, vel calidum, quia hæc per actionem fiunt. Tex.64.

Quamuis etiam hoc inconueniens sit attribuere solum figuræ circulari calorem, auferendo frigus, vt ipse Leucippus facit. Nam si vnum contrariorum est in natura ne- Tex.65.

cesse

cesse alterum esse; quare necesse, quod frigidum ipsum alteri figurarum conueniat, quapropter et conueniens est etiam si haec quidem insint, dico autem caliditas, & frigiditas; grauitas autem, & leuitas durities & mollities non insint, nam sunt effectus istorum, sed haec non possunt inesse, cum in re diuisibili fundentur.

Tex.66. *Praeterea, Democritus asserit in istis indiuisibilibus dari magis, & minus, vnde vnum eorum dicit esse grauius altero; quapropter erit quoque calidius; talia autem existentia impossibile est, quod ab inuicem non patiantur, vt à multo excellenti calido, patitur remissè calidum, & sic indiuisibilia agunt; at actio fieri nequit (vt dicunt) nisi per vacuum, & indiuisibilia non possunt habere vacuum, & sic agunt, & non agunt.*

Tex. 67. *Atqui si durum & molle erit in istis, aliquid patientur, nam molle dicitur à patiendo aliquid, hoc est, quia faciliter cedit comprimenti, & ex alia parte impassibilia debent esse haec indiuisibilia, vt probauimus secundum positionem ipsorum, & sic sunt passibilia, & non sunt. Si autem auferant ex rerum natura durum & molle, rebus manifestissimis contradicunt.*

Tex.68. *Si autem ex alia parte dicatur, quod istis corpusculis indiuisibilibus non insunt qualitates, & sic euitantur absurda praedicta, sed eis sola inest figura, vel tantum vna qualitas, vt haec quidem corpuscula sint dura, illa autem calida, & sic de alijs, adhuc inconueniens est, quia vel plures insunt qualitates singulis istorum, vel vna, si vna tantum, tunc non esset vna eorum natura, nam ex diuersis accidentibus diuersas quoque substantias indicamus; hoc autem est absurdum secundum ipsum, qui posuit haec solum figura differre. Similiter autem impossibile est si plures qualitates vni insint; nam indiuisibile existens, habebit simul passiones oppositas. Quapropter si patiatur secundum quod infrigidatur, secundum id aliquid aliud patietur, vt calefiet, &c. quod impossibile est, & eodem modo dicatur de alijs passionibus; si vero non eodem modo, vel parte, passiones oppositas habebit, & non indiuisibile erit.*

Tex.69. *Hoc igitur, quod diximus accidit eodem modo ijs, qui ponunt pro principijs, vel plana, vt facit Plato, vel solida, vt Leucippus; neque enim aliquid fieri densius, neque rarius ex istis indiuisibilibus potest, non existente vacuo in ipsis, quod impossibile est; & sic haec absurda alia praeter praedicta sequuntur.*

Tex.70. *Amplius autem, inconueniens est parua quidem indiuisibilia esse, (vt dicit Democritus) magna autem non; nam licet rationabile sit, quod maiora facilius frangantur, quam parua; nam haec scilicet magna dissoluuntur facilius, quam parua, offendunt enim in multis, hoc est secundum multas partes occurrunt offendenti, & offenduntur; tamē dicere quod ipsa parua indiuisibilia penitus sint, irrationabile est, Nā penitus esse indiuisibile, cur magis reperitur in paruis quantitatibus quam in magnis? si magnū & paruum sunt eiusdem naturae, & de genere quantitatis?*

Tex. 71. *Amplius autem, vtrum vna sit natura illorum solidorum indiuisibilium omnium, an altera, quemadmodum, si haec quidem essent ignea, illa autem terrea mole. Si enim vna est natura ipsorum, quid est quod abinuicem separauit, partes enim aquae non separantur, quia eiusdem sunt naturae; aut si separata sunt, quare cum se tetigerint nō fiunt vnum, quemadmodum quando aqua tetigerit aquam; nihil enim tunc differt aqua posterior à priori. Si autem altera sit eorum natura; qualia haec sint, & quomodo diuersa, dicendum erat. Et manifestum est, quod haec, scilicet diuersae istae naturae ponendae sunt principia, & causę eorum quae fiunt ab istis principijs, potius quam figurae, nam figurae sunt accidentia, principia vero essentialia, de quibus loquimur debent esse substantia.*

Tex.72. *Amplius autem, si sunt diuersa naturae, & se tangant adinuicem, necesse est quod faciant, atque abinuicem patiantur, nam esset contrarietas, & dissimilitudo sufficiens ad hoc; quod est contra Democritum, qui principia haec impassibilia ponit.*

Tex. 73. *Amplius autem, cum haec corpuscula congregantur ad generationem mistorum, quia est, quod ea mouet; si enim aliud ab ipsis diuersum; passiuum vtique vnumquodque eorum esset, quod (vt diximus) negat Democritus. Si autem ipsum seipsum vnumquodque moueat, aut diuisibile erit, ita vt secundum aliam partem sit mouens, secundum aliam motum, aut si indiuisibile dicatur, secundum idem contraria inerunt, nam erit mouens, & motum, actiuum, & passiuum.*

Tex.74. *Et non solum materia, seu subiectum susceptiuum motus erit vnum numero, sed etiam potentia, hoc est non inerit ei ratio mouendi, & vt moueatur, sed indifferens erit vnum, cum sit vnum indiuisibile principium, non ex alio constans, & sic non potest secundum diuersas rationes mouere, & moueri.*

Tex.75. *Quicunque igitur dicunt passiones contingere per motum, vel transitum meatuum, ac simul aiunt hos meatus plenos esse, sed expelli corpus replens, vt dicit Empedocles, hi superfluè meatus ponunt; si enim sic vniuersa quoque corpora patiuntur, & si non ponantur in eis meatus, sed continua existentia (ita quod vna pars alteri cedere potest, vel per condensationem, vel alio modo) eodem modo patietur corpus meatibus plenum sine ipsis.*

Tex. 76. *Amplius autem, quomodo contingit euenire, quod dicitur de ipso perspicere, neque enim secundum tactus, seu partes solidas contigit radios, vel obiectum transire per corpora transparentia, neque per meatus, si ponatur plenus vnusquisque, sicut dicit Empedocles; si enim pleni ponantur, quid differt ab eo, quod est non habere meatus, totum enim sic esset plenum, ac si meatus non haberet. Sed si vacui hi meatus sint, non tamen simpliciter, sed necesse est, quod habeant in se corpora subtilia, idem continget rursus, vt supra; nam quacunque ratione pleni ponantur, poterit sine ipsis effici, quod intendunt, vt visio, vel actio; nam plenum opponitur meatui, ac totum reliquum plenum est, vnde à meatibus non differt. Si vero dicatur, quod meatus sint tam paruae magnitudinis, vt non suscipiant corpus aliquod, sed tantum radios, ideo non oportet vt sint repleti alio corpore, ridiculum est existimare paruum esse vacuum, non autem magnum, neque cuiusque magnitudinis; nam cur magis in paruo, quam in magno reperitur ratio vacui? falsum est etiam existimare, aliud dari vacuum praeter regionem corporis (hoc est praeter spatium, quod à corpore occupatur, quod neque vacuum est, sed quomodocunque cogitetur, accipiatur pro vacuo ad differentiam talium meatuum) cum autem aliud vacuum non detur quam spatium praedictum, manifestū est, quod vacuum erit aequale mole omni corpori recepto, & sic malè dicitur, alia esse vacua parua. Omnino igitur ponere meatus superfluum est. Nam agens, vel aget per contactum, vel non; si aget, ergo frustra sunt meatus, nam contactus fit per partes solidas; si non agat per contactum, omnino non aget, quia omnis actio physica est inter ea, quę se tangunt, quare si secundum tactum nihil faciet faciens, neque per meatus transiens aliquid efficit. Si autem tangendo efficiat, adhuc*

non existentibus meatibus ea, quæ apta sunt facere, & pati, facient, & patientur ad inuicem. Quod ergo ita dicere meatus, vt quidam existimant, aut falsum, aut vanum sit, manifestum est ex his; nam cum corpora sint omniquaque diuisibilia, ridiculum est ponere meatus, nam secundum quod diuisibilia sunt, etiam separabilia, seu penetrabilia, ac passibilia sunt.

CAPVT VI.

Quo pacto re vera fiant generatio, actio, & passio.

Tex.77. QVo autem modo insit generare entibus, & facere, & pati, dicamus, accipientes principium dictum sæpe; videlicet, quod aliquid est in potentia tale, aliquid vero in actu, vt aliquid est in potentia calidum, aliud in actu. Si igitur hoc quidem in potentia, hoc autem in actu est, ac id quod est in potentia natum est pati, non ex vna parte tantum, ex alia autem non vt dicebant, qui ponebant meatus, (quod scilicet solum per meatus patiatur, & non per alias partes) sed omniquaque secundum quod tale est; idest est, provt est in potentia, minus autem & magis, secundum quod tale minus, vel magis dispositum est, vnde secundum hanc considerationem, vel dispositionem, possumus partes magis dispositas per quandam similitudinem vocare meatus, vt in fodiendis metallis quædam venæ continuæ ostendunt; ex ipsis namque facilius fit penetratio, vel effossio, aut dispositio. Si inquam actiua nata sunt agere, & passiua omniquaque pati, data debita approximatione, hæc erit causa, quod fiat actio, & passio, quam postea statim melius explicabimus.

Tex.78. Connatum igitur, seu continuum, ac totaliter connaturale alteri, ac idem; impassibile erit hoc est idem non patietur à seipso. Similiter autem non tangentia neque seipsa, neque alia, quæ facere nata sunt & pati, non agent, neque patientur. Dico autem quod debent se tangere immediate, vel mediante alio, vtroque enim modo fit contactus, & vtroque etiam fit facere & pati, vt ignis non solum tangens immediate aliquid calefacit, sed etiam si longe sit mediante alio natus est facere & pati, ipse enim calefacit aerem, & aer aliud corpus, & sic de alijs dici potest.

Tex.79. Existimare autem, aliqua ex parte pati corpus, aliqua vero non, vt Antiqui præcitati dicebant, cum determinauerimus in principio de ipsorum positionibus, hoc quoque determinandum erit. Si igitur non omniquaque diuisibilis sit magnitudo, sed datur corpus indiuisibile, aut superficies, vt ipsi dicunt, proculdubio non vtique erit omniquaque passibile corpus, nam indiuisibile pati non potest, vt sæpe probatum est; imò nec erit continuum vllum, quia ex indiuisibilibus continuum non est, & sic secundum positiones illorum sequitur, quod aliqua ex parte patiatur, aliqua non. Si autem hoc falsum est, & omne corpus diuisibile est, siue actualiter diuisum sit, siue non, hoc quidem tangere potest, ac tangi & pati omniquaque, sicut est omniquaque diuisibile. Sicut enim secundum ipsos, ipsum corpus continuum potest diuidi secundum tactus, seu partes indiuisibiles, & si non sit actualiter diuisum, sic quoque licet non ex indiuisibilibus ipsum constituamus, tamen est omniquaque diuisibile, & si actualiter non fuerit diuisum, erit diuisum in potentia, vel diuidi poterit; quod enim possibile est, vt sit diuisum, nullum fit impossibile si diuidatur, & hac eadem ratione omniquaque passibile erit. Non tamen ad hoc vt aliquid patiatur debet esse actualiter diuisum, vel scißum in omnes partes, nec similiter vt generetur, vel alia mutatione mutetur, sed sufficit diuisibilitas. Omnino autem generationem facere hoc modo scissis corporibus, inconueniens est; hic namq; sermo destruit alterationem, ac experientię ipsi repugnet.

Videmus enim idem corpus continuum existens, quandoque quidem humidum, quandoque autem congelatum, non patiens hoc diuisione, nec compositione, aut transmutatione corporum indiuisibilium, vt dicit Democritus. Neque enim ex humido factum est siccum, vel congelatum, ex eo quod transductum sit, seu ex vna parte mutatum in aliam, neque quod partes sint transpositæ, neque mutata natura, neque ipsa corpora indiuisibilia secundum molem nunc apparent dura, olim vero mollia. Sed similiter totum corpus, quandoque quidem humidum est, quandoque vero durum, aut congelatum. Tex.80.

Amplius autem neque augmentationem, ac diminutionem saluare possumus, per hæc corpuscula indiuisibilia. Si enim augmentatio fiat ex omni parte, vt dictum est in pręcedentibus, appositis istis indiuisibilibus hoc verum non esset, & sic non quodcunque aucti factum esset maius, siquidem erit appositio prædictorum, & similiter non totum augmentabile mutatum erit, misto aliquo, vel aliqua parte tantum mutata; appositio enim vnam tantum respicit partem, vel extremum cui apponitur. Quòd igitur est generatio, & facere & generari, & pati adinuicem, & quomodo contingit, & quomodo quidam de hoc loquuntur, & quod non contingat vt ipsi dicunt, determinatum sit à nobis hoc modo. Tex.81.

CAPVT VIII.

Proponuntur dubitationes de Mistione, aliorumque opiniones, ac earum confutationes.

REliquum autem est considerare de Mistione, secundum eundem modum doctrinæ, hoc enim erat tertium propositorum à principio, scilicet in textu 43. quæ tria sunt. Tactus, agere & pati (quæ pro vno habeantur, provt sunt correlatiua) & Mistio. Considerandum autem est, quid est Mistio, quid Miscibile, quibus entibus conueniat misceri, & quomodo hoc fiat. Amplius autem ante omnia videndum est, an ipsa mistio sit, an hoc sit falsum. Videtur namq; impossibile esse, quod vnum alteri misceatur, vt quidam dicunt. Quod sic conformari potest; nam vel ipsa miscibilia existunt in misto non alterata, & tunc non sunt magis mista nunc quam prius, sed consimiliter se habere dicuntur; vel sic sunt in misto, quod vnum eorum sit corruptum, aliud non; sed neq; hoc modo est mistio, imò sic vnum eorum habet esse, aliud autem nequaquam, quod naturæ mistionis repugnat, est namque mistio corporum miscibilium similiter se habentium. Eodem autem modo, si ambobus miscibilibus congredientibus ad mistionem, vtrumque eorum corruptum esse dicatur; non enim mistio est, si miscibilia nullatenus existant. Tex.82.

Hic igitur sermo, vel argumentum videtur quærere, quomodo differat mistio à generatione, & corruptione, & quomodo miscibile à generabili, & corruptibili. Manifestum est, quod oportet differre, si ipsa mistio sit; quapropter existentibus manifestis differentijs ipsarum, dubitata vtique Tex.83.

Quomodo Mistio differat à generatione, & corruptione.

quę soluentur. Pro cuius intelligentia est notandum, quod dum aliquid corrumpitur, atque aliud ex illo generatur, id quod corrumpitur non dicitur mistum cum genito, vt materiam ignis nempe lignum, vel aliud cum ardet, vel in ignem conuertitur, non dicimus cum igne misceri, neque cum partibus suis, sed ignem quidem generari, hanc autem materiam corrumpi. Secundum autem eundem modum, nec corpori nutrimentum misceri dicitur, quia ipsum nutrimentum corrumpitur, neque figuram dum simul cum cera molem format, ipsi ceræ misceri dicimus, alia tamen ratione à prædicta, quia videlicet, tam cera, quam figura integra, ac saluatæ sine læsione manent, quod in mistione (vt videbimus) non accidit, hac eadem ratione neque corpus & album, neque omnino passiones, & habitus possibile est mista esse rebus, quarum sunt habitus, & passiones, saluata enim videntur. Alia ratione accidentia ad inuicem misceri non dicuntur, vt album non miscetur cum disciplina, nec aliud non separabilium vllum, quia mistio præsupponit miscibilia separata, ac separabilia; sic igitur neque corruptum, alteri mistum dicitur, nec totaliter integrum, neque inseparabilia. Quare non bene dicunt, qui asseruut, omnia quandoque simul mista esse, non enim omne omni miscibile est, sed oportet vtrunque mistorum separabile esse, passiones autem, & accidentia omnia inseparabilia sunt; hæc autem opinio, quæ omnia simul mista olim fuisse tradit, tam scilicet substantias, quam accidentia, est Anaxagoræ in illo suo confuso Chao.

Tex. 84. *Pro solutione igitur notãdum est, quod entium alia sunt in actu, alia vero in potentia; Miscibilia igitur contingit aliquomodo esse in misto, aliquo vero non. Existente igitur misto in actu, quod ex ipsis miscibilibus generatum fuit, ac aliud, vel diuersum ab illis est, vtrunque eorum miscibilium, quæ separata, ac integra erant antequam miscerentur remanent in ipso misto in potentia, & sic non sunt totaliter deperdita, vt accidit in generatione, & corruptione, nec totaliter integra, vt accidit in alteratione. Videntur enim ea, quæ miscentur, conuenire simul, atque ideo prius separata erant, atque possibilia separari rursus. Neque igitur id quod alteri miscetur permanet actu in misto, vt permanent corpus, & album, sic namque esset alteratio, neque corrumpuntur, neque ambo, neque alterum; sic etenim esset generatio, & corruptio, vel amborum, vel vnius, sed saluatur virtus eorum, & sic ipsa miscibilia, vel elementa, non actualiter, sed secundum virtutes in misto manent, vt in homine non actualiter ignis, aqua, aer, & terra, sed virtutes, vel qualitates ipsorum, vt caliditas, humiditas, & siccitas manent, quod tamen quomodo sit verum, in quæstionibus exactè examinabimus. Relinquatur igitur sic determinata dubitatio, & ad aliam quæstionem accedamus, quæ huic est annexa.*

Elementa manent in misto virtualiter tãtum.

Tex. 85. *Nunc autem dubitatio annexa præcedenti soluenda est: dubitatio autem est ista, an dicatur verè mistio, dum aliquid alteri secundum sensum tantum mistum videtur, vt quando ea, quæ miscentur ita in paruas partes diuisa fuerint, & sic iuxta se inuicem posita, vt vnumquodque eorum non manifestè distinguatur à sensu, vt si grana hordei sic mista essent granis frumenti, & quodcunque eorum secus quodcunque positum, vt sensus hoc discernere nequeat. An non sunt propriè hæc mista, nec ista est vera mistio; sed est mistio tunc quando quæcunque particula sit totaliter iuxta alterius miscibilis partem vt ferè aliquomodo se penetrent, vel saltem sint secundum quodcunque signum diuisæ; hoc videlicet modo quod partes vtriusque miscibilis, sicut sunt in infinitum, & omniquaque diuisibiles, ita in mistione sint omniquaque diuisæ, & sic omnes misceantur, quæ mistio differt à prima, quia illa ponit partes cum quãtitate aliqua determinata, nec omnino diuisas, imò sensui tantum, hæc verò non; ista tamen primam infert, nam quę hoc modo mista sunt, etiam sensui videntur mista, quia ea distincta non cognoscit sensus, sed illa istam non infert. An igitur isto, vel illo modo mistio fiat. Videtur quod debeat fieri secundo modo, hoc est per diuisionem omnium partium; si enim omne corpus omniquaque diuisibile sit, ac corpus corpori miscibile est secundum omnes partes, maximè corpora similaria, oportebit quãcvnque partem vtriusque secus quacunque fieri, & sic patet, quod dicimus.*

Respondetur igitur, quod neutro modo fit propriè mistio, & primò de primo dicamus. Quoniam autem non diuiditur corpus in partes minimas, vel insensibiles, sic quod tales partes remaneant, corrumperentur etenim statim, nec compositio est idem quod mistio, sed ab ipsa diuersa, manifestum est, quod neque secundum paruas partes saluatas, oportet ea quæ miscentur dicere esse vera mista, sic enim erit compositio & aggregatio quædam, & non temperamentum, nec mistio; nam in mistione quælibet pars est eiusdem rationis cum toto, prout mista est, ita vt quælibet pars misti est mista, sicut quælibet pars aquæ est aqua, at in ijs sic iuxta positis hoc dicere non possumus, nam quælibet particula ex se ab alia diuersa est, nec mista dici poterit, quare non mistio, sed compositio, & coaceruatio particularum est. Dicimus autem oportere, si aliquid mistum est, quod ipsum mistum sit similarium partium, ita vt (sicut diximus) quemadmodum quælibet pars aquæ est aqua, ita quælibet pars misti, vel temperati, est mista, vel temperata. Quare si esset mistio secundum paruas partes, nihil horum continget, nam tales particulæ non essent mistæ, nisi forte actiuè, hoc est, quia miscerent, vel potius componerent; quare hæc esset mistio secundum apparentiam, & sensum tantum, & alicui videbuntur mista, alicui minimè; mista namque videbuntur ei, qui acutè non inspexerit tales particulas, qui autem oculos Linci haberet, eas mistas non esse cognosceret; nos autem loquimur de mistione, non ad apparentiam, sed ad veritatem. Quod autem neque secundo modo fiat, hoc est per diuisionem omnium partium, probatur; nam impossibile est, quod aliquid hoc modo sit diuisum, ita vt quæcunque pars sit secus quacunque, daretur enim minimum in continuo, atque ex indiuisibilibus constaret. Aut igitur non erit mistio, aut rursus dicendum est quomodo contingat fieri. Tex 86.

Mistio non fit secũdum sensum neque per diuisionẽ omnium partium continui.

Qualibet pars misti est mista, & similaris.

CAPVT VIII.

Quo pacto fiat Mistio, & quæ propriè sint miscibilia, & quid sit ipsa Mistio.

PRo intelligentia, ac resolutione huius materiæ, est notandum, quod entium (vt superius dicebamus) alia quidem actiua sunt, alia vero ab his passiua. Atque illa, quæ eandem communem habent materiam, conuertuntur (hoc est quia quæ sunt actiua, sunt etiam passiua, & è conuerso) ea verò quę eandem materiam communem non habent, hanc conuersionem non admittunt, sed possunt facere & esse impassibilia respectu passi, hoc est ab illo pati non possunt. Hæc igitur, quæ materiam communem non habent, non miscentur adinuicem. Ideo neque ars medicatiua facit sibi mistam sanitatem, neque sanitas in corporibus Tex. 87.

Actiua simul, & passiua sũt, quę communẽ habent materiam. Quæ non habent materiam communem nõ miscentur ã

cum

eum medicatiua miscetur, materia etenim ipsorum est diuersa, nam sanitatis sunt humores, medicatiua vero est anima ipsa, loquimur enim hic de materia in qua.

Tex. 88. *Actiua autem, & passiua, neque omnia miscentur, sed quæcunque sunt facilè diuisibilia, vnde ferrum non miscetur cum lapide, neque hoc sufficit, quod scilicet facilè diuisibilia sint, sed oportet seruare quandam proportionem, & æqualitatem; quare, quæ non sic se habent, mistionem non efficiunt, & sic si multa misceantur paucis, & magna paruis, hoc modo composita non faciunt mistionem, sed augmentationem dominantis, mutatur enim alterum in naturam dominantis. Ideo gutta vini non miscetur decem millibus congijs aquæ, imò soluitur forma, & natura vini, & mutatur in vniuersam aquam, vnde ipsa aqua augetur.*

Tex. 89. *Quando autem ipsa actiua, & passiua, facilèque diuisibilia adæquantur in potentijs aliquo modo, (non enim necesse est, quod sit totalis, & minutissima adæquatio, vt dicunt ad pondus) tunc vtrumque quidem ex sua propria natura mutatur in naturam dominantis, non tamen mutatur in alterum contrarium, nec per consequens vnum ipsorum ex altero generatur, sed generatur quoddam medium, & commune, quod scilicet participat natura, & qualitatibus ipsorum extremorum. Manifestum est igitur quod hæc miscibilia sunt, quæcunque facientium contrarietatem habent, atque faciliter diuisibilia, & proportionata: hæc enim sunt ad inuicem passiua. Et parua quoq; modo prædicto proportionata, ac disposita, secus parua posita, magis miscentur, facilius enim inuicem permutantur, & citius: multum autem à multo tardius hoc operatur. Ideo, quæ sunt facilè terminabilia, inter diuisibilia, & passiua, magis miscibilia sunt: hæc namque diuiduntur in parua faciliter, hoc enim est proprium eorum, quæ faciliter terminabilia sunt alieno termino, quod scilicet faciliter diuidantur. Vnde inter corpora, maximè terminabile alieno termino, ac faciliter diuisibile est humidum, nisi viscosum sit, vt oleum, pingue, & alia, hæc namque viscosa non faciunt faciliter mistionem, sed ampliorem molem. Quando autem alterum miscibilium solum, vel maximè passiuum erit, aliud vero valde remissè, id quod ex ambobus dicitur mistum, aut nihil amplius mistum erit, quam antea, aut parum. Quod contingit circa stannum, & æs: æs namque non est facilè passibile à stanno, sed stannum est multum passibile ab ipso, ideo propriè non fit perfecta mistio ex ipsis, sed imperfecta, semper enim est plus æris, nec aliquod tertium ex illis insurgit, vt in vera mistione contingit.*

Quæ propriè miscentur.

Quæ sunt humida, non viscosa, facilè terminabilia sunt.

Tex. 90. *Quædam enim entium balbutiunt adinuicem, ac ancipitia, seu ambigua sunt, ita vt sicut balbutientes indistinctè literas confundunt, vel syllabas, sic ista entia sunt indistincta, hoc est neque simplicia, neque perfectè mista. Quare videntur quodammodo esse miscibilia remissè, ita vt propriè ex eis aliquod tertiū non fiat, sed vnum ipsorum sit veluti susceptibile alterius, alterum vero sit veluti forma ipsius, quod contingit in his, quæ supra diximus. Stannum enim in ære non miscetur, sed vt passio aliqua ipsius stanni existit, & quasi sine propria materia, vel natura pene euanescit, & mistum cum ipso ære recedit cum colorauerit solum; hoc est, non habet virtutem supra æs, ideo mistionem perfectam non facit, sed superatur ab ære, ac sibi tantum colorem relinquit, & sic est imperfecta mistio; manifestum est igitur ex ijs, quæ dicta sunt, & quod est mistio, & quid est, & propter quid est, & quæ miscibilia entium; quoniam videlicet sunt quædam talia, quæ ad inuicem factiua, & passiua sunt, ac facilè terminabilia, & diuisibilia. Hæc enim neque corrupta esse necessarium est, dum sunt mista, neque possunt eadem simpliciter remanere, hoc est nihil passa, neque mistionem esse eam compositionem partium, quæ ad sensum tantum mista videntur. Sed miscibile quidem est quando facilè terminabile existens, passiuum fuerit, & actiuum, ac miscibile tali, seu alteri miscibili, non enim cuicunque potest misceri, sed ad æquiuocum est miscibile, hoc est adæquale, vel proportionatum. Mistio autem est miscibilium alteratorum vnio.* Mistio quid. *Hoc est miscibilium, quæ non actualiter manent, nec totaliter deperdita, vel corrupta sunt, sed seruant virtutem, ideo ad differentiam puræ corruptionis, in qua nihil seruatur, alterata dicuntur.*

Quæ miscibilia efficiūt mistionem imperfectam.

Finis Paraphrasis primi Libri de Generat. & Corrupt.



ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN PRIMVM LIBRVM ARISTOTELIS de Generat. & Corrupt. Quæstiones.

QVÆSTIO PRIMA.

De subiecto huius scientiæ.

Diuersæ circa horum Librorum subiectum opiniones existunt: Aliqui etenim credunt corpus simplex, prout videlicet elementa comprehendit, & quatenus est mobile secundum formam subiectum esse. Sed decipiuntur, quoniam non solum de corporibus simplicibus, sed de omnibus quatenus sub generatione, & corruptione, augmentatione, & diminutione, ac mistione, vel nutritione cadunt hic agitur. Quidam vero corpus naturale generabile, & corruptibile pro subiecto statuunt: At si hi augmentationem, ac alias mutationes excludere intendunt, deficiunt, si quidem non minus de istis, quam de generatione, & corruptione ex professo (sicut in processu patebit) tractatur. Alij autem mutationem secundum formam, prout nimirum generationem, augmentationem, & alterationem, includit, subiectum esse statuunt. At hi alios increpantes, quam maximè à veritate recedunt, subiectum etenim sic notum in aliqua scientia, vel in parte ipsius (si sit partiale) esse debet, vt suam definitionem, vel quidditatem sine alijs partibus eiusdem scientiæ habere possit: hoc etenim est supponere de ipso quid est: hæ autẽ mutationes sine subiecto, vel corpore naturali nec esse nec intelligi possunt; quamobrẽ ab ipso in esse, & in cognosci dependent. Amplius, subiectum debet continere virtualiter omnes veritates, cuius est subiectum, maximè si sit specificum, vt ad propositũ attinet: hæ autem mutationes non continent, quin potius à cognoscibilitate suorum subiectorum continentur. Nec valet dicere, aliud esse subiectum rei, aliud esse subiectum scientiæ, ideo quamuis corpus naturale sit istarum mutationum reale subiectum, non propter hoc sequi, quod etiam istius tractatus subiectum poni debeat, quia etsi distinctio hæc sit vera, & in aliquibus valeat, maximè in Mathematicis (abstrahimus namque quantitatem à substantia, quamobrem etsi substantia sit quantitatis subiectum, non est tamen subiectum scientiæ Mathematicæ) tamen in alijs fallit, & præcipuè in Physicis, intelligere enim motum sine mobile, cognitione distincta, vt decet, non solum est difficile, sed implicans; motus enim alicuius mobilis motus est, & per ipsum definitur. Dicamus ergo, corpus naturale, quatenus est generabile, corruptibile, augmentabile, & diminuibile, alterabile, ac etiam nutribile esse subiectum, quod si pluribus verbis explicetur, suppleant vicem conceptus, vel sic, subiectum est corpus naturale prout est mobile ad formam substantialem, vel ab ipsa, vel ad quantitatẽ, vel ad qualitatem, &c. Quod autem hoc sit subiectum; probatur: nam quæcunque in istis Libris considerantur, ad corpus sic se habens reducuntur. Sed nunquid omnis alteratio ad hoc pertineat? Respondetur principaliter ad ipsum pertinere alterationem corruptiuam; secundariò alias, saltem in vniuersali. Sed cur solum de generatione, & corruptione inscribuntur? Respondetur, fieri denominationem à partibus principalioribus, si quis tamen diceret, nutritionem, & augmentationem ad generationem reduci, quasi quasdam partiales aggenerationes, alterationem verò, & diminutionem veluti partiales corruptiones ad ipsam corruptionem, aliquid diceret, sed non rectè, sunt enim mutationes distinctæ, vel disparatæ. Si vero aliquis cornuptionem ad generationem, diminutionem vero ad augmentationem, vt priuatiua ad positiua pertinere asfereret, & per consequens non esse species diuersas mutationis arbitraretur, non erraret, vt tetigimus in 3. Phys. quæst. 3. in solutione quarti argumenti.

QVÆSTIO II.

Quapropter, si non sit possibile, ex igne fieri aquam, neque ex aqua terram, neque ex albo nigrum, erit aliquod, &c. Tex. 1.

An si generatio, & corruptio non essent possibiles, alteratio fieri possit.

Arguitur primò, quod sic; quæ inter se specie differunt, vnum potest esse sine alio, quia inter ipsa non reperitur dependentia, nec aliqua realis identitas, vt patet de homine, & equo, de albedine, & nigredine, &c. At generatio, & corruptio, & alteratio sunt diuersæ species motus, ergo.

Secundò. Necessitas rerum naturalium maximè quo ad existentiam (vt ad propositum attinet) ex parte finis sumitur, ex 2. Phys. cap. vlt. Sed finis alterationis non est generatio,

generatio, neque corruptio, ergo. Probatur minor, quoniam finis motus eſt proprius terminus; ſed terminus alterationis eſt qualitas, generationis ſubſtantia, corruptionis verò non eſſe eiuſdem ſubſtantiæ, ergo.

Tertiò. Experientia patet, quod quamplures alterationes ſine generatione, & corruptione fiunt: non enim albefactio, vel calefactio, aut illuminatio ſubſtantialem formam inducunt, vel auferunt, quod eſt generare, & corrumpere, ergo.

Pro intelligentia ſciendum eſt, quod alteratio eſt motus de qualitate in qualitatem; quamobrem ſicut triplices ſunt ad rem qualitates, ſic quoque triplex erit alteratio; qualitatum itaque, aliæ ſunt primæ, aliæ ſecundæ, aliæ neutræ. Qualitates primæ ſunt, quæ elementis immediatè & ad agendum, & patiendum conueniunt, vt caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas; dicitur, quod elemẽtis immediatè, ſeu ex ſua natura conueniũt, vt aduentitias, vel peregrinas excludamus: dicitur ad agendum, & patiendum, vt grauitatem, leuitatem, raritatem, & denſitatem, quæ actiuitatem, vel paſſiuitatem (niſi fortè ad motum) non habent: hæ autem vocantur primæ in ordine ad generabilia, & corruptibilia (vt alibi etiam dictum eſt) prout videlicet, aliæ omnes qualitates prædictorum ab ipſis dependent. Secundæ autem ſunt, quæ ex illis, vel ipſarum miſtione fiunt, vt ſapor, color, odor, &c. prout enim aliquid magis calidi, vel frigidi, aut è contra participat, ſic tali, vel altero ſapore, aut colore, vel odore affectum magis apparet, pariter grauitas, leuitas, mollities, durities, lenitas, aſperitas, craſſities, tenuitas, &c. ſecundæ ſunt qualitates. Neutræ verò ſunt, quæ ab iſtis non dependent, ſiue ſint eis priores, ſiue poſteriores generatione, nihil refert; ſic ſe habet lumen, ſonus, viſio, intellectio, auditio, &c. Secundum itaque hanc triplicem qualitatum diuerſitatem 1. Concl. tres ſtatuere poſſumus concluſiones. Prima. Niſi eſſet generatio, & corruptio, non daretur alteratio, quæ per primas efficitur qualitates, & corruptiua dicitur; probatur; nam cum hæ qualitates ſint maximè actiuæ, atque paſſiuæ, neceſſario ſtante alteratione mutuò ſe expellunt, ac vna expulſa, contraria introducitur; ſed formæ naturales ſub oppoſitis diſpoſitionibus naturaliter eſſe nequeunt, vt ignis cum frigore, terra cum caliditate, & humiditate; expelluntur itaque formæ, ad quarum expulſionem aliæ introducuntur, quia materia ſine forma naturaliter eſſe nequit; quamobrem patet, quod ad alterationem ſequitur generatio, & corruptio; cum autem omnis actio naturalis ſit propter finem, ſubſtantia verò ſit accidentium finis, ſicut optimum eſt finis aliorum; ſequitur quod ipſa accidentia, ac motiones eorum ad ſubſtantiam ordinentur; ſi itaque ſubſtantia ipſis non indigeat, fruſtra vtique ad eam ordinaretur; quare cum alteratio prædictarum qualitatum generationem, & corruptionem efficere apta ſit, ſequitur, quod ſi generatio, & corruptio non eſſent, fruſtra eſſet alteratio; fruſtra eſt enim calceamentum, cuius non eſt calceatio. Se- 2. Concl. cunda concluſio. Alteratio, quæ ſecundum qualitates ſecundas efficitur non ordinatur ad generationem, & corruptionem, niſi fortè per accidens, quamobrem, & ſi nihil eſſet generabile, & corruptibile, adhuc alteratio hæc eſſe poſſet. Quod autem ad generationem, & corruptionem non ordinetur, patet; nam albedo, rubedo, & alij colores, non diſponunt ad corruptionem, ſed vt perficiant ſubiectum ordinata ſunt; quod ſi cauſam quęramus eſſe poterit, eo quod in illis non eſt perfecta actiuitas, nec paſſiuitas, ſed ſi aliqua ſit, erit parui momenti, & inſufficiens; præterquamquod, non omnia ad eundem finem ordinari debent; ſi itaque aliquæ alterationes ad generationem, & corruptionem diriguntur, aliæ ad conſeruationem, & perfectionem ordinari debent; ſi quidem non minus hoc, quam illud à natura intenditur, & cum procedat de imperfecto ad perfectum, alteratio paulatim confert; diximus niſi fortè per accidens; quia interdum cum prædictis adeo aliqua primarum qualitatum prędominatur, vt corruptio ex hac effici poſſit, vnde patet multos ſapores, ac odores interficere, quod ex exceſſu qualitatum primarum accidit. Tertia concluſio. Qualitates, quas neutras vocauimus, poſſunt 3. Concl. ſine generatione, & corruptione eſſe, & acquiri, & per conſequens nulla data generatione, vel corruptione tales alterationes dari poſſent; quæ concluſio, ſicut præcedens, probari poteſt.

Ad Argumenta.

AD primum negatur maior: ſunt enim quædam, quæ ſpecie differunt, quæ tamen ab alijs dependent, & ad ipſa ordinantur, vt patet de omnibus accidentibus in comparatione ad ſubſtantiam, ſic itaque de iſtis dicendum eſt.

Ad ſecundum dicitur, duplicem eſſe finem, videlicet immediatum, qui poteſt eſſe minus principalis quoad intentionem; & mediatum quoad executionem, qui in intentione poteſt eſſe principalis; finis itaque immediatus executionis, & minus principalis in omni motu eſt terminus eius; ſed mediatus, & principalis intentionis, quamuis executionis poſterior, eſt bonum, & conſeruatio, vel productio ſubſtantiæ, ſic igitur alterationes prædictæ corruptiuè ad hunc vltimatè ordinantur, præcipue ad generationem, quia corruptio per ſe à natura non intenditur.

Ad tertium de albefactione, & illuminatione, quæ ad qualitates ſecundas, & neutras pertinent, gratis concedimus. De calefactione verò, quæ eſt alteratio primarum qualitatum, dicitur, quod niſi impediatur, ad corruptionem neceſſariò diſponet.

QVÆSTIO III.

Determinatis autem his primò ſpeculandum eſt, vtrum ſit aliquid quod generatur ſimpliciter, & corrumpitur. Tex. 11.

An detur ſimplex generatio, & corruptio.

NEc eſt difficilis admodum, nec controuerſias inter modernos propoſita quæſtio habet, quamuis Antiquorum quam plurimi multum inter ſe circa ipſam diſcrepantes fuerint; vt autem quæ dicenda ſunt ordinatim dicamus, ſciendum eſt, quod per ſimplicem generationem nihil aliud, quam nouæ ſubſtantiæ productionem intelligimus, (an autem hoc ſit forma, vel compoſitum, propriam habebimus quæſtionem) per corruptionem autem eiuſdem ſubſtantiæ interitum denotamus. Quod itaque ambæ hæ mutationes dentur, probatur. Dum ex ligno, v. g. fit ignis, aut ignis præerat actualiter in ligno, aut ſimpliciter creatur, aut tandem generatur, non eſt aſſerendum primum, quoniam hæc eſt poſitio Anaxagoræ (omnia enim in vnoquoque actualiter contineri aſſerebat) quam ſatis in 1. Phyſ. reprobauimus, nec ſecundum, quia quod ex aliquo fit, creari nõ dicitur, (ipſa etenim creatio ex nihilo productio eſt) relinquitur ergo, quod generetur, & ſic datur generatio ſimplex, vel alicuius ſubſtantiæ; ſimiliter de corruptione ſuo modo dicendum eſt; dum etenim ignis deſinit eſſe, aut abſcondit ſe intra aliquod, vt intra cineres, &c. (ſicut idem Anaxagoras aſſerebat) aut reſoluitur in nihilum, aut tandem corrumpitur. Primum concedendum non eſt, vt contra eundem Anaxag. præcitato loco probauimus. Præterquamquod ſi eſſet verè ignis, proprietates ignis haberet; quare combureret, calefaceret, &c. (quod etiam dici

potest, si cum Anaxagora ponatur, quod actualiter ante generationem in aliquo præfuerit,) hoc autem asserere & rationi, & quotidianæ certissimæ experientiæ repugnat; neque dandum est secundum; quia sicut nec naturaliter creatio, sic neque annihilatio conceditur; quare ex sufficienti diuisione intentum concludimus. Præterea. Operationes diuersæ diuersas arguunt naturas, & substantias, sed dum aliquid ex aliquo factum esse videtur (ne indagando resoluimus) diuersas habet operationes ab eo, ex quo factum esse dicimus, vt in omnibus patet. Non enim ignis ex ligno genitus operationes ligni, nec acetum vini, aut cinis ignis retinent, ergo. Quod pariter corruptioni applicari potest. Corrupto namque ligno, nihil ipsius operationis remanet, &c. Denique probare (quasi id non cognoscatur) generationes, & corruptiones dari, est non potentis iudicare inter id, quod est per se notius, & ignotius; homines etenim, & animalia omnia in diem (vt alia omittam) ab omnibus generari videntur. Vt autem clarius hæc quęstionis resolutio innotescat, aliquas obiectiones contra

1. Obiectio. ipsam adducamus, & soluamus. Prima. Vel per generationem simplicem generaretur forma, vel materia, vel compositum; non forma, quia ipsa est principium generationis; at principium generationis non generatur, quia non esset principium, sed principiatum; non materia, quia ipsa est ingenerabilis, vt in primo Physicorum visum est, neque tandem compositum; quia cuius partes non generantur, nec totum generatur. Idem dicatur de corruptione, vel etenim corrumpitur forma, vel materia, vel compositum; non forma, quia est principium, quod in alia resolubile non est; non materia, quia est incorruptibilis; neque tandem compositum, quia ipsum sequitur conditionem suarum partium. Se-

Secunda. cunda. Aut generarentur, & corrumperentur res quoad existentiam, vel quoad essentiam; non primo modo, quia existentia non est simpliciter substantia, sed passio quædam entis realis, vel modus intrinsecus; non quo ad essentiam, quia essentia ab omnibus ponitur æterna, vel incorruptibilis, atque ingenerabilis, quod confirmari potest, ex hoc, quod omnes scientiæ sunt de rebus eter-

Tertia. nis, & præcipuè essentias considerant. Tertia. Quod repugnat bono ipsius Vniuersi non est in ipso statuendum, corruptio autem sic se habet, cum sit priuatio boni & entis, ergo ponenda non est; at si ipsa auferri debet, est pariter de medio tollenda generatio, quæ sine

Solutio. alterius corruptione esse nequit. Hæ tamen obiectiones nihil præcedenti positioni officiunt, vt ex solutione patebit.

Ad primã. Ad primam igitur dicitur. Generari principaliter, & vt vltimatum terminum, compositum; formam verò, vt quo, vel non vltimatè similiter; dum vero dicitur, principia esse ingenerabilia; Respondetur, hoc non esse simpliciter verum, nisi in comparatione ad terminum vltimatum generationis, quod est (vt videbimus) compositum, ita quod sit sensus, principia non generari, vel ex partibus constare, vt compositum. Quod tamen aliquod ipsorum generetur, vel potius aggeneretur, non est absurdum, vt patet de forma.

Ad secundã. Ad secundam dicitur, vtroque modo substantiam generari, sed principaliter quoad essentiam, ita vt essentia ipsa sit finis generationis, sed singularis, & vt existens; dum autem dicitur, essentias esse æternas, ac incorruptibiles; Respondetur, id esse verum secundum rationes vniuersales, vel cognitas; aut (quemadmodum alij dicunt) secundum habitudinem prædicati essentialis ad subiectum: in particulari vero oppositum dicendum est.

Ad tertiam. Ad tertiam negatur minor; ad probationem dicitur; corruptionem non per se primò intendi à natura, sed solum ad generationem ordinari. An vero corruptio possit dici naturalis, alibi dicetur.

QVÆSTIO IIII.

Si enim simpliciter erit generatio, simpliciter vtique fiet ex non ente. Tex. 11.

An generari aliquid possit simpliciter ex non ente.

QVamuis in nona, & vigesima quæstione primi Physicorum materia hæc dilucidata fuerit; aliqua tamen ad maiorem notitiam hic addere superuacaneum non erit. Sciendum est itaque, quod non ens simpliciter duobus modis dici potest. *(Non ens simpliciter dupliciter.)* Primò, quod excludat omne ens, ita vt sicut quicquid habet esse, potest simpliciter ens vocari ad differẽtiam illorum, quæ solum habent esse in potentia; ita ex opposito, quod nullum esse habet, simpliciter non ens dici potest. Alio modo dicitur ens simpliciter, quod est ens perfectum, & prout opponitur ad secundum quid, vel imperfectum, quo pacto domus incompleta non dicitur simpliciter ens, vel domus, sed secundum quid tantum, & hoc erit aliud non ens simpliciter. Sciendum est etiam, quod hic loquimur de rei generatione substantiali in ordine ad materiam, non autem de accidentali, & in ordine ad causam efficientem; de accidentibus etenim clarum est, quod non fiunt ex nihilo, sed semper supponunt subiectum, nam eorum esse est inesse. De causa autem efficienti, neque est apud intelligentes difficultas; quoniam nisi aliquid sit in actu, nihil efficere potest; quomodo namque operabitur, quod non est, sed esse potest? imò nec ipsa materia operationem edit, cum sit in potentia, licet subiectiua, sed ipsius est solum pati; est igitur sensus quæstionis. An aliqua substantia possit generari nulla supposita materia, ad quam per duas conclusiones respondetur.

Prima. Substantia non potest generari ex nihilo, seu ex simpliciter non ente primo modo dicto. 1. Concl. Probatur, quia hæc esset pura creatio, non autem generatio. Amplius, omne agens naturale agit per contactum, hic autem est inter quanta; quantitates verò cum sint accidentia sunt in subiecto, ergo de primo ad vltimum, subiectum in qualibet actione supponitur.

Secunda conclusio. Substantia potest generari, imò Secunda. de facto generatur ex non ente secundo modo, puta ex ente imperfecto, & potentiali; probatur, quia non generatur ex nihilo, neque ex ente perfecto, quia quod tale est, essentialem additionem non recipit, ergo ex imperfecto quod ad formam essentialem ordinatur, ac materia dicitur. At hic præter multa argumenta est aliud Arg. quoddam commune quidem contra hoc, sed re vera alicuius probabilis apparentiæ, & est hoc. Sicut se habet generatio secundum quid ad non ens secundum quid, sic generatio simpliciter ad non ens simpliciter; ergo sicut illa supponit subiectum, quod est non ens secundum quid, sic ista non ens simpliciter supponere, & ex nihilo fieri debet. Respondetur tamen, disparem esse ratio- Solutio. nem, quia generatio secundum quid, seu alteratio (pro eodem nunc accipiantur) fit ex non ente secundum quid, quatenus fit ex subiecto, cui deest accidentalis perfectio per ipsam alterationem acquirenda. At generatio non potest fieri ex puro non ente, vel ex nihilo, sed satis est, quod fiat ex non ente simpliciter, seu ex non ente, cui deest substantialis perfectio, ratione cuius defectus, non ens simpliciter dici potest, ad differentiam simpliciter, vel perfecti entis.

QVÆSTIO V.

Quocirca propterea, quod huius corruptio alterius sit generatio. Tex. 17.

An corruptio vnius sit generatio alterius.

ARguitur primò, quod non. Oppositum non prædicatur in recto de suo opposito in quocunque genere oppositionis, vt album non est nigrum, nec pater respectu eiusdem est filius, aut videns cæcum, &c. Sed generatio, & corruptio sunt opposita priuatiua, ergo. Diximus notanter, quod oppositum non prædicatur in recto, quia in obliquo non est inconueniens de aliquibus, vt pater filij pater, &c.

Secundò. Multa corrũpuntur absque alterius generatione, quamplurima vero absque alterius corruptione gignuntur, ergo. Probatur antecedẽs quoad primã partẽ: nã in corruptione hominis, vel alterius animalis, quamuis animal ipsum corruptum sit, nihil tamen genitũ est, siquidem solum remanet cadauer, quod preerat, licet nõ sub nomine cadaueris, sed corporis tantum (hoc enim cadaueris nomen carentiam formæ denotat, & quasi ab esse perfecto ceciderit sic nuncupatur) quare, &c. Quo ad secundam partem pariter non est difficile intentum ex opposito in eodem probare; in generatione etenim animalis, supponitur corpus organizatum, cui aduenit anima, ac animal completum statuitur, quæ completio perfecta generatio dicitur, & tamen nihil corrumpitur, nam corpus ipsum, ac cætera quæ præerant necessariò ad munera obeunda remanent, ergo.

Cadauer vnde dicitur.

Tertiò. Quamplurima accidentia absque alterius corruptione producuntur, vt patet de lumine, de omnibusque alijs, quæ simul cum productione substantiæ acquirunt esse, ergo.

Propositio identica.

Pro intelligentia sciendum est, quod propositio prædicta potest intelligi, vel quod sit vera secundum sensum identicum, vel causalem, vel per concomitantiam. Primo modo dicitur vera propositio, quando prædicatum est idem cum subiecto, siue accidentaliter, siue essentialiter, cuiusmodi sunt omnes propositiones, quarum prędicata in recto de subiecto dicuntur, vt homo est animal, homo est homo, homo est doctus, &c. & quamuis accidens abstractè sumptum nunquam sit idem cũ substantia, nec è contra, quia tamen concretè supponit pro ipsa substantia, identitatem quandam accidentalem admittit, aliter non esset verum dicere, de homine albo, illum esse Petrum, & eundem esse album, quod à communi sensu recedit. Sensus, vel conuenientia causalis est, quando aliqua per modum causæ, & effectus de se inuicem prædicantur, vt sonus est ictus aeris, eclypsis est interpositio terræ, febris est prædominium extranei caloris, aliaq; millia huius generis. Præ concomitantiam denique dicuntur propositiones connexæ si vna aliam sequatur, vt existente patre necessariò existit filius, &c. Secundum igitur triplicem hanc acceptionem tres quoque conclusiones ad propositum statuamus. Prima illa propositio non est vera in sensu identico, nec essentialiter, nec accidentaliter, quod satis patet ex primo argumento, siquidem opposita nullam identitatem habent, imò ex ratione oppositionis identitati ipsi directè opponuntur. Secunda conclusio. Prædicta propositio non est vera ratione causalitatis, vt aliqui ineptè determinant. Probatur, quoniam nec generatio corruptionis, nec corruptio generationis causa esse potest, quia si motus alicuius sit causa, non nisi immediatè proprium terminum producet, sed prædictæ mutationes (sicut nullus alius motus) sunt adinuicem termini, vt fusè docet Philosophus in 5. Physic. cap. 3. ergo. Tertia conclusio. Prædicta propositio est vera ratione concomitantiæ, vel sequelæ, sic videlicet, quod nulla detur corruptio quin statim, vel deinceps succedat generatio: diximus statim, vel deinceps, quia quædam corruptiones penitus totæ simul sunt, vel complentur, & has generationes sequuntur, quod accidit in corruptione simplicium corporum, vel elementorum, & forte in omnibus inanimatis; quędã vero non statim, sed successiuè complentur, vt corruptiones viuentium, non enim mortuo homine, statim alia generantur, vt notum est, nisi dicatur generari cadauer, quod quam sit absurdum alibi declarabitur. Quod itaque sic propositio sit vera, probatur; nam nisi ad completam corruptionem generatio sequeretur, posset materia naturaliter sine forma existere, ac per consequens naturaliter quoque mundus desinere, vt etiam paulo fusius declaratum est in 1. Physic. in quæst. qua visum est, si materia sine forma diuinitus esse possit.

Causalis. *Concomitans.* *1. Concl.* *2. Concl.* *Tertia.*

Ad Argumenta.

AD primum patet, quod prædicatione identica, oppositum de opposito non dicitur, sed ratione sequelæ nulla est repugnantia, sicut si diceremus, Socrates est pater Platonis, & filius Xenocratis, sic generatio vnius est corruptio alterius, quamuis fortè non sit penitus similitudo.

Ad secundum dicitur, quod tunc non accepta est plena corruptio, vel generatio, si etenim totalis corruptio, & generatio capiantur, secus dicendum est, nam in generatione hominis corrumpitur semen, & elemẽta, in corruptione vero generantur vermes, & elementa. Sed cõtra prædicta est obiectio; absurdum namque videtur dicere, quod homo mortuus non sit, penitus corruptus, nã sicut esse eius in vita consistit (viuere enim viuentium est esse) sic postquã vitam amisit, est penitus corruptus, vel (quod est magis absurdum) corruptus aliquomodo viueret. Respondetur, corruptionem totalem posse dici cathegorematicam, & syncathegorematicam: primo modo respicit totum sub illa ratione totius, non se extendendo ad singulas partes, secundum quam acceptionẽ dicimus, cognosco, vel video totum hominem, & hoc pacto totum verè corrumpitur, sed ad hanc corruptionem non sequitur in omnibus statim generatio, quemadmodum de homine exemplificatum est, quamuis in aliquibus etiam sequatur. At secundo modo respicit, vel omnes, vel præcipuas aliquas partes, & hoc modo non opus est, quod omne corruptum dicatur, sed ex hac corruptione bene sequitur alterius generatio; diximus omnes vel præcipuas partes, vt animam rationalem excipiamus.

Ad tertium dicitur, hanc propositionem in accidentibus non esse vniuersaliter veram, quamuis in aliquibus teneat, dulce enim fit ex amaro, vel è contra.

QVÆSTIO VI.

Cuius enim magnæ differentiæ hoc aliquid significant, magis substantia est. Tex. 18.

An substantia suscipiat magis, & minus.

ARguitur primò, quod non auctoritate Aristot. in prædicamentis cap. de substantia, ibi etenim non suscipere magis, & minus proprium ipsius substantiæ esse asserit.

Secundò. Suscipere magis, & minus est propter admistionem contrarij ex 5. Phys. tex. 19. Substantiæ autem nihil est contrarium, vt habetur in præd. c. de sub. ergo.

Tertiò.

Tertiò. Si substantia susciperet magis, & minus, tunc ad ipsam fieri posset motus, quod negat Aristot. in 5. Physic. tex. 18. ait enim ad substantiam non esse motum, sed mutationem; probatur consequentia, quia dum aliquid potest esse magis & minus tale, secundum quod ad magis accedit fit successio motus, similiter quatenus ab ipso recedit.

Quartò. Si substantia susciperet magis, & minus, duæ formæ essent simul; saltem in esse remisso, nam remissio quælibet est à forma opposita, vt remissio caloris à frigiditate, &c. dicere autem quod duæ oppositæ substantiales sint simul, est falsum, & non intelligibile, vnius etenim materiei est vna forma, nisi sint subordinatæ, si vero subordinatæ ponantur, non sunt oppositæ, & sic vna non est causa, quod altera suscipiat magis, vel minus, seu alteram non remittit.

Quintò. Formæ substantiales sunt sicut numeri, sic videlicet, quod sicut quæcunque vnitas alteri addita, aut remota, variat numerum; sic ex additione vel remotione formæ variantur species, & per consequens non potest additio fieri, nec remissio, quia quælibet pars formæ est forma, & substantia.

Sextò. Nullum simplex suscipit magis, nec minus, quia sic compositum euaderet, at formæ substantiales sunt simplices, ergo. Probatur minor, quia nisi essent simplices non essent puræ formæ, sed composita.

Circa hanc quæstionē tres præcipuè vigēt opiniones, videlicet Diui Thomæ, Auerrois, & Scoti. Asserit itaque D.Thomas, nullam formam substātialem suscipere magis nec minus, quod si de substantiali forma sit verū multo magis de materia fatendum erit, si quidem ipsa est ingenerabilis, & incorruptibilis secundum totam, & secundum partem, suscipere vero magis, & minus cum acquisitione, vel deperditione partis contingit; quamobrem secundum ipsum fatendum est, quod nulla substantia magis, nec minus suscipiat; Quæ quidem opinio omnibus prædictis argumentis aliisque similibus nititur. Auerroes vero in 3. de Cœlo com. 67. solum elementorum formas magis, & minus suscipere statuit, alias vero nequaquam, cuius rationes adducētur, dū de mistione dicetur. Scotus vero in 8. Metaph. quæst. 3. & in p. sent. d. 27. q. 3. omnes substantias, vel formas substantiales magis, & minus suscipere affirmat: distinguit tamen, quia si formæ in vniuersali considerentur, non suscipiunt magis, nec minus, sic etenim sunt puræ quidditates, quæ in esse in indiuisibili, & definitiuo consistunt; si vero cōsiderentur in particulari, sic plures, vel pauciores gradus perfectionis recipere possunt. Pro resolutione tamē notandū est, quod aliqua dicuntur suscipere magis, & minus quinque modis. Vno modo in ordine ad prædicata tam essentialia, quam accidentalia; sic videlicet, quod quæ plura prædicata recipiunt ea magis, quæ vero pauciora minus talia dicantur, quo pacto. Aristot. in Præd. c. de substantia ait, substantiam minus vniuersalem esse magis substantiam vniuersaliori, ac singularem (eadem ratione) esse maximè, & propriè substantiam, quamobrem suscipere magis & minus hoc modo, est pluribus vel paucioribus substare, quod est proprium substantiæ; accidentia namq; in ipsa sunt, & de ipsa dicuntur, & quamuis interdum vnū accidens alteri subijciatur, vel potius sit ipsius fundamentum, vt quantitas qualitatis, materialis color visibilitatis, &c. tamen cum in alio subiecto fundentur, substare simpliciter eis non tribuimus. Secundo modo aliqua dicuntur suscipere magis & minus, quæ plures gradus perfectionales in eodem subiecto sine aliqua variatione situs recipiunt, vel amittunt, quo pacto albedo in aliqua parte parietis existens sine aliqua extensione sic suscipere magis, & minus dicitur, si intendatur, & remittatur; quare ad hoc vt aliqua hoc modo magis, & minus suscipiant tres conditiones requiruntur. Prima est, quod sint in subiecto, vnde substantię omnes, quia in subiecto non sunt, non suscipiunt magis, nec minus, sed solum accidentia quædam. Secunda, quod fiant sine aliqua extensione, vel retractione, quod est non variare situm, vnde excluditur quantitas, quæ si augeatur extenditur, si diminuatur retrahitur. Tertia, quod accidentia prædicta considerentur in concreto, nam in abstracto solum in esse quidditatiuo, atque indiuisibili consistunt, vnde habet Arist. in Præd. c. de Qualitate; grammaticam vnam non dici magis grammaticam quam aliam, sed bene aliquem esse alio grammaticiorem; & sic aliquid dicitur magis, & minus album, sed aliqua non dicitur magis, vel minus albedo; ex hoc infero corollarium, quod ipse Aristot. meritò secundum hanc considerationem, diuersis prædicamentis magis, & minus suscipere tribuit, ab aliis vero abstulit; substantia enim non suscipit, quia in subiecto non est; quantitas vero nec ipsa, quia extenditur; qualitas quoniam cum prædictis saluari potest (præter quasdam sicut est figura &c.) suscipit, idem dicatur de Relatiuis, Actione, & Passione, sicut è contra de situ, vbi, quando; hæc enim non suscipiunt, quia suo modo extēsionem, vel variationem situs includunt. De habitu vero dicitur, quod suscipit magis, & minus impropriè, secundum quandam extensionem, vel secundum communem modum loquendi, quia re vera situm variat. Ex prædictis potest videri quantum aliqui à veritate declinent, dum omnia accidentia magis, & minus secundum hunc modum suscipere statuunt. Tertio modo dicitur suscipere magis, & minus, quod additionem, vel diminutionem recipit, hoc autem poterit esse presse, idest secundum veram augmentationem, & diminutionem (quod ad quantitatem attinet) & sic solum in ipsa quantitate concretè sumpta, vel in re quanta augmentabili, & diminuibili reperitur, & ab aliquibus (non tamen sine ratione) dicitur suscipere potius maius, & minus, quam magis, & minus. Aut extendi poterit ad quæcūque entia imperfecta, omnia etenim imperfecta additionem admittunt, sicut perfecta refugiunt; quamobrem distinctionis gratia sit quartus modus eorum, quę perfectionis recipere, vel amittere possunt, non tamen quantitatiuam, ne hunc cum præcedenti confundamur, sed entitatiuam tantum, ita vt quartus modus sit eorum, quæ entitatem sibi conuenientem eiusdem generis recipere possunt, nec in subiecto existunt. Diximus eiusdem generis entitatem, & substantiam accidentium receptiuam, secundum hanc ipsorum receptionem excludamus. Diximus nec in subiecto existant, vt hunc cū secundo modo non confundamus, ille etenim accidentium, hic vero substantiarum erit. Quinto modo aliqua sic dicuntur prout sunt magis, vel minus perfecta, & reperitur hic in quolibet genere entis; potest namque inuariabiliter existere, quo pacto Deus est perfectissimus omnium, substantia accidentibus, homo equo &c. at hoc propriè non est suscipere magis & minus, sed esse simpliciter tale; nam suscipere supponit esse. Quibus habitis, conclusiones aliquas statuamus.

Opinio D. Thomæ. — Opinio Auerrois. — Opinio Scoti. — Suscipere magis, & minus quinque modis. 1. Modus. — 2. Modus. — 3. Modus. — 4 Modus. — 5. Modus.

Conclusiones.

Prima. Substantia suscipit magis & minus primo modo; hæc conclusio satis, & in Præd. c. de substantia, & superius in hac Lectione patet.

Secunda. Substantia non suscipit magis, nec minus secundo modo, patet; nam sic suscipere ad accidentia pertinet, vt etiam declaratum est.

Tertia. Neque suscipit magis, aut minus tertio modo, quia hoc est quantitatis, omnes autem hæ conclusiones ex præcedentibus parent; sed gratia ordinis expressè adhuc elicere volui.

Quarta. Substantia secundum quartum modum suscipit magis, ac minus, non omnis, sed generabilis solum, & corruptibilis, non in abstracto, seu vniuersalis, seu singularis, nec tantum in principio generationis, sed etiā post.

Hoc

Hoc autẽ modo ingens est difficultas, & contra hanc, vel totalẽ, vel partialẽ conclusionem quãplures reclamant, ideo diligenter eam explicare, atque rationibus corroborare oportet. Diximus itaque in prima conclusionis parte, substantiam suscipere magis, & minus. Pro cuius intelligentia sciendum est, quod formæ substantiales habent quandam latitudinem graduum, sic nimirum quod sub eadem forma specifica plures gradus, vel entitates diuersæ perfectionis contineantur, eo quidem modo, quo sub eodem genere reperiuntur plures differentiæ, cum hoc tamen discrimine, quod illæ essentias diuersas constituunt, hæ vero nequaquam, sed sub vna contineri possunt, sicut plures gradus albedinis in vna albedine, vel re alba numero. Quod autem hoc sit verum, ex diuersa indiuiduorum substantialium perfectione colligi potest, vt melius per probationes patebit; Secundum itaq; tales gradus, substantiæ magis, & minus recipiunt. Probatur. Indiuidua eiusdem speciei se mutuo adinuicem in perfectione, ac operatione excedunt, vt in hominibus, equis, alijsve animalibus, & plantis manifestum est, ergo secundum aliquem gradum substantia, probatur consequentia; quia accidentia sequuntur naturam substantię, ab ipsa dependent, non autem è contra; quare præstantiora accidentia, è perfectiori substantia sunt, aliter nulla esset proportio producentis ad productum, imò è vilissima substantia nobilissima educerentur accidentia, vt ex substantia vermium operationes hominum, &c. quod quam sit absurdum nemo est, qui non videat, ergo diuersitas accidentium substantiæ producenti primo tribuenda est, & sic habetur intẽtum. Amplius quamplures substantiarum generationes sunt successiuæ, sicut de mente Aristot. & secundum veritatem in 3. Phys. vidimus; quid ergo in successione acquiritur? profecto nihil aliud nisi gradus substantiæ, quare &c. Amplius id confirmatur auctoritate Aristot. pluribus in locis, in hoc etenim libro textu 18. ait, cuius magis differentiæ hoc aliquid significant, magis substantia est; quod idem est, ac si dicatur, id esse magis substãtiam, cuius gradus sunt plures, & perfectiores. Atque in 7. physic. textu 34. postquam de generationis, & corruptionis velocitate disseruit, dixit substantiæ non esse nomen impositum, ad explicandum ipsius magis, & minus, sicut in quantitate explicatur maius, in qualitate maior passio, sed hoc suppleri posset per numeros, sic enim maior, & minor numerus eiusdem speciei dici posset; quare expresse rem profert, etsi nomen ignotum esse asserat. Amplius 2. de Anima tex. 3. dicit corpora naturalia esse magis substantiam quam materiam, & formam, de quibus dixerat in præcedenti textu; nec dicatur cum quibusdam recentioribus, esse magis substantiam quoad sensibilitatem; quia est implicatio, & repugnantia in adiecto; sensibilitas namque est accidens, at quis vnquam diceret, substantiam, esse magis substantiam, quoad accidens? eadem sententia habetur in 7. Metaph. cap. 3. compositum videlicet esse magis substantiam, quam materiam, & formam. Secunda pars conclusionis, nimirum quod substantia solum generabilis, & corruptibilis suscipiat magis, & minus facilè suaderi potest, si quidem ingenerabiles, & incorruptibiles, sunt omnium mutationum expertium, præcipue earum, quæ ad aliquam intrinsecam perfectionem substantialem ordinantur; cum autem suscipere magis, & minus in mutatione consistat; clarum est quod dicimus. Alia vero pars, puta quod vniuersalis substantia non suscipiat, etiam faciliter probari potest; nam substantiæ abstractæ solum puram quidditatem admittunt, à quolibet gradu perfectionis præscindentes, quod etiam de accidentibus est verum; homo enim est solum animal rationale, albedo est color immutatiuus, & disgregatiuus visus, &c. quod etiam Aristotelis auctoritate confirmatur, ipse enim 8. Metaphysic. tex. 10. ait, formas substantiales secundum se esse veluti numerus, non suscipientes magis, nec minus, sed in materia magis, & minus suscipere. Vltima denique particula, videlicet, quod ipsæ generabiles substantiæ non solum in principio generationis, sed etiam post magis, & minus recipiant, probatur. In nutritione viuentium, acquiritur aliquis gradus substantiæ, vel non; si dicatur, quod non, ergo nutritio esset per accidentia, quod ipsius naturæ repugnat, si affirmatiuè respondeatur, habeatur intentum. Amplius. Accidentia perfectiora ex perfectiori sunt substantia, vt ante deductum fuit, sed interdum sic se habent, ergo. Amplius. Quis diceret eosdem habere gradus substantię, vuam verbi gratia acerbam, & maturam? eadem namque vtriusq; essent accidentia, & effectus; quod autem non solum accidentia sic se habeant, sed multo magis substantia, sic fere demonstratiuè suadetur. Animalia non nutriuntur accidentibus, vt docet Philosophus in secundo de anima tex. 28. sed solum sunt vt condimentum, ergo nutriuntur substantia, at notum est, quod eadem res numero modo est aptissima, modo minus apta, interdum ad nutrimentum ineptissima, vt de eadem vua acerba, matura, & marcescente est notum; hæc ergo nutrimenti diuersitas, ex diuersitate substantiæ prouenit, vt notum est; quamobrem ipsa substantia variatur secundum diuersos substantiæ gradus. Quod tamen non est semper verum, quia eadem inuariata substantia existens, compossibilia accidentia suscipere quandoque potest, nec successiuè etiam contraria, sed quæ ex natura rei sequuntur dum variationem ingentem habent, varietatem substantiæ necessariò supponunt. At obijciunt aliqui hoc modo. Si ita res esset, sequeretur quod aqua v. g. calefacta nunquam posset se ad natiuam frigiditatem reducere, quia cum accidentibus etiam substantia remissa est; quæ pristinam sufficientem virtutem non retinet. Sed dupliciter errant. Primo, quia supponunt in qualibet intensione, & remissione accidentium remitti substantiam; quod non est vniuersaliter verum; Secundò, quia virtus illa licet debilitata, vel remissa sit; tamen nisi sit penitus extincta, aliquam habet operationem, qua paulatim vires accipit, & ad statum reducitur, vt paruus, & debilis ignis succenso fomite crescit.

Quinta conclusio. Omnes substantiæ, nec non omnia entia ad inuicem comparata sunt magis, vel minus perfecta, si enim æqualem haberent perfectionem in omnibus, non differrent.

Ad Argumenta.

AD primum patet in secunda conclusione.

Ad secundum dicitur, admistionem contrarij nõ esse simpliciter secundum veram contrarietatem (quæ ad qualitates attinet) sed secundum rationes oppositas graduum, qui sub ratione magis, & minus sunt discrepantes. Quod autem sic se habet, vt diximus patet, nam in qualitate simplici non est mistio, vt calor non habet frigiditatem admistam, sed dicitur sic ob recessum, vel accessum ad contrarium. Hi autem gradus sub ratione formali repugnant sicut termini oppositi motus, sub materiali nequaquam.

Ad tertium conceditur, ad substantiam esse mutationem successiuam, vt visum est in 3. Physicorum, nec de ratione mutationis est esse instantaneum, vt illic quoq; declarauimus.

Ad quartum dicitur, non oportere formas oppositas esse simul per informationem eiusdem materiæ, sed satis esse quod per contactum virtualem, vel etiam mathematicum id præstent, præcipuè dum non fit perfecta corruptio. Sic igitur in diminutione substantiæ contingit.

Ad quintum dicitur, maiorem esse veram de formis vniuersalibus, sic namque essentiales tantum differentias vt constituentes, vel diuidentes respiciunt, quibus essentialiter variantur; at de particularibus fallit.

Ad sextum dicitur ad minorẽ, formam esse simplicem

in

in comparatione ad compositum ex materia, & forma, non autem quod diuersos gradus excludat, vel dicatur quod, omnis forma in vniuersali est simplex; at melior est prima responsio. Sic itaque secundum ingenij placitum quæstionem hanc statuere volui, & re vera scrupulum simul, & molestiam ob nouitatem mihimet afferebat; Sed Adm. R. P. F. Andreas de Asculo Capuccinorum decus, doctrina, Religione, ac Euangelica prædicatione eximius, hanc animi perturbationem ademit, postquam etenim eam diligenter perpendit, mirificè commendauit, ac Aristotelicam simul atque Scoticam (circa quorum doctrinas est inter omnes versatissimus) adamussim esse, vnà mecum constituit. Quinimo quamplures non minus pulcherrimas, quam subtilissimas rationes ad ipsam confirmandam attulit; quas quidem cum ad ornatum, tum ad vtilitatem, & huius positionis, firmissima fundamenta hic apposuissem, nisi ipsius modestia omni conatu, suauique violentia, oppositum firmiter determinasset.

QVÆSTIO VII.

De generatione autem, & alteratione dicamus quid differunt. Tex. 23.

An Generatio, & alteratio differant.

ARguitur primò quod non; Quæ in eadem definitione conueniunt, non differunt saltem essentialiter, at generatio, & alteratio sic se habent, ergo. Probatur minor, nam vtraque sub motus definitione comprehenditur, vt patuit in 3. Physicor. tex. 6.

Secundò. Si different, hæc differentia præcipuè sumeretur ex eo quod subiectum alterationis est ens completum, vel totum sensibile, vt habet Philosophus in textu, at hoc nihil est, quoniam subiectum generationis sic quoque esse poterit, probatur; dum generatur homo, priusquam animam acquirat, supponitur corpus organizatum, quod est totum sensibile, ergo.

Tertiò. Differentia motuum sumitur ex parte terminorum, sed idem potest esse terminus generationis, & alterationis, ergo. Probatur minor, nam ignis ab igne per generationem producitur; & pariter sine igne per simplicem alterationem, puta per calefactionem generatur, vt experientia est videre, ergo.

Pro intelligentia sciendum est, quod alteratio dupliciter (vt alibi quoque dictum est) consideratur, vno modo communissime, & sic est mutatio de qualitate in qualitatem, siue hæ qualitates sint corruptiuæ, siue perfectiuæ, siue materiales, siue immateriales nihil refert. Alio modo sumitur solum pro ea, quæ fit per qualitates corruptiuas, vel sensibiles, secundum quam considerationem
Conclusio. Aristot. in litera loqui videtur. De vtraque tamen pro vberiori doctrina dicamus. Alteratio itaque in communi differt à generatione in quinque; primo, quia subiectum immediatum, vel primum generationis est ens incompletum, puta materia prima, alterationis vero completum, vel actuale nempe corpus, vel aliquid aliud, scilicet anima, (vt alterationes etiam immateriales includamus). Secundò differunt ex parte terminorum à quibus, nam alteratio fit ex aliquo positiuo, videlicet ex alia qualitate opposita, vt ex albedine fit nigredo, ex calore frigiditas, &c. generatio fit semper ex priuatiuo, vt ex non homine fit homo, &c. At hic est instantia, quia generatio fit quoque ex aliquo positiuo, vt homo ex semine, semen ex sanguine, sanguis ex cibo, &c. Si dicatur hæc habere priuationem admistam, nam ideo homo fit ex semine, quatenus semen caret forma hominis; hoc nihil valet, nam pariter de alteratione dicere possumus; album enim fit ex nigro, quia est ibi carentia, vel priuatio albi. Respondetur; Semen, sanguinem, &c. huiusmodi non esse simpliciter terminos a quibus generationis, sed materias, quam quidem positiuam tam in generatione, quam in alteratione supponere oportet; sed cum discrimine, vt dictum est. Sed contra, nam materia manet sub genito, & corrupto, hæc vero non manent; non etenim est semen, producto homine; quare forma seminis habet rationem termini, & sic in hoc ab alteratione non differt. Respondetur; esse per accidens, quod illa forma præcedat; sed de ratione generationis est quod solum fiat ex non ente, vel ex materia priuata; at neq; hoc soluit; quia etiam alteratio hoc pacto fieri potest; sufficit namque quod fiat acquisitio qualitatis; imò de facto in multis accidit; dum enim aliquid generatur est debitarum qualitatum primarum sibi conuenientium acquisitio, absque alijs præcedentibus oppositis, aliter illæ non essent sibi primæ, & sic ex non qualitate factæ sunt; imò acquiritur scientia sine amissione positiuæ qualitatis, sed solum ex termino priuatiuo puta ex ignorantia. Respondetur itaque; differentiam hanc non esse vniuersaliter veram, sed solum reperiri inter generationem, & alterationem ad generationem dispositiuam, sic etenim videtur loqui Philosophus, ac rationi consentaneum est; dum enim aliqua alteratio ad corruptionem subiecti alteriusque generationem disponit; necessariò id per contrarias qualitates operatur; si etenim contrarietas non esset: neque actio fieri posset; cum itaque contrarietas sit inter entia positiua, patet quod vterque terminus alterationis positiuus est; quamuis solum de termino à quo sit hic modo ad propositum; generatio vero supposita materia priuata effici potest, etiam si per impossibile nulla alia forma expellenda præfuisset, & sic solum priuationem vt oppositum terminum respicit. Quamobrem qui differentiam inter alterationem vniuersaliter sumptam, & generationem ex termino à quo sine discrimine sumunt, non bene faciunt. Tertia differentia accipitur ex parte terminorum ad quos; alteratio enim quęlibet ad qualitatem, generatio ad formam substantialem terminatur. Quartò differunt circa modum; quia generatio semper corruptionem supponit, sed alteratio nequaquam, potest enim fieri sine corruptione tam substantiæ, quam accidentis, vt supra declaratum est: vnde hęc differentia ad maiorem claritatem sit veluti illius appendix. Quintò differunt, quia alteratio est dispositiua ad generationem, maximeque ea alteratio, quæ fit per primas qualitates: generatio vero est radix ipsius. Aliqui autem sextam addunt differentiam; videlicet; quod alteratio est successiua; generatio instantanea, sed circa vtranque decipiuntur; quia ambæ esse possunt, & successiuæ, & instantaneæ, secundum diuersam dispositionem subiecti, vel contrariorum resistentiam, vt in 3. phys. visum est, & hic quoque videbimus; hæ igitur sunt præcipuæ istarum mutationum differentiæ. Sed est difficultas de alteratione ipsa in comparatione ad corruptionem, & alios motus, vel mutationes, quomodo scilicet ab ipsis differat. Respondetur, de corruptione statuendum esse sicut de generatione suo modo, sic nimirum, quod sicut generatio est ex subiecto incompleto, sic corruptio ad ipsum resoluitur. Sicut generatio habet pro termino à quo priuationem, si corruptio habet ipsam pro termino ad quem. Et sicut terminus ad quem generationis, est forma, sic corruptionis, est priuatio eiusdem; ac quemadmodum alteratio non supponit corruptionem, sed generatio supponit, ita corruptio generationem etiam supponit, ac tandem sicut generatio est radix alterationis, sic corruptio è contra est destructiua; à cæteris vero motibus differt generatio præcipuè per terminos ad quos; aliæ autem differentiæ passim per octo libros phys. declaratæ fuerunt.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur; maiorem esse veram, si conueniant in eadem definitione specifica, at definitio motus non sic se habet.

Ad secundum dicitur; subiectum primum generationis etiam animalium non esse corpus organicum, sed materiam primam; in ipsa etenim primò forma corporis recipitur.

Ad tertium negatur minor; ad probationem dicitur, calorem esse solum dispositiuum ad generationem ignis, substantia vero eius à cælo, alijsq; elementis producitur.

QVÆSTIO VIII.

Circa eundem textum quæritur, an alteratio sit motus successiuus, vel instantaneus.

Opin. Ægidij. DIximus de successione motus in 3. phys. quia tamen non omnia exactè in vnica quæstione tractari possunt; ideo hic peculiariter de alteratione aliqua breuiter dicamus. Sunt itaque circa hanc materiam tres inter se discrepantes opiniones. Prima est quorundam, asserentium, nullam alterationem successiuam, vel continuam esse, sed quasi concisim, vel discretè ad proprium terminum perduci; sic nimirum quod in hoc tempore aliqua pars subiecti statim alteretur; paulò verò post (quiescente interim agente ab alteratione) aliam partem alterari; cuius rationem adducunt; quia aliter forma infinita per alterationem introduceretur, quod est impossibile; probant consequentiam; nam tempus est diuisibile in infinitum, si ergo in qualibet parte ipsius alteratio fieret, profectò qualitas infinita per hanc alterationem acquiretur. Sed deficit hæc opinio; nam stante agente alteratiuo, cum subiecto debitè disposito, & approximato, vel aliquid in ipso producit, vel non? si aliquid (quicquid sit) ecce aliqua alteratio: quamuis vanum sit fingere, quod alterans (vt alia motiua excludamus) aliud quam qualitatem inducat; si vero nihil inducit, erit frustra, & otiosum; quod de rebus naturalibus falsum est asserere: ipse etenim, nisi impedimentum adsit, secundum totum posse operantur. Nec argumentum ipsorum est alicuius vigoris; partibus namque temporis proportionalibus respondent partes motus proportionales, ac etiam proportionales partes formæ per motum acquisibiles; quare sicut tempus, & motus non sunt actualiter infinita, sic neque qualitas, quæ per ipsum motum acquiritur. Dhomist. Secunda opinio est aliorum, qui asserunt, omnem alterationem esse essentialiter successiuam. Quam positionem sic probant. Vbicunq; dantur plures gradus formæ cum resistentia contrarij, ac diuisione subiecti, ibi necessariò talis formæ acquisitio est successiua; nam neque possunt omnes gradus simul acquiri, nec contrarium statim superari, cum aliquam habeat resistentiam, nec in instanti permeari subiectum, cum transitus corporis quanti in instanti non fiat; inter omnia autem hæc, præcipuam causam contrario resistenti tribuunt; vnde quia lumen non habet nisi contrarium priuatiuum, statim introduci posse, fatentur. At opinio hæc quamuis verum dicat, si rem de facto consideremus, tamen non sic de essentia rei, censendum est; sicut enim auis in cauea detenta volare nequit, tamen non propter hoc asserendum est ex sua natura esse ad volandum ineptam. Sic ad propositum; & si in rei veritate hæc omnia prædicta, puta pluralitas graduum, diuisio subiecti, repugnantia contrarij, cum debilitate agentis, successionem alterationi tribuant; non tamen inde sequitur, quod talis successio sit sibi essentialis; probatur; nam essentiale à nulla potentia remoueri potest, stante eo, cuius id est essentiale; sed tam resistentia contrarij, quam diuisibilitas medij, ac graduum pluralitas, impotentiaque agentis, ad instantaneam mutationem accommodari possunt, ergo. Probatur assumptum, nam contrarium resistens à potentissimo agenti in instanti superari potest, sic nimirum quod introductio formæ, & alterius desitio simul fiant, vt accidit de expulsione tenebrarum, & introductione lucis; imò in vltimo instanti, quo res generatur, agens omnem statim superat virtutem patientis, vel contrarij; cur ergo, si virtus eiusdem agentis proportionaliter ad id augeatur, alia in instanti efficere nequeat? Medij autem diuisibilitas, si omniquaque sit ei agens propinquum etiam in instanti efficitur, vt de lumine notum est; hoc enim per vniuersum medium statim decurrit, vel in ipso subitò producitur. Gradus verò quamuis admittantur etiam secũdum veritatem, nec sunt adinuicem incompossibiles, nec essentialem ordinem habent: sic, quod repugnet, vt simul induci possint. De agentis autem debilitate, nihil aliud dicendum est, nisi quod à fortiori suppleri possit. Dicamus ergo. Alterationem non esse essentialiter motum successiuum: sed quandoq; sic, interdum verò aliter se habere posse, secundum diuersa impedimenta: illa autem, quæ successiua est, iam est essentialiter in se talis, sicut quæ est instantanea, talis etiam quidditatiuè existit; nec est aliqua repugnantia, etsi à causis externis vtrumq; accidat. Quemadmodum .n. accidit, quod aliquis fiat albus, tamen illa albedo est essentialiter color, vel accidit animali, quod sit rationale, tamen rationale illud positum est essentialiter tale; diuiditur itaque alteratio tanquam per duas essentiales differentias in instantaneam, & successiuam, in se autem vniuersaliter ab vtraq; abstrahit, sicut animal à rationali, & irrationali; sed quis quæret quid nam in sua communitate essentialiter sit? Respondetur, esse motum ad qualitatem. Verum si secundum ordinem naturæ loquamur, ob prædictas rationes, vel potius conditiones agentium, & patientium fortè omnes, vel quamplures sunt successiuæ, quomodo verò hæc veritas cum Arist. doctrina confirmetur 3. phys. q. 4. dictum fuit.

QVÆSTIO IX.

Quando autem totum transmutatur, non manente aliquo sensibili, generatio iam tale est, huius autem corruptio. Tex. 23.

An in corruptione fiat resolutio vsque ad materiam primam.

PRoposita difficultas triplicem sensum habere potest. Primus est, si in corruptione alicuius sic ad materiam primam deueniatur, vt nuda absque omni forma substantiali remaneat; & sic nulla hic adest dubitatio, cum in 1. Phys. fusè declaratum sit, si materia absq; forma existere possit, vel non. Secundus sensus est, si in ipsa remaneat aliqua forma rei corruptæ, quod maximè quæri potest circa ea, quæ plures habent formas, sicut sunt viuentia. Tertius tandem est, si in ipsa aliqua accidentia, quæ in genito erant remaneant; & secundum ambas has considerationes hinc inde difficultates non desunt.

Quod itaque in ipsa aliqua forma corrupti remaneat, experientia notum est; si quidem in corruptione animalium remanet forma corporis, quæ tamen ante præfuerat; ergo. 1. Arg.

Præterea. Sicut in generatione animalium prius vna, quam alia forma introducitur, vt prius est semen, deinde sanguis, postea quædam massa mollis, vt docet Philosophus in 2. physicor. tex. 83. sic in corruptione (præpostero tamen ordine) prius vna, quam altera forma Secundum. corrum-

corrumpitur, ita, vt perfectior prius, deinde gradatim imperfectiores: sic itaque prima, ac nobiliori forma corrupta, aliæ remanent; vnde intentum habetur.

Tertium. Quod autem accidentia remaneant; probatur, nam in corruptione alicuius fit dispositio prout forma inducenda expostulat, v. g. si ex ligno debeat generari ignis, in ipso fit dispositio caloris, & siccitatis, corrupta autem forma ligni, nisi dispositiones illæ manerent, frustra essent dispositiones, imò, & forma ignis in materiam non dispositam induceretur; ac per consequens à quacunque alia forma informari posset, omnes æqualiter respiceret, ac tandem accidentia igni conuenientia in instanti producerentur, quæ omnia sunt absurda, & contra receptam vniuersam Philosophiam.

Pro solutione tamen sciendum est, quod primum corrumpens est substantia naturalis, cuius namque est generare, eiusdem est corrumpere; sola autem substantia principaliter substantiam generat; quare &c. Secundaria verò, vel dispositiua agentia sunt accidentia ipsa, hæc enim disponunt ad corruptionem, sic tamen, quod nunquam omnibus accidentibus formam corrumpendam exuant, sic namque formam quoque corrumperent, ac aliam generarent, sed destruunt accidentia ipsa vsque ad gradus quosdam, sine quibus forma existere nequit; deinde substantia agens formam aliam substantialem, ac gradus prædictos dirimit, simulque aliam formam inducit; v. g. ignis intendens in materiam ligni propriam formam inducere, per calorem, & siccitatem omnes qualitates sibi repugnantes tollit vsque ad compossibilem gradum & formam inducit. Animaduertendum est etiam, quod non tantum substantia simile generare intendit, vt ignis ignem, sed etiam suo modo accidentia, vt calor calorem, siccitas siccitatem, &c. Præterea obseruandum est, quod accidentium quædam sunt in genito, & corrupto similia, vt color in vino, & aceto; quædam penitus diuersa, vel contraria, vt sapor, vel aliæ qualitates in prædictis. Denique est notandum, quod quæstio hæc non differt ab illa, qua quæritur, an forma materiam nudam informet, necne; si etenim informet nudam, iam resolutio vsque ad ipsam facta intelligitur; sin autem; oppositum est dicendum; Sed ad conclusiones descendamus.

Conclusiones.

PRima. In corruptione completa, & perfecta nulla remanet forma substantialis. Probatur, quia stante substantiali forma, res corrupta non est; & dicimus notanter in corruptione completa, vt incompletam (quæ viuentibus accidit) excludamus.

Secunda. In corruptione fit resolutio vsque ad materiam primam, sic videlicet, quod nulla remaneant præcedentia accidentia (eadem scilicet numero) in forma genita, quæ in corrupta præexistebant. Probatur. Omne compositum per accidens est posterius per se, at substantia cũ accidentibus efficit compositum per accidens, ergo compositum per se, puta ex materia, & forma, præcedit; quamobrem non poterit esse materia prius accidentibus, quam forma substantiali informata. Amplius; vel illa accidentia essent spiritualia, vel materialia; non primo modo, quia hæc in materia non recipiuntur; non secundò, quoniam hæc fundantur in quantitate, sed in materia nuda non potest recipi quantitas, quoniam, vel esset interminata, vel terminata, non primo modo, quia in ipsa non dantur dimensiones interminatæ, vt in 1. Physic. visum est; neque secundò, quia omnis determinatio est à forma. Amplius. Substantia est prior natura, tempore, & cognitione accidentibus, ergo quo aliquid magis est substantia, magis est prius, & sic forma substantialis, quæ dignitate materiæ præcellit, accidentalem præit. Præterea accidentia non migrant de subiecto in subiectum, at ipsorum subiectum est compositum (in rebus corruptibilibus, & de materialibus accidentibus loquendo, vt cælum, & animam rationalem secludamus) quapropter si ea, quæ sunt in composito corrumpendo, in materia remaneant, in aliud compositum transibunt, quia quod est in materia, est etiã in illo, cuius est materia; Denique, est sententia expressa Aristotelis in præcitato textu 23. nimirum, quod corruptio fiat alicuius, nullo sensibili remanente; accidentia autem ferè omnia sunt sensibilia, ergo. Sed hic duæ insurgunt dubitationes; prima, quomodo respondebimus Aristoteli, qui in hoc libr. tex. 24. videtur expressè velle, aliquã manere passionem in genito, & corrupto? Respondetur, quod manent passiones eędem non numero, sed specie; Secunda. Nonne materia à quaque forma denudata, vel diuinitus, vel per intellectum, adhuc refertur ad Deum, vt creatura ad Creatorem, & per consequens habet aliquod accidens de genere relatiuorum? Respondetur; illam esse relationem transcendentalem, quæ non est accidens, sed idem realiter cum illo, cujus est relatio; quod vero sit transcendens, patet, nam ens prius quam ad prædicamenta contrahatur, diuiditur per absolutum, & respectiuum, nec non in Diuinis quoque reperitur.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, quod non est tunc completa corruptio syncathegorematicè, vt decet; vel dicatur, aliquam resolutionem fieri immediatè, aliam mediatè, & de hac est, quod assumit argumentum verum non autem de alia.

Ad secundum (quod virtualiter à primo non differt) eodem modo respondetur.

Ad tertium, prout multiplex virtualiter est, sic multæ adhibendæ sunt responsiones. Ad primam itaque partem dum dicitur, quod dispositiones ignis essent frustra, &c. negatur; quia mediantibus talibus dispositionibus introducitur forma, quamuis statim recedant, & aliæ similes, & conseruatiuæ simul cum genita forma producantur. Similiter ad aliam partem dicatur; nimirum, quod forma non inducitur in materiam indispositam, quamuis qualitates recedant, disposuerunt etenim iam, imò vsque ad ipsam formam saltem in aliquo gradu manent, & per consequens non à quacunque alia forma materia illa informari posset, vt tertia argumenti pars assumit. Ad quartam tandem partem, quod videlicet accidentia in instanti producerentur; respondetur, nullum hoc esse absurdum de ijs accidentibus, quæ formam substantialem concomitari debent, hoc etenim modo animalia, & omnia entia naturalia, debita, vel sibi conuenienti quantitate, alijsvè qualitatibus gignuntur.

QVÆSTIO X.

In his autem si aliqua maneat passio eadem in generato, & corrupto, vt quando ex aere fit aqua, si ambo transparentia, &c. Tex. 24.

Quæritur quid sit subiectum immediatum accidentium.

EX præcedenti quæstione hæc pendet; ne tamen multa simul congregentur, seorsum ab illa determinare statui: huius autem occasio præbetur ab Arist. in præcitato textu: ait enim paulo post verba superius allata, quod si ambo (tam videlicet aer quam aqua) transparentia, aut frigida sint, non oportet huius alteram passionem esse, quod est dicere, si ex aere, qui est transparens fiat aqua, quæ pariter sic se habeat, eadem erit vtriusq; transparentia, & sic illud accidons remanere videtur; quam-

quamobrem quid sit ipsius immediatum subiectum (sicut de alijs quoque data occasione) inuestigandum est; Videtur etenim esse materiam ipsam; nam nihil aliud remanet in prædicta transmutatione nisi vtriusque communis materia, quamobrem commune accidens, in hoc communi subiecto recipitur.

1. Arg.

Secundum. Amplius. Accidentia, vel recipiuntur in materia, vel in forma, vel in composito; non in forma quia recipere est pati, formæ vero agere ex 2. huius operis tex. 53. ergo. Non in composito, quia apud quamplures à materia, & forma, seu à partibus componentibus non distinguitur; neque qui ipsum distinctum ponunt, hoc asserere queunt; nam si in ipso reciperentur, ad generationem eius fierent, vel saltem post ipsum genitum, & ad corruptionem desinerent; quorum vtrumque est falsum; in generatione etenim animalium, quamplurima accidentia in corpore ipsorum totum animal præcedunt, vt de se notum est; quantitas namque figura, color, situs &c. in corpore organizato sunt antequam anima inducatur; similiter post totius compositi corruptionem remanent, ergo.

Tertium. Amplius. Diuersarum rerum diuersa sunt accidentia, ergo è contra, eadem accidentia aliquam identitatem, vel conuenientiam rei insinuant, sed in genito, & corrupto remanent eadem quandoque accidentia sic limitata, vel modificata, vt fictitiam videatur asserere esse eadem specie, & non numero, quamobrem cum nihil commune vtriusque nisi materia remaneat, in ipsa immediatè recipiuntur. Probatur assumptum, nimirum, quòd aliqua communia accidentia eodem modo determinata maneant; dum etenim ex vino fit acetum, eadem penitus quantitas idemque prorsus color manet; dicere vero, quod sint eadem specie, vanum est; quomodo namque sic adamussim eandem sortita sunt limitationem? vel enim id erit à casu, vel à natura, non primo modo, quia id raro eueniret, non secundò, quia in omnibus eadem semper seruarentur accidentia sic determinata, natura namque vnico agit modo. Idem dici potest de quamplurimis alijs, cur enim dum humores ex floribus, ac ex diuersis herbis medicinæ efficiuntur, idem sapor, & odor, qui in prædictis extiterant, saluantur? non alia profectò de causa, nisi quia hæc accidentia manent, nec alibi quam in materia. Denique, accidentia denominantur à subiecto, sicut ipsum quoque denominant; dicuntur namque accidentia spiritualia, quia in anima rationali, vel spiritu subijciuntur, cœlestia si in cœlo, corporalia si in corpore, quamplurima vero materialia, ac quidem non alia ratione nisi quia subiectum ipsorum est materia: & sic de aliquibus saltem (& est de quibus quærimus) habemus intentum.

Quartum.

His tamen non obstantibus (vt consequenter ad prædicta philosophemur) oppositum sentiendum est, pro cuius tamen intelligentia sciendum est, quod materia, & forma duplicem respiciunt terminum, vel perfectionem, puta substantialem, vel primum, & accidentalem, vel secundum, tali tamen ordine, vt secundus ex primo fiat, vel ipsum supponat, non tamen propriè immediatè in ipso fundetur, sed idem habeat cum eo fundamentum, ordinatim; verbi gratia ex materia, & forma ignis, primo insurgit ignis natura, vel quidditas, vel tertia entitas (quomodocunque nunc dicantur non curo) ex eisdem autem sic vnitis non propriè ex illa tertia entitate accidentia fluunt, fundamentaliter, & quasi passiuè à materia, effectiuè, & principaliter à forma, quod autem sic res se habeat, probatur; nam materia est indeterminata, & pure passiua, ergo neque efficere, nec determinare accidentia poterit; ipsa autem tertia entitas actiuitatem à forma elicit, ergo forma ipsa est præcipua agendi ratio, vt ab omnibus quoque conceditur; cum autem ad bonum ipsius totius ordinetur, accidentia, & dispositiones sibi conuenientes in primis producit, quamobrem non est eadem ratio entitatis compositi, & accidentium; illa enim est quid per se vnum, ex materia, & forma resultans, hæc vero sunt accidentia, quæ non eo modo producuntur, sed alio vt dictum est, atque materiam, & formam sic vnitas pro communi subiecto respiciunt. Sit ergo quæstionis resolutio.

Conclusio.

Accidentia non fundantur immediatè in prima materia, sed in composito, seu in materia, & forma simul, sic nimirum, quod materia ipsa sit prima radix receptionis, & passiuitatis, forma vero productionis, & determinationis. Hæc autem conclusio probari potest sicut secunda præcedentis quæstionis, si enim accidentia in nuda materia fundarentur, efficerent compositum per accidens, atque compositum per se, & formam substantialem præcederet, quod absurdum est. Amplius, omnia accidentia permanentia sunt vbi fundamentum habent, aliter, vel migrarent, vel transeuntia essent; at fundamentum ipsorum immediatum (de quo est ad rem) non est nuda materia, sed ipsa cum forma, ergo; probatur minor, quia immediatum fundamētum, est quod denominatur ab ea, quod de materia non accidit; ipsa etenim nec alba, nec frigida dicitur. Amplius accidentia permanentia sunt in suo immediato productiuo; hoc autem est forma in materia, ergo; vtraque igitur simul vnita sunt accidentium subiectum; vt animalium quantitas, qualitas &c. in substantia corporea (quæ formam, & materiam includit) subiectantur. At si dicitur; nonne materiæ tantum est pati, formæ vero agere? quomodo igitur forma ipsa poterit accidentia recipere, cum hoc sit formaliter pati? Respondetur dupliciter. Primò quod formę ad materiam comparatæ est agere, sed simul cum ipsa potest etiam pati, quamuis radix præcipua patiendi sit materia; quod autem hoc sit verum, patet, nam sentire, intelligere, velle &c. sunt passiones, & in anima (quæ est forma) recipiuntur, vt habetur in secundo de anima; quare cum ista sint animalium accidentia, & in forma præcipuè recipiantur; quid mirum si forma aliorum suo modo, sit etiam aliorum accidentium receptiua? & quis dictum sit; primam rationem patiendi esse materiam; non tamen intelligendum est, quod sit immediatum receptiuum, sed quia recipit formam substantialem, & solum (nihil agendo) recipit, ideo vt primæ, sed non immediatæ causæ ratio hæc receptibilitatis sibi tribuitur, v. g. vas est primum receptiuum liquoris; si vero in illud vas alter liquor immittatur, cum primo confunditur, & in ipso immediatè recipitur. Vas igitur materiæ assimiletur; primus liquor formæ substantiali, secundus accidentibus, sed de exemplis non multum curemus. Secundò respondeo; Materiæ semper esse pati, numquam agere; Formæ vero esse agere, ita vt solum formæ sit agere, non autem materiæ, sic itaque pati est proprium materię in secundo modo, quod scilicet conuenit omni materiæ, etsi non soli; agere autem est solum formæ in quarto modo; licet alias habeat proprietates. Sed quomodo eadem simplex forma potest esse agens, & patiens. Respondetur, id non esse inconueniens respectu diuersorum, vt docet Philosophus in 3. Physicorum tex. 8. & in secundo de anima tex. 36. maximè autem cum forma id non se sola efficiat, sed cum materia existens. Ex dictis patet quorundam Philosophantium modernorum error; dicunt namque; accidentia in materia immediatè recipi, sed compositum denominare; vel de ipso prædicari; & sic duplex subiectum ipsorum accidentium constituunt, alterum inhæsionis quod materiam vocant: aliud prædicationis, quod dicunt esse compositum, sed decipiuntur, quia (præter prædictas rationes) omne permanens in alio ipsum denominat; dicimus permanens, vt motum qui à termino denominatur excludamus; quo pacto etsi

materia

materia sit subiectum generationis non dicitur generatis, similiter de corruptione dicere possumus, quare varium est dicere, quod accidentia hæc insint in materia, & ipsam non denominent; at quis vnquam diceret, materiam esse coloratam, lapidam, &c.? Diximus notanter accidens permanens, seu inhærens, vt externa quædam excludamus, locus namque denominat rem locatam, & tempus temporalem, quamuis ille in locante corpore, hoc in Cælo primo fundetur. Amplius, accidentia, quæ immediatè insunt alicui (nisi vt dictum est sint externa, de quibus non est ad rem) aliud non denominant; quamuis cum subiecto cui insunt hoc sit coniunctum; ergo si illa accidentia insint in materia, non denominabunt compositum; antecedens exemplis illustratur, accidentia animæ non denominant corpus, nec corporis animam; non enim dicitur corpus sciens, vel doctum, nec anima alba, vel quanta; imò, & in ipsa materia fatemus: hæc enim dicitur priuata, incorruptibilis, appetens, &c. Quod ideo euenit quia talia (siue accidentia, siue passiones, siue priuationes) sibi insunt, & tamen compositum ex istis non ita denominatur; cur ergo si alia accidentia materiæ (vt dicunt) insunt, non eam, sed compositum denominant? Sed argumenta principalia soluamus.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, manere eandem transparentiam, vel aliud accidens specie non numero; nec id mirum est, quia sicut substantia est alterius substantiæ productiua, sic accidens similis accidentis. Quamobrem simile produci poterit, vel id efficitur à substantia per se, quæ sub similibus accidentibus substantiam producendam gignit, eo quod sic ei conuenit.

Ad secundum dicitur, quod recipiuntur in materia cum forma, non propriè in illa tertia entitate; quamuis ipsa concretè sumpta, eo quod partes includit, ab ipsis denominari possit; dicitur enim homo albus, niger, &c. humanitas autem nec alba, nec nigra dicitur, quia immediatè in ipsa hæc non fundantur.

Ad tertium dicitur, genitum, & corruptum sæpe sæpius in quodam genere propinquo conuenire, vt aqua, & aer, in natura simplicis corporis, quod sufficit ad hoc vt generica accidentia retineant: dictum est in genere conuenire, quia nunquam corruptum & immediatè genitum sunt eiusdem speciei, vt ex corruptione hominis non generatur homo, neque ex corruptione feminis, semen; sic itaque in accidenti communi, siue sit qualitas, siue quantitas eiusdem quoque mensuræ, vel determinationis (vt in multis diuersis patet) genitum, & corruptum conuenire possunt, adamas namque in diaphareitate, conuenit cum Saphyro, chrystallo, &c.

Ad quartum dicitur; sat esse ad hanc denominationem, quod in materia remota fundatentur, vel dicatur, quod sic à materia secunda, vel propinqua denominantur, & ipsam quoque denominant.

QVÆSTIO XI.

Quando autem totum transmutatur, &c. Tex. 23.

Quid & quotuplex sit generatio, & corruptio.

NOn intelligimus hic de generatione, & corruptione simpliciter, & secundum quid distinguere; nam satis in textuum expositione, ac in quæstionibus quoque dictum est, sed de multiplici substantiarum generatione (dilucidata prius definitione) differemus. Quo ergo ad definitionẽ, quatuor ab Arist. diuersis in locis assignationes inuenio. Prima habetur in 2. Phys. tex. 14. ex his verbis. Generatio via est ad naturam, quam ipsemet virtualiter explicat; loquitur .n. ibi de forma substantiali vnde sensus est; generatio est via ad acquirendam formã substantialem, vel ipsius substantialis formæ acquisitio. Secunda habetur in 8. Phys. tex. 62. sic. Generatio est mutatio ex non ente ad ens, quod etiam intelligendum est quasi modo prædicto, videlicet quod sit via ad acquirendam formam, quæ in comparatione ad materiam ex qua generatio incipit, dicitur ens simpliciter, vel perfectum, sicut è contra, materia dicitur ens secundum quid, vel imperfectum: in comparatione vero ad priuationem (quæ est eiusdem generationis terminus à quo) pariter forma ens sine aliquo addito dici poterit, quare quomodocunque fiat comparatio, definitio patet. Tertia habetur in hoc libro tex. 23. Generatio est mutatio alicuius totius nullo sensibili remanente. Sensus est, quod sic substantia aliqua generetur ex aliqua materia, vel ex alterius corruptione, vt nihil sensibili rei corruptæ maneat, neque videlicet accidens, neque aliqua forma substantialis. Quarta denique ex hoc eodem libro tex. 25. sumitur. Generatio est transmutatio ex potentia substantiæ in actu substantiam, quod idem valet, ac ex materia ad formam. Quamobrem hæ omnes definitiones si bene perpendantur non multum inter se discrepãt. Vnde vnica est censenda, diuersis terminis secundum diuersitatem occasionis explicata. Vt autem clarius elucescat aliquas contra ipsam adducamus obiectiones, & soluamus. Prima. In omni generatione manet eadem quæ fuit materia corrupti, vt omnibus notum est; at hæc est sensibilis, vnde Physica à Mathematica differre communiter, & præcipuè ab Arist. pronunciatur, quia illa sensibilem, hæc intelligibilem materiam speculatur. Secunda. Omnis transmutatio est actio quædam, vt patet, sed generatio non est actio, ergo. Probatur minor, quoniam generatio, vel accipitur pro termino acquisibili, & sic est de genere substantiæ, vel pro formali, nempe pro fluxu, vel via ad talem terminum, & sic ad quantitatem attinet, vt satis declaratum est in 3. Phys. q. 2. Tertia. Transmutatio totius nullas partes relinquit, at in generatione remanet in genito materia, quæ erat partes corrupti, ergo non est totius transmutatio. Quarta. Generatio, aut est substantia, aut accidens; non substantia, quoniam inter species motus connumeratur; non accidens, quia hoc non recipitur nisi in composito, vt paulo ante determinatum fuit: generatio autem in nuda materia recipitur, siquidem ipsa est generationis, & corruptionis subiectum. Eædem obiectiones possunt quoque corruptioni adaptari. Sed re vera non obsunt. Ad primã dicitur, materiam primam dici sensibilem remotè, ad hunc videlicet sensum, quod ipsa sit subiectum rerum sensibilium, tali ordine, vt prius formam substantialem, deinde accidentia sensibilia recipiat in se autem (sicut quæcunque alia substantia) sensibilis minimè existit. Quantitas verò abstracta quemadmodum à Mathematicis cõsideratur, nullo pacto sensibilis est: cuius tamen oppositum dicere possumus, si vt existens in natura consideretur. Ad secundam dicitur, transmutationem non esse formaliter, vel quidditatiuè actionem, sed solum concomitanter, aliter in eodem essent prædicamento, quod Arist. negat, & nos fusè in 3. Phys. quæst. secunda declarauimus. Ad tertiam dicitur, quod nihil remanet sensibile, materia vero sensibilis non est; vel dicatur esse transmutationem totius cathegorematici non autem syncathegorematici, vel distributiuè. Ad quartam dicitur, generationem formaliter sumptam esse accidens, & fundamentaliter in materia fundari, sed principaliter in composito, quod habet rationem termini, & subiecti. Peculiariter tamen materia generationis, & corruptionis potiusquam aliorum accidentium subiectum dicitur: quatenus subie-

ctum

Margin notes: 1. Arg. · Secundum. · Tertium. · Quartum. · Ad primũ. · Ad secundũ. · Ad tertium. · Ad quartũ.

ctum generabile, & corruptibile non est in esse permanens, sicut aliorum accidentium. Quod ad aliam quæstionis partem, dicimus tot esse generationes, quot sunt generabilium substantiarum varietates; aliæ etenim sunt substantiæ simplices vt elementa; aliæ mistæ, sed imperfectè vt grando, nix, venti, &c. aliæ mistæ perfectè, sed inanimata, vt lapides, metalla, &c. aliæ animatæ anima solum vegetatiua, vt plantæ, herbæ, stirpes. Aliæ sensitiua, vt bruta, aliæ intellectiua, vt hominis, in quibus omnibus discrimen aliquod etiam in generatione assignari potest; nam elementa sic immediatè generantur ex se inuicem, vel ex alijs, vt forma immediatè (data debita dispositione) materiam informabilem respiciat: mista verò imperfecta aliquorum, licet non omnium elementorum formas ad ipsorum generationem supponunt: perfecta vero omnium. Viuentium autem vltra elementorum aliqua misti tantum, vt vegetatiua: alia vegetatiuam, vt sensitiua: alia tandem sensitiuam, vt rationalia; An autem præcedentes formæ in aduentu alterius maneant, pluresve simul existant, vel non, in proprio quæsito videbitur. Est alia quoque differentia in modo generationis, quod quædam à generante vniuoco, vel eiusdem rationis gignuntur, vt homo ab homine; quædam ab æquiuoco, vel naturæ diuersæ, vt pulices, muscæ, &c. à Cœlo. Quædam vtroque modo, vt serpentes, mures, &c. Alia autem à diuersis principijs, nec penitus vniuocis, nec æquiuocis prorsum, vt mulus ab equo, & asina, vel è conuerso. Diximus autem hæc non esse generantia æquiuoca, nec vniuoca penitus, secundum rationem talium causarum; quia agens vniuocum est æquè perfectum, vel eiusdem naturæ cum effectu, vt homo generans cum homine genito. Sed æquiuocum est perfectius, vt patet de ædificatore, & ædificio, in qua comparatione prædicta generantia, nec æquiuoca sunt, nec vniuoca, ambo etenim à perfectione geniti non adæquantur, nec sigillatim ipsam excedunt, sic itaque ex parte equi fortè est causa nobilior, ex parte asini ignobilior, vnde alterum cum altero ponderando ad quandam vniuocationem reducerem, prout in causis non est excessus notabilis; ex eo autem, quod re vera ambo natura differunt, ad æquiuocationem accedere videntur, quod de alijs omnibus, quæ hoc modo gignuntur asseri potest. Quam ob rem admittenda sunt entia ancipitia in natura: si vero logicaliter loquamur, causæ sunt æquiuocæ; secundum quam considerationem remouenda esset ab æquiuocis causis illa particula (quod semper causa sit effectu nobilior) sufficeret namque quod diuersæ essent naturæ. Si vero responderetur. Patrem & matrem simul effectum nobilitate superare, & si seorsum nequaquam; hoc non valeret, quia sic omnes generationes, quæ ab vtroque prædicto principio fierent æquiuocæ essent; quod nemo assereret; non etenim homo genitus in comparatione ad vtrumque parentem est æquiuocus effectus, quare (quæ alibi dixi limitando) causam æquiuocam totalem eam esse assererem, quæ est diuersæ naturæ ab effectu, ac interdum nobiliorem, quandoque æquè nobilem, ignobiliorem tamen nunquam existere. Si vero dicatur, mulum (quod etiam de alijs intelligatur) vinci in nobilitate ab equo, & sic à causa æquiuoca nobiliori. Respondetur, quod etsi dum equus est pater id fortè saluari posset; dum autem est asinus, quid dicendum? fortè quod actiuitas sit à matre principaliter expectanda? Sed de his alibi, maximè vbi de feminum actiuitate in secundo de anima differemus. Causa æquiuoca.

QVÆSTIO XII.

An forma vel compositum sit per se terminus generationis.

Permultæ sunt quæstiones, quæ circa literam Aristotelis de generatione moueri possunt, de quibus tamen nec verbum quidem ab ipso Philosopho efficitur; quam ob rem ne tam leui de causa eas prætermittamus, textuum citatione quousque opus fuerit dimissa ad eas examinandas accedemus. Quod itaque (quo ad præsentem spectat) forma sit generationis terminus, probatur. Finis, & terminus in motu idem sunt, sed finis generationis est forma, vt habet Philosophus 2. Physic. tex. 81. ergo. Præterea, id propriè generari dicitur, quod ex potentia materiæ educitur (in hoc namque generationis quidditas consistit) sed hæc est forma, ergo. Pro resolutione tamen sciendum est, quod sicut in re composita plures requiruntur partes adinuicem, & ad vnum totum ordinatæ, sic in productione ipsius plures intendi possunt fines, quorum alter sit altero nobilior, & vnus omnium præstantissimus, quod egregiè insinuat Philosophus in 2. Physic. tex. 29. Dicamus itaque, duplicem esse generationis terminum; puta principalem, qui adæquatus, & totalis dicitur, & minus principalem, qui vocatur inadæquatus, & partialis: primus est compositum ipsum, secundus est forma; quod autem ipsum compositum sit principalis, probatur, quod est perfectius est principalius in ratione finis, at compositum sic se habet, ergo. Probatur minor; nam compositum, & propriam, & formæ perfectionem continet. Amplius. Id per se primo generatur, quod ad aliud vlterius ordinabile non est; si enim ad aliud aliquid esset ordinabile, non haberet rationem finis; compositum autem sic se habet, ergo. Præterea. Idem confirmatur auctoritate Aristot. pluribus in locis, præcipuè in 1. Phys. tex. 64. item 7. Met. tex. 26. atque alibi sæpe: ipsum autem compositum appellatur iam vniuersaliter terminus generationis quod, forma vero, quasi dicatur; compositum est, quod propriè principaliter generatur. Forma vero est quo ipsum ad esse conducitur; vnde pro clariori doctrina, poterit quæstio hæc ad sensum reduci, quod terminus generationis, penitus vltimatus, & totalis sit compositum, non vltimatus vero, & formalis, forma, quod sic confirmatur, nam compositum per se existit, atque est ens singulare, & completum, forma vero nequaquam, quamobrem illud dicitur simpliciter generari, nam generationes, omnes sunt circa singularia, ex 1. Metaph. cap. 1. Ex alia vero parte, cum etiam forma ipsa ex potentia materiæ in generatione educatur, eiusdem generationis rationem non effugit. At Argumenta soluamus. Ad primum dicitur. Formam sic esse finem generationis, vt post ipsam acquisitam nullus supersit motus, sed statim compositum sit in esse, quare in intentione est prius compositum, quam forma. Ad secundum negatur maior, quamuis enim ad generationem enucleatius enodandam, modus ille educandæ formæ adhibeatur, non tamen vt principale, vel vltimatum se habet. 1. Arg. Secundum.

QVÆSTIO XIII.

Quid sit corruptio, & quomodo à generatione differat, & in quibus conueniant.

Breuiter & sine argumentis quæstionem hanc expendemus, si quidem ex præcedentibus est ferè penitus

nota. Sciendum est itaque, corruptionem aliam esse secundum quid, vel accidentium, aliam simpliciter, vel substantiæ; dimissa prima, de qua satis dictum est in litteræ expositione, de alia dicimus; esse mutationem totius vel compositi substantialis de esse ad non esse, nullo sensibili remanente. Dicitur esse mutationem, non ratione simpliciter corrupti, cum ipsum post corruptionem nō maneat; id autem quod mutatur, & in principio, & in fine mutationis manere debet, sed ratione partis, nempe materiæ, hæc etenim est huius mutationis subiectum, ac antea & postea manet. Dicitur (totius, vel compositi substantialis) vt compositum per accidens, ac partes, diuersa tamen ratione excludamus; compositum inquam per accidens, sicut dum homo albus desijt esse talis, non est tunc corruptio simpliciter, sed solum secundum quid. Partes autem excluduntur si sigillatim, & vniuersaliter sumantur, quoniam manentibus integris, vel incorruptis partibus, toto cathegorematico destructo, vera corruptio erit, vt accidit in corruptione hominis, quod si aliqua pars corrumpenda accipiatur, tunc habet rationem totius; non tamen in omnibus corruptibilibus partes naturaliter manere possunt; sed solum in homine omnes, in alijs aliquæ. Ex dictis corollariè ad confirmationem præcedentis quæstionis infero; ex hoc facilius colligi, generationis terminum esse compositum, & non formam; si quidem quod primo in corruptione est desinunt, in generatione est vltimatus terminus: sic enim hæ mutationes adinuicem respondent. Diximus denique, nullo sensibili remanente, quia data completa corruptione syncathegorematica (vt decet) nec forma, nec accidentia, sed sola materia altera induta geniti formę remanet.

Sed quoad secundam quæstionis partem: dicimus in multis conuenire, & in quamplurimis quoque differre. Conueniunt ergo in quatuor. Primò, quia subiectum vtriusque est ipsa prima materia. Secundò, quia mutuo se perpetuo concomitantur, omnem enim corruptionem, generatio præcessit, (cum nihil nisi genitum, sit corruptibile) omnemque generationem alterius corruptio. Tertio, quia vtraque rebus duntaxat sublunaribus conuenit. Quarto, quia ambæ compositum immediatè concernunt. Differunt vero in quatuor similiter. Primo, quia terminus generationis est ens, corruptionis non ens, quamuis actio vtriusque ratione fluxus vel viæ, possit esse positiua, cum omnis actio sit in prædicamento actionis, quod positiuū ens, sicut alia existit, etsi alij oppositum dicant. Secundo, quia per generationem necesse est formam, & compositum produci, corruptioni vero sat est, compositi duntaxat interitus. Tertio. Quia generatio per se à natura intēditur, corruptio vero nequaquam, quod in proprio quæsito exactius videbitur. Quarto tandem, quia corruptio in se spectata, est naturæ malum, generatio è conuerso bonum.

QVÆST. XIV.

An corruptio sit naturalis.

Arguitur primò, quod non. Naturale id etenim dicitur, quod à natura intenditur, vel ipsius perfectio, aut proprietas est; nullo autem istorum modorum corruptio se habet, cum sit purum malum, & priuatio, quæ nec intendi, nec perficere, nec esse proprietas (quæ est quoque rei perfectio) potest.

Secundo. Naturale, & violentum ac etiam voluntarium opponuntur, at quamplurimæ corruptiones sunt violentæ, nonnullæ voluntariæ, ergo.

Pro intelligentia autem sciendum est, quod naturale quinque modis dicitur. Primo, prout opponitur supernaturali, vel Diuino, quo pacto omnia alia à Deo, siue habeant esse positiuum, siue alio modo naturalia appellari possunt. Secundo. Prout opponitur voluntario, quo pacto, quæ à voluntate libera non procedunt naturalia appellantur. Tertio prout opponitur artificiali. (In plus autem se extendit voluntas, quam ars, vnde hæc duo membra non coincidunt.) Quarto prout est naturæ perfectio, & per consequens ab ipsa natura intenditur, vt sunt omnia accidentia perfectiua. Quinto prout à principijs naturę fluit. Quibus habitis dicimus corruptionem, primo, secundo, tertio, & quinto modo naturalem dici posse: patet, quia nec supernaturalis, nec artificialis, nec voluntaria mutatio est, sed à fundamentis naturæ, puta à priuata & appetente materia prouenit. Quartò vero modo nequaquam naturalis est appellanda, si quidem nec vt naturæ perfectio, nec vt ipsius finis, ab ipsa intenta est, vt dicemus.

Ad Argumenta.

Ad primum patet; nam ex insufficienti diuisione procedit, pluribus enim modis, quam enumeratis, aliquid naturale dicitur, imò si naturale sit naturæ denominatiuum, tot modis, quot ipsa natura dicitur, dici poterit: hæc autem vndecim dicitur modis, vt in 2. Physicorum quæst. 1. visum est, quos quidem omnes hic recensere, opus non est.

Ad secundum dicitur, aliquid dici simul naturale, violentum, & voluntarium diuersa ratione nullum esse inconueniens; aliqua itaque corruptio quatenus in subiecto naturaliter ipsius receptiuo, vel capaci exercetur, naturalis dicitur, quo forte modo, omnes sic sunt æstimandæ, prout vero, non ab internis qualitatibus mutuo pugnantibus efficitur, violenta, & extranea dicitur. Et his eisdem rationibus naturalis quoque, & voluntaria poterit appellari; si quis etenim sibimetipsi necem inferat, ex parte eius sic determinantis, est voluntaria actio: ex parte capacitatis naturalis, ex eo quod internæ qualitates renitebant, violenta.

QVÆST. XV.

An corruptio à natura intendatur.

Arguitur primò, quod sic. Quod intendit finē, etiam media necessaria ad ipsum consequendum intendit; at natura generationem intendit; cuius necessarium acquisitionis medium est corruptio, ergo.

Secundò. Id quod vniuersi bonum concernit à natura intendi debet: at corruptio est huiusmodi, ergo. Probatur minor, quoniam (præter ipsius) vniuersi pulchritudinem, quæ in varietate consistit, nisi essent corruptiones tanta hominum aliorumve animalium viuentiumque multitudo excresceret, vt vniuersam terram aquamque replerent, ac innumerabilia incommoda (nisi penitus corruptionis & alterationis experția ponerentur, quod non est rationi consentaneum) paterentur. Dicendum tamen. Corruptionem ipsam non primario, & per se à natura intendi, probatur; nam obiectum, & finis, cuiusque appetitus est entis sub ratione boni: corruptio vero formaliter sumpta, nullam præ se boni speciem affert, cum sit pura priuatio, ergo. Secundò dicendum est; ipsam corruptionem secundariò, & per accidens à natura intendi, eo quidem modo, quo priuatio rerum corruptibilium principium ponitur; hoc autem facilè suadetur, nam quęcūque ad aliquem finem necessariò requiruntur debent ab agente intendi, nisi sit im-

sit imperfectissimum; sed corruptio ad generationem necessariò requiritur, ergo. Hae autem, quae per accidens intenduntur, non oportet, vt boni ratione semper induantur, sicut nec priuatio ipsa bonitatem aliquam continet. Ad argumenta patet, concludunt etenim per accidens aliquomodo, non autem simpliciter à natura intendi.

QVÆSTIO XVI.

De Augmentatione autem reliquum est dicere, & quonam differat à generatione, & alteratione. Tex. 25.

An Augmentatio à generatione differat.

ARguitur primò, quod non. Quod aliud necessariò, & per se includit, essentialiter ab ipso non differt vt homo, quia includit animal, non differt ab ipso, sed augmentatio generationem includit, ergo; probatur minor, quia si augmentatio generationem non includeret, in augmentatione fieret solum accidentis acquisitio, quod est falsum: nam augmentatio fit ex conuersione nutrimenti in substantiam aliti, vt docet Arist. in hoc libro tex.41.

Secundò. Non datur generatio sine augmentatione, vel quantitatis alicuius acquisitione, nec quantitatis acquisitio sine generatione, ergo non differunt. Probatur antecedens, quia nihil gignitur, nisi simul cum aliqua quantitate, nihilve fit quantum, nisi substantiam aliquam saltem secundum partem acquirat. Probatur consequentia, quia motus diuersi non videntur, quorum termini simul & in eodem acquiruntur; quoniam ex opposito, diuersitas, & incompossibilitas terminorum, diuersitatem motuum arguit; quare igitur compossibilitas, cum vnica acquisitione, vel fluxu, identitatem non inferet?

Pro intelligentia sciendum est, quod augmentatio dupliciter capitur, videlicet propriè, & magis largè, primo modo solum viuentibus conuenit, & potest hoc pacto definiri. Est acquisitio maioris quantitatis, à principio intrinseco, ex externa aliqua materia, vt viuens debitos quantitatis terminos consequatur. Dicitur quantitatis acquisitio; vt omnes aliorum terminos motuum excludamus. Dicitur à principio intrinseco facta, quia principale istius acquisitionis efficiens est viuentium anima; sicut instrumentale est eorundem calor, qui etiam intrinsecus est. Dicitur ex externa aliqua materia, quia per conuersionem nutrimenti, quod est viuentis externum, haec transmutatio efficitur. Dicitur tandem, vt debitos quantitatis terminos viuens consequatur, vt finem denotemus, propter finem etenim natura ipsa operatur. At augmentatio impropriè dicta est cuiuscunque quantitatis acquisitio, siue id fiat à principio intrinseco illius cui acquiritur, siue non, nihil refert, & reperitur tam in quantitate continua, quam discreta, vt aqua alteri addita, est in quantitate continua hoc modo augmentatio; vnitas alijs quinque addita, est acquisitio, vel auctio discretae quantitatis, quandoque vero, etiam ad alia extenditur accidentia, vt colorem colore addito, augeri dicimus &c. Verum, quae est in non viuentibus, dicatur iuxta positio; quasi non propriè fiat intrinseca pars eius, quod augetur, sicut accidit, dum augetur viuens, sed solum iuxta aliam partem ponatur.

Augmentatio propriè quid.

Augmentatio impropriè.

Secundo notandum, quod ex concomitantia, vel simultate aliquorum, identitas non est inferenda; sic namque substantia ab accidentibus non differret, nec è conuerso, siquidem simul necessariò naturaliter semper existunt, & ad rem applicando; dicimus multos motus augmentationem comitari, vel simul cũ ipsa esse, aut saltem praecedere: hi autem sunt motus locales, alteratio, corruptio, generatio, & diminutio; nam nutrimentum cum sit extraneum debet viuenti per motum localem approximari; deinde alterari, ae aliquas quantitatis partes diminui, postea corrumpi, ac partes aliquas substantiae generari (vnde non capiatur hic generatio totaliter, sic namque est totius substantiae productio) tandem postea augmentatio sequitur; qui omnes motus, quamuis simul sint, vel paulo se praecedant, diuersitatem retinent, sicut ipsorum termini sunt diuersi, vnde vt clarius procedamus conclusio statuatur.

Conclusio.

AVgmentatio à generatione differt, & pariter ab alteratione. Probatur, quia ipsarum termini vltimati (sunt differentes, ex his autem motuum differentia sumitur, praecipuè si de motu materialiter sumpto (vt decet) fiat sermo. Praeterea. Res diuersorum praedicamentorum adinuicem differunt, nam praedicamenta sunt impermista; haec autem sunt in diuersis praedicamentis, vt visum est in 3.Phys. ergo. Praeterea. Materia augmentationis est corpus quantum actualiter de proximo conuertibile in aliam quantitatem, (vnde augmentatio alio modo definitur, esse mutationem ex quantitate aliqua in actu, ad quantitatem in potentia) generationis est pura materia quantitatis expers in se. Pariter alterationis subiectum est ens completum, vel actuale, generationis (vt diximus) incompletum, vel in potentia.

Augmentatio aliter definitur.

Ad Argumenta.

AD primum negatur minor; ad probationem dicitur, illud non esse essentialiter includere, sed secundum ordinem tantum; nam includi essentialiter est dici in primo modo per se de includente.

Ad secundum, concesso antecedente, negatur consequentia, ad probationem dicitur, quod quamuis termini simul sint, & compossibiles, non tamen identitatem inferunt.

QVÆSTIO XVII.

Quod enim fertur totum mutat locum, quod autem augmentatur, quemadmodum quod extenditur, &c. Tex. 25.

An Augmentatio sit motus continuus.

QVoniam autem alibi, motum localem, continuum esse statuimus: hic vero Arist. Augmentationem, & diminutionem motum ipsum participare asserit, nõ abs re erit, si instar localis motus, hic quoque continuitatem & successionem patiatur, vel si patiatur examinetur.

Quod itaque sit essentialiter motus successiuus, probatur; omnis transitus continuae quantitatis est successiuus, si quidem ab ipsa successionem, & continuitatem capit, augmentatio est huiusmodi, ergo. Probatur minor; nam sicut corpus, quod augetur est quantum; sic quoque augmentatio, cum omnis ipsius pars augeatur.

Secundò. Omnis motus, qui fit in tempore est continuus, cum tempus sit mensura motus; augmentatio fit in tempore, vt omnibus notum est, ergo.

Tertio. Omnis motus, qui fit inter terminos ambos positiuos est continuus, sic autem se habet augmentatio ergo; minor est nota, quoniam ipsa augmentatio est de quantitate in quantitatem, probatur maior; nam ex eo, quod terminus à quo est positiuus, expellenti formae resistet, quamobrem necessariò successio accidet.

Pro intelligentia sciendum est, augmentationem posse dici continuam tripliciter. Primo modo, quod sit aeterna, sicut per oppositum Philosophus in 7. Physic. nullum

motum continuum esse præter circularem affirmat, vnde illic continuum pro æterno accipit, & hoc pacto si de eadem augmentatione numero loquamur, nulla est difficultas, sicut enim nullum datur augmentabile ęternum, sic neque erit vna æterna augmentatio, secus tamen dicendum esset, si genericè loqueremur, sicut etenim generationes æternæ ad vniuersi conseruationem dantur, sic viuentium æternæ augmentationes ad ipsorum perfectionem adipiscendam assignandæ sunt, sed hoc modo hic non loquimur, neque est difficultas. Secundo modo intelligi potest in comparatione ad idem viuens, ita vt sit sensus; an viuens à principio vitę vsque ad finem continuè augeatur, neque hic est sensus quæstionis; de multis namque viuentibus, præcipuè de homine, & domesticis animalibus oppositum experimur, postquā enim ad debitam peruenerunt staturam, amplius propriè non augentur, nisi secundum quid, puta vel per pinguedinem, vel per latera, imò vt videbimus in secundo de anima; datur augmentum, status, & decrementum in animalium quantitate acquirenda; At quamuis communiter hoc viuentibus accidat, de aliquibus tamen forte nullum est inconueniens oppositum asserere, quemadmodum de Crocodilo Historici vsque ad mortem à natiuitatis origine crescere aiunt. Tertio tandem modo intelligitur, quod eo tempore quo viuens augetur, fiat hic motus continuus, vt si augetur per quinque, vel plures annos, vel dies, an sine quiete media hæc augmentatio fiat. Secundum autem hanc acceptionem, duæ sunt adinuicem

1. Opinio Auerr. contrariæ opiniones. Prima est Auerrois 3. Physic. com. 8. & 8. Phys. com. 23. quam etiam multi modernorum sequuntur. Asserit itaque, augmentationem non esse continuam, sed instantaneam; putat namque prius fieri alterationem nutrimēti, deinde iuxta positionem ad partes augibiles, ac tandem conuersionem instantaneam in substantiam nutriti, simul cum acquisitione nouæ quantitatis; ita vt sicut substantiam in instanti acquiritur; sic pariter quoque quantitas, nam aliter esset substantia immaterialis; licet, ex parte acquisitionis substantiæ dicatur nutritio, ex parte quantitatis augmentatio. Quod vero

Argum. pro parte negatiua. Primum. sic res se habeat, his rationibus confirmant. Prima. Omnis motus accipit continuitatem, vel à loco, vel à subiecto, vel à termino; at augmentatio nullo istorum modorum continua esse potest, ergo. Probatur minor; nam ipsa propriè non attenditur secūdum loci dimensionem; nec adæquatum subiectum ipsius est continuum, partes enim totius quæ augentur, continuitatem non habent, vt patet de carne in comparatione ad sanguinem, os, &c. nec tandem respectu termini, quia cum quantitas hæc si-

Secundum. mul cum substantia acquiratur, sicut illa est indiuisibiliter acquisibilis, sic ista. Secunda. Si augmentatio esset cōtinua, omne viuens in infinitum cresceret, quod & naturæ, & certissimæ experimentali cognitioni repugnat. Probatur consequentia, quia sicut in motu cōtinuo sunt partes infinitæ, sic sibi infinitæ partes augmentationis, &

Tertium. quantitatis respondere debent. Tertia desumitur ex Aristot. 8. Phys. tex. 23. illic etenim augmentationem conti-

Secunda est opinio Ianduni. nuam non esse statuit. Secunda est opinio Ianduni in 8. Phys. q. 7. hic namque continuam augmentationem ponit; quem quoque quamplurimi tum recentium, tum aliorum sequuntur; ipsius autem argumenta sint, quæ in principio quæstionis posita fuerunt. Nos autem consequenter ad ea quæ de motus continuitate in 3. Physic.

Conclusio. disseruimus, de hac difficultate determinemus. Dicimus itaque, ipsam augmentationem in sua ratione formali abstrahere à continuo, & instantaneo; sic nimirum, quod sit puræ quantitatis in viuente ab interno principio ex externa materia acquisitio, siue hoc fiat in instanti, siue in tempore, nihil refert, & vtroque modo, in diuersis tamen subiectis fieri potest. Si etenim materia in quantitatem conuertibilis sit debitè approximata disposita, & per quaslibet partes augibilis corporis distributa, cum sufficienti agente calore, vel alia quauis effectiua causa; quid prohibet in instanti simul cū substantia, quæ in nutrimentum vertitur fieri, nec approximatio, aut materiæ dispositio aliquid sibi officiunt; nam quamuis continuitatem requirant; attamen alij sunt ab augmentatione motus, vt dictum est in præcedenti quæstione. Si autem opposito modo res se habeat; nimirum, quod vel virtus augens non sit sufficiens, vel materia non sit debitè pręsens; nihil prohibet, quod successiua quantitatis acquisitio fiat, sicut quoque potest substantiæ fieri, vt alibi determinauimus. Argumenta itaque vtriusque opinionis Ad argum. soluamus.

Ad primum ergo primę opinionis, dicimus subiectum Ad primū. augmentationis esse continuum, neque etenim caro ab osse, vel sanguine est discōtinuum, vel separatum, quam- Primæ opinionis. uis sint diuersæ rationis; continuitas namque subiecti ad motus continuitatem necessaria ex parte solum quantitatis attendi debet, vnde si aliquod subiectum ex diuersis naturis eadem quantitate copulatis daretur, vt massa ex auro, & argento, alterationem, omnesq; alios motus super ipsas effectus continuos redderet, vt præ oculis est videre. At possunt instare contra nos pro alia opinione. Quia sic necessariò esset augmētatio successiua, cum subiectum sit semper continuum. Respondetur, per totum continuum subiectum, posse materiam per motum localem distribui, ac per alterationem sufficienter disponi, deinde in instanti ab efficienti efficaci causa simul augmentatio esse.

Ad secundum negatur consequentia, quia fit acquisi- Ad secundū. tio non per partes quantitatiuas, sed potentiales, & communicantes, vnde quemadmodum tempus vnius diei, quamuis infinitas partes (sicut quodlibet continuum) includat, non est infinitum, vel æternum (idem est enim æternum, & infinitum in successiuis.) Sic neque quantitas sibi respondens.

Ad tertium dicitur, Arist. loqui de continuitate, prout Ad tertiū. idem valet, quod ęternitas, intendit etenim declarare, solum motum localem æternum esse posse, quamuis negādum non sit, etiam expresse alios motus instantaneos præter localem ponere, quare alter dicamus; nimirum augmentationem, non esse sic essentialiter continuam, quin interdum instantanea esse possit, vt de congelatione dicit; fit namq; (ait) sæpe tota simul congelatio, quod est asserere, non repugnare hos motus (præterquam locali) successiuos, & instantaneos esse. Ad argumenta al- Ad argum. terius opinionis.

Ad primū negatur minor, fieri namq; potest augmen- Secundæ opinionis. Ad primū. tatio, habito iam pręcedenti transitu, per approximationem nutrimenti; imaginandum est etenim, quod à virtute digestiua digeratur nutrimentum vsque ad conuenientem nutritioni conditionem, à distributiua per mēbra diuidatur, & approximetur, quod accidit, per motum localem, & tandem fiat conuersio in substantiam, & quantitatis maioris acquisitio, quod exactius in sequentibus dicetur.

Ad secundū dicitur, communiter fieri in tēpore, quā- Ad secundum. doque tamen nihil obstare, vt in instanti fiat; vel dicatur, fieri dispositionem aliquam in tempore, qua habita fit augmentatio aliqua, sed quasi insensibilis, deinde alia data dispositione alia sequitur augmentatio, & hoc modo mutuo se intercipiunt, ac vtraque continua apparet, eo quod inter ipsas non multum temporis intercidat.

Ad tertium dicitur, maiorem non esse veram, nisi ter- Ad tertiū. mini sint contrarij, & incompossibiles, non sic autem se habent maior, & minor quantitas, quin altera alteram perficit. At quæret aliquis, si motus localis est essentialiter successiuus, augmentatio vero ipsum includit, vt docet Philosophus in litera; quomodo ergo instantanea vnquam esse poterit? Respondetur; Augmentationem non includere propriè motum localem, nisi quoad hoc, quod constituit auctum in maiori loco, vnde partialis loci mutatio videtur, tamen non est propriè mutatio de loco ad locū sicut successionem decet, imò sicut aliquid

denuo

denuo generari, sic locum occupare sine successione potest, sic quantitas aliqua simul acquiri in aliquo loco absque successione tota poterit. Quod diximus de Augmẽtatione, poterit suo modo Diminutioni aptari; sic nimirum, quod ipsa instantanea, & successiua esse possit, quã nis terminus eius non sit pura quantitas, sed quantitatis priuatio, priuatiua autem, per habitus cognoscuntur, vel (quod idem est) idem est iudex recti, & obliqui.

QVÆSTIO XVIII.

Hæc autem sunt tria, quorum vnum quidem est, quamcunque partem maiorem fieri eius, quæ augetur magnitudinis. Tex. 33.

An eius, quod augetur qualibet pars augeatur.

TRes assignat Philosophus augmentationis cõditiones, quarum quælibet per se difficultatem affert, vt autem a prima ordiamur: argumenta quæ ipsam difficiliorem reddunt ante omnia in medium adducamus. 1. Arg. Quod itaque verum non sit, quãlibet augibilis partem augeri, probatur. Aut enim partes illæ sunt plenæ, aut vacuæ; si plenæ non solum singulæ non augebuntur, sed neque vllum corpus quomodocunque sit, vel maius, vel minus (ne duo corpora simul sint) recipient. Si vacuæ, præterquam quod naturæ officitur, sequeretur, totum illud augmentabile esse vacuum, vnde nec augmentabile, nec aliquid aliud vocandum esset. Probatur consequentia; quia cum in qualibet parte, partes contineantur, & in illis aliæ in infinitum (vt est de ratione continui) & quælibet augeri debeat, vnaquæque erit vacua, quamobrem sic se habebit totum; at vacuum aliquod vocare corpus, vel totum augmentabile, est ita ridiculum, & vanum, quod insulsus, vel fatuus, qui hoc probare niteretur censendus esset.

Secundum. Amplius. Omne augmentabile cresceret secundum duplum, quod etiam est ridiculum, & falsum. Probatur consequentia, nam quælibet pars (per suppositum) augetur, hæ autem sic in infinitum diuisæ ad paruitatem deueniunt, vt minorem seipsis recipere nequeant, quam ob rem æqualem recipient: at æquale æquali additum, constituit duplum.

Tertium. Præterea. Sequeretur, quod omne viuens æqualiter per longum, sicut per latus, & profundum augeretur, quod est falsissimum (omnia namq; viuentia sphæricæ essent figuræ) probatur consequentia, nam circa quamcunque differentiam situs viuẽtium partes sunt assignabiles, ergo quorsumcunque augeretur.

Pro intelligentia sciẽdum est primò, quod cum quodlibet viuentis corpus per naturalis caloris actiuitatem multum substantiæ deperdat, restauratione indiget; hæc autem fieri nequit per internam ipsius materiã, sic namque augmentum sibi, & decrementum simulque salutem, & perniciem, vel interitum moliretur, indiget itaque externa materia, quamobrem, vt in nihilo natura ipsa diminuta appareret, neque in necessarijs deficeret, sufficientem viam sibi parauit, imò pro diuersitate, & necessitate recipiendarum partium, præter maiores quasdam, & (vt vocant) magistras vias, semitas permultas strauit. Sunt itaque viæ maiores per quas nutrimentum (habita prius receptione in stomaco, vel in alio proportionali) immittitur, venæ, vel eis proportionale (pro plantis) at præter istas dantur semitæ quædam, & sunt meatus, vel pori vbique per totum corpus diffusi; hi autem à naturali calore rarefaciente efficiuntur, vt inde subtiliores partes ab omnibus membris attrahi possint, ac subtiliora excrementa (quæ ex superfluitate cibi, vel ex dissimilitudine aliqua cum partibus nutriendis accidunt) emittantur; vnde vrina (quod mirum quidem videtur) non per vias determinatas (sicut per anatomicas speculationes obseruaui) sed per insensibiles poros instar sudoris in vesicam defluit; sunt igitur pori prędicti per vniuersum corpus viuentis diffusi, in quibusdam partibus plures, in alijs pauciores, alicubi maiores, minores alibi, pro necessitate materiæ, & fine naturæ sic deposcentis; vbi etenim magis terra prædominatur, ibi vel pauciores, vel minores, quam alibi existũt, vt in ossibus, neruis, capillis, vnguibus &c. terra etenim sicca, nata est magis, quam alia elementa compaginari; at quæret aliquis, sunt ne pleni, vel vacui pori hi, & si pleni, quo. Respondetur, esse plenos aerea quadam & mobili substantia, quam spiritus vocant, de quibus dicemus in sequentibus: hi autem spiritus propter tenuitatem faciliter à calore naturali resoluuntur, ac ingredienti corpore cedunt, sicut quoque facilius cæteris generantur. Secundo sciendum, quod virtus nutritiua, vel conuersiua nutrimenti in substantiam aliti, per totũ corpus diffunditur, ita vt quodlibet membrum, vel viuentis pars (data principali digestione, quæ in aliquo principali residet) nata est proprium sibi immediatum alimẽtum in seipsam conuertere. Tertiò notandum, quod partium viuentis aliæ sunt materiales, aliæ formales, aliæ spermaticæ, aliæ nutrimentales: de materialibus, & formalibus satis in expositione textus dictum est; tamen vt addiscentium labores minuamus, breuiter hic quoque eas explicemus. Sunt itaque partes materiales, quæ instar materiæ fluunt sub diuersis formis, vt se habet, caro, sanguis, humores &c. formales vero sũt, quæ determinatam habent figuram, vel speciem, vt facies, manus, pes, &c. Spermaticę vero sunt, quę immediatè ex spermate, vel semine fiunt, vt omnia distincta organa, vel (vt verũ fatear) sunt ipsęmet formales diuersimodè nũcupatę, quatenus etenim determinatam formam, vel figuram retinent formales dicuntur, sed prout ex spermate primo fiũt, dicuntur spermaticæ. Nutrimentales vero nõ sic cum omnibus materialibus coincidunt, sed eæ materiales sunt solummodo, quę in nutrimentum vertũtur, vt sanguis, &c. Quibus declaratis ponatur conclusio responsalis.

Partes materiales viuentis.

Formales Spermaticæ.

Nutrimentales.

Conclusio.

EIus quod augetur, quælibet pars formalis, & spermatica augetur, materialis vero non est necessarium, vt docet Philosophus in littera. Quod autem quælibet prædictarum partium augeatur, probatur; nã si ita nõ esset, quodlibet viuens esset in augmento monstruosum, & improportionatum, quod sensitiuæ cognitioni contradicit, consequentia est certissima; nã dato quod augeatur solum manus, vel caput animalis, aliæ partes paruæ, & difformes remanerent. Præterea, nisi sic esset augmentatio viuentis esset solum iuxta positio, vel materierum diuersarum aggregatio, ac per consequens non esset idem ex parte materiæ viuẽs. Amplius quælibet pars formalis viuentis viuit, ergo nutritur, nutriri namq; est viuentiũ proprium, at nutrimentum fit per conuersionem cibi, ergo quælibet pars hoc efficere debet, in hac autem conuersione data sufficienti virtute, & materia fit quoque nouę quantitatis acquisitio, & per consequens augmentum. Quod vero non semper (quandoque etenim possunt, & vt plurimum) materiales partes augeantur, probatur; contingit enim quandoque magnam aliquem adipisci quantitatem, & totius corporis augmentum, qui tamen minus carnis sãguis, & pinguedinis, quam prius habeat, ergo partes hæ formales auctæ fuerunt, non autem materiales, & sic habetur intentum.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, partes illas esse plenas, necnon quoque solidas, sic tamẽ poris crebris interceptas,

vt in ipsis nutrimentum recipere possint; pori autem illi neque sunt vacui, sed adeo tenuiribus repleri spiritibus, vt facile ipsi quoque in naturam aliti abeant; vel sic constringantur, vt fere totum ipsorum locum cedere videantur.

Ad secundum negatur consequentia; ratio est, quia non omnes partes materiales augentur (quod est maximè notatu dignum) nec augmentum receptum in augmentationes per proportionales diuidendum est. Sed ipsius accipiendæ sunt quædam paruæ partes quantitatiuæ, quibus partes augmentabiles eodem modo, sed in maiori quantitate paru is respondeant; iuxta inuicem se igitur positæ, augmentabiles paulatim, secundum capacitatem pororum, & inclusorum spirituum expulsionem in seipsas conuertunt; at partes ipsæ solidæ successiuè in aliquam raritatem abeuntes, iter augmentatiuis partibus præbent, vnde nec vacuum, nec in infinitum accretio est admittenda, quod eo faciliori quo poterit exemplo declaremus. Apponatur spongia in aqua, tunc partes spongiæ aquæ viciniores, in poris illis manifestissimis, aliquam aquæ quantitatem recipiunt, cedente in prædictis poris aere occluso, & sic paulatim in alijs partibus aqua eodem modo recipitur; si autem in spongia esset virtus disiccatiua, aquæ iterum poros replendos efficeret, quod pariter de alijs (vt de pane, luto, &c. infusis in aquam) accidit; sic igitur calor consumit nutrimentum, ac poros alios producit: hi autem dum replentur aliæ partes successiuè, & ferè alternatim dilatantur, omnesquę suo tempore cibo augmentum recipiunt, nisi sint indispositæ, puta aridæ, vel alio morbo affectæ, tunc namque deest virtus actiua, & si aliqua adsit, est adeo inordinata, vt vniformitatem, & totius cum ordine ad partes decorem non admittat, vt notum est in mutilatis alijsque quamplurimis, diuersis laborantibus morbis. Imò si in aliquibus partibus debitus vel sufficiens non adsit naturalis calor, minores cæteris partes illæ (etiam data proportione) existunt, & hoc eodem pacto excrescunt.

Ad tertium, negatur consequentia; non etenim solum partium multitudo in viuentibus augibilibus est attendenda; sed etiam, (& fortè principalius) calor augens; hic autem cum sursum tendat, vt finem assequatur, perfectionemq; rebus secundum pulchritudinem tribuens, sursum pellendo magis quam aliorsum, auget.

QVÆSTIO XIX.

Et adueniente aliquo. Tex. 33.

SEcunda conditio augmentationis est, quod fiat per aliquod extrinsecum, quæ etsi partim ex prædictis pateat, partim quia in se non est valde difficilis, dimitti posset; breuiter tamen (ne aliquid desideretur) examinanda erit. Quod itaque non sit vera, duobus argumentis probatur.

1. Arg. Primum. Sanguis est hominis immediatum nutrimentum, atque augmentationis quoque materia; qui tamen est sibi (vt omnibus patet) intrinsecus, quod de quamplurimis alijs viuentibus dici potest, ergo.

Secundum. Secundum. Multa animalia sex mensibus continuis dormiunt, vt de Testudinibus, quibusdamve murium generibus sum expertus: tunc ergo, vel nutriuntur, vel non; dicere quod non nutriantur, est contra Aristot. ipse enim in hoc libro tex. 41. vsque ad mortem viuentia nutriri asserit; si affirmatiuè respondeatur, cùm nullum externum capiant nutrimentum, & ipsummet est augmentationis materià patet, quod dicimus; imò de facto frequenter magis tunc, quam alias pinguę fiunt, & augentur.

Pro intelligentia tamen sciendum est, quod alimẽtum potest dupliciter considerari. Primo modo in principio, vel ante approximationem ad viuens, vel ad nutribile, ita vt dicatur nutrimentum, quod est aptum, & conueniens nutrire, vt de pane in comparatione ad hominem affirmamus, & hoc pacto est necessariò extraneũ. Si etenim intra viuens contineretur, vel esset pars, aut aliud ad ipsius naturam pertinens, vel non; si ad naturã pertineat, dum in alias partes, vel in substantiam nutriendi conuerteretur, fieret ex alia parte eiusdem naturæ deperditio; quare bonum naturæ intendens, excidiũ prosequeretur. Si nullatenus vt pars, vel interna conditio pertineat, ab externo origine duxit, & sic est notum, quod quærimus. Accipitur autem secundo modo ipsum nutrimẽtum circa finem, quando videlicet est de proximo in substãtiam nutribilis conuertibile, sic est sanguis, &c. & tunc proculdubio est internus, saltem quoad coexistentiam; nempe prout intra ipsius viuentis corporis continetur, imò quãuis secundum rationem definibilem extraneum videatur, ipsa namque solum materiam est formam physicè loquendo includit, secundum tamen existentiam est simpliciter necessarium, atque ferè cum partibus connumerandum. Quid igitur resoluendum sit patet: sed Argumenta soluamus.

Ad primum patet: Sanguis etenim quamuis sit de facto internus; principium tamen ab externo desumpsit, vel antequam in talem naturam conuerteretur externus erat, quod sufficit.

Ad secundum dicitur, prædicta, & huiusmodi alia viuentia, modicum habere calorẽ, quamplurimum autem frigiditatis, & humiditatis; quamobrem recepto nutrimento vel cibo, dormiendo paulatim in augmentum resoluunt, vnde nutriuntur, pinguescunt & augentur; nec mirum, quod parua nutrimenti quantitate in magnã deueniant; non etenim solum fit pura ad mensurã conuersio, sed à naturali calore quantitatis nouæ productio.

QVÆSTIO XX.

Et tertium vt saluetur, quod augetur, & permaneat textu præcitato.

An in augmentatione, & diminutione idem viuens numero, maneat.

ARguitur primò, quòd non. Identitas numeralis ex identitate partium, præcipuè essentialium maximeve forma colligitur. Hæ autem in eo quod augetur non manent, ergo. Probatur minor; nam partes materiales sunt (vt diximus) in continuo fluxu, & mutabilitate, formales vero præcedentes sequuntur, ergo.

Secundò. Dũ per augmentationem quantitas viuenti acquiritur, aut est quantitas tantum, aut quantitas cum substantia; non quantitas solum, quia cũ sit accidens non est sine substantia; præterquam quod, cum per nutritionem acquiratur, substantię acquisitionem supponit, si ergo acquiritur substantia, vel acquiritur tantum materia, vel tum forma, vel vtraque: non materia duntaxat, quia hæc à forma præcedenti informaretur, quæ vel materiam propriam relinqueret, quod est absurdum, & contra philosophicam communem veritatem, vel ambas informaret, quod etiam Philosophiæ repugnat, vnica etenim materia ab vnica forma (dummodo alteri non subordinetur, quod non accidit in proposito) informari debet; neque erit forma tantum, quia hæc non est sine materia nec acquisibilis, nec existẽs: relinquitur ergo quod formæ, vel formæ nouæ pars, simul cũ parte materiæ acquiratur, quamobrem huiusmodi partes per accretionem additæ, similesq; per diminutionem deperditæ nouum efficient compositum, vnde habetur intentum.

Circa

Circa hanc quæstionem triplicē reperio dicendi modum, aliqui etenim dicunt, re vera nouam substantiam compositam ex materia, & forma produci in augmentatione, aliam vero deperdi; manere tamen idem viuens sub ratione formæ, vel communis quidditatis (formam namque quam augeri dicit Philosophus, pro quidditate, vel natura communi sumunt) non autem sub ratione materiæ, vel singularitatis (materiam enim ab Arist. pariter ad rem signatam singularitatem esse exponunt) eo (addunt) modo, quo populus dicitur idem, propter successionem gentium eiusdem ciuitatis, quamuis nullus præcedentium hominum maneat; At hi alios grauibus, vel potius tumidis verbis increpantes, præ cæteris absurdissimas, & Philosophiæ indignissimas cantilenas enunciant; Nonne (in primis) est repugnantia in titulo, & conclusione quam statuunt, asserere (inquam) vnum numero esse quod augetur semper, & simul vnitatem, vel per æquiualentiam, vel specificam sibi tribuere? esse etenim vnum secundum quidditatem præcise, est esse vnum specie, & sic singularem hominem vniuersalem constituunt; esse autem per successionem vnū, (vt de populo exemplificant) est esse vnum secundum quid, & ratione quoque communitatis, vel vniuersalitatis. Sic namque ijdem sunt homines, boues, &c. quia eodem modo per generationem eorum corruptio reparatur; vel sicut in hac ordinis vnitate, indiuidua penitus discreta seruantur, sic partes discretæ in eodem aucto colligi possen:; ac quasi homo plura carnis frustra diuisa esset. Deficiunt quoque, dum partes substantiales successiuè per nutrimentum in augmentatione acquiri statuunt, ex alia parte substantiam magis, & minus suscipere negant, ac ipsius generationem, augmentationem, & nutritionem instantaneas esse statuunt; Quare sibimet ipsis repugnant. Non tamen sicut alios quamplures eiusdem farinæ, duplici de causa, neque hic, nec alibi nominatim cit re volo; prima, ne ipsi, vel alij credant, me eos vt aduersarios sumere, secunda vt magis breuitati, quam elegi consulam, nec etenim nomen tantum, sed quamplurima accessoria necessariò ad cartas implendas excitarent: Nec aliquis me quod rite eos non increpem, vel citem reprehendat, sed si hoc suspicetur, libros Philosophiæ perlegat, & eorum sententias impugnandas à me ad vnguem in hoc opere allatas perspiciet. Alij autem alio modo distinguunt, atque vnum, & idem numero aliquid esse tripliciter statuunt; vno modo secundum omnimodam totalitatem, sic videlicet, quod omnes, & singulas partes, quas à principio habuit absque vlla additione, vel diminutione semper retineat; quo pacto se habent entia incorruptibilia, vt cælum, intelligentiæ (si hæ partes habeant) &c. Alio modo secundum partes, vel partem aliquam principalem, & præcipuè formalem, secundum quem in totius vitæ decursu eundem esse hominem numero statuunt; prout anima rationalis (quæ est incorruptibilis, & augmentabilis) eadem manet. Tertiò modo, aliquid vnum numero esse ponunt secundum æquiualentiam, & prout idem situs, & ordo seruatur, secundum quam considerationem eundem nunc, & iam centum transactis annis fluuium esse dicimus, quamuis eadem non sit aqua, nec partes eius. Concludunt autem, viuentia ipsa esse eadem numero (quamuis augmentationem, & diminutionem recipiant) secundo modo; quia nimirum principales partes remanent, vt de homine in comparatione ad animam exemplificarunt. Sed hi quoque deficiunt; nam si re vera concedant, & formam, & materiam successiuè diminui, ac alias acquiri, ita vt partes præcedentes in fluxu existent, fatendum sibi est, omnes nouas acquiri vtriusque naturæ (materiæ scilicet, & formæ) partes; at partes omnes mutatæ, totius mutationem efficiunt. Præter quam quod, aliqua pars tantum non habet rationem simpliciter totius. Est etiam defectus circa id quod de homine asserunt: nam quamuis anima rationalis sit immortalis, & inuariabilis, tamen quia est forma, sequitur conditiones, vel dispositiones materiæ; ita nimirum quod si materia sit indisposita ipsa informare desinat, vt in mortalibus morbis patet, aliter ad libitum in quocunque corpore quomodocunque affecto manere posset; si ergo secundum corporis, vel materiæ dispositionem sic variatur, quid dicendum erit, si omnes ipsius corporis partes mutentur? nihil aliud quidem, nisi quod non sit eadem anima, nam verum est, quod vnius materiæ vnica est completiua, & vltimata forma.

Tertium.

Conclusio.

Dicamus igitur resoluendo (& sit tertius dicendi modus) Id quod augetur, & diminuitur totum semper permanere vsque ad interitum. Pro cuius intelligentia sciendum est; quod totum aliquod physicum corruptibile, & viuens (vt immediate ad rem deueniamus) essentialiter ex materia, & forma, vel ex corpore, & anima constituitur, & in his duobus simul vnitis ratio totius consistit; ipsum autem corpus duplicem habet constitutionem, alteram principalem atque essentialem, alteram vero minus principalem, & potius ad existentiam, quam ad essentiam pertinentem; prima est omnium partium organicarum simul compositio; secunda est earum, quę ad nutrimentum attinent. Hæ autem partes organicæ principales sunt quæ ex vi formatiua seminis immediatè gignuntur, quod quidem semen cum sit humidum, partes huiusmodi in humido radicali (quod idem est, cum humido seminis, vel quod à prima origine, aut seminis radice ortum est, ad differentiam humidi nutrimentalis, quod aliunde acquiritur) consistere dicuntur, etsi negandum non sit, etiam cum ipso semine, vel saltem ab ipso, aliquod nutrimentale quoque humidum prouenire, aliter natura non statim de necessarijs rebus naturalibus prouideret. Ex his itaq; spermaticis partibus organicum viuentis corpus primò, & veluti essentiali materiali ve parte conflatur; cui (sicut cuilibet materiæ) forma, vel anima secundum proportionem sibi respondet, ac ex vtraque natura viuentis cōstituitur; quæ quidem natura (omnibus alijs seclusis) totalitatem viuentis dicit, vt de se notum est. Secundum hanc itaque totius constitutionem viuens idem numero in toto ipsius vitæ tempore manere assero. Probatur, Nā si hoc non remaneret, profecto nulla esset ratio cur potius Socrates idem, quam alter homo diceretur; variatis enim essentialibus partibus totū non remanet. Amplius. Dum febris in humidum radicale agit, fit viuentis interitus, vel incurabilis morbus vt Medici fatentur, saltem si passio hæc circa primum huiusmodi humidi gradum contingat (nam vt dictum est etiam in ipso radicali humido, aliquid nutrimentale reperitur) si ergo alterationem non patitur; quomodo diminutiones notabiles ferre poterit, sine viuentis periculo? cum igitur re vera non minuatur; fatendum est, integrum vsq; ad mortem manere, & consequenter animam quoque sibi proportionatam, & totum. Amplius; fiat alicui ab ineunte ætate cicatrix aliqua hæc toto ipsius vitæ tempore manet, vt in die est videre; at si humidum radicale, vel partes illę organicæ primæ in continuo existerent fluxu, cicatrix iam desijsset. Præterea. Si partes hæ mutarentur, etiam anima mutaretur; & sic idem non esset homo, qui nunc, & prius; consequentia est euidens; nam anima mutationē corporis sequitur. Maneat ergo conclusio, quod idem numero penitus id quod augetur manet. Sed restat difficultas, quomodo augeatur, & diminuatur. Respondetur; augeri hoc modo; approximato nutrimento per poros, vt supra dictum est; à calore naturali, & præcipuè ab anima ipsum nutrimentum corrumpitur, & ex materia ipsius quædam pars substantiæ generatur, nec non nouus quidam gradus formæ (si talis augmētatio fiat in his, quæ animam corruptibilem habent; in homine vero gradus hic non producitur, sed ad ipsa anima præexistenti informatur; cum etenim sit indiuisibilis potest tota in omnibus partibus etiam acquirendis manere) introducitur.

At est

At est instantia, quia si partes materiæ, & formæ in brutis generantur, idem animal mutaretur, quod est contra prædicta. Respondetur, illas non esse partes principales, sed additas, quæ possunt gradus substantiæ dici; nec est inconueniens, imò necessariò hi gradus admitti debent suo modo, aliter nulla nutritio, noueve partialis substantiæ acquisitio daretur. Fit igitur in partibus primis spermaticis proportionale augmentũ, sic videlicet, quod cuilibet parti pars substantiæ addatur, quæ ipsarum formam non mutet, sed extendat. Diminutio vero totaliter in partibus istis non est admittenda; imò quando aliquid notabile patiuntur, præcipuè partes primariæ ad interitum viuens conducunt. Quamobrem cum hæ simul cum forma principali maneant; fatendum est indubitanter, totum numero, ac tolitater à principio vitæ vsque ad finem quodlibet viuens manere.

Ad Argumenta.

AD primum negatur minor; ad probationem respondetur, partes spermaticas, & formam principalem semper manere, vt declaratum fuit.

Ad secundum dicitur, partiales formas, & materias acquiri, quę præexistenti composito vniuntur, ita tamen, quod ipsa materia, & forma acquisitę sint potius gradus, quam materiam, & forma perfecta saltem in comparatione ad viuens; Si etenim esset perfecta materia, nihil aliud nisi organizatum corpus esset (est enim sermo de materia propinqua) quod quidem falsissimum est, neque enim per nutrimentum corpus organicum, nec organa aliqua fiunt, sed præcedentia restaurantur. Pariter, si esset forma, nihil aliud quam anima esset, & hoc pacto per nutritionem, vel nouum corpus, vel noua organa, vel noua anima, vel omnia simul, aut saltem animæ, vel organorum partes acquirerentur, quæ optimè intuenti videbuntur proculdubio absurda, & contra sensatam experientiam; quis tamen posset de partibus organicis ambigere; nimirum, quod ipsæ acquirantur, sed si bene perpendat, hoc falsum etiam esse cognoscet; dum namque augetur os, non additur ei pars aliqua nec essentialis, nec integralis, vt notum est; Sed istis suppositis integrisque manentibus, fit graduum acquisitio.

QVÆSTIO XXI.

Et nutrimentum augmentationi idem quidem est, ipso autem esse aliud. Tex. 41.

De natura, & conditionibus nutrimenti.

QVamuis nutritio prior natura sit augmentatione, sicut substantia accidenti, vel generatio substantiæ accidentium productione, tamen prioritate doctrinæ, quæ ex notioribus sumitur vt habetur in 5. Metaph. textu 1. de augmentatione sicut de ea, quæ magis quam nutritio innotescit prius differẽdum est. Quãplurima igitur, & præcipuè, quæ effectricem facultatem circa ipsam concernunt essent examinandam. Quia vero hæ solum animæ potentiæ sunt, commodius in libris de anima, quam hic efficietur, vsque igitur ad illud tempus reponantur. Nunc autem qui nam motus sit nutritio cuiusve dispositionis nutrimentum, cum quibusdam aliis examinemus. Quo igitur ad primam partem, sciendum est, nutritionem esse motũ ab anima ad partes substantiæ non principales, nec organicas, sed minus principales, & inorganicas acquirendas effectum. In qua definitione motus est genus, anima est causa efficiens principalis, terminus vero à quo est carentia, vel priuatio ipsarum acquirendarum partium. Pro cuius tamen maiori intelligenda duo sunt notanda; primum est, quod

Nutritio qui motus sit.

ipsa nutritio quamuis sit motus, inter species motus non connumeratur, cuius ratio est, quia sicut pars non ponit in numerum respectu totius, vt homo, & parte eius non dicuntur plura entia; sic neq; motus ad partes in cõparatione ad motũ qui ad totũ efficitur; quare ad generationem reducitur; quoniam sicut per illam tota substãtia, sic per hanc ipsius substantiæ pars acquiritur. Aliud est notandum, quod licet generatio possit esse instantanea, & successiua, non sic quoque de nutritione dicendum est; sed semper successiua existit, vt in q. 23. videbitur. Nunc de nutrimento aliquid dicamus. Sciendum est ergo, quod nutrimentum est in principio dissimile viuenti, in fine autem fit simile, vt docet Philosophus in litera; hæc autem dissimilitudo non est adeo ingens, vt omnes diuersas, vel contrarias qualitates ab iis, quæ sunt viuentis admittat; sic etenim tanta inter vtrunq; esset repugnantia, vt ad mutuam corruptionem potiusquam ad alterius conseruationem ordinata viderentur, non etenim ex calido, & sicco frigidum, & humidum nutriri potest; debent igitur ambo in aliquibus conuenire. Hæc autem conuenientia in tribus consistit; primo quod ipsum nutrimentum ex quatuor constet elementis sicut nutritum (quod quomodo sit verum in secundo huius operis circa tex. 50. veluti in proprio loco exactius videbitur). Secundò quod etiam in quadam proportionata temperie conueniant; quæ etenim durissima sunt vt ferrum, lapides, metallaque omnia, pariter quæ nimis sunt sicca, vt ligna pili &c. ad nutrimentum, non faciunt, vt de se notissimum est. Tertiò tandem, quod attendatur non tantum communis proportio, quæ vel in elementorum mistione, vel in temperie quoque consistit, sed an singula nutrienda viuentia respectus habeatur, alio etenim cibo homines, alio pisces, alio aliæ denique terrestres animãtes nutriuntur, sicut diuersum habent complessionis temperamentum. Ex alia vero parte debent esse quoque dissimilia; quæ dissimilitudo etiam ad tres diuersas conditiones reduci poterit. Prima in natura, secunda in gradibus qualitatum, tertia in quantitate consistit. In natura, quoniam si eadem penitus esset nutrientis, & nutribilis natura, nulla intercederet vtriusq; actio, & passio, quę necessariò tamen in hac nutrimenti conuersione requiruntur; idem enim secundum idem (sic namq; identitas esset) non est simul aptum agere, & pati, præcipuè si de actione corruptiua, (vt decet) loquamur, quamobrem bene eiusdem specificè naturæ ambo esse possunt, sicut dũ animal animali eiusdem speciei vescitur, quamuis fortè, neq; hoc sit admittendum, quia solum carne, non autem toto ipso animali nutritur; pars autem, vel caro si anima careat, non est animal nisi æquiuoce. In gradibus vero qualitatum etiam differunt, nam si in eodem essent gradu constituta, æqualem haberent actiuam virtutem, quare non maior ratio esset, quod vnum potius ageret quam aliud, & sic sicut nutribile sua virtute in sui naturam nutrimentum conuertit, sic quoque nutrimentum ipsum nutribile conuertere, vel saltem destruere posset, vel nulla prorsus actio fieret; nam vbi est æqualis actiuitas, cum æquali resistentia, ibi actio (quæ in excessu proportionis ad patiens consistit) fieri nequit. Quamobrem nutribile maioris, vel efficacioris virtutis esse debet. Quod vero in quantitate differant, facilè est suaderi: cum etenim nutrimentum intra nutribile recipi debeat, nec veluti intra nudam superficiem dumtaxat eo modo quo triticum recipitur in sacco, sed intra corpus solidum, necessario est magnitudine minus. Quod si interdum maius mole nutrimentum, quam nutribile videatur, ideo accidere potest, quia non est ita densum sicut nutribile. Verum hæc potius inæqualitas, quam dissimilitudo dicenda esset, si quidem respectu diuersarum quantitatum attenditur, tamen fas sit connexionis gratia, inter similitudinis conuenientias enumerare, nec etenim Aristotelico instituto, neque communi vsui repugnat.

Vt autem adhuc clarius quod ad nutrimentum attinet percipiatur, de ordine quo ipsum recipitur, alteratur, & concoquitur, breuiter aliqua dicamus. Sunt igitur in animalibus potissimum vero in perfectis, sex receptacula in quibus ordinatim cibus recipitur, aliquamue in singulis alterationem patitur. Primũ est os, in quo fit masticatio, quæ est contritio cibi cum quadam alteratione. Secundum est ventriculus, vel stomachus, in quo etiam fit prima concoctio, & separatio excrementorum fæculentorum à nutritiuis, quæ omnia ad intestina mittuntur, & sic intestina ipsa tertium sunt receptaculum. Quartum est iecur in quo partes illæ nutrimentales ab excrementalibus fæculentis diuisæ recipiuntur, ita vt ab intestinis in iecore partes prædictæ recipiantur, feculentæ vero in secessum mittuntur, & hic fit secunda concoctio, puta conuersio nutrimenti in sanguinem, prius namque erat quædam massa crocei coloris; ex quo nutrimento adhuc duo excrementorum genera secernuntur (non etenim adhuc est purissimus sanguis) puta terrestria, quæ ad splen mittuntur, & subtiliora, ac calidiora magis, quæ recipiuntur in folliculo fellis. Quintum est cor, in quo recipitur sanguis magis purificatus à iecore, atque hic fit vltima concoctio, in qua aquosum quoddam excrementum secernitur, quod per duas venas, in renes, & ex ipsis in vesicam vrinæ emittitur. Sextum denique sunt omnes partes nutriendæ, per venas namque à corde exeuntes, ac per poros etiam sanguis ipse (qui est immediatum nutrimentum) mittitur, ex quibus aliqua etiam proueniunt excrementa, nempe sudor, pili, vngues, &c. sed si sanguis est (vt diximus) purissimus, quomodo ex eo excrementa fieri possunt? Respondetur, ipsum, & ob defectum digestiuæ virtutis, & ab humoribus partium in deterius abire posse. Sic ergo sex sunt receptiua vascula; tria vero digestiua, nempe stomachus, iecur, & cor, quinque autem sunt excrementorum genera, scilicet vnum, ac primum in intestinis, duo in iecore, quartũ in corde, & quintum denique in omnibus partibus. Non loquendo de semine, nec de tribus humoribus à sanguine diuersis, quia cum ad vitam indiuidui pertineant, simpliciter excrementa dici non debent, & quia alibi de ipsis differemus. Sunt pariter in his partibus virtutes, quæ ad nutrimentum attinent; scilicet attractiua, retentiua, digestiua, & expulsiua, quamuis in aliquibus magis, quam in alijs, istarum aliquæ vigeant. Sed ad propositum redeuntes; omnibus istis potentijs, locis, & operationibus nutrimentum, quod prius erat nutriendo dissimile, sibi simile euadit; quod accidit dum est immediatè in substantiam conuertibile, puta dum est purus, vel etiam purissimus sanguis; est enim (inquam) tunc simile nutrito, ratione temperiei secundum eosdem fortè gradus ipsius nutribilis: Verum, est instantia difficilis; si enim tunc est penitus simile, quomodo nutriendum in ipsum agit; nam inter ea, quæ sunt omnino similia, actio non cadit, vt dicemus in sequentibus. Potest responderi, duplicem esse actionem, aliam, quæ inter contraria existit, & sic non esse inter nutriendum, & nutrimentum; alteram, quæ solum coniunctionem inter agens, & patiens intendit, & hæc simplicem contrarietatem non supponit. Sic autem est inter nutrimentum, & nutriendum. At contra; quoniam dum est sanguis adhuc remanet efficienda conuersio in carnem; quare vera contrarietas requiritur. Respondetur, re vera id negari non posse. Quare aliter dicendum est, pura nutrimentum in fine, dum scilicet est immediatè ad nutriendum aptum, esse simile nutrito ad hunc sensum, quod sit immediatè, & secundum debitam temperiem sibi conuenientissimum. Si vero velimus dicere, in fine, hoc est dum amplius non est nutrimentum, sed quando in aliti substantiam conuersum est, nulla est difficultas, est etenim tunc ipsius viuentis pars, quæ naturam totius imitatur, quæ expositio nõ esset spernẽda, si textui quadraret.

Receptacula cibi sex.

Tres digestiones. Excrementa quinque.

Quatuor virtutes ad nutrimentum attinentes.

QVÆST. XXII.

An Viuentia sanguine prædita solo sanguine nutriantur.

Arguitur primò quod non. Nutrimentum debet circa finem esse simile nutrito, vt in præcedenti quæstione visum est; at sanguis non est similis omnibus nutriendis partibus animalis, imò aliquibus contrarius, vt patet pro nunc de ossibus; ipsa namque sunt frigida, & sicca; sanguis calidus atque humidus; quare &c.

Secundò. Statim quod cibus in stomachum recipitur, fit nutritio, vt notum est ex virium collectione, ex ipsiusmet cibi oblectatione, & tamen tunc in sanguinem versus nondum est, ergo.

Pro intelligentia sciendum est, quod præter sanguinem dantur in animalibus tres alij humores, puta pituita, vel Phlegma, atra bilis, seu melancholia, & flaua bilis, seu cholera: Hi autem quatuor elementis respondent; sanguis videlicet aeri, qui est calidus, & humidus; pituita aquæ, quæ est frigida, & humida; flaua bilis igni, qui est calidus, & siccus, ac tandem atra bilis terræ, quæ est frigida, & sicca. Vt igitur ipsa quatuor elementa in compositionem mistorum modo quodam remisso secũdum qualitates contrarias concurrunt; sic humores isti suo modo se habent; pituita namq; eo quod humida, & frigida sit, choleræ opponitur, atque ipsam ad temperiem conuenientem redigit; nec nõ eodem modo sanguis opponitur melancholiæ, mutuoque ad conueniens temperamentum reducuntur, ac elementorum proportionem quasi perficiunt. Hac igitur de causa animalibus tributi sunt, sed re vera hæc solum sufficiens non est; sic etenim omnia mista, vel saltem quælibet viuentia his prædita essent humoribus; dicimus ergo, & ratione prædicta, & alia quoque esse animalibus tributos; cholera namq; magnanimos efficit homines; Melancholia graues; phlegma ingeniosos; Præterea mistionem cum sanguine interdum sic perfectã efficiunt non secus atque sal, vel alia condimenta in cibis; vt salutem, & animalium conseruationem magnopere iuuent. Sed vbi generantur, & quæ sunt loca ipsorum? Respondetur, generari præcipue in iecore; nam cum omnes ex nutrimento fiant, vbi est nutrimenti prima decoctio, ibi est horum humorum origo; nec etenim alio modo fiunt, nisi quemadmodum fæces, spuma, aliaque excrementa ex vino, Sed hæc non sunt simpliciter excrementa vocanda, cum à natura præcipuè ad indiuidui conseruationem ordinentur, quamuis non ita ex pura, vel potiori parte materiæ, vel nutrimenti fiant. Loca autem ipsorum sunt hæc; sanguis venæ, & ferè totum animalis corpus. Phlegmæ, (quæ etiam vocatur chylus) est ipsummet iecur, ibi namque sicut fæx in fundo residet flauæ bilis est fel, atræ bilis splen; verum interdum per totum corpus saltem partes subtiliores dilatantur; vt patet dum sanguis exit, aliorum namq; humorum accidentia, vel misturã aliquam affert. Sed numquid omnes animantes his omnibus quatuor participẽt? Respondetur cum distinctione; Si namque simpliciter, vel secundum formalitatem, aut exactam eorum naturam loquamur, negatiuè respondendum est, præcipuè de flaua bili; multa namque animalia felle carere dicuntur. Si autem secundum proportionem loquamur, sic nimirum, quod aliqua temperies his respondens pro istis sumatur, oppositum dicendum est. Si enim vnum contrariorum sit in natura, & alterum; Si vero de his quæ sanguine carent sit sermo; sicut proportionale aliquid sanguinis in ipsis ponitur; sic quoque ponantur proportionales humores, vel virtualiter saltem, vt temperiem ipsorum

Quatuor humores.

ipsorum decet. Ad propositum tamen, quatuor prædicti humores difficultatem circa nutrimentum efficiunt; videntur namque ipsi quoque nutrimentum viuentibus præbere. At pro determinatione statuitur conclusio. Sanguis in sanguine præditis principaliter nutrit; probatur, nam ipse est finis nutritiuæ potentiæ, & operationis; imò non ad alium finem vndequaque diffusus videtur. Amplius est debite præ cæteris humoribus temperatus, vnde quam maximè animalium temperiem imitatur. Non tamen negandum est, alios quoque humores, vel adiuuare, vel condere nutrimentum, chylum namque consentaneum est, aliquam restaurationem statim præbere stomacho; quod patebit melius argumenta soluendo.

Conclusio.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur; sanguinem habere aliquam dissimilitudinem cum aliquibus partibus, vt argumentum probat; tamen esse ipsis partibus conuenientem (quod ad similitudinem prædictam sufficere statuimus) in fine vero fieri partem; nec aliquod est inconueniens, quod in alienam naturam transeat; vt ferè de omnibus transmutatis est euidens.

Ad secundum patet. Cibus enim statim in stomacho receptus restaurationem aliquam facit, sed nutritio à sanguine ex iecore per quasdam venas in stomachum ipsum redeunte suppletur.

QVÆSTIO XXIII.

Ideo nutritur quidem quo vsque saluum fuerit. Tex. 41.

An viuens vsque ad mortem nutriatur.

ARguitur primò quod non. Nam Arist. 2. de anima tex. 5. habet hæc verba; ex eo quia anima inest, somnus, & vigilia est; proportionale autem vigilia speculationi, somnus autem habitui non exeunti in actum. Vult ergo Philosophus, quod sicut habitus est actus primus in comparatione ad speculationem, sic anima in ordine ad suas operationes, & sicut ille non semper exit in actum; sic neque semper operetur anima; quamobrem decet, vt ab operationibus, &(ad rem) a nutritione quoque desistat.

Secundò. Omnis potentia fatigabilis restauratione, & quiete indiget; nutritiua facultas est huiusmodi, ergo. Maior est nota, nam si aliter accideret, sui interitum pararet, propositumque finem nunquam attingeret. Probatur minor, nam vbicunq; est contrarietas, & resistentia, ibi accidit fatigatio ex parte agentis, at hoc modo res in proposito se habet, quia inter calorem naturalem, & nutrimentum, quæ sunt dissimilia, & contraria, nutritio cadit.

Tertiò. Nutritio fit per conuersionem nutrimenti in substantiam aliti; at multa viuentia diu nutrimento carent; vt patet de his, quæ sex, vel plures, aut pauciores menses dormiunt, ergo.

Pro intelligentia sciendum est, quod omnium viuentium vita quamuis quatuor elementorum temperiem contineat; tamen in calido, & humido præcipuè consistit, in his inquam non simpliciter, & in quacunque gradu, vel dispositione determinatis, sed proportionaliter sibi respondentibus. Calidum itaque cum maximæ sit actiuitatis, est vitæ necessarium veluti omnium vitalium operationum efficiens, humidum vero est veluti materia, in qua fundatur, & viuit; quamobrem secundum huius humidi bonitatem, vel malitiam, magnitudinem, vel paruitatem fit prædicti caloris viuentisq; vita, diuturnitas, vel breuitas. Si etenim ipsum humidum sit aquosum quamuis in conuenienti quantitate non diu calidum durat, quia ad extinctionem potius quam ad nutrimentum, & diuturnitatem disponit; qua de causa aquatilia breuioris sunt vitæ (cæteris paribus) quam terrestrea animalia; debet igitur esse aereum, ac viscosum, vel pingue, seu cũ tenacitate conuenienti, atq; cum debita quantitate: aliter ex omnium, vel vnius istarum conditionum defectu interitus cito sequitur. Quod quidem vt facilius intelligatur, exemplo de lumine (cõmuni quidem, sed ad rem) declaremus. Sit igitur lumẽ quod ex oleo in lucerna fiat; oleum humido nutrimentali, lumen vero, vel potius ipsius calor, vel ignis naturali calori assimilatur. Si itaque oleum sit, vel impurum, vel aquosum, vel paucum, vel superfluum, ita vt extra lucernam effluat; lumen, vel nimis patitur, vel facilè extinguitur; impurum est itaq; naturale humidum, vel ex morbo aduenente, vel ex alia mala naturali dispositione, vel complexione; aquosum ex frigiditatis dominio; paruum ex debili genitura, vel ex debili quoq; calore qui parum absumit; superfluum ex nimia pinguedine, vel voracitate, vnde calor suffocatur. In proportione itaque calidi, & humidi viuentis vita cõsistit, & quo magis temperiem hanc viuentia obtinent, eo diutius viuunt, quo vero minus, breuius. Quoniam autem ab initio ipsorum viuentium productionis paucum necessario est humidum, paucusve similiter calor, vterque reparatione indiget; quod per nutrimẽti appositionem efficitur; quamobrem; hinc est quod semper calor in humidum, ac in nutrimentum agit. Obseruandum est etiam, quod nutritio accipi potest dupliciter, vno modo pro illa conuersione alimenti in substantiam aliti; alio vero pro quacunq; actione caloris in nutrimentum, siue sit dispositio, vel alteratio, siue conuersio, vel aliud, nihil refert; omnia nãque, quæ ad vnum finem ordinantur, ab eo denominari possunt, vt ignem lignum comburere dicimus dum est sibi approximatus, etsi fortè nondum ipsum calefecerit. Denique animaduertendum est; non esse verum quod potius vulgariter quam philosophicè dicitur; nempe semper fieri peiorem restaurationem humidi; vel substantiæ deperditæ. Si namque hoc esset verum, statim viuentia interirent; probatur, quoniam tunc sub minori qua possunt actiua, & passiua virtute existũt; vt ex ipsorum debilissimis, & ferè nullis operationibus colligitur; si ergo facta prima in humidum, vel substantiam vitalem per calorem deperditione, peior prima esset restaurata substantia, ad deteriorem vitæ conditionẽ quam à natiuitate habuerint, tendent, & profectò non, nisi ad interitum. Amplius, id experientiæ, & Arist. repugnat; experientiæ quidem, nam omnibus compertum est, vires, & omnes qualitates viuentibus augeri; quod nisi substantiæ melior fieret restauratio, id non eueniret, vel fatendum esset, accidentia à substantia originẽ, & virtutem non habere, quod quam absurdum sit, nemo nisi sit mẽte captus est qui non videat. Arist. quoq; repugnat, siquidem experientia, & ratione ductus augmentum, statum, & decrementum viuentibus tribuit, & fortè tantũ in accidentibus, vel in substantia sine virtute, & operationibus? quis namq; hoc somniaret? est igitur substantiæ melior aliquo tempore restauratio, interdum equalis, denique, iam defatigato calore minor. Sed est dubitatio; cum calor recenter nascentium animalium sit debilior calore senum; cur ille in meliorem, hic in deteriorem substantiæ restaurationem tendit. Respondetur, illum ex natura sua ad perfectionem tendere, nec aliquam defatigationem passum esse. Senium vero iam labore confectum, finemque assecutũ; nisi naturæ ordo fieret præposterus, non potest in melius abire; quamobrem in naturalibus non simpliciter rei dispositio, sed finis, & primi motoris prouidentia potissimum attendenda est. Quibus declaratis, duæ conclusiones ponantur.

Prima.

1 Conclus. Prima. Si nutritio accipiatur pro conuersione nutrimenti in substantiam aliti non semper viuens dum viuit nutritur. Probatur, nam data debita dispositione circa ipsum nutrimentum, poterit in instanti fieri conuersio. Amplius, quæcunq; substantiæ transmutatio, siue partialis, siue totalis, à dispositione præceditur, quare aliquod tempus inter vtranque cadit. Amplius; non est rationi consentaneum, quod materia, & forma secundum esse perfectum, & debite dispositum neque per instans
2. Conclus. manere possint. Secunda conclusio. Si capietur nutritio, pro quacunque operatione nutritiuæ virtutis circa humidum; semper dum viuens viuit, nutritur. Probatur, quoniam agens naturale non impeditum semper, & necessariò agit; at potentia hæc simul cum calore vitali, qui est eius instrumentum sunt pure naturalia agentia, ergo.

Si itaque non fiat actio, signum est quod agens deficit, hoc autem, vel est principale, vel instrumentale; si primum est anima ipsa, vel nutritiua potentia, si secundum, calor; at sine istis viuens esse nequit; vnde deficientibus, moritur, & sic patet conclusio. Secundum itaque hanc acceptionem vltimam nutritionis, nutritio est continuus motus, vt de se notum est, sed secundum priorem
Nutrimēto quomodo continuus. continuus, & instantaneus esse potest, vt de generatione, & alijs motibus dictum est. Sed hic insurgit curiosa dubitatio. An videlicet possit sic potens esse naturalis calor, sicve sibi proportionatum nutrimentum, vt semper æque perfecta restauratio substantiæ viuentis; perpetua vita constituatur. Respondetur negatiuè. Ratio autem est, quoniam ipsius naturalis caloris determinata est virtus; quare tandem cum semper repatiatur, finietur, etsi negandum non sit temperatis conuenientibusque adhibitis nutrimentis firmiorem, atque diuturniorem effici.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur; Arist. ibi non loqui de potentijs internis animæ, præcipue de nutritiua, sed de externis dumtaxat; imò non alia de causa somnus animalibus traditus fuit, nisi vt cessarent ab externis operationibus, vt internæ efficacius fierent.

Ad secundum dicitur, potentias pure naturales, quamuis à contrario debilitari possint, vt calor à frigore; tamen nunquam quiescent, vel agere finent: vnde dicendum est, potius interire quam quiescere, etsi ad continuandam operationem restauratione indigeant; vt ignis si diu calefacere, vel ignere debeat esca fouendus est, licet paruæ quantæ vis virtutis necessario agat.

Ad tertium negatur minor: ad probationem respondetur animalia prædicta intra se nutrimentum ad sufficientem nutritionem continere, quare dormiendo interdum sic pinguescunt, vt non ordinarius, sed notabilis, & excessiuus suæ nutritionis effectus sensibiliter innotescat.

QVÆSTIO XXIV.

Neque enim facere hæc, & pati possunt propriè, quæ non est possibile se inuicem tangere. Tex. 43.

An ad mutuam actionem, & passionem requiratur contactus agentis, & patientis.

QVæstionem hanc examinauimus in septimo Physicorum quæst. tertia, vbi quomodo mouens sit simul cum eo quod mouetur determinauimus. Hic autem pauca supersunt; differemus, ergo, cur requiratur quantitatum agentis, & patientis contactus, in his videlicet, quæ agendo, & patiendo ad inuicem se tangunt; nam quod aliquid sine tactu quantitatiuo, vel mathematico agere possit, satis illic declaratum fuit. Sciendum est ergo, quod contactus mathematicus est solum inter ea quæ positionem, & quantitatem habent, vt Philosophus docet in littera; ad quid ergo est necessaria quantitas continua si nullius est actiuitatis, vt alibi passim dictum est? Pro solutione ergo notandum est, quod aliquid ad actionem physicam potest concurrere vt principale agens sicut ignis in combustionem, &c. aliquid vt ratio agendi, & hoc est adhuc duplex, puta principale, & instrumentale, primum est forma essentialis ipsius agentis vel (si sit formæ expers, vt cælum) ipsummet agens, & ratio agendi existit. Secundum est forma accidentalis actiua nempe qualitates, siue primæ, siue alio modo. Aliquid tandem concurrit, vt causa sine qua non, seu vt requisitum aliquod necessarium, quod tamen nullam, respectu illius actionis operationem habet; quo pacto lumen ad scribendum necessariò requiri asseritur. Ex dictis quid ad quæstionem dicendum sit facilè colligitur, manifestum est namq; quantitatem nec agentis principalis, nec rationem agendi tam principalem, quam instrumentalem habere; quare vt conditio quædam, vel causa sine qua non, necessaria est, causa autem necessitatis ex hoc sumitur; quod cum omnia physica actiua, & passiua determinatam sibi vendicent quantitatem, qua diuersa munera exequi, variosque aliorum effectus recipere possint (vt in 1. Physic. q. 11. dictum est) sequitur, quod omnes ipsorum operationes, & passiones quantitati se commensurent; quamobrem vt corpus in corpus agere possit, hoc autem ab illo pati, necessaria est continua quantitas, nec non mutuus vtriusque contactus, qui est approximatorum adinuicem corporum effectus.

QVÆSTIO XXV.

Multi enim concorditer hoc dicunt, quod simile quidem à simili omnino impassibile est. Tex. 46.

An simile agat in simile.

ARguitur primò quod sic; vbi minor est resistentia, ibi facilius potest accidere actio, & passio, sed inter similia minor est resistentia, vt de se notum est, ergo. Probatur maior, nam difficultas agendi in aliquod non Simile 1. aliunde prouenit, nisi quia passum sic resistit, vt superari nequeat.

Secundò. Duo lumina, vel duo etiam calores, aliæue quæcunq; qualitates possunt adinuicem intendi per vnionem, vt omnibus compertum est; ergo inter similia est actio.

Tertiò. Maior ignis minorem deuorat, & tamen similes sunt, vt notum est, ergo.

Pro intelligentia sciendum est, quod aliquid dicitur simile tripliciter, videlicet in qualitate, in gradu, & in modo. In qualitate, si cum aliquo in aliqua qualitate conueniant, vt si ambo sint calida, vel frigida &c. In gradu si secundum eandem intensionem, & remissionem, vt si sint æque calida, vel frigida &c.

In modo; si gradus prædictos æque vnitos habeant, sicut per oppositum se habent rarum, & densum; possunt enim tot gradus caloris in corpore denso, quot in raro reperiri, non tamen vniformiter vniti, nam in raro dispersi, & procul, in denso vniti, & debitè approximati. 1. Concl. Quæ omnes conuenientiæ, vel similitudines, limites qualitatis non exeunt, sed vel puram dicunt qualitatem vt primus modus, vel determinationem circa ipsam, vt secundus, & tertius. Animaduertendum est etiam, quod actio, & passio ad propositum dupliciter attendi possunt; Primo prout ad corruptionem, vel generationem dispo-

nunt;

niunt; quo pacto corruptiuæ alterationis principia dicuntur. Alio vero modo quatenus simpliciter perficiunt. Quibus habitis per aliquas conclusiones, quæstionem resoluamus. Prima. Actione corruptiua nullum simile, qua simile est in aliud simile agit. Dicitur notanter qua simile est, quia bene secundum alias qualitates inter quas est dissimilitudo poterit actio fieri, vt nix, & calx secundum quod ambæ sunt albæ, mutuo adinuicem corruptiuæ non sunt, quamuis agere possint, quatenus diuersis sunt alijs qualitatibus affectæ. Probatur itaque conclusio, adinuicem corruptiua actione agentia non vnionem, sed expulsionem, & corruptionem mutuam intendunt; at similia nata sunt adinuicem vniri, non autem corrumpi, ergo. Amplius; omnis corruptiua actio est inter contraria; hæc autem contraria non sunt, ergo.
2. Conclus. Secunda conclusio. Quæ sunt dissimilia in gradibus tantum qualitatis, licet in ipsa qualitate conueniant, possunt adinuicem agere, non corruptiua vt actione, sed potius intensiua; ad hūc scilicet sensum, quod intensior qualitas potest minus intensam augere, quod est simpliciter perficere. Probatur, nam maior calor intendit minorem:
3. Conclus. & sic de alijs. Tertia conclusio; quæ sunt similia in qualitate gradu, & modo intensionis, non possunt ad inuicem agere, neque actione corruptiua, neque intensiua, sed bene vnitiua; quod non corruptiua iam patuit; quia hæc est inter contraria; quod non intensiua, (sic videlicet, quod vnum intendatur, aliud fit intendens, vel vnum habeat puram rationem passiui, aliud actiui, aliter non esset verum) probatur, quia quatenus sunt æqualis virtutis non est maior ratio quod vnum agat, aliud vero patiatur, quam è conuerso. Quod autem actione vnitiua, agant ex se notum est; quia quæ sunt eiusdem rationis, & compossibilia, sunt ad inuicem vnibilia, ergo. Amplius, duo lumina, duo calores, candores, &c. simul sunt apta vniri, nec est maior ratio, quod vnum aliud intendat quam è contra. Sic igitur patet quæstionis resolutio; Verum, si mens Aristotelis percipiatur tot vti distinctionibus opus non est. Ipse etenim solum de actione, & passione corruptiuis (vt in textu est videre) loquitur; Secundum quam considerationem ipsius propositio nulla indiget limitatione; imò neque est imaginabile (ne dicam verum) simile à simili corrumpi, si ei aliam vulgatam propositionem aptemus, nempe, corruptionem solum inter contraria esse. Sed fortè propositio prædicta alium admittit sensum, ac difficilior redditur; nimirum quod si duo assignentur qualia secundum diuersas species qualitates, puta vnum calidum, aliud frigidum, sed æqualibus gradibus intensa, (quæ dissimilia in qualitate, in gradibus similia vocari possunt) an inter ipsa intercideret corruptiuæ actio. Hæc autem explicatio, quæ à sententia Philosophi non recedit, peculiarem expostulat tractatum, quem in sequentibus, quæstione scilicet de reactione habebimus. Modo argumenta soluamus.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, quod minor resistentia non sufficit ad actionem corruptiuam, de qua Philosophus loquitur, sed requiritur contrarietas; bene tamen est satis ad intensionem, quam inter similia concedimus.

Ad secundum ex prædictis patet; in illis namque est simplex vnio, vel mutua vtriusque intensio, quæ ab omnimodo similis auferenda non est.

Ad tertium dicitur, non esse verum simpliciter quod ignis maior minorem destruat, sed sua maiori virtute pabulum eius citius assumit, vnde illius desitio sequitur.

QVÆSTIO XXVI.

Atque si à simili pati aliquid possibile est, & ipsum à se ipso. Tex. 48.

An in se ipsum aliquid agere possit.

ARguitur primò, quod sic; vbicunque est potentia actiua, & passiua, ibi potest actio, & passio dari, sed quamplurima has ambas includunt potentias, ergo. Probatur minor, nam in viuentibus (vt alia nunc dimittam) est anima, cuius est agere, est corpus, vel materia, cuius est pati.

Secundò. Arist. in 8. Physic. tex. 34. & inde, inducit, quod deueniendum sit ad aliquod, quod vel se ipsum moueat, vel penitus immobile existat, ac in tex. 27. eiusdem libri animalia à se ipsis moueri (quod etiam experientia clarum est) asserit.

Tertiò. Idem Philosophus in 3. Phys. tex. 8. multa iam agere, & pati à se inuicem enunciat; imò quotidianæ, & apud omnes notissimæ experientiæ id manifestissime cōfirmant; aliquis enim seipsum intelligit, diligit, percutit, curat; aqua calefacta ad natiuum frigus ex se redit, speculum radios quos reflectit per alterius speculi reflexionem iterum in se recipit; milliaque, vel innumera alia huiusmodi adduci possent. Oppositum tamen hic pro impossibile Arist. adducit.

Pro solutione igitur sciendum, vel potius repetendum est: multiplices esse actiones, ac sibi correspondentes passiones (actio etenim ad passionem refertur) aliæ etenim sunt immanentes, vt videre, audire, intelligere, &c. aliæ transeuntes, vt texere, ædificare, &c. aliæ immateriales, aliæ materiales, item aliæ, quæ secundum partes, aliquas aliæ, quæ secundum totum efficiuntur, sicut dum aliqua pars corporis agit alia patitur, vel si totum agit, totumq; patitur. Aliæ iterum sunt actiones directæ aliæ reflexæ, directæ vt dum agimus in aliquod extra nos quasi in scopum directè oppositum, vt dum alios intelligimus, amamus vel percutimus. Reflexæ dum nosmet diligimus, vel intelligimus &c. Amplius aliæ sunt actiones perfectiuæ, aliæ corruptiuæ: ac tandem tot actionum, ac passionū ex parte terminorum acquisibilium species constitui possunt, quot prædicamenta motū terminant, quare circa genus substantiæ erit actio generatiua, corruptiua, & nutritiua, circa quantitatem augmentatiua, & diminutiua, circa qualitatem alteratiua, circa vbi acquisitiua loci, circa alia vero immediata non erit, si quidē per motum immediate (vt alibi dictum est) non acquiruntur.

Aliud obseruandum est, quod idem dupliciter dicitur; vno modo secundum omnimodam identitatem, ita vt nullam neque imaginariam distinctionem (vt ita loquar) admittat; alio vero modo, quod distinctionem, vel partium, vel potentiarum, vel virtutis, vel dispositionis, vel modi, vel alius cuiusque claudat. Quibus breuiter declaratis, duas conclusiones euidentissimas elicimus; prima. Idem primo modo nulla actione in se agere potest; probatur, nā agens quatenus agens est in actu, patiens quatenus huiusmodi est in potentia, at idem secundum omnimodam identitatem esse in actu, & in potentia, est manifesta contradictionis implicatio, quoniā esset in actu, & non in actu, quæ ratio desumitur ex 8. Phys. tex. 40. Amplius Arist. 5. Metaph. tex. 17. ait potentiam actiuam esse principium transmutandi aliud in quantum aliud, non ergo penitus idem esse debet agens, & patiens. Præterea si idem secundum idem ageret, & pateretur, nulla esset via inuestigandi primum motorem; dum etenim Arist. deuenit ad hoc, quod aliquod primo mouens debet esse penitus indiuisibile, & per consequēs nullam 1 Conclus.

nullam habere diuersam rationem, qua moueri, & mouere possit, vnde concludit esse, & per se, & per accidens penitus immobile, possit aliquis respondere, à se ipso moueri posse absque vlla distinctione, & sic inualida eius deductio fieret, quæ tamen ab omnibus iam pro validissima recepta est. Neque quorundam neotericorum responsio est vera; dicunt namque non colligi separabilitatem primi motoris ab omni motu, quia est penitus indiuisibilis, vel idem, sed quia tempore infinito, & sine fatigatione mouet, hoc etenim est adeo extra propositum concludendum, sicque modo inducendi illic Arist. repugnans, vt reprobatione alia non egeat. Amplius. Si idem in se ipsum agere posset, nihil vtique erit, aut incorruptibile, aut immobile. Sunt verba Philosophi in præcitato tex. 48. consequentia est nota, quia his motibus ageret.

Secunda conclusio. Idem si aliquam distinctionem admittat potest in se ipsum agere; hæc conclusio ab argumentis in principio quæstionis positis euidenter corroboratur. Tamen vt hæc distinctio appareat, firmiorque prima conclusio remaneat ea, soluere opus est.

Ad Argumenta.

AD primum patet, quod ratione diuersa actiua, & passiua potentia in aliquo includuntur, & sic non est omnimoda identitas.

Ad secundum eodem modo respondetur, quod etenim se ipsum mouet, habet actualiter vim motricem, est tamen in potentia ad ipsum motum; vnde ibi est distinctio actus, & potentiæ, licet circa subiectum idem, sicut ipsemet Philosophus de posse ægrotare, & sanari in 3. Physic. tex. 10. declarat.

Ad tertium per prædicta fundamenta pariter facilè est respondere; quæcunque etenim agentia, in se ipsa agunt, aliquam distinctionem necessario admittunt, quam in his de quibus minus videtur, non erit difficile cognoscere, dum enim aliquid seipsum intelligit, non est penitus idem intelligens, & intellectum (nisi de Deo loquamur, in quo omnia omnimodam, & summam habent identitatem, nec propria actio, & passio ibi distincta est assignanda) intelligens namque vt reale existens se habet, intellectum, vt cognitum, vel mente conceptum, quare sicut esse cognitum, seu repræsentatum differt ab esse reali, sic quod intelligitur ab intelligenti. De alijs autem in argumento adductis minor est difficultas; nam de dilectione sicut de intellectione philosophandum est, percutit autem, & curat se ipsum aliquid, diuersa ratione, vel virtute, sic aqua actualiter operans à se ipsa existente in potentia ad actum, vel frigiditatem quam non habet reducitur, & pariter speculum radios quos non habet recipit, quamuis prius ipsos produxerit. Nihil autem potest se ipsum producere, quia producens est totum in actu, producibile totum in potentia, & sic penitus respectu eiusdem esset actio, & passio, potest tamen diminui, alterari, augeri, & secundum diuersas partes corrumpi, quia in his omnibus aliqua distinctio (vt recte intuenti patere potest) saluatur.

QVÆSTIO XXVII.

Natum est enim quidem corpus a corpore, sapor autem à sapore, color vero à colore pati. Tex. 51.

An accidens possit producere substantiam.

ARguitur primò quod sic. Ab eo aliquid producitur, quod agens respectu producti dicitur, atque est; at accidens in substantię generatione sic se habet, ergo. Maior est nota ex vi terminorum, imò ad maiorem claritatem secunda eiusdem propositionis pars, præcedenti est apposita. Probatur minor, nam actio, & passio, potissimum ad generationem attinentes inter contraria fiunt, ex 2. de Gener. tex. 24. contrarietas vero solum inter accidentia reperitur, vt est commune Philosophorum affatum, ergo.

Secundò Arist. in libro de sensu, & sensibili, ignem non quatenus ignem, sed quatenus calidum agere, asserit; cum ergo ab ipso ignis generari dicatur; profecto generatio hæc non nisi a calore ortum habebit.

Tertiò. Motus, & lumen reflexum ignem, nec non calor solis, aliæque cælestes influentiæ innumera substantiarum genera producunt, ergo. Neque dicendum est, accidentia ipsa solum materiam disponere, quia imaginabile non est, quo pacto cæli substantia hæc inferiora immediate pertingat, quod si ipsa non tangit, quicquid ipsius sit, accidens erit, vnde habetur intentum.

Pro intelligentia sciendũ est, quod accidens producere substãtiam, potest tripliciter intelligi, vno modo principaliter, secundo instrumentaliter, tertio dispositiue. Principaliter aliquid aliud producere dicitur; dum virtus productiua ab ipso tanquã à prima origine prouenit. Instrumentaliter vero, dum ex se virtutem aliquam nõ haberet, sed solum ab agente principali, quo pacto baculus mouet pilam, ipse etenim nullam circa hoc actiuitatem habet, sed omnem operationem à mouente recipit. Dispositiue autem, dum aliquid ex se aliquam habet virtutem, non tamen ad effectum principalem efficiendum sufficientem, eo modo quo dicimus deambulationem ad sanitatem disponere &c. Verum credendum non est, aliqua sic dumtaxat dispositiua esse vt instrumenti quoque conditionem effugiant, aut aliqua sic esse instrumenta, & ab alijs dependentia, vt omni prorsus actiuitate careant; sunt .n. quædam, quæ simul cũ aliqua naturali actiuitate, ab alio etiã dependent: & hoc modo duplicem prædictã rationem, instrumenti videlicet, & dispositiui sortiuntur; quatenus etenim ab alio pendent, instrumenta, prout vero aliquam etiam virtutem habent, dispositiua sunt nuncupanda. Quibus habitis quatuor cõclusiones ponamus.

Prima. Accidens vt agens principale substantiã producere non potest. Probatur, quia omnis causa efficiens totalis, vel est nobilior, vel æque nobilis cum effectu. At accidens neutro modo se habet, vt omnibus notum est, ergo. Probatur maior; nam effectus sicut omnem entitatem, sic quoq; quancunque nobilitatem saltem naturę (vt accidentarias, vel aduentitias excludamus) à causa haurit; quamobrem causa ipsa in se prius, (saltem virtualiter, quod sufficit) effectus nobilitatem continere debet. At quamuis minor vt nota admissa fuerit, habet tamen instantiam, non etenim verum, nec rationi consentaneũ videtur, quamlibet substantiam cuilibet accidenti dignitate pręcellere; sic etenim prima, & omnium ens infima materia, gratiam, doctrinam, cæteraq; præstantissima, ac ferè (vt sic loquar) diuina accidentia nobilitate superaret, quod absurdum est. Respond. nobilitatem, & perfectionẽ rei, duplici ex origine attendi, videlicet ex simplici entitate independenti quo ad esse, vel ex quodã decore, & vltima perfectiuitate. Primo modo materia omnibus accidentibus præest. Secundo vero nequaquam, & quia esse primum, ac aliquomodo independens est simpliciter nobilius posteriori, & dependenti, hinc est quod, absq; aliqua distinctione, omnem substantiam, omnibus accidentibus digniorẽ esse enunciare possumus. Et quãuis prima materia infimũ, & imperfectissimum ens dicatur, hoc est tantum in comparatione ad substantias, alias nempe ad formam, compositũ, intelligentias, partes, &c. 1. Conclus.

Secunda conclusio. Accidentia, vt instrumenta simpliciter, substantiam producere nequeunt. Probatur, quia nullum purum instrumentum, operationem principalis agentis pertingit; sic etenim non instrumenti, sed ipsiusmet agentis natura indueretur.

Tertia conclusio. Accidentia dispositiue substantiam producunt, sic tamen quod introductionem substantialis formæ non attingāt, aliter contra primam conclusionem loqueremur. At quamuis sic dispositiue agant; rationem tamen instrumenti non amittunt, primam namque motionem à substantia habent, quod est instrumenti naturam participare; Neque hoc repugnat ei quod Scotus in 4. sent. d. 12. quæst. 3. asserit, nempe quod accidentia ipsa, neque vt instrumenta substantiam producant, loquitur enim solum de accidentibus diuinitus à substantia separatis, de quibus nulla est dubitatio, cum etenim separata sunt, amplius non sunt instrumenta, nec à principali agente virtutem habent, quare si quam habeant actiuitatem, simpliciter dispositiua est vocanda. Ex dictis; quarta elici potest conclusio, scilicet substantiam à substantia solum generari; patet ex sufficienti diuisione, & ex ratione primæ conclusionis, omne etenim agens, vel nobilius, vel æque nobile cum effectu esse debet, sic autem solum substantiæ ad substantiam est proportio, vt de se euidentissimum est, ergo.

4. Concl.

Ex præcedentibus autem hoc modo expositis non est quidem difficilè videre quantum à veritate deuient, qui omnem actionem à substantia auferunt, plus namque entitatis, ac perfectionis accidentibus tribuendum esset. Imò, si quo aliquid est nobilius, vel magis substantia, eo (secundum ipsos) actionis expers esse deberet, quo nihil quidem absurdius. Amplius Arist. in 2. de Anima tex. 36 animam in triplici causarum genere collocat, nempe (quod sit satis præter alias) in genere causæ efficientis. Et in primo de generatione, proprium formæ esse agere affirmat, nec non in 2. Physic. tex. 13. formam (præter alias rationes) naturam esse concludit, quia est actiuum generationis principium, ac omnes vniuersaliter concedunt, principium generationis quod, esse compositum, quo formam, ac actiones esse suppositorum, sed nunquid euidens est principium quod, vel quo, esse instrumentarium, vel compositum? quid aliud dicam? profecto nec termini sic asserentium sunt intellectu comprehensibiles.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur ad minorem, actionem, & passionem inter contraria esse, quo ad præuias dispositiones, etsi substantias ad inuicem quoque repugnare diceremus, nullum esset absurdum, vt fusè probatum est in 5. Physic. quæst. 3.

Ad secundum dicitur, ignem quatenus calidum actionem incipere, seu melius, subiectum disponere, ex qua dispositione, alia actio sequitur, vtriusque tamen causa principalis est ipse ignis. Vel dicatur, ignem agere vt calidum, hoc est per calorem, tanquam per instrumentum, ita vt sine ipso agere nequiret, quia instrumenta naturalia, agentibus ipsis sunt simpliciter necessaria, non tamen actio ab eis, sed à substantia præcipuè prouenit, quemadmodum ad scribendum est simpliciter necessarius calamus, scriptor tamen est principale agens.

Ad tertium dicitur, omnes, & similes alias substantiarum productiones dispositiue ab accidentibus esse, principaliter à substantia; dum vero inculcatur, quomodo cælum hæc inferiora pertingat, &c. Respondetur, non opus esse mathematicum contactum, sed substantiam ipsam talis esse virtutis, vt mirificè per se etiam in distantia operetur, saltem per instrumenta, modus autem difficilis est, & quasi incognitus, nec tactus ille materialis necessariò in omnibus est expetendus, nam multa absurda, & impossibilia sequerentur, præter quam quod, cum ipse quoque, ac extrema se tangentia sint accidentia de genere scilicet quantitatis, in peius incideremus inconueniens, vel omnis actio à substantia tollenda esset.

QVÆSTIO XXVIII.

Manifestum est, quod actiua, & passiua ad inuicem sunt contraria. Tex. 51.

An quodlibet agens in agendo patiatur vel an detur reactio.

PRopter propositæ quæstionis difficultatem recentiū Philosophorum multitudo, sic intellectus vires collegit, vt eam non nimis eleganter, quam doctè, ad optimam intelligentiam, ac certam veritatem deduxerit; Quinnimo sic vnanimiter quam plures ipsorū circa hoc conuenerunt, vt non diuersi scriptores, sed alter alterius secundum temporum vicissitudinem rescriptor ad vnguem (vt ex ipsorum scriptis est euidens) videatur. Quid igitur dicendum sit, siue ab alijs dictum, siue non, omni prolixitate reiecta, faciliter aperiam, neque rescriptoris, sed potius compilatoris (si secundum proprium ingenium, & intelligentia speculanti, hoc tribui debeat) officio fungar.

Sciendum est ergo, quod prædicta propositio videtur eadem cum alia, quæ habetur in 3. physic. tex. 8. & 16. videlicet, omne mouens physicum in mouendo moueri, sed re vera differunt, nam hæc in hac quæstione proposita intelligitur solum, vt ex verbis Arist. patet, de motibus qui fiunt inter contraria, ita vt sit sensus, an calefaciens in calefaciendo frigefiat ab eo quod calefit, vel è contra. Alia vero quocunque motu intelligi debet, cum hac tamen conditione, vt mouentia tangant mobilia, vero mathematico, & naturali contactu, vt idem Philosophus eodem loco tex. 17. fatetur. Quamobrem omne quod sic mouet, etiam mouetur, sed non necessario contrario motu, quod melius si per singulas ipsius motus species discurramus, patebit, immediatum, namque generans, non opus est, vt generando corrumpatur, sed sat est, quod alteretur, vel pellatur, vel diminuatur, &c. pariter neque corrumpens generatur, sed vel motum localem, aut aliam quamuis mutationem subire poterit; nec augens diminuitur, aut diminuens augetur, sicut neq; quod localiter mouet contrario cietur motu, vt quod sursum pellit, non trahitur deorsum, aut è conuerso, sed satis erit, quod vel à moto pellatur, vel quod fiat sibi resistentia, vel aliud. Neque tandem quod albefacit, nigresit, aut quod docet, fit ignorans, &c. (de speciebus vero qualitatum sēsibilium erit alia proposita propositio) Vt autem ad methodum prædicta propositio reducatur, tres vt sit vera ei possumus conditiones assignare. Prima; quod mouens, & mobile se immediatè tangant; defectu cuius cælum hæc inferiora disponens, & magnes attrahens ferrum, ab ipsis motis non mouentur. Secunda, quod motus hic sit à causa, vel motore in genere causæ efficientis, nam quod mouet in ratione finis, non est necesse, vt motum subeat; Tertia quod, quilibet motus sufficit, non tantū cōtrarius, vel idem, &c. Alia vero propositio intelligenda est secūdum motus contrarios, ita vt calefaciens, frigefiat calefaciendo, &c. Pro cuius itaq; explicatione sciendum est, quod in agentibus, & patientibus naturalibus, triplex potentia assignari potest, scilicet actiua, passiua, & resistitiua; Actiua est vis qua in aliud agere potest. Passiua est qua potest simpliciter recipere actionem agentis, siue fiat cum aliqua resistentia siue non; quo pacto materiæ potentia est pure passiua, quoniam absque aliqua resistentia formas recipere apta est. Resistitiua vero est, qua aliquod agenti opponitur, vel resistit; quæ quidē est triplex, scilicet negatiua, priuatiua, & contraria. Negatiua est, quæ nullam habet superabilem capacitatem, vt ab agente pati possit; quemadmodum cælum incorruptibile, ac inalterabile ponimus, quia

Omne mouens in mouendo mouetur, quomodo verum.

Tres conditiones vt mouens moueatur.

Potentia triplex.

Potentia resistitiua triplex.

nullus

nullius corruptionis, aut corruptiuæ alterationis est capax. Priuatiua est quando aliquod subiectum priuatur aliqua forma, sic tamen quod alia non penitus contraria formæ inducendæ sit indutum, quo pacto semen se ad formam embryonis se habere dicimus; adhoc enim vt forma embryonis inducatur, debet expelli forma seminis, quæ quidem aliqualiter resistit, ac priuationem includit, non tamen inter ipsam, & inducendam, vera intercidit contrarietas. Contraria tandem est; dum patiens quantitatem contrariam agenti habet: vt calidũ respectu frigidi, &c. Secundò notandum quod hę potentiæ non se concomitantur: sic videlicet, quod vbi est maior potentia actiua, ibi sit quoque maior resistitiua, vel passiua, aut è contra; imò opposito modo res se habet, quæ etenim magnam habent actiuitatem, sunt minimè resistentiæ, quæ vero minimam actiuitatem, maximè resistunt, vt ignis qui est omnium maximè actiuus vix, vel nullatenus paruæ aquæ resistit. Vnde hanc (ad rem) elementorum seriem constituunt, vt ignis quoad actiuitatem, ratione caloris primum obtineat locum, secundum ratione frigiditatis aqua; tertium ratione humiditatis aer, ac quartum ratione siccitatis terra. Præposterus tamen ordo si resistentiam attendamus seruatur; omnium enim maximè resistitiuum, est siccitas, deinde humiditas, postea frigiditas, ac tandem calor. Quibus habitis ad resolutionem accedamus.

Conclusio.

Agens repatitur tribus seruatis conditionibus.

AGens in agendo repatitur, tribus conditionibus obseruatis. Prima, quod vtrunque in materia communicet, ipsa namque est omnium corruptibilium mutationum subiectum, quare si Medicina agat in sanitatem, vel spiritus in corpus, à sanitate illa, hæc à corpore non repatietur, quoniam illa est habitus quidam spiritualis animæ, hic autem penitus incorporeus; similiter cælum quamuis esset his inferioribus proximum (sicut de facto se habet in ordine ad sphæram ignis) quia est materiæ expers (& si alia quoque ratione, vt dicemus) passioni non subijciatur. Secunda, quod agens, & patiens, sint intra sphæram actiuitatis, maximè vero patiens, quia de agente, dum ei actionem tribuimus hoc supponitur; est autem actiuitatis sphæra spatium, quod per actionem attingi, vel transiri potest; vt sphæra actiuitatis ignis dicitur spatium in cuius extrema calorem, vel alias qualitates, aut actiones inducere potest, verum, non opus est vt vniformiter producat, si quidem propinquius, intensius, remotius vero remissius omne agens naturale operatur. Pariter obseruandum est, quod sphæra hæc actiuitatis, non est mutua agentis, & patientis, sic nimirum, quod sphera agentis sit etiam patientis, sic etenim essent semper æqualiter actiua, vel passiua, sed sphæra agentis maior esse debet, v. g. ignis potest producere calorem per quadraginta passus, & in extremitate frigidum existens calefacere, non tamen opus est, vt frigidum illud, etiam ad quadraginta passus frigiditatem, vel actionem extendat, sed sufficit ad aliud spatium, vel signum; si itaque calor erit in distantia ad quam frigus attingere nequeat, frigus quidem patietur, sed calor nequaquã, quia ipsum frigus non pertingit ad ipsum, vel in sua actiuitatis sphæra non existit. Tertia conditio est, quod virtus actiua passi sit fortior resistitiua agentis, sicut è contra agentis sit fortior actiua, & resistitiua patientis. Quare dum hæ conditiones non intercedunt fallit propositio, vt si magna sit virtus ignis, cui minima frigiditas apponatur. hæc fortè in illum non aget, quia eius resistẽtiam superare nequibit, sed statim absumetur. Quod autem (tribus istis conditionibus seruatis, propositio sit vera, probatur. Omnia contraria actiuitatem aliquam habent, vt ab omnibus concedi debet; ergo (cum naturaliter operentur) necessario ad inuicem agent. Amplius. Nisi daretur reactio, nec mistio nec mistorum temperies daretur; consequentia probatur, quoniam mistio est inter qualitates elementorum, in quibus quoque temperies consistit, ergo per mutuam actionem ad proportionem reduci debent; aliter alterum alterum corrumperet, &c. Prętereà; experientia constat, cibum à stomachi calore calefieri, & stomachum infrigidari, pariter glacies manum frigefacit, hæc ipsam calefacit, vel liquefacit. Sed contra hanc determinationem non desunt obiectiones.

Sphæra actiuitatis.

1. Arg.

Prima. Si agens in agendo pateretur, contraria simul essent, videlicet, caliditas v. g. agentis, & frigiditas à patiente in ipsum inducta, vel producta; hoc autem est contra commune dictum, quod scilicet duo contraria simul esse non possint, ergo.

Secunda.

Secunda. Omnis actio prouenit ex excessu proportionis ad patiens, (ab æquali enim vulgatum est, non fieri actionem) si itaque patiens etiam agit, non daretur hic excessus.

Tertia.

Tertia. Non minus agens patiens quam è contra diceretur, quod quidem videtur ridiculum, sic namque dum ignis aquam calefacit, aquam ignem frigefacere asserere possemus.

Quarta.

Quarta. Sequeretur, quod nullum agens posset sibi passum assimilare, vt calidum nunquam ęque calidum efficeret, quod est absurdum, & contra experientiam; probatur consequentia, quia agens à patiente per repassionem remittitur, vel debilitatur; quare debilissimũ erit in fine, & sic simili huic suæ remissæ qualitati efficiet passũ, non autem secũdum intensam quam prius habebat. His autem argumentis conuicti, diuersi in diuersas abierunt sententias, quidam enim asserunt, hanc reactionem non fieri à patiente, sed à cælorum influxu. Alij quod non circa eandem subiecti partẽ, quidam quod non secundum easdem contrarias qualitates, sed quod calidum fiat humidum, vel frigidum siccum, &c. Qui re vera non bene, nec philosophicè loquuntur, rationes namque prædictæ expresè concludunt de qualitatibus contrarijs circa idem, &c. Nec istorum fundamenta, & rationes hic adducere volo, vt prolixitatem effugiam, & quia satis, ac bene à prædictis recentioribus Philosophis effectum est; aliorum autem dicta simpliciter rescribere, dum aliquid saltem melius non additur, non bene se habet, quod si commode fieri nequit, opus relinquatur. At prædictas obiectiones soluamus.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, contraria in esse remisso, vel in pugna, non solum simul esse repugnare, sed necessario se compati, quia nec pugna erit nisi per contrariorum simultatem, nec mistio nisi vnum alterum remittat.

Ad secundum dicitur, re vera agens excedere actiuã, & resistitiuã virtutem patientis, & sic actionem, ac victoriam elicere; virtus autem eius actiua à patiente non superatur, nec penitus omnis eius resistentia, sic nimirum, quod patiens perfectam suã formam in agens inducat; vt frigidum à calido superabile, quamuis aliquem frigoris gradum in ipsum inducat, non simpliciter frigidum efficit, aliter illud agens, hoc vero patiens dicendum esset.

Ad tertium negatur consequentia, nã dicitur propriè agens, quod penitus omnem actiuitatem omnemq; resistentiam superat, quod autem sic superatur patiens; ipsũ vero agens repatiens dicitur, ac patiens reagens, vnde respectu principalis agentis est simpliciter actio, & repassio, sed respectu patientis est passio, atque reactio.

Ad quartum negatur consequentia, nam quamuis ipsum agens debilitetur, tamen victoriam prosequẽs vires reassumit, ac ad pristinum statum reuocatur, effectumq; similem sibi producit. Sed alia est communis, sed difficilis obiectio. Videlicet, quod idem esset in actu, & in potentia, vel in actu, & non in actu, quæ contradictionẽ implicat; consequentia est euidens, quia calefaciens dum calefacit est actu calidum, & potentia frigidũ, imò actu

Obiectio alia

calidum, & potentia quoque calidum, quia dum frigeſit eſt in potentia vt gradus caloris amiſſos recipere poſſit, quinnino conſentaneum eſt, quod a partibus calidioribus actualiter calefiat, & ſic ſit a contrario frigidum, at ab alijs ſuis partibus calidum, circa idem, quare erit actu calidum, quia calefacit, & potentia calidum, quia calefit, vnde contradictio eſt nota. Reſpondetur, re vera nullam eſſe contradictionem, nam in omnibus prædictis attenditur actus, & potentia reſpectu diuerſorum, quod poſſibile eſt ex 3. phyſ. tex. 8. atque omnem euitat contradictionem, quod vero ſic res ſe habeat, declaratur; ne quatenus ſit frigidum frigiditate caret, vel eſt in potentia, non autem in actu ad ipſam, pariter dum à partibus (ſi verum ſit) ad intenſiorem calorem reducitur, eſt ad talem intenſionem in potentia, vel gradibus acquirendis caret; quamuis alios habeat, & ſic actus, & potentia, non ſunt reſpectu eiuſdem, & per conſequens, neque aliqua eſt contradictio.

QVÆSTIO XXIX.

Vt autem parum egredientes dicamus, neceſſarium eſt, & impaſſibile dicere vnum quouque indiuiſibilium. Tex. 64.

An indiuiſibile alterari poſſit.

DIximus in 6. phyſicorum quæſt. 4. de immobilitate, vel mobilitate indiuiſibilis, vnde hic peculiaris remanet difficultas de alteratione. Pro intelligentia ſciendum eſt, quod indiuiſibile diuiditur in ſpiritualem (vt ſunt Angeli, atque Animæ ſeparatæ) & in corporale; de primo non eſt diſputatio, quia nec ad Phyſicum ſpectat; nec eſt dubitatio ſecundum veritatem; ſolum namque naturalia corpora ſunt corruptiuæ alterationi (de qua loquimur) naturaliter obnoxia. Corporalia vero indiuiſibilia, vel ſunt omnimodo indiuiſibilia, vt vnitas, punctum, inſtans &c. vel ſecundum quid, vt lineæ, & ſuperficies. Item intelligi poteſt quod alterari poſſint per accidens, vel per ſe; per accidens alterantur, ſi ad motum, vel alterationem corporis cuius ſunt termini alterationem ſubeant, per ſe vero, ſi per quamcunque potentiam

1. Concl. ponantur, vel intelligantur ſeparata. Quibus poſitis per tres concluſiones reſpondeamus. Prima. Indiuiſibilia tam ſimpliciter, quam ſecundum quid ſunt per accidens alterabilia; probatur, nam alterato ſubiecto, alterantur omnia, quæ in ipſo ſunt; Verum proportionaliter loquendum eſt; videlicet, quod ſicut punctum non eſt quantitas, ſed ratio continuandi quantitatem, ſic neque in ipſo recipitur qualitas, ſed potius ſuo modo ratio partium qualitatis continuandæ; ſic linea eo modo quoad quantitatem pertinet proportionaliter qualitas ſibi reſpondet; quanta enim per accidens ſicut ſunt ſubſtantia, qualitates, &c. ipſi quantitati commenſurantur, atque

2. Concluſ. ab ea denominationem capiunt. Secunda concluſio. Indiuiſibilia ſimpliciter ſi ſeparata eſſent, penitus impaſſibilia exiſterent, vt docet Philoſophus in textu. Probatur, quia omnis actio naturalis fit per contactum; hic autem eſt inter quanta, ergo. Amplius, omnis vera alteratio fit per qualitates ſenſibiles, hæ autem determinatam ſibi

3. Concluſ. vendicant quantitatem, vel ſubiectum. Tertia concluſio. Indiuiſibilia ſecundum quid, vt linea, & ſuperficies ſi ſeparata eſſent, alterationi ſubiacere poſſent, & præcipue ſuperficies. Probatur, nam immediatum ſuſceptiuum qualitatum ab ipſis alteratur, ſuperficies autem eſt huiuſmodi, vt docet Ariſt. 5. Metaphyſ. cap. 17. & in libro de ſenſu, & ſenſibili, colorem in ſuperficie eſſe aſſerit, ergo. Nec valet quorundam reſponſio aſſerentium, has qualitates non eſſe tantum in ſuperficie, ſed in corpore; quia etſi hoc de facto ſit, vel eſſe poſſit verum; tamen nulla eſt repugnantia vt in ſola recipiantur ſuperficie, ſicut ſi eſſet aliquod corpus ab aliqua qualitate impenetrabile, ſi ei qualitas applicaretur, non vltra ſe immergeret, ſed in ſuperficie maneret. Amplius, vel ratio recipiendi qualitates eſt ex natura ſubſtantiæ, vel ex parte quantitatis cōtinuæ, ſi primo modo, vbi nulla eſſet ſubſtantia, ibi talia accidentia non reperirentur, quod eſt contra fidem catholicam, quæ ſenſibilia accidentia, abſque ſubſtantia in ſacramento altaris reperiri ſtatuit; quod quidem argumentum non philoſophice, ſed contra eos qui pro ſe ipſis aſſumunt, valet. Si vero non ratione ſubſtantiæ, vt fateri debent ex præfata ratione, vbi erit ſufficiens quantitas, ibi dari poterit alteratio; nec enim aliqua penetratio eſt neceſſaria. Pariter quod dicunt colorem eſſe in ſuperficie, prout eſt viſibilis, gratis dicunt, quia ſi viſibilitas, in ſola ſuperficie fundari poteſt, in ipſa quoque fundabitur color qui eſt eius fundamentum, vel ſubiectum, quia vnum ſine alio eſſe nequit. Præterea, actio, & paſſio ſunt inter ea, quæ ſe tangunt, ſed hæc ſunt ſuperficies, ergo ſi ſeparatæ eſſent, adhuc pati poſſent, nec dicatur, quod iſte contactus eſt inter ipſas quatenus ſunt termini corporis naturalis; quoniam ratio contactus immediatè fundatur in quantitate, vt docet Philoſoph. in hoc libro 1. Obiectio. tex. 44. Sed contra. Quia hæ qualitates ſenſibiles dicuntur ſic corporum naturalium paſſiones, ſicut ſimitas naſi, ergo ab ipſo ſeparari nequeunt. Amplius omnis altera- Secunda. tio diſponit ad generationem, & corruptionem, hæc autem non ſunt generabilia, neq; corruptibilia, ergo. Præ- Tertia. terea, quod poteſt alterari eſt in potentia paſſiua, hoc autem eſt proprium materię, ergo. Hæ tamen obiectiones nihil obſunt.

Ad primam poteſt negari antecedens; nam quamuis Ad primā. de facto ſolum naturali corpori quanto vnitæ ſint, nec aliter ſecundum naturæ curſum fieri poſſit, ſecus tamen eſſet, ſi per quamcunque potentiam ſepararentur, imò ſi ſuperficies naſi, in qua curuitas conſiſtit ſepararetur, non eſſet curuitas naſi, ſed ſuperficiei.

Ad ſecundam dicitur, de facto ſic eſſe: at per caſum Ad ſecundam. non diſponerent, ſed ſolum in determinato receptiuo reciperentur, imò hoc pacto neq; in quantitate corporea recipi deberent, quia neq; ipſa eſt corruptibilis, cuius tamen oppoſitum fides docet, & ipſi quoque fatentur.

Ad tertiam dicitur, materię eſſe pati, vel recipere for- Ad tertiam. mam ſubſtantialem immediatè, at alia accidentia poſſunt à quantitate recipi: Sed an linea has alterationes recipere poſſet; Reſpondetur problematicè, omnis enim qualitas in quadam latitudine conſiſtere videtur, quare cum linea ſit huius dimenſionis expers, non videtur ſufficiens receptiuum, ex alia vero parte, cum ibi ſaluetur aliqua diuiſibilitas, fortè aliqua quoq; qualitas poni poterit, vnde ſicut ipſa non eſt ſolum ratio continuandi vt punctum, ſed vera quantitas continua, ita qualitates ſuſcipere poterit, quamuis non poſſit expreſsè, vel exacte comprobari ſicut de ſuperficie.

QVÆSTIO XXX.

Conſiderandum autem eſt, quid eſt Miſtio, quid Miſcibile, & quibus exiſtit entium, & quomodo. Tex. 82.

An ſit, quid ſit, & vbi fiat miſtio.

TRes præſens quæſtio partes diſputandas continet, Miſtio triplicíter. ſed vt à prima exordiamur, ſciendum eſt, tripliciter dici miſtionem, vno modo per ſolam aggregationem corporum paruorum, quo pacto triticum hordeo miſceri dicimus. Secundo per intromiſſionem vnius corporis in aliud,

in aliud, sic videlicet, quod omnes partes alterius quoque partes permeent, quo pacto vinum aquæ, vel alteri liquor alter infunditur, in quo casu supponimus non transire in aliud quoddam corpus, vel naturam, quia sic esset vera mistio, de qua dicemus in tertio membro. Neque est inconueniens aliqua corpora sic se habere, maximè, quæ corruptiuas contrarietates non habent; conuersio namq; vel substantialis transmutatio per contrarietates efficitur, vt sępe dictum est, imò Plinius lib. 16 Natur. historiæ, aquam è vino virtute ederacei vasis separari posset, & re vera dum multum aquæ vino super infundatur, tempore hyemis, vel maximi frigoris, aqua ipsa congelatur, vino liquido remanente, quare separabilis est, & per consequens in aliam naturam minimè conuersa fuit, & sic mistio hæc datur, neque cum alia primi membri coincidit. Sed circa hæc incidunt duæ quidem incidentales difficultates, altera ex altera ducitur. Prima; quomodo fieri potest, vt hæc duo corpora vsque ad minimas partes se diuidant, quin corrumpantur; secunda; quomodo actualem diuisionem rei continuæ, & per consequens infinitum in actu per diuisionem negare poterimus. Ponantur etenim duo liquida corpora, vt aqua, & vinum in eodem vase, clare patet, quod mutuo se intersecabant, quod quidem in omnibus amborum partibus accidet, aliter pura aqua in aliqua parte vini immista reperiretur, imò (quamuis hoc sit absurdum) eadem ratione alia in alia, vel cur magis hæc quam illa? Ad primam dicitur, nullum esse inconueniens, paruas rerum naturalium partes sine corruptione aliquantulum conseruari, dum modo contrarium non adsit; sic autem accidit in proposito, non etenim hæc mistio fit inter ea, quæ sunt penitus contraria, quia corruptio vnius, vel vtriusque miscibilis sequeretur; vnius inquam, si alterum sit altero potentius, vtriusq; si æqualis sint virtutis, & actiuitatis, & primo modo in naturam fortioris aliud trahetur, secundo in quoddam tertium ambo vertentur, vt aqua, & vinum in acetum, vel aliud; mel & acetum, in auximel, &c. si vero essent eiusdem naturæ, vnicum integrarent corpus, vt aqua alteri aquæ addita, maius (aqueum tamen) corpus constituunt. Ad secundā dicerem (saluo meliori iudicio) non omnes partes sic ad minimum diuisas ipsorum miscibilium vniri, vt instantia supponit, sed in aliqua quantitate consistere, quamuis hoc sensum lateat, aliter bene concluderet argumentum. Quod vero sic se habeat, in corporibus liquidis diuersis tamen affectis coloribus facilè est videre; si quis namque vinum nigrum in album, vel in aqua infundat, per lineas, vel vias quasdam ipsum manifestè ingreditur, cedente, & intumescente alio; quare si ita manifeste apparet in principio pars cum debita quantitate, cur etiam postea licet valde minor non manebit? dicendum est itaque, non totum continuum in infinitum diuisum esse; Sed partes iuxta partes; quæ si eiusdem sint grauitatis cum alijs alterius corporis commisti, quadam proportione, inexplicabili quidem, sed vera iuxta se inuicem diminutissimæ quidem ponuntur. Tertiò tandem modo dicitur mistio secundum quatuor simplicia corpora; Si videlicet elementa ipsa sic simul misceantur, ad similitudinem (modo inuentiuo loquēdo) aquæ cum vino, vel alterius liquoris cum alio, ita tamen, quod ex ipsis fiat aliquod tertium, quod communiter mistum vocamus; vt animal, planta, lapis, &c. De hac itaque mistione quærimus an sit, vel esse possit (pro eodem nunc vtraque quæstio sumatur) Quod itaque non sit duabus rationibus (alijs causa breuitatis dimissis) suaderi potest. Prima. Quia hæc elementa sunt ęque fortia, vel non; si primo modo, nullum aliud superabit, & sic immista manebunt; Si secundo; alterum alterum vincet, & sic ipso manente integro, alio vero destructo, huius corruptio alterius generatio, nullius vero mistio esset. Secunda. Si hoc modo elementa, puta per mistionem mistum producerent; non haberent rationem causæ materialis, sed effectiuæ vt patet, quod quidem, vt talium ab omnibus Philosophis maxime ab Arist. reputatur; nec non causa efficiens nobilitate vinceretur ab effectu, mistum namq; nobilius est, quam elementa. His tamen non obstantibus, & secundum fere omnium hominum (ne dicam Philosophorum) sententiam mistio conceditur, experientia namque comperitur; ex multis liquoribus medicinam alterius cuiusdam naturæ ab ipsis effici; ex vaporibus in quibus aer, & aqua clauditur, nubes, grandines, &c. Pręterea, entia imperfectissima ad perfectissima meritò diriguntur; at elementa in comparatione ad mista sic se habent, ergo ordinantur ad ipsa, non vt effectiua, vt patebit in solutione secundi argumenti, neque vt forma, vel finis, vt patet, ergo vt materia. Amplius vnumquodque constat ex his in quibus resoluitur, sed quamplurima mista in elementa, vel in elementaria quædam corpora, manifestissime resoluuntur, ergo.

Amplius aliqua mouentur ad loca elementorum sursum, alia deorsum; ergo aliquam participationem cum elementis habent. Quomodo autem hæc fiat participatio, vel quo pacto elementa in mistis insint in sequenti quæstione manifestabitur. Nunc duas prædictas obiectiones soluamus. Ad primam dicitur, posse esse æque fortia, nec est verum quod nullum superabit aliud, imò mutuo ad interitum se reducere possunt, vel si non multa sit super abundantia vnius excessus ad alterum, pro æqualibus sunt habenda. Ad secundam respondetur, elementa secundum suam naturam, vel materiam esse in genere causæ materialis mistorum causam; at secundum qualitates in genere causæ efficientis dispositiuæ, quo etiam pacto se habet semen respectu viuentis, est namque materia eius, & ad efficiens reducitur, vt docet Philosophus in 2. physic. tex. 31. Quo ad secundam partem, scilicet quid sit ipsa Mistio Arist. in hoc libro tex. vlt. ait. Mistio est miscibilium alteratorum vnio; Idest. Mistio est conuenientia miscibilium, quæ non sunt penitus quo ad omnia corrupta, quia aliquid ipsorum remanet, (siue sint virtutes, siue substantia, postea dicetur) ad ipsum mistum producendum; quare qui dicunt Mistum esse ex solis alteratis elementis dupliciter errant; primo quia hic definitur Mistio non autem Mistum; vnde quamuis mistio, quæ in actione quadam consistit solum elementorum alterationem insinuaret, non tamen sequitur; quod in ipso Misto solum quo ad qualitates alteratas ipsa miscibilia remaneant; quoniam in fine actionis, vel motus, non opus est, ea quæ in ipsa actione erant manere, vel saltem eo modo disposita; sicut patet dum ignis alterando disponit lignum, quod tamen postea, vel in fine comburit, ac ignem ex ipso generat. Non tamen quomodo remaneant, nunc determinetur, sed solum prædictorum non rectam Irrefragabilem illationem deduxisse ostendisse sit satis. Secundò errant, quia per ly alteratorum, non intelligitur, quod solum qualitates remanserint, vel variatæ sint, sed solum quod aliquid ipsorum maneat; vt rationibus in sequentibus ostendetur, poterit tamen clarius sic ipsa Mistio quoque definiri, est ex elementis misti generatio. At de loco vbi fiat aliqua dicamus. Arist. itaque in secundo huius operis tex. 51. ait generationem fieri circa locum medium; hoc est circa terram. Quod potissimum de generatione mistorum veritatem habet, nam ignis in eius regione ex contiguo aere, ac aer pariter ibidem ex proximo igne generari potest. Quamobrem de mistis est præcipue sermo. Nec tamen credendum est, solum supra terram gigni, cum multa generentur in aqua. Dicendum est ergo, circa terram, hoc est in aqua, vel in terra, vel etiam in aere proximo (quamuis pauca) mista generari, nam ex terra fit consolidatio, & massa, vel corporea materia; ex aqua debita temperies, & humectatio; ex aere, agilitas, vel spirituum maximè viuentium copia; in alijs vero, temperies;

ignis actiuitatem præbet; ac omnia se ipso effectiue, & formaliter digent. Sed est dubitatio; quomodo ignis deorsum, vel vsque ad terram descendere ad mistionem possit; Respondetur, sat esse ad hoc eius naturalem calorem, imo de facto non semper actualiter ipsa elementa secundum mutuam realem pugnam concurrunt; vt dum viuentia ex semine generantur, sed virtutes eorum sunt ad hoc sufficientes.

QVÆSTIO XXXI.

Neque permanent igitur actu &c. Tex. 84.

An elementa maneant formaliter in Misto.

Circa hanc quæstionem tres præcipuas opiniones inuenio, videlicet Auicennæ, Auerrois, & Scoti cum omnibus fere Thomistis. Est igitur opinio Auicennæ, quod in misto maneant formæ substantiales elementorum, absq; vlla diminutione, sed penitus integræ, quamuis qualitates ipsorum remissæ maneant. Auerrores autem è contra, elementa ipsa formaliter, & secundum substantiam, & secundum qualitates in misto manere asserit; verum in esse remisso substantiæ, & qualitatum, ita scilicet, quod & formæ elementorum, & qualitates ipsorum non penitus saluæ in misto insint. Alia autem opinio Scoti & aliorum, est, quod nullatenus elementorum formæ, sed solum illorum qualitates maneant in esse quoque remisso. Vt autem quid sentiendum sit, simulque aliorum fundamenta (vt veritas magis elucescat) percipiamus, à prima exordiamur opinione. Quod itaque integræ ipsorum elementorũ formæ maneant (quod vero maneant qualitates in esse remisso, nulla est difficultas, nec secundum opinantes, neque secundum veritatem; omnes enim in hoc conueniunt, quibus experientia quoque adscribitur, nec etenim in aliquo misto, caliditatem ignis percipimus summam, aut alias aliorum elementorum, de illa autem magis est notum, quod sit breuitatis causa satis) probatur auctoritatibus, & rationibus; Auctoritates autem omnes ab Arist. cui singuli sine controuersia adstipulantur desumantur. Prima igitur auctoritas sumitur expressè ex hoc libro tex. præcitato 84. habet namque ipsa miscibilia, posse separari, neque alterum, aut ambo corrumpi, quid clarius? Secunda ex hoc eodem sumitur tex. 88. dicit namque, guttam vini non misceri decem millibus congijs aquæ, quia forma ipsius vini soluitur, vel destruitur, quare quæ miscentur solui non debent. Tertia ex hoc eodem sumitur lib. tex. vlt. ait namque, Mistio est miscibilium alteratorum vnio, si ergo alterata sunt, vtique corrupta erunt, vel definitio esset insufficiens. Quarta ex 2. de anima tex. 39. ait namque elementa ab animalibus dissoluerentur, nisi esset anima; at quomodo dissolui possent, ni actualiter existerent? Quinta ex eodem secundo de anima tex. 25. ibi enim quęrit cur sensus elementa, quæ in ipso sunt non percipiat; quare nisi ibi essent, nulla, vel futilis esset dubitatio. Quamplures, & ferè innumerabiles similes circa hoc eiusdem Philosophi sententiæ passim in eius operibus inueniuntur, quæ, & quoniam à præcedentibus non multum differunt, & quia ad alijs fere omnibus sunt allatæ, & vt breuitatis methodum sequar, dimittantur, ad aliquas præcipuas rationes accedamus.

1. Auctoritas. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

Prima. Nisi elementa manerent secundum suum esse formale in mistis, sequeretur, quod non magis ipsa mista ex elementi generari dicerentur, quam è contra; hoc autem est absurdum, ergo; probatur consequentia; nam sicut ex elementis mistum efficitur, sic elementa ex misto; nec alia ratio, vel discrimen, quod illa sint constituentia, hoc constitutum assignari potest, nisi quia illa sunt partes, & principia simplicia, hoc autem totum constitutum, & compositum; quare nisi ipsa elementa reuera in misto essent; nec partes nec principia essent, & sic patet, quod dicimus.

Secunda. Nisi elementa manerent &c. quod vocatur mistum esset ita simplex sicut elementum, probatur cõsequentia; nam forma eius immediatè nudam materiam informaret, sicut forma elementi; quamobrem solum ex materia, & forma constitutum esset sicut ipsum; nec est aliquid momenti: quod aliquas qualitates haberet; quas elementum, non habet; quia qualitates, vel alia accidentia, aut mistionem cum substantia non faciunt; aut solum ens per accidens constituunt. Imò elementa ipsa (aliqua saltem) mista dici possent, dum aliorum qualitates recipiunt, quod præcipuè accidit terræ, ipsa namque frigida, & sicca naturaliter existens; humiditatem, & calorem recipit, quæ qualitates nisi sint in summo cũ naturalibus eiusdem terræ manent, & sic ratione hac mistum vocari posset quod si hoc non concedatur, neque (à simili) de alijs concedendum est.

Tertia. In corruptione mistorum quorundam, elementa realiter separantur ab ipsis, ergo ibi sunt, probatur antecedens, nam in combustione ligni viridis, separatur ab ipso ignis, aqua, cinis, vel terra, & exhalatio, vel aer; nec dicatur, quod ex ipso simpliciter generentur, quoniam, quamuis aer, & ignis ab igne propter simbolèitatem gigni possent; aqua tamen, & terra, non possunt, quia valde ab igne differunt.

Quarta. Elementum est ex quo fit aliquid cum insit, ex 5. Metaph. c. 3. ergo manere debet.

Quinta. Nisi elementa realiter in misto manerent, sequeretur; quod viuentia simplici elemento nutriri possent, quod negat Arist. in 2. huius operis tex. 50. probatur consequentia, nam qualitates, vel accidentia non nutriunt, vt idem Philosophus docet in 2. de Anima textu 28. quare si præter accidentia, vel qualitates aliud elementorum in misto non remaneret, ipsa simplici misti natura viuens nutriretur, ac eadem quoque ratione natura, vel substantia simplici elementari nutriri possit, nec aliquod apparet discrimen. Hæc igitur, & alia huiusmodi sunt argumenta, quæ pro hac opinione confici possunt. Opinio autem Auerrois eisdem potest auctoritatibus, & rationibus confirmari, conuenit namq; in hoc, quod substantiæ maneant; differentia vero solum est, quod ipsæ substantiæ elementorum habeant esse remissum, quam positionem triplici ratione corroborare potest; prima, accidentia sequuntur naturam suorum subiectorum, sed in mistis manent accidentia elementorum remissa, ergo sic se habent ipsorum formæ, & substantiæ. Secunda. Quæcunque adinuicem contrarietatem habent mutuo pugnant, ac nisi alterum ipsorum penitus superetur mutuo quoque se comprimunt, ac cõtundunt, non solum secundum accidentia, sed secundum etiam substantiam, dispositiones etenim accidentium, substantiæ mutationem incutiunt, sic itaque secundum esse remissum substantiale, & accidentale elementa in misto reperiuntur, quamobrem ipsa elementa suscipiunt secundum ipsum magis, & minus. Præterea (addit) si posset remitti qualitas sine remissione substantiæ, posset quoque totaliter ipsa qualitas deperdi, substantia remanente, & sic esset ignis sine calore, quod absurdum, & non intelligibile est. Vt autem quid sentiendum sit ordinatim cognoscamus, tribus conclusionibus quæstionem hanc resoluamus.

Conclusiones.

Prima. Elementa non manent in Misto secundum suas integras substantiales formas, quemadmodum existimauit Auicennas. Probatur; quia vel singulas misti

partes

partes penetrarent, vel non: si primo modo, plura corpora essent simul, ac adinuicem contraria, non est dicendum aliud, quia quælibet pars misti est mista, vt docet Philosophus. At dicere posset; ea non esse corpora elementorum, sed solum formas, & sic penetrationem non sequi. Contra, nam formæ à proprijs materijs non sunt separabiles, vel aliud sequeretur absurdum, quod plures non subordinatæ formæ eandem numero informarent materiam. Amplius. Vbi sunt plures formæ substantiales ad inuicem non ordinatæ, ibi plura constituuntur substātialia supposita; quare mistum esset plura per aggregationem, vt modius tritici. Præterea. Corruptio substantiæ nō esset transmutatio totius nullo sensibili remanente, quia resolueretur substantia mista in elementa, quæ sensibilia sunt. Amplius, elementa manerent violenter extra proprium locum, & sic mistum non esset penitus naturale. Denique forma misti non informaret materiam nudam, sed elementa, quod absurdum est.

Secunda conclusio. Elementa non manent in misto secundum formas substantiales remissas. Probatur; quoniam remissio hæc, vel aufert essentialem naturam ipsorum elementorum, vel non, si aufert, ergo nullatenus remanent; si non aufert, ergo sunt veræ formæ, vel elementa, & sic sequuntur inconuenientia opinionis Auicennæ. Quidam addunt, substantiam non suscipere magis nec minus, sed alibi hoc examinauimus, ac falsum esse, ostendimus. Obiectiones autem, quas contra opinionē Auicennæ Auerr. adducit, quamuis nihil eas soluere referat; tamen pro Auicenna soluamus. Dum ergo dicit. Accidentia sequuntur naturam suorum subiectorū; Respondetur, verum esse, si sint accidentia propriorum subiectorum: si vero sint communia, & in alijs subiectis (quæ prout suscipiunt actualiter, etiam propria subiecta dici possunt) ab alijs producta, non tantum producentiū prædictorum naturam insinuant, sed penitus sine eis esse possunt, vt notum est dum calor ab igne alicubi generatur, non etenim illic ignis manet. Ad aliam dum dicit, quæcunque ad inuicem contrarietatem habent, &c. Respondetur, quod si re vera elementa formaliter manerent, non esset facile defendere, quin secundum esse remissum existerent, sustinendo cum ipso Auerroe, & cum Scoto, substantiam magis, ac minus suscipere. Tamen sicut realiter ibi nōn manent, sic neque aliud sequitur, nisi quod qualitates remissæ sint. Ad aliam pariter in qua dicit (si posset remitti qualitas sine remissione substantiæ, &c.) eodem modò responderi potest; nimirū, quod si ibi manerent, obiectio esset ad propositum; saltem cum aliqua limitatione; vel (quod idem est) de accidentibus, quæ rerum naturam sequuntur.

Tertia conclusio: Elementa manent in Misto secundum virtutes, vel qualitates in esse remisso, sic videlicet, quod neque ignis, neque terra, nec aer, nec denique aqua in ipso realiter existant; sed calor, siccitas, humiditas, & frigiditas, in quandam temperiem reducta: Hæc autem conclusio ex sufficienti diuisione manifesta est; si enim neque secundum integram formam, vel substantiam, neque secundum esse remissum maneant: sequitur, quod maneant tantum secundum qualitates. Quæ quidem est opinio Scoti in 2. sent. d. 15. D. Thomæ, & fere Latinorum omnium, quam tertiam connumerauimus. Sed præter rationes, quas in prima conclusione adduximus, quæ ne huic quoque directè inseruiunt, alias adducamus. Prima: quamplurima Mista, & præcipue viuentia, quatuor has qualitates manifestissimè continent, vt de se notum est; cum autem omnis effectus ab aliqua causa dependeat, & elementa sint causæ, vel principia Mistorum, fatendum est, has qualitates, ab ipsis elementis mista recipere. Cùm autem in esse intenso contrariæ qualitates non se in eodem compatiantur, erunt ibi secundum esse remissum. Secūda, si elementa aliter quam secundum qualitates in Misto reperirentur; ipsa elementa in contrarijs locis, ac dispositionibus absque læsione existerent vt ignis in aqua; hoc autem est absurdum, ergo. Tertia. Aristot. in hoc libro tex. 84. expresse habet, ipsa non manere actu, sed solum virtutes, vel potentias eorum, ergo. In 2. vero de partib. anim. c. 1. dicit; Mista, potius ex qualitatibus elementorum, quam ex elementis constare.

At circa prædicta tres insurgunt dubitationes. Prima. An ipsorum elementorum, & Mistorum, qualitates sint eiusdem speciei. Secunda. Si in Misto inanimato sint tot formæ quot sunt elementa, vel qualitates, an vnica tantum. Tertia. Si quatuor illæ qualitates in Misto existentes sint re vera quatuor distinctæ, an potius vnica ex quatuor constituta; sicut ex partibus totum, vel sicut medij colores ex extremis.

Qualitates Mistorum sunt eiusdē speciei cum elementaribus.

Ad primam affirmatiuè respondetur, quæ etenim mutuo ad inuicem se intendunt, vel vnum aliud intendit sine corruptione, vel corruptiua alteratione, sunt eiusdem speciei, nam ex opposito, quæ non intenduntur ad inuicem diuersitatem, vel contrarietatem habent, at calor, aliæve similes elementares qualitates, eas quæ sunt Mistorum intendunt, adiuuant, & conseruant, sicut experientia patet, ergo. Sed si instetur, quoniam diuersi sunt vtrarumque effectus, ergo diuersam naturam insinuant. Antecedens est notum, quoniam calor ignis est corruptiuus. Viuentis viuificatiuus, &c. Respondetur, calorem viuentium, ideo ipsa viuificare, quia est debitè, ac proportionaliter remissus, necnon quia, vel ab anima, vel à forma Misti regulatur, multum enim refert, quod qualitas aliqua actiua, vel instrumentalis ab hoc vel illo agente dirigatur, vel reguletur, sicut patet, de instrumentis artium. Pariter de calore Solis philosophandum est, nimirum esse eiusdem speciei cum calore elementorum, & Mistorum, quamuis ob ipsius Cęli, & intelligentiæ motricis determinationem diuersos possit effectus producere.

Vnica est forma Misti inanimati.

Ad secundam dubitationem respondetur, vnicam esse formam Misti inanimati, quæ immediatè nudam materiam informat, sed quia his qualitatibus est affecta, mista vocatur. Quod vero sic se habeat, probatur: si etenim essent plures, plura quoque composita existerent, formæ etenim non subordinatæ diuersas respiciunt materias, ac efficienda composita; at elementorum formæ subordinatæ non sunt, imò potius contrarietatem habent, ergo.

Qualitates elementorū in Misto sint vna tantum & quomodo.

Ad tertiam aliter D. Thomas, aliter vero Scotus respondent. Ille enim diuersas esse qualitates affirmat, ac satis quidem probabili ratione id efficit. Si enim (inquit) Mista corruptibilia precipuè sunt ab intrinseco, eo quod mutuo internæ hæ qualitates pugnant, quomodo si vnica erit pugna succedet? nunquid idem contrariatur sibimetipsi? Amplius ibi sunt quatuor qualitatum effectus realiter diuersi, ergo diuersæ ipsæ realiter sunt existentes qualitates. Scotus vero vnam duntaxat esse, quæ ex quatuor prædictis fiat, affirmat. Cuius ratio est, quia omnis qualitas est forma simplex, quamuis dicatur interdum composita, quemadmodum de medijs coloribus dicitur; rubeum namque viride &c. ex albo, & nigro constare asserimus, quia vtroque participat, etsi realiter ibidem duo extremi colores non existant. Amplius, istę quatuor qualitates ob contrarietatem sæpe pugnarent, quamuis non in esse summo existerent, quam ob rem, vel se cito corrumperent, vel nunquam esset perfecta sanitas, quę ex istarum pace, (vt ita loquar) animalibus acquiritur. Asserit ergo vnam esse Misti qualitatem, quæ omnes quatuor alias eminenter continet, non secus atque rationalis anima vegetatiuam, & sensitiuam. Sed instar quidam Thomistarum Doctor; nam quod eminenter aliud continet, efficacius contento operatur, vt ipsamet anima rationalis efficaciores edit operationes, quam pura sensitiua vel vegetatiua, sed oppo-

situm

situm in proposito accidit, quia fortiores sunt operationes simplicis caloris, vel frigoris elementaris, quam Misti, &c. At huic obiectioni responderi potest, non esse simpliciter verum, quod eminenter continens efficacius simpliciter operetur, quoad intensionem actionis, sed bene quoad nobiliorem finem, vel terminum. Sicut in allato exemplo non opus est, hominem acutius videre, quam murem, sed sat est, quod auditus, & visus eius ad nobilius ordinentur opus, vt ad intelligendum, &c. Sic etiam, qualitas hæc, quæ alias eminenter continet, non efficacius calefacit, vel desiccat, &c. Sed dignius ad viuentium vitam, mistorumque naturam conseruandam agit. Ad rationes itaque D. Thomæ respondeamus. Ad primam dicitur. Mista ab intrinseco corruptibilia esse, quia parua facta ab externo ambiente aere, vel contrario alteratione, qualitas facile ad extremum traditur, vt rubeus color facile in nigrum abit, redit tamen ad pristinum sibi conuenientem statum, virtute operatricis formæ, quæ ibi vt præcipuum residet agens, omniaue ad suum dirigit finem. Sed adhuc est instantia (& vt verum fatetur, est admodum opinio D.Thomæ probabilis) nam calor agit semper in humidum, & frigidum, vt sæpe dictum est, idem autem non agit in seipsum. Respondetur, in diuersis partibus organicis, nullum esse inconueniens, diuersas residere qualitates, sic nimirum, quod magis in vna, quam in alia sit accessio ad extremum. Vel dicatur, mistum animatum, esse plura partialia mista, secundum quod diuersa sunt organa, & in qualibet parte saltem principali, mistam hanc quam vocamus qualitatem sibi proportionaliter residere, vnde aliquæ partes sunt calidissimæ, aliæ humidissimæ, &c. quod vero vna sit quoque hæc qualitas, ex hoc comprobari potest: data enim calidissima parte, si ibi essent aliæ qualitates, citò corrumperentur. Ad secundam obiectionem respondetur, effectus diuersos, à causa eos eminenter continente prouenire posse. At Argumenta principalia soluamus.

Ad Argumenta.

AD primam auctoritatem respondetur, elementa posse separari ad hunc sensum, quia ibi sunt virtutes ipsorum, ex quibus faciliter elementa produci possunt, & hac eadem ratione, quia virtutes scilicet manent, penitus corrupta non dicuntur.

Ad secundam respondetur eodem modo, vini etenim gutta, neque secundum formam, neque secundum virtutem manet, quare misceri non dicitur, cuius oppositum de elementis accidit.

Ad tertiam dicitur, vocare ibi Arist. miscibilia alterata, quatenus videlicet non sunt sic penitus corrupta, vt nihil ipsorum remaneat. Aliqui dicunt, alteratorum, idest, quia prius fuerunt alterata, licet postea corrupta quoque sint, sed si hoc valeret, dum ex corruptione alicuius fit alterius generatio, quam alteratio, præcedit; dicere possemus, generationem esse aliquorum alteratorum vnionem: non igitur hæc expositio placet: dum etenim aliquis terminus solus ponitur, alterum necessariò non infert, sed est in rigore sumendus.

Ad quartam solutio ex eodem textu, vel ex præcedentibus sumi potest; disputat namque contra Empedocl. qui actualiter elementa in animalibus manere arbitrabatur.

Ad quintam dicitur, posse non solum elementa, sed qualitates eorum à sensibus percipi, ac ideo de ipsis sufficit, vt Philosophus dubitet. Pro cuius tamen maiori intelligentia sciendum est, quod ipsemet Arist. non tantum ipsa simplicia corpora, sed qualitates quoque ipsorum elementa vocat, quod pluries facit, sed præcipuè in libro secundo huius operis, tex.8.& 29. Nunc autem rationes soluamus.

Ad primam negatur consequentia, ad probationem dicitur, elementa ad Misti productionem veluti principia, ac magis simplicia concurrere, sed ex Mistis fieri tanquam ex composito resoluto, vnde in prima factione est constitutio, vel generatio, in secunda dissolutio, vel corruptio.

Ad secundam respondetur, non esse ita simplex mistum sicut elementum, & ratione generationis, & ratione qualitatum. Primo etenim modo elementa ad inuicem mutuo se corrumpentia, Misto materiam præbent, in quam forma ipsius introducitur, (quod non semper accidit; sed solum dum immediatè ex ipsis elementis fit; nam quandoque ex semine producitur, & tum priorem hanc dispositionem supponit) secundo quia qualitates eiusdem speciei, vel realiter, vel eminenter manent, quibus mistum dominatur. Terra autem, vel aliud elementum, etiam si alienas habeat qualitates non dicitur mistum, quia non sunt sibi naturales.

Ad tertiam pariter consequentia negatur; sufficit etenim, quod ibi virtualiter manserint, vt separari possint. Dum dicitur de igni, qui terram producit. Respondetur, illam non esse puram terram, sed mistum quoddã, quod ex virtute terrea in præcedenti quasi materialiter manente, & ex ignis actiuitate producitur; sicut neque alia sunt elementa simplicia præter ignem, quæ etiam si essent, possent modo prædicto produci.

Ad quartam dicitur, quod elemẽtum accipitur quandoque pro quacunque prima constituente parte materiali, vt literæ sunt elementa syllabarum, materia rei naturalis &c. & tunc inest actu; quandoque vero capitur pro istis simplicibus corporibus, & tunc inest potentia, vt insinuat Philosophus in 3. de Cœlo tex.31. & exactius determinat in hoc 2. de gener. tex.84.

Ad quintam negatur consequentia, ad probationem dicimus; re vera qualitates, vel accidentia, aut simplex elementum non nutrire, sed substantiam Misti, qua viuens nutritur, nec est accidens, nec purum elementum, sed ab ipsis diuersum quid & perfectius, vnde ad nutritionem est aptissima.

QVÆSTIO XXXII.

Quando autem potentijs adæquantur quodammodo tunc mutatur quidem vtrumque in dominans, Tex. 89.

An Mista moueantur ab elemento prædominanti.

QVæstionem hãc pluribus in locis, & præcipuè in 1. de Cœlo circa tex. 7. determinare potuissem, hic tamen (& si forte textus præcitati allegatio quibusdam ad rem non videtur, quod differere parum curo) opportunius examinandam censeo. Si etenim Mistorum qualitates nonnisi ab ipsis elementis proueniunt, etiam hæc, quæ ad motum attinet, cum istis iungenda est. Quod ergo ad motum prædominantis elementi ipsa Mista non moueantur, probatur; quoniam in quibuscunque ignis dominatur sursum ascenderent: pariter in quibus dominatur terra, deorsum, sed vtrunque est falsum; probo primo de igne; nam vbi maximè viget calor ibi est maximè ignis dominium, sed quamplurima sunt calidissima, & actualiter, & virtualiter; quæ tamen grauitatem habent, vt patet de calce, de sulphure, de carbonibus, &c. De terra vero etiam manifestissimum est; lapides namque omnes terrei sunt, imò nihil aliud videntur, nisi terra suo modo compacta: horum autem nonnulli, quos ego ipse vidi super aquam natant, ergo. 1. Arg.

Secundò.

Secundò. Sequeretur, quod dabile esset aliquod Mistum, quod nullibi maneret, nusquamue naturaliter moueretur. Probatur consequentia; nam si elementa aequaliter huic misto conuenirent, tot videlicet gradus terrae, quot aquae, &c. nullam haberet propensionem magis ad hunc, quam ad alium locum, & sic patet, quod dicimus.

Tertiò. Non daretur motus mistus. Probatur, quia dicitur mistus, qui dictorum simplicium corporum motui opponitur; si vero omnes ab ipsis fierent, vel mediatè, vel immediatè, simplicem sicut elementa continerent.

Pro resolutione sciendum est primò, quod sicut de qualitatibus aliis actiuis, & passiuis diximus in praecedentibus, sic quoque de grauitate, & leuitate determinandum est; ita vt quemadmodum elementa effectiuè, & materialiter simul qualitatem illam misto conuenientem, ac eminenter (secundum Scotum) alias continentem producunt, sic quoque grauitatem, & leuitatem efficiant; sic nimirum, quod sit vnica tantum qualitas ad leuitatem magis, vel ad grauitatem accedens, quo pacto aliquis simplex medius color potest magis, vel minus hoc, vel illo extremo participare; quod vero ibi non sint plures qualitates ex diuersis mistae, sicut praecedens positio de vnitate vnius primae, vel ab ipsis primis profluentis, declarari potest.

Secundò sciendum, quod diuersa est ratio productionis qualitatum actiuarum, à productione grauitatis, & leuitatis, in illis etenim elementorum talis proportio seruatur, vt vbi actiuius dominatur elementum, ibi virtus eius magis vigeat, seu vbi est actiua qualitas magis ad elementum aliquod accedens, ibi est ipsius qualitatis immediatior, & fortior effectus, ita vt vbi est calor ignis, ibi calefactio, ac aliae actiuitates notabilius appareant. Sed in ratione motus localis non respondent, imò vbi interdum plus reperitur caloris, vel igneae naturae, ibi est grauitas magna, quod non aliunde prouenit, nisi quia inclinatio ad motum localem est simpliciter passiua, vt dictum est in 1. Phys. q. 2. quamobrem ignis actiuitas parum (vt ita dicam) ei prodest. Vel dici etiam potest, actiuitati magnae caloris, vel virtuti ignis, mistam esse, vel misceri posse magnam ex alia parte grauitatis propensionem. Vel, quod non aequaliter hae qualitates respondeant, sic nimirum, quod quibus plus caloris communicetur, etiam leuitas maior tribuatur, quamuis interdum simul esse possint, non ratione naturalis sequelae vnius ab alia, sed alia de causa.

Tertiò notandum, quod motus rectus dupliciter dici potest; scilicet naturaliter, & mathematicè: primò modo dicitur de quocunque per lineam rectam ad centrum descendit, vel ab ipso recedit. Secundo vero de quocunque per lineam rectam effecto siue directè ad centrum, siue non, quare omnis motus rectus naturalis est rectus Mathemat. sed non è contra. *Motus rectus duplicitèr.*

Quartò notandum, quod naturalis motus in comparatione ad elementa praedominantia, & ad animalia attenditur respectu corporis, non autem respectu animae, sic namque est naturalis animalium, non elementorum, vel simpliciter. Vt dum animal cadit deorsum est naturalis respectu elementorum, dum vero ambulat, vel natat, est naturalis ex parte animae, quia ex sua natura mouet; sed ex parte corporis, partim violentus, partim mistus, prout videlicet, descendendo aliqualiter (vt in his semper accidit) non per lineam rectam, sed tortuosam descendit. Quibus visis, patet conclusio, puta Mista dum naturaliter mouentur à virtute elementari praedominanti moueri, probatur, nam à quibus habent esse, ab his habent qualitates. Item. Hae qualitates sequuntur primas, sed primas ab elementis habent, ergo. *Conclus.*

Ad Argumenta.

Ad primum patet, quia simplex calor per se immediatè non est effectiuus leuitatis, vel ipsa leuitas non primò à calore prouenit.

Ad secundum negatur consequentia, illi etenim gradus sunt incompossibiles, nec manent distincti, sed est vna qualitas tantum, quae magis leuitate, quam grauitate participat, aut è contra, vel in comparatione ad diuersa elementa, erit grauius, vel leuius, vt lignum in aere, & in aqua.

Ad tertium patet, quomodo dantur motus, qui fiunt ab anima, ac misti sunt, vel etiam si essent naturales, propter spatium inaequale, vel difforme, misti esse possent.

Finis primi Libri de Generat. & Corrupt.



ANTO-

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN SECVNDVM LIBRVM ARISTOTELIS de Generat. & Corrupt. Paraphrasis.

S V M M Æ L I B R I.

IN Prima agitur de principijs, ac numero elementorum.
In Secunda de generatione elementorum.
In Tertia de generatione mistorum.
In Quarta inuestigantur causæ Generationis, & Corruptionis.

SVMMÆ PRIMÆ, CAPVT PRIMVM.

De intentione Libri, de principio materiali generationis elementorum opiniones Antiquorum, & propria.

Tex. 1. *E mistione igitur, & tactu, & de ipso facere, & pati dictum est; quomodo videlicet existant in rebus, quæ naturaliter secundum tales affectiones transmutantur. Amplius diximus de Generatione, & Corruptione simplici, vel substantiali, quomodo scilicet est, & cuius, & propter quam causam. Similiter autem de alteratione dictum est, quid nempe sit alterari, & quomodo vnumquodque omnium istorum ab vnoquoque differat. Reliquum autem est considerare circa corpora simplicia, quæ elementa vocantur; nam generatio, & corruptio, quæ omnibus naturalibus existentibus substantijs generabilibus conueniant, non fiunt sine istis sensibilibus corporibus; de quibus etsi in tertio, & quarto de Cœlo egerimus, non tamen superfluè hic de illis iterum agimus, quia ibi prout sunt partes vniuersi, hic vero vt generabilia, ac corruptibilia, & causæ, vel principia Generationis, & Corruptionis sunt agimus. Quoniam autem cuiusque Generationis, & Corruptionis principium, seu fundamentum est materia, ideò quænam elementorum ipsorum, ac consequenter mistorum materia sit, prius secundum Antiquos, deinde secundum propriam sententiam examinandum erit.*

Quo discrimine agatur de elementis in libris de Cœlo, & de gene. & corrupt.

Tex. 2. *Horum igitur elementorum, materiam, seu subiectum alij dicunt esse vnum, videlicet, qui vnum solum elementum, puta aerem, vel ignem, aut medium horum (sicut est vapor) ponunt; quam quidem materiam dicunt quod sit corpus, & ab ipso elemento cuius est materia separabile. Alij autem plures numero materias, vel subiectum ponunt, quam vnum, sicut plura quoque elementa constituunt (sic nimirum, quod vnicuique elemento propria respondeat materia.) Alij enim ignem, & terram; hi autem hæc & tertium quoque aerem, alij vero præter hæc addunt pro quarto aquam sicut facit Empedocles, hic namque quatuor assignat, scilicet ignem, aerem, aquam, & terram, qui non ex alijs generari dicit, seu non aliam supponere materiam vel subiectum, sed ipsa esse prima principia rerum, ex quibus congregatis, & segregatis, aut alteratis, contigere generationem, corruptionem, & alterationem rebus.*

Quod igitur bene se habet dicere, quod elementa sint principia prima rerum, ex quibus transmutatis, aut secundum congregationem, & segregationem, aut secundum aliam transmutationem fiat generatio, & corruptio manifestum, ac confessum est ferè apud omnes. Qui licet in modo ponendi errent, tamen hoc nunc examinare non intendimus, sed alibi. Sed facientes vnam materiam præter dicta elementa, hanc autem separabilem ab ipsis, ac corpoream, peccant. Si enim erit corpus hoc sensibile (vt ipsi dicunt) impossibile est, quod sit sine contrarietate, seu qualitatibus, quæ alias contrarias habent, sicut sunt caliditas, frigiditas, &c. nam per istas corpus sensibile est tale. Si autem cum talibus qualitatibus contrarijs erit, ita quod vel erit leue, aut graue, aut calidum, aut frigidum hoc corpus quod ipsi infinitum, vel indeterminatum, ac principium vt materiam dicunt, erit quoque de natura istorum elementorum; nam eadem accidentia eadem insinuant naturam, nec alia diuersa sunt somnianda, quia in naturalibus, quod aliquo modo sub sensu non cadit ponendum non est. Tex. 3.

Alia est opinio Platonis in Thimæo, in quo scriptum est, quod datur materia elementorum, quæ nullam habet determi- Tex. 4.

Error Platonis circa primã materiam.

determinationem, quæ tamen positio quadrupliciter errat. Primò quia non dixit manifestè, si illa materia, quã vocat omnem recipiens separata sit ab elementis, vel non. Secundo, quia licet posuerit hoc omne recipiens, non tamen ipso vtitur consequenter in suis disputationibus; asserit tamen hoc esse subiectum aliquod, prius vocatis elementis sicut aurum, est prius operibus aureis. Sed neque in hoc bene dicit, (& sic est tertius error) hoc modo dicendo; nam quorum est alteratio ita est, quod subiectum præcedit: quorum autem est generatio, & corruptio, impossibiliter illud appellant prius, ex quo res generata est: subiectum enim generationis nunquam tempore, sine forma præexistit; quamuis ipse dicat, longè verissimum esse, id quod ex auro constat, dicere esse vel existere vnumquodque potius prout est, vel existit aurum, quam quia sunt talia artificialia, quod est inferre, longè verissimum esse, ipsam materiam existere, quam res ex ipsa compositas. Vnde quantum erret est manifestum.

Tex. 5. *Errat denique quarto, quia hanc materiam, videtur ponere, quod sit superficies. Vnde elementis existentibus solidis, vel corporeis, vsque ad planitiem facit dissolutionem, hoc est, quod resoluantur in superficiem, tanquam in propriam materiam ex qua constent. Impossibile autem est, materiam primam superficies esse, nam istę superficies sunt accidentia, & termini corporis, ipsa vero materia est substantia, & forma, ac superficiebus terminata.*

Tex. 6. *Nos autem dicimus, aliquam esse materiam corporum sensibilium, sed hanc non dicimus esse separabilem, sed semper cum forma aliqua, atque contrarietate, vel qualitatibus quæ alteris contrariantur, ex qua materia generantur simplicia corpora, vocata elementa; determinauimus autem de his exactius alibi, videlicet in 3. & 4. de Cælo. Sed tamen quoniam hoc modo corpora prima sunt ex materia, de ijs determinandum est, quoad reliqua, principium quidem, & primum omnium supponentes esse materiam, inseparabilem quidem ab ipsis elementorum formis, subiectam tamen contrarijs, successiuè tamen; nam calidum non est materia frigido, neque hoc calido, sed subiectum ambobus, est vtriusque materia. Quapropter primum quidem principium est corpus sensibile in potentia, hoc est ipsa prima materia, quæ est in potentia vt fiat corpus sensibile: secundum autem sunt contrarietates, dico autem vt caliditas, & frigiditas, quæ ipsam materiam disponunt, non tamen quod in ipsa nuda recipiantur, quia sic esset separabilis à forma substantiali, quod Philosophia abhorret, ac calida, atque frigida diceretur, quod non conceditur; sed disponunt ipsam existentem sub forma vnius elementi, ad formam alterius; vt dum materia, quæ est sub forma aquæ disponitur per qualitates aeri conuenientes ad formam aeris; tertium denique principium in ordine ad mistum est iam ignis, aqua, aer, & terra. Hæc enim elementa transmutantur in se inuicem, ac ex eorum transmutatione, vel corruptione mistum generatur. Vnde non est sicut Empedocles, & alij dicunt, scilicet, quod elementa sint adinuicem intransmutabilia; neque enim esset alteratio, nam hæc ad transmutationem disponit, ideo frustra esset; transmutantur igitur elementa in se inuicem, contrarietates autem non transmutatur, quod enim transmutatur aliquid retinet, ideo vnum elementum in aliud dicitur transmutari, quia remanet materia eius; sed contrarietatis alterum extremum non remanet, vt adueniente calore, non remanet frigus; vel dicatur, quod transmutari est proprium subiecti, non autem terminorum, etsi terminatiuè etiam qualitates mutentur; nam dicimus, ex calido factum est frigidum, vel ex calore frigiditas. Non minus igitur vt corporis naturalis principia essentialia qualia, & quot sint quæsiuimus in 1. Physicorum, sic qualia, & quot sint hæc principia dispositiua, atque accidentalia quærendum est, quod demonstratiuè faciemus; alij enim supponentes ea esse, absque vlla ratione eis vtuntur; nec dicunt quare, aut talia, aut tot sunt.*

Quo ordine sumitur principia in generatione elementorum.

CAPVT II.

Quæ, quot, & quomodo qualitates tangibiles sint elementorum principia, ac differentiæ.

QVoniam igitur quærimus principia corporis sensibilis, non cuiuscunque, sed illius quod est sensibile sensu tactus, seu quod est tangibile, ideo illius quoque differentias, & qualitates quærere debemus; nam manifestum, quod non omnes qualitates contrariæ faciunt formas, vel differentias atque accidentalia principia talis corporis, sed solum qualitates tangibiles. Quia differunt qualitates adinuicem, vel sub ratione simplicis contrarietatis, vel secundum contrarietates tangibiles. Ideo neque albedo, neque nigredo, neque dulcedo, & amaritudo; similiter autem neque aliarum sensibilium qualitatum vlla facit elementum, quia simpliciter sunt contrariæ, & sensibiles, non autem tangibiles. At si quis dicat; prima qualitas debet prima elementa constituere, sed obiectum visus est prius qualitatibus tangibilibus, nam ad plura se extendit, scilicet vsque ad astra, & Cælum, ergo hæc debet esse qualitas constituens elementa, vel elementum, potius quam aliæ. Respondetur, quod quamuis visus sit prior tactu, quia obiectum eius nempe res, vel qualitas visibilis prior est qualitatibus tangibilibus, prioritate scilicet dignitatis, & forte vniuersalitatis, non tamen constituit elementum; nam hoc debet esse passio, vel qualitas corporis tangibilis, secundum quod tangibile est, sed secundum alterum hoc non est verum, & si fuerit prius natura, ipsa qualitate tangibili: hoc etenim non est necessarium ad rationem constituendi. Qualitates igitur tangibiles tantum elementa constituunt, supple accidentaliter, non tamen omnes, ideo determinare oportet, quæ, & quot sint, vt propositum habeamus. Tex. 7.

Ipsarum igitur tangibilium qualitatum diuidendum est, quales sint primæ differentiæ, & contrarietates elementorum. Sunt autem contrarietates secundum tactum hæ; calidum, frigidum, humidum, siccum, graue, leue, durum, molle, lubricum, aridum, asperum, lene, crassum, tenue. Horum autem graue quidem, & leue, neque actiua, neque passiua sunt, quoad alterationem, ac dispositionem ad generationem, & corruptionem, non enim ex eo quòd faciant aliud alteratum, neque quod ab alio patiantur talia dicuntur, & si quo ad rationem mouendi, actiuitate non careant, vt in 4. de Cælo tex. 24. & 8. Physic. tex. 32. dictum est. Oportet autem actiua, & passiua esse elementa, miscentur enim & transmutantur in se inuicẽ; ideo qualitates actiuas, & passiuas, quibus se ad transmutationem substantialem disponant, habere debent. At quia calidum, & frigidum, actiuæ qualitates sunt, humidum autem, & siccum passiuum, meritò hæ primæ elementorum qualitates, atque accidentales differentiæ poni debent; Tex. 8.

Quæ nã sint qualitates tangibiles, quæve actiuæ, & passiuæ & primæ.

Graue, & leue nõ sũt, actiua, quo modo sit verum.

Calidum quid.

bent; quod vero primæ, scilicet calidum, & frigidum sint actiuæ, aliæ vero duæ passiuæ, probatur. Calidum enim est, quod congregat ea, quæ sunt eiusdem generis, seu quæ sunt similaria, vt si aurum debeat liquefieri ab igne, partes auri simul colliguntur ex vna parte, aliæ vero partes (posito quod sit mistum ex alia materia) in aliam partem colliguntur, vt terrestres simul, ac plumbeæ etiam simul, ac seorsum ab alijs; quod autē aliqui inquiunt ignem segregare, hoc est quasi per accidens, nam congregando ea, quæ sunt eiusdem generis simul, disgregat ea ab alteris diuersi generis.

Frigidum.

Frigidum autem dicitur, quod coniungit ea, quæ sunt vel eiusdem, vel diuersi generis, vt aqua congelata simul coniungit lapides, lutum, ligna, & alia. Sed congregare, seu coniungere tam ea, quæ sunt eiusdē generis, quam diuersi, est agere; ergo hæ qualitates actiuæ sunt. Quod autem aliæ duæ sint passiuæ, probatur.

Tex. 9. Humidum quid.

• Nam Humidum dicitur, quod proprio termino interminabile est, facilè autem terminabile existens termino alieno, vt notum est de aere, & aqua, hæ .n. ex se dilatantur, nec faciliter terminantur, ab alijs autem omnem figuram recipiunt, ab omniq; vase clauduntur.

Siccum.

Siccum autem est facile terminabile proprio termino, difficulter vero alieno, vt patet de ferro, lapide, & alijs, quæ ex se terminata sunt; ad aliam autem formam, vel continentiam, difficiliter reducuntur; at terminari quocunque modo, siue faciliter, siue difficiliter est pati, ergo hæ duæ passiuæ sunt.

An prædictæ sint veræ definitiones primarum qualitatum.

Notandum est tamen, quod hæ non sunt definitiones istarum qualitatum, imò nec propriè descriptiones conuertibiles, sed quædam attributa, vel prædicata eis conuenientia, non tamen sibi solis, nec omnibus, nec semper, quia ignis non est humidus, & tamen est faciliter terminabilis termino alieno, & difficiliter proprio; præterea humida, viscosa, vt pix, pingue, & alia, terminantur faciliter proprio termino, & non alieno, quare hæ sunt quædam notificationes communes, & dialecticæ. Hæ igitur sunt quatuor primæ elementorum qualitates.

Tex. 10. Quomodo aliæ qualitates ad primas reducantur.

Tenue autem, & crassum, & lubricum, & aridum, & durum, & molle, & aliæ differentiæ, & qualitates prædictæ, ex his quatuor pendent; & ad has reducuntur, præter graue, & leue, quæ actiua, aut passiua modo prædicto non sunt. Quoniam enim proprium humidi est esse repletiuum ex eo, quia ex se non est terminatum, sed ab alio faciliter terminabile, ac sequitur semper corpus tangens, vt patet de aere, & aqua, ideo quocunque ingreditur, replet.

Tenue.

Et tenue est etiā repletiuum, est namq; subtilium, ac paruarum partium, & omne tale est repletiuum, quia faciliter penetrat, atque totum tale potest totum aliud penetrare, vt patet de aqua penetrante totum panem infusum, vel aliud; manifestum est, quod tenue est species, vel aliquid humidi.

Crassum.

Crassum autem è conuerso sicci.

Tex. 11. Lubricum.

Rursum autem lubricum quidē est humidi species; nam est humidum aliquid passum, videlicet subtilitatem aliquam, vt patet de oleo, ideo addit ad simpliciter humidum differentiam, & ad ipsum pertinet, atque reducitur.

Tex. 12. Aridum.

Aridum autem est species sicci. Aridum enim dicitur, quod perfectè siccum est, adeo vt congelatum sit propter defectionem propriæ humiditatis, vt ligna, vel ossa, et alia.

Tex. 13. Molle.

Amplius, molle quidem humidi est, durum autem sicci. Molle enim dicitur, quod cedit in seipsum, nec resistit comprimenti, quod quidem etiam facit humidum, aliquod & ideo humidum non dicitur molle, sed molle humidum & sic omne molle est humidum, non autem omne humidum est molle; aqua enim dicitur humida, non autem mollis, quia molle simpliciter cedit absque circundatione comprimentis, aqua autem circundat comprimens; & similiter aer, aliqua ergo humida sunt mollia, vt cera non multum dura, vel massa, & alia. Durum.

Durum autem sicci est. Durum enim est, quod congelatum est, congelatum autem siccum est, dicitur autem congelatum, quod propria humiditate priuatum est.

Est tamen notandum, quod siccum & humidum tripliciter dicuntur. Nam ipsi sicco non tantum simpliciter humidum opponitur, sed etiam vdum, & irrigatum; quare humidum est triplex, videlicet, humidum simpliciter, quod habet humiditatem propriam per totum, vt aqua, & alia; Humidum irrigatum, quod habet humiditatem per totum, sed alienam, vt terra, quæ ex sua natura est sicca, si per totam humida fiat dicitur irrigata; aliud est, quod habet alienam humiditatem, sed secus superficiem tantum, & hoc vocatur vdum, aut roratum. Cum ergo humidum dicatur tripliciter, tot etiam modis dicitur siccum; quia quot modis dicitur vnum oppositorum, & alterum, & sic aliud erit siccum propria siccitate per totum, aliud per totum, sed aliena, & dicitur congelatum, aliud vero in superficie, & aliena quoque, quæ tamen non habent propria nomina sicut sicca. Humida igitur, quæ irrigata, & vda dicuntur ad simpliciter humidum reducuntur, & similiter sicca ad simpliciter siccum. Tex. 14. Humidum, & siccū tripliciter. Irrigatum. Vdum, vel Roratum.

Rursus autem humidum, & congelatum similiter in mistis ad simpliciter humidum, atque simpliciter siccum reducuntur. Humidum enim tale est, quod habet propriam humiditatem in profundo. Congelatum autem priuatur hac. Quapropter hoc erit sicci simpliciter, illud autem humidi. Manifestum est igitur, quod omnes aliæ differentiæ reducuntur ad primas quatuor. Aspera etenim, & lenia dura sunt cum varietate positionis partium, nam partes Lenis sunt æquales, Asperi inæquales, & sic de alijs. Hæ autem quatuor non amplius in minores reducuntur, ita vna reducatur ad aliam, & fiat minor numerus, neque enim calidum est idem, quod humidum, vel quod siccum, nec frigidū est idem, quod siccum; nec sub inuicem ergo continentur, ita vnum sit species alterius, nec sub alio tertio sunt, vt sub calido, vel humido omnes aliæ. Quapropter necesse est quatuor esse has primas qualitates. Tex. 15. Congelatū. Lene. Asperum.

C A P V T III.

Quot sint coniugationes qualitatum primarum; Quotusque elementorum numerus.

Tex. 16. Sex coniugationes quatuor primarum qualitatū.

QVoniam autem quatuor elementa sunt, seu qualitates elementares (quæ sæpe elementa dicuntur) ipsorum autem quatuor, sex coniugationes cogitari possunt; quarum duæ sunt impossibiles, nempe quæ sunt inter contrarias, nam contraria non nata sunt coniungi; hæ autem impossibiles sunt calidum, & frigidum, humidum, & siccum. Manifestum est, quod quatuor erunt elementorum, vel qualitatum elementarium coniugationes possibiles, scilicet calidi, & sicci, calidi, & humidi; & rursus frigidi, & sicci, ac tandem humidi, & frigidi, quæ quidem quatuor coniugationes qualitatum, secutæ sunt rationabiliter quatuor simplicia corpora, quæ quidem apparent, & cognoscuntur talia; seu his qualitatibus sic coniugatis affecta; hæ autem simplicia corpora, quæ etiam elementa dicuntur, sunt ignis, aer, aqua, & terra. Ignis igitur est calidus, & siccus, aer autem calidus, & humidus,

Quomodo qualitates coniugantur cum elementis.

midus, nam est veluti euaporatio quædam, quæ calida, & humida est, aqua autem frigida, & humida. Terra autem frigida, & sicca. Applicantur igitur sic tales qualitates, vt rationabiliter primæ accidentales differentiæ primis corporibus adaptentur, & multitudo eorum, sit secundum rationem; hoc est neque superflua, neque diminuta. Qualitates autem istæ dicuntur elementa, & similiter simplicia corpora prædicta, quia vtraque ad principiandum mistum concurrunt, sed corpora vt substantiæ; hæc vero vt accidentia. Quod autem qualitates contrariæ elementis conueniant, auctoritate Antiquorum confirmatur.

Qualitates primæ dicuntur elementa.

Tex. 17. *Omnes enim qui dicunt simplicia corpora esse elementa, hi quidem vnum ponentes, hi autem duo, hi autem tria, hi autem quatuor, contrarietatem tamen aliquam eis assignant. Quicunque igitur vnum solum dicunt esse, deinde alia generari raritate, & densitate, his contingit duo facere principia contraria, scilicet rarum, & densum, aut calidum, & frigidum; hæc enim operari debent, ac mutuo agere, & pati, vnum autem supponitur, scilicet materia, & sic erit vnum materiale principium, duæ vero qualitates contrariæ.*

Tex. 18. Opinio Parmenidis de elementis.

Qui autem duo principia faciunt, vt Parmenides, qui posuit ignem, & terram (secundum vulgares tamen, nam secundum sapientes, posuit omnia esse vnum ens, & immobile) etiam contrarietatem eis assignat, ignem enim calidum, terram vero frigidam dicit; intermedia autem elementa sicut sunt aqua, & aer, non esse elementa credit, sed misturas ex duobus elementis prædictis.

Tex. 19. Opinio Platonis.

Similiter autem, & qui tria elementa dicunt (quemadmodum facit Plato in libro inscripto de diuisionibus,) etiã contrarietatem ponunt, dicunt etenim, duo alteri tertio contrariare, vt aquam, & terram, igni; medium autem aliud, etiam mistum ex illis tribus esse, sicut Parmenides dicebat de duobus intermedijs; quare ferè eadem, vel eodem modo, qui duo, & qui tria elementa dicunt; præter quam quod, duo dicentes, etiam intermedia duo esse dicunt, mista tamen, & non elementa; dicentes autem tria, vnum, medium ponunt similiter mistum. Quidam autem quatuor ponunt, vt Empedocles, quæ tamen contraria esse dicit sub ratione, vel oppositione duorum tantum, ponit enim ignem ex vna parte, reliqua vero tria, ex alia, ita quod sint tantum veluti duo contraria. Patet ergo quod omnes contrarietatem elementis assignant, licet errent in modo; quod tamen nihil ad hoc propositum refert, alibi enim est hoc examinandum; sufficit pro nobis quod ponant contrarietatem.

Empedocles.

Tex. 20. Elementa an sit mista & quomodo.

Est tamen pro vberiori doctrina notandum, quod ignis, & vnumquodque prædictorum elementorum non est simplex, sed mistum; non tamen mistione substantiali, ita vt ex alijs elementis constet, sed accidentali tantũ, vt aqua participat terrestri, & salsedine; terra humiditate, calore, & aqueo; aer exhalationibus terrestribus, & aqueis, & similiter ignis alijs, quod fortè est præcipue verum, de elementis, quæ sunt apud nos. Simplicia igitur essentialiter talia elementa quidem sunt, vt diximus, non tamen eadem cum omnino simplicibus, sed potius similia, vnde elementaria aliquomodo dici deberent, & non pura elementa, vt quod simile igni est, non dicitur simpliciter ignis, sed igneum, & quod aeri, aereum, & sic de alijs.

Tex. 21. *Ignis autem est superabundantia caliditatis (hoc est, habet caliditatem in summo) quemadmodum aqua, vel glacies frigiditatis superabundantia est; nam congelatio, & exarsio, sunt quædam superabundantiæ, illa quidem frigiditatis, hæc autem caliditatis. Si igitur glacies, vel aqua est congelatio humidi, & frigidi, & ignis erit exarsio calidi, & sicci, nihil ex glacie generatur, neque ex igne (hoc est nullum, ex aliquo istorum constare poterit) quia omne tale debet habere qualitates elementares remissas, & non ad summum.*

Tex. 22. Ex vno elemento non generatur mistum.

Existentibus autem quatuor simplicibus prædictis corporibus, vtrunque duorum vnum locum habebit, ita vt pro omnibus quatuor, duo tantum sint loca, vel vnus locus duobus conueniat elementis; loquendo videlicet generice, seu in communi, vt ignis, & aquæ locus ille est qui ad terminum fertur, (hoc est qui circa cælum, quod terminus dicitur (se extendit) terræ autem, & aquæ eius qui ad medium, particulariter tamen quatuor sunt loca, nam cuilibet corpori proprius locus conuenit. Extrema autem elementa, vt ignis, & terra sunt magis syncera, quam media, seu quam aer, & aqua, quia sunt in extremis, ac synceris locis, vt ignis simpliciter sursum, terra simpliciter deorsum, in quibus non faciliter potest contingere mistio. Et vtraque vtriusq; contraria sunt (hoc est duo eorum contrariantur alijs duobus, in duabus scilicet qualitatibus; quia in vna tantum, inter omnia quatuor elementa contrarietatem inuenire possumus) contraria vero in vtraq; qualitate sunt ignis aquæ, & terra aeri, hæc enim ex contrarijs passionibus, vel qualitatibus constituta sunt, nam ignis est calidus, & siccus; aqua frigida, & humida. Similiter aer est calidus, & humidus, terra est frigida, & sicca.

Elementa extrema sunt magis syncera, quam media.

Tex. 23. Quæ qualitas cui elemento magis insit.

Sed tamen simpliciter quatuor elementa existentia, vnumquodq; quidẽ vnius qualitatis magis, quam alterius est particeps. Terra enim sicci magis, quam frigidi. Aqua autem frigidi magis, quam humidi; Aer autem humidi magis quam calidi. Ignis autem calidi magis, quam sicci.

SVMMA SECVNDA.

De elementorum generatione.

CAPVT I.

De mutua elementorum generatione, facili, atque difficili.

Tex. 24. *QVoniam autem determinatum est prius in 3. de cælo, quod simplicibus corporibus ex se inuicem generatio conuenit, simul autem, & secundum sensum videntur generari; videmus namque mutuas alterationes, vt aquam calefieri, frigefieri aerem, humectari terram, ac ignem; cum igitur tales alterationes sint, etiam generatio, & corruptio eorum erit; non enim aliter essent alterationes, nam alterationes prædictæ fiunt secundum passiones ipsius tactus (hoc est fiunt secundum qualitates tangibiles), quæ ad corruptionem, & generationem inducunt. Cum igitur res, ita se habeat; dicendum est, quis sit modus transmutationis adinuicem, & vtrum possibile sit, omnia ex omni elemento generari, an hæc quidem possibile; hæc autem impossibile. Affirmatiue igitur respondetur, scilicet quod quodlibet elementum, ex quolibet alio natum est generari. Quod manifestum erit hac ratione. Quæcunque sunt contraria nata sunt adinuicem generari; quia generatio est solum inter contraria, & in contraria, tam scilicet in generationem quam in corruptione. Elementa autem omnia habent contrarietatem*

Generatio est solum inter contraria.

Elementa habent cõtrarietatẽ, quia qualitates corũ sunt contraria.

adinuicem, ex eo quod differentiæ, vel qualitates ipsorum sunt contrariæ, ita vt aliquibus elementis ambæ qualitates insint contrariæ, vt igni, & aquæ; illud enim siccum, & calidum, hoc autem frigidum, & humidum est. Illis autem vna tantum alteri contraria, vt aeri, & aquæ, illud enim calidum, & humidum, hoc autem scilicet aqua humida, & frigida. Quapropter vniuersaliter quidem manifestum est, quod omne ex omni generari natum est, quia siue per plures, siue per vnam qualitatem contrarientur ad generationem sufficit. Iam autem sigillatim secundum vnumquodque non difficile est videre, quomodo quidem omnia ex omnibus erunt, vel generabuntur, an scilicet æque faciliter, & cito, vel non.

Tex. 25. In habentibus cognationem facilius est transitus.

Differt igitur transmutatio aliquorum, ab alia aliorum secundum citius, vel tardius, facilius, vel difficilius. Quæcunque enim habent cognationem adinuicem, horum transmutatio est velox, quæcunque autem non habent, tarda, quia facilius est vnum, quam multa transmutare. Dicuntur elementa habere cognationem, quæ in vna qualitate conueniunt, vt ignis, & aer, quæ conueniunt in caliditate, & denique omnia elementa contigua, vel sequentia, vt aer, & aqua; quæ vocantur quoque symbola. Quæ vero in nulla qualitate conueniunt, vt ignis, & aqua; aer, & terra non cognata, & dissymbola dicuntur, ex igne igitur erit aer, altera, vel vna qualitate tantum vnius transmutata, ignis enim erat calidus, & siccus, aer autem calidus, & humidus, quapropter si vincatur siccum ignis ab humido aeris, aer erit. Rursus autem ex aere aqua erit, si vincatur calidum aeris à frigido aquæ, aer enim erat calidus, & humidus, aqua vero frigida, & humida, quapropter transmutato calido, aqua erit. Eodem quoque modo ex aqua terra, & ex terra ignis, habent enim ambo ad ambo cognationem, aqua enim humida, & frigida, terra autem frigida, & sicca est; quapropter victo humido aquæ, terra erit. Et rursus quoniam ignis quidem siccus, & calidus est, terra autem frigida, & sicca, si corrumpatur frigidum terra ignis ex terra erit. Quapropter manifestum est, quod circularis erit generatio in simplicibus corporibus, & facillimus hic modus transmutationis prædictæ, quia cognatio existit in ijs elementis, quæ consequenter sunt, & de quibus diximus. Nunc de ijs, quæ consequenter non sunt, sed dissymbola, & non faciliter generantur, dicamus.

Elementa symbola. Dissymbola.

Tex. 26. Ex igne quoque aquam, & ex aere terram, & rursus ex aqua, & terram, & aerem, & ignem contingit quidem generari, difficilius autem, quia pluriũ qualitatum est transmutatio, eo quod dissymbola sunt. Necesse est enim, si erit ex aqua ignis, quod corruptum sit frigidum, & humidum aquæ, & rursus si ex terra erit aer, corruptum esse frigidum, & siccum terræ, opus est. Similiter autem si ex igne, & aere, aqua, & terra generentur, necesse est ambas qualitates vtriusque transmutari, quare hæc erit tardior generatio.

Tex. 27. Si autem ipsorum dissymbolorum elementorũ, vna tantum qualitas vtriusque fuerit corrupta, facilis quidem erit transmutatio, at non in se inuicem, sed in aliquod tertiũ, vt ex igne, & aqua, erit terra, ex aere vero, & terra, ignis, & aqua. Vt si aquæ corruptum fuerit frigidum, ignis autem siccum, aer erit, relinquitur enim ignis quidem calidum, aquæ autem humidum, quæ sunt aeris qualitates. Quando autem ignis quidem calidum, aquæ autem humidum fuerit corruptum, erit genita terra, quia relinquitur siccum ignis, & frigidum aquæ: Similiter autem, & ex aere, & terra, ignis, & aqua fit. Quando enim aeris corruptum fuerit calidum, terræ autem siccum, aqua erit, relinquitur enim aeris quidem humidum, terræ vero frigidum. Quando autem aeris humidum, terræ autem frigidum corrupta fuerint, generatur ignis, quia relinquitur aeris calidum, terræ vero siccum, quæ quidem erant ignis qualitates.

Quod autem ex terra, & aere fiat ignis, sensui manifestum est, maxime loquendo de igne qui est flamma, hæc autem flamma est fumus ardens, fumus autem est exhalatio ex aere, & terra. Tex. 28. Flamma est fumus ardens.

In ijs autem elementis, quæ consequenter, vel symbola, vel cognata sunt non contingit corrupto in vtroque altero elementorum, vel qualitatum, factum esse transitum, vel transmutationem in aliquod tertium ab ipsis distinctum. Quia in symbolis sunt qualitates conuenientes, & disconuenientes. Modo cum vna in singulo debeat remanere, & altera corrumpi, vel relinquantur in ambobus, aut qualitates eædem, seu symbolæ, aut contrariæ; at ex neutris contigit generari corpus, probatur exemplo, si ignis quidem corruptum fuerit siccum, aeris autem humidum, relinquitur in ambobus calidum, quod nec elementum, nec mistum aliquod construere potest, plures etenim qualitates quam vnam, tam elementa, quam mista habent. Si autem ex vtroque corrumpatur calidum, relinquuntur contraria, scilicet siccum, & humidum, ex quibus aliquid generari neque potest, cum contraria sint, quæ simul esse non possunt, similiter autem potest dici de alijs, in omnibus enim ijs, quæ secundum consequentiam se habent, est hoc quidem idem, illud autem contrarium (hoc est habent vnam qualitatem communem, & duas contrarias) vt ignis communicat cum aere in calore, & contrariatur in humiditate, nam ignis est siccus, aer humidus. Quapropter simul manifestum est, quod elementa, quæ de vna qualitate in vnam tantum transmutantur, sicut sunt symbola, vna tantum qualitate corrupta generantur, quæ autem ex duabus qualitatibus contrarijs in vnum dissymbolum, & contrarium elementum conuerti debent, vt aqua in ignem, hoc faciunt pluribus qualitatibus, (nempe duabus) corruptis; quæ vero in tertium conuertuntur, id quoque efficiunt per transmutationem plurium qualitatum, sed vnius ex vno, alterius ex altero, vt visum est. Tex. 29.

Quod ergo omnia elementa, ex quolibet generentur, & quomodo adinuicem transitus, sit dictum est. Tex. 30.

CAPVT II.

Elementa non sunt materia naturalium corporum mistorum, neque alterum alteri.

Diximus de mutua elementorum generatione, sed tamen adhuc considerabimus de eis, an ipsa sint materia, ita vt vnum, vel plura sit aliorum materia. Si enim aqua, aer, ignis, & terra sunt materia naturalium corporum, vt quidam credunt, necesse est, aut vnum ipsorum esse, aut duo, aut plura. Vnum itaque omnium aliorum non est possibile, ita vt aer sit materia omnium, aut aqua, aut ignis, aut terra, nam transmutatio substantialis est inter contrarias, vel incompossibiles, & repugnantes formas, ergo si aer, vel aliud est aliorum materia, cũ habeat contrarietatem cum alijs, & formæ sint incompossibiles, non remanebit forma aeris adueniente forma alterius elementi, & sic aer non erit materia, quia materia debet manere sub vtraque forma, genitis. & corrupti. Si tamẽ adhuc dicatur, Tex. 31.

dicatur, quod remanet forma ipsius aeris, quia non est necesse vt statim ab alia forma corrumpatur. Licet hoc assumptum sit falsum; tamen secundum hanc positionem alıud sequitur absurdum, nam si erit aer, & permanet quidem secundum formam, alteratio erit, sed non generatio, nam quod in subiecto in actu recipitur alteratio est. Simul autem neque ita videtur, vt aqua sit simul, & aer, aut aliud quodcunque, quod tamen dicere oportet, si vnum ipsorum actualiter existens alterum quoque actuale, vel secundum formam reciperet. Opus igitur esset dicere, quod inter ipsa adhuc esset aliqua differentia, & contrarietas, & quia contraria non possint simul esse, debent assignari in eadem materia duæ, vel plures partes in quibus sint contrarietates, cuius materiæ ignis habebit aliquam particulam, nempe eam, quæ est subiecta caliditati, aer autem aliam, &c. & sic non tota materia à forma elementi informaretur, vel vnum non esset alterius materia, sed potius duo elementa coniuncta. Si autem dicatur, quod ibi sunt simul qualitates vnius, & alterius, & etiam forma, & natura, ita vt aer v. g. sit totaliter vt subiectum, & materia, dum vero recipit calorem dicatur ignis; hoc est absurdum, quia ignis nihil aliud esset nisi aer calidus, & hoc modo non esset generatio ignis, sed alteratio tantum aeris, neque videtur hoc, sed sensui, & experientiæ repugnat. Similiter autem rursus si ignis erit aer calidus, & aer natus est fieri ex igne, & è contra, ac transmutatio est inter contraria, tunc aer esset frigidus, quia fit ex igne qui ponitur aer calidus. Quapropter impossibile est ignem esse aerem calidum, simul enim idem esset calidum, & frigidum; nam si aer ponatur actualiter materia ignis, & ipse aer ex suppositis sit frigidus, ignis vero sit aer calidus, idem aer erit calidus, & frigidus, hæc autem omnia cum sint impossibilia: dicendum est, quod aliquid præter ambo, vel plura elementa erit idem, vel communis materia. Eadem autem est ratio de omnibus elementis, vel simul, vel seorsum sumptis, quod sicut vnum horum actuale non est omnium materia, nec omnia, vel aliqua simul, quare expresse sequitur, quod elementa actualiter in misto non remaneant, nam dum simul materia dicuntur in ordine ad mistum hoc erit.

Elementa non manēt actualiter in Misto.

Tex. 32. Sed neq; aliud aliquid præter hæc elementa, veluti medium aliquod aeris, & aquæ, vel aeris, & ignis, sic quod sit crassius vno, & subtilius altero, vt quidam dicunt, ponendum est materia; si etenim in actu ponatur, erit aer & ignis cum contrarietate; (hoc est ex ipso fiet, vel fieri diceretur aer, & ignis, prout contrarias qualitates ijs elementis conuenientes reciperet, non autem formas substantiales, quia hæ in re actu existente recipi non possunt, vt supra dictum est.) At si quis dicat, non opus esse, vt hæ qualitates contrariæ in tali corpore recipiantur, vt fiant contraria elementa, sed satis esse, quod priuatio caloris recipiatur, vt fiat aer; hoc nihil est, quia priuatio potest accipi pro altero contrario, vnde sat est, quod sit ignis, vel aer, & si nihil aliud esset, quam corpus hoc præditum qualitatibus elementorum ipsorum, & non eum vera forma, ignis, vel aliorum. Quapropter non contingit illud solum medium corpus esse vnquam, vt inquiunt quidam, sic quod sit indeterminatum, hoc est sine vllis qualitatibus, ac continens cætera; quia si corpus actuale est, habebit determinatas qualitates sensibiles, & si habet locum materiæ non continebit, sed continebitur. Similiter igitur, aut quodcunque horum ponendum est materia, aut nullum, quia, non est maior ratio de vno quam de alio, sed visum est, quod aliquod ipsorum esse non potest, ergo nullum, & multo minus hoc imaginarium commune omnibus.

Non datur corpus sensibile primum.

Si igitur nullum est sensibile corpus prius his, hæc vtiq; omnia indifferenter erunt prima sensibilia corpora, quæ cum inuicem omnia mutentur, nullum erit principium, vel materia alterius. Quod autem omnia mutentur in inuicem probatur. Nam necesse est quod, aut sint semper manentia, & immutabilia ad inuicem, aut quæ mutentur, vel omnia, vel aliqua, vt in Timæo scripsit Plato, qui omnia inuicem mutari asseruit, præter terram, quam immutabilem, & incorruptibilem posuit. Tex. 33.

Quod igitur omnia transmutari inuicem necesse sit: demonstratum est prius; & quod non similiter celeriter aliud ex alio, similiter prius dictum est. Quoniam habentia quidem cognationem, seu quæ sunt symbola, citius generantur ex se inuicem, non habentia autem tardius. Si igitur contrarietas vna est, secundum quam ipsa elementa transmutantur, necesse esset, quod duo tantum essent elementa, contrarietas namque vna est inter duo contraria; nec connumeretur materia pro altero elemento, quia ipsa materia medium quoddam, seu commune receptiuum, vtriusque est, existens inseparabilis, & insensibilis, hoc est, quæ non potest existere sine hac, vel illa forma, elementa vero contraria sunt adinuicem separabilia, & sensibilia. Quoniam autem plures videntur esse contrarietates, duæ vtique ad minimum erunt, duabus autem contrarietatibus existentibus, non possibile est tria esse contraria elementa, sed quatuor, quemadmodum videtur ex suppositis manifestum. Sex enim combinationibus qualitatum contrariarum existentibus, duas impossibile est generari, seu simul coniungi, quia contrariæ sunt ad inuicem, vt dictum est prius in textu 16. Tex. 34.

Materiā prima est insensibilis, & inseparabilis.

Quod autem (licet transmutentur) nullum ipsorum elementorum, siue in medio, siue in extremo existens, possit esse aliorum principium, ita quod vnum ipsorum non transmutetur in quodcunque, ex his, quæ dicemus manifestum erit. In extremis igitur elementis hoc non erit, quoniam omnia essent ignis, aut terra, si enim in actu manerent, omnia ad se ipsa conuerterent, & sic essent eiusdem naturæ, cum ipsis principijs, & eadem ratio est si dicamus omnia ex igne, & terra esse; videlicet, quod id quoque est falsum, sicut falsum est, quod sint ignis, & terra; non enim mista ex ijs duobus tantum sunt elementis, nec alia elementa, ex ijs tantummodo fiunt. Quod autem neque medium aliquod, sit principium aliorum, vt videtur quibusdam, scilicet aer, vel aqua; probatur; nam aer quidem in ignem transmutatur, & in aquam, aqua autem in aerem, & in terram, & sic omnia ad inuicem: vnde nullum habet rationem principij magis quam alterum. Verum est tamen, quod vltima non amplius transmutantur in se inuicem; (hoc est data mutua transmutatione omnium elementorum, non oportet post vltima, alia elementa assignare, in quæ ipsa vltima transmutentur, & è conuerso) oportet enim stare, & non infinitum ire secundum rectitudinem ad vtranque partem extremorum elementorum secundum rectum, seu non ponere alia, & alia infinita elementa; & dicitur notanter in rectum, quia in circulum non fit status, sed semper mutua, & regressiua est generatio, & corruptio; si enim in infinitum procederetur, in vnoquoque elemento essent infinitæ contrarietates, quod est absurdum; quod vero nec infinita sint elementa, nec infinitæ in vno sint contrarietates in sequenti textu probabimus, quod autem omnia elementa ad inuicem transmutentur, probemus nunc hoc pacto. Sit n. Terra T. Aqua, vel Lympha vocetur L. Aer Tex. 35.

vocetur A, Ignis vero I. Si ergo Aer transmutatur in ignem, & aquam, erit ei contrarietas cum vtroque, & sic contrarietur aer cum igne in albedine, & nigredine, ita vt ignis sit v. g. niger, aer vero albus; rursus si transmutetur in aquam erit alia contrarietas inter ipsa, quia aqua, & ignis non sunt idem, ergo habebunt diuersas qualitates, per quas sint diuersi; modo aer in vtrumque conuertatur, & sint contrariæ qualitates inter aerem, & aquam siccitas, & humiditas, ita quod aer sit siccus, aqua humida (quas qualitates, causa exempli tantum ponimus) erit igitur aer albus, & siccus, aqua vero alba, & humida, ignis niger, & siccus. Qua propter dum aer mutatur in aquam, si quidem manet albedo, cum sit qualitas in qua conuenit cum aqua ipsa aqua erit alba, & humida, sin autem nigra erit aqua, non erit facilis transmutatio, quia esset contrarietas in vtraque qualitate, nam aer positus est siccus, & albus, aqua vero humida, & nigra, quæ autem in duabus sunt contraria difficilius transmutantur, & non sunt elementa consequentia, vt hic loqui intendimus, debent ergo esse contraria in vna qualitate, & in altera conuenire, omnis namque transmutatio est inter contraria, necesse est igitur, aut nigram, aut albam esse aquam si ita qua alba, hoc erit primum, vel prima qualitas cum qua conueniet cum aere, & in humiditate differet, vnde transmutatio mutua erit. Similiter autem ipsi igni inexistet siccitas, & nigredo, quare in siccitate conueniet cum aere, & differet ab aqua humida, atque etiam contrariabitur aquæ alio modo, quia aqua est alba, ignis niger, vnde ad inuicem transmutari poterunt, & si non ita faciliter, quia in ambabus qualitatibus sunt contraria vt ignis est niger, & siccus, aqua alba, & humida. Manifestum itaque est quod omnibus prædictis ex se inuicem transmutatio est, & in his, & in terra quoque, quia sibi competunt adhuc qualitates duæ sibi cognatæ, seu compossibiles, & cum alijs repugnantes, vnde erit ipsa terra nigra, & humida, hæ namque duæ qualitates nondum coniunctæ fuerunt. Vt autem in summa dicam; omnia elementa sunt adinuicem transmutabilia, quia omnia contrarietatem habent adhoc sufficientem vt ignis niger, & siccus, Aer albus, & siccus, Aqua alba, & humida, Terra humida, & nigra.

CAPVT III.

Elementorum generatio non procedit in infinitum secundum rectum.

Tex. 36. QVod autem in infinitum non possibile est ire in elementis, & contrarietatibus ipsorum (quod ostensuri prius venimus ad hoc) manifestum est ex his. Si enim rursus ignis qui vocetur I in aliud elementum transmutetur, præter tria prædicta, & non reflectatur ad ipsa tria, & hoc aliud elementum vocetur P S, contrarietas quædam in igne, & tali elemento existet præter prædictas, nam omnis transmutatio est inter contraria, nulli enim idem esse supponitur, hoc elementum cum alijs, designatis per litteras T L A I (hoc est cum Terra, Limpha. Aere, & Igne) Sit ergo ipsi quidem igni qualitas aliqua contraria, cum hoc alio elemento, quæ qualitas sit B, & qualitas contraria talis elementi sit M, qualitas ergo ignis vel potius contrarietas omnibus alijs elementis existet, scilicet Terræ aquæ; & aeri, & ipsimet igni, transmutantur enim in se inuicem. Sed quod contrarietas omnibus omnium existat, nondum sit demonstratum, sed illud manifestum est, quod si rursus P S, seu illud aliud elementum, in aliud transmutabitur, alia erit contrarietas inter ea, & ipsum P S, inerit, & igni, similiter autem, & alijs elementis. Eodē modo semper cum elemento rursum apposito, contrarietas aliqua existet, & ijs etiam elementis, quæ ante sunt, etiam inexistet, cum omnia sint, ac poni debeant transmutabilia. Quapropter si infinita elementa essent, & contrarietates infinitæ vni existent. Si autem hoc erit, non erit vllum elementum terminatum qualitatibus, sed indefinitum, ac incognoscibile, neque generari vnum ex alio poterit; oportebit enim si vnum generabitur ex alio, tot transire contrarietates, quot sunt elementa, & amplius plures, cum in infinitum procederetur; quapropter in aliqua quidem nunquam erit transmutatio, vt si infinita media sint, quæ media necesse est quod sint infinita, si infinita sint elementa. Amplius autem, neque ex aere esset transmutatio in ignem; si quidem infinitæ essent contrarietates, quia pertransiri non poterunt; fiunt autem omnia vnum (hoc est omnes contrarietates reperiuntur in vno) & sic fiunt vnum, per accidens scilicet: sicut dicimus, quod homo, & musicus sunt vnum. Necesse enim est omnes contrarietates existere in elementis inferioribus ipso igne, eas inquam, quæ superiorum sunt elementorum, his autem eas, quæ sunt inferiorum; quapropter omnia vnum erunt, seu omnes infinitæ contrarietates in vno erunt, modo prædicto; quod impossibile est.

CAPVT IV.

Elementa cum sint plura, & comparabilia, sunt necessario transmutabilia, contra Empedoclem.

ADmirabitur autem aliquis, quod ij qui dicunt elementa esse plura, quam vnum, asserant ea non transmutabilia inuicem esse, præsertim cum dicant esse ad inuicem comparabilia, sicut dicit Empedocles, qui omnia elementa æqualia esse posuit, vnde simul comparauit. Si ergo ipsa elementa sunt æqualia secundum quantitatem, necesse est quod in omnibus aliquid sit commune existens, quo ipsa comparabilia sunt, & mensurantur; vt si ex hemina, vel mensura vna aquæ, fuerint decem heminæ aeris; idem aliquid erant ambo (hoc est conueniebant in ratione mensuræ) ergo æqualia in quantitate habebunt communem quantitatem, & eandem, hoc autem falsum est, quia etiam secundum ipsum Empedoclem elementa æqualia in quantitate molis non sunt, quare hæc æqualitas non debet attendi secundum quantitatem molis, sed potius secundum virtutem, & potentiam. Si igitur non sic secundum quantum molis comparabilia sunt, vt quantum ex quanto æquali mensuretur, sed potius quantum possunt (hoc est sunt æqualia in virtute) veluti si hemina aquæ æqualiter potest infrigidare, sicut decem aeris, sic (inquam) ipsa elementa secundum potentias comparare, non erit ea comparare secundum quantitatis mensuram, sed virtutis; verbi gratia; quod hoc est ita album, sicut aliud est calidum; quare comparatio attendenda est in quo genere fiat, nam in genere qualitatis, fit inter similia; in genere quantitatis, fit inter æqualia. Inconueniens igitur videtur, si hæc simplicia corpora, quæ immutabilia Tex. 37.

dicun-

dicuntur ab ipso, non sint comparabilia proportione, vel quantitate, sed mensura potentiarum, & eius quod est esse æquale calidum, aut simile, igni tantum conueniat, vel multiplex aeri, (hoc est magis potens) ita quod idem plus possit, quia eiusdem sit generis, & talem habebit rationem in altero, seu magis calidum, quod est eiusdem generis, & rationis cum minus calido, si inquam fiant comparationes inter elementa, non simpliciter quoad quantitatem molis, sed quoad virtutem, & potentiam, inconueniens est, ea intransmutabilia ponere; istæ namque diuersæ virtutes actiuæ, & passiuæ natæ sunt abinuicem transmutari, ita vt non tantum, quæ sunt diuersæ rationis, vt frigidum à calido, sed interdum quæ sunt eiusdem, vt minus calidum à maiori; & sic patet error Empedoclis, qui elementa comparabilia ponebat, & aliquomodo æqualia in virtute, & intransmutabilia.

Tex. 38. *Sed neque vera augmentatio utique erit secundum Empedoclem, sed tantum secundum additionem, vel iuxta positionem, vt ignis auget ignem, quia sibi adiungitur, quod quidem ipse quoque videtur confiteri; dicit namque, quod terra auget suum genus, hoc est terram, æthera autem æther, seu ignis ignem. Hæc autem non propriè augentur, sed apponuntur iuxta se inuicem, sed quæ augentur, non sic augeri videntur, imò qualibet pars debet augeri, & hoc fieri per alterationem; est enim augmentum in principio dissimile, & in fine fit simile per alterationem. At si ipse ponat elementa intransmutabilia, & inalterabilia, veram augmentationem, vt patet, saluare non poterit.*

Tex. 39. *Multo autem difficilius eidem Empedocli erit determinare de generatione secundum naturam; omnia enim quæ naturaliter generantur, fiunt aut semper, aut frequenter, & eodem modo; ea autem quæ extra semper, & frequenter, seu rarò fiunt, à casu, & fortuna fiunt, sed ipse Empedocles casum, & fortunam rerum naturaliũ assignat, inquit enim ex casuali elementorum commistione res generari. Cum igitur quæ à casu sunt rarò fiant, quænam igitur causa extitit huius, vt ex homine homo, aut semper, aut plurimum fiat, & ex frumento frumentum, & non oliua? non enim casum, & fortunam assignare potest, cum ista sint circa res rarò contingentes; hæc autem semper, vel frequenter eueniant.*

Tex. 40. *Quæratur etiam ab ipso secundum suam positionem, an si ita (à casu videlicet) fuerit compositum os, & alia huiusmodi? non enim aliquid tale generatur, vt contingit (hoc est à casu) conuenientibus simul elementis, quemadmodum ille inquit, sed ratione, seu ordine, forma, vel proportione aliqua hæc naturalia fiunt. Quæ igitur horum causa? non enim ignis, aut terra, & alia elementa à casu conuenientia.*

Tex. 41. *At vero neque amicitia, neque lis sunt causæ prædictorum, quia amicitia (vt ipse dicit) est solum causa congregationis, lis autem segregationis; natura autem rerum est substantia, & forma quædam per se, & non solum mistio, & fœdus mistorum elementorum, vt ille dicit, nam sic dicendo fortuna nominatur pro causa, & non aliqua verè ratio vel causa; est autem elementa mista esse, vt contingit, seu à casu, sicut ipse quoque fatetur; natura enim existentium causa aliqua determinata esse debet, sic se habendi, & hæc est natura vniuscuiusque rei, videlicet determinata causa, & forma, de qua nihil dicit. Nihil igitur de natura, seu forma dicit; sed tamen, & bene hoc est dicere, & bonum inter omnia. Ipse autem Empedocles mistionem solum laudat, quam tamen mistionem nec bene ponit; dicit namque quod lis segregat elementa; hoc autem secundum suam positionem esse non potest; imò non lis, sed amicitia debet segregare, cuius ratio est, quia ipse posuit elementa esse Deos, & similiter Cœlum Deum esse, & ex elementis constare; quare ipsa elementa posuit esse priora natura ipso Deo, vel Cœlo. Dij autem (secundum ipsum, vt diximus) & hæc elementa quoque sunt. Sed absurdum est à lite, quæ mala est turbari, & segregari Deum, ergo si dicere hoc volebat, potius amicitiæ, quæ bona est id tribuere debebat.*

Tex. 42. *Amplius autem de motu dicit simpliciter absque vlla ratione, vel probatione; non enim sufficit dicere, quod amicitia, & lis mouent, nisi dicatur, hoc esse proprium amicitiæ, quod tali, vel tali motu moueat, liti autem tali, vel tali. Oportet igitur aut definiuisse, seu determinasse, aut supposuisse, vt verum, aut demonstrasse, vel acriter (seu stricta, & vera demonstratione) aut leniter, aut alio quodam modo.*

Tex. 43. *Amplius autem, quoniam corpora naturalia videntur moueri naturaliter, & vi, seu præter naturam, vt ignis quidem superius non vi, sed naturaliter mouetur, inferius autem vi; motui autem violento est contrarius naturalis, vnde sicut datur moueri violenter, ita quoque secundum naturam, quia si vnum contrariorum est in natura, & reliquum. Hoc supposito, quæritur, an hoc motu, scilicet naturali moueat amicitia, vel non; & videtur secundum ipsum Empedoclem, quod potius violenter moueat, è contrario enim terra superius mouetur, & tunc videtur congregari, quia vnitur cum alijs corporibus, maximè cum nobilissimis; congregare autem est proprium amicitiæ, ergo amicitia est causa motus violenti; dum autem ipsa terra deorsum fertur, & naturaliter, segregatione assimulatur, & huius lis est causa; quare amicitia est causa motus violenti, & lis naturalis, quod absurdum est, sic namque amicitia erit magis præter naturam, simpliciter autem, nisi lis, vel amicitia moueat, non erit motus neque quies, quod inconueniens est.*

Tex. 44. *Amplius autem secundum eundem Empedoclem apparet, vel manifestum est, quod mouentur corpora sine lite, & amicitia; segregauit enim lis elementa abinuicem, sed postea ad diuersa loca sine lite, et amicitia se contulerunt, vnde latus fuit superius æther, seu aer non à lite; sed quandoque quidem inquit, vel à fortuna, vel ab alio, asserit namque; Sic enim fuit multoties, tunc frequenter autem aliter. Quandoque autem (inquit) natum esse ignem sursum ferri: æther autem, seu aer ingrediebatur longis radicibus terræ; simul autem, & mundum similiter (inquit) se habere in lite nunc, & prius in amicitia, hoc est in disgregatione, elementorum nunc, prius in congregatione, non autem sic semper; quare lis, & amicitia non sunt vniuersales causæ motus. Quid igitur est, quod mouet primũ, & causa motus? non enim amicitia, & lis, sed cuiusdã motus tantum hę causę sunt; si autem sunt aliæ causæ vniuersales, hæ erunt illud principium, quod omnia mouet, & non amicitia, & lis.*

Tex. 45. *Errat etiam Empedocles asserendo, omnia vel esse elementa, vel ex eis constare; nam inconueniens est, si anima ex elementis constet, aut vnum illorum sit; alterationes, namq; animę quomodo erunt, vt esse musicum, & rursus immusicum, aut memorari, vel obliuisci? Manifestum est enim quod si quidem ignis, vel aliud elementum anima sit, passiones inerunt ei, quæcunque igni, vel alteri elemento insint, secundum quod ignis, vel aliud elementum est; Si autem anima sit quid mistum ex elementis, corporales, & elementares passiones habebit, harum autem prædictarum nulla corporalis est; quare nec elementum,*

nos ex elementis anima constat. Sed de ijs opus est alterius contemplationis.

SVMMA TERTIA.

De Mistorum generatione.

CAPVT I.

Quomodo elementa mutuo generentur, & quo pacto ex eis generentur Mista.

Tex.46. *De elementis autem, ex quibus corpora mista constituta sunt; quibuscumque quidem videtur, quod habeant aliquam materiam communem, aut in se inuicem mutari; necesse est quod hæc adinuicem conuerti asserant, hoc est, si habent communem materiam, transmutentur, & si transmutantur, communem materiam habeant. Quicunque autem non faciunt ex inuicem generationem, nec ex vnoquoque ipsorum mistum fieri dicunt, nisi sicut ex pariete lapides, (hoc est, qui dicunt elementa intransmutabilia esse inter se, sed componere mistum, sic lapides componunt parietem, & ex pariete lapides resoluuntur, quæ compositio est ex partibus actualiter existentibus, quæ per consequens non efficiunt veram mistionem) hi inquam inconueniens dicunt; quomodo enim ex illis elementis, erunt carnes, & ossa, & aliorum vnumquodque mistorum? Hæc namque mista secundum se tota mista esse debent, ita vt quæcunque pars, mista dicatur; si vero vt lapides in pariete sint in ipsis elementa, non erunt verè mista, sed ex vna parte erit ignis, ex altera terra, & sic de alijs, vnde quælibet pars misti, non esset mista, quæ est positio Empedoclis, qui elementa intransmutabilia ponit. Habet autem dubitationem etiam apud eos, qui elementa ex alterutris generari dicunt (quæ est positio vera) quomodo videlicet ex eis generetur aliquid aliud præter ipsa elementa. Dico autem quod si ex igne fit aqua, & ex hac generatur ignis, nihil difficile videtur; habent enim hæc commune subiectum, & contrarietates, vnde transmutabilia sunt, sed si ex eis generatur etiam vtique caro, & medulla, & alia mista, quomodo generantur? non enim commune subiectum, nec contrarietates cum elementis habere videntur. Illis enim, qui dicunt sicut Empedocles (videlicet, quod elemēta in paruas partes diuisa, et simul cōiuncta, vt parua partes ignis, & aquæ, aliorum mistum faciunt) quis erit modus saluandi veram mistionem? necesse enim est hanc compositionem esse, sicut ex lapidibus, & ex lateribus paries erit; quæ quidem non est propriè, & vera mistura; sed secundum quid, scilicet ex saluatis quidem elementis, & secundum paruas partes adinuicem compositis; sic itaque caro, & aliorum vnumquodque mistorum erit; quæ mistio non est, quia non quælibet pars misti esset mista, vt in vera mistione requiritur.*

Tex.47. *Contingit autem ex prædicta Empedoclis positione, quod non ex qualibet parte carnis, vel alterius misti, generetur ignis, & aqua, & alia, sed sicut ex vna parte ceræ fit sphæra, ex alia autem pyramis, ita ex vna parte misti generetur aqua, ex alia ignis, & sic de alijs; quod quidem falsum est, nam vel vtraque ex qualibet parte, vtrumque vel quodlibet elementum generari contingit. Hoc igitur modo generantur elementa ex carne, ex qualibet scilicet parte ambo vel omnia; dicimus enim ambo causa exempli. Eis autem qui illo modo dicunt (idest quod elementa in paruas partes diuisa insint in misto) non contingit hoc dicere, quod scilicet, ex qualibet parte misti omnia elementa fiant; sed vt ex pariete fit lapis, & lateres, vterque etenim ex alio loco, & alia parte parietis fit, & non ex qualibet parte ambo.*

Similiter autem qui faciunt vnam communem elementorum materiam, ac ipsa elementa transmutabilia ponunt, vt nos, habent aliquam dubitationem de ipsa mistione; quomodo videlicet, erit aliquod mistum ex ambobus elementis, vel ex omnibus, vt ex frigido, & calido, aut aqua, & igne. Si enim fit caro, vel aliud mistum ex ambobus, & neutrum eorum est, neque rursus est compositio ipsorum elementorum saluatorum secundum paruas partes, vt dicebat Empedocles, quid relinquitur, nisi materia, vel quid remanet, nisi id quod ex elementis est, vel fit? alterius enim corruptio, aut alterum facit, aut materiam tantum relinquit, nisi aliquid ipsius corrupti remaneat; relinquit dico materiam, non solum, sed sub forma alterius, & sic est sensus, vel quod elementa actualiter remaneant, & alterum faciant nempe mistum, vel remaneat sola materia, & sic mistio non erit, sed corruptio vnius, & generatio alterius; vnde nodus difficultatis est notus. Numquid igitur causa mistionis est ista nunc explicanda? Quoniam igitur datur magis, & minus calidum, & similiter frigidum, & quando quidem alterum ipsorum fuerit simpliciter in actu, seu in esse summo, alterum erit potentia respectu eiusdem, vt summè calidum nihil habet actualiter de frigiditate, sed solum in potentia. Quando autem non omnino est summè calidum, vel frigidum, sed vt quidem calidum, ac simul aliquomodo frigidum, aut vt frigidum aliquomodo simul calidum (hoc est in esse quodam remisso, quia contraria, quæ miscentur corrumpunt excellentias adinuicem, seu in esse summo, vel excellenti) neutrum manet. Dicimus ergo, quod dum hoc modo qualitates contrariæ remissæ manent, simul tunc est mistum, tunc namque neque tantum materia elementi erit, neque illorum cōtrariorum vtrumque actu simpliciter, sed medium, & hoc dicimus mistum. Vnde patet solutio argumenti. Est tamen notandum, quod hæc temperies, & mistura contrariarum qualitatum, non debet esse simpliciter ad pondus, ita vt tot sint gradus caliditatis, quot frigiditatis, sed sufficit proportio, quæ naturam & conseruationem misti concernit. Quare secundum quod vnum mistum est potentia magis calidum, quam frigidum, vel è contra, secundum hanc rationem, vel proportionem, erit in eo duplo calidum potentia, aut frigidum, vel triplo, vel secundum alium talem modum. Erunt autem mista ex contrarijs qualitatibus, aut ex elementis (vtrumque etenim dici potest, videlicet, quod mistum ex elementis constet, & ex qualitatibus ipsorum; vtraque enim concurrunt ad ipsius productionem) & elementa quoque ex illis mistis, quæ existunt in potentia ad elementa; non ita vero vt materia tantum (sic videlicet, quod sola materia elementorum in mistis remaneat, vel materia mistorum in elementis) sed secundum prædictum modum (hoc est secundum qualitates, & virtutes) & est hoc modo quidem mistio, illo vero modo materia, quæ generatur seu in aliud transmutatur. Quoniam autem patiuntur contraria secundum eam determinationem, quæ in primis sermonibus (hoc est in capite de facere, & pati in 1. lib.) diximus, prouit scilicet, quod est actu calidum, & potentia frigidum, & actu frigidum potentia calidum, quapropter si virtutes ipsorum contra-

Tex.48.

riorum

riorum non coæquentur, vel proportionentur non mutantur ipsa elementa in mistum, sed in se inuicem, vel in aliud tertium est contrarium elementum, virtus namque fortior trahit contrarium in suam naturam, vel si duo dissymbola sic pugnent, vt qualitas vnius superet contrariam alterius, in tertium elementum conuertitur, & non in mistum. Et primo quidem elementa ita in se inuicem transmutantur, ex his autem secundum proportionatam misturam fiunt carnes, & ossa, & quæ talia mista sunt, quod fit, calido facto frigido, frigido autem calido (hoc est vno altero participante) sic quod ad medium veniant. Hoc autem mistum, vel medium neutrum elementorum est, sed multa elementa, per participationem, non tamen indiuisibile, sic quod æqualiter participet extremis, sed sufficit quod secundum proportionem omnibus participet. Similiter autem & siccum, & humidum, & alia talia secundum medietatem, vel temperaturam, faciunt carnem, & os, & alia huiusmodi mista, ita quod elementa, & qualitates ipsorum ad misti productionem secundum proportionem concurrunt.

C A P V T II.

An Mista omnia ex quatuor constent simplicibus elementis.

Tex. 49. *Omnia autem mista corpora, quæcunque circa locum medij, vel terræ sunt (ad differentiam mistorum imperfectorum, quæ in aere, & alijs regionibus generantur) ex omnibus simplicibus composita sunt. Terra enim inest ipsis, quia vnumquodque corporum est maximè, & multum in proprio loco, de quo participare maximè debet, sed omnia mista perfecta sunt circa terram, veluti in proprio loco, ergo maximè de terra participant. Præter quam quod ipsa terra est magis compacta, & magis apta vt sit materia. Aqua autem inest, quia ipsa composita indigent terminari, seu disponi, ac mollificari, vt conuenientem figuram recipere possint. Solam autem aquam inter simplicia corpora dicimus esse facile terminabilem, seu potius facile aliorum terminatiuam, & dispositiuam (aer namque passiuè magis terminabilis est, non tamen facile aliorum terminatiuus.) Amplius autem terra in misto sine humido non potest consistere, sed hoc est, quod continet partes ipsius ne dissoluantur; si enim auferatur ex ipsa omnino humidum, decidet vtique, ac in puluerem resoluetur, quod in misto verum est, nam in se simplici non est necessarium, cum humiditate careat. Terra igitur & aqua propter has inexistunt causas in misto. Aer autem & ignis insunt in misto, quoniam contraria sunt terræ, & aquæ; terra enim aeri, aqua vero igni contraria est, non scilicet strictè, sed vt contingit substantiam, substantiæ esse contrariam; hoc est ratione suarum qualitatum. Quoniam igitur generationes ex contrarijs sunt, & altera extrema contrariorum existunt in mistis, vt ratione terræ siccum, & frigidum, ratione aquæ frigidum, & humidum, ideo necesse est, quod altera extrema contraria insint, ad reprimendas has qualitates ne in summo maneant, debent enim manere in esse remisso, & remissio non fit, nisi à contrarijs qualitatibus, & sic summa aquæ frigiditas, à summo calore ignis retunditur, & summa siccitas terræ, à summa humiditate aeris. Quapropter in omni composito, vel misto perfecto omnia simplicia insunt elementa, vt diximus.*

Testificari autem videtur id quod diximus nutrimentum vniuscuiusque, omnia enim nutriuntur ex eisdem ex quibus sunt; at omnia ex multis elementis nutriuntur, ergo ex multis constant, aliter superflua plura apponerentur; quod vero ex multis omnia nutriantur, patet de ijs de quibus minus apparet, etenim quæcunque videntur vno solo nutriri, vt plantæ, quæ videntur nutriri ex sola aqua, multis nutriuntur; mista est enim aqua terræ, ideo agricolæ tentant irrigare plantas, & herbas, cum miscuerint aquam terræ. Quoniam autem nutrimentum est quidem veluti materia, quia videlicet corrupta propria forma, eam quæ est nutriti recipit, quod autem nutritur, videtur quid comprehendens materiam & formam, seu speciem, quia remanet forma eius, ac nutritur simulque propriam retinet materiam, ideo rationabile est, inter simplicia corpora, ignem maximè nutriri (quod per similitudinem, ac modo vulgari intelligendum est, quia vera nutritio est tantum viuentium) dico inter corpora simplicia, seu elementa, quæ adinuicem transmutantur, quod vero maximè nutriatur, antiqui Philosophi dicunt; atque ratio est, quia ipse solus videtur habere rationem formæ, quia natus est ferri ad terminum, (hoc est ad vltimum cęli, quod est terminus mũdi sublunaris) vnumquodque autem natum est ferri ad suam propriam regionem, ea autem regio, quę alias continet, habet rationem termini & formæ, ideo cum locus ignis sit maximè forma, & ipse quoque maximè forma videtur, & ratione participationis, & quia assimilatur ipsi loco. Cęlum igitur terminus est, & quia ab ipso omnia hæc inferiora dependent, ideo forma, & species, seu exemplar omnium in terminis, seu in cęlo est, ita vt nihil in istis inferioribus euenire possit, cuius in cęlo non sit causa, vel influentia. Quod igitur omnia corpora mista perfecta, ex omnibus constituta sint simplicibus, dictum est.

Tex. 50. Omnia nutriuntur ex eisdẽ ex quibus stant.

Ignis inter simplicia corpora solum nutritur.

Ignis maximè habet rationem formæ.

Formæ omnium rerũ sunt in terminis.

S V M M A Q V A R T A.

De causis generationis, & corruptionis.

C A P V T I.

Oportet inquirere causas rerum generabilium, & corruptibilium vniuersales. Quot quęve sint istæ causæ, & nonnulli errores Antiquorum circa ipsas.

Qvia vero sint quædam generabilia, & corruptibilia particularia, vt animalia, plantæ, & alia, & generatio existit his in eo loco, qui est circa mediũ vel terram, ideo vt exactè de ijs in proprijs locis determinemus (hoc est in lib. de animalibus, & plantis). dicendum hic est in vniuersali de omni generatione similiter, quot, & quænam sint eius principia; facilius enim sic singularia considerabimus, quando de vniuersalibus determinauerimus primum. Sunt igitur, & numero æqualia, & genere eadem, principia quæ sunt, & in sempiternis, & primis corporibus (hoc est in elementis, quæ dicuntur sempiterna, & prima, prout nunquam secundum se tota corrumpuntur, sed tantum secundum partes, vnde quia tota remanent, & eundem ordinem, ac situm retinent, sempiterna dicuntur, & prima prout sunt aliorum principia; nec est verum, quod hic sempiterna corpora intelligantur cęli, quia in sequentibus dicitur hæc principia esse causa Tex. 51.

gene-

generationis in ipsis sempiternis, cęlum vero est ingenerabile; prӕterquam quod, quӕritur aliud omnibus commune principium efficiens, & ipsummet cęlum, vel pars eius nempe Sol assignatur, at idem non est efficiens sui ipsius.) cum ijs quӕ sunt mista; aliud enim principiũ est vt materia; aliud autem vt forma: oportet autem, & tertium (scilicet efficiens) adhuc esse, non enim ad generandum (seu ad hoc, vt hӕc mista corpora generentur) sufficiunt duo, quemadmodum neque in primis (hoc est in elementis) sufficientia sunt, vt generentur: hic igitur nota, quomodo hӕc principia debent esse sufficientia ad generandum etiam in primis: Cęli ne igitur generantur? At si dicatur, quod ly generandum intelligitur actiuè, idest ad hoc vt generent; hoc est falsum, nam ad rationem efficientiӕ, non requiritur materia, & forma (vt patet de intelligentijs, & Deo.) Materia igitur generabilibus est causa necessaria, vt vnumquodque ipsorum possibile sit, & non sit, hoc est possit esse, & non esse, generari, & corrumpi. Pro cuius maiori intelligentia est notandum, quod entium, quӕdam sunt ex necessitate, vt quӕ secundum se tota sunt ӕterna quemadmodum cęli, & intelligentiӕ: alia autem non sunt ex necessitate, vt omnia sublunaria. Necessariorum autem, quӕdam impossibile est non esse, vt prӕdicta, videlicet Cęli; quӕdam impossibile est esse, vt propositiones ӕternӕ veritatis negatiuӕ, sicut ista diameter non est commensurabilis lateri, & similes, nanquam enim esse poterit; quod sit commensurabilis, & tamen sunt necessaria; quia id dicitur necessarium, quod non contingit aliter se habere, hӕ autem sunt huiusmodi, ergo. Quӕdam vero (vt diximus) non sunt ex necessitate, vnde possibilia sunt, vt sint, & non sint, & hӕc sunt generabilia, & corruptibilia, quandoque enim est hoc generabile, quandoque autem non. Quapropter necessarium est, generationem, & corruptionem, esse circa id quod potest esse, & non esse. Ideoque materia quidem hęc est causa generabilibus, vt possint esse, & non esse; vt autem cuius gratia (seu vt finis, qui est causa vt sint) est forma & species, hӕc autem est ratio, vel causa vniuscuiusque substantiӕ, nam omnia agunt propter finem, & ipse quoque est forma.

Tex. 52. *Sed prӕter duo prӕdicta principia, oportet etiam adesse tertium; quod quidem omnes somniant, nullus autem expressè dicit. Sed aliqui quidem, (vt Plato in Phӕdone, qui adducit Socratem loquentem) existimauerunt sufficientem causam ad generandum esse naturam formarum, sed Idęarum. Etenim ille increpans alios, vt nihil de tali principia dicentes; supponit; quod entium, hӕc quidem sunt formӕ, vel Ideӕ, hӕc autem participatiua, vel receptiua formarum, & quod vnumquodque dicitur habere esse, vel naturam, secundum formam, vel Idęam, vt homo quilibet dicitur talis ratione ideӕ, vel formӕ hominis, generari autem secundum susceptionem talis ideӕ, corrumpi vero secundum abiectionem; nam istӕ formӕ secundum ipsum sunt abstractӕ à materia, & vniuersales; & cum coniunguntur, tunc est generatio indiuidui, cum separantur corruptio. Quapropter si hӕc, quӕ dicit vera sunt, existimat formas ex necessitate esse causas sufficientes generationis, & corruptionis. Hi autem causam efficientem existimant esse materiam, ab hac enim esse motum affirmant. Neutri autem dicunt bene. Non primi, quia si formӕ, vel ideӕ sunt causӕ, quare non semper generant continuè, sed quandoquidem, quandoque autem non existentibus semper istis formis, ac etiam participatiuis? hoc est cum ipsӕ formӕ semper sint, & sufficientes in genere causӕ efficientis & formalis, & similiter sit semper materia. semper deberet esse generatio. Amplius autem, in quibusdam contemplamur aliam causam esse, prӕter formam. Medicus enim facit sanitatem, & sciens scientiam, existente sanitate ipsa, & scientia, & participatiuis, idest, prӕter sanitatem, & scientiam, quӕ sunt causӕ formales, requiritur efficiens, vt Medicus, & sciens. Similiter autem in alijs secundum potentiam, vel virtutem operantibus.*

Si autem materiam quis inquiat generare propter motum, naturalius vtique diceret ita dicentibus; alterans enim, & transformans magis causa est generari, & in omnibus consueuimus hoc vocare efficiens, quod per motum agit, tam videlicet in ijs, quӕ sunt à natura, quàm in ijs, quӕ ab arte. In hoc igitur, quod ponunt motum, quam Plato, naturalius loquuntur, qui non per motum generationem efficiebat, sed per receptionem, & abiectionem ideę à materia. Sed tamen dum isti motum, ac efficientiam tribuunt materiӕ, neque rectè dicunt, materiӕ enim est pati, & moueri, seu disponi; mouere autem, & facere est alterius potentiӕ, scilicet formӕ. Manifestum autem est in ijs, quӕ & arte & natura generantur; non enim ipsa aqua, vel semen, aut alia materia facit animal ex se ipsa; neque lignum lectum, sed ars; vnde patet, quod materia non est causa efficiens. Quocirca, & hi dicunt non rectè propter hoc, & quoniam derelinquunt principaliorem causam; auferunt enim quod quid est, seu formam. Tex. 53. Materię est moueri, & pati formӕ agere.

Amplius autem quidam (vt Parmenides) potentias attribuunt corporibus, secundum quas dicunt fieri generationes, & corruptiones; (hoc est dicunt, quod in materia sint virtutes, & potentiӕ actiuӕ, ad generationem, & corruptionem sufficientes,) propter quas generant valde instrumentaliter, nam ponunt accidentia tantum, quӕ sunt instrumenta auferentes eam causam, quӕ est secundum formam: Quoniam enim natum est, (vt inquiunt) calidum quidem segregare, frigidum autem congregare, & aliorum vnumquodque accidentium; hoc quidem facere, hoc autem pati; ex his dicunt omnia alia generari, & corrumpi, & sic instrumenta solum constituunt. Prӕterquam quod, dimittunt rationem patiendi, ponendo solum principia actiua, vnde multo magis errant, non enim solum agunt elementa, sed etiam patiuntur; videtur enim ignis eo ipso quod mouetur esse patiens, qui tamen inter omnia maximè actiuus est; ergo multo magis alia. Tex. 54.

Amplius verò simile faciunt, vt si quis serrӕ, & vnicuique instrumentorum, attribuat causam eorum; quӕ generantur per ipsa, tanquam principalibus agentibus, quod absurdum est, necesse est enim diuidi aliquid, non tantum per serram, sed existente serrante, & leuigari aliquid existente poliente, & non solo instrumento, & in alijs similiter. Quocirca quod quam maximè faciat, & moueat ignis dicunt; sed quomodo mouet non vident, quoniam deterius quam instrumenta; nam instrumenta aliquomodo agunt; sed ignis secundum ipsos nequaquam, cum totam virtutem agendi suis qualitatibus tribuant. Nos autẽ vniuersaliter in 2. Phys. diximus de causis; & nunc determinatum est etiam de materia, & forma. Amplius autem in 8. Physicorum, & in primo de Cęlo demonstratum est, quod inter motus locales, datur aliquis qui est perpetuus scilicet motus Cœli, ideo istis suppositis, ac sic existentibus, concludimus necessarium esse, quod continuè, ac perpetuò sit generatio; habetur enim perpetua materia, quӕ nata est semper recipere formas, & ipsӕ perpetuò sunt educibiles de potentia eius, & similiter habetur perpetuus motus; Latio enim faciet generationem incessanter; quia adducit, & abducit generatiuum, scilicet Solem, qui est Tex. 55. Latio facit incessanter generationem.

omnium

Ens potius est causa nō entis generationis, quam è cōtra.

omnium generatiuus. Simul autem manifestum est, quod & quæ prius diximus in 8. Physic. bene dicta sunt, videlicet primam transmutationem, vel motum esse lationem, sed non generationem, multo enim rationabilius est, ens esse causam generationis non enti, quam non ens esse causam essendi non enti. At quod fertur, seu localiter mouetur est; quod generatur non est, propter quod latio prior est generatione, ac ipsius generationis causa.

CAPVT II.

Quæ sit causa perpetuitatis generationis, & corruptionis. Quod oporteat deuenire ad vnum primum, & à quo dicatur continuitas motus.

Tex. 56. *QVoniam autem suppositum, ac demonstratum est, continuam esse rebus generationem, & corruptionem, atque dicimus lationem esse causam generationis, ideo quomodo hoc contingat exactius examinandum est: manifestum est enim, quod vna existente latione, non contingit fieri generationem, & corruptionem, quia contraria sunt; idem enim, & similiter se habens, semper idem natum est facere, & non contraria; quocirca si vna tantum sit latio, & eodem modo se habens, aut erit semper generatio, aut semper corruptio, & non ambæ. Oportet autem multos esse, & contrarios motus, aut lationes, (ita vt sint motus re vera diuersi) aut inæqualitate (ita vt vnus motus diuersimode se habeat secundum diuersam approximationem si debeant esse contrarij effectus sicut sunt generatio, & corruptio) contrariorum enim, contraria sunt causæ. Ideoque non prima latio primi mobilis causa generationis, & corruptionis est; sed quæ fit secundum obliquum circulum (hoc est motus Solis, qui fit per Zodiacum, qui dicitur circulus obliquus, quia non diuidit primum mobile per partes æque distantes à Polis, sicut facit circulus æquinoctialis) in hac enim latione & est vnū moueri continuum, & duobus quoque motibus, vno scilicet primi mobilis, qui completur per spatium vigintiquatuor horarum; altero proprio qui completur per annum. Necesse enim est, si erit semper continua generatio, & corruptio, semper aliquid moueri vt non deficiant ipsa transmutationes, atque duobus motibus hoc moueri debet, vt non solum vnum tantum contingat, hoc est tantum generatio, vel corruptio, sed ambæ. Continuitatis ergo vel perpetuitatis motus, latio quæ est totius, seu primi mobilis causa est, accedendi vero, & recedendi ad nos Solis, est ipsa inclinatio, vel motus proprius (qui dicitur inclinatio, quatenus declinat à motu primi mobilis) contingit enim quandoque fieri longe, quandoque vero prope; quare existente ipso Sole in distantia inæquali, inæqualis erit motus ipsius, vt patet ex diuersitate dierum, ac noctium in diuersis anni temporibus. Quocirca, si in aduenìendo, & in prope esse, generat, & in recedendo, & longe fieri ipsemet corrumpit; & si in sæpe aduenìendo generat, & in sæpe recedendo corrumpit; contrariorum enim, contrariæ sunt causæ.*

Idem est natum facere idem.

Contrariorum contraria sūt causæ.

Tex. 57. *Et in æquali tempore fit corruptio, & generatio secundum naturam, sex enim mensibus fit generatio, videlicet vere, & æstate; sex autem corruptio, autumno, & hyeme: Ideo & tempus & vita vniuscuiusque numerum, vel determinatam mensuram, seu durationem habet, omnium enim est ordo, qui consistit in determinatione principij & finis, & omne tempus & vita mensurantur circuitu Solis, sed tamen non eadem vita & duratione omnia viuunt; sed hæc quidem minori, hæc autem maiori: his enim annus, his autem maior, alijs autem minor circuitus est mensura.*

Tempus, & vita cuiusq; mensuram habent.

Apparent autem, & secundum sensum confessa, seu conformia ijs, quæ à nobis dicta sunt, de æqualitate temporis generationis, & corruptionis. Videmus enim, quod adueniente quidem Sole, generatio est, recedente autem corruptio, & inæquali tempore vtrunque; æquale enim tempus generationis, & corruptionis est secundum naturam. Sed contingit sæpe in minori tempore corrumpi propter confusionem qualitatum, vel elementorum, ac aliarum dispositionum, & causarum particularium adinuicem: inæquali enim existente materia, seu æqualiter disposita, & non vbique eadem, necesse est generationes inæquales esse; & has quidem celeriores, illas autem tardiores; quocirca accidit propter generationem horum fieri corruptiones alijs, & sic generationes, & corruptiones, sunt inæquales ob causas, & dispositiones particulares. Semper vero, vt dictum est, continua erit generatio, & corruptio, & nunquam deficiet, propter eam quam diximus causam, hoc est propter motum Cæli, & maximè orbis Solis. Tex. 58.

Tempus generationis, & corruptionis est æquale.

Hoc autem rationabiliter contingit. Quoniam enim in omnibus inquimus naturam semper desiderare quod melius est. Sed melius est esse, quam non esse, ergo natura in omnibus desiderat semper esse. Ipsum autem esse, quot modis dicimus in alijs hoc est in Met. dictum est, scilicet, quod aliud est esse idem numero, aliud idem specie, genere, & analogia. At esse idem numero in omnibus semper, (seu quod vnumquodque idem numero incorruptibile perseueret) impossibile est; propterea quod longe ab incorruptibili, & immortali principio (hoc est à Deo) distant; ideo reliquo modo Deus ipse compleuit totum, continuam faciens generationem, per quam res habent semper esse, non secundum identitatem numeralem, sed specificam; ita enim maximè continuabitur ipsum esse, quia fieri semper generationem, est proximè esse substantiæ, vel naturæ numerali. Huius autem perpetuæ generationis causa, vt dictum est sæpe, est latio circularis; sola enim continua, vel perpetua est. Ideo & alia quæcunque transmutatur adinuicem secundum qualitates & virtutes, vt sunt simplicia corpora, imitātur circularem lationē, cùm enim ex aqua aer generetur, & ex aere ignis, & rursus ex igne aqua; dicimus reuertisse generationem, quia rursus reflectitur; quocirca latio recta imitans circularem perpetua est per reflexionem, ergo multo magis ipsa circularis erit simpliciter perfecta. Tex. 59.

Natura desiderat in omnibus sēper quod melius est.

Simul autem ex his manifestum est, quod quidam dubitant, quare videlicet vnoquoque corpore simplici lato in propriam regionem iam à tempore infinito, non distrahuntur ipsa simplicia corpora, seu non separantur ab inuicem, sic quod amplius ad misti compositionem non conueniant. Causa enim huius est transitio, vel transmutatio adinuicem, si enim vnumquodque maneret in sua ipsius regione, & non transmutaretur ab eo, quod sibi prope est, iam vtique distracta, ac separata fuissent; transmutantur igitur propter lationem duplicem existentem, hoc est primi mobilis & Solis; vel Solis tantum dupliciter se habentis, scilicet secundum accessum, & recessum, cuius motu, ac virtute è proprijs expelluntur locis saltem secundum partes, & ad pugnam, atque transmutationem excitantur, Tex. 60.

vt

Elementa non manet in vlla regione ordinata.

vt sensu manifestum est quotidie in elementis, quę sunt prope nos; multæ namque exhalationes è terra, vaporesque ab aqua abstrahuntur. Quia igitur ipsa elementa transmutantur, non contingit vllum eorum manere in vlla regione ordinata, sed per omnes vagari. Quod igitur est generatio, & corruptio, & propter quam causam, & quid generabile, & corruptibile manifestum est ex his, quæ dicta sunt.

Tex. 61. *Quoniam autem si erit motus necesse est, esse aliquod mouens, vt dictum est prius in 8. Physicorum, & si semper, quod oportet aliquod mouens semper esse, & si sit motus continuus, vnus, & idem similiter vnum erit mouens, immobile, & inalterabile, & ingenerabile, etsi multi sint circulares motus, multa quidem mouentia; omnia autem quodammodo hæc, necesse est sub vno principio, seu primo Motore esse, & sic omnes perpetuæ generationes, non tantum ab vno primo motu dependent, sed ab vno primo mobili, & maximè ab vno primo Motore, postea vero ab alijs, præcipuè quoad varietatem à Sole, vt dictum est. Quod vero sit continuus, seu perpetuus motus, probatur; nam continuo existente tempore; necesse est motum continuum esse; siquidem impossibile est, tempus sine motu esse, tempus autem est æternum, vt in octauo Physicorum probatum est, ergo, & motus; est igitur tempus numerus, vel mensura alicuius continui, seu perpetui motus, sed alij à circulari non sunt perpetui; circularis ergo solus erit perpetuus, quemadmodum determinatum est in ijs sermonibus, quos habuimus in principio, seu in 8. Physic.*

Omnes cœli Motores ab vno primo dependent.

Tex. 62. *Sed dubium est; vtrum motus sit continuus, quia id quod mouetur continuum est, an quia id, in quo mouetur, videlicet an motus localis, vel alterationis, sit continuus, quia id quod alteratur, vel mouetur localiter est continuum, vel potius, quia est continuus locus, aut qualitas, qui sunt termini. Respondetur, esse continuum ex parte eius, quod mouetur: quomodo enim potest esse continua passio, seu qualitas, nisi quia continua est res cui accidit? Si autem possit motus continuus esse ex eo in quo fit, seu ex parte termini ad quem; hoc tantum in locali verum erit; magnitudinem enim quandam habet: tamen quia nulla est infinita magnitudo actualis, ideo nullus motus localis ex parte magnitudinis poterit esse continuus, seu perpetuus, nisi illius cuius extrema continuantur, nempe circularis, & sic huius corporis quod est circulare, & circulariter fertur, motum dicimus esse continuum; quo circa ipsum circulare corpus, ac motus sibi ipsi semper continuus est. Hoc igitur circulare corpus est, quod facit continuum motum; ipse autem perpetuus motus, facit perpetuum tempus.*

Motus an sit continuus ex parte subiecti, vel ex parte termini.

C A P V T III.

Quo pacto in rebus sit necessitas consecutionis, & reuersionis, & quomodo etiam non sit.

Tex. 63. *QVoniam autem in his, quæ continuè mouentur, secundum generationem, aut alterationem, aut omnino secundum quamcunque transmutationem, videmus consequenter existentes, videlicet, quod generatur hoc post hoc, ita vt generatio, vel alia transmutatio non deficiat: Considerandum est, vtrum sit aliquid ex necessitate in natura ex ipsis rebus, an nihil; sed omnia contingentia.*

Quod enim quædam necessariò sint, manifestum est, quia de ipsit dicimus mox vel simul, erunt, & futura sunt, ita quod vnum dicitur propter alterum, hoc est dicimus futura sunt, quia re vera erunt; at de quibus verum est dicere simpliciter, quod erunt, illa necessariò habebunt esse, ita quod quādoque dicamus, quod sunt; de eo autem quod simpliciter dicimus futurum est, nihil prohibet non factum esse, vt quis dicitur ambulaturus, qui non ambulabit; sunt autem sic necessariò futuræ reuolutiones cęlorum, quæ necessariam, ac immutabilem causam habent. Tex. 64.

Omnino autem quoniam contingit quædam entium esse & non esse: manifestum est, quod quæ generantur ita se habebunt, idest quod contingentia sint, & non ex necessitate vnumquodque horum erit. Vtrum igitur omnia sint talia, an non; sed quædam non contingenter, sed necesse sit simpliciter fieri. Tex. 65.

Respondetur, quod quemadmodum in ipso esse hæc quidem sunt impossibilia non esse, seu necessaria: hæc autem possibilia, seu contingentia; ita & circa generationem, vt necesse est factas esse, ac fieri versiones Cœli, & non possibile est non contingere alia, quædam facta non esse, vel non fieri possibile est. Tex. 66.

Vt autem melius videamus, quomodo generationes aliquæ sint necessariæ, vel non: quæritur in particulari, & per modum exempli de quodam dubio. An scilicet, sicut verum est dicere circa domum, quod sicut prius, vel perfectius ponitur, quod necesse sit factum esse, & ita sequitur, quod imperfectius, vel posterius etiam necessario factum sit; an etiam valeat è contra, vt si domus, quæ est prior intentione, & perfectione facta sit, necesse est factum esse fundamentum; si vero hoc, an è contra nunquid si fundamentum factum est, necesse est domum factam esse; an non amplius, (hoc est non sit verum, nec necessarium) nisi illud quod sequitur necesse sit, quod generatum sit simpliciter, ita vt ex aliquo generato, non necessariò sequatur alterius generatio, nisi id quod generari debet sit simpliciter necessarium, vel saltem ex ratione connexionis, & sequelæ sequatur, vt qui producit hominem etiam contingenter, necessariò simul producit risibilitatem, & alia sibi conuenientia; sed quando hanc connexionem non habent, non valent, quod vno generato, necessariò aliud generetur, nisi illud aliud sit simpliciter necessarium; si igitur domus sit necesse esse, & fundamento generato, necesse est generari domum; sic enim quod prius natura est, se habet ad posterius, seu fundamentum ad domum, si posterius ponatur necessarium; quare si illud fundamentum erit, necesse est illud prius perfectione nempe domum generatam esse. In ijs igitur, quæ necessariò generantur, valet conuersio mutua, ita vt si necesse sit generatum esse posterius, & quod prius necesse, & si quod prius, & quod posterius igitur necesse; sed hoc posterius non est propter prius, sed quoniam suppositum erat ex necessitate futurum. In quibus igitur posterius est, necesse esse in ijs conuertitur, & semper priori generato, necesse est generatum esse posterius, & è contra. Tex. 67.

Pro solutione igitur communi, ex qua cognoscere possimus, quænam generationes sint necessariæ, & quæ non; est notandum, quod generationes, quædam sunt circulares, quædam rectæ. Circulares sunt, quando id quod generatur fuit ante, & etiam post eueniet, non tamen idem numero, sed specie, vt homo qui generat hominem, & ab homine genitum fuit. Rectæ sunt, quando nunquam idem Tex. 68.

Generatio duplex, recta, & circularis.

generatur

generatur neque specie, vt dum ex igne generatur aer, ex aere aqua, ex aqua terra, & non fieret regressus. In ijs igitur, quæ rectam habent generationem, si in infinitum tendat generatio ad inferius, seu ad generandum; non erit necesse, posterius hoc generatum esse simpliciter; sed neque ex suppositione hoc est, neque posito priori, ipsum posterius generabitur; nam in ijs, quæ in rectum procedunt in infinitum, semper necesse erit, quod alterum sit ante alterum, & illud necessario sit generatum; quocirca si non est principium infiniti, neque primum erit aliquod propter quod necesse erit generatum esse, quia infinitorum non est aliquod primum, ergo nec sequens. At vero neque si non procedatur in infinitum in generatione recta, sed ponatur, quod hæc generabilia habeant terminum, erit verum dicere, quod necesse sit simpliciter aliquod illorum generatum esse vt domum, quando fundamentum generatum fuerit. Quando enim generatum fuerit fundamentum, nisi necesse sit semper domum generari, & tamen ponatur generari necessariò, sequentur contradictoria, videlicet, quod semper sit, id quod contingit non semper esse; seu quod aliquid sit contingens, & non contingens, quod absurdum est. Sed oportet vt semper sit generatio, si ponatur, quod sit necessaria, nam ipsum necessarium & semper simul sunt, vel conuertuntur; quod enim necesse est esse, non possibile est non esse; quocirca si est ex necessitate, sempiternum est; & si sempiternum est, ex necessitate, & si generatio igitur ex necessitate, sempiterna est, & si sempiterna, ex necessitate. Si igitur alicuius ex necessitate simpliciter generatio sit, necesse est circumire, seu reuerti, vel fieri generationem circularem; necesse est enim aut terminum habere generationem, sic quod finiat, aut non; & si non habet terminum, sed semper durat, aut in rectum procedet, aut circulariter. Horum autem siquidem erit (sicut est) sempiterna, non possibile est, quod sit in rectum, quia nullum esset principium, vel aliquod necessarium à quo dependeat, neque si inferius, vt in futuris accipiamus, neque superius vt in generatis, vel præteritis, quia nullum est in infinitis simpliciter principium. Attamen necesse est, quod sit aliquod principium; & si non sit finita generatio, sed sempiterna, quia in recto hoc non est possibile, necesse est vt in circulo sit, in quo potest dari principium absque repugnantia commune genitis omnibus. In circulari igitur generatione conuerti necesse erit, ita vt si hoc ex necessitate est, & quod prius ergo, sed si hoc, & quod posterius necesse est generari, & hoc semper vtique continuè, nihil enim hoc differt dicere per duo, aut per multa. In circulari igitur motu, & generatione, reperitur id quod ex necessitate simpliciter generatur, ita vt in circulo necessarium sit vnumquodque generari, & generatum esse, & si necesse sit horum generationem esse, debet circulo fieri.

Hæc itaque rationabiliter accidunt, quoniam alibi apparuit, vel declaratum fuit, quod motus factus circulariter sit perpetuus, vnde etiam solum circulares generationes debent esse perpetuæ, vt sua causæ assimilentur. Quoniam hæc igitur circularia ex necessitate generantur & erunt. Quot sunt ratione huius motus circularis, sunt & propter hunc. Si enim quod circulo mouetur, semper aliquid mouet, necesse est, horum quæ ab ipso mouentur circularem esse motum, vt existente superiori latione (hoc est primi mobilis) circulari, Sol sic quoque circulariter mouetur ad motum illius. Quoniam autem sic anni tempora, propter hanc causam, generantur, ac reuertuntur, ideo his hoc modo circulariter generatis, omnia ab his generantur circulariter. Tex. 69.

Quare ergo hæc quidem ita videntur, vt aqua, & aer circulo generari, & similiter si nubes erit oportet & nubem esse, vnde circulum efficiunt, ac propter naturam similarem, & homogeneam, atque propter continuationem, videntur reuerti eadem numero, quod verum non est. In animalibus autem propter diuersitatem hoc non accidit, quare homines, & animalia, non reuertuntur in seipsa, vt rursus generetur idem, vel appareat generari, non enim necesse est, si pater generatus est, te generatum esse, sed si tu genitus es, necesse est illum genitum esse; quare hæc generatio videtur in rectum, prout semper diuersum generari videtur. Principium autem considerationis, ac solutionis huius dubij potest sumi ex hac quæstione. Vtrum similiter omnia reuertantur, an non. Sed hæc quidem reuertantur eadem numero, hæ autem specie solum. Respondetur, quod quorumcunque est substantia, vel natura incorruptibilis, ac non propriè transmutantur generatione, & corruptione, sed localiter mouentur, manifestum quod numero eadem erunt; motus enim sequitur, quod mouetur, ita vt si motus non sit ad substantiam, siue ad generationem, vel corruptionem, sic neque id quod mouetur, generabitur, vel corrumpetur, sed idem numero remanebit, vt Sol reuertitur ad idem signum. Quorumcunque autem natura non est incorruptibilis, sed corruptibilis, necesse est specie, non autem numero eadem reuerti, in mutatione substantiali, scilicet; Ideo aqua ex aere, & aer ex aqua specie idem fit, non autem numero, & similiter homines, & animalia. Si autem hæc eadem numero reuertuntur, hoc est, quæ sunt incorruptibilia, & mouentur localiter; non tamen oportet, vt illa, quorum substantia generatur, & existit talis, vt possit non esse, seu corruptibilis sit, debeant eadem numero reuerti, secundum generationem. Tex. 70.

Finis secundi Libri Paraphrasis de Generat. & Corrupt.

ANTO-

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN SECVNDVM LIBRVM ARISTOTELIS de Generat. & Corrupt. Quęstiones.

QVÆSTIO PRIMA.

Quoniam igitur quærimus sensibilis corporis principia, &c. Tex. 7.

An primæ elementorum qualitates sint eorum essentiales differentiæ.

Rguitur primò, quòd sic, auctoritate Philosophi in præcitato textu, vbi ait; Manifestum est, quod non omnes contrarietatis corporis formas, & principia faciunt, sed solum quæ secundum tactum nempe(addo) primæ ipsæ qualitates; vt idem in eodem textu, & paulo post expressè declarat, quæ ergo sunt forma, & principia rerum, sunt etiam ipsarum essentiales differentiæ, quare, &c.

Secundò. Idem Philosophus in hocmet libro tex. 27. ait, quando vnius elementi qualitas dissymbola corrupta fuerit, alterum erit elementum, vt si ignis corrumpatur siccitas, ita quod humidus, & calidus remaneat, non amplius ignis, sed aer erit; cùm ergo ex mutatione qualitatis primæ, mutetur natura; ipsa qualitas non erit accidens, sed forma essentialis, contingit namque variatis accidentibus, inuariatam manere substantiam, nunquam autem e contra.

Tertiò. Si essentiales differentiæ non essent, possent auferri elementis integris remanentibus; omne etenim accidens contingit non esse, vt idem Philosophus testatur in 8. Physic. tex. 36. dicere autem esse ignem, qui neque calidus, neque siccus existat, est ita fatuum, vt a mediocriter etiam circa hoc coniectantibus tale profectò habeatur.

Pro intelligentia sciendum est, quod non tantum accidentia existentiam substantiæ in qua maneant sibi necessariò vendicant; sed ipsa quoque substantia sic accidentium (saltem quorundam) ministerio indiget, vt neque sine ipsis naturaliter existere valeat. Maneat si potest animal sine naturali calore; debitaque elementorum, ac qualitatum temperie; Sic itaque naturæ institutor, nobilitatem vnius, in alterius ministerio rependit, vt ad fouendum vnum, ad operandum aliud; mutuis se beneficiis colligarent; Dicitur tamen substantiam ab accidentibus separabilem esse, hæc autem ab ipsa nequaquam ex 1. Physic. tex. 14. quatenus maior accidentium, ad substantiam, quam dependentia huius ab illis, existit; nullum etenim accidens sine substantia esse potest; sed bene ipsa absque quàplurimis accidentibus; imò & cum diminutione, cuiusque non etenim necesse est, eundem ignem, eadem semper æquè intensa caliditate pollere.

Secundò notandum, quod principia rerum dupliciter dicuntur, videlicet simpliciter, & secundum quid. Primo modo sunt, quæ res essentialiter constituunt, quemadmodum materia, & forma, vel aliæ quæuis per se constituentes partes. At alio modo dicitur quidquid necessariò requiritur ad constituendum, licet sit solum dispositiuum, quo pacto Aristot. in hoc secundo tex. 6. contrarietates, vel dispositiones (quæ re vera ad accidentia sicut quælibet dispositio pertinent) principia appellat. Atque adhuc possunt dupliciter considerari, vel ex parte rei, vel in ordine ad nostram cognitionem. Primò modo simpliciter rem constituendam præcedunt. Secundo vero prius nostræ cognitiuæ potentiæ (præsertim sensitiuæ) obijciuntur. Secundum cuius considerationem, ob differentiarum essentialium notitiæ defectum, quamplura pro principijs (quæ re vera non sunt) constituimus. At quæstio resoluenda est.

Conclusio.

PRimæ elementorum qualitates non sunt eorum essentiales differentiæ, vel formæ, neque sigillatim neque copulatim sumptæ. Diximus primas qualitates, vt alias sicut sunt grauitas, leuitas, raritas, densitas, &c. (de quibus non est dubitatio) excludamus. Hæ etenim cum ex primis sequantur; nulli efficiunt dubitationem; sed indubitanter accidentia existimantur. Diximus ergo primas, sicut sunt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, neque copulatim, neque seorsum, ita vt siccitas, & caliditas simul quæ ignis sunt, aut aliquam ipsarum seorsum, vt formæ essentiales (quemadmodum quidam putabāt) non constituant. Quod vero hæc sit optima, & Aristotelica positio, auctoritatibus eiusdem Aristot. ac rationibus quoque comprobatur. Prima desumitur ex hoc libro tex. 54. reprehendens enim Antiquos

qui

qui has qualitates formas statuebant; dicit solum instrumenta generationis assignare, auferentes eam, quæ secundum formam est causa. Secunda desumitur ex libro de sensu, & sensibili, cap. de sapore; vbi ignem non agere quatenus ignem asserit, sed quatenus calidum; quod est dicere calorem ab igne non immediatè prouenire, sed ab ipsius calore; at si calor esset ipsius ignis essentialis forma; ab igne prout ignis est, prouenire esset asserendum; sicut quæ ab anima fiunt, ab animalibus per se fieri statuimus. Tertia, in 1. Physicor. tex.27. ait, quod vni est substantia nulli potest esse accidens (de vero accidenti, vt in expositione eiusdem dicti visum est loquendo) at qualitates istæ sunt accidentia alijs vt omnes fatentur, ergo non sunt formæ, vel substantiæ elementorum.

Sed ad rationes accedamus. Prima. Quando aliquid alicui essentialiter conuenit, oppositum eius neque per se, neque per accidens eidem competere potest, vt quia homo est essentialiter animal, vel rationalis, nullo pacto fieri potest, quod quandoque, quacunque de causa, siue per se, siue per accidens, fit non animal, vel irrationalis.

Si ergo per se, & essentialiter qualitates istæ elementis conuenirent; nunquam sub alijs existere possint, hoc autem experientiæ repugnat, ergo.

Quod vero repugnet, declaratur. Terra est sicca, & frigida, & tamen calida, & humida absque eius corruptione faciliter fieri potest, & secundum aliquas partes in die efficitur. Pariter aqua est frigida, ac calida quoq; euenit, ac aer ex sua natura humidus, & calidus, frigidus & aliqualiter siccus euadit. Quamobrem non tantum formæ dicendæ non sunt, sed neque proprietates, in quarto modo proprij.

Cur ignis si ne calore esse nequit. Sed est quædam dubitatio; cur facilius terra, aer, & aqua, peregrinis imbuantur qualitatibus, quam ignis; si quis enim calorem ab igne auferret; credo statim desiturum esse. Respondetur, ignem esse minimè resistentiæ, vt alibi dictum est; quamobrem cum calor, vel virtus actiua ab ipso auferatur, nec resistentiam habeat, necunde est sibi contra interitum salus, sed necessario corruit, terra vero, & aqua cum maximè sint resistitiuæ, diutius sub oppositis qualitatibus immorari possunt. Ex quibus elicitur, quod resistentia sicut quælibet alia actio, radicaliter ab essentiali forma prouenit. Secunda ratio. Nulla substantia est per se immediatè sensibilis, vt docet Philosophus in 2. de anima, & nos illic quoque declarabimus. At qualitates istæ sunt per se immediatè sensibiles, vt patet, ergo. Tertia si formæ substantiales essent, in eodem reperirentur plures pariter substantiales formæ, non subordinatæ, vt in igne, calor, & siccitas, &c. quia non est maior ratio de vna, quam de alia, hoc autem est absurdum, ergo. At quæret aliquis, quænam est ipsorum elementorum forma essentialis. Respondetur, talem quidditatem, vel naturam, quæ quidem non faciliter à nobis cognoscitur (sicut de multis alijs dici potest) nisi per qualitates prædictas, ac per ipsarum operationes, ex quibus multis errandi occasio euenit.

Ad Argumenta.

Ad primum dicitur, qualitates ipsas vocari formas, & principia, modo in secundo notabili exposito.

Ad secundum dicitur, nihil aliud ibi Arist. intendere, nisi quod ex istarum quarundam qualitatum remotione, aliarumve contrariarum positione, fiat dispositio ad aliud elementum, vel etiam mistum; generatio vero per notiora nobis explicatur, sed cur terra calida, & humida, naturam non variat vt supra diximus? nonne, ergo rectè Aristoteles philosophatur? Respondetur, vt supra; terram videlicet esse maximè resistentiæ, quamobrem, etsi per huiusmodi qualitates ad oppositas formas disponatur, id tamen statim fieri opus non est, ex quo facilius colligitur quod diximus: nimirum esse puras dispositiones, quia essentiali forma posita, ponitur id cuius est forma.

Ad tertium de aliquibus patet, quod auferri possint, de alijs vero hoc non contingit, quia cum paucæ sint resistentiæ, cito intereunt.

QVÆSTIO II.

Ipsorum autem tangibilium diuidendum, quales primæ differentiæ, & contrarietates. Tex. 8.

An primæ elementorum qualitates sint tantum quatuor.

Arguitur primò quod non, quia, vel hic loquitur Philosophus de his, quæ ad generationem disponunt, vel non; si primo modo, lumen, & celestes influentiæ sunt his qualitatibus addendæ, si quidem quam maximè ad generationem attinent, ac magis quam aliæ quæuis dispositiue generant, vt omnibus notum est. Si secundo modo, neq; secundum ipsum Philosophum est aliqua difficultas; multas namque in præcitato, & præcedenti textu qualitates præter prædictas enumerat.

Secundò. Id primum dici non debet, quod ab alio eiusdem quoque generis (ne respondeatur esse primas in suo genere) dependet; harum autem aliquæ sic se habent, ergo. Probatur minor, nam siccitas à calore efficitur, vt patet de his, quæ apud ignem apponuntur; quamobrem, cum hæ ab alijs producantur, numerus ipsarum minuendus est.

Tertiò. Si hæ tantum essent primæ (etiam in ordine ad ea, quæ ex elementis generantur) omnes mistorum qualitates ex ipsis fierent; hoc autem est falsum, ergo. Probatur minor; nam grauitas, & leuitas, pariter sonus, virtus magnetis, & aliæ innumeræ ab his nullo pacto dependere videntur.

Pro intelligentia sciendum est, quod hic non loquitur Aristotel. de omnibus qualitatibus in vnoquoque genere, sic etenim omnibus compertum est, quamplures esse, sed loquitur solum de his, quæ immediatè, & per se ad generationem mistorum attinent ex communi cursu naturæ, & per contrarietatem agentibus; cum etenim mista fiant ex elementorum corruptione, ac corruptio fit inter contraria, solum quæ contrarietatem habent primæ vocari poterunt. Quamobrem quæstionem resoluendo statuimus. Quatuor dumtaxat esse primas elementorum qualitates, quæ ad mutuam, ac ad mistorum generationem attinent. Hæc autem conclusio, ex ratione contrarietatis, quam tetigimus patet. Conclusio. Amplius. Omnes aliæ quæcunque cogitari possunt, vel ad ipsas reducuntur, vel non sic immediatè mistorum generationem respiciunt, quod per singulas discurrenti manifestissimum erit. Si etenim sapor, vel odor, vel aliud cerumpat eo quod magis, vel minus his, vel aliqua ipsarū participat, id efficit. Sed pro maiori dilucidatione tres sese offerunt examinandæ dubitationes. Prima, si admittendæ sint qualitates virtuales. Secunda si grauitas, & leuitas, fiant ab istis. Tertia si possint omnes æqualiter dici primæ, vel vna aliam præcedat. Ad primam dicitur, quòd in mistis nulla est dubitatio, multa namq; actualiter sunt hac, vel illa qualitate affecta, & virtualiter oppositam respiciunt; vt vinum, & piper actualiter frigida, sunt tamen calefactiua; quod est esse virtualiter calida, nec etenim aliud est qualitas virtualis, nisi vis ad talem qualitatem

producendam; quemadmodum dicimus, Solem esse virtualiter calidum, quia calefaciendi virtutem habet, vel quia calorem producere potest. De mistis itaque quamplurimis nulli est difficultas, sed de elementis negatiuam partem fere omnes sustinent; octo etenim assignandæ essêt qualitates dicunt, nec non frustra ponerentur, cum actuales (seu illæ, quæ actualiter percipiuntur) ad quemlibet effectum edendum sint sufficientissimæ. Oppositum tamen sentiendum esse statuo, imò si quis subtiliter meditetur, prædictam sententiam irrationabilem censebit, nam hæ qualitates actualiter producuntur, (vt omnes fateri debent) ab ipsis elementis, ergo habebant virtutem producendi eas. Nihil etenim efficit aliquid, quod fieri ab ipsius virtute nequit; Præterea, calefacta aqua ad suum natiuum frigus (quocunque extremo agente circumscripto) reducitur, ac frigiditatem producit, quomodo ergo hoc erit, nisi virtutem habeat? imò non minus elementa ipsa quam mista virtualiter operantur, si quis enim calidissimam aquam ebibat, quæ nec tamen penitus frigescet, eo quod a calore stomachi fouebitur; tamen frigus in corpus efficiet, nec alia de causa, nisi ex virtuali frigiditate. Ad id quod dicunt, quod octo essent qualitates, negatur, hæ etenim virtuales non sunt realiter ab elementis distinctæ, sed potentiæ, vel virtutes eorum, quæ sunt idem realiter cum ipsis, sicut quælibet proprietas cum suo subiecto; vnde non ponunt in numero; preter quam quod, quando aliquid est tale propter aliud; ibi denominatio fit ab vno, nempè à fine, sed illæ virtuales sunt huiusmodi propter actuales, quare, vt diuersæ non connumerantur. Ad aliam rationem respondetur, non esse frustra, quia sunt radix, & principium actualium, nec non quia illis deficientibus; hæ ipsarum operationes supplent, vt declaratum est. Ad secundam dicitur; grauitatem, & leuitatem, vel ab ipsis fieri, vel ipsas necessario sequi, quæ etenim his sunt qualitatibus primis carentia, vt cælum, etiam grauitatis, & leuitatis sunt expertia, ac leue vt plurimum sequitur rarum; graue vero densum, at rarum est caloris effectus, densum frigoris, quare, &c. Ad tertiam affirmatiuè respondetur, vnaquæque etenim in suo genere ab alia non dependet: & sic in tali genere est prima, in ordine videlicet ad alias quascunque ex ipsis producibiles, siccitas namque est prima in comparatione ad quaslibet qualitates mistorum, in quibus sicci prædominium reperitur, quamobrem nulla ipsarum est simpliciter prima in comparatione ad alias, quæ primæ quoque dicuntur, sed in comparatione ad qualitates mistorum. Sed argumenta soluenda sunt.

Dantur qualitates virtuales elementis.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, quod lumen, cælestes influentię, & motus, re vera ad generationem conducunt; tamen nõ immediatè, vel per contrarietatẽ, sed per productionem harum qualitatum, lumen namque calorem producit; qui quidem calor per contrarietatem agens, ad generationem immediatè disponit; quare qualitates istæ non sic primæ dicuntur, vt ab alijs ingenerabiles sint (à cælestibus namque in esse, & fieri dependent,) sed quia primò, seu immediatè ad generationem mistorum ordinantur, & immediatè quoque multæ aliæ mistorum qualitates ab ipsis fiunt. De secundo modo non adest difficultas, quia Arist. de eis non loquitur.

Ad secundum dicitur, per accidens aliquam istarum qualitatum ab alia effici, per se vero nequaquam; quod est dicere, si qualitas disponat sic, vel alio modo subiectum aliquod, ex tali dispositione poterit alia qualitas sequi, quamuis hoc necessarium non sit; vt quia calor attrahit humidum, dissicat, sed hoc non est ex caloris vi immediatè, quia sic calefacit, nec semper sequitur, quæ autem per se sunt, semper eueniunt.

Ad tertium de grauitate, & leuitate, patuit in solutione secundæ dubitationis. De sono dupliciter responderi potest: vno modo, quod non sit qualitas misti, vel ex ipsis elementis prouenient, quia ad generationem non pertinet; alio, quòd sequatur, ex fractura, hæc autem duritiem, & mollitiem, illæ vero qualitates prædictas supponunt. De virtute magnetis, & aliorum, dicendum est, quod hæ non habent esse ab elementis, sed à cælestibus influentijs; neque enim omnes ab elementis fiunt, sed quæ per mistionem contrariorum acquiruntur, vt dictum est.

QVÆSTIO III.

Calidum autem, & frigidum, siccum, & humidum, illa quidem, quia actiua sunt, hæc autem, quia passiua dicuntur. Tex. 8.

An harum qualitatum duæ sint actiuæ, duæ vero passiuæ.

ARguitur primò, quod non; quæcunque positiua, ac adinuicem verè cõtraria sunt, actiuitatem habent; hæ autem singulæ qualitates sic se habent, ergo; maior est nota, quia contrarietas est inter ea, quæ se expellunt; at expulsio est actio, quare &c. minor est Arist. in hoc libro tex. 24. ergo.

Secundò. Humidum siccum expellit, hoc autem è contra si præualeat, (sicut de alio quoq; intelligi debet) illud superabit; quamobrem mutuo agunt, & sic patet.

Tertiò. Humidum sua virtute res putrefacit, sicut siccum indurat, & conseruat; vtrunque igitur actiuum existit.

Quæstionem hanc per quadrimembrem diuisionem quatuor membris prædictis respondentibus hoc pacto facilè resoluamus. Vno itaque modo aliquid dicitur tale simpliciter, aliud vero per comparationem ad ipsum, eo quod aliqualiter à summo recedit, tale non dicitur; quo pacto mel dulce vocatur, pomum vero nequaquam, etsi aliquam quoque dulcedinem habeat. Sic quia calidum, & frigidum maioris sunt actiuitatis, quam humidum, & siccum, illæ actiuæ qualitates, passiuæue istæ dicuntur, quod vero sint illæ magis actiuæ, ex potiori operandi vigore sumitur, efficacius enim, ac citius ignis comburit, atque calefacit, nec non in maiori etiam distantia, sicut proportionaliter, frigefacit frigus, vel aqua (secundo tamen loco, nam calor est maximæ actiuitatis simpliciter) quam terra exsiccet, vel humectet aer, ergo. Secundò modo considerari possunt, quatenus sunt præuiæ dispositiones materiæ ad formas recipiendas, & sic ad causam materialem pertinent, nec non omnes passiuæ vocari possunt; omnis etenim materia, ac eius propria, vel conueniens dispositio, eo quod solam capacitatem, vel aptitudinem ad formam recipiendam conuocant, passiuitatè retinent; quamobrem Philosophus in 2. de partibus animal. c. 3. eas materiã mistorum appellat. Tertiò considerari possunt quatenus mistionem efficiũt; prout videlicet ad mistum generandum pugnant, vel in ipso mutuis nectuntur vinculis, & sic calidum, & frigidum actiua; humidum, & siccum passiua nuncupantur; quod quidem declarare intendit Philosophus in præcitato textu, calidum namque congregat, ac digerit, frigidum calore ipsum retundit, ne efficaci acrimonia mistum dissoluat: humidum est quod simul cum sicco, terminantur, & sic passiua sunt. Quartò in comparatione ad operationes, (nihil namque in natura est otiosum) & sic sunt, omnes actiuæ qualitates vt omnia argumenta in principio posita probant, quamuis magis vna quam alia, vt declaratum est.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Calidum enim eſt, quod congregat, &c. Tex. 8.

An aſſignationes prædictarum qualitatum ſint bonæ.

QVatuor prædictarum qualitatum notiones Ariſtot. in præcitato, & ſequenti etiam textu ad complementum aſſignat. Calidum itaque ait eſſe, quod congregat ea, quæ ſunt eiuſdem generis. Frigidum, quod quæ ſunt eiuſdem atque alterius quoque generis coniungit. Humidum quod eſt interminabile proprio termino, ſed facilè terminabile alieno. Siccum (denique) quod facilè eſt proprio termino terminabile, difficulter alieno. Quas quidem notiones ſi vt definitiones accipiantur, multas patientur difficiles, & veras inſtantias, vt ſi per ſingulas diſcurramus manifeſtum erit. Ca-
1. Arg. lidum namque non tantum, quæ eiuſdem generis ſunt congregat, ſed alia quoque permulta, vt patet in omnibus concoctionibus, quæ per artes medicas, vel alias quaſcunque fiunt: Quod quidem magis notum eſt naturaliter in viuentibus, ipſe etenim calor ſimul diuerſos in vnum colligit humores. Præterea, congregatio vide-
Secundum. tur rarefactioni, & liquefactioni oppoſita, at calidi eſt rarefacere, & liquefacere, ergo. De frigore vero non minores afferri poſſunt obiectiones. Si etenim omnia con-
Tertium. gregat maioris eſſet actiuitatis, quam ignis. Præterea,
Quartum. ex ipſo frigore membra viuentium laxantur, vireſque amittunt, quomodo ergo tunc congregat; Quod autem
Quintum. non bene aſſignetur humidum, patet, nam ignis non eſt humidus, & tamen facilè alieno termino, difficiliter pro-
Sextum. prio terminatur. Paritet pix, viſcoſaque omnia humida ſunt, nec alieno termino, ſed bene proprio terminabilia exiſtunt. Denique contra ſiccum hoc pacto licet
Septimum. argumentari. Terra aliaque huiuſmodi ſicca ſi in puluerem reducantur, ſunt alieno termino, non autem proprio facilè terminabilia, ergo. Hæ igitur alieque ſimiles ſunt obiectiones, quæ contra prædictam Ariſtotelis de his qualitatibus aſſignationem fieri poſſunt. Quas aliqui ſoluere nitentes; Ariſt. ſecundum Antiquorum mentem circa hoc locutum fuiſſe aſſerunt, quam fugam multi libenter, ac ſæpè arripiunt, ſed debiliter quidem, ex ordine enim, & colligatione textuum, facilè eſt ipſorum euaſiones conuincere. Sed ad propoſitum dicamus, nullatenus hic Philoſophum ſecundum Antiquorum ſententiam loquutum fuiſſe, ipſe etenim ad ſuam poſitionem probandam has ſumit aſſignationes; quæ ſi Antiquorum eſſent, & non bonæ, vel eas reijciſſet, vel ſaltem (ipſis non reiectis, vt interdum etiam efficit, ac obſeruari poteſt in pluribus locis) alias adduxiſſet, vel ſi nihil iſtorum fecit, vt bonas approbauit, nec etenim facilè negari poteſt, huius opinionis aliquos Antiquorum non extitiſſe, præcipue Empedoclem, qui liti diſgregare, Amicitiæ congregare tribuit, ac aliqui per litem frigidum, per amicitiam calidum intelligunt. Quomodocunque igitur ſit, cum ad inſtitutum propoſitum confirmandum Ariſtoteles eas adduxerit, pro bonis ſunt amplectendæ, neque per conſequens eſt bona reſponſio, ſed euaſio, quod de mente Antiquorum loquatur. Dicamus itaq; breuiter.
Concluſio. Ariſtoteles nullatenus qualitates prædictas ibi propriè definire, vt optimè, ac ferè demonſtratiuè argumenta concludunt, ſed ſolum ad rem propoſitam declarandam, quomodo videlicet duæ actiuæ, duæ vero paſſiuæ ſint, per quaſdam, vel proprietates, vel potius effectus eas deſcribit, nec etenim neceſſarium erat vera vti definitione, ſed ſatis, vt quomodo aptæ agere, vel pati eſſent explicaret. Cum igitur calidum congreget, & vt plurimum ea, quæ ſunt eiuſdem generis, habetur ipſius actiuitas. Cum autem pariter diuerſa congreget frigus, etiam ipſum actiuum eſſe colligimus. Humidum autem, & ſiccum terminantur, & ſic patiuntur, quod quidem ſatis eſt ad ipſorum naturam, vel aptitudinem inſinuandam; nihil etenim naturaliter efficit aliquid, niſi aptitudinem ad ipſum habeat; nilve habet aptitudinem, niſi à principio naturæ, quare optimè colligere poſſumus, elementa hæc ſimulve ipſorum prædictas qualitates, actiuas, vel paſſiuas, aut plus, vel minus exiſtere, quamuis & quæ paſſiua alia ratione actiuitate, quæ autem actiua paſſiuitate polleant. Sed argumenta quatenus contra hanc determinationem militant, ſoluamus.

Ad Argumenta.

AD primum dicitur, calidum congregare, quæ eiuſdem generis ſunt, ita vt hoc alijs non conueniat; licet ipſi quoq; conueniat alia etiam congregare, & ſic eſt proprium eius, ſed non ſolum, quemadmodum vniuerſale ab intellectu, ſingulare à ſenſu percipi dicitur, quia illud ſolum ab intellectu, non autem à ſenſu, etſi hoc ab vtroque percipi poſſit, hoc autem ſatis eſt ad eius actiuitatem inſinuandam.

Ad ſecundum aliqui dicunt, nec rarefactionem, nec liquefactionem eſſe ſegregationem, ſed non bene, quamobrem conſequenter ad prædicta dicerem; ſimul cum ſegregatione vnius rei ab altera aliam quoque habere proprietatem, puta res ipſas eiuſdem generis rarefacere, vt poſt quam aurum à plumbo ſeparauit, rarefacere poteſt, ac duæ ſunt actiones diſtinctæ.

Ad tertium negatur ſequela, non etenim in hoc ſolum actiuitatis ſumma conſiſtit, ſed eo quod ad plura ſe extendat, efficacioraque opera edat.

Ad quartum dicitur, laxari frigore membra; quatenus naturali calore à quo vitam habebant deſtituuntur, ſed re vera ſingulæ potius congelantur, & ſic eſt laxatio vitalis caloris, conſtrictio interficientis frigoris, & quia in illo eſſe conſiſtit, ſimpliciter laxata, vel derelicta dicuntur.

Ad quintum dicitur, illud eſſe proprium humidi in ſecundo modo, quod videlicet conuenit omni, ſed non ſoli, ſi autem omni conueniat ſat ad propoſitum erit. At quis inſtabit, quia hoc pacto ignis eſſet quoque paſſiuus, & ſic non differet, vel eadem poſſet deſcribi deſcriptione. Reſpondetur, nullum eſſe inconueniens ignem etiam paſſiuitatem aliquam habere; & ſi in ordine ad generationem (gratia cuius ipſum calidum hic definiri oportuit) actiue ſe habeat, modo in præcedenti quæſtione expoſito, quod autem ignis ſit patiens (præter rationes, quæ adduci poſſent) teſtatur Ariſt. in hoc lib. tex. 54.

Ad ſextum dicitur, prædicta non eſſe penitus humida, imò ſic admiſtam habere ſiccitatem, vt ad ſiccum ipſum reducenda eſſe cenſuerit Ariſt. in hoc libro tex. 10.

Ad ſeptimum dicitur, prędicta puluerulenta per accidens terminabilia non eſſe; quatenus videlicet ſunt diuiſa. Sed contra, nam quod eſt proprium alicuius, neque per accidens auferri poteſt.

Aliter ergo dicamus, nimirum, hæc re vera eſſe facilè proprijs terminis terminabilia, ſi ſeorſum ſumantur; quod eſt dicere, vnumquodque corpuſculorum illorum (ſunt namque neceſſariò corpuſcula, nec datur minimum) proprio terminatum eſſe termino, & ſi omnia ſimul decidant, nihil eſt contra orationem, quoniam cum ab inuicem ſint diuiſa, vel ad proprium locum, vel quo ab impellente cientur, tendunt, quod in alijs quoque videri poteſt, lapidum enim cumulus non facilè terminatur à ſe, ſed vnuſquiſque quidem, hoc itaque modo prędicta ſumantur, quod quidem à recte intuenti effici debet, & nulla erit obiectio.

QVÆSTIO V.

Non est autem ignis, & aer, & vnumquodque prædictorum simplex, sed mistum, Tex. 20.

An quatuor elementa sint pura, vel immista.

Arguitur primò quod sint penitus immista. Nam aliter frustra vbique dicerentur corpora simplicia. Secundò. Si essent mista, ex alijs elementis generarentur, hoc est etenim de ratione misti, & hac de causa sic nuncupatur, at elementorum non est aliud elementum, quia in infinitum procederetur, ergo.

Pro resolutione sciendum est, quod elementa ipsa dici possunt mista, ac per oppositum etiam simplicia dupliciter, videlicet substantialiter, & accidentaliter, primo modo neutiquam mista vocari possunt, vt bene probant argumenta; Secundò verò, & Aristotelis sententia, & ex manifestissima veritate, mista reperiuntur, aqua etenim maris est salsedine, vel sicci addulta terrestreitate referta, similiter terra, est calida, & humida, aer millibus vaporibus, ac exhalationibus plenus, quæ etiam vsque ad ignem pertingere saltem ad infimam regionem manifestum est. Sed maior hic insurgit quam olim difficultas. Dictum est namque, elementa accidentaliter mista esse, at in præcedenti libro; mista secundum tantum elementorum qualitates esse mista asserimus, cum autem hæ sint accidentia, sequitur, quod eodem modo vtraque mista erunt, & nullum esset inter ipsa discrimen. Respondetur, hanc esse vtrorumque differentiam; quod mistio eorum, quæ vere mista dicuntur, in hoc consistit, quod illæ elementorum qualitates, vel qualitas, sic ipsorum naturam sequuntur, saltem quoad aliquem gradum, vel temperiem, vt sine illis nullatenus ipsa mista manere possint, vnde mistio hæc ad conseruationem ipsorum quasi quædam secunda natura pertinet, at hæc elementorum semper est accidentalis, ac extranea, neque ex elementorum materia sicut illa resultat. Alia est dubitatio. An alicubi purissima reperiantur elemēta, absque vlla peregrina qualitate. Quidam dicunt terram in centro, aquam in fundo maris, aerem in media regione, ignem in suprema summa puritate (ipsorum tamen naturis cōuenientem) pollere. Sed aliter ego sentiendum esse existimo; nimirum non dari aliquod purissimum elementum, & ratio vniuersalis est hæc. Quoniam cælum est causa omnium istorum inferiorum, vnde corpora hæc sunt sibi contigua, vt inde gubernentur, quod quidem immediatè efficitur per elementa, quæ ab ipsius cæli virtute atque à se inuicem mutuo alterantur; quamobrem has recipiendo alterationes alijs quam proprijs imbuuntur qualitatibus, vnde patet, quod dicimus. Quod vero alij dicunt non bene dicitur, nam in centro terræ, quamplurima mineralia generari fertur, ergo alterationes, vel dispositione sconuenientes ibi fieri debent, nam ex simplici elemento, & præcipuè ex infimo generari minimè queunt, si autem hoc est, nec maior est ratio in vna quam in alia parte, ergo. Quod autem aqua in fundo maris sit impurissima (ne dicam puram) preter Arist. testimonium in Meteor. ratione, & experientia comprobari potest, nam grauia tendunt deorsum, salsedo est causa grauitatis, cum sit quid terrestre, ergo magis in fundo abundabit, quod quamplures experti sunt. Aer autem in media regione, crebris vaporibus atque exhalationibus addensatur, alioue modo efficitur. In suprema ignis acrimonia maximè feruet. Ac tandem ignis ipse ad finem prædictum, consentaneum est, à cælo diuersimodè alterari. An dentur alicubi elementa pura.

At est alia dubitatio. Si aqua in sua puritate maneret, an esset congelata, videtur etenim quod sic, nam est summè frigida, vt dicemus in sequenti quæstione, hęc autem condensat, &c. Respondetur tamen negatiue, glacies namque non est simpliciter aqua, sed alteratione mota, atque actuali humiditate carens, neque sufficiens est pura, & summa frigiditas ad congelationem, sed requiritur, quædam crassities vt patet de lacte, melle, oleo, cera, & alijs, quæ hac non pollent frigiditate, & è contra, quæ subtilissima, vel calida sunt non congelantur, vt patet de aceto, de vino, &c. pura itaque existens aqua, apta congelari non esset. Aqua purissima an esset congelata.

Ad Argumenta.

Ad primum dicitur, elementa vocari corpora simplicia, quatenus non sunt constituentibus elementorum qualitatibus mista, sed si huiusmodi sint, hoc est solum accidentaliter, & extraneè.

Ad secundum eodem modo respondetur, si etenim eo modo quo verè mista sunt constituentur, non tolleretur vera ratio mistionis.

QVÆSTIO VI.

Terra enim sicci magis quam frigidi; Aqua autem frigidi magis, quam humidi, &c. Tex. 23.

An ignis sit summè calidus, aer summè humidus, aqua summe frigida, & terra summè sicca.

Determinauit Philosophus in hoc libro textu 16. ignem esse calidum, & siccum, aerem calidum, & humidum, aquam humidam, & frigidam, terram siccam, & frigidam. quæ positio cum ab omnibus sit vt notissima ad sensum recepta, argumentis eam examinare dimisi, quia vero circa ipsorum qualitatum gradus, graues, & quamplures extant difficultates, de more obiectionibus, ac rationibus ipsam fulcire opus est, & præcipuè circa aerem, & aquam, hęc etenim elementa opposito quam Aristotel. determinat, se habere videntur, aqua enim summe humida, vel magis quam sit aer apparet; Hoc etenim experientia patet, ipsa etenim magis humectat, quam aer, imò interdum aer ipse desiccat, vt notum est, si etenim res madefactæ extenduntur, ab eo absterguntur, ergo. 1. Arg. Amplius, ab aqua non potest auferri humiditas, quæ tamen aufertur ab aere. Secundum. Amplius. Elementa quo magis secundum cælestem distantiam opponuntur, eo sunt pluribus, ac contrarijs affecta qualitatibus, sed ignis, & terra sic sūt opposita, magis quam ignis, & aqua, ergo cum ignis sit calidus, & siccus, terra erit frigida, & humida, quamobrem aquæ nec summa, nec aliqua quæuis humiditas conuenire deberet. Tertium. Denique. Philosophus hoc in libro tex. 49. asserit, mista indigere terminari ab humido, & hac de causa, ipsam aquam ad mistionem necessariam esse statuit, quod si aer summa polleret humiditate ei, & non aquę, hoc tribuendum erat. Idem eiusdem philosophi dicto in 4. Meteor. c. 4. confirmatur, ait namq; aquam maximè humidam esse. Quartum. His tamen non obstantibus, oppositum sentiendum est, quod vt clarius innotescat, per aliquas conclusiones efficiatur. Sit igitur prima. Vnumquodque elementorum habet vnam qualitatem in summo, alteram in esse remisso. 1. Concl. Probatur prima pars. Quoniam entia naturalia secundum perfectionem possibilem reperiri debent, aliter natura esset diminuta, vel deficiens, hoc autem conueniens est vt accidat, vbi est prima radix, vel causa

talium

talium entium, nam illud est magis tale, propter quod alijs inest vniuocatio; elementa autem sunt primarum qualitatum principia; ergo summæ in ipsis reperiri debent; cum vero sint tantum quatuor qualitates, & quatuor quoque elementa, binæque singulis conueniant; fatendum etiam erit, quod vna vniuscuiusque sit summa; aliter aliquod istorum propriam non haberet: vel ipsarum quædam sine immediata causa esset; quare patet, quod vna sit summa, altera remissa, & sic etiam secunda
2. Concl. conclusionis pars manifesta est. Secunda conclusio. Ignis est summe calidus; in gradu autem remisso siccus. Probatur. Nam summa caliditas, non conuenit aeri, nec aquæ, nec terræ, vt de se notissimum est, ergo.

Quod autem non sit summe siccus, ex præcedenti ratione colligitur, sic etenim, aliquod elementorum fine ratione primariæ productionis poneretur; ac per conse-
3. Concl. quens primum non esset. Tertia conclusio. Aer est in summo humidus, remisse autem calidus, posterior pars probatur (primò, quia est facilior) nam elementa, propinqua debent in aliqua qualitate conuenire, vt diu conseruentur: at aer est igni propinquus, ergo secum in caliditate conuenit; in siccitate namq; compertum est, quod nullo modo conueniat; nec in caliditate summa, vt patet, ergo in remissa. Probatur nunc prima pars. Primo ex assignatione ipsius humidi, (quamuis nec definitio, nec proprietas conuertibilis sit) hæc etenim, quomodocunque se habeat, potius aeri, quam aquæ aptatur, ipse etenim aer facilius quam aqua alieno terminatur termino; difficilius proprio; at quando aliqua proprietas, vel accidens, melius ex natura vna, quam ex alia euenit, ipsius naturæ propensionem maiorem insinuat. Amplius; res naturales ex effectibus cognoscuntur. Sed effectus aeris, seu mista in quibus est aeris prædominium sunt magis humida, quam ea quibus dominatur, aqua, ergo aer est magis humidus. Consequentia tenet ex illa propositione Arist. in primo post. propter quod vnumquodque tale, &c. & hoc eodem argumentandi modo vtitur in 2. Phys. tex. 20. ad probandum scientias mathemat. magis abstrahere quam physicas, quia videlicet, quæ plus Mathematica participant, plus abstrahunt, &c. Antecedens est notum; quoniam oleum, mel, &c. quæ in aquis innatant (ex quo aerea esse colligitur) magis sunt humida, quam vinum, acetum, & alia aquea: quod ex eo suadetur, quia plus dilatantur, ac penetrant, vt patet de vnctionibus, quæ in curandis morbis apponuntur; pene-
4. Concl. tratio autem ad humiditatem pertinet, vt ipse Philosophus testatur in hoc libro textu 10. Quarta Conclusio. Aqua est summe frigida; remisse autem humida. Quod sit summe frigida, probatur. Nam nulli aliorum elementorum, vt discurrenti notum est, ipsa summa frigiditas competere potest; nisi forte hoc de terra suspicaremur. Sed quod ipsa non sic se habeat, inditium ex terrestrium animalium vita desumi potest; ipsa etenim sunt aquatilibus (cæteribus paribus) calidiora; quod ex sanguine abundantia, & ex vitæ diuturnitate colligitur; quamobrem terra, non debet summo frigore rigescere; aliter locus naturalis, non esset rei locatę conseruatiuus, sed noxius. Quod autem sit remisse humida, ex eo patet, quod summa humiditas conuenit aeri. Sed adest difficultas; nam faciliter ab aqua frigiditas aufertur, humiditas vero, vel difficiliter, vel nullatenus.

Respondetur (vt alibi quoque dictum est) hoc ideo accidere, quia humiditas est magnæ resistentiæ, non sic
5. Concl. autem se habet frigiditas. Quinta conclusio. Terra est summe sicca, remisse vero frigida. Hæc patet ex sufficienti diuisione, si etenim vnaquæque qualitas, vnum habet elementum pro causa primaria, & siccitas nulli hucusque tributa est; terræ relinquitur, nec ei summa frigiditas competet, cum alteri sit tributa. At est quædam dubitatio; num videlicet hæ qualitates in esse remisso, vt siccitas in igne, caliditas in aere, &c. sint hoc mo do remissæ ob admistionem contrarij, ita videlicet, quod in igne sit aliquis humiditatis gradus, in aere aliquis frigiditatis, & sic de alijs. Non desunt argumenta, quæ pro vtraque parte effici possunt, sed vt breuitati consulam; breuiter respondeo, hoc non esse necessarium, non etenim credo, nec facilè possibile censeo, inter calorem non æque intensum, esse frigus admistum, corrumpetetur vtique, nec non hoc pacto ferè nulla daretur simplex qualitas, cum paucæ habeant esse in summo, vel producens qualitatem remissam, necessariò oppositam produceret, vt producens calorem, non statim intensum, simul frigus efficeret, & sic agens naturale oppositos simul, & per se effectus produceret, vt ignis calorem, & frigus, aquam frigus, & caliditatem, &c. quæ quidem sunt difficilia intellectu. Nec obstat, quod quandoque Philosophus dicat, (& præcipuè in 5. physic. tex. 19. qui nunc ex improuiso occurrit) magis, & minus esse ex admistione contrarij, sensus etenim est: quod dum aliquod intensum temittitur, id efficitur à contrario, tunc enim, contraria simul esse fatendum est, vt diximus in quæstione de reactione. Sed quod quælibet qualitas non summa; aliam contrariam secum habeat, nec ipse dicit, nec intelligibile est. At nunc Argumenta soluamus. An qualitates remissæ fiat ex admistione contrarij.

Ad primum dicitur; aquam ideo magis humectare, quam aerem, quia est densior, in qua tenacius, & abundantius ratione multarum partium humiditas inest, aer autem, quia est rarissimus, nec sic agere potest, neque contrario agenti sic resistit, quare interdum exsiccatur magis vt argumentum probat, tenuiora etenim magis peregrinarum qualitatum, quam densiora sunt receptiua. Ad 1. arg.

Ad secundum per idem patet. Ad 2.

Ad tertium dicitur, in his qualitatibus bonum vniuersi, ac ipsorum elementorum conseruationem, & mutuam generationem attendi, quæ omnia haberi nequeunt, nisi modo prædicto ipsa elementa disponantur. Ad 3.

Ad quartum dicitur, aquam vocari magis humidam in ordine ad mistionem, humiditas namque ipsius est magis compacta, & tenax, quamobrem ad continendum, vel compaginandum mistum, est magis idonea, quam aer, & per hoc patet ad aliam auctoritatem. Ad 4.

QVÆSTIO VII.

Quod igitur omnia nata sint adinuicem transmutari, manifestum est. Tex. 24.

An quodlibet elementi ex quouis immediatè generari possit.

Arguitur primò, quod non. Omnis generatio est ex dominio virtutis actiuæ generantis circa passum; at aliqua elementa in alia hoc dominium non habent, ergo, maior est nota, minor patere potest, si discurramus, aer etenim in comparationem ad ignem actiuitatem excedentem non habet; quia si comparentur in calore, ipse aer est remissè calidus; ignis in summo; (quamuis penes hunc non debeat attendi generatio; quia non contrariantur) Si vero aeris humiditas, & ignis siccitas considerentur, eadem est difficultas; humiditas namque non poterit siccitatem superare, quin potius ab ea superabitur; cum ipsa siccitas maximæ sit resistentię, alicuiusue actiuitatis.

Secundò. Sequeretur, quod aliquod ens naturale posset per aliquod tempus sub alienis, & sine proprijs accidentibus, vel dispositionibus manere, quod quidem est absurdum, & contra rationem, & experientiam, rationabile namq; est quod vnūquodq; à suis proprijs qualitatibus conseruetur, ac etiam ad sensum manifestissimum

 est,

est; nec animalia sine humorum temperie; nec ignis sine leuitate, & calore, aliaue huiusmodi similiter sine conuenientibus dispositionibus manere potest. Consequentia probatur; quoniam dum ex aqua fit ignis, v. g. debet ipsa aqua rarefieri, calefieri, ac leuis effici, quod statim fieri non potest; quare aliquo tempore, sub his oppositis accidentibus manebit.

Tertiò. Omnis transitus de extremo ad extremum fit per medium; vt si ex albo fiat nigrum, alio quodam medio colore prius afficitur; pariter si ex calido fiat frigidum, in tepidum est transitus, quamobrem etiam contraria elementa, si ad inuicem conuerti debent, in aliud quoddam prius transmutabuntur, & non immediatè in se inuicem. *Conclusio,* His tamen non obstantibus simul cum Aristot. in præcitato tex. affirmatiuè respondetur. Pro cuius tamen intelligentia sciendum est, quod vnum elementum ex alio generari est formam alterius ex propria materia expellere, ac ipsam materiam expellens forma informare, quod accidit meritò cōtrariarum qualitatum; hæ etenim mutuò pugnantes, sic formam male afficiunt, vt amplius existere nequeat (præfigit namque ad sui conseruationem conuenientia accidentia, vt diximus) quare cum sine forma materia naturaliter esse non possit, alterius introductio sequitur. Vnde elementa ipsa ratione formæ, ac qualitatum actiuitatem, & pugnam habent. Sed ratione materiæ alterum est alterius susceptiuum. Nunc ex dictis facilè est conclusionem probare. Vbicunque etenim contrarietas reperitur, ibi pugna vsque ad interitum minus potentis accidere potest. Sed inter omnia elementa est contrarietas; ergo alterum cum altero pugnans, ab ipso superabitur; superans autem sibi simile producere intendit, & sic ignis cum aqua contrarietatibus pugnans, eam in ignis naturam conuertet, similiter aer cum terra, &c. Amplius. Dum ex aqua attrahitur vapor, qui quidem est essentialiter aqua rarefactionem passa; ex terra exhalatio, quæ pariter est terra essentialiter; illa ab igne hęc ab aere assumi potest, & sic transitus notus est. Præterea experientia comperitur, ignem, terram, & pariter aquam, si in magnam eiiciantur fornacem in suam naturam absumere, ergo. Sed duæ adsunt dubitationes. Prima, si æque faciliter alterum alterum contrariorum superet. Secunda si totum elementum ab alio transmutari possit; vt tota aqua possit conuerti in ignem, &c. Ad primam negatiuè respondetur; quia non omnia æqualem habent actiuitatem, & resistentiam; vnde actiuius non facilius transmutatur; quod si ab alio transmutatur; erit secundum excessum magnitudinis, quem virtutis quoque excessus sequatur; vt paruus ignis à multa aquæ quantitate, &c. Verum credendum est, non tantum propria vi, sic adinuicem elementa transmutari, sed efficacius vt vniuersale agens, ad hoc concurrere cælum; quod quidem, vt decet omnibus præsto est. Ad secundam pariter negatiuè respondendum est. Nam ad hoc vt vnum elementum aliud totum in se ipsum conuerteret, totam ipsius regionem peruadere deberet, quod naturæ ipsius elementi repugnat; ac vniuersi bono obesset; è natiua namque sede discederet, ac principia generationis auferret. Sed instaret aliquis; nam cum aliquod ipsorum aliud superare cœpit, cum minor sit resistentia quam antea, vnde euenit, vt penitus ipsum destruere nequeat? Respondetur, ex alia parte illud aliud inimicum superare, & sic mutuis conuitijs vtrumque vtriusque damna rependit, vt quamuis circa æquinoctialem circulum plus aeris ignem (ob motum cæli, ac solis calorem adiuuantes) conuertit, circa polos autem, ob causas oppositas, plus ignis in aeri naturam vertitur; Vel dicatur, ipsa elementa à cælesti influxu, non secus atque humores ab anima cohiberi; ac ad determinatos fines; quos egredi nequeunt, dirigi.

At obseruandum est; quod huius quæstionis vis circa elementa contraria penitus adhibita fuit; nam de symbolis tanta difficultas non adest, vt ex sequentibus melius quoque patebit. Superest vt argumenta soluamus.

Ad primum negatur minor. Ad probationem dicitur, aerem superare ignem in humiditate, quæ est siccitate actiuior.

Ad secundum negatur consequentia; ad probationem dicitur; quod dum propria accidentia sic debilitantur, vt ad propriæ formæ conseruationem sint inepta; statim aliena inducuntur simul cum aliena forma; neque hoc est inconueniens, imò necessarium. Sed intelligendum est de necessarijs, & fortè omnibus accidentibus, nam de contingentibus, & non omnibus, hoc non valebit; vt patet de frigore in ordine ad aquam, ipsa namque sine ipso existere potest.

Ad tertium dicitur, de extremo ad extremum esse transitum per medium, hoc est per dispositiones, quæ mediant inter extrema substantię, non autem intelligendum est de medijs in genere substantiæ.

QVÆSTIO VIII.

Quæcunque enim habent cognationem adinuicem, velox horum transmutatio est. Tex. 25.

An elementa symbola facilius adinuicem transmutentur.

QVæ symbola, ac dissymbola elementa dicantur, satis in textum expositione declaratum fuit. Nunc vero intentum solum aggrediamur. Quod itaque non sit facilior, vel citius transitus inter ipsa symbola, probatur. *1 Arg.* Vbicunque est proportionalis actiuitatis ad passiuitatem excessus, & resistentia; ibi æque velox, vel æque tarda est vnius in aliud transmutatio. Sed sic accidit tam inter symbola, quam inter dissymbola elementa; ergo. Maior est nota; probatur minor; quoniam sicut in symbolis vnica est qualitas actiua in contrarium passiuam agens; sic in dissymbolis, duæ sunt actiuæ, duæ vero passiuę, & per consequens erit proportionalis resistentia, & actiuitas, eo quidem modo, quo est proportio vnius ad vnum, & duorum ad duo. Præterea; ignis, & terra sunt elementa symbola, quia in *Secundum* siccitate conueniunt, & tamen facilius aqua in ipsum ignem mutatur, quam terra; vt experientia patet; si etenim in ardentissimam aliquam fornacem terræ, & aquæ pars aliqua iniiciatur, hæc statim, illa serò, vel nullatenus absumetur, ergo.

Amplius. Vbi est maior contrarietas, ibi vehementior est actio, & per consequens facilior transmutatio; at *Tertium.* inter dissymbola hoc reperitur, ergo.

Hæc sunt præcipua, & quæ ab omnibus difficiliora fieri solent argumenta.

Pro solutione tamen sciendum est, quod inter ea, quę mutuò agunt, non pura est expectanda contrarietas, si vnum ipsorum citò, vel faciliter ab alio superandum erit, sed aliquis quoque nexus quo vniantur, ac inde quasi in arenam, vel theatrum adducta pugnent constituendum est: maxima namque distantia, vel penitus pugnam aufert, vel ad exitum tardius inducit; loquendo præcipue de distantia entitatiua; qua de causa Philosophus in eodem genere contraria esse statuit. Aliud obseruandum est; quod non tantum conuenientia in primas qualitates, sed aliam quoque in alias attendere debemus; non etenim solum ipsæ resistunt, sed aliæ quoq; vt exemplis ostendi potest; quamuis etenim ignis facilius ligna arida, quam viridia coburat, & tamen in magna illa,

illa, hæc autem in parua sint quantitate, facilius hæc quã illa absumentur. Denique animaduertendum est, quod qualitates symbolæ sint de genere actiuarum, vt scilicet per conuenientiam actio contraria auferatur, ac facilior aditus ad transmutationem pateat; si namque solum passiuæ essent; nihil vtique ad hoc conferrent, vt esset conuenientia, in quantitate, grauitate, leuitate, &c. nisi fortè per accidens, vt supra declaratum fuit; per qualitates autem actiuas, omnes primæ quatuor intelligendæ sunt: quibus habitis ponitur conclusio hæc. (Conclusio.) Elementa symbola facilius adinuicem transmutantur, quam dissymbola: cæteris tamen paribus, ita vt sint secundum æqualem quantitatem, distantiam, &c. probatur; nam vbi est sufficiens causa actionis, & vnionis, ibi est facilior transmutatio; hæc autem inter prædicta potius quam inter alia reperitur, ergo. At in istis obseruandum est; quod ea elementa, quæ magis actiua sunt alia potius ipsa transmutant, quam ab ipsis transmutentur; nam maior actiuitas, minorem superabit. Similiter facilius mutantur in inuicem, quæ in passiuis qualitatibus, quam quæ in actiuis communicant; sunt passiuæ humiditas, & siccitas; actiuæ vero caliditas, & frigiditas, nam ex eo quod passiuæ sunt, capacitatem magis aduersario præbent. Sed argumenta soluamus.

Ad primum respondetur, ibi non esse penitus proportionalem actionem, siquidem ex parte qualitatis communis facilius fit vnius; & quamuis illa qualitas eadem numero non maneat, nihil tamen refert.

Ad secundum dicitur; non esse proportionem rationε densitatis terræ; hæc etenim plures continet partes addensatas, vnde est per accidens difficilior transitus.

Ad tertium negatur maior, non etenim sola contrarietas est huius actionis, vel transmutationis sufficiens causa, sed vnio, ac conuenientia quoque necessaria est, vt diximus.

QVÆSTIO IX.

Ex igne quoque aquam, & ex aere terram, & rursus ex aqua & terra, aerem, & ignem contingit quidem generari. Tex. 26.

An ex duobus elementis tertium generari possit.

QVæstio hæc intelligi potest de elementis symbolis, & dissymbolis. Primo modo est sensus; an ex igne & aere, v. g. possit generari aqua, & terra; vel è conuerso, ex terra, & aqua generari possit ignis, & aer, aut etiam ex aqua, & aer fieri possit terra, & ignis. Secundo vero modo; an ex igne & aqua fieri possit aer, & terra, vel ex terra, & aere, ignis produci possit & aqua. De elementis itaque symbolis negatiuam partem statuit Philosophus in textu. Si enim (inquit) ex aere, & aqua generetur ignis, aut corrumpuntur vtriusque qualitates; sic videlicet, quod humidum & calidum aeris, simul cum humido, & frigido terræ desinant, & sic nihil generabitur, quod est impossibile, nam corruptio vnius est generatio alterius: probatur consequentia, quia qualitatibus elementorum destructis, nec aliunde compensatis, sine aliqua qualitate aliquid generaretur, quod est impossibile, & contra experientiam. Si autem vnius elementi corrumpatur qualitas symbola, & pariter symbola alterius, tantum contrariæ manebunt, ex quibus elementum aliquod fieri, impossibile est. Si vero manebunt symbola, nec pariter aliquod constituetur elementum; siquidem vnumquodque ex diuersis constituitur qualitatibus. At si vnius dissymbola auferatur, non tertium, sed contiguum fiet elementum; aufer namque siccitatem ab igne, erit calidus, & humidus, & per consequens aer. Verum quamuis res ita se habeat, si elementa in suis naturalibus dispositionibus considerentur, vt optime philosophatur Aristot. Secus tamen (dicunt quidam) dicendum esset, si extra naturalem dispositionem constituta intelligerentur; Si namque aer magnam haberet frigiditatem, vt accidit in media ipsius regione, atque penitus humiditate ab ignis calore, & siccitate priuaretur, naturam terræ saperet. Sed tamen tunc dicendum esset; quod non solum ignis, sed aqua etiam suo natiuo frigore ad sic aerem disponendum concurreret; quam ob rem non essent, tunc duo tantum symbola elementa, sed tria, & fortè quatuor vel omnia, si deficcare terræ potius quam igni tribuatur, vnde optimè locutus est Aristot. male autem qui modo prædicto oppositum ipsius doctrinæ statuere præscripserant. Nõ est igitur dubium, quibus fieri nequeat inter symbola elemẽta in aliud tertium transitio, difficultas itaque est de dissymbolis; an videlicet ex igne, & aqua fieri possit aer, vel terra, & similiter, si ex aere, & terra, aqua, & ignis generari possint. Pro cuius dilucidatione sciendum est, quod hoc dupliciter contingere potest, videlicet effectiuè, & materialiter. Primo modo erit, si vnum sit agens, aliud patiens; sic nimirum, quod ignis, v. g. sua actiuitate aquæ naturã corrumpat, & in suam absumat, & sic neque est difficultas, præcipuè si conuersio fiat elementi debilioris in naturam fortioris, vt de igne, & aqua dictum est. Omne etenim naturale, & sufficiens agens potest (nisi adsit impedimentum) sibi contrarium passum assimilare. Alio vero modo intelligitur, quod ipsa elementa dissymbola instar materiæ sint patientia, ita vt huius hæc, alterius altera auferatur qualitas; sicut si ex igne remoueatur caliditas, ex aqua humiditas, remanebunt siccitas, & frigiditas, quæ sunt terræ qualitates, vnde ipsa terra produceretur, & secundum hunc sensum loquitur Philosophus, & nos simul in ipso affirmatiuam conclusionem statuimus. Quod vero ita se habeat, probatur; (Conclusio.) datis circa quamcunque rem naturalem debitis, & sufficientibus dispositionibus, sequitur forma, & compositum substantiale; aliter tales dispositiones essent frustra, sed qualitates primæ sunt dispositiones elementorum; ergo si circa aliquod elementum conuenientes ponantur, proculdubio producetur; cum itaque ex pugnantibus dissymbolis elementis hoc accidat, habetur intentum. Sed quis quæret; quod namq; erit præcipuum agẽs ad hoc tertium elementum efficiendum? Respondetur, ipsa pugnantia contraria elementa dispositiuè. Sed completiuè vniuersales, & cœlestes causas. At contra propositam conclusionem sunt duæ obiectiones.

Prima. In duobus contrarijs, vel dissymbolis elementis reperiuntur omnes quatuor qualitates primæ, at ex his generatur potius mistum, quam elementum aliquod, ergo. (1. Arg.)

Secunda. Vel qualitates illæ contrariæ sunt æquè potentes, vel non. Si primo modo, neutra alteram corrumpet. Si secundo, fortiores trahent in suam naturam alias, & sic in ipsum elementum cuius sunt victrices qualitates aliud conuertetur, non autem in tertium. Verum nihil propositum diminuunt. (Secundum)

Ad primam dicitur, quòd si qualitates omnes ad proportionatam, & conuenientem temperiem redigi possent, mistum quoque fortassis efficerẽt; sed vt plurimum fieri nequit: duplici de causa: prima, quia quamuis duæ vtriusque qualitates sint summæ, vt in igne caliditas, in aqua vero frigiditas; tamen aliæ duæ sunt remissæ, vnde sufficiens omnium, vel destructio, vel depressio ad mistum necessaria non facile assignari poterit. Altera est; quia in diuersis elementis diuersimodè qualitates insunt; credo etenim, quòd quamuis in aere, & aqua sit humiditas, (Ad 1.)

ditas, sint tamen aliquo modo diuersæ dispositionis, etsi non specie differentes; modi etenim non res tantum ad generandum requiruntur.

Ad 2. Ad secundam dicitur, posse qualitates prædictas esse æquè potentes, nec est verum quod vna in aliam, non agat, sed ambæ æqualiter in ambas, vnde concurrente cęlesti vniuersali causa, tertium ex ipsarum destructione fiet.

QVÆSTIO X.

Secundum vero, quod est potentia magis calidum, quam frigidum, vel è contra, secundum hanc rationem, duplo calidum potentia, &c. Tex. 48.

An detur temperamentum ad iustitiam.

VT propositam difficultatem soluamus, ante omnia quid ipsum temperamentum sit, declarare oportet. Est igitur proportio primarum qualitatum, vel humorum in qua mistorum, ac viuentium omnium esse, & vita consistit, dicitur proportio, quia non quomodocunque elementorum qualitates, vel viuentium humores copulentur, mistorum naturam, vel viuentium vitam constituutur: si etenim altera excedat, vel excedatur, interitus potius, quam existentia, vel perennitas erit. An vero proportio hæc sit relatio, vel qualitas, parui nunc refert, tamen dici potest, esse formaliter relationem, fundamentaliter qualitates in quibus existit: nec etenim est consentaneum, aut etiam intelligibile, proportionem relationem non esse: ipsa etenim ex extremis non secus quam similitudo, vel æqualitas insurgit, & licet sæpe qualitates dicatur, ac vnum temperamentum alteri contrarium, atque per ipsa functiones viuentium exerceri, ac materiam disponi, &c. omnia intelligenda sunt fundamentaliter, sicut patri quamplurima similia quoque tribuimus, puta esse animal, generatiuum, viuens, corporeum, &c. quod quidem maximè in Physicis efficere debemus, in quibus res sensibiles potius, quam subtilitates indagamus. Sed est dubitatio; quomodo videlicet Scotus, & sequaces, saluare poterunt temperamentum esse proportionem qualitatum; si vnam simplicem in mistis mistam qualitate assignant, proportio vero est rerum differentium eadem habitudo, nunquid idem differt a semetipso? Respondetur, duplicem esse proportionem, scilicet actualem, & virtualem; actualis extrema, vel fundamenta actualia requirit; virtualis, virtualia tantum modo, qualitas ergo mista, quæ vna tantum est, habet virtualem proportionem cum pluribus; quatenus operationum omnium ipsarum officio fungitur, diximus quoque esse propositionem qualitatum, vel humorum, vbi per qualitates, mistorum tantum, per qualitates, & humores simul, viuentium dispositionem insinuamus, ipsa etenim viuentia, & præcipuè animalia perfecta, non solum qualitatum temperiem, sed humorum simul symmetriam, vel proportionem includunt. Hoc autem melius percipietur si de multiplici temperamento aliqua dicemus. Quadruplex est ergo temperamentum, videlicet qualitatum simplicium, vel in ordine ad totum mistum; aliud est partium sigillatim sumptarum, ac tertium est in ordine ad omnes partes adinuicem comparatas. Primo modo respicit solum elementorum mistionem, quemadmodum si cõsideremus quatuor qualitates in quolibet misto secundum esse remissum, & proportionatum. Secundò vero consideratur quælibet pars per se, non etenim quælibet pars est eiusdem temperiei cum alia, cor namque est omnium calidissimum, cui succedunt spiritus, deinde sequitur sanguis, postea cholera, postea caro, deinde iecur, tum lien, ac consequenter renes, cutis &c. cerebrum vero, adeps, nerui, cartilagines, ossa, pili, phlegma, & melancholia frigida, ossa autem, similiter pili, vngues, &c. sicca. Sanguis vero, medulla, phlegma, &c. humida. Tertio modo partes quoque talem inter se proportionem retinere debẽt, quod quamuis altera ab altera in aliqua qualitate excedatur, neutra tamen alteram superet, vt ad corruptionem eam disponat, sed potius ipsius temperamentum adiuuet; quo pacto cor nimiam cerebri frigiditatem ad debitam reducit dispositionem, atque ab ipsius cerebri humiditate, & frigiditate cor ipsum refrigeratur, quo modo de alijs quoque membris discurrendum est. Hæc autem temperamenta qualitatum primarum sunt propria, vt de se notum est, ac vnumquodque in simplici qualitate consistere potest, quæ eminenter alias contineat, vt alibi ad mentem Scoti exposuimus.

Temperamẽtum humorum. At præter hæc quartum est temperamentum humorum; quod pariter in debita humorum commensuratione consistit; nec est vna simplex qualitas sicut præcedens, imò plures sunt partiales substantiæ, in pluribus locis receptæ, sunt enim fluidæ, vnde indigent receptaculis, proprijsve sunt affectæ qualitatibus. Quod autem temperamentum efficiant, facile est probare; nam si aliqua excedat, vel deficiat, vel mala dispositio, vel interitus animalium accidit.

Temperamentum ad põdus quid. Aliud obseruandum est, quod duplex est temperamentum, scilicet ad pondus, & ad iustitiam, dicitur ad pondus si æqualiter, & secundum idem pondus (vt ita loquamur) de vna sicut de alia qualitate, vel de vno sicut de alio humore in misto reperiatur; eo quidem modo quo dicimus, libram argenti, vel auri, esse eiusdem ponderis, cum libra plumbi, vel alterius; sic tot gradus, v.g. caliditatis, quot frigiditatis, vel siccitatis in eodem reperiantur. Sed temperamentum ad iustitiam, vel proportionem, non consistit in æqualitate, sed in debita habitudine, & temperie, instar commutatiuæ iustitiæ, quæ vnicuique quod suum est reddit, vnde sensus est; quod tanta humiditas in misto reperiatur, quanta est ad pabulum caloris, vel ad misti conseruationem necessaria: quod quidem temperamentum est prorsus a primo diuersum, siquidem nullam molis magnitudinem, vel alio modo æquiualentiam respicit. Quibus sic breuiter declaratis sic quæstionem resoluamus. Conclusio. Non datur, nec forte naturaliter dari potest in mistis siue animatis, siue nõ temperamentum ad pondus, sed bene ad iustitiam. Probatur prima pars; nam quæcunque mista, ad sui molem terram maximè exigunt, deinde ad humorem, aquam; ergo terræ, & aquæ qualitates magis quam aliæ abundabunt, quod autem hoc sit verum etiam ex grauitate patet; nihil namque est simpliciter leue, vel leuior igne, vel aere, nisi sit essentialiter aer, vel sursum à virtute Solis trahatur: imò quamuis aliquid sit leuius aqua, non inde colligitur nisi maior excessus virtutis aereæ, non autẽ simpliciter, maioris aeris virtus, vel moles, sicut etiam in multis dominatur ignis, vt ex ipsorum vehementi calore manifestum est, non tamen est secundum molem excessus ignis, sed maior virtus, quæ multam aliorum superat, & hæc est iustitiæ proprietas, quemadmodũ paucum auri pluris æstimatur, quam multum argenti; quamuis ratione ponderis hoc illud quam maximè excedere secundum rationem suæ magnitudinis, & illius paruitatis possit. Sicut ergo non est dicendum, aurum quod tanti valet, quanti aliqua argenti massa esse eiusdem ponderis cum illa; sic neque si maior ignis, vel aeris sit virtus in aliquo quam terræ, & aquæ; fatendum est, quod sint æqualia ad pondus, sed alio modo. Ratio autem huius valoris est, quia ignis est summæ actiuitatis, quare

paucus

paucus eius calor, magis suam ostendit operationem, quam multum siccitatis terræ, vel frigiditatis aquæ. Præterea, temperamentũ ad pondus potius ad intemperamentum, quam ad temperiem pertinet: accipiantur namque decem gradus caloris, decem frigoris, decem humiditatis, decem tandem siccitatis, quia gradus caloris sunt magis actiui, quam omnes alij, eos absument, & sic vel inordinatio, vel corruptio sequitur. Id autem quod diximus physicè, & experientia manifestum erit. Si etenim Medici idem pondus rei calidæ, & frigidæ, humidæ, & siccæ sumant, ac misceant, maximus erit caloris dominium, vnde calidiora, secundum minimum tradunt mensurã. At quid est aliud ars, quam naturæ emulatio? & si in artibus præclarissimis, in quibus maximè naturæ opus exercetur hoc accidit, quid in ipsa natura dicendum est? non aliud quidem, nisi quod hoc ad pondus temperamentum dari non possit. Sed ex consequenti detur ad iustitiam, aliter nulla esset mistio, vel ratio sufficiens conseruationis. Id autem quod de qualitatum temperamento diximus, omnibus prædictis temperamenti modis applicari potest, vt euidens est: temperamentum enim humanum (de quo minus fortassis apparet) rationabile est, non æqualiter sanguinis aliorumve humorum in quibuslibet partibus reperiri.

Octo hominis ætatis, cuius sint tẽperamenti. Pro exactiori tamen resolutione sciendum est, quod tales temperies, vel secundum viuentium ætates, vel secundum locorum affectiones, vel denique secundum diuersa accidentia variari possunt, nam secundum ætates. In prima quidem, quæ infantia dicitur ab initio natiuitatis vsque ad annum quintum, calor, atque humiditas viget. In secunda, quæ pueritia dicitur, à quinto vsque ad decimum annum pariter viget calor, & humiditas, sed hæc non in magna copia. In tertia, quæ pubertas appellatur vsque ad decimum octauum perdurans pariter cum maiori calore, minus humidi abundat. Quarta quæ vocatur adolescentia vsque ad annum vigesimumquintum adhuc calor augetur, & minuitur humiditas. Quinta, quæ vocatur iuuentus a vigesimoquinto vsque ad trigesimumquintũ, magis siccitas cum humiditate aliquali dominatur. Sexta est virilitas, à trigesimoquinto vsque ad quinquagesimum, in qua maximè temperies apparet. Septima est senectus, in qua frigiditas, & siccitas præualent. Tandẽ octaua est decrepitudo, quæ in communi est frigida, & sicca. Variantur pariter secundum locorum diuersitatem, etenim calidissima, calefaciunt, & exsiccant, humidissima humectant, & sic de alijs: cõferunt etiam, vt diximus, accidentia diuersa; nempe bonæ dispositiones, cibi probi, vel improbi, temperies, vel intemperies in eodem vsu, &c. Denique obseruandum est, quod omnia prædicta temperamenta nõ in indiuisibili, sed in quadam latitudine graduum consistunt, vnde non quilibet gradus caloris additus, vel remotus, morbum, vel notabilem indispositionem animalibus incutit, sed plures, qui nisi aliunde reparentur, sequitur peior conditio, & mors. At contra hanc nostram sic determinatam quæstionem aliquæ se se offerunt obiectiones, quæ quidem communiter a philosophis magni etiam nominis fieri soleant.

1. Arg. Prima. Homo est omnium animalium perfectissimè dispositus, ac in temperie magna consistens, vnde obiecta omnium sensuum, præcipuè tactus percipit; hoc autem esse non posset, nisi ad pondus temperamentum haberet. Probatur consequentia, quia si aliquod tangibile in humido, v.g. excederet, & in ipso quoque homine magis humiditas, quam alij humores abundarent, profecto ipsam humiditatem obiecti minime perciperet, quia superabundans in organo, impedit ne in obiecto abundans cognoscatur, sicut nimis calore feruens, teporem non percipit. Sic quoque de alijs dicatur, quare cum omnes differentias obiecti tangibilis percipiat, ad pondus mixturam habebit.

Secunda. Qualitates in misto mutuo pugnant, ac in esse remisso manent, ergo ponderis temperamentum seruant; aliter alia qua aliam corrumperet, puta excedens excessam. 2. Arg.

Tertia. Datur hoc temperamentum in ordine, vel comparatione ad grauitatem, & leuitatem: ergo multo magis secundum qualitates primas dari debet. Consequentia est nota, nam sicut grauitas, & leuitas à primis illis fluunt qualitatibus, sic temperies istarum ab illarum. Antecedens patet experientia in lignis, quæ in aquis apponuntur ex medietate enim sub, ex alia vero supra aquam apparent; quod non aliunde accidit, nisi quia est æqualis leuitas aeris, & ignis cum grauitate aquę & terræ, quæ in ipsis dominantur. Alia quamplurima argumenta diuersis in libris videri possunt. Hæc autem nunc soluamus. 3. Arg.

Ad primum dicitur; nihil aliud concludere, nisi æqualitatem iustitiæ; nam quamuis magis humidum, quam aliud abundaret; actiuitas tamen eius est minor, vnde minus facit sensationem, vel sensuum occupationem, ac perceptionis obiecti impedimentum. Ad primum arg.

Ad secundum respondetur eodem modo; non etenim secundum graduum multitudinem (quod esset ad pondus æqualitas) sed secundum posse, & actiuitatem determinantur, vnde in pluribus gradibus minor erit actiuitas, &c. Ad 2.

Ad tertium negatur antecedens; non etenim verum est, quod ęqualiter ligna prædicta sub, & supra aquam existant, vt est videre; quod si tamen hæc æqualitas, vel potius participatio daretur, non ex æqua grauitate cum leuitate sumenda esset, sed ex aliqua terrea mistione. Posset quoque negari consequentia; quoniam necessarium non est, quod æqualiter secundæ primis respondeant qualitates. Vel dicatur (& melius) quod quælibet æqualitas operationis si daretur, æqualitatem ponderis non arguit; multa namque debilioris virtutis requiruntur, pauca fortioris ad æqualitatem hanc prædictam grauitatis efficienda; vnde manifestum est, quod non seruatur idem pondus, sed pura proportio. Ad 3.

QVÆSTIO XI.

Latio facit generationem incessanter, quia adducit, & abducit generatiuum.

Tex. 55.

An Sol sit causa generationis.

PRo intelligentia sciendum est, quod Sol potest esse causa generationis dupliciter; vno modo per se immediatè; alio vero per applicationem aliorum. Primo modo est, si per naturales influentias aliquid generet, quemadmodum accidit dum ex putri materia viuentia quædam producit. Sed alio modo contingit, dum suo motu, lumine, calore virtuali, atque attractiua virtute, elementa, vel disgregat, vel congregat, vel aliter ad pugnam reducit, ex quibus mistum postea generatur, vel ex vnius elementi victoria, aliud quoque efficitur, sicut alibi dictum est. Vtroque tamen modo approximationem quandam requirit, non simpliciter secundum mensuram, sed secũdum directionem; nam cum præcipuum eius operandi instrumentum sit lumen, & calor, & hæc ambo per rectum, atque per radiorum contritionem efficacius, & singulariter operentur; directa quo magis fieri potest approximatio est necessaria; quare tempore hyemis, quamuis simpliciter nobis magis vicinus existat, quia est in opposito augis, (vt Astrologi sciunt) quia tamen lateraliter nos respicit, seu non sic directè lumen,

&ra-

& radios multiplicat, minus operatur. Nec tamen credendum est, quod tunc penitus nil operetur, quoniam hoc est falsum, & contra experientiam; siquidem arborum, quam plures herbæ, aliaque huiusmodi mirificè circa radices augentur, nisi aliunde excedens sit frigus. Imo neque censendum est, quod tempore recessus fiant simpliciter corruptiones, quia omnis corruptio est cum alterius generatione, sed comparando entia perfecta ad imperfecta, si illa generantur, simpliciter generatio dicitur; si vero hęc, corruptio, quemadmodum si homo corrumpatur, non bene dicitur, generatio est, quamuis aliquid ex ipso generetur; quoniam in hoc casu, fit denominatio à præstantiori, quia igitur in vere, vel dum ad nos appropinquat, notabiliores edit effectus, ac plures generare dicitur; alio vero tempore corrumpere, quod quidem per accidens ei tribuendum est; siquidem solum per recessum, vel absentiam eius id accidat; hæc autem non est causa per se.

Secundò notandum, quod in comparatione ad omnia inferiora Sol ipse vniuersalis, & aliquomodo remota causa dici potest; vniuersalis quatenus circa omnia operatur, remota, quatenus alia agentia immediata, quibus effectus assimilantur, requiruntur, vt homo ad hominis productionem; non tamen credendum est, quod ipse Sol dicatur remota causa, quoad attingibilitatem effectus; eo pacto quo dicimus Policletum esse remotā causam Socratis, prout fuit pater ipsius patris, &c. Sic namq; est propinquissima, nam in suo genere, & ordine causandi, immediatè producit; sed intelligi debet quoad assimilationem, vel contractum mathematicum; In quibusdam vero est etiam causa immediata, & particularis, puta omnium, quæ ex putri gignuntur, nihil namque aliud concurrere, vt principaliter efficiens videtur, nisi ipse, & dicimus, vt principale efficiens, vt instrumenta, ac materiei dispositiones, (quæ etiam requiruntur) excludamus.

Tertiò notandum, quod non tantum Sol, sed etiam ipsum Cęlum, pręcipuè stellatum, & primum mobile ad generationem concurrunt, & alij quoque quidem, vt passim testatur Philosophus, tribuitur tamen præcipuè Soli, vt principalissimo agenti per lumen, &c. Quomodo autem, & cęli & Sol ipse operentur, alibi dictum est, quod per lumen, motum, & influentias, nec singularius explicari potest; sat etenim est, hominum cęcutiendi Philosophia, vt vniuersaliter aliquid de rebus percipiat.

Conclusio. Quibus positis etiam quæstionis resolutio patet, videlicet, Solem esse generationis principium effectiuum, & vniuersale. Sed sunt aliquæ dubitationes.

An solus motus Solis sit omnium causa. Prima. Nonne motus tantum ipsius Solis per Zodiacum esset ad hæc omnia efficienda sufficientissimus, absque motu primi mobilis. Respondetur negatiuè, si de vniuerso orbe loquamur, ab aliquibus namque regionibus per sex menses continue distaret, vnde ob caloris, ac luminis defectum, generationes, ac rerum conseruationes deficerent.

An ad generationē requiratur lumen actuale. Secunda. An actualis Solis lumen ad generandum requiratur. Respondetur, quod quamuis non requiratur simpliciter, maximè tamen confert, vnde patet, quod in locis maximè vmbrosis, vel aliquid non nascitur, vel non diu durat, vel non fructificat; quod præcipuè in plantis veritatem habet; nec negandum est etiam, quantum alijs viuentibus prosit, potissimum, si debitè temperatū existat: quæ etenim splendoris Sole, non illustrantur marcescunt, atque homines domus circa Arcticum sitas habitantes, eo quod Sol in ipsis vigeat; innumeris frigidis, ac humidis morbis subijciuntur. Secus tamen de mineralibus, quæ in terræ visceribus gignuntur, dicendum est; aliæ etenim sufficientes sunt ad ipsorum generationem influentiæ, & forte quibusdam quoque alijs id contingere poterit, sed paucis. Alia dubitatio. An æquale sit tempus generationis, & corruptionis, sicut videtur velle Aristot. Respondetur, reuera non esse omnimodam, & exactam æqualitatem, siquidem fere toto anni tempore, aliqua sunt apta generari; sed si loquamur de euidentissima generatione, quæ veris tempore fit, & de corruptione euidentissima, quæ fit tempore hyemis, esset forte tunc magis æqualitas. Si autem omni generationi correspondentem corruptionem, (vt decet) tribuamus tūc est ad vnguem æqualitas, sed hic non est Aristot. sensus; nam (vt diximus) simpliciter generari dicuntur perfectiora, vnde & si ex semine corrupto generetur viuens; aliquid dicimus simpliciter generari, nullo habito respectu ad corruptionem. Alia tandem dubitatio est; si absque cęlorū motu, vel alijs causalitatibus, possent hæc inferiora agere. Respondetur, duplicem esse pro nunc ad propositum actionem, scilicet voluntariam, & de hac non est dubitatio, siquidem à cęlo non pendet: Alia esse naturalis, & hæc est duplex, quædam generatiua, quædam motiua tantum: prima fieri non potest, sine cęlorum influxu, cum etenim ipsi cęli sint vniuersales causæ horum inferiorum; nec causa vnius ordinis pręcipuè superioris ab alia alterius, & inferioris suppleri possit, patet quod dicimus. Motus autem locales credo futuros sine cęli influentijs, ignis namq; ascenderet, terra descenderet, &c. si extra propria loca, & non impedita existerent: aliter fatendum esset, quod daretur violentia, nullo existente violento agente; nam ignis violenter deorsum maneret: si igitur non operante cęlo, ibi quiescit, à quo violenter detinetur? Sed maior insurgit difficultas; si etenim generationes non sint absque cælesti causalitate, neque alterationes, nec augmentationes, nec corruptiones, vel diminutiones essent, quod videtur absurdum; probatur consequentia: nam alterationes ad generationem ordinantur; augmentationes vero, & diminutiones, non possunt effici sine aliqua saltem partiali generatione, nam in conuersione generatur pars substantiæ, in diminutione deperditur, non tamen annihilatur, ergo aliud generatur: pariter corruptio non est ad nihilum, ergo aliud generabitur. Quod vero sit absurdum patet, quia intelligibile non videtur, quod ignis se clauso quocunque alio, nihil calefaceret, vel igniret. Præterea, ex tali cęlorum causæ cessatione incomparabilis bonitas rebus eueniret. Si etenim inalterabiles, inaugmentabiles, indiminuibiles, & incorruptibiles essent, cęli naturæ æmularentur, & sine ipso cęlo hoc haberent: quare potius ipsum nunc causando obesset, quam prodesset. Respondetur. Dari in hoc casu, solum quæ ad noxiam, vel interitum pertinerent, & sic ignis alia consumeret, vel forte in seipso marcesceret, credo etenim, quod deficiente primo conseruatiuo, alia necessariò deficiant. Sed nunquid in nihilo resoluerentur. Respondetur negatiuè, sed in primam materiam: tunc namq; penitus nuda remaneret, nec (data hypothesi) esset inconueniens, sed necessarium; non etenim alia de causa sine forma esse nequit, nisi ob Vniuersi conseruationem, quæ cum à cęlo pendeat, si ipsum Vniuersum non conseruaretur, nec materia formis indueretur, nam vnum aliud consequitur.

An cęlo ab operante, alia agerent.

QVÆSTIO XII.

Idem, & similiter se habens semper idem actum est facere. Tex. 56.

Quæritur de veritate istius propositionis.

QVod itaque non sit vera, probatur: nam Sol etiam si immobilis esset, alia exsiccaret, alia liquefaceret, exsiccaret inquam terrea, vt lutum; &c. liquefaceret aquea, & aerea, vt glaciem, niuem, ceram, mel, &c. quod pariter de igne dici potest. 1. Arg.

Amplius:

2. Arg. Amplius. Quod eminenter, vel virtualiter plures effectus continet, modo hunc, modo illum efficere potest, absque vlla sui mutatione, vt quoniam Sol ipse virtualiter horum inferiorum effectus continet, diuersos quidem producit, neque dicatur, id esse secundum diuersum motum, vel approximationem; quoniam in eodem, & secundum eandem quoque distantiam, id verificari perspicuum est, nam in aliquibus terræ tractibus, & vermes, & serpentes, & alia ab eodem fiunt, ergo. His tamen nihil officientibus propositio est simpliciter vera, si rectè perpendatur. Sensus ergo est, quod idem semper eodem modo agat, ac naturales sibi conuenientes effectus producat, dummodo sit agens naturale, quia voluntarium secus se habet, & dummodo ex aliqua parte, vel impedimentum, vel alia dispositio non adsit; quare non aufertur pluralitas effectuum, sed diuersi modi causandi, & per hæc facile argumenta soluuntur; licet etenim Ad Arg. Sol aliquid liquefaciat, aliud vero exsiccet, tamen stante eadem materia semper natum est facere idem; semper etenim ceram liquefaciet, ac terram exsiccabit, & per hoc potest etiam secundum solui; nam quomodocunque contineat; semper circa idem eadem efficiet ex parte sui, dummodo eadem sit materia; quare diuersitates prædictæ ex materiæ diuersitate, non ex ipsius agētis similiter se habentis eueniunt.

QVÆSTIO XIII.

Contrariorum contrariæ sunt causæ. Tex. 56.

An hæc propositio sit vera.

ARguitur primò, quòd non, auctoritate Philosophi in 2. Phys. tex. 30. ait namq; eandem esse causam contrariorum.

Secundò. Caliditas, & frigiditas sunt contraria, & ab eodem prouenire possunt, vt Sol calefaciens superficiem terræ, eodem tempore per antiparistasim frigefacit mediam aeris regionem, ergo.

Tertiò. Exsiccatio, & liquatio sunt pariter effectus contrarij, qui tamen ab eodem produci possunt, vt patuit in quæstione præcedenti, ergo.

Pro intelligentia sciendum est, quod si propositio intelligatur de causis per accidens, vera esse non potest, sed tamen erit vera de causis per se, in ordine ad immediatos per se effectus: voco autem effectus per se, & immediatos, qui non ex alijs effectibus, sed ex natura causæ proueniunt, vt ignis est calefacere, ignire, & sursum ascendere; mediatos autem qui ex effectibus illis proueniunt, vt condensare, rarefacere, frigefacere, &c. hi etenim ideo variantur, quia diuersæ sunt dispositiones, vel conditiones materiæ, quæ afficitur, vt quod cera liquescat, non est, nisi quia in humido aereo consistit, qui quidem natum est rarefieri, cum aer quoque ex sua natura raritatem sibi præfigat. Quod autem exsiccetur, vel condensetur lutum ex terrea natura prouenit; hæc etenim nata est condensari, vnde ignis attrahendo humidum, siccum, ac compactum relinquit, & sic ad suam reuertitur naturam, quam ob rem non ignis, vel Sol duntaxat harum contrarietatum sunt causæ, sed dispositiones, vel affectiones passi id coadiuuant, vt satis declaratum est; Quare dicendum est, quod si sola causa aliqua sumatur, & in comparatione ad effectum per se, ab ipsa non fiunt effectus contrarij, sed contrariorum contrariæ sunt causæ. Si vero applicetur modo prædicto ad effectus per accidens, sic optimè probant argumenta. Sic itaque loquitur Aristot. in 2. Phys. vt ibi quoque declaratum fuit. Sic pariter (vt etiam secundum argumentum soluatur) per se Sol est causa caloris, frigus vero contrarium fugiens fit fortius, sed à Sole per accidens, vel sumpta occasione fugiendi. Eodem quoque modo potest tertium argumentum dilui, vt satis dictum est.

QVÆSTIO XIV.

Tempus & vita vniuscuiusque numerum habent, & hoc determinantur. Tex. 57.

An omnium rerum corruptibilium sit determinata periodus suæ durationis.

NOn mouetur hæc difficultas de rebus incorruptibilibus, si quidem ipsæ de lege naturæ sunt in æternum permansuræ. Neque loquimur secundum Dei æternam præuisionem, vel prædestinationem, sic namque theologicum est negotium. Sed an secundum naturæ vires aliquid sic ad esse secundum durationem determinetur, quod vltra durare non possit. Et videtur quod 1. Arg. non: quoniam ex diuersis contingentibus potest aliquid magis, vel minus durare, vt experientia patet; bonitas namq; vel malitia nutrimenti, aut loci, sicut vitam conseruant, vel malè afficiunt; sic quandoque auferunt, vel prolongant: si ergo determinatam periodum haberent, hoc accidere nequiret, quia esse determinatum, & secundum hoc variabile repugnat. Amplius, cuius causa 2. Arg. est indeterminata, & ipsum indeterminatum est; sed causa durationis cuiusque sic se habet, ergo. Probatur minor, nam hæc dependet interdum ab intemperiebus aeris, quandoque à voluntate hominum, vnde pestilentijs, & gladio quamplurima interficiuntur viuentium. Denique. Si hoc pacto determinatio daretur, frustra vtique 3. Arg. esset diligentiam circa vitam adhibere, vnde etiam medicamenta, aliaque huiusmodi nihil conferrent, quod quidem videtur ridiculum, & contra manifestissimā experientiam. Probatur consequentia, quia quod ex se determinatum est, aliunde variari non potest; aliter esset determinatum, & non determinatum.

Pro intelligentia sciendum est, quod determinatio hæc potest duplici ex causa attendi, videlicet ex cælo, & ex natura rerum corruptibilium, ex cælo dupliciter. Primò, quod secundum aliquam constellationem esse, & viuere alicuius sit infallibiliter determinatum, vel quod suis vniuersalibus influxibus sicut ad productionem, sic ad rei conseruationem concurrat, primo modo non credo aliquid simpliciter determinatum esse, quia sic non omnis auferretur libertas; necnon, quoniam ipsum cælum est causa vniuersalis, quæ non sola, sed cum particularibus, & secundum ipsorum conditiones operatur. Alio vero modo nullatenus est negandum; sicut etenim ad omnium generabilium productionem concurrit, ita ad ipsorum durationem, & conseruationem præsto est; Ex natura rerum attendenda est in mistis temperies, in elementis, vel alterius contrarietas, vel bonitas, aut defectus materiæ. Ex temperie namque alia sunt diuturniora alijs: alia citò intereunt, &c. illa enim in quibus maximè dominatur siccitas, vt lapides, metalla, &c. diu durant, eo quod est maximæ resistentiæ, ac humiditati (quæ est putredinis, & corruptionis materia) opponitur. Quæ vero humiditate præsertim aquea abundant, citò tabescunt; at quæ medio modo se habent, proportionaliter durant. Cum autem hæ rerum naturalium temperies, vel natura, à cælesti virtute dependeant, seorsum ab illa sumenda non est, sed ex vtroque simul est expetenda, ita vt intrinsecè à propria natura, extrinsecè à celo vniuersa rerum dispositio attendatur. Dicere itaque Conclusio. omnia

omnia habere determinatam periodum durationis ad hunc sensum, quod non possint amplius perseuerare, quam ratio, vel ipsorum naturæ conditio, vel dispositio expostulet: sic nimirum, quod hominum ætas, arborum, vel animalium quorundam durationem attingere nequeat, etiam si quæuis adhibeatur possibilis restauratio, quia fundamentum, vel virtus, qua vnumquodque est, & conseruatur limitata est secundum proportionem illius cuius est. Non autem quod sit determinatus dies, vel hora irreuocabilis, quam transgredi nequeat, vt optimè probant argumenta. Omnis namque diligentia frustra esset, &c. Sed adest dubitatio, quoniam cũ quædam non nisi ab externo contrario corrumpantur, vt clementa, quæ contrarijs non constant qualitatibus, deberent contrario remoto incorruptibilia conseruari, quod tamen naturæ corruptibilium repugnat: omne etenim corruptibile tandem corrumpetur. Respondetur, quod si re vera aliquod sic contrariorum expers assignari posset, nũquam fortè ad corruptionem reduceretur, nisi aliunde (puta ex defectu materiæ, vt si ignis hic existens cõbustibili careret) id ei accideret. Dum autem dicitur; omne corruptibile tandem corrumpetur, verum est de facto, & secundum legem ordinariam naturæ; si autem contrarium adimeretur, secus dicendum esset, quia corruptibile dicitur tale in ordine ad corrumpens, quod quidem contrarium est, quam ob rem quibusdam artificijs, quibus contrarijs iter ad ignem corrumpendum clauditur, ipse ignis perpetuo seruatur. Sed nonne simplex materiæ, & formæ constitutio est interitus sufficientissima causa, præsertim cum de ipsa materia passim dicatur, esse causam, qua res possit esse, & non esse? Respondetur, re vera ipsam esse corruptionis fundamentum, tamen solum passiuum, quod de se ad actum reduci nequit; vnde actiuo aliquo indiget, & quoniam in natura vnicui potentiæ passiuæ actiua respondet: hinc est, quod omne corruptibile corrumpetur, quod si alia lege (non etenim necesse est, quod circa omnia singularia, quasi essent essentialia prædicata, omnia philosophica attributa verificentur) ab aduersarijs eximatur, id futurum est in corruptibile; quam ob rem quo minus contraria, vel minus potentia aliquid habebit, eo diutius durabit, vt patet dum in salubri loco viuimus, &c.

QVÆSTIO XV.

Quoniam enim in omnibus inquimus, quod melius est desiderare naturam semper. Tex. 59.

Quæritur de veritate huius dicti.

QVod itaque non sit verum, probatur. Nam corruptio aliæque priuationes non sunt meliores habitibus, & tamen à natura desiderantur, ergo. Probatur minor; nam id desiderari dicitur ad quod veluti ad finem, media, vel rei conditiones ordinantur: hæc autem ordinantur ad prædicta, ergo. Neque dicendum est, non esse verum, nisi per accidens (vt alibi quoque diximus) quoniam, quod necessariò sequitur ex natura, & conditionibus aliquorum, nec est per accidens, neque per accidens desideratur, nisi agens sit stolidum, quod quidem absurdum est de agentibus naturalibus enunciare, si quidem à primo infallibili diriguntur: Confirmatur exemplo. Si quis etenim aliquod artificiale sic construeret, vt illinc ad quoddam determinatum tempus necessariò ruat; nonne hunc, interitum prædicti ædificij desiderare dicendum esset? Quam ob rem cum res omnes naturales sub cœlestes, sint talibus dispositionibus, complexionibus, vel temperiebus dispositæ vt vltra illas existere nequeant, (quemadmodum in præcedenti quæstione visum est) fatendum vtique erit; naturam ipsam harum qualitatum collatricem, ipsum interitum optare, & ita falsitas dicti apparet.

Argum.

Pro responsione sciendum est, quod naturæ opus non est tantum res naturales efficere, sed conuenientibus dispositionibus, qualitatibus, terminis, seu duratione, alijsve huiusmodi pro rerum naturalium diuersitate afficere; consentaneum etenim est, finem his, quæ sunt ad finem respondere. Quam ob rem dicendum censeo, interitum rerum naturalium, nec rationem bonitatis penitus adimere, nec prorsus extra naturæ intentionem accidere; dicimus non adimere intentionem bonitatis, quia bonum ipsius rei naturalis veluti terminatum, & completum supponit: & hac eadem de causa, non est penitus extra intentionem naturæ, siquidem ipsa res corruptibiles non vltra interitum conseruare intendit, sed vsque ad ipsum. Hoc autem quod dicimus potissimum veritatem habebit, si prædictarum priuationum desiderium non sub ratione reduplicatiua, sed simpliciter, ac specificatiuè sumantur, idest; quod non desideretur priuatio sub illa simplici ratione priuationis, quia sic est non ens, quod omnem rationem appetibilitatis refugit, sed ipsa priuatio optetur, quatenus est terminus, vel ipsum claudit. Quod quidem potissimum veritatem habet de corruptionibus alijsve priuationibus naturalibus, quæ scilicet ex rerum naturalium dispositionibus fiunt: de violentis enim nequaquam, sed præter naturam accidunt: At de ipsis naturalibus quis namque oppositum censeret? quomodo enim recta ratione cogitare possumus, naturas fructuum, qui perfectionem tunc nacti sunt, ad aliud melius, quam ad animalium cibum, vel nutrimentum ordinari? hoc autem fit per ipsorum corruptionem, ergo ipsa videtur desiderabilis, & finis à natura intentus. Sed respondebit aliquis, tunc quidem optari finem, quia melius est nutrimẽtum animalium, quam fructuum existentia, & sic desiderium viget non ob interitum illum, sed ob bonum acquisibile. At hoc nihil obstat, quoniam non tantum rerũ perfectarum naturam attendere debemus, sed vniuscuiusque particularis particularem, aliter solum de homine, qui (est omnium corruptibilium perfectissimus) natura, quod melius est desideraret, & sic neque est philosophicum dictum, neque veritati consentaneum; vnde fatendum potius est, quod vniuersaliter natura, & specifica quoque cuiusque, quod melius est desideret; aliter non esset assignanda prouidentia in rebus præterquam quod, si hæc responsio valeret, etiam hominis, omniumq; aliarum rerum exitium, bonum hoc pacto dici deberet: siquidem ad diuinum saltem explendum beneplacitum (quo nihil maius, vel melius est) ordinatur, vnde nulla daretur ratio mali: fatendum est ergo naturales corruptiones intendi à natura, nec esse simpliciter mala. Sed contra, priuatio boni est mala: ergo; respondetur: priuationes prædictas formaliter sumptas esse boni priuationem, sed aliter esse terminum, qui ex propria natura rebus conuenit. Sic igitur, quod melius est natura semper optat. Nunc obiectionem in principio positam soluamus. Ad maiorem igitur dicimus, quod illæ priuationes naturales non sunt meliores formaliter sumptæ, sed bene pro connotato, supposita natura tali, quod est dicere, quod res corruptibiles necessariò corrumpendas esse aliter essent incorruptibiles, at si corruptibile fiat incorruptibile, non esset idem, quare natura eius deficeret: si autem post determinatam periodum desinant, totam sibi possibilem durationem includunt, & hoc pacto melius est corrumpi, quam non. Ad alias argumenti partes, per idem facile est respondere; natura etenim sub ratione formali corruptionem non per se, sed per accidens desiderat, vt scilicet aliquid generet; at sub ratione termini, etiam per se desiderat, vt bene

Conclusio.
Ad Arg.

vt bene probat argumentum; neque id repugnat ei quod alibi diximus, de naturalitate corruptionis, vel non; imò hoc illud clarius exponit, & ad debitum sensum perducit. Quod vero melius ipsa natura semper desideret, rationibus probare omisimus, quia est quasi ex se notissimum; si quidem ipsa natura agat propter finem, qui est optimus; & intelligendo semper si impedimentum non adsit, quia tunc peccata contingunt.

QVÆSTIO XVI.

Vtrum similiter omnia reuertuntur, an non. Tex. 70.

An corruptum idem numero redire possit.

ARguitur. Primò quod sic. Stantibus eisdem causis numero, idem numero produci potest effectus, qui nec aliunde pendet, nec ab alijs diuersitatem capit. Hæ autem causæ sæpe sic se habent, vt notum est, ergo.

Secundò. Si idem numero corruptum reproduci non posset; hoc ideo esset (vt communiter dicunt) quia non est idem tempus, vel motus, quæ ad idem producendum requiruntur; at hoc non obstat; quoniam quæ sunt extra rationem, vel essentiam alicuius, nihil ad ipsius essentialem productionem intrinsecè attinent; Vel (quod idem est) possunt variari, sine variatione ipsius, sed motus, & tempus sic se habent, quia distinguuntur realiter à termino, & sunt accidentia quædam extrinseca respectu substantiæ producendæ; præter quam quod etiam dicere possumus ipsa pariter posse redire, & confirmabitur, argumento primo, (omnium quidem commune, sed efficacius quod circa hoc fieri possit) nam stantibus eisdem causis, &c.

Tertiò. Totum integrale corruptum reparari naturaliter potest; ergo etiam quodcunque aliud; antecedens est notum, quia eadem arca potest in partes diuidi, ac iterum vniri; nec aliquis somniaret, quod esset alia; probatur consequentia, quia sicut se habet totum ad totum, sic corruptio ad corruptionem, & regressio ad regressum; ac totum integrale est comparabile alteri, ergo, & corruptiones, & regressus amborum.

Quartò. Muscæ in aqua per suffocationem emortuę, intra cinerem tepidum positæ reuiuiscunt. Ac Draco quidam (vt Xantus antiquissimus historicus refert) necatum filium in spelunca, herba quadam Balim dicta, ad vitam reuocauit; qua etiam herba (eodem referente) Thilo eques à dracone interfectus suscitatus fuit.

Quæstionem hanc, de Dei absoluta potentia, & de naturæ viribus agitare possemus; at quia prior pars est purè theologica; de secunda disseremus. Sed quoniam sæpe quam plures, & curiositate allecti, & desiderio sciendi flagrantes, quod simpliciter insinuatur, scire aliquo saltem modo peroptant; breuiter ipsis per affirmatiuam propositionem satisfaciamus; videlicet; posse Deum, quodcunq; ens; siue sit substantia, siue accidens, *Prima conclusio.* siue permanens, siue successiuum, idem numero reparare. Nec etenim video, nec imaginari possum; quid sibi repugnet, vel quæ implicet contradictio, præcipuè, cum ad plura in infinitum virtus eius se extendat, quam intellectus noster percipere, vel attentare possit, quia opera etiam creatæ naturæ, sic ingentia, & mirabilia existunt, vt neque ipse intellectus percipere queat, quamuis in perpetuum circa ipsa inuestiganda laboraret; quæ igitur finitum ad infinitum proportio? Verum sunt contra *1. Obiect.* hanc determinationem aliquæ obiectiones. Prima. Si Deus idem numero corruptum reparet, diuersam existentiam sibi tribueret: quia existere est esse extra causas, vel durare, quare sibi conferret diuersas in diuersis temporibus durationes, vt de se notum est; at existentia est idem realiter cum essentia, vt docet Scotus 4. Sent. d. 13. q. 1. art. 1. ergo ipsum corruptum reparando, diuersam quoq; essentiam sibi tribueret, & sic non esset idem; ridiculum namq; est dicere aliquid esse idem sine eadem essentia. *Secunda.* Secunda. Si posset corruptum reparare, ergo idem existēs producere posset, quod absurdum videtur: consequentia patet; nam quod reparandum, vel producendum sit corruptum, non tribuit Deo maiorem potestatem; quare si corruptum reproducit, & non corruptū similiter iterum producere poterit. *Tertia.* Tertia. De natura, & essentia successiuorum est, quod non sint discontinuata; si ergo aliquod successiuum Deus reproduceret, esset successiuum, & non successiuum; nam quatenus reproducitur, intelligitur medio tempore corruptum, & ecce discontinuatio, ex alia parte vt successiuum supponitur. Hæc autem implicantia factibilia per quamcunque potentiam non sunt. *Quarta.* Quarta. Sequeretur, quod Annus effici possit vnius diei, vel horæ; quod est contra rationem ipsius; probatur consequentia, nam eadem hora toties reproduci poterit, quot ad annum explendum requiruntur, & sic totus annus ex vna tantum hora sufficienter reproducta constabit. *Ad primā.* Ad primam negatur prima consequentia, videlicet, Deum tribuere rei productæ diuersam existentiam, eandem namque prius amissam dumtaxar repararet; neque verum est, existentiam esse idem cum duratione; nam existentia ipsa est vltima actualitas rei extra causam, sed duratio est commensuratio, vel respectus quidam rei temporalis ad tempus, non temporalis ad æuum, vel æternitatem, vnde semper sequitur existentiam, quicquid etenim existit, dum existit, durat, tamen non sunt penitus idem; imò secundum prædicta realiter distinguuntur, si quidem eadem existentia reparatur; non autem eadem duratio; quod melius poterit hoc modo declarari; dicere namque possumus, hoc vel illud plures habuisse partiales durationes, nempe anni, mensis, &c. dicere autem sic plures habuisse existentias, est penitus absonum. *Ad secundam.* Ad secundam negatur consequentia, de ratione namque essentialis productionis est, quod res producibilis non existat, eo quidem modo, quo diximus in 1. phys. priuationem in ordine ad generationem esse necessarium principium; quamobrem, & si existens produci nequeat, id accidit, quia non est producibile, & sic si produceretur, esset, & non esset. *Ad tertiā.* Ad tertiam concesso antecedenti, negatur consequentia, nec etenim ipsum successiuū à suis partibus secernetur, sed tantum ab alio successiuo, quod ad ipsum nihil pertinet, v. g. si reproducatur integra vna celestis reuolutio de Oriente in Occidentem, hæc omnes sibi conuenientes partes vnitas retinebit; quamuis non continuaretur cum alijs, quibus olim vnita fuisset, nisi illæ quoque reproducerentur; quæ tamen nihil huic officerent. *Ad quartā.* Ad quartam dicitur, quod secundum apparentiam hora vna, vel vnus dies sufficienter reproductus videretur annus, vel aliud tempus quo ad successionem; at realiter hoc non esset, & secundum huius positionis conformitatem, nihil diuersum, vel nouum, vel productiuum, quam vnius diei, vel vnius horæ ratio postularet, inibi assignari posset; vnde nihil germinaret, nihilve senesceret, vel alteraretur; nisi prout in tali die, vel hora, reproducta, natum esset, vel germinare, vel senescere, vel alio modo affici, quod notum est; quia solum est eadem hora; pariter neq; esset completa cælorum, vel solis reuolutio, quæ ad annum, vel alia tempore constituenda requiruntur, & (vnico verbo) potest hic dici sicut diximus in 4. phys. q. 4. nimirum, quod vnum corpus pluribus in locis existens, secundum apparentiam efficeret multitudinem, &c. At nunc physice quæstionem *Secunda Conclusio.* determinemus. Sit ergo alia conclusio negatiua hæc. Corruptum idē numero naturaliter reparari nō potest. Eam probant aliqui, quia non potest eadem actio, vel

motus vel tempus redire, quæ omnia ad eundem effectum numero pertinent,& quia (addunt) motus est idem realiter cum termino ad quem, vel cum re producta; sed hi principium petentes, falsum quoque supponunt, est etenim æqua difficultas de reditione motus, temporis, & actionis sicut de alijs, neq; verum est terminum ad quem esse idem realiter cum motu, vt in 3. phys. q. 5. demonstrauimus. Probatur ergo aliter conclusio sic. Entia finita determinatum modum agendi, vel præfinitam operandi potentiam ab authore naturæ habent, hæc autem potentia ad actum ordinatur, vnius ergo actus vnica est potentia, & sic habito actu, potentia amplius non existit; remota potentia, nec aliquid secundum ipsam possibile est produci. Præterea ordo naturæ est, vt inferiora à superioribus dirigantur, atque sine ipsis causare nihil possint, ipsa autem corpora superiora, vel cælestia, nunquam omnia simul in eodem signo, vel aspectu esse queunt, vt optimè sciunt Astrologi; quorum nostræ tempestatis Philosophiæ, Sacræ Theologiæ, & huius Astronomicæ facultatis eximius Doctor Laurus Biliotus Fanensis Regularis Canonicus Sancti Saluatoris euidentissimas, & quidem admiratione dignas, circa hoc mihi demonstrationes confecit, quibus fretus, vt certissimam hanc statuo positionem. Eas ante hic apponere physicum negotium esset egredi; nec facilè ab adolescentibus intelligerentur, cum quam plurima illius scientiæ principia, & difficultates supponant. At argumenta soluamus.

Ad primum negatur minor; quamuis etenim, eædem causæ vniuersales manere possint, particulares tamen, dispositiones, potentiæ, aliaque id generis requisita non adsunt, vt satis declaratum fuit.

Ad secundum patet, non etenim ex eodem, vel diuerso motu, vel tempore id accidit, vt dictum est, sed ex alia causa quamuis hæc quoque requiri non sit negandum, sed non essentialiter.

Ad tertium negatur consequentia, vel similitudo; totum namque integrale, retinet potentiam in partibus diuisis; non sic autem totum essentiale, & sic proportio claudicat ex parte potentiæ. At hæc responsio videtur contra prædicta; quia sic potentia non est determinata secundum actum. Respondetur; potentiam ad vere aliquid generandum sic se habere non autem ad vnionem tantum vt hæc; præterquaque hic non sunt corruptæ partes, sicut ibi; quare non est vera corruptio.

Ad quartum dicitur, animalia prædicta non fuisse vere mortua, sed intermortua tãtum, quæ quidem accepta vi ex calore, vel herbis, suscitare visa sunt; neque simpliciter scriptoribus est credendum in omnibus, si quidem quamplurima ad suum propositum ampliant. Sed duæ restant examinandæ difficultates. Prima; si aliqua pars eadem numero reparari potest vt patet dum arboris ramus abscinditur, &c. cur non, & totum? quæ etenim maior est difficultas? Secunda cum anima rationalis sit immortalis,& libera,& corpus tempore immediato quo ipsa egreditur, sit quandoque dispositum, cur ipsum corpus iterum ingredi nequit, & sic eiusdem numero reparatio naturaliter fiat. Ad primam dicitur; non esse eandem partem numero, quæ regeneratur, sed per æquiualentiam dicitur talis, quod sic patet; seruetur ramus abscissus; deinde ascindatur, qui nuper productus fuit, & cum præcedenti asseruetur, erunt duo,& non vnus; quare neque antea vnus fuerunt,& hoc modo dici potest de quolibet membro, vel parte cuiuslibet viuentis; imò si omnes partes sic mutari possent, non esse idem numero viuens, vt alibi docuimus. Ad secundam dupliciter respondetur, primò, quod non manet in corpore neque eadem potentia, vt diximus; neque sufficiens dispositio, quia si hæc adesset; anima non discessisset; manet namq; semper forma, si debita adsit dispositio. Secundò, quod quamuis esset eadem potentia, & dispositio, anima non posset hoc efficere, quia forma circa idem cuius est forma non potest supplere rationem causæ efficientis, quia idem esset suimet productiuum; nec causæ coincidunt secundum eandem rationem in identitatem numeralem. Sed introducere formam, vel ipsam materiæ vnire, est opus efficientis, ideo nec animæ nec alicui alteri formæ conueniet.

Finis secundi Libri de Gener. & Corrupt.



ANTO-



ANTONII ROCCI

de Scurcula Marſorum.

IN PRIMVM LIBRVM ARISTOTELIS Meteorologicorum.

SVMMÆ LIBRI.

IN Prima declarantur quædam, neceſſariò præ cognoſcenda ad notitiam omnium aliorum.

In Secunda agitur de ijs, quæ in ſuperiori loco generantur.

In Tertia de ijs, quæ in inferiori loco, ac terræ propinquiori.

In Quarta de Fluminibus, ac Fontibus.

SVMMÆ PRIMÆ, CAPVT PRIMVM.

Eorum quæ dicta ſunt rememoratio, dicendorumque explicatio.



E primis igitur cauſis naturæ, & de omni motu naturali, in octo libris Phyſicorum diximus, adhuc autem de aſtris rectè diſpoſitis, ſecundum ſuperiorem lationem, vel corpora ſuperiora, ſeu cæleſtia circulariter lata, & de elementis corporalibus, & quot, & quæ ſint, & de ea tranſmutatione, quæ adinuicem eſt, de Generatione, & Corruptione in communi, prout & elementis & miſtis conuenit, dictum eſt etiam prius; partim in libris de Cęlo, partim in libris de Generatione, & Corruptione. Reliquum autem huius Methodi, ſeu ordinatæ doctrinæ eſt adhuc conſiderandum id quod omnes priores Philoſophi Meteorologiam vocabant. Hæc autem Meteorologica ſunt, quæcunque accidunt, vel fiunt, naturaliter quidem, ſed tamen modo, ac curſu inordinatiori, quam ſint motus, ac reuolutiones primi elementi omnium corporum, ſcilicet cæli, quorum aliqua ſiunt circa locum maximè propinquum lationi Aſtrorum, vt patet de lacte, ſeu via lactea, vel galaxia, de Cometis, & alijs exhalationibus ignitis, ac de motis imaginibus, & ſimiliter ſunt huiuſmodi, & circa hunc locum, vel non multum diſtantia; quæcunque ponemus vtique eſſe communes paſſiones aeris, & aquæ, ſicut ſunt exhalationes, vapores, &c. Adhuc autem ad hanc doctrinam pertinent quæcunque ſunt ſpecies, & partes, & paſſiones partium terræ (intelligendo per ſpecies terræ, res terreſtres, vt metalla, & mineralia omnia; per partes, diuerſas concauitates, vel alio modo affectam terram; per paſſiones, ventos, terræ motus, & alia) ex quibus de Flatibus, ſeu ventis, & terræ motibus conſiderabimus vtique cauſas, & de omnibus, quæ fiunt, vel accidunt ſecundum motum horum, hoc eſt de omnibus effectibus iſtorum. In quibus hæc quidem dubitamus (ſeu incertam habemus cognitionem), hæc autem attingimus, vel cognoſcimus quodammodo, (hoc eſt, non cum tanta dubitatione, nec omnino certè). Adhuc autem dicemus de caſu Fulminum, de Vorticibus, & accenſis Turbinibus, & alijs circularibus impreſſionibus, quæcunque ſcilicet accidunt, ac ſunt paſſiones, vel affectus eorundem horum corporum, propter congelationem, ſeu variam condenſationem, vel conuenientiam ipſorum. Cùm autem pertranſiuerimus de his, ſpeculabimur, ſi quid poßumus, ſecundum inductum modum dicere de animalibus, & plantis, vniuerſaliter, & ſingillatim. Ferè enim his dictis, finis vtique factus erit, eius totius propoſiti à nobis in principio, quod ſcilicet erat de rebus naturalibus agere.

C A P V T II.

Cælum est causa efficiens omnium, quæ circa elementa accidunt, Elementa vero ipsa materialis.

SIc igitur cum cœperimus de his Meteorologicis agere, de ipsis elementis, ac alijs causis dicamus primò, & in vniuersali. Quoniam enim determinatum est prius à nobis in libris de Cælo, vnum quidem esse principium corporum, ex quibus tota natura, ac multitudo corporum circulariter latorum, seu cęlestium constat, quam quidem naturam ex circulari motu, ac figura colligimus, eamque simplicem essentiam nuncupauimus, atque ipse quoque motus, & figura, principia inueniendi à posteriori hæc cęlestia corpora fuerunt. Alia autem quatuor corpora elementorum, propter quatuor principia, (nempe propter diuersitatem motuum, ac qualitatum, quæ similiter sunt principia à posteriori, et potius notificandi, quam constituendi) à cęlo diuersa posuimus. Quorum duplicem esse dicimus motum, hunc quidem à medio, seu sursum, illum autem ad medium, seu deorsum (loquendo genericè, nam specificè sunt quatuor motus). Quatuor autem his elementis existentibus, igne scilicet, aqua, aere, & terra; omnibus quidem his supereminentem esse ignem dicimus, substantem autem, vel sub omnibus terram; duo autem alia, nempe aer, & aqua, quæ ad ipsa extrema media sunt, se habent proportionaliter his, in ratione loci, motus, & qualitatum; aer enim igni est propinquior in omnibus prædictis, quam alia; aqua autem terræ, totus itaque mundus, qui circa terram est, ac ab vltima sphæra nempe Lunæ continetur, ex his quatuor constat corporibus (tanquam ex partibus integralibus, ac maioribus in quantitate) de quo mundo dicimus esse sumendas in istis libris passiones, quæ sibi accidunt. Est autem iste mundus inferior ex necessitate quodammodo contiguus lationibus, ac corporibus superioribus, vel cęlestibus vt omnis virtus ipsius inferioris mundi inde gubernetur. Vnde enim alijs inest principium motus, illam primam causam efficientem esse, putandum est; Sed omnia mouentur, vel habent principium vt moueantur à cęlo, ergo ipsum est causa efficiens. Adhæc autem, hic quidem motus cæli perpetuus est & non habens finem secundum terminum localem, sed semper in fine ac principio est; hæc autem corpora inferiora omnia distant ab inuicem finitis, ac determinatis locis, ac per consequens etiam motus ipsorum finiti sunt, rationabilius est ergo infinitum, seu perpetuum esse causam finiti, quam è contra, cælum igitur est causa efficiens principalis. Quare eorum accidentium, quæ fiunt circa ipsum mundum inferiorem, oportet putare elementa ipsa, scilicet ignem, aerem, aquam, & terram, causas etiam esse, sed in specie materiæ, seu esse causas materiales; subiectum enim & patiens appellamus hoc modo, scilicet causam materialem, sed hæc corpora patiuntur, & subijciuntur actioni, & influentijs cęli, ergo habent rationem causæ materialis, causa autem vt vnde principium motus, seu causa efficiens est ponenda virtus eorum corporum, quæ semper mouentur, sicut sunt cæli. Resumentes igitur eas positiones, ac determinationes, quas diximus à principio, nempe de transmutatione, atque de causis, dicamus de lactis imaginatione, seu de via, quam imaginamur esse lac, & de cometis, & alijs quæcunque existunt his cognata, vel similia. Dicimus itaque ignem, aquam, aerem, & terram fieri ex se inuicem, & vnumquodque eorum existere in vnoquoque in potentia; sicut etiam vnumquodque aliorum, quibus vnum aliquid, & idem subijcitur, & in quod vltimum resoluuntur, quod vltimum & subiectum est prima materia; quæcunque etenim hanc communem habent, transmutabilia adinuicem sunt, & sic elementa transmutantur, ex quorum transmutatione, variæ impressiones meteorologicę (concurrente cælo, vt efficiente) fiunt.

Mūdus iste inferior est cōtiguus superiori, vt virtus eius inde gubernetur.

C A P V T III.

Locus inter cælum & terram, non est repletus nec solo aere, nec solo igne.

PRimò igitur dubitabit vtique aliquis, circa corpus, quod aer vocatur (dicitur vocatur, quia Antiqui credebant, non dari aerem, nec aliud purum elementum, sed esse elementaria tantum, licet nomine elementorum vocarentur) quam oporteat accipere ipsius naturam, in mundo inferiori ambiente terram, hoc est in mundo sublunari, quomodo videlicet differat ab alijs elementis, & ratione magnitudinis, & ratione ordinis, & virtutis. De terra vero non est dubitatio; moles enim ipsius quanta sit, in ordine ad magnitudines cęlestes ambientes, vel circundantes mundum, non immanifestum est. Iam enim visum est à nobis per Astrologica theoremata, quod etiam est multo minor quibusdam astris: Sol namque excedit terram in magnitudine centies sexagies. Naturam autem aquæ congregatam, non autem separatam, vel segregatam à terra videmus, imò neque contingit, segregatam esse ab eo corpore, quod circa terram locatum est, videlicet ab illa aqua, quæ est circa terram, ita vt alibi inueniatur aqua ipsa, quam coniuncta cum terra: hoc autem manifestum est, à manifestis fluminibus & mari, & si quid aquæ in profundo nobis immanifestum est; hæ namque aquæ à terra separatæ non sunt, sed simul efficiunt aggregatum corpus rotundum, & per consequens sicut de paruitate terræ diximus; ita de aqua existimare oportet, scilicet quod sit paruæ magnitudinis. Vtrum igitur corpus medium inter terram, & vltima astra, (hoc est medium inter terram, & cælum stellatum, quod appellabatur tunc primum mobile) sit putandum vnum secundum naturam, aut plura, & si plura, quot sint, & vsquequo determinata sunt locis, (videlicet quomodo differant locis, & quomodo sint situata.) Hoc igitur diximus prius in libris de primo elemento, seu cælo, quale sit secundum virtutem, & quare totus mundus circa superiores lationes, seu mundus superior, vel cęlestis, qui perpetuò mouetur, est plenus illo cælesti corpore, & hanc opinionem non solū nos habemus, sed videtur antiqua, et priorum hominum existimatio, dictus namq; æther antiquā accepit appellationem, vnde ipsum cęlū dicitur æther, à semper vel perpetuo cursu, et sic patet, quod corpora cęlestia, quæ superiorem mundum replent semper moueantur, etiam secundum antiquos. Anaxagoras autē abutitur nomine ætheris, nam mihi videtur ipsum putasse, quod significet ignem; ideo asserebat superiora loca esse plena igne, seu corpora cęlestia esse ignea vel de natura ignis; quatenus vero putauit, eam potentiā, quæ ijs corporibus inest, vocare æthera hoc quidē rectè putat;

Æther quid.

tat; corpus enim semper currens, ac simul diuinum aliquod est, secundum suam propriam naturam; visi sunt antiqui existimare, & determinauerunt nominare æthera, tanquam non existens idem, sed diuersæ, ac nobilioris naturæ à quolibet eorum, quæ apud nos sunt, sumpta ergo ethimologia ætheris hoc modo, non errat Anaxagoras, sed ab vrendo, vel igniendo, deficit, hanc autem opinionem, quod cælum sit æternum, ac semper currat, vel velociter moueatur, habuerunt antiqui Philosophi, & nunc quoque viget: nec mirum est: non enim dicemus semel, neque bis, neq; rarò easdem opiniones factas in hominibus reuerti, sed infinities. Quicunque autem aiunt, cælum, quod circundat, vel ambit inferiorem mundum esse purum ignem, & non solum corpora, quę feruntur in ipso, sicut sunt astra; quod vero intermedium est terræ, & astrorum esse aerem, errant; & præcipuè quoad eam partem, qua asserunt cælum, & astra esse ignea, ac astra non comburere hæc inferiora, quia sunt paruæ magnitudinis; si etenim considerarent sufficienter, quæ nunc per Mathematicas scientias ostenduntur, forte vtique desisterent ab hac puerili opinione; valde enim simplex, ac puerile est putare, vnumquodque eorum astrorum, quæ feruntur esse paruum magnitudinibus, quia sic nobis hinc aspicientibus videtur. Oppositum namque docet ea Mathematicæ pars, quæ perspectiua dicitur, videlicet, quod res magnæ à longe visæ videntur paruæ. Quod autem falsum sit corpora cælestia esse ignea, dictum est prius in ijs speculationibus, quæ circa superiorem, seu celestem locum in libris de Cęlo factæ fuerunt; eandem tamen rationem nunc quoque breuiter repetamus. Si enim & distantia, seu loca superiora plena sunt igne, & corpora ipsa infixa, vt astra, constant ex igne, pridem annihilatum vtique esset vnumquodque elementorum; patet ergo superiorem mundum non igne plenum esse; sed cęlesti corpore: At vero neque aere solo talia loca plena sunt à cęlo scilicet stellato vsque ad terram; multum enim vtique excederet æqualitatem communis proportionis ad alia coordinata corpora, vel elementa ipse aer, atque ideo ea corrumperet, & in transmutationibus mutuis non seruaretur proportio, imò ex parua aqua non in decupla proportione aer generaretur, sed maior ferè in infinitum, quod est absurdum, consequentia autem est nota, quia elementa ex se inuicem generantur secundum proportionem & magnitudinem; & etiam si duobus elementis locus intermedius cæli stellati, & terræ plenus sit, vt aere, & igne, absurdum est, eadem ratione: nulla enim, (vt ita dicam) esset particula, ipsa tota moles terræ simul cum aqua cum ipsa aggregata respectu ambientis magnitudinis duorum elementorum, à cælo stellato vsque ad terram; quare neque proportio, neque mutua transmutatio inter ipsa elementa esset. Videmus enim, quod cum ex aqua disgregata, vel rarefacta fit aer, aut ignis ex aere, non est factum excessum molium in tanta magnitudine, ex qua possemus colligere, quod ipse aer, & ignis, sic excedant magnitudinem ipsorum, vt tam amplũ repleant locum; necesse est enim eandem rationem, vel proportionem habere tota elementa ad tota, sicut partem ad partem, & è conuerso: quare, si ex parua aqua non fit maximus talis aeris excessus, nec tota sic à toto aere excedetur, quia est par ratio. At si quis dicat, aerem hunc maximum non fieri totum ex aqua, vel ignem ex aere, hoc nihil refert, sufficit namque æqualitas virtutis, nam secundum hunc modum æqualitatis virtutis, necesse est proportionaliter inesse magnitudines, quemadmodum si adinuicem facta fuissent, at omnia elementa habent æqualitatem, seu proportionem virtutis, vnde nata sunt transmutari, ergo debent habere proportionem etiam molis. Quod igitur, neque aer, nec ignis solum, nec ambo repleant totam molem à primo cælo vsque ad terram, manifestum est.

Eædem opiniones infinities reuertunt.

CAPVT IV.

De ordine ignis, & aeris ad ipsum Cęlum, cur in suprema aeris regione nubes non fiant, & de caliditate Solis in hæc inferiora.

CVm dubitauerimus de loco inter cælum, & terram, quibus videlicet corporibus sit plenus, & quomodo hæc corpora sint situata, & primam partem quæstionis iam soluimus, reliquum est declarare, quomodo duo corpora replentia, scilicet ignis, & aer sint ordinata ad positionem primi corporis, seu cæli, an videlicet ignis sit supra aerem, vel è conuerso, & quærimus etiam propter quam causam fit caliditas à superioribus astris in his locis, quæ sunt circa terram; cum enim astra calida non sint, non videntur posse calorem efficere. De aere igitur dicentes primo, quomodo videlicet cum igne ordinetur, sicut supposuimus esse dicendum, deinde de his alijs quæstionibus determinemus. Sed ante determinationem est notandum, quod dum supponimus locum à cælo ad terram esse plenum aere, & igne, incipiendo videlicet à concauo orbis Lunæ, simul cum terra comprehendimus aquam, aliter non tantum his duobus esset hic locus repletus, sed etiam aqua. Ad propositum. Pro solutione igitur quæstionis de ordine duorum prædictorum elementorum, est alia quæstio resoluenda, ex qua præcedens dependet. Quæstio autem est ista. Si ex aqua fit aer, & ex aere aqua, propter quam quidem causam non coguntur nubes in superiori loco aeris, sicut in medio, cùm tam in illo, quam in isto loco aer videatur esse eiusdem naturæ, & vbique natus in aquam conuerti, conueniebat enim magis, quod in supremo loco hoc fieret, quam in medio, quia locus ille superior quanto magis est à terra remotior, tanto est frigidior, atque aptior, vt in aquam vertatur, quod verò sit frigidior probatur, quia neque est prope astra existentia calida (scilicet virtualiter, seu caliditatem efficientia, à quibus calefieri possit) neque est prope radios à terra refractos, qui prohibent prope terram cogi aerem in nubes, quia sua caliditate, quæ augetur, vel fit refractione, prohibent consistentias, seu densitates nubium, atque eas disgregant, vel liquefaciunt, fiunt enim congregationes nubium, vbi desinunt iam radij, seu quo non perueniunt, & quia ipsi radij sparguntur in immensum, hoc est reflectuntur sursum vsque ad immensam, & magnam distantiam, ideo in supremo loco, quem non attingunt deberent nubes cogi. Aut igitur non ex omni aere nata est aqua fieri; aut si similiter ex omni, non tantum ex medio, sed ex supremo, & infimo fieri debet, quæ igitur causa erit, vt solum in medio fiat? si dicatur, quod ille est vaporosus, hoc non valet, quia qui est circa terram maximè vaporosus est. Si vero dicatur, quod similiter ex omni natus est fieri dum vaporosus fiat, tunc aer, qui circa terram est, qui non solum est aer, sed potius vapor quidã, seu aer aquosus, deberet sic esse, vt ex illo maximè fierent nubes, & aqua. Quod ex alia parte uidetur inconueniens; nã si tantus

existens aer omnis vapor est, videbitur, quod aer vaporosus multum excederet naturam aquæ: dicamus ergo, quod siquidem superiores distantiæ plenæ sunt corpore aliquo; & igne quidem impossibile est, quia exsiccarentur vtique alia omnia, relinquitur itaque aere, & igne repleri, atque partem quæ circa terram est totam aquam; vapor enim qui circa vniuersam terram est, nihil aliud est, quam disgregatio aquæ, seu aqua rarefacta, cum aliqua mistura; alteram partem quæstionis, cur scilicet in media aeris regione, & non alibi generentur nubes, vel aqua, postea soluemus, & simul applicabimus ad propositum de ordine, & inuestigatione elementorum duorum. Sit igitur pro nunc de his dubitatum hoc modo. Nos autem vniuersaliter à principio dicamus, determinantes, quæ pertinent ad nunc dicta, & ad dicenda. Quod itaque sursum est corpus ab extremo Vniuersi incipiendo vsque ad Lunam, dicimus esse corpus alterum ab igne aere, & alijs elementis. Quinimo itaque & in ipso licet sit incorruptibile, aliquid esse purum, aliud autem minus syncerum, & differentias habere, maximè ea parte qua desinit, vel appropinquat ad aerem, & ad eum mundum, qui circa terram est. Sunt namque in Cælo aliæ partes minus, aliæ magis lucidæ, & similiter magis, vel minus densæ, quod singulariter perspicitur in orbe Lunæ & in ipsomet corpore lunari, & sic differentiæ, ac partes diuersæ, secundum maiorem, vel minorem puritatem luminis, & densitatis in cælo reperiuntur. Cum autem ipsum primum elementum, seu cælum circulariter moueatur, & corpora, quæ in ipso sunt contenta, nempe elementa, id quod sibi magis propinquum est, & ad inferiorem mundum attinet disgregatum, vel rarefactum semper per motum ipsius cæli accenditur, & facit caliditatem; motus namque aptus est efficere calorem, & ignem. Quod sic id quod dicimus intelligere oportet, & quod cum intellectum sit, hinc erit principium solutionis omnium prædictarum dubitationum. Corpus igitur, vel corpora, quæ sunt sub ea circulatione, quæ sursum est, seu sub motu cælesti, sunt veluti materia, ac subiectum cælestium actionum, ideo sunt in potentia calida, humida, & sicca, & ad quascunque alias passiones, quæ ex istis sequantur, atque fiunt, seu reducuntur ad actum à motu ipsius cæli, & immobilitate, seu influentijs, & virtutibus, quæ non agunt per motum, cuius causam, & principium diximus prius, nempe quod sit ipsa virtus cælestis effectiua. In medio igitur ac circa medium Vniuersi est elementum grauissimum, & frigidissimum, scilicet terra, & aqua ab alijs elementis segregata, & inter se congregata, quia hæc propter distantiam à motu cæli, nec calefieri, nec rarefieri possunt, vnde nec leuia sunt; circa hæc autem, & contigua his est aer, quem quidam propter quandam consuetudinem, vel potius abusum vocant ignem, non est autem ignis, nam ignis est excessus calidi, & veluti feruor sicut non est aer; post aerem vero est ignis, qui est rarissimus, & calidissimus, qui ordo elementorum est manifestus ex diuersa approximatione ad cælum, quod vel minus calefacit, ac rarefacit, nam elementa sunt veluti materia, quæ ad placitum agentis informatur, & disponitur. Est autem notandum, quod licet aer sit calidus, & humidus, vt in libris de generatione dictum est; tamen ob diuersas causas, diuersis quoque afficitur qualitatibus, & passionibus. Quare oportet intelligere, quod dicti à nobis aeris, ea pars quæ est circa terram, oportet esse veluti calidam, & humidam, propterea quod vaporet, seu habeat de aquositate, quia est prope aquam, & exhalationem habeat terra, quæ exhalatio calida est, à Sole efficiente. Quæ autem pars aeris supra istam est, calida est & sicca. Vnde primo modo dicitur vapor, secundo exhalatio, est enim natura vaporis, humidum, & calidum; exhalationis autem calidum, & siccum; & est vapor quidem potentia, vel virtute velut aqua, exhalatio autem potentia velut ignis; cur igitur in eo loco qui sursum est non cogantur nubes, hanc existimandum est esse causam, quia ibi non inest aer solum, sed magis ignis, quare eo quod in superiori loco nubes, vel aqua non generantur, colligimus à posteriori, quod ab aqua vsque ad cęlum Lunæ non sit tantum aer, sed ignis, qui condensationem nubium prohibet, quod à velocitate motus cęlestis adiuuatur; nihil enim prohibet, propter circularem lationem, prohiberi nubes cogi in superiori loco. Fluere enim necessarium est omnem aerem, qui in circuitu, (hoc est prope cęlum circulariter latum) est. Hic autem aer sic fluens est quicunque non capitur intra gyrum definientem, vel ambientem totam terram, ita vt ex ipso aere sphærica reddatur tota. Hoc est accipiendo circumferentiam terræ ab apice, seu summitate altissimorum montium à qua sumatur linea, vel circumferentia per totam terram, & sic aer in hac circumferentia inclusus, ac sphæricitatem, seu rotunditatem terræ complet, non fluit, seu à motu cæli non rapitur, vnde in aquam densari potest, qui vero supra hanc circumferentiam est, calefit à motu, ac rarefit, vnde in aquam non cogitur, nec ad ipsum perueniunt vapores, imò nec exhalationes ex quibus fiunt venti, quæ tamen sunt leuiores, & facilius illuc ascendere deberent; quod vero non perueniant patet, nam ventorum generatio, fieri videtur in stagnantibus locis terræ, hoc est in locis imis & non excedunt venti altos montes. Fluit autem aer circulariter, quia simul trahitur cum circumlatione totius cæli; ignis enim contiguus est cum eo elemento quod sursum est, nempe cum cælo, (quod dicitur elementum, provt est pars Vniuersi) cum igne autem aer contiguus est. Quare & propter motum prohibetur congregari in aquam; sed semper quæcunque ipsius particula grauescit expulso calore in superiorem locum ignis deorsum fertur, & aqua fit, alia autem in parte simul sursum fertur cum exhalato igne: & sic continue hoc quidem perseuerat, aere plenum existens, hoc autem igne, & aqua & semper aliud, & aliud fit vnumquodque ipsorum, seu semper adinuicem transmutantur secundum partes, & vario modo, secundum variam dispositionem, ea namque parte qua magis Sol viget, plus conuertitur aeris in ignem, quam è contra; alia vero, qua Sol est distantior, plus ignis, in aerem conuertitur; deficiente namque calore ignis, grauescit, & fit aer, aeris vero crescente calore, & humiditate deficiente, fit ignis. De eo igitur, quod non est fieri nubes, neque congregari, seu conuerti in aquam, & quomodo oporteat accipere de loco intermedio astrorum, & terræ, & quod talis locus est corpore plenus; tot dicta sint. De facta autem caliditate, quam exhibet Sol; magis quidem secundum se, & diligenter in ijs, quæ de sensu, & sensibili dicuntur, conuenit dicere; calidum enim quædam passio sensus est. Propter quam autē causam sit, breuiter nunc quoque dicamus. Habet namq; dubitationem, quomodo id fieri possit, cum Sol, & alia astra, non sint naturaliter calida; est namque calor, qualitas elementaris, & dispositiua ad generationem, quæ longè absunt à cælo. Respondemus ergo, calorem à motu fieri; videmus enim motum, quod potest disgregare aerem, & ignire, ita vt quæ velociter ferriuntur,

Natura vaporis, & exhalationis.

Cælum cur dicitur elementum.

runtur, vt plumbeæ sagittæ, videantur ob motum liquefieri sæpe. Vt igitur fiat tepor, vel calor; sufficiens est efficere latio Solis, oportet namque motum caloris effectiuum sic esse velocem, & non longè esse à calefactibili multum, sic autem Sol ad hæc inferiora se habet. Ea igitur astra, quorum latio velox quidem est, longè autem, ob distantiam non calefaciunt, quæ autem propè, sed tarda, ob tarditatem neque calefaciunt; hoc modo est Luna, quæ deorsum, quidem est, seu prope, tarda autem est latio eius. Latio vero Solis ambo hæc habet sufficienter, est enim velocissima, & conuenienter propè. Potest etiam addi, quod Sol sit luminosissimus, at lumen est quoque causa caloris. Rationabile autem est quod magis cum ipso Sole fiat caliditas, quam cum alijs, si sumamus simile in ijs, quæ apud nos fiunt. Etenim apud nos, eorum, quæ violenta feruntur, vicinus aer maximè fit calidus, & hoc rationabiliter accidit maxime enim à motu solidi, vel corporis disgregatur ipse aer vicinus, quam distans, & à velociori, quam tardiori, sic se habet Sol, & propter hanc igitur causam pertingit ad hunc locum nostrum inferiorem caliditas; & quia ignis ambiens, vel circumdans aerem spargitur à motu cæli in ipsum aerem, & fertur violentia deorsum, vnde calorem efficit. Quod autem locus qui sursum est, nempe cælestis non sit calidus, nec ignitus, vnde alio modo quam prædicto generetur caliditas in istis inferioribus; signum sufficiens est discursus astrorum, quæ vocantur stellæ cadentes, & ignitæ sunt; hæ namque non fiunt in cælo, sed deorsum, quare si cælum esset igneum, vel calidum, in ipso hæ fierent, quia quæ magis mouentur, & citius, etiam citius igniuntur, quare si cælum esset calidum, vel ignitum, esset de natura ignis, ac penetrabile, vnde ista illic fierent. Adhac autem, Sol, qui maximè videtur calidus, potius videtur albus, quam igneus existens, ergo non est igneus, quia sic appareret, etsi Sol qui magis videtur talis, non est, multò minus alia.

SVMMA SECVNDA.

De ijs quæ in superiori loco generantur.

CAPVT I.

De causis accensarum flammarum, discurrentium syderum, Trabium, & Caprarum.

HIs autem prædictis determinatis, dicamus propter quam causam Flammæ accensæ apparent circa cælum, & à quibusdam vocantur discurrentia sydera, Trabes, & Capræ. Soluendo igitur dubitationem dicamus. Quod hæc omnia sunt essentialiter idem, & per eandem causam, differunt autem accidentaliter, seu secundum magis, & minus. Principium autem horum, & multorum aliorum similium, hoc est. Calefacta enim terra à Sole, necesse est exhalationem fieri, non simplicem, vel vno modo tantum, (vt quidam putant,) sed duplicem; vnam quidem magis vaporosam, vel humidam, aliam autem magis spirituosam, vel siccam. Primam autem, quæ est eius humidi, quod in terra, & supra, vel circa terram est, vocamus simpliciter vaporem; hanc autem, quæ est ipsius terræ existentis siccæ, vocamus fumosam, & siccam, seu simpliciter exhalationem. Quarum quidem spirituosa, & sicca, supereminet, vel magis sursum ascendit propter calidum; humidior vero, nempe vapor subest, seu non tam sursum eleuatur, propter pondus, etsi aliquam quoque Solis caliditatem habeat, à qua eleuatur quantum fieri potest. Quia vero motus sequitur naturam corporum, & locus motui correspondet, propter hoc ergo, hoc modo ordinatum est, quod in circuitu cæli comprehenditur, quo ad elementa. Primò enim sub vltima circulari latione, cæli nempe Lunæ, est elementum calidum, & siccum, quod dicimus ignem, quod quidem non est proprium nomen ipsius, imò hoc elementum, quod tali nomine appellamus innominatum est; & hoc nomen ignis, est commune in omni fumosa, & calida disgregatione, seu corpore calefacto. Attamen, quia maxime natum est tale corpus, seu elementum vri, sic necessarium est vti nominibus, ac ignem ipsum appellari, cum hoc sit ipsius nominis ignis significatum, vritur autem, (vt diximus) ipse ignis à motu cæli. Sub hac autem natura, vel igne est aer. Oportet autem intelligere, hoc quod ignem vocanimus, esse veluti succensum fomitem, vel bene paratam escam, & extensum circa vltimum sphæræ, quæ circa terram est, nempe circa concauum sphæræ Lunæ, ita vt modicum motum sortiens exuratur sæpè, sicut accidit fumo, qui faciliter conuertitur in flammam; est autem flamma ardor sicci spiritus, vel exhalationis. Intelligendum est etiam quod non solum ipse ignis, seu simplex elementum est sic extensum, & dispositum, circa vltimum cæli, vt diximus, sed etiam hoc modo se habent exhalationes calidæ, & siccæ, quæ de natura ignis participant, & propter quas præcipue hic loquimur, ex ea igitur parte, qua talis consistentia, seu consistens exhalatio maxime opportunè se habeat, seu maxime sit disposita, & approximata, quando à circumlatione cæli mota fuerit, aliqualiter exuritur, vel accenditur; vnde diuersæ impressiones apparent. Si enim hic fomes, vel exhalatio succensa, habeat longitudinem, & latitudinem notabilem, sæpe numero videtur accensa Flamma, veluti apparet ardens stipula in area, vel aruis. Si verò magis secundum longitudinem; fiunt tunc impressiones, quæ vocantur Trabes, & Capræ, & Sydera; cum discrimine tamen. Nam quando fit maior succensus fomes secundum longitudinem, quam secundum latitudinem, ita vt quasi scintillet, & simul videatur ardens vocatur capra, videtur namque instar capræ saltare; hoc autem fit, propterea quod talis exhalatio ignitur secundum modica quidem, hoc est secundum partes aliquas, quasi diuisas, sed à principio incipit inflammatio, & sic videtur ignis, quod per tales partes saltet, & capræ saltantes dicuntur. Quando autem hoc sine tali passione accidit, sed materia est continua, & tota accensa simul, dicitur Trabs. Si vero longitudines exhalationis, secundum paruas partes, & non sic ordinatè, & quasi in lineam rectam, (vt diximus de capra) disponuntur, sed multipliciter dispersæ fuerint, & similiter secundum latitudinem, & profunditatem talis exhalationis, hoc est secundum variam distantiam ex qualibet parte, sydera quæ videntur volare fiunt. Aliquando igitur à motu ipsa exhalatio exusta generat aliam, pro vt sibi appropinquat, & vrit; aliquando autem ab aere generantur, hoc modo, coacto calore incluso in exhalationibus, propter frigus mediæ regionis aeris, pars calida, extruditur, vel expellitur ab ipsomet frigore, atque propter antiperistasim, vel circumda-

Ignis quid, & quomodo communis.

Flamma quid.

tionem

tionem contrarij fortificatur, & accenditur, vnde cum sic per expulsionem fiant, assimilantur magis proiectioni, quã exustioni, hoc est, non videtur, quod aliqua materia exuratur, sed potius, quod ignis ex aliquo loco proijciatur. Dubitabit igitur aliquis, vtrum exhalatio discurrens fiat, sic quod vna aliam accendat, eo modo, quo accenditur exhalatio posita sub lucerna accensa, à flamma ipsius accensæ lucernæ superioris (quæ quidem est mirabilis velocitas, & similis proiectioni, videtur namque ignem ex vna, in aliam lucernam proijci, & non quod fiat alius, & alius ignis). An tales proiectiones, vel discursus sint motus eiusdem corporis accensi. Respondetur, quod hæc fieri videntur propter ambas causas, etenim sic fiunt, vt flamma quæ à lucerna fit, ac nuper generatur, quædam vero, quia expelluntur, ac proijciuntur à contrario frigore, veluti nuclei expelluntur ex digitis, dum comprimuntur, sic istæ exhalationes, in regione frigida aeris accensæ, ob antiparistasim, expelluntur deorsum ita vt, & in terram, & in mare videantur cadere, & nocte, & die quoque apparent, serenitate existente. Deorsum autem iaciuntur, quia densitas propria, & contrarium propellens ipsas, deorsum inclinat; quapropter, & fulmina deorsum cadunt, etsi etenim ista calida, & leuia sint, retinent tamen aliquam grauitatem, quæ ab expellente adiuta, deorsum pellit; quare generatio omnium horum, non est exustio, sed est segregatio ab expulsione; quoniam omne calidum secundum suam naturam natum est sursum ferri, cum autem ista ferantur deorsum, generatio ipsorum hoc modo se habentium, prout scilicet discurrunt, ab expulsione fit, nam quo ad simplicem accensionem, hoc non est necesse. Quæcunque igitur magis in superiori loco coguntur, exusta fiunt exhalatione, quæcunque autem demissius, vel inferius fiunt, segregata, seu expulsa fiunt, ac eorum exhalatio est humidior, quæ congregatur, & frigescit, dum aliquomodo dimittit calorem ex se, sic quod deperdatur, vel marcescat, veluti existens in aliena materia, vel à contrario debilitatur; quare deorsum tendens propellit etiam calorem, & deorsum facit ipsius caloris proiectionem. Quo ad motum istarum exhalationum, dicendum est; quod propter positionem, seu situm, qualitercunque videlicet positæ sint, ac diuerso modo habeant latitudinem, vel profunditatem, diuersimode mouentur, aut sursum, aut deorsum, aut ad latus; iuuantur enim multum à figuris, vnde aerem scindere possint facilius, vel difficilius, vt plurimum autem feruntur ad latus, propterea quod duabus ferantur lationibus, violenter quidem deorsum, prout calor in ipsis prædominans natus est ferri sursum, natura autem sursum, similiter à virtute caloris, omnia autem secundum diametrum, vel lineam rectam ex sua natura feruntur, quia per breuiorem viam tendunt ad propria loca, hæc autem est linea recta; tamen quia impediuntur ab aere contrarijs affecto qualitatibus, quapropter discurrentium syderum plurima obliqua fit latio, quæ vero non impediuntur feruntur directe. Omnium itaque horum, materialis causa est exhalatio, vt autem mouens, vel efficiens, aliquando est latio, vel motus sursum, vt instrumentum, sed vt magis efficiens est calor, ac ignis, & cœlum. Aliquando autem coagulatio, vel condensatio aeris concrescentis, vel prædominantis est causa efficiens, qui quidem constringit exhalationes, ac propellit, & vrit per circumobsistentiam. Omnia autem hæc sub luna fiunt, signum autem est apparens ipsorum velocitas, quæ est similis velocitati ipsorum, quæ à nobis proijciuntur, quæ quia prope nos sunt, multum videntur velocitate superare, & astra, & Solem, & Lunam, quod tamen falsum est, sed id nobis apparet ob propinquitatem; quare cum ista etiam velocissima videantur, signum est quod non multum à nobis distant, & sic sub Luna fiunt.

CAPVT II.

Redditur causa de imaginibus noctu apparentibus.

Apparent autem aliquando de nocte, existente serenitate, multæ imagines existentes in cælo, veluti Hiatus, & Fouea, & sanguinei colores. Causa autem in his eadem est cum præcedentibus. Cum enim aer qui sursum consistens est, manifestus, seu dispositus sit, ita vt ignitio fieri possit, (non simpliciter ex ipso, sed ex exhalatione sibi admista); tunc fiunt impressiones superius dictæ, vnde ignitio talis aliquando quidem sic est, vt flamma videatur ardere; aliquando vero veluti trabes apparent; interdum vt ferrantur errantia sydera, vt supradictum est, hæc igitur fiunt propterea, quod exhalatio ignitur: quando vero igniri non potest, sed colorari tantum, aliæ fiunt impressiones; nullum ergo inconueniens est, si hic aer mistus exhalationibus, non semper igniatur, sed concrescens, vel abundans exhalationibus coloretur omnimodis, seu varijs coloribus secundum diuersam raritatem, vel spissitudinem exhalationum. Minus enim lumen transparens per corpus spissius, ac ipse aer qui suscipit luminis refractionem, apta sunt efficere omnimodos apparentes colores. Maximè autem puniceum, & purpureum, quia hi maximè ex igneo, & albo fiunt, permistis secundum superappositiones, seu pro, vt diuersimode vnus alteri apponitur; veluti orientia astra, & occumbentia, si fuerit æstus, seu exhalatio exusta, dum oriuntur, vel occidunt, vel apparent per fumum; puniceа videntur. Hoc autem quod diximus accidere in istis exhalationibus, contingunt quoque in alijs, nam figuræ repræsentatæ, seu oppositæ alicui speculo, non bene ex parte posteriori opaco, facient idem refractione, dico, quod non impriment in illo figuram suam, sed solum colorem, cum inquam speculum fuerit tale, quod figuram suscipere nequeat, sed colorem, & hæc de causa hæc non repræsentant astra, sed colorem quendam, vel simile colori. Quare autem hæc non multo tempore durent, causa est, quia talis consistentia, seu existens exhalatio velox est, leuis, ac faciliter dissipabilis. Hiatus ergo fit, disrupto, vel scisso Hiatus. *lumine, ex obscuro, & nigro corpore elementari, quod facit, vt videatur tale corpus habere aliquam profunditatem. Sæpe autem ex talibus Hiatibus Trabes accensi excidunt, & hoc fit, cum tale corpus magis fuerit concretum, vnde adauget calorem in ipso reclusum, & accendit. Cum vero aer ipse est magis conueniens, seu proportionaliter vnitus, & non in tali excessu, est simpliciter Hiatus sine Trabibus. Quod vero hæc prædicta sit causa, experientia patet. Nam in nigro album multas facit varietates, veluti flamma in fumo, quare sic lumen in densis corporibus efficere potest. Die igitur sol prohibet, vt ista videantur, nocte autem alij colores non apparent, propter similem colorationem, quam videntur habere cum cælo, excepto colore puniceo, qui ex eo quod à cæli colore apparente differt, videtur. De discurrentibus igitur astris, & ignitis, adhuc autem, & de alijs imaginibus talibus, quæcunque festinas faciunt imaginationes, has existimare oportet esse causas.*

CA-

CAPVT III.

De Cometis Antiquorum opiniones, & confutatio.

DE cometis autem, & vocato lacte, seu via lactea dicamus, cum primò dubitauerimus contra ea, quæ ab alijs dicta de istis fuerunt. Anaxagoras igitur, & Democritus aiunt, cometas esse coapparentiam, seu simul apparentiam, vel vnionem errantium stellarum; cum propterea quod prope veniunt, videantur tangere se inuicem, & formam, vel figuram cometæ efficere. Quidam autem Italicorum Pytagorei vocati, dicunt ipsum cometam esse vnum ex syderibus errantibus, at non semper apparere, sed post multum tempus, & excessum, vel durationem eius, ad modicum tempus peruenire; quod non tantum huic erranti syderi quod cometem vocant accidere dicunt; sed idem in veritate accidit stellæ Mercurij, quia enim parum super ascendit, seu egreditur sub Sole, ideo sæpe non apparet, ita vt post multum tempus appareat. Similiter autem his prædictis nempe Pythagoreis enunciauerunt, qui sub Hippocrate Chio, & discipulo eius Eschilo edocti philosophiam fuerunt .s. quod cometa sit vnũ ex syderibus errantibus. Differunt tamen à prædictis in hoc, quod Pythagorei posuerunt ipsum sydus errans esse eiusdem naturæ, ac substantiæ cælestis cum coma, vel cauda: isti vero dicunt comam non habere ex se ipso, sed errantem ipsam stellam interdum accipere comam propter locum opportunum, ex quo potest attrahere exhalationes, ad quas respiciendo visus noster, & refrangendo radios visuales ab humore ab ipso sydere attracto, & ad Solem, à quo talis coma syderis capit splendorem, & lumen, & cometa videri, & quia id non semper accidere potest, quia non vbique sunt exhalationes aptæ ad hoc, vt attrahantur, ideo licet semper sit stella errans, non tamen semper apparet cometa, neque semper ipsamet stella, quæ cometa euadit. Quia autem subdeficit, seu exit à Sole tardissime, ac post multum tempus, ideo post plurimum tempus aliorum astrorum apparet. Vnde cum ex eodem circulo Solis appareat, videatur subdefecisse, seu exisse è Sole per totum suum circulum, hoc est secundum se totum: potest autem exire, vel apparere, ad vrsam, & ad austrum, hoc est versus polum arcticum, & antarcticum. Quia diximus non vbique eum posse accipere comam; ideo nunc videndum est, etiam de mente ipsorum, quænam sint loca, ex quibus humorem ad id sufficientem attrahat. In intermedio igitur loco tropicorum, vel prope æquinoctium, asserunt, ipsum non attrahere aquam, seu vaporem, aut exhalationem ad se ipsum, quia talis regio, & omnis exhalatio illius exusta est, à motu Solis. Quando autem ipse cometa feratur ad Austrum, habere quidem copiam, inquiunt, talis humiditatis, sed quia ex ea parte parua est sectio, vel designatio circuli Solis supra terram, & multo minus ipsius syderis, sicut è contra sectio, quæ est deorsum, seu circa polum antarcticum, vel austrum est multa, non posse visum hominis refractis radijs (credebant namque visionem fieri per extramissionem, sic quod radij visuales exirent ab oculis, & postquam peruenerint ad obiectum, refrangerentur, & obiectum potentiæ visiuæ repræsentarent) ferri ad Solem, seu ad vniuersam sectionem eius, ideo licet illic fieri possit, non tamen à nobis videri, vnde censemus non fieri. Similiter neque fit dum Sol appropinquat tropico cancri, nec in æstiuis versionibus, seu temporibus, quia calor Solis tunc exhalationes consumit. Quapropter neque in ijs locis, prædictis temporibus fieri dicunt cometen ipsum. Quando vero versus boream ipsum astrum subdefecerit, tunc accipere comam, quia magna est circumferentia, quæ ab ipso describitur supra nostrum Horizontem; nec est maximus calor, vnde, & fieri, & videri posse affirmant: ea autem pars, quæ sub nostro polo est, parua existit, atque ideo circa hanc maiorem facile visus hominis potest ad Solem pertingere, atque multo magis ad sydus hoc refrangi, & fieri ipsius cometæ visionem, vt putant. Hæ sunt Antiquorum opiniones de Cometa. Quibus omnibus quædam communia impossibilia accidit dicere; aliquibus vero aliqua separatim, seu propria. Primo igitur omnibus, qui dicunt, cometem esse vnam stellarum errantium, accidit impossibile hoc, errantes namque omnes mouentur semper in circulo paruorum animalium, hoc est in Zodiaco, in quo sunt multa signa, animalia repræsentantia, vt Taurum, Leonem, &c. cometæ autem multi visi sunt extra hunc circulum, ergo cometa non est stella errans. Deinde, & plures vno facti sunt sæpe cometes, ergo non possunt esse vnum sydus errans, quia vnus solus semper necessario appareret, quando apparet. Nunc specialiter impossibilia particularia speculemur. Si igitur propter refractionẽ cometes comam habent, sicut ait Aeschylus, & Hippocrates; oportebat stellam hanc aliquando apparere sine coma, quoniam exit qu dem ad alia loca, & tamen secundum ipsos non vbique comam habet; nunc autem nulla alia errans stella visa est præter quinque, quæ sunt Mercurius, Venus, Mars, Iuppiter, & Saturnus, istæ autem sæpe simul, eleuatæ apparent super Horizontem; nec ista alia videtur vnquam, & istis omnibus existentibus simul manifestis, seu simul apparentibus, ac etiam non omnibus apparentibus, sed quibusdam tantum, alijs vero existentibus prope Solem, à quo impediuntur, ne videantur, nihilhominus cometæ apparent facti sæpe; quare cometa non erit vnum ex istis astris, quia simul apparentibus, ipse quoque cometa apparuit, & non apparentibus simul, notum erat vbi essent, & à quo occultarentur, quare nec cum apparentibus, neque cum occultis connumerandus est, nec fingatur, quod est aliud sydus errans præter prædicta, quia hoc est fictitium, & nulli rationi, nec experientiæ innixum. At vero neque hoc verum est, quod solum in loco circa Vrsam fiat cometa, & circa versiones æstiuales; neque dum accedit æstas, nam ille magnus cometes, qui factus fuit circa eum terræmotum, qui fuit in Achaia, & eo tempore, quo fluctus, vel aquæ ascenderunt supra terram, atque ipsam regionem Achaiæ inundauerunt, ortus fuit ab occasibus æquinoctialibus, non ab vrsa, & circa austrum iam multi quoque facti sunt. Præterea imperante Athenis Eucle Molonis, facta fuit cometa stella, mense Ianuario Sole existente circa versiones hyemales: & tamen ipsi dicunt impossibile esse his temporibus tantam fieri refractionem, propter paruam sectionem circuli supra nostrum hemisphærium. Commune autem his, qui dicunt sydus errans esse, vel fieri cometam per acceptionem comę atque similiter ijs qui dicunt per contactum, vel vnionem plurium syderum ipsum cometam fieri inconueniens accidit. Primo quidem, quo ad hoc quod stella errans solum accipiat comam, nam etiam quædam non errantium comam accipiunt, & hoc non solum credere oportet Aegyptijs, qui hoc dicunt, & magni sunt harum speculationum obseruatores, sed & nos ipsi vidimus; earum enim stellarũ

quæ

quæ sunt in femore canis (qui est figura quædam, declinans ad æquinoctialem, ac oritur cum sexta parte cancri, & in femore eius sunt tres stellæ claræ, nec est illa figura, quæ dicitur canicula, sed alia) stella quædam habuit comam, obscuram tamen, intendentibus enim in ipsam hebes fiebat lumen, qui vero sensim, seu paulatim addebant visum, maius eis lumen apparebat, (cuius ratio est, quia qui magis visum acuunt penetrant quædam visibilia nebulosa, vel aliquo modo transparentia, qui vero paulatim respicit, non sic penetrat, sed obiectum sibi maius apparet, vt notum est, si nebulam, vel caliginem respiciamus) errant igitur asserendo, quod solum astrum errans comam accipiat, vnde sicut ipsum esse cometam asseruerunt, sic de alijs dicere poterant. Adhæc autem, omnes cometæ, qui nostris temporibus visi sunt, sine occasu disparuerunt, in loco super horizontem, consumpti paulatim, ita vt neque reliquerunt corpus vnius stellæ (seu vnam stellam, quæ corpus est,) neque plurium, ergo nullo modo cometæ sunt stellæ, nec errantes, nec fixæ, quia cum omnes istæ sint de natura cælesti, & incorruptibiles, euanescere non possunt, sicut cometæ faciunt. Quoniam, & magna stella, de qua prius meminimus, cum terremotu, apparuit quidem hyeme in gelu, existente serenitate, circa horam vespertinam Aristeo Athenis imperante, & prima quidem die non apparuit, tanquam occidens ante Solem, sequenti autem apparuit quantum contingit, vt à Sole disiungeretur, minimum enim sub defecit, seu parum à Sole recessit, & ab occasu ipsius, ideo mox occubuit. Lumen autem ipsius cometæ sic magnum fuit, vt se extendere videretur, vsque ad tertiam partem cęli, veluti saltus, seu velocissimè, quapropter tale lumen vocata fuit via, quia hoc lumen per radios ad modum viæ cernebatur, ascendit autem vsque ad Zonam Orionis, & ibi dissoluta fuit (est autem Orion figura quædam in cælo, quæ cum Geminis oritur, Zona autem ipsius est circulus perueniens vsque ad æquinoctialem.) stellæ autem dissolui non possunt, nec secundum talem motum moueri, ergo cometa non est de natura stellarum. Atque Democritus concertauit pro opinione sua, quod scilicet cometa sit concursus stellarum errantium, aut enim apparuisse stellas quosdam dissolutis cometis, ergo cometæ ex vnione illarum stellarum facti fuerunt. Sed errat, quia si hoc modo, vt dicit cometæ fierent, non oportebat, aliquando, quidem fieri, aliquando non, sed semper, quæ naturaliter namque procedunt, semper fiunt eodem modo, & maxime cælestia, quæ sunt immutabilia, non tamen sic semper cometæ visi fuerunt. Adhæc autem Aegyptij aiunt, errantium, at ad se ipsas, & etiam ad non errantes fieri conuentus, hoc est errantes inter se vniri, & cum non errantibus quoque, ergo male dicit Democritus quod solum errantium conuentus possit fieri, & nos ipsi vidimus iam bis, stellam Iouis in geminis, subeuntem quandam aliam, & occultatam fuisse, non tamen cometem factum, ergo ex connetione quocunque modo, non fit cometa. Præterea autem, & ratione manifestum est, quod ex conuentione stellarum non possit fieri cometa. Stellæ enim, etsi maiores, aut minores apparent; attamen, ita apparent paruæ, vt indiuisibiles per se esse videantur, quemadmodum igitur, etsi essent indiuisibiles, ac se tangentes, nullam vtique facerent magnitudinem maiorem (nam hoc est de natura indiuisibilium, quod vnum alteri additum, non faciat maius) sic & quoniam non sunt quidem indiuisibiles, etsi videantur, coeuntes nihil videbuntur secundum magnitudinem maiores existere, attamen cometæ in magna mole interdum apparent, ita vt spatium magnum cæli occupare videantur. Quod igitur causæ de ipsis ab Antiquis dictæ falsæ sint, etsi non per plures rationes, attamen per has, sufficienter patet.

CAPVT IV.

Causæ, & differentiæ cometarum, secundum Aristotelem.

Quoniam autem de ijs, quæ sensibus non sunt manifesta, putamus sufficienter demonstrasse, si ad possibile reduxerimus, id quod dicendum est, (si si probauerimus hoc non esse impossibile) ex ijs de quibus nunc dicere intendimus maximè existimabit vtique aliquis accidere sic vt diximus, (videlicet, quod quia sensui non sunt manifesta, sufficiens sit, si probabimus, quod possibile, ac conueniens sit, quamquam propriam causam non attingamus.) Pro solutione igitur præsentis dubitationis, supponatur à nobis; quod eius mundi, qui circa terram est, nempe sublunaris, quantum est sub circulari latione, seu sub cælo, prima pars ipsi cælo contigua, sit exhalatio, calida, & sicca hoc est ignis, & alia vera, & propria exhalatio. Ipsa autem exhalatio, atque ignis, & adhuc multum aeris contigui sub ipsa exhalatione, & igne, simul circumducuntur, seu circulariter mouentur, à latione, & motu circulari cæli. Cum autem hæc exhalatio fertur, & mouetur hoc modo, quacunque ex parte contingerit, quod sit bene temperata, vel disposita, vt igniatur, sæpe ignitur, quapropter dicimus fieri discursus syderum sparsorum, sunt namque hæ accensæ exhalationes. Cum autem hoc principium igneum (seu exhalatio, quæ est ignea, & impressionum ignitarum principium) in talem condensationem inciderit, propter motum superiorum corporum cælestium, qui varie ipsum disgregat, & varie condensat, vt neque sit multum valde, quod citò, & ad multum exurat, neque sic debile vt extinguatur citò, sed sit maius debile, & ad multum propinquum; simul autem ab inferioribus partibus accidat ascendere bene temperatam, seu dispositam exhalationem, à virtute attrahente Solis, quæ exhalatio, cum prædicta vniatur; hoc fit stella comata, vel alio modo, secundum quod exhalatum illud corpus erit figuratum. Si enim omni quaque similiter circa ipsum extendantur subtiles exhalationes instar comæ, vel radiorum, dicitur comata, vel cometa; si autem in longitudinem, non multam, dicitur barbata, si multa, dicitur caudata. Sicut autem motus istius cometæ, videtur motus stellæ, sic mansio ipsius videtur esse mansio stellæ; hoc est assimilatur veræ stellæ, & quo ad esse, & quo ad motum: vnde per hoc differt à syderibus discurrentibus, quæ citò transeunt, ac velocissimum cursum ostendunt, quod prouenit, quia eorum materia est rara, vnde statim accenditur, & simul consumitur, sicque ignis velocissimè currit, simile enim est id, quod fit circa hæc discurrentia astra, veluti si quis in cumulum, vel multitudinem palearum, applicuerit, vel impulerit titionem accensum, aut iniecerit in ipsas modicum principium ignis, videtur enim (vt diximus) discursus syderum esse simile huic; citò enim propter aptam dispositionem succensi fomitis, succedit in longitudinem ipse ignis, ita vt currere videatur. Si itaque hæc materia combustibilis maneat, & non consumatur pertransiens, seu succedens semper noua comburenda; ea parte, qua

Stella comata, barbata, caudata.

qua maximè densatus est succensus fomes, fiet vtique principium lationis, consummatio discursionis, (hoc est principium motus ignis inflammantis fiet, atque durabit vsque quo tota materia inflammetur, absque eo quod extinguatur,) & sic totus manet, vnde non videtur discursus sicut in syderibus discurrentibus. Talis ergo est comata stella; quæ fit vt discursus syderum, cum hoc discrimine, quod ignis stella comata habet in se principium, & terminum, vel finem; seu manens accensus à principio vsque ad finem simul, vnde discurrere non videtur. Quando igitur principium consistentis exhalationis fuerit in ipso inferiori loco (hoc est circa inferiorem partem supremæ aeris regionis) per se apparet cometes, hoc est solus, & non coniunctus cum aliquo astro. Quando autem sub aliquo astrorum, aut errantium, aut non errantium, ipsa exhalatio constiterit à motu, seu manebit stabilis, vt possit tota accendi, & non discurrat; tunc cometa fit aliquod horum astrorum; sic videlicet, quod talis exhalatio videtur alicui astro coniuncta, & sibi comam, vel barbam, vel caudam addere, quod maximè contingit, dum prope cęlum, seu in suprema ignis regione cometæ fiunt. Nec tamen credendum est, quod ipsa exhalatio sit prope astra, sicut ei in eodem astrorum orbe coniungatur; non enim apud ipsa astra coma fit, in cęlo, sed in mundo inferiori, seu sub Luna. Vnde quemadmodum, apparent areæ, vel coronæ, circa Solem, & Lunam, quæ areæ sequuntur motum ipsorum astrorum, quocunque transferantur (cum tamen sic fuerit condensatus aer, vt passio, vel area hæc fieri possit, sub Solis itinere) sic coma astris, velut area est, videlicet, quod non est simul cum astris, etsi motum ipsorum sequatur. Attamen differunt, nam area quidem fit propter refractionem luminis talis syderis cuius est, secundum apparentem colorem à tali lumine causatũ, sed in ipsis exhalationibus accensis, non est color sic per variam reflexionem in varijs partibus causatus, sed exhalatio ignita eadem: areæ namque successiuè fiunt, & sicut eadem imago successiuè repræsentatur in diuersis partibus corporis diaphani, ita lumen Solis in diuersis partibus nubium; at cometa est semper idem. Quando igitur iuxta stellam facta fuerit talis concretio, vel condensatio exhalationum, seu cometa, necesse est, quod appareat moueri, ea latione qua mouetur stella, quia à virtute illius talis exhalatio detinetur, ac secum rapitur, & si aliqua sit differentia motus à nobis non cognoscitur; cum autem talis exhalatio consliterit per se; tunc cometæ ex illis facti, tardantes videntur, & non sequentes motus astrorum, cuius ratio est, quia latio mundi, qui circa terram est, seu latio inferioris partis supremæ regionis ignis, vel supremæ aeris, in quibus fiunt cometæ, talis est, scilicet tarda, & quia ab ipsa fertur cometa, ideo eius quoque latio tarda erit. Hoc autem quod diximus, maximè indicat, quod cometa, non sit refractio quædam luminis ad exhalationem, hæc namque non sic mouetur, sed vel deficit citò, vel videtur sequi motum astri, à cuius lumine causatur, non igitur cometa fit vt area, quæ in succenso fomite puro, ex reflexione luminis facta ex fomite ad ipsam stellam fit, non autem vt dicunt Hippocratici ad Solem; area enim maximè fit ex lumine astrorum reflexione ad exhalationem, quam ex reflexione luminis Solis, à quo ipsa exhalatio consumitur, quod vero cometa differat ab ipsa area, sic etiam probatur; quia & per se fit cometa sæpe, & frequentius, quam circa aliquas determinatas stellarum, sed area semper fit circa determinatas stellas, posterius igitur dicemus causam de area. Quod autem consistens exhalatio cometæ fit ignea, argumentum sufficiens oportet putare, quod id significent venti plures, & siccitates facti tempore cometæ: certum est enim quod fiunt, propterea quod talis excretio, vel exhalatio est multa, ex qua constat cometa, vnde reliquum, in ventos, & siccitates conuertitur, quæ sunt exhalationes calidæ, & siccæ, & si proximæ sint igni, igneæ fiunt, vt ipsis cometis accidit; quare tempore cometæ, sicciorem necesse est esse aerem, & id quod vaporosum est disgregari, & dissolui à dominante siccitate, & calore, ita vt non cogatur facile in aquam. Manifestius **Accidentia cometæ.** *autem dicemus de hac passione siccitatis, quando fuerit tempus dicendi de flatibus, seu ventis. Quando igitur crebri, & multi apparent cometæ, sicci & ventosi fiunt anni notabiliter, conformiter ad hoc, quod dicimus de natura cometæ. Quando autem rariores, & magnitudine tenuiores, non quidem similiter fit tale. Attamen frequentes fit quidam excessus spiritus, seu venti, aut secundum tempus, ita vt per multum tempus venti durent, aut secundum magnitudinem, sic quod licet non diu durent, magni tamen sunt. Quod exemplis historicis confirmatur. Quoniam quando in Aegis fluuijs cecidit per diem lapis eleuatus à ventis in terram ex aere, tunc comata stella apparuit facta à vespere, & circa aliam magnam stellam comatam, sicca erat hyems, & borealis, seu ventosa: atque fluctus, vel inundatio propter contrarietatem ventorum fuit. In sinu enim, vel medio maris ventus boreas dominabatur, extra autem flabat magnus Auster. Adhuc autem, dum Nicomachus erat præses Atheniensibus factus fuit cometa per paucos dies, circa æquinoctialem circulum, qui non oriebatur à vespere, sed per diem, quo tempore euenit flatus, vel vẽtus magnus circa Corinthum: causa autem eius, quod cometæ non fiant multi, neque sæpe, & magis fiant extra tropicos, quam intra, est motus Solis & astrorum; qui quidem motus intra tropicos, (seu magis prope æquinoctium,) non solum segregat calidum, sed disgregat, vel absumit, quod consistit, vnde materia sufficiens ad cometam efficiendam non adest. Maximè autem causa est, quod sæpe, & multi non fiant, quod exhalationis ex qua tales cometæ fieri deberent, plurimum congregatur in regione lactis, seu lacteæ viæ, ex qua ipsa fit, vt videbimus.*

CAPVT V.

De circulo lacteo Antiquorum opiniones, & confutatio.

QValiter autem, & propter quam causam fit, & quid est lac, seu lacteus circulus dicamus iam; curremus autem prius circa hoc ea, quæ ab alijs dicta fuerunt. Quidam igitur eorum, qui Pithagorei vocantur, aiunt hanc esse viam quandam. Sed in hoc quoque diuersi inter se sunt; cum hi quidem dicant esse viam cuiusdam excidentium astrorum, secundum lationem, quæ dicta fuit, quod acciderit sub Phaetonte, sic videlicet, quod ipse Phaeton, non potens regere currum Solis eum dimisit, qui Sol inferius descendens, conturbauit astra alia errantia, quæ sub se sunt, quæ furorem Solis fugiendo, per hanc viam transierunt, & quia secundum ipsos Pythagoreos astra sunt ignea, combusserunt, seu signauerunt hunc circulum, de quo quærimus. Alij vero ipsorum, non astrum aliquod, sed ipsum Solem per hunc locum aliquando

(tunc scilicet Phætontis tempore) delatum esse aiunt; volunt ergo, hunc locum esse quasi exustum ab astris, vel Sole, aut aliquam aliam talem passionem, vt inflammationem, vel candorem passum esse à latione ipsorum. Sed hæc positio est poetica, & parum philosophicæ veritati inimixa, nec enim ignea sunt astra, nec cæli alterabiles. Imò si ita esset, inconueniens est, non simul intelligere; quod siquidem hæc erat causa talis circuli; oportebat circulum Zodiacum sic etiam se habere, & magis, quam circulum istum lactis, omnia enim in ipso feruntur errantia sydera, & non solus Sol, qui tamen nec combustus apparet, nec aliquod combustionis signum; nec dicatur, quod id à nobis non perspicitur, quia totus Zodiaci circulus est nobis manifestus, saltem successiuè, semper enim tempore noctis semicirculus ipsius nobis est manifestus totus, cui alter semicirculus paulatim succedit, & tamen nihil videtur tale aliquid passum esse; nisi ea, qua vna ipsius pars copulatur cum vna parte circuli lactei: tunc enim non ex se, sed à circulo lacteo talem habet passionem, ergo falsum est, quod Sol, vel astra hoc efficiant; quia id Zodiaco maximè accideret. Anaxagoras autem, & Democriti sequaces, aiunt, lac esse lumen quorundam astrorum: dicunt etenim astra ex se lumen habere, dum autem à Sole aspiciuntur offuscari, ac vmbram terræ vsque ad sydera, ac ad cœlum stellatum pertingere. Quibus habitis, sic suam explicant positionem. Sol dum sub terra fertur non respicit quædam astra, ea scilicet, quæ vmbra terræ pertingit, alia vero ab ipso aspiciuntur, ea nempe inter quæ, & Solem vmbra terræ non interponitur. Quæcunque igitur aspiciuntur ab ipso Sole, horum quidem non apparere lumen asserunt, sed à Solis lumine offuscari, seu prohiberi à radijs eius, lumen enim maius offuscat minus. Quibuscunque autem obsistit, seu interponitur terra, ita vt non aspiciantur à Sole; hæc habere lumen, & proprium ipsorum lumen lac esse, dicunt. Sed isti etiam decipiuntur, & manifestum est hoc, quod dicunt esse impossibile, lac enim semper idem apparet, & in eisdem astris apparet, maximè esse circulus; à Sole autē semper eodem modo altera, & altera astra, non aspiciuntur, quia non manet ipse Sol semper in eodem loco; oportebat igitur cum transfertur Sol, transferri lac, sicut vmbra quoque terræ transfertur; nunc autem hoc factum esse non apparet. Adhęc autem si verum est (quemadmodum ostenditur in ijs speculationibus, quæ fiunt circa Astrologiam) quod magnitudo Solis maior est, quam tota terra, & distantia astrorum multo maior est ad terram, quam sit distantia ipsius Solis ad ipsam terram: sicut est maior eiusdem Solis distantia ad terram, quam Lunæ. Si inquam hæc sint vera, non vtique conus, vel acumen vmbræ terræ, longe alicubi à terra se extendit, quia à Sole restringit radios, vel vmbram paulatim, ad modum pyramidis, neque vtique vmbra terræ, quæ vocatur nox, erit apud astra, ratio namque vniuersalis est, quoniam corpus luminosum si sit maius opaco, quod sibi interponitur vmbra ipsius opaci, non se extendit in immensum, sed ad modum pyramidis terminatur; vnde vmbra terræ solum vsque ad Lunam se extendit, vel paulò superius. Quare necesse est Solem omnia astra circumspicere, & nulli ipsorum terram obsistere, seu interponi: & sic notum est, quod errant, & quomodo. Amplius autem est tertia quædam opinio de ipso circulo lacteo. Dicunt enim quidam. Lac esse refractionem nostri visus ad Solem, sicut dicunt esse etiam stellam comatam; hoc est, quod Sol respiciens exhalationem ipsam, illinc Sol repræsentetur, vt in speculo, quam exhalationem nos respiciendo per refractionem visus, (vt dicunt, & nos supra exposuimus) appareat modo cometa, modo lac, vel aliud secundum diuersam dispositionem, vel figuram talis exhalationis. Impossibile autem est, & hoc. Si enim videns se in speculo quieuerit; atque similiter speculum, & omne quod in ipso videtur, in eodem signo, vel parte speculi, eadem vtique semper apparebit pars imaginis rei visæ in ipso. Si autem speculum, & id omne quod in ipso est moueatur; quod tamen speculum sit eodem modo distans à vidente, & videns quiescat; adinuicem autem res visæ, & speculum, neque æquè velociter moueantur, neque in eadem distantia semper, impossibile est, quod eadem pars imaginis videatur semper in eadem parte speculi, exemplum potest esse hoc; moueatur nauis iuxta speculum aliquod, quod quidem etiam moueatur; quidam vero quiescens respiciat ambo, & nauem, vel nauis imaginem in speculo; profectò, non semper eandem partem nauis in speculo respiciet; maximè si sint motus inæquales, vt supponimus; sic ad propositum philosophandum est. Sit lac speculum, vt volunt, Sol res visa in speculo, & vtrunque non æquè velociter moueatur, nos vero quiescentes aspiciamus. Astra, igitur, quæ sunt in circulo lactis mouentur, & similiter Sol, ad quem fit refractio nostri visus, manentibus nobis, & similiter, & æqualiter, semper ad nos sit æqua distantia, seu eodem modo, tam Sol, quam circulus, à se ipsis autem non æqualiter distant; Aliquando enim Delphin, seu figura quædam cæli medijs noctibus oritur, aliquando vero diluculò, ergo similiter diuersimode ipse Sol distat; partes autem lactis eadem manent in vnoquoque signo, hoc est inter se retinent eandem figuram; quod non oportebat, si lac erat imago Solis, imò non eisdem locis esse semper hanc passionem, seu repræsentationem imaginis, sed moueri, sicut Sol ipse, cuius lac est imago, mouetur; quod cum sit falsum, erit inconueniens asserere, lac esse Solis imaginem. Amplius autem noctu in aqua, & in talibus, vel similibus speculis, lac quidem illucescit, vel videtur ab aspicientibus: at quomodo est tunc possibile, quod visus aspicientium, refrangatur ad Solem, sic, vt respiciendo lac videatur Sol, sicut imago in speculo, & tamen si esset vt speculum, ipse Sol videri deberet. Quod igitur neque via planetarum vllus, neque lumen est astrorum, quæ non videatur, neque refractio sit, ex his manifestum est. Ferè autem hæc, quæ diximus solum sunt, quæ vsque nunc tradita sunt ab alijs de lacteo circulo.

CAPVT VI.

De essentia, seu natura circuli lactei opinio propria.

Nos autem dicamus de ipso lacteo circulo, cum reassumpserimus suppositum principium à nobis. Dictum est enim prius, quod extremum, seu suprema pars dicti aeris, habet potentiam vt fiat ignis, ita vt ipso aere disgregato, vel rarefacto per motum, simul cum ipso exhalatio, quam ibi multam reperiri diximus, segregatur ab ipso aere rarefacto, atque simul in vnum locum vnitur, atq; ignitur, qualē & comatas stellas fieri diximus: sicut ergo dum per se sola talis exhalatio accenditur, & consistit, ita quoque tale oportet intelligere fieri, cum talis excretio, vel exhalatio, non ipsa per se facta fuerit, sed sub

aliquo

aliquo astrorum fixorum, vel errantium; tunc enim tales videntur cometæ, quia sequuntur lationem ipsorum astrorum; quemadmodum ea concretio ex qua fit area propter refractionem luminis, ac aere bene disposito, sequitur ipsum Solem, vel potius alia astra (non enim faciliter fit area circa Solem, vt supra diximus.) Quod itaque secundum vnum astrorum accidit, hoc oportet accipere fieri circa totum cælum, & omnem superiorem lationem, sic videlicet, quod sicut astra aliqua particularia attrahunt exhalationem, quæ ignita, vel illuminata, sequitur motum ipsius, ita hoc omnibus, vel pluribus astris simul contingeré potest. Rationabile enim est; quod si motus vnius astri talem exhalationem incendit, & quod is motus, qui omnium, vel multorum astrorum est, idem faciat, & exufflet, seu attrahat, vel moueat eandem accensam exhalationem, & si ista hæc efficere possunt, multo magis, ea astra, quæ secundum locum aliquem cæli creberrima, & plurima, & maxima existunt. Zodiacus igitur propter motum Solis, & planetarum, qui in ipso mouentur dissoluit talem consistentem exhalationem; quapropter multi quidem cometarum extra tropicos fiunt, seu longè à Zodiaco, (Tropici namque sunt quasi termini, ex parte Septentrionis, & Austri ipsius Zodiaci.) Amplius autem neque circa Lunam, neque circa Solem fit coma; citius enim ipse Sol, & Luna disgregant, quam vt coacta sit talis excretio: Luna enim, & si non velocissimè moueatur, vt supra dictum est, tamen lumine, & vicinitate apta est magis id efficere, quam alia astra, quæ ob distantiam non possunt. Iste autem circulus in quo apparet Lac ijs, qui aspiciunt, & maximus existit, & positus, atque situatus sic, vt multum tropicos excedat, seu distet. Adhæc autem, est locus plenus astris, & maximis, & fulgidissimis, & adhuc ijs, quæ sparsa vocantur, (quod quidem oculis videri potest) vt propter hanc causam, & continuè, & semper hæc ferè vniuersa concretio, vel exhalatio aggregetur sub ipso. Signum autem huius, quod diximus est, quia ipsius circuli, plus luminis est in vno semicirculo, quam in alio; quorum vnus semicirculus, duplum habet: in hoc enim, quia duplum habet lumen, plura, & crebriora sunt astra, quam in altero; tanquam non propter alteram causam fiat lumen, quam propter astrorum lationem incendentium, attrahentium, ac lumen præbentium exhalationi magnæ. Si enim in hoc circulo fit talis excretio, quia ibi plurima sunt astra, rationabile est, quod ipsius circuli, in ea parte, quæ magis videtur esse astrorum spissa, & magnitudine, & multitudine, existimare, quod sit conuenientissima causa huius passionis. Consideretur autem circulus, & astra, quæ sunt in ipso, ex ipsa descriptione talium astrorum, seu ex positione ipsorum sic descriptorum, vel situatorum in tali circulo, vt supra diximus. Hæc autem astra in hoc circulo existentia vocantur sparsa; quia hoc modo non ordinantur in vniuersa cælesti sphæra, seu quia non seruant ordinem cum alijs, quo ad spissitudinē, & situm: nullam namque habent manifestam positionem cum alijs, præcipuè etiam quo ad efficiendam aliquam figuram, sicut alia efficiunt, vnde ab Astrologis per alia astra designantur multa animalia, & aliorum figuræ, non autem per ista. Quod autem verum sit, quod dicimus, palam est ijs, qui cœlum aspiciunt: in solo enim hoc circulo intermedia loca plena sunt talibus astris, vnde non potest sumi distinctio, alicuius figuræ, in alijs autem deficiunt manifestè. Quare siquidem, & cur appareant cometæ, approbamus causam, tanquam mediocriter dictam, & eodem modo existimandum est se se habere de Lacte: quod enim in cometa est passio facta circa vnum astrum (loquimur namque de cometa, qui fit per coniunctionem exhalationis cum astro, modo exposito) sic, vt fiat coma quadam astri, hoc idem accidit fieri circa plurima astra, sic vt non coma, sed circulus fiat. Est igitur Lac, (vt ita dicam veluti definiendo) coma maximi circuli propter segregationem, seu exhalationem segregatam, & attractam ab astris in tali circulo existentibus. Quapropter non multi, neque sæpe fiunt cometæ, quia talis consistentia, seu existens exhalatio continuè segregata est, et segregatur secundum vnumquemque circuitum, vel locum circa Vniuersum, in hunc locum, vel circulum syderum sparsorum, seu propè, scilicet sub cælo Lunæ: non etenim tales exhalationes cælum penetrant. De factis igitur, (seu de impressionibus) quæ acciderunt in eo Mundo, qui est contiguus superioribus lationibus, seu cælo, hoc est in superiore parte aeris, vel in regione ignis, dictum est, quæ quidem sunt discursus astrorum, flammæ ignita, adhuc autem cometæ, & quod vocatur Lac, ferè enim tot sunt passiones, & impressiones apparentes circa hunc locum superiorem inferioris Mundi; aliæ namque (si quæ sunt) ad istas reducuntur, nec essentialiter differunt.

SVMMA TERTIA.

De ijs, quę in loco inferiori, qui videlicet est terræ propinquior, generantur.

CAPVT I.

De Generatione Vaporis, Nubis, Caliginis, Pluuiæ, Roris, Pruinæ, & Niuis.

DE locò autem, qui est primus circa terram, sed positione, seu situ secundus post locum in præcedentibus dictum, qui erat ignis, & suprema regio aeris, dicamus; iste enim locus communis est aquæ & aeri, & accidentibus, quæ fiunt circa generationem superiorem ipsius (hoc est circa ea, quæ sursum, seu supra terram in tali loco generantur) sumendum autem est omnium horum accidentium principia, & causas similiter, hoc est materialem causam, & efficientem. Quod igitur vt mouens, seu efficiens generationis, & corruptionis primum, ac præcipuum principium sit circulus Zodiaci, in quo est manifestè latio Solis, disgregans, & congregans elementa, ex eo, quia propè fit, aut longius manifestum est. Manente autem terra humida, quod circa ipsam est, euaporans à radijs Solis, & ab alia caliditate, quæ desuper est, fertur sursum; cum autem caliditas, quæ duxit sursum ipsum humidum, derelinquat ipsum, & illa quidem caliditas disperditur ad superiorem locum, hæc autem altera extinguitur, vel à frigore superatur: propterea quod vapor, qui est super terram suspenditur longius in aerem, atque ad mediam ipsius aeris regionem, quæ est frigida, peruenit, ibiq; calor partim (vt diximus) à frigore extinguitur, partim sursum ad supremā aeris regionem, vel ignis ascendit, cogitur iterum vapor infrigidatus, & propter derelictionē caloris, (vt iam sæpe dictum est,) & propter locum frigidum, & fit aqua ex aere, atque ex tali vapore; facta autem iterum fertur ad terram, quod est pluere. Est igitur ea exhalatio, quæ fit ex aqua vapor, quæ autem ex aere in aquam conuertitur, dicitur nubes. Caligo autem sunt decidentia quædam, seu reliquiæ,

ac nebulæ eius concretionis, seu vaporis, qui in aquam conuersus est; quapropter ipsa caligo signum magis est serenitatis, quam aquarum; est enim caligo veluti nubes sterilis; Fit autem circulus iste conuersionis vaporum in nubes, & nubium in pluuiam, imitans circulum Solis: simul enim ipse Sol ad latera permutatur, ita vt ex Oriente pergat ad Occidentem, & iste sursum, & deorsum: nubes namque deorsum in aquam conuersæ descendunt, & vapores ex aqua geniti sursum ascendunt. Oportet autẽ intelligere, esse hunc veluti fluuium circularem, qui ex aqua ad aerem, & ex aere ad aquam sursum, & deorsum fluat, & refluat. Prope enim existente Sole, fluuius vaporum sursum fluit, ab ipso Sole attractus. Cùm autem elongatur, fluit aqua fluuius deorsum, & hoc perpetuò vult fieri secundum ordinem approximationis, & elungationis ipsius Solis. Quare & si Antiqui obscurè dicebant, Oceanum esse circulariter fluentem circa terram, fortè hunc fluuium intelligebant. Cum autem eleuatur humidum supra, propter virtutem calidi, & iterum fertur deorsum ad terram propter infrigidationem, tunc pluere dicimus, ac ipsi cadenti aquæ, propria nomina imponuntur secundum varias passiones, vel accidentia, seu differentijs quibusdam ipsius. Cùm enim ipsa aqua secundum modica, seu paruas partes feratur, dicuntur Guttæ. Cùm autem secundum maiores partes descendit, dicitur pluuia. Quando autem ex eo quod de die euaporat vapor, seu sursum ducitur, & aliquid ipsius non multum sursum suspensum, vel ductum fuerit, propter paucitatem ignis, seu caloris sursum ducentis ipsum, qui quidem calor, ex eo quod sit paucus, non potest ipsum conducere ad eam, quæ est aquæ regio, iterum cum de noctu circa terram infrigidatum fuerit deorsum feratur, vocatur Ros, & Pruina. Sed cum discrimine, nam dicitur pruina, quando vapor prius congelatur, antequam iterum in aquam conuersus fuerit: fit autem hyeme, & magis in hyemalibus locis. Ros autem dicitur, cum vapor fuerit densatus in aquam, nec sic fuerit tepor, vel calor, vt sursum ductus, ipse vapor exsiccetur, neque sic frigus, vt congeletur, ideo tunc magis fit, quando locus vbi fit, vel tempus quo fit, sit tepidius, vel ad id aptius. Fit enim magis in temperie, vel temperatis locis. Pruina autem sicut dictum est, è contrario: palam enim ex dictis est, quod vapor calidior est aqua, habet enim ipse vapor adhuc ignem, seu calorem eleuantem; quare maior requiritur frigiditas, ad ipsum congelandum, quam ad aquam. Fiunt autem Ros, & pruina, serenitate, & tranquillitate existente; neque enim eleuabuntur vapores non existente serenitate; quia virtutes astrorum impediuntur à nubibus, neque Vento flante poterunt tales vapores esse coarctati, vel congelati in pruinam, vel rorem; Ventus enim dispergit eos. Signum est autẽ, quod hæc fiant prope terram, eo modo quo diximus: dum modicus calor non potest multum sursum eleuare vapores, quia talis vapor non longè suspenditur sursum: in montibus enim altis non fit pruina. Causa autem huius est duplex. Altera est, quod ipse vapor sursum ducitur ex locis cauis, & humectis, vel humidis, quare caliditas sursum portans onus maius, quam possit, non potest ipsum eleuare ad locum multum altitudinis, sed prope dimittit iterum: si namque esset maior calor, sursum duceret, & cum nubibus in pluuiam conuerteret. Secunda causa est, quia aer existens in altis locis maximè diffluit, ob motum cæli, ideo dissoluit hunc consistentem vaporem paucum. Fit autem ros vbique flantibus Ventis Australibus, non autem Borealibus, præterquam in Ponto, ibi enim è contrario: Borealibus enim fit, Australibus autem non fit. Causa autem est similiter respectu diuersæ temperiei aeris, vel regionis, ita vt sicut temperie, seu vere, & autumno quidem fit, hyeme autem, vel æstate non, ita locis temperatis vno tempore, vel Vento fit alijs è contra; Auster enim temperiem facit; Boreas autem hyemem, frigidus enim est, quare ex hyeme, vel frigore extinguitur exhalationis caliditas, vnde sursum ferri non potest. In Ponto autem Auster quidem non sic facit temperiem, vt fiat vapor. Boreas autem propter frigiditatem congregat calidum circumobsistens in tali regione, quare ipse calor magis facit euaporare. Quod quidem sæpe possumus videre, quod fiat in locis etiam extra Pontum. Vaporant enim putei magis Ventis Borealibus, quam Australibus; similiter ob àntiparistasim paucus ille calor inclusus in concauis locis terræ, vel simul cum aqua, à frigido circumdato fortificatur, & vaporem atque aquarum augmentum efficit. Sed Borealia quidem extinguunt calorem vaporum, antequam illorum sit aliqua congregata multitudo, in Australibus autem exhalatio sinitur congregare, ipsa autem aqua non congelatur hic, quemadmodum in loco circa nubes. Inde enim tria veniunt corpora, quæ coguntur propter infrigidationem illius regionis, scilicet aqua, nix, & grando: ergo sicut hæc sunt diuersa corpora ab ijs, quæ inferius generantur, ita diuersimodè producuntur. Horum autem duo quidem, proportionaliter, & propter easdem causas fiunt, cum ijs quæ inferius fiunt, sed differunt secundum magis, & minus, & multitudine, & paucitate. Nix enim, & pruina idem sunt, sicut ros, & pluuia, sed nix, & pluuia sunt quid multum; pruina, & ros paucum. Pluuia enim fit ex multo vapore, qui infrigidatur, huius autem causa est, & locus multus, in quo generantur pluuia, & nix, & tempus quoque multum existens, in quo colligitur, & multa quoque materia ex qua fit; paucum autem tempus, atque materia roris est, consistens enim vapor ipsius diarius est, (seu qui fit per diem, vel partem aliquam eius;) & locus similiter paruus est, nam fit prope terram, nec magnam occupat regionem: quod autem ita se habeat, manifestat generatio existens velox, & parua multitudo ipsius genitę roris; similiter se habent proportionaliter pruina, & nix: cùm enim congelata est nubes, nix est: cùm autem vapor, pruina; quare etiam secundum prædictum modum differunt. Quapropter dum ista generantur, signum est, quod sint anni, vel regiones frigidæ: non enim vtique congelaretur talis vapor, adhuc multa existente caliditate in ipso, nisi frigus ipsam caliditatem superuinceret: in nube enim adhuc inest multum calidum, residuum videlicet ignis, seu caloris, qui euaporare fecit humidum ex partibus circa terram, quare hic superari debet, vt fiat nix, vel pruina, & sic maior requiritur frigiditas. Grando autem ibi fit, videlicet sursum, tamen in vapore terræ propinquo deficit hoc, quod scilicet aliquid sibi simile, vel proportionale correspondeat. Quemadmodum enim diximus, vt quidem ibi (nempe sursum) generatur nix, ita inferius, pruina; & sicut ibi fit pluuia, ita hic ros: vt autem ibi fit grando, hic non contra respondet simile; causa autem erit manifesta, cùm dixerimus de grandine.

CA-

CAPVT II.

De Grandinis generatione.

OPortet autem accipere, seu perscrutari simul accidentia ipsius grandinis, quæ scilicet non seducunt (seu à veritate non auertunt) sed quæ videntur rationabiliter sibi conuenire. Est igitur grando, glacies: congelatur autem aqua, & fit glacies tempore hyemis; grandines vero fiunt vere quidem, & autumno maximè, deinde tempore maturationis fructuum: hyeme autem rarius, sed quando minus fuerit frigus. Et vniuersaliter fiunt grandines quidem in locis temperatioribus, niues autem in frigidioribus: ideo difficultas augetur, cur non, videlicet maxime temporibus, & locis frigidissimis, fiant: si per congelationem, quæ maximam requirit frigiditatem efficiuntur. Alia est difficultas de loco; inconueniens enim est, congelari aquam in eo loco, qui sursum est, neque enim possibile est, quod sit congelata antequam facta sit aqua; neque possibile est, quod aqua ipsa aliquo tempore maneat sursum eleuata antequam congeletur: nullum enim graue manet naturaliter sursum. Neque dicendum est, quod sicuti guttæ manent quidem sursum propter paruitatem, ita vt sint immorantes in aere, quia eum scindere non possunt; (eo modo quo particulæ paruæ terræ, & auri, sæpe supernatant in aqua propter paruitatem) sic maneat aqua in aere. Nam in aqua, dum simul multæ paruæ guttæ vniuntur, fit aliquid magnum, & deorsum fertur, hoc autem non contingit fieri in grandine, non enim partes coagulatæ coalescunt, vel simul coagulantur, aut vniuntur, sicut humida: ideo alia ratio inuenienda est quomodo sursum maneant paruæ, postea fiant magnæ, & descendant. Palam igitur est, quod sursum tanta aqua mansit, non enim vtique tanta congelata fuisset, nisi in loco, vbi congelari debebat, mansisset. His igitur Philosophis, & præcipuè Anaxagoræ videtur, quod causa huius generationis, & passionis, seu congelationis aquæ in grandinem fiat hoc modo; cùm expulsa fuerit nubes in superiorem locum, qui magis est frigidus, (propterea quod radij à terra refracti ibi deficiunt, vnde locus non est à quo calefiat) ipsa nubes in aquam statim conuertitur, atque postea congelatur: quapropter æstate magis, & in tepidis regionibus, fieri grandines, patet; quoniam maius calidum pellit sursum nubes à terra, & per antiperistasin, frigus loci nubium fortificatur, & congelatio fit. At ista positio non est vera, quia in valde altis montibus non fit grando: quamuis, si ita esset, vt dicunt, quod sic sursum fiat, oportebat quemadmodum uidemus, niuem maximè, in altis fieri. Adhuc autem sæpe visę sunt nubes delata cum sono multo secus terram, vt quid terribile esset audientibus, & videntibus, tanquam futurum esset quid maius; aliquando autem sine sono talibus visis nubibus, grando fit multa, & magnitudine incredibilis, & figuris non rotunda; quod non aliunde prouenit, nisi quia non multo tempore fit latio ipsius: sic namque à motu, & aere tales anguli consumerentur, & rotunda esset; cùm autem opposito modo, vt plurimum se habeat, signum est, quod congelatio ipsius fiat prope terram; sed non sicut illi aiunt, in media aeris regione. At vero necessarium est, ab ea, quæ est maximè causa congelationis, maximè fieri grandines, grando enim glacies est, & hoc omnibus est manifestum: ideo vbi plus vis congelandi insit, illic eas fieri, asserendum est. Magnæ autem grandines, vel partes eius sunt, quæ sunt figuræ non rotundæ, hoc autem signum est, quod sint congelatæ propè terram; quæ enim feruntur à longè, propterea quod magno, vel longo spatio feruntur, circumfractæ fiunt, & figuræ rotundæ, & magnitudine minores; nam confringuntur anguli, & partes, vt supra diximus. Quod igitur non ex hac causa, quod frigidum expellitur in superiorem locum, accidat ipsius grandinis congelatio, dictum est: non enim angulares fierent, & magnæ. Respondeamus ergo secundum veritatem sic. Quoniam autem videmus, quod fit circumobsistentia, seu antiparistasis ex calido, & frigido adinuicem contrariantibus, ac circumstantibus, calor namque frigus circundans restringit ipsius frigoris virtutem, vnde fit fortior, & similiter, dum frigus circundat calorem; quapropter in teporibus inferiora terræ frigida sunt, quia frigus à talibus teporibus, seu caloribus fortificatur, & per oppositum, sunt tepida in gelu, quia calor à gelu fortificatur; hoc igitur putare oportet, quod accidat in eo loco qui sursum est, vnde temporibus æstiuis frigidior erit, quam hyemalibus. Quare in tepidioribus anni temporibus, frigidum aeris passum antiparistasim, propter eam caliditatem, quæ in circuitu est; aliquando citò aquam ex nube facit, aliquando vero grandinem secundum maiorem, vel minorem frigoris dispositionem; quapropter multo maiores guttæ fiunt tepidis diebus, & similiter aquæ impetuosiores, quam hyeme: impetuosiores enim dicuntur, cum sint congregatiores, seu densiores: congregatiores autem sunt propter celeritatem condensationis, hæc autem fit propter abundantiam frigoris, & ista propter antiparistasim. Hoc autem ipsum quod dicimus de congelatione grandinis è contra fit, vt Anaxagoras dicit: ipse enim ait, aquam hoc pati; seu congelari in grandinem, cùm in frigidum aerem ascenderit, nullam faciendo mentionem de antiperistasi; nos autem dicimus hoc fieri, cum descenderit in aerem calidum, & maximè, cùm maximè in calidum descenderit; nam cum frigidum in aqua existens, adhuc magis antiparistasim passum fuerit ab exteriori calido, cum in aquam nubem conuerterit, congelauit magis, & fit grando. Hoc autem accidit, cùm citius aqua congelatur, quam deorsum cadat: & quanto vtique propinquius terræ, & congregatior, fit congelatio, & aquæ impetuosiores fiunt, & guttæ, & grandines maiores: propterea quod breui ferantur loco, vnde non est tempus, vt diuidantur, atque tunc crebræ guttæ magnæ cadunt, propter eandem causam, quia videlicet quamplurimæ simul in vnam congregantur. Ordo igitur totius generationis grandinis est iste; eleuantur vapores à terra in mediam regionem aeris, ibique in aquam conuertuntur, quæ statim cadit, descendendo autem, ob caliditatem aeris circumstantis, frigus ipsius aquæ condensatur, & fit tantus, vt talis aqua antequam descendat congeletur, & dicitur grando, vnde non oportet, quod aqua sursum maneat, nec prius fiat congelatio; hæc autem congelatio, & si non fiat multum sursum, tamen fit magis in superiori loco, quam ros, & pruina, ideo regio ipsius grandinis, ab illorum distincta superius fuit, & cum regione aquæ, & niuis connumerata, quia ad ipsas magis appropinquat. Minus autem æstate fit, quam vere, & autumno, magis tamen ipsa æstate, quam hyeme; quia aer æstate est siccior, vnde non habetur sufficiens materia, seu vapor; in vere autem adhuc aer est humidus, in autumno autem iam humectatur; fiunt autem grandines, vt iam dictum est, aliquando tempore

mutationis fructuum, siue hoc sit autumni, siue æstatis tempore, propter eandem causam: tunc enim virtute aliquorum astrorum, viget aliqua humiditas, quæ ad maturationem fructuum requiritur, & eadem sufficiens erit interdum ad grandinem efficiendam. Confert autem ad celeritatem congelationis, si aqua præcalefacta fuerit, citius enim infrigidatur; quapropter multi cum aquam infrigidare citò volunt, eam ad Solem ponunt primò, cuius causa est, quia aqua calefacta fit rarior, vnde est magis passibilis, & à frigore citius superabilis; quare qui circa Pontum habitant, cum in glacie faciant habitationes, propter venationem piscium, (venantur enim rumpentes glaciem fluuij Histri) aquam calidam arundinibus circumfundunt, propterea quod citius congelatur: vtuntur enim glacie, tanquam plumbo, vt quiescant arundines, non quod glacies descendat sub aqua, vt plumbum, sicut notum est, sed alio modo, ad fortificationem, ipsa glacie vtuntur. Calida igitur aqua fit citò constans, vel congelata in regionibus, & temporibus calidis, dummodo adsit frigiditas circunstans. Hac de causa circa Arabiam, & Æthiopiam, aquæ fiunt æstate, & non hyeme, & hæ sunt impetuosæ, & eadem die sæpe propter eandem causam: citò enim infrigidatur vapor, per circumobsistentiam, vel antiparistasim, quæ fit propterea, quod regio illa est valde calida. De pluuia igitur, & rore, & niue, & pruina, & grandine, propter quam causam fiunt, & quæ natura ipsorum est, tot, & hoc modo dicta sint.

SVMMA QVARTA.

De Fluminibus, ac Fontibus.

CAPVT. I.

De generatione Fluuiorum, ac Fontium, sed prius aliqua proponuntur de Ventis.

Ventus cur sic dicatur. Flatus.

D*E Ventis autem, & omnibus flatibus, seu exhalationibus circa terram discurrentibus (dicitur namque Ventus exhalatio maior, quæ magis supra terram, & per aerem mouetur, à veniendo dicta. Flatus autem omnis exhalatio, quæ flat, vnde est quasi genus ad Ventum) adhuc autem de fluuijs, & mari dicamus, cùm primò de ijs, contra nos ipsos dubitationes proposuerimus: sicut enim de alijs nihil accepimus dictum tale, quod non communiter ab vnoquoque dictum sit; sic neque de istis. Sunt autem quidam, qui dicunt, aerem motum, & fluentem Ventum esse. Dum autem consistit, vel manet, vocari nubem, & aquam, prout est minus densus, vel rarus aer, tanquam aqua, flatus, & aer sint vna & eadem natura, accidẽtaliter tantum differens, sic, quod Ventus ad aerem, & aquam, non addat nisi motum, & minorem densitatem. Quapropter, & eorum, qui sapienter volunt dicere, quidam dicunt, omnes Ventos esse solum vnum, quia secundum ipsos accidit, eundem esse & vnum totum aerem motum, videri autem ipsos ventos, ac aerem differre, propter loca vnde semper fuerint fluentes, quæ sunt diuersa, licet in veritate non differant. Similiter dicentes, quemadmodum vtique si quis putet, fluuios omnes vnum fluuium esse. Quare melius multi dicunt simpliciter, sine inquisitione, quam qui cum inquisitione sic dicunt. Si enim ex vno principio, seu vna exhalatione eiusdem naturæ omnes fluerent, & ibi spiritus, seu Venti, eodem modo haberent originem, & sic ipsi confiterentur, fortè vtique sic dicentes, aliquid ad propositum dicerent. Si autem similiter hic, & ibi, seu vbique omnes Ventos absque vlla differentia se habere dicant, palam est, quod hoc ornatè dictum, sit falsum. Quoniam autem hoc quidem optimam habet considerationem; ideo videndum est, quid est Ventus, & quomodo fit, & quid est mouens, & vnde principium ipsorum, & vtrum oporteat accipere fluentem Ventum, tanquam exeat ex vase, & eousque fluere, donec vtique euacuatum sit vas, veluti ex vtribus emissum, aut quemadmodum pictores pingunt quasdam imagines, veluti Deos corporeos, ex se ipsis principium ventorum emittentes. Similiter autem quibusdam videtur se habere de generatione Fluuiorum, sicut de Ventis diximus. Dicunt namque, quod aqua eleuata à Sole iterum pluat, & postea congregetur deorsum in concauitatibus terræ, ex quibus iterum fluat, sic vt exeat veluti ex alueo magno, aut omnes fluuij ex vno, aut alter ex alio, nec fiat ex aqua vlla, sed colligatur hyeme in his receptaculis, ex quibus fiat fluuiorum multitudo. Quapropter asserunt, maiores fluuios semper fluere hyeme, quam æstate; & hos quidem esse semper fluentes, hos autem non semper fluentes: quorum enim propter magnitudinem aluei multa collecta est aqua, vt sufficiat, & non prius consummatur, quam superueniat imber, in hyeme iterum hos quidem semper fluentes esse sine fine. Quibuscunque autem minora receptacula sunt, hi propter aquæ paucitatem exiccantur, euacuato vase, antequam superueniat aqua de cælo. Sed hoc, quod dicunt, impossibile est, quia quamuis aliquis, si velit, fecerit, vel finxerit sibi ante oculos, receptaculum totius aquæ fluentis per totum annum, adhuc non videbit id esse conueniens, si rectè intelligat, quia magnitudo tota hæc aquarum excedet magnitudinem terræ concauæ, vel non multum deficiet ipsa aqua, quæ fluit per totum annum, & in terra suscipitur à magnitudine terræ, vnde ab ipsa terra contineri non poterit. Non tamen negamus, quod aliquæ concauitates reperiantur in terra, quæ aquam suscipiant, & ex quibus iterum fluat: nam palam est, quod accidunt quidem multa talia in multis locis terræ; sed quod vniuersa aqua fluuiorum, ac fontium sic fiat, hoc impossibile esse dicimus. Enimvero inconueniens est, si quis non putet, quod propter eandem causam fiat aqua ex aere in terra, vel concauitatibus eius, propter quam fit in aere; quare si in aere propter frigiditatem, ipse aer vaporans cogitur in aquam, & ab ea frigiditate, quæ est in terra, idem accidere putandum est, & fieri non solum semel aquam in ipsa terra, in qua congregetur, sed continuò, seu semper. Amplius autem principium fluuiorum non est ex aqua existente, veluti sint sub terra stagna quædam segregata, sicut quidam dicunt, sed fiente (seu quæ semper fit) similiter sicut in eo loco, qui est super terram, (in media videlicet regione aeris) ibi namque ex aere, vel nubibus condensatis ob frigus fit; vbi similiter frigus viget sufficiens ad id efficiendum; conuertitur igitur aer in aquam, & paruæ consistunt guttæ ex vna parte, ex alia vero aliæ, & iterum ipsæ cum alijs, ac tandem cum multitudine descendens pluit aqua; sic & in terra fiunt principia fluuiorum ex paruis distillatis guttis, ita vt ex terra veluti in vnum scaturiant; ibi etenim est sufficiens frigus, quod*

ex di-

ex diuersis partibus aerem in aquam conuertit, quæ in vnum collecta, incipit fluere ad imas partes terræ, hoc autem fit magis in montibus, quia sunt ibi maiores, vel plures concauitates, vt dicemus. Quod autem ita sit, manifestat ipsum opus, qui enim aquæ ductus faciunt è cuniculis, seu concauitatibus, & fossis, conducunt aquam, quasi vtique sudet terra, à partibus excelsis, seu altis. Quapropter fluxiones fluuiorum ex montibus videntur fluentes, & plurimi, & maximi fluuij fluunt ex maximis montibus. Similiter autem, & fontes plurimi montibus, & locis altis vicini sunt; in campestribus autem sine fluuijs, pauci fontes (hoc est non nascuntur propriè ibi fontes, nisi ex fluminibus subterraneis, qui in aliquo loco abscondantur, & sub alio exeant) Montana namque loca, & alta, sunt velnti spongia super suspensa (in quibus videlicet instar spongiæ sunt multa foramina, & concauitates) secundum modica tamen, (hoc est secundum parua foramina) & spissa, vnde ex multis scaturiunt aquæ, & in vnam reducuntur magnam concauitatem, nam non tantum paruæ, sed magnæ sunt, indeque fluunt; suscipiunt enim tales concauitates magnam multitudinem descendentis aquæ, ex varijs paruis prædictis foraminibus, atque vaporem ascendentem infrigidant, & condensant iterum in aquam, eo modo quo dicimus fieri in media regione aeris; nihil namque differt, quod circumferentia in qua vapores, vel aer, condensari debent, sit concaua, vel supina, vel prona, vel curua, sat enim est, quod ibi sit sufficiens dispositio: vnde cum in concauitatibus terræ, & præcipuè montium hoc esse possit, & sit (vt diximus) maximi fluuiorum ex maximis montibus videntur esse fluentes. Palam autem est hoc ijs, qui considerant circulationes terræ, has enim inquirendo à singulis cosmographis accipient, qui, etsi non omnes ex se viderint, ex aliorum relatione descripserunt, vnde eis est fides habenda. In Asia igitur plurimi, & maximi videntur esse fluentes fluuij, ex monte vocato Parnaso; hic autem mons dicitur esse maximus omnium, qui ad Orientem hyemalem vergunt, seu versus Septentrionem. Quod verò maximus sit patet ex hoc, quod illi, qui iam ascenderint illuc, apparet mare, quod extra talem regionem, seu multum distans est, cuius terminus non videtur ab ijs, qui hinc ipsum mare tentant respicere, etiam si in summis Græciæ montibus essent: ex hoc igitur fluunt alij fluuij, & Bactrus, & Choaspes, & Araxes. Cuius Araxis vna pars abscinditur, & vocatur Tanais, qui tandem peruenit, & finit in Mæotidem Paludem. Fluit etiam ex ipso Parnaso fluuius, qui dicitur Indus, qui est omnium fluuiorum fluxio plurima, seu fluuius maximus. Ex monte caucaso Indiæ; & alij fluunt multi, & secundum multitudinem, & secundum magnitudinem excedentes, inter quos præcipuus est Fluuius, qui dicitur Phasis, & per Cholcum fluit. Caucasus autem maximus mons est eorum, qui ad Orientem, & meridiem, maximum dico, & multitudine, & altitudine. Signa autem altitudinis sunt, quia videtur à vocatis profundis, seu imis regionibus, & vallibus, & à nauigantibus in stagnum, vel mare, valde remotum. Insuper summitates eius illustrantur Sole vsque ad tertiam partem noctis, & ab aurora etiam vsque ad vesperas, seu noctem. Signum autem multitudinis eius est, quia multas habet sedes, in quibus, & gentes habitant multæ, & stagna esse aiunt magna; attamen omnes sedes esse aiunt manifestas vsque ad vltimum verticem. Ex Pyrenęo autem (qui est mons ad Occidentem æquinoctialem, hoc est inter Occidentem, & æquinoctium, in ordine videlicet ad Græciam in Europa, diuidens Galliam ab Hyspania, vt sciunt cosmographi) fluunt Ister, & Tartessus, iste quidem extra Columnas, Ister autem qui nunc dicitur Danubius per totam Europam, vsque in Pontum Euxinum. Aliorum autem fluuiorum, plurimi ex montibus Arcynijs ad vrsam, seu septentrionem fluunt. Hi autem fluuij, altitudine, seu profunditate, & multitudine maximi circa hunc locum sunt. Sub ipsa autem vrsa super vltimam Scythiam, sunt montes vocati Rhiphæ, de quorum magnitudine habentur sermones valde fabulosi; à quibus tamen magni, & quam plurimi fluunt fluuij. Fluunt igitur plurimi, & maximi post Istrum aliorum fluuiorum hinc, vt aiunt; similiter autem circa Lybiam, hi quidem ex Ethiopicis montibus, nempe Aegon, & Nyses. Hi autem maximi diuulgatorum, & Chremetes vocatus, qui in exterius mare fluit. Similiter primus fluxus, vel origo Nili est ex monte Argenteo vocato. Eorum autem, qui circa Græcum locum fluunt, Achelous quidem ex Pindo monte, & hinc similiter fluit Inachus. Strymo autem, & Nestus, & Hebrus, omnes tres ex Scombro monte fluunt, & oriuntur. Multi autem fluuij ex Rhodope monte sunt, qui in Thracia est. Similiter autem alios fluuios inueniet quis vtique fluentes ex alijs montibus. Sed testimonij gratia hos diximus; quoniam quicunque ipsorum fluunt ex paludibus, primò habent originem à montibus; paludes namque sub montes positas esse accidit, aut sub locis altis, aut factas ex adductione, vel congregatione acquarum, ex talibus locis descendentium. Quod igitur non sic oportet putare fieri originem fluuiorum, vt ex determinatis alueis, manifestum est. Neque enim sufficiens esset vtique locus terra, vt ita dicam, sicut neque esset sufficiens locus nubium, si aqua quę ibi est oporteret fluere solum, & non hoc quidem recederet, hoc autem oriretur, sed semper ab existente dispensaretur, absque noua generatione alterius; & sub montibus esse fontes attestatur, propterea quod, quia confluit ad modicum, & paulatim aqua ex multis tandem humiditatibus, vel aquis, distribuit ipse locus aquas foras, & fiunt sic fontes, vel origines fluuiorum; nihil inconueniens est, quod sint talia loca, & stagna, habentia multitudinem aquæ, tamen, hæc aquarum multitudo ibi collecta, non est tanta, vt hoc accidat, quod semper ex ipsa fluant flumina, nisi iterum aqua generetur, vt dictum est. Quod quidem erit notum, si quis putet manifestos esse fontes fluuiorum, ferè enim ex fontibus plurimi fluunt, simile igitur est illos, & hoc putare, vt contineantur simul in aliquo cuneo, vel vase, ac si putaremus corpus totum aquæ simul esse, quod est absurdum, & inopinabile. Quod autem sint tales fauces, & distantiæ, seu concauitates terræ, manifestant absorpti fluuij. Accidit n. hoc multis locis terræ, vt in Pelepone si circa arcadia plurima talia sunt; causa est, quod Arcadia montosa existens, non habet effluxus, seu exitus educendi super terram in mare; quare loca repleta, & non habentia exitum, dant occasionem, vt ipsa aqua inueniant locum in profundum, sic quod vna alteri adueniens cogit eam, & profunditatem efficiunt, vel inueniunt. Circa igitur Græciam parua talia omninò sunt facta. Sed sub Caucaso est stagnum, quod qui ibi habitant vocant mare. Hoc enim multis fluuijs, & magnis ingredientibus, non habet exitum manifestum, vnde deriuat sub terra, iuxta Coraxos circa vocata profunda Ponti; hæc autem sunt infinita quædam maris profunditas: nullus enim vnquam, qui descenderit natãis potuit terminum inuenire. Hinc autem longè à terra ferè ad trecenta stadia potabilem ponunt aquam ad multum locum, non autem con-

Parnasus mons.

Bactrus. Choaspes. Araxes. fluuij. Tanais. Meotis. Palus. Indus. Caucasus mons. Phasis fluuius.

Pyrenęus mons.

Ister fluuius, & Tartessus. Danubius.

Riphæi montes

Egon. Niles. Chremetes, fluuij Nilus.

Achelous ex Pindo. Inachus. Hebrus, &c. Rhodopes mons.

Paludes.

Arcadia.

tinuè, sed in tres partes. Et circa Ligusticam absorbetur quidam fluuius non minor Rhodano, & iterum egreditur circa alium locum. Rhodanus autem est fluuius nauibus transmeabilis. Rhodanus fluuius.

CAPVT II.

De permutatione, & vicissitudine aquarum, & continentis terræ, & de diluuio.

NOn semper autem eadem loca terræ, neque aquosa sunt neque arida, sed permutantur secundum generationes, & defectus fluuiorum; quapropter aquæ circa continentem, seu terram permutantur, & similiter, quæ sunt circa mare, & non semper, hæc quidem terra, hoc autem mare perseuerat omni tempore, sed fit mare quidem vbi erat arida, vel terra; vbi autem nunc mare, hic iterum terra; quod quidem non simpliciter veluti à casu putare oportet id fieri, sed secundum quendam ordinem, & determinatum circuitum cæli, à quo omnia effici arbitrandum est; principium autem, & causa horum est, quod interiores partes terræ, habent flatum, & senectutem quo ad humectationem, sic quod aliquando humida, prout possunt, ad summum fiunt, & tunc dicuntur habere flatum; interdum exiccantur, & tunc senectutem habere dicuntur, eo modo quo corpora plantarum, & animalium similiter flatum, ac senectutem habent. Differunt tamen hæc in terra, & in ipsis plantis, & animalibus, quia istis quidem non accidit hæc pati secundum partes, sed simul secundum totum, necessarium est, quod patiantur secundum flatum, & decrementum; qualibet namque pars viuentis in augmentatione augetur, & in diminutione diminuitur; terræ autem hoc accidit secundum partes, secundum frigus, & caliditatem, à calore enim dessiccatur, à frigore humectatur, prout aer in visceribus eius inclusus in aquam conuertitur, sed non potest vniuersa terra simul calefieri, vel infrigidari, quare id in partibus accidit. Hæ igitur partes terræ crescunt, & minuuntur propter Solem, & circulationem, propter hæc autem partes ipsius terræ accipiunt differentem virtutem, nam si à Sole calefiant exiccantur, ipso autem recedente, fit frigus, vnde aer in aquam conuertitur, & humectantur, quod pariter virtuti alicui astrorum tribui potest, vt omnes ferè concedunt de Luna, quæ super Oceanum virtutem habere dicunt. Quare aliquandiu aquosæ possunt hæ partes permanere, deinde exiccantur, & senescunt iterum: alia autem loca arida viuificantur, & aquosa fiunt secundum partes, & in hoc etiam differunt animalia, & plantæ ab ipsa terra, quia illa nunquam ad pristinum humidum radicale, & iuuentutem regrediuntur, hæ autem possunt. Necesse est autem, cum loca subterranea fiunt sicciora, quod fontes ex ipsis emanantes deleantur; his autem accidentibus, fluuios primò quidem ex magnis paruos, deinde tandem fieri siccos, necesse est. Cum autem flumina transmutantur, & hinc quidem delentur, in alijs autem locis proportionaliter transmutantur, necesse est permutari mare, vbi enim superabundauit, quia à fluuijs exsiccatum fuit, talis aquarum multitudo recedens, necessariò facit aridam, vbi autem fluxionibus, seu fluentibus aquis abundans exiccabatur, affusum iterum aquis, necesse est stagnare, seu aquam multam stagnantem habere. Sed propterea quod omnis horum naturalis generatio circa terram fit per successionem, & in temporibus longissimis respectu nostræ vitæ, ideo non cognoscimus hæc tali modo facta, & mutata, & prius fiunt interitus, & corruptiones omnium gentium, quam permutatio horum à principio vsque ad finem memorari possit. Maximæ igitur gentium corruptiones fiunt, & citissime in prælijs, aliæ autem morbis, quædam sterilitatibus, & in his omnibus accidentibus hæ quidem magnæ, seu multorum sunt corruptiones, hæ autem secundum modicum, seu paucorum, ita tamen, quod etiam ob tales varietates sint incognita transmigrationes talium gentium, de vno in alium locum propterea quod, hi quidem derelinquunt regiones, hi autem permanent vsque adhoc, vel tale tempus, donec vtique talis regio non possit alere amplius multitudinem vllam. A prima igitur derelictione regionis vsque ad vltimam, rationabile est fieri longa tempora, ita vt nullus meminerit, nec talis inceptæ desertionis, nec principij fluuiorum; imo ad huc etiam si tales regiones non derelinquantur, sed successiuè à prima origine habitentur, ita vt sint saluati hi qui sunt superstites, seu superuiuentes, necesse est tamen, obliuionem factam esse, ob temporis multitudinem. Eodem modo oportet putare, quod lateant habitationes, quando videlicet primo factæ sunt à gentibus singulis, in locis permutatis, & ex paludosis factis siccis, etenim hoc incrementum terræ ex aqua, fit paulatim, & in multo tempore, vt non sit memoria, qui primi, & quando, & qualiter sic habentibus locis venerunt, vt accidit circa Aegyptum, etenim hic locus semper siccior videtur fieri, & tota regio Aegypti videtur esse adaggeratio fluuij Nili, hoc est terra derelicta à tali fluuio prius ipsam inundante, ita vt talis regio sit quasi, vel fuerit aggeres prædicti fluuij; propterea autem, quod paulatim, & siccatis paludibus, propinqua loca ipsis partibus siccis habitata sunt, deinde successiuè alia, ex temporis longitudine, ablatum est principium è memoria hominum. Quod autem sic paulatim regio Aegypti habitata sit, ex ostijs Nili colligi potest; videntur igitur ora omnia, excepto vno Canobico dicto, manufacta esse, & non ab existentia fluuij, quod non aliunde prouenit, nisi quia paulatim talis fluuius dereliquit terram, & aggeres, si enim subito hoc fecisset, rupisset aggeres, & ora non veluti manufacta dereliquisset, sed veluti scissa, & impetu, ac fractura facta, sicut Canobico fortè accidit, & antiquitus Aegyptus fuit illa ciuitas, quæ dicitur Thebæ, vnde patet quod principium habitationis ex tali ciuitate habuerit. Indicat autem hoc quod dicimus de Aegypto Homerus, sic recens existens, (vt ita dicam) ad tales permutationes, illius enim loci Thebarum facit mentionem, quasi nondum existente Memphi eiusdem Aegypti vrbe præclarissima, aut nullo modo, aut non tanta, vnde successiuè tales Aegypti habitationes ex fluuij exiccatione fuisse colligitur. Hoc autem quod diximus, conueniens est accidere; inferiora enim loca posterius habitata fuerunt quam superiora; paludosa enim necessarium est, quod per plus tempus sint propinquiora adaggerationi, seu exiccationi, propterea quod aquæ semper magis stagnant in vltimis, & inferioribus locis; quare vt exiccentur plus temporis requirunt. Permutantur autem hæc iterum, & aptè se habent, cum enim exiccantur loca, veniunt ad bene habendum circa habitationem, atque fertilitatem, & alia; quæ tamen postea in oppositam dispositionem iterum mutantur. Quare loca, quæ prius bene temperata fuerunt, cum super exiccantur, tunc fiunt deteriora, & è contra, Aegyptus. Thebæ. Homerus.

contra, non enim omnimodo sicca, nec prorsus aquosa esse debent. Quod vero tales transmutationes fiant experientia comprobatur, hoc namque quod diximus accidit Græciæ, & circa Argiuorum, & Mycenæorum regionem. Troicorum enim tempore, Argia quidem quia paludosa erat paucos poterat alere; Mycenæ autem bene se habebat, quapropter honoratior erat; nunc autem contrarium propter dictam causam; hæc enim inutilis facta est, & sicca prorsus; illius autem ea loca, quæ tunc inutilia erant, quia in ipsis stagnabant aquæ, nunc vtilia facta sunt. Sicut igitur in hoc loco existente paruo sic accidit, idem oportet putare hoc accidere circa magna loca, & regiones totas. Qui igitur respiciunt ad modicum, seu non profunde considerant de causis rerum naturalium, putant quod causa talium passionum, seu varietatum, sit mutatio totius Vniuersi, tanquam cælum, vel Vniuersum generetur, veluti animal ex humido, & in siccum desinere debeat; quapropter aiunt, Mare semper minus fieri tanquam quod exiccetur, quia plura loca apparent hoc nunc passa esse, seu exiccata, quam prius. Est autem horum quidem hoc verum, illud autem non verum. Plura enim sunt loca, quæ prius aquosa fuerunt, nunc autem continens, vel terra fiunt, aut facta sunt, vt ipsi circa hoc verum dicunt; Verum & contrarium quoque accidit, in multa enim loca considerantes, inueniemus superuenisse Mare. Sed causam huius, non oportet putare esse generationem, ac corruptionem mundi, ex humido in siccum, vt ipsi dicunt, ridiculum enim est, propter paruas, & momentaneas mutationes mouere ipsum Vniuersum; terræ autem moles, ac magnitudo, nihil omnino est, ad totum Vniuersum. Sed omnium horum causam existimare oportet, quia sicut per tempora quædam finita, & determinata, fit hyems & æstas, vt in temporibus quæ secundum annum; sic circuito quodam magno fit magna hyems, & excessus imbrium ob virtutem aliquorum astrorum, & similiter magna æstas, vel siccitas. Vnde siccitates magnæ, & inundationes accidunt. Hoc autem non semper secundum eadem loca, sed in aliquibus, quemadmodum diluuium dictum sub Deucalione, etenim hic circa Græcum locum; factus enim fuit maximè fluxus aquarum, & huius maior pars circa Græciam antiquam, hæc autem est circa Dodonem, & Acheloum. Iste enim aquarum effluxus, multis in locis fluuios mutauit, habitabant enim Selli hic, & qui vocabantur tunc quidem Græci, nunc autem Hellenes. Cùm igitur fiat talis excessus imbrium, putare oportet ad multum tempus sufficere, vt terra sit humida, aquosa, & in concauitatibus multam aquam retineat. Vnde potest per multum tempus humida durare; sicut nunc fluuiorum causam, quod aliqui sint semper fluentes, alij autem non, quidam dicunt esse magnitudinem profunditatum, seu hiatuum existentium sub terram, nos autem dicimus, magnitudinem altiorum locorum, & spissitudinem, & frigiditatem istorum, ex quibus aer fit aqua, causam esse, ista enim plurimam suscipiunt aquam, & operiunt, & ipsam faciunt. Quibuscunque autem consistentiæ, seu constantes concauitates suspensæ montium sunt paruæ, aut laxæ, & lapidosæ, & argillosæ, seu lutaceæ, has oportet putare deficere, ab humiditate, vel aqua, quæ illuc tempore inundationis lata fuit, ita vt humiditates, vel aquæ talium locorum semper fiant magis fluentes, vel deficientes: ratio horum est, quia ex eo quod sunt paruæ non possunt multam aquam retinere, prout sunt laxæ, habent transitum, vnde à calore penetrari, & exiccari possunt; prout autem sunt argillosæ, vel lutaceæ absorbent, & corrumpunt aquam. Tempore igitur alio, & alio hæc loca sicca apparent fieri magis, altera autem minus, quæ scilicet aquosa sunt, donec iterum veniat aquarum descensus eiusdem circuitus, seu cælestis circulationis. Quoniam autem necesse est totius quidem terræ fieri quandam permutationem, non secundum totam simul, sed successiuè, secundum partes, non tamen generationem, & corruptionem, siquidem tota ipsa terra manere debeat, sed secundum varia accidentia humiditatis, & siccitatis, ideo necesse est (quemadmodum nos dicimus) non eadem semper loca humida esse à Mari, & fluuijs, nec semper è contra sicca. Manifestat autem quod dicimus id quod fit, & experientia cognoscitur. Quos enim dicimus esse antiquissimos homines Ægyptios, horum regio tota facta videtur, & esse fluuij opus, & hoc secundum regionem ipsam aspicienti manifestum est; est enim regio illa declinans ad concauitatem, in cuius imo est fluuius quasi reliquas partes reliquerit, & quæ circa Mare rubrum accidentia considerantur, argumentum sufficiens huius quod dicimus faciunt. Hoc enim Mare aliquis Regum tentauit effodere, & cum Nilo coniungere, vt illinc, illuc, & è contra nauigaretur: non enim paruas vtique haberet vtilitates, si fieret nauigabilis totus hic locus coniunctus. Dicitur autem primum Sesostrim Ægypti antiquum Regem conatum fuisse id efficere, sed inuenisse Mare existens altius terra Ægypti; quapropter & ille prius, & Darius posterius cessauit fodere, ne fluxus fluuij ex admistione Maris corrumperetur, sic vt multum cresceret, totamque Ægypti regionem inundaret. Manifestum est igitur, quod antiquitus Mare, & Nilus erant vnum continuum; sed facta exiccatione separati sunt; quæ omnia intuenti regionem illam melius patebit. Quapropter loca, quæ sunt circa Lybiam Ammoniam regionem humiliora videntur, & profundiora præter rationem inferioris regionis: palam enim est, quod facta adaggeratione, facta sunt stagna aquarum in locis inferioribus, & continens, seu terra in altioribus; tempore autem facto, derelicta sunt, & stagnans aqua desiccata, & annihilata iam est. At vero quæ sunt circa Mæotidem paludem, creuerunt alluuione fluuiorum tantum, vt naues nunc multo minores magnitudine, ibi innatent, ad quæstum, quam anno sexagesimo. Quare ex hoc facile est ratiocinari, quod hæc palus Mæotides primo fuerit aggregatio multorum stagnorum, ita vt opus fuerit multorum fluuiorum, & tandem necesse est totam fieri siccam. Adhuc autem Bosphorus, quod est angustum Mare Thraciæ diuidens Europam ab Asia semper quidem fluit, propterea quod adaggeratur, seu exiccatur, & adhuc oculis potest quidem videri, quomodo hæc accidant; quando enim ab Asia ad Europam fluxus aquæ istius Maris, transitum efficiebat interceptione, seu litus diuidens, per consequens aridam constituebat; quare locus qui erat posterior, seu inferior, stagnum factum fuit, paruum primo, deinde exiccatum fuit; post hoc autem, alia interceptio aquarum, seu exiccatio facta fuit, & ab hoc similiter aliud stagnum factum, & hoc semper similiter sic circa illud Mare accidit. Hoc autem facto sæpe, necesse est per successum temporis fieri veluti fluuium, tandem autem, & hunc siccum. Manifestum est igitur, quoniam tempus non deficit, sed totum est æternum, quod neque Tanais, neque Nilus semper fluxit, sed erat

aliquando

Argiui. Mycenæ.

Terra respectu Vniuersi est nihil.

Diluuium Deucalionis.

Græci Hellenes.

aliquando ſiccus locus, vnde fluunt; opus enim ipſorum habet terminum, tempus autem terminum non habet. Similiter autem hoc, & in alijs fluuijs congruet dicere. At vero, ſiquidem fluuij fiunt, & corrumpuntur, & non ſemper eadem loca terræ ſunt aquoſa, & mare neceſſe eſt permutari ſimiliter. Mari autem deſerente hæc quidem loca, hæc autem ſupergrediente, vel occupante ſemper; manifeſtum eſt, quod totius terræ, non ſemper eadem loca, hæc quidem ſunt mare, hæc autem continens, vel terra, ſed in tempore, omnia permutantur loca, de aquoſis in humida, & è conuerſo. Cùm igitur non ſemper eadem loca terræ (includimus autem in iſtis locutionibus aquã cum terra, ita vt dum terram dicimus, intelligamus, corpus ſphæricum vtrique commune) vt continens, ſeu ſimpliciter arida fiant, aut nauigabilia, ſeu aquoſa, & propter quam cauſam hæc accidunt; ſimiliter autem, & propter quid fluuiorum, hi quidem ſemper fluentes ſunt, hi autem non, dictum eſt.

Finis Primi Libri Meteorologicorum.



ANTO-

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marſorum.

IN PRIMVM LIBRVM ARISTOTELIS Meteorologicorum Quæſtiones.

QVÆSTIO PRIMA.

De denominatione, & ſubiecto horum Librorum, ac de cauſis eorum, quæ in ipſis conſiderantur.



HOrum librorum denominatio facilè colligi poteſt ex ijs, quę habet Philoſophus in primo capite huius primi libri; ait namque, Meteorologiam eſſe eorum, quæcunque accidunt ſecundum naturam in ordinatiorem ea, quæ eſt primi elementi, vel cæli, &c. cum ergo, quæ immediatè ſunt à cælo, ordinata ſint, ſequitur vt ea dicantur Meteorologica, quæ hunc non retinent ordinem; hic autem ordo poteſt tripliciter attendi; vno modo ſecundum ſimplicem durationem, quo pacto ſolum cæleſtes reuolutiones ordinatæ ſunt, ipſæ etenim abſque vlla interceptione perpetuo fiunt, & regulariter. Secundò in ratione ſimplicis exiſtentiæ in ſpecie, quemadmodum omnes completæ rerum naturalium ſpecies ſe habent; ipſæ etenim quamuis non ſemper fiant, tamen ſic paſſim ipſarum ſingularia gignuntur, vt nunquam ſpecies ipſæ deficiant; nunquam etenim in vniuerſo deficit ſpecies humana, vel aſinina, &c. Tertiò tandem ſecundum modum compoſitionis, ita nimirum, quod ea ordinata dicantur, quæ ex omnium elementorum miſtione fiunt. His ergo tribus prædictis modis ex oppoſito, hæc meteorologica inordinata dicuntur; non etenim ſemper ſimpliciter fiunt, vt reuolutiones cælorum; neque ſemper exiſtunt, vt ſpecies rerum perfectarum; nec denique omnium elementorum miſtionem admittunt, vt omnia alia, præter cælum, & elementa. Quamobrem, & miſta imperfecta, & impreſſiones quoque vocantur; Miſta inquam imperfecta dicuntur, prout neque ex omnium elementorum vnione conſiſtunt, neque elementa ipſa in illorum productione corrumpuntur, ſicut in alijs miſtis accidit; vnde nubes v. g. non ſunt quod eſſentialiter diuerſum ſpecificum ab aqua ipſa rarefacta; idem dici poteſt de vapore, rore, &c. Vocantur quoque impreſſiones ferè eadem de cauſa; quia potius videlicet, ſunt elementa ſic, vel alio modo affecta, vel impreſſa, quam miſta perfecta, vel fortè (ſumpta denominatione à mirabiliori, vel nobiliori) ſic dicuntur, quatenus quædam ipſorum, puta cometæ, ſtellæ cadentes, &c. videntur cælo impreſſa. Vnde Meteoros græcè idem valet, quod latinè eleuatio, vel impræſſio in ſuperiori loco, vel à meta, & teoros, quod eſt apparitio vltra hominum habitationem; meta namque vltra, & tereos apparitionem ſignificat. Verum contra prædicta ſunt tres dubitationes. Prima. Si hæ impreſſiones non differrent ſpecie ab elementis, vnum in aliud non conuerteretur; quia generatio vnius eſt corruptio alterius; at genitum, & corruptum non ſunt eiuſdem ſpeciei; non etenim ex corruptione hominis, fit homo, neque ex corruptione ſeminis, ſemen &c. Secunda. Aqua eſt grauis, denſa, frigida, & humida, vapor autem, qui ex aqua conſtat, eſt leuis, rarus, & calidus; cum ergo ex accidentibus diuerſis, naturæ diuerſitas colligatur; patet, quod ſpecie differant. Tertia. Mineralia omnia, vt aurum, argentum, plumbum, &c. ſpecie differunt ab elementis, & tamen inter hæc meteorologica connumerantur. Ad primam dicitur, illam eſſe accidentariam tantum conuerſionem, quæ ſpecificam differentiam non infert. Ad ſecundam reſpondetur eodem modo, videlicet, ea eſſe accidentia quædam, quæ variari poſſunt inuariata manente ſubſtantia. Ad Tertiam reſpondetur; Mineralia quidem ſpecie differre ab elementis, & eſſe miſta perfecta; vnde ſecundum hanc conſiderationem ad hanc ſcientiam meteorologicam non attinerent, ſed quia ex eadem materia propinqua, puta ex vapore, & exhalatione proximè gignuntur; ideo ad hanc reducuntur; modus etenim physicæ conſiderationis eſt, generationem in rebus attendere. Quod vero impreſſiones iſtæ (exceptis mineralibus) non differant ſpecie ab elementis, probatur ab Ariſtot. in hoc libro cap. 3. ait namque, vaporem eſſe aquæ ſegregationem, ſeu aquam rarefactam, & in 4. cap. ait, ſi infima regio, puta è cœlo ad terram, plena eſſet vaporibus, aqua nimis alia elementa excederet; ecce quod pro eodem accipit vaporem, & aquam; atque in primo capite ſummæ ſecundæ ait, ſub circulari latione eſſe calidum, & ſiccum, quod dicimus ignem, quamuis non ſit, ſed exhalatio, quæ vritur, &c. vnde eſſentialiter exhalatio ab igne non differt; quamobrem, cum omnes impreſſiones in his duabus conſiſtant, videlicet in vapore, & exhalatione, & hæ ſpecie ab elementis non differant, patet intentum. Sed eſt inſtantia, nam aliquis dicere poſſet, quod quamuis ex parte materiæ non ſit aliqua ſpecifica differentia, ſat tamen eſt, vt à forma ſumatur, imò ab ipſa ſumi debet; quamobrem cum formæ elementorum, & harum impreſſionum differant, ſtantibus eiſdem materijs, ipſa quoque ſpecie differunt. Reſpondetur; formas ipſorum non eſſe niſi accidentales; vt

Impreſſiones non differunt ſpecie ab elementis.

nubes

nubes sunt aqua rarefacta, & sursum a virtute cælesti attracta; accidentales autem differentiæ non mutant speciem, sed tunc ex materia attendenda est. Hæc autem, quæ diximus melius innotescent per sequentium declarationem. Quo ergo ad subiectum, dicerem, esse mistum imperfectum, seu corpus naturale mistum accidentali mistione, patet, nam quæcunque in tribus primis libris tractantur, ad ipsum pertinent, quæ vero considerantur in quarto, etsi corpus huiusmodi non respiciant; modus tamen materiei est idem; quamobrem dicerem, librum illum quoad modum, vel materiam generationis, ad meteorologiam attinere, sed quoad quidditatem, & mistionem ad libros de generatione: quia tamen magis modum generationis, quam rem genitam, Physicus (vt diximus) considerat, ipso potius hic, quam illic inseritur. Nunc de causis dicamus. Quatuor itaq; sunt harum impressionum causæ, sicut cuiuslibet rei naturalis, teste Arist. in 2. phys. tex. 70. videlicet efficiens, materialis, formalis, & finalis. Efficiens, vel est principalis, & sic est cælum, & astra, & præcipue Sol, vel instrumentalis, & est lumen, motus, & influentia; his namque rarefiunt, condensantur, alijsue hæc omnia afficiuntur dispositionibus. Materialis est duplex, videlicet remota, & propinqua. Remota (relicta materia prima, quæ est omnium subcælestium sic causa) sunt duo elementa, scilicet aqua, & terra. Propinqua sunt vapor, qui ex aqua educitur, & exhalatio, quæ ex terra ortum habet. Omnes etenim impressiones meteorologicæ, vel sunt humidæ, vel siccæ, quare vel aqueæ, vel terreæ; Est igitur vapor spiratio calida, & humida; calida inquam non ex sua natura, cum ad aquam pertineat, sed ab extrinseco calefaciente, nempe a Sole, vel virtute alia cælesti; eo quidem modo, quo ex aqua efferuescente fumus calidus ab igne gignitur. Exhalatio vero est halitus calidus, & siccus: qui pariter caliditatem ex sua natura non habet, sed aliunde, sicut de vapore dictum est, quæ quidem exhalatio est duplex: quædam pinguior, & tenacior, ex qua fiunt impressiones ignitæ, alia aridior, & tenuior, ex qua venti, & aliæ non ignitæ impressiones gignuntur. At hic duæ se se offerunt dubitationes. Prima. Quomodo hæ impressiones ex terra, & aqua fieri possunt, cum quam plures ipsarum sursum tendant, quam motus terræ, & aquæ repugnat; nunquid igitur violenter mouebuntur? etsi hoc erit, quomodo saluabitur id, quod habet passim Aristot. in primo de cælo, nempe vnius corporis simplicis, esse vnum simplicem motum naturalem, vel hæc corpora naturalia non erunt? forte mathematica? Secunda Cur potius vapor non fiunt ex aere, qui est humidior aqua, & exhalatio ex igne, qui est siccus, & calidus, vnde proximius ad naturam exhalationis accedit, quam terra. Ad primam dicitur, eum esse motum violentum, & dum dicitur, esse corpora naturalia, quibus naturalis motus debetur: respondetur, non esse ab elementis diuersa; quamobrem naturaliter eis conueniunt motus elementorum, quorum sunt. Sed nunquid cometa, & aliæ impressiones ignitæ sunt de natura terræ? nonne potius ignis videntur? Respondetur, esse quo ad materiam, terræ, sed in ignem, sicut quoque terra verti possunt; quamobrem ex duobus elementis solum quo ad materiam, non autem, quo ad transmutationem, vel formam constare dicimus, nam re vera ignitæ, formam retinent ignis, sicut alia quæque materia combustibilis ad actum combustionis reducta. Ad aliam dicitur. Aerem, & ignem, non ita faciliter condensari, & resolui, sicut aquam, & terram, imò potius disgregantur, si dispositiuum adsit. Causa vero formalis est ipsamet accidentalis forma, puta calor, raritas, &c. Finis est bonum, & conseruatio vniuersi; pluuiæ namque, & vinentibus, & alijs prosunt, pariter venti, niues, &c. Quædam vero, quę nociua apparent, vt cometę, grandines, terrę motus; suam etiam secum afferunt bonitatem, etsi non quo ad nos, saltem in comparatione ad alia; sic etenim praui humores elementorum purgantur; intemperata aliunde temperantur, &c. præterquam quod, quam plures nobis incogniti fines in rebus naturalibus insunt.

QVÆSTIO II.

His autem determinatis, dicamus, propter quam causam Flammę accensæ apparent, &c. sum. 2. cap. 1.

De impressionibus ignitis.

Satis in communi, & ratione causæ, & alijs quoque modis de ignitis impressionibus egit Aristoteles in præcitato capite; tamen ad iuuenum eruditionem aliqua particularia, quæ quidem ex prædictis dependent, supplenda sunt. Sciendum est ergo, omnes ignitas exhalationes (de quibus hic dumtaxat loqui intendimus) in aliquo conuenire, in aliquo vero differre; conueniunt itaque in materia, & accidentali forma primaria: in materia, quia omnes ex sicca, & calida exhalatione fiunt; in alia vero accidentaria prima forma est conuenientia in igne; omnes etenim sunt ignitæ; quæ quidem ignis natura, vel forma quamuis sit substantia; est tamen ipsi materiæ extranea, vnde accidentalis dicitur. Differunt vero figura, magnitudine, motu, colore, situ, & tempore. Figura, quia aliæ videntur oblongæ, aliæ circulares, aliæ pyramidales &c. Magnitudine, quoniam quædam magnæ, quędam paruę, quędam mediocres sunt. Motu, quoniam quędam circulariter ad motum, cæli, vel ignis quædam naturaliter mouentur sursum, eo quod leuitatem igneam sint adeptæ, & hoc quidem accidet, si igniantur prius quam id ignis regionem peruenerint, nam tunc in orbem ad motum ignis mouebuntur. Alia mouentur lateraliter, quatenus ex vna parte sursum tendunt, ex alia ab alijs exhalationibus aliò pelluntur, sicut accidit de ventis. Quędam simpliciter violenter deorsum; puta quę a superioribus, vel fortioribus pelluntur; vt accidit fulmini. Quędam manent, vel saltem immobilia apparent, eo quod ob grauitatem materię, non facilè velut possunt, præcipue si non nimis sursum exiitant, ac aliæ velocissimæ, aliæ tandem tardissime cientur. At circa prędicta est dubitatio, quomodo videlicet fieri possit, vt descensus exhalationum sit simpliciter violentus, sicut ascensus naturalis, cum sint terreę, cuius motus opposito modo se habet, descensus namque naturalis, & ascensus violentus existit. Respondetur, has exhalationes modo prædicto se habere ratione concepti ignis, hic namque rarefacta, ac leuitate affecta materia, sua forma, & actiuitate motus hos omnes præbet. Colore etiam differunt, quia quædam videntur ob curæ, ob materiæ crassitiem, quę nec ab igne, nec à lumine facilè peruadi potest, aliæ ex opposito videntur candidæ, aliæ vero medio modo secundum materiæ diuersitatem, quod in fumo à flamma correpto est exemplis videre. Situ; quoniam aliæ propè cælum, aliæ iuxta terram, aliæ alibi sunt, nunquam vero in cælo, quia est omnium peregrinarum impressionum incapax. Differunt, deniq; tempore, & ratione generationis, & ratione durationis, nec etenim eædem, vel ęquè citò omnes generantur, nec equali tempore durant, sed proportionaliter; quę crassiorem requirunt materiam, rarius fiunt, ac diutius perseuerant, quę tenuiorem è contra. Hæc autem omnia prędicta facilius innotescent, si ad singulas impressiones descendamus. Sunt igitur hę ignitę impressiones vndecim. Videlicet Cometa, & Fulmen de quibus seorsim dicendum est, Flammę, Capræ saltantes, Sydera discurrentia

rentia, Lanceę, Ignis perpendicularis, Ignis fatuus, ignis Lambens, Draco volans, Castor, Pollux, & Helena. Flamma. Flamma igitur apparet, quando multa, sed tenuis, ac in latum, & longum protensa est exhalatio; ratione namque tenuitatis tota simul ab igne corrumpi potest, & hinc inde agitari, quæ non semper in regione ignis, nec suprema aeris generatur, sed quamplurries circa terræ superficiem, ita nimirum, vt multi credant, domos, vel oppida, aut aliud igne deflagrari, quod tamen verum non est; ratio autem cur diuersis in locis generetur, est illa. Quandoque etenim exhalatio prædicta sursum simpliciter fertur, ac ab aeris suprema regione ignita accenditur. Interdum vero, tempore præcipue æstiuo, à circundante calore, & motu, ex se ipsa virtute cælesti ignitur; Quæ tamen ob materiæ tenuitatem, aliquid comburere nequit, imò parum etiam calefacit, vt ipsemet sum expertus. Capræ saltantes. Capræ autem saltantes fiunt(vt satis in textu declaratum est), dum aliqua materia inequaliter extensa, & quasi secundum ampliores partes per filum continuata sic accenditur, vt hinc illuc nuper genitus ignis saltare videatur; quamuis de facto continuè gignetur. De discurrentibus syderibus satis in literæ expositione dictum est. Ignis perpendicularis. Ignis autem perpendicularis est dum materia ad modum Pyramidis est disposita; sic videlicet, quod basis sit versus nos; cuspis autem sursum, quod quidem accidit, eo quod materia illa parte inferiori sit grauior, & in maiori copia, sicut ex parte superiori leuior, & minor. Ignis fatuus. Ignis fatuus generatur in infima regione aeris ex calida, & viscosa materia; hæc namque ob calorem æstiuum, motum, & quandoque ex aliqua accedente antiparistasi, ignitur, ac per aerem irregulariter, & ferè à casu, puta secundum ipsius aeris agitationem, fertur, vnde fatuus appellatur; sæpe etenim homines præcedit, Candela. quasi fax, vel candela, eo quod à motu ipsorum hominum cum aere pulso pellitur; quandoque subsequitur pariter aerem hominem sequentem sequens. Interdum in comis equorum, vel aliorum animalium, in capitibus suspensorum, in sepulchris etiam mortuorum, & alibi apparet; ratio communis est, quod omnia hæc, vel naturali, vel extraneo calore viscosam, & pinguem exhalationem nata sunt efficere, quæ modo prædicto inflammari potest; atque ibidem ob viscositatem heret; quamuis quandoque etiam auferatur. Hinc est, quod citra miraculum verum ignem in sepulchris mortuorum conspicere possumus, neque ex hoc colligendum est ibi inferni Lanceæ. ignem, vel damnatorum cadauera esse. Lanceæ fiunt, cum materia est in longum porrecta subtilis, & aliquo Ignis lambens. acumine affecta. Ignis autem lambens, est idem cum ea impressione, quæ flamma simpliciter dicta fuit; nisi quod tunc dicatur talis, quando prope terram, ac subtilis, Draco volans. vt non combutat (sicut diximus) generatur. Draco volans est exhalatio accensa, quæ sursum tendens ex occursu alicuius alterius, vel exhalationis, vel vaporis, vel nubis flectitur instar draconis, vel serpentis, & quia pars superior est leuior, ideo scintillare videtur; quare apparet euomere ignem ex ore, ac motu volare; vnde denominationem accepit. Castor, Pollux, Helena. Castor denique, Pollux, & Helena sunt pariter exhalationes accensæ, quæ ex viscosa materia, prope terram gignuntur, & nautibus sæpe apparent, & quandoque in malo nauis, vel in cuspido lanceę hærent; quod non aliunde prouenit, nisi quia eo quod sunt viscosæ, cui primo occurrunt, adherent, generantur autem vt plurimum per antiparastasim; Sic nimirum quod calor ille à contrario frigore circundato fortificatur, ita vt accendatur in ignem: quamobrem magnæ tempestatis in mari apparent; atque Nautæ ipsi dum duas aspiciunt, atque Castorem vocant, & Pollucem, in bonum sumunt auspicium, dum vero vnam, quam Helenam vocant, infaustum, & ratio naturalis est, quia inde dissipatæ flammæ, recessum ventorum hinc, illuc, diuersasq; in regiones migrantes prænunciant, secus tamen si vnica adsit impressio; tunc namque illic totam tempestatem vigere colligitur. Dum vero in malo, vel arbore nauis insigitur, melius est futuræ tranquillitatis inditium; si quidem vires vehentium ventorum deficiunt.

QVÆSTIO III.

De Cometis autem, &c. cap. 3.

Aliqua tantum ad Aristotelis doctrinam de Cometis addenda restant, fusè etenim quo ad principalia requisita de ipsis egit. Dicamus itaque breuiter de motu, calore, duratione, & prædictionibus ipsorum. Motus Cometarum. Quo ergo ad motum, si cometa fiat sub aliquo Astro, sic nimirum, quod exhalatio illi Astro adiungatur, vt area Lunæ, mouetur ad motum illius, virtute eiusdem attrahentis, quamuis crederem tardiorem esse ipsius cometę motum, quam Astri; quoniam ipsi mouenti reluctatur, & quia est materia dissipabilis, ac resistens, quæ non æquè moueri potest. Alter motus poterit esse Lateralis, videlicet non sursum neque deorsum, aut circulariter, sed per latera quasi diametraliter; quod accidere poterit ex aliqua impellente exhalatione, vel motu, aut ignis, aut aeris (potest namque vtrobique fieri; videlicet in regione ignis, & in suprema aeris, non autem in media, propter frigus; neque in infima, quia exhalatio quælibet eleuari debet: quamplurimum autem in suprema aeris parte fiunt, quia in ignis, citò absumuntur) poterit quoque moueri sursum, & deorsum; nam si materia attenuetur, ita vt fiat leuior, sursum tendit. Si vero extinguatur, vel grauescat, deorsum; in quibus descensionibus, & ascensionibus simul esse poterit motus, vel circularis, vel mistus. Pariter ex Oriente in Occidentem ad motum primi mobilis, sed tardius mouebitur, nec non alio motu ab Occidente in Orientem, ratione alicuius planetæ attrahentis; vt plurimum tamen motus eius est mistus, vel tortuosus, itavt sæpe obseruatum sit, nullum cęlorum motum sequutum fuisse, imò de polo ad polum, cuius causa est vehementium exhalationum hinc inde agitatio, instar ventorum: verum credendum non est, regulariter de polo ad polum moueri posse, cum à nulla stabili causa circa hoc adiuuetur, sed accidentaliter tantum, & non secundum completam circulationem. Colores Cometarum. Cometarum autem colores diuersi esse possunt secundum diuersitatem materiæ; Si etenim crassa, ac fuliginosa existat, erit color horridus, & perobscurus, imo quandoque sic terra esse poterit, vt à visu non discernatur. Si vero, magis sit materia tenuis, vel minus adusta, clarior erit color, & sic proportionaliter loqui possumus. Verum neque censendi sunt veri colores: si quidem hi causantur, vt plurimum, ex quatuor qualitatum commistione, quæ quidem in huiusmodi impressionibus non adsunt, sed dicuntur colores per similitudinem, & prout ipsis veris coloribus assimilantur; (& si in niue sint veri) quo pacto quicquid visibile existit, quandoque coloratum appellatur, re vera autem sunt luminis refractiones, &c. Duratio Cometæ. Sed quo ad durationem, nullum quidem est præfinitum tempus, sed plus, vel minus secundum materiæ crassitiem, vel tenacitatem persistere poterit; dicunt tamen aliqui, nec ad minus quam sex, vel octo dies perdurare posse; nec sex menses excedere; verum neque hoc, neque illud infallibiliter ostendi, imò eodem die natum, & euanuisse cometam legimus; sicut aliquos per annum durasse fertur. Hoc tamen certum est, perpetuos esse non posse, neque per annos aliquos, vel multos durare, & ob materiæ inconstantiam, & ob ignis eam absumentis voracitatem. Sed quoad prædictiones,

quam

Praedictiones cometæ. quamplures multa contexunt, ac incredibilia de ipsis cometis enunciant; videlicet prænunciare bella, legum conditiones, statuum, regnorumve mutationes, principum mortem, pestilentias, aliaue eiusmodi innumera. Verum si naturaliter loquamur, aliquam necessitatem ad prædicta prænuncianda non habent, quod vt intelligatur; sciendum est naturam ipsorum esse (vt etiam tactum fuit) exhalationem magnam, siccam, calidam, viscosam, & in comparatione ad viuentia, & elementa male affectam, vel temperatam, ita vt elementorum venenum (si ita fas sit loqui) dici possit. Qui ergo naturales effectus ex tali causa effici possunt, hi sunt naturaliter assignandi, nec alij sunt, quam isti, videlicet ventorum copia, vel quoad magnitudinem, vt docet Philosophus in textu; ratio est, quia est eadem cometarum, & ventorum materia, quamuis illa sit crassior, & ignita, hæc subtilior, & solum calida, & sicca, tamen ex illa hęc per quandam resolutionem generatur, sicut ex multitudine illius illa quoque congeri potest; ex abundantia itaque huiusmodi materiæ, venti, & ante, & post cometem, ac ipso quoque existente, fieri possunt. Eadem de causa effici possunt terræ motus, qui (vt suo loco videbitur) nihil aliud sunt quam venti in visceribus terrę inclusi, & exitum petentes. Cum ergo tempore cometæ, magna adhunc effectum vigeat materia, facilè hoc accidens sequitur. Alter effectus est sterilitas terræ, atque rerum penuria; vt enim terra fructificet, benignis debet irrigari temperiebus, hæ autem calidæ, ac adustæ exhalationes desiccantes, & adurentes, sterilitatem afferunt. Eadem quoque de causa, & morbi, & pestilentię accidere possunt si quidem non minus terræ, alijsve elementis, sed viuentibus multo magis officiunt. Regum autem mortes, bella, statuum, ac legum mutationes, nullatenus ex vi naturę tanquam causę prenunciant, nam quamuis morbos causent, attamen non magis principibus quam alijs debilibus, & malè dispositis hi contingunt, imò minus, cum pluribus conseruentur remedijs, maioremque curam sibi adhibeant, nec sunt multis alijs deliores, præcipuè puerulis, senibus, malè dispositis, &c. Sed quia mors eorum inter omnes potissimum notatur, hinc est, quod si contingat, cometam ipsam prænunciasse, ferunt. Pariter nulla est necessaria connexio cometæ cum legum, ac statuum mutatione, nisi penitus remotè, & occasionaliter, ita videlicet, quod data hominum mortalitate, penuria, & regionum depopulatione, ex pestilentia, vel alia mala illius temporis qualitate, tyrannis prebetur occasio alienas occupandi prouincias, eisq; tributa, ac leges imponere. Quare aliquid certi ex ijs ab ipsis cometis colligere non possumus. Est tamen notandum, quod etiam ea, quæ naturaliter ab ipsis accidere possunt, sunt quoque impedibilia, vel ab alia cæli benigna costellatione, vel à vi ventorum, quæ aliò omnes prædictas exhalationes transferre poterit, vel denique alia quauis de causa, vel auferri, vel diminui, vel transferri possunt.

QVÆSTIO IV.

Qualiter autem, & propter quam causam sit, & quid est Lac, dicamus. Cap. 5.

De circulo lacteo secundum Arist. doctrinam.

SIc doctè, fusè, & eleganter, secundum Antiquorum opinionem, & propriam Arist. de circulo hoc determinauit, vt aliqua addere penitus irrationale videri posset, nisi recentium contra eiusdem philosophi positionem, argumenta ad id cogerent, falsam namque, & prorsus absurdam ipsius circa hoc Aristotelis doctrinā Neoterici existimant. Argumenta itaque ipsorum in medium adducemus, & pro viribus soluere conabimur. Sed antequam ad hoc descendamus breuiter Aristotelis sententiam apponemus, & declarabimus. Est igitur hæc; videlicet, circulum lacteum esse exhalationem, diffusam in suprema regione aeris sub ea cæli parte, in qua maximè multorum, ac ingentium stellarum vis respondet; attractu quarum perennis sit huius exhalationis restauratio, atq; ab ipsis stellis illuminatur, & lentè ignitur, eo quidem modo, quo accidit, areæ, & cometæ, quando sub aliquo determinato altro complectur, & sic Lac non est ita ignitum sicut cometa, neq; penitus flammæ expers, sicut aerea; Sed vtriusque aliquid secundum similitudinem accipit. Hæc ergo est Aristotelis vera, & rationalis positio, quæ his rationibus comprobatur. Prima. Sicut virtute Solis attrahuntur exhalationes, & vapores, sic virtute horum multorum, & ingentium astrorum poterit ad id conueniens semper exhalatio educi, & eodem modo reparari, & sic idem semper poterit apparere circulus. Secunda (quæ est ferè præcedentis confirmatio) stante eadem sufficientissima causa idem producitur effectus, at ista astra sunt semper sufficientissima ad hanc attrahendam, & sic efficiendam dispositionem, ergo. Tertia. Nisi ex hac causa talis appareret impressio, eo esset, (vt recentiores dicunt,) quod in ea celi parte minutissimarum stellarum est multitudo, vnde confusum, ac debile lumen efficiunt; Sed isti decipiuntur; quoniam minutissima astra, non lumen (sic vt dicunt) emittunt, sed potius ob paruum ipsorum splendorem, nec videntur, nec aliquod visibile insigniter causant, vnde ab Astrologis nubilosæ dicuntur. Verum non desunt contra hanc verissimam positionem argumenta. Primum. Si hæc via lactea exhalationibus constitueretur, sicut illæ sunt mutabiles, sic quoque hæc, neque eandem magnitudinem, neque sicum, neque figuram, ac tandem neque perenniratem retineret. 1. Arg. Secundum. Cum Sol ex aliqua parte directè aliquam exhalationis partem respicit, ipsam absumit, quamobrem consumitur. Secundum. Tertium. Si ex illorum astrorum virtute illic tanta exhalationis copia reperitur; proportionaliter sub alijs astris id fieri deberet, si quidem quamplura, & magna, etiam extra hunc circulum (, vt oculis est videre) astra reperiuntur; quod cum minimè accidat, alia est assignanda causa. Tertium. Quartum. Si hæc via esset in aere non omnibus similiter situata, nec in eodem loco appareret, vt patet de Cometis, qui in diuersis locis, diuersis terræ incolis apparent, quod quidem cum de lacte enunciari non possit; non sic fieri, vel esse, fatendum est. Quartum. Quintum. Calor, & frigus vniuersam aeris regionem diuersimode alterant, & permutant, ergo hanc quoque viam mutabilem efficeret. Quintum. Sextum. Motus aeris est tardior motu cæli; hæc autem via æque velociter cum cælo mouetur, ergo non est in aere. Sextum. Septimum. Ait Philosophus, sub Zodiaco non effici talem impressionem, quia Sol, & planetæ ipsam consumerent, ergo ea parte, qua per Zodiacum transit, scilicet per Sagittarium, & Geminos consumi deberet. Septimum. Octauum. Cometa ex adustione, & sicca exhalatione, quam plures causat ventos, siccitates, aliaque id generis. Cur ergo si circulus hic eiusdem sit naturæ (vt Arist. fatetur) atque incomparabilis magnitudinis, hæc omnia non efficit, & eo maioris, quo est maior? cui quidem maior operandi vis respondere deberet. Octauum. His tamen non obstantibus verissima est Aristotelis sententia credenda, irrationabile etenim est totius naturæ rimatorem accuratissimum sic turpiter circa hoc errasse. Argumenta igitur soluenda sunt; at priusquam hoc efficiamus ipsum lacteum circulum fusius explicemus. Est igitur non simpliciter circulus indiuisibilis secundum latitudinem, ac si linea esset circularis, sed est

Zona

Zona secundum notabilem latitudinem, inæqualis, & irregulata, ac lumine, & stellarum multitudine in partibus differens, ita vt in aliquibus simpla, in quibusdam vero duplicata appareat. Extenditur autem à circulo artico ab ea videlicet figura, quę dicitur Cassiopea per Aequinoctialem circulum diuidens ipsum vsque ad antarticum, ex quo ad articum reuertitur, transeundo per has imagines, videlicet Cassiopeam, Cicnum, Aquilam, Scorpionem Sagittarium, Centaurum, Argonauim, Canem, Geminos, Heniochum, & Perseum. Vocatur autem Lac, ob candorem Lactis, quem præsefert, qua de causa à Græcis etiam Galaxia appellatur; hoc etenim nomen candorem significat. At nunc argumenta soluenda sunt.

Ad primum, negatur similitudo, & consequentia, potest etenim renouata, ac infinities variata materia, eadem per æquiualentiam accidentalis forma secundum eundem situm, & quantitatem apparere, vt patet de fluminibus, de area, alijs ve innumeris. Quare dicimus, non esse eandem exhalationem, sed semper aliam attrahi, quæ quia tamen sufficientissima est, eodem modo ignitur, vel coloratur, vel dici etiam potest, magnam huiusmodi exhalationis copiam sub cælo extensam esse, vt idem Aristoteles fatetur in textu, sic quod hanc ignitam impressionem multum excedat, sed in aliqua parte vbi videlicet istorum astrorum lumen, & virtus refulget, hæc impressio apparet, sicut accidit de aerea, & sicut si esset magna massa ceræ in cuius vnica parte dumtaxat sigillus imprimeretur, hac ergo de causa, etsi variabilis sit exhalatio, vel materia, semper est eadem inuariabilis impressio, cum sit idem, & eodem modo imprimens causa, ac semper materia superabundet. Sed petet aliquis, cur cælum non obnubilat; respondetur ad hoc efficiendum nimis tenuem existere.

Ad secundum dicitur, nequaquam sic à Sole absumi vt consumetur, quin ab ipso exhalationes ad ipsam nutriendam eccitantur.

Ad tertium dicitur, nec tantam, nec talem virtutem astra alia habere, vel quia sunt minora, & pauciora, vel alia incognita de causa; quamobrem imaginandum est, non solum astra, prout astra sunt, hanc efficere affectionem, sed prout sunt talia; nam credendum est (quod ab Astrologis monstratur) diuersa astra diuersa possere virture, & sic alijs, hæc quæ istis inest, non conuenit.

Ad quartum negatur consequentia, nam verum est aliquid diuersis in locis diuersis apparere, nisi alicui determinato astro directè, & indissolubiliter respondeat, sicut de cometa accidit. Sed si determinate sit sub aliquo astro, virtute cuius fiat, appareat, & conseruetur, non apparebit tunc in locis diuersis; sicut experientia possumus respicere in area Solis, vel Lunæ, vbique enim circa ipsos apparent, cum ergo hæc sit veluti area talium astrorum, patet, quod semper ibidem conspici debet.

Ad quintum dicitur; has qualitates non esse ad id sufficientes circa illam supremam regionem; nam calor operatur per reflexionem radiorum, illuc autem non pertingunt, quare notabilis varietas non sequitur.

Ad sextum dicitur, hanc ipsum cælum sequi ratione luminis, quo talis apparet, sicut area, &c.

Ad septimum dupliciter respondetur. Primo, quod ideo non consumitur, quia est alteris partibus iuncta, vnde facilius resistit. Secundò, quod re vera existente Sole, dissipatur, vnde tunc non aparet, recedente iterum redit.

Ad octauam dicitur, hanc esse rariorem, & tenuiorem, vnde non sequuntur tales effectus, etsi diceretur, quamplures ex ipsa ventos fieri, absurdum fortè non esset; ad alios edendos effectus non est sufficiens, propter tenuitatem, vt dictum est.

QVÆSTIO V.

De Generatione Vaporis, Nubis, Caliginis, Pluuiæ, Roris, Pruinæ, & Niuis. sum. 3. cap. 1.

HÆc, quæ ab Aristotele dicta sunt, aliquas expostulant examinationes. Quo ergo ad vaporem, dubitatur, quomodo condensatus grauescat, si etenim (vt diximus) sit essentialiter aqua, eandem semper habebit naturam: quare siue condensetur, siue non, nihil maioris, vel minoris descendendi facultatem habebit; vnde hæc dubitatio est contra illam propositionem vniuersalem, nimirum, densata grauescere; quod experientia confirmatur: nam glacies, quæ est aqua condensata non grauescit, sed potius super ipsam aquam innatat. Respondetur, vapores re vera esse aqueos, & graues, quare ex sua natura semper descendere deberent, sed à calore violenter sursum detinentur, quo amisso cadunt, si ex alia parte possint diuidere medium; quædam namque, puluerulenta, licet terrea ob tenuitatem, vel debilitatem scindendi in aere manent. Illa autem propositio, addensata grauescunt, duplicem habet sensum, alter est, quod simpliciter densata, sub elemento alio ferantur, vt aer densatus sub aquam, & sic non est vera; alter est, quod plus ponderis habeant, quatenus videlicet sub minori malè plures retinent partes, quas habebant sub maiori, & sic est vera. At obseruandum est, quod quædam naturalia, dum addensantur, variant aliquomodo naturam saltem accidentalem, quod sufficit, vt virtualem grauitatem acquirant; sicut fortè accidit, dum nix in Chrystallum concrescit, vel vapor in pluuiam; nam prima est fortè vera transmutatio, vel dum poma maturantur, tunc namque aliquomodo rarefacta, fiunt leuiora, & in aquis natant: quamuis acerba descendant, vnde vel leuitas, vel grauitas (oppositorum eadem est ratio) parua facta accidentali mutatione acquiritur. Alia dubitatio, si vapor solum virtute solis attrahitur, tempore nocturno nullus attrahi deberet, cuius oppositum experientia patet, si quidem nocte existente serena, nubium, pluuiarumque ingentium non raro fit generatio. Respondetur, non solum virtute Solis hoc fieri, sed etiam ipsius cæli, & aliorum astrorum; vel dicatur, quod virtus Solis viget non tantum per radios, vel dum aliqua illuminando respicit, sed etiam alio modo, vnde sufficiens est hæc efficere. At contra, quoniam Philosophus in præcit. capit. vbi agit de rore, & pruina, dicit harum materiam manere deorsum, vel non valde sursum, quia deficit calor Solis eleuans, ergo ipse diurnus requiritur, aliter dici poterat, sat esse virtutem ipsius Solis ad hoc, sicut de vaporibus in nubes conuertentibus dictum est. Alter ergo dicatur; videlicet tempore nocturno ex ea parte, quæ à Sole non respicitur, attrahi vapores notabiles non possunt: verum qui de die attracti sunt, nocte in nubes, & pluuiam congelantur, hinc est, quod citò, tunc noctis tempore pluuiæ gignuntur; frigus enim noctis ad hoc quamplurimum confert. Poterunt etiam vapores, vel nubes ipsæ ex aliena regione in nostram asportari, vnde repentinæ efficiantur pluuiæ. De Nubibus autem hæc occurrit dubitatio, videlicet, cur non omnes in pluuiam vertantur; si etenim ex vapore fiant, & hic sit essentialiter aqua, videtur, quod facta addensatione, aqua esse deberet. Respondetur, in talibus vaporibus non solum aquam contineri, sed quandoqne aliquas

exhalationes ficcas, quæ tamen non variant essentialiter naturam aquæ, & vaporis, sed veluti impedientia extrinseca ipsam retardant, vel aliud præsagiunt; vnde nubes tenues, & albæ sterilitatem, vel aquarum penuriam, aut potius serenitatem non secus, quam caligo, prenunciant; albæ & densæ niuem; rubræ ventos, &c. quod quidem ex diuersis mistis exhalationibus accidit. Alia quædam est dubitatio. Quomodo videlicet in nubibus diuersi colores, diuersorumve animalium figuræ, quandoque appareant. Respondetur, colores apparentes ex diuersarum exhalationum, ac lumine Solis, & astrorum prouenire; figuras verò ex accidentali occasione; secundum etenim, quod extrema inciduntur, vel à ventis, vel ab aere circundante, vel ab alia quauis huiusmodi causa; sic equites, leones, serpentes, &c. apparent; motum autem, aut ab aere agitato, aut à ventis ipsis etiam recipiunt. De caligine autem duæ sunt dubitationes. Prima, an sit grauis, vel leuis, ex ea etenim parte, qua sursum non ascendit, grauis videtur; ex alia verò quatenus pondere aquæ priuatur, videtur leuis. Secunda, an quælibet caligo sit sterilis; videtur namque oppositum; quædam etenim è locis humidis euenientes paulatim sursum tendunt, ac in nubes, & tandem in aquam conuertuntur, vt in die est videre: quare nec bene dicit Philosophus, eam esse potius serenitatis, quam pluuiæ signum. Ad primam respondetur, caliginem illam sterilem, quæ ex vaporibus, ac nubibus relinquitur, non esse leuem, vt prima argumenti pars probat; dum dicitur, aquis non esse omninò; respondetur id esse verum, sed in ipsa vigere terrestreitatem, quæ virtualiter ipsi dominatur, & deorsum declinet, etsi fortè ratione ponderis, magis grauis sit nubes, quam ipsa, sicut multa aqua, quam pauca terra. Ad secundam respondetur, duplex esse genus caliginis, alia quæ est veluti reliquiæ, & partes excrementales, ac terrestres nubium, & hæc quidem est sterilis, ac serenitatis signum; alia verò, quæ est inchoamentum, vel primus vaporum flos, & hæc non est steri'is, sed in nubes, & aquam addensatur. De pluuia autem sciendum est, quod non semper in eodem loco, neque eodem modo generatur, nec descendit; quandoque etenim, non in media regione, sed parum inferius, puta in infima parte mediæ; quandoque paulo superius; & pariter interdum secundum grossas guttas, & raras cadit, atque vocatur imber; aliquando sunt guttæ nec adeo grossæ, nec impetuosæ, & dicuntur Psecades, vt plurimum autem spissæ, & paruæ cadunt, & simpliciter pluuia nuncupatur. Omnis autem pluuia quanto è superiori loco descendit, tanto est minutior, quia ab aere circunstante diuiditur, & frangitur, quod pariter, de alijs impressionibus humidis dici potest; hæ autem sunt quinque scilicet, pluuia, nix, grando, ros, & pruina. Aliud obseruandum est, quod multis accidentibus affectæ pluuiæ quandoque decidere possunt, scilicet amaræ, dulces, sanguineæ, lapidibus, & pisciculis, ranis, vermibus, ferris, & alijs id generis mistæ. Amaræ itaque sunt, dum illis exhalatio adusta commiscetur; è contra, dulces. Sanguineæ sunt, dum pariter aliqua terrestris, & adusta materia ei commista est: hæc namque sanguineum nata est efficere colorem, vt patet si fuligo aquæ commisceatur; lapilli ex viscosa terrea, & humida materia generari possunt in nubibus, sicut in terra, pariter pisculi, vermes, ferrum, &c. Verum interdum non sic generantur, sed à validissimo turbine sursum ex aliqua parte auferuntur, & in aliam deijciuntur, vnde & boues, & naues, sic olim decidisse, veracissimi referunt historici. Nunc aliqua de signis pluuiæ dicamus. Sunt igitur septem signa probabilia ipsius. Primum est humectatio parietum, & aliarum rerum; tunc namque vapores per multi vigent, qui eleuati, in pluuiam conuertuntur. Secundum est scintillatio ignis, & lampadum, quæ ex prædictis vigentibus vaporibus accidit. Tertium est rubedo matutina circa Solem; hæc enim ex prædictorum vaporum multitudine, & densitate accidit. Sed cur hoc etiam non indicat rubedo vespertina? Respondetur; tunc vapores propè terram existentes non posse ob defectum Solis eleuari, & in nubes cogi, sicut accidit de matutinis; quare hæc vespertina rubedo est signum serenitatis, vel ventorum. Quartum signum est, dum tēpore sereno nocturno astra non videntur, tunc .n. à vaporibus occultātur. Quintum est inconsuetus ranarum, & quarundā auiū cantus; hæc etenim animalia mutationē, vel dispositionē ex tempore mutationē percipiētes, passionem hanc, siue gaudij, siue tristitiæ, voce demonstrant. Sextum est auiditas comedendi quibusdam animalibus, vt ouibus, bobus, pulicis, muscis, &c. percipientes namque affectum frigoris, aliamue dispositionem concentratur calor naturalis, qui efficacius operatur, & digerit, vnde famen excitat. Quod quidem etiam hominibus contingit, sed alijs detenti negocijs, hæc non animaduertunt. Septimum est halo circa Lunam, qui semper addensatur, nam si aliter fit, hoc non significat. Alij ponunt alia duo, scilicet nubes, & diminutionem puteorum, quorum primum, vt omnibus notum dimisimus, aliud vt penitus incertum, & inconsuetum, non approbamus. De Rore autem præter ea, quæ dixit Philosophus in textu, obseruandum est, quod ipse est ex materia, vel vapore crasso, & viscoso, vnde animalia quædam, vt oues ipsum comedentes, profluuio ventris pereunt, ac eadem de causa, herbæ, quæ ipso humectatæ sunt, putrescunt, qui quidem ros diuersimode dispositus, in mel, manna, & saccarum conuertitur. Cum etenim vapori ex quo ros efficitur, partes quædam terræ subtiles cum humido aqueo non facile dissolubili miscentur, prædulcis fit humor, qui mel vocatur, quod quidem herbis, & floribus hæret, & apes ipsum colligentes, in aluearia recondunt; nec etenim credibile est, quod ipsi apes mel simpliciter producant; quamuis non sit irrationabile, vt artificio aliquem ei prebeant digestionem, dulcedinem, & tenacitatem, quod ex eo colligi potest, quod nunquam aliquis rorem simpliciter de natura, & colore mellis in flosculis, vel herbis se collegisse fatebitur. Quod autem nec apes ipsum simpliciter, ex rore tamen simplicissimo, faciant, ex eo colligitur, quod si ab eis auferatur, ipsum restaurare nequeunt, nisi tempore veris; quod inde prouenit, quia ros talem aptam dispositionem semper, & sic aptitudini, & dispositioni eius est perfectio tribuenda, quamuis aliqua accidentalis, & vltimate perfectiua ab apibus non sit deneganda, assumunt itaque rorem ad cibum; ceram autem ex arborum humore, vel lachryma, seu gumma liquida conflant; cui etiam par est, vt aliquam præbeant dispositionem, nam aliter cera simpliciter ab hominibus reperiri posset, quod tamen nunquam compertum est. Differt autem vnum mel ab alio, vel in dulcedine, vel in claritate, vel in alijs conditionibus, quę quidem differentiæ sumuntur ex diuersis locis magis, vel minus ad id aptis, nec non ex ipsis herbis quibus ros hæret, & à quibus sapores odoresque varios sumere potest. Eodem quoque modo fit manna, dempto apum artificio, vel variata aliqualiter roris dispositione, vel temperie. Dum etenim cum vapore tenui, ex quo ros gignitur, miscentur quædam partes terræ subtiles, ita vt humidum aqueum digeratur, ac materia terrestris maneat, cum aliqua humiditate, liquor candidus, & dulcis efficitur, qui in ramis arborum, folijs, & herbis heret, atque inde colligitur. Non autem vbique mel, nec manna colligitur, quia, ob regionum diuersam temperiem, non est sufficiens causa ad ipsa perficienda. Saccharum autem pariter ex rore cæli in quibusdam arundinibus instar mannæ concrescit, vel coagulatur: quare valde obseruandum est, quod non solum ros ad generationem prędictorum confert, sed requiritur, & locus communis, & immediatum susceptiuum, quorum sit aliqua virtus ad id, vel com-

Caligo.

Pluuia.

Manna.

Saccharum.

complendum, vel adiuuandum, aliter, & vbique, & in omnibus hæc fieri possent, cuius contrarium experientia docet; cur etenim in his nostris communibus arundinibus saccharum non generatur? non alia quidem de causa, nisi quia aliquam dispositionem ad id non habet; quamobrem arundines illæ sacchari productrices sunt veluti materiam suscipientes dispositæ, ex qua naturali ad id apta dispositione saccharum efficitur. Neque ros immediatè in illis recipitur, sicut in folijs, vel frondibus, quia sunt clausæ: at virtualiter penetrat, vnde ipsis arundinibus virtutem magnam, & singularem circa hoc tribuendam esse, censerem. De Pruina autem præter ea, quæ in textu dicit Aristot. nihil aliud superest, nisi quod tam ipsa, quam ros magnopere prosunt aruis, eo quod viscositatem, vel pinguedinem aliquam habent, & quia pruina ipsa sua frigiditate calorem terræ clausum, vel radicibus herbarum insidens, restringit, vnde fortius operatur. De niue autem addamus, quod maximè prodest frumentis, & propter quandam pinguedinem, & eo quod paulatim veluti irrorans terram madefacit. Apparent autem ante niuem nubes perlucidæ, prout ibi est humor quidam aereus, & spumosus, qua de causa etiam nix ipsa est vere alba, non tantum secundum apparentem colorem, quia sic alicubi talis, alibi vero aliter colorata appareret, nec tanto tempore huiusmodi albedo in ipsa perseueraret. Quare quamuis colores ex qualitatibus primis fiant; non tamen opus est, vt omnia colorata omnibus quatuor sint admista qualitatibus, sed sat est quod aliqua sint mista imperfecta, vt de niue contingit. At incidentaliter dubitari potest, si manna, saccharum, & mel sint mista imperfecta, vel non; si etenim sint ros, imperfecta erunt. Respondetur tamen esse perfecta, seu non esse simpliciter rorem, sed ipsum rorem esse ipsorum proximam materiam, quæ à qualitatibus aeris, vel cæli sufficienter disponitur ad talem hanc formam ab ipso rore diuersam; aliter quilibet ros sic se haberet; verum credendum est, quòd inter mista perfecta quædam facilius, quædam difficilius fiant, quædam magis, quædam minus perfecta sint, vnde citius, vel tardius dissolubilia.

Pruina.

Nix.

QVÆSTIO VI.

De Grandine. cap. 2.

EXaminandum restat de grandine in quibus locis generari possit, & qui sint effectus ipsius. Quo ergo ad 1. partem, Arist. fatetur, non in media aeris regione, sed magis inferius generari, quod validis probat argumentis; at hoc intelligendum est vt plurimum, vel secundum ordinariam generationem; quod autem quandoque existente sufficiente frigore in aeris media regione generari non possit, inconueniens est: nam tempore hyemis etiam generatur, quamuis vt plurimum sit veluti nix constricta. Quamobrem, quæ tempore veris, æstatis, & autumni generantur prope terram, ob antiparistasim fiunt; at quæ hyeme fiunt, possunt, & de facto gignuntur in media aeris regione, tunc enim maior frigiditas ibi viget, nec reflexio radiorum prope terram est adeo ingens, vt antiparistasis detur sufficiens; ex hoc autem manifestè sequitur tempore hyemis mediam aeris regionem esse frigidiorem, quam tempore æstatis, quamuis aliqui oppositum sentiant. At est dubitatio, cur circumponendo calorem aquæ frigidæ, quolibet tempore, non possimus ipsam aquam per antiparistasim congelare, sicut accidit tempore æstiuo de grandine. Respondetur, nunquam ex vi artis dari sic sufficientem temperiem ad id efficiendum; mirabilia namque, non autem imitabilia sunt per artem naturæ opera, quamuis aliqui id fieri posse contendant. Aliud sequitur, nimirum omni tempore generari posse pluuias, quia semper est sufficiens ad id frigus, non autem sic aliæ impressiones humidæ. Eo modo quo diximus fieri grandinem per immensum frigus, fit quoque glacies tempore hyemis; licet illud congregetur per antiparistasim, hoc vero ex temporum conditionibus exuberet; vtrumque tamen est maximum, ad quæ sequitur frigus pruinæ, postea niuis, deinde aquæ, ac tandem roris. Effectus præcipuus grandinis est diuersimode male afficere herbas, plantas, & fructus; quandoque etenim sic sunt vehementes, & adeo parum resistentiæ, prædicta passiua vt penitus exsiccentur, quod accidit, quia, & grauedine comprimit, & intempestina siccitate, duritie, & frigiditate, natiuum alentem calorem, & humorem extinguit. Si vero non sit adeo ingens (quod accidit dum pluuiæ commiscetur) proportionaliter lædit, itavt quandoque solum pro tunc exsiccet fructus, non arbores, vel plantas, interdum solum eos deijciat, quandoque coloret, interdum iniocundo afficiat sapore, vel secundum totum, vel secundum partem aliquam. Ipsæ autem grandines, antequam terram descendant, interdum à nimio calore liquescunt, & in aquam conuertuntur, quod accidit quoque niui. Adiuuatur autem hæc ipsarum liquatio à multitudine, & magnitudine sonorum, hi namque aerem percutientes, & frangentes, quæ in ipso continetur grandinem dissipant, vnde non inconsultò campanæ ad hunc effectum pulsantur.

Glacies.

QVÆSTIO VII.

De fluminibus, ac fontibus. cap. 1. sum. 1.

PRæter ea, quæ dicit Aristoteles in litera; hæc breuiter addenda censeo; videlicet, quod quamuis aquæ fontanæ, & fluuiales in concauitatibus terræ ex aere frigefacto generentur, & hæc sit vniuersalis causa fluuiorum, & fontium, negandum tamen non est, aliquas ex aliqua maris parte per subterraneos cuniculos ad infimiores regiones fluere, quæ grauitatem terrestrem deponentes, dulces euadunt; atque ad mare ipsum reuertuntur: vnde quidam veluti animal vniuersam habitabilem terram effingunt, ita nimirum quod fluminibus, veluti venis per totam irrigetur. Aliud obseruandum est, quod cum in subterraneis locis immensæ reperiantur concauitates, quæ vndique vallatæ existere possunt, non inconueniens est, vt aquis quandoque ex diuersis locis collectis sint repletæ, quæ aliqua de causa, vt impetu, vel terræ motu erumpentes, nouam efficere possint aquarum effluxionem, ac fontium, fluminumq; generationem, vel perpetuò duraturas, vel ad tempus, secundum aquarum quantitatem, vel aliunde restaurationem; sicut eadem de causa absumi fontes, & fluuij possunt, nec id rarò accidit. Imò ex quacunque remotione impedimenti latentes aquæ scatere possunt, vt si colles, saxa, arbores, &c. remoueantur, quibus fluxus subterraneus aquæ detinebatur. Cognoscuntur autem hæ latentes aquæ ex perpetua quarumdam herbarum, vel stirpium viriditate, vel germinatione, quæ alibi quam iuxta aquas sic fæcunda esse non solet, vt sunt salices, iunci; pariter si lana omniquaque superius cooperta, humida ex parte qua terram tangit inueniatur, prope est aqua; & alia similia. Quo vero ad proprietates fontium, & fluminum, innumerabile non minus, quam admirabiles videntur, quas quidem omnes, vel etiam partes recensere, inexplebile esset opus; quare lege de hoc Plinium de natur. hist. Tolemeum in Geographia, Abrahamum Ortelium in Theatro vniuersi, & alios; hoc

tantum ſciendum eſt, quod aliquarum naturales cognoſcuntur cauſæ, videlicet, aliquas aquas eſſe calidas, quia nimirum per loca accenſa ſubterranea tranſeunt; pariter ſulphureas, quia per venas ſulphuris, accidas, quia commiſcentur cum quibuſdam mineralibus, quæ hunc efficiunt ſaporem, vt in multis videri poteſt. Pariter quod aliquæ infirmitates diuerſas curent, ex diuerſa temperie, infirmitatibus illis oppoſita, id accidit. Quod in aliquibus natent ſaxa, ex groſſitie; quod in quibuſdam demergantur naues, & cætera, quæ proijciuntur, ex tenuitate. At vero quod aliquæ ſaxa euomant, aliæ in lapidem homines, & cætera iniecta, conuertant. Aliæ mortua animalia reſuſcitent, & viua interficiant. Quædam vero interdum efferueſcant, interdum in gelum coeant, ac aliæ amorem, aliæ odium excitent, phyſ. cauſam non habent, vel eſt hominibus ignota; quare connumerandæ ſunt inter naturæ miracula, ſicut quoque de alijs eiuſdem innumeris admirandis operationibus dicendum eſt.

Finis Primi Libri Meteorologicorum.



ANTO-

ANTONII ROCCI

de Scurcula Marsorum.

IN SECVNDVM LIBRVM ARISTOTELIS Meteorologicorum Paraphrasis.

SVMMÆ LIBRI.

In Prima agitur de Mari.
In Secunda de Ventis.
In Tertia de Terræ motu.
In Quarta de Coruscatione, & Tonitruo.

CAPVT PRIMVM.

De Maris generatione, & essentia Antiquorum opiniones, ac earum confutationes, & cur ipsum fluere videatur.



E Mari autem, & quæ sit natura ipsius, & propter quam causam est salsa tanta aquæ multitudo, adhuc autem de ea generatione, vel origine, quæ est à principio ipsius, dicamus. Antiqui igitur, & versantes circa Theologias, sicut fuerunt Poetæ, nempe Hesiodus, Homerus, Orpheus, & alij faciunt fontes, vt sint principia ipsius, & radices, nec ipsius tantum, sed etiam Terræ. Magis tamen sic tragicum, seu admirabile, & venerabilius existimarunt fortè esse, quod dicitur, si terram ponant Maris principium, vt alij faciunt, & præcipuè Arcades: simul tamen cum istis fontibus, tanquam hac terra sit quedã magna pars Vniuersi, ita vt reliquum totum cælum, vel Mundus, circa hunc locum consistant, & gratia huius sit, quasi hic existat honoratissimus, & principium omnium aliorum. Itaque dicunt isti, quod fontes sunt principia Maris, & Terræ, vel quod fontes cum terra simul. Qui verò sunt sapientiores istis, non tamen diuino afflatu, sed sapientia humana, seu physica, alio modo faciunt generationem ipsius Maris. Dicunt namque omnem locum, qui circa Terram est, fuisse humidum, vel aquis repletum; Cum autem à Sole exiccatur, quod quidem euaporauit à versione, uel motu circulari Solis, & Lunæ, spiritus, seu Ventus, factum fuit: reliquum verò Mare esse. Quapropter minus exiccari putant, quia plus abundat humiditate, tamen demque quia paulatim exiccatur, futurum esse totaliter siccum, ex aqua igitur duo facta fuerunt secundum ipsos, scilicet substantia aerea, & ventosa, ex vapore, seu aqua rarefacta, & sursum ducta à calore; & mare ipsum ex materia remanente magis densa. Quidam autem ipsorum aiunt. Cum Terra calefit à Sole, veluti sudorem fieri, & hoc esse Mare, quapropter, & salsum esse, etenim sudor est salsus. Quidam autem salsedinis causam, terram esse, aiunt. Quemadmodum enim aqua, quæ colatur per cinerem salsa fit, eodem modo Mare salsum esse, ex eo quod talis terra ipsi commista est. Nunc istas opiniones impugnemus, & primo primam. Quod igitur sit impossibile, quod fontes sint principia Maris, per res sensibiles existentes ad hoc propositum consideremus. Aquarum enim, quæ circa terram sunt, hæ quidem fluxibiles sunt, hæ autem stabiles. Fluxibiles igitur omnes fontanæ sunt, seu à fontibus habent originem. Hæ igitur non supponunt fontem aliquem existentem, sic vt in vase. Quia de fontibus diximus prius, quod oportet intelligere, fontem non esse tanquam ex vase principiũ, ex quo aqua fluens dispensetur, sed esse locum ad quem aqua, quæ continuò ex ære fit, confluit, & occurrit primum, vnde postea extra scaturit. Stabilium autem, hæ quidem collectiuæ, & per se stantes absque vllo cursu sunt, veluti paludosæ, & quæcunque sunt stagnales, multitudine, & paucitate differentes; quarum stantium aliæ sunt fontales, seu ex fonte aliquo naturaliter originem ducunt, & si in aliquo loco quiescant collectæ; aliæ autem omnes manufactæ sunt; dico autem veluti puteales vocatæ: omnium enim oportet superius esse fontem fluxu, tam fontalium, quam manufactarum, vt inde ad locum in quo stent fluant aquæ, quæ naturaliter tendunt deorsum. Quapropter hæ quidem spontaneæ fluunt, hoc est ex sua natura, videlicet fontales, & fluuiales, hæ autem nempe manufactæ, arte indigent operante. Differentiæ igitur tot, & tales aquarum sunt, ex quibus colligemus id quod intendimus, quod scilicet impossibile sit, Mare ex fontibus

habere principium: his igitur sic determinatis impossibile est fontes esse principium Maris. In neutro enim horum generum possibile est esse ipsum, neque enim effluxibile est, sicut fluuij, ita vt proprios terminos egrediatur: neque manufactum, seu neque arte illic tanta aquarum multitudo collecta est; fontanæ autem omnes alterum horum passæ sunt: spontaneam autem stabilem tantam aquarum multitudinem nullam videmus, quod fontana fiat, seu à fonte originem habeat. Cum igitur, nec vt fluentes aquæ, à fontibus originem habere possint, quia non fluunt, vt fluuij, nec vt stantes, vel à natura, vel ab arte similiter à fontibus esse possint; sequitur, quod nullo modo fontes sint principium Maris. Adhuc autem pluria sunt maria, quæ adinuicem non commiscentur, secundum vllum locum: quorum Mare Rubrum quidem videtur secundum modicũ esse communicans cum eo Mari, quod est extra columnas. Hyrcanium autem, & Caspium, & separata ab hoc, & circumhabitata in circuitu sunt: quare cum sic separata abinuicem sint, & habitata per circuitum, non laterent fontes, si secundum aliquem locum ipsorum essent. At si quis dicat, Mare esse aquas fluentes, quia fluere, & refluere videtur, & sic ex fontibus oriri, vt fluuios; hoc non rectè dicitur. Fluens namq; Mare videtur propter angustias, siquidem propter adiacentem, & circumstantem terram, ex magno pelago coarctatur in paruum; propterea quod restringendo se ex omnibus partibus, ad profundum magis libratur, huc & illuc sæpe: hoc autem in magna multitudine Maris immanifestum est; quia autem propter angustiam terræ modicum obtinet locum, necessarium est, quod ea libratio, quæ modica in translato, vel moto Mare est, appareat magna, hic autem fluxus dicitur trepidatio, & præter hunc duo alij quoque sunt; alter dicitur fluctuatio, qui fit à Ventis; alter est refluxus, qui sex horis ad vnam partem, sex ad aliam fit, & hic ex dominio Lunæ prouenit, vt fusè alibi dicemus; fluxus autem primo modo dictus, nempe trepidatio, coadiuuatur ab alijs causis. Vnde Mare, quod est circa Herculeas columnas, totum fluit secundum concauitatem terræ, et propter multitudinem fluuiorum, qui ipsum agitant, & impellunt, & quia interdum per occultos meatus, vnus pelagus in alium transit. Meotis enim in Pontum fluit; iste autem in Ægæum. Omnia autem alia maria præter hæc, minus faciunt hoc euidenter, vel propter magnitudinem, quæ facit, vt hæc permutatio non cognoscatur, vel quia tot fluuij, & alia accidentia ipsis non contingunt. Illis autem, nempe prædictis, & propter fluuiorum multitudinem accidit hoc (plures enim fluuij in Euxinum fluunt, & in Meotin, quam in ampliorem regionem ipsius) & propter breuitatem profunditatis. Semper enim profundius videtur esse Mare quo magis circa Austrum tendit, vnde Pontus est profundior Meotide, hoc autem Ægeum, Ægeo autem Siculum. Sardonicum autem, & Tyrhenicum profundissima sunt omnium. Quę autem extra columnas sunt, breuia sunt propter lutum, atque etiam sunt sine Ventis, tanquam Mare illud existat in concauo, vbi Venti non sunt. Ratio autem vniuersalis, quod aliqua maria sint profunda, alia breuia, est ista. Sicut secundum partes Mundi, fluuij apparent fluere ex altis partibus terræ ad imas; sic totius terræ, ex partibus altioribus, quæ sunt ad Vrsam fit plurimus fluxus, ad imiores, quæ sunt ad Austrum: quare hęc quidem maria, quæ sunt ad Vrsam, propter effusionem, seu descessus aquarum illinc non sunt profunda: hæc autem extra prædicta sunt magis profunda; quod autem ea terra, quæ circa Vrsam est, sit magis alta, vnde ad Austrum fluunt maria, signum est hoc, quod multi Antiqui Meteorologi dicunt, Solem tempore nocturno non ferri sub terram, sed circa terram, & locum hunc; obscurari autem, & facere noctem, propterea quod alta sit ad Vrsam terra. Quod igitur neque fontes possibile sit esse Maris principium, & propter quam causam sic videtur fluere, talia, & tot, nobis dicta sint.

Fluxus Maris quotuplex.

CAPVT II.

De Maris essentia, & loco. Cur non fiat maius à fluminibus & aliquarum absurdarum opinionum confutatio.

DE generatione autem Maris, si factum est, & de sapore, quæ causa sit salsedinis, & amaritudinis, dicendum est. Quidam igitur credunt, Mare esse principium omnium aquarum, ideò frustra esse ipsius alterum principium quærere. Causa igitur, quæ fecit priores putare Mare principium esse, & corpus totius, seu vniuersæ aquæ, hæc est. Videbitur enim rationabile, quod detur corpus totius aquæ, quod sit aliarum principium; sicut aliorum elementorum est, congregata moles, & principium propter multitudinem, vnde transmutatur vnumquodque, & patitur, dum miscetur alijs; quare ex tali magnitudine, & congregatione, est principium vt aliæ partes generentur, vt ignis quidem in superioribus locis, aeris autem multitudo habet locum post ignem, terra autem corpus circa quod hæc omnia prędicta posita sunt manifestè, vnde etiam vt diximus, alijs principia sunt: quare palam est, quod secundum eandem rationem, & de aqua necesse est quærere. Tale autem aquæ corpus, nullum aliud videtur positum totum simul, sicut corpus aliorum elementorum, præter magnitudinem Maris; quod enim est fluuiorum corpus, neque totum simul, neque stabile, sed vt factum semper videtur quotidie, quare aliarum aquarum principium non erit, sed potius ipsum Mare. Ex hac itaque dubitatione, putatum est, Mare esse principium humidorum, & omnis aquæ; quapropter quidam aiunt, fluuios non solum in hoc, sed etiam ex hoc fluere, & si quis dicat, cur igitur fluuij ipsi non sunt salsi, si à Mari salso procedunt? Respondent, salsum postquam colatum est, per terram fieri dulce, seu potabile. Opponitur autem altera dubitatio ad hanc opinionem, Cum hęc aqua Maris sit (vt dicunt) aliorum principium, & elementum, cur consistens hoc modo non est potabilis, seu dulcis, sed salsa: elementum enim deberet esse simplex, & non admistum alienis qualitatibus. Causa autem huius quod quæritur, & simul prædictæ dubitationis solutio erit, si rectè aliquid necessarium circa primam æstimationem de Mari accipiamus. Aqua igitur circa terram extensa est, sicut circa hanc sphæra aeris, & circa hanc, quæ dicitur ignis (hic enim est omnium vltimus, siue vt plurimi dicunt, siue vt nos) lato autem Sole hoc modo quo fertur; & propterea existente generatione, & corruptione in istis inferioribus (vt dictum est sæpe) quod quidem subtilissimum est, & dulcissimum aquæ, sursum ducitur per singulos dies, & fertur, cum disgregatur, & euaporat in superiorem locum; ibi autem rursus coactum propter infrigidationem deorsum fertur iterum ad terram, & hoc vult semper facere natura, sicut dictum est prius. Quapropter & deridendi sunt omnes, quicunque priorum existimauerunt, Solē ali humido, ideò tales vapores attrahere, et propter hoc quidam aiunt, ipsum Solem facere versiones, seu motus circulares, dicunt namq; non posse semper

eadem

eadem loca exhibere ipsi alimentum: quare necesse est, vt alimentum in alijs, & alijs locis, inueniat, aut corrumpatur, vt de igne patet; etenim manifestus nobis ignis quandiu habuerit alimentum, tandiu viuit; humidum autem (dicunt) esse solum alimentum ignis, sed Solem de natura ignis esse credunt, sic igitur discurrunt, tanquam sit verum, quod humidum sursum ductum pertingat vsq; ad Solem, aut ascensus talis sit qualis quidem flammæ factæ, quæ scilicet attrahit ad se humidum quasi violenter, propter quam causam, signum accipientes à simili, idem de Sole putauerunt. Hoc autem non est simile. Flamma enim propter continuum humidum, & siccum, quæ sunt materia eius, & quæ permutantur continuè, vel consumuntur ab ipsa, non alitur, sed semper alia, & alia fit, quare non permanet vllo tempore eadem existens, vt ita dicam. Circa Solem autem impossibile est hoc accidere; quoniam si alitur quidem eodem modo, sicut illi quidem dicunt; palam est, quod Sol, non solum nouus quotidie esset, vt ait Heraclitus, sed semper nouus continuè, quod est absurdum, & Philosophiæ indignum, visum namque est in primo de cælo, omnia cælestia esse inalterabilia. Adhuc autem eleuatio humidi, quæ fit à Sole, similis est aquis ab igne calefactis, si igitur succensus ignis non alitur calefacta aqua, neque conueniens erat existimare, quod alatur sic Sol, etiam si calefaciens fecerit euaporare omnem aquam. Inconueniens autem est, & solum curasse de Sole, aliorum autem astrorum, ipsos sic dicentes, negligere salutem, quæ quidem astra tanta existunt, & multitudine, & magnitudine; quare si Sol alitur humido, idem de alijs astris dicere debebant; quod ridiculum est. Accidit autem ijs, qui sic dicunt idem irrationabile, quod accidit dicentibus, quod, terra existente primo humida, & calefacto mundo, qui est circa terram, factus sit aer, ex tali exhalata materia, & totum cælum ex eadem sit augmentatum, & hoc idem exhibeat, vel efficiat ventos, qui à versione, vel motu circulari cæli quoque efficiatur. Sed contra; nam apertè videmus semper, quod aqua sursum ducta iterum ad inferiora descendat, etsi non per annum eundem, vel per idem tempus, nec per singulas regiones, à quibus vapores eleuantur, saltem per alium annum, aliud tempus, & alias regiones; in aliquibus igitur ordinatis regionibus, & temporibus redditur omne acceptum humidum, tanquam ex eo non alãtur superiora, neque hic quidem aer maneat incorruptibilis post generationem, hic autem fiat, & corrumpatur in aquam, sed similiter totus corrumpatur, saltem successiuè, & consistat iterum in aquam; quare aqua ex aer mutuò fiunt, & corrumpuntur, nec aliquod ipsorum in alimentum astrorum assumitur. Assignemus nunc causam de salsedine Maris. Potabile igitur, & dulce propter leuitatem sursum ducitur omne; salsum autem propter grauitatem subsidet tãquam in proprio loco, est enim salsum admistum terrestri sicco, vel adusto, à calore Solis, hæc namque faciunt salsedinem, & ratione talis misturæ, est graue, & deorsum, & vt in proprio loco, manet. Hoc enim putandum est conuenienter esse dubitatum, & hanc esse veram solutionem prædictæ dubitationis de salsedine maris, atque de loco quoque ipsius; inconueniens enim est, si non est aliquis locus aquæ, sicut aliorum elementorum. Dicimus ergo, quod locus, qaem mare occupare videmus, non est proprius locus Maris, seu aquæ amaræ, sed magis aquæ omnis, nam ad ipsum tendunt, & ibi quiescunt omnes aquæ, dummodo non sit impedimentum, hæc autem est ratio loci naturalis. Videtur tamen, quod sit locus Maris, quia quod quidem salsum est deorsum manet, propter pondus, quod autem dulce, & potabile, sursum ducitur propter leuitatem, quare cum semper ibi maneat aqua salsa, videtur locus Maris, seu amaræ aquæ, & non aquæ simpliciter. Qaod vero sit mare salsam ob causam prædictam, exemplo confirmatur; sic igitur accidit mari, quemadmodum animalium corporibus, etenim in his alimento ingrediente dulci, subsidentia, seu densum, aut crassum alimenti humidi, ac ipsum excrementum apparet amarum esse, & salsum: dulce enim, & potabile, ab innato calore attractum, in carnem, & aliam constitutionem partium venit, vt quælibet pars nata est ipsum in se conuertere; subsidet igitur graue, & salsum inferius; leue vero, & dulce attrahitur: locus tamen, in quo totum alimentum recipitur est vnus, nempe ventriculus, sic de aquis dicendum est, videlicet, quod habeant vnum communem locum Mare. Sicut igitur in animalibus inconueniens erit si quis potabilis, seu dulcis alimenti locum, non putet esse solum aluum, ex eo quod tale alimentum citò absumitur à partibus animalis, sed quod talis aluus sit locus solius excrementi, quia hoc videt subsidens, seu ibi manens, aon igitur vtique bene existimabit, quia locus naturalis alicuius corporis est ille, ad quem tale corpus est aptum naturaliter moueri, & si actualiter ibi non manet: quare similiter in his philosophandum est: est enim (sicut diximus) mare, non solum amaræ aquæ locus, sed cuiuscumque: quanquam nec omnes in ipso actualiter sint, nec ibi omnes generentur, hoc namque non necessariò ad locum attinet. Quapropter, & fluuij fluunt in ipsum omnes, & tota aqua, quæ fit, nisi ob aliquod impedimentum; etenim ad maximè concauum fluxus aquarum est, & mare obtinet talem locum terræ; licet hoc totum, nempe partes subtiliores sursum ferantur citò propter solem attrahentem, hoc autem derelinquitur propter dictam causam, videlicet grauitatis, & salsedinis. Quare, etsi in principio capitis istius, argumentis oppositis probare visi sumus, quod mare non sit locus communis aquæ, id tamen factum est, vt clarius solueretur dubitatio, hoc attamen addimus, quod non oportet (vt etiam supra tactum est) quod omnes aquæ in proprio generentur loco, ideo non omnes sunt salsæ: fluuij namque, fontes, & aquæ pluuiales non generantur in mari, vt supra visum est. Quærere autem nunc opus est antiquam dubitationem, propter quid tanta multitudo aquæ, quæ mare ingreditur, vt sunt fluuij, nusquam apparet, sit, quod aliquo modo ipsum mare fiat maius (per singulos namque dies, fluuijs innumerabilibus fluentibus, & magnitudine immensis, nihilo mare fit amplius.) Nallum igitur est inconueniens, quod hoc aliqui dubitent. Non tamen difficile est videre causam si quis rectè intueatur. Eadem enim multitudo aquæ in latum diffusa, & tota simul in eodem marino loco collecta, non in æquali tempore exiccatur, sed differt in tantum, vt hæc quidem permaneat per totam diem, hæc autem non, prout diuersimodo à Sole respicitur, & attrahitur: ipse namque Sol attrahit; & exiccat quicquid aquarum ad mare fertur, quod faciliter fit, eo quod talis aqua per immensum pelagi diffunditur, quemadmodum si quis super mensam magnam diffuderit aquæ cyathum; simul dum adstantes perspiciunt, vtique euanescit aqua tota, qaod vtique circa fluuios accidit, dum mare ingrediuntur; continuè enim fluentibus simul totis, semper qaod peruenit in immensum, & latum locum, exiccatur citò, & latenter. Quod autem à Platone scriptum est in Phædone de fluuijs, & mari, impossibile est. Dicitur enim ibi, quod omnia quidem loca inuicem sub terra perforata sunt, sic vt vnusquisque cum Opinio Platonis de Mari.

altero

altero correspondeat; vnde aquæ fluuiales ad mare per vnum locum accedant, per alium verò recedant, ideo numquam augeri: principium autem omnium istarum aquarum sit fons, qui vocatur Tartarus, qui est quædam multitudo aquarum circa centrum, ex quo, & fluentes, & non fluentes prodeunt omnes aquæ. Dicit etiam, quod iste Tartarus facit influentiam in singulam fluxionum, (hoc est influit, vel dat originem singulis aquis) propterea quod agitetur, vel moueatur semper quod primum, & principium aliorum est; ideo suo motu in alia influit (nam secundum ipsum Platonem omne principium primum est se ipsum mouens, & sic mouendo, effectus producit) non enim habere sedem, seu quietem, inquit, sed semper circa centrum volui; motum autem ipsius sursum, & deorsum (non enim moueri regulari motu circulari ponit, sed modo magis, modo minus prope centrum, ideo cum circumlatione habetur motus sursum, & deorsum,) facere aut effusionem, seu originem ipsis aquarum fluxionibus, in diuersis terræ partibus. Has autem aquas, postquam à Tartaro exierunt, in multis quidem locis terræ stagnare, seu quiescere, & non fluere dicit, quale, quod apud nos est mare: omnes autem iterum circulo circunduci, seu reuerti ad principium hoc, vnde cæperunt fluere, asserit, multas quidem secundum eundem locum; eas videlicet, quæ non per fluxum illuc tendunt manifestum, sed quæ exiccari videntur: istæ etenim veluti à terra absorbentur, & ad Tartarum regrediuntur, quasdam autem, positione, vel situ opposito à regione effluxus, seu à loco vnde fluere cœperunt, vt si fluere cæperunt ad inferius, desuper ingredi, esse autem omnibus aquis vsque ad centrum descensum, de cætero enim ad accliue, seu sursum, iam omnibus esse lationem, & sic æqualiter aquas descendere, & ascendere. Est igitur secundum Platonem, principium, & finis aquarum, locus in centro existens, qui Tartarus dicitur. At si quis petat ab ipso. Cum omnes aquæ à Tartaro proueniant, vnde est, quod non omnes sunt eiusdem coloris, & saporis? idem namque principium, & eodem modo se habens, eosdem effectus eodem modo se habentes producit. Respondet, sapores, & colores habere aquam, qualem vtique contingerit esse terram, per quam fluit, vnde quia diuersis modis ob variam stellarum influentiam, eam affectam inuenit, ideo ipsa quoque aqua diuersimode afficitur. Sed contra istam opinionem aliqua dicamus, & primò contra ipsum Tartarum, prout indifferenter ponitur aquarum principium, tam sursum, quam deorsum. Si enim hoc esset verum, accideret secundum hanc rationem, fluuios non fluere semper ad eundem locum, sed modo sursum, modo deorsum, vel ad hanc, & oppositam regionem terræ, quod experientiæ contradicit: hoc etenim ex ipsius positione sequitur. Quoniam enim (inquit) ad medium influunt aquæ, à quo quidem effluunt, nihil magis vtique fluent ab inferius, quam desuper, sed ad quæcunque loca fluctuans Tartarus tenderit, quamuis hoc accidente; fiet vtique quod dictum est, videlicet fluxus fluuiorum sursum, quod quidem est impossibile. Insuper errat asserendo, omnes aquas oriri à Tartaro, & ad ipsum reuerti. Nam aqua, quæ fit ex conuersione aeris, & vapores, vel aqua (pro eodem nunc accipiantur) quæ sursum ducitur à Sole, vnde erit? hanc enim totam necessarium est excludere, quod à Tartaro veniat, si quidem (vt ipse dicit) in Tartaro semper saluatur æqualis; quantum enim extra ipsum fluit, iterum ad idem principium fluit, hoc autem modo falsum esset; cum ista pluuialis de nouo generetur, vnde augeretur Tartarus, si illuc flueret, & sic non semper esset aqua ipsius æqualis. Quinimo omnes fluuij videntur terminantes ad mare, quicunque non in alios fluuios terminant, in terram autem nullus: sed si disperdantur, vel terram ingrediantur, iterum proodeunt, ergo non ad Tartarum, sic namq; omnes ad centrum descenderent, & in profunditatibus terræ, deperderentur. Præterea, quod non omnes à Tartaro incipiant, probatur. Nam magni sunt fluuij, qui longè, vel multum fluunt per concauum locum terræ, quia suscipiunt fluxiones multorum fluminorum, detruncantes loco, & longitudine vias; quapropter, & Ister, & Nilus maximi fluuiorum sunt, qui in hoc mare fluunt, quia multum decurrunt, seu per magnam distantiam, ergo non à Tartaro habent principium, quia sic, eo maiores fluuij essent, quo per breuiorem locum fluerent, maiorem etenim quantitatem aquæ à Tartaro acceptam retinerent, sicut è contra, longè fluentes semper fierent minores, quia à principio distarent, & aqua absorberetur à terra, & à Sole exiccaretur, cum tamen contrarium appareat, non à Tartaro principium habere, est dicendum. Alij autem dicunt alias causas vniuscuiusque fluuiorum, esse videlicet fontes diuersos, & quia multi in eundem fluuium incidunt, seu occurrunt, & eo magis, quo longius defluxerint, ideo tales plusquam alios augeri, quod neque est vniuersaliter verum: nam alia est origo fluuiorum, & fontium, vt suo loco visum est. Hæc itaque omnia à Platone dicta impossibile est accidere, vt manifestum est; præsertim si ponatur, quod mare habeat principium inde, seu ex tali Tartaro. Quod igitur iste locus in quo est mare, sit locus aquæ, & propter quam causam, hoc quidem ipsius potabile, seu dulce sit, immanifestum est, licet sit notum quod fluat, seu euaporetur sursum à Sole ipsum ducente, & cur aliud subsideat, & cur terminus magis aquæ, quam principium sit ipsum mare, quemadmodum excrementum in corporibus, est maximè subsidens, & locus omnis alimenti, & maximè humidi; dicta sint tot à nobis.

CAPVT III.

De Maris salsedine, ac eius perpetuitate.

De salsedine autem ipsius dicendum est, & vtrum semper est idem, aut neque erat, neque erit, sed deficiet; hoc est, an habuerit principiũ, & habiturum sit finem. Hoc igitur omnes visi sunt confiteri, quod scilicet factum est; si quidem secundum ipsos totus mundus factus est: Simul enim cum generatione mundi, faciunt generationem ipsius Maris; quare ex opposito, si secundum veritatem, ipsum vniuersum perpetuum est, & de mari sic existimandum erit, cum sit vniuersi pars, & simul cum ipso existere debeat. Putare autem, quod semper minus fiat secundum multitudinem aquarum, sicut ait Democritus, & tandem deficiat; nihil est recedere, ab Aesopi fabulis, etenim ille fabulose dixit; quod bis quidem Charybdis absorbens aquam, primò quidem montes fecit manifestos, secundò autem insulas, vltimò autem sorbens, aridam faciet omnino. Illi verò irato aduersus portitorem, nempe Acherontem portatorem animarum congruebat talem dicere fabulam; veritatem autem quærentibus minus congruit. Propter quam enim causam mansit primo aqua, vel mare, supra terram, siue propter pondus, vt etiam quidam illorum aiunt in promptu enim est videre, an hæc, vel alia sit causa huius videlicet quod terra suo pondere tota esset sub aqua: siue propter aliquid aliud, palam est, quod

propter

propter hoc necesse erit ipsum mare manere super terram reliquo tempore; nam eiusdem naturæ, & proprietatis, sunt nunc & semper, & aqua & terra: ergo si nunc non manet, hac, vel alia de causa, neque ante manebat, vnde frustra asserunt, prius coopertam aquis fuisse terram, & postea exiccatam, addendo fabulam de Charybdi. Aut enim ab ipsis dicendum est, quod aqua eleuata à Sole, non veniet iterum deorsum, & sic cum semper de inferiori aqua adimatur, paulatim exiccatur; aut si quidem aqua deorsum descẽdit, quæ eleuata fuit: erit necessarium, quod aut semper, aut quandiu fuerit hoc, (nempe eleuatio, & reuersio deorsum,) quod mare remaneat, & iterum illud quod est potabile, & leue sursum ferri prius oportebat, quare nunquam exiccabitur: rursus enim præueniet aqua descendens in ipsum mare, quod præascendit, & sic exsiccationem non permittet; differt autem nihil, semel hoc dicere, aut sæpe; dicere autem quod aqua à Sole eleuata non veniet iterum deorsum, absurdum est, & ordini naturali repugnans, non enim graue potest semper sursum manere; dicere verò, quod interdum hoc fiat, est ridiculum, & fictitium, quia res naturales, & maximè, quæ à cælesti virtute pendent, aut semper, aut frequenter eodem modo fiunt; quare si ita est, Sol exiccat de aqua, sed iterum reuertitur, vnde nunquam mare exiccatum erit, vt ipsi dicunt. Si autem dicant, quod aliquis faciet cessare Solem à latione; quid erit exiccans? ipse namque lumine, & calore exiccat. Si autem permittent esse circulationem ipsius Solis, cum semper ad nos appropinquat, & potabile sursum ducit, sicut diximus, & recedens à nobis, dimittet iterum deorsum; quare nunquam exiccabitur. Acceperunt autem hanc sententiam de mari, ex eo, quod multa loca apparent sicciora nunc, quam prius; de quo causam diximus; quod hoc accidit secundum quædam tempora, factis excessibus quibusdam exiccationis, virtute astrorum: vnde fit hæc passio aquæ in aliquibus partibus, sed non propter generationem, aut corruptionem totius maris, vel eius principalium partium, sic, quod partes generentur denuò, vel corrumpantur ordine quodam, vsque ad totius corruptionem. Quare iterum erit contrarium, & cum facta fuerit denuò aqua, exiccabitur iterum; & hoc sic necessarium est circulariter semper ire; magis enim sic rationabile est existimare, quam propter hæc totum cælum, vel mundum permutari. Sed de his quidem plus, quam dignum erat immoratus est sermo. De salsedine autem; hi quidem qui semel mare genitum esse dicunt, ac omnino habere generationem affirmant, impossibile est, quod ipsum salsum constituant, sic quod salsedinem de nouo acceperit. Siue enim totius humidi existentis circa terram, & à Sole eleuati, quod relictum est, dicant mare, vt Democritus, siue existat tantus sapor in multa aqua, & dulci, ita quod terra ei sit immissa, vt inquit Plato, impossibile est. Quia cum aduenerit iterum aqua, quæ euaporauit sursum, & ex cuius descessu, vt dicunt, relicta est aqua salsa, necesse est, existente æquali multitudine reuertentis aquæ, cum ea, quæ prius erat, quod ipsa aqua iterum fiat dulcis sicut prius: si neque primò ante separationem talis aquæ, salsum erat mare, neque posterius ipsum salsum erit, & sic errat Democritus, asserens, Mare fieri salsum, eo quod aqua dulcis ab ipso separetur, residuum verò fit salsum. Si autem dicat, quod primò ante talem separationem fuerit salsum, confestim ei dicendum erat, quæ causa est talis salsedinis, & propter quid, si tunc dulce sursum latum non fuerit, vel ponatur salsum, etiam si latum dulce superius non intelligatur: quare non per eleuationem dulcis videtur fieri salsum, vnde alia est assignanda causa, quia nunc hoc idem patitur, seu sursum eleuatur dulce, quod causam expostulat. Et sic eam non assignando insufficienter loquitur. At verò quicunque terram mistam mari ponunt causam salsedinis eius, vt Platonici, (aiunt enim, ipsam aquam maximam habere multos sapores, quia terra simul à fluuijs in mare delata ipsum efficit salsum propter mistionem) similiter errant; nam hoc modo inconueniens, est non facere salsos fluuios terram ferentes secum commistam. Quomodo enim possibile est, in multa quidem multitudine aquæ facere sic euidentem mistionem, ac salsedinẽ ex tali terra, in vnaquaque autem aqua, vbi similiter terra existit, non? palam enim est, quod mare est tota aqua fluuialis, hoc est ex aquis fluuialibus aggregatum (in nullo enim differt mare à fluuijs, nisi quod salsum sit) hoc autem, nempe salsum esse, etiam ipsis fluminibus accidit in loco, in quem omnes simul fluunt, seu dum sunt mari vniti. Similiter autem, si quis putet, aliquid manifestum, vel rationabile dixisse, sicut facit Empedocles, asserendo sudorem terræ esse mare; ideò salsum esse, ridiculum est. Ad poesim enim sic dicens, fortè dixit sufficienter; translatio enim, vel metaphora, quid poeticum est; ad cognoscendum autem naturam talis rei, non sufficienter dicit; neque ex notioribus (vt debebat) procedit; neque enim hic notum est, qualiter ex dulci poculo, & cibo fit salsus sudor; vtrum abscedente quodam solum, nempe dulcissimo cibi, à calore attracto, quod remanet sit salsum, an fiat salsum per commistionem cuiusdam alterius, sicut accidit in ijs aquis, quæ per cinerem colantur, hæ namque ex admistione cineris salsæ fiunt; hæc igitur Empedocles debebat exponere, deinde ad propositum applicare. Quod cum non fecisset, defecit. Videtur autem eadem causa, & circa excremẽtum collectum in vesicam, quod est vrina; etenim ipsum amarum, & salsum fieri potest, potato, vel absorpto eo dulci, & humido, quod est in alimento, & relicto terrestri, & salso, vel etiam per admistionem. Si itaque aqua maris amara fit, sicut ea, quæ per calcem colatur, & hæc (scilicet sudor cum vrina) similiter fiunt, per aliquam mistionem, ac virtutem delatam sibi, qualis videtur salsedo subsidens in vase post vrinam, in quibus mistura quædam, veluti calx apparet, & salsa; cum sudore autem fit talis mistura, vel salsedo segregata virtute ex carnibus, veluti talis virtus aquæ admista abluat id quod salsum est, & abluens ipsum fit humidum, vel aquosum, quod vrina salsa fiat, vel remaneat; si inquam hæc est causa salsedinis in istis, & à simili procedit Empedocles ad idem probandum de mari; palam est, quod in mari, id quod ex terra, humido, vel aqua commistum est, causa est salsedinis. Sed videbimus non esse parem rationem, vnde eius error apparebit. In corpore igitur fit tale alimenti subsidentia propter inconcoctionem, quia calor naturalis non potest ipsum excrementum concoquere, & in alimentum assumere. In terra autem, cum talis non appareat causa, dicendum est, secundum quem modum existit talis subsidentia, vel salsedo subsidens, seu existens sub; omnino autem quomodo possibile est, quod tanta multitudo aquæ dulcis segregetur à desiccata, & calefacta, vt ipsi dicunt: asserunt enim, aquam dulcem à Sole segregari totam, remanentem vero esse salsam; si enim hoc esset verum, oporteret partem in terra relictam minimam esse: præcipuè si non ponatur aquæ dulcis regressus, vt ipsi dicunt. Adhuc autem propter quid, cum nunc fuerit exiccata terra, siue secundum aliquam partem maiorem, siue secundum minorem, non sudat? humiditas enim, & sudor

sudando

sudando fiunt amara: nunquam tamen aqua ex terra scaturiens amara videtur, nisi fortè per accidens; quare non est verum, quod ideò aqua sit salsa, quia est sudor terræ; si enim tunc hoc accidebat, & nunc quoque oportebat accidere, ergo & si nunc non accidit, neque tunc. Non videtur autem (vt dictum est) hoc accidere, sed humida quidem existens exiccatur; sicca autem existens nihil patitur tale. Quomodo igitur possibile est, circa primam generationem, humida existente terra, & postea exiccatam sudare? Sed magis verisimile est, sicut aiunt quidam, absumpto plurimo humido, & eleuato propter Solem, quod relictum est, esse mare: humidam autem existentem sudare, impossibile est. Causæ igitur, quæ dicuntur de salsedine, videntur effugere rationem. Nos autem dicamus, cum assumpserimus idem materiale principium, impressionum, quod prius in principio primi Libri supposuimus. Quoniam enim positum est, duplicem esse exhalationem, hanc quidem humidam, quam vocauimus vaporem, illam autem siccam, quam diximus simpliciter exhalationem, palam est, quod hanc siccam putandum est esse principium talium, sed antequam hoc exactè determinetur, supponendum est etiam vtique, id de quo necessarium diximus esse prius dubitandum; videlicet, vtrum mare semper permaneat earundem existens partium, & si permaneat, an sit idem numero, vel specie, & cum eadem quantitate partium; hæ namque transmutantur semper, quemadmodum aer, & potabilis, vel dulcis aqua, quæ ex aere fit, ideò difficultas est. Respondemus igitur, quod vnumquodque horum, tam videlicet aqua maris, quam dulcis, et aer, et ignis, semper aliud, et aliud fit, sic, quod partes ipsorum semper transmutantur in alias, vnde non remanent hæc elementa eadem numero, specie autem, & multitudine, vnumquodq; horum manet, sicut manet idem fluxus fluentium aquarum, & flammæ, non enim ibi sunt eædem partes numero, sed specie. Manifestum itaque est, quod hoc, scilicet salsum mare, & potabile, seu aquæ dulces, impossibile est non habere eandem rationem, differunt tamen velocitate, & tarditate transmutationis, & in omnibus est generatio, & corruptio: hoc tamen ordinatè accidit omnibus istis, nempe ex aliqua determinata constellatione, vt diximus, dum de diluuijs egimus. His autem sic se habentibus, tentandum est reddere causam de salsedine. Manifestum itaque est per multa signa, quod sit talis sapor propter commistionem aliquam. Etenim in corporibus animalium, quod inconcoctissimum est salsum, et amarum est, sicut prius diximus; in his autem est mistio subtilis indigesti, cum terreo; inconcoctissimum enim est excrementum alimenti humidi; talis autem est quidem omnis subsidentia, & maximè quæ in vesicam fit. Signum autem est, quia subtilissima est, quæ autem coquuntur, omnia nata sunt consistere, & esse densa, ergo indigestio hæc ex aliqua prouenit subtilitate. Deinde sudor fit salsus in ijs corporibus, in quibus idem corpus coexcernitur, seu miscetur ab aliquo, quod facit saporem hunc. Similiter autem in ijs, quæ aduruntur, vbi enim non dominatum fuerit calidum, sic quod ipsum totaliter superare potuerit, fit excrementum, vel superfluitas salsa, et in quibusdam corporibus fit tantum superfluitas, vt in ferro, & alijs, in quibusdam verò fit cinis; quod ideò est, quia est aliqua commistio adusti, sicci, & terrestris. Quapropter eadem ratione, quidam aiunt, mare factum esse ex adusta terra. Dicere autem sic simpliciter, est inconueniens; ex tali tamen vel simili, seu proportionali causa, verum est. Sicut enim in prædictis accidit, sic in toto mare, & ex nascentibus, & factis hoc modo, secundum naturam intelligere oportet, quod accidat, sicut quod relinquitur ex ignitis, talem esse terram, vt sit amara, vel salsa: quod enim ex commistione aliquando facta contingit pro tunc, idem putandum est fieri, si semper fiat, vel à natiuitate, & eodem modo debemus intelligere fieri omnem cã exhalationem, quæ est in terra, est namque quid indigestum, & salsum, vt cinis, & eodèm modo à calore non superatur, sed aduritur, & fit salsa: hæc enim terra exhibet multã hanc exhalationis multitudinem, concurrente Sole vt causa efficienti. Mista igitur existente (sicut diximus) vaporosa exhalatione, & sicca, cum coacta fuerit in nubes, & aquam, necessariò intercipitur semper aliqua multitudo huius virtutis, seu exhalationis calidæ, & siccæ, & simul iterum cum pluuijs deorsum fertur; & hoc semper fit secundum quendam ordinem, vt contingit, quæ hic sunt participare ordine, non enim vt cælestia sunt ordinata infallibiliter. Descendenti igitur tali salsa exhalatione, ac mari adusta, ipsum efficit salsum. Vnde igitur generatio salsi inest in aqua, dictum est. Et propter hoc, aquæ australes sunt latiores, seu crassiores, & salsæ, & similiter primæ autumnalium. Auster enim Ventus est, & magnitudine, & vehementia æstuosissimus, seu siccus, & calidus flat enim à locis siccis, & calidis, & cum pauco vapore; vel humido; quapropter calidus est: si enim & in principio non sit talis, sed vnde incipit flare sit frigidus, nihil minus procedens; propterea quod comprehendit multam exhalationem siccam ex propinquis locis, calidus est: quapropter à tali caliditate, & siccitate efficit aquam salsam, vnde eandem rationem debemus existimare in salsedine aliarum aquarum. Autumnales verò aquæ primæ, ideò sunt salsæ, quia participant caliditatem, & siccitatem cum terrestreitate abstractis tempore æstiuo, vbi igitur hæ dispositiones fuerint, salsæ erunt aquæ. Boreas autem veluti à frigidis locis veniens est vaporosus, nempe frigidus, & humidus; sed prout expellit suo impetu nubes, in his regionibus est serenus, seu efficit serenitatem; in contrarijs autem australibus regionibus est aquosus, quia ibi nubes propellit. Similiter autem Auster serenus est ijs, qui sunt circa Libyam, quia nubes expellit ab illis regionibus. Multum igitur calidi, & sicci, quod est in aqua, quæ deorsum fertur, vel pluit, confert ad efficiendum mare salsum, quale est. Et autumno, vt etiam diximus, aquæ latæ sunt, seu crassæ, & salsæ, eadem de causa: multæ namque exhalationes, & vapores, tempore æstiuo attrahuntur sursum, quorum necesse est grauissima primum deorsum ferri; hæc autem sunt, quæ admistam habent terrestreitatem, & salsedinem; quare in quibuscunque inest talis terræ multitudo, hæc citissimè deorsum tendunt. Et hac etiam de causa, calidum quidem est mare; omnia enim quæcunque adusta fuerunt habent in se ipsis potentiam, & virtutem caliditatis, sed mare habet tales exustas exhalationes, ergo calidum erit, respectu videlicet aliarum aquarum, & terræ. Quod autem hoc sit verum, palam est; Videre etenim licet, & calcem, & cinerem, & subsidentiam, vel excrementa sicca, & humida animalium, calida esse; & animalium calidissimorum secundum ventrem, accidit calidissimam esse subsidentiam, vel excrementa. Fit igitur propter hanc causam ipsum mare semper latius, seu maius in salsedine; quia tales terrestres exhalationes plus remanent, quam dulces: non enim sic possunt eleuari propter pondus, sed aliæ semper in ipsum immerguntur. Verum tamen est, quod semper eleuatur aliqua pars salsi cum dulci, sed tanto minor dulci, quanto in aqua pluenti salsa,

& lata

& lata, seu crassa est minor dulci; quapropter, vt omnino dicam, est aqua quaedam proportio eleuati salsi cum dulci ad descensum eiusdem. Quare cum terrestre semper pro maiori parte remaneat, & parum eleuetur, potabile vero è conuerso, mare erit salsum semper magis. Quod autem id quod à mari euaporat, seu eleuatur, fit potabile, vel dulce, & tale dulce non conceruatur in ipso mare, neque quando in ipsum cogitur, seu adunatur, dum per pluuiam descendit, nec ante, cum tentauerimus per similia exponere, tandem resolutè dicamus. Patiuntur autem alia humida idem: etenim vinum, & omnes humores quicunq; cum in vaporem mutati fuerint, iterum in humidum consistant, aqua fiunt dulci, vt in distillationibus est manifestum. Alia enim passiones, & sapores sunt, & fiunt per quandam commistionem aquae cum alijs qualitatibus: quare secundum qualitatem illius, quod cum aqua commistum fuerit, talis efficietur sapor; vnde aquae quaedam sunt acidae, aliae alijs affecta saporibus, ob qualitates terrae, vel mistorum subterraneorum, per quae transeunt. Sed de ijs quidem in alijs temporibus conuenientioribus facere oportebit considerationem. Nunc autem tantum dicamus, quod maris existentis semper aliquid sursum ducitur, & fit potabile, & praeterea cum pluente aqua descendit aliud salsum factum: aliud verò in ipso mari factum est, & non sursum ductum, & propter pondus subsidet aqua potabili, seu leuiori; vnde mare in profundo salsius erit, quam in summitate. Quia igitur ipsius maris aliquid absumitur, & aliud iterum in ipsum perueniens ex noua generatione aquarum, & fluuiorum, propter hoc non deficit; sicut neque fluuij, nisi in quibusdam locis ob varia accidentia, vel influentias caeli, hoc autem in ambobus, tam scilicet in mari, quam in fluuijs necesse est accidere similiter, videlicet, quod secundum aliquas partes deficiant in aliquibus locis; secundum alias in alijs restaurentur: quare neque semper eaedem partes remanent, neque terra, neque maris, sed tantum tota moles, vel quantitas ipsorum. Etenim de terra similiter oportet existimare, sicut de mari. Hoc enim maris ascendit, illud autem iterum condescendit, ac loca permutant, & supernatantia, & descendentia iterum. Quare & terra alijs de causis secundum partes crescit, & decrescit, imò fortè partes eius à Sole attrahuntur rarefacta, & iterum descendunt, vt de aqua diximus, & sic erit similis vtriusque vicissitudinalis variatio. Quod autem salsum fiat ex commistione alicuius, palam est, non solum ex dictis, sed experientia. Si quis enim vas cereum formans, ac in mare posuerit, circumligans os talibus stricturis, vt aliquid maris non illiquesceat, seu intus fluat, quod ingreditur per parietes cereos fit aqua dulcis; tanquam enim percolatum dulce; quod terrestre est, & quod facit salsedinem propter commistionem, separatur. Hoc autem terrestre est etiam causa grauitatis, & crassitiei; plus enim trahit, vel ponderat aqua salsa, quam potabilis. Etenim crassities differt in tantum, vt naues ab eodem pondere rerum, quae vehuntur, in fluuijs quidem ferè submerguntur, in mari autem mediocriter se habeant, & nauigabiliter; quapropter aliqui onerantes naues in fluuijs, propter hanc ignorantiam, qua nescierunt cognoscere, quod aqua fluuiorum sit minus crassa, quam marina, damnum passi sunt. Coniectura autem quod moles alicuius aquae mistae cum alio sit crassior, est ista. Si enim aliquis aquam salsam valde fecerit, miscens cum ipsa aqua salem, fit ita crassa & densa, vt supernatent oua etiam si sint plena; ferè enim sicut lutum fit ipsum quoque mare, quando tantam habuerit corpulentam salsedinis multitudinem. Idem autem hoc operantur aquae circa salituras; hoc est aquae, quae sunt nimio sale admistae, & salitura dicuntur, factae ad conseruandas carnes, vel pisces, eosdem efficiunt effectus, nempe condensantur, vt lutum, & oua quoque sustentant. Praeterea, si in Palestina est tale stagnum, in quod si quis immiserit hominem, aut iumentum ligatum supernatat (vt quidam fabulantur) & non submergitur; erit vtique aliquod testimonium ijs, quae à nobis dicta sunt: dicunt enim sic esse amarum, & salsum hoc stagnum, vt nullus piscis ibi nascatur. Vestimenta autem ibi sordida effici, si quis cum ea irrigauerit, vel humectauerit, quassauerit, seu proiecerit in ipsum mare, quod Asphaltites, & mare mortuum dicitur. Sunt autem talia signa omnia dictorum à nobis, quod salsedinem facit corpus aliquod, & terrestre est, quod inexistit ibi, ac salsum efficit. In Chaonia enim, quae est pars Epiri, est quidam fons crassioris aquae & salsae, qui effluit, vel currit in fluuium dulcem, ac sibi propinquum; qui tamen fluuius non habet pisces, eo quod ob nimiam praedicti fontis salsedinem ibi viuere non possint, elegerunt enim illius loci habitatores (vt qui ibi sunt fabulantur) potestate data ab Hercule, quando venit ab Erythia ducens boues, salem pro piscibus, qui pisces ex fonte fiunt, seu fiebant ipsis, relicta tamen fabula, hoc certum est & ad nostrum propositum, quod talis fons ob mistionem terrestris sit salsus, imò salem efficiat. Huiusmodi enim aquae, cum aliquam partem decoxerint, reponunt, & cum humidum cum calido euaporauerit, sic quod ipsa aqua sit frigefacta, fiunt sales, non gummosi, seu duri, & compacti, sed laxi, & tenues sicut nix: estque hic sal virtute debilior alio, & si multi in cibis iniciantur, delectant; nec similiter sunt ita albi coloris, sicut nostri. Tale autem aliud quid accidit in Vmbricis Arabia: est enim quidam locus, in quo nati sunt arundo, & iuncus, hos igitur comburunt, & cineres immittentes in aquam decoquunt; cum autem aliquam partem aquae dimiserint, vel extra proiecerint, relicta alia in fundo vasis, in quo decoquitur, haec infrigidata, fit multitudo salis. Quaecunque autem fluxiones fluuiorum, aut fontium sunt salsae, oportet putare plurimas earum, calidas aliquando fuisse; deinde principium quidem ignis, seu calorem summum actualem extinguit, terram autem per quam talis ignis, ac calor, & similes aquae pertranseunt, adhuc manere exustam, & calidam virtualiter, sicut est cinis, & calx: quare & aquae inde fluentes salsae sunt à tali mistione. Sunt autem in multis locis, & fontes, & fluxiones fluuiorum, omnifarios habentes sapores; quorum omnium causam ponendum est esse inexistentem in visceribus terrae sulphureis ignem; aut naturalem virtutem eius, quae diuersimodè tales partes afficit, & ipsae aquae afficiuntur; cum enim exuritur terra secundum magis, & minus, omnifarias accipit formas, seu dispositiones coloris, & saporum. Plena namque ipsa terra virtutibus, seu qualitatibus aluminis, & calcis, & aliorum talium, per quae aquae dulces colantur, transmutantur in diuersos sapores, & hae quidem aridae fiunt, quemadmodum fons in Sicania Siciliae, ibi enim aqua accetosa fit, et incolae vtuntur ea, sicut aceto ad quaedam sua edulia. Est autem, & circa Lyncum fons quidam aquae acidae. Circa Scythiam autem amarus: aqua autem, quae ab ipso defluit, & fluuium vicinum ingreditur, facit ipsum fluuium amarum totum. Differentiae autem horum inde manifesta sunt, nempe ex diuersis terrae qualitatibus, & saporibus; quales autem sapores ex qualibus fiant commistionibus, dictum est de ipsis seorsim in alijs, scilicet in libro, qui est de saporibus,

atque

Maris aqua quomodo fiat dulcis.

Opinio Platonis de Mari.

Diuersi sapores aquarum.

atque partim in libro de sensu. De aquis igitur, & mari, propter quas causas, & semper continuè sunt, & quomodo transmutantur, & quæ natura ipsorum, adhuc autem quascunque passiones, vel effectus secundum naturam ipsis accidit agere, & pati, dictum à nobis est, & si fortè non de omnibus, ferè de pluribus, & principalioribus; quo vero ad generationem totius maris nihil expressè diximus, quia ipsum cum mundo ingenitum ponimus: sed quoad generationem partium, & hic, & in libris de Generatione, & Corruptione satis notum est, quod ex mutua contrarietate elementorum ipsa generantur, & corrumpuntur: quare etiam id mari ipsi accidere putandum est, cum sit aqua eiusdem speciei cum alijs aquis, & si accidentaliter differant secundum diuersas qualitates.

SVMMA SECVNDA.

De Ventis.

CAPVT I.

De ventorum essentia, & generatione.

DE Ventis autem dicamus, cum sumpserimus principium dictum à nobis iam prius, videlicet, quod sunt duæ species exhalationis, vt diximus, hæc quidem humida, illa autem sicca. Vocatur autem humida vapor, illa autem secundum se totam, seu secundum propriam naturam innominata est; sed vtentes, quod in parte sibi conuenit, necesse est appellare ipsam, fumum, seu exhalationem, quod nomen in parte sibi conuenire dicitur, quia est nomen commune etiam vapori. Est tamen notandum, quod licet, vapor dicatur humidus, & exhalatio sicca, non tamen sic est intelligendum, quod ille simpliciter humidus, hæc autem sit simpliciter sicca; est enim neque humidum sine sicco, neque siccum sine humido; sed omnia hæc dicuntur secundum excessum; sic videlicet, quod vapor dicitur humidus, quia plus humiditatis, quam siccitatis habet; exhalatio autem è contra. Cum itaque Sol circulariter fertur, & cum quidem appropinquauerit, per caliditatem sursum ducit humidum: longius autem cum fiat, propter infrigidationem vapor sursum ductus consistit, seu congelatur iterum in aquam (quapropter hyeme magis fiunt aquæ, & nocte, quam per diem, quia temporibus istis magis est longè Sol, licet pluuiæ nocturnæ non videantur, sicut diurnæ) descendens autem aqua distribuitur tota in terram: existit autem in terra multus ignis, & multa caliditas, & Sol non solum trahit illud humidum, quod supernatat terræ, sed calefaciens ipsam terram desiccat; vnde (sicut dictum est) necessariò duplex est exhalatio, hæc quidem vaporosa, seu humida, illa autem fumosa. Harum autem, exhalatio quæ quidem plurem habet multitudinem humidi est principium materiale pluentis aquæ, sicut dictum est prius. Sicca autem secundum suam naturam est principium omnium flatuum, seu ventorum. Hæc autem quæ diximus, videlicet, quod vapor sit principium pluuiæ, exhalatio venti, quod isto modo necessarium sit accidere, ex ipsis operibus palam est. Etenim exhalationes has duplices necesse est differre; & Solem, & eam caliditatem, quæ est in terra ab ipso Sole productam, non solum possibile est hæc facere, videlicet has duas exhalationes, sed etiam necessarium est; at alij sunt exhalationis siccæ effectus, nempe venti, &c. alij humidæ, vt pluuiæ, ergo ipsæ quoque diuersæ sunt. Quoniam autem altera vtriusque species, & natura est, manifestum est, quod differunt ipsæ, & etiam effectus: quare non est eadem natura venti, & pluentis aquæ, sicut quidam aiunt: dicunt etenim eundem aerem motum esse ventum, dum autem consistit, & condensatur est aqua. Aer igitur sicut in sermonibus ante hos diximus, nempe in secundo de Generatione, & Corruptione, fit ex his; ergo ab ipsis differt, quia idem non fit à seipso, quod vero ex istis fiat, & differat, iterum breuiter declaratur. Vapor enim vel aqua (pro eodem nunc accipi debent) est quid frigidum, & humidum: humidum enim dicitur, quod bene terminabile est alieno termino, aqua autem sic se habet; frigida autem ipsa aqua est talis ex propria natura, ac etiam vapor, sicut aqua non calefacta, nam calor vaporis est ei extraneus, & accidentalis. Fumus autem, vel exhalatio, seu ignis, est calidus, & siccus, aer autem est calidus, & humidus: quare conuenit cum aqua, vel vapore in frigiditate, differt in caliditate; cum igne verò conuenit in caliditate, & differt in humiditate: quare veluti ex cognatis fit vtique aer humidus, & calidus, ex aqua & igne; & ab illis alijs duabus differt qualitatibus, vt dictum est. Etenim inconueniens est, si aer qui confusus est circa singulos mundi situs, fiat ventus cum mouetur, & vndecimque motus fuerit, ventus fit, ac varia ventorum nomina sortiatur. Melius namque est existimare de ventis, sicut de fluuijs, non enim credimus, fluuium esse fluxum aquæ fluentis qualitercunque, seu secundum quamcunq; aquarum multitudinem, sed oportet esse aquam fontanam, quæ fluit: sic de ventis dicendum est, mouebitur vtique magna multitudo aeris ab aliquo magno casu, vt ab influentijs cælestibus, vel Sole, non tamen habet principium neque fontem, seu origmem, vnde possit ventus vocari; præterquam quod etiam ex propria natura à vento differt, vt visum est: quare non rectè dicunt aerem motum esse ventum. Attestatur autem, quæ fiut dictis, hoc est, quod ex vaporibus fiat pluuia, ex exhalationibus venti. Quia enim continuè quidem, magis autem, & minus intensa, atque etiam maior, & minor secundum extensionem, & quantitatem fiet exhalatio, & vapor, & similiter semper, & nubes, & venti fiunt secundum vnumquodque tempus, vt nata sunt fieri, nubes videlicet, & pluuia à vapore, venti ab exhalatione. Quia autem talis materia exhalationis, & vaporis aliquando quidem fit multo copiosior vaporosa, aliquando autem sicca, & fumosa, ideò proportionaliter quandoque quidem pluuiosi fiunt anni & humidi, quandoque autem ventosi, & sicci, ergo pluuiæ à vapore fiunt, venti autem ab exhalatione. Aliquando igitur accidit, & siccitates, vel ventos, & pluuias multas simul fieri, & secundum multam, & continuam regionem, aliquando autem secundum partes tantum: Sæpe enim regio, quæ in circuitu, seu circa nos est, accipit imbres, seu pluuias temporaneas, hoc est secundum statuta, & conuenientia tempora, in aliqua tamen parte istius regionis siccitas est. Aliquando autem contrarium accidit, vt ea regio, quæ in circuitu est, recipit mediocriter aquas, aut etiam vt plurimum magis sicca est, quàquam aliqua pars eius acceperit copiosam aquam multitudinem. Causa autem cur aliquando hi effectus, nempe pluuiæ, vel venti ad totam aliquam se extendant regionem, aliquando non, est, quia vt plurimum quidem conueniens est eandem passionem pertingere ad plurimam regionem, quia partes eius propè sunt inter se, ideò parua est, & similiter respondent respectu Solis, ita vt cum sint

parua,

paruæ, ab ipso respici possunt, nisi aliquæ tales regionis partes habeant aliquod proprium differens ab alijs partibus, quod aspectum Solis impediat, vt sunt montes, vel siluæ, hac etenim de causa diuersi effectus in diuersis partibus accidunt. Vnde aliquando, secũdum hanc quidem partem, sicca exhalatio facta est amplior, secundum aliam autem vaporosa, aliquando autem contrarium. Et ipsius autem diuersitatis causa est (preter diuersitatem predictam regionis) quia vtraque exhalatio, tam vaporosa, quam sicca, decidit in exhalationem contiguæ regionis, hoc est discurrit, & fit exhalatio, & fluit secundum propriam regionem, in qua orta fuit; humida autem in vicinam, aut etiam in aliquem remotiorem locum propulsa est à flatibus. Aliquando autem, quæ quidem humida mansit in eadem regione; contraria autem idem quod ipsam fecisse dicimus, fecit, hoc est discessit. Et accidit hoc sepe sicut in corpore animalium; si superior venter siccus fuerit, inferior contrariè disponitur: & hoc sicco existente, humidus ac frigidus superior fit. Sic circa loca, exhalationes patiuntur circumobsistentiam, vel antiparistasim, & permutantur. Adhuc autem post imbres ventus vt plurimum fit in illis locis eisdem, in quibus contingit fieri imbres, & venti cessant, aqua facta. Hęc .n. necesse est accidere propter dicta principia diuersa exhalationis, videlicet, & vaporis. Cum .n. pluerit, terra exiccatur, & ab eo calido quod est in ipsa, ex Sole accepto, & ab eo quod desuper exhalat, ab ipsa terra virtute Solis, & astrorum generantur venti: hoc autem erat venti corpus, & natura, exhalatio videlicet calida, & sicca. Et cum talis segregatio fuerit, & venti dominentur, cessantibus, quia calidum in ipsis commistum segregatur semper, & sursum fertur in superiorem locum: vapor ventis commistus infrigidatur, ac cogitur, seu condensatur, & fit aqua; & cum in eundem locum compulsæ fuerint nubes, ad quem compulsi erant venti, & circumobstiterit frigiditas ad ipsas, aqua fit in tali regione, & infrigidat siccam exhalationem, quæ erat materia ventorum: vnde ipsi venti cessabunt. Cessare igitur faciunt aquæ ventos, & ventis ipsis cessantibus, ipsę aquæ fiunt propter has dictas causas. Adhuc autem, quod maximè fiant flatus ab Vrsa, & meridie, eadem causa est: plurimi enim ventorum fiunt, qui Boreæ, & Austri dicuntur. Sol enim solum ad hæc loca non accedit, nempe ad vrsam, vel polum arcticum, qui Boreas quoq; dicitur, nec ad meridiem, scilicet ad polum meridionalem, in ordine ad nos, qui antarcticus, & Australis dicitur, sed ab ipsis locis recedit, & accedit aliquo modo, sed valde distanter; quare ibi exhalationes, & vapores congregari possunt, quia ab ipso Sole non resoluuntur faciliter: ad occasum autem, & Orientes locos semper ipse Sol fertur; quapropter non in istis locis, sed in lateribus coguntur nubes, & fit, accedente quidem Sole ad hæc loca, exhalatio humidi, seu attractio sursum, abscedente autem ad contrarium, fit aqua, & hyemes, seu aliæ frigidæ impressiones. Propter lationem igitur Solis ad tropicos, & à tropicis, fit æstas, & hyems: cum namq; ad tropicum Capricorni accedit, illic fit æstas, nobis vero hyems: cum autem ab illo recedit, & ad tropicum cancri accedit, nobis fit æstas, illis autem hyems; tempore igitur accessus eleuatur sursum aqua, vel vapor; tempore recessus, fit seu iterum congelatur. Quoniam autem plurima quidem descendit aqua in hæc loca, ad quæ Sol vertitur, & à quibus descendit; hæc autem sunt loca, quę ad Vrsam sunt, & ad meridiem. Vbi autem terra plurimam aquam suscepit, hic plurimam necessarium est fieri exhalationem; simili modo, vt ex viridibus lignis fumum. Exhalatio autem hæc ventus est, ideo rationabiliter hinc fiunt plurimi, & principalissimi venti. Vocantur autem, qui quidem ab Vrsa, Boreæ, qui autem à meridie, Austri. Latio autem ipsorum obliqua est; circa terram enim flant, quia omnis aer, qui in circuitu est, & supra montes, consequitur lationem cæli; ideo ipsi venti qui sursum tendunt, & à tali motu circulari vertuntur, efficiunt motum quemdam mistum inter rectum, & circularem, qui lateralis est. Quapropter dubitabit vtique aliquis, vnde sit principium ventorum, vtrum desuper, an desubter. *Principium ventorum, vnde.* Motus enim ipsorum desuper est, nam antequam flent, aer clarus est interdum, & tunc non bene discernitur: si autem fuerint nubes, & caligo, hoc manifestum est; ipsa enim incipiunt moueri, qui motus à ventis prouenit. Significant igitur, cum mouentur, principium flatus, antequam manifestè ipse ventus venerit; quare non tantum motum, sed etiam principium generationis, desuper habere videtur. Respondetur ergo. Quoniam autem ventus est quædam multitudo siccæ exhalationis ex terra, *Ventus quid.* & circa terram mota lateraliter; palam est quod principium quidem motus ipsius desuper est, nam inde (vt diximus) reflectitur; principium autem materiæ, & generationis desubter. Quod autem motus desuper principium habeat, probatur; qua enim exhalatio ipsa, quæ ascendit, tenderit, inde causa est lationis reflexæ, & lateralis: latio enim eorum corporum, quæ longius sunt à terra, nempe Cælestium, domina est, & effectrix istorum mediante aere moto, vt dictum est, & simul ipsa exhalatio de subter quidem sursum in rectum fertur, tamen magis mouetur sursum, & magis valet; quia vnumquodque magis valet propè principium vnde sumpsit virtutem, & motum, hunc autem ex aere sumpsit, vt dictum est. Motus igitur sursum principium habet. Generationis autem principium, palam, quod ex terra est. Quod autem fiant venti ex conuenientia multarum exhalationum paruarum, palam est exemplo; sicut namq; principia fluuiorum fiunt ex paruis collectis humoribus, qui à terra manant, vt ex operibus patet, dum fiunt aquæ ductus subterranei, ita quoque venti aggregantur. Vnde enim singulatim flant, minimi omnes sunt, procedentes autẽ & longè, validiores flant, & maiores fiunt. Adhuc autem, loca quę circa Vrsam sunt, hyeme tranquilla sunt, & sine vento: sed secundum paucum vlterius flans, & latens; extra procedens, fit iam ventus vehemens, quia aliæ secum vniuntur exhalationes; ex quibus omnibus notum est, quod venti, & pluuiæ ex diuersis proueniunt causis, & materijs, quod probandum assumpsimus. Quæ igitur est venti natura, & quomodo fit, adhuc autem de siccitate, & de abundantia imbrium, & propter quam causam cessant, & fiunt venti post imbres, & propter quid Boreæ, & Austri plurimi ventorum sunt, & de latione ipsorum, dictum est.

CAPVT II.

Quas ob causas venti cessent. Quibus temporibus aliqui eorum flent, & à quibus locis, & de partibus terræ habitabilibus.

Sol autem cessare facit, & etiam commouet, seu excitat ventos; debiles enim, & paucas existentes exhalationes extinguit, & suo ampliori calido disgregat, id quod minus in exhalatione existit: assumit namq; ipsum, & materiam eius absorbet, vel resoluit. Adhuc autem præuenit ipsam terram, eam exiccans, antequam facta fuerit simul

multa excretio, seu exhalatio, ex qua fierent venti, sicut si in multum ignem inciderit modicum exustibile; praeuenit ipsum saepe ignis, ita vt antequam fumum faciat, combustum sit; propter has igitur causas cessare facit ventos, & à principio prohibet fieri, faciens eos quidem cessare ob consumptionem exhalationis; celeritate autem siccitatis, (prout citò desiccat exhalationem, quam venti expostulant) fieri prohibens. Quapropter circa ortum Orionis (quę est imago caelestis, stellis ornata, ense, & claua armata, occasum respiciens, & cum tauro decertans, qui oritur, dum Sol est in geminis, tempore videlicet aestiuo) maximè fit ventorum tranquillitas, & durat vsque ad Etesias, & Prodromos, qui sunt venti aquilonares, & ortum caniculae per octo dies antecedunt. Vniuersaliter autem fiunt tranquillitates propter duas causas, aut enim propter frigus, cum extinguitur exhalatio, veluti cum fuerit gelu forte, aut cum marcescit à suffocatione ex nimio calore: plurimę autem tranquillitates fiunt intermedijs temporibus, hoc est neque hyeme, neque aestate, quod accidit aut ex eo, quod nondum facta sit exhalatio, aut ex eo, quod iam exhalatio praeterijt, & alia nondum aduenit. Indiscretus autem, & molestus Orion esse videtur, dum oritur, aut occidit, (alio namque tempore tranquillum esse diximus) quia occasus eius accidit in transmutatione temporis, & similiter ortus aestate, aut hyeme, & propter magnitudinem astri dominantis fit pluralitas dierum, in quibus venti dominantur; transmutationes autem omnium ventorum turbulentae sunt propter indeterminationem temporis. Etesiae autem flant post versiones, & canis ortum, & neque tunc quando maximè propè fuerit Sol, neque quando longè, & diebus quidem flant, noctibus autem cessant. Causa autem est, quia Sol propè existens praeuenit exiccans antequam fiat exhalatio: cum autem modicum abscesserit, mediocris iam fit caliditas, adeo vt aquae congelatae liquescant, & terra exiccata, & à propria caliditate, sibi olim relicta à Sole, (ipsa namque ex sua natura calida non est) & ab ea, quae tunc actualiter Solis est, quasi ardescit, & exhalat. Nocte autem desinunt, quia congelata liquescere desistunt, propter frigiditatem noctium; vnde non habetur sufficiens exhalatio. Exhalat autem neque quod congelatum est, neque quod nihil habet siccum, sed cum siccum habeat aliquam humiditatem, hoc calefactum exhalat. Dubitant autem quidam, propter quid Boreae quidem fiunt continuè post aestiuales versiones; Austri autem sic non fiunt post hyemales. Habet autem non irrationabiliter difficultatem haec dubitatio. At respondetur, quod isti venti, qui post estiuales versiones fiunt, non sunt propriè Boreae, sed Leuconoti, seu serenantes, ac albi Austri, qui opposito tempore fiunt, hoc est non ordinatè, & semper tempore eodem: quapropter qui inquirunt de ipsis, ac si essent Boreae, latenter, seu inscienter faciunt. Causa autem est, quia Boreas quidem flat à locis, quae sub vrsa sunt, quorum multa sunt plena aqua, & niue; quibus liquefactis à Sole post aestiuales versiones, magis quam in ipsis flant ipsi venti Etesiae, seu Boreae: vnde propterea q; ferè eisdem temporibus fiunt cum Leuconotis, accidit deceptio. Fiunt igitur Boreae post aestiuales versiones, seu postquam caeperit aestas; tunc enim in regionibus Vrsae, vel septentrionalibus, & suffocationes fiunt, non cum maximè appropinquauerit Sol ad Vrsam, sed cum ampliori tempore calefecerit, adhuc autem propè existens quantum conuenit, ac sufficiens est. Similiter autem rationabiliter post hyemales versiones fiunt Ornithiae, seu Austri; etenim hi Etesiae sunt debiles, minores autem, & tardiores Etesijs propriè dictis flant. Septuagesimo enim die post approximationem Solis ad illam regionem incipiunt flare; propterea quod Sol longè existens ab ea inualescit minus, vnde faciliter tales exhalationes eleuare, ac disponere non potest, vt venti fiant. Non continui autem similiter flant, quia exhalationes, quae sunt in superficie terrae, & debiles, tunc segregantur, quare diu durare non possunt: magis autem congelata ampliori indigent caliditate; quapropter interpollantes illi flant, donec iterum sub versionibus ipsis aestiualibus flauerint Etesiae; quoniam vult quam maximè continuè hinc semper flare ventus. Auster autem ab aestiua versione flat, & non ab vna, vel altera vrsa, quae sunt circa polum articum, vt dictum est alibi; pro intelligentia igitur diuersitatis ventorum, videndum est de regionibus terrae habitabilis. Est igitur sciendum quod duae sunt sectiones, seu diuisiones, vel Zonae regionis terrae, quae habitari potest, quae vocantur Zonae temperatae (tres autem aliae, quarum duae sunt frigidae sub polis, altera torrida, seu adusta sub aequinoctio, inhabitabiles sunt) haec quidem est circa superiorem polum, qui secundum nos est, hoc est propę tropicum cancri, media videlicet inter ipsum tropicum, & circulum arcticum (vocatur polus arcticus superior, quo ad nos tantum; nam in ordine naturae, & caeli inferior vocatus fuit in secundo de caelo tex. 16.) illa autem Zona ad alterum polum, & ad meridiem (hoc est procedendo circa meridiem, sed ab ipso aequaliter distat, sicut alter polus) quare terra in ratione istarum duarum Zonarum existit velut figura tympani, talis enim est figura terrae (habitabilis, non autem totius, vt dictum est in secundo de caelo tex. 104. & inde, rotundam namque esse statuimus, & eam, quae est tympano similis alibi reiecta est.) Debemus igitur imaginari, vt haec figura tympano similis, terrae applicetur, duas lineas, quae ex centro ipsius terrae ductae excidant, versus polum arcticum, sic quod ex ipso centro incipiant se tangentes, deinde paulatim dilatentur, sicut figura pyramidis, quae non à basi, sed ab acumine incipiat, vnde fit pyramis, cuius basis sit ficta circa capricornum, acumen vero in centro terrae, & hoc modo trahantur duae aliae lineae, eodem centro ad cancrum, & supra, & sic figura terrae apparebit tympano similis. Facient igitur praedictae lineae duos conos, hunc quidem habentem basim supra tropicum cancri, qui semper nobis est manifestus, verticem autem in medio terrae. Eodem autem modo ad inferiorem polum, seu circa capricornum alij duo coni, seu duae lineae trahantur, quae vnum conum in medio terrae efficiunt, & diuisionem faciunt. Hae autem, quae ex basi ferè vsque ad mediam figuram pyramidis describuntur, solae sunt possibiles habitari, & neque vltra tales versiones, seu propè aequinoctium, vel polos. Si enim aliae habitabiles essent, & maximè quae circa polos, Sol deberet eis esse magis propinquus, vt frigiditatem intolerabilem tolleret; quare vmbra vtique non esset sic continuò ad vrsam, vt est: media namque pars anni Sol non videtur illic, propter vmbram terrae; alia vero media parte anni videtur valdè distanter; vnde vmbra corporum est longissima, vt accidit nobis circa ortum, vel occasum Solis; neutra igitur vmbra esset ad vrsam, si talis regio esset habitabilis; idem dicatur de alio polo, nempe antarctico: nunc autem haec loca inhabitabilia fiunt, priusquam subdeficiat, aut permutetur vmbra circa meridiem, hoc est priusquam Sol ad tropicos accedat, haec loca Solem nullo modo habent. Quę igitur sub Vrsa sunt loca, à frigore sunt inhabitabilia. Fertur autem corona secundum hunc locum polorum. hoc est Sol circuit ista loca per aliquos menses circa Horizontem: sicut videtur nobis esse, vel fieri super caput nostrum, cum Sol fuerit secundum meridianum; transit namque tunc super nostrum caput, &

Partes terrae habitabilis.

coro-

coronam describit circa ipsum caput, & pedes. Regiones ergo polares, quia non propè habent Solem, ac ideo frigidæ sunt, non sunt habitabiles, vel non benè. Quæ vero sub æquinoctio sunt ob excessiuum calorem, eodem modo non sunt habitabiles; vt autem melius, quæ diximus de partibus terræ habitabilibus, & maximè secundum lineas, ac conos designatos superius intelligantur, sequentem figuram apposuimus, quæ omnia lucidè declarabit.

Polus Antarcticus.

Figura media Tympano. assimilatur

Zona Frigida
Zona Tempera ta
Tropicus Capricorni
Zona Torrida
Tropicus Cancri
Zona Tempera ta
Zona Frigida

Polus Arcticus.


Quapropter, & ridiculè describunt nunc circuitus terræ; describunt enim circularem, hoc est circumcirca per totam habitatam. Hoc autem est impossibile secundum apparentiam, & secundum rationem; Ratio namque ostendit, quod ad latitudinem, seu de polo ad polum (loquendo nunc more Antiquorum; dictum namque est in secundo de cælo tex. 14. spatium de polo ad polum esse longitudinem) quidem determinata est, quia propè polos ob nimium frigus habitari non contingit. Circulariter autem, hoc est de Oriente ad Occidentem, contingit vt terra habitabilis vndique sit, cum altera copuletur, & habitetur propter temperaturam (non enim frigus, & æstus, secundum longitudinem hanc excedunt (loquendo etiam secundum alios, nam ibidem hæc latitudo dicta fuit), sed hic excessus est tantum secundum latitudinem: quare nisi alicubi prohibeat multitudo maris, totum est perambulabile, & habitabile) secundum apparentiam etiam notum est, quod dicimus, considerando nauigationes, & itinera. Multum enim longitudo, vel distantia de Oriente in Occidentem, differt à latitudine, seu à distantia, quæ est inter polos per lineam rectam. Spatium enim quod est ab Herculeis columnis, vsq; ad Indicam regionem, quia secundum longitudinem procedit, seu secundum Orientem, & Occidentem, excedit illud quod est ex Ethiopia ad Mæotin, & extrema Scythiæ, plus quàm sit excessus quinque ad tria secundum magnitudinem; quod verum, vel rationabile esse videbitur, si quis per nauigationes ratiocinatur, & vias, non ita ad punctum exactè, quod fortè est impossibile, sed quantum contingerit accipere certitudines talium rerum. Et quidem secundum latitudinem, vsq; ad loca inhabitabilia scimus eam esse habitatam. In alijs autem locis nequaquam habitatur, hic enim, (videlicet apud polos) propter frigus non amplius habitant; illic autem (scilicet sub æquinoctio) propter æstum. Quare vt diximus per longitudinem, vel decursum Solis, extra tamen tropicos, per totum habitabilis est, nisi mare, vel aliud impediat. Vnde loca, quæ extra Indicam regionem sunt, & extra columnas Herculeas, etsi ex se habitabilia essent, tamen propter mare non videntur copulari, ita vt tota terra habitabilis ex ea parte sit continua. Quoniam autem similiter se habere necesse est locum quendam ad alterum polum, sicut quem nos habitamus, ad eum polum, qui supra nos est, palam est quod proportionaliter se habebunt alia loca, & cõstitutio similiter ventorum. Quare quemadmodum hic Boreas ventus est à nostro polo, sic illis ab illo polo qui ibi est, aliquis ventus existit, quem impossibile est huc pertingere: quoniam neque iste noster Boreas flat in eam regionem, quæ illic habitatur, est enim velut abterraneus flatus Borealis, hoc est veluti Oriens circa nostram terram, nec multum se extendẽs. Sed quia habitatio ista ad vrsam est posita, plurimi Boreæ hic flant. Tamen talis ventus etiam hic deficit, & non potest longè pertransire. Eodem igitur modo circa alium polum philosophari debemus. Quoniam ergo illi sũt circa mare australe extra Lybiam, quemadmodum hic Boreæ, & Austri, sic ibi Euri, & Zephyri succedentes cõtinui sẽper flant. Quod igitur Auster non sit ventus flans ab altero polo, nempe antarctico, manifestum est; quoniam neque ille, qui illic flat, prouenit ab hac nostra hyemali versione, seu ex hoc nostro polo illuc (dicitur hyemalis respectiuè, quia accedendo hinc illuc, fit transitus per meridiem, ac æstiualem) oportebit vtiq; si hic illuc flaret, alium ventũ ab æstiuali versione, seu illinc, huc similiter esse: sic n. quid proportionale assignabitur; nunc autẽ non est ita hic, ergo neq; illic proportionaliter. Vnus enim solus videtur flans,

huc ventus ex locis, quæ inde sunt, non tamen propriè inde venit, sed magis propè nos, & ex æquinoctiali, quare necesse est ab exusto loco esse hunc flantem ventum, quem dicimus Austrum. Ille autem locus vnde venit propter Solis vicinitatem non habet aquas, neq; pascua, quæ propter liquefactionē possint facere Etesias, seu vētos continuos & annuales. Interdū tamen ob diuersa accidentia Austri fieri possunt. Vnde quia multo maior est locus ille, et amplior, et expansus, & Auster est ventus magis vrens, ac penetratiuus, quam Boreas; ideo ipse Auster magis huc pertingit, quam Boreas illuc. Quæ igitur causa est horum ventorum, & quomodo se habent adinuicem, dictum est.

CAPVT III.

De ventorum numero, situ, contrarietate, temperatura, & operationibus.

De situ autem ipsorum, & qui quibus contrarij sint, & quos simul flare contingat, & quos non; adhuc autem qui, & quot sunt existentes, & adhæc de passionibus, de quibus in Problematibus non contingit dictum esse, dicamus nunc. Oportet autem de situ ipsorum loquentes, rationes ex descriptione terræ, vel vniuersi considerare. Descriptus sit igitur à nobis (vt magis insigniter habeatur cognitio) Horizontis circulus, quapropter, & describatur rotundus, vt decet. Oportet autem intelligere ipsius terræ alteram diuisionem, vel partem dimidiam, quæ sub nobis est, habitatam esse: erit enim conueniens illam eodem modo diuidere, sibi proprium Horizontem assignando. Facta igitur diuisione hoc modo, supponatur primò, contraria secundum locum esse ea, quæ plurimum secundum locum differunt. Sicut quæ secundum speciem sunt contraria, seu sicut duæ contrariæ species, vt caliditas, & frigiditas secundum speciem distant, seu nullo modo conueniunt, vt species intermediæ. Plurimum autem distant secundum locum, quæ posita sunt contra se inuicem secundum diametrum, vel lineam rectam. Signetur igitur circulus, qui Horizontem repræsentet, & trahatur linea de Oriente in Occidente, sit igitur in quo A, occidens æquinoctialis (sunt enim tres Occidentes, & tres Orientes, scilicet æquinoctialis, æstiualis, & hyemalis) contrarius autem huic locus in quo B, Oriens æquinoctialis. Alius autem diameter signetur incidens, vel diuidens hanc prædictam ad rectam lineam, vel angulos, per modum videlicet crucis. Cuius vltimum id quod per G signatur, sit Vrsa, vel polus arcticus. Huic autem contrarium signum ex opposito quod sit H, sit meridies, vel polus antarcticus, deinde trahatur alia linea similiter recta, & paralella æquinoctionali inter æquinoctialem, & Septentrionem, & in extremo ipsius sit F, seu Oriens æstiualis: in altero vero extremo sit Occidens æstiualis signatus per E, Similiter inter polum antarcticum, & æquinoctialē ducatur alia linea, & in principio eius designetur per D, Oriens hyemalis, & per C in fine, Occidens hyemalis. Ab F autem siue ab Oriente æstiuali ducatur diameter ad C scilicet, nempe ad Occidentem hyemalem, & à D seu Oriente hyemali ducatur alia ad E, scilicet ad Occidentem æstiualem, vt hæc figura declarabit. Occidētis, & Orientis quot, & quæ.



Quoniam autem, quæ plurimum secundum locum distant, sunt contraria secundum locum; plurimum autem distantia sunt, quæ distant secundum diametrum, vel lineam rectam: necessarium est ventorum, hos inuicem esse contrarios, quicunque secundum diametros sunt, vel opponuntur, qui quidem diuersis nominibus vocantur secundum positionem, vel situm locorum, in qua flant. Zephyrus quidem ab Occidentem æquinoctiali signato per A, flat, contrarius autem huic erit, qui vocatur Apelliotes, & flat à B, seu ab Oriente æquinoctiali. Boreas autem, & Aparctias à G, seu ab Vrsa flant. Contrarius autem huic est,


est, notus qui fluit ab H, meridies enim hic est à quo flat, & H, ipsi G, contrarium est, quia secundum diametrum distant, ab F, autem qui est oriens æstiualis fluit Cæcias, contrarius autem est ei, non qui flat ab E, seu ab Occidente æstiuali, sed qui fluit à C, scilicet ab Occidente hyemali, & vocatur Libs, contrarius enim est huic, quia secundum diametrum, seu longiorem lineam rectam opponuntur. Qui autem flat à D, nempe ab Oriente hyemali, & vocatur Eurus, vicinus existens Noto; quapropter & sæpe Euronoti dicuntur flare (quia sunt propinqui, & similes, vnde interdum loco vnius accipiuntur) habet contrarium, non qui fluit à C, vel Occidente hyemali, & dicitur Libs, sed eum qui fluit ab E, seu Occidente æstiuali; quem vocant, hi quidem Argesten, hi autem Olympiam, hi autem Scironem; iste enim vt dictum est, ab occidenti æstiuali flat, & secundũ diametrum ipsi opponitur solus. Hi igitur venti positi secundum diametrum, sunt, qui habent contrarios. Alij autem sunt secundum quos non est contrarietas ventorum. Ab I, enim, seu signo quodam medio inter Occidentem æstiuum, & vrsam spirat quidam ventus, quem vocant Trasciam, iste enim medius est Argestæ, & Aparctiæ ab K; autem, seu signo inter ortum æstiualem, & Boream flat ventus, quem vocant Mesen, iste enim medius est Cæciæ, & Aparctiæ. Diameter autem ipsius K vult quidem semper apparentem esse hunc ventum, non exactè autem est. Contrarij autem non sunt alij his ventis modo dictis, neque Mese (Flaret enim vtique aliquis ab eo signo in quo M, opposito scilicet diametraliter ipsi K: hoc enim est secundum diametrum) neque ipsi I seu Trasciæ, alter contrarius est, flaret enim vtique alter contrarius ab N, hoc enim signum secundum diametrum est sibi oppositum; tamen etsi non ab ipso signo diametraliter flet oppositus ventus, ad modicum nihilominus flat quidem ventus, quem vocant, qui in illo loco sunt, Phæniciam. Principalissimi igitur, & determinati venti hi sunt, & hoc modo ordinati. Quod autem sint plures venti à locis ad Vrsam, quam ab ijs, qui sunt ad Meridiem, causa est, terram habitabilem supponi ad hunc locum, & quia multo amplior aqua, & nix repellitur in hanc partem, quia illa alia loca meridionalia sub Sole sunt, & illius latione nimis exusta fit regio: in ista autem ipsis niuibus liquescentibus in terra, & calescentibus à Sole; cum ipsa quoque terra necessarium est ampliorem, & ad maiorem locum fieri exhalationem, & ventum propter hanc causam. Sunt autem dictorum flatuum Boreas quidem, & Aparctias principalissimi, & similiter Trascias, & Mese; Cæcias autem communis Apelliotæ, & Boreæ, hoc est ratione loci communis, est particeps vtriusque, ac ipsorum qualitatum. Zephirus autem, & Ithagenes, & qui Argestes vocatur, etiam ad eundem ferè communem reducuntur, ob causam prædictam. Vniuersaliter autem horum, hi quidem Boreales vocantur, hi autem Australes. Reducuntur autem Zephyrici quidem ad Boream, frigidiores enim sunt, quia ab Occidente flant, ideo ad Boream pertinent. Noto autem tribuuntur, vel reducuntur Apeliotici, calidiores enim sunt, quia ab Oriente flant, vt ipse quoque Notus. Determinatis igitur ventis, frigido, calido, & tepido, sic vocauerunt eos, prout talibus qualitatibus sunt affecti, & præcipuè secundum ordinem ad regiones ex quibus flant. Calidiores autem sunt qui ab Oriente, ijs qui ab Occidente: quoniam pluri tempore sub Sole sunt, qui ab Oriente; eos autem qui ab Occidente, dereliquit citius, & appropinquat ad locum ipsorum tardius. Sic autem ordinatis, manifestum est esse impossibile, ventos contrarios simul flare, secundum enim diametrum distant, alter igitur passus violentiam ab altero cessabit, vel pugnabunt, ac miscebuntur, vnde neuter syncerè flabit. Eos autem qui non sic adinuicem positi sunt per diametrum distantes, nihil prohibet, vt simul flent, vt F, & D, seu Eurus, & Cæcias, quorum primus ab Oriente æstiuali, alter ab Oriente hyemali flat, sic namque non opponuntur, & propter hoc simul flant aliquando secundi dicti, nempe Eurus, & Cæcias, ambo videlicet simul ad idem signum, non tamen ex eodem, neque eodem spiritu, seu impetu. Secundum autem contraria tempora anni, contrarij maximè flant venti. Vnde circa æquinoctium vernale, quod accidit circa medium Martij mensis fluit Cæcias, & omnino qui habent ortum vltra tropicum æstiualem; circa autumnale autem æquinoctium, quod circa medium mensis Septembris contingit, flat Libs, qui oritur circa Occidentem hyemalem, ac vltra tropicum hyemalem. Circa versiones autem æstiuales, seu tempore æstiuo, Zephyrus, circa hyemales autem Eurus. Irruunt autem maximè in alios ventos, ac eos cessare faciunt Aparctiæ, & Thrasciæ, & Argestæ; propterea enim, quod maximè deprope impetus ipsorum est, crebrique, & fortes flant maximè isti. Quapropter inter omnes ventos sunt serenissimi; flantes enim deprope, ac magno impetu, maximè repellentes alios ventos eos cessare faciunt, & efflantes, seu flatu expellentes nubes consistentes, faciunt serenitatem; nisi simul sint vehementer frigidi, tunc autem non sunt serenantes; si enim fuerint magis frigidi, quam magni, præueniunt frigiditate nubes, sic quod ante eas congelant, quam expellant. Cæcias autem non est serenus, quia reflectitur in se ipsum, vnde non se extendendo in longum nubes non expellit; quare dicit prouerbium. Trahit ad se ipsum, vt Cæcias trahit nubes. Gyrationes, seu permutationes per modum gyri fiunt quidem ab ipsis, ipsis cessantibus in contiguosque transeuntibus, sic videlicet, quod vnus cesset, alter verò incipiat secundum transitum Solis, quia maximè ille ventus mouetur, qui est contiguus, vel propè principium suæ generationis, principium autem flatuum, nempe ipsa exhalatio sic mouetur, vt Sol, ab ipso namque excitatur, & virtutem motricem accipit. Contrarij autem venti, aut idem, seu eundem effectum faciunt (idem scilicet per accidens, hoc est ratione antiparistasis, vel alterius accidentis: per se enim, contrariæ causæ contrarios efficiunt effectus) aut contrarium, vt Libs, & Cæcias qui sunt contrarij, humidi sunt, seu humiditatem efficiunt, quem Cæciam quidam vocant Hellespontium. Argestes autem, & Eurus, qui similiter contrarij sunt, sicci sunt, vel siccitatem faciunt. Eurus autem à quibusdam vocatur etiam Apelliotes, à principio autem iste siccus est, desinens autem aquosus. Mese autem, & Aparctias, qui non sunt contrarij, ambo niuosi sunt maximè, isti enim frigidissimi sunt. Aparctias autem, Thrascias, & Argestes, qui neque sunt contrarij, grandinosi sunt. Notus autem, Zephirus, & Eurus, æstuosi, nec tamen contrarij. Nubibus autem condensant Cœlum; Cæcias quidem valde, Libs autem rarius. Cæcias quidem propterea quod reflectitur ad se ipsum, & quia communis est, seu participat Borea, & Euro, quare quia frigidus est, congelans vaporantem aerem, nubes cogit. Quia autem Apeliotes fluit immediatè à loco, vbi genitus fuit, & in quo est multa exhalatio, ideo habet multam materiam, & vaporem, quem propellit. Sereni autem, seu serenantes sunt Apparctias, Thrascias, & Argestes, causa autem dicta est prius. Coruscationes autem faciunt maximè hi, & Mese; quia

Effectus ventorum.

sen; quia enim de prope flant, frigidi sunt, hoc est quia flant prope polum arcticum, circa quem est frigiditas in partibus terræ. Propter frigidum autem fulguratio fit, segregatur enim exhalatio calida, coeuntibus, vel densatis nubibus, ob frigus. Quapropter quidam horum, eorundem grandinosi sunt, citò enim descendentem aquam congelant. Procellosi autem fiunt quidem autumno maximè, deinde vere, & maximè sunt tales Aparctias, & Thrasceias, & Argestes: causa autem est, quia procellæ fiunt maximè, quando alijs ventis flantibus, alij in ipsos irruunt. Causa autem huius dicta est prius, videlicet cur tres prædicti venti in alios irruant. Etesiæ autem gyrant habitantibus circa occidentem ex Aparctijs in Thrasceias, Argestas, & Zyphiros (Aparctias enim Zyphirus est) incipientes quidem ab vrsa, terminantes autem ad eos, qui longè ab vrsa sunt. His autem qui ad Orientem habitant, gyrant venti vsque ad Apelioten. Hæc igitur sunt accidentia ventorum, quæ vt magis in promptum habeantur, sic colligi possunt.

Venti humidi.	Frigidi.
Libs.	*Meses.*
Cacias.	*Aparctias.*
Apelliotes.	Sereni.
Sicci.	*Apartias.*
Argestes.	*Thrasceias.*
Eurus.	*Argestes.*
Aquosi.	Coruscarij.
Eurus.	
Calidi.	*Aparctias*
Auster.	*Trasceias*
Zephirus.	*Argestes*
Eurus.	*Meses.*

De Ventis igitur, & de ea generatione, quæ est à principio ipsorum, ac de natura, accidentibus passionibus, & communiter, & particulariter circa vnumquemque, tot nobis dicta sint. Nunc autem vt facilius contrarietates atque conuenientia ipsorum secundum propria nomina habeantur, sequens designatur figura.



SVMMA TERTIA.

De Terræ motu.

CAPVT I.

Antiquorum de Terræ motu opiniones, ac earum confutationes.

DE *quassatione autem, & Motu terræ post hæc dicendum est. Causa autem huius passionis contigua, seu propinqua huic generi ventorum est. Sunt autem vsque ad præsens tempus tres opiniones circa hoc traditæ & à tribus. Anaxagoras enim Clazomenius, & prius Anaximenes Milesius enunciauerunt de hoc, & posterius his Democritus Abderites. Anaxagoras igitur ait Aetherem, seu aerem, qui ex alia parte terræ est apud Antipodes, ac sub, seu deorsum esse credit, natum esse ferri sursum, hoc est ad nostram hanc aeris regionem, quam solum sursum esse existimat, & quia ascendendo incidit in inferiores partes terræ, atque implet concauitates eius, & impellit, ideo ipsam terram mouet, vult enim partes inferiores terræ esse concauas, & spongiosas, quæ vero sunt sursum in nostro hæmisphærio coniungi, seu condensari propter imbrem, & accidentaliter, quoniam ex sua natura totam esse laxam, vel spongiosam, aut raram, existimat. Habet igitur hanc opinionem, tanquam totius*

sphæræ

sphæræ, seu molis terrestris, hac quidem pars sit sursum, hac autem deorsum; ita vt hæc pars quam habitamus sit sursum, altera vero deorsum. Ad hanc igitur causam nihil fortè oportet dicere, tanquam sit valde simpliciter dictam; sursum enim, & deorsum putare sic se habere, vt ipse dicit, ita vt terra non sit ex omni parte simpliciter deorsum, & ad ipsam non vndique ferantur corpora grauitatem habentia, ab ipsa autem leuia, vt ignis, & alia, stultum est. Præsertim videntes horizontem terræ habitatæ quantum scilicet nos cognoscimus, alterum semper fieri si ambulemus, & trasferamur, quod ideo accidit, quia ipsa terra est gibbosa, & sphærica: si enim plana esset, non appareret nobis translatis diuersitas Horizontis, nisi totam partem planam transiremus; cum ergo ipsa terra sphærica sit, æqualiter rationabiliter debet à cælo distare, ergo non magis vna, quam altera pars; erit deorsum, quod magis à cælo recedit, sursum, quod ad ipsum accedit. Errat igitur in hoc, & in id quod sibi quoque tribuitur, videlicet quod asserat, ipsam terram esse figuræ planæ. Est etiam quidem erroneum dicere, quod propter magnitudinem in aere maneat; ac similiter desuper percussam ab aere, quassari per totam. Adhuc autem nullum assignat accidēs circa terræ motus: neque .n. regiones, neque tempora, quæcunq; participant hac passione ab ipsis (scilicet ab Anaxagora, & sequacibus) tanguntur. Democritus autem ait, terram existentem plenam aqua, & suscipientem multam aliam pluuialem, ab hac moueri; amplior enim cum ipsa aqua sit, quia cauitates terræ eam suscipere non possunt, ideò inferens vim, facit Terræ motum, & cum ipsa terra exiccatur, & trahit aquam in vacua loca ex repletioribus, transiens ipsa aqua inuadendo, mouet diuersas terræ partes. Anaximenes autem ait, Irrigatam terram, & postea exiccatam rumpi, & ab ijs ruptis verticibus, seu partibus circa verticem existentibus, atque cadentibus in profundum, ipsam terram concuti, seu quaßari, & moueri. Quamobrem ait fieri Terræmotum in siccitatibus, & iterum in pluuiosis temporibus. In siccitatibus enim, sicut dictum est exiccatam rumpi: in pluuiosis vero superhumectatam ab aquis, ac graue factam etiam decidere. Sed vtroque modo errat. Oportebat enim, hoc accedente, terram apparere in multis locis subuersam. Adhuc autem, propter quam causam, circa quædam loca fit hæc passio, nempe Terræmotus, quę quidem loca in nullo tali excessu sunt ab alijs differentia, idest neque siccitatem talem, neque irrigationem, vel inundationem passa sunt, plus quam alia? At qui si hæc erat causa, hoc oportebat accidere. Omnino autem qui sic existimant; necessariò dicere debent, minus semper fieri Terræ motus, & tandem aliquando penitus cessare terram concuti. Quod enim constipatur, vel constringitur ab alijs partibus talem habet naturam, vt semel desinat, sed per tales casus, & fracturas partium terræ, ipsæ partes constipantur, recipiuntur etenim simul circa centrum, ergo tandem cessabunt Terræmotus: quare si hoc impossibile est, videlicet quod cesset, palam est, quod est etiam impossibile, hanc esse causam.

CAPVT II.

De Terræ motus generatione, essentia, locis, temporibus, alijsque eius accidentibus.

Sed quoniam manifestum est, quod necessarium sit, ab humido, & sicco, fieri exhalationem, ac vaporem, sicut diximus in prioribus, necesse est, his existentibus, fieri terrę motum. Existit enim terra per se quidem sicca, propter imbres autem habens in seipsa humiditatem multam, & à Sole, & ab eo igne, vel calore, qui in ipsa est, aut aliunde sibi relicto, aut à quibusdam in visceribus eius, nempe à sulphure, bitumine, pice, & alijs genito, quare incalescens: multus quidem extra ipsam, multus quoque intra fit spiritus seu exhalatio ventosa. Et hic spiritus aliquando quidem continuus fluit totus extra terram, aliquando autem intro omnis, aliquando verò & partitur, sic quod partim intro, partim extra fluat. Si itaque hoc, quod diximus, impossibile sit aliter se habere; post hoc considerandum vtique erit, quale maximè motiuum erit corporum, necesse enim est, id maximè tale esse quoad plurimum natum est ire, seu per multum, & ferè immensum spatium citò moueri, & vehementissimum esse. Vehementissimum igitur ex necessitate est, quod citissimè fertur: percutit enim maximè quidem alia propter velocitatem, vnde vehementissimum dicitur. Ad plurimum autem natum est pertransire, quod per omne ire maximè potest, tale autem est id, quod subtilissimum est. Quare si quidem ventus ex sua natura talis est, ipse ventus erit maximè motiuus corporum. Etenim ignis, nempe exhalatio, quando cum vento fuerit fit flamma, & fertur celeriter vtrunque ob ipsius venti celeritatem. Non igitur aqua, neque terra causa vtique erit motus, vt prædicti asserebant Philosophi, sed ventus, qui extra exhalat, cum non extra, sed intrò fortè fluxerit; quapropter plurimi, & maxima terræ motus fiunt existente tranquillitate, quia venti intrò clausi sunt, vnde pares extra terram tunc habent à quo agitentur. Continua enim existens exhalatio ad suum principium, vel locum vnde oritur, sequitur vt in pluribus principij impetum, seu sequitur facere impetum, à loco vnde principium habuit, quare aut intra terram tota fertur, nisi sit ei manifestus exitus, aut extra, si aditus pateat. Nihil autem irrationabile est, quosdam fieri terręmotus, etiam vento existente; videmus enim aliquando simul plures flantes ventos, quorum cum vnus in terram feratur, seu intra ipsam, alter verò extra, erit terræ motus, & ventus. Hi autem qui fiunt vento existente, fiunt minoris magnitudinis, propterea quod causa, & principium ipsorum diuisum est. Nocte autem plures, & maiores fiunt terræmotus. Qui autem die, fiunt circa meridiem, tranquillissimus enim est, vt in plurimum diei meridies, & intra clauditur exhalatio; Sol enim cum maximè dominatur, dissoluit exhalationem super terram, dominatur autem maximè circa meridiē; & noctes etiam tranquilliores sunt diebus, propter absentiam Solis, ipse namque exhalationes commouet, quare intrò fit iterum ventorum fluxus, sicut recursus eius effusionis venti; quæ est extra terram fit in contrarium nempè non intrò, et maximè fit terræmotus ad diluculum, seu propè Solis ortum:

tunc

tunc enim flatus nati sunt incipere flare. Si igitur principium ipsorũ flatuum intra terram extiterit, ac permutatum fuerit, ab alio externo ingrediente flatu, sicut permutatur Euripus fluxus pluries in dies, ob refluctuantes aquas, fortiores fient terræmotus, propter multitudinem exhalationum mutuò se repercutientium. Adhuc autem, fortissimi fiunt terræmotus circa loca, vbi mare fluxibile est, quia à fluxu, & impetu eius propellitur exhalatio intra terram, similiter vbi regio est laxa, & subantrosa, in ipsa namque faciliter multa exhalatio recipitur, quæ postea fluctuant. Quapropter fiunt sæpe terræmotus, & circa Hellespontum, & circa Achaiam, & Siciliam, & Euboeam; circa hæc enim loca videtur mare fluere sub terram, per angusta subterranea loca, vnde exhalationes intrò impellit. Quapropter aquæ balneales, quæ sunt circa Ædepsum, à tali causa, nempe ab exhalatione calida intra terram existente, calidæ factæ sunt. Circa autem dicta loca maximè fiunt terræmotus propter angustiam, ventus enim factus vehemens propter multitudinem maris, quod multum affertur, vel dilatatur per fluxus, repellitur iterum intra terram, qui natus erat efflare extra, vnde angusta loca comprimuntur, & per consequens terra mouetur. At regiones quæcunque habent loca, quæ subtus sunt, laxa, vel ampla ex eo, quia multum suscipiunt spiritum, vel exhalationem, magis concutiuntur, quam prædicta. Et vere autem, atque maximè autumno, & in pluuijs, & in siccitatibus fiunt propter eandem causam: tempora enim hęc maximè sunt spirituosa. Æstas autem, & hyems, hæc quidem propter gelu, illa autem propter æstum, vel calorem faciunt immobilitatem flatuum, vnde vt plurimum non fiunt terræ motus: hyems namque valde frigida est, vnde tales exhalationes, ex quibus fiunt terræmotus congelantur, & pereunt: æstas autem valde sicca, vnde tales prædictæ exhalationes, à calore, & siccitate absumuntur; dictum etenim superius est, quod qualibet exhalatio ad hoc, vt sit sufficiens ad determinatas passiones meteorologicas efficiendas, maximè non ignitas, debet aliquam habere humiditatem, sicut etiam siccitatem. Et in siccitatibus quidem ventosus est aer: hoc enim ipsum est siccitas, de qua hic ad propositum loquimur, quando exhalatio fuerit magis sicca, quam humida, ex qua cum fiant venti, potest aliqua pars intra terram claudi, & sic annis siccis, seu ventosis terræmotus fiunt. In pluuijs autem eo quod exhalatio intra terram fiat amplior, (ex aqua enim faciliter exhalatio fit) & eo quod talis exhalatio intercipiatur in angustioribus locis, atque in minorem locum compellatur, propterea quod concauitates terræ aqua repletæ sunt, ideò talis exhalatio agitatur, ac exitum, vel maiorem locum petit, vnde necessariò quatitur terra. Cum enim exhalatio ipsa inceperit dominari, eo quod multa in paruum locum comprimatur, ventus ipse, seu exhalatio offendens terram ob impedimentum exitus, ac fluens, eam fortiter mouet. Oportet enim intelligere, quod sicut in corpore nostro, virtus spiritus, qui intercipitur, causa est tremorum, & pulsuum, sic & in terra ventum similia facere. Vnde sicut in nostro corpore ex prædicto vento duplex accidit extraordinarius motus, tremor scilicet, & pulsus, ita proportionaliter terræ: quare dicendum est, motuum terræ, hunc quidem velut tremorem esse, illum autem velut pulsum. Et sicut accidit sæpe post mistionem aeris externi cum interno in corpore animalis, (per corpus enim fit velut tremor quidam, cum totus spiritus, vel aer, qui de foris est, transfertur simul intro) talis credendum est fieri circa terram, dum externam intra se recipit exhalationem. Quantam autem ventus habeat virtutem, non solum oportet speculari ex ijs quassationibus, & alijs, quę in aere fiunt (hoc enim loco, aliquis existimabit, hęc fieri posse ab ipso propter magnitudinem potius, quam propter virtutem) sed & in corporibus animalium. Tentiones enim, & conuulsiones, quæ sunt species tremoris insignis, sunt quidem motus spirituum, tantum autem robur habent, vt multi simul tentantes vi tenere, non tamen possunt dominari motui ægrotantium. Tale itaque oportet intelligere fieri, & in terra, vt mains ad paruum comparetur. Signa autem horum ad nostrum sensum facta sunt, iam enim terræmotus in quibusdam locis factus non prius desijt, quam cum eruperit in eum locum, qui super terram est, & manifestè exierit ventus, sicut procella, qui ipsam terram mouit, sicut circa Heracleam ciuitatem Ponti nuper factum fuit, & prius circa Sacram insulam, hæc autem est vna ex insulis vocatis Æolis Regis ventorum. In hac enim intumuit aliquid terræ, & moles illa intumescens ascendit velut collis cum sono, tandem autem rupta exiuit ventus multus, & fauillam, & cinerem eleuauit, & Liparæorum ciuitatem Siciliæ non longe ab hac insula existentem, totam incinerauit, & venit etiam cinis, ac spiritus ad quandam ciuitatem Italiæ, & nunc adhuc manifestum est, vbi talis spiritus exufflauit, etenim facti Cau aignis Mōtis ẽxhox. *ignis in terra, & montibus insulæ, hanc putandum est esse causam, videlicet, cum spiritus, vel exhalatio decisa, seu repercussa à velocitate sui motus, accenditur, dissecto aere in paruas partes, nempe rarefacto, ac exiccato, vnde ipse quoque accendi potest. Coniectura autem, quod fluant sub terram spiritus, est, id quod fit circa istas insulas, cum enim ventus Auster futurus est, seu spirare debet, præsignificat id prius, sonant enim loca, ex quibus fiunt, vel exeunt conflationes, seu exhalationes prædictæ; propterea quod mare propellatur iam de longè à concauitatibus in quibus existit, virtute, seu vi exhalationum intumescentium: ab hoc autem vento Austro, qui ex terræ intimioribus visceribus exufflatur, ipsum mare repellitur iterum intrò, eadem parte qua superuenerat, seu repulsus erat, & hac aquæ agitatione, concauitates resonant, &* Signa Terræmotus. *ipsum Austrum futurum enunciant, facit autem sonum sine quassatione propter amplitudinem locorum (effunditur enim immensa intra) & propter paucitatem repulsi aeris, seu exhalationis, quæ ad sonum efficiendum sufficit, non autem ad motum ipsum. Adhuc autem signum Terræmotus est, quod Sol sine nubibus fiat caliginosus, & obscurior. Similiter, quod ante matutinos terræmotus fiant aliquando tranquillitates, & frigus fortè, signum talis causæ est. Quorum omnium ratio reddenda est. Necessarium enim est, Solem caliginosum, & obscurum esse, dum ventus, vel spiritus, qui disgregat, vel dissoluit, ac rarefacit aerem, incipiat regredi in terram, vnde ipse aer densus remanens Solem offuscat, & caliginosus apparet. Et ad auroram, & ad dilucula fieri tranquillitatem, & frigus, hæc causa est. Tranquillitatem enim, necessarium est, vt plurimum accidere, sicut dictum est prius, velut spiritu facto regressu intra terram, vnde non sit quod aerem super terram agitet, & sic erit tranquillitas, & magis erunt tranquillitates ante maiores terræmotus: tunc enim ferè tota exhalatio in visceribus terræ clauditur. Cum enim non discerpta sit, vel diuisa, hac quidem parte extra, hac autem intra, sed cum tota simul intrò fertur, necessarium est valere magis, & terram vehemen-*

tius

tius agitare; Frigus autem accidit, propterea quod exhalatio secundum se existens calida intrò vertitur: quare non est, quod superficiem terræ calefaciat, maximè nocturno tempore de quo loquimur. Non videntur autem venti calidi, quamquam sint, quia mouent aerem existentem plenum multo, & frigido vapore, sicut spiritus, vel flatus exufflatus per os; etenim hic de propè quidem est calidus, sicut patet cum hiamus, sed propter paucitatem non similiter bene manifestum est; de longe autem frigidus, propter causã eandem cũ ventis. Deficiẽte igitur circa terrã tali uirtute exhalationis calefaciẽtis, coiens vaporosus defluxus aeris propter humidum, quod in se continet, facit frigus, in illis videlicet locis, in quibus accidit fieri hanc passionem humiditatis, seu in locis humidis.

Flatus cur de propè fit calidus, non autem de longe.

Eadem autem causa est signi consueti, quod aliquando ante terræ motum fit: aut enim per diem, aut parum post Occasum serenitate existente, nubecula tenuis apparet porrecta, & longa, velut longitudo lineæ, rectitudine quidem exacta, sed marcescente spiritu, seu quæ deficit, ob defectum materiæ, propter transitum ipsius ad viscera terræ. Simile autem accidit in mari circa littora, quando enim exciderit fluctuans exhalatio ex terra ad mare, fiunt scissuræ aquarum, vel fluctuum vehementer craßæ, & distortæ, vnde tunc non erunt terræmotus, sed venti, quia exhalationes exeunt è terra; quando autem tranquillitas fuerit; propterea, quod parua sit exhalatio agitans, tenues sunt scißuræ & rectæ, & tunc hæ tenues rectæ scissuræ similes prædictæ nubeculæ, signum sit terræmotus; ideò enim paruæ sunt, quia copia maior in terra clausa est, ac eam quaßabit. Quod igitur mare circa terram facit, vel repræsentat prædictis scissuris, hoc facit spiritus, vel exhalatio circa eam caliginem, quæ est in aere, vt quando facta fuerit tranquillitas omnino recta, & tenuis derelinquatur nubecula, quæ sic apparet, tanquam sit scißura aeris, propter obscuritatem ipsius nubeculæ. Propter eandem autem causam, & circa eclipses Lunæ aliquando accidit fieri terræmotum. Quando enim iam propè est interpositio terræ inter Solem, & Lunam, & nondum quidem omnino est deficiens lumen ipsius Lunæ, & calidum quod à Sole est iam ex aere marcefactum, & dispersum, fit tranquillitas, nam frigore adueniente ob defectum luminis, & caloris, exhalatio clauditur in terram, quæ facit terræmotum ante eclipsim: statim .n. clausa discurrit, & terram mouet. Fiunt etiam venti ante eclipsim sæpe, vt ante eclipses mediæ noctis fiunt venti in principio noctis, ante eclipses diluculares, vel matutinas, fiunt venti media nocte. Accidit autem hoc, propterea quod calidum, quod à Luna existente luminosa est, marcescit, cum propè iam facta fuerit latio, vel approximatio Solis cum Luna, ex qua fit eclipsis: quare antequam marcescat, agitatur, & sic venti maximè apparent præcipuè ob immediatam proximam tranquillitatem. Reuertente iterum lumine, ac remißo vento, quo aer quiescens detinebatur, iterum mouebuntur, & fit spiritus, seu potius nobis apparet; qui si respicit eclipsim tardiorem, ipse ventus erit magis matutinus, videlicet eclipsis erit circa vesperas, ventus erit mane sequenti, vnde & præcedit ventus, & subsequitur eclipsim Lunæ. Cum autem fortis factus fuerit terræmotus, non mox, neque ad semel agitans, cessat, sed primò quidem vsque ad quadraginta dies continuè agitat; posterius autem & ad duos dominatur annos secundum eadem loca, non tamen sic fortè & continuò. Causa autem magnitudinis quidem est multitudo spiritus, seu exhalationis, & figuræ locorum, per quæ vtique talis exhalatio refluxerit, quæ enim ipse spiritus repulsus fuerit, & non facilè pertransire potest, maximè concutit, seu impeditur concutiendo se ad latera interna terræ, atque intus in locorum angustijs necessarium est retineri, veluti retinetur aqua non potens transire. Quapropter sicut in corpore pulsus non repentè cessat, neque citò, sed facit moram, marcefacta, seu consumpta tali passione, vel flatu; sic & principium à quo facta fuit exhalatio, & impetus spiritus palam est, quod non mox consumpsit omnem materiam, ex qua factus est subterraneus ventus, quem vocamus terræmotum. Quousque igitur consumuntur reliquiæ horum flatuum, vel ventorum, necesse est agitari terram, debilius autem, & eousque, donec vtique minor sit exhalatio, quam vt manifestè terram mouere possit. Ipse autem spiritus subterraneus facit eos sonos, qui fiunt, vel audiuntur sub terra ante terræmotum. Et etiam sine terræmotibus iam alicubi facti sunt soni sub terra; sicut enim percussus aer facit omnimodos, seu ex omni genere sonos, sic ipse aliud corpus percutiens, idem facere potest: nihil enim differt, si verberet, an verberetur, vt sonet: omne enim verberans simul verberando verberatur, seu repercutitur; & sic an actiuè, vel passiuè se habeat in sonando, non refert. Sonus autem præuenit motum, ita vt audiatur priusquam percipiatur motus ipse, quia ipse sonus subtiliorum partium est, & quia magis sonus, quam ventus penetrat per omnem locum. Cum autem spiritus minus fuerit, quam vt possit mouere terram propter subtilitatem, ac debilitatem suarum partium, propterea quod facile penetrat, ipsam non mouet, sed eam ingreditur quam potest, vel nisi ingrediatur, tamen ob debilitatem non mouet; tunc inquam quia talis spiritus offendit solidas moles, & concauas, & habentes omnimodas figuras, emittit omnimodos sonos, vt aliquando videatur, (vt quidam prodigia dicentes dicunt) mugire terram. Iam autem aquæ ruperunt, seu foras scaturierunt, factis terræmotibus. Sed non propter hoc aqua causa est talis motus terræ; nam si ipsa aqua fuerit in superficie terræ, aut desubter, & ei ipse spiritus vim inferat, ipse ventus est eam mouens: sicut venti sunt causæ fluctuum maris, sed non ipsi fluctus sunt causæ uentorum. Quoniam si aqua ex eo quod exit, & mouetur, esset, vel diceretur causa terræmotus; similiter aliquis posset facere terram causam talis passionis, cum ipsa multo magis moueatur; euertitur enim quassata, quemadmodum aqua: effusio enim aquæ euersio quædam est, vnde euerti dici potest aqua effusa. Sed hæc ambo causæ quidem sunt, vt materia, patiuntur enim, sed non agunt, spiritus autem vel ventus est principium actiuum istorum motuum. Vbi autem simul cum terræ motu fluctus factus fuerit, causa est, ex eo quod simul contrarij venti sub terram facti fuerint; Hoc autem fit, cum spiritus agitans terram, non possit omnino repellere mare, seu aquam, quæ ab alio contrario vento sibi confertur, propellens autem aliam, quam secum adducit, & coarctans in idem, seu in eundem locum, & cum multum aquæ vterque spiritus congregauerit; tunc necesse est, quod victo vno, vel alio spiritu, & simul cum spiritu victo, multum aquæ pulsum sit à contrario victore, erumpere faciat, & extra diluuium, vel lacum, aut aliam aquarum aggregationem efficiat. Fuit autem factum hoc, & circa Achaiam, extra enim erat Auster, ibi autem (nempe intra terram) Boreas, tranquillitate autem facta, & fluente Austro intra

tra

tra terram, factus fluit & fluctus, & terræmotus simul; & magis factum hoc fuit, propterea quod mare non dabat perflationem, seu exitum spiritui facienti impetum sub terra, sed obstipabat, seu exitus obturabat: quare venti, vim inuicem inferendos, actione, vel vehementia, terræmotum fecerunt: subsidentia autem, vel materia aquosa flatuum, fecit diluuium. Secundum autem partem terræ fiunt terræmotus, & sæpe secundum paucum locum: venti autem non secundum partem, sed per totum, nam terræmotus non vndique habent dispositam materiam, vt fiant sicut venti. Secundum partem quidem terræmotus fiunt, cum exhalationes secundum locum ipsarum, & etiam secundum vicinum conuenerint in vnum, sicut eadem ratione diximus fieri siccitates, & pluuias secundum partem aliquam, & terræmotus quidem fiunt per hunc motum, venti autem non. Quæ enim exhalationes intra terram sunt, principium habent, non per totam terram, sed vt ad vnum locum concitentur: Sol autem sub terram non similiter potest eas ad omnia loca diffundere; quæ autem sunt magis sublimes, seu suppensæ, vel à terra eleuatæ, vt venti, ita vt fluant, vel fluere possint, cum acceperint principium à latione Solis, & secundum differentias locorum iam in vnum conuenerint, iterum per omnem locum diffundi possunt. Quando igitur fuerit intra terram multus spiritus, mouet terram ad latus quidem, & secundum partes: fit autem rarò, & secundum aliqua loca velut pulsus, ventus sursum desubter, quapropter rarius quassat hoc modo; non enim facile est, quod hoc modo multum principium exhalationis conueniat ad mouendum, sic etenim à centro vsque ad superficiem fieret collectio exhalationum, quod rationabile non est, sed secundum longitudinem, vel latera terræ facilius fit: ad longitudinem enim multiplicatior fit secretio, seu exhalatio, quam ea, quæ est à profundo. Vbicumque autem factus fuerit talis terræmotus à profundo ad superficiem, egreditur multitudo lapidum, sicut est multitudo granorum ebulientium, vel agitatorum in cribris. Hoc enim modo facto terræmotu, loca, quæ sunt, circa Sipylon euersa sunt, & campus vocatus Phylegreus, & ea loca, quæ sunt circa Ligusticam regionem. In insulis autem marinis, seu circa medium maris minus fit terræmotus, quam in iis, quæ sunt iuxta terram; multitudo enim maris infrigidat exhalationes, & suo pondere prohibet, ne eleuentur, ac vim tali pondere eis infert, vt deorsum maneant immobiles, & non concutiant terram. Adhuc autem mare circa medium fluit vi ventorum, non tamen quassatur superatum à flatibus subterraneis, & quia multum occupat locum. non in hoc, sed ex hoc exhalationes fiunt, & has consequuntur, seu cum istis exhalationibus miscentur eæ exhalationes, quæ ex terra fiunt. Insulæ autem, quæ sunt propè continentem terram, sunt pars ipsius continentis, vnde intermedium mare, quod sub terra illarum includitur, propter paruitatem, nullam habet virtutem: quinnimò exhalationes istæ potius agitantur, et augentur, ac fiunt fortiores, vnde terræmotus magis illic viget, vt supra dictum est; dum enim virtus contraria est fortior, superat contrariam alteram, vt de insulis in medio maris positis quoad terræmotum dictum est: si verò sit debilior, contraria fortificatur, vt notum est in antiperistasi, & est ad propositum de insulis propè terram, quæ agitari possunt à terræ motibus plusquam, quæ sunt à mari distantes. Marinas autem) quæ scilicet circa medium maris positæ sunt,) non contingit moueri, nisi moueatur totum mare à quo circumtenentur. Sed ipsum est immobile, motu videlicet proueniente ab exhalationibus subterraneis, ergo multo magis ipsæ immobiles erunt; ratio autem immobilitatis declarata est, quia exhalatio illa à frigore, virtute, & pondere maris superatur, & fit immobilis. De terræmotibus igitur, & quæ natura ipsorum, & propter quam causam fiunt, & de aliis accidentibus circa ipsos, dictum est ferè de maximis, seu de principalibus causis, & accidentibus.

SVMMA QVARTA.

De Coruscatione, & Tonitruo.

CAPVT I.

De Coruscationis, & Tonitrui generatione.

DE Coruscatione autem, & Tonitruo, adhuc autem de Vortice, & accenso Turbine, & Fulminibus dicamus; etenim omnium horum oportet existimare idem principium esse. Duplici enim existente exhalatione, vt diximus, hac quidem humida, illa autem sicca, & similiter existente concretione, seu materia mista, quæ ambo hæc, nempe humidum, & siccum habet in potentia (non enim est sicca tantum, vel tantum humida, sed prædominantes ab vno, vel alio) & coeunte in nubem, sicut prius dictum est; adhuc autem cum materia, seu consistentia nubium spissior fiat, cum ad vltimum terminum, nempe ad mediam regionem aeris, quæ est ultimus terminus nubium, peruenerit: ex ea enim parte, qua deficit calidum in nube, eo quod disgregatur in superiorem locum, ex hac parte necesse est spissiorem, & frigidiorem esse consistentiam, quod accidit, vt dictum est, in media regione aeris. (Quapropter & fulmina, & procellæ, & omnia talia feruntur deorsum, quamuis omne calidum natum sit ferri sursum, sed extrusio, vel expulsio istorum debet fieri ex contrario spissitudinis, quia videlicet inueniunt nubes prædictas in media regione aeris spissas, & frigidas, à quibus expelluntur, ideò motus eorum è contra debet esse, deorsum videlicet, veluti nuclei, vel lapilli exilientes ex digitis compressi: etenim hi, & si pondus habeant, sursum tamen feruntur, eo quod expelluntur vi; quare dum hæc calida, & leuia mouentur, deorsum hoc est, quia à denso, & frigido expelluntur: vnde habetur sufficiens signum, quod nubes sursum frigidæ, & densæ sint.) Istis inquam sic se habentibus, ad intentum accedamus, ac declaremus primò, quomodo fiat Tonitruum. Caliditas igitur, quæ ex nube segregatur, in superiorem dispergitur locum, nempe in regionem ignis: quæcumque autem calida, & sicca exhalatio intercluditur (semper etenim aliqua pars minus leuis, minusque calida remanet in nubes) in aere, seu nube, quæ inspissatur & infri-

infrigidatur, hæc coeuntibus nubibus excernitur, seu à materia frigida nubium segregatur; vi autem lata à contrarijs nubibus, & offendens continentes nubes, facit percussionem, cuius sonus vocatur Tonitruum. Fit autem percussio eodem modo (vt maior passio assimiletur minori) cum sono, qui in flamma fit, dum aerem percutit (triplex namque est sonus flammæ, vnus dicitur scintillatus, quo videlicet generantur scintillæ, alter dicitur crepitus, quo spiritus inclusus in lignis exitum quærit, rumpit, & strepitat; tertius fit ex repercussione flammæ ad aerem, & hic est risui similis) quod accidens, alij vocant risum Vulcani, alij verò Vestam, quidam verò comminationem horum; credunt etenim vulgares, quod tunc maledici de nobis mala loquantur, & minentur. Fit autem hic sonus, quando exhalatio, quæ in flammam conuertitur, feratur sursum ex ruptis, ac siccatis lignis, ex quibus oritur. Sic igitur cum in nubibus fit excretio, seu diuisio spiritus incidens in spissas nubes facit Tonitruum. Fiunt autem omnimodi soni propter irregularitatem nubium, & propter intermedias cauitates, vnde deficit spissitudinis continuitas. Tonitruum igitur hoc est, & fit propter hanc causam. Spiritus autem extrusus, seu foras à nubibus vi deiectus, vt plurimum quidem ignitur subtili, & debili ignitione; & hoc est, quod vocamus Coruscationem, quatenus spiritus excidens, vtique coloratus apparet, videlicet ignitus. Fit autem Coruscatio post percussionem, seu posterius tonitruo, sed videtur à nobis prius, quia visus anticipat auditum. Quod manifestum est in remigatione triremium; iam enim sursum ferentibus iterum remos (quod à nobis perspicitur) primus, seu antecedens sonus remigij ad nos pertingit, vnde visus præcedit auditum in perceptione sui obiecti, ac ideo prius fulguratio videtur, quam tonitruum audiatur.

Sonus flammæ triplex.

CAPVT II.

Antiquorum opiniones, de Coruscatione, & Tonitruo, earum confutationes, veraque de his determinatio.

QVamuis quidam dicant, quod in nubibus fiat ignis, non tamen conuenienter id asserunt. Empedocles enim ait, hunc ignem in nubibus existentem esse eum, qui generatur ex radijs Solis repercussis, atque nubibus intercipitur. Anaxagoras autem dicit, ignem in nubes deorsum esse delatum ex eo igni, qui est sursum in propria sphæra, & quem Æthera vocat. Micationem igitur, seu splendorem huius ignis esse Coruscationem affirmat. Tonitruum autem esse sonum, seu stridorem ipsius ignis extincti intus in nubibus. Tanquam Coruscatio sicut prius à nobis videtur, quam tonitruum, ita prius quam ipsum facta sit, vt dicit. Irrationabilis autem est interceptio ignis in nubibus vtroque quidem modo, sed magis est irrationabilis detractio, seu descensus eius Ætheris, vel ignis, qui de sursum est. Quare enim feratur deorsum, quod natum est sursum ferri, oportet dici causam, & propter quid aliquando hoc fit circa Cælum tantum, quando nubilosum fuerit, neque hoc modo continuè fiat, serenitate verò existente, nunquam fiat; hoc quidem omnino videtur dictum esse inconsideratè. Similiter autem & dicere à radijs caliditatem in nubibus interceptam esse causam horum, non probabile est; etenim iste sermo sine cura dictus est valde. Si enim hoc modo se res haberet, necessarium esset, quod semper causa talis passionis, nempe coruscationis, tonitrui, & aliorum talium, esset in nubibus determinata, & per se segregata, hoc est per se sola sufficiens & completa, absque vlla noua mutatione nubium: (soli namq; radij, qui semper in nubibus saltem de die includi possunt, quinnimò, & opposita ratione de nocte non fierent, ad hoc sufficerent) & sic fieri necessarium esset has impressiones, & non per aliquam generationem. Hoc autem quod sic dicitur, plurimum à veritate differt: simile enim est, ac si quis putet, aquam, & niuem, & grandinem non fieri de nouo, sed prius in nubibus existentes posterius excerni, seu segregari, veluti aliquis per concretionem quandam, seu densationem, eas ex actuali præexistenti materia manufaciat, sicut ex cera fit figura; eodem enim modo & illa (scilicet niues, grandines, & alia) existimandum est esse concretiones, sicut ista, nempe tonitrua, & coruscationes: quare si illa non fiunt modo prædicto ex actuali præexistenti materia, neque ista: de ambobus namq; quo ad hoc eadem congruet ratio. Præterea, dicere coruscationem, & tonitruum fieri interceptione radiorum, nihil aliud magis dicet, quam fieri, seu intercipi calorem eo modo, quo intercipitur in spissioribus corporibus, quam sint nubes, vt in aqua, vel alijs humidis? etenim aqua à Sole, & ab igne fit calida, sed tamen cum iterum coeat, & infrigidetur aqua inspissata, nullam talem excidentiã accidit fieri, qualem illi dicunt; quamuis secundum rationem magnitudinis talium corporum magis oportebat. Errant similiter, asserentes, spiritum factum ab igne, nempe ignem intus inclusum facere feruorem, & tonitruum; quia hunc accensum ignem non possibile est inexistere prius in nubibus, vt dictum est, ergo neque extingui, nam extinctio præsupponit esse. Præterea; hoc modo asserendo, neque faciunt verum sonum tonitruum, sed stridorem quendam, vt dum ignis in aqua extinguitur, patet. Est autem stridor hic parua ebullitio: ex ea namque parte, qua incidens, seu iniectus ignis in aquam extinguitur, dominatur ei, & hanc ebulliens facit talem sonum, seu stridorem. Sunt autem quidam, sicut Clidemus, qui aiunt, Coruscationem non esse quid reale existens, sed nobis sic videri, assimilantes hanc passionem, ei quæ accidit, quando aliquis percusserit virga mare (videtur enim tunc aqua de nocte effulgens) sic in nube accidit, flagellato, seu percusso humido ab aliquo alio lumine, facere apparentiam, seu splendorem, quem dicunt coruscationem esse. Tanquam passio prædicta sit huic (nempe coruscationi) similis. Isti igitur nondum assueti erant ijs opinionibus, quæ sunt de refractione, quæ quidem refractio videtur causa esse talis passionis, seu fulgoris aquæ percussæ. Videtur enim aqua fulgere percussa, refracto visu nostro ab ipsa (loquendo nunc more perspectiuorum, non secundum propriam sententiam) ad aliquod fulgidorum; quapropter hæc fiunt magis de nocte, de die enim non videntur, quia lumen diei maius existens offuscat hoc minus; Coruscationes verò etiam de die

fiunt,

fiunt, quæ igitur dicuntur ab alijs de tonitruo, & de coruſcatione, hæc ſunt. Hi quidem dicunt, quod coruſcatio ſit refractio luminis; hi autem, quod coruſcatio eſt perluſtratio, ſeu diſcurſus ignis non nuper geniti, ſed præexiſtentis in nubibus; tonitruum autem extinctio; non quod ignis innaſcatur ſecundum vnam aliquam paſſionem, ſeu coruſcationem, ſed inexiſtat, vt diximus. Nos autem dicimus, eandem eſſe naturam ventorum, terræmotuum, coruſcationum, & tonitruorum, differre verò ſecundum accidens: exhalatio namque calida, & ſicca eſt; quare omnia hæc ſunt eſſentialiter idem; quæ quidem exhalatio ſicca fluens, eſt ventus, incluſa terræ facit terræmotum; in nubibus autem erumpens, fit coruſcatio, & tonitruum, & alia eiuſmodi, nempe fulgura, procellæ, &c. hæc de tonitruo, & coruſcatione dicta ſint.

Finis Paraphraſis Secundi Libri Meteorologicorum.



ANTO-

ANTONII ROCCI

De Scurcula Marsorum.

IN SECVNDVM LIBRVM ARISTOTELIS Meteorologicorum Quæstiones.

QVÆSTIO PRIMA.

De Maris essentia, motu &c. Sum. 1.



Liquæ ad ea, quæ dixit Aristotelis de Mari, addendæ restant dubitationes. Prima de numero, & diuersitate Marium. Secunda. De motibus eius, ac præcipuè de fluxu,& refluxu ordinato Tertia de ipsius salsedine. Quarta. Cur aliæ aquæ salsæ non sint. De numero itaq; sic primò discurramus. Est vnicum principale mare quod Oceanum dicitur, ac vniuersam terram circundat, vnde ipsam esse insulam in comparatione ad hoc, Strabo,& Theopompus dixerunt. At quamuis vnum existat secundum continuationem,tamen secundum diuersas regiones, quas percurrit, diuersa quoque sortitur nomina, nam dicitur Occidentale, Orientale, Ethyopicū, Atlanticum, Britannicum, Scythicum, Germanicum, prout regiones Occidentales, Orientales, Ethiopicas, & alias irrigat. Ex hoc autem mari quædam alia partialia, mediam terram diuidentes, irrumpunt,atque mediterranea dicuntur; vnde vniuersaliter mediterraneum mare dicitur, quod ab aqua terram circundante in medium prorumpat,quod præcipuè per columnas,quas vocant Herculis, ac Gibilterræ itrictum,efficitur. Hæc autem Mediterranea maria, pariter diuersa secundum diuersas regiones adepta sunt nomina: nam dicitur Ligusticum, Tuscum, Tirhenum, Balearicum,Hibernicum, Adriaticum, Siculum, Ægeum, Ionicum, Arcipelagus, &c. Omnia tamen ob Oceano ortum habent, atque ad inuicem continuata sunt, præter mare Caspium; quod quidem vndiq; est a terra instar Lacus vallatum, sed cur non dicitur Lacus? quia aqua eius est salsa. & immensæ vastitatis; quare mare salsedinem, vel amaritudinem denotat, cum magnitudine aquarum, nam vnum sine alio non sufficit: multi namque lacus, fontes, paludes, & fluuij sunt quoque salsi,& vt omne scrupulum auferrem, solum eas aquas maria appellarem,quę cum Oceano continuantur, & sic Caspium non dicatur mare,nisi per similitudinem, vel amplitudinem. Alij vero Geographi vniuersaliter diuidunt mare in quinque principalia;quę sunt Oceanum, Mediterraneum, Rubrum, (quod sic denominatur à tali apparente coloreex corallis,& arena proueniente, etsi aqua non sit colorata); Persicum, & Caspium; quamuis re vera præter Caspium, alia sint membra (excepto item Oceano) ipsius Mediterranei. Vt autem distinctè ad propositum loquamur, aliqui termini sunt declarandi, videlicet isti. Mare, Lacus, Palus Stagnum, Flumen, Fons, Torrens, Riuulus, Cisterna, Puteus, Insula, Peninsula, Continens, Sinus, Isthmus,Fretū, Promontorium; omnes enim ad prædictorum, & subsequentium intelligentiam pertinent. De Mari iam dictum est, esse aggregationem aquarum salsarum cum Oceano continuatione habentium. Lacus est aquarum stagnantium multitudo, sic nimirum quod non deficiat, sed a fontibus, vel subterraneis, vel manifestis ortum habeat, ac ex alia parte egressum, ne nimis crescat. Est tamen notandum, quod non desint Lacus, qui in determinatis quibusdam annis notabiliter augescunt, alijs ve diminuuntur, sicut accidit Lacui Fucino in Marsis, hic etenim per plures annos quandoque sic crescit,quod vltra proprios terminos erumpens, immensos regionum agros occupat; nec non oppidorum aliqua destruit, & solo adæquat, altera in sublimi existentia insulas efficit, ac iterum retrocedendo, sicut dirupta relinquit oppida olim obsessa, sic vberrima(quæ erant eiusdem Lacus fundus) arua relinquit; quod ipsemet bis hucusque perspexi; anno etenim Domini 1598. sic augeri cæpit, vt non multo tempore elapso, Ortuchium quod per milliare ab ipso Lacu distabat insulam(eo quod in colle positum sit) redactum fuit. Lucus autem, qui ferè eodem distabat spatio ab aquis, medius diruptus est,ita vt nec paries aliquis domorum ad quas peruenit integer manserit; ac trans aquarum Opulentissimi omnium Marsorum, Oppidi stabula ferè omnia diripuit. Nec non postea,(vt dictum est) retrocessit. Ratio autem fortè est latentium fluuiorum inordinata effluxio: credibile etenim est, per subterranea loca recentia flumina oriri posse, vel ex remotione alicuius impedimenti, vel ex repletione aquea alicuius concauitatis terræ, ex qua erumpat, & quo vsq; adest aquarum copia sit fluxus, & accretio, ea autem remota, decretio; sicut Antiqui dicebant de generatione fluuiorum, & fontium in vniuersali; quorum opinionem non reprobauimus, sed solum non esse vniuersalem,cum Philosopho statuimus. Diminutio autem(remoto accremento)facilè à terræ siccitate, & à virtute, & calore Solis efficitur. Quod verò,sic rationabile sit philosophari, ex eo colligi potest; quod id non statutis temporibus accidit, sed ferè à casu, vt senes, quæ illius rei memoriam seruant, enarrant,sicut nimirum,copia aquarum colligitur, & eruptio accidit, vel impeditur. At est circa hoc quædam dubitatio, cur videlicet aqua dulcis destruat, salsa vero consolidet;lacus etenim prædictus non tantum parietes,sed montes quoque breui tempore dirimit. Ex opposito autem per tot secula in medio salsorum fluctuum Inclyta Venetorum Vrbs residens, non tantum ab ipsis aliquid non patitur, sed potius instar perennis cuiusdam aggeris, vi quadam efficacissima munitur, vt sic profectò in gentium, excellentissimorumq; ędificiorum stabilitas, & auctio, æternum, semperque in diem augustius, & incolumen Terræ, atque Maris præsagiant impe-

Fucinus. Lacus Marsiorum.

imperium. Respondetur, aquas dulces nimia esse subtilitate affectas, ac putredini obnoxias, quare ex prima conditione facilius penetrant, ex secunda, humor citò cum re cui insidet putrescit. Cuius oppositum, opposita ratione, de salsa dicendum est. Ipsa etenim sua crassitie non penetrat, sed adaggerat, ac sua salsedine conseruat, & munit. Palus autem est aquarum stabilium multitudo latè protensa cum profunditate notabili, ita tamen quod sæpè crescat, & diminuatur, nunquam tamen secundum totum. Stagnum est aquarum pluuialium aggregatio, quæ interdum penitus deficit. Solet autem accipi quandoque pro quacunq; aqua non fluente: vnde Philosophus in litera diuidit vniuersaliter aquas in stagnantes, & fluentes, & hoc pacto stagnum acceptum, Mare, Lacus, Paludes, Cisternas, aliave huiusmodi includit, sed capiatur hic particulariter, vt ab alijs sit contra distinctum. Flumen est aqua, quæ ex vno principio, vel fonte, secundum diuersas partes fluuit; diximus secundum diuersas partes, ad excludendum fluxum, qui ex vi ventorum, vel alia de causa aquis præcipuè marinis accidit; hic etenim semper fit secundum easdem aquarum partes, quæ modo huc, modo illuc agitantur. Fons est aquarum origo, vnde vbi nascitur fluuius, dicitur fons, sed post quam decurrit, fluuius appellatur. Torrens est aqua non perenniter, sed solum ad tempus fluens, quæ postea exsiccatur. Fluit, vel perseuerat, tempore pluuiarum ingentium; quibus cessantibus, arescit, vnde differt à fluuio, quod hic sit perpetuus suo modo, ac determinatam habet originem, fontem, vel generationem, Torrens vero nequaquam. Riuulus est paruus fluuius. Cisterna est vas artefactum, in quo aquæ pluuiales antea arte pariter in cryptis purgatæ colliguntur, atque conseruantur; quare nisi talibus sit dispositionibus regulata, potius fouea, quam cisterna dicenda erit. Puteus est pariter vas profundum arte factum, in quo naturaliter aquæ scaturiunt: vnde differt à cisterna, quia in illa non nascuntur aquæ, sed aliunde colliguntur; differt à fonte solum in hoc, quod ipse puteus profunditatẽ connotat: ac etiam quia non in magna copia aquæ in ipso scaturiunt, sed paucæ, & instar sudoris terræ; ipsa namque terra est spongiosa, & in concauitatibus aquam continet, quæ paulatim egreditur, & in profundo, veluti in vase, aggregatur. Insula est terra aquis circundata, siue sint aquæ marinæ, siue Lacustræ, vel Palustres, aut fluuiales, nihil refert. Verum, quæ à fluminibus arte solum circumductis ad fortitudinem vallantur, non solent sic cõmuniter insulæ appellari. Peninsula autem est terra vndique ab aquis, excepta vna parua parte circundata; Sic se habet Morea in Græcia, ac aliæ quædam peninsulæ, quæ Cherronesi dicuntur, vt Thauricus, Thracius, Cimbricus, Aureus, &c. nec etenim aliud Cherronesus Laconicè, quam latinè peninsulà denotat. Continens est terra, ad quam ex tribus lateribus per terram pergere possumus, & appellatur hoc modo; quia potius videtur aquam continere, quam ab ipsa contineatur, sicut è contra accidit de insulis, & peninsulis; vocatur quoque terra firma, quasi aquarum inconstantiæ, & alluuionibus non subijciatur. Sinus est quædam pars Maris à duobus concauis amplexa, metaphoricè dicta à sino corporis nostri, vulgo autem dicitur Gulphus. Istmus est terra inter duo maria coarctata, ac vulgo dicitur strictum, atque duo tantum huc vsque in vniuerso inuenti sunt, videlicet Corinthi, & Thraciæ. Fretum est mare inter duas terras nimis coarctatum, ex opposito ad istmum, qui coarctatur à maribus, vt fretum Herculeum, Bosphori, &c. Promontorium denique dicitur illa pars montis, quæ intra Mare porrigitur. Nunc autem de ipsius Maris motibus determinemus. Sciendum est itaque quinque motus aquæ marinæ conuenire. Primus est purè naturalis secundum insitam grauitatem, quia sicut cætera grauia nata est ad centrum, vel deorsum descendere. Secundus est violentus, qui solum ex vi ventorum efficitur; quo irregulariter hinc illuc agitatur. Tertius (qui tamen non est cuilibet mari communis, sed solum Oceano, & Mediterraneo Palestinę, vt dicunt) est secundum motum cælestem: dicunt namque versus Occidentem nauim regulariter, & velocissimè ferri, absque ventis, vel remigijs, quod non aliunde, quam à cæli motu id contingere, par est. Nec etenim irrationabile est, quod impetus cęlorum successiuè per ignem, & aerem vsque ad aquam, vbi non adest impedimentum, pertingat. Quare (si hoc sit verum) non sunt, ita satui censendi asserentes, quod terra eodem motu regulariter moueri posset, absque reuolutione, vel subuersione vrbium, aliarumve rerum, sicut neque submergitur nauis in mari; (quod pertransëundo dictum sit. (Sed cur hæc quoque Mediterranea Maria non fluunt; Respondetur, non pertingere motum ab ipsa, quia ab altis montibus retardatur, &c. At vt verum fatear; hæc positio non quadrat; quoniam amplissima sunt maria mediterranea, quæ à quantitate ferè insensibili montium non possunt recipere impedimentum, ne cælestem motum participarẽt, si ex alia parte illuc vsque natus esset peruenire. Præter quam quod, si hoc esset, multo magis id accideret circa mediam regionem aeris; quod tamen non accidit, aliter nubes hunc motum insequentes simul cum ipso accederent, & recederent; vnde vel per totum vniuersum ferrentur, vel ab ipso statim dissiparentur; quæ cum omnia falsa sint, fatendum est, illuc motum cælestem non peruenire, quod iam communiter Philosophorum ferè omnium comprobatur sententia, si quidem cælestem ipsum motum, supræmam tantum aeris regionem circum agere affirmant. Quare dicendum est, motum illum prædictorum Marium esse fluxum aquarum ad decliuiorem locum, vt fusè docet Philosophus in litera; nisi ipsum alicui astro peculiariter influenti, diuinando potius, quam philosophando tribuere velimus. Quartus motus est fluxus aquarum septentrionalium ad austrum, eo quod regiones australes magis centro sint propinquæ: aqua autem semper ad centrum, eo quod sit grauis, tendit; quare hic motus est fortè idem cum præcedenti, sed ponatur alter distinctionis gratia, & secundum alios aliter opinantes. At hic circa hunc motum curiosa insurgit difficultas. Si etenim aquæ septentrionales ad austrum, veluti ad decliuiorem locum, tendunt; iam talis motus desijsset, ac pariter illic amplius aquæ non manerent, quia cum non sint infinitæ possunt ad proprium locum secundum se totas peruenire, sicut accidit de quolibet alio corpore naturali. Respondetur, ideo nõ hoc accidere, quia non per breuissimam lineam perpendicularem ad centrum tendunt, sed quasi lateraliter, vnde tardus est motus, sicut quorundam fluuiorum lentè fluentium; quamobrem dum multum tempus ad hoc efficiendum consumunt, aquæ aliunde regenerantur, maximè in illis regionibus, vbi magna viget aeris frigiditas, ad generationem aquarum aptissima, nec non ingentium, & multorum fluuiorum aggregatio ipsam ministrat; & si etiam negandum non sit, aliquam adeggerationem ibi fieri, & regiones aliquas siccas euadere. Quintus motus vocatur fluxus, & refluxus, qui regulariter efficitur quatuor in die, hoc est bis fluendo, bis autem refluendo, qui quidem fluxus sex horis quot etiam refluxus perdurat. Quare sex horis fluit, seu ex altitudine maris ad nos aqua extenditur, sex alijs illuc redit, deinde iterum accedit, ac denique regreditur; neque enim propriè augetur, vel diminuitur, sed dilatatur, & constringitur, vel expanditur, & colligitur. Huius autem causa, vel non expressè tangitur à Philosopho, vel est ea quam dixit, aquas videlicet ad inuicem se comprimi, vt magis ad concauũ tendant, atq; à fluminibus ingredientibus hanc adiuuari agitationem, quæ tamen quamuis alicuius motus sit causa huius autem sic regularis, & per deter-

Palus. Stagnum. Flumen. Fons. Torrens. Riuulus. Cisterna. Insula. Peninsula. Chersonesus. Continens. Sinus. Istmus. Fretum. Promontorium.

determinata tempora effecti, non est rationabilis; Quãobrem eam tacuisse videtur, ne fortè philosophando habitu diuinatoris indueretur (non etenim nec adæquata, nũc assignatur ab aliquo:) at motus ille Arist. vel alijs addatur, & erunt sex, vel copuletur cum secundo, qui ex vi ventorum efficitur, addendo tamen, hunc motum esse ab aliquo extraneo immediatè per contactum ipsum mare impellens, siue sint venti, siue flumina, vel aliæ aquæ. Quæ igitur sit causa huius regularis fluxus, & refluxus quamuis non proximè, tamen probabiliter à quãplurimis dignis Philosophis Lunę influxus, & virtus, assignatur, præcipuè autem à Scoto in 2. sent. d. 14. q. 3. dicunt .n. ipsam supra omnia corpora humida dominium habere, & singulariter sibi subijci mare; quod impulsum ipsius Lunæ insequens hoc pacto agitatur; quæ positio eo rationabilior apparet, quod aliæ manifestas, & insolubiles patiuntur instantias; nec non, quoniam dum Luna quibusdam signis cęlestibus iungitur, magis talem auget effectum, sicut cum alijs oppositum accidit; præterquam quod ipsã humidis præsidere, ex diuersis effectibus manifeste colligitur; hoc etenim omne conchyliorum genus ostendit: si quidem dum Luna augetur lumine, augentur ipsa substantia, dum diminuitur, decrescunt, ac Medici multos quoque morbos secundum Lunæ incrementum, & decrementum non inutiliter obseruant. Verum credendum non est, hunc ipsam causare motum, vel lumine vel motu proprio: sic namque vbi radij ipsius non perueniunt, non causare, vel motus hic Lunari penitus æmularetur; sed credendum est, habere peculiarem insensibilem circa hoc influẽtiam; quemadmodum fortè de vnaquaque re saltem secundum speciem dicendum est, nimirum stellam, vel stellas aliquas habere, quarum præcipuo dominio subdatur. Hæc autem influentia determinatas requirit in patiente dispositiones, nam actio cuiuslibet agentis est in patiente prædisposito; quare diuersimode diuersa maria ipsam suscipiunt, vnde aliqua tardius, (ita vt vix æstauri videantur) ab ipsa cientur, alia velocissimè, quædam pluries, quædam vero rarius in die agitantur. Quæ autem sit hæc conditio nobis immanifesta est, sicut quoque principalis causa est incognita; imò sic eam ignorasse circa Euripum Thraciæ (est autem Euripus idem, quod Fretum) Aristotelem ferunt, quod dolore, vel potius furore præsumptæ non autem attinctæ sapientiæ cõcitum, illuc è sublimi scopulo se pręcipitem dedisse, quod re vera penitus fabulosum existimo; si quidem accuratissimi, & omni fide dignissimi historici, aliter eius obitum narrent. Euripus autem ille septies (dicunt) in die fluit, ac totidem refluit; quarum fluctuationum causam, anfractibus, vel innumerabilibus subterraneis tortuositatibus quidam tribuunt; quamuis minus probabiliter, quam si diuersæ ipsius dispositioni, ex Luna hanc patiatur passionem. Alij autem aquis hic motus non conuenit, quia vel propter tenuitatem, vel propter paucitatem ipsum suscipere non possunt. De salsedine vero Maris, ita diffusè, & rationabiliter tractatum fuit ab Arist. in textu, vt nihil aliud super addendum puto, nisi duo. Alterum est, quod non vbique eadem viget vis hanc salsedinem efficiendi: sicut neque eadem exhalatio adusta, quæ ipsius est causa, non per totum est eadem, sed quia aquæ marinę miscentur, ideo omnes sunt salsæ, verum quædam magis, quædam minus, ac aliæ quoque nullatenus præcipuè in quibus fluuialis aqua exuberat, hęc enim salsam superat, vel super ipsam, vt leuior innatet, & ego ipse in Mari hoc Adriatico, vel Veneto propè Aquileiam procul 20. milliaribus à terra, dulcissimam è mari aquam haustam potaui. Aliud est, quod Deus, & natura hanc indidit Mari salsedinem, ne putresceret, atq; etiam ne aer ab eius exhalationibus inficeretur: neque etenim rerum necessitas ad solam causam materialem (quam assignauimus exhalationem) referenda est, sed potissimum ad finalem, vt idem testatur Philosophus in 2. Phys. cur autem aliæ aquę non sint salsę. Causa est, vel quia non subijciuntur æstibus, vel exhalationibus sufficientibus, vel quia fluunt, aut semper nuper oriuntur, & desinunt, quæ terrestreitatem, & pondus auferunt: quamuis negandum non sit, aliquos quoque locos, & puteos salsos esse, vel propter communicationem proximã cum Mari, vel quia ex se sufficientem habent dispositionem ad hoc. Similiter de fluxu, & refluxu quarundum aquarum dicendum est, videlicet, quod per subterraneas criptas cum Mari communicẽt, & sic ad eius motũ moueantur; imò aliquæ opposito modo se habent; nam dum mare fluit, refluunt, fluunt verò dum refluit ipsum, quod ex eo accidit, quia nimis distant; vnde quãdo fluentes aquæ marinę ad ipsas peruenerint, incipiunt agitari, illę vero desinunt: potest etiam hoc idẽ accidere ex prędicta causa aquis dulcibus, vnde in littore Venetiarum apud Ecclesiam D. Nicolai est puteus aquę dulcis, qui non aliunde quam à mari aquam recipit, & simul crescit, & decrescit cum ipso Mari; ratio est, quia aqua ipsius continuatur cum aqua Maris, & per subteraneos cuniculos eam accipiens, non salsam, sed purgatam, & dulcem, eundem tamen retinentem motum suscipit. Sed est quędam dubitatio, an aqua maris sit magis in fundo, quam in superficie salsa; Aristoteles namque in litera, magis salsam in fundo esse affirmat: si quidem salsa est grauior, quę semper descendi t; oppositum tamen docet in problematibus; ideo cum distinctione respondendum est; videlicet in Maribus profundissimis minus salsam esse in fundo, in minus profundis è contra. Ratio est, quia re vera superficies aquę magis exponitur adustę exhalationi, vnde semper, & sine intermissione patitur; quę quidem aqua sic densata, vel exhalatione terrestri admista descendit ad fundum, vnde ipsum salsum, & magis salsum efficit; si tamen sit profundissimus antequam ad imum perueniat, debilitatur, ac secundum magnas partes dispergitur: in superficie autem eadem semper vigente causa, plus viget effectus.

An aqua Maris sit magis salsa in fundo.

QVÆSTIO II.

De partibus terræ habitabilibus. Sum. 2. cap. 2.

PRębetur differendi occasio ab Aristotele de habitabilibus partibus terrę, & etiam de ipsius figura; quod quidem vt commodè assequamur, ac quod in calce eiusdem secundi de cęlo polliciti sumus, obseruemus vniuersaliter (vt ordinatim ad particularia descendamus) breuiter de sphęra Mundi aliqua aggrediemur. Est ergo sphęra in communi corpus rotundum, solidum, vnica superficie contentum, sicut si esset pila lapidea, vel ferrea, aut alia quęuis non concaua. Quare sphęra totius vniuersi est ipsummet vniuersum rotundum, solidum, &c. & quamuis non sit simpliciter vnum corpus, sed ex cęlestibus, & elementaribus aggregatum: omnia tamen vt partes ad vnum constituendum, assumatur, sicut vna dicitur domus ex diuersis rebus, & partibus constituta. Ex dictis patet differentia inter sphęram, orbem, circulum, & circumferentiam; nam orbis non est corpus sic solidum, sed ex vna parte concauum, sicut sunt cęlestia corpora. Circulus est figura plana, vel superficies circularis, quamuis interdum pro circulari linea accipiatur; at circumferentia est extremitas circularis ipsius circuli, vnde fortè cum linea circulari coincidit; quæ omnia exponere volui, ne vnum pro alio adolescentes capiant, sicut quorundum est vsus; licet alibi quoque secundum occasionem, mentionem de his fecerim. Verum sphęrę, & orbis etiam apud doctos est indiscriminatim alterius pro altero acceptio. Relicta itaque hac communi acceptione, de sphęra Mundi dumtaxat aliqua dicamus. Sciendum est ergo, quod ipsa diuiditur in duas præcipuas partes, nempe in cælestem, & elementarem. Cælestis

Sphæra quid.

Orbis.

Circulus.

Circumferentia.

Sphæra cælestis & Elementaris.

vndecim continet orbes, vt in secundo de cælo declaratum est. Elementaris quatuor includit elementa. Neq; ergo de illa, neque de hac secundum earum essentiam, & proprietates hic agemus; si quidem ibidem hoc factum sit, sed solum de quibusdam, quæ ad diuersos situs, regiones, & conditiones terræ attinent, determinabimus. Quoniam autem ipsa terra connexionem, & dependentiam habet à Cælo maxime à primo mobili secundum ipsius quasdam diuisiones: prædicta quoque de terra cognosci poterunt; hæ autem diuisiones, per quasdam circulorum designationes effici consueuerunt. Sunt autem hi circuli decem, ex quibus materialis sphæra realiter componitur, vt per ipsam cælestem hoc modo diuisam ab elementari intelligamus. Sex igitur sunt maiores, quatuor vero minores. Dicuntur maiores, qui sphæram ipsã in duas diuidit partes æquales. Minores qui in partes inæquales. Primus itaq; maior circulus vocatur æquinoctialis, vel æquator diei, ac noctis, aut etiam æquidialis: ac diuidit ipsum primum mobile in duas partes æquales; ita tamen, quod æqualiter ipse circulus ab vtroque polo distet: Designentur itaque duo poli, vel puncta primi mobilis, super quæ ipsum mouetur, ac ducatur circulus inter hæc duo puncta æquè distans, totumq; primum mobile circundans, hic æquinoctialis dicitur; quia dum Sol illuc peruenit, dies sunt æquales noctibus in vniuersa terra, quod quidem accidit bis in anno, videlicet in principio Arietis, vel circa dimidium mensis Martij, & in principio Libræ, vel circa medium Septembris. Polorum autem alter, (qui scilicet est nobis manifestus,) dicitur arcticus septentrionalis, & borealis. Arcticus dicitur ab arctos, quod vrsam significat, quia est propè vrsam maiorem. Septentrionalis dicitur à septem, & trion videlicet à septem stellis, quæ vrsam minorem designant, & tarde mouentur. At Borealis dicitur, quatenus ex illa parte ventus Boreas ad nos flat. Alter vero polus nobis immanifestus dicitur antarcticus, quasi contra, vel oppositus artico, vocatur quoq; meridionalis, quia nos ad eum pergentes versus meridiem accedimus, etsi re vera æqualiter distet à Sole, vel linea meridionali, sicut alter saltem dum Sol est in æquinoctiali linea. Vocatur pariter Australis, quia ventus sic dictus illinc ad nos spirat. Secundus circulus dicitur Zodiacus, qui diuidit, & diuiditur ab æquinoctiali in duas æquales partes, sed vna ipsius medietas ad Septentrionem, alia ad austrum declinat, dicitur autem à Zoin, quod est animal: nam signa duodecim, quæ in ipso sunt, (excepto vno) animal aliquod repræsentant, quæ autem sint hæc signa, & cur sic dicatur in 2. de cęlo q. 18. dictum est. Nunc vero sciendum est, quod vnumquodque signorum diuiditur in triginta gradus secundum longitudinem, & in duodecim secundum latitudinem: quare vniuersus circulus in 360. gradus diuiditur, vnicuique autem istorum graduum respondet in terra spatium 60. milliarium Italicorum, vnde terræ circuitus secundum hanc Astrologorum computationem colligi potest: quilibet autem gradus diuiditur in 60. minuta, quodlibet minutum in 60. secunda, quodlibet vero secundum in 60. tertia, & sic vsque ad decem perueniendo, vnde tandem ab Astrologis sumitur ratio primæ, vel minimæ mensuræ. Hæc autem diuisio non solum in hoc signo, sed in quolibet alio maiori in cælo designato constitui potest, & proportionaliter in minoribus, sic videlicet, quod si circuli sint minores, etiam minores designentur gradus. Ex prædictis autem duo sequuntur; alterum est, quod hic circulus non est simpliciter circulus, vel linea circularis, indiuisibilis, sed potius Zona, vel fascia quædam, cuius oppositum dicendũ est de omnibus alijs, qui penitus indiuisibiles sunt secũdum latitudinem dempto lacteo, de quo hic aliud nõ dicemus. Aliud est, quod nunquam polus eleuari poterit super hæmisphęriũ quodcunq; plusquam per gradus 90. quoniam hæmisphærium dimidium sphæræ est, quod circulariter per totum 180. gradus continebit, ergo incipiendo ab imo erit vsque ad summum eleuatio 90. graduum, deinde sequitur vsq; ad complementum omnium declinatio. Ipse autem Zodiacus diuiditur per latum equaliter in duas partes, ita quod ex vna parte relinquat sex gradus, ex alia parte similiter alios sex à linea quædam indiuisibili, quæ Ecliptica dicitur, & est via Solis à qua nunquam recedit, atque vocatur hoc modo, quia in ipsa ex directo Lunæ oppositus, cum interpositione terræ causatur eclypsis Lunæ, & alio quodam modo etiam ipsius Solis, vt in 2. de cælo, q. 16. dictũ est. Pars autem Zodiaci, quæ ab æquinoctiali versus septentrionem declinat, dicitur simul cum signis illic existẽtibus, septentrionalis, Borealis, & artica; alia vero pars, quæ ab eodem æquinoctiali versus meridiem declinat cũ signis pariter, meridionalis australis, & antarctica appellatur. At pro maiori dictorum, & dicendorum intelligẽtia sciendum est, quod signa Zodiaci cum Zodiaco ipso, designantur secundũ astra in cælo stellato, vbi innumerabilis astrorũ multitudo existit: sed Sol, & alij planetæ sub ipso currere, vel moueri intelliguntur, sed secundum motum principalem, vel diurnum attenditur ordo ad primũ mobile; imò secundum ipsum sumuntur poli mundi, & diuisiones omnium circulorum in sphęra, quamuis re vera secundum hanc diuisionem aliqua necessariò sequatur variatio, si quidem motus ipsius primi mobilis differt à motu firmamenti, vel cæli stellati. Quare qui cęlum stellatum primum mobile existimabant, sicut videbitur velle Arist. omnia hæc sine difficultate simul complicare poterant. Duo alij circuli maiores dicuntur Coluri, qui distinguunt solstitia, & æquinoctia; postquam etenim Sol tempore æstiuo, videlicet circa dimidium Iunij peruenit magis propè quam possit ad Zenith capitis nostri, seu ad signum Cancri, puta ad primum gradum, non vltra procedit, sed retrocedit: quia tamen hæc retrocessio non apparet nobis sensibiliter, ideo potius videtur statio, & eo tempore dicitur solstitium æstiuale; Dum vero à nobis maximè recedit, & ad primũ gradum Capricorni (quod tempore hyemis accidit) peruenit, tunc est alia recessio, quæ pariter apparet insensibilis, atque vocatur solstitium hyemale; Vt igitur hæ Solis varietates distinctè, & sine errore percipi possint, ab Astrologis designatus est circulus, qui sit veluti terminus secundum diuersas partes ad quas Sol, vel ad nos accedendo, vel maximè distando, pertingat: hic autem circulus transit per polos primi mobilis (qui etiam dicuntur poli Mundi) atq; per polos Zodiaci, nec non per primos prædictos gradus Cancri, & Capricorni, seu per maximas Solis declinationes. (Dicuntur declinationes Solis quatenus ab æquinoctio hinc inde recedit, dum autem in ipso est, in summa existit eleuatione, in comparatione videlicet ad primum mobile, & ad polos, eius cuius quidem ab vtroq; latere declinatio est graduum 23. & minutorum 30.) dum autem Sol peruenerit ad primum gradum Arietes, quod est circa dimidium Martij in linea æquinoctiali, atque dies, & noctes sunt in vniuerso æquales, dicitur æquinoctium vernale, vel veris. Cum autem ad aliud oppositum signum pariter in eadem æquinoctiali linea (puta ad primum gradum Libræ circa dimidium Septembris) peruenerit, est quoque in vniuerso æquinoctium, atque autumnale vocatur; quæ quidem tempora, vt internoscerentur, ab eisdem Astrologis alter circulus designatus est, qui transit per polos Mundi, & per prima puncta Arietis, & Libræ. Hi autem duo circuli, solstitia, & æquinoctia distinguentes, vocantur Coluri græcè, quod latinè significat mutilum, vel incompletum, non quod completè tales circuli non designentur, sed quia neq; simul, neq; successiuè nobis manentibus integri apparent, sed solum secundum medietatem: nam cum transeat per polos mundi, si alter semicirculus nobis appareret, ipsi poli supra nos mouerentur, quod est absurdum, & impossibile, quãuis possint videri ab his, qui habitant sub æquinoctiali.

Circuli maiores sphæræ Minores.

Aequinoctialis.

Polus Arcticus.

Polus antarcticus.

Zodiacus.

Coluri.

Solis declinatio.

Oppositi-

Oppositum tamen euenit de alijs circulis, qui vel simul, vel successiuè à nobis conspici possunt, saltem quoad situm vbi designantur, quia ipsi sunt imaginarij, & inuisibiles, vt dictum est. Quintus circulus maior Meridianus dicitur, hic autem transit per polos Mundi, & per Zenith capitis nostri. (Est autem Zenith pũctum, qui ex directò in cælo nostro capiti respondet, alter autem oppositus, videlicet qui ex alia cæli parte directè respõdet pedibus, dicitur Nadir.) Cum ergo Sol ad hunc circulum peruenerit, in quocunque tempore, & in quibuscunque regionibus semper erit meridies illi, qui talem designauerit circulum; quamobrem hic non est determinatus, sed infiniti designari possunt, quamuis sine errore, & inuariabiliter, quod pertinet ad inuentionem meridiei. Cum autem circulus hic per polos mundi designari debeat, sequitur, quod procedendo ex Oriente ad Occidentem, vel è contra, etiam parua facta mutatione, meridianus varietur, & sic ciuitates, vel oppida aliaue omnia, quæ secundum Orientem, & Occidentem distant, (sic nimirum, quod vnum ipsorum magis, aliud minus ad Occidentem, vel ad Orientem tendat), diuersum habebunt meridianum, quibus quoque respondet diuersa inceptio, & desitio diei, ac noctis. Quæ vero distant secundum polos, seu secundum hunc circulum de polo ad polum designatum, eundem semper habebunt meridianũ, dummodo sint in eodem hæmisphærio: quia si essent in oppositis, quando istis est meridies, alijs erit media nox, quamuis re vera illis Sol tunc nõ sit super Zenith, sed potius in Nadir; quamobrem ex se regula intelligenda est de habitantibus in eodem hæmisphærio. Sed quid dicendum de illis regionibus, in quibus per aliquot integros menses, Sol non respicitur, sicut sunt, quæ sub polis positæ sunt? quomodo namque ibi dabitur meridies, vel hæc regula veritatem habebit, quamuis in eadem hæmisphærio cum alijs existant? Respondetur, re vera, dum Sol per aliquem, vel plures menses, aut etiam dies regiones illas continuè respicit, vel etiam ab ipsis occultatur, prædictam regulam non valere, vt ex se notissimum est: non etenim tunc datur vnus dies, vel nox, vnde neque meridies, vel media nox. Neque accipi poterit tota illa duratio, quia tũc in toto illo tempore pluries per Zenith capitum aliarum regionum habitantium transibit: Sed eo tempore, quo dies, & nox in viginti quatuor horis efficitur, cuiuscunque sint breuitatis, vel longitudinis, regula erit verissima. At numquid regiones illæ in quibus per menses Sol semper videatur, & per alios occultetur, reperiantur. Respondetur affirmatiuè. Nam dies causatur ab aspectu Solis; nox ab vmbra terræ (si aliud sit, quam ipsamet vmbra) quamobrem sicut regiones terræ magis distant à Zodiaco, vel etiam ab æquinoctio, sic his solaribus mutationibus subduntur, imò nunquam Solem multum eleuatum habebunt, sed veluti notum circa ipsorum pedes rotantem aspicient, sicut dum occultatur non multum recedit, sed parum, ita vt semper aliquo modo splendor aliquis appareat, sicut nobis post occasum, vel ante ortum. Hæ autem regiones sunt, quæ polis subijciuntur; cum etenim Sol maximè ab ipsis distet, rationabile est, quod in maximo recessu penitus recedat, vnde efficiatur continua nox, & in accessu semper adsit, & sit continua dies; quod facilè erit coniectare hoc modo discurrentibus. Apud has nostras regiones dies tunc sunt longiores, quando Sol magis ad nos accedit, ac maiorem circuli partem supra nos existentem pertransit; si itaque sic situati essemus, vt totum circulum Cancri (qui tropicus Cancri appellatur, & de quo postea) respicere possemus, totam Solis reuolutionem absque occultatione respiceremus, hoc autem aliquibus regionibus non est impossibile, quia talis aspectus prouenit ex diuerso situ aspicientium; quare illis erit perpetuus dies. Dum autem Sol est in opposito circulo, scilicet in tropico Capricorni, qui penitus à prædictis occultari poterit, erit perpetua nox: at paulatim de hoc ad illum circulum accedendo, vel recedendo, Sol, ad efficiendam de die noctem, vel è contra, accedit; vnde quando aliqualiter à terra occultari poterit in spatio 24. horarum, incipiet tunc cum longissimo die breuissima nox; sicut dum valde, sed non penitus recedit, erit cum breuissimo die nox longissima; vbi verò non penitus circuli prædicti occultantur, nox, vel dies erunt per spatium 24. horarum clausi, sic nimirum, quod dies possit viginti, vel plures horas attingere, reliquas nox, vel è contra, secundum diuersa tempora; sicut contingit in Scotia, ibi namque maximus dies est 20. horarum, sicut quoque maxima nox; minimus vero quatuor, sicut etiam nox. In Grotandia autem, quæ est insula sub polo arctico, in Mari Oceano Glaceali, per aliquos menses est nox, per aliquos, dies; aliquibus vero in spatio viginti quatuor horarum vtroque distinguitur, sed maximo cum discrimine breuitatis, & longitudinis. Quod autem alicubi sex mensibus fiat nox, sex vero dies, impossibile non est; si quidem tanto tempore Solis motus varietatem permittat. Ex dictis sequitur, aliquas dari ex opposito regiones, in quibus ferè semper dies, ac noctes sunt æquales, & bis sit illis hyems, bis autem æstas; quamuis hyems illorum sit æquè calida cum nostra etiam vehementissima æstate, quia æquè est illis propè Sol, tempore suæ hyemis, & nobis, tempore æstiuo: distat namque tunc ab eis solum per gradus viginti quatuor & pariter à nobis. Hi autem sunt, qui sub æquinoctiali degunt, dum etenim Sol ad tropicum Capricorni accedit, ibi fit ab eis maxima recessio, & hyems; dum vero accedit ad tropicum Cancri, & fit nobis æstas, est pariter illis alter recessus, atque secunda hyems: at quando est in Ariete tempore Martij, est summa æstas; sicut quoque dum est in Libra, quia tunc est in æquinoctio, sub quo ipsi habitant. Horizon autem est sextus circulus maior, qui diuidit inferius hæmisphærium à superiori, seu qui est vltimus terminus cæli, & terræ, prout à nobis conspici possint, ita nimirum, quod si quis in sublimi existens, videbit circulariter terram, vel aquam, aut partim vnam, partim aliam, cum cælo quasi se tangere circum circa; hæc circumferentia horizon appellatur, nec aliud hoc nomen horizon significat, quam terminatorem visus. Secundum hunc ergo attenditur ortus, & occasus Solis, ita videlicet, quod dum primò super ipsum apparuerit, oriri dicatur; dum vero sub ipso occultabitur, dicitur occidere, & idem de alijs planetis, & astris dici potest. Quamuis alio quoque modo, videlicet dum à lumine Solis elongata apparent, dum ab ipso confusa absconduntur, pariter oriri, & occidere dicuntur; qui vocantur ortus, & occasus Chronici, & Achronici, &c. quæ in tractatibus de sphæra videri possunt. Secundum etiam ipsum Horizontem sumitur distinctio dierum, & noctium; eo enim tempore, quo super ipsum mouetur, dicitur dies; quo vero mouetur sub ipso est nox, proportionaliter loquendo, sic nimirum, quod intelligatur in ordine ad eos, qui in hemisphęrio talis horizontis habitant; illis namque est dies dum modo prædicto circum agitur Sol, alijs vero nox, & è contra; totus autem motus circularis Solis, qui in 24. horis completur ex Oriente ad ipsum Occidentem terminatus, vocatur dies naturalis; quasi à natura, plena, & integra ipsius reuolutio præcipuè intendatur. At dum existit supra Horizontem dicitur dies artificialis, quia tunc videlicet artibus inseruit. Quamuis aliqui recentiores oppositum dicant, nimirum esse diem naturalem, dum est supra Horizontem, artificialem qui completur in 24. horis. Nunc de alijs quatuor circulis minoribus agamus. Sciendum est ergo, quod quando Sol peruenerit ad primum punctum Cancri, quod est maximè ad nostrum Zenith, & ad polum arcticum appropinquare, raptu primi mobilis, describit vltimum circulum, qui propè nos

Meridianus. Zenith.

Nadir.

An quibusdam regionibus per menses Sol appareat sine nocte.

Horizon.

esse possit (quotidie namq; vnum describit in spatio 24.
horarum) & hic vocatur circulus Solstitij æstiualis,
Tropicus Cancri. vel tropicus Cancri, aut æstiualis; nec aliud significat tro-
picus, quam recessio, ex eo quod tunc incipit Sol à nobis
recedere. Similiter dum in solstitio hyemali ad alium
polum, maximè quò potest, accesserit in primo puncto
Capricorni, vltimum describit raptu eiusdem primi mo-
bilis circulum, qui circulus solstitij hyemalis & tropicus
Tropicus Capricorni. Capricorni dicitur. Sed quæret aliquis, nonnè per colu-
ros hi vltimi termini accessionis, & recessionis designan-
tur, ad quid igitur tropici hi? Respondetur, per colu-
rum solstitiorum designari vltimum punctum ad quē Sol
motu proprio potest pertingere; ab his autem punctis
virtute primi mobilis ducuntur, & compientur circuli
prædicti; ita vt quando Sol peruenerit magis propè po-
lum articum, quam possit, signetur ibi tale punctum per
colurum, qui ex ipso puncto, & polos mundi transeat; ab
hoc autem ducatur circulus, quem efficit Sol raptu Fir-
mamenti, & sic patet vtriusque distinctio. Duo vltimi
Circulus articus. circuli sunt arcticus, & antarcticus; poli namq; Zodiaci
distant à polis mundi per aliquos gradus, ideò mouentur
circa ipsos, ac circulos designant; & qui in polo artico,
articus dicitur, qui in antartico, pariter antarticus appel-
Circulus antarcticus. latur. Est autem infallibiliter tanta distantia poli Zodia-
ci ad polum Mundi, quanta est lineæ eclipticæ ad æqui-
noctialem. Sicut etiam quanta est eleuatio poli mundi
supra Horizontem, tanta est distantia Zenith habitan-
tium supra ipsum Horizontem ad æquinoctium, vt qui-
bus nihil poli eleuantur, Zenith eorum est ipsa æquino-
ctialis linea, sicut intuenti facile est perspicere; nobis au-
tem quibus polus circiter 43. gradibus eleuatur, totidem
distat æquinoctialis linea. Ex quatuor dictis minoribus
circulis, puta ex tropico Cancri, Capricorni, circulo ar-
Quinque Zonæ. tico, & antarctico, simul cum æquinoctiali quinque, &
in cęlo, & in terra mutuò constituuntur Zonæ, vel fa-
sciæ, vel regiones, aut spatia, secundum quæ terra ip-
sa cognoscitur, vt habitabilis, vel non. Vna itaque
Zona erit à circulo artico designata, alia ab antarctico,
alia inter ipsum circulum articum, & tropicum Cancri;
alia inter circulum antarcticum, & tropicum Capricor-
ni, ac tandem alia inter vtrunque tropicum. Primæ sunt
frigidæ eo quod maximè distant à radijs rectis Solis a
quibus calor causatur; media verò, quæ est inter tropi-
cos, & ab æquinoctiali æqualiter in duas partes secatur,
est calidissima, prout nunquam Sol valde ab ea elonga-
tur, & torrida, seu combusta, vel flagrans vocatur; aliæ
vero duæ, puta ea, quæ est inter tropicum Cancri, & cir-
culum articum, ac ea, quæ est inter tropicum Capricor-
ni, & circulum antarcticum, dicuntur temperatæ, quia
nec nimis à Sole recedunt, nec valde ipsi subijciuntur.
De frigidis ergo, ac torrida Zona (de temperatis nulla
est dubitatio) dubitant, si habitabiles sint, vel non, Ari-
stoteles namque, Auerroes, Ptolemeus, Macrobius, &
alij, eas penitus inhabitabiles posuerunt. Verum recen-
tium nautarum experientia oppositum docet, Americus
namque Vesputius, Christophorus Columbus, atque
alij, qui regiones omnes has peragrarunt, eas habitatas
Partes terræ habitabiles. inuenerunt; imò Olaus Magnus historicus, Gottus Ar-
chiepiscopus Vpsalensis, se sub Zona frigida natum esse
affirmat, ac polum sibi eleuatum esse gradibus 86. quod
est esse sub circulo artico. Et Abraham Ortelius in Mun-
di Theatro; sub ęquinoctiali temperatissimas aliquas in-
ueniri regiones, ita vt habitantes sint quoque albi colo-
ris affirmat. Quamobrem dicendum censeo, quod si sim-
pliciter cælestem situm quoad Solem respiciamus, regio-
nes illæ inhabitabiles essent: siquidem humana tempera-
tura, nec ingenti ardori, nec excedenti frigori diu subdi-
ta esse potest. Si verò alias quasdam contemplemur di-
spositiones, habitabiles sunt; poterit namque circa tor-
ridam Zonam, sic Montium multitudo, ac magnitudo,
cum ventorum gratissimo afflatu reperiri; vt quod ex So-
lis ipsius positione noxium, & intolerabile esset, gratum
& amabile fiat, vnde plus, vel minus secundum tales di-
spositiones, regiones ad id aptæ redduntur, vt idem fate-
tur Ortelius; ait namque sub eadem cæli linea existen-
tium, alios candidos, alios nigerrimos esse homines:
addendum est etiam, quod cum dies, & noctes sint ferè
semper æquales, multū diurni caloris ab humido, & tem-
perie noctis rependitur. Sub Zonis autem frigidis, arte,
& industria hominum vita conseruatur; degunt namque
sub cauernis, quæ naturaliter tempore hyemis sunt cali-
dæ, æstatis gratæ frigiditatis, quod ob antiparistasim ac-
cidit: hyeme namque exhalationes calidæ è terra exi-
lientes ab ambiente frigore restringuntur, & fulciuntur,
vt accidit quoque in puteis: æstate verò natiua terræ fri-
giditas, pariter à circundante externo calore fouetur. **Paralelli.**
Hæ autem Zonæ vocantur quoque paralelli, non quod
sint inter se æquales, sed quia nunquam lineæ ipsæ con-
currunt, puta circulus vnius Zonæ non magis in princi-
pio, quam in fine ad alium alterius approximatur, sed
semper æqualiter distat. Vt autem distinctius partes
terræ habitabiles cognoscerentur, Geographi alias ad- **Climata.**
inuenerunt lineas, vel diuisiones, quibus Zonas prædi-
ctas eodem ordine, vel pariter per lineas paralellas se-
carent: has autem distantias inter lineas, climata voca-
uerunt; nihil autem aliud clima significat, quam gradus,
vel scala, vel declinatio, quatenus per ipsam proceden-
do, veluti per scalam, vel gradus ascendimus, ac descen-
dimus ad regiones, quibus manifesta est variatio diei, ac
noctis, aliorum ve accidentium. Secundum autem defi-
nitionem. Clima est spatium vnius partis cuiuslibet Zo-
næ terrestris comprehensum à circumferentijs duorum
circulorum paralellorum, in superficie globi terræ, &
aquæ, cogitatione descriptorum: qui quidē circuli æqui-
noctiali circulo subduntur, seu ab ipso incipiunt, & ipsi
sunt paralelli, per quos variantur sensibiliter dies, & nox.
Debent igitur sumi hæc climata per diuisionem sphæræ
ab æquinoctio versus polos, & variantur, ac diuersi su-
muntur quadrupliciter; puta per diuersitatem dierum,
ac noctium, per eleuationem diuersam poli, per spatium
terræ milliaribus mensuratum, ac per propria nomina,
ita vt totum illud spatium in quo apparet diuersitas diei,
& noctis cum diuersa poli eleuatione, atque distantia
notabili terræ, & nomine (vnū tamen sequitur ad aliud)
Clima dicatur; quod quidem meridianum semper secat,
nam ille transit semper per polos mundi: horum autem
nullum, nec vnquam, sed semper cum æquinoctiali con-
currit, vt paralellum. Ab antiquis igitur septem dunta-
xat climata statuta sunt, prout nimirum tot, & non plu-
ra terram habitabilē comprehendere crediderunt; inci-
piēdo ergo ab æquinoctiali versus polum articum primū
Clima, assignauerunt illud spatium terræ, in quo maxi- **Quot Climata secundum Antiquos.**
mus dies artificialis esset duodecim horarum, & minu-
torum 45. altitudo vero poli esset graduum 16. min. 40.
ac vniuersa latitudo eius esset milliarium 484. includens
inter notabiliores regiones, vel ciuitates, Meroem, quę
est pręcipua Aethiopiæ ciuitas, ac Nili insula, vnde Cli-
ma Merois dixerunt. Secundum verò Clima est, cuius
maximus dies est 13. hor. min. 30. altitudo poli est grad.
24. min. 15. Latitudo milliarium 437. ac includit præci-
puè Syenem ciuitatem Aegypti apud Nilum positam, in
confinibus videlicet Aethiopiæ, & sic Clima Syenis ap-
pellarunt. Tertium cuius maximus dies est horarum 14.
altitudo poli grad. 30. min. 45. Latitudo milliarium 385.
ac Alexandriam Aegypti includens, ab ipsaque nomen
accipit. Quartum est, cuius maximus dies est horarum
14. min. 45. altitudo poli graduum 39. milliarium distan-
tia 333. ac transit, vel includit Rhodum insulam, & ciui-
tatem. Quintum, cuius maximus dies naturalis est hora-
rum 15. min. 15. altitudo poli grad. 43. min. 30. latitudo
milliarium 281. ac Romam includit. Sextum, cuius maxi-
mus dies, est hor. 15. min. 45. altitudo poli grad. 47. min.

15. di-

15. distantia milliar. 234. atque Boristenem fluuium Sarmatiæ continet, qui quidem in Pontum influit, vnde etiam Clima Ponti appellatum fuit, vel hac de causa, vel etiam quia transit per Pontum flumen Scythiæ. Septimum denique Clima est, cuius maximus dies est horarum 16. min. 15. eleuatio poli grad. 50. min. 30. latitudo milliariorum 203. ac transit per Ripheos Sarmatiæ montes. Sed à recentioribus alia duo prædictis addita fuerunt: quare Octauum erit, cuius dies maximus est horarum 16. m. 45. altitudo poli grad. 53. m. 17. latitudo milliarium 173. ac transiens per Meotidem paludem Scythiæ. Nonum, cuius maximus dies est horarum 17. m. 15. altitudo poli grad. 55. m. 34. latitudo milliariorum 152. & transit per Daniam peninsulam Oceani Septentrionalis. Verum cum ab ipsa linea equinoctiali vsque ad polum articum terra habitabilis vel benè, vel malè existat, profectò plura sunt statuenda climata. Quare recentiores Cosmographi 47. septentrionalia assignauerunt, incipiendo à linea æquinoctiali, sub qua maximus dies est horarum 12. altitudo poli nulla, ac milliarium dist. 262. Tabrobanam insulam nouæ Indiæ includens, ac semper deinceps procedendo, perueniunt ad vltimum Clima sub polo arctico, sub quo 180. dies, vel sex menses continuos pro vno die includit, sicut ex opposito totidem pro vna nocte, atque polus est in maxima eleuatione graduum, videlicet 90. & latitudo milliarium 62. per regiones incognitas. Si quis verò cum quibusdam recentioribus, Clima constituat id spatium in quo fit varietas dimidiæ horæ ab alio, atque omnia climata æqualia in latitudine constituunt, fortè rationabiliter faciet; non enim videtur ratio, cur vnum Clima sit maioris latitudinis, quam aliud, sed hoc fuit solum Antiquorum placitum; fiat ergo talis diuisio, vt bona, quæ tamen exactius sicut aliæ in libris Cosmographiæ perlegi debet. Vt tamen quæ dicta sunt facilius intelligantur, sciendum est, quod climata nouem prædicta solum ab æquinoctiali ad polum arcticum ducta sunt, vt de se notum est: quare ex eodem æquinoctiali ad polum antarcticum totidem sunt assignanda, & sic duplicabuntur; quod pariter fieri debet ab ijs, qui 47. assignantur, & quæ versus arcticũ sunt septentrionalia, quæ versus antarcticum meridionalia dicantur; quorum omnium nomina & differentiæ à prædictis Cosmographis adamussim ponuntur. Quæ ego apponere nolui, ne limites breuitatis, ac proprium institutum transgrediar. Obseruandum est etiã quod in Antipodibus, seu in regionibus ex directo pedibus nostris, vel aliorum oppositis (omnibus namque regionibus sui respondent Antipodes) eadem sunt assignanda climata, vt patet: siquidem lineæ illæ paralellæ, quæ ipsa climata distinguunt, sunt circularia, vnde de eodem signo ad idem, totam circuendo terram comprehendere debent: verum dum nobis est dies, illis est nox, & è contra, exceptis illis, qui sub polis viuunt, semper enim diem, vel noctem communem habent.

Pariter obseruandum est, quod qui sub eodem climate degunt, similem cęli benignitatem, vel influxum participant, ex parte videlicet cæli, & Solis: nam & à quibusdam astris, & ab elementis, vel locis, aliter affici possunt. Et per oppositum, qui habent eundem meridianum, diuersas sortiuntur cæli influentias: nam semper accedunt, vel recedunt ab æquinoctio, vel Sole, qui est omnium effectuum præcipua causa; qui vero sunt in eodem climate, eidem æqualiter sunt proximi.

Aliud notandum est, quod tam altitudo poli, quam maximus dies naturalis, ab extremo, vel summo climatis sumpti sunt; nam si strictè, ac minutim à principio vsque ad finem secundum latitudinem hæc designare voluerimus, aliæ essent maiores differentiæ, quæ proprijs professoribus relinquantur. Ex omnibus ijs, quæ diximus, id quod Arist. in textu habet exponere intelleximus, videlicet, quomodo, & secundum quas partes terra sit habitabilis, vel non, vbi per terram, etiam aquam, quæ sub eisdem paralellis, vel climatibus clauditur, intelligere volumus; nam siue in ipsa sint insulæ de facto habitabiles, siue non, nihil refert; hoc tantum ad rem est satis, quod ibi sint tales cæli influentiæ, & temperies, vt si homines, vel terra ibi esset, habitatio fieri posset.

Solum restat examinandum, quomodo ipsa terra ponatur hic figuræ similis tympano; cum oppositum sit verum, & ab eodem fortissimis rationibus in 2. de Celo demonstratum, sphæricam namque esse, ostensum est. Respondetur tamen; quod si terra simul cum aqua consideretur, quatenus scilicet vnum corpus, vel globus elementi grauis, ac ad centrum tendentis efficitur, est necessario sphærica, saltem quoad partes principales, vt ibidem declaratum est. Si autem ipsa secundum partes habitabiles tantum, & prout ipsi Antiqui credebant, consideretur, quamuis aquã quoque comprehendat, à tympani figura non multum est aliena; si quidem nec circa polos, neque circa equinoctium, nec ex parte Orientis, & Occidentis est habitabilis, ob diuersa impedimenta, quamobrem remouentur extremitates sphęricæ figuræ. (De medio autẽ, vel equinoctio non curetur) & ad prædictam tympani accedit, quod quidem re vera, mihi admodum difficile, & potius sophismati, quã alicui rationi innixum videbatur, nisi optimis, & infallibilibus regulis à Geographis, & præcipuè ab Ortelio designatũ respexissem; nec aliæ sunt circa hoc expetendæ rationes, sed vnicui in sua facultate experto credendum est. De ventis nihil aliud dicendum censeo, si quidem fusè ab ipso Philosopho dictum fuit in litera, nisi quod à Nautis & Cosmographis, plures, quam ipse assignauerit, cõstituuntur, & in summa sunt triginta duo; quorum nomina, & proprietates, in libris eorundem videri possunt. In duos sequentes libros, quæstiones omittam, eo quod, vel parum, vel nihil ijs, quæ Aristoteles dixit, ac ego exposui, addenda sunt: at si aliqua parui tamen momenti desiderentur, vel ingenio suppleantur, vel ab alijs libris hauriantur.

Terra quomodo est figuræ tympani.

Venti secundum Nautas sunt 32.

Finis Quæstionum Secundi Libri Meteorologicorum.

ANTO-

ANTONII ROCCI

De Scurcula Marſorum.

IN TERTIVM LIBRVM ARISTOTELIS Meteorologicorum Paraphraſis.

SVMMÆ LIBRI.

IN prima agitur de Procella, Vortice, accenſo Turbine, ac Fulminum ſpeciebus.
In ſecunda de Area, Iride, Parelijs, & Virgis.
In tertia de ijs, quæ generantur incluſa in partibus terræ.

SVMMÆ PRIMÆ CAPVT VNICVM.



DE reliquis autem operibus, ſeu effectibus huius ſegregationis, ſeu exhalationis, prout in nubibus includitur dicamus, dicentes modo inducto, hoc eſt per eaſdem cauſas, & iiſdem ſuppoſitis principijs. Spiritus enim hic, videlicet exhalatio calida, & ſicca, in nubibus incluſa, cum ſegregatur, ſeu pellitur à nubibus, ac per modicas quidem partes, & ſparſim diffunditur, & ſæpe ſit, ſeu agitatur, ac perflat, ſubtiliumque partium exiſtens, Tonitrua facit, & coruſcationes; ſi autem totus ſimul, & ſpiſſior, ita vt minus ſubtilis à corpulentiori ſpiritu ſegregatus fuerit, fit ventus, qui dicitur Procella; quapropter hic ventus eſt violentus: celeritas enim excretionis, ſeu ſegregationis à nubibus, cum craſſitie, ſeu corpulentia, facit fortitudinem, & impetum deorſum. Quando igitur ad primam excretionem conſequitur multa alia, & continua, eodem fit modo, quemadmodum vapor, vel nubes poſtquam in pluuiam incæpit conuerti, cum iterum in contrarium mouetur, hoc eſt de vapore, vel nube, fit iterum pluuia (omnis enim mutatio eſt de contrario in contrarium) tunc pluuiæ, & aquæ fit multitudo, ſic (inquam) fit multitudo procellæ, cum vni exhalationi altera atque altera additur, & à frigiditate nubium deorſum pellitur. Exiſtunt igitur ambo hæc, (videlicet procella, & pluuia) in potentia ſecundum materiã, vel nubes, vtraq; enim ex nube fit. Cum autem factum fuerit principium cuiuſcunq; exiſtentis in potentia (hoc eſt cum cæperit fieri aqua, vel ventus, quæ ſunt in potentia nubium) id quod exhalationis ex tali materia poſt primum coexcernitur, ſeu ſeparatur, conſequitur ipſum primum, & ſibi vnitur cuiuſcunque fuerit, tam ſcilicet ſi fuerit materia venti, quam pluuiæ; quare amplior exiſtens huius excretionis multitudo, amplius fit corpus illius quod excernitur, & fit hoc quidem imber, ſi materia fuerit humida, & frigida, illud autem ex altera exhalatione nempe calida, & ſicca, procella. Quando autem ſpiritus qui excernitur, ſeu ſegregatur à nube in qua includebatur, alterum ex altera nube oppoſita procedentem contra percuſſerit, (ſicut accidit, quando ex amplo ſpatio, ventus fertur in anguſtum violenter, ac ibi alium aduerſum inuenit, quod præcipuè accidit in portis, aut vijs: accidit enim ſæpe in talibus, repulſa prima parte fluentis corporis, propterea quod non cedit, aut propter anguſtiam loci, aut propter reflationem ſpiritus contrarij, vt fiat vertigo; hic enim ventus in anterius prohibet procedere, alter autem à tergo impellit; quare vnus eorum ex ea parte, qua non prohibetur moueri, pellitur in latus, & ſic ſemper contiguus, ſeu ſequens ventus, donec vtique vniantur, & fiant vnum corpus; hoc autem modo fit circulus: cuius enim eſt vna latio figuræ, ſic quod ſpatium à tali latione deſignatum habeat principium cum fine coniunctum, hanc figuram neceſſe eſt circulum eſſe, quod accidit iſtis ventis cum facti fuerint contigui, poſt reluctantiam) ſuper terram vtique propter hoc fiunt vertigines, atque ſimiliter in nubibus, ſecundum principium, ſeu materiam diſpoſitam ad hoc. Veruntamen ſicut quando procella fit, ſemper nubes excernitur, ſeu ſegregatur, ac ſcinditur, & fit continuus ventus, donec materia durauerit, ſic in iſta paſſione, continuum nubis ſequitur ſemper præcedentem exhalationem, propter ſpiſſitudinem autem nubis non potens ſpiritus à nube ſegregari, vertitur quidem circulariter primò propter dictam cauſam intra nubem: deorſum autem fertur tandem, quia ſemper nubes inſpiſſantur, eo quod ab ipſis exit calidum, ac tali inſpiſſatione, & frigiditate deorſum talem exhalationem pellunt. Vocatur autem hæc paſſio ſi incolorata fuerit, Vortex, qui eſt ventus exiſtens, velut procella inconcocta, ſeu indigeſta, prout videlicet, non eſt purus ventus, ſed miſtus ex aqua, & nube, diciturque incoloratus ad differentiam fulguris, & corruſcationis, quæ Vortex.

ignis

ignis colorem ostendunt. Borealibus autem existentibus ventis, aut regionibus, non fit Vortex, neque niuosis existentibus, fit procella: propterea quod tam Vortex, quam procella flatus sunt, flatus autem est exhalatio calida, & sicca, vnde à frigiditatibus corrumperentur. Gelu igitur, & frigus, propterea quod dominantur, cum sint excessiua extinguunt mox, quod sit principium harum passionum. Quod autem dominentur, palam est; neque enim vtique esset niuositas, neque Borealia loca essent humida; hac enim accidit ita esse, dominante frigiditate. Fit igitur Vortex, quando exhalatio, quæ fit procella, non possit segregari à nube flatim, ac directè, sed intra illam circulariter agitatur, atque per modum circulationis in terram tendit ex nube ipsa, & aqua mista. Fit autem circumuolutio ipsius exhalationis, cum ad terram feratur propter repercussionem girationis habita intra nubes, & quia non potest absolui faciliter à nube, simul cum secum in terram deducit. Ea autem ex parte, qua secundū directum exhalatio ipsa circulariter se mouendo efflat, hac suo spiritu, vel impetu mouet, ac circulari motu vertit, & sursum fert multa, inferens vim cuicunque sibi inciderit. Cum autem talis spiritus à nubibus detractus ignitus fuerit, (hoc autem accidit, cum spiritus fuerit subtilior) vocatur

Accensus Turbo. *accensus Turbo, coincendit enim aerem, ac ipsum colorat ignitione quadam, vnde in turbine non est propriè ignis, sed quædam parua ignitio, quasi colorans tantum, seu flammæ colorem habens, crassiorisque materiæ. Si autem in ipsa nube multus, & subtilis fit spiritus, atque ab ipsa extrudatur, hic fit fulmen, quod si vald tenue fuerit, non adurens propter tenuitatem, vocatur à Poetis clarum: si autem sit minus adurens, quod tamen denigrat corpora, quæ sibi occurrunt, à Poetis vocatur fumidum.*

Fulmen. *Vortex igitur, & Fulmen in hoc conueniunt, quod vtrumque est exhalatio calida, & sicca repercussa circulariter à nubibus ad terram; differunt vero, quod Vortex est materia magis crassa, & non ignita, sed interdum tantummodo colorata, vt potius splendor quidam, quam ignis videatur. Fulmen vero est magis subtilis materia, & semper ignita, vel parum, vnde varios efficit effectus ignis, prout talis materia, vel est magis subtilis, vel magis, & minus ignea. Fulmina igitur cuius subtilissima est materia ignea, propter tenuitatem velocissimè fertur, ac penetrat; propter velocitatem autem, prius transit, quam igniat, imò prius etiam transit, quam moram faciens denigret, non enim tantum immoratur, quod denigrare possit: hoc autem quod est crassioris materiæ tardius penetrat, tamen quia etiam respectu solidorum corporum subtilissimum est, transiens interdum non exurit, sed præuenit exustionem, sed tamen colorat, seu denigrat corpus, prius namque fit denigratio, quam combustio. Quapropter corpora, quæ ei resistunt, ac densiora, & duriora sunt, aliquid ab ipso fulmine patiuntur, quæ autem non resistunt, nihil patiuntur, vt Clypei, seu æs, aut ferrum quidem liquefactum fuit, lignum autem nihil passum fuit; nam propter raritatem ipsius ligni, spiritus, seu fulmen præuenit penetrare, & pertransire, antequam igniat. Et per vestimenta similiter non combussit, sed in ossibus duris, ac resistentibus, velut attritionem fecit. Quare quod hæc omnia spiritus sint, palam est ex talibus rationibus. Est autem aliquando oculis videre, quod ipsum Fulmen sit spiritus, seu exhalatio accensa, velut cum accidit circa templum in Epheso combustum; ad multas enim partes flamma ferebatur continua, seorsum vero ferebatur discerpta, seu scissa; vnde patet, quod vtroque modo sit spiritus, seu exhalatio, aut fumus ardens. Quod autem fumus spiritus sit, & ardeat, manifestum est, ac dictum prius in alijs, nempe in 2. de generatione tex. 28. cum autem multus simul recedit, seu discurrit, tunc manifestius videtur, quod talis exhalatio, ac fulmen spiritus sit, nam in parua quantitate hoc non faciliter cognoscitur, sed vix esse flamma videtur. Quod igitur in paruis ignitionibus videtur, hoc & tunc multa ardente materia fiebat multo fortius, ac manifestè spiritus apparebat. Quare in incendio Templi Ephesij prædicti, ruptis lignis ab ipso spiritu, atque combustis, vnde erat principium spiritus, seu fumi exeuntis ab ipsis lignis multus progrediebatur fumus Fulminis congregatus cum altero, ea parte qua efflabat, & simul cum ipso ferebatur sursum accensus: quare videbatur flamma ferri, & inuadere domos ciuitatis, vnde signum est, quod ipse spiritus Fulminis sit fumus, aliter cum ipso non faciliter vniretur, nec vnum fieret. Semper igitur putare oportet, quod ventus sequatur & præcedat fulmina (quia vna pars exhalationis accenditur, & simpliciter vocatur Fulmen, alia maior remanet sterilis, seu non apta igniri, & hæc dicitur Ventus) sed non videtur, quia sine colore est; quapropter, quod fulmen debet percuti prius mouetur, quam percutiatur, tanquam principium venti, prius ipsum inuadat, ac quatiat, quam fulmen percutiat. Et Tonitrua autem diuidunt corpora non sono, sed quia simul à nubibus excernitur, seu separatur violenter spiritus, seu ventus, qui fecit percussionem, & sonum, qui si percusserit, diu fit, exussit autem non, quia ipse non est igneus: quare si hoc accidit in Tonitruis, (quod scilicet Ventus præmittatur) magis in fulminibus accidere potest, cum sit vehementior passio. Est tamen notandum, quod tonitruum potest esse sine fulgure, & è contra, puta quando exhalatio erumpens non est ignita, vel debiliter ignita, non potest nubem rumpere. Notandum est etiam, quod fulgur, & fulmen differunt, quia fulgur est flamma illa apparens, absque vehementia; at fulmen est exhalatio eadem vehementer deorsum pulsa, cum qua sæpe contingitur lapis inter nubes genitus, qui cuneus fulminis dicitur: mirabiles autem & ferè supranaturales sunt effectus fulminis, qui in quamplurimis libris, & historijs respici possunt.*

De Tonitruo igitur, & Coruscatione, & Procella; adhuc autem de accensis Turbinibus, & Vorticibus, & Fulminibus dictum est, & quod idem sunt omnia in ratione causæ materialis, et quæ differentia omnium ipsorum sit.

SVMMA SECVNDA.

De Area, Iride, Parelijs, & Virgis.

CAPVT I.

Narrantur aliqua accidentia istorum: quæ in vnam communem reducuntur causam, scilicet in refractionem.

DE Area autem, & Iride, qu d vtrumque sit, & propter quam causam fiant, dicamus, & sim liter de Parelijs, & Virgis. Etenim omnia hæc fiunt propter easdem causas inuicem, seu quia eadem est causa omn.bus. Primò autem oportet accipere, seu considerare passiones, & acciden-

& accidentia circa vnumquodque ipsorum. Ipsius igitur Areæ apparet sæpe totus circulus, & fit circa Solem, & Lunam, & circa splendentia astra. Adhuc autem nihil minus nocte, quam die, & meridie quam serò; diluculo autem minus, nec circa Occasum, quia tunc à multitudine vaporum, qui inter astra & nostrum visum opponuntur non sic ipse circulus est fieri aptus. Iridis autem nunquam fit circulus, neque sectio, seu diuisio circuli, quæ sit maior semicirculo, & oriente quidem, & occidente Sole apparet nobis maxima portio minimi, seu minoris circuli: eleuato autem magis supra nostrum Orizontem apparet nobis circuli quidem maioris, portio minor (Apparent namque isti circuli maiores, & minores secundum diuersum nostrum aspectum, quamquam in veritate semper sint æquales.) Et post autumnale quidem æquinoctium, in breuioribus diebus fit omni hora diei: in æstiuis autem non fit circa meridiem, quorum ratio esse potest, quia post autumnale æquinoctium, Sol à nobis declinans faciliter potest efficere reflexionem radiorum inter nos, & nubes, ita vt medietas circuli appareat, quod eadem de causa accidit circa ortum, & occasum æstatis: oppositum autem opposita ratione dicendum est, dum Sol est super apicem, vel supra nostra capita. Neque plures duabus Irides fiunt simul. Harum autem vtraque est tricolor, & colores eosdem, & æquales secundum numerum inuicem habent; debiliores tamen, seu obscuriores sunt eius Iridis, quæ extra alteram est, & è contrario positi sunt secundum positionem. Iris enim quæ intra aliam est, habet primam circumlationem externam videlicet, & continentem, ac maximam, puniceam. Iris autem exterior habet minimam circulationem internam, & propinquissimam ad prædictam, similiter puniceam, & alia proportionaliter se habet ad aliam circumlationem, & denique altera ad alteram, tres namq; sunt circumlationes vtriusque, & tres tantum colores habent inter omnes. Sunt autem colores Iridum hi, (quos quidem solos ferè non possunt facere pictores, quosdam enim alios ex mistura diuersorum efficere possunt) Puniceus, Viridis, & Purpureus, hi namque non fiunt ex mistione: Iris autem hos habet colores. Qui autem est inter Puniceum, & viridem apparet sæpe Flauus. Parelij autem, & Virgæ fiunt semper ex latere Solis, neque super Solem, neque ad terram, seu directè sub Sole, neque ex opposito ad Solem puta ad orientem, vel accidentem, neque etiam nocte, sed semper circa Solem. Nec aliud est Parelius, quam Solis in nube aquosa, quasi in speculo repræsentata imago. Qui fiunt dum ipse Sol ascendit, vel descendit secundum plurima autem ad occidentem, seu quando circa ipsum declinat, quia in occidente propriè existente non fiunt, vt dictum est. Virgæ autem sunt radij Solares nubes penetrantes in rectum ad modum linearum rectarum, quæ diuersos ostendunt colores secundum luminis reflexionem. Dum autem in medio cæli est, raro. At in Bosphoro aliquando accidit: per totam enim diem simul orientes duo Parelij permanserunt vsque ad occasum. Quare non est necessitas, quod magis vno tempore, quam alio accidant, vel secundum diuersas cæli partes, sed congruentia quadam secundum dispositionem vaporum, & aliarum conditionum. Quæ igitur circa vnumquodque ipsorum accidunt hæc sunt. Causa autem horum omnium eadem est; omnia enim hæc refractio sunt: differunt autem modis, & à quibus fiant, & quomodo accidit fieri refractionem ad Solem, aut aliud aliquid fulgidorum. Et per diem quidem Iris fit, nocte autem fit quoque à Luna, & non est verum quod Antiqui putabant, quod non fieret. Hunc autem errorem ipsi patiebantur, eò quod rarò de nocte, & à Luna fit, vnde ipsos latebat. Fit tamen, rarò autem. Causa autem est, quod in tenebris latent colores, & alia multa, quæ oportet conuenire ad Iridem, & debent omnia hæc accidere vna tantum die mensis: in plenilunio enim fieri debet, si debeat fore, & tunc aut oriente, aut occumbente Luna, vt de Sole dictum est: quapropter in annis supra quinquaginta, bis solum talem Iridem Lunæ comperimus. Quod igitur visus refrangatur, sicut ab aqua, sic & ab aere, & omnibus habentibus superficiem planam, oportet accipere fidem ex ijs, quæ circa visum, seu scientiam perspectiuam ostensa sunt, & propter quid in quibusdam speculis, non solum colores, sed figuræ apparent, in quibusdam autem colores solum; talia autem sunt specula parua, & nullam habentia sensibilem diuisionem, vel magnitudinem: in his enim impossibile est figuram apparere: videtur enim figura esse diuisibilis; omnis enim figura videtur simul figuram esse, & diuisionem habere omniquaque. Quoniam autem, vt figura repræsentetur, necessarium est, quod intus, in repræsentante, seu speculo aliquid figuræ appareat, hoc autem in paruis est impossibile, relinquitur solum colorem, & non figuram intus apparere. Color autem splendidorum aliquando quidem splendidus videtur, aliquando autem efficit phantasiam alterius coloris, aut propterea quod miscetur ei color, qui est specialis, aut propter debilitatem visus. Sit autem de his à nobis speculatum, in ijs, quæ demonstrantur circa sensum; quapropter ipsorum hæc quidem dicamus, his autem vt existentibus vtamur ad ea, quæ dicenda sunt de istis impressionibus.

Parelij.

Virgæ.

CAPVT II.

De figura Areæ, significationibus & earum causis.

Primò autem de figura ipsius Areæ dicamus, & quare circulus sit, & quare circa Solem, aut Lunam fiat; similiter autem de alijs astris; eadem enim in omnibus congruet ratio. Fit igitur refractio visus (loquendo more Perspectiuorum, qui radios à nostro visu exire affirmant, ac ferri in obiectum visibile, refrangi postea ad nostrum visum, & sic fieri visionem) cum aer, & vapor cogitur in nubem, si ipse aer condensatus extiterit consistens æqualis, & paruarum partium, hoc est si fuerit nubes aliquo modo densa, & aquosa, ac regularis, potest ab ipsa reflecti lumen ad nostrum visum, vnde dicitur paruarum partium, vt significetur, ne sit nimis densa, tunc enim obscura esset. Quapropter consistentia ipsius Areæ, seu densatio persistens, est quidem signum pluuiæ Marcores autem, seu simplex resolutio, & destructio signum est serenitatis. Si enim talis Area neque sit marcefacta neque destructa, sed permissum fuerit accipere propriam naturam nubis, & ipsa inspissata accipiat continuitatem ab alijs vaporibus, necessarium est in aquam conuerti: quapropter hi colores Areæ condensatæ in nubem, inter alios, qui in aere aspici possunt, maximè fiunt nigri, quod à densatione, & aqua inclusa prouenit. Cum autem distrahitur est signum venti: diuisio enim ipsius areæ à vento facta est, qui quidem sursum existit, & si nobis non sit præsens. Signum autem huius est, quod hinc fit ventus vndecunque præcipua fiat distractio. Cum verò marcescit, signum est sereni-

Area quid significet. Signum pluuiæ.

serenitatis. Si enim aer, seu vapor ille areæ, non disponitur sic aliqualiter, vt superet calidum, quod in ipsa intercipitur, seu continetur, neque veniat in inspissationem aquosam, palam est, quod nondum vapor ille segregatus est ab exhalatione sicca, & calida: hæc autem existens ipsam aream marcescere facit, atque serenitatem inducit. Vel eò quod area marcescit, signum est, quod in ipsa includitur multum de calido, & sicco, quod non pluuiam, vel nubes, sed serenitates est natum efficere. Quomodo igitur se habente aere disposito fiat refractio, dictum est. Refrangitur autem visus, seu potius lumen ad visum, à caligine existente circa Solem, & Lunam, aut alia astra, ita vt caligo, vel vapor, seu nubes, opponatur inter nos, & astra: lumen verò astrorum in tali nube repercussum, ac ipsam aliquomodo penetrans à nobis respicitur secundum figuram circularem, & dicitur Area, vel Halo; quapropter non ex opposito lateraliter sicut Iris apparet Area, sed sub astris. Vndique autem scilicet ex omnibus partibus vaporis, ab omni parte astri refracto lumine, necesse est circulum esse, vt assimiliter astro, & indifferenter refrangatur, aut erit pars circuli, si vapor ille non sit sufficienter per totum dispositum, vt totam circularem figuram recipere possit: non enim magis notum est multiplicari in vnam partem, quam in aliam ratione rotunditatis, vnde circulum efficiet, qui est figura maximè vniformis. Ab eodem enim signo ad idem signum æquales frangentur lineæ super lineam circularem, sed lineæ, seu radij Solis, vel alterius astri, reflectitur, vel sic reflecti intelliguntur de Area ad Solem, non secundum vnam lineam tantum, quia per totum corpus Solarem diffunditur lumen ad totam nubem, ergo vt fiat reflexio vniformis, fieri debet per lineas, quæ circulum describant. Sit enim à puncto in quo est oculus respiciens Aream, & vocetur A, linea ad Solem, quæ vocetur B refracta, & aliæ lineæ circundantes nubem Areæ, ac ad oculum, & Solem terminatæ sint æquales, & æqualiter distantes è centro nubis, efficient triangulos æquales, atque figuram quoque æqualem continebunt, quæ circularis erit; hæc de figura Areæ, cuius exacta speculatio ad Perspectiuos attinet, & faciliter cognosci poterit respiciendo figuram ad hoc propositum, quæ in multis Commentariorum libris designatur, & sensibiliter omnia ostendit. Nunc de colore ipsius Areæ dicamus. Oportet autem intelligere, ipsam nubem esse secundum varias partes, & guttas, sicut continua specula, sed propter paruitatē vniuscuiusque, vnumquodque ex se quidem inuisibile est; quod autem ex omnibus est, nempe tota nubes, vnum esse videtur: propterea quod specula illa parua consequenter, seu contigua sunt, vnde vnum efficere videntur. Apparet igitur aliquod album in ipsa Area, quod quidem est Sol, seu lumen eius circulariter, seu secundum figuram circularem, & continuè, seu vnitè in vnaquaque guttarum, vel speculorum apparens, sic videlicet, quod non in vnoquoque per se, sed in omnibus simul vnitis, tanquam in vno solo, quod ex illis continuum est, videatur, & hæc est tota nubes, quæ Aream repræsentat; ita vt licet sint multa particularia specula, in quibus lumen refrangitur, vnum tamen videtur, nullam habens sensibilem diuisionem; alia verò pars Areæ, quę est iuxta hoc album, atque in circumferentia, nigra videtur: quapropter albedo alterius partis nigrior apparet quam sit; nam minus album positum iuxta magis album nigrum videtur, versus centrum autem ipsius Areæ magis videtur album, quia ibi tranquillior est: flatu enim vel vento existente, non est flatio, vel firmitas manifesta coloris: at quia partes circumferentiales magis agitantur, quam centrales, ideò minus in eis color videtur albus. Sæpius autem fiunt Areæ circa Lunā, quia Sol calidior existens, citius dissoluit consistentias aeris. Circa astra autem fiunt quidem propter easdem causas; non significant autem similiter, sicut quę sunt Lunæ & Solis, nempe ventos, vel serenitates, vel pluuias, quia paruas penitus indicant consistentes exhalationes, & nondum stabiles.

CAPVT III.

De generatione, coloribus speciebus, & numero Iridum.

IRis autem, quod quidem est refractio luminis ad nubem roridam, dictum est prius; qualis autem refractio, & quomodo, & propter quam causam fiant singula accidentia circa ipsam, dicamus nunc, & primò à quibus corporibus visus, seu lumen, vel color ad visum refrangatur. Videtur igitur visus refrangi ab omnibus corporibus lenibus, hoc est transparentibus, ac debitè densis, & ex parte posteriori opacis, ex superiori lenibus, vt de speculo notum est, quod quidem ex se transparens est, habetque in parte posteriori, seu retrorsum plumbum, vel opacum, ac in superficie est lene; naturalium vero corporum simplicium sunt huiusmodi aer, & aqua; non tamen ab aere simpliciter in sua raritate manente, fit talis refractio, sed cum coierit, seu densatus fuerit ex commistione exhalationum, aut frigore &c. Propter visus autem debilitatem, sæpe etiam sine inspissatione aer facit refractionem; qualis passio aliquando accidit cuidam dicto Antipheronti, debiliter, & non acutè videnti: semper enim simulachrum eius videbatur præcedere ex opposito, seu ante faciem ipsius ambulantis, ac respicientis ad illud simulachrum, hoc autem patiebatur, quia visus refrangebatur ad ipsum; sic enim tenuis erat, ac debilis valde ob infirmitatem, vt propinquus aer sibi speculum fieret, & non posset repellere, seu superare eum, sicut non potest repelli, qui longè est, & spissus; quare maior erat virtus aeris in retinendo & repræsentando eius imaginem, quam virtus visiua in penetrando ipsum aerem: nam & si non fiat visio per extramissionem, vt exactè dicemus in secundo de Anima, tamen aliqua actiuitas ex parte visus in obiectum requiritur, aliter eodem modo lippi, & qui sunt acuti visus perspicerent obiectum, quod falsum est; quod etiam cognoscitur ex hoc, quod qui acutius videre vult, acuit conatu quodam, ac vi oculos, & melius perspicit, ac vicinum aerem penetrat; qui autem est longè penetrare sic nequit (quod tamen sit per modum inquisitionis dictum; nam in loco supracitato examinabitur ex professo.) Ex qua doctrina aliqua inferuntur. Primum, quod hac de causa, videlicet ex crassitudine aeris distantis, ac multiplicati, promontoria existentia intra mare, & sursum eleuata, videntur ab ipso mari euulsa, seu diuisa; quia videlicet inter nos, & hæc promontoria propè terram opponitur magna aeris multitudo crassa, quæ promontoria à mari diuidere videtur, & aerem illum coniungi cum cælo, quod est vltra montem: nam pars illa inferior non videtur, sed tantum videtur aer ille caliginosus, ac cælo aliquo modo similis. Secundum, quod eadem de causa, cum Euri flant, qui sunt venti crassi, & vaporosi, magnitudines omnium rerum videntur maiores, nam

Antipheron videbat se in aere.

Montes distantes videntur à terra euulsi.

uam res visæ per medium transparens crassius, videntur maiores. Tertium, quod Astra, & Sol in Oriente, & Occidente videantur maiora, quam dum sunt in medio cæli, quia videlicet inter nos, & illa opponitur magna quantitas caliginis, vaporis, quæ ea maiora apparere facit. Refrangitur ergo visus ab aere, & aqua. Ab aqua autem maximè refrangitur, & ab ea, quæ incipit fieri, dum videlicet nubes in ipsam conuertitur, magis quam ab aere: necessarium est enim, quod quælibet pars consistens ex quibus fit gutta aquæ magis sit speculum repræsentatiuum luminis, quam caligo, vel aer caliginosus. Quoniam autem manifestum est, & dictum est prius, quod in talibus speculis paruis, color tantum apparet, figura autem immanifesta est: necessarium est, cum incipit pluere, & aer qui in nubibus est, iam quidem cogitur in guttas, nondum autem perfectè pluit, si Sol, aut aliquid aliud sic fulgidum nempe Luna, ex opposito fuerit, ad nubes, vel aerem sic inspissatum, vt ipse nubes fiant speculum, & refractio luminis fiat ex ipsis ad oppositum fulgidum, vnde in ipsis quoque nubibus appareant imagines coloris, non autem figuræ fulgidorum corporum, eo quod vnumquodque speculorum existat paruum, & per se solum inuisibile, quod imaginem repræsentare non potest, quod neque efficere possunt omnia illa specula simul vnita, quia non faciunt vnum simpliciter continuatione: quare nec vna continuata figura in eis repræsentari potest. Ea autem magnitudo nubis roridæ, quæ ex omnibus prædictis guttis, ac speculis paruis est, visa à nobis vna ob continuitatem magnitudinis, quam cum his guttis ob distantiam videtur habere; necesse est, quod hæc, quæ apparet nobis magnitudo continua, appareat eiusdem coloris, cum coloribus ipsarum guttarum ex quibus constat; vnumquodque enim speculorum, seu harum paruarum guttarum, reddit sibi colorem proportionatum ipsi toti magnitudini continuæ, & sic tota illa magnitudo, quæ secundum sensum continua apparet, & si re uera non sit, reddit, seu ostendit nobis secundum sensum vnum colorem, vel plures confusos, ac mistos. Quare quoniam possibile est hæc accidere, cum Sol, & nubes hoc modo se habeant opposita, & disposita, & nos simus in intermedio ipsorum, erit propter refractionem imago quædam (quinimò, & videtur tunc, & non aliter se habentibus rebus ad hoc necessarijs) facta Iris. Quod igitur Iris sit refractio visus ad Solem, manifestum est; quapropter ex opposito, seu lateraliter semper fit; area autem non fit hoc modo, sed circa ipsum Solem directè. Et quidem ambæ sunt refractio visus ad lumen, sed hæc quidem scilicet Iris differt ab illa in varietate colorum: hæc enim refractio Iridis fit ab aqua, seu nube aquea, & perlucida, ac etiam à nigro, videlicet à densitate nubis mista cum exhalatione terrea, & fit quoque de longe, seu non sic ad nos, & Solem directè, sed lateraliter, & distanter ab vtroque. Area autem fit de propè, seu magis directè, & ab aere, seu nube albiore secundum suam naturam, hoc est à nube magis clara. Nunc autem videamus, quomodo diuersi fiant colores in Iride, Vnde notandum sit, quod dum fulgidum apparet per nigrum, aut in nigro colore, (nihil namque differt, quomodo appareat, scilicet aut per ipsum nigrum, aut in ipso) videtur esse puniceum, seu croceum. Quod autem per diuersam mistionem, & apparentiam, fiant vel videantur diuersi colores, duobus signis comprobatur. Primum est de igne. Videre enim licet ignem viridium lignorum; huius enim flamma, & si alba sit, tamen eam habet rubram, propterea quod ignis ipse fulgidus existens, & albus, mistus est fumo multo. Secundum signum est de Sole. Sol enim visus per caliginem, & fumum apparet puniceus. Quapropter prima quidem refractio Iridis, quæ est in maiori circumferentia Iridis interna videtur habere talem colorem puniceum: à guttis enim paruis fit refractio luminis Solis, vnde tale lumen puniceum videtur: quæ autem est refractio ipsius Areæ non sic videtur, quia nubes in qua fit, non est talis dispositionis, sicut Iridis. De alijs autem coloribus Iridis posterius dicemus. Adhuc autem circa ipsum Solem non fit mora consistentiæ, seu nubis Areæ, sed aut pluit, aut dissoluitur, vnde tempus non adest, quod ex ipsa possint diuersi apparere colores, sicut in Iride: ex contrarijs autem sitibus, idest ex nubibus, quæ sunt in sitibus contrarijs, & oppositis lateraliter ad Solem, in intermedio generationis aquæ fit quoddam tempus, hoc est existẽs hæc nubes Iridis prius quam in aquam conuertatur, manet aliquo tempore, vnde varij possunt fieri colores. Quoniam si fieret, vt Area ipsa maneret, absque eo quod resolueretur in aquam, vel dissiparetur, esset vtique colorata Area sicut Iris. Nunc autem totæ quidem Irides non fiunt, quæ habeant tales imagines Areæ, neque circulariter sicut ipsa Area; quare & si multiplex color appareret in Area sicut in Iride, non tamen esset Iris dicenda; quia de ratione Iridis est, quod sit semicirculus: potest tamẽ fieri ordinariè parua colorũ diuersitas in Area, & secundum partem aliquamtantum, videlicet secundum eam, quæ magis lateraliter opponitur Soli, sed tunc non Iris erit, sed aliæ quædã impressiones, quæ vocãtur Virgæ. quæ sunt lineæ rectæ apparentes à latere Solis. Quoniam si consisteret talis caligo, quæ est materia Areæ sic disposita, vt ab ipsa possit refrangi Iris, qualis refrangeretur vtique ab aqua, aut alio aliquo nigro aereo corpore, vt diximus; appareret vtique Iris tota, sicut quæ apparet circa lucernas; circa has enim Australibus existentibus uentis, hyeme fit Iris. Maximè autem fit manifesta hæc Iris, ijs qui humidos habeãt oculos: visus enim horum citò propter debilitatem refrangitur ab aere vaporoso. Fit autem Iris à lumine Lucernarum ob humiditatem aris, & ab euaporatione, & fuligine defluente à flamma, & talibus euaporationibus sic mista, vt aer ingrossetur, & ibi lumen refrangi possit; tunc enim fit speculum ex talibus vaporibus propter nigredinem: ipsa enim fuligo fumosa, atque nigra est cum claritate, & transparentia vaporum, vnde habetur sufficiens dispositio. Lumen quoque lucernæ non album, sed purpureum circulariter apparet: vnde non est vt Iris talis refractio, sed potius Irinum quid dici debet, neque puniceum. Causa diuersitatis ab Iride Solis est, quia in ista lucernarum, visus qui refrangitur est debilis, (non enim omnibus apparet, vt dictum est) & speculum nigrum: ea autem Iris, quæ fit ex remis, qui sursum feruntur ex mari, ac aquam trahunt, & veluti pluentem dimittunt, positione quidem, seu situ eodem modo fit, cum ea quæ in cælo, vel aere apparet in nubibus, quia fit lateraliter ex reflexione luminis Solis, vel Lunæ sicut illa; colore autem similior est ei, quæ fit circa lucernas, non enim puniceum, sed purpureum colorem habere videtur. Refractio enim luminis fit à purissimis guttis, quæ continuæ secundum nostrum sensum videntur, quæ quidem guttæ sunt penitus aqua segregata, seu secundum partes particulas diuisa; quapropter densius, ac nigrius est hoc speculum, quam illud quod in nube rorida efficit Iridem Solis, ideo color istius est nigrior, ac differens ab alio. Fit autem Iris si quis irroret tenuibus guttis in aliquem talem locum, qui positione ad Solem versus sit lateraliter, ex alia

vero

vero parte sit umbra, ita ut in una parte emineat, seu reuerberet Sol, ex alia vero opposita sit umbra: in tali enim loco si quis intra eam partem, quæ illuminatur, irroret, ei qui extra, seu à lõge proportionaliter stat inter talẽ aquam, & Solem, ex ea parte qua permutantur radij à guttis, & faciunt umbram, seu reflexionem, atque colorem (qui respectu Solis, & radiorum potest dici umbra) apparet Iris. Motus autem, quo fiat, et coloratio similis, et causa eadem est ei, quæ fit à remis; manu enim pro remo utitur irrorãs, quia sicut nautæ expandunt aquam remis, sic irrorans, seu irrigans manu. Quod autem color talis, nempe purpureus fiat ex diuersa luminis mistione, palam erit simul & de aliorum colorum apparitione ex ijs, quæ dicemus: oportet enim intellexisse, sicut dictum est, & supposuisse. Primò quidem, quod fulgidum in nigro, aut per nigrum apparens, facit colorem puniceum. Secundò supponitur, quod visus, qui protenditur, seu elongatur ab obiecto visibili, debilior fit, & minor. Tertiò, quod nigrum est, velut negatio coloris: quia enim deficit visus, apparet nigrum; quapropter omnia, quæ longè sunt, nigriora apparent: propterea quod visus ad ea non pertingit. Considerentur igitur hæc supposita ex ijs, quæ circa sensum accidunt, & in libro de sensu, & sensibilibus tractantur: illorum enim tractatuum sunt proprij sermones de his; nunc autem quantum ad præsens necesse est, de ipsis dicamus. Apparent igitur propter hanc causam, quæ longè sunt, nigriora, minora, & planiora, nigriora ob prædictam causam, minora, quia per minores angulos aspiciuntur, sicut omnia distantia, & planiora, quia anguli, & aliæ partes subtiles eminentes ob distantiam non discernuntur, & eodem modo minora, nigriora, & planiora videntur, quæ aspiciuntur in speculis (cæteris tamen paribus, hoc est secundum proportionatam distantiam ad obiecta in se visa) omnia enim hæc longius videntur, quam si directè aspiciantur, nisi aliquid aliud adsit, ut in multis speculis, in quibus res magnæ, & immensæ videntur, quæ tamen paruæ sunt. Eadem ratione si nubes aspiciantur in aqua, apparent aspicientibus nigriores, quam si in ipsas nubes aspiciant, & hoc valde notabiliter accidit; nam propter refractionem in aquam, paruo, seu debili visu aspiciuntur, & ita nigriores, ac planiores videntur. Differt autem nihil, si id quod videtur, permutetur, seu fiat longius, aut si transmutetur visus, utroque enim modo idem accidet: adhæc autem oportet non latuisse hoc aliud, quod ex suppositis deducitur. Accidit enim cum nubes fuerit propè Solem, si aliquis directè in ipsam respiciat, nequaquam sibi videtur colorata, sed alba: si quis vero eandem in aqua respiciat, videbitur ei, quod habeat aliquem eorum colorum, qui Iridis sunt. Palam igitur est, quod visus fractus propter debilitatem, id quod nigrum est facit apparere nigrius, sic quod est album facit apparere minus album, & adducit ad nigrum. Visus igitur, qui est fortior, Solis clarum permutauit in puniceum, si ipsum clarum, seu lumen, ab aliquo nigro efflexum respexit; contiguus autem visus (hoc est debilior, & qui consequenter refrangitur à lumine secundariò repercusso) facit apparere lumen Solis viride, qui color magis tendit ad obscurum, quam puniceus: qui autem adhuc debilior est, seu lumen est magis distans, transmutat ipsum lumen in colorem purpureum; qui est color cæteris nigrior; tres igitur colores apparent in Iride ob diuersam refractionem luminis Solis ad nubem roridam, ac ob diuersam distantiam ad aspicientes, vel melius, ob utrunque simul; color igitur, qui in prima continenti, ac maiori circumferentia internæ Iridis apparet, est puniceus, seu croceus, qui in secunda, est viridis; in tertia purpureus, seu alurgus. In plures igitur, quam in tribus coloribus Iris non apparet, sicut aliorum plurima; in tribus consistunt perfecta, ut dictum est de Cælo; in primo, sic horum colorum finis se habet, ut in tribus perfectus sit, aliorum autem colorum præter istos permutatio est insensibilis, hoc est, & si possint intelligi fieri, ac reflecti pluries, & ordinatim, sicut isti, tamen sensus ab illis non permutatur, seu non cognoscuntur, ideò ac si non essent, æstimantur. Quapropter Iris quidem tricolor apparet, utraque quidem, tam interna, quæ est principalis, quam externa; sed isti colores oppositè apparens in utraque, hoc est non secundum eundem situm circulationum; nam prima Iris, & interna habet primam circulationem externam, ac continentem puniceam: à maxima enim circumferentia plurimus incidit visus ad Solem, seu maior fit refractio luminis ad visum: maxima autem est, quæ est extra: contigua autem & tertia proportionaliter se habent, videlicet, quod contigua, sit viridis, & tertia purpurea: sic enim seruatur proportio refractionis, ut dictum est supra. In Iride autem externa, minor circumferentia contenta ab alijs habet colorem puniceum; secunda ac ipsa maior, viridem; tertia tandem, quæ est maxima, & alias continet, habet colorem purpureum, seu alurgum, quod accidit ex iuxta positione; nam maxima externa circulatio primæ, & internæ Iridis, quæ habet puniceum colorẽ, immediatè refrangitur in minorem contentam externæ Iridis, quia talis est sibi proxima, unde habetur color puniceus; in alia vero, quia debilitatur refractio, fit viridis: & tandem in tertia purpureus, unde patet, quod sint colores secundum positionem oppositam, in utraque, & qua de causa. Quare si quæ de colorum apparitione dicta sunt bene, necesse est tricolorem esse ipsam, & his coloribus colorari solis. Flauus autem color, qui & Xantus, & citrinus dicitur, apparet quoque in Iride, non tamen ex refractione luminis; sed propterea quod colores principales Iridis apparent secus se inuicem; unde quandam reflexionem, ac splendorem faciunt, qui alter color videtur: puniceum enim iuxta viride, album demonstrat. Signum autem huius est; nam in nigerrima nube maximè pura fit Iris, hoc est, quæ tantum tres habet colores, ita ut pro puniceo colore, appareat flauus, quod accidit ex iuxta positione ad nigrum; est autem flauus in Iride color inter puniceum, & viridem colorem, propter nigredinem; eius igitur nubis, quæ in circuitu est, totum ipsius Iridis, quod puniceum est, apparet album: est enim album non simpliciter, sed in comparatione ad illam nubem nigram; quapropter diuersi colores, & præcipuè flauus, ex varia reflexione aliorum apparere possunt, & iterum cum Iris propinquissimè ad terram marcescat, atque soluatur, color puniceus permutatur in flauum; nam nubes alba existens, & adiuncta secus viride, flauum colorem ostendit, ob variam reflexionem circumstantium colorum. Maximum autem signum horum est Iris, quæ fit à Luna; apparet enim hæc Iris alba valde, fit autem hoc, quia apparet in nube existente obscura, & de nocte, unde splendor reflexus in nube, respectu nigri, albus videtur. Sicut igitur ignis super ignem multiplicatus, seu color rubeus super rubeum, aut nigrum supra nigrum, faciunt id quod est debiliter album, ut penitus album appareat, ita accidit de colore puniceo, qui apparet talis ob diuersos colores iuxta se positos. Fit autem hæc passio (nempe variatio coloris, ob alios iuxta positos) manifesta in floribus. Similiter in textu-

ris versicoloribus valde differunt secundum apparitionem, ac approximationem colorum diuersorum, si alij secus alios colores positi sint, veluti purpurei positi in albis, aut nigris lanis, diuersi apparent; nam in albis apparent obscuri, in nigris videntur clari, & idem dicendum est si appareant in splendori tali, vel tali, hoc est apud lumen Solis, vel Lunæ, vel candelæ. Quapropter, & variegatores, seu textores variorum florum, aiunt se peccare, operantes ad lucernam sæpe, & decipi accipientes alios flores pro alijs. Quare igitur tricolor sit Iris, & quod solum & istis tribus coloribus apparet, dictum est. Illa autem Iris, quæ alteram ambit, duplo maior est alia, ac languidior coloribus, & colores ex opposito ad contentam minorem positos habet, propter eandem causam: cum enim longius protenditur visus, debilior est, sicut quod longius videt, debilius videt, & obscurius; ita hi colores, qui longius in hac aspiciuntur, obscuriores apparent. Debilior igitur à superiori nube refractio fit, quia fit à remotiori; quare minor incidens luminis refractio colores facit apparere languidiores; & è conuerso etiam in alia Iride minori accidit, quia videlicet amplior fit refractio à minori, & interiori circumferentia, prout à Sole incidit fortior refractio luminis ad visum. Propinquior enim visus existens, refrangitur fortius à circumferentia propinquissima prima Iridis (loquendo semper secundum Perspectiuos, qui visum refrangi autumant, licet lumen, & color refrangantur.) Propinquissima autem visui in exteriori Iride est minima circumferentia, quare hæc habebit colorem puniceum, qui est intensior, contigua autem, & tertia secundum proportionem. Signentur igitur tales Irides per literas, sit igitur exterior Iris in quo est B, interior in quo A: colores autem sint, in quo C puniceus, in quo D viridis, in quo E purpureus: hi autem sint colores Iridis internæ, quæ ex tribus fit circulationibus; primus color fit primæ externæ, scilicet continentis, ac maximæ, secundus secundæ, & tertius tertiæ. Opposito modo dicatur de externa Iride, & eius circumferentijs, vt satis dictum est. Flauus autem color apparet in quo est F, scilicet inter puniceum, & viridem. Tres autem Irides non adhuc fuerunt, neque plures, quia secunda fit languidior prima, ita vt tertia refractio valde debilis fiat, & impotens sic peruenire ad Solem, seu reflecti lumen de Sole ad visum, more prædicto.

CAPVT IV.

Iridis figura, vel est semicircularis, vel minor semicirculo, & quibus anni temporibus ipsa magis, minusve appareat. Quæ omnia ostenduntur per Perspectiuas rationes.

QVod autem non sit possibile, vt fiat integer circulus Iridis, neque quod ipsius appareat portio, quæ sit maior semicirculo, & de alijs accidentibus circa ipsam, ex descriptione ipsius per lineas, ac designationes Perspectiuas, considerantibus manifestum erit. Hemisphærio enim existente super Horizontem circulum, vbi designatur per istam literam A, centrum autem ipsius Hemisphærij sit K, & aliud signum in eodem Hemisphærio circa Orientem sit G (supponatur autem pro intelligentia, quod Iris fiat ad modum pyramidis, cuius basis sit rotunda, & vocatur Mucro, ita vt basis sit in nube rorida, acumen verò in oculo) sint igitur lineæ, quæ à K, seu centro Hemisphærij secundum lineam rectam excidentes versus oculos videntis, admodum axis, seu recta lineæ diuidentis pyramidem à basi vsque ad acumen, quæ axis vocetur G K, & à K ad M copulata refrangantur ab Hemisphærio ad G super maiorem angulum, ad circuli circumferentiam incident lineæ, quæ protrahuntur à K. Et siquidem in Ortu, aut Occasu astri refractio fiat, semicirculus factus super terram assumetur à circulo Horizontis; si autem astrũ erit supra Orientem, vel Occidentem .s. circa medium cęli, Iris erit semper minor semicirculo; minimus autem erit semicirculus viridis, cum astrum fuerit in meridie. Sit enim in Oriente quidem vbi scilicet ponitur G, & linea K M, in G refrangatur, et planum electum sit, in quo A, quod à triangulo, in quo G K M; circulus igitur erit sectio, seu diuisio sphæræ, nempe semicirculus, qui maximus sit, in quo A: differt enim nihil, si quodcunque eorum, quæ super GK, secundum triangulum K M G electum fuerit planum. Lineæ igitur ab ijs, quæ G K, ducta in hac ratione, non constituentur ad aliud, & aliud punctum, quam semicirculi, in quo A. Quoniam enim puncta G K data sunt, & quæ K M linea data vtique erit, & quæ M G; quare & ratio eius, quæ M G ad M K. Datam igitur circumferentiam tanget M, sit itaque hæc in qua N M, quare sectio circumferentiarũ data est; apud autem aliud punctum, quam ipsius circumferentiæ M N, ab eisdem punctis eadem ratio in eodem plano non consistit; extraponatur igitur quædam linea, quæ sit D B, & scindatur, vt M G se habet ad M K, sic quæ D ad B; maior autem sit, quæ M G, ea, quæ M K: quoniam super maiorem angulum fit refractio coni: sub maiori enim angulo trianguli M K G porrigitur: maior ergo est, & linea D linea B. Accedat igitur ad lineam B linea F, vt quod est linea D ad lineam B, id linea B F ad lineam D sit, deinde quod est linea F ad lineam K G, id linea B ad alia, puta K P fiat: atque à P ad M copuletur, quæ P M, erit igitur P polus circuli, ad quem lineæ, quæ à K incidunt: erit enim quod quæ F ad K G, & quæ B ad K P, & quæ D ad P M; non enim sic, sed aut ad minorem, aut ad maiorem ea, quæ P M, nihil enim differt: sit .n. ad P R, eandem ergo rationem G K, & K P, & P R adinuicem habebunt, quam quæ F B D, quæ autem F B D proportionales erant, quod quidem D ad B, quæ F B ad D. Quare quod quæ P G ad P R, quæ P R ad eam, quæ P K: circa eundem enim angulum P proportionaliter, & quæ trianguli G P R, & eius qui K R P; quare & quæ G R ad eam, quæ K R eandem rationem habebit, quam, & quæ, G P ad eam, quæ P R; habet autem & quæ M G ad M K eam rationem, quam quæ D ad eam, quæ B, quare ambæ à punctis G K non solum ad circumferentiam M N constituentur, eandem habentes rationem, sed & alibi; quod quidem impossibile est. Quoniã igitur quæ D neque ad minorẽ ea, quę P M, neque ad maiorem (similiter enim demonstrabimus) palam est, quod ad ipsam vtique erit, in qua P M. Quare erit, quod quæ M P ad P K, quæ P G ad M P; si igitur eo, in quo P polo vtens, distantia autem ea, in qua P M, circulus describatur, omnes angulos attinget, quos refracta faciunt, quæ à K G. Si autem non similiter ostendẽtur eandem habere rationem, quæ alibi, quam in semicirculo constituuntur, quod quidem erat impossibile. Si igitur circumducas semicirculum, in quo A, circa diametrum, in qua G K P, quæ à G K restrictę ad id, in quo M. In omnibus planis similiter se habebunt, & æqualem facient angulum, qui K M G, & quem etiam facient angulum, quæ K P, & P M, super eam quæ G P, semper æqualis erit. Trianguli igitur super eam, quæ

G P

G P æquales ei, qui G M P consistunt, horum autem perpendiculares ad idem signum cadent eius, quæ G P & æquales erunt. Cadunt ad O centrum, ergo circuli O: semicirculus autem, qui circa M N abscisus est ab Horizonte. Iterum sit Horizon quidem in quo A C; oriatur autem supra hunc G. axis autem sit nunc in quo G P. Alia igitur omnia similiter ostendentur, vt & prius. Polus autem circuli, in quo P erit sub Horizonte, eo, in quo A C, eleuato puncto, in quo G. In eadem autem & polus, & centrum circuli, & terminantis nunc Ortum: est enim iste, in quo G P. Quoniam autem supra diametrum, quæ A C, quod K G centrum vtique erit sub eius priori Horizonte, in quo A C in linea K P, in quo O; quare superior sectio erit minor semicirculo, in qua S T (nam Q S T semicirculus erat, nunc autem interfectus est ab A C Horizonte, itaque Q S disparens erit) eleuato ipso Sole. Minima autem cum in meridie: quanto enim superius G tanto inferius & polus, & centrum circuli erit. Quod autem in minoribus quidem diebus, ijs, qui sunt post æquinoctium autumnale contingit, semper fieri Iridem, patet: in longioribus autem diebus, ijs, qui ab altero ad alterum æquinoctium; circa meridiem non fit Iris, causa est, quia sectiones, quæ ad Vrsam fiunt, omnes sunt maiores semicirculo, & semper ad maiores. Quod autem est immanifestum, paruum est, quæ autem ad meridiem sunt sectionis æquinoctialis, quæ vero sursum est, sectio parua est; quæ autem sub terra, magna, & semper in maiores, quæ longius. Quare in ijs diebus sunt proximæ ad æstiuas versiones, propter magnitudinem sectionis Solis supra nostrũ hemisphærium antequam ad medium veniat sectionis, & ad meridianum G infra iam penitus sit T: propterea quod longè distat à terra meridies propter magnitudinem sectionis. In ijs autem diebus, qui ad hyemales versiones appropinquant, quia non multum super terram sunt sectiones circulorum, contrarium necessarium est fieri: modico enim eleuato in quo G Sol fit in meridie. Hæ Iridis demonstrationes sunt penitus perspectiuæ, nec ad naturales rationes reduci possunt, ideo ad literam hic positæ sunt, quia addere rationes, vel declarationes cum litteris, vel characteribus omnibus, vt decuisset, maior fuisset cõfusio, maximè apud iuuenes, ad quos hæc omnia præcipuè expono, & dirigo. Quare vel caput dimitti potest, vel si intelligi cupiatur, habeatur præ oculis figura, à pluribus Commentatoribus descripta, & maximè ab Auerroe, eaque per singulas literas singulari patientia, obseruantia, & applicatione ad singula consideretur, & habebitur intentum, & si difficiliter, nisi supponantur aliqua principia Perspectiuæ, quæ tamen faciliter inueniuntur in quibusdam Commentarijs, maximè apud Augustinum Niphum, nec ego omnia hic recensere volui, ne limites breuitatis (quam à principio ad finem proposui) egrediar.

CAPVT V.

De Parelio, & Virgis.

EAsdem autem causas, quas prædictis, (nempe Areæ, & Iridi) conuenire diximus, existimandum est conuenire Parelio, & Virgis. Fit enim Parelius quidem refracto visu de nube ad Solem, seu refracto lumine Solis ad nubem, & ad nostrum visum. Virgæ autem fiunt, propterea quod visus existens talis, qualem diximus semper fieri, seu immutari, cum sit propè Solem, existentibus nubibus ipse visus refrangitur ab aliquo humido, nempe ab aqua, vel nube ad nubem ipsam. Ipsæ autem Virgæ, (si aliquis secundum rectum respiciat nubes, non autem per speculum, aut aquam) videntur nubes longæ, & incoloratæ. Si quis autem eas in aqua aspiciat, quasi in speculo, videtur nubes plena Virgis, quæ differentia accidit ex diuersitate medij, vt satis supra declaratum fuit. Verumtamen cum in aqua respiciuntur, videtur, quod color nubis sit idem cum colore Virgarum. Si verò in Virgis ipsis respiciatur directè non ostendunt ipsæ Virgæ colorem nubis, sed videntur esse intra nubem, ac per consequens alterius coloris ab ipsa; quod etiam accidit propter diuersitatem medij, vt dictum est. Fit autem hoc accidens, vel passio, quæ Virgæ dicuntur, cum nubis consistentia, seu densitas fuerit inæqualis, & ex hac quidem parte spissa, ex hac autem rara; & hac quidem magis aquosa, hac autem minus; refracto enim visu ad Solem, figura quidem Solis non videtur. Color autem, (quia Sol ad quem refrangitur visus videtur fulgidus, & albus, si in se sine nubibus medijs respiciatur) quoniam apparet in nube inæquali, seu irregulari, secundum spissitudinem, & raritatem multiplex fit, alter enim videtur puniceus, hic autem viridis, aut flauus, secundum varietatem nubis: differt enim nihil per talia media videre, aut à talibus medijs dicere refractum esse visum, idem namque significant, & si primo modo sit locutio secundum Perspectiuos, secundo vero sit naturalis; vtroque igitur modo apparet similis coloris, nubes quæ videtur, quare si illo modo puniceum aliquid apparet, & isto. Virgæ igitur fiunt propter inæqualitatem speculi, seu nubis, quæ se habet per modum speculi, non apparente figura Solis, vel alterius Astri, sed solum colore quodam, seu lumine misto; non enim sunt veri colores, nec isti, nec alij prædicti de Iride, Area, &c. Parelius autem fit, cum aer, vel nubes fuerit, quam maximè æqualis, & similiter æqualiter spissa, non tamen aquosa, quia nondum in aquam conuersa esse debet. Quapropter color Parelij apparet albus, quia videlicet nubes est clara, & non aquosa, aliter namque esset nigra. Color autem vnus apparet propter æqualitatem, & regularitatem: æqualitas enim speculi facit vnum tantum colorem vnius imaginis (vnius scilicet coloris existentis) vt quia Sol videtur vnius coloris in speculo regulari, vnius quoque coloris videbitur in irregulari, quod falsum erit. Fit autem refractio totius visus (hoc est immutatur totus visus simul ab vno tantum regulari colore) propterea quod simul ipse visus incidit ad Solem ab ipsa caligine, seu nube existente spissa) loquendo ad modum Perspectiuorum. Sed naturaliter dicatur, quod quia æqualiter, & regulariter recipitur imago, vel lumen Solis in tali regulari nube, ideo æqualis apparet color, seu etiam figura, vt statim dicetur) nondum autem existente aqua, propè tamen, vt fiat, vnde colorem, qui inest in Sole apparere facit, sicut ab ære, vel speculo pulito propter eius spissitudinem obiectum in ipso fractum, vel repercussum, seu repræsentatum perfectè apparet; quare quoniam color Solis albus videtur, & Parelius apparet albus. Propter hoc idem, ipse Parelius est magis signum aquæ, quam sint Virgis: magis enim significat aerem efficaciter se habere ad aquæ generationem ob spissitudinem, & claritatem nubis, quam Virgæ. Australis autem Parelius,) qui videlicet fit circa Austrum) magis significat pluuiam, quam Borealis, quia magis aer Australis permutatur in aquam, quam qui est circa Vrsam, vel Boream, nam aer Australis est magis humidus

nidus (intelligendo de aere Australi, non qui sit sub polo Antarctico, sed qui dicatur talis respectu nostri.) Fiunt autem, sicut diximus, & circa Occasum, & circa Ortum, & neque desuper, neque desupter, sed ex lateribus Solis, & Virga, & Parelij, & neque propè Solem valde, neque longè penitus. Non enim propè Solem fieri possunt, quia ipse Sol statim solueret existentiam consistentiæ, seu exhalationis: longè autem existente tali nube, vel speculo, visus non refrangeretur; à paruo enim speculo, visus longè protensus debilis fit. Quapropter, & Area non fiunt ex opposito Solis. Si igitur fiat sursum, & propè Parelius ipse, Sol eum dissoluet: si autem fiat longè, visus existens minor, quam vt faciat refractionem de Parelio ad seipsum, & ad Solem, seu quam possit pertingere, non incidet, seu non reflectetur ad Solem. In latere autem sub Sole, potest tantum distare speculum proportionaliter, vt neque Sol ipsum dissoluat, neque visus sit impotens, sed totum simul veniat, vel vniatur, vt ipsum perspicere possit. Quia cum ipse Parelius ad terram fertur, hoc est maximè propè terram, & ex extremis lateribus mundi, visus non pertingit ad ipsum, tanquam quod per immensum, & imperceptibile spatium feratur, ideo proportionaliter secundum latus distare debet. Sub Sole autem directè non fit Parelius, propterea quod propè terram dissoluitur vtique à Sole. Sursum autem in medio cæli visus disperditur, & omnino neque ex latere in medio cæli fit, hoc est neque circa medium mundi ad extrema latera terræ. Visus enim non fertur vsque ad totam terram; quare paucus visus, ac impotens fit, vnde non pertingit ad hoc speculum, & refractus à tam magna distantia, fit omnino debilis. Quæcunque igitur opera, seu effectus possunt exhalationes exhibere in ijs locis, quæ super terram sunt, tanta ferè sunt, & talia.

SVMMA TERTIA.

CAPVT VNICVM.

De ijs quæ generantur inclusa in partibus Terræ.

Quæcunque autem ipsa exhalatio humida, ac sicca communis inclusa in terræ partibus operatur, dicendum est. Facit enim hæc exhalatio communis in visceribus terræ duas differentias corporum, propterea quod duplex natura est, seu duplex est exhalatio ista; quemadmodum in sublimi, seu in partibus supra terram, dictum est, videlicet, altera calida, & sicca, altera vero calida, & humida, vel (alijs verbis.) Duæ sunt exhalationes, illa quidem vaporosa, seu calida, & humida; hæc autem fumosa, seu calida, & sicca, vt diximus. Quare similiter duæ erunt species eorum corporum, quæ ex istis in terra fiunt, correspondentia duabus prædictis materijs; nam hæc quidem corpora fossibilia sunt, illa autem metallica. Fossibilia. *Fossibilia constant ex materia, seu exhalatione calida, & sicca, vt lapides, & omnia quæ franguntur, vel in puluerem fiunt; quasi fodiantur, vel excauentur per artem, dum ad artificiales formas reducuntur.* Metallica. *Metallica autem constant ex alia materia, calida, & humida; & sunt omnia, quæ sunt liquabilia, & non pulue-rizabilia, vt aurum, argentum, stannum, &c. Sicca igitur exhalatio ignita, seu calida, facit, vt causa materialis, omnia fossibilia (concurrente pro efficiente causa, & cælesti influxu, & calore illius exhalationis) vt genera lapidum, qui non sunt eliquabiles, & Sandaracham, seu Vernicem, & Ochram, qui est lapis liquabilis, & Minium, & Sulphur, & alia talia, quæ etiam liquabilia sunt, sed puluerizabilia simul: plurima autem fossibilia sunt præter hæc, vt hoc quidem est puluis coloratus, illud vero lapis factus ex tali consistentia, seu materia; vt Cinnabari. Exhalationis autem vaporosæ effectus sunt, quæcunque metallica sunt, aut fusilia, aut ductilia, vt Ferrum, Aurum, Æs.* Fusilia. *Fusilia dicuntur, quæ faciliter liquefiunt, ac fundi, seu diffundi ad modum aquæ possunt, vt Plumbum, Stannum, &c.* Ductilia. *Ductilia, quæ non sic faciliter liquefiunt, sed vi ducuntur, seu extenduntur ad formas artificiales, vt Ferrum, Æs, &c. Facit autem hæc exhalatio vaporosa omnia metallica, cum includitur in ipsis, & maximè in lapidibus, cum propter siccitatem sic in vnum coarctatur, ac condensatur, vt exhalatio sicca fiat: (sunt namque hæ exhalationes facile adinuicem transmutabiles.) Vnde lapides non ex vapore constant; sed ex exhalatione sicca ex vapore genita, vt paulò supra diximus. Hic autem (seu in hoc loco interno terræ) hæc metallica, & alia prædicta generantur ex istis duabus exhalationibus, antequam secundum se concretæ, seu densatæ fuerint, ac conuersæ, vel in aquam, vel in ignem, vel in aliam impressionem, quæ ex ipsis apta est fieri; quapropter aliqua mineralia sunt quidem, vt aqua, sunt autem vt non: materia enim aliquorum ipsorum erat aqua in potentia, & sic ipsa quoque aquam potentialiter continet, nempe quæ ex vapore fiunt: non est autem amplius, (seu alio modo) aqua in eis, quam in potentia, & sic continent in potentia, non autem in actu. Neque fiunt hæc metalla, (vt Alchimistæ credunt) ex aqua facta, propter quandam passionem, vel misturam, aut destillationem, sicut sapores, qui reducuntur, & fiunt tales per misturam, coctu-ram, &c. Neque enim sic fit hoc quidem æs, illud autem aurum. Sed antequam fiant, concreta, seu densata exhalatione, naturaliter, & secundum quandam temperiem, & cælestem influentiam, singula horum sunt, vel fiunt. Quapropter eo quod habent siccam, & calidam exhalationem, cum humida quoque (semper namque sunt simul in generatione mistorum, humida cum sicca exhalatione, sed fit denominatio à prædominante, vt supra dictum est) igniuntur omnia, & terram habent; siccam enim (vt diximus) habent exhalationem. Aurum autem solum non ignitur, sic, quod efficiat excrementum, postquam ab igne vel consumptum, vel ignitum est, eo modo quo faciunt alia metalla; & ratio est, quia ex sicco, & humido subtilissimis, & puris generatur, vnde non habet excrementa; & si simpliciter igniri possit, vt experientia docet. Communiter igitur, dictum est de omnibus his; sigillatim autem considerare intendentibus, speculandum circa vnum quodque genus ipsorum erit, quod ad libros mineralium attinet.*

Finis Tertij Libri Meteorologicorum.

ANTONII ROCCI

De Scurcula Marſorum.

IN QVARTVM LIBRVM ARISTOTELIS Meteorologicorum Paraphraſis.

S V M M Æ   L I B R I.

IN Prima agitur de operationibus actiuarum qualitatum.

In Secunda de ſpeciebus effectuum à paſſiuis qualitatibus prodeuntibus.

In Tertia de paſſionibus, ac differentijs ſimilarium corporum, ab eiſdem qualitatibus procedentibus.

In Quarta de cognitione temperaturarum corporum ſimilarium.

S V M M Æ   P R I M Æ   C A P V T   P R I M V M.

Qualitatum primarum, quæ actiuæ, quæ paſſiuæ ſint.



Voniam autẽ quatuor ſunt determinatæ cauſæ accidẽtales, quæ elementa (non ſimpliciter in eſſe ſubſtantiali, ſed potius in eſſe tangibili) conſtituunt. Secundum coniugationes quarum, etiam quatuor accidit eſſe elementa, vt ſatis dictum eſt in 2. de Generatione, & Corruptione tex. 16. quarum duæ quidem actiuæ ſunt, ſcilicet caliditas, & frigiditas: duæ autem paſſiuæ, nempe ſiccitas, & humiditas. Quod autem res ita ſe habeat, poteſt ſumi fides ex inductione horum. Videtur enim in omnibus caliditatem quidem, & frigiditatem, & copulantes, & tranſmutantes eſſe, & ea quæ eiuſdem generis ſunt, & ea quæ non eiuſdem, & humectantes (tamen per accidens, prout calidum, v. g. mollificat, ac liquefacit glaciem, vel alia condenſata humectat) & exiccantes (eadem ratione, quia calidum attrahit ad ſe humidum, ac abſorbet, vnde conſequenter exiccat, & indurantes, & mollificantes. Quare cum omnes iſtæ ſint actiones quædam, actiuæ ſunt. Sicca autem, & humida terminata ſunt ab iſtis, & alijs dictis paſſionibus patientia ſunt, & ipſa ſecundum ſe, ſeu prout in ſimplicibus corporibus, ſeu elementis ſunt (non enim ſecundum ſe ſeparata eſſe poſſunt, cum ſint accidentia), & quæcunque communia corpora, ſeu mixta (quæ dicuntur communia, prout ex omnibus conſtant qualitatibus, & ſi magis aliæ dominentur, à quibus denominantur) ex ipſis præcipuè conſtant ſecundum prædominium; hæc inquam omnia paſſiua ſunt, & apta pati, ac terminari, vnde hæ duæ qualitates paſſiuæ ſunt. Adhuc autem ex aſſignationibus, quibus naturam ipſarum declaramus, manifeſtum eſt, quod diximus, videlicet, quod duæ actiuæ, duæ autem paſſiuæ ſint. Calidum enim, & frigidum, vt actiua dicimus: nam concretiuum, ſeu congregatiuum eſt ſicut actiuum aliquod: ſed calidum, & frigidum congregatiua ſunt, calidum videlicet ea, quæ ſunt eiuſdem generis; frigidum, quæ ſunt eiuſdem & diuerſi, vt in ſecundo de Generatione tex. 8. viſum eſt. Humidum enim & ſiccum paſſiua; quia humidum dicitur, quod facile terminabile eſt alieno termino, ſiccum quod difficile, vt in eodem libro tex. 9. diximus: ſed facile, & difficile terminabile dicitur, eo quod natura ipſorum aliquid patitur. Quod igitur hæ quidem actiuæ ſint, hæ autem paſſiuæ, dictum eſt.

C A P V T II.

Quid ſit generatio ſimplex, atque corruptio, & multa de putrefactione.

D*Eterminatis autem his prædictis, ſumendum vtique erit operationes ipſorũ, quibus videlicet, tam actiua, quam ſpecies paſſiuorum operantur, ideſt determinemus de operationibus, ſeu effectibus, qui tam ab actiuis, quã à paſſiuis qualitatibus prædictis fiunt, ſiue prout exiſtunt in elementis, ſiue in miſtis. Primò igitur vniuerſaliter, ſimplex, ſeu ſubſtantialis tranſmutatio, quæ dicitur generatio, et naturalis corruptio eſt opus, ſeu effectus harum virtutum, ſeu qualitatum, diſpoſitiuè videlicet, nã ipſæ ad generationem, & corruptionem diſponunt, ſic quod nihil eſt generabile, et*

corruptibile, quod his qualitatibus careat, effectiuè verò, seu vt agentia principalia, non accidentia, sed substantia constitui debet. Hæ igitur qualitates plantis insunt, & animalibus, & partibus ipsorum, quia hæc generabilia, & corruptibilia sunt. Quomodo fit generatio misti. *Est autem simplex, & naturalis generatio, transmutatio ab ijs virtutibus, seu qualitatibus, maximè ab actiuis, cum habeant rationem, seu modum, ac dominium agendi in materiam, quæ est subiecta vnicuique naturæ. Materia autem hæc non simpliciter nuda intelligi debet, sed præcipuè cum qualitatibus passiuis, ratione quarum ab actiuis patitur; quare hæc, quæ materia dicitur, sunt dictæ virtutes passiuæ, nempe humiditas, & siccitas, in quas calidum, et frigidum agunt. Generãt igitur calidum, et frigidum, dominantia prædictæ materiæ, videlicet humido, & sicco; cum autem non dominantur, sed potius ab ipsis passiuis superantur, non fit generatio misti, sed fit aliquomodo, seu secundum partem inquinatio, & inconcoctio. Simplici autem generationi mistorum maximè commune contrarium est putrefactio: sicut generationi in communi, quæ elementis, & mistis conuenit, corruptio contrarium ponitur. Omnis enim indispositio corruptiua secundum naturam, vt senectus, ariditas, & cætera, sunt via ad putrefactionem: finis enim omnium harum corruptiuarum indispositionum est marcedo, nisi aliquid natura constantium violenter corruptum fuerit: potest enim & caro & os, & quodcunq; aliud mistum combustum esse, et sic non putrescunt, et si finis, seu vltimum eorum secundum naturam corruptionis putrefactio erat. Quapropter primò humida fiunt, deinde sicca, ea quæ putrescunt: ex his .n. veluti ex materia facta sunt, & siccum terminatum, ac cõpactum fuit ab humido, operantibus alijs actiuis qualitatibus, nempe calido, & frigido; fit autem corruptio, cum id quod terminatur, ac pati debet, dominetur terminanti, ac continenti, præcipuè ratione externi continentis, nempe aeris, vel aquæ, &c. humidum ergo, quod à calido, et frigido in misto cum sicco continetur, incipit in putrefactione dominari, prout superat naturalem calorem misti, deinde tandem dominatur siccum, quod est vltimum contentum, et terminatum, vnde animalia, & plantæ, in corruptione, tandem siccas reliquias relinquunt. Quinimò hac ratione propriè dicitur putrefactio in ijs (videlicet in elementis) quæ secundum partes corrumpuntur (non enim elementa ipsa secundum se tota simul corruptibilia sunt) cum separata fuerint à propria natura, ac peregrinas acceperint qualitates, à quibus superentur, vt cum terra fit nimis humida, aqua nimis calida, &c. dicuntur inquam putrescere, quia in ipsis dominatur, quod non debet dominari, sic pari ratione in alijs. Quapropter putrescunt omnia alia excepto igne: etenim terra, aqua, & aer putrescunt; omnia enim hæc sunt materia igni, quia ab ipso superantur; quare cum putrefactio dicatur, quando in materia est prædominium qualitatis passiuæ, ideo hæc, quæ locum materiæ habent, putrefieri dicuntur, & non ignis.* Putrefactio. *Est autem putrefactio corruptio eius caliditatis, quæ in vnoquoque humido propriè, & secundum suam naturam inest, facta ab aliena caliditate, hæc autem est ambientis corporis, nempe aeris, vel aquæ, &c. Quare, quoniam secundum indigentiam proprij caloris patitur putrefactionem id, quod est putrescibile: omne autem quod est indigens tali virtute, seu calore frigidum est, tam frigiditas, quam caliditas causæ erunt putrefactionis, & ipsa putrefactio erit communis passio, vel effectus ambarum, videlicet frigiditatis propriæ, & caliditatis alienæ, & sic propria frigiditas, vel defectus proprij naturalis caloris, & abundantia caloris extranei, sunt putrefactionis causæ. Propter hoc enim omnia, quæ putrescunt, sicciora fiunt, & tandem fiunt terra, & fumus: exeunte enim proprio calido, simul quod secundum naturam est humidum, euaporat, nec est amplius quod humiditatem naturalem inducat; propria enim caliditas externi continentis corporis trahens humidum putrescibilis secum adducit, vnde aliud non est, quod iterum tribuat;* Putrefactio cur in æstate magis. *& in frigoribus autem minus res putrescunt, quam in æstu. In hyeme enim paucum calidum est in aqua, & aere ambiente; quare nihil potest in humidum, & calorem naturalem alterius: in æstate autem amplius. Neque quod congelatum est potest faciliter marcescere: magis enim ipsum frigidum est, quam aer sit calidus; non igitur vincitur, quia mouens, seu fortius est, quod dominatur alteri. Neque feruens, aut calidum facile putrescit: nam caliditas, quæ est in aere, minor est ea, quæ est in re; quare non dominatur, nec facit transmutationem vllam. Similiter quod mouetur, & fluit minus putrescit, quam quod non mouetur: debilior enim fit motus ille, qui fit à caliditate existente in aere, quam qui in re præexistit, vnde hic ab illo superari non potest, quare nihil facit permutari. Eadem autem causa est, quare multum aliquod minus putrescat, quam paucum; quia in maiori maior est proprius ignis, seu calor, qui ad ipsius conseruationem attinet; & similiter maior naturalis frigiditas, quam sint virtutes, vel qualitates existentes in continenti, quæ dominari possint, quod debent intelligi ceteris paribus; interdum enim aliquid paruum plus conseruatur, quam magnum, quod accidit ex varia dispositione, vnde non seruatur paritas. Quapropter, & mare secundum partem quidem diuisum, citò putrescit, totum autem non, & aliæ aquæ eodem modo. Et animalia fiunt in ijs, quæ putrescunt, vt vermes, muscæ &c. propterea quod caliditas, quæ ex talibus segregatur, existens naturalis, seu conueniens generationi imperfectorum animalium, quæ ex tali putrescibili corpore apta sunt fieri, consistere facit segregata, hoc est coagulat, seu simul vnit partes putrefactibilis corporis, & inde talia animalia generantur.*

CAPVT III.

De concoctione, & inconcoctione.

QVid igitur est generatio, & quid corruptio dictum est. Reliquum est autem dicere species contiguas, seu consequentes prædictas, quascunque scilicet sunt actiuæ virtutes, seu qualitates operantes ex subiectis, seu circa subiecta, vel corpora naturalia. Est itaque effectus quidem calidi concoctio, seu digestio, cuius species sunt maturatio, elixatio, assatio. Species digestionis. *Frigiditatis autem inconcoctio, huius autem species sunt cruditas, inquinatio, tostio,* Species inconcoctionis. *quæ dicuntur species sequentes generationem, & corruptionem; quia vel ipsas perficiunt, vel ad ipsas disponunt. Oportet autem existimare, non propriè hæc dici nomina, seu non esse hæc propria nomina talibus naturalibus dispositionibus imposita: rebus enim naturalibus non sunt posita nomina vniuersaliter, sicut artificialibus similibus naturalibus, quorum artificialium, hæc sunt nomina, quare non has, sed tales, vel similes oportet putare esse dictas species. Dicamus autem quid est vnaquæque ipsarum.*

Concoctio. *ipsarum*. *Concoctio igitur est perfectio facta in misto corpore naturali à proprio calido, ex oppositis qualitatibus passiuis, nempe ex humido, & sicco, quæ sunt propria materia, vel cum materia propria vniuscuiusque rei se tenent, & dicuntur opposita, quia in principio sunt dissimilia, sed in fine, dominante calore, similia fiunt, & temperata, & tunc propriè est concoctio; cum enim concoctum fuerit, tunc perfectum factum est, & principium perfectionis à caliditate propria accidit. Quamuis per aliquod auxilium exteriorum perfectum sit, vt alimentum simul concoquitur, & per balnea, & per alia talia; sed principium quod in ipso præcipuè, & per se est, propria naturalis caliditas est: finis autem his quidem (nempe mistis) quæ digeruntur, est natura; naturam dico, quam dicimus vt formam, & substantiam, non simpliciter, quia sic acquiritur per generationem, sed secundum partem, & perfectionem; nam in concoctione perficitur mistum, & noua pars formæ acquiritur per augmentationem, quæ vt plurimum concoctionem sequitur. His autem mistis finis est concoctionis in subiectam quandam formam, idest finis eorum ordinatur ad quandam subiectam, seu intentam, & obiectam formam, saltem partialem, vt dictum est; cum humidum, quod vt materia concoctionis, se habet, tale fiat, vel tantum sic vt assetur, aut elixetur, aut putrefiat (putrefactio enim & si dicat corruptionem corporis alicuius, tamen tendit ad generationem alterius, vt vermis &c. & sic ipsa quoque tendit ad formam) aut alio quodammodo calefiat, ac disponatur: tunc enim vnumquodque horum vtile est, & concoctum esse dicimus, sicut mustum, quod digestum dicitur, cum ab ipso separatum fuerit crassum, ac terrestre; & quæ in apostematibus constant, cum factum fuerit pus, per concoctionem, & lachryma cum facta fuerit sordes, seu lippitudo: hoc enim accidit cum calidum naturale agit in talem humorem, & resoluit subtile, crassum autem relinquit, vnde concoctio lachryma est, similiter autem alia. Accidit autem omnibus hoc pati cum victa fuerit materia, & humiditas: hæc enim humiditas est, quæ terminatur ab ea caliditate, quæ in natura talis corporis existit; quamdiu enim inest in ipsa materia ratio, seu proportio, vt transmutari possit à calido, eousque natura hoc est, seu naturaliter fit hæc transmutatio. Quapropter & sanitatis signa hæc talia sunt, videlicet vrinæ*

Sanitatis signa. *secretiones, & omnino superfluitates, quando concocta sunt, & dicuntur concocta esse, quia indicant caliditatem propriam, ac naturalem animalis dominari humido: cum autem oppositum fiat, vt scilicet humidum dominetur calido, tunc fit indigestio, & putrefactio. Necesse est autem quæ concoquuntur, crassiora, & calidiora esse; calidum enim quod super concocta dominatur, efficit talia melioris molis, crassiora, & decriora; concoctio igitur hoc est.*

Inconcoctio. *Inconcoctio autem imperfectio est propter indigentiam propria caliditatis: indigentia autem caliditatis frigiditas est; est enim veluti carentia, vel priuatio eiusdem; quare in quibus pro caliditate dominatur frigiditas, ibi inconcoctio fit. Imperfectio autem hæc prouenit ex dispositione oppositorum passiuorum, scilicet humidi, & sicci, quæ quidem (vt diximus) sunt naturalis materia harum dispositionum; sic videlicet, quod cum ex priuatione calidi, humidum, & frigidum dominantur, inconcoctio fit. Concoctio igitur, & inconcoctio determinata sunt hoc modo.*

CAPVT IV.

De speciebus concoctionis, & inconcoctionis, Maturatione scilicet, & Cruditate, Elixatione, & Inquinatione, Assatione, & Tostione.

Maturatio autem est concoctio quædam; concoctio Maturatio.
enim alimenti in ijs, quæ circa fructus fiunt, Maturatio dicitur. Quoniam autem concoctio perfectio quædam est: tunc maturatio perfecta est, quando semina fructuum possunt producere sibi simile; etenim in alijs perfectum sic dicimus; cius igitur quod circa fructum accidit, cum sic se habuerit, maturatio dicitur. Dicuntur autem & concoctorum alia multa matura, secundum eandem quidem formam, seu alterationem, ac dispositionem, non tamen propriè, sed vtendo translatione, siue metaphora; propterea quod non sunt posita propria nomina, sicut dictum est prius secundum vnamquamque perfectionem circa ea, quæ terminantur à naturali caliditate, & frigiditate. Est autem apostematum & pituitæ, & talium maturatio à naturali calido inexistentis humidi concoctio; impossibile enim est calidum terminare humidum, nisi ei dominetur. Ex spirituosis quidem, seu aereis fiunt primò aquosa, ex talibus autem terrestria consistunt, & ex tenuibus semper crassiora fiunt, omnia, quæ maturantur. Et hæc quidem natura ducit in se ipsam, seu in sui substantiam conuertit, hæc autem vt excrementa eicit; Maturatio igitur dictum est, quid sit. Cruditas autem est Cruditas.
contrarium. Contrarium autem maturationi est inconcoctio alimenti in eo alimento, quod est circa fructus, hoc autem est interminata humiditas; quapropter aut spirituosa, aut aquosa, aut eorum, quæ sunt ex ambobus cruditas est. Quoniam autem maturatio perfectio quædam est, cruditas imperfectio erit. Fit autem imperfectio propter indigentiam naturalis calidi; & incommensuratione, seu improportione ad humidum, quod maturatur. Nullum autem humidum ipsum secundum se maturatur sine sicco: Aqua enim non incrassatur sola inter humida, accidit autem hoc, aut eo quod calidum sit paucum, aut quia humidum, quod terminatur, est multum. Quapropter eorum, quæ cruda sunt, humores sunt tenues, & frigidi magis, quam calidi, & inesibiles, & impotabiles. Dicitur autem & cruditas, sicut & maturatio multis modis. Vnde & Vrinæ, & secessiones, & distillationes crudæ dicuntur propter eandem causam, & ratione opposita, quæ dicuntur concocta. Eo enim quod non victa sint à caliditate, neque consistunt, cruda appellantur omnia. Longè autem procedentibus, & fictile crudum, & lac crudum, & alia multa dicuntur, si, cum possint transmutari, & consistere à caliditate, non passa sint. Quapropter aqua cocta elixata dicitur; non cocta autem non dicitur cruda, quia non est apta incrassari, quod ad crudum requiritur. Maturatio igitur, & Cruditas dictum est quid, & propter quid vtrumque ipsorum sit. Elixatio autem est concoctio Elixatio.
secundum totum à caliditate humida materiæ existentis interminatæ in ipso humido corpore quod elixatur: dicitur autē hoc nomen elixationis propriè solum in ijs, quę coguntur in aquis: hoc autem quod sic interminatum est, & à calido humido terminatur, est, vt diximus, spirituosum, aut aquosum. Concoctio autem fit ab eo igne, vel calore,

qui

Perfectum in viuentibus quid.

qui est in humido, seu aqua. Quæ enim in sartaginibus assantur, decoquuntur non ab humidi calore, sed ab igne extrinseco. Illud autem humidum proprium, in quo id quod decoquitur est, non est sufficiens, vt humectet, sed facit illud magis siccum, eo quod in se ipsum reassumitur; quare quod assatur in superficie erit magis siccum, quia humidum attrahitur ab ipso assato intra se, & partim absumitur ab igne, & sic intra erit humidum. Quod autem elixatur contrarium facit; excernitur enim, seu separatur ab ipso humidum à caliditate, quæ est in externo humido, seu aqua elixante. Quapropter elixata, interius sicciora sunt, quam assata: non enim quæ elixantur attrahunt ad se ipsa humidum: caliditas enim extrinseca existens in aqua elixante dominatur ei caliditati, quæ intus est, ac tam foras trahit; si autem vinceret caliditas, quæ intus est, traheret vtique in se ipsam humiditatem, & caliditatem externam, vt accidit his, quæ assantur. Est autem non omne corpus elixabile: neque enim elixabile est id in quo nullum est humidum, vt accidit lapidibus, neque in quibus inest quidem, non potest autem vinci, vt in lignis; sed ea corpora elixabilia sunt, quæcunque habent humiditatem passibilem, & superabilem ab ea ignitione, quæ est in humido. Dicitur autem, & aurum elixari, & lignum, & alia multa, secundum alterationem quidem eandem, prout in aqua feruenti ponuntur, sed re vera non propriè elixata sunt, sed dicuntur hoc modo per translationem, seu metaphoram; non enim patria, seu conuenientia nomina posita sunt rebus differentibus. Et humida quoque elixari diximus, velut lac, & mustum, cum sapor, qui in humido est, transmutetur in formam, seu saporem alium ab eo igne calefaciente, qui in circuitu est, & extrinsecus; quare aliquomodo facit quid simile elixationi, non tamen est vera elixatio, quia humidum non superatur. Finis autem non est idem omnibus neque his, quæ elixantur, neque his, quę concoquuntur. Sed his quidem finis est ad esum, his autem ad sorbitionem, illis vero ad alium vsum, quoniam, & medicamenta elixare dicimus. Quare quæcunque calido exteriori crassiora fieri possunt, & grauiora, & minora, aut aliqua ipsorum fieri possunt talia, alia vero contraria; propterea quod disgregata, seu ab ipsis separato subtili, hæc quidem incrassantur, illa autem opposito modo attenuantur, sicut lac conuertitur per incrassationem in serum, & coagulum; hæc omnia inquam elixabilia dicuntur, loquendo large, & communiter, nam strictè, & propriè non est verum, vt supra dictum est. Oleum autem ipsum secundum se ipsum non elixatur, quia nihil horum patitur. Concoctio igitur dicta secundum elixationem, seu elixatio dicta, hæc est, & nihil differt si fiat in instrumentis artificialibus, aut naturalibus: propter eandem enim causam omnia hæc erunt. Inquinatio autem inconcoctio quidem est, & contraria elixationi: erit autem inquinatio dicta contraria primę elixationi; inconcoctio, vel indigestio eius interminati humidi quod in corpore est, propter defectum caliditatis, quæ est in humido, quod circum elixabile corpus est. Defectus autem talis, quod cum frigiditate sit, dictum est. Fit autem inquinatio propter motum diuersum ab eo, quo fit elixatio: expellitur enim à frigore calidum concoquens; qui quidem defectus prouenit, aut propter multitudinem frigiditatis in humido, aut propter multitudinem similiter frigiditatis, quæ existit in eo, quod elixatur; tunc enim accidit eam caliditatem, quæ est in humido ampliorem quidem esse, quam vt non moueat, quia videlicet ex se sufficiens est mouere, & vincere, seu elixare, sed respectu multi humidi, quod in carne est, est minor quam vt aquet simul, & concoquat. Quapropter inquinata duriora sunt elixatis: humida enim in inquinatis determinata, seu densa sunt magis. Elixatio igitur, & inquinatio, dictum est, quid est, & propter quid est. Assatio autem est concoctio à caliditate sicca, & aliena. Propter hoc, si quis elixans faciat aliquod corpus, vel carnem transmutari, & concoqui, non à caliditate humidi, seu aqua, sed ab ea, quæ est ignis, propter defectum aquæ, in qua prius caro posita fuerit; cum opus hoc completum fuerit assum sit, & non elixatum, sed excessu adustam esse dicitur. Quod vnico verbo suppleri potest; videlicet, cum quis elixare conabitur carnem, vel aliud in olla, sine sufficienti aqua, id dicitur, & assatum, & adustum, non autem elixatum: à sicca autem caliditate fit complete siccum, id quod continuè siccius fit; quapropter in assatis exteriora sunt sicciora interioribus, quia plus circa externa agit externus ignis, elixata autem contrarium. Et in manufactis, seu artificialibus opus, vel laboriosum magis est assasse, quam elixasse. Difficilè enim est exteriora, & interiora æqualiter calefacere: semper enim propinquiora igni exiccantur citius: quare & magis, coeuntibus vnde extremis meatibus, vel poris ob duritiem, vel siccitatem adductam ab igne in superficiem carnis assabilis, humidum intus existens non potest separari, sed includitur, cum meatus clausi fuerint, quare res assatæ sunt in partibus internis humidiores; è contra (vt diximus) sunt res elixatæ. Assatio igitur, & elixatio fiunt quidem, & arte, & natura: sunt enim sicut diximus species vniuersaliter eædem elixationis, & assationis, quæ ab arte, & à natura fiunt, similes enim sunt passiones, & alterationes, quæ ab vtraque fiunt, sed innominatæ, & pariter istæ innominatæ sunt; vnde vtimur iisdem nominibus in vtrisq; imitatur enim ars naturam; vnde carnes ab arte in aqua feruenti concoctæ, elixatæ dicuntur, vt in hoc imitemur quasdam naturales digestiones; quoniam & concoctio alimenti in corpore animalis similis elixationi est, & elixatio huic concoctioni, etenim in humido, & calido à caliditate corporis fit alimenti concoctio, sicut carnis elixatio; & inconcoctiones quædam artificiales similes sunt inquinationi naturali, & è contra. Et animal (nempe vermes, & similia) non fiunt intra animal in ipsa concoctione, sicut quidam aiunt, sed generantur in excrementis, quæ putrefiunt in inferiori aluo, deinde hæc genita animalia sursum ascendunt ad stomachum; concoquitur enim cibus in superiori ventre, seu stomacho, quare aliquid ex putri generabile ibi generari non potest, quia concoctio opponitur putrefactioni, vel quia talis calor non est ad putredinem ordinatus, nec proportionatus: excrementum autem ex quo hæc animalia generantur putrescit in inferiori ventriculo, quare ibi generantur; propter quam autem causam fusè dictum est in alijs, & hic nunc quoque breuiter. Inquinatio igitur elixationi contrarium quid est. Et autem concoctioni dictæ, vt assationi, est quidem aliquod oppositum similiter, minus autem nominatum. Si igitur propter defectum caliditatis, non bene fiat assatio, non dicitur simpliciter assatio, sed tostio; quæ accidit vtique, aut propter paucitatem exterioris ignis, aut propter multitudinem aquæ, quæ in eo est, quod assatur; tunc enim amplior quidem est, quam vt non moueat (hoc est, tunc potens est mouere, seu calefacere) minor autem, quam vt concoquat, quia videlicet non potest concoquere. Quid igitur est concoctio, & inconcoctio, & maturatio, & cruditas, & elixatio, & assatio, & contraria his; dictum est.

Elixata sicciora sunt, interius quã assata.

Inquinatio.

Assatio.

Nota.

Vermes nõ generantur in stomacho.

SVM-

SVMMA SECVNDA.

De effectibus à passiuis qualitatibus prodeuntibus.

CAPVT I.

De ficcitate, ac humiditate, quæ sunt principia passiuorum corporum, & de duritie, & mollitie.

PAssiuorum autem, nempe humidi, & sicci species, ac effectus dicendi sunt. Sunt autem quidem principia passiua, & accidentalia corporum, humidum, & siccum, alia vero passiua qualitates ex his mistæ sunt. Ex quocunque autem magis sunt mistæ, huius magis sunt, seu ad hanc magis pertinent, & ad ipsam reducuntur, vt hæc quidem sicci magis, hæc autem humidi. Omnium autem harum, hæc quidem actualiter in corporibus erit, hæc autem modo opposito, videlicet in potentia. Se habet autem sic liquatio ad liquabile; liquatio enim dicitur ex eo quod aliquid actualiter liquefit; liquabile vero quod liquefieri potest. Quoniam autem humidum quidem bene terminabile est alieno termino; siccum autem difficile; ideo adinuicem patiuntur aliquid simile obsonio, seu condimentis, nimirum; quod sicut ista condiuntur ex varijs mistis, quorum vnum temperat aliud, & ad suauem quandam temperaturam mistum reducunt, ita accidit de humido, & sicco respectu corporis misti. Humidum enim causa est sicco, vt terminetur, & vtrumque vtrique fit velut glutens, sicut Empedocles fecit in physicis, conglutinans farinam aqua in mistione animalium; dicit namque, quod multa colla sine capite emerserunt, deinde conglutinata sunt, vt farina cum aqua, & propter hoc ex ambobus, videlicet ex capite, & collo, & etiam alijs membris (in quibus eandem assignat rationem, & modum) corpus terminatum est. Hæ autem duæ qualitates tribuuntur seorsum duobus elementis in summo, & proprijssimè; siccum quidem terræ, humidum autem aquæ (quod intelligi debet secundum aptitudinem ad generationem, nam aliter aer est summè humidus, vt dictum est in 2. de gen.) propter hoc, omnia terminata corpora apud nos non sunt sine terra, & aqua, cuiuscunque autem plus aquæ, vel terræ, secundum potentiam esse videtur, huius vnumquodque videtur, & denominatur magis; vt quæ habent maiorem humiditatem, aquea dicuntur, quæ siccitatem terrea. Et in terra,

Nota. *& in aqua animalia solum sunt, in aere autem, & in igne non sunt, (saltem permanenter, & per modum quietis, nam per modum transitus, etiam in aere animalia sunt), quia hæc tantum, nempe aqua, & terra sunt materia corporum animalium; vnde cum hæc duo elementa, saltem ratione molis, & constitutionis in omnibus animalibus prædominentur, consentaneum est, quod sint in locis ipsorum, aliter violenter manerent. Ex his quoque sequitur, quod corporalium passionum, has primas necesse est inexistere terminato corpori ex humido, & sicco, duritiem videlicet, aut mollitiem; necesse enim est, quod ex humido, & sicco constat, aut durum esse, aut molle, secundum*

Durum. Molle. *prædominium. Est autem durum quidem, quod non cedit in se ipsum secundum superficiem. Molle autem, quod cedit, non circumobsistendo, seu non circumdando comprimens, sicut facit aqua, vel aliud liquidum; aqua enim non est mollis; non enim superficies per compressionem cedit in profundum, seu circa profunditatem retrahitur, sed circumobsistit, seu circundat comprimens. Simpliciter igitur durum, aut molle est, quod simpliciter est tale; ad alterum autem, seu secundum quid, quod non est propriè in se tale, sed in comparatione ad aliud, vt hoc modo lignum respectu adamantis, molle dici potest. Adinuicem igitur indeterminata sunt per magis, & minus; vt aliquid dicitur magis, vel minus molle, vel durum. Quoniam autem omnia sensibilia secundum sensum iudicamus; palam est, quod eodem modo iudicabimus molle, & durum, & simpliciter ipsa per tactum determinabimus, vtentes ipso tactu, tanquam medio cognoscendi ea. Quapropter ipsum durum vocamus excedens, seu superans nostrum tactum, prout tactus à duro reprimitur; Molle autem dicimus esse deficiens, prout tactui cedit.*

CAPVT II.

Consideratio causarum concretionis, & liquefactionis.

NEcesse autem est, quod omne corpus proprio termino terminatum sit durum, aut molle; aut enim necesse est cedere in se ipsum, & sic erit molle, aut non, & sic erit durum, (quod si consideretur mollities cum simplici cessione, sine consideratione circundationis, diuisio est vniuersalis, si vero aliter, strictè scilicet, est maior difficultas, quia aqua, & multa alia liquida non sunt mollia hoc modo, nec tamen possunt dici dura) Adhuc autem omne corpus mistum, necesse est concretum, seu coagulatum esse; hoc enim corpus terminatum necessariò est coagulatum, & è contra. Quare quoniam omne quidem terminatum, & consistens, aut molle, aut durum est, hæc autem sunt huiusmodi ratione concretionis, omnia vtique erunt corpora composita, & terminata non sine concretione. De concretione igitur dicendum est; sunt itaque causæ rerum naturalium, quæ circa materiam versantur duæ, videlicet agens, seu causa efficiens, & passio, seu forma; agens quidem est vnde incipit motus, seu efficiens causa, vt dictum est; passio autem similiter vt diximus est vt forma; si igitur hæ rerum naturalium causæ sunt, palam est, quod etiam sunt causæ concretionis, diffusionis, exiccationis, & humectationis. Est tamen notandum quod licet duæ sint nunc causæ assignatæ, & in 2. phys. quatuor, tamen non est repugnantia; quia etiam hic virtualiter quatuor ponuntur, duæ vero expressè, quia iam de materia facta fuit mentio, finis autem, & forma coincidunt, & sic habentur quatuor. Agit autem agens naturale duabus virtutibus præcipuè in generatione misti, & patitur patiens duabus passionibus, sicut dictum est; agit quidem calido, & frigido, patitur vero humido, & sicco; quæ quidem passio fit, aut præsentia, aut absentia calidi, aut frigidi; sic videlicet, quod actiones non fiunt simul à calido, & frigido æqualiter dominantibus, sed vel dominatur calidum, & tunc est eius præsentia, & absentia frigidi, vel è contra. Quoniam autem concrescere est aliquomodo exiccari, & de exiccatione proposuimus loqui, de concrescere, seu coagulari dicamus primò. Patiens itaque in istis operationibus est aut humidum, aut siccum, aut quod ex his constat. Ponimus autem corpus dominum humidi aquam

(non

(non quod simpliciter aqua sit summe humida, vt dictum est in libris de generatione, & corruptione, at quod hoc aeri conueniat, sed quia humiditas eius, eo quod in corpore densiori existit, est magis apta ad coagulandum, vel compaginandum) sicci autem terram. Hæc enim humida, & sicca passiua sunt. Quapropter inter actiuas qualitates, frigidum magis est de genere passiuorum, seu magis appropinquat ad passiua, quam calidum, seu est minus actiuum, quia reperitur cum his passiuis: etenim terra, & aqua frigida supponuntur.

Frigidum actiuum dupliciter.

Frigidum autem esse actiuum, potest intelligi dupliciter, aut per se, aut per accidens. Est igitur per se actiuum, sed corruptiuum solum; per accidens vero est etiam generatiuum, vt dictum est prius: aliquando enim frigidum dicitur vrere, & calefacere, non vt calidum, seu per se, sed quia congregat, aut quia circumobsistit, seu circundat calidum, quod est efficere calorem per antiperistasim, ac per accidens.

Exiccatio.

Nunc vt ad propositum de exiccatione redeamus, videndum est primò, quæ exiccantur. Exiccantur autem quæcunque sunt aqua, aut species aquæ, aut habent aquam, siue superinductam, vel extrinsecam, siue connatam, vel naturalem, & internam. Dico autem superinductam quidem velut in lana, quæ ex sua natura non est aquosa, nec humida: connatam autem, velut in lacte.

Aquæ species.

Aquæ autem species talia sunt, vinum, vrina, serum, & omnino quæcunque nullam, aut paruam habent subsidentiam, seu densitatem terrestrem (quæ tamen non sic species aquæ credendæ sunt, vt sint eiusdem naturæ, hoc enim falsum, & ridiculum est; sed quia in eis prædominatur aqua, & humidum). Non propter viscositatem, quibusdam enim causa non subsidendi aliquid viscositas est, sicut accidit pici, aut oleo, quæ propriè non dicuntur exiccabilia, sed combustibilia, vel inflammabilia. Exiccantur autem omnia exiccabilia, aut calefacta, aut frigefacta, ambo autem exiccantur calido, vel interiori, vel exteriori. Etenim, quæ infrigidatione exiccantur, sicut vestimentum madefactum, cum ex ipso fuerit separatum humidum, exiccatur ab aliquo interiori calido faciente euaporare humidum; si autem paucum fuerit humidum, exiccatur à caliditate exeunte ab ipso corpore humido ob frigus circunstans, & cogens. Exiccantur igitur, sicut dictum est, omnia, aut calefacta, aut frigefacta, & omnia calido, aut interiori, aut exteriori, coeuaporare faciente humidum; dico autem extra quidem, sicut quæ elixantur, hæc enim ab externo calore exiccantur; intra autem quando ablato humido ab expirante caliditate, quam habebat, consumptum fuerit. De exiccatione igitur dictum est.

Humectari duplex.

Humectari autem duplex est; vnum quidem, aquam fieri consistentem, hoc est acquiri de nouo aquam, vel humiditatem in aliquo; aliud est dum concretum, seu coagulatum liquefit. Horum autem, spiritus, seu aer, vel vapor in corpore congelato inclusus, in aquam cogitur, seu resoluitur, dum tale corpus liquefit. De liquefactione autem simul, & concretione, ex dictis erit manifestum.

C A P V T III.

De concretione, liquefactione, & Incrassatione. Et de his, quæ hæc patiuntur, vel non, & quomodo:

Concrescunt autem, seu coagulantur, quæcunque addensantur, aut propter existentiam aquæ, sicut sunt aquea omnia, vt vinum, lac, serum, aut ob existentiam terræ, & aquæ simul, vt lutum, cera, &c. & hæc coagulantur, aut à frigido, aut à calido sicco. Quapropter quæcunque concretorum soluuntur, seu liquefiunt, à contrarijs soluuntur, videlicet à frigiditate, & humido, aut à calido, secundum proportionem; sic videlicet, quod quæ frigido coagulantur, calido soluuntur, & è contra; quæ enim à sicco calido concreuerunt, ab aqua, quæ est humida, soluuntur, vt lutum, panis, &c. quæ vero à frigido concreuerunt, vt glacies, cera, &c. ab igne, qui est calidus, soluuntur. Concrescere autem quædam putabuntur ab aqua, prout est humida, vt mel elixatum coagulari videtur ab aqua; concrescunt autem non ab aqua, sed ab eo frigido, vel actuali, vel virtuali, quod est in ipsa, prout supra dictum est, videlicet; quod concretio à calido, & frigido fiat, ab humido vero per accidens, & materialiter tantum, prout res coagulabilis humida esse debet. Quæcunque igitur sunt de natura aquæ, non coagulantur ab igne, soluuntur enim ab ipso. Idem autem eidem secundum idem non est causa contrarij. Amplius aquea, dum abscedit calidum, concrescunt; quare palam est, quod dum ingreditur soluentur: quare frigido agente concrescunt, & non per calidum.

Idem eidem secundū idē non est causa contrarij.

Quapropter talia concreta non incrassantur: nam incrassatio fit abeunte humido, sicco autem remanente, seu adueniente, sed à prædictis humidum auferri non potest. Quare aqua inter humida corpora, sola non incrassatur, quia nullam admittit siccitatem, quæ ad hoc requiritur; verum tamen est, quod coagulatur, seu congelatur; at hoc non est incrassari. Quæcunque autem corpora communia sunt terræ, & aquæ, quia vtraque participant, & ab igne concrescunt, & à frigido, vt lutum, massa, &c. incrassantur enim ab ambobus, & hoc quidem potest dici fieri eodem modo, & non eodem modo, secundum diuersas rationes, respectus. Incrassantur namque à calido educente secum humidum: nam euaporante humidum, siccum incrassatur, & consistit; à frigido autem, quia exprimit calidum, cum quo euaporante, humidum simul recedit, vnde remanet siccum, & crassum. Quæcunque igitur mollia sunt, sed non humida, non incrassantur, sed concrescunt exeunte humido, velut fictile, seu vas luteum, cum assatum, vel coctum fuerit in fornace. Quæcunque autem mista humida sunt, incrassantur, vt lac. Multa autem prius quam incrassentur, humectantur, quæcunque scilicet, aut crassa, aut dura à frigido facta fuerint; quemadmodum fictile, primò dum assatur, euaporat, & mollius fit; quapropter & inuertitur, seu diuersimode voluitur in fornacibus. Quæcunque igitur à frigido concrescunt, & sunt communia terræ, & aquæ, plus autem habent terræ, quia calidum egreditur, concrescunt, hæc liquefiunt calido, velut lutum, concretum fuerit, seu congelatum à frigido, hoc liquefit à calido. Quæcunque autem coagulantur propter infrigidationem, ita vt totus calor ab eis euaporet, hæc insolubilia sunt, nisi caliditas soluens sit nimis excessiua; tunc namque liquefieri possunt, sed tamen mollificantur, velut ferrum, & cornu; in ijs namque maximè viget frigus, vnde omnis calor ablatus videtur, quod tamen non est simpliciter verum, quia omnia mista, calorem habent, sed est ita paruus vt nihil videatur. Liquescit autem elaboratum ferrum, ita vt humidum fiat, & liquidum, ac iterum concrescat. Et stomomota, seu magistri metallo faciunt sic; subsidet enim, seu remanet excrementum subter, cum ipsum ferrum purificatur; cum autem sæpe patitur, & purum fit, hoc stomoma, seu calybs fit, quod est metallum purius ferro. Non faciunt autem sæpe ipsum, propterea quod deperditio

fit

fit multa, & pondus minus, eo quod purificato ferro, multum excrementi aufertur, vnde non remanet pondus, nec lucrum. Est autem melius ferrum, cum habet pauciorem purificationem, seu paucius excrementum, sic quod minus purificari indigeat, quare calybs est melius ipso ferro. Liquescit autem quidam lapis, qui dicitur Pyrimachus, vt stillet, & fluat. Quod autem concrescit, cum fluxerit, iterum durum fit. Et molæ, seu lapis quidam molaris liquatur, sic vt fluat à vehementi igne; fluens aut, dum fuit concretus, colore quidem est niger, similis autem fit calci, cum liquefactus fuerit, nempe fit albus, vt calx. Liquescit autem, & lutum, & terra. Quæcunque autem à sicco, & calido concrescunt, hæc quidem insolubilia sunt, hæc autem humido soluuntur. Fictile igitur, & genera quorundam lapidum, quæcunque videlicet fiunt ab igne, ex terra combusta, velut lapides molares, insolubilia sunt. Nitrum autem, & sales, solubilia sunt humido, non autem omni, sed frigido. Quapropter hæc omnia liquescunt per aquam, & per alia humida, quæ sunt species aquæ, oleo autem non liquescunt; sicco enim calido est contrarium frigidum humidum, vt est aqua; si igitur vnum eorum coegit, alterum contrarium soluet: sic enim causæ contrariæ erunt contrariorum effectuum. Crassantur igitur ab igne solum, quæcunque plus habent aquæ, quam terræ; concrescunt autem quæcunque plus terræ habent, quam aquæ. Quapropter, & nitrum, & sales, & lapis, & fictile, magis sunt terræ, quam aquæ.

Oleum cur congelatur. *Maximè autem dubium habet natura olei. Si enim sit de natura aquæ, oportebat congelari à frigido, vt glacies. si autem plus habet terræ debebat constringi ab igne, vt fictile, nunc autem concrescit quidem à neutro, incrassatur autem ab ambobus. Causa autem est, quia plenum est aere, quapropter in aqua supernatat. Etenim aer fertur sursum. Frigidum igitur, ex aere in oleo existente aquam faciens, incrassat oleum; semper enim cum mista fuerint oleum, & aqua, ex ambobus fit crassius. Ab igne autem, & tempore incrassatur, & albescit, quidem eo quod propter calorem euaporat, & resoluitur aqua, vel aqueum quod inerat, ac ipsum oleum nigrum efficiebat, non quod ipsa aqua sit nigra, sed propter densitatem, quare ex parte oleum remanet magis aereum, & clarum; incrassatur autem, propterea quod marcescente calido natiuo olei, ex aere sibi innato fit aqua, & sic ex aliqua parte incrassatur, ex alia vero albescit, & rarefit. Vtroque igitur modo, tam videlicet per calidum, quam per frigidum, eadem fit passio, nempe incrassatio, & propter idem, nimirum propter aquosum, sed non eodem modo, quoniam à frigido conuertente aerem in naturam aqueam, seu magis densam, fit incrassatio, à calido vero per resolutionem aeris. Incrassatur igitur oleum ab ambobus, exiccatur autem à neutro, neque enim Sol, neque frigus ipsum desiccat; non solum, quia est viscosum, sed quia est aereum. Non exiccatur autem aqua, quæ in oleo est, neque elixatur ab igne, quia non vaporat propter viscositatem olei, quæ ipsam retinet. Quod intelligi debet de tota aqua, sic, quod tota non vaporet, sed aliquæ partes euaporant, quæ scilicet euaporando reddunt oleum ipsum album, vt dictum est paulò ante; vnde in ipso oleo est sufficiens euaporatio aquæ ad albedinem efficiendam, insufficiens ad exiccationem totalem. Quæcunque autem ex aqua, & terra mista sunt, dignum est, vt dicãtur talia, secundum pluralitatem vtriusque, idest, quæ plus terræ habent, ex terra denominari debent, & passiones terræ magis, quam aquæ eis tribuendæ sunt, quæ vero plus habent aquæ, è contra. Vinum enim quoddam, & concrescit, & elixatur, vt mustum, quia in ipso dominatur magis terra, quam aqua; abscedit autem ab omnibus talibus, dum exiccantur, aqua. Signum autem quod ab eis aqua euaporet, & abscedat est hoc, quod vapor, qui ex talibus fit, si colligatur, in aquã cogitur; quare quibuscunque relinquitur aliquid, hoc est proprium terræ. Quædam autem horum, & à frigido (sicut dictum est) incrassantur, & exiccantur. Frigidum enim non solum congelat, & exiccat, sed & incrassat: exiccat quidam aquam, incrassat autem aerem, aquam faciens ex ipso; concretio autem, dictum est, quod sit quædam exiccatio. Quæcunque igitur non incrassantur à frigido, sed concrescunt, seu congelantur, sunt magis aquæ, quam terræ, vt vinum, vrina, acetum, lixiuium, & serum; quæcunque autem incrassantur, & non euaporant ab igne, hæc quidem terrea sunt, hæc autem sunt communia aeri, & aquæ. Sunt autem lac, & sanguis amborum quidem communia, & aquæ scilicet, & terræ, magis autem vt plurimum terræ, quemadmodum ex quibuscunque humidis, nitrum fit, & sales, & lapides quoq; ex quibusdam talibus constant; Quapropter si à lacte non separetur serum, exuritur decoctum ab igne, & remanet terrestre caseatum, & sic patet, quod terra in ipso dominetur; quod enim terrestre est cogitur, & ab igne, & à coagulo, si aliquis decoquat, sicut efficiunt Medici coagulum imponentes, sic autem separatur serum, & caseus, separatum autem serum non amplius incrassatur per decoctionem, sed exuritur sicut aqua. Si autem aliquod lac non habeat caseum, aut paucum, hoc magis est aquæ, & non nutrit, & sanguis similiter ad terram attinet: concrescit enim eo quod exiccetur, infrigidatus, quod est proprium terreæ mistionis. Quicunque autem sanguines non coagulantur, vt sanguis cerui, tales sunt magis aquæ, quam terræ, & frigidissimi;* Sanguis cerui. *quapropter non habet villos, seu filos, ac venulas quasdam, quæ in sanguinibus videntur, villi enim sunt terræ, & quid solidũ; quare his villis à sanguinibus in quibus sunt extractis, ipsi sanguines non concrescunt: hoc autem est, quia non exiccantur; aqua enim est, quod relinquitur, vt relinquitur lac, ablato caseo. Signum autem huius quod diximus est, quia sanguines morbosi nolunt concrescere: sunt enim saniosi, seu aquosi; hoc autem, nempe sanies, est pituita, & aqua, propterea quod tale humidum aqueum inconcoctum sit, & non superatum à natura calidi. Adhuc autem, eorum corporum, quæ coagulantur, hæc quidẽ solubilia sunt, velut nitrũ: hæc autem insolubilia, velut fictile, & lapis; & horum hæc quidem sunt mollificabilia, velut cornu, hæc autem non mollificabilia, velut fictile, & lapis. Causa autem est; quia contrariorum contrariæ sunt causæ. Quare si coagulantur à duobus, videlicet à frigido, & sicco, necesse est solui à calido, & humido; quapropter soluuntur ab igne, & aqua, hæc enim contraria sunt; ab aqua quidem soluuntur, quæcunque ab igne solum coagulantur; ab igne autem, quæcunque à frigido solum; quare si à duobus accidit, vt concrescant, hæc sunt maximè insolubilia. Fiunt autem talia, quæcunque calefacta, deinde à frigido congelantur; quod accidit cum calidum exiens exudarit, seu foras mittitur simul cum humido, ita vt plurimum humidum remanens comprimatur iterum à frigido remanente, sic vt neque humido exire volenti, ipsum frigidum det transitum, quare non potest mollificari, & liquefieri, & propter hæc neque calidum talia corpora soluit; ipsum namque soluit quæcunque à solo frigido concrescunt. Neque soluuntur ab aqua; ipsa enim non soluit quæcunq; à frigido concrescunt; sed solum*

quæ-

quæcunque à calido sicco. Ferrum autem liquefactum à calido, frigido concrescit; quare quoniam non solo calido liquefit, vel maxima cum difficultate, ideo ad concretionem, non solum frigido indiget, sed etiam humido depresso, ita vt exire non possit, vt supra dictum est, quapropter insolubile est. Ligna autem sunt terræ, & aeris, quapropter vstibilia sunt, & non liquabilia, nec mollificabilia; & in aqua supernatant, præter hebenum, hoc autem non supernatat, alia .n. aeris habent plus: ex hebeno autẽ quod est nigrum, euaporauit aer, & in ipso est plus de terra. Fictile autem est terræ solum, propterea quod desiccatum concrescit paulatim, quod est proprium terræ; quare neque per aquam soluitur, neque enim aqua introitus habet, per quos solum spiritus, seu aer exiuit, qui subtilior est aqua. neque ignis ipsum dissoluere potest; nam ipse ignis coegit ipsum fictile, ergo non dissoluet, quia idem secundum idem non est natum facere effectus contrarios. Quid igitur sit concretio, & liquefactio, & propter quod, & in quibus sit, dictum est.

SVMMA TERTIA.

De passionibus, ac differentijs similarium corporum, à passiuis qualitatibus prodeuntibus.

CAPVT I.

Quibus medijs cognoscantur passiones, & differentiæ horum corporum; & ipsarum differentiarum enumeratio.

EX his autem, quæ supradiximus, manifestum est, quod à calido, & frigido actiue coguntur corpora mista, hæc autem nempe calidum, & frigidum incrassantia, & cogentia faciunt operationes suas in mistis; propterea autem quod ab his qualitatibus mista condita sunt, in omnibus mistis inest caliditas; aliquibus autem, eò quod
Corpora naturalia actiua, & passiua quæ. *calditas deficit, inest frigiditas. Quare quoniam hæc quidem insunt in mistis, propterea quod ipsum faciunt: humidum autem, & siccum propterea quod patiuntur; ideo corpora communia, seu mista, participant omnibus ipsis quatuor qualitatibus; ex aqua igitur, & terra constant omnia corpora, quæ habent partes similares, vel homogeneas, tam in plantis, quam in animalibus; & similiter ex eisdem constant, quæ metalla sunt, vt aurum, & argentum, & quæcunque alia talia, inclusa videlicet ea exhalatione, quæ est vtriusque scilicet, & aquæ, & terræ, vt dictum est in alijs, nempe in vltimo capite præcedentis libri; concluditur ergo quod in omnibus prædictis aqua, & terra, velut materia, & vt molem efficiant, non excludendo aerem, & ignem, vt visum est in libris de generatione, & corruptione. Hæc autem omnia mista differunt adinuicem secundum sensum, seu prout sunt obiecta sensus, proprijs videlicet differentijs, eo quod possunt aliquid facere ipsum sensum. Vnumquodque enim ipsorum, album, odorabile, sonorum, dulce, calidum, & frigidum dicitur, eò quod possunt aliquid facere in sensum, differunt etiam alijs passionibus magis sibi conuenientibus, & non in ordine ad aliud, illis scilicet, quæcunque ea denominantur à patiendo, dico autem vt liquabile, & concretile, & flexibile, & quæcunque alia talia; omnia enim hæc passiua sunt, sicut humidum, & siccum. His itaque differt os, caro, neruus, lignum, cortex, lapis, atque aliorum vnumquodque, quod est quidem partium similarium, atque naturale corpus. Dicamus autem primò numerum ipsorum naturalium corporum similarium, quæ secundum potentiam, & impotentiam dicuntur, hoc est secundum quod possunt faciliter pati, vel non; sunt autem hæc, Concretile, Inconcretile, Eliquabile, Ineliquabile, Mollificabile, non Mollificabile, Tangibile nõ Tangibile, Flexibile non Flexibile, Frangibile, non Frangibile, Friabile, non Friabile; Impressibile, non Impressibile, Formabile, non formabile; Pressibile, non pressibile, Trahibile, non trahibile, Ductile, non ductile, Fissibile, non fissibile, Secabile, non secabile, Viscosum, Fragile, Commassabile, non commassabile, Combustibile non combustibile, exhalabile, non exhalabile. Plurima igitur corpora ferè his differunt passionibus, quam autem vnumquodque horum habeat potentiam, dicamus.*

CAPVT II.

Cuiuslibet dictarum passionum explicatio.

DE concretili igitur, & inconcretili, & Liquabili, & Cõcretilis.
ineliquabili, dictum est quidem vniuersaliter prius; attamen redeamus & nunc ad aliquid particulariter dicendum de ipsis. Corporum igitur, quæcunque concrescunt, & indurantur, hæc quidem à calido patiuntur hoc; hæc autem à frigido, à calido quidem, quia exiccat humidum; à frigido autem exprimente calidum, cum quo expresso calido simul humidum exhalat, vnde corpora sicca fiunt. Quare aliqua quidem corpora patiuntur siccitatem, propter absentiam humidi, quæ videlicet à calido desiccantur, & humidum ipsorum absorbetur à calore, vt lateres, & fictilia; Alia vero patiuntur hoc ob absentiam calidi, & hæc sunt, quæ à frigore condensantur, vel congelantur, quæ & si actualiter non sint humida, tamen sunt humida virtualiter, si liquefiant, ideo non dicuntur simplieiter sicca, ob absentiam humidi, hæc autem sunt, grando, nix, & alia. Quæcunque quidem aqueæ sunt patiuntur hoc ob absentiam calidi, quæcunque autem terrea, Eliquabilis
ob absentiam humidi. Quæ igitur humidi absentia concrescunt, ab humido liquefiunt; nisi sic densata fuerint à siccitate, vt minores relicti sint meatus, quam sit moles, vel grossities aquæ, sic nimirum, quod sint ita condensata, vt non pateat aditus ad aquam ingrediendam, hæc in quam ab humido non liquefiunt, velut fictilia sunt. Quæcunque autem non sic, omnia ab humido soluuntur, vt nitrum, sales, terra composita, & constricta ex luto. Quæ autem calidi priuatione coagulata fuerunt, à calido soluuntur, vt glacies, plumbum, æs. Qualia igitur sint concretilia, & eliquabilia, dictum est, & similiter qualia ineliquabilia. Inconcretilia autem sunt, quæcunque Inconcretilia.
non habent humiditatem aquosam, neque aqueæ sunt, sed plus calidi, & terrestris habent quam aquæ, vt mel, mustum, &c. hæc enim velut feruentia sunt; quare, & si materia eorum sit aqua, sicut omnium liquidorum, tamen in virtute dominatur ignis, vel calor cum sicco terrestri, vnde congelari non possunt: requiritur bene quidem aliqua terrestreitas ad congelationem, vt supra de sanguinibus dictum est, non tamen prędominium caloris, similiter

militer inconcretilia sunt; quæcunque aquæ quidem sunt, habent autem plus aeris, sicut oleum, argentum viuum, & si quid viscosum est, veluti viscum, & pix, hæc inquam, & si condensentur interdum maximè, ita vt oleum videatur ferè glacies, pix quasi lapis, tamen non sic concrescere dicuntur, vt omnem humiditatem amittant actualem, est enim propter eorum viscositatem ab ipsis inseparabilis. Mollificabilia autem sunt, quæcunque concreta, non ex aqua præcipuè, & prædominanter constant, sicut constat glacies (omnis n. glacies aquę est) sed quæcunq; sunt magis ex terra, sic tamen quod totum humidum ab ipsis non euaporauerit, sicut euaporauit in nitro, aut salibus, neq; habet terrestre inęqualiter, hoc est secundum nimiam densitatem, quæ humido nullum permittat locum, nec virtualiter, nec actualiter, sicut fictile, sed mollificabilia sunt, quæcunque sunt trahibilia, dummodo non sint humectabilia solum, aut sunt etiam ductilia, non existentia aquæ, seu quibus aqua non dominatur; hæc inquam mollificabilia sunt igne, velut ferrum, & cornu, & ligna.

Mollificabilia.

Sunt autem corporum eliquabilium, & ineliquabilium; hæc quidem tingibilia, seu madefactibilia, extrinseca humiditate, hæc autem non tingibilia, seu non madefactibilia tali humiditate. Velut æs liquefactibile existens, non est tingibile; lana autem, & terra tingibilia sunt; madefiunt enim, & non sunt liquabilia. Et æs quidem liquabile est, non autem ab aqua. Sed liquabilium ab aqua; quædam non tingibilia sunt, velut nitrum, & sales; hæc namque non recipiunt externam humiditatem, sic vt saluæ remaneant, sed destruuntur, quare non tingibilia sunt; neque enim aliquid tingibile dicitur, quod madefactum non fiat mollius, hæc vero non mollia fiunt, sed consumuntur. Quædam autem sunt tingibilia, & tamen non liquabilia, velut lana, & fructus. Sunt autem tingibilia quidem, quæcunque existentia terrestria habent meatus maiores, quam sint aquæ moles; vnde, & ab aqua penetrari possunt, & sunt duriora aqua, aliter ab ipsa vincerentur, & liquefierent. Liquabilia autem ab aqua sunt, quæcunque per totum pati possunt, & aquam recipere; propter quid igitur terra quidem, & liquefit, & tingitur ab humido; nitrum autem liquefit quidem: tingitur autem non? Respondetur id esse, quia in nitro quidem per totum sunt meatus, quare diuiduntur mox à particulis aquæ, vnde liquefit; in terra autem permutatim sunt meatus, hoc est non per totum æquales, sed diuersi, ita vt aliqui sint capaces aquæ, alij vero non; quare passio differt, qualitercunque terra aquam susceperit; nam si non per totum suscipit, tingitur, & non liquefit, si verò tandem suscipiat per totum etiam ipsa liquefit, vt experientia docet.

Tingibilia.

Sunt autem corporum, hæc quidem flexibilia, & directilia, velut arundo, & vimen: hæc autem inflexibilia, velut fictile, & lapis. Sunt autem flexibilia quidem, & directilia, quorum corporum longitudo potest ex circumferentia in longitudinem, & ex rectitudine in circumferentiam transmutari, vel ex recta fieri curua, & è contra, & flecti, & dirigi est mutari, aut moueri in rectitudinem, aut circumferentiam; etenim quod deflectitur, & quod reflectitur curuatur. Motus igitur, qui fit ad conuexitatem, & concauitatem, seruata eadem longitudine, sic quod corpus non minuatur, flexio est. Si enim talis motus esset in rectum, esset vtique simul, & flexum, & rectum, quod quidem impossibile est, rectum scilicet flexum esse. Et si flectitur omnino, aut reflexione, aut deflexione (horum autem hoc quidem ad conuexum, nempe reflexio, hoc quidem ad concauum, nimirum deflexio transmutatio est) non vtique erit ad rectum flexio, sed est flexio, & directio aliud, & aliud, seu diuersa. Et hæc, quæ diximus sunt flexibilia, & directilia, & inflexibilia, & non directilia.

Flexibilia.

Et aliqua quidem corpora sunt simul frangibilia, & friabilia, aut separatim, ita vt aliquid sit frangibile tantum, aliud vero solum friabile, vt lignum frangibile quidem est, friabile autem non est; (dicitur friabile, quod conteri simul in plures, & multas, atq; minutas partes potest, maximè per percussionem, vt accidit vitro, glaciei, vasi fictili) glacies autem, & lapis friabile, frangibile autem non; fictile autem est frangibile, & friabile; differunt autem, quia fractio quidem est diuisio, & separatio in magnas partes; Friatio vero est diuisio in quascunq; & plures duabus. Quæcunque igitur sic creuerunt, seu congelata, aut compacta fuerunt, vt multos habeant vicissitudinarios meatus, friabilia sunt; vsque ad hoc enim, seu vsque ad minutas partes distinguuntur per meatus. Quæcunq; autem habent poros ad multum distantes, ac magnos, frangibilia sunt: quæcunque autem ambo, sic vt habeant paruos poros iuxta se positos, & etiam magnos adinuicem distantes, ambo sunt, scilicet frangibilia, & friabilia.

Frangibilia. Friabilia.

Et hæc quidem impressibilia sunt, vt æs, & cera, hæc autem non impressibilia, vt fictile, & aqua. Est autem impressio, transitus superficiei in profundum secundum partem, (sic quod non per totum corpus superficies comprimatur, ac transeat) facta per pulsionem, aut percussionem; in totum autem, seu vniuersaliter potest dici, quod fiat per tactum. Sunt autem hæc impressibilia, vel mollia, vt cera, quæ transmutatur secundum partem, & vnam superficiem, manendo alia illæsa, dum imprimitur figura; alia vero sunt dura, vt æs. Quædam verò sunt non impressibilia, & dura, vt fictile; non enim superficies eius cedit in profundum. Similiter humida non sunt impressibilia, vt aqua: hæc enim cedit quidem, sed non secundum partem, sic vt vna superficies in profundum retrahatur, sed contrà, seu in circuitu secedit, vnde non potest imprimi.

Impressibilia. Non impressibilia.

Impressibilium autem, quæcunque manent impressa, & manu sunt bene impressibilia, alia quidem sunt formabilia; quædam autem, vel non sunt bene impressibilia, vt lapis, aut lignum, aut bene impressibilia quidem, sed non retinent impressionem, vt lana, aut spongia, hæc non sunt formabilia, sed pressibilia tantum. Sunt autem pressibilia, quæcunque pulsa, in se ipsa coire possunt, cum superficies permutatur, seu pellitur in profundum, nec diuiditur, & particula non transfertur aliò, quam in profundum, sicut è contra facit aqua; hæc enim si præmatur, contra transfertur, circundando comprimens. Est autem pulsio motus amouente, qui fit à tactu, non relinquendo rem pulsam: percussio autem, cum à latione fit. Præmuntur autem quæcunque corpora habent vacuos (seu non plenos denso corpore) meatus cognati corporis, seu corporis coniuncti cum ipsis. Et hæc corpora sunt pressibilia, quæcunque possunt in propria vacua coire, seu condensari, aut in proprios meatus (aliquando enim non sunt vacui meatus, in quos partes corporis conueniunt; idest sunt pleni aliquo denso corpore, nam quando subtili, vt aereo, sunt pleni, dicuntur vacui, secundum modum vulgarem, re vera enim numquam sunt vacui simpliciter) velut madefacta spõgia, pleni enim sunt ipsius meatus aqua. Sed illa corpora, quorum meatus pleni fuerint mollioribus particulis, quam ipsum corpus, quod natum est coire, seu condensare in se ipsum, pressibilia quidẽ sunt, velut spongia, cera, caro. Corpora autem non pressibilia sunt, quæcunq; à pulsione non sunt nata cõdẽsari in eos meatus, qui sunt in se, aut quia meatus

Formabilia. Pressibilia. Pulsio. Percussio. Non pressibilia.

non habent, aut quia eos habent plenos durioribus corporibus, quam ipsa sint. Ferrum enim nõ pressibile est, & lapis, & aqua, & omne humidum non viscosum; quia hæc, vel non habent meatus, vt humida, vel habent plenos corpore duro, vt lapis, & ferrum.

Trahibilia. Trahibilia autem sunt, quorumcunque superficies potest ad latus transferri. Trahi n. est transferri versus mouens, vel trahens, ita vt planum, vel superficies tracta existat continua, & non diuidatur. Sunt autem hæc quidem trahibilia, pilus, corigia, neruus, pasta, viscum; hæc autem non trahibilia, vt aqua, lapis. Hæc igitur eadem sunt trahibilia, & pressibilia, vt lana; hæc autem non eadem; vt pituita pressibilis quidem non est; trahibilis autem est; & spongia pressibilis quidem est, trahibilis autem non.

Ductilia. Sunt autem hæc quidem corpora ductilia, vt æs; hæc autem non ductilia, vt lapis, & lignũ. Sunt autem ductilia quidem, quæcunque eadem percussione, possunt simul in latus, & in profundum secundum superficiem transferri secundum partem; non ductilia autem, quæcunque non possunt. At ductilia quidem omnia sunt, & impressibilia; impressibilia autem non omnia ductilia, vt lignum; vt tamen in vniuersum dicam (seu in communi) conuertuntur, sic, quod ductile est impressibile, & è contra, non tamen est infallibiliter verum, nec semper. Pressibilium autem, hæc quidem ductilia sunt, hæc autem non: cera quidem, & lutum ductilia sunt, lana autem non, neque aqua.

Fissibilia. Sunt autem hæc quidem Fissibilia vt lignum; hæc autem non Fissibilia, vt fictile. Est autem fissibile, quod potest diuidi ad plus, quam diuidens diuidat: funditur enim, cum ad plus diuidatur aliquid, quam diuidens diuidat, & præcedit diuisio contactum diuidentis, vt experientia patet in lignis; si quis enim vnum eorum à capite, seu ab vno extremo incipiat findere, statim ferè vsq; ad aliud extremum diuiditur. In sectione autem non est hoc. Non fissibilia autem sunt, quæcunque non possunt hoc pati. Est autem neque molle vllum fissibile, dico autem quod non est molle simpliciter, non tamen adinuicem, seu in respectu, sic enim non molle potest dici molle; sic quemadmodum ferrum erit molle, respectu alicuius durioris corporis. Neque dura omnia sunt fissibilia, sed quæcunq; humida sunt, neque impressibilia, neque friabilia; talia autem sunt, quæcunque secundum longitudinem habent meatus, secundum quos partes adnascuntur, seu copulantur adinuicem ratione diuisionis, sed non secundum latitudinem.

Secabilia. Secabilia autem sunt constantium, seu coagulatorum durorum, vel mollium, quæcunque possint diuidi, sic, quod neque ex necessitate præcedat diuisio ad diuidens, neque ipsa diuisa comminuantur, seu soluantur in partes minutas, & plures, vt facit vitrum, vel sal. Quæcunq; autem, aut humida, aut talia sunt, nempe diminuibilia in plures partes, hæc secabilia non sunt. Quædam autem sunt eadem, & secabilia, & fissibilia, vt lignum. Sed vt plurimum fissibile quidem dicitur secundum longitudinem, secabile autem secundum latitudinem. Cum enim diuidatur vnumquodque corpus in multas partes, ex ea parte, qua multa longitudines vnum sunt, seu continuæ sunt, hac quidem fissibile est; qua autem parte latitudines multæ sunt vnum, hac secabile est.

Viscosum. Viscosum autem est, cum corpus existens trahibile, aut humidum, molle fuerit. Talia autem viscosa fiunt alterna permutatione, & extensa, & compressa; & hæc sunt omnia illa ex quibus componuntur catenæ, seu compaginationes corporum animalium, vt phlegma, bilis, &c. hæc enim (vt dictum est) ad multum possunt extendi, & densari. Quæcunque autem non sunt talia, fragilia sunt.

Commassabilia. incõmassabilia. Commassabilia autem sunt, quæcunque pressibilia habent manentem compressionem, vt pasta, lutum, & alia. Incommassabilia autem, quæcunque aut omnino non pressibilia sunt, aut non habent manentem compressionem.

Combustibilia. incombustibilia. Et hæc quidem combustibilia sunt; hæc autem incombustibilia; velut lignum quidem combustibile est, & lana, & os; lapis autem, & glacies incombustilia. Sunt autem combustibilia quæcunque habent meatus susceptiuos ignis, vnde pati possint ab ipso, & humiditatem in iis meatibus, qui per longum sunt, vt diximus de lignis; quæ quidem humiditas, sit debilior igne; videlicet non aquea, quæ ignem suffocat, sed aerea, quæ est nutrimentum ipsius. Quæcunque autem, aut non habent humiditatem, & poros, aut humiditatem fortiorem igne, velut glacies, & quę valde viridia sunt, hæc sunt incombustibilia.

Exhalabilia. Exhalabilia autem sunt, quæcunq; corpora humiditatem habent quidem, sic autem habent, vt non euaporent seorsum ab ignitis, hoc est sine externo calore. Vnde differunt hę exhalationes à vapore; nam vapor est excretio, seu separatio, à calido combustiuo ex humido conuertens in aerem, & spiritum, quę quidem excretio est madefactiua, seu humida, ac differt ab exhalatione. Exhalabilia igitur secundum determinatum tempus in aerem, seu fumum segregantur, vel resoluuntur, ita vt quędam euanescentia, seu resoluti fumi ex ipsis sint sicci; hęc autem remanentia, terra fiunt. Vnde differt hęc excretio à vapore, quia hæc neque madefacit, neque spiritus humidus fit. (Sunt autem corpora exhalabilia, thus, storax, multa genera pomorum, & multa odorabilia) est autem spiritus, seu vapor, fluxus continuus aeris ad longitudinem, seu sursum per rectum, vnde pertingendo ad mediam aeris regionem frigidam, ingrossatur.

Exhalatio. Exhalatio autem est segregatio facta à calido actiuo, quæ est communis humidi, & sicci simul, seu vtroque participat, sed magis sicco, quapropter non madefacit, sed colorat magis, seu accipit colorem flammæ, & si nimis desiccetur, potest igniri. Est autem lignei quidem corporis exhalatio fumus, dico autem, & ossa, & pilos, & omne, quod tale est in eodem modo exhalandi, includi, quia videlicet fumum emittunt: non enim est positum nomen commune exhalationibus omnium istorum, sed dicantur secundum proportionem; tamen in eodem materialiter omnia conueniunt, quemadmodum Empedocles inquit, hæc, quæ animalibus quibusdam sunt pili, arboribus sunt folia, & auibus plumæ spissæ; piscibus vero squamę sunt super solida membra; similiter secundum proportionem, exhalatio rei pinguis potest dici fuligo, rei vnctuosæ, nidor, & sic proportio patet. Propter hoc oleum non elixatur, neque incrassatur; quia exhalabile est, sed non vaporabile; aqua autem non est exhalabilis, sed vaporabilis. Vinum autem dulce quidem exhalat, quia est pingue; atque eadem opera facit cum oleo; neque enim à frigore coagulatur, atque vritur. Quod quidem uinum de quo loquimur, non est vinum commune, quod bibitur, sed aliud (fortè apud nos incognitum) vnde solum nomine dicitur vinum, opere autem non est vinum; non enim sapor eius est vinosus; quapropter non inebriat; paruam autem habet exhalationem, quapropter hęc exhalatio emittit flammam, quia videlicet est materia, vel nutrimentum igni conueniens, prout nec frigida, nec humida nimis est. Combustibilia autem corpora videntur esse, quęcunque in cinerem dissoluuntur. Patiuntur, aut hoc, quęcunque concrescunt à calido, aut à calido, & frigido: hæc enim videntur vinci ab igne; inter lapides autem carbunculus, qui vocatur sigillum,

minimè

minime hoc patitur. Combustibilium autem, hęc quidem inflammabilia sunt, hæc autem non inflammabilia; horum autem quædam sunt carbonabilia. **Inflammabilia. Non inflammabilia.** *Inflammabilia igitur sunt, quæcunq; flammam emittere possunt, cum comburuntur; quæcunque autem non possunt, non sunt inflammabilia. Sunt autem inflammabilia, quæcunque non humida existentia, exhalabilia sunt; pix autem, aut oleum, aut cera, magis simul cum alys, quam per se sola sunt inflammibilia, maximè autem inflammabilia sunt, quæcunque fumum emittunt.* **Carbonabilia.** *Carbonabilia autem, quæcunq; talia plus habent terræ, quā fumi, vel exhalationis. Adhuc autem quædam liquabilia non sunt inflammabilia, velut ęs, & alia sunt inflammabilia, & non liquabilia, velut lignū; alia autē ambo, velut thus, quod est liquabile, & inflammabile. Causa autem est, quia ligna quidē simul totum habent humidum aereum, & continuum per totum, vt possint comburi. Æs, autem habet humidū quidem secus vnamquamque partem, non tamen sic continuum, seu densum, & aereum, vt sit sufficiens flammam facere, Thus autem hac quidem parte sic se habet, alia vero alio modo. Exhalabilium autem sunt inflammabilia quęcunque non sunt liquabilia, propterea quod magis sunt terræ, quam aquæ, vel humidi aeris, quæ tamen habent siccum commune igni, & terræ, hoc igitur siccum, si fiat calidum, ignis fiet;* **Fumus.** *& propter hoc flamma est fumus ardens. Exhalatio igitur lignorum fumus est. Ceræ autem, & thuris, & picis, & talium quæcunque habent picem admistam, aut talia, fuligo.* **Fuligo. Nidor.** *Olei autem, & quæcunque oleosa sunt, nidor, & similiter, quæ sola non ardent, quia paucum sicci continent, transitus autem harum exhalationum fit per hoc calidum; cum altero autem additæ, fit transitus citissimè, vt si oleum coniugatur cum lino, vel palea, &c. Exhalantia igitur humida, sunt magis humidi participantia. Ardentia autem sicci.*

SVMMA QVARTA.

De cognitione temperaturarum corporum similarium.

CAPVT I.

Quo pacto cognoscatur, si corpora constent magis humido, aut sicco.

His autem passionibus, & his differentijs prædictis, differunt similaria corpora adinuicem secundum tactum, adhuc autem differunt secundum sapores, odores, & colores, sicut dictum est prius. **Corpora similaria.** *Dico autem similaria corpora hæc esse, vt metallica, aurum argentum, stamnum, ferrum, lapidem, & alia talia, & quæcunque fiunt ex his segregata, seu ex mistura horum, vt fit minium, &c. in animalibus autem, & plantis sunt similaria, carnes, ossa, neruus, pellis, viscus, pili, villi, venæ: ex quibus iam constant dissimilaria,* **Dissimilaria.** *vt facies, manus, pes, & alia talia; & in plantis similaria sunt, lignum, cortex, folium, radix, & quæcunque talia. Quoniam autem hæc quidem similaria ab alia causa constant, quam dissimilaria, nam causæ ex quibus hęc similaria sunt, vt materiales, sunt siccum, & humidum, quare aqua, & terra (hæc enim videlicet aqua, & terra, vtraque habet euidentissimam potentiam vtriusque passionis prædictæ, quia aqua humidi, est terra sicci) facientes verò ipsorum causæ sunt calidum, & frigidum, instrumentales videlicet (hæc enim scilicet calidum, & frigidum constituunt, & compingunt, vel condensant illa similaria corpora ex illis passiuis qualitatibus, tanquam ex materia) quare causæ similarium corporum sunt istæ quatuor, calidum, & frigidum, humidum, & siccum; quarum duæ sunt actiuæ, aliæ duæ passiuæ, omnes tamen sunt accidentales, & dispositiuæ. Nunc de similaribus corporibus accipiamus, quæ sunt species terræ, & quæ aquæ, & quæ communes vtriusque. Istis namque cognitis, faciliter dissimilaria cognoscentur, nam ipsa similaria sunt constitutiua dissimilarium; ita vt quæcunque sunt similarium causæ, etiam dissimilarium sint. Sunt itaq; corporum conditorum, seu ex his quatuor qualitatibus mistorum, alia quidem humida, alia autem mollia, dictum est prius quod per coagulationem sint talia. Humidorum igitur, quæcunque quidem euaporant, aquæ sunt, quæcunque autem non, aut terræ, aut communia terræ, & aquæ, vt lac, aut terræ, & aeris, vt mel, aut aquæ, & aeris, vt oleum, & quæcunque quidem à calido incrassantur communia sunt aquæ, & terræ. Dubitabit autem vtique aliquis de vino, quod est de genere humidorum; hoc enim euaporabit vtique, & sic videtur aqua, atque similiter incrassatur, seu defecatur, & sic videtur esse commune aquæ, & terræ. Causa autem huius dubitationis, & diuersitatis est, quia vinum non dicitur secundum vnam speciem, vel modum, quia aliud vinum aliter dicitur, & ab alio diuersum est: nouum enim magis terræ est, quam antiquum, quapropter incrassatur maximè calido, & concrescit minus à frigido; habet enim calidum multum, & terræ, vt vinum quod est in Arcadia, sic exiccatur à fumo, vel Sole in vtribus, vt bibatur derasum, seu comminutum, vel contritum ad modum salis, vel sacchari. Si autem omne vinum fæcem habet, sic vtriusque est, aut terræ, aut aquę, vt se habet in multitudine huius fæcis, si enim plus fęcis habeat, est plus terreū, si minus, minus. Quęcunque autem à frigido incrassantur, sunt terrę, quęcunque autem ab ambobus, scilicet à frigido, & calido, sunt communia pluribus, scilicet terræ, aquę, & aeris, vt oleum, mel, & dulce vinum. Consistentium autem, seu coagulatorum, quęcunque quidem à frigido concreta sunt, aquę sunt, vt glacies, nix, grando, pruina. Quęcunque coagulantur à calido, terrę, vt fictile, caseus, nitrum, sales. Quęcunque autem ab ambobus (talia autem sunt quęcunque infrigidatione coagulantur: hęc autem sunt quęcunque priuatione calidi, & humidi simul egredientis cum calido congelantur; sales enim concrescunt solum per priuationem humidi, & similiter quęcunque ex sincera, vel pura terra constant, tanquam ex principaliori materia; glacies autem congelatur per priuationem calidi solius,) hęc vtique amborum sunt, videlicet aquę, & terrę. Quapropter, & ab ambobus constringuntur, & habebant ambo. Quorumcunq; autem totum humidum exudauit, vel foras ad modum sudoris exiuit, velut fictile, aut electrum (etenim electrum, & quęcunq; dicuntur oriri, vel fieri per distillationem quandam, vt lacrymę, velut myrrha, thus, gummi, hęc concrescunt infrigidatione; & electrum quoque huius generis esse videtur, & concrescit: nam in ipso videntur animalia circumprehensa, seu inuoluta, vt accidit in melle, & visco, ergo signum est, quod ipsum electrum paulatim coagulatur ex liquido. A fluuio autem, seu ab aqua, vel humido exiens calidum, sicut exit calidum, cocti mellis, cum in aquam demissum fuerit, euaporat humidum, hęc omnia sunt terrę. Et hęc quidem corpora inelìquabilia, & immollificabilia sunt, velut electrum, aut lapides quidam, qui dicuntur tofi, vel pori in speluncis existentes, & sunt velut spongię, & leues. Etenim hi lapides fiunt similiter his, seu sicut electrum,*

vel gummæ, & non coagulantur, vt sub igne, seu calore, sed vt à frigido pertranseunte calido, simul egreditur humidum cum ipso calido discedente; in alijs autem lapidibus fit consumptio humidi à calido extrinseco. Quorumcunque autem non totum humidum exiuit, sunt magis terræ quidem, sed tamen mollificabilia, vt ferrum, & cornu; Thus autem, & alia, similiter, vt ligna, vaporant. Quoniam igitur aliqua sunt, quæ coagulantur, ponendum est, quod sint quoque liquabilia; quare dicimus, quod quæcunque liquefiunt ab igne, hæc sunt aquosa, quædam autem, & communia sunt terræ, & aquæ, velut cera, quæcunque autem liquefiunt ab aqua, hæc sunt terræ. Quæcunque autem à neutro liquefactibilia sunt, hæc aut sunt terræ, aut amborum. Si igitur omnia quidem corpora, aut humida, aut coagulata sunt, vt prius dictum fuit, & non est intermedium (seu non datur corpus medium, quod videlicet non sit, vel humidum, vel coagulatum, seu non sit in dictis passionibus comprehensum) omnes vtique passiones, quibus discernemus, vtrum corpora sint terræ, aut aquæ, aut plurium communia, & vtrum ab igne consistent, an à frigido, aut ab ambobus, erunt dictæ, nempe liquidum, & coagulatum, seu liquatio, & coagulatio. Aurum itaque, argentum, & æs, & stannum, & plumbum, & vitrum, & lapides multi innominati, aquæ sunt: omnia enim hæc à calido liquefiunt. Amplius vina quædam, & vrina, & acetum, & lixiuium, & serum, & sanies, aquæ sunt: omnia enim concrescunt à frigido. Ferrum autem, & cornu, & vnguis, & os, & neruus, & lignum, & pili, & folia, & cortex, terræ magis sunt. Amplius electrum, myrrha, Thus, & omnia, quæ dicuntur lachrymæ, & tophus, & fructus, & legumina, & frumentum, talia enim horum, hæc quidem valde, hæc autem minus sunt terrea, tamen terræ sunt omnia: hæc enim mollificabilia sunt, hæc autem exhalabilia, & infrigidatione facta, vnde aquam aliquomodo habere significatur, sed præcipuè terram. Amplius nitrum, sales, & lapidum genera, quæcunque neq; infrigidatione coagulantur, neq: liquabilia sunt, terræ sunt; sanguis autem, & genitura, vel semen communia sunt terræ, aquæ, & aeris; sanguis quidem habens villos, seu venulas quasdam, magis terræ; quapropter frigore concrescit, & humido liquescit; non habens autem villos, aquæ, quare non concrescit; genitura autem concrescit infrigidatione, exeunte humido cum calido.

CAPVT II.

Quo pacto cognoscantur corpora participare magis calido, quam frigido.

QValia autem calida, aut frigida sint corpora inter coagulata, vel humida, seu liquida, ex dictis considerare oportet. Quæcunque igitur aquæ, vt plurimum frigida sunt, nisi alienam habeant caliditatem, vt lixiuium, vrina, vinum, quæ ab externo calefiunt, nempe à Sole, vel alio. Quæcunque autem terræ, vt plurimum calida sunt, propter opificium calidi, idest, quia calor operatus est, ac magis ibi retinetur, & imprimitur (ex se namque terra est frigida) vt calx, cinis. Oportet autem accipere quædam secundum materiam frigidissima esse; quoniam enim siccum, & humidum materia sunt (hæc enim passiua sunt, & ideo materia cuius est pati) horum autem corpora maximè sunt terra, & aqua, quæ frigiditate determinata sunt, palam est, quod omnia corpora, quæ sunt ex his duobus elementis, velut ex materia frigida magis sunt, nisi habeant alienam caliditatem, velut feruens aqua, aut per cinerem colata; etenim hæc habent eam caliditatem, quæ per cinerem est: in omnibus enim ignitis est caliditas, aut maior, aut minor. Quapropter in putrefactis nascuntur animalia, inest enim externa caliditas, quæ corrumpit propriam vniuscuiusque caliditatem, & alia generat animalia quibus ipsa sit propria, & naturalis. Quæcunque autem communia sunt corpora aquæ, & terræ habent caliditatem; constant enim plurima à caliditate, quæ ipsa concoxit. Quædam autem horum corporum sunt putrefactiones, vel putrida, seu colliquamenta facta à calido, & ad corruptionem disponuntur. Quare quæcunque humida se habent secundum suam naturalem dispositionem, sunt calida, vt sanguis, genitura, medulla, coagulum, & omnia talia; cum autem corrumpuntur, & egrediuntur à naturali dispositione, non amplius, relinquitur enim materia, terra existens, aut aqua, vnde frigida sunt. Quapropter quædam, hæc prædicta, ambo videntur, scilicet calida, & frigida, eo quod cum in naturali dispositione existant, calida videantur (vt in multis patet, maximè in sanguine) cum autem extra, coagulata, vel frigida. Se habet igitur sic omnino veritas, vt determinatum est, in quibus videlicet aqua est materia, illa sunt frigida, opponitur enim maximè aqua igni; in quibus autem materia est terra, vel aeris, illa sunt calidiora. Accidit autem eadem fieri calidissima, & frigidissima, aliena caliditate, & frigiditate; Quæcunque enim maximè concreuerunt, & solidissima sunt, hęc frigida maximè sunt, si priuata fuerint caliditate, & vrunt maximè, si ignita fuerint, vt aqua vrit magis, quam fumus, & lapis magis, quam aqua.

CAPVT III.

Continuatio ad ea, quæ dicenda sunt, & quod operationes in corporibus innotescant magis, quam eorum substantiæ.

QVoniam autem de his determinatum est secundum vnumquodq; nunc dicamus quid sit caro, aut os, aut alia similaria. Habemus enim causas ex quibus natura ipsarum similarium partium constituta est, et similiter genera ipsarum, cuius nimirum generis vnumquodq; per generationem fuerit, an videlicet terra, vel aquæ: ex elementis enim constant ea, quę sunt similarium partium: ex his autem elementis, vt ex materia constant omnia opera naturæ, videlicet omnes effectus naturales in hoc mundo inferiori, & pręcipuè in mistis. Sunt autem omnia mista, vt ex materia quidem ex dictis elementis: vt autem secundum substantiam, habent esse à forma. Semper autem magis manifestum est, quid sit forma, & natura ipsorum in posterioribus, seu ex effectibus, & omnino quęcunque vt instrumenta sunt, & ad aliud ordinata id nobis declarant. Magis enim manifestum est, quod mortuus homo sit homo ęquiuoce, quam id nobis manifestent partes, vel causę eius, & sic semper à posterioribus accipitur notitia, nam homo, vel cadauer posterius est suis partibus, sic igitur cognoscimus consequenter, quod manus mortui dicuntur ęquiuoce manus, quemadmodū si fistulę lapideę, vel pictę, dicantur fistulę, manus enim videntur esse instrumenta hominis, sicut fistulę sonantis. Minus autē in carne, & osse, hę differentię cernuntur, quam in toto corpore; adhuc autem in igne, et aqua minus: ipsum .n. cuius gratia, seu finis,

minimè

minimè manifestum est hic, vbi plurimum est materiæ. Sicut enim si extrema componentia considerentur, nempe materia, & forma, materia quidem nihil aliud est præter ipsam, seu tale ens in potentia; substantia autem, seu forma, nihil aliud est, quam ratio, vel actus: intermedia autem, videlicet composita ex materia, & forma proportionabiliter se habebunt, eo videlicet modo quo propè sit vnumquodque, vel ad materiam, vel formam, sic quod si vnum magis forma participet, sibi magis appropinquare dicetur, si magis materia ei magis proximum dicatur, & per consequens ab istis fit magis, vel minus nota vel materia, vel forma. Præterea, quoniam quodcunque horum est alicuius gratia, & magis determinati finis, id magis est notum, sed composita sunt magis huiusmodi, ergo; probatur minor; nam aqua, & ignis, atque alia elementa, quæ non omnibus modis se habent, seu quæ non complent omnino totam naturam misti, sicut neque caro, vel viscera non sic sunt, vel videntur determinati finis, sicut magis per oppositum videtur sic facies, & manus; omnia enim hæc instrumenta sunt terminata proprio opere, ergo multo magis totum compositum, & sic erit notius. Quod verò ista instrumenta sint terminata, & distincta, patet. Omnia enim quæ possunt facere suum opus verè sunt ab alijs distincta, vt oculus, si videt; si autem non potest videre, vt mortuus, aut lapideus, dicitur oculus æquiuocè, sicut serra lignea non dicitur serra, nisi vt imago, & æquiuocè; sic igitur & caro; sed opus ipsius minus manifestum est, quam opus linguæ, sed adhuc fortè ipsius ignis opus, pro vt in mistis existit, minus naturaliter manifestum est, quam opus carnis; similiter autem elementa, quæ in plantis sunt, & in inanimatis, quemadmodum sunt, aurum, æs, argentum, &c. minus manifesta sunt: omnia enim hæc elementa in istis sunt in potentia faciendi, vel patiendi aliquid, sicut in animalibus caro, & neruus, sed rationes, vel formæ ipsorum non sunt certæ, vel cognitæ. Quare quando hæc elementa æquè similaria existunt in composito, & quando non existunt, non facile est cognoscere, nisi compositum valde deperditum fuerit, & sola figura partium fuerint reliqua, vel remanentes, vt inueteratorum mortuorum corpora, quæ subitò cinis fiunt in sepulchris, cum tanguntur, & fructus solam retinent figuram, post desiccationem, sed secundum sensum tactum, non videntur, vel cognoscuntur esse tales, præcipuè qui sunt valde inueterati; & similiter, quæ ex lacte concrescunt, vel ex corruptione lactis fiunt, videntur lac, & non sunt; in omnibus istis igitur non cognoscuntur faciliter partes componentes, & similares, nisi ex resolutione, vt exemplificatum est de mortuo in cinerem resoluto, & de fructibus, in quibus remanet terrestre, & de lacte, in quo remanet aqueum. Tales igitur partes similares caliditate, & frigiditate, & harum motibus, seu dispositionibus contingit fieri, concrescentes à calido, & frigido, vt ab actiuis qualitatibus: dico autem ita se habere, quæcunque sunt partes similares, vt caro, os, pili, nerui, & quæcunque talia: omnes enim hæ partes differunt dictis differentijs, videlicet tensione, tractione, comminutione, duritie, mollitie, & alijs talibus. Hæ autem partes fiunt à calido, & frigido, & à motibus, seu dispositionibus, ac effectibus ipsorum mistis. Dissimilares autem, quæ ex his similaribus constitutæ sunt, nulli vtique videbuntur, quod ex his qualitatibus immediatè sint constitutæ; dico autem, vt caput, manus, pedes, &c. Sed sicut ad hoc, vt factum sit æs, aut argentum, causa est caliditas, & frigiditas, & motus eorum; vt autem fiat serra, aut phiala, aut arca, hæ qualitates non sunt immediatè causæ, sed ars; ita in his dissimilaribus, hæ qualitates non sunt immediatè causæ constitutiuæ, sed partes ipsę similares, operante natura, vel alia aliqua causa; quod accidit dum ex pluribus similaribus fit aliquid dissimilare artificiatum; tunc enim non natura, sed ars operatur. Quoniam autem habemus, cuius generis sit vnumquodque eorum, quæ sunt similarium partium, accipiendum est secundum vnumquodque genus, quid sit vnumquodque ipsorum, vt quid sanguis, aut caro, aut semen, & aliorum vnumquodque; sic enim scimus quodcunque, propter quid, & quid est, si materiam, aut formam habemus, maximè autem cum cognoscimus ambo, & etiam vnde sit principium motus, seu quæ sit causa efficiens. Manifestis autem his, similiter ea, quæ non sunt similium partium, speculandum est; & tandem, quæ sunt constituta ex his, vt homines, plantæ, & alia eiusccemodi. Vnde patet, quomodo à posteriori prius cognoscuntur composita, posterius componentia, à priori autem è contra.

Finis Quarti Libri Meteorologicorum.

ANTONII ROCCI
DE SCVRCVLA
MARSORVM
Doctoris, Philoſophi, atque Theologi

PHILOSOPHIÆ
NATVRALIS,
PARS TERTIA.

Quæ in tres Libros de Anima, ac in parua naturalia Ariſtotelis Paraphraſim textualem, vnà cum Quæſtionibus ad mentem Scoti, comprehendit.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.



VENETIIS, M. DC. LIV.

Apud Franciſcum Baba.



ANTONII ROCCI

De Scurcula Marſorum.

IN PRIMVM LIBRVM ARISTOTELIS de Anima Paraphraſis.

SVMMÆ LIBRI.

IN Prima proponuntur nobilitas, & difficultas ſcientiæ ipſius Animæ.
In Secunda narrantur opiniones de Animæ eſſentia.
In Tertia confutantur, & adducuntur nonnullæ quæſtiones circa vnitatem Animæ.

SVMMÆ PRIMÆ CAPVT PRIMVM.

Quas ob res cognitio Animæ ſit nobilis, atque difficilis.

Tex. 1. *VM opinemur, notitiam, ſeu ſcientiam, eſſe de genere bonorum, & honorabilium, magis autem alteram altera, aut ratione certitudinis, (quia videlicet, eſt certior alia) aut ex eo, quia agit de rebus melioribus, & mirabilioribus, propter vtraque, hiſtoriam, ſeu ſcientiam de anima rationabiliter vtique inter primas ſcientias ponemus. Vocatur autem hiſtoria, quia modo certo ex operationibus inſtar hiſtoriæ, vt plurimum procedit.*

Tex. 2. *Videtur autem quod cognitio ipſius Animæ multum conferat ad omnem veritatem, (veritas etenim cuiuſque rei ab anima, & intellectu dependet tanquam à principali principio; ergo vt perfectè cognitio habeatur, principium ipſius cognoſcere oportet) maximè autem ad ſcientiam naturalem: ipſa enim anima eſt tanquam principium animalium; at animalium cognitio ad naturalem Philoſophiam pertinet, nec haberi poteſt, ſaltem quidditatiuè, ſine cognitione principij; ergo; & dicitur tanquam non diminutiuè, quia re vera eſt principium formale, ſed potius per quandam excellentiam; quaſi dicatur, eſt tanquam totale principium animalis, ita vt corpus, organa, & alia, in comparatione ad ipſam ferè non paſſiua principia dici.*

Quærimus autem contemplari, ſeu inueſtigare contemplando, ac re vera cognoſcere naturam, & ſubſtantiam ipſius; naturam dico, prout eſt principium motuum, ac operationum animalium; ſubſtantiam verò, pro vt quidditatiuè cognoſci poterit, quatenus videlicet erit actus, vel forma, (per quas duas particulas duæ eiuſdem inſinuantur definitiones, naturæ videlicet, & ſubſtantiæ correſpondentes) Poſtea quæcunque accidunt circa ipſam, animirum effectus, proprietates, & accidentia, quæ ab ipſa manant, quorum alia quidem propria eius videntur, (ſic quod ſibi ſoli conueniant, ſeu in ipſa inſint, non autem in animali, ſeu in compoſito, quod animam, & corpus includit) alia autem videntur communia, ita quod non tantum ſibi inſint, ſed etiam animalibus propter ipſam, hoc eſt conueniant animæ, & corpori ſimul; exemplum de communibus, ſentire, currere, &c. quæ tamen omnia dubitatiuè hic ponuntur, ideò dicitur videntur, quaſi dicatur, apparet ſic nobis primo intuitu, ſed an ita ſit, vel non, poſterius examinandum erit. Tex. 3.

Omniquaque autem, & omnino difficillimum eſt accipere aliquam fidem, quo ad quidditatiuam cognitionem de ipſa. Cum enim ſit quaſi communis, atque communis difficultas multis alijs rebus (dico autem quæſtionem communem, & difficultatem eſſe in multis eam, quæ verſatur circa cognitionem ſubſtantiæ, & definitionem Tex. 4.

nem

nem rei) fortassis alicui videbitur, quod vna sit quædam Methodus, seu modus inuestigandi definitiuam cognitionem de omnibus, de quibus substantiam cognoscere volumus, sicut est vna communis eorum, de quibus per demonstrationem quærimus propria accidentia, vel passiones (Methodus namque hæc est progressus demonstratiuus, seu per causas, scientificè loquendo) sed in indaganda definitione, non sic vna videtur; quare quærenda vtique erit Methodus ista.

Tex. 5. *Si autem non est vna quædam, & communis Methodus circa omnia de ipso quid est; adhuc difficilior fit ipsa negotiatio; oportebit enim accipere circa vnumquodque, quis sit modus. Si autem manifestum sit, quod demonstratio aliqua sit, aut diuisio, aut etiam aliqua alia Methodus definitionem omnium inuestigandi, adhuc multas habet dubitationes, & errores prouenientes ex ijs rebus, de quibus oportet quærere definitionem: diuersorum enim diuersa sunt principia, sicut sunt diuersa numerorum, & superficierum; quare difficultates augentur in inuestigando varia, & propria vniuscuiusque principia, seu genera, & differentia; quapropter quod proposuimus, magis patet, nimirum difficilem esse modũ, definitionem omnium, ac ipsius quoque animæ indagandi.*

Tex. 6. *Primum autem fortassis necessarium est diuidere, in quo genere, & quid sit ipsa anima: dico autem vtrum sit hoc aliquid, seu substantia, an qualitas, vel quantitas, aut etiam quoddam aliud diuisorum prædicamentorum. Adhuc autem, an sit de genere eorum, quæ sunt in potentia, an magis sit actus, hoc est, an ipsa anima sit materia, vel potius forma; differt enim non parum, an hoc, vel illo modo se habeat.*

Tex. 7. *Considerandum autem est, & si diuisibilis sit ad diuisionem corporis, an sit indiuisibilis; & vtrum omnis anima sit eiusdem speciei, an non; si vero non, omnes sint eiusdem speciei; an differant genere, vel specie. Nunc enim qui de anima quærunt, & loquuntur, de humana solum videntur intendere; vnde dimittentes alias aliorum animalium, insufficienter loquuntur.*

Tex. 8. *Cauendum autem est, vt non lateat, vtrum ipsius animę in communi sit vna ratio, vel definitio, sic quod vniuocè conueniat omnibus animabus, sicut definitio animalis vniuocè conuenit omnibus animalibus, an secundum vnumquodque animal ab alio specificè distinctum, alia, & alia sit anima, ac definitio eius specie diuersa, sic quod in aliqua ratione communi non conueniant, sed alia sit anima equi, alia canis, alia hominis, alia Dei (loquendo more Gentilium, qui Deum esse animal asserebant.) Est tamen notandum, quod licet animal in communi definiatur; non tamen credendum est, quod ipsum reperiatur separatum à singularibus, vt Plato dicebat de Idæis; nam ipsum animal vniuersale, aut nihil est, (supple si ponatur à singularibus separatum, quia in ipsis habet propriam rationem, seu formalitatem) aut posterius est: (quia videlicet per intellectum à singularibus abstrahitur: abstractum autem posterius est eo, à quo abstrahitur, & sic nullatenus, vt separatum intelligitur, quod sit causa, vel principium singularium, sed prout in re est) similiter autem dicendum est, si quod commune aliud prædicatur, & ad propositum de Anima; nimirum, quod & si ipsa anima in communi definiatur, non tamen credendum erit, quod detur vniuersalis à singularibus separata, & sit causa ipsarum, vt ipsemet Plato asserebat.*

Vniuersale aut nihil est, aut posterius est.

Tex. 9. *Amplius autem si in ratione communi non sint multæ animæ, sed omnes in vnica definitione conueniunt, sicut omnia animalia in ratione animalis, partes uerò, seu potentiæ ipsius sint plures; vtrum oporteat prius quærere totam animam, seu essentiam, & quidditatem eius, an partes, vel potentias. Difficile est autem determinare de istis, quales videlicet aptæ natæ sint alteræ, seu diuersæ ab inuicem esse, vel inter se simpliciter, vt aliud sit intellectus ab imaginatione, vel in ordine ad corpus, ita vt in alia parte sit alia potentia.*

Et si prius oporteat inuestigare potentias, quã animam, adhuc est difficultas; vtrum potentias oporteat quærere prius, an opera ipsarum; vt, an prius oporteat quærere intellectum, qui est potentia, an intelligere, quod est opus eius; & similiter, an sensus, vel sentire, pariter autem & in alijs. Si autem prius sint inuestiganda opera, est adhuc dubitatio, an opposita, seu obiecta ipsarum operationum prius quærenda sint, quam operationes ipsæ, ac potentię; vt si acturi sumus de sensu, qui est potentia, de sentire, quod est operatio, & de sensibili, quod est obiectum; & similiter dicatur de intellectu, intelligere, & intelligibile, à quo incipiendum sit, dubitatur. Tex. 10.

Videtur autem, quod non tantum cognitio ipsius definititionis sit vtilis ad cognoscendas causas eorum, quæ substantijs, vel essentijs accidunt; sicut in Mathematicis definitio lineæ rectæ, obliquæ, aut simpliciter lineæ, vel superficies sunt vtiles ad cognoscendum, quod anguli trianguli sint æquales duobus rectis; Sed è contra, accidentia conferunt secundum magnam partem ad cognoscendum ipsum quid est, seu definitionẽ, & maximè si sint accidentia propria, & loquamur de cognitione à posteriori, & manuductiua; sic namque accidentia ad cognitionem substantiæ, seu naturæ cuius sunt accidentia nos conducunt. Cum enim secundum imaginationem, seu secundum cognitionem sensitiuam habemus reddere, seu percipere notitiam, aut de omnibus, aut de pluribus accidentibus, tunc quam optimè aliquid de substantia dicere possumus, & sic ad propositum applicando, fortè non erit inconueniens, in cognitione de anima, si incipiamus ab operationibus, vel obiectis eius; vel saltem rationalis est dubitatio, quæ quæsitum fuit, an ab operationibus, vel alio modo animæ natura sit inuestiganda, quia & per accidentia fieri potest, licet non modo scientifico, & demonstratiuo. Quare secundum quascunque definitiones, non contingit accidentia rei definitæ cognoscere, imò neque de ipsis accidentibus facilè est per tales definitiones coniecturam habere. Imò omnes tales prædictæ definitiones sunt dialecticæ, & vanæ; quia scilicet dantur per communia, vt descriptiones quædam, & hę vocantur dialecticæ, seu topicæ, & probabiles tantum, quæ demonstrationem, & scientiam non faciunt. Tex. 11.

Accidentia conferũt ad cognoscendũ quid est.

Dubitationem autem habent, et passiones animæ; vtrum omnes sint communes ipsius animæ, & eius quod animam habet, sicut est corpus, vel animal; an sit aliqua ipsius animæ propria, ita vt corpori non communicetur: hoc enim accipere, seu cognoscere est quidem necessarium ad perfectè animam cognoscendam, non autem facilè. Videtur autem, quod plurimarum animarum nulla patiatur sine corpore, seu nullas exerceat operationes sine organis corporeis, quare neque sine ipso aliquid agat, & per consequens omnes operationes, & passiones sint ipsi, & corpori communes, vt patet de istis, irasci, confidere, desiderare, & denique sentire, quæ multa comprehendit. Maximè autem videtur propria solius animæ operatio ipsum intelligere. Si tamen hoc est imaginatio quædam, seu operatio imaginationis, aut organicæ potentiæ, vel saltem Tex. 12.

Si intelligere nõ est sine imaginatione, nõ erit solius animæ.

tem sine imaginatione fieri nequit, neque hoc sine corpore contingit esse, sed sibi, & animæ commune erit, quod quomodo se habent, posterius dicendum erit.

Tex 13. Si est aliqua operatio solius animæ, ipsa est separabilis, & è contra.

Si igitur est aliqua animæ operatio propria, ita vt sine corpore eam exercere possit, contingit vtique ipsam animam à corpore separabilem esse, nam habet proprias operationes, vnde in natura non erit frustra. Si verò nulla est propria operatio ipsius, non vtique erit separabilis, quia in natura esset otiosa, & frustra. Sed sicut rebus mathematicis multa in abstracto, & quasi sint à sensibilibus separata tribuimus, quæ tamen eis in veritate non conueniunt, nisi provt sunt in sensibilibus, ita si anima separari non possit, licet multas operationes sibi, vt proprias, tribuamus, eas tamen non poterit exercere sine corpore, nec sine ipso existere. Declaremus autem, quod diximus, exemplo magis particulari. Lineæ rectæ, provt recta est, & abstracta multa accidunt, vt tangere æneam sphæram secundum punctum, &c. tamen ipsa linea recta si intelligatur separata à rebus sensibilibus non tanget, quia realiter non est separabilis, sed solum per intellectum: at rei hoc modo separatæ, seu abstractæ non conuenit tangere, licet hoc sibi sub ratione considerandi tribuatur; quare cum ipsa non sit separabilis, sed semper cum aliquo corpore sensibili, tangere nequit nisi cum corpore sensibili existens, & sic anima, licet habere videatur multas operationes ex se, si tamen non sit separabilis, eas sine corpore non habet.

Tex. 14. Omnes passiones animæ videntur communes, etiam corpori.

Videntur autem omnes passiones animæ esse simul cum corpore, & ei communes (dicitur videtur dubitatiuè) vt ira, mansuetudo, timor, misericordia, confidentia, adhuc gaudium, amare, & odire; simul enim cum his patitur aliquid corpus ipsum, quod non accideret, nisi communes essent. Quod autem corpus cum ipsis patiatur, indicat hoc, quod aliquando quidem à validis, & manifestis passionibus accidit, vt aliquis nihil exacerbetur, aut timeat; aliquando autem à paruis, & debilibus moueatur, quod accidit ex diuersa corporis dispositione; cum enim corpus, seu cor accenditur, tunc irascitur, & exacerbatur à paruis passionibus, cum autem est in optima temperie, tunc difficilius perturbatur. Adhuc autem quod dicimus magis manifestum est, cum nihil terribile contingat in passionibus, seu operationibus alicuius; fiunt tamen effectus, seu operationes, quæ sunt propriæ timentis, quod non aliunde prouenit, nisi prædominante aliquo humore bilioso, vel melancolico.

Tex. 15. Accidēs definitur per suum subiectum. Anima separata non consideratur à physico.

Si autem sic se habet, quod tales passiones animæ simul cum corpore sint, manifestum est, quod rationes, vel definitiones ipsarum passionum, etiam in materia sunt, vel ipsam includunt, nam accidens per subiectum sibi proprium definitur. Quare tales erunt definitiones istarum, vt corpus includant. Vt irasci est quidem motus talis corporis, aut partis, aut potentiæ (hoc est corporis, vel cordis calefacti, & potentia, quæ vocatur irascibilis) ab hoc, seu ab iniuria excitatus, gratia huius, scilicet vindictæ; & propter hoc, quod passiones animæ sunt in corpore sensibili, & per ipsum definiuntur, naturalis qui sensibilia considerat, de anima agere debet, aut de omni (si ponatur, quod omnes animæ habeant tales communes passiones) vel de huiusmodi (seu de his, quæ tales habent) provt vero separatas habent, ad Physicum eorum consideratio non attinet; Vnde patet, quod de aliqua anima tantum dubitatur, an passiones aliquas separatas habeat, & per consequens separabilis sit, vel non.

CAPVT II.

Naturalis Philosophus differenter definit à Dialectico.

Tex. 16.

Differenter autem definit Naturalis Philosophus, & Dialecticus vnumquodque prædictorum, seu prædictarum passionum, vt si quæratur, quid est ira, Dialecticus definiet eam per formam, seu finem quæ idem sunt, ac dicet. Ira est appetitus recontristationis, seu aliquid huiusmodi, nimirum vindicta. Physicus autem definiet, quod sit feruor, vel accensio sanguinis, aut alterius humoris calidi circa cor; quare istorum, Physicus assignat materiam, nempe sanguinem, & cor; Dialecticus vero formam, seu finem, nempe vindictam, hæc namque est ratio, vel quidditas ipsius iræ. Tamen si definitio erit bona, necesse est, quod hæc formalis definitio sit in materia, seu cum materiali coniuncta, ita vt ex vtraque fiat tantum vna. Sicut definitio domus data per formam erit, quod sit operimentum prohibens ne fiat corruptio animalibus, vel alijs à ventis, imbribus, & æstibus. Materialis autem erit hæc, est quid constructum ex lapidibus, lateribus, & lignis; alia verò, quæ ex vtraque constabit, dicet formam in istis rebus materialibus, propter ista, seu propter fines prædictos, hoc modo. Est quid constitutum ex lapidibus, lignis, & lateribus, prohibens corruptionem à ventis, pluuijs, æstibus, &c. Sed quæritur, quæ harum definitionum sit naturalis? Vtrum quæ circa materiam versatur, formam autem ignorans? an quæ circa formam solum? an magis quæ ex vtrisque? dictum namque est meliorem esse, quæ ex vtrisque constat, non tamen determinauimus, an hæc sit magis naturalis. Dato autem, quod hæc, quæ ex materia, & forma constat, sit melior, adhuc quæritur, illarum dictarum prædictarum, quæ sit magis naturalis.

Ira quid.

Definitio bona quomodo.

Tex. 17.

Respondetur, non esse aliquem artificem, qui versetur circa passiones sensibiles, & à materia inseparabiles, neque inquantum inseparabiles sunt (idest declarando non esse separabiles) nisi Philosophus naturalis; hic enim circa omnes, quæ corporis sensibilis sunt passiones, & operationes versatur, (provt videlicet per motum fiunt, acquiruntur, vel cognoscuntur; sic namque habent ad corpus sensibile, & naturale ordinem) circa quascunque autem, quæ non sunt huiusmodi, alius versatur artifex; & circa aliquas quidem est artifex mechanicus, vt si fuerit Medicus, aut Faber; primus enim circa corpus per medicinam sanabile versatur, secundus circa ferrum, vel lignum per artem operabile, vnde non naturaliter simpliciter procedunt. Ipsarum autem passionum non separabilium à corpore sensibili, sed abstrahibilium tantum à motu, & materia, sic quod considerentur quasi non essent alicuius corporis, sed remotæ, alterius scientiæ est consideratio, videlicet Mathematicæ, quæ à motu, & materia abstrahit; secundum autem quod re vera aliquæ separatæ inueniuntur passiones, primi Philosophi, seu Metaphysici est contemplatio; hæ autem passiones sunt, quæ intelligentijs, & rebus immaterialibus conueniunt, vt esse vnum, verum, bonum, &c. Quare patet, quod passiones corporis sensibilibus provt tales sunt ad Philosophum naturalem solum pertinent, & sic definitio de istis passionibus, quæ materiam, vel corpus sensibile respicit, est magis naturalis, quam quæ per formam datur,

quia

quia forma, & ad considerationem Logicam, & Metaphysicam se extendit.

Tex. 18. *Sed redeundum est vnde incepit sermo, ad declarandum videlicet, quomodo passiones communes animæ, & corporis sint inseparabiles, quod propositum fuit in tex. 15. Dicebamus autem, quod passiones animæ non sunt separabiles à naturali materia animalium, inquantum tales sunt, videlicet prout sunt naturales, & modo naturali considerantur, hæ autem sunt ira, timor, & aliæ enumeratæ superius, modò addimus, quod non sunt separabiles, neque realiter, (& per hoc differunt à passionibus rerum immaterialium) neque secundum considerationem, (& per hoc differunt à Mathematicis) non enim naturales passiones considerantur, sicut linea, vel superficies, quæ res Mathematicæ sunt, hæc namque, & si in corpore sensibili sint, sine ipso tamen considerantur, ab alijs vero artibus, & considerationibus modo superius dicto, differunt.*

Passiones animæ nullatenus sūt separabiles quomodo verum.

SVMMA SECVNDA.

Antiquorum opiniones circa essentiam Animæ.

Tex. 19. *INtendentes autem de anima agere, necesse est simul dubitantes, ac discurrentes de ijs, quibus per doctrinam abundare oportet comprehendere opiniones Antiquorum, eorum scilicet qui aliquid de ipsa anima enuntiauerunt, vt bene quidem dicta accipiamus; si autem aliquid non bene, hoc euitemus. Principium autem quæstionis erit præponere ea, quæ maximè ipsi animæ videntur inesse secundum suam naturam, atque etiam secundum communem Philosophorum opinionem. Animatum igitur ab inanimato, in duobus maxime videtur differre, (differentia videlicet à posteriori, ac nobis notissima) motu, & sensu, (motu scilicet interno, qui est ad opposita loca, & in potestate mouentis, nam simplici motu omnia naturalia corpora sunt apta moueri, et sensu hoc, vel illo, loquendo etiam de animatis anima sensitiua; nam plantæ, nec tali motu, nec sensu præditæ sunt, & fortè Antiqui, ad mentem quorum præcipuè hæc ponuntur, eas inanimatas ponebant.) Accepimus autem à progenitoribus ferè hæc duo de anima, tanquam sint omnibus ab vtero materno nota. Ad opiniones igitur accedamus.*

Tex. 20. *Dicunt igitur quidam, & maximè, & primò, Animam esse id quod mouet: at quia existimabant, nihil posse aliud mouere, nisi ipsum quoque mouens moueatur, ideo sic arbitrati sunt animam aliquid esse, videlicet, quod moueat, & moueatur simul. Vnde Democritus quidem, ignem quendam, & calorem dicit esse ipsam, ponit namque infinita esse principia rerum naturalium, quæ quidem sint atomi, & figuræ infinitæ, vt infinitas res differentes efficere possint, ita tamen quod atomi existentes figuræ rotundę efficiant, seu componant ignem, & animam; hę autem atomi assimilantur ijs, quæ in aere videntur, & vocantur ramenta, maximèque conspiciuntur in radijs solaribus, qui ingrediuntur per fenestras, quarum atomorum omni seminarium, seu concursum, ac simul vnionē Democritus dicit esse elementa, vel principia materialia omnium rerum naturalium. Et idem similiter asserit Leucippus. Horum autem corpusculorum, (vt dictum est) ea, quæ sphærica sunt, animam, & ignem esse aiunt, seu potius ex eis animam componi, eo quod huiusmodi sphæricæ figuræ maximè (vt aiunt) possunt penetrare per totum, et reliqua mouere, cum ipsæ quoque moueantur; quare arbitrantes animam esse id, quod dat motum animalibus, & mouetur etiam mouendo, figuram, quam motui accommodatissimam putabant, videlicet sphæricā, ex talibus atomis constitutam sibi tribuerunt.*

Democritus.

Leucippus.

Tex. 21. *Ex quibus inferebatur, quod terminus viuendi sit respiratio, sic videlicet, quod tam diu animalia viuant, quam diu respirare possunt: hanc autem respirationem fieri inquiunt per egressum, & ingressum talium atomorum existentium in aere. Vnde cum corpus continens, nempe aer constringit corpra animalium ab ipso contenta, extrudit, seu foras expellit figuras, & atomos illas, quæ motum animalibus tribuunt (prout ipsæ ex se ratione sphæricæ figuræ nunquam quiescere possunt, sed semper mouentur.) Istis autem egressis figuris, fit auxilium in vita animalium deforis, ita vt aliæ atomi ingrediantur, dum animalia ipsa respirant, & sic suppletur defectus egredientium, & vita conseruatur; hæ enim ingredientes prohibere (dicunt) ne segregentur aliæ omnes, quæ sunt in animalibus, ac simul prohibent comprimens, & constringens, hoc est prohibent, ne corpus circundans comprimat, & constringat animal, sic quod moriatur, & animalia ipsa viuere dicunt, quam diu hoc faciunt. Si igitur vita animalis conseruatur per respirationem; hęc autem non fit, nisi per susceptionem aeris, qui est atomis plenus, ipsæ athomi sunt causa vitæ, & sic sunt anima.*

Tex. 22. *Videtur autem id, quod à Pythagoreis de anima dictum fuit, habere eandem sententiam cum ijs, quæ diximus de mente Democriti, & Leucippi. Dixerunt enim quidam ipsorum, animam esse ea ramenta, quæ sunt in aere. Alij autem non hæc, sed quod mouet ipsa ramenta: credebant etenim isti, quod ipsa ramenta ab alio mouerentur. In hoc tamen conueniunt omnes, quod anima sit id, quod maximè habet rationem motiui, & mobilis, imò sola hac ratione eam atomos esse existimauerunt. Quare in eandem feruntur, quicunque dicunt animam esse, quod se ipsum mouet, quia non differunt nisi in hoc, quod non peculiariter assignant principium motiuum, sicut faciunt hi, qui atomos constituunt. Videntur igitur hi omnes existimasse, motum maximè proprium esse animæ, & alia quidem omnia moueri propter ipsam (sic videlicet, quod corpora animatorum solum ab anima moueantur, & non alio modo naturali, vt ab elemento prædominante; vel omnia simpliciter comprehendendo, ab anima cæli mouerentur, & sic animalia à propria anima, alia vero ab anima Mundi, vt asserebat Plato, cuius est hæc positio, quod anima sit se ipsam mouens) ipsam autem moueri à seipsa; propterea quod nihil ipsis videbatur mouens aliud, quod & ipsum etiam non moueatur.*

Pythagoreis.

Plato.

Tex. 23. *Similiter autem Anaxagoras, animam dicit esse mouentem, & si quis alius dixit, quod intellectus quidam diuinus totum mouit, seu mundum ex Chao segregauit, vt dicit ipse Anaxagoras. Non tamen penitus loquitur Anaxagoras de hoc, sicut Democritus. Democritus namq; simpliciter dicit, idem esse animam, & intellectum; hoc est sensum, & intellectum, quod probabat; nam idem est vtriusque obiectum, quia obiectum intellectus est verum, obiectum autem sensus est, quod apparet verum, & ipse credebat, omne quod apparet verum, esse verum, & sic idem esse verum, & apparens verum, ac per consequens,*

Anaxagoras.

idem

idem esse obiectum sensus, & intellectus. Vnde ad id confirmandum, ait, bene fecisse Homerum, dicens, quod Hector iacet aliud sapiens, qui tamen volebat dicere, aliud sentiens, seu nihil sentiens, sed sensu priuatus, & sic priuatione operationis sensitiuæ, posuit intellectiuam, cuius est sapientia, quasi sensus & intellectus sint idem. Non itaque ipse Democritus vtitur intellectu, tanquam potentia quadam, quæ versatur circa veritatem, & sit à sensu distincta, sed idem dicit esse animam sensitiuam, & intellectum.

Tex. 24. *Anaxagoras autem minus explanat de sensu, & intellectu, imò sæpe sibimet contradicit: multis enim in locis asserit, intellectum esse causam boni, & recti, hoc est virtutis, & sapientiæ; alibi autem dicit, intellectum ipsum esse animam sensitiuam, ita vt insit in omnibus animalibus, & magnis, & paruis, & honorabilibus, & inhonorabilioribus, & sic patet contradictio. Non autem videtur, quod intellectus dictus secundum prudentiam, (hoc est, secundum perfectum vsum, & habitum) insit similiter omnibus animalibus, imò nec omnibus hominibus, ergo non est anima sensitiua, quia hæc omnibus animalibus inest; ipse vero ponebat, intellectum semper esse cum actuali prudentia.*

Tex. 25. *Quicunque igitur aspexerunt animata in ordine ad ipsum moueri, nimirum, quia à se ipsis mouentur, hi maximè opinati sunt, animam esse principium motiuum. Quicunque autem considerauerunt ipsa animalia in ordine ad cognoscere, & sentire ea, quæ sunt, isti dicunt animam esse principia rerum, quæ cognoscuntur, quia affirmabant simile cognosci per simile, vt terram, per terram, &c. quare proportionaliter secundum numerum principiorum rerum, de anima dicuntur: nam quidam plura ponunt hæc principia; alij autem vnum, & sic animam plura, vel vnum esse principium asserebant (vel fortè melius ex vno, vel pluribus constare principijs rerum naturalium.) Quare sicut Empedocles ex quatuor elementis omnia constare ait, sic dicit animam similiter vnumquodque istorum esse, vt omnia ipsa elementa, & ex elementis constituta cognoscere possit, sic dicens. Terra quidem terram cognoscimus, aqua autem aquam; Æthere, seu cælo (ipsum enim cælum ex elementis constitutum asserebat) æthera Diuum, sed igne ignem manifestum videmus. Concordia autem concordia; discordiam vero discordia tristi; non enim quatuor tantummodo elementa principia ponebat, sed etiam discordiam, & concordiam, seu litem, & amicitiam, sed elementa, vt materiam, hæc verò vt effectiua, sed aliquomodo remanere in ipsis elementis, vt vnita retineant, vel ad corruptionem exeitent, & sic sunt principia cognoscendi sibi similia.*

Tex. 26. *Eodem autem modo Plato in Timæo animam facit ex elementis, assertque simile per simile cognosci; res autem omnes ex principijs, seu elementis esse, ideo per illa cognosci existimabat, non tamen hæc elementa à Platone posita sunt eiusdem naturæ cum ijs, quæ ponuntur ab Empedocle, sed elementa Platonis sunt vnum, & multa, nempe Idea, & vnitates. Similiter autem, & in ijs, quæ de Philosophia, seu Metaphysica à Platone dicuntur, determinatum est, quod ipsum quidem animal, seu anima (idem enim sunt secundum Platonem anima, & animal, quia esse rei secundum ipsum in sola forma consistit, & sic esse animalis est anima) constat ex idea vnius, & ex prima longitudine, & latitudine, & altitudine: alia autem simili modo. Pro intelligentia cuius opinionis est notandum, quod Plato ponebat principia materialia rerum esse vnitates (quas quoque Ideas æquiuoce vocabat, prout sunt principia numeri) nec non Ideam esse principium formale omnium rerum compositarum; formas vero, & numeros ideas appellabat, quia sicut numeri continent res numeratas, ita formæ continent materiam, ac etiam ipsæ formæ sunt inæquales sicut numeri; sunt igitur vnitates, vt materia; numeri vero formalitas, vt quinarius, ternarius, &c. vt forma rerum, alia igitur ratione vnitatem vocabat Ideam, alia vero numerum, quia vnitatem sic vocabat, per quandam similitudine, prout videlicet numerus ab ipsa dependet, sed ipsum numerum magis propriè vocabat, quia rationem veræ formæ, quæ est propria Ideæ sibi tribuebat. Notandum est etiam, quod numeros interdum describit per quantitatem continuam, vt per lineam intelligit numerum binarium, prout duobus punctis terminatur, per latitudinem ternarium, quia prima figura plana non circularis est triangulus, per altitudinem designat primum numerum quaternarium, quia corpus, quod ex prima figura fit, est ex quatuor angulis. Ex quibus patet, quod dicit scilicet animam constare ex idea vnius, & ex prima longitudine, seu numero binario, ex latitudine, seu ternario, & ex altitudine, seu quaternario, & sic de alijs numeris, & sic cum ex omnibus numeris constet, omnia cognoscere potest, cum cætera quoque ex numeris composita sint, & simile simili cognoscatur.*

Adhuc autem aliter cognitio animę numeris proportionatur secundum eundem Platonem, nam cognitio intellectus repræsentat vnum, seu vnitatem, quia sicut vnitas est simplex, ita prima intellectus cognitio sine discursu simplex est, & vocatur cognitio principiorum, & nomine proprio, dicitur etiam intellectus. Ipsa autem duo, seu numerus binarius repræsentat scientiam, & ab ipsa repræsentatur, nam scientia rerum ex duobus pendet, videlicet ex præmissis, seu medio, & conclusione; quod enim vnicè dicitur, seu simpliciter, vt intellectus ad vnum referri debet; scientia vero (vt diximus) ad duo; numerum autem plani, seu numerum ternarium, conueniens est, repræsentari ab opinione, quæ in tribus consistit, scilicet in veritate, falsitate, & medio: sensus vero, rationabile est, vt repræsentetur ab eo numero, qui solidi est, seu à numero quaternario, quia sensus cognoscit res sensibiles, & materiales, ac corporeas, quibus inest primò numerus, vel figura quadrangularis, & sic patet quomodo anima ex numeris constet, & quomodo proportionaliter res omnes cognoscit; numeri enim sunt ipsæ formæ rerum, & principia entium: sunt autem, vt dictum est, numeri ipsi ex elementis, seu vnitatibus. Iudicantur autem res, aliæ quidem intellectu, aliæ verò scientia, aliæ autem opinione, aliæ vero sensu; formæ autem rerum sunt hi numeri; quare cum hi quoque sint in anima, & simile simili cognoscatur, omnia cognoscit anima, quia ex omnibus numeris constat. Tex. 27.

Quoniam autem quibusdam videbatur, quod anima sit principium motiuum, & cognoscitiuum simul, sic complexi sunt natura, animæ ex vtrisque enunciantes eam esse, vnde ipsam definierunt, esse numerum se ipsum mouentem, ratione etenim numeri insinuare voluerunt, eam ex omnibus numeris constare, vt omnia cognoscere possit, & similiter cætera esse ex numeris; ratione motus, quia animal ab ipsa moueri perspiciebant; quæ opinio, & Platoni, & Xenocriti tribuitur. Differunt autem Antiqui philosophi inter se de principijs rerum, (vnde etiam differre debent circa animam, ex quibus, vel quot constet, si proportionari debet rebus, vt eas cognoscat) quæ, & quot Tex. 28. Anima est numerus se ipsum mouens.

sunt; maximè autem differunt ij, qui corporea faciunt hæc principia ab ijs, qui ponunt ipsa incorporea (corporea ponunt, ponentes elementa, incorporea, ponentes vnitates, vel numeros); hi igitur qui incorporea faciunt, differunt ab ijs, qui ipsa principia miscent ex corporeis, & incorporeis (vt est Empedocles, qui corporea posuit quatuor elementa, incorporea, litem, & amicitiam) & ab vtrisque principia diuersa enunciant, scilicet tam à ponentibus ea corporea, quam à ponentibus mista. Differunt etiam, & circa multitudinem: hi enim vnum: illi vero plura principia dicunt, vt in 1. Phys. visum est.

Tex. 29. Consequenter ad hæc animam assignant, nimirum, quod sicut diuersimodè principia rerum ponunt, ita sit anima ijs proportionalis, ac principium, vel principia ipsam esse putabant, vel ex ipsis constare. Quod enim secundum naturam est aliorum motiuum, existimauerunt esse de numero primorum principiorum, & hoc non irrationabiliter, (si intelligant in ratione principij effectiui, licet errent ponendo ipsam principium materiale). Vnde quibusdam visum est eam ignem esse; etenim hic partium subtilissimus est, & inter elementa maximè incorporeus, seu minus crassus. Adhuc autem ipse ignis mouetur, & mouet alia primò, seu statim dum mouetur: nam aerem trahit, multaque calefacit.

Tex. 30. Democr. Democritus autem elegantius dixit, enuncians propter quid ipsa anima sit vtrumque horum, scilicet, & motiuum, & cognoscitiuum principium. Ait enim animam sensitiuam, & intellectiuam esse idem, vt supra dictum est: Istud autem (nempe animam) esse ex primis, & indiuisibilibus corporibus, seu atomis, & hac ratione omnia cognoscere, quia alia etiam ex his sunt. Motiuum autem principium esse propter subtilitatem, & figuram partium talium atomorum. Figurarum autem facilè mobilissimam sphæricam esse ait, & eiusmodi sphæricis atomis constare animam, & ignem.

Tex. 31. Anaxag. Anaxagoras autem videtur quidem dicere, aliud esse animam, aliud intellectum, sicut diximus prius; tamen vtrisque vtitur, ac si esset vna natura, vnde sibimet contradicit, & varijs contradictionibus adhærendo, diuersa enunciat. Nam intellectum ponit esse principium omnium; solum enim dicit, ipsum esse immistum, simplicem, & purum inter ea, quæ sunt, & sic, quid diuinum ipsum constituit, & ab anima sensitiua diuersum: cui principio duas quoque assignat potentias, nempe cognoscitiuam, & motiuam, dicens, intellectum mouisse omnia, cum scilicet ex chao omnia (secundum ipsum) segregauit; cuius oppositum superius dixit, dum ab anima sensitiua ipsum non distinxit.

Tex. 32. Thales. Videtur autem & Thales, qui fuit vnus ex septem sapientibus, ex ijs dictis, quæ de ipso commemorant, opinari animam esse aliquid motiuum: nam dixit lapidem, qui magnes vocatur, mouere, seu trahere ad se ferrum, quia animam habet. Diogen. Diogenes autem, sicut & alij quidam, opinatus est, animam esse aerem; quia credidit, quod ipse sit subtilissimarum partium, & principium omnium rerum, & propter hoc cognoscere, & mouere animam, secundum videlicet, quod ipse aer primum principium est, & anima est aer, vel aerea, & hoc reliqua cognoscere, (nam simile simili cognoscitur, vel ratione eius, vel ratione principiorum, sic opinati sunt Antiqui) secundum verò, quod ipse aer est corpus subtilissimum, est motiuum, & sic anima quoque motiua est. Heracli. Heraclitus autem, animam ipsam principium esse dicit, motiuum, & cognoscitiuum; siquidem vaporem quendam constituit principium, ex quo alia componit, ac ipsum incorporeum esse affirmat, & semper fluentem; & quia ponebat omnia semper moueri, sicut multi alij, & simile simili cognosci, ideo inferebat, id quod mouetur cognosci ab eo, quod mouetur, ac per consequens animam & moueri, & mouere, & cognoscere arbitrabatur. Similiter autem his, & Alcmæon opinari videtur de Anima. Alcmæon. Dicit enim ipsam immortalem esse, propterea quod assimilatur immortalibus, hoc autem (nempe immortalitatem) inesse ipsi, tanquam semper mota sit, ad similitudinem immortalium corporum; moueri autem asserit diuina omnia corpora continuè, & semper, scilicet Lunam, Solem, astra, & totum cælum, & sic similiter dicit cum alijs, in hoc, quod ipsa anima est similis rebus, ex quibus constat, & per eas, ipsas cognoscit. Magis autem onerosum quoddam de ipsa opinatus est Hippo, & sequaces, hi Hippo. enim aquam ipsam existimauerunt, qui videntur suasi fuisse ad hoc, ex genitura, seu semine, quod est inter omnia humidum, atque animalis principium: vnde redarguit eos, qui dicebant animam esse sanguinem, quoniam genitura, seu semen non est sanguis, & ipse sanguis est post semen, anima autem non potest esse post semen, sed prima in constitutione animalis, (hæc autem opinio dicitur onerosa, quia anima debet esse quid perfectum actuans, & complens, humidum autem omnes oppositas habet conditiones). Alij autem posuerunt ipsam animam esse sanguinem, quemadmodum Critias, &c. hi enim opinabantur, Critias. ipsum sentire esse proprium animæ, hoc autem inesse animalibus propter naturam sanguinis, & sic sanguinem animam esse putauerunt: omnia igitur elementa iudicem suum, seu assertorem acceperunt ad constitutionem animę, præter terram; itaut quidam dixerunt, eam esse ignem, alij aerem, alij aquam, terram autem nullus protulit, nisi aliquis dixerit, animam ipsam ex omnibus elementis esse, aut omnia ex elementis constare, ipsam quoque animam compræhendendo, sed quod solum ex terra constet, nemo affirmauit.

Definiunt autem omnes animam, tribus, vt ita dixerim, Tex. 33. Anima definitus tribus ab Antiquis. scilicet motu, sensu, & incorporeo, seu subtilitate; horum autem vnumquodque reducitur ad principia, scilicet, vel mouendi, vel cognoscendi, nam motus, & incorporeum mouendi principia sunt, sensus verò cognoscendi. Vnde qui definiunt ipsam per ipsum cognoscere, faciunt eam, aut elementum, aut ex elementis, dicentes similiter inuicem, quod simile simili cognoscitur, præter vnum, nempe Anaxagoram, qui & compositionem, & hunc modum cognoscendi ab anima negauit.

Quicunque igitur vnam aliquam dicunt esse causam, & Tex. 34. vnum elementum omnium, similiter animam vnum elementum, vel ex vno esse, ponunt, vt ex igne, aut aere: qui verò plura dicunt principia, & animam plura, vel ex pluribus assignant. Anaxagoras autem solus, impassibilem esse dicit intellectum, & nihil commune vlli aliorum habere. Huiusmodi autem cum sit, quomodo cognoscit, & propter quam causam, neque ille dixit, neque ex ijs, quæ dicta sunt ab ipso, conspicuum est.

Quicunq; autem contrarietates faciunt in principijs re- Tex. 35. rum, etiam animam ex contrarijs constituunt. Qui autem vnum contrariorum solum pro principio constituunt, vt calidum, aut frigidum, aut aliquid huiusmodi aliud, animam similiter vnum aliquod horum esse ponunt. Vnde, & nomina talibus principijs proportionata consequuntur, vt qui quidem calidum dicunt, esse principium rerum, & animæ, vocant ipsam animam propterhoc τοζῆν, quod viuere,

seu

seu vigere calore nominatum est: Qui autem frigidum propter respirationem, & refrigerationem, uocant ipsam animam ψυχὴν, quod est refrigeratio. Quæ igitur de anima ab Antiquis tradita sunt, & propter quas causas dicunt sic, hæc sunt.

SVMMA TERTIA.

Confutantur Antiquorum opioniones circa Animam.

CAPVT I.

Reijciuntur opiniones asserentium, Animam moueri.

Tex. 36. *CONsiderandum autem est primum quidem de Motu. Fortassis autem non solum falsum est, substantiam ipsius Animæ huiusmodi esse, vt sit mobilis, qualem aiunt dicentes, animam esse principium se ipsum mouens, aut potens mouere, sed vnum quidem impossibilium est, quod ipsi motus insit. Quod igitur omne mouens non necesse sit ipsum moueri (vt credunt) prius dictum est in 7. & 8. phys.; quare etiam errant asserendo, ipsam animam eo, quod mouet, moueri.*

Tex. 37. Moueri dupliciter. *Dupliciter enim mouetur omne, videlicet, vel secundum alterum, aut secundum se ipsum. Secundum alterum autem dicimus, quæcunq; mouentur, prout sunt in eo, quod mouetur, vt manens in naui mouetur ad motũ ipsius: non enim similiter mouetur cum naui; hæc enim secundum se ipsam mouetur; illud autem, prout est in ipsa mota. Quod autem id, quod in naui existit, & quiescit mota tamen naui, non moueatur secundum se, manifestum est in partibus, proprius enim motus eius est (si sit animal pedestre) ambulatio, hæc autem animalium est, sed cum sunt nautæ in naui licet moueantur motu nauis, tamen tunc eis non inest motus pedum, ergo non per se mouentur.*

Tex. 38. *Cum igitur itaque dupliciter dicatur ipsum moueri, scilicet per se, & per accidens, nunc primò intendamus de anima, si per se moueatur, vel motu participet, posterius examinabimus, an moueatur per accidens. Quatuor autem motus cum sint (dimissa generatione, & corruptione, quæ mutationes dicuntur) latio, alteratio, augmentum, & decrementum; si anima per se mouetur, aut secundum vnum horum mouebitur, aut secundum plures, aut secundum omnes. At si mouetur non secundum accidens, ipsi animæ inerit motus secundum naturam, si autem hoc erit, ei conueniet locus, quia omnes dicti motus in loco sunt, seu aliquomodo locum supponunt; de latione est clarum, de augmentatione, & diminutione, etiam manifestum est, cum respiciant maiorem, & minorem locum, vt in libris de generatione dictum est; alteratio autem, quando per se in aliquod est, præsupponit, quod ipsum sit quantum; nam omnis actio naturalis est in quantum, quod autem quantum est, in loco est, anima autem non est in loco, quia cum sit forma habet modum proprium essendi in, videlicet in materia, qui est modus diuersus ab esse in loco.*

Tex. 39. *Si autem est de substantia, seu natura animæ mouere se ipsam; ei non inerit moueri secundum accidens; eo modo, quo secundum accidens inest moueri albo, vel tricubito; hæc enim mouentur quidem, sed secundum accidens, quia mouetur illud corpus cui in sunt; vnde non est locus ipsorum (quæ enim per accidens mouentur, non sunt per se in loco) Animæ autem locus erit, si quidem non per accidens, sed ex sua natura, & per se motu participat; sed impossibile est locum habere, ergo.*

Amplius autem, si naturaliter mouetur, & violenter mouebitur, & si violenter, & naturaliter (supponendo cum ipsis Antiquis, eam esse elementum, vel elementa, vel ex elemento, vel elementis, aliter ratio non valeret, nam Cælum mouetur naturaliter, nec tamen violenter moueri potest) Eodem autem modo se habet de quiete; in quod enim aliquid mouetur naturaliter, in hoc naturaliter quiescit, vt lapis naturaliter mouetur deorsum, & ibi naturaliter quiescit. In quod autem mouetur violenter, etiam in hoc violenter quiescit, vt lapis sursum, quare sic quoque de anima dicendum est. At quales violenti motus animæ erunt, & quietes? neque fingere volentibus facilè est eos assignare. Amplius autem, si quidem sursum naturaliter mouebitur, aut ignis, aut aer erit, aut ex his composita; si vero deorsum, erit terra, vel aqua, vel ex his, nam hi motus sunt horum corporum, ergo anima non erit numerus, vt quidam ipsorum dicunt. Tex. 40.

Præterea; quoniam videtur animam mouere corpus, rationabile est, quod ipsum corpus moueat ijs motibus, quibus ipsa mouetur. Si autem hoc est, & è conuersò dicere possumus, scilicet, quod secundum eum motum, quo corpus mouetur, ipsa quoque moueatur (saltem ratione quadam generica, sic, quod si corpus mouetur localiter, & immediatè, & anima, quoque; atque è contra; de motu autem specifico, hoc non est necesse, quia anima potest esse impellens, vel trahens, vel vehens, corpus autem non sic, sed impulsum, vel tractum, vel vectum, quæ causa exempli accipiantur) Corpus autem mouetur secundum lationem, seu motum localem, quare, & anima mouebitur sicut corpus, aut tota de loco ad locum translata, aut secundum partem, sic quod transeat de vna parte corporis ad aliam. Si autem hoc est, continget, quod è corpore egressa posset iterum in ipsum ingredi (maximè secũdum eos, qui ponunt anima, à corpore nullam habere dependentiam, sed ei assistere, vt nauta naui) hoc autem posito, sequetur, vt animalia mortua naturaliter resurgant; quia anima ipsorum poßet in illa corpora iterum ingredi. Tex. 41.

Amplius; si anima secundum se, & à se mouetur, nullo alio supposito mouente, non poßet moueri secundum accidens, quia, quod sic mouetur, ab alio mouetur. Attamen secundum veritatem motu secundum accidens, ab alio ipsa mouetur, quia animal potest violenter pelli, ad cuius pulsionem per accidens anima quoque mouetur. Non oportet autem (vt etiam ad maiorem claritatem dictum est) vt id, cui inest ex propria substantia, & natura à se ipso moueri, quod ab alio moueri possit, neque secundum accidens. Sicut, quod est bonum secundum se, hoc non potest esse bonum secundum aliud, neque quod propter seipsum bonum est, erit bonum gratia alterius, vel propter aliud, sic quod à se totaliter mouetur, ab alio moueri non potest neque per se, neque per accidens, vt fusè in 8. phys. probatum est. Tex. 42.

At dicet aliquis, animam maximè vtique à sensibilibus moueri, si mouetur; quare ab alio moueri potest, etiam si per se moueatur. Sed hoc nihil valet, quia hic est motus quidam metaphoricus, qui fit per appetitum, prout obiectum sensibile appræhenditur, ut conueniens, Tex. 43.

vel disconueniens ad prosecutionem, vel fugam, nos autem loquimur de motu locali propriè dicto. At vero si mouet ipsa seipsam secundum se, & ipsa vtique ab alio quoq; mouebitur sic; quod superius improbatum est. Prӕterea, omnis motus est remotio eius quod mouetur, secundum quod mouetur, vt motus localis est remotio mobilis à loco, augmentationis à quantitate imperfecta, diminutionis à perfecta, alterationis ab aliqua qualitate, generationis, & corruptionis à substantia perfecta, vel à non substantia, ergo si anima est essentialiter motus, vt quidam dicunt, dum moueretur; recederet à sua substantia, probatur clarius hӕc consequentia, nam mobile per motum remouetur, sed anima est essentialiter motus, & sic, dum mouetur, motus ipse per motum recederet, & hic motus est substantia animӕ, ergo eius substantia à se ipsa recederet; nisi dicatur quod moueatur tantum secundum accidens, & tunc motus non erit ipsius animӕ substantiӕ per se, vt dicebant.

Tex.44. Quidam autem dicunt, quod anima moueat corpus; in quo ipsa est, sicut ipsa mouetur, vt inquit Democritus, similiter dicens Philippo comœdiarum magistro. Refert enim ipse Philippus, Dedalum fecisse ligneam Venerem mobilem, eo quod intra ipsam infudit argentum fusile, seu viuum, quod cum mouebatur, etiam statuam illam mouebat. Similiter autem Democritus dicit de anima. Inquit enim, quod motӕ sphӕrӕ, seu corpuscula rotunda indiuisibilia, ex quibus anima constat, & quӕ numquam apta sunt vsquam manere ratione talis figurӕ, contrahunt, ac secum mouent totum corpus. Nos autem eum interrogabimus, si hӕc eadem faciant animal, & corpus quiescere: quomodo autem faciant hoc, difficilè est, aut etiam impossibile dicere; quare asserendum est, aut animal numquam quiescere posse, quod est absurdum, aut si quiescat, vt verum est, animam non semper moueri, nec secum trahere, vel mouere corpus, vt ipse dicit. Prӕterea. Omnino non sic videntur, quod anima moueat animal. Sed per electionem quandam, & intellectionem, hoc est non necessario sic, quod semper moueatur ab anima necessariò mota, vt ipse somniabat, sed quando sibi placet.

Dedalus, Democr,

Tex.45, Plato. Eodem autem modo, & Timӕus inductus à Platone in suis dialogis, vt loquatur, ostendit, quod anima naturaliter moueat corpus; eo enim, quod mouetur ipsa, & corpus quoque mouere putat, propterea, quod connexa est ad ipsum corpus. Quӕ quidem anima, vt omnia cognosceret, secundum varios rerum ordines, & gradus eam compositam posuit, loquendo praeipuè de anima cӕli; res autem omnes numeros esse, vel in numero consistere affirmabat, & numeros ipsos elementa quoque vocabat, eo modo, quo expositum fuit supra in textu 26. ait igitur, ipsam animam constitutam esse ex elementis, vel numeris, & dispartitam esse, seu distinctam in suas potentias, secundum numeros harmonicos, quatenus habet potentias sibi connaturales correspondentes, sed proportionatas harmoniӕ, ita vt, sicut sex sunt species consonantiӕ Musicӕ, nempe Diapente, Diatesseron, Diapason, Bisdiapason, Diapason diapente, & Diapason diatesseron, ita sint sex eius principales potentiӕ, seu habitus, videlicet, intellectus, sapientia, scientia, prudentia, voluntas, & memoria, & vt totum ipsum ex anima, & cӕlesti corpore constitutum feratur lationibus sibi consonantibus, seu conuenientibus, rectitudinem in circulum flexit, hoc est axem, quӕ intelligitur ducta de polo ad polum, considerauit flexam in modum circuli, & eum circulum diuidendo fecit ex vno circulo duos adinuicem dupliciter connexos, idest ratione immediationis, & ratione influentiӕ, quia primus influit in alium, quorum vnum prӕcipuè consideraunt, videlicet primum mobile, & iterum vnum alium in septem particulares diuisit, qui sunt septem sphӕrӕ inferiores, seu septem orbes planetarum; putauit igitur animam cӕli ex numeris, & consonantijs esse, ideo omnia cognoscere, cum omnia quoque ex numeris constent, & simile simili cognoscatur, ac ipsam moueri pluribus motibus, nempe motu primi mobilis, & motu septem aliorum planetarum, quibus motibus ipsos cӕlos moueri asserebat, nam prӕcipuè anima mouetur, & secundariò hӕc corpora prout huic animӕ sunt coniuncta, tanquam diuersa membra, quӕ vnum integrum corpus efficiunt; sic igitur dicebat; tanquam motus cӕlestes essent motus ipsius animӕ, & per consequens ei dicendum erat, quod anima sit corpus, vel magnitudo, cum solum corpus per se moueatur; hoc autem falsum esse ostendemus.

Sex consonantiӕ, Vel proportiones Musicӕ.

Primum igitur non bene est dicere, animam esse magnitudinem. Nam ipse vult quod ea anima, quӕ vniuersi est, sit talis, qualis dicitur esse intellectus, nempe spiritualis, ac per consequens magnitudine carens; non enim vult, quod sit qualis est anima sensitiua, nempe brutorum, neque qualis est desideratiua, scilicet hominum; quia vt ipse quoque dicit, motus istarum non est circularis, sed tantum motus intellectus prӕdicti, seu animӕ cӕlestis; quare cum secundum ipsum sit purè intellectus, nec organa, vel sensum habeat, vt aliӕ, nec per consequens naturalem insitam magnitudinem, in contradictionem incidit. Tex.46.

Prӕterea. Intellectus non est aliomodo continuus, & vnus, quam sit intellectio, (hoc est non habet aliam continuitatem correspondentem rebus, nisi eam quam accipit ab intellectione, quӕ res continuas sibi representat) nam intellectiones ipsӕ sunt notiones, seu cognitiones intellectus, hӕ autem notiones non habent inter se continuitatem, ita vt vnam quantitatem continuam efficiant, sed tantum sunt vnum consequenter, quia scilicet vna intellectio sequitur ad aliam, sicut numerus, in quo vna vnitas alteram sequitur, & non sicut magnitudo. Quapropter neque intellectus sic continuus est, sed, aut totaliter impers, seu indiuisibilis, aut si est continuus, non tamen erit sicut aliqua magnitudo, videlicet per quantitatem molis, sed per continuationem operationis, seu intellectionis, quod est esse continuum secundum quid, & metaphoricè. Cum igitur ipse intellectus non habeat magnitudinem, prout magnitudines intelligit, & quӕ de causa ipse Plato sibi eam tribuebat, sequitur simpliciter, nullam prorsus magnitudinem habere. Prӕterea asserit idem Plato, Intellectum huius intelligere res omnes per contactum, quia videlicet eas tangit, & ideo circulariter mouetur, vt scilicet eas per partes tangere possit. Sed contra. Qualiter enim intelliget ipse intellectus res ipsas, cum in qualibet parte sui sit magnitudo? Si enim dicat, quod non secundum totam simul magnitudinem intelligit; tunc quӕro, aut intelligit secundum magnitudinem partis, aut secundum punctum aliquod, si oportet, & hoc partem dicere. Sed neutro modo esse potest, ergo nullatenus tangit, nec intelligit. Quod neutro modo, probatur. Si tangat secundum punctum ita, vt tunc compleatur tactus, & intellectio rei quando per omnia puncta ipsa res tacta fuerit, nihil intelligeretur; quia hӕc puncta sunt infinita, Tex.47.

finita, vnde tactus talis rei intelligibilis numquam finietur, vel pertransibitur. Idem dicatur si fiat intellectio per contactum omnium partium, nam istæ quoque sunt infinitę in quolibet continuo. Si autem dicatur, quod secundum magnitudinem sigillatim cuiusque partis sit intellectio completa rei, omnes tamen eam tangere debent, tunc sequitur, quod sæpe, aut infinities ipse intellectus intelliget rem eandem, quod est absurdum, nam videtur, (seu clarum est) quod contingit semel vnam rem intelligere. Si autem ad perfectam intellectionem sufficiat tangere secundum quamlibet partem; ita vt per contactū istius, vel alterius partis fiat intellectio, nec necessarium sit, quod aliæ partes tangant; quid oportet circulariter moueri? aut habere magnitudinem omnino? tangit enim ex parte qua intelligit, seu secundum virtutem intellectiuam, quæ non consistit in magnitudine, vel si aliæ partes non sunt ad intelligendum necessariæ, neque ista, quæ ponitur tangens, necessaria erit; quia non videtur maior ratio de vna, quam de alia; quare sine omni parte, & magnitudine esse poterit.

Tex. 48. Si autem dicatur, quod necessarium sit, ipsum intellectum intelligere tangentem secundum totum suum circulum magnitudinis, nullo habito respectu ad tactum partium; hoc est impossibile; quis enim est tactus partium? at si istarum tactus non erit; neque erit tactus totius, qui à partibus pendet. Amplius, quomodocunque ponatur intellectus, siue diuisibilis, & quantus, siue indiuisibilis, & non quantus, non poterit per tactum intelligere; quomodo enim si partibilis sit intelliget tangendo rem indiuisibilem? aut si sit impers, vel indiuisibilis intelliget diuisibiles res? nullo modo quidem; quare non per tactum intelligit, cum natus sit intelligere res diuisibiles, & indiuisibiles. Amplius si intellectio fieret per motum circularem, tunc intellectus ipse necessariò esset hic circulus, à quo talis intellectio proueniret: nam motus intellectus est intellectio, circuli autem circumlatio, ergo si intellectio est circumlatio, seu motus circuli, intellectus erit circulus, & è conuersò. Sed vtrumque est impossibile, cum enim circumlatio sit perpetua, & termino carens; similiter erit intellectio perpetua, ac semper aliquid intelliget; & intellectus similiter erit in perpetua intellectione: dico autem eiusdem rei, sicut circulus mouetur semper super eosdem terminos; hoc autem est falsum, & absurdum, nam intellectionum actiuarum, seu practicarum sunt termini; omnes enim huiusmodi intellectiones ab aliquo determinato principio procedunt, & causa alterius, seu finis determinati sunt. Speculatiuæ autem similiter terminantur rationibus. Ratio autem omnis, aut definitio est, aut demonstratio. Demonstrationes vero à principio determinato, vel medio sunt, & habent quodammodo finem per syllogismum, terminatum ad conclusionem. Si autem dicatur, quod non terminatur, sed per vnam conclusionem demonstratam potest alia demonstrari; adhuc non habetur intentum, quod videlicet fiat intellectio circularis; quia hæ demonstrationes, quæ iterum alias inferunt, non reflectuntur iterum in principium, sed accipientes medium, & extremitates conuenientes, in rectum procedunt. Circumlatio autem iterum in principio reflectitur. Præterea definitiones omnes, & prædicata essentialia finita sunt, ergo demonstrationes finitæ erunt, nam ipsæ fiunt ex definitionibus, & prædicatis essentialibus. Amplius autem, si eadem circumlatio sæpe fiat, oportebit sæpe intelligere idem, quod falsum est. Adhuc autem, & intellectio assimilatur cuidam quieti, & statui, magis quam motui, vt ipse Plato dicit; eodem autem modo syllogismus, qui fit per quendam statum, & considerationem intellectus, ergo vt intellectio fiat, non debemus ponere, quod intellectus moueatur saltem localiter, vt ipse Plato ponebat.

Ratio omnis, aut est definitio, aut demonstratio.

Cum igitur ex sua natura intellectus Cæli non sit aptus moueri; si moueri ponatur, talis motus erit violentus, & difficilis, maximè cum secum moueat Cælum, secundum quod ipse Plato dicit. At vero neque beatum esse potest, quod non facilem, sed violentum efficit motum, & sic cum motus ipsius non sit de substantia, seu natura eius, erit violentus, vt declaratum est, & per consequens difficilis, & ipse intellectus non erit beatus. Laboriosum autem est esse commistum, seu ligatum corpori alicui, ita vt non possit absolui, & violenter detineatur, & propterea fugiendum; si quidem melius est intellectui non esse cum tali corpore, sic; quemadmodum consuetum est dici, & multis placet. Quare vniuersaliter concludimus, quod si intellectus ipse violenter mouetur, & simul hoc modo Cælum mouet, erit infelix, & miserrimus, quod absurdum est, cum enim sit perfectissimus, eo quod sit ipsius Cæli anima, deberet beatissimus esse. Tex. 49.

Immanifesta est autem causa secundum opinionem Platonis, cur Cælum circulariter mouetur. Neque enim substantia, vel natura animæ se mouendo (vt ipse dicebat) causa est; nam visum est, quod ipsa per se moueri non potest, & per consequens neque cælum mouebit, sed si aliquo modo moueri dicatur, secundum accidens tantum mouetur, hoc est ad motum ipsius Cæli; quod autem secundum accidens mouetur, non est causa per se motus illius, ad motum cuius mouetur; vt albedo, quæ per accidens mouetur localiter ad motum corporis cui inest, non est per se causa motus talis corporis. Neque potest dici, quod corpus ipsum cæleste sit causa sui motus, sed magis deberet dici anima, at cum neque ista esse possit eo modo, quo Plato posuit, & visum est; sequitur immanifestam esse causam, cur moueatur. At vero neque ab ipso Platone dicitur, quod melius, seu causa finalis motus cælestis, & tamen oportebat propter hoc, seu propter finem, vt Deus faceret mouere animam ipsius Cæli circulariter, quia nimirum melius sit ipsi animæ moueri, quam manere, & moueri circulariter, quam aliter. Tex. 50.

Quoniam autem huiusmodi intentio, seu tractatus de motu circulari, est alijs rationibus, seu discursibus magis proprius, quia pertinet ad libros Physicorum, & de Cælo, ideo eum nunc dimittamus. Illud autem inconueniens accidit huic positioni platonicæ, & pluribus alijs, quæ de anima sunt, quod copulant, & ponunt animam in corpore nihil vltra determinantes, propter quam causam, & quomodo corpus animam habeat, qua videlicet proportione, & dispositione. Tex. 51.

Et tamen videtur vtique hoc necessarium esse; propter communionem enim hoc quidem (nempe anima) agit, corpus autem patitur, & anima mouet, ipsum vero mouetur; horum autem, videlicet moueri, & mouere nihil inest adinuicem quibuscunque indifferenter, sed ijs inter quæ est debita proportio. Tex. 52.

Hi autem Philosophi solum conantur dicere, quale quid sit anima: de susceptiuo autem corpore nihil amplius determinant, quomodo scilicet sit dispositum, vel animę proportionatum, tanquam possibile sit, secundum Pythagoricas fabulas, quamlibet animam quodlibet corpus ingredi; similiter itaque dicunt, atque si quis dicat artem efficiendi tecta, vel domos in fistulas ingredi, ita vt ipsæ fistulæ possint esse instrumenta ædificandi, oportet enim quidem artem vti proprijs sibi conuenientibus instrumentis; animam autem Tex. 53.

Pythagorei de animæ informatione.

Nota de forma corporis. autem corpore. Videtur enim vnumquodque corpus propriam habere speciem, & formam, quare sibi propria anima ab alijs distincta conuenıet, & non qualibet indifferenter.

CAPVT II.

Confutatur opinio asserens, Animam harmoniam esse.

Tex. 54. ALia autem quædam opinio tradita est de anima, credibilis quidem multis, & nulla earum, quæ dictæ sunt, inferior; (tamen rationibus, quasi pœnis, in ys sermonibus, qui in communi de anima à nobis fiunt, in dialogo quodam, qui Eudemus dicitur) afflictata fuit. Harmoniam enim quandam dicunt animam esse, etenim harmoniam temperamentum, & compositionem contrariorum esse dicunt, atque corpus animalium ex contrarijs sic temperatis componi, vnde hanc contrariorum temperaturam in animalibus, & harmoniam, & animam esse putauerunt.

Tex. 55. Sed harmonia est ratio, seu proportio quædam commistorum, vt elementorum in composito, aut est compositio, vt partium integralium respectu totius quantitatiui, (omnis enim harmonia dicit quandam proportionem aliquorum diuersorum secundum debitam dispositionem, & ordinem, ita vt hoc modo non tantum ad voces, vel sonos se extendat, sed ad res naturales, & multas alias, & sic tam secundum ipsos Antiquos, quam secundum impugnationem in hoc loco accipi debet) anima autem neutrum horum possibile est esse; quia ipsa nec mistio, nec compositio est, sed forma quædam substantialis, vt videbimus. Amplius mouere non est proprium harmoniæ, sed ipsa vel est effectus motus, (proportio enim resultat ex rebus per motum ordinatim approximatis), vel est motus ipse: animæ autem omnes mouere tribuunt, ergo anima non est harmonia.

Tex. 56. Congruit autem magis dicere harmoniam de Sanitate, & omnino de corporeis virtutibus, sicut sunt pulchritudo, robur, viuacitas, & aliæ, quam de anima: quia re vera tales virtutes in consonantia, & temperie quadam consistunt, non sic autem anima. Quod autem ipsa anima non sit harmonia, adhuc manifestum erit, si quis per harmoniam quandam tentauerit reddere, seu definire animæ passiones, nempe irasci, odire, &c. & opera, vt intelligere, cognoscere, &c. difficile enim erit hæc harmonice coaptare, seu per harmoniam eis aptare definitionem; quia quædam ipsorum potius dissonantiam dicunt, vt patet de ira, odio, tristitia, & alys; quædam simplicem operationem, vt intelligere, speculari: harmonia verò, nec inconsonantia, nec quid simplex esse poterit, ergo anima non est harmonia, consequentia sic deducitur, quia omnis passio, omnisque operatio, ac denique omne accidens per suum definitur subiectum, ergo omnia prædicta similiter per subiectum ipsorum, quod est anima, definiuntur, & sic si anima esset harmonia, in definitione ipsorum, harmonia poneretur, quod visum est, esse falsum, ergo.

Tex. 57. Amplius autem, si dicamus quid sit harmonia, id faciemus respicientes ad duo, idest considerando, & indicãdo, quod duobus dicitur modis, vel in duobus diuersis generibus proportionum reperitur. Prima igitur, & maximè propriè dicitur proportio magnitudinum, seu est, quæ dicit compositionem, & positionem magnitudinum ipsarum, in ys quæ habent motum, cum sic tales magnitudines per motum ipsum, ac dispositionem congruunt, vt nihil eiusdem generis suscipere possint, videlicet, quod nihil careant (suscipitur enim, quod deest) vt cum partes statuæ sic disponuntur in ipsa, vt nihil ad talem statuam necessarium desit. Hinc autem, seu secundo modo dicimus harmoniam esse rationem, vel proportionem eorum, quæ commiscentur, vt proportio elementorum in misto, at neutro modo rationabile vtique est, quod anima sit harmonia; probatur de primo modo. Nam compositio partium corporis multum inuestigabilis existit (hoc est inuestigatur, & cognoscitur esse per multas partes) multæ enim sunt compositiones partium corporis, & multipliciter (Alia enim est compositio ex partibus essentialibus, alia ex integralibus, alia ex similaribus, alia ex dissimilaribus) cuius igitur, & quomodo contingit accipere intellectum, seu animum intellectiuam compositionem esse? similiter autem sensitiuam, aut appetitiuam? proculdubio neque id somniare poterimus.

Similiter autem inconueniens est, secundo modo animam esse proportionem mistionis. Nam mistio elementorum non habet eandem rationem, seu modum compositionis, & misturæ in omnibus partibus misti, nam alia est mistio secundum quam vna pars misti est os, alia secundum quam est caro, vnde multæ, & variæ mistiones in eodem misto sunt. Accidet igitur ipsum animal multas animas habere secundum totum corpus, seu varias per corpus totum diffusas: si quidem omnes partes ipsius animalis sunt ex elementis commistis, & variæ sunt mistiones, atque si ratio commistionis sit quædam harmonia, & anima. Tex. 58.

Postulabit autem hoc vtique aliquis ab Empedocle, qui huius opinionis fuit author; ipse enim dicit, vnamquamque ipsarum animarum esse, seu consistere in ratione, seu proportione, ac harmonia quadam. Vtrum igitur ipsa anima sit proportio, seu harmonia, an præter harmoniam ipsam aliquid aliud existens generatur in membris animalis, & dicitur anima? Si dicit, harmoniam animam esse, iam impugnatum fuit; si vero aliud dicat, insufficienter loquitur, & sibimet contradicit, quia iam anima harmonia non esset, quod asserebat. Amplius autem, vtrum concordia sit causa cuius libet mistionis, an tantum eius, quæ est secundum rationem, seu proportionem, & anima ab ipso vocatur? hoc enim debebat explicare, & non simpliciter dicere, concordiam esse causam mistionis; quare defecit. Et hæc quoque resoluere debebat. Vtrum scilicet amicitia ipsa sit ratio, seu proportio, an aliquid aliud præter rationem? Tex. 59.

Hæc igitur habent huiusmodi dubitationes. Ex alia autem parte videtur præcedens opinio probabilis. Nam si anima est aliud à mistione, cur nam simul cum ipso esse, seu mistura carnis, & aliarum partium animalis tollitur ipsa anima? si enim aliud esset à mistione, posset ipsa mistio tolli, anima remanente, quod cum fieri non possit, signum est, quod à mistione non differt. Ad hæc autem, si quidem vnaquæque partium animalis non habet propriam animam, sicut habet propriam mistionem, ita vt dicatur, mistionem ipsarum partium non esse animam; cur igitur vnaquæque corrumpitur, cum anima ipsas deserit? proculdubio videtur, quod si mistio esset ab anima diuersa, non deberent corrumpi in recessione animæ; quare cum oppositum sit, oppositum dicendum erit; videlicet, quod idem sit, & sic habetur intentio. Hæ sunt rationes pro hac opinione, quæ tamen nihil valent; quia non est bona argumentatio ex corruptione vnius Tex. 60

ad

ad corruptionem alterius, inferre identitatem vtriusque: multa namque corrumpuntur alijs corruptis, quia se mutuò coadiuuabant diuersa ratione, vt patet de substantia, & accidentibus; accidentia enim non possunt esse sine substantia, nec substantia sine omnibus accidentibus, quia ab ipsis conseruatur, sicut illa alia ratione similiter, idem accidit de forma, & materia, de duobus relatiuis, de subiecto, & passione, quæ tamen idem non sunt.

Tex. 61. *Quod igitur neq; harmoniam possibile est esse animam, neque circulariter moueri, ex dictis manifestum est. Secundum accidens autem moueri potest, vt diximus, atque etiam secundum accidens potest mouere se ipsam. Vt moueri quidem potest ipsum corpus, in quo anima est, ab anima ipsa; & sic prout ipsa mouetur ad motum corporis, per accidens mouetur; prout vero ipsa quoque corpus mouet, seipsam per accidens mouet; quare solum per accidens mouet, & mouetur localiter. Aliter autem non est possibile, ipsam moueri secundum locum.*

CAPVT III.

Examinantur, nonnullæ dubitationes persuadentes, animam moueri posse.

Tex. 62. R*Ationabilius autem dubitabit vtique aliquis de ipsa anima, tanquam quæ moueatur, respiciens ad huiusmodi passiones. Dicimus enim animam tristari, gaudere, confidere, timere; amplius autem irasci, sentire, & cogitare; hæ autem omnes motus esse videntur, vnde opinabitur aliquis ipsam moueri.*

Tex. 63. *Sed respondetur, non esse necesse, quod per se moueatur anima; nam si quam maximè tristari, aut gaudere, aut cogitare motus sunt, & vnumquodque est aliquid moueri, tamen hoc moueri sic est ab anima, vt non per se sola moueatur, sed eo quod cor, (quod est pars corporea) hoc modo mouetur, quod præcipuè habet veritatem de irasci, & timere, qui sunt motus circa cor per aliquas qualitates. Cogitare autem, seu intelligere, aut huiusmodi, est per aliud (nempe per organum) aut aliquid aliud, de quo alibi determinandum erit. Horum autem accidentium prædictorum, vel passionum accidunt, alia quidem secundum motum localem, quia videlicet quædam in corpore mouentur, vt ira, in qua spiritus mouentur à corde ad partes externas, timor, in quo spiritus ad cor confugiunt: alia autem accidunt secundum alterationem; qualia autem, & quomodo fiant, alia est ratio, & in alio loco, videlicet in secundo de Anima.*

Tex. 64. Anima non irascitur, sed animal. *Dicere autem, irasci animam, simile est, ac si quis dicat, eam texere, vel ædificare: melius enim fortassis est non dicere, animam misereri, aut addiscere, aut cogitare, sed hominem hæc facere mediante anima, hoc autem fit, non tanquam motus existat in illa per se, vt in proprio adæquato subiecto, sed aliquando quidem incipit motus ab externo subiecto, & tendit vsque ad illam; aliquando quidem ab illa incipit, & per organa in obiectum externum tendit; vt sensationes quidem ab his externis obiectis incipiunt, & pertingunt ad animam, quia videlicet obiecta emittunt speciem vsque ad ipsam, vnde fit sensatio; reminiscentia vero ab anima incipit, & tendit ad quietes, vel motus, seu species sensibiles, quæ sunt in instrumentis, seu organis sensuum, hoc est, anima ab interno operatur repræsentando sibi obiectum absens, quod facit, dum se vertit ad species existentes in sensibus internis, quæ sensibilius, ac particularius obiectum repræsentant, & vocantur hæ species motus, prout transmittuntur de sensu ad sensum, vocantur etiam quietes, prout quiescendo repræsentare similiter possunt; & vtroque modo est denominatio pro connotato, hoc est, dicitur motus pro re, quæ mouetur, & quies pro re quiescente.*

Intellectus autem videtur innasci in hominibus, ita vt sit substantia quædam incorruptibilis, quod probatur; nam si corruptibilis esset, maximè vtique corrumperetur ab ea debilitate, quæ est in senectute. Nunc autem falsum est, sed si aliqua ibi videatur corruptio, vel debilitas, non erit ex parte ipsius intellectus, sed ex parte corporis, vel organorum, quemadmodum in sensorijs, seu organis sensuum accidit: videtur namque in illis interdum virtus animæ debilitata, vt cum senex cæcutit, vel surdescit, quod tamen accidit ex indispositione talis sensorij, non autem animæ: si enim senex ipse acciperet oculum talem, qualis est oculus iuuenis, videret vtique, sicut iuuenis; quapropter hæc debilitas senium non est, quia anima ipsa aliquid sustinuit; sed hæc passio facta fuit in organo, in quo vltimatè tales exercentur sensationes, sicut etiam accidit in ebrietatibus, & morbis, in quibus, non anima, sed corpus, vel organa, aliquid passa sunt. Tex. 65. Intellectus videtur incorruptibilis.

Ipsum igitur intelligere, & ipsum speculari (quæ sunt intellectus operationes) marcescit, (hoc est desinit, vel deficit, sic, vt fieri non possit, quemadmodum infirmis accidit, & senibus) non ex se, sed ex corruptione cuiusdam alterius interni, nempe vel Phantasiæ, vel alterius potentiæ organicæ, quibus ipsa anima in suis operationibus vtitur: ipsum autem secundum se impassibile est (idest nisi per ista organa, sed immediatè per animam solam fieret, esset impassibile, & inalterabile, quod ab impassibilitate animæ prouenit; operationes etenim sunt similes aliquo modo operanti) cogitare autem, seu exercere opera sensus interni; ac similiter amare, aut odisse, non sunt passiones ipsius intellectus, sed hominis intellectum habentis, prout ipsum habet (hoc est, ideo hominis sunt, quia habet intellectum, à quo originaliter quoque proueniunt, quia fundantur in aliqua cognitione, quæ est maior sensitiua, & si re vera sint compositi operationes, vt de ira, & timore superius declaratum est) quare corrupto composito, nempe homine, ipse intellectus neque meminit, neque amat; non enim operationes istæ ipsius intellectus erant, sed communis, seu totius compositi, quod quidem corruptum est. Intellectus autem fortassis diuinius quid, & impassibile est. Quod igitur non sit possibile moueri animam (nam visum est, quomodo hæ operationes, quæ motus esse arbitrabantur, vel non sunt animæ solius, vel saltem organo corporeo indigent, vt dictum est de intelligere, quod marcescit, ex corruptione alicuius organi interni, vel denique, fortè hi non sunt motus, videlicet speculari, & intelligere) manifestum est ex his. Si autem penitus non mouetur, manifestum est, quod neque à seipsa mouetur. Tex. 66. Intelligere ex se est impassibile. Intellectus post mortem non meminit, nec amat. Intellectus diuinũ quid est, & impassibile.

Multo autem irrationabilius ijs, quæ dicta sunt, accidit dicere eis, qui dicunt animam esse numerum se ipsum mouentem. Insunt enim his duplicia inconuenientia, prima quidem, quæ accidunt ex ipso moueri, & superius visa sunt; alia autem propria, ex eo quod dicunt ipsam esse numerum. Quomodo enim oportet intelligere vnitatem moueri, & à quo? & quomodo existentem impartibilem, & indifferentem? nam si est motiua, & mobilis, differre oportet, ita vt vna pars sit motiua, altera vero mobilis, quod vnitati indiuisibili repugnat. Tex. 67.

Amplius

Amplius autem, quoniam dicunt, lineam motam facere superficiem, punctum autem facere lineam; similiter motus ipsarum vnitatum erunt lineæ, seu lineæ etiam efficientur à motu vnitatum (quia secundum ipsos punctum
Punctum. *ab vnitate non differt essentialiter, sed accidentaliter tantum; ita vt punctum sit vnitas, quæ habet positionem in aliquo continuo) quare si anima erit numerus, vel constabit ex vnitatibus numerus ipsius animæ, iam alicubi est, & positionem habebit, quia ipsa anima ponitur, quod sit in aliquo corpore; erit igitur anima ipsa ex punctis, & vt dicunt, ipsa anima mouetur, & mota puncta efficiuntur lineæ, ergo anima erit linea, & sic sibimet quoque contradicunt, quia hoc modo non erit numerus. Amplius autem, si aliquis à numero auferat, vel numerum, vel vnitatem, relinquitur alter numerus diuersus specie, ut si à numero quinario auferatur binarius, remanet ternarius, & si auferatur vnitas, remanet quaternarius, qui omnes numeri specie differunt. Si vero ab anima auferatur aliqua pars, ea quæ remanet non differt specie à tota anima præcedenti, vt patet in plantis, & quibusdam animalibus; plantæ enim, & multa animalia, vt vermes, serpentes, & alia diuisa viuunt, & videntur habere eandem animam specie, vt maximè de plantis notum est, quia sibi simile in specie pars diuisa producit, ergo anima non est numerus, quia in diuisione eius fieret diuersitas speciei, vt numero accidit.*

Tex. 69. *Videtur autem nihil differre dicere, quod anima ipsa sit vnitates, vel corpuscula quædam indiuisibilia, seu atomos, quoad hoc quod moueat, & moueatur; etenim ex Democriti sphærulis, seu atomis rotundis, ex quibus animam constare dicit, si fiant, vel imaginentur fieri puncta, modò autem maneat quantitas, erit aliquid in ipso numero, & vnitatibus, & atomis, quod mouet, aliud vero quod mouetur (hoc namque animæ conuenire affirmabant) sicut conuenit magnitudini, vel corpori se mouenti: non enim propterea quod hoc differt magnitudine, aut paruitate, accidit, quod dictum est, sed quia quantum; quare si vnitates, vel atomi sint anima, & ipsa anima à se ipsa moueatur, necesse est, quod aliquid sit motiuum ipsarum vnitatum, & animæ. Si autem in animali id dicitur anima, quod mouet, etiam in numero anima dici debet, quod mouet; quare non quod mouet, & mouetur anima est, sed quod mouet solum.*

Tex. 70. *At vero quomodo possibile est, animam vnitatem esse? Oportet enim inesse ipsi animæ quandam differentiam ad alias animas, & partes corporis, vnici autem puncti, quæ differentia erit ab alijs punctis, nisi positio? (provt videlicet vnum punctum est ex hac parte corporis, aliud ex alia) ergo similiter ipsa anima differet ab alijs per solam positionem. Si igitur in ipso corpore sunt aliæ vnitates, & puncta, ipsa puncta, quæ sunt anima, erunt in eodem loco cum punctis corporis; quia similiter anima est in corpore; quare anima obtinebit locum puncti corporis; attamen si duæ vnitates, vel puncta in eodem sunt, quid prohibet infinitas esse? quorum enim locus est indiuisibilis, & ipsa indiuisibilia sunt, & per consequens multa, & infinita simul esse poterunt; quare si anima sit vnitas, vel punctum, in eodem puncto corporis infinitæ animæ esse possent, quod est absurdum.*

Tex. 71. *Si autem puncta, quæ in corpore sunt, anima, vel numerus (qui dicitur anima) sint; aut saltem si ille numerus punctorum, qui in corpore est, sit anima, quare non omnia corpora habent animam, cum omnia numerum habeant punctorum? Amplius. Anima secundum ipsos est à corpore separabilis, sed puncta inseparabilia sunt. Quomodo enim est possibile separari puncta, & absolui à corporibus; si quidem lineæ non diuiduntur in puncta, sed in partes diuisibiles, ergo anima non est puncta.*

CAPVT IV.

Anima non componitur ex subtilissimo corpore.

ACcidit autem sicut diximus, quod ij qui ponunt, animam esse corpus quoddam subtilium partium, vt Tex. 72.
partim idem inconueniens dicant cum præcedentibus, partim autem proprium, quod quidem accidit Democrito, qui dicit corpus ab anima moueri, atque animam ipsam esse atomos, seu corpus indiuisibile, ac corpus ab ipsa moueri, sed provt in se mouetur, sicut argentum viuum se mouendo, mouebat statuam; sicut igitur Democrito accidit proprium inconueniens, sic ijs, qui dicunt animam esse corpus subtilium partium. Inconueniens autem commune est, quod anima non mouetur, vt fusè superius declaratum fuit, proprium autem nunc ostendamus. Si enim est anima in quolibet corpore, quod sentit: necesse est, quod in eodem duo sint corpora (si videlicet anima corpus est, vt dicunt.) Sicut qui dicunt animam esse numerum punctorum, dicere debent in vno puncto esse puncta multa, aut omne corpus animam habere, cum omnia corpora puncta habeant; nisi quidam numerus differens innascatur punctorum, qui anima dicatur, differens inquam sit ab ijs punctis, quæ in corpore sunt, quod quomodo sit possibile, difficile est videre.

Qui igitur dicunt, animam esse numerum, confiteri de- Tex. 73.
bent, animal à numero moueri, sicut diximus Democritum asserere, ipsum sphærarum, seu rotundarum atomorum numerum animal quoque mouere; ac inconueniens esse ostendimus, vnde idem inconueniens eisdem accidit. Quid enim differt dicere, sphæras paruas, aut vnitates magnas, aut omnino vnitates motas corpus mouere? vtroque enim modo, necesse est eas mouere animal, eo quia ipsa mouentur, quare vtrisque idem accidit.

Complectentibus igitur simul numerum, & motum, Tex. 74
ita vt dicant animam esse numerum se ipsum mouentem, & hæc prædicta impossibilia accidunt, & multa alia huiusmodi; non enim solum impossibile est huiusmodi esse definitionem animæ, sed est etiam impossibile, quod sit accidens eius; ita vt esse numerum, vel moueri, nec essentialiter, nec accidentaliter animæ conuenit. Quod autem hæc non sit ipsius animæ definitio, manifestum est, si quis ex hac definitione conatus fuerit, passiones, & opera animæ assignare, vt ratiocinationes, sensus, voluptates, dolores, & quæcunque alia huiusmodi; nam sicut prius diximus, ex ipsis (nempe ex numero, & motu,) neque est facile diuinari, (ne dicam cognoscere) hæc accidentia; & tamen si definitio esset, per ipsam notificari possent, vt declaratum est supra in hoc libro tex. 11.

Tribus autem modis traditis, secundum quos priores Tex. 75.
definiunt animam (nam aliqui enuntiauerunt maximè ipsam motum esse, eo quod mouet se ipsam; alij vero esse corpus subtilissimarum partium, aut inter cætera corpora maximè incorporeum, & alij eam ex elementis esse) ac duobus cum suis rationibus, & contradictionibus quas continent examinatis, reliquum est considerare

tertium

tertium modum; quomodo scilicet dicitur, ipsam esse ex elementis; dicunt enim ideo sic eam esse, vt sentiat ea, quæ sunt, & vnumquodque cognoscat, supponentes simili simile cognosci, & omnia ex elementis constare.

Tex. 76. *Necessarium autem est accidere multa impossibilia rationi, vel positioni huic. Ponunt enim (vt diximus) cognoscere simile simili; perinde ac si animam ponant esse res ipsas, vt eas cognoscere possit. Quare ponendo animam sic res cognoscere, quia eas in se habeat, non tantum ipsam ex principijs, vel elementis constare, debent asserere; sed ex omnibus rebus. Non enim hæc sola elementa sunt res, & ab anima cognoscibilia, sed multa alia; & forte, quæ sunt ex his elementis magis sunt, vel esse possunt infinita numero, quam finita; vnde si hac ratione anima deberet esse res, quas cognoscit, essent infinitę res simul, quod est absurdum, & ridiculum.*

Tex. 77. *Secundum autem positionem eorum, qui dicunt ipsam solum ex elementis esse, potest ipsa anima cognoscere, & sentire ipsa elementa, ex quibus vnumquodque mistorum constat (supponendo cum ipsis, quod simile cognoscatur per simile,) sed compositum quomodo cognoscet, aut sentiet, vt quid Deus (More gentilium, qui Deum ex anima, & corpore immortalem tamen constituebant) aut homo, aut caro, aut os; similiter autem quodlibet aliud compositorum? Non enim vnumquodque horum est tale ab elementis quolibet modo se habentibus (id est quomodocunque vnitis, & integris remanentibus; ita vt compositum ipsum non sit, nisi iuxta positio, seu aggregatio elementorum, vnde consequenter ad ipsum compositum cognoscendum elementa cognoscere sufficiat,) sed consistit in quadam propria ratione, seu mistura, forma, vel proportione ab elementis distincta, & similiter in quadam naturali compositione, sicut Empedocles dicit, ipsum os esse. Ait enim. Terra autem concinna (nam secundum ipsum est numerus cubus, qui est maximè concinnus) in amplis infundibulis (seu concauitatibus) duas ex octo partibus, sortita est fluidi luminis (nempe aeris), quatuor autem Vulcani, (seu ignis) ex hac igitur mistura ossa alba facta sunt. Quare mista non solum elementa sunt, sed mistura, & forma quædam diuersa. Nulla igitur vtilitas est asserere elementa in anima esse, nisi inerunt rationes, seu formæ, & compositiones mixtorum, vt ipsa quoque ab anima cognosci possint. Cognoscet enim vnumquodque suo simili, hoc autem quod impossibile sit, nempe omnia esse in anima, nihil oportet dicere. Quis enim dubitabit, si insit in anima lapis, aut homo? similiter autem, & bonum, & non bonum, eodem autem modo, & de alijs.*

Tex. 78. *Amplius autem, cum ens multipliciter dicatur (aliud enim significat hoc aliquid, seu substantiam, aliud autem quantitatem, aut qualitatem, aut etiam quoddam aliud diuisorum prædicamentorum) vtrum ex omnibus his prædicamentis erit anima, aut non? Sed non videntur communia omnium prædicamentorum animæ principia esse, sic videlicet, quod ex omnibus constet essentialiter; nam vnam substantialem habet essentiam. Num igitur solum quæcunque substantiæ sunt ipsam animam constituunt? vel ex his solis constat? Quomodo igitur cognoscet vnumquodque aliorum prædicamentorum? si cognitio (vt iam sæpe dictum est) fit ex simili, seu ex re, ex qua constitutum est cognoscens? An dicent, elementa, seu principia animæ esse ex vnoquoque genere, vel prædicamento, ex quibus ipsam constare affirment? At hoc modo anima ipsa erit substantia, & quantitas, & qualitas. Sed impossibile est, quod & elementis, seu principijs, vel generibus quantitatis sit substantia (nempe anima) & non potius quantitas. Dicentibus itaque animam ex omnibus constare generibus, hæc, & huiusmodi alia impossibilia accidunt.*

Præterea, inconueniens est dicere quidem, quòd à simile simili pati possit (vt diximus in primo de Generatione, et Corruptione tex. 46. de mente etiam ipsorum) & cum hoc addere, quod simile simili sentit, & simile simili cognoscit, cum sentire, cognoscere, ac intelligere, ponant esse quodam pati, & moueri; quare si simile sentit, vel cognoscit simili, ab ipso simili patitur, cuius oppositum dixerunt loco supra citato, & sic in contradictionem incidunt. Quod autem, qui asserit, quod corporeis elementis, & ob simile ab anima singula cognoscuntur in multas dubitationes, & difficultates incidat (sicut dicit Empedocles huius opinionis author) testatur, quod nunc statim à nobis dicendum erit; nempe hoc. Quod omnia quęcunque insunt in corporibus animalium, quę sunt simpliciter terræ, (seu principaliter in ipsis terra prædominatur) vt ossa, nerui, pili, deberent sentire sibi simile, nempe terram, & tamen nihil sentire videntur (quod causa exempli dictum sit; nam exactè de neruis examinabitur in secundo de anima, an sentiant, accipiatur pro nunc sufficienter de pilis, & ossibus) quare neque sentiunt sibi similia, & tamen secundum positionem istorum conueniebant. Tex. 79.

Ossa, pili, &c cetera nō sentiūt

Amplius autem, vnicuique principiorum dictorum amplior esset ignorantia, quam intelligentia, vel scientia; (idest ex ipsis pauca scirentur, & multa ignorarentur) quod est absurdum, & contra rationem principij cognitionis; probatur, nam ipsa anima cognoscet vnumquodque elementorum; multa autem alia ignorabit. Accidit autem Empedocli dicere, Deum esse insipientissimum, nam ipse solus inter elementa vnum ipsorum non cognoscet, nempe discordiam ipsam, quia ex discordia Deus (vt ipse quoque dicit non constat) mortalia autem omnia ipsam discordiam, & cætera elementa cognoscunt, cum vnumquodque ex omnibus constet. Tex. 80.

Deus non potest esse non sapiēs.

Omnino autem, si id est anima, quod ex elementis pluribus, vel vno constat, vt dicunt, propter quam causam non omnia, quæ sunt, habent animam; cum omne, aut elementum sit, aut ex elemento vno, aut pluribus, aut omnibus constent, vt dicunt? necesse est enim quod vnumquodque mixtum, aut aliquod, aut quædam, aut omnia elementa cognoscat, prout mixtum est, secundum ipsorum positionem. Tex. 81.

Si autem ipsa elementa sint anima, dubitabit vtique aliquis, quid est, quod facit ipsa esse vnum, seu vnita in vnam naturam; elementa enim ipsa sunt similia materiæ, vnde sicut ipsa terminatur, & accipit vnitatem perfectam, à forma; sic elementa habere se debent. Principalissimum est autem, id quod continet, quodcunque sit, quam contentum, anima autem impossibile est, aliud esse melius, & præstantius in naturalibus; impossibilius autem adhuc est, quod aliquid sit præstantius intellectu; nam rationabilissimum est, quod hic sit antiquissimus, & dominus secundum naturam. Elementa autem dicuntur esse prima entium, in genere causæ materialis, & in ordine ad mixtum; ergo cum in rebus animatis ipsa elementa vniantur, & contineantur, nullo modo poterunt esse anima; quia contineri est materiæ, & rei ignobilissi- Tex. 82.

Anima est præstantior omnib maximè intellectus.

Intellectus est antiquissimus, & Dominus.

mæ, &

ma, & passiua; anima verò est forma, actiuum, & præstantissimum quid, & præcipuè intellectus, seu anima intellectiua, quæ dicitur domina secundum naturam, quia omnibus alijs rebus naturalibus corruptibilibus præest: dicitur etiam antiquissima, & in ordine ad dominium super omnia, & in ordine ad independentiam ab elementis, quod enim ab alio non dependet, prius ipso dicitur, & aliquo modo antiquius.

Tex. 83. *Omnes autem, qui dicunt animam ex elementis esse, prout cognoscit, & sentit ea, quæ sunt, & similiter, qui dicunt ipsam esse principium maximè motiuum, non de omni dicunt anima. Neque enim animalia sentientia omnia sunt motiua; videntur enim esse quædam animalia mansiua secundum locum, & tamen hoc solo motu videtur, quod anima moueat animal; quare, si non omnia animalia localiter mouentur, esse principium motus localis non conuenit omni animæ, & sic erit insufficiens. Similiter quicunque animam sensitiuam, & intellectiuam ex elementis constituunt, deficiunt; quia pariter definitio ista, quæ est, quod anima sit principium sentiendi, & intelligendi, & mouendi est deficiens, cum multis animabus non conueniat; videntur enim plantæ viuere, non participantes latione, neque sensu, & multa animalia intelligentiam non habere.*

Tex. 84. *Si autem aliquis hæc concesserit; videlicet, quod ipsi non loquantur de multis animabus, quia scilicet non sunt multa, sed vna tantum; istæ autem prædictæ non sint animæ, sed partes, vel potentiæ eius, ita vt posuerit intellectum partem aliquam animæ; similiter autem sensitiuum, neque vtique sic sufficienter loquuntur, nec dicunt de omni anima, quia relinquunt eas; quæ non mouentur, nec sentiunt, nec intelligunt; neque de tota, quia non loquuntur de omnibus eius partibus, & potentijs, faciendo solum mentionem de prædictis, & relinquendo alias plures potentias, quas in sequentibus videbimus; neque de vna sola loquuntur, quæ contineat alias, & partes; nam sensitiua, & intellectiua separatæ in diuersis speciebus animalium reperiuntur, ergo quolibet modo deficiunt. Hoc autem, quod isti dicunt de anima sustinuit quoque ratio, seu opinio, quæ est in carminibus vocatis Orphicis; dicit enim animam ex toto Vniuerso, quod animatum credebat ingredi in animalia respirantia, latam tamen à ventis: ita, vt animalia haberent animam propriam per participationem animæ Mundi, & illam reciperent per respirationem, eo modo, quo recipitur aer ad refrigerandum cor. At hæc quoque opinio deficit; quia hoc non est possibile accidere plantis, neque quibusdam animalibus, si quidem non omnia respirant.*

Orpheus.

Tex. 85. *Hoc autem quod quædam animalia non respirent, & quod hæc non sit ratio communis animæ cuilibet, latuit sic opinantes. Sed redeamus ad eos, qui animam ex elementis constituunt. Si igitur ex elementis animam facere oportet, vt omnia cognoscat, nihil tamen oportet eam ex omnibus elementis constituere: nam sufficiens est altera pars contrarietatis ad indicandam seipsam, & appositam; nam per rectum cognoscimus ipsum rectum, & obliquum; regula enim est iudex vtrorumque, seu quod regulatum, & rectum est, iudex, vel cognitio est irregulati, & obliqui: obliquum autem non est regula, neque iudex sui ipsius, neque recti; quare per vnum elementum, aliud sibi contrarium cognosci poterat, vt per ignem aqua &c. & sic frustra propter hoc ponuntur omnia.*

Tex. 86. *Quidam autem dicunt, ipsam animam esse mistam in toto vniuerso; sic videlicet, quod ipsum vniuersum sit animatum anima quadam diuina, quæ omnibus dat esse secundum suam naturam, & proportionem. Vnde fortassis Thales opinatus est, omnia esse plena Dijs. Hoc autem, quod dicunt, habet quasdam dubitationes. Propter quam enim causam si aere, aut igne sit anima, non facit, vt aer, vel ignis sit animal? præsertim cum in illis elementis melior videatur esse anima, prout sunt diuturniora, & partes principales vniuersi. Si verò animata hæc elementa ponantur, quæret aliquis, quam ob causam, ea anima, quæ est in aere, sit melior, & immortalior ea, quæ est in animalibus, nam ratione prædicta deberes esse melior, id autem videtur esse contra experientiam; præstantior enim est homo, & equus, quam aer, & ignis. Vnde sic arguatur, si aer, & ignis essent animata, anima eorum esset nobilior alijs: sed hoc apparet esse falsum, ergo animata non sunt.*

Omnia sunt plena Dijs Thales.

Tex. 87 *Accidit autem vtroque modo inconueniens, & irrationabile; etenim dicere, aerem, aut ignem esse animal, irrationabilium est, & non dicere ea esse animalia, & nobilissima, cum anima eis insit, est etiam inconueniens.*

Tex. 88. *Opinari autem videntur, animam esse in his elementis; quoniam totum cum partibus eiusdem rationis esse credebant; quare cum Vniuersum animatum posuissent; similiter elementa, quæ sunt partes eius, anima prædita esse existimabant. Quare necessarium est, vt ipsi dicant, animam ipsius Vniuersi esse eiusdem speciei cum anima partium, & cum omnium animalium anima, præcipuè si ideo animalia animata fiunt; quia in ipsis includitur aliquid continentis aeris, vnde anima ipsorum est anima aeris, vel pars eius, & ipsa est eiusdem naturæ cum anima totius Vniuersi, ergo omnes animæ secundum ipsos sunt eiusdem speciei. Si autem aer quidem discerptus, seu diuisus, vel scissus eiusdem speciei sit, anima verò non sit eiusdem speciei, sed habeat partes dissimiles; tunc aliquid ipsius aeris animali inerit, (nempe quod est similare) vt patet, aliud autem non inerit, & sic anima tota ex aere totaliter non esset, quod illorum positioni repugnat. Necesse est igitur ipsam, aut similium partium esse, aut non inesse in qualibet parte totius, si ponatur, quod anima sit similaris, ex qua dissimilare aliquid non constaret; vnde aeris anima, quæ similaris est, non esset in toto corpore animato, quod est absurdum secundum præcedentem positionem. Manifestum igitur ex dictis, quod neque cognoscere inest animæ, propterea, quod sit ex elementis, neque bene, atque verè dicitur, quod ipsa moueatur.*

CAPVT VI.

Proponuntur aliquæ difficultates de vnitate, & diuisibilitate animæ.

Tex. 89. *Quoniam autem ab anima prouenit cognoscere, sentire, opinari, adhuc autem concupiscere, & deliberare, & omnino appetitus, fit etiam secundum locum motus ab anima in animalibus, necnon augmentum, & status, & decrementum. Vtrum vnumquodque horum insit toti animæ, ita vt per totam intelligamus, sentiamus, & aliorum vnumquodque prædictorum faciamus, & patiamur; an alia efficiamus per alias partes animæ, ita vt per vnam intelligamus, per aliam sentiamus, &c. & ipsum etiam viuere, vtrum consistat in aliquo vno horum, aut in pluribus, aut in omnibus; an, & aliqua alia causa sit ipsius.*

Dicunt

Tex. 90. *Dicunt itaque quidam, partibilem ipsam esse, ita vt sint plures animæ, vel partes in vno animali, quæ adinuicem non communicent, sed per aliam partem, vel animam (dicitur alia pars in ordine ad animal, cuius est pars formalis, vel forma; dicitur alia anima in ordine ad animam totam, quia si simul non communicant, non erit vna, sed plures animæ non subordinatæ) intelligit, per aliam verò concupiscit. Sed contrà, si anima sit ex sua natura partibilis, ita vt in eodem animato sint plures animæ, quid igitur eas animas continet, vt simul vnitæ sint, & dent esse formaliter animali? (omnia enim quæ diuisa sunt, & non subordinata, si simul esse debeant ad constitutionem alicuius, ab aliquo vno contineri debent, aliter dissoluerentur, vt elementa, vel qualitates eorum continentur in misto ab eius propria forma substantiali) non enim vtique corpus eas continet: videtur enim magis è contra, quod scilicet anima contineat corpus, nam ipsa egrediente, corpus exspirat, & putrescit, nec à se inuicem contineri possunt, cum sint disparatæ.*

Tex. 91. *Si igitur aliquid aliud facit ipsas animas esse vnum, vel vnitas, illud quod sic continet, maximè vtique erit anima, cuius est continere. Oportebit igitur quærere iterum, vtrum illud vnum continens sit vnum, vel multarum partium, seu plura. Si enim vnum est; propter quid non statim dicimus animam vnum esse? cum eadem ratione de hoc continente, & de anima dici possit hoc. Si verò hoc sit partibile, vel plura, item ratio quæret, quid est continens hæc plura; & sic vtique procedet in infinitum, vel standum est ad vnum continens, quod animam vocabimus, vnde vna erit in vno animali, vel animato.*

Tex. 92. *Dubitabit autem aliquis de partibus ipsius animæ, si partibilis, & multiplex ponatur in eodem animato; quam potentiam, seu virtutem vnaquæque habeat in corpore. Si enim tota anima ex omnibus aggregata totum corpus continet; profectò conuenit, quod vnaquæque partium contineat aliquid determinatum corporis, ita scilicet, quod ex vna parte sit sensitiua, ex alia intellectiua, & sic de alijs. Hoc autem assimilatur impossibili: quam enim partem, aut quomodo intellectus continebit, difficile est etiam fingere, cum ipse non sit alligatus alicui organo corporeo.* Intellectus non est alligatus organo.

Tex. 93. *Videntur autem, & plantæ viuere diuisæ, & quædam animalium insectorum similiter, tanquam per totum corpus habeant eandem animam specie, & si non eandem numero; vtraque enim partium diuisi animalis, sensum habet, & mouetur secundum locum per aliquod tempus, ergo non est verum, quod potentia sensitiua sit alia anima, & in alia parte corporis à motiua, cum in qualibet parte vtraque simul reperiatur.*

Tex. 94. *Si autem tales partes diuisi animalis non permanent, nullum inconueniens est; nec propter hoc est dicendum, quod ibi non sit anima secundum omnes suas potentias, quia sic (dicerent) deberent tales partes dici permanere, & viuere, sicut accidit de toto animali, hoc inquam nihil tollit, quia non permanere non prouenit ex defectu animę, vel potentiarum eius, sed quia non habent instrumenta, quibus saluent naturam; sed nihilominus in vtraque partium, omnes partes animæ existunt, quæ sunt eiusdem speciei adinuicem, & cum ipsa tota anima; adinuicem quidem, tanquam quæ non sunt separabiles, (quæ enim diuersæ sunt speciei, separabiles sunt, nullamq; habent connexionem, vt homo, & Leo) cum tota autem anima, quia ipsa existit indiuisibilis in plures, specie diuersas, in eodem animato, vt satis dictum est.*

Tex. 95. *Videtur autem id, quod est principium viuendi in plantis, esse quædam anima, quæ dat rationem viuendi alijs quoque animatis, non simpliciter prout est in plantis, sed in sua ratione formali vegetandi considerata; in hac enim sola communicant animalia, & plantæ, & hæc quidem separatur à principio sensitiuo, itavt reperiatur sine sensitiua anima in ipsis plantis; nullum tamen habet sensum, vel animam sensitiuam, sine hoc vegetatiuo principio. Quare & si in diuersis viuentibus anima vegetatiua sit separata ab alijs, tamen in eodem non differt, & sic non sunt plures animæ in vno animato.*

Finis Paraphrasis Primi Libri de Anima.

ANTONII ROCCI

De Scurcula Marsorum.

IN PRIMVM LIBRVM ARISTOTELIS de Anima Quæstiones.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum de Anima sit scientia.



E Anima dari scientiam, nulla est (quam sciam) neque apud Philosophos, neque etiam (vt ita loquar) apud vulgares dissensio. Præcipuè si scientia non sic pressè sumatur, vt omnes prorsus conditiones ab Arist. in 1. Post. positas ei tribuamus. Attamen quoniam neque ratione modi, neque simpliciter apud quoslibet id constat, quam plurimæque adsunt obiectiones, breuiter aliqua necessaria circa hoc dicere decreui. Sciendum est ergo, scientiam ex tribus pro connotato integrari, ex principijs videlicet, ex subiecto, & passione, vt si de homine scientiam habere velimus, principia erunt partes eius, vel essentiales, vel definitiuæ, subiectum erit ipsemet homo, ac tandem proprietates, risibilitas, flebilitas, &c. quæ omnia, & si vna duntaxat integrent scientiam, singula per se sumpta pro formali cognitionis scientiæ appellari solent, sic nimirum, quod cognitio principiorum per se, necnon definitionis, subiecti, ac proprietatum notitia, scientia appelletur, cum discrimine tamen, nam principiorum, & definitionis est scientia indemonstrabilis, effectuum vero, vel proprietatum demonstrabilis, & à præcedentibus dependens. Quomodo autem, & qua de causa scientia hæc omnia dicantur in 1. Post. videri potest. Ad rem ergo de Anima, triplici prædicto modo, scientiam esse determinare possumus; quamobrem, vt ordinatim procedamus tres statuantur conclusiones. Prima. De Anima est scientia primo modo: [1 Concl.] nam principia ipsius à nobis cognosci possunt; efficiens namque est Deus, Sol, & aliud immediatè generans, materialis est corpus, vel semen (quod si non omnes ex eius potentia educuntur, vt rationalem excipiamus: omnibus tamen vt potentia, & vt vera materia subest) finalis est, vel fęlicitas, vel (melius) propria animę operatio. De formali nil est dicendum, cum sit ipsamet forma, cui altera forma (saltem essentialis) non conuenit, vt processum in infinitum auferamus. Secunda conclusio. De [2 Concl.] anima est scientia secundo modo, probatur; nam habetur exacta ipsius definitio, vt in secundo patebit. Tertia cõclusio. De ipsa anima est etiam tertio modo scien- [3 Concl.] tia; nam proprietates multas ostendere de ipsa possumus; imò quamplures omnibus sunt manifestæ; verum est tamen, quod quamuis à principijs modo scientifico procedendum sit, inuentio tamen secus res ipsa se habet: ab operationibus namque naturam, & principia ipsius indagamus, quibus habitis, & ad proprietates nondum cognitas, & ad præcognitas quoque (diuersa tamen notione) peruenimus. At contra prædictas conclusiones non desunt obiectiones, (quas vt potissimum solueremus, rem ferè omnibus certam in dubium reuocauimus) sit igitur Prima. Nihil est intelligibile à no- [1. Argum.] bis, nisi aliquo modo sub sensuum cognitione cadat, si quidem ipsi sunt ianua, ex qua omnis nostra cognitio incipit, ex libro de sensu, & sensili, at anima cum sit immaterialis non est sensibilis, (imò nulla substantia est ta- [Secundum] lis) ergo neque intelligibilis. Secunda. Omne cognoscens debet esse denudatum à natura cogniti ex 3. de Anima tex. 4. at anima non potest denudari à seipsa, ergo neque seipsam cognoscet. Tertia. Forma & mate- [Tertium.] ria ad eandem pertinent cognitionem, ex 2. Physic. tex. 21. & inde, ergo non debet, vel non potest tradi per se scientia de anima ab alijs partibus Physicę distincta. Quarta. Omnis intellectio fit per speciem intelligibi- [Quartum.] lem, sicut sensatio per sensibilem, at animæ nulla est species, ergo; maior est Aristot. in 3. de Anima. Probatur minor; nam species nihil aliud significat ad rem, nisi imaginem, vel simulacrum rei, cuius dicitur species: huius autem imaginis res immateriales, vel incorporeæ sunt expertes, quare, &c. Hæ tamen obiectiones facile solui possunt. Ad primam ergo dicitur; animam esse [Ad primũ.] sensibilem per accidens, vel per aliud, nempe per operationes, hoc autem sufficit, ad habendum scientiam de ipsa; imò si hoc circa alias quoque res immateriales satis non esset, neque de Deo, neque de alijs intelligentijs, rebusque abstractis, cognitionem haberemus, sufficit ergo quæcunque inceptio à sensu, modo sit ordinanata, & quasi manuductiua ad ipsum intelligibile. Ad [Ad secũdũ.] secundam dicitur; prædictam Arist. propositionem veram esse de cognitione sensitiua ad hunc sensum, quod potentiæ ipsæ sint denudatæ à qualitatibus, quarum sunt perceptiuæ, vt visus à colore, auditus à sono, &c. de intellectu autem hoc non est verum, nisi fortè ad hunc sensum, quod fit denudatus à specie, per quam intelligit, quod tamen neque verum est: si quidem sine ipsa minimè intelligit, quamobrem accipiatur prima expositio. Ad tertiam respondetur, re vera einsdem esse conside- [Ad tertiũ.] rationis materiam, & formam, sic nimirum, quod ad eandem facultatem totalem attineant, attamen in eadem peculiares tractatus, vel libros seorsum ad maiorem doctrinam de vtraque efficere, nullum est inconueniens, sed potius necessarium, vel expediens. Ad quar- [Ad quartũ] tum nega-

tum negatur minor, ad probationem dicimus, speciem sensibilem esse solum rerum corporearum; intelligibilem vero etiam spiritualium, nec aliud est, quam terminus cognitionis, vel conceptus obiectiuus, aut ens cognitum, ac aliquorum est per se species, quorundam est simul cum alijs prout videlicet, & in esse, & in cognosci, res ab inuicem dependent, vel non.

QVÆSTIO II.

De subiecto huius scientiæ.

DE natura, conditionibus, atque diuersitate subiecti satis in principio phys. diximus: quare his omnibus suppositis ad intentum statim accedamus: est igitur inter Philosophos controuersia, an anima, vel corpus animatum sit horum Librorum adęquatum subiectum, vtraque enim positio, neque authoritatibus, neque rationibus caret, quas, vt ad Aristotelicum, verumq; sensum reducamus, duæ statuantur conclusiones. Prima. Si hi Libri de Anima absque paruis naturalibus considerentur, subiectum ipsorum erit anima. Probatur primò authoritate Philisophi in cap. 1. de sensu, & sensili; habet enim in principio hæc verba, quoniam autem de anima secundum se ipsam determinatum est prius, &c. Si ergo secundum se ipsam habita est in libris his determinatio, nullus erit ad corpus respectus, & sic sola subiectum statuenda est. Amplius, subiectum est, à quo alia pendent, & in esse, & in cognosci, sic autem, quæ ibidem tractantur in ordine ad animam se habent, quare, &c. maior est per se nota, minor in vniuerso huius scientiæ processu patere potest. Amplius; hæc scientia vocatur nobilissima, certissima, & omnibus mirifice vtilis, hoc autem solum ex anima habetur, vnde etiam ab ipsa recipit denominationem, aliter dici deberet scientia de animalibus, vel viuentibus. Secunda conclusio. Si cum his libris etiam paruorum naturalium aggregentur, sic nimirum quod vnam dumtaxat scientiam omnes simul constituant, non anima, sed corpus animatum erit horum subiectum. Probatur authoritate einsdem Philosophi in præcitato cap. primo, de sensu, & sensilibus; post quam etenim prædicta præmisit verba, statim subiungit, consequens est facere considerationem de animalibus, & vitam habentibus omnibus &c. Si itaque in his libris de animalibus, & viuentibus agitur; consequens est, ipsum animatum corpus esse subiectum; probatur, nam vbi totum, & pars considerantur, conuenientius est partem à toto dependere, quam è contra: cum igitur corpus animatum sit totum, anima vero pars, illud, & non ista adæquatum subiectum est statuendum. Sed hic statim se se offert non spernenda difficultas, si namque res sic se haberet, libri de paruis naturalibus nobilitate præcellerent libris de anima, non secus atque totum parti cuilibet per se sumptæ, quod, quam sit falsum ex his, quæ habet Philosophus in principio primi de anima, & ex horum paruorum naturalium inscriptione satis liquet; sic etenim appellantur, quasi sint reliquiæ, & parua fragmenta animæ, quare sibi maiorem tribuere dignitatem, penitus absonum videtur.

Respondetur, totum dupliciter spectari posse, vno modo inclusiuè, sic videlicet, quod omnes partes simul includat, & sic profecto est nobilius qualibet parte, alio modo prout est à partibus principalibus constitutum, & hoc pacto non oportet quamlibet partem nobilitate vincere; non enim superat partem nobiliorem constituentem, quemadmodum effectus non excedit causam; sic ergo consideratur totum in paruis naturalibus, prout videlicet ab anima primo originem ducit, quare est velut effectus eius, ac ipsius animæ minus nobile, & quasi fragmentum. Sed contra: nam hæc positio repugnat secundæ conclusioni: si etenim, vt effectus in paruis naturalibus consideratur animal, tunc anima ipsa etiam paruis naturalibus inclusis, erit adæquatum subiectum, nam effectus ad causam reducitur. Respondetur tamen, parua naturalia, si cum libris de anima computentur, ac ipsi libri de anima (vt fas est) cum illis implicentur, totum perfectò modo, non vt à partibus contra distinctum continent, & si distinctè ad maiorem distinctionem de vtrisque agatur, quo pacto ex libris ipsis de anima, & ex paruis naturalibus simul totum (nihil excludendo) colligitur, atque sic sumptum omnes partes includit, singulæque ad ipsum necessario reducuntur, & sic manet intentum. At est dubitatio. An secundum magis probabilem veritatem libri hi paruorum naturalium à libris de anima non distinguantur. Respondetur probabiliorem esse partem affirmatiuam, ratione prius adducta, attamen quia nihil est adeo paruæ entitatis, exiguæque intelligibilitatis, quin per se alicubi de ipso agi non possit, hinc est, quod peculiares tractatus de multis fiunt, qui ad vnum integrum reduci possunt, & sic secundum horum diuersitatem, diuersa partialia constitui possunt obiecta, quæ tamen sub vno totali contineantur; quare ex duabus prędictis conclusionibus satis dilucidata est quæstio. Argumenta autem quamplurima, quæ hinc inde fieri possunt, & breuitatis causa, & quoniam ex præiactis fundamentis, & ex aliorum scriptis intelligi possunt, dimittantur.

QVÆSTIO III.

De ordine horum librorum ad alios.

NOn desunt qui in controuersiam ducant, si hoc loco hi libri de anima, an alibi sint ponendi, qui autem hunc ipsorum locum non esse existimant, hæc pro se argumenta conficiunt. Primum. Omnis scientia ex notioribus nobis incipit, ex proœmio phys. at magis nobis res animatæ, vel animalia ipsa innotescunt, quam anima, ergo libri de animalibus præcedere debebant. Secundũ. Partes definientes præcedere debent definitum, at corpus organicum ponitur in definitione animæ, ergo libri vbi de animalium constitutione (quæ ad corpus attinet) agitur, præponi debent. Tertium. Philosophus habet de longitud. & breuitate vitæ, doctrinam de animalibus solutam esse, ergo præcessit libros de anima. Oppositum tamen cum Philos. sentiendum est; ipse etenim hunc ordinem statuit. Pro intelligentia tamen sciendum est, duplicem esse viam in qualibet scientia procedendi, videlicet ex notioribus nobis, & ex causis: primus modus est inuentiuus, & compositiuus, secundus est scientificus, & resolutiuus, qui tamen sic se habent, quod in scientijs, quæ per solam inuentionem acquiruntur, necessariò primus est adhibendus, in ijs vero, quæ à doctore percipiuntur, altero vti possumus; ipse namque supplere potest notiora, si exactè, & ordinatè, quæ sunt obscuriora, dilucidet, quam quidem methodum secutus est Arist. in vniuersa naturali Philosophia; nam, & si præmiserit à notioribus nobis esse incipiendum, ex notioribus tamen naturę, nēpè ex causis (si perpendatur) procedit; agit nãq; in 1. phys. de principijs rerum corruptibilium in cõmuni: deinde in alijs de passionibus &c. pariter de cælo, quod est omnium inferiorũ vniuersalissima causa, atq; de ordine elementorũ, de quibusdam communibus affectionibus meteorologicis, & sic semper ex causis dictis, & factis procedendũ esse asserit; hac itaque methodo merito hic libros de Anima ordinauit, in ipsis namque causa animalium continetur, præter quam quod, de animalibus doctrina præter hanc, est ferè historica, quamobrem seorsum alio

 ordine,

ordine, alibi ue tradenda erit. Nunc obiectiones praehabitas diluamus. Ad primam dicimus, hanc doctrinam non procedere modo inuentiuo, sed simpliciter doctrinali; quamobrem nullum est opus, vt a notioribus nobis simpliciter procedamus. Ad secundum dicitur, partes definientes interdum esse per se notas saltem secundum rationem communem, & tunc aliquis peculiaris tractatus de ipsis non est praemittendus: sic autem se habet corpus organicum; est enim ferè omnibus, notum quid sit, vel si aliqua desit notitia, poterit ibi sufficienter, nec extra propositum suppleri, vt de facto ab eodem Philosopho efficitur; quid namq; sit organicum corpus ibidem, vt res expostulat, declarat. Ad tertium dupliciter responderi potest, vno modo, quod per libros de animalibus intellexerit libros de anima, qui de animalibus quoque appellari possunt, quatenus praecipue ipsorum passiones illic declarantur. Vel quia de facto prius libros illos conscripserit, & si aliomodo deinceps ordinati sint ab eodem.

QVAESTIO. IV.

Propter vtraque haec animae historiam rationabiliter vtique in primis ponemus. Tex. 4.

An scientia de anima alias certitudine, & nobilitate superet.

Arguitur primò contra primam partem. Cuius est difficillimum accipere fidem, illius non est maxima certitudo; si quidem difficultas ad credendum certitudini opponitur, at animae cognitio est difficillima, ex hoc libro tex. 4. ergo.

Secundò. Mathematicas esse omnium certissimas (sic nimirum, quod in primo, vel nobiliori certitudinis gradu existant) est iam ab omnibus receptum, ergo hoc non conuenit huic scientiae.

Tertiò. Quò ad secundam partem. Vel fit comparatio solum ad alias naturalis Philosophiae partes, vel ad omnes alias scientias; si primò modo, superatur ab ijs partibus, in quibus agitur de primo Motore, ac de Cęlo: Quod etenim primus motor sit omnibus nobilior, nemini dubium esse existimo: quod vero coelum alijs inferioribus praecellat, in secundo de caelo quaest. 3. determinatumus. At quo ad secundam partem manifestum est sacram Theologiam, ac Metaphysicam longe quaslibet naturales facultates superare.

Pro intelligentia sciendum est, nobilitatem rei sumi ex bonitate, vt videtur insinuare Philosophus in textu, vbi inter bona connumerauit scientiam de anima, ipsum autem bonum (vt notum est) triplex est, scilicet vtile, honestum, & delectabile. Vtile dicitur, quod non propter se, sed propter aliud acquiritur, vel optatur, vt vsus equi, diuitiarum &c. Honestum dicitur, quod gratia sui est appetibile, sicut sunt virtutes, scientiae &c. Delectabile autem, quod aliquam affert delectationem: quae tria membra secundum diuersas rationes, in eodem reperiri possunt, vt patet de virtutibus; sunt etenim bona vtilia, honesta, & delectabilia: Sed quoniam bonum honestum est dignum, & maximum, sequitur tanquam ex propria natura, quod sit laudabile, & honorabile: id enim laudabile dicitur, quod ratione excellentiae ore hominum celebrari debet, sicut laus est testimonium excellentiae exhibitum. Honorabile autem id est, quod pariter propter excellentiam reuerentiam exigit, quemadmodum honor est reuerentiae exhibitio: patet igitur, qua de causa bonum honorabile hanc scientiam Philosophus appellauerit. Nunc quomodo inter primas connumerari debeat, declaremus. Sciendum est ergo secundò, nobilitatem scientiarum sumi praecipuè ex parte obiecti formalis, secundariò ex parte certitudinis, ex parte inquam obiecti formalis, a quo potissimum esse, & distinctionem recipit, quemadmodum res naturales a propria differentia, vel forma. Vnde si consideretur homo, vel, vt quantus, vel, vt corruptibilis, ex formalitate quanti, vel corruptibilitatis nobilitas, ac ratio quoque scientiae sumenda est. At quo ad certitudinem etiam nobilitas attenditur, sic nimirum, quòd illud obiectum, quod magis, vel clarius natum est percipi, perfectionem, & (si fas est dicere) nobiliorem parit notitiam, vt nobilior suo modo est scietia, quo ad certitudinem, quam quis habet de existentia elementorum, vel aliorum corruptibilium, quam de intelligentijs: quod vero haec nobilitas at inferior ex eo suaderi potest, quod non dat esse simpliciter scientiae, & per consequens neq; nobilitatem. Tertiò notandum, quod haec Arist. comparatio potest intelligi in ordine ad alias partes naturalis Philosophiae tantum, & in ordine ad omnes alias scientias. Pariter ea, in quibus fit, comparatio, possunt accipi coniunctim, vel diuisim: coniunctim, sic nimirum, quod ipsius Animae scientia, alias, & nobilitate obiecti, & certitudine simul superet; diuisim vero, quod quibusdam vno, alijs vero alio modo praecellat. Quibus habitis, ponuntur tres conclusiones.

Bonum triplex. — Laus. — Honor.

Prima. Scientia de anima in comparatione ad omnes alias naturalis Philosophiae partes vtroque modo est nobilior; quo ad obiectum probatur; nam in ipsa consideratur anima sub propria ratione essentiae, & informandi, sic autem considerata, omnes alias partes (vt discurrenti patere potest) excedit. At ratione certitudinis nullum est dubium, si quidem quo ad effectus, qui sunt scientiarum fines, est omnibus sic manifesta, vt fortè nihil aliud sit notius. Quis namq; passiones, effectus, & alia, quae ab anima procedunt, non cognoscit? At si dicatur, hoc non est propriè scientifice cognoscere, sed potius per principia. Respondetur; quod quamuis non sic exactè principia cognoscantur, tamen infallibiliter effectus percipiuntur, quod non accidit in alijs; nec etenim hoc est inconueniens; sufficit namque interdum principiorum cognitio solius existentiae, vt reliqua perfectè sciantur, quemadmodum contingit de Sole: nemo etenim perfectè ipsius naturam attingit, & tamen effectus saltem vniuersaliores ab omnibus ferè comprehenduntur. 1. Concl.

Secunda conclusio. Scientia de Anima in comparatione ad Metaphysicam, & sacram Theologiam est nobilior solum quo ad certitudinem, non autem quo ad obiectum: vtraq; pars est manifesta: certius namque, & facilius cognoscimus animae existentiam, ac proprietates, quam Dei, vel intelligentiarum, sicut è contra hae longius illam entitate, ac per consequens dignitate superant. 2. Concl.

Tertia conclusio. In comparatione ad alias quascunque scientias est nobilior vtroque modo. Probatur, nam nihil est nobilius anima potissimum rationali, quae sufficiens est denominationem efficere: nihil ve certius cognoscitur (vt iam etiam dictum est) quã eius existentia, & effectus. At argumenta soluamus. Ad primum dicitur, difficillimum esse accipere fidem, & cognitionem de natura quidditatiua, & explicita ipsius animae: at facilè quidem est eius existentiam cognoscere, haec autem satis est ad reliqua scientificè cognoscenda, vt declaratum est; Ex qua solutione duo incidentaliter possunt inferri corollaria; primum, non esse necessarium de subiecto semper perfectè cognoscere quid est, sed sufficere interdum si est. Secundum, quod haec cognitio de anima non est adeo exacta, quin difficultates circa eius essentiam remaneant quamplurimae; vnde etiam difficillima dici potest, neque propterea aliae scientiae sunt certiores, quia fortè aeque aliarum rerum quidditates sunt difficiles cognitu, vel quia haec de anima certitudo ex effectibus rependitur, vel superatur. 3. Concl. Ad primum Arg.

Ad

Ad secundum dicitur; Mathematicas dici certissimas, quo ad principia, quæ digito (vt sic dicam) ostenduntur; at ratione passionum, existentiæ, & vniuersalitatis hæc illas vincit; vniuersalitate inquam (reliqua sunt exposita) quia omnibus constat, animam, & suas proprietates esse, quod ad scientiarum certitudinem maximè confert.

Ad tertium iam visum est in conclusionibus, sed dum dicitur, primum Motorem nobilitate vincere animam, respondetur, id esse verum secundum essentiam; at sub ratione formali motoris nequaquam; sic autem consideratur ibidem. At si dicatur, considerari quoque sub ratione essentiæ, quia de eius vnitate, & infinitate, & virtute, quæ ad essentiam attinent, agitur. Respondetur, hæc omnia tractari in gratiam motus, vt vnitas, vel dependentia, vel finitas, aut infinitas ipsius simul vniuersi percipiatur; cęlum autem ab anima intellectiua superatur; secundum quam partem hæc Philosophiæ pars nobilior est cum Philosopho censenda. De Sacra Theologia, & Metaphys. gratis conceditur, quod hanc superent facultatem ratione obiecti, & si secundum certitudinem superentur.

QVÆSTIO V.

Omniquaque autem, & omnino difficillimum est accipere aliquam fidem de ipsa. Tex. 4.

An scientia de anima sit difficillima.

QVamuis in solutione primi argumenti præcedentis quæstionis prædictam propositionem explicuerimus, quia tamen quamplures remanent circa eandem difficultates, paulò prolixius eam examinare oportet. Quod itaque non sit verum probatur. Difficilis cognitio sumitur ex parua entitate, vel summa distantia obiecti, à quo quidem (operante principaliter intellectu) causatur. At Anima ipsa nec est minimæ entitatis, cum sit actus perfectus, nec maximè distat, cum sit eadem cognoscens, & cognitum; quare, &c. Præterea. Metaphysica ab Aristot. in primo eiusdem operis cap. 2. omnibus difficilior appellatur; ergo hoc huic scientię tribuendum non est.

Prò intelligentia sciendum est, quod difficultas cognoscendi aliquid potest intelligi, vt proueniat ex parte rei cognoscibilis, vel ex parte intellectus cognoscentis; ex parte rei, si in se non sit facilè cognoscibilis, quamuis intellectus eam cognoscere posset: ex parte autem intellectus, si rem cognoscibilem ob sui imbecillitatem cognoscere nequiret; quemadmodum se habent oculi Noctuæ ad lumen Solis; quamuis etenim ex se lumen ipsum sit maximè cognoscibile, non possunt ob imbecillitatem in ipsum aciem figere; circa quam controuersiam quamplurimi asserunt, aliqua ex parte sui, aliqua ex defectu intellectus difficulter cognoscibilia esse; sed profectò decipiuntur; quando etenim aliquid ex sua natura est tale, vbicunque ponatur, vel apud quodcunque comparetur, erit tale; siquidem, quæ per se alicui conueniunt, inseparabilia sunt: vt, quoniam ignis est calidus, vbique, & in comparatione ad quodlibet, calidus erit, vel destruetur: quamobrem si difficultas cognitionis ex parte rei se teneret, sic nimirum, quod minimè, vel parum cognoscibilis esset, apud quoscunque intellectus esset talis; quia intelligibilitas est passio à rebus inseparabilis, & hoc pacto etiam in comparatione ad intellectum intelligentiarum, & ipsiusmet Dei aliqua, imò eadem esset cognoscendi difficultas; quemadmodum apud eosdem idem est homo, vel calor ignis, &c. quod quam sit absurdum, non est, qui non videat; solum ergo ex parte intellectus cognoscentis id accidit; qua de causa alter altero circa idem obiectum, & ab eodem doctore institutus, iisdemque adhibitis laboribus est doctior. Verum est tamen, quod proportio cognitionis sequitur naturam cognoscibilium, sic videlicet, quod perfectior est cognitio nobilioris obiecti, quæ solum se tenet ex parte obiecti, non autem ex parte certitudinis; hęc etenim ratione, intellectus non impeditus sic perfectè materiam primam, quæ est omnium infima, sicut Deum omnium supræmum intelligeret. Difficultas itaque (vt ad rem deueniamus) cognitionis animæ est ex intellectus nostri dumtaxat debilitate, quod, vt melius intelligatur, sit secundo notandum. Quod ad cognoscendum aliquid, non sufficit maxima obiecti intimitas, vel præstantia, quin potius obest, vt patet de sensibus; si etenim obiectum aliquod ipsorum intra ipsos constituatur, ne dum melius, sed nullatenus percipitur; oculus namque non videt colores, si intra ipsum existant; nec tactus qualitates tangibiles &c. Ratio est, quia potentiæ nostræ cognoscitiuæ (vt diuinas excipiamus) solum per receptionem specierum cognoscunt; nec etenim possibile est, res ipsas in anima realiter existere, nec sua essentia sic eminenter omnia continere, vt in se ipsa more diuino cognosceret; species igitur recipit à rebus; hæ autem ab ipsis projiciuntur ex directo, non secus, atque sagitta ex arcu; quamobrem necessariò extra cognoscentem potentiam obiectum esse debet, saltem ad facilè cognoscendum, (non etenim negandum est per reflexionem fieri sui ipsius intellectionem, nec est omnimoda similitudo de sagitta, aliter esset identitas) ac eadem de causa obiectum dicitur, quasi obijciatur, vel opponatur, quod idem respectu sui ipsius efficere nequit.

Tertiò notandum, quod hæc rei cognoscibilis difficultas multiplex esse potest secundum diuersas quæstiones, vel prædicata, quæ rei cognoscibili competunt; imò respectu alicuius erit facilis, respectu alterius difficilis, vt de aliquo cognoscere facilè poterimus si est; ignorare autem, quid sit, vel, quæ sint eius proprietates, & pariter aliquas proprietates cognoscere, aliquas vero nequaquam; nec etenim æqualiter omnia intellectui obijciuntur, ob ipsius intellectus impedimenta diuersa. Quibus habitis ponuntur tres conclusiones.

Prima. Cognitio si est de anima, seu cognitio ipsius existentiæ facilis est. Probatur authoritate Philosophi in primo textu huius libri. Amplius; cuius effectus sunt notissimi, & ipsum quoque existere notissimum est; at animæ effectus communes notissimi sunt, siquidem viuere, moueri à se, augeri, nutriri &c. & omnibus innotescunt, & solum ab anima prouenire certè scitur. 1. Concl.

Secunda conclusio. Anima quo ad passiones vniuersales, sicut est sentire, intelligere, &c. pariter magna cum facilitate cognoscitur; quę conclusio poterit ex pręcedenti probari, imò ex se notissima est. Secunda.

Tertia conclusio. Anima, quo ad quidditatem, vel immediata prædicata, nec non quo ad peculiares quasdam passiones, vel potius quo ad modos earum est difficillimè cognoscibilis; probatur, & authoritate Arist. in præcitato tex. 4. & ratione. Nam, quod maximè à nobis secundum sensitiuam cognitionem distat, est difficilius cognitu; siquidem omnis nostra cognitio ex sensu incipit; anima autem quoad prædicta prædicata, & passiones sic se habet, ergo. Est tamen notandum, quod diximus non simpliciter passiones, sed potius modos operandi, vel effectus producendos esse incognitos; clarum namque est, animal tristari, gaudere, irasci, misereri &c. Sed qua de causa, aut quibus motibus peculiaribus id accidat, est adeò incognitum, vt ferè nihil perfectè percipere possimus; quod ex eo magis patet, quod omnes, tum bonæ, quam prauæ sanitatis dispositiones ex his proueniunt; quæ tamen si cognoscerentur certa quidem esset Tertia.

Medicorum operatio, quæ tamen incertissima, & fallax in diem plus semper apparet, Nunc argumenta soluenda sunt;

Ad primum ergo dicatur, nec ob paruam animæ entitatem, neque ob eius præsentialem distantiam esse difficilem cognitionem, sed quia non directè intelligenti obijcitur, nec eius species per sensus recipiuntur, vt declaratum est.

Ad secundum dicitur, animæ cognitionem, non esse in comparatione ad omnes alias difficillimam: sed solum inter ipsas connumerari; difficilior namque est metaphysica; At si dicatur; superlatiuum omnia excedere. Respondetur, de ratione superlatiui, est non admittere superius, sed æqualia sibi non repugnant. Vnde quando omnia excedit exponitur affirmatiuè hoc modo. Hector est fortissimus omnium Troianorum. Hector est fortis, ac omnes alios Troianorum excedit. Sed quando admittit æqualia, sic negatiuè exponitur. Hector est fortis, & nullus est fortior ipso.

QVÆSTIO VI.

Animal autem uniuersale, aut nihil est, aut posterius. Tex. 8.

1 Argum. QVæritur de veritate istius propositionis; non enim desunt argumenta, quę oppositum suadeant; Arist. namq; in Postpræd. cap. de priori, vniuersale esse prius singularibus asserit.

Secundum. Præterea: partes definientes sunt priores toto definibili; at vniuersale est pars singularium, aut particularium; vt animal est pars hominis, viuens animalis, &c.

Tertium. Amplius. Id, à quo aliud dependet, est prius ipso, sed inferius, vel particulare a superiori, vel vniuersali dependet, vt patet; nam Socrates dependet ab homine, & homo ab animali, non autem è conuersò: destructo namque homine, destruitur Socrates, & destructo animali perit homo, non e contra; hæc autem est ratio dependentiæ, & independentiæ; dependentiæ scilicet respectu rei desinentis; independentiæ respectu remanentis; hæc, quo ad hanc partem, sufficiant; sed quo ad primam, in qua dicitur, aut nihil est; facilius veræ, & efficacissimæ obiectiones adduci possunt, quæ simul in vnam hoc modo (breuitatis causa) reducantur. Quod est definibile, scibile, ac intellectus terminatiuum, non potest esse nihil; nam de non ente non est scientia, ex primo Poster. cap. primo: quod autem hæc omnia ipsi vniuersali contingant, ex se notissimum est.

Prò resolutione igitur huius quæstionis, communiter recentiores Philosophantes de duplici vniuersali distinguunt; aliud namque reale, vel primæ intentionis, aliud rationis, vel secundæ intentionis esse affirmant, vt animal est primo modo vniuersale; genus vero secundo. At quamuis hoc vniuersale sic dupliciter consideratum non sit reijciendum; applicatio tamen est penitus falsa, & inepta; dicunt etenim vniuersale primæ intentionis esse prius singularibus (& verum in hoc dicunt) Secundæ autem esse posterius, vel nihil, & in hoc decipiuntur; quia neque ad mentem Philosophi, neque secundum veritatem loquuntur; non ad mentem Philosophi, quia expressè ibi loquitur de definitione animæ in communi, & monet, quod quamuis in vniuersali definiri possit, non est credendum eam à singularibus separatam esse; quamobrem cum non secunda intentio, sed anima definienda proponatur, error ipsorum patet, ac exemplo eiusdem Philosophi magis conuincitur; si quidem de animal exemplificat, ac cætera alia vniuersalia, quæ hoc modo prædicantur, sic se habere affirmat: at prædicari, & esse vniuersale, sicut animal euidentissimè liquet, nihil ad secundas intentiones pertinere: sic namque omnes definitiones essent secundarum intentionum, nullaque daretur scientia realis, quæ sic denominatur à rebus cõsideratis, inter quas præcipuè sunt definitiones. Neque secundum rationem loquuntur; quoniam si vniuersalia secundæ intentionis essent nihil, nulla de eis daretur scientia; vnde vniuersa periret Logica, quæ potissimum de ijs tractat, ac ijs innititur. At quo ad aliam partem, videlicet, vniuersalia hæc esse posteriora singularibus non est negandum; si quidem in ipsis singularibus fundantur, & ab ipsis virtute collatiui intellectus eliciuntur (qua quidem ratione ipsemet quandoque, non tamen ex professo exponendo Philosophum, sed sensum propositionis, tanquam non suæ, hac eadem expositione vsus sum) tamen est semper claudicatio circa illam particulam nihil; cum re vera sint aliquid rationis, & in rebus fundata: nisi diceretur, esse nihil reale, & per se existens, quæ fortè non est intollerabilis euasio. Attamen cum non secundum mentem Philosophi (quam exponere intendunt) loquantur, penitus reijciendi sunt.

Pro solutione ergo sciendum est, Doctores vt plurimum loqui in eorum sermonibus, vel scriptis secundum subiectam, ac frequenter controuersam materiam, potissimum si alia adsit circa eandem opinio, quæ apud omnes, vel plurimos vigeat. Tempore igitur Aristotelis maximè Platonis doctrina vigebat, & ad propositum de Ideis, quæ ponebantur ab ipso vniuersales à singularibus separatæ, incorruptibiles, æternæ, & eiusdem rationis cum singularibus, vt susè patet in Metaph. ferè per totam; dum ergo monet, animam in vniuersali definiendam esse, ne in Platonicos receptos errores auditores inciderent, necessarium fuit aduertere, ne propter hoc crederent, animam ipsam, vel aliud quodcunque vniuersale reale definibile esse separatum à singularibus, ac æternum &c., quare subinfert hoc vniuersale Platonicum, aut nihil esse, aut posterius singularibus, & per consequens ad definiendum inutile: quoniam definiens pars, (vt supra tactum est,) prior est definibili: dicit ergo, hoc vniuersale, aut nihil esse, quoniam, nullatenus ipsum admittit, & in Metaph. penitus reprobat, aut posterius esse; nam si à singularibus separatur, vt asserebat Plato, est posterius ipsis, maximè, si id, à quo separatur sit fundamentum ipsius, vt idem Plato supponebat, vel secundum Aristotelis testimonium supponendum est. Vel dicatur (& sine scrupulo) ipsum Aristotelem per modum transitus reprobasse hoc vniuersale Platonis; ita vt solum moneret, non esse credendum, vt modo præfato, detur; sed pro tunc supponeretur, aut esse nihil, aut posterius singularibus, quod exactius in proprio loco declarandum reliquit; est etenim Scriptorum mos, vt dum non ex professo de re aliqua agitur, sed solum incidentaliter, & causa exempli, perplexè, vel irresolutè loquantur, solum approbando, vel reprobando, quod intendunt, nihil de modo determinando; sic sufficit Aristot. hoc vniuersale esse nihil, vel posterius, vt hoc, vel illo modo ineptum esse ad definitionem ostenderet; nec etenim nihil, neque posterius ad definiendum est aptum, & sic patet. Argumenta autem nihil sunt contra hoc, omniaque verum concludunt. Resolut.

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

Accidentia conferunt ſecundum magnam partem, ad cognoſcendum ipſum quid eſt. Tex. 11.

An hoc ſit verum, & quomodo.

1. Argum. VIdetur igitur non eſſe verum; quoniam cognitio ex principijs ſumitur, at accidentia non ſunt principia ſubſtantiæ, ſed è contra, ergo.

Secundum. Præterea. Cognitio quidditatis eſt ſimplex, in qua non eſt verum, neque falſum, at ſi per accidentia cognoſceretur eſſet diſcurſiua; ergo.

Tertium. Amplius. Si per accidentia ſubſtantia cognoſceretur, nullus haberetur de ipſa ſubſtantia diſtinctus, vel ab accidentibus abſtractus conceptus, quod quidem falſum eſt; nam ipſius ſubſtantiæ aſſignabilis eſt propria definitio, abſque vllo ordine ad accidentia; conſequentia eſt nota; nam dum aliquid ad cognitionem alicuius attinet, debet cum illo ſimul intelligi.

Quartum. Præterea. Vna ſubſtantia non confert ad aliam cognoſcendam; ergo neque accidens ad cognoſcendam ſubſtantiam, antecedens probatur; nam, diuerſarum ſubſtantiarum, diuerſæ ſunt naturæ; at diuerſitas potius obeſt, quam proſit cognoſcibilitati; & exemplis quoque notum eſt; Aſini namque cognitio, vel Leonis, aut alterius cuiuſuis ſpeciei, ad Hominem, vel aliam animalis ſpeciem cognoſcendam non attinent. Conſequentia probatur; quia magis conuenit ſubſtantia cum ſubſtantia, quam cum accidentibus; ergo magis pertinero deberet ad cognitionem, quæ ex conuenientia rerũ elicitur.

Quintum. Denique. Subſtantia ad cognoſcenda accidentia eſt neceſſariò ſumenda, cum ipſa accidentia per ſubiectum definiantur; ergo accidentia ipſa non faciunt ad cognitionem ſubſtantiæ; aliter idem eſſet notius, & ignotius, prius, & poſterius: nam quod eſt cauſa cognitionis alicuius eſt notius, & prius, aliud ignotius, & poſterius.

Pro intelligentia ſciendum eſt primò: quod hoc loco Philoſophus per quid eſt non intelligit ſimpliciter ſubſtantiam, vt aliqui falsò arbitrantur, ſed vnamquamque rei eſſentiam, vel quidditatem, ſiue ſit ſubſtantia, ſiue accidens; nec etenim eſt inconueniens, accidentis eſſe aliud accidens; quo pacto dicimus, graue, & acutum eſſe accidentia ſoni; curuum, & rectum lineæ, &c. Verum cum omnium primum receptiuum, vel ſubiectum ſit ipſa ſubſtantia, hinc eſt, quod in ordine ad ipſam accidentia denominationem recipiunt, & contra eandem diſtinguuntur, vel quaſi, ex directo opponuntur.

Secundò notandum, quod hæc accidentia, tam in comparatione ad ſubſtantiam propriè dictam, quam ad eſſentiam, vel quidditatem, diuiduntur in communia, & propria; communia ſunt, quæ pluribus ineſſe poſſunt, vt viſibilitas non ſolum lineæ, ſed corpori, & ſuperficiei, & ſubſtantiæ quoque accidens commune exiſtit; nec etenim inconuenit, idem reſpectu accidentium, & ſubſtantiæ eſſe commune accidens; proprium verò dicitur, quod ex aliqua determinata natura prouenit, vt eſſe viſibile coloris, audibile ſoni, &c. de quibus alibi fusè determinauimus.

Tertiò notandum: quod duplex eſt cognitio, quædam à priori, quę videlicet habetur per cauſas, quædam à poſteriori, quæ habetur per effectus, vt docet Phyloſophus in primo poſteriorum; hæc autem, quæ per effectus habetur, ſicut eſt imperfectior, ſic nobis eſt facilior; quia ab imperfectioribus naturaliter procedamus. Quibus habitis, ponuntur tres concluſiones.

1. Concl. Prima. Accidentia communia, tam in comparatione ad quidditatem, vel eſſentiam; quàm ad veram ſubſtantiam, cuius ſunt accidentia, conferunt ad ipſarum communem cognitionem (voco cognitionem communem, quæ eſt tantum exiſtentiæ, identitatis, vel diuerſitatis genericæ, vel tranſcendentalis) ſic nimirum, quod ſi accidentia communia perſpiciamus, ſubſtantiam vt ipſorum ſubiectum exiſtere etiam cognoſcemus, nec non cum alia, cui hæc quoq; accidentia competant, conuenire; ab alijs verò quibus minimè conueniunt, differre; ſi etenim duas res albas perſpiciamus, aliquam communem cauſam albedinis vtrique ineſſe colligimus; ſicut è contra albo, & nigro perſpectis, ex hac parte maiorem aliquam in cauſis diuerſitatem elicimus; quamobrem (epilogando) accidentia communia ad cognitionem eſſentiæ, vel ſubſtantiæ in communi conducunt; quæ quidem cognitio quamuis non ſit quidditatiua perfectè, ita vt ſit definitiua, eſt tamen verè quidditatiua; quatenus aliquod prædicatum in quid de ipſa nobis inſinuat.

Secunda concluſio. Accidentia propria faciunt ad cognitionem magis propriam, & perfectè quidditatiuam eſſentiæ; probatur; nam immediatè ab ipſa fluunt, & cum eadem conuertuntur; ergo facilè ex ipſis eam cognoſcere poterimus, & dicimus notanter facilè, quia non ſic immediatè ad ipſius quidditatiuam cognitionem ducunt, vt ab omni prorſus errore liberi ſimus; imò hac de cauſa Philoſophus vſus eſt hoc verbo (conferre) quod eſt adiuuare, vel vtilitatem afferre; ſuppletur poſtea hęc cognitio ex intellectus collatione, & diſcurſu. Amplius: demonſtratio, quia eſt optima via ad inueſtigandas cauſas, vt diſertè docetur in poſter. hæc autem eſt ex effectibus proprijs, vt ibidem declaratur; ergo. Ratio autem hæc parum à præcedenti differt, ſed ſit ad clariorem notitiam. Quod verò omnia accidentia ad rerum eſſentias indagandas conferant, hoc argumento confirmatur. Omnis noſtra cognitio (vt ſæpe, ſemper tamen ad propoſitũ dictum eſt) ortum habet ex ſenſibus; at ſenſus ipſi immediatè non cognoſcunt, niſi accidentia; ergo ſi hæc ad ſubſtantiæ cognitionem non conferrent, nulla vtique eſſet ipſius ſubſtantiæ notitia; quod verò omnium ſenſuum obiecta ſint accidentia, declaratur; nam obiectum viſus eſt color, vel in communi qualitas viſibilis; auditus; ſonus, guſtus, ſapor; olfactus, odor; tactus quatuor qualitates tangibiles, cum alijs, (de quibus fusè in ſecundo) imò ſenſibilia ipſa communia, ſunt etiam accidentia; nam ſunt motus, magnitudo, quies, numerus, & figura. Diximus autem notanter, ſenſum immediatè, reſpicere accidentia; quoniam inficiendum non eſt, mediatè, & quaſi implicitè in ſubſtantiam quoque ſimul ferri: nec etenim credibile eſt, quod panis, dum figuram, colorem, & ſaporem panis percipit, ſubſtantiam nullatenus comprehendat, ſed ad illius tantum accidentia moueatur; niſi fortè diceretur, ipſum diſcurrere, quod abſurdius eſt: accidentia, ergo ipſa duplex habent quo ad hoc munus, videlicet, ſe ipſa immediatè repræſentare, & ſecundariò quaſi imperfectę imagines, ſubſtantias; nec etenim negandum eſt ipſas quoq; ſubſtantias propriã ſpeciem intelligibilem tamen habere, quamuis difficilè ſit etiam intellectui, ab omnibus accidentibus ſolutas penitus ipſas cognoſcere: difficilè inquam: nam impoſſibile (ſaltem ſub ratione communi) non cenſeo.

Tertia concluſio. Hæc omnium accidentium cognitio in ordine ad ſubſtantiam eſt imperfecta, & à poſteriori; imperfecta, quia non eſt per cauſas, vel principia; à poſteriori verò, quoniam accidentia ſicut ſunt poſteriora ſubſtantia, ſic notitiam ipſius efficiunt. Sed argumenta ſoluamus.

Ad primum dicimus, cognitionem à priori, & quidditatiuam à principijs ſumi: ſed à poſteriori, & quaſi manuductiuam à poſterioribus.

Ad ſecundum dicitur: cognitionem quidditatiuam ſubſtantiæ, vel eſſentiæ, iam acquiſitam (quę videlicet per

solam definitionem explicatur) non esse profectò discursiuam, sed simplicem; dum autem acquiritur, nullum est inconueniens, vt per discursum habeatur, aliter omnis demonstratio, quia (quæ discursus est de accidentibus ad substantiam) auferretur; per hoc autem differt à cognitione demonstratiua, quia hæc semper est cum discursu.

Ad tertium negatur consequentia: ad probationem dicitur; id quod attinet ad alicuius cognitionem, debere cum illo intelligi, dum attinet, vel dum per ipsum acquiritur talis cognitio; sed deinceps dimitti potest, & aliud solum intelligi, sicut per motum intelligimus Deum, postea vero sine ipso.

Ad quartum negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod quamuis vna substantia magis conueniat cum alia in ratione entitatis, & naturæ, attamen ratione ordinis (qui est necessarius ad cognitionem discursiuam) maior est conuenientia accidentis ad substãtiam. Neque tamen negandum penitus est, aliquam substantiam ad alterius cognitionem attinere, vt creaturarum ad Deum, formarum ad materias, &c.

Ad quintum pariter negatur consequentia; neque etenim est inconueniens secundum diuersas rationes, aliquid esse prius, & posterius, notius, & ignotius. Substantia ergo, cognitione quidditatiua, perfecta, vel à priori, aut independenti (essentiali dependentia) est prior, & notior accidentibus. Sed accidentia ipsa cognitione imperfecta, à posteriori, & dependenti sunt notiora, & priora substantia; sicut vnicus homo secundum diuersas dignitates, potest alicui præcellere, ac subijci.

QVÆSTIO VIII.

Et propter hæc iam Naturalis est considerare de anima, &c. Tex. 15.

An scientia de anima ad Physicum attineat.

Videbitur fortè cuipiam superfluum, nec prẹter Aristot. intentum, rem hanc in controuersiam adducere, si quidem tres libros de anima efficit, ac disertissimis rationibus in 2. physic. tex. 25. & inde eiusdem esse facultatis formam, & materiam cognoscere, asserit; Ex alia tamen parte, eiusdem adsunt authoritates, & quamplurimæ contra fieri solent non paruipendendæ rationes. Aristotel. ergo, (vt ab eius authoritatibus incipiamus) in 2. phys. tex. 26. postquam dixit, physicum considerare vsque ad eam formam, quæ est in materia, & ab ipsa separabilis (quam animam rationalem esse iure exposuimus) subdit, quomodo autem se habeat, hæc separabilis, & quid sit, Philosophiæ primæ est officium determinare. Et in 2. huius operis tex. 32. habet. De speculatiuo autem intellectu, alius sermo est, & quidam exponunt, (non mal) hunc sermonem esse metaphysicum. Ac in primo de partibus animalium cap. 1. asserit, si Physica ageret de intellectu, ageret de omni ente, quoniam agens de potentia, agit de obiecto ipsius, sed ens est obiectum intellectus; ergo; quamobrem cùm Physica de omni ente non tractet, neque de intellectiua anima tractabit, &c. Rationibus sic. Solum de ijs agit physicus, quæ materiam concernunt ex 2. physic. tex. 21.; at anima separata non concernit materiam; ergo.

Amplius. Phylosophus in vltimo textu 1. phys. habet hæc verba, De physicis autem, & corruptibilibus formis in posterius demonstrandis dicemus; at anima rationalis non est generabilis, nec corruptibilis; ergo. Quamplurima alia huiusmodi fieri possunt argumenta, sed hæc sufficiant. Pro solutione ergo, sciendum est, triplex esse (vt melius dicetur in secundo) genus animæ, videlicet vegetatiuæ, sensitiuæ, & intellectiuæ; de duobus primis nulla est difficultas, cùm etenim, & in esse, & in operari à materia dependeant, vbi de materia agitur, de ipsis quoque agendum est; Difficultas igitur est de intellectiua; hæc autem considerari potest tripliciter; primò quo ad esse, secundò quo ad operari per sensus, tertiò quo ad alias operationes, quæ sensuum captum superant, nec ipsorum ope indigent, cuiusmodi est speculari, velle, &c. Hoc autem speculari debet considerari dupliciter, vel quatenus à phantasmatibus pendet, seu ipsis vtitur; vel prout abstrahit, aut purum existit. Quibus habitis tres ponamus conclusiones.

Prima. Anima rationalis secundum esse à Physico considerari debet, probatur; nam est re vera forma corporis (vt fusius, & ex professo probabimus, &c.); at eiusdem est considerare formam, & id cuius est forma, hoc autem ad Physicum attinet; quare.

Præterea. Anima definitur in communi, quæ definitio conuenit etiam (vt in 2. dicemus) animæ rationali, ergo de ipsa agendum est. Præterea: fit liber peculiaris de ipsa puta tertius, ergo.

Secunda conclusio. Anima rationalis quo ad operationes per sensus elicitas, sicut sunt omnes sensationes, ac intellectiones vtentes phantasmatibus, etiam à Physico consideranda est; probatur, nam hæ sunt operationes physicæ, vel materiæ inhærentes. Amplius ab eodem Philosopho sic plenè, & absolutè consideratur, ergo.

Tertia conclusio. Anima rationalis, secundum omnes operationes, quæ à materia non pendent, à Metaphysico consideranda est. Hæc conclusio omnibus authoritatibus, & rationibus in principio quæstionis habitis fulcitur: attamen contra ipsam non desunt efficacissimæ instantiæ. Nota tamẽ additionẽ.

Prima. Philosophus in præcitato tex. 26. 2. Phys. asserit, Philosophiæ primę esse speculari quid ipsa sit; ergo non solùm operationes, sed ipsius quoque natura est à Metaphysico contemplanda; quod primæ conclusioni repugnat. 1. Obiect.

Præterea. Cuius est considerare essentiam, eiusdem est considerare operationes, quia passiones sic necessariò cum essentia iunguntur, vt scientia per ipsas compleatur; passio namque in qualibet scientia de subiecto demonstratur; terminus autem, vel finis passionum est operatio, & ita clarus, vt superuacaneum sit ipsum exponere; sufficit namque ostendere verbi gratia hominem esse corruptibilem, vt corruptionem futuram ex ipso noscamus; quamobrem si essentia à Physico cognoscitur, & operationes cognoscentur, vel si hæ tractantur in Metaphysica, ibi de essentia quoque agendum erit, cum sic ab ipsa pendeant, vt sine ea intelligibiles minimè sint. Secunda.

Amplius. Si intellectus consideratur in Metaphysicis, ibi agendum est de quolibet ente, vt supra inducebamus de Physica; hoc autem est falsum, quoniam omnes aliæ scientiæ superfluerent, & de facto contra experientiam. Tertia.

Præterea. Hoc modo supponitur animam esse secundum Philosophum separabilem, & immortalem, quod tamen sic in eius doctrina videtur in controuersiam ductum, vt nil problematicum magis appareat. Quarta.

His tamen non obstantibus in suo robore conclusio maneat, quæ magis ex obiectionum solutione illucescet.

Ad primam ergo dicitur, alicuius rei duplex esse quid, Ad primam aliud immediatum particulare, & definitiuum, propria, & quidditatiua definitione, vt de homine, quod est animal rationale. Aliud vero remotum, & quasi transcendens, videlicet quod sit ens, finitum, vel infinitum, ab hoc, vel ab illo diuersum, aut cum hoc, & alio conueniens, quod quidem discrimen diuersitatem scientiarum respicit;

respicit; prima namque est Physica, secunda est Metaphysica consideratio, quod facilius accidere potest, & secundum realem veritatem non solum exemplis, ijs quæ duplicem sortiri possunt statum, vt ad rem accidit de rationali anima; potest namque prout est coniuncta corpori considerari secundum veram quidditatem proprium, & sic definitur esse actum corporis, & est Physica consideratio, &c. At alio modo provt separata, vel separabilis supponitur, definiri potest in ratione entis; videlicet esse substantiam immaterialem, intellectiuam, a corporeis diuersam, cum intelligentijs conuenientem, &c. quæ quidem definitio (vt patet) est vniuersalis, nec præcedentem labefactat, sed supponit; semper enim vbicunque existat, est formaliter actus, vel formainumquam totum, vel materia; hoc itaque vniuersali modo, qui propriè separabilitatem respicit, quid ipsa sit, in prima Philosophia determinatur; sicque Philosophus loquitur. At est instantia. Nam sic non solum secundum operationes speculatiuas; (vt conclusio asserit) sed secundum quidditatem quoque consideratur. Respondetur. Nos dixisse, non considerari secundum quidditatem peculiarem, & materiam respicientem; hanc autem vniuersalem excipere non intelleximus, quin potius (data cum argumentis occasione) vt necessariam supponere; quamobrem huius instantiæ solutio sit prædictæ conclusio, vel corroboratio, vel potius additio, aut explanatio.

Additio ad tertiam cóclus.

Ad secundum, respondetur, operationes proportionari essentiæ, & quoad fieri, & quoad considerationem; quamobrem si essentia peculiariter alicubi consideretur, ibi sunt eius proprietates secundum huiusmodi considerationem tractandæ; in libris itaque Physicis de anima, proprietates, quæ à forma informante, & peculiari anima fluunt declarantur; in Metaphysica verò, quæ vt à separata spirituali, & intellectuali absque alio ordine eliciuntur.

Ad tertium, negatur consequentia; ad probationem dicitur, non omnibus modis de obiecto in facultate, vel tractatu de potentia agendum esse, sed solum provt est, vel attingibile, vel motiuum, aut terminatiuum potentiæ; v.g. agendum est de colore, vbi agitur de visu, sed provt ipse color est à visu perceptibilis: at de generatione ipsius, de variaq; mistione, necnon de diuersis secundum distantias apparentijs, hoc non est necessarium; quinimò de vltima consideratione est scientia Perspectiua, vt patet; quamuis, ne plures inutiliter multiplicentur scientiæ, satis vtiliter hæc vel omnia, vel quampluria in vnum congeruntur, simulque sub vnam reducuntur considerationem. Ad rem igitur, sufficit vt omne ens, provt est perceptibile ab intellectu in Metaph. consideretur, vt habeatur de eodem intellectu doctrina. Sed est instantia; nam Philosophus sic de Physica dicit; cur etenim est vtriusque dispar ratio? si etenim Physica de intellectu ageret, de quolibet ente tractaret; quare sic non valet de Metaphys.? Respondetur, Physicam fere ad omnia, præterquam ad entia separata se extendere; quapropter si hæc quoque pertingeret, nimirum, & humanum, & alios intellectus, pauca sibi speculanda superessent; non sic de Metaphys. quæ substantias duntaxat, vel abstracta entia (inter quæ connumerandus est separatus intellectus) speculatur.

Ad quartum secundum varias diuersorum Aristotelis doctrinæ extorsiones, diuersas quoque responsiones adhibere possemus. Qui etenim animam secundum Philosophum corruptibilem esse statuunt, dicerent, præfatas authoritates non de humano intellectu informante esse intelligendas; sed vel de assistente, quæ in vniuersalem vocant (vt in tertio dicemus) vel de diuino, aut intelligentiarum; vel modo de hoc, modo de illis, secundum sententiarum prædictarum sensum. At qui dubium fuisse Aristot. de hac immortalitate defendunt, pariter suspensiuè, vel conditionaliter hæc omnia asseruisse asserent; sic videlicet, quod si anima est separabilis, eius consideratio est Metaphys. Qui denique immortalitatem defendent, negabunt, fuisse dubium de hoc, ac per consequens dubium, vel incertum supponere, nisi quoad probationem, quod posterius efficiendum relinquitur. Nec tamen ego aliquid nunc determino, sed cum vtrisque vltimis conclusionem prædictam integram manere intendo.

Argumenta autem in principio quæstionis probant, reuera non omnem animæ considerationem esse physicam, vt resolutum est, ideò solutione non indigent. Petit tamen quandam solutionem locus ille Philosophi 1. Physic. tex. vlt. quomodo nimirum aliquo modo agatur de anima rationali in Physicis, si solum de corruptibilibus agi dicatur.

Respondetur; animam rationalem dici posse corruptibilem, provt separatur à materia, ac definit esse forma, corruptionemq; ex eius desitione inducit, ac ad generationem, & corruptionem formaliter pertinet, quod satis est, vt cum entibus corruptibilibus in consideratione adscribatur; non etenim omnia debent esse ex se corruptibilia, sed ad corruptibilitatem attinere, vt cum his connumerentur.

QVÆSTIO IX.

Differenter autem definiet Naturalis, & Dialecticus. Tex. 16.

An Dialecticus definiat per formam.

Arguitur primò, quod non. Forma est physicæ considerationis ex 2. Phys. tex. 21. & inde; ergo.

Secundò. Definitiones, quæ per formam dantur sunt perfectæ, quemadmodum ipsa forma est essentialis rei perfectio; at dialecticæ dicuntur vanæ, ex hoc lib. tex. 11. ergo.

Tertiò. Dialecticus definit per genus, & differentiam, quorum vnum materiæ, aliud vero formæ locum habet; ergo non per formam.

Quarto. Definitio per formam tribuitur à Philosopho in 2. Phys. tex. 68. Mathematico; ergo non est proprium Dialectici.

Pro intelligentia sciendum est, quadruplicem esse definitionem, (vt elicitur ex hoc libro tex. 17.) nempe Physicam, Logicam, Mathematicam, & Metaphysicam. Vocatur physica definitio, quæ sic naturam rei explicat, vt immediatam materiam cum aptitudine ad principales rationes includat; si etenim motus non explicetur, naturalis definitio non erit, ex 2. Physic. tex. 19. & ex 3. tex. 1. quod quidem declaratur à Philosopho in præcitato tex. 16. iram namque esse feruorem sanguinis circa cor Physicus definit, in qua motio, & proxima materia includitur. Dialectica autem definitio est, quæ circa quodcunque ens per genus, & differentiam traditur; Cùm etenim Dialectica sit omnium aliarum facultatum instrumentum; ita scilicet, quod tradat methodum definiendi, diuidendi, arguendi, ac demonstrandi circa omnes scientias, dum ipsius Dialecticæ præcepta seruabimus, erunt Dialectica munia; tradit igitur ipsa, definitionem ex genere, & differentia esse conflandam; ideo vbicunque hæc adhibeatur, Dialectica erit; Verum est tamen, quod id commodè præstari non poterit, absq; aliarum scientiarum cognitione, quod tamen nihil obstat; sicut etenim probabiles syllogismos, vel fallaces circa quamcunque materiam, Topicos illos, sophisticos hos appellamus: sic omnis definitio ex genere, & differen-

Definitio Physica.

Dialectica.

differentia Dialectica est dicenda; neque credendum est, quod hic accipiatur genus, & differentia pro secundis intentionibus; quoniam hoc pacto definitio non egrederetur metas Logicæ, atque per consequens omnium aliarum instrumentum vniuersale non esset; sed accipiantur pro connotato, vt genus, verbi gratia in definitione hominis, pro animali; differentia, pro rationali. Neque dicatur, hanc esse definitionem Metaphysicam, vt sæpe à vulgaribus permultos audiui; sic etenim nulla esset Logica, vel solum secundarum intentionum, quod falsum est; quia sic nullatenus instrumentum aliorum esset; si quidem in nullo eis inseruiret, ac etiam est contra Philosophum in præcedenti textu; dicit enim, Dialecticum definire iram esse appetitum recontristationis, & tamen ira est passio naturalis; nec per genus, & differentiam secundæ intentionis (vt patet) definitur.

Mathematica. Mathematica autem definitio est respectu rei, vel quantitatis à materia non separatæ, sed vt separatæ consideratæ; definit namque lineam esse longitudinem sine latitudine, &c. nulla habita mentione de materia, vel subiecto, in quo ipsa linea existit; quamobrem omnes illæ dicendæ sunt mathematicæ definitiones, quæ quantitates, vt separatas definiunt. At Metaphysica tandem est rerum abstractarum secundum esse, & considerationem à materia; quemadmodum definiuntur intelligentiæ, ac omnia transcendentia; nempe ens, vnũ, bonum, diuersitas, identitas, actus, potentia, &c. Hæc etenim saltẽ in aliquibus ab omni materia separata reperiri possũt, quod sat est, vt separata, vel separabilia dicãtur. Arist. tamen in tex. 17. videtur etiam de quibusdã alijs definitionibus, puta secundũ artes Medicinæ, vel fabrilis mentionem facere; at sicut Medicina à naturali Philosophia dependet, vnde Physica dicitur, sic credendum est ad ipsam ipsius definitiones reducendas esse, paulò clarius materiam propriam explicando, quod sat est, vt proprium retinendo nomen à naturalibus non sint penitus diuersæ. Idem dici potest de quibuscunque artificialium (ne plura multiplicando confusio gignatur) singulariter namque materiam respiciunt, vnde physicæ æmulantur.

Metaphysica.

Ex his autem quæ superius diximus, sequitur notabile quoddam corrollarium; videlicet omnes alias definitiones, Logicam includere, sed non è contra; omnes etenim, vel per genus, & differentiam assignantur, vel facile ad hunc modum reduci possunt, aut implicitè ipsum continent; at quando ad entia separata contrahuntur, contractionem nominis accipiunt, ac metaphysicæ dicuntur, dum ad quantitates abstractas, mathematicæ, ad materiam signatam, vel peculiarem cum aliqua aptitudine ad motum physicæ, non secus, atque genus ad species contrahitur; imò hac de causa rarò accidet, vt solum Dialecticæ dicantur, nisi vel sint de secundis intentionibus, vel propriam determinatam materiam relinquendo, ad genus, & differentiam confugiant, quod sæpissimè accidit circa Physica.

Secundò notandum; quod Dialecticus accipitur dupliciter, vno modo vniuersaliter, & idem valet, quod vniuersæ Logicæ cognitionem habens, secundum quam acceptionem omnia prædicta intelligenda esse volumus, sic namque est vniuersalis artifex, ac per omnes facultates procedere docet; alio modo accipitur, pro eo, qui tantum ea facultate, vel parte Logicæ, quæ Topica dicitur, pollet, & hic definit modo probabili, puta per accidentia communia; & ferè poeticè, saltem vt plurimum; cuius definitiones dicuntur vane, hoc est non scientificæ, vel ad demonstrationem potissimam attinentes: attamen quia multis inseruiunt, non sunt à Logica, (quæ tradit vniuersalem modum sciendi circa omnia) reijcienda.

Tertiò notandum, quod proprium materiæ est subijci, ideo quæcunque subijciuntur, & ipsi assimilantur, materialia, vel entia subiectiua dicuntur, (materia namque est subiectum) quæ vero opposito modo se habent, videlicet quod non subijciuntur, sed prædicantur, habent, rationem formæ; secundum quam considerationem vniuersalia formæ, particularia materiæ similantur, ac quo magis aliquid est vniuersale, eo magis nomen, & similitudinem formæ sortitur. Ex quibus facile est quæstionem soluere, & pro clariori adolescentium notitia, ponatur talis conclusio.

Conclusio. Dialecticus definit per formam; probatur, quia omnes definitiones, quas tradit, & tradendas docet, ex genere, & differentia constituendas esse dicit; hæc autem est ratio formæ ad rem nostram, nec aliter est intelligendum. Sed est quædam dubitatio, sic namque Metaphysicus videretur proximius materiã respicere, quam Logicus, si quidem non sic vniuersaliter definiat; respondetur, secundum hanc considerationem vniuersalitatis concedi posse; attamen quia ipse Metaphysicus considerat substantias secundum esse penitus immateriales, & Logicus ad omnia extendatur, ideo simpliciter dicendum est, minus materiam illum, quam Logicum respicere. Sed est quædam alia dubitatio, an definitio hominis hæc communis (Animal rationale) sit Logica, vel Metaphysica. Respondetur, simpliciter esse Logicam, quoniam abstrahitur à consideratione physica, nec Metaphysicam pertingit, si quidem nihil à materia separatum includitur. Sed argumenta soluamus.

Ad primum dicitur; non accipi hic à Philosopho formam, prout est altera pars compositi, sed modo exposito, pro vniuersali conceptu.

Ad secundum patet in secundo notabili.

Ad tertium dicitur; quod quamuis genus in comparatione ad differentiam, à qua (vt materia à forma) coarctatur, materia dicatur; tamen in comparatione ad subijcibilia, & definibilia, ambo rationem formæ sortiuntur.

Ad quartum dicitur; definitionem per formam accidentalem quantam, materiæ secundum esse hærens, ac sola ratione abstractam tribui quidem Mathematico; at alio modo expositonequaquam.

QVÆSTIO X.

Horum autem, hic quidem assignat materiam. Tex. 16.

An Physicus definiat per materiam.

Arguitur primò, quòd non. Nam ipsemet Philosophus hoc in loco circa finem præallegati textus eam definitionem esse optimam asserit, quæ materiam, & formam includit, & specialiter de naturali loquitur; & in 2. Physic. tex. 21. considerationem physicam, sicut considerationem finitatis esse asserit, videlicet materiæ, & formæ simul.

Secundò. Definitio explicat essentiam rei definitæ; at quamplurium rerum naturalium essentia ex materia, & forma constat; ergo vtraque apponenda est in ipsarum definitione.

Si præsens quæstio cum præcedentis conferatur, facili negotio soluitur; sicut enim illic pro forma, qua in definiendo vtitur Logicus, non formam propriè dictam accepimus, sed vniuersales rationes duntaxat; sic quoque hic non simpliciter materiam, quæ est altera pars compositi, sed rationes peculiares accipiendæ sunt, ita vt sensus sit, Logicum per vniuersalia definire, Physicum verò per magis particularia, vel magis determinata, aut minus ab-

nus abstracta; nec etenim simpliciter singularia (quæ ad scientias non attinent) adhibet; hæc autem expositio est consona textui, alijsque locis Arist. nam (vt alia omittantur) in 2. Phys. tex. 19. ait, Physica esse minus abstracta, quam Mathematica: quamobrem sunt omnibus alijs abstracta minus; nam de Logicis, & Metaphysicis non est dubitatio; vnde magis ad materiam accedunt modo præexposito. Posset etiam dici, Physicum per materiam definire, non simpliciter, sed per quandam attributionem; provt videlicet exactè materiam, ac conditiones eius explicat; quod quidem nulla aliarum scientiarum efficit. Diuersimodè tamen materiam ipsam considerat, videlicet, vel primam tantum, quando definit corpora ex sola materia, & forma constantia, sicut sunt elementa; vel secundam, quę nimirum est corpus imperfectum ad vlteriorem formam ordinatum, sicut est semen, vel corpus viuentium, vel elementa, qua vtitur, dum ipsa viuentia, vel alia mixta definit; aut denique vtitur subiecto composito, vel completo, quod ei contingit in definitione accidentium, vel aliarum passionum; & quoniam ex sensibilibus est processus ipsius; nihil autē sensibile dicitur, nisi in aliqua materia ex prædictis existat; hinc quoque dici potest, per materiam definire, hoc est per formam, vel alias differentias, quæ in materia sensibili existunt. Et quamuis nulla substantia sit per se sensibilis (vt sæpe dictum est) & minus, quam alia ipsa materia prima, sensibilis tamen dicitur, provt sensibilium est fundamentum, vel receptiuum. Non facimus autem aliquam mentionem de definitione eiusdem materiæ; quoniam ad ipsam definiendam, materia non adhibetur; nam materiæ non est materia, nec formæ forma. Quid ergo ad quæstionem dicendum sit, constat.

QVÆSTIO XI.

Quod secundum se bonum est propter aliud non est. Tex. 42.

Quæritur de veritate huius dicti.

VIdetur namq; falsum; nam omne bonum est communicabile; ergo alijs communicari debet, & per consequens propter illa est, aliter talis communicatio non intenderet finem, quod est absurdum. Respondetur tamen, propositionem duplicem habere sensum: primus est, id quod est bonum secundum se, videlicet secundum suam essentiam, sic quod ab alio non dependeat, neque quoad esse, neque quoad bonitatem, sed ex se omnia habeat, sicut est prima causa, hoc non esse propter aliud, ita vt ordinetur ad aliud, veluti ad finem; nec propter aliud tanquam à causa efficienti, quod quidem veritatem habet; At si quis dicat; non est etiam propter conseruationem Vniuersi? Respondetur, hoc non dici esse propter finem, sed propter indigentiam ipsius Vniuersi; quamobrem dupliciter aliqua ad aliud ordinantur, vel, vt ab ipsis bonum recipiant, & sic sunt simpliciter propter aliud, & dicuntur propter finem, à quo dependent: alio modo, vt illis bonum impertiantur, vel illorum indigentiam suppleāt, & hæc simpliciter ad aliud ordinata non dicuntur; imò sunt nobiliora his, ad quæ ordinantur; sicut ordinatur Medicus ad curandum infirmum, pater ad nutriendos filios, &c. Contrario autem modo se habet seruus respectu domini; homo in ordine ad felicitatem. Secundus verò sensus est iste; quod propter se bonum est, propter aliud non est; .s. quod ex sua natura est essentialiter bonum, vel tale, hoc non est bonum per accidens, seu non potest non esse bonum, quæ expositio est vniuersalis, ac conformatur ei, in qua dicitur; quando aliquid est essentialiter tale, nec per se, nec per accidens aliter esse potest. Argumentum autem solutum est; quod enim est communicabile, non dicitur absolutè propter aliud, secundum quam acceptionem currebat.

QVÆSTIO XII.

Rationabilius autem dubitabit vtique aliquis de ipsa tanquam, quæ moueatur, &c. Tex. 62.

An anima à se ipsa moueri possit.

QVæstio hæc, quamuis de quolibet motu fieri posset, ita, vt esset sensus; an sit per se generabilis, augmentabilis, &c. tamen solum de motu locali est sermo, neque de omnibus animabus; nam vegetatiua, & sensitiua cum sint corruptibiles, & à materia dependentes, quemadmodū sine ipsa existere nequeūt; sic neque per se moueri poterunt; nam moueri per se est moueri solum, seu non cum altero iunctum, aut cum indigentia; quod etenim, vel ad motum alterius duntaxat mouetur, vel alterius in sui motione indiget, hoc per se simpliciter moueri non est dicendum. Est igitur quæstio de anima rationali, (quæ pro nunc supponatur separabilis, quod siue sit verum, siue falsum, pro nunc nihil refert) vt igitur quæstionem resoluamus, operęprecium est, vel memoriæ mandare, vel breuiter saltem repetere, quæ in quæstione quarta, sexti Physicorum, & in quinta octaui habuimus; ex his namque hæc vniuersa pendet. Ex quæstione ergo sexti Physicorum habentur rationes sufficientes, quæ indiuisibilia in genere substantia moueri posse concludunt, ex octauo autem soluuntur præcipuè difficultates maximè in solutione quinti argumenti: quomodo videlicet aliquid sit in actu, & in potentia, &c. Sed vt frustra penitus præsens quæstio mota non sit, aliquid adhuc dicamus. Sciendum est ergo. Quod motus localis sumitur ex ratione loci, sic nimirum, quod mobile sit in loco, & quod successiuè diuersas ipsius loci partes occupet, quamobrem secundum diuersitatem essendi in loco, sic quoque diuersi sibi correspondent motus. Quot autem modis aliquid in loco esse dicatur, fusè in octauo Physicorum quæst. 10. dictum est. Et pro nūc sit satis duplex, videlicet circumscriptiuè, & definitiuè, primo modo est sic mobile loco aptari, vt ei æquetur, vel ipsum impleat, aut occupet, sicut se habent omnia corpora. At alio modo est sic esse hic, quod non alibi, siue locus occupetur per dimensiones, siue non, quod dicitur esse in loco definitiuè. Anima ergo rationalis, si supponatur separabilis, erit solum in loco definitiuè, sed ipsius non solum indiuisibilitatem, sed essentiam, quoq; ac virtutem considerare debemus; ipsa igitur essentia est omnis virtutis, omnisque operationis fundamentum; quamobrem, per ipsam principaliter est in loco, sicut corpora per suam substantiā quantam; nec est verum quod sit in loco per operationes, vt aliqui imaginantur; quæcunque etenim operatio, siue actualis, siue aptitudinalis (vt omnes sic asserentium distinctiones includam) esse illius, cuius est operatio, supponit: anima ergo, vel alia quæuis substantia immaterialis prius necessariò est, quam actualiter, vel aptitudinaliter operetur. Vel ergo est vbique, vel nullibi, vel alicubi, non primo modo, quia hoc est solius Dei, neque secundo, quia omne quod est, alicubi est, vel per se, vel per accidens, vel circūscriptiuè, vel definitiuè, quamobrem remanet tertium membrum. Est igitur anima

separata in loco definitiuè, cuius tria sunt consideranda, videlicet virtus, actus ipsius, & receptiuum, quæ sic differunt, vt sufficienter saluetur actus, & potentia, agens, & patiens; Difficilius namque argumentum, quod contra hoc fieri posset, est, quod ipsa esset simul in actu, & in potentia, ac agens, & patiens, cui quidem modo prędicto respondetur, nimirum non esse, secundum eandem rationem; quatenus enim agit, non est idem formaliter cum ratione receptiua, &c. Sed dubium adhuc est; quoniam, quod est in loco definitiuè nullam connotat diuisibilitatem, & per consequens diuisibili loco, vel spatio respondere non potest.

Respondetur, & si nulla sit diuisibilitas quantitatiua, vel repletiua loci, est tamen diuisibilitas virtualis; sic nimirũ, quod absque vlla occupatione pluribus locis respondeat, quæ diuisibilitas per operationẽ cognoscitur; vbi etenim operatur aliquid ibi est (saltem secundum aliquas operationes; nam de quibusdam transeuntibus fallit, percutit namque aliquis aliquem à se distantem lapide, &c.) hæc autem fuit in causa, vt aliter dicentes deciperentur; virtus igitur eius immaterialiter se diffundit, vt alibi exemplificauimus de lumine; hoc etenim absque vlla loci occupatione, diuersa transit, & penetrat loca diaphana. Sed duæ remanent difficultates; altera est, si alijs motibus à locali moueri possit. Secunda, si in corpore existens aliquem per se possit motum exercere. Ad primam dicitur, præter alterationem, nullam sibi inesse posse mutationem; omnes etenim aliæ (vt intuenti patet) corpus respiciunt, neque est qualibet alteratione alterabilis, sed perfectiua solum (vocetur autem nunc perfectiua, quæ ad corruptionem non terminatur, non autem, quod quælibet perficiat, afflictiuæ namque perfectionem non inducunt.) Ad secundam dicitur, aliquem motum animam ipsam efficere posse; sed non esse simpliciter per se, nec in sua potestate, aliquem inquam; quoniam dum transit ad informandum nutrimentum nouum, vel dum aliquas partes informare desinit (quod accidit, dum membra aliqua sunt exsiccata, vel alio morbo indisposita) profectò aliquam efficit mutationem, de loco ad locum, vel de parte spatij ad aliam, quod sat est. Diximus autem, hunc motum non esse per se simpliciter, quoniam non est animæ separatæ, sed simul cum corpore, ac etiam, quia ad ipsum efficiendum spiritus vitales, se quoque retrahentes, vel mouentes concurrunt: diximus, motum illum non esse in sua potestate, quod de se compertissimum esse credo; nec etenim quando vult, vel nutrimentum informat, vel aliquas partes relinquit, sed primus motus est purè naturalis, atque ad motum generationis, vel augmentationis reducitur, saltem ratione termini; alter est purè violentus, violentia opposita alterationi, vel potius naturali ipsius informationi, non autem motui locali; quia sic non est nata in corpore anima naturaliter magis huc, quam illuc moueri, imò forte nullibi; sed sequens corporis dispositiones, à quibus in informando dependet, secundum illas variatur.

Ex dictis etiam infertur, motum animæ separatæ, non esse naturalem ad modum ignis, vt videtur dicere Arist. contra Antiquos, qui ipsam animam de natura alicuius elementi ponebant; sed esse naturalem ex parte voluntatis; quemadmodum hominem naturaliter ambulare pronunciamus, & si sit solum voluntatis actio.

Finis Primi Libri de Anima.



ANTO-

ANTONII ROCCI

De Scurcula Marsorum.

IN SECVNDVM LIBRVM ARISTOTELIS de Anima Paraphrasis.

S V M M Æ   L I B R I.

IN Prima inuestigatur, & traditur definitio Animæ.
In Secunda agitur de ipsius potentijs in vniuersali.
In Tertia de potentia vegetatiua.
In Quarta de sensitiua.
In Quinta probatur non dari sextum sensum.
In Sexta agitur de sensu communi cum quibusdam dubitationibus.
In Septima de Imaginatione.

SVMMÆ PRIMÆ CAPVT PRIMVM.

Traditur definitio animæ, quæ solum declarat quid.

Tex. 1. *VM autem superius dixerimus, quæ à Prioribus dicta sunt de anima, iterum tanquam à principio redeamus (quasi nullum bonum principium ab Antiquis de ipsa anima acceptum sit) tentantes determinare, quid est anima, & quæ vtique erit communissima definitio ipsius, quæ scilicet vniuocè omnibus animabus conueniat.*

Tex. 2. Substantia. Triplex. *Dicimus itaque, vnum quoddam genus eorum, quæ sunt, (seu entium) esse substantiã. Huius autẽ aliud quidẽ esse dicimus materiã, quæ secũdum se non est hoc aliquid, seu non est substãtia cõpleta, et perfecta. Aliud dicimus esse formã, et speciem, secundũ quã iam dicitur hoc aliquid; seu secundum quam fit substantia perfecta, ex ipsa videlicet, et materia. Tertium tandem est compositum, quod ex his (nempe ex materia, & forma) constat. Diuiditur igitur substantia sublunaris (nam Deus, & Intelligentiæ, quæ maximè sunt substantiæ sub nullo istorum membrorum continentur) in materiam, formam, & compositum. Est autem materia quidem potentia, seu ens in potentia ad formam. Forma autem actus; est tamen notandum, quod* Actus duplex. *duplex est actus; quidam dicitur primus, & est, qui dat esse principale rei, seu est esse ipsius rei; alter verò secundus, & hic est operatio, vel accidens rei, & vterque tam in substantijs, quam in accidentibus reperiri potest; vt in homine anima rationalis est actus primus, discursus est secundus; in scientia, ipsa qualitas, vel habitus dicitur actus primus, speculari verò, quod fit per ipsam, est secundus; qui tamen duo actus sic se habent, quod actus secundus semper est accidens, siuè immediatè sit à substantia, siuè ab alio accidenti: sed actus primus potest esse substantia, & accidens, & actus primus in accidentibus comparatus ad substantiam est actus secundus.*

Substantiæ autem maximè videntur esse corpora, & horum naturalia; hæc enim sunt principia aliorum corporum non naturalium, sed Mathematicorum, quæ sunt accidentia de genere quantitatis; vnde cum omne accidens à substantia oriatur, etiam hæc corpora erunt huiusmodi. Tex. 3. *Naturalium autem, alia quidem habent vitam, alia autem non habent; vitam autem habere dicimus, quæ habent alitionem, augmentationem, & diminutionem; sic tamen, quod qualibet istarum mutationum fiat per ipsum corpus, ab interno principio, quod est anima; quare quæ ab externo augentur, vel minuuntur, vt aqua, vel aliud, aut nutriri dicuntur, vt ignis, non oportet, quod vitam habeant. Cum igitur corpora naturalia substantiæ sint, & inter ista connumerentur corpora viuentia, sequitur, quod omne corpus naturale participans vita, substantia erit; substantia tamen sic, vt composita, quia non est simpliciter substantia, sed etiam vitam includit, quæ ab anima est, vt videbimus, & sic corpus viuens, ex corpore, & anima constat, & idem est, quod corpus animatum.*

Quoniam autem corpus hoc naturale prædictum est Tex. 4. *huiusmodi, vt non tantum corpus sit, sed etiam vitam habeat, non vtique anima erit corpus; quia corpus non est*

corum,

eorum, quæ sunt in subiecto; magis autem sicut materia, & subiectum est, anima vero è contra est eorum, quæ in subiecto, vel materia sunt; vnde ipsa corpus non erit; ex alia vero parte cum corpus animatum sit substantia, & habeat esse hoc ab anima, ipsa quoque anima substantia erit. Necesse est ergo, animam substantiam esse, sicut formam corporis naturalis; quod quidem corpus mediante ipsa anima est in potētia ad habendam vitam, seu ad exercendas operationes vitales, vt sentire, nutriri, &c. dupliciter namque accipitur vita; vno modo pro forma substantiali rei animatæ; & sic dicimus aliquod animal viuere, dum animam habet; secundo pro operationibus ipsius animæ, vt sentire, nutriri, &c. quæ acceptio interdum se extendit secundum vsum communem ad operationes, & virtutes morales, & ad vitia sibi opposita; vnde dicimus, aliquem sanctam ducere vitam, alium verò impiè viuere, &c.

Vita dupliciter.

Tex. 5. Actus igitur, seu forma substantia est, (ea videlicet, quæ dat esse substantiale; nam datur etiam actus, & forma accidentalis) at anima est actus, vel forma; ergo erit substantia, & forma non nisi huiusmodi corporis viuentis. Actus autem dicitur dupliciter, vt etiam supra diximus; alius quidem sicut scientia, seu sicut actus primus; alius autem sicut speculatio, seu sicut actus secundus (nam speculatio est actus secundus, & operatio scientiæ, loquendo de speculatione perfecta, & scientifica; imperfecta enim, & non scientifica, sed naturalis potest etiam scientiam præcedere, vt notum est.) Manifestum ergo, quod ipsa anima est sicut scientia, (seu est actus primus; sicut scientia dicitur quoque primus actus, non simpliciter, sed tantum in ordine ad alias operationes accidentales; anima vero est simpliciter actus, & sic aliquomodo differt, aliquo vero conuenit, & est locutio per similitudinem, quæ omnem conuenientiam non requirit.) Quod autem anima sit simpliciter primus, probatur; nam talis actus dicitur actus, à quo simpliciter procedunt operationes, & alia accidentia, sed anima sic se habet respectu viuentis, ergo; probatur minor; nam ex eo, quod anima inest viuenti, & somnus, & vigilia, quæ sunt ipsius viuentis operationes, insunt; proportionale autem quid est vigilia quidem speculationi; somnus autem habitui non exeunti in actum, ita vt sicut speculatio, & habitus non exiens in actum sunt effectus ipsius scientiæ (non accipiendo habitum prout est genus ad scientiam; sic etenim non est effectus ipsius, sed pro illa habituatione, quæ ex scientia, seu speculari scientifico prouenit) ita vigilia, & somnus sunt ipsius animæ effectus, & operationes: quare actus primus ipsa est.

Tex. 6. Prior autem generatione in eodem scientia est, quam sit speculatio scientifica; ergo respectu speculationis scientia est actus primus; ergo à simili anima erit actus primus viuentis, cum ipsa sit prior generatione omnibus eius operationibus. Vnde anima est actus primus corporis naturalis potentia vitam habentis (quod videlicet est in potentia, vt habeat vitam, seu operationes vitales mediante anima) tale autem sit hoc corpus, quod vtique sit instrumentale, seu organicum. Quare (epilogando) Animæ definitio hæc erit: Anima est actus primus corporis naturalis organici, potentiam vitam habentis. Quod autem anima sit actus corporis organici, probatur in plantis, quæ animatæ sunt, & organa, seu instrumenta habent; ergo multo magis alia animata, cum plantæ ipsæ minimæ, & simplicissimæ inter animata sint, ita vt vix animatæ videantur; quare si quod minus videtur tale erit, & quod magis. Quod verò plantæ sint huiusmodi, patet. Nam instrumenta plantarum, sunt partes ipsarum, & si talia instrumenta sint penitus simplicia, nihil tamen refert. Vt folium est coopercimentum eius partis plantarum, quæ est circa fructuum originem, ac putamen vocatur; id autem, quod est circa fructum, nempe putamen ipsum, est instrumentum fructuum; radices verò ori similes sunt, vtraque enim (tam scilicet os, quam radices) trahunt alimentum; & sic plantæ diuersa habent organa, & instrumenta. Ergo alia quoque viuentia.

Anima.

Si autem aliquid erit commune omni animæ (tam videlicet vegetatiuæ, quam sensitiuæ, & rationali) erit vtique hoc, quod qualibet sit actus primus corporis naturalis, & instrumentalis. Vnde non oportet quærere, si anima, & corpus vnum sint, seu vnum verè compositum substantiale efficiant; sicut neq; quærere oportet, an vnum sit, ceram, & figuram esse suo modo vnum; neque omnino, si materia vniuscuiusque sit, vel efficiat vnum cum eo, cuius est materia, videlicet cum forma. Vnum enim & esse, cum multipliciter dicatur, (dicitur enim vnum & ens per accidens, vt homo albus; dicitur similiter per aggregationem, vt cumulus tritici; dicitur quoque per collectionem multorum, vt ciuitas; quæ tamen omnes sunt vnitates per accidens) quod propriè vnum est, actus, seu forma est, vel potius ab actu, vel forma habet veram vnitatem; ergo cum anima sit forma ex ipsa, & materia fit per se, ac propriè vnum. Tex. 7.

Ratio compositionis est ab actu, & potentia.

Vniuersaliter igitur dictum est, quid sit anima, substantia enim est, quæ secundum rationem, seu, quæ secundum definitionem accipitur; hoc autem est, quod quid erat esse, seu forma huiusmodi viuentis corporis, quod à simili probatur; si aliquod instrumentum artificiale, vt securis, esset corpus naturale, & animatum, esse, vel substantia, atque anima eius, esset esse securis, seu consisteret in tali forma artificiali; nam separata hac forma non esset amplius securis, nisi æquiuocè, sicut picta; nunc autem est securis propter talem formam; ita ipsius viuentis forma est anima; nam remota anima non remanet tale, nisi æquiuocè, vt notum est de cadauere. Non tamen ipsa anima est, vel esse potest quid erat esse, seu quidditas, & forma huiuscemodi corporis artificialis. Sed est forma corporis naturalis instrumentalis huiuscemodi, quod habet in seipso principium motus, & quietis. Tex. 8.

Considerare autem, & in partibus animalis oportet, quod dictum est, scilicet, quod anima sit forma. Si enim oculus esset animal, anima vtique ipsius esset visus: hic enim est substantia oculi, quæ accipitur secundum definitionem, ac formam. Oculus autem, seu organum illud visus est materia visus, quo visu deficiente, non dicitur amplius oculus, nisi æquiuocè; sicut lapideus, aut depictus. Quod igitur est in parte viuentis corporis, oportet in toto viuente corpore accipere; proportionaliter namque se habent sensus, sicut pars ad partem; ita totus sensus ad totum corpus sensitiuum, secundum quod sensitiuum est. Ergo si in parte eius, forma dicitur, quæ dat esse & operari, & sine qua talis pars æquiuocè nuncupatur, pariter quæ dat esse, & operari toti, erit eius forma; hæc autem non est nisi anima; ergo. Tex. 9.

Quia dictum est, animam esse actum corporis, quod est in potentia, vt viuat; nunc hoc melius declarandum est. Sit igitur notandum, quod aliquod corpus potest dici esse in potentia ad viuendum dupliciter, scilicet, vel potentia remota, vel propinqua; primo modo dicitur, quod actualiter animā non habet, sed eā abiecit, vt semen, & fructus, Tex. 10.

Semen non viuit.

qui

qui animam abiecerunt, seu eam radicaliter produxerunt ex se ipsis eam abijciendo, hoc est ex se tribuendo ipsi animæ principium, & (vt ita loquar) eam seminando, & hæc corpora in potentia remota sunt, vt viuant, (saltem expressè, & secundum determinatas, & manifestas operationes; nam sit hucusque problema, an semen sit animatum, seu viuat, vel non, quod in quæstionibus examinabitur) In potentia vero propinqua est, quod animam actualiter habet expressè; Et operationes manifestas (secundum quas viuere dicitur) exercere potest. Dum igitur dicimus, animam esse actum corporis, quod est in potentia vt viuat, intelligimus de potentia propinqua; Vnde quod abiecit animam non est existens in potentia, vt viuat. Sed quod animam habet. Quare semen, & fructus (vt dictum est) sunt corpora existentia in potentia huiusmodi, nempe remota, quia animam abiecerunt. Sicut igitur incisio est operatio securis, & visio operatio visus, vel oculi; sic & vigilia, & alij actus, vt sentire, augeri, &c. sunt operationes animæ. Vt autem potentia visiua, seu visus ipse (nam idem sunt) est potentia, seu virtus, & formæ instrumenti, vel organi, nempe oculi; sic anima est forma corporis viuentis. Corpus autem est, quod potentia, vel materia ipsius existit. Et sicut

Visus est oculus, & pupilla.

visus est oculus, & pupilla, seu ex organo, & virtute visiua constat, similiter ibi in viuentibus, anima, & corpus sunt animal, vel animal constituunt.

Tex. 11.

Quod igitur anima non sit separabilis à corpore, aut saltem secundum quasdam partes, vel potentias ipsius (si nata sit esse partibilis in plures potentias, quòd conditionaliter modo dicitur, non quod certum non sit, eam plures habere potentias, sed quod nondum determinatum sit) non immanifestum est. Nam quarundam ipsarum partium corporis, secundum quasdam potentias, nempe sensitiuas, & vegetatiuas ipsa anima est actus dependens à corpore, & à potentia ipsius educta, qui autem sic est, inseparabilis est à corpore ipso, sic quod sine ipso existere nequit. Et quia in aliquibus viuentibus cum istis tantùm potentijs potest ipsa anima reperiri, vt in brutis, & plantis ab ipsorum corpore erit simpliciter inseparabilis. At vero quasdam potentias nihil prohibet separabiles esse, propterea quod nullius corporis sunt actus, nec ab ipso corpore dependentes, nec ipso, vt determinato organo vtentes, huiusmodi autem potentiæ sunt intellectus, & voluntas, quæ quidem cum sint propriæ animæ rationalis, ipsa separabilis erit, non tamen sic, quod in separatione eius relinquatur anima sensitiua, & vegetatiua in homine, quæ non sunt plures animæ in eodem composito, vt supra probatum est in primo libro tex. 91. & inde. Sed tamen sic erit separabilis à talibus potentijs, quod eis nullatenus vti poterit, cum organum corporeum requirant, & circa corpus exerceantur, attamen in potentia remota etiam ipsi separatæ animæ inerunt, quod est dicere, eas esse in potestate animæ, vt in principali principio; sed corpus etiam requiritur. Amplius autem, non adhuc demonstratiuè manifestum est, si anima sit actus corporis, sicut nauta nauis, aut alio aliquo modo; licet enim definitionem ipsius animæ tradiderimus, in qua eam esse actum primum corporis, & per se viuum cum ipso efficere statuerimus (quod nauta nunquam potest efficere cum naui) tamen quia definitio est positio quædam, & ad libitum recipi, vel reijci potest; ideo per ipsam nondum manifestum est modo scientifico, & impermutabili, quomodo anima ipsa sit actus. Figura igitur, seu non modo demonstratiuo, sic determinatum, & descriptum sit de anima.

Intellectus est separabilis.

CAPVT II.

Explicatur definitio animæ per causam.

Tex. 12.

Qvoniam autem ex obscuris quidem secundum naturam, nobis autem manifestioribus fit certum, & secundum rationem notius id, quod nobis obscurum est, tentandum est iterum sic aggredi de ipsa anima. Non enim solum ipsum quid sit oportet definitiuam rationem ostendere, sicut plures definitiones dicunt; sed causa tali definitioni inesse debet, & apparere seu nota esse etiam definientibus. Nunc autem ratione, seu modi definitionum, quæ non per causam dantur, sunt potius, vt conclusiones per alias causa demonstrabiles, quam definitiones perfectè naturam explicantes, huiusmodi autem sunt, quæ solum per formam, & materiam dantur, sicut est prædicta de anima, & quædam de Tetragonismo, seu quadrato, vt si quæratur, quid est Tetragonismus, respondetur per causam formalem, quod sit rectangulus æquilateralis æqualis ex vna parte longiori, nempe quadrangulo, cuius quadranguli duo latera longiora sunt alteris. Seu quadratum est, quod habet quattuor latera æqualia. Dicens autem, quòd Tetragonismus est inuentio mediæ lineæ, erit hæc definitio per causam, quæ explicat, cur tale quadratum sit huiusmodi. Pro cuius intelligentia est notandum, quod dicitur inuentio mediæ lineæ, dum ex vno quadrangulo, qui habeat partes, vel latera duo inæqualia, seu longiora, quæ sint verbi gratia, vt duodecim respectu trium; latera autem breuiora, vt tria se habeant, ex quibus sumatur linea quædam media inter duodecim, & tria hæc erit, vt sex; quare vt latus breuius habeat æqualitatem cum longiori, debemus, & ipsum, & longiora ex sex mensuris, vel æqualibus partibus construere, & sic erit per inuentionem mediæ quadratum perfectum; hæc igitur definitio, quæ explicat causam cur quadratum sit ex omnibus lineis æqualibus, erit bona; sic illa quæ explicabit cur anima sit actus, bona erit, & perfectior, quam quæ datur solum per formam, & materiam. Vnde hic per causam non intelligitur causa efficiens externa, quia ipsa minus explicat rationem, vel naturam rei definitæ; sed aliqua ratio, definitioni addita, vel ex parte finis, vel ex parte operationis talis rei definitæ, vel quæ aliquo alio modo id nobis aliqua ratione monstret, ne sit pura fides; vel credulitas; vt si quis dicat, hominem esse animal rationale; nisi aliqua ratione id confirmet, erit definitio credita, & per consequens non scientifica.

Vt igitur animæ definitionem per causam tradamus, vel præcedentem aliqua ratione confirmemus, dicamus, accipientes principium huius considerationis, quod animatum determinatur, vel differt ab inanimato, per viuere. Cum autem ipsum viuere dicatur multipliciter, si vnum aliquod horum solum alicui insit, ipsum viuere dicimus; dicitur autem viuere per intellectum, sensum, motum, qui ab interno prouenit principio, & ad opposita loca, ac quietem sibi correspondentem, postulat: adhuc autem per motum secundum alimentum, & augmentum, & decrementum; ita vt quæcunque intelligere, vel sentire, vel moueri, vel quiescere, vel ali, vel augeri, aut diminui dicuntur, hæc viuentia nuncupantur, siue vna, siue plures, siue omnes prædictæ operationes sibi conueniant. Tex. 13

Viuere quot modis.

Vnde, & vegetabilia omnia nempe plantæ videntur viuere; nam videntur habere in se ipsis potentiam, & Tex. 14.

principium internum tale, per quod augmentum, & decrementum suscipiunt secundum contraria loca, nempe sursum, & deorsum, ac lateraliter; non enim sursum augentur, deorsum autem non, sed similiter in vtramque, & omnem in partem aluntur, & viuunt semper, quo vsque possunt accipere alimentum.

Tex.15. Hoc autem vegetatiuum, (quod nutritiuum, augmentatiuum, diminutiuum, & generatiuum continet) separari quidem ab alijs gradibus vitæ possibile quidem est, ita vt sine alijs reperiri possit, vt in plantis notum est; alia autem ab hoc in mortalibus impossibile est; ita quod, nec aliquod intellectiuum, nec sensitiuum esse poterit, nisi sit etiam vegetatiuum; & diximus notanter in mortalibus, quia secundum quosdam dantur immortalia quædam intellectiua, vt Cæli, vel Ideæ, quæ & sensu, & vegatiua potentia carent, quod tamen modo non determinamus, sed id fiet in tertio de Anima; ideo hoc dictum sit per modum transeundi. Quod autem vegetatiuum sit ab alijs separabile, manifestum est (vt etiam supra diximus) in vegetabilibus; nulla enim inest ipsis alia animæ potentia, quam vegetatiua, quæ tamen alias quasdam vt proprias includit, vt supra in principio huius præsentis textus dictum est.

Tex.16. Propter hoc igitur principium vegetatiuum inest communiter viuere omnibus viuentibus. Animal autem viuit primò; seu adæquatè propter sensum; ita vt viuens sit velut genus animalis, & ad ipsum per rationem sensu, seu per sensitiuum quasi per differentiam restringatur, & sic prima, & adæquata animalis differentia est sensitiuum. Quare, quæ non mouentur, seu non mutant locum (vt ostreæ, conchæ, spongiæ, & alia) habent autem sensum; non solum dicimus ea esse viuentia, sed etiam animalia.

Tex.17. Inter sensus autem is, qui primò animalibus inest, & ea in esse sensitiuo constituit est tactus, & sicut vegetatiuum potest separari à tactu, & ab omni sensu, sic tactus ab alijs sensibus, & non è conuerso. Vegetatiuum autem dicimus talem animæ partem, vel potentiam, quã plantæ participant, & viuunt. (quod quidem principium dum est cum alijs dicitur potentia, vt in animalibus, potentia, vegetatiua dicitur; dum est sine alijs, vt in plantis, dicitur anima) Animalia autem omnia videntur habere sensum tangendi.

Tex.18. Propter quam autem causam vtrumque horum accidit, quod scilicet vegetatiuum à sensitiuo separetur, & plantas constituat, sensitiuum verò animal, posterius dicemus. Nunc autem in tantum dictum sit solum, quod anima est principium horum, quæ dicta sunt, & his definita est, scilicet vegetatiuo, sensitiuo, intellectiuo, & motiuo localiter, modo prædicto ad opposita loca, & in sua potestate.

Tex.19. Vtrum autem vnumquodque horum est anima; an pars, vel potentia ipsius, & si pars, vtrum sic se habeat, quod in eodem animato sit separabilis solum ratione; an etiam loco, ita vt in vna parte animalis sit vna istarum potentiarum, in alia verò sit alia. De quibusdam quidem horum non est difficile videre, si ratione tantum, vel etiam loco separentur, quædam autem habent dubitationem.

Tex.20. Sicut enim in plantis, quædam partes diuisæ videntur viuere, etiam si separatæ sint ab inuicem, tanquam anima secundum se tota existat actualiter in vnaquaque ipsarum, ita vt quando omnes partes in eadem planta vnitæ sunt, actu quidem vna anima sit in ipsis, & in vnaquaque alia planta, potentia vero est in pluribus; nam si diuidatur erunt plures animæ, secundum omnes potentias, quæ animæ ipsius totius plantæ conueniebant; quare patet, quod in istis non distinguuntur loco potentiæ, sed sola ratione. Sic etiam videmus circa alias animæ differentias, seu circa animas, quæ à prædictis sunt differentes, videlicet, quod in qualibet parte omnes potentiæ animæ sunt; vnde neque distinguuntur loco, quod præcipuè notum est in his animalibus insectis, quæ inciduntur; etenim vtraque partium sensum habet, & motum secundum locum; si autem sensum, etiam habebunt imaginationem quandam suo modo imperfectam, & appetitum; vbi enim sensus est, & dolor, & voluptas consequitur; vbi autem hæc sunt, ex necessitate desiderium est, ad prosequendum videlicet vtilia per voluptatem, & fugienda nociua per dolorem.

De intellectu autem, vel speculatiua potentia (quod idem est) nihil adhuc manifestum est: sed videtur aliud genus animæ esse à sensitiua, & vegetatiua, & hoc solum posse separari sicut perpetuum à corruptibili. Tex.21. Intellectus separabilis, & incorruptibilis videtur.

Reliquæ autem potentiæ animę manifestum est ex his, quod separabiles non sunt, sicut quidam dicunt, & pręcipuè Plato, qui potentiam sentiendi in corde, appetitiuam in iecore collocabat; vnde eas separatas loco, per diuersas corporis partes statuebat; quod autem sint alię, & diuersæ rationes, manifestum est. Nam aliud esse conuenit sensitiuo principio, aliud vero opinatiuo, seu intellectiuo, si quidem sentire aliud est ab ipso opinari, at quorum operationes sunt diuersæ, & potentiæ diuersæ sunt; similiter autem se habet vnumquodque aliorum, quæ dicta sunt, nempè vegetatiuum, generatiuum, &c. Tex. 22.

Adhuc autem habent aliquam distinctionem in diuersis viuentibus; nam in quibusdam omnia hæc insunt, quibusdam verò quædam horum, alijs autem vnum solum; hoc autem facit differentiam viuentium, secundum quas potentias quatuor gradus viuentium constituere possumus; primus est eorum, quæ sola potentia vegetatiua prædita sunt, vt plantæ. Secundus eorum, quæ superaddunt sensum, vt spongiæ, conchę, &c. Tertius eorum, quę superaddunt motum, vt equi, leones, &c. Quartus denique eorum, quę intellectiua potentia sunt prędita, vt homines; ita vt posterior gradus in ordine hoc posito, & qui perfectione est prior omnes alios inferat, & ab illis non inferatur, & sic de alijs ordinatim dicatur; ita quod intellectiuum animal sit quoque motiuum secundum locum, sensitiuum, & vegetatiuum non autem è conuerso descendendo. Similiter autem circa sensus accidit; alia enim animalia omnes habent, alia verò quosdam, quædam verò vnum, qui est maximè necessarius, nempè tactum, in quibus sensibus non reperitur sic adamussim ordo, sicut in prædictis potentijs; omnes tamen inferunt tactum sine discrimine, & fortè etiam gustum simul, qui est quædam species tactus, non tamen habent reliqui sensus ordinem; ita vt quod habet visum, habeat etiam auditum, vel è conuerso. Tex.23. Gradus viuentium.

Tex.24. Quoniam autem id, quo viuimus, & sentimus dupliciter dicitur; vel secundum formam, à qua immediatè prouenit ipsum viuere, & sentire; vel secundum subiectum, in quo radicaliter, & quasi remote fundatur; exemplum de sanitate, & scientia, id declarabit. Sicut igitur id mediante quo scimus, aut hoc quidem scientiam dicimus (per quam videlicet scimus formaliter, & immediatè) illud autem animam (per quam scimus, vt per subiectum, in

ipsa

ipsa namque recipitur scientia, & sic vtroque horum dicimus scire, alia, & alia ratione, vt declaratum est.) Similiter autem dicitur dupliciter id mediante quo sani sumus, aliud quidem sanitas est, per quam formaliter dicimur sani, aliud autem est, quo dicimur tales materialiter, vt mediante quadam parte corporis, aut etiam toto, quod sanatur, horum autem scientia quidem, & sanitas forma est, & species quædam, & ratio, seu quidditas scientiæ, & sanitatis, & vt actus, vel formalis perfectio susceptiuorum, seu subiectorum; scientia quidem est actus scientis, seu animæ; sanitas vero corporis sani, anima vero respectu scientiæ, & corpus respectu sanitatis se habent vt materia; Est tamen notandum, quod hi actus, seu formæ, & quæcunque aliæ non possint indifferenter in quacunque materia recipi; videtur enim actus actiuorum, seu agentium inesse in patiente disposito. Ad propositum igitur applicando dicimus, quod, Anima est id quo viuimus, & sentimus, & intelligimus primò, seu immediatè, vel formaliter; quare ipsa anima vtique erit ratio quædam, & forma per quam viuimus; sed non vt materia, vel subiectum; hoc etenim erit corpus naturale organicum; per animam igitur formaliter viuimus, per corpus materialiter. Ex hac igitur definitione habetur ratio, vel causa præcedentis; nam ideo anima est actus primus corporis, &c. quia per ipsam viuimus intelligimus, &c. quæ non est causa efficiens animæ, nec aliquid declarans tanquam à priori, cum isti sint effectus ipsius, sed est quædam ratio à posteriori, sufficiens tamen, vt secundum rationem aliquam, & non secundum puram credulitatem animam cognoscamus; prò vt igitur ipsa est principium prædictarum operationum, sequitur quod sit actus, vel forma, à qua omnes operationes procedunt; Posset etiam dici, quod hæc definitio est per causam finalem, nam finis animæ est intelligere, &c. quod non displicet, sed fortè tamen melius erit dicere, vt supra, quod videlicet sit ratio quædam ex nobis notis, & posterioribus collecta, vt in processu litera patet; præcipuè cum fortè sit æquè ignotum animam esse causam formalem, vel actum corporis, cum hoc quod causa eius finalis sit intelligere, nisi aliunde notitia hauriatur.

Actus actiuorum sunt in patiente disposito.

Anima quid.

Tex. 25. *Quod autem anima ipsa sit forma, adhuc probatur. Tripliciter enim dicta substantia, (sicut diximus) quarum hæc quidem est forma, illa verò materia, alia autem ex vtrisque; harum autem materia quidem est ens in potentia, forma autem actus est. Quoniam igitur animatum corpus quod ex vtrisque (scilicet, ex materia, & forma, vel anima) constat, non poterit esse actus prout est tale, quia corpus (vt alibi dictum fuit) est subiectum; nec ipsa materia, quod est ens in potentia potest esse forma; nec totum ipsum corpus animatum, cum sit quid ab actu, & materia constitutum; relinquitur quod anima ipsa sit actus corporis cuiusdam, hoc est naturalis organici, & debitè dispositi.*

Tex. 26. *Et propter hoc bene opinantur, quibus videtur neque sine corpore animam esse, neque corpus aliquod; corpus enim non est, corporis autem aliquid est, scilicet actus, vel forma, & propter hoc in corpore inest, & in corpore huiusmodi, nempe naturali organico, & debitè disposito, & non debemus animam aptare ad corpus, sicut priores ipsam aptabant, dicentes, animam inesse corpori, nihil vltrà definientes, & in quo, & quali, quamuis non videatur, quodlibet recipere quodlibet, seu quamlibet materiam, quamlibet formam. Sed debent esse proportionata. Sic enim fit receptio secundum rationem; actus enim vnius cuiusque in eo, quod potentia existit ad ipsum, & in propria determinata materia, aptus ex sua natura est fieri, vel recipi. Quod igitur anima actus quidam sit, & ratio, seu forma eius corporis, quod habet potentiam, vt viuat, manifestum est ex his, quia videlicet est principium viuendi, intelligendi, &c. quæ solum à forma prouenire possunt. Vnde patet quomodo per causam sit hæc definitio, seu per rationem aliquam, quæ tamen est confirmatio, & additio præcedentis. Ita vt posset dici Anima est actus primus corporis physici potentia vitam habentis; probatur, nam ipsa est principium quo viuimus, sentimus, & mouemur, quod per sensum notum est, cum animata ab inanimatis per hæc distincta cognoscuntur; ergo est actus, seu forma, quia tales operationes à forma fiunt.*

Actus determinatã materiam requirit.

SVMMÆ SECVNDÆ.

CAPVT VNICVM.

De potentijs animæ, ac ordine earum, & quo pacto definiri debeant.

Potentiarum autem animæ, quæ dictæ sunt, alijs quidem animatis insunt omnes, vt homini, alijs verò quædam harum, quibusdam verò vna sola. Potentias autem diximus vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, motiuum secundum locum, & cogitatiuum, seu intellectiuum. Inest autem plantis nutritiuum, seu vegetatiuum solum; alijs autem, & hoc inest, & sensitiuum; si autem sensitiuum, etiam appetitiuum inerit; nam appetitus diuiditur in concupiscibilem, irascibilem, & voluntatem. Quorum vnusquisque sensum supponit; nam animalia omnia habent vnum ex sensibus necessariò, scilicet tactum; cui autem sensus hic inest, his quoque inest voluptas, & dolor, & iucundum, & molestum, quibus autem hæc, & concupiscentia, quæ est appetitus iucundi, & similiter ira, quæ est appetitus vindictæ, vel reijciendi nociua, & allatiua doloris. Quare cum omnia, quæ habent sensum tactus, possint suscipere iucunditatem, & molestiam, sequitur, quod habeant quoque appetitum, qui circa hæc versatur. Quod si de animalibus, quæ solo sensu prædita sunt, hoc est verum, multo magis de homine, qui est præditus voluntate; nam hæc sensum supponit, vt dictum est. Et sic omne sensitiuum est quoque Appetitiuum, seu appetitum habet. Tex. 27.

Potentiæ Animæ quot & quæ.

Appetitus triplex.

Adbuc autem, quæ habent sensum tactus alimenti quoque sensum habent, nam tactus est sensus alimenti; siccis enim, & humidis, & calidis, & frigidis aluntur omnia viuentia, horum autem sensus, est tactus, ergo quæ habent sensum tactus, habent etiam sensum alimenti, seu appetitum quendam, per quem ali desiderant; & qui versatur circa tangibilia; nam aliorum sensibilium hic appetitus alimenti est secundum accidens. Nihil enim ad alimentum confert sonus, neque color, neque odor, sapor autem vnum quoddam est tangibilium, quod ad nutrimentum requiritur vt condimentum, & per quod discernitur vnum nutrimentum ab alio. Fames autem, & sitis concupiscentiæ sunt. Fames quidem calidi, sicci: sitis autem frigidi, & humidi (quod intelligi debet prædominanter, idest, id quod per famem concupiscitur, magis habet de calido, & sicco, quam de frigido, & humido, & è Tex. 28.

Sonus, & odor, vel sapor non nutriunt.

Fames. Sitis.

contra in siti; nam pure calida, & sicca sunt ignea, & non nutriunt.) Notandum est tamen, quod non omnia, quæ nutriuntur, habēt sensum, vt patet de plantis; vnde dictum est, omnia, quæ habent sensum tactus habere appetitum nutrimenti, non tamen è conuerso; verum est tamen, quod, appetitus in plantis, quia non est cum aliqua cognitione, dicitur simpliciter naturalis; quare in quibus inest tactus, inest etiam appetitus sensitiuus alimenti, & è contrà; si vero sit sermo de appetitu naturali, non valet conuersio.

Tex. 29. *Exactius autem manifestandum de his posterius est; nunc autem in tantum dictum sit, quod animalibus habentibus tactum, & appetitus inest, & sic habetur secundum genus viuentium, quod vegetatiuum, sensitiuum, & appetitiuum includit; primum autem fuit solum, quod vegetatiuum est, vt plantæ. De imaginatione autem perfecta, quæ determinatum, ac distinctum organum requirit, immanifestum hucusque est, quibus animalibus conueniat, posterius autem considerabitur. Quibusdam autem animatis præter prædicta inest motiuum secundum locum, & hic est tertius gradus, vel genus viuentium; alijs autem inest cogitatiuum, seu intellectus, vt hominibus, & si quid aliud huiusmodi est, aut etiam honorabilius, vt aliqui credunt de cælo, & intelligentijs (& nos posterius examinabimus, hic autem de mente aliorum, & non assertiuè loquimur) & hic est quartus gradus viuentium, qui videlicet hominem constituit.*

Secundū genus viuentium.

Tertium genus. Quartum genus.

Tex. 30. *Manifestum igitur est, quod eodem modo vna vtique erit definitio animæ in communi, sicut vna est definitio figuræ in communi; ita, vt sicut in definitione figuræ, & si communis, atque à singularibus abstracta erit, non possumus assignare aliquam figuram vniuersalem separatam à triangulo, vel ab alijs figuris, quæ consequenter, seu sub vniuersali sunt, neque hic possumus assignare animam aliquam separatam à singularibus. Fiet autem vtique, & in figuris ratio communis, quæ conueniet quidem omnibus figuris particularibus, & nullius particularis propria erit; similiter autem in dictis animabus. Vnde ridiculum est quærere communem definitionem, & in his, & alijs, quæ non sit propria, seu quæ non conueniat nulli eorum, quæ singularia sunt, quasi sit, & definitio ipsa, & natura vniuersalis per ipsam explicata à singularibus realiter separata, sicut Platonica Idea. Non igitur sic existimandum est. Neque secundum propriam, & indiuiduam speciem vniuscuiusque danda est definitio, dimittentes eam, quæ vniuersalis est. Sed debet dari vniuersalis, quæ singularibus, omnibus conueniat; ita vt repræsentet naturam communem non re, sed intellectu tantum ab ipsis singularibus abstractam.*

Tex. 31. *Similiter autem se habent ei, quod accidit de figuris, ea, quæ circa animam sunt, non solum in ratione definitionis, vt supra declaratum est; sed etiam in ratione continentiæ. In figuris enim id quod posterius natura, seu minus vniuersale, vel consequenter est (idem hæc omnia significant) reperitur in potentia, vel virtualiter id, quod est prius natura, seu magis vniuersale, vt in quadrato quidem triangulus virtualiter est, & hoc modo in animatis in sensitiuo videlicet inest vegetatiuum; (triangulus enim est prius natura, vel magis vniuersale quadrato, & vegetatiuum sensitiuo.) Quare secundum vnumquodque animatum quærendum est, quæ nam sit vniuscuiusque anima formaliter, & immediata (contenta enim, seu vniuersalis, non est censenda immediata forma animati) vt quæ plantæ, quæ hominis, aut bestiæ. Propter quam autem causam consequenter sic se habeant, ita, vt ordine quodam vna anima aliam includat, & non è contrà, considerandum est. Sine enim vegetatiuo sensitiuum non est, à sensitiuo autem separatur vegetatiuum in plantis. Iterum autem sine tactiuo quidem nullus aliorum sensus est, tactus autem sine alijs; multa enim animalium, neque visum, neque auditum habent, neque odoris sensum; & hæc est ratio cur aliqua inferuntur, & non inferunt; quæ enim possunt esse sine alijs sic se habent, vt inferantur, quæ vero non, minimè.*

Non sunt actualiter plures animæ in eodem.

Et sensitiuorum alia quidem habent principium secundum locum motiuum, alia verò non habent, vltima autem, & minima ratiocinatiuum, & intellectus est; quibus enim inest ratiocinatio corruptibilium (ad differentiam intelligentiarum) his reliqua omnia prædicta insunt, (vnde minima, & vltima sunt in vniuersalitate, quia cætera inferunt, & non inferuntur,) quibus autem in est vnumquodque illorum, non omnibus inest ratiocinatio, sed quibusdam quidem neque inest imaginatio, alia autem hac sola viuunt, seu ordinant suas operationes vitales. De speculatiuo autem intellectu, prout videlicet à phātasmatibus in intelligendo non pendet, sicut est intellectus intelligentiarum, vel separatus hominum, alius sermo est, nempe metaphysicus, vel in tertio de anima, si de speculatiuo prout opponitur practico, sit sermo. Quod igitur quæ de vnoquoque horum ratio, assignari potest, hæc prædicta sit propriissima, & etiam, quæ de anima assignata est, manifestum est. Tex. 32.

Intellectus considera-tio est metaphysica.

SVMMA TERTIA.

De potentia animæ vegetatiuæ.

CAPVT I.

Explicantur opera animæ vegetatiuæ, & redarguitur Empedocles de causa alimenti.

Necessarium autem est, eum, qui de his potentijs sigillatim perscrutationem facturus est; accipere quid sit vnaquæque earum; postea sic de attinentibus ad ipsas inuestigare. Si autem oportet dicere quid vnaquæque ipsarum sit, vt quid intellectiua, aut sensitiua potentia, aut vegetatiua, prius adhuc determinare oportet de actibus, seu operationibus earum, vt quid sit intelligere, quid sentire, &c. nam actus, & operationes sunt secundum rationem, vel cognitionem nostram priores potentys, cum sint entia absoluta, & potentiæ respectiua; sed ab his prioribus incipiendum est. (quomodo autem sint priores, fusius dicetur in quæstionibus.) Si autem sic est de operationibus respectu potentiarum, his autem potentijs adhuc obiecta ipsarum priora sint, de illis obiectis primum vtique oportebit determinare, propter eandem causam; vt prius agendum est de alimento, quod est obiectum vegetatiuæ potentiæ; quam de operationibus eius, & de ipsa quoque, & prius de sensibili, quam de sentire, & sensu, & de intelligibili, quam de intelligere, & intellectu. Tex. 33.

Actus & operationes sunt priores potentijs.

Quare primum de alimento, quod est obiectum vegetatiuæ, ac de operibus eius, quæ sunt generare, nutriri, & augeri, & de ipsa quoque potentia, tanquam de communibus (à quibus incipiendum est) dicemus. Vegetatiua autem anima, & alijs animabus inest, & prima, & maximè communis potentia est; secundum quam ipsum viuere inest Tex. 34.

est omnibus viuentibus. Cuius sunt opera generare, & alimento vti, quod est nutriri, & augeri, vt dictum est etiam. Quod autem ista sint opera potentiæ vegetatiuæ, & per consequens omnibus viuentibus communia, probatur de ipso generare, de quo minus videtur; (quod enim omnia viuentia nutriantur, & augeantur, facilè est perspicere) Nam opus naturalissimum, seu perfectissimum in natura, ab anima procedere debet, quæ est omnium formarum perfectissima; sed generare est perfectissimum opus; ergo ab anima procedit, non autem ab intellectiua tantum; neque à sensitiua, quia etiam plantæ generant; ergo hoc est opus vegetatiuæ, & cum ipsa sit communis omnibus viuentibus, erit naturalissimum operum eorum, quæ in viuentibus sunt facere aliud quale ipsum, seu generare sibi simile, vt animal quidem animal, planta autem plantam; tribus tamen conditionibus seruatis, prima, quod hæc viuentia sint perfecta (hoc est non nuper nata, vt pueri; nam tunc natura intendit augmentum ipsorum; vnde non superest nutrimentum, vel materia ad generandum) secunda. Quod non sint mutilata (hoc est non careant aliquo membro, vel dispositione ad generandum necessaria, vt Eunuchi, frigidi, fascinati, &c.) Tertia, quod non habeant spontaneam generationem (hoc est non sint genita ex putrefactione, vt vermes, muscæ, &c. quæ dicuntur spontè generari, quia nullo externo generante apparente nascuntur, quasi ex voluntate; vnde deducitur transumptio, & spontè genita dicuntur; an vero omnia sic genita non generent, & quomodo, examinabitur in quæstionibus) Quod autem generare sit perfectissimum opus eorum, quæ omnibus viuentibus conueniunt, probatur. Nam id perfectissimum opus est secundum quod perpetuitate diuina participant; sed generare est à viuentibus vt ipso semper, seu perpetuitate diuina participent prout possint (saltem videlicet in specie; omnia enim illud esse perpetuum appetunt, & illius causa agunt omnia, quæcunque agunt secundum naturam, etiam si viuentia non sint) quare cum hic sit finis generationis, perfectissima erit viuentium generatio; & dicitur notanter viuentium; quia non viuentia, & si generabilia sint, non tamen generant sibi simile, nisi fortè per accidens; vnde per hoc non videntur intendere perpetuitatem, sed alio modo, quo conseruantur, vel etiam generantur.

Opus naturalissimum viuentium generare.

Tres conditiones, vt viuentia generent.

Omnia appetunt esse perpetuū.

Tex. 33.

Finis duplex.

Diximus omnia generare propter finem, &c. Nunc de fine distinguendum est, vt resoluta habeatur doctrina. Ipsum igitur, cuius causa, seu finis duplex est; alius, qui dicitur cuius, seu gratia cuius; alter qui dicitur cui, vt finis cuius medicinæ sumptio, est sanitas: finis cui est homo, vel animal, cui sanitas, acquiritur; sic ad propositum finis gratia cuius generationis est perpetuitas; finis cui sunt ipsa viuentia, quibus talis finis, vel perpetuitas acquiritur, & vterque potest diuersa ratione viuentibus generantibus tribui. Quoniam igitur communicare, seu participare non possunt continuatione quadam ipso semper, & diuino, seu ipsa diuina sempiternitate, propterea quod nullum corruptibilium contingit idem, & vnum numero manere semper, ideo secundum quod vnumquodque eorum participare potest, sic participat hoc quidem magis, illud vero minus, & permanet non ipsum, sed quale ipsum, seu simile sibi, numero quidem non vnum, specie autem vnum. Est tamen notandum, quod dum dicitur, aliquod viuens participat magis, aliud minus, potest intelligi de viuentibus particularibus; nam vnum plus viuit quam aliud, (& hic videtur sensus literæ) & de speciebus, quæ non eodem modo sunt perpetuæ; nam quædam semper actualiter durant, vt animalia perfecta; quædam verò nequaquam, sed alternatione quadam nascuntur, & intereunt, vt patet de quibusdam plantis, vel herbis.

Tex. 34.

Cum autem dictum sit, animam esse principium operationum viuentium, corporisque actum nunc qua ratione id sit, declarandum est. Est igitur anima causa, & principium viuentis corporis. Hæc autem (nempe causa, & principium) multipliciter dicuntur (causa namque dicitur quatuor modis vt in 2. physic. visum est: principium vero dicitur pluribus; quia omnis causa est principium, sed non è contra, quare præter quatuor causas, se etiam extendit ad principium priuatiuum, ad principium ordinis, &c.) attamen anima secundum quatuor determinatos modos causarum, triplex causa dicitur; etenim causa est vnde motus, seu sufficiens, & cuius causa, seu finalis, & vt essentia animatorum corporum, seu forma, diuersa tamen ratione. Quod autem sic se habeat probemus, & primo de causa formali. Quod igitur sit substantia, vel substantialis forma viuentium, manifestum est. Quod enim est causa intrinseca ipsius esse omnibus, substantialis forma eorum est; sed anima sic est omnibus viuentibus; ergo; maior est nota. Probatur minor.

Anima est causa in triplici genere.

Tex. 35.

Anima est causa, & principium viuendi viuentibus, ipsum autem viuere viuentibus est esse; ergo est causa ipsius esse eorum. Amplius autem actus eius, quod potentia est, ratio, vel forma est; sed anima est actus corporis existentis in potentia ad vitam; ergo est forma ipsius. Quod autem ipsa anima sit etiam causa finalis, seu gratia cuius, manifestum est. Vt enim intellectus humanus per consilium, & artem, gratia finis aliquid facit, eodem modo natura, & hoc gratia cuius natura operatur, est finis ipsius; huiusmodi autem finis in animalibus, & plantis est anima, quæ secundum naturam in generatione illorum intenditur, & gratia cuius cætera ipsorum disponuntur, omnia cum naturalia corpora animalium, & plantarum, animæ instrumenta sunt, tanquam gratia animæ existentia; ergo. Id enim dicitur finis ad quod alia ordinantur. Dupliciter autem dicitur finis, seu ipsum gratia cuius, scilicet, & cuius, & cui. Anima autem est finis cuius, cum gratia ipsius corpora naturalia organica disponantur; finis verò cui sunt ipsa viuentia, quibus anima acquiritur. At quod sit causa efficiens, probatur; nam ipsa est, vnde primum incipit motus secundum locum, seu est causa efficiens motus localis, in ijs animalibus, quæ tali motu mouentur: non enim omnibus viuentibus inest potentia hæc motiua secundum locum. Est etiam causa efficiens aliorum motuum viuentium. Nam alteratio, & augmentum est per animam; sensatio enim quædam alteratio esse videtur; nihil autem sentit nisi habeat animam; ergo hæc alteratio ab anima est. Similiter autem, & de augmento, & decremento se habet; nihil enim decrementum patitur, neque augmentatur naturaliter (augmentatione propriè dicta, quæ est ab interno principio, & cum alijs conditionibus; vt visum est in primo de generat. & corrupt. tex. 33.) nisi alatur; alitur autem nihil, nisi participet vita, vita autem nullum participat nisi ab anima; & sic ipsa est principium efficiens harum mutationum, & vniuersaliter concludendo, ipsa est causa formalis, in ordine ad esse, & substantiam viuentis; finalis in ordine ad organa, & instrumenta: efficiens in ordine ad operationes.

Finis duplex.

Tex. 36.

Empedocles autem non benedicit circa hoc: augmentum enim in animalibus non ab anima, sed ab elementis prouenire putat: addens, ipsum accidere plantis,

deorsum quidem cum radicantur; propterea quod terra sic fertur secundum naturam deorsum; vnde ab ipsa in radicibus augmentum fit; sursum autem fit similiter augmentum secundum ipsum, propterea, quod ignis sursum fertur, & tali ex parte augetur. Quare dupliciter errat, primò, tribuendo principium effectiuum augmenti elementis, quod animæ tribui debet; ipsa namque elementa sunt materialia principia huius mutationis, vt in libris de generatione, & corruptione visum est. Secundò, quia neque sursum, & deorsum bene accipit in plantis; non enim est idem, vel eodem modo sursum, & deorsum omnibus, sicut est ipsi vniuerso. Nam in vniuerso dicitur sursum, quo tendunt leuia, deorsum, quo grauia: in animalibus autem, & plantis sursum dicitur, vnde sumitur alimentum, deorsum, quo excrementa expelluntur; quare vt caput animalium se habet in animalibus, sic radices plantarum in plantis, si congruit instrumenta dicere eadem, vel diuersa, secundum quod opera eorum, eadem, vel diuersa sunt. Vnde cum radicum opera sint eadem cum operibus capitum, seu oris, (vtrorumque etenim est alimentum sumere) sequitur quod sicut caput, vel os in animalibus fit sursum, hac de causa, quia inde sumitur alimentum, etiam radices plantarum, eadem ratione sursum sint, rami vero deorsum.

Sursum, & deorsum du plantes.

Tex. 39. *Adhæc autem, quid est, quod continet simul in plantis ignem, & terram, quæ in contraria loca feruntur? distraherentur enim, nisi aliquod ipsa continens, & coercens erit prohibens. Si vero erit aliquid continens, hoc est anima; quare ipsa quoque erit causa augendi, & alendi; nam si elementa continet, est maioris virtutis, quam ipsa, vnde principalius operabitur. Idem potest dici de forma misti inanimati respectu etiam elementorum, videlicet quod ipsa elementa à propria forma misti contineantur, aliter dissoluerentur; ac ideo præcipuas operationes à tali forma proueniat.*

Tex. 40. *Videtur autem quibusdam alijs, vt Democrito, & Leucippo, quod natura ignis sit simpliciter causa nutritionis, & augmentationis in animalibus, & plantis, cuius causam putant; quia inter corpora elementaria ipse solus videtur ali, & augmentari. Vnde, & in plantis, & in animalibus putabit vtique quis hunc esse id, quod operatur augmentum, & nutritionem.*

Tex. 41. *Nos autem dicimus, quod ignis concausa quidem quodammodo est, non tamen simpliciter causa, sed hæc est anima. Concausam dicimus quatenus per eius calorem concoquitur alimentum, & disponitur ad augmentum, & nutritionem, & sic est quasi instrumentum animæ. Quod autem non sit simpliciter causa, probatur; nam augmentum ignis in infinitum abit, quousque fuerit combustibile, vt experientia notum est; ergo si ipse esse causa principalis, & non ab alio recta, vt instrumentum, etiam animalia, & planta in infinitum augerentur, quod falsum est; quia eorum, quæ à natura constant, & maximè viuentium omnium, terminus est, & ratio, seu mensura magnitudinis, & augmenti. Prætera; hæc opera augmenti, & nutritionis animæ sunt, sed non ignis, & rationis, seu formæ magis, quam materiæ; nam operari à forma est; ignis autem cum alijs elementis habent in mistis rationem materiæ, & si possit quoque esse actiuum aliorum.*

Ignis augeri potest in infinitum.

Omnium viuentium est terminus magnitudinis.

CAPVT II.

De obiecto potentiæ vegetatiuæ, scilicet de Alimento.

Tex. 42. *QVoniam autem eadem potentia animæ est vegetatiua, & generatiua, simul etiam nutritiua, & augmentatiua, ita vt tres posteriores ad vegetatiuam pertineant, vt potentiæ, vel virtutes eius, atq; prius de obiecto, quam de operationibus, & potentijs agendum esse statuimus, de alimento, quod est obiectum vegetatiuæ necessarium est determinare prius; separatur enim, seu distinguitur ipsa vegetatiua potentia ab alijs potentijs opere hoc, quod est ali, ac etiam obiecto, quod est alimentum, eo modo, quo potentias per opera, & obiecta distingui, superius diximus.*

Tex. 43. *Quomodo igitur alimentum esse debeat, nunc opus est declarare. Videtur igitur esse alimentum contrarium contrario, seu contrarium alito; quia omnis mutatio est de contrario in contrarium, sed alimentum in alitum mutatur; ergo. Non autem omni contrarietate contraria sunt indifferenter, sed quæcunque contraria non solum ex se inuicem generationem habent, sed augmentum, ita vt vnum conuertatur in aliud, & ipsum augeat, hæc alitum, & alimentum dicuntur. Fiunt enim multa ex inuicem, sed non omnia sic se habent, quod vnum augeat aliud, vt sanum fit ex laborante, & non augetur vnum ab alio; quare hæc, quæ ad inuicem mutantur, & non augentur aliud ab alio, non sunt hoc modo contraria, sed quæ augentur, vt dictum est. Videntur autem neque illa contraria, quæ ad alitionem concurrunt, eodem modo adinuicem transmutari, vt vnum sit alimentum alterius, & è conuerso, hoc enim falsum est; nam alimentum conuertitur, & auget alitum, & non è contra, vt aqua quidem igni alimentum est, ignis autem non alit aquam, (accipiendo aquam pro humido, quo ignis nutritur, siue sit oleum, siue cera, vel aliud; nam in generatione mutua ipsorum sicut ignis fit ex aqua, ita è contra; licet fortè quia ignis habet rationem magis formæ, quam aqua, vt in libris de generat. dictum est; & formæ est nutriri, & augeri; etiam in hac mutua generatione solus ignis augeri dicitur; sed melior est prima sententia, & facilior). In simplicibus igitur corporibus, hæc esse videntur maximè manifesta, aliud quidem alimentum est, aliud verò quod alitur, vt de aqua, vel alio humido nutriente ignem dictum fuit, & licet istæ non sint veræ augmentationes, vel nutritiones, quæ solum viuentibus conueniunt, tamen pro exemplis, & intelligentia sufficiunt. Tres igitur sunt alimenti conditiones. Prima, quod sit contrarium alito. Secunda, quod augeat alitum. Tertia, quod alitum non augeat ipsum.*

Cōditiones alimenti tres.

Tex. 44. *Dubitationem autem habet, quod diximus. Dicunt enim aliqui, simile quidem simili ali, sicut augeri simile simili; ergo contrarium non alitur per contrarium, nec per contrarium contrario augetur, vt à nobis dictum fuit. Alijs autem sicut diximus, è contrario videtur, contrarium contrario ali, & augeri, tanquam impassibile sit simile à simili; alimentum autem mutari, & digeri; mutatio autem omnibus in contrarium, aut in medium, quod locum alterius contrarij habet, fit: ergo augmentatio, & nutritio per contraria fiunt.*

Tex. 45. *Adhuc autem alimentum patitur aliquid ab eo, quod alitur,*

alitur, sed non hoc ab alimento (quod intelligendum est secundum transmutationem substantiæ; quia alimentum conuertitur in substantiam aliti, & non è contra; nam secundum mutationem alteratiuam, etiam alitum ab alimento patitur) sicut neque faber patitur, vel transmutatur à materia, sed hæc ab illo. Faber autem mutatur solum in actum ex ocio; quare ex vna parte videtur contrarietas, prout est aliqua mutatio, ex alia vero non, prout transmutatio non est mutua; contraria vero nata sunt mutuò agere, & pati. Quod quidem dubium soluetur, considerando, quomodo alimentum se habeat in principio, & in fine nutritionis. Vtrum igitur sit alimentum id, quod vltimò aduenit alendo, an id, quod primò; habet enim hoc differentiam, vnde dubitationes, ac difficultates oriuntur. Si vero vtrumque sit alimentum, tam videlicet quod in principio, quam quod in fine apponitur alendo, sed quod in principio apponitur sit indigestum, vel inconcoctum, quod verò vltimo digestum, & concoctum, vtroque vtique modo dicere possunt, diuersa ratione, vt satis supra declaratum est. Quare manifestum est, quod dicunt quodammodo vtrique, & rectè, & non rectè.

Tex. 46. Solũ viuens nutritur. *Quoniam autem nihil alitur non participans vita, animatum vtique erit corpus, quod alitur, inquantum animatum: quare alimentum ad animatum est per se ordinatum, & non secundum accidens.*

Tex. 47. *Est autem esse aliud alimento, aliud augmentatiuo; secundum enim quod ipsum alimentum quantum est, augmentatiuum, vel obiectum augmentationis est: secundum autem quod est hoc aliquid, seu substantia, est simpliciter alimentum, seu est nutritiuum, aut obiectum nutritiuæ potentiæ; ipsum enim alimentum conseruat substantiam aliti, & eousque durat alitum ipsum, quousque alitur, & generationis quoque factiuum est, non eius quod alitur, sed tale quale est id, quod alitur, vt homo hominem, leo leonem gignit. Quod autem non generetur, quod alitur patet; nam quod generatur non est, sed ipsa substantia aliti iam est; præterea nihil seipsum generat, sed conseruat; ergo id quod alitur, per residuum alimentum non generat seipsum. Tria igitur sunt alimenti munera. Nutrire prout est substantia, augere prout est quantum, & generare, prout est residuum, vel superfluum, alimenti est, cum quadam temperie, & puritate; vnde est superfluum, prout non pertinet ad naturam indiuidui præsentis, sed in ordine ad speciem, vel aliud indiuiduum generandum, superfluum non est.*

Tria munera alimẽti.

Tex. 48. *Quare principium huiusmodi animæ vegetatiuæ est talis potentia, vt conseruet habens ipsam, secundum quod huiusmodi est, seu secundum, quod nutritiua est, sicut secundum quod augmentatiua, est principium augendi, & generatiua generandi. Quod autem tale principium sit conseruatiuum habentis, patet; nam ipsum præparat alimentum ad operandum, (hoc est ad nutriendum, & potest addi conformiter ad dicta, ad augendum, & generandum;) vnde priuatum alimento animatum non potest esse, vel viuere.*

Tex. 49. Tria in nutritione. *Quoniam autem sunt tria, quæ in nutritione concurrunt; scilicet, quod alitur, & quo alitur, & alens; ideo hæc declarare oportet. Alens quidem est prima anima, nempe vegetatiua (quæ est prior natura, seu vniuersalitate alijs) quod vero alitur est corpus, quod ipsam habet, seu viuens; quo autem alitur est alimentum. Quoniam autem iustum est omnia appellare à fine, finis autem principalis animæ vegetatiuæ est generare sibi simile; ideo præcipuè per hanc operationem talis anima, vel potentia definiri conueniens est, sic. Anima vgetatiua, seu prima est generatiuum quale ipsum, seu sibi simile.* Anima vegetatiua quid.

Est tamen pro maiori intelligentia prædictorum notandum, quod duplex est id, quo alitur, sicut duplex est instrumentum, quo gubernatur nauis, scilicet manus, & temo, quæ sic se habent, quod temo mouetur solum, manus autem mouet, & mouetur; sic in alitione, calor naturalis mouetur ab anima, & mouet alimentum; ipsum vero alimentum mouetur solum, ac in nutriendum conuertitur, & sic calor & alimentum sunt duo instrumenta nutritionis, modo prædicto. Quod autem ita sit, probatur. Nam omne alimentum necessarium est concoqui posse; operatur autem concoctionem calidum; vnde omne animatum habet calorem; & sic calor cum alimento sunt instrumenta nutritionis. Figura igitur, seu in communi quid sit alimentum, dictum est; exactius autem manifestandum est posterius de ipso in proprijs sermonibus, hoc est in libris de generatione animalium. Tex. 50. Duplex est instrumentum alitionis.

SVMMA QVARTA.

De potentia animæ sensitiuæ.

CAPVT I.

Sensum potentiam esse ostenditur, ac ipsum aliquando in actu, aliquando in potentia esse; pati verò à simili, & à dissimili.

DEterminatis autem his, dicamus communiter de omni sensu. Sensatio autem accidit fieri, ex eo quod est aliquid moueri, aut pati (nam sensus ab obiecto patitur, vt visus à colore, auditus à sono) sicut dictum est in hoc libro tex. 37. videlicet, quod sensus, vel sensatio sit alteratio quædam, facta scilicet ab obiecto alterante. Aiunt autem quidam, & simile à simili pati, ita vt obiectum, quod agit in sensum sit ipsi simile; (sicut hac de causa alij, animam ex omnibus rebus constare asserebant, vt omnia cognosceret, & omnibus esset similis) hoc autem quomodo possibile sit, aut impossibile, dictum est in vniuersalibus sermonibus de ipso agere, & pati, nempe in 1. de Gener. & Corrupt. Tex. 51.

Quod verò sensus sit passiua potentia, probatur iterum per quandam dubitationem, ac solutionem eius; Habet autem dubitationem, propter quid non sit sensatio ipsorum sensuum ab ipsismet sentientibus, ita vt visus sentiat se videre, auditus se audire, & sic de alijs; & quare elementa, vel qualitates eorum existentes intra animal, & in sensu tactus præcipuè, (quæ elementa secundum se, vel saltem secundum qualitates, quæ sibi accidunt sensibilia sunt) non faciunt sensationem in tactu, ita vt ab ipso cognoscantur, sine ijs elementis, vel qualitatibus, quæ sunt extra animal, vel sensum; hoc est dicere, cum intra nos habeamus calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem, cur eas non sentimus? sed tantum externas has qualitates percipimus? Manifestum est igitur, quod sensitiuum, seu sensus, non est actus, sed potentia tantum; vnde non sentit, sine externo actiuo agente. Sicut combustibile cum sit in potentia passiua non comburitur ipsum per se sine combustiuo; combureret enim se ipsum, & nihil indigeret ignis actu existentis actiui, si esset actiuum, & sic patet, quod sensus est potentia passiua. Tex. 52.

Notan-

Notandum est tamen, quod consequentia prædicta, videlicet, quod si sensus esset in potentia actiua se sentiret, & combustibile se combureret, valet solum de actionibus immanentibus, quæ scilicet non transeunt in externam materiam, vt intellectus se intelligit, voluntas se amat, vel vult; quare quoniam supponit talem esse sensationem, ideo est bona; sicut valeret si combustibile haberet potentiam agendi in se, &c. Si etenim esset sermo de actione transeunte, consequentia esset inualida; quia huiusmodi agentia non in se apta sunt agere, sed in externum, vt ignis non calefacit seipsum, nec intelligentia mouet se, &c. Notandum est etiam, quod interdum sentimus internas qualitates, vt calorem in ardentibus febribus, frigus similiter, & alia; quod tamen ideo est, quia ille non est calor, vel frigus naturalis, sed extraneus, ideo pro externo computari debet.

Tex. 53. *Quoniam autem sentire dicimus dupliciter, scilicet in actu, & in potentia; quod est enim audiens, vel videns in potentia, ipsum audire, & videre dicimus, vt patet de aliquo dormiente, & similiter quod iam est operans, seu actualiter videt, vel audit, pariter ipsum sentire affirmamus; dupliciter itaque dicetur, & sensus ipse, hic quidem, vt potentia, ille vero vt actus; in potentia dicitur ipsamet potentia, vel sensus, in actu erit dum operatur; similiter autem, & ipsum sentire, aliud est in potentia, aliud in actu (quæ est epilogatio prædictæ primæ diuisionis, potius quam alia diuisio, vel subdiuisio.*

Tex. 54. *Primum igitur obseruandum est, quod diximus, sensum interdum esse in actu, quod non intelligi debet sic, quod ipse sit forma aliqua actiua; sic namque esset contradictio cum ijs, quæ diximus, sed intelligimus esse in actu, dum ad operationem reducitur ab externo agente, tanquam sint idem pati, & moueri, & agere, ita vt ex parte ipsius sensus sit pati, & moueri, ex parte obiecti sit agere, ex quibus omnibus operatio, & actualitas quædam ipsius sensus constituitur. Etenim motus est actus quidam, imperfectus tamen, quemadmodum in 3. Physic. dictum est; omnia autem patiuntur, & mouentur ab actiuo, & actu existente, & sic sensus ipse in actu dicitur, prout ab ipso obiecto actu existente mouetur, vt etiam dictum est. Quapropter quæ patiuntur, opus est quidem, vt à simili patiantur, & est autem, vt à dissimili, sicut diximus; patitur enim, quod dissimile est, cum autem passum fuerit est simile, seu in principio sunt dissimilia, & similia in fine; quomodo autem possit esse similitudo inter animam, seu potentias eius, & obiectum, in sequentibus dicemus.*

Tex. 55. *Vt autem clarius natura potentiæ, prout præsens spectat, intelligatur; diuidendum est de potentia, & actu; nunc enim simpliciter dicimus de ipsis, seu nunc est proprius sermo de ipsis.* Potentia duplex. *Est ergo duplex potentia, scilicet remota, & propinqua. Exempli gratia. Aliquis dicitur sciens aliquid, quia est in potentia ad acquirendam scientiam de tali re, & hæc est potentia remota; sicut si dicamus, hominem scientem esse, quoniam homo de genere scientium est, & habentium scientiam, non quod actualiter eam habeat; sed quia est in potentia ad eam habendam, cum sit de natura eorum, qui discere possunt, & ad differentiam brutorum. Alia est potentia propinqua, sicut iam dicimus, aliquem esse scientem, quia habet actualiter Grammaticam, & si actualiter non contempletur, tamen potest quando vult. Vterque autem horum non eodem modo potens est: sed primus quidem; quia genus huiusmodi, & materia, seu subiectum capax scientiæ est. Secundus autem, quia volens potens est speculari, nisi aliquid eorum, quæ extrinsecus sunt (vt operationes aliæ, vel somnus, vel infirmitas) prohibeant, actus autem similiter his potentijs proportionantur; nam qui est in potentia remota, respicit actum remotum, & valde futurum, qui in potentia propinqua, propinquum, & quasi præsentem.*

Alius autem distinctus est à prædictis duobus, & est, Tex. 56. *qui iam est existens actualiter speculans, & propriè sciens, vel contemplans hanc literam A, seu aliquam propositionem. Ambo igitur primi prædicti secundum potentiam scientes sunt; sed ille quidem, videlicet, qui est in potentia remota, per disciplinam alteratus fit sciens, & sæpè fit talis mutatus ex habitu contrario, scilicet prauæ dispositionis. Hic autem qui est in potentia propinqua, mutatur tantum in actum sine noua disciplina, vel depositione habitus contrarij; sed ex eo, quod habet sensum, aut Grammaticam; non agit autem, sed ad agendum vertitur alio modo, scilicet per simplicem actum. Quæ distinctio etiam applicari potest ad potentias, vel sensus animæ, ita vt illud dicatur in potentia remota ad sentiendum, quod potentiam non habet, seu nondum genitum est; sicut diximus in 8. Physic. elementa aliqua esse in potentia remota, seu essentiali, vt sint leuia, vel grauia, quæ nata sunt transmutari in aliud; vt aqua dicitur in potentia remota leuis, prout potest fieri ignis, & ignis è contra grauis. Potentia vero propinqua est, quæ est iam genita, sed actu non operatur, at operari potest.*

Quoniam autem sentire diximus esse quoddam pati, Tex. 57. *ideo hoc examinandum est, ne in æquiuocationem, & errores incidamus.* Alteratio dupl. *Est igitur notandum, quod ipsum pati non est simplex, seu non dicitur vno modo tantum. Sed aliud quidem est corruptio quædam facta à contrario, vt ignis patitur ab aqua, & hæc vocatur passio, vel alteratio corruptiua. Aliud autem pati est magis salus, & perfectio eius, quod est in potentia ad talem alterationem, & reducitur ad actum ab agente in actu existente, & sibi simili, ac conuenienti, seu proportionato; vt potentia se habet ad actum, seu vt requiritur inter id, quod est in potentia, & quod est in actu. Habens igitur habitum scientiæ fit speculans ex non speculante, & hoc est alterari, secundo modo dictum, quod quidem aut non est alterari, (nam est additio, seu perfectio addita in ipsum alterabile, & in actum, vel perfectionem eius) aut alterum genus alterationis, quod perfectiuum vocatur, Vnde alia est alteratio corruptiua, alia perfectiua.*

Quo circa non rectè se habet dicere, sapientem cum Tex. 58. *sapit alterari, sicut nec ædificatorem, cum ædificat; nam hæ non sunt veræ alterationes, sed perfectiones. Præterea, cum quis ex eo quod in potentia propinqua existit ad speculari, vel intelligere; sic quod habeat habitum scientiæ, sed actualiter non speculetur, & ex tali potentia in actum ducatur, secundum ipsum intelligere, & sapere; ita vt actualiter intelligat, & sapiat, non doctrinam ipsum tunc acquirere debemus asserere, cum tunc non discat, sed iustum est, hanc mutationem aliam denominationem habere. Is vero, qui actualiter fit addiscens ex ignorante, vel ex potentia existente ad scientiam, ita vt ipsam scientiam accipiat ab actu existente docto, & docente; similiter neque dicendum est pati, sicut dictum est; quia potius est quædam perfectio; aut duos esse modos alterationis, & eam, quam mutationem vocamus ad priuatiuas dispositiones, sicut est alteratio corruptiua, & eam, quæ ad habitus, & naturam perficiendam conducit, quam perfectiuam diximus. Vnde alteratio*

teratio

teratio corruptiua est vera alteratio, perfectiua autem secundum quid.

Tex.59. Prima quidem mutatio sensitiui principij, seu sensus fit à generante; nam prima mutatio est acquisitio esse, & generari; cum autem generatum est, habet iam sentire ipsum in potentia propinqua, vel etiam in actu, sicut qui habet scientiam, est in potentia ad scientificè speculandum, vel etiam in actu. Quod autem secundum actum sentire est, similiter dicitur, atque speculari; similiter inquam, quoad hoc, quod vtrumque supponit habitum, seu potentiam dispositam. Differunt autem alio modo, quia actiua operationis sensuum sunt extra sensum, vt patet de visibili, audibili; similiter autem de reliquis sensibilibus; omnia enim sunt extra sensus.

Tex.60. Causa autem est, quoniam sensus quidem secundum actum sentiendi circa singularia quidem sunt; hæc autem singularia sensibilia necessariò sunt extra animam, Scientia autem & intellectus sunt circa vniuersalia, hæc autem quodammodo sunt in ipsa anima. Vnde intelligere in ipso intellectu est cum vult; sentire autem non est in potestate sensus, cum ipse solus non sit causa totalis sensationis, sed cum alys; necessarium est enim esse sensibile externum, cum sensus velit sentire. Similiter autem se habet sentire scientys, seu cognitionibus quibusdam sensibilium, sicut sunt cognitiones rerum mechanicarum propter eandem causam; quia sensibilia quæ & à sensu, & talibus cognitionibus respiciuntur, singularia sunt, & exteriora. Pro intelligentia tamen istius textus, tria sunt breuiter notanda. Primum, quod solum sensus externi, vt visus, auditus, &c. habent obiectum externum; sed sensus interiores, vt æstimatiua, phantasia, &c. habent obiectum internum; seu speciem eius, unde possunt sentire quando volunt. Secundo notandum, quod solus intellectus possibilis est, qui habet intra se obiectum, vel vniuersale; nam intellectus agens est, qui facit vniuersalitatem in rebus, & in intellectu possibili. Tertio notandum, quod dicitur vniuersale esse quodammodo in anima; quia non est simpliciter, & secundum omnem rationem in ipsa, imò fundatur in natura extra, aliter esset, quid chimericum; quare per ly quodammodo debemus intelligere, non secundum esse completum, & formale. Sed de his quidem exactius manifestare, nascetur, & rursus occasio,

Tex.61. Nunc autem tantum sit determinatum; quod cum non simplex sit id quod potentia dicitur, sed duplex; ita quod alia sit potentia remota, sicut si dicamus puerum posse militare, alia vero propinqua, vt si dicamus posse militare hominem in ætate existente; sic se habet sensitiua potentia, alia enim est remota, alia propinqua.

Tex. 62. Quoniam autem innominata est differentia ipsorum sensitiuorum principiorum, vel potentiarum, ac de ipsis determinatum est, quod vna est ab alia diuersa, & quomodo, necesse est vti ipso pati, & alterari, tanquam proprys nominibus ipsarum potentiarum; ita vt, quæ patitur à sono, dicatur potentia auditiua, quæ aqualitatibus tangibilibus tactiua, &c. Sensitiuum autem est tale in potentia, quale sensibile est in actu, vt diximus; nam est in potentia vt assimuletur, vel actuetur ab ipso sensibili; patitur igitur ab ipso, non simili existens ei; cum autem passa erit, assimilata est ipsi, & quale ipsum est, talis est illa; hoc est, quia habet in se speciem, vel imaginem talis obiecti; sicut de imagine Herculis dicimus esse Herculem, sic dum potentia habet speciem, vel imaginem obiecti, dicimus factam esse obiecto similem; quia in ipsa imago, & similitudo obiecti continetur.

CAPVT II.

Sensibilia alia sunt per se, alia vero per accidens. Per se autem alia sunt propria, alia communia.

Dicendum autem est primò de sensibilibus secundum vnumquemque sensum. Dicitur autem sensibile tripliciter; quorum duo per se sentiuntur, seu per se sensibilia sunt; vnum autem secundum accidens. Duorum autem per se, aliud quidem proprium est vniuscuiusque sensus, aliud autem omnium sensuum commune. Dico autem proprium quidē, quod nō contingit alio sensu sentiri, & circa quod sensum ipsum non contingit decipi; vt visus est perceptiuus coloris, auditus soni, & gustus saporis, tactus autem plures habet differentias, quia est circa quatuor primas qualitates; vnde color est proprium obiectum visus, sonus, auditus, & sic de alijs. Quare vnusquisquè prædictorum sensuum, iudicat de his obiectis, (hoc est quilibet de suo proprio) & sic visus circa colorem non decipitur, quod color sit; neque auditus, quod sonus; & si per accidens decipi possint, vt quid sit coloratum, aut vbi, aut quid sonans, aut vbi. Talia igitur dicuntur propria, & per se obiecta vniuscuiusque sensus. Tex.63.

Communia autem sensibilia sunt hæc quinque, motus, quies, numerus, figura, & magnitudo: hæc enim nullius sensus sunt propria, sed omnibus communia; vt motus aliquis, & tactu, sentitur, & visu, & sic potest dici de alijs. Vnde ratio communis sensibilis est, vt pluribus, vel omnibus percipiatur sensibus. Sunt autem hæc sensibilia per se, quia sensum immutant, Tex. 64.

Secundum accidens autem dicitur sensibile, quod secundum se non immutat sensum aliquem, nec ab ipso sensu percipitur, sed ipsum percipi dicimus, prout est coniunctum cum aliquo, quod vere per se percipitur; vt si filius Diaris sit albus, secundum accidens filius Diarius à visu sentitur, quia ab ipso visu percipitur albedo, cui coniunctus est filius Diaris; quapropter ipse sensus visus nihil patitur ab hoc sensibili secundum quod huiusmodi est, sed tantum prout est album; & similiter potest de alijs sensibilibus, & sensibus discurri. Sensibilium autem secundum se propriè sunt ea, quæ dicuntur sensibilia propria, & ea, ad quæ nata est ordinari, vel referri natura cuiusque sensus, quod idem est; potentia enim ordinatur per se ad actum; ergo quæ magis determinatè, & expressè ad hos ordinantur, habent magis determinata, & propria obiecta, & è conuerso, obiecta quæ tales respiciunt sensus, propriè, & propria sensibilia dicenda sunt. Tex.65.

CAPVT III.

De visu, visibilibus, medio, perspicuo, & lumine.

Nunc autem de singulis sensibus sigillatim agendum est; incipiendo à visu, tanquam à nobilissimo omnium, & ordine præcedenti prius de obiecto ipsius agemus. Tex.66.

mus. Viſibile igitur, ſeu obiectum viſus eſt circa quod viſus ipſe verſatur. Vel cuius eſt per ſe viſus, hoc viſibile dicitur, & obiectum illius. Viſibile autem eſt, & color, & aliquid aliud (nempe qualitates quædam) quod oratione, ſeu multis verbis, & nominibus explicare poſſumus, ex ſe autem vno nomine innominatum exiſtit, ſed procedentibus erit maximè manifeſtum. Viſibile enim eſt color, & alia innominata, quæ diximus; hic autem color eſt, quod reperitur in eo, quod ſecundum ſe viſibile eſt; ſecundum ſe autem, non ratione, (id eſt non eſt viſibile ex ſua natura, ita vt immutet uiſum) ſed quoniam in ſeipſo habet cauſam, vt ſit viſibile, quia in ſe habet colorem, & hæc eſt ſuperficies corporis colorati; ipſa enim provt eſt per ſe receptiua coloris dicitur ſecundum ſe viſibile, referendo ſecundum ſe ad rationem ſecundum ſe receptiuam viſibilis, ſed in ſua ratione; provt videlicet, ſuperficies eſt, viſibilis non eſt, & ſic eſt ſenſus. Color eſt in ſuperficie, quæ ſecundum ſe eſt receptiua illius, & ſic ſecundum ſe viſibilis dicitur, at ratione ſui, viſibilis nequaquam eſt.

Tex.67. Quod autem color ſit viſibilis probatur. Omnis enim color motiuus eſt eius perſpicui, ſeu tranſparentis corporis, quod ſecundum actum illuminatum eſt, & hæc eſt natura; ipſius coloris, provt ad viſum ordinatur. Quod autem ſic ſe habet, viſibile eſt. Cum autem ſit motiuus corporis tranſparentis illuminati, ſequitur quod ipſe non ſit viſibilis ſine lumine, ſed omnis cuiuſque color in lumine viſibilis eſt. Ex quo de lumine primo dicendum, quid eſt. Supponamus igitur, quod perſpicuum aliquod detur.

Tex.68. perſpicuum quid. Perſpicuum autem dico, quod eſt quidem viſibile, non autem ſecundum ſe, vt ſimpliciter dicam, ſed ſit viſibile propter externum colorem, vt aqua perſpicua eſt, non tamen videri poterit, niſi ab aliquo externo ſit terminata, quod maximè notum eſt de guttis cadentibus; hæ etenim non videntur, niſi per terminationem alicuius corporis, & maximè obſcuri; & ſi multa alia, quæ perſpicua ſunt ex ſe videantur, vt vitrum, &c. hoc ideo accidit, quia non ſunt perfectè perſpicua, ſed aliquã admittunt opacitatem. Huiuſmodi autem perſpicua ſunt aer, aqua, & multa ſolidorum, vt vitrum, chryſtallum, &c. non enim ſecundum, quod aqua, neque ſecundum, quod aer, perſpicuum eſt, ſed quoniam eſt natura quædam in ſe perſpicuitatis, eadem in his vtriſque elementis, imò ſimiliter in illo perpetuo corpore, quod ſurſum eſt, nempe Cælo, & ſic perſpicuitas eſt quoddam accidens Cælo, & multis alijs conueniens.

Tex.69. Lumen quid. Lumen autem eſt actus huius perſpicui, ſecundum, quod eſt perſpicuum: hoc eſt, lumen eſt, quod reducit ipſum perſpicuum alieno termino terminatum, & in potentia viſibile, vt actualiter videri poſſit. Quod autem perſpicuum ipſum à lumine actuetur, ſeu ſit receptiuum proprium illius, probatur. Nam habitus, & priuationis idem eſt ſubiectum, ſeu receptiuum; lumen autem, & tenebræ ſunt habitus, & priuatio; ergo quod vnius receptiuum eſt, & alterius; ſed perſpicuum eſt receptiuum tenebrarum; nam illud in quo lumen non actualiter, ſed ſolum in potentia eſt, habet in ſe tenebras; perſpicuum autem ſaltem omne non habet ſemper actualiter lumen; ergo tenebras, ergo vtriuſque eſt receptiuum, & ſic lumen eſt actus eius: tenebræ etenim ſunt priuatio. Lumen igitur eſt veluti color perſpicui; quia ſicut color eſt cauſa vt res videantur; ita lumen reſpectu ipſius perſpicui, addito externo colore, vt dictum eſt. Eſt cauſa inquam, vt videatur cum fuerit reductum in actum ab aliqua cauſa efficiente; vt cum eſt actu perſpicuum ab igne, aut ab aliquo huiuſmodi, quale quod ſurſum eſt cæleſte corpus, quod à Sole, vel aſtris illuminatur, (ſicut multa alia inferiora perſpicua.) Etenim huic cæleſti corpori aliquid ineſt vnum, & idem cum iſtis inferioribus perſpicuis commune, vt dictum eſt. Quid igitur perſpicuum, & quid lumen, diximus. Ex quibus ſequitur, quod lumen ipſum non ſit ignis, vt Plato credebat; neque corpus, vt dicebat Empedocles; neque defluxus, ſeu reſiduum, vel raſura corporis vllius, vt Democritus putabat; (qui defluxus ſunt corpora) eſſet enim ſic aliquod corpus, quod eſt impoſſibile; nam duo corpora ſe penetrarent, nempe ipſum cum perſpicuo; per totum namque perſpicuum ipſum recipitur; & ſimiliter dicendum eſt, ſi ponatur ignis, vel aliud corpus. Sed eſt effectus ignis, aut huiuſmodi alterius corporis luminoſi cauſatus in perſpicuo ex illorum præſentia.

Tex.70. Videtur autem lumen contrarium eſſe tenebris; ſunt autem tenebræ priuatio huiuſmodi habitus à perſpicuo, ſeu auferunt lumen à perſpicuo; quare palam eſt, quod præſentia ipſius lumen eſt, & non corpus aliquod, vt etiam ſuperius diximus; nam oppoſitum priuationi eſt actus, vel habitus, vel forma, & non aliquod corpus. Quare non rectè fecit Empedocles, aut ſi aliquis alius ſic dixit, quod feratur lumen, & extendatur inter terram, & cælum, quaſi quoddam corpus velociſſimè motum; nos autem hoc lateat, ob ſummam velocitatem. Hoc enim eſt, & præter eam veritatem, quæ in ratione cernitur, & præter ea, quæ videntur, ſeu experientia nota ſunt; in paruo enim ſpatio lateret nos velocitas iſta ab Oriente autem in Occidentem latere, magna quidem petitio principij eſt, ſeu acceptio pro re notiſſima, & manifeſta, id quod velut obſcuriſſimum, incertum, & inopinabile, probandum eſt; hæc namque petitio principij dicitur.

Tex.71. Quod autem perſpicuum ſit ſuſceptiuum coloris, à quo mouetur, probatur. Nam illud eſt coloris ſuſceptiuum, quod ſine colore eſt, ſicut ſoni, quod ſine ſono. Sine colore autem diaphanum eſt, & inuiſibile, aut quod vix videtur, quale videtur eſſe, quod tenebroſum eſt, huiuſmodi autem perſpicuum quidem eſt, ſed non eſt receptiuum coloris cum actu perſpicuum eſt; quia tunc ipſum habet, ſed cum eſt in potentia, vnde eſt ſubiectum eius, ſicut è contra, color eſt actus ipſius. Eadem enim natura, ſeu ſubiectum, quandoq; quidem, tenebræ ſunt, vel eas habet, quandoque lumen.

Tex.72. Quamquam multa alia præter colorem viſibilia ſint, non tamen omnia viſibilia ſunt in lumine, ſed ſolum color vniuſcuiuſque. Quædam enim in lumine quidem non videntur, in tenebris autem faciunt ſenſationem, vel viſionem, vt quæ ignea ſunt, & lucentia: innominata autem ſunt hæc vno nomine (hoc eſt, non habent nomen vnum aliquod commune, ſicut omnes colores, nomine coloris appellantur) vt fungus, cornu, capita piſcium, ſquamæ, & oculi. De nocte igitur nullius, horum proprius color videtur, ſed lumen quoddam. De die vero videtur color vniuſcuiuſque, non autem lumen, quia à maiori lumine diei offuſcatur. Propter quam autem hæc ita ſe habeant, alia videtur adducenda ratio, ſeu (melius) alibi adducenda eſt in ſequentibus.

Tex.73. Nunc autem intantum manifeſtum eſt, quod id quidem, quod in lumine videtur, color eſt, vnde non videtur ſine lumine; hoc enim eſſe, vel natura ipſius coloris erat, ſcilicet eſſe motiuum perſpicui, provt ipſum perſpicuum in actu erat, actus autem perſpicui lumen eſt. Signum autem huius manifeſtum eſt. Si quis enim ponat id

quod

quod habet colorem super ipsum visum, ipse visus non videbit, & hoc est, quia deest perspicuum illuminatum, nempe aer, vel aqua, vel aliud; Vnde color quidem monet perspicuum, puta aerem; ab hoc autem existente contiguo sensorio, vel organo mouetur sensus, & sic patet, quod color solum in lumine videtur.

Tex. 74. In vacuo nihil videretur. Quare non bene dicit Democritus, qui opinatus fuit, quod si medium inter Cælum, & terram fieret vacuum, perspiceretur vtique exquisitè etiam si formica in Cælo esset. Hoc enim impossibile est; nam ipsum videre fit, patiente aliquid ipso sensitiuo, vel sensu, ab ipso igitur colore, qui videtur, impossibile est sensum pati; sic namque maximè pateretur, cum color vel visibile esset supra oculum, quod tamen falsum esse diximus; relinquitur igitur, quod patiatur à medio; quare necesse est, aliquid esse medium, quia à nihilo, vel vacuo nihil patitur. Vacuo igitur facto, ne dum exquisitè, sed omnino nihil videbitur. Propter quam igitur causam colorem necesse est in lumine videri dictum est. Ignis autem in vtrisque videtur, & in tenebris, & in lumine, & hoc ex necessitate accidit; nam in tenebris ipsum perspicuum tenebrosum fit ab hoc igne actu perspicuum, vel illuminatum; de die autem lumen eius propter suam magnitudinem non potest totaliter obscurari à Sole.

Tex. 75. Sensibile supra sensum non sentitur. Eadem autem ratio est de sono, & odore, quoad hoc, quod nullum ipsorum tangens sensorium, facit sensationem. Sed ab odore quidem, & sono medium externum mouetur, ab hoc autem medio mouetur vtriusque sensorium, cum autem super ipsum sensorium aliquis apposuerit olens, aut sonans, nullam sensationem faciet. De tactu autem, & gustu, se se quidem similiter habet, non autem videtur; propter quam autem causam hoc sit, posterius erit manifestum.

Tex. 76. Medium autem sono, quidem aer est, odori autem innominatum; communis enim quædam passio est in aere, & in aqua; vnde hæc duo sunt apta media ipsius; ita vt sicut perspicuum in communi est medium colori, sic & habenti odorem, aliquid quod in vtrisque his elementis inest. Quod autem aqua etiam sit medium odori; probatur; nam animalia aquatica habent sensum odoratus: ergo per aquam odorant, & sic ipsa medium est; vnde odorant sine respiratione; nam respiratio fit solum in aere. Sed homo, & quæcunque animalia pedibus ambulantia, & respirantia, non possunt odorare, nisi respirando. Causa autem, & de his posterius dicetur.

C A P V T IV.

De Auditu, Sono, ac medijs. De ipsa Echo, ac etiam de Voce.

Tex. 77. NVnc autem primum de sono, & auditu determinemus. Est autem duplex sonus; alius enim actus quidam est, alius autem potentia. Dicitur sonus actu, qui actualiter fit à corporibus sonoris; in potentia verò, qui fieri potest: & vterque corpora sonora respicit, tanquam causam efficientem; non enim omnia corpora sonora sunt; quædam enim non habere, sonum dicimus, vt lanam, spongiam quædam habere, vt æs, & quæcunque solida, & lenia sunt, quoniam possunt sonare: hoc autem (nempe sonare) est facere sonum actualiter inter corpus sonans, & auditum.

Fit autem sonus actualiter semper alicuius percutientis ad aliquod percussum, & in aliquo medio; percussio enim est, quæ facit sonum, ad quam percussionem tria prædicta requiruntur, scilicet percutiens, percussum, & medium. Vnde impossibile est cum sit vnum, fieri sonum; aliud enim est, quod verberat, & quod verberatur, & medium: quare sonans ad aliquid sonit, vel aliquid percutit; percussio verò, vel ictus non fit sine motu; hic autem non sine medio, vel spatio. Fit igitur sonus modo prædicto, tamen (sicut etiam diximus) non quorumlibet ictus sonus est; nullum enim faciunt sonum lana, & si percutiantur; sed æs, & quæcunque lenia, & concaua sunt; æs quidem, quoniam lene est, concaua autem per reflexionem aeris intra ipsa contenti faciunt multos ictus post primam, eo quod corpus motum intra vas concauum non potest exire, vnde pluries reuerberatur. Requiruntur igitur ad sonum quinque conditiones. Prima, quod intersint duo corpora, vel vnum suppleat locum duorum, vt dum fit sonus cum Zona, vel aqua, quorum vna pars percutit aliam, simul cum medio. Secunda, quod hæc corpora sint dura; vnde lanæ non sonant. Tertia, quod sint lenia, vel planam habentia superficiem: aliter vel non sonant, vel malè, ac valde remissè, vt si quis percutiat acumina acuum alijs acuminibus. Quarta, quod sint concaua, quæ potius ad perfectionem, quam ad simplicem sonum requiritur. Tex. 78. Quinque conditiones soni.

Amplius autem auditur sonus in aere, & in aqua, sed minus in aqua. Non est autem dominus soni aer, & aqua, ita vt ab istis duobus elementis effectiuè fiat, sed ad hoc, vt sonus efficiatur, oportet fieri percussionem admuicem solidorum corporum, & ad aerem interceptum, tanquam ad medium requisitum, quæ percussio debet esse velocissima; hoc autem fit, cum permanet percussus, & non dissipatur antequam præueniatur, & hæc est quinta conditio, videlicet, quod corpora, velociter se percutiant. Vnde si velociter, & fortiter percutiatur vnum ipsorum simul cum ipso aere, sonat; oportet enim vt motus ferientis, vel percutientis anticipet fracturam aeris; sicut si quis percutiat aceruum, aut cumulum arenæ motum velociter, ita vt præueniatur motus ipsius cumuli, à motu manus, vel virga percutientis. Est tamen notandum, quod licet aer, & aqua prout medium sunt soni, non dicantur domini, seu efficientes causa ipsius; alia tamen ratione possunt sonum efficere, & vna pars aliam percutere, alia verò esse medium, imò hoc certissimum est de aqua, & experientia compertum. Tex. 79.

Echo autem fit, quando ab aere vno fracto, vel repercusso, propter vas, vel locum concauum, aut aliter se habentem, qui ipsum aerem terminauit, & prohibuit vlterius frangi, vel fractũ ferri, iterũ ipse aer repellitur; quemadmodum sphæra, vel pila repellitur percussa in terram, vel quemadmodum sphærulæ factæ in aqua ab aliquo proiecto lapide dilatantur in gyrum, sed si scopulum, vel aliud inueniant impedimentum, refranguntur, vel regrediuntur, vnde cœperunt fieri, vel alio. Videtur autem semper fieri Echo, sed non clara; quia accidit in sono, sicut in lumine. Etenim lumen semper repercutitur; non enim fieret vbique lumen nisi repercuteretur, sed tenebræ essent extra locum Sole illustratum, quod tamen patet esse falsum; repercutitur ergo lumen à quolibet corpore; sed non sic repercutitur, vt ab aqua, aut aere, aut etiam ab aliquo alio lenium, vt vmbram faciat aliorum oppositorum corpo- Tex. 80.

rum, qua umbra lumen determinatur, seu qua ponitur terminus vltimus luminis.

Tex. 81. Vacuum autem rectè à quibusdam dicitur dominus audiendi, hoc est medium, per quod sonus auditur; accipiendo tamen vacuum pro aere; ipsi namque aerem, vacuum esse putabant; vnde secundum ipsos vacuum videtur esse aer: hic autem est faciens audire cum mouetur, continuus, & vnus, hoc est secundum partes vnitas à corporibus sonantibus mouetur, & sonum per aliquod spatium fert ad auditum. Sed propterea, quod ipse fragilis est, non sonat; non enim fit sonus nisi lene sit, quod percutitur; tunc enim vnio fit simul percutientis, & percussi propter planum, vel superficiem alterius, vel vtriusque; quare quando ista possunt in eo, quod aerem percutit reperiri, non est ab ipso remouendus sonus, vt patet dum velociter percutitur cum Zona, vel à ventis, tamen communiter, quia tales conditiones non adsunt, ipsum sonare negamus.

Tex. 82. Sonatiuum igitur corpus est, quod est motiuum aeris vnius, seu non diuisi vsque ad auditum, sine offensione talis continuitatis aeris, seu existente continuitate ipsa. Auditus autem connaturalis est aeri cuidam intra sensorium existenti; Vnde propterea, quod auditus ipse cum aere est, qui cum exteriori coniungitur, ideò moto exteriori à sono, etiam mouetur aer, qui intra aures est, & sic fit auditio. Vnde non vndique audit animal, neque quocunque transit aer à corporibus sonoris motus; non enim vbique ipsum animal habet aerem sic connaturalem, & natum vniri cum exteriori, eo quòd aer iste moueri debet secundum partem aliquam determinatam, in qua existit, cum debita quoque potentia, quæ animata est, eo modo, quo pupilla determinat sibi ad videndum humidum, non quodcunque, sed quod in oculo existit.

Tex. 83. Per se igitur insonus est aer, propterea quod facilè dissipabilis est, cum vero prohibetur dissipari, vt accidit aeri in auribus clauso, motus huius sonus est. Hic autem in auribus simul cum ipsis ædificatus, seu genitus est, ad hoc vt immotus sit, quatenus certè sentiat omnes differentias motus. Quod autem iste aer sit auribus connaturalis, à signo, probatur; propter hæc enim in aqua audimus, quoniam aqua ipsa non ingreditur ad ipsum connaturalem aerem, imò neque ingreditur in profundum aurium, propter ipsarum anfractus, vel tortuositates. Cum autem accidit, quod hic aer auribus naturalis remoueatur, non audit animal, sicut neque audit si membrana laboret, vel aliquo modo indisposita sit. Sicut cum pellis, quæ super pupillam est, laborat, non videt.

Tex. 84. Quod autem detur talis aer intra aures, probatur per quoddam signum; nam signum audiendi, aut non, est sonare aurem semper ad similitudinem cornu, apposito videlicet digito, vel alio tali intra aures; cum enim fit talis sonus, signum est, quod virtus auditiua viget, nec ab aqua fieri potest, nisi ab aere ipso moto, vel à digito compresso; quare ipse aer, qui in auribus est, semper aliquo motu proprio mouetur, dum excitatur; motu dico proprio, quo videlicet fit quidam sonus proprius aurium, non autem, quod ipse per se semper moueatur; nam vt diximus est immobilis, seu immotus; quare re vera, & sonus, & motus ille non proprius ipsius aeris est, sic, quod ab ipso fiat, & si ipsi, vt proprius tribuatur per quandam vnionem, sed extraneus, quia ab externo aliquo causatur. Est igitur aer connaturalis in auribus per se immotus, qui tamen ab omnibus moueri potest, mediante sono, & similiter ex se est insonus, nisi aliunde compellatur, sicut materia est informis, vt formas recipere possit, & propter hoc dicunt aliqui, animalia audire existente vacuo, & sonante aliquo corpore, quia audimus habentes determinatum aerem intra aures; quare alium externum aerem arbitrabantur non esse necessarium, sed hunc esse sufficientem; vnde inter corpus sonans, & auditum, vacuum esse dicebant.

Vtrum autem sonat corpus, quod verberat, an quod verberatur, an verò vtrunque, modo autē altero, seu diuerso? Respondetur, quod vtrunque sonat modo tamen diuerso, hoc est vtrunque concurrit ad sonum efficiendum, verberans, scilicet, & verberatum effectiuè; formaliter autem, & propriè, tanquam immediatè receptiuum aer interceptus, & istius dicitur sonus, sicut accidens tribuitur subiecto; est enim sonus motus illius corporis, quod potest moueri hoc modo interceptum inter verberans, & verberatum, eo modo, quo mouentur resultantia corpora à lenibus, cum aliquis percusserit; vt si quis percutiat pilam in terram, resultat, seu reflectitur, in qua percussione, motus proprius pilæ, fit in aere, & si effectiuè causetur à percutiente, & percusso; sic sonus effectiuè fit à percutiente, & percusso, subiectiuè est in aere; non tamen dicimus aerem sonare, sed tubam, vel campanam; quia sonare significat agere; ideo ad causam efficientem refertur. Non igitur (sicut dictum est) omne quod verberatur, & quod verberat, sonat; vt si acus feriat acum, sonum non facient, sed quod percutitur debet esse regulare, vt aer inclusus inter ipsum, & percutiens, totus resistat, & concutiatur. Tex. 85.

Differentiæ autem sonantium corporum in sono, qui actualiter fit, ostenduntur; sicut enim non videntur colores sine lumine actuali, ita neque acutum, & graue, quæ sunt differentiæ soni, sine actuali sono cognoscuntur. Hæ autem differentiæ dicuntur acutum, & graue, secundum translationem à tangibilibus. Acutum enim in tangibilibus mouet multum sensum in pauco tempore, vt patet de acu, gladio, &c. Graue autem in multo tempore parum mouet, vt de ligno, & alijs notum est. Sic igitur sonus acutus dicitur, quia in pauco tempore multum mouet auditum; est enim velocissimus, quia parum aeris percutit, ac minus retardatur ab aeris paucitate; graue autem in multo tempore parum mouet auditum, ac tardè, quia multum aeris percutit, ac multum à multitudine talis aeris retardatur; quare quæ sonum acutum faciunt sunt corpora subtilia, quæ vero graue, crassa. Non igitur velox est acutum, graue autem tardum, sed acutum fit propter velocitatem illius motus, graue autem propter huius tarditatem, & sic sunt effectus tarditatis, & velocitatis motus. Et videntur similitudinem habere, cum eo acuto, & contuso, quæ circa tactum sunt; acutum enim quasi pingit; ideò statim transit, obtusum vero quasi pellit, ideo tardius; nam pellendo inuenit resistentiam corporis pulsi; hæc autem accidunt, propterea, quod acutum mouet quidem in pauco tempore, obtusum autem in multo; quare accidit illud quidem esse velox, hoc autem tardum. De sono igitur sic determinatum sit. Nunc de voce dicamus. Tex. 86.

Acutum.

Graue.

Vox autem sonus quidam est animati; nullum enim inanimatorum vocem edit; sed secundum similitudinem dicuntur vocem edere, vt tybia, & Lyra, & quæcunque alia inanimata extensionem habent; sic quod sonum per aliquod spatium extendere, vel emittere possint; vel habent melodiam, & locutionem, seu quandam articulationem imperfectam, vt fistulæ quædam; videntur dico hæc omnia habere vocem, quia vox hæc prædicta includit; Tex. 87.

includit; tamen re vera non habent, cum sint inanimata, imò quod in eis de voce vera apparet, ab animali est. Solum igitur animalia vocem edunt, non autem omnia. Multa enim animalium vocem non habent, & quæ sunt sine sanguine, & inter ea, quæ sanguinem habent, pisces, & hoc rationabiliter accidit, si quidem sonus est motus aeris, animalia vero non habent intra se aerem, nisi ad respirationem; cum autem multa non respirent, nec aerem, nec sonum, nec vocem habere possunt. Eorum autem, quæ non respirant sunt pisces omnes præter Delphinum, de quibus suo loco dicemus. Quare pisces, qui in Acheloo sunt Fluuio, & si dicantur uocem edere, non tamen verum est, sed sonant branchijs, aut quodam alio huiusmodi.

Tex. 88. *Vox autem sonus animalis est, & non ex qualibet parte factus; vnde sonus, qui manibus, vel alijs fit membris, vox non dicitur. Sed quoniam omne sonat, eo quod aliquid verberat, & aliquid verberatur, & in aliquo medio; hoc autem medium est aer: rationabiliter vtique, hæc sola animalia vocem edunt, quæcunque suscipiunt aerem respirando, vt etiam dictum fuit. Iam enim eo aere, qui respiratur, vtitur natura ad duo opera, sicut lingua ad gustum, & locutionem, quorum gustus quidem necessarius est; vnde & pluribus animalibus inest; interpretatio autem, siue vox, est ad bene esse. Sic vtitur aere, & ad calorem interiorem cordis refrigerandum, & hoc est necessarium (causa autem in alijs dicta est) & ad vocem, vt bene sit, seu ad bene esse.*

Tex. 89. *Instrumentum autem respirationis est guttur, quod quidem est via quædam, quæ incipit ab ore, & vsque ad pulmonem deducitur, cuius prima pars, quæ in ore est, dicitur gurgulio, in quo detinetur aer atractus, & repercutitur ab aere à pulmone emisso vnde fit vox, vt latius postea dicetur. Causa autem propter quam hæc pars animalis, nempe guttur sit, pulmo est: ex parte namque ipsius pulmonis, videlicet circa cor animalia pedestria plus habent caloris) quam alia, vnde refrigeratione indigent; hæc autem fit formaliter per aerem respiratum, instrumentaliter per pulmonem, & guttur. Primus igitur locus animalis, qui circa cor est, respiratione (vt diximus indiget; vnde necesse est, aerem respiratum ingredi intrò; ideo solum hæc respirantia animalia pulmonem, guttur, & vocem habent.*

Tex. 90. *Quare vox est percussio respirati aeris à pulmone, ad eam partem, quæ vocatur arteria, facta ab anima, quæ*

Arteria. *est in his partibus: (dicitur arteria via illa ex ore ad pulmonem protensa, quæ etiam vocatur guttur, vt supra vi-*

Guttur. *sum est, sed abusiuè; nam guttur propriè dicitur illa pars, quæ est propè os, iuxta gurgulionem; imò ego crederem, quod guttur, & gurgulio in eadem sint parte, vel fortè eadem pars, sed denominata à diuersis effectibus; arteria vero est tota illa via, quæ & guttur, & gurgulionem includit.) Non enim omnis animalis sonus vox est, sicut diximus; nam potest fieri sonus per linguam, vt faciunt tussientes, qui tamen non est vox; Oportet igitur animatum esse verberans, & cum imaginatione aliqua; nam vox est quidam sonus significatiuus, & non simpliciter respirati aeris ab animali, sicut est tussis, sed anima ipsa isto aere exspirato verberat eum, qui est in arteria, ad arteriam ipsam, simul cum imaginatione aliquid explicandi. Vnde tota vocis definitio hæc est.*

Vox quid. *Vox est sonus animalis causatus ex percussione aeris de pulmone per arteriam ad guttur ab anima, cum imaginatione aliquid explicandi.*

Quare ad hoc, vt fiat vox debet intercipi aer, ita vt non fluat ad hoc vt percuti possit. Signum autem est, quod neque exspirans, (seu aerem extra mittens) neque respirans, (seu aerem attrahens) vocem edere potest; sed quod aerem detinet; retinens enim aerem, ipsomet aere mouet, vel vocem format.

Manifestum autem est, cur pisces sine voce sint; non enim habent hanc partem; quia non recipiunt aerem, neque respirant. Sed qui dicunt sic, videlicet, quod respirent, peccant; propter quam igitur causam res ita se habeat, alibi ratio erit, scilicet in libro de historia animalium. Tex. 91.

CAPVT V.

De olfactu, olfactibili, ac medio.

DE odore autem, & olfactibili, minus facilè dictis determinabile est; non enim sic manifestum est, quale quid sit odor, vt sonus, aut lumen, aut color; causa autem est, quia sensum hunc non habemus certum, sed peiorem multis animalibus; prauè enim odorat homo, & nihil sentit odorabilium, sine molesto, aut iucundo, tanquam non habeatur certum sensorium ipsius; cum autem in scientia naturali à sensibilibus incipiendum sit, quæ nobis sunt notiora, ac de ipso odore, non bonam habeamus sensationem, sequitur quod agere de ipso, difficile sit. Tex. 92.

Rationabile autem est, quod sicut ea animalia, quæ duros habent oculos, vt cancri, gambari, &c. sentiunt, seu vident colores, non sic quod eis sint manifestæ colorum differentiæ, nisi aliquid terribile, seu molestum, & non terribile, seu iucundum in colore apparuerit (sunt enim debilissimæ virtutis visiuæ) sic autem se habeant odores ad genus hominum, ita vt non percipiantur, nisi quidam extremi, qui videlicet sunt vel iucundi, vel molesti. Videtur tamen odoratum habere proportionem ad gustum, & similiter species saporis, cum ijs quæ sunt odoris; quare per ista procedendo, ea quæ ad odoratum pertinent, inuestigabimus. Tex. 93.

Sed certiorem habemus gustum, propterea quod ipse quidam tactus est, nempe linguæ circa sapores; nunc autem sensum tactus homo habet certissimum; ergo ex cognitione gustus, qui species quædam est tactus, & nobis notissimus est, veniemus in cognitionem odoratus, ob similitudinem inter ipsos repertam, & similiter ex obiecto, vel speciebus saporum, in species odorum transibimus; homo igitur habet sensum tactus certissimum; in alijs enim sensibus superatur ab animalibus multis; vt in auditu à Sue, in visu ab Aquila, & Lynco, in odoratu à Vultoribus, & canibus; secundum autem tactum multo excellentius percipit, uel sentit, quam cætera animalia; unde & prudentissimum animalium est. Prudentia enim in optimo consistit iudicio; hoc autem & si præcipuè sit ab anima, supponit corporis complexionem, & temperiem, ac secum proportionem habet; ita ut quo melior est corporis temperatura, eo magis uigeant operationes animæ; unde communiter dicitur, uirtus animi sequitur corporis complexionem; hæc autem complexio in temperie quatuor qualitatum consistit, in qua etiam consistit tactus, ut dicetur; quare quæ prudentissima sunt, perfectissimum habent tactum, & è contra. Quod autem Tex. 94.

Gustus est quidam tactus.

Virtus animæ sequitur corporis complexionem.

hoc sit verum, videlicet ea prudentissima esse animalia, quæ perfectissimum habent tactum; signum est in genere hominum; nam etiam inter ipsos secundum meliorem, vel peiorem tactus dispositionem, sunt magis, vel minus prudentes, & ingeniosi, & sic secundum sensorium, seu sensum hunc, ingeniosos esse, & non ingeniosos iudicamus, secundum autem aliud sensorium, nullum sic iudicamus; duri enim carne sunt mente inepti, molles autem sunt bene apti, dummodo sit mollities quædam temperata, & non quasi flaccida; at mollities, & durities sunt quædam differentiæ tactus, vt in 2. de Generatione, & Corruptione tex. 8. visum est; ergo secundum ipsum tactum animalia sunt ingeniosa, vel non, & cum homo sit omnium ingeniosissimus, cætera in tactu superabit; & cum gustus sit quidam tactus, etiam in hoc alijs præcellet, ac sibi notissimæ erunt species saporis, à quibus ad odoris species deueniendum est.

Molles carne sunt apti mente. Duri inepti.

Tex. 95. *Vt igitur sapor, hic quidem dulcis est, ille verò amarus, sic & odores sunt. Sed aliqua quidem corpora habent proportionaliter odorem, & saporem; dico autem dulcem odorem, & dulcem saporem, vt mel: alia vero è contra, habent scilicet dulcem odorem, & amarum saporem, vt incensum; vel amarum odorem, & dulcem saporem, (per quod insinuatur, alias, & diuersas esse species saporis, à speciebus odoris, licet habeant proportionem; nam si essent eædem omnis amarus odor esset amarus sapor, & è contra) similiter autem, & acer, & austerus, & acutus, & pinguis est odor, sicut sapor; vnde non tantum extremi odores cum extremis saporibus proportionantur, sed medij quoque cum medijs, (qui autem sint medij, & extremi, dicetur inferius.) Sed sicut diximus, propterea quod non multum manifesti sunt odores, sicut sapores, ab his sumpta sunt nomina odorum secundum similitudinem rerum à quibus fluunt; dulcis enim à croco, & melle sumitur odor, acer autem à thymo, & eiusmodi, eodem autem modo, & in alijs.*

Tex. 96. *Adhuc autem sicut auditus, & vnusquisque sensuum non tantum proprium percipiunt obiectum, sed etiam priuationes (habitus namque, & priuatio sunt circa eandem potentiam) vt auditus ipse est rei audibilis, & inaudibilis, visus verò visibilis, & inuisibilis; ita olfactus est odorabilis, & non odorabilis. Inodorabile autem dicitur tripliciter. Primo secundum id, quod omnino impossibile est habere odorem, & hoc fortè ab odoratu non percipitur, sed ab alio sensu interno, secundum, quod paruum habet, tertium quod prauum, & hæc ab odoratu percipiuntur. Similiter autem ingustabile, & obiectum cuiusque sensus sub ratione priuatiua tripliciter dici potest.*

Inodorabile tripliciter.

Tex. 97. *Fit autem olfactus per medium, scilicet per aerem, & aquam; quod autem per aerem fiat, manifestum est; de aqua verò probatur; nam aquatica animalia videntur odorem sentire; nam è minus quidem accurrunt ad escam, quod non esset, nisi perciperent odorem ipsius. Similiter autem, quæ sanguinem habent, & quæ non habent, vel in aqua, vel alibi odorant, sicut quæ manifestè odorant in aere; etenim quædam horum, eminus accurrunt ad alimentum ab odore mota.*

Tex. 98. *Vnde & dubium videtur, si omnia animalia quidem similiter odorent, hoc est per respirationem, vel alio modo, (quam dubitationem ex superius dictis solui potest, videlicet, quod cum multa animalia non respirent, & maximè aquatilium, quæ tamen odorant, ipsa respirando non odorabunt, quod exactius inferius declarabitur.) De homine quidem certum est, quod odorat respirans quidem, seu attrahens aerem; sed expirans, seu aerem emittens, aut retinens non odorat, neque eminus, neque cominus, seu neque à longè, neque propè, neque si in nasum intus odorabile ponatur; sensibile enim positum in ipso sensorio esse insensibile, omnium sensuum commune est. Sed sine respiratione non odorare proprium est hominum; manifestum autem est experientibus; proprium dico non in quarto modo; nam alijs quoque id conuenit animalibus, seu in secundo, quod omnibus accidit hominibus, & si non soli humanæ speciei.*

Sensibile positum supra sensum, &c.

Quare quæ sanguinem non habent, quoniam non respirant, & tamen non odorant, videntur alium vtique sensum habere præter eos, qui dicti sunt à nobis, videlicet eum, per quem odores percipiant, qui saltem sit alterius generis à nostro, cum nos per respirationem, illa vero sine ipsa olfaciat. Sed impossibile est, si quidem odorem sentiunt; sensus enim olfactus est obiecti odorabilis, tam bene, quam malè olentis; ergo cum hæc habeant idem obiectum, eandem habebunt potentiam, quæ per modum sentiendi, vel per respirationem, vel sine, non variatur nisi accidentaliter; quare omnia animalia habent odoratum eiusdem rationis; quæ ratio specificari potest, per hoc, quod est percipere odorem. Amplius autem corrumpi videntur à fortibus odoribus, à quibus homo corrumpitur, vt ab odore bituminis, & sulphuris, & huiusmodi; ergo sentiunt eosdem odores, quos sentit homo, & sic habent similiter odoratum; nam potentiæ distinguuntur per obiecta. Olfacere igitur ipsis necessarium est, sed sine respiratione. Tex. 99.

Videtur autem in hominibus, & quibusdam alijs perfectis animalibus, differre hoc sensorium odoratus ab ijs, quæ sunt aliorum animalium sensoria, sicut oculi ipsius hominis, & aliorum, differunt ab oculis eorum, quæ duros habent oculos. Nam homo quidem, & alia animalia perfecta habent vallum, & palpebras, velut velamen, quas nisi moueant, & retrahant non vident; hi autem oculi (eorum scilicet animalium, quæ duros habent) nihil tale habent, sed mox vident obiecta, quæ fiunt in perspicuo. Sic quidem odoratiuum sensorium, alijs quidem animalibus sine operculo est, sicut oculi prædicti; alijs verò, nempe ijs, quæ recipiunt aerem, seu respirant, habent cooperimentum, quod dum respirant discooperiuntur ab ipso aere attracto, ita vt dilatentur venæ, & meatus. Et propter hoc animalia respirantia non odorant in aqua; nam eis necessarium est olfacere respirando; hoc autem facere in aqua impossibile est. Patet igitur quid sit obiectum odoratus. Nunc ipsum odorem definiamus. Est igitur odor prædominium sicci super humidum, sicut sapor humidi supra siccum. Odoratiuum autem sensorium, potentia est receptiua huiusmodi odoris. Tex. 100.

Odor quid?

C A P V T VI.

De Gustu, & gustabili.

GVstabile autem est tangibile quoddam; quod etenim gustamus lingua tangimus; & hæc est causa cur ipsum gustabile non sit sensibile per medium corpus extraneum, sicut odor sentitur mediante aere externo, &c. quia scilicet, neque tactus per externum medium immutatur. Quod autem gustus sit quidam tactus, probatur; Tex. 101.

nam

nam corpus, in quo est sapor, est gustabile in humido, vt in propria materia, humidum autem tangibile quoddam est; ergo si obiectum gustus est quoddam tangibile, seu sub ipso continetur, similiter, & gustus continebitur sub tactu, & sic est quidam tactus; nam sicut se habent obiecta ad obiecta, ita potentiæ ad potentias. Vnde, & si in aqua essemus, sentiremus vtique impositum dulce in aqua; non autem tunc esset nobis sensatio gustus per medium externum, nempe per aquam, sed sentiremus eo, quod sapor misceretur humido, vel aqua, sicut miscetur in potu, ita vt aqua ipsa cum dulci illo sapore ad nos appropinquaret, & per tactum linguæ ipsum dulce sentiremus, non autem per medium externum (dicitur medium externum, quod est extra animal, vt videmus, audimus, & odoramus per aerem, & aquam, quæ sunt extra nos; internum autem, quod intra animal est, vt tangimus, vel gustamus per carnem, quod exactius examinabitur postea.) Color autem non sic videtur, eo quod misceatur, vel defluat cum aere, qui postea intra nos simul cum aere ipso percipiatur, sicut accidere diximus, de sapore aquæ mixto. Quare gustus est quidam tactus, non autem formaliter; sic namque per totum corpus gustaremus, sicut tangimus, sed materialiter; quia videlicet gustando tangimus, & per medium internum vtrunque fit.

Medium sensibile externum. Internum.

Tex.102. *Vt igitur medium gustus nihil est externum gustanti; vt autem obiectum externum est; ita vt sicut color est visibile, & obiectum visus, sibique externum; ita sapor gustabile, ac externum gustus est. Nihil autem facit sensationem sapor sine humiditate actu, vel potentia, vt sal, & si actualiter non videatur humidus tamen potentia est talis; nam & facile liquabilis ipse est, & colliquefactiuus, vel humefactiuus linguæ.*

Tex.103. *Sicut autem visus, & circa visibile est, & circa inuisibile, (sed circa visibile positiuè, & directè, circa inuisibile negatiuè, & indirectè; quod autem sit etiam circa inuisibile patet; tenebræ enim inuisibiles sunt tamen à visu iudicantur; adhuc autem est inuisibile valde splendidi, vt Solis, &c. & hoc etiam inuisibile est; alio autem modo, quam tenebræ, quia illæ sunt simpliciter inuisibiles; ideò purè priuatiuæ, vel forte negatiuæ cadunt sub visu; sed valde splendidum positiuè percipitur, sed malè ob debilitatem nostræ potentiæ; ideò est inuisibile secundum quid, & solum in ordine ad nos; nam ex se maximè visibile est.) Similiter autem auditus est circa sonum, & circa silentium, quorum aliud est audibile nempe sonus, aliud inaudibile s. silentium; quod quidem inaudibile dicitur etiam de magno sono, qui auditum offendit, sicut diximus de valde splendido; quemadmodum enim paruus sonus inaudibilis quodammodo est, sic & magnus, & violentus. Inuisibile autem dicitur tripliciter; Vno modo quidem, quod simpliciter impossibile est videri, vt res immateriales. Alio autem quod ex se visibile est, sed non habet aliquod, quod ex sua natura sit aptum ipsum videri; & hoc est excedens visibile. Tertio, quod prauè, seu parum videri potest propter debilitatem sui coloris, vel luminis, sicut carens pedibus, vel carens nucleis tripliciter dicitur. Primo quod non habet, nec potest habere, vt arbores respectu pedum, & ficus, respectu nuclei, & hic respondet primo modo. Secundo, quod ex se posset habere, sed aliunde ei prohibitum fuit, & hic modus respondet secundo. Tertio, quod paruos habet pedes, vel nucleos. Sic vtique gustus, circa gustabile, & ingustabile est. Quod quidem ingustabile est etiam triplex. Primum quod nullum habet saporem. Secundum, quod habet saporem prauum, vel corruptiuum, & hic respondet secundo modo, quia non habet, à quo bene percipi possit. Tertium, quod habet saporem paruum. Videtur autem, quod principium, seu obiectum gustus, (obiectum enim dicitur prout causat sensationem) non sit tantum comestibile, & incomestibile; Sed etiam potabile, & impotabile. Ambo enim hæc sunt obiectum gustus, prout sub ratione gustabilis continentur. Sed hoc quidem est prauum, & corruptiuum gustus, illud autem est secundum suam naturam, seu gustui conueniens. Est autem potabile commune tactus, & gustus, idest ratione humiditatis est à tactu perceptibile, ratione saporis à gustu, sicut quodlibet aliud gustabile; nam aliter gustus non esset quidam tactus.*

Inuisibile tripliciter.

Quoniam autem gustabile humidum est, necesse est sensorium ipsius, neque humidum esse actu; nam recipiens debet esse denudatum à natura recepti, (non debet esse humidum, dico saporiferum, sicut est gustabile, sed simpliciter humidum esse potest, & de facto est; nam illo modo sufficit, vt denudetur à natura humidi gustabilis) neque sic remotum, vel siccum, quod non possit fieri humidum. Patitur enim aliquid gustus à gustabili, vt gustabile est; quare cum actio, & passio non sint inter omnino similia, nec inter penitus contraria, vt visum est in primo de Generatione, & Corruptione textu 50. sequitur, quod gustus ipse, seu organum eius, aliquo modo conueniat cum gustabili, aliquo verò differat; & sic cum aliqua existens humiditate, erit in potentia ad saporem, qui cum humiditate ipsius gustabilis erit; vnde aliquo modo est humidum, scilicet sine sapore, aliquo modo non, videlicet cum sapore. Necessarium est ergo humectatum iri, quod potest humectari; ita vt conseruetur in sua naturali dispositione. Quare gustatiuum sensorium humidum saporiferum non est; sicut neque simpliciter omni humiditate carens. Vtrunque à signo probatur: nam clarum est, quod lingua existens totaliter sicca non sentit; neque multum humida, cum aliquo sapore: vnde quia in ipsa fit tactus primi humidi saporiferi, saporis debet esse expers. Quare cum quis prægustauerit fortem saporem, & gustet alterum, omnia amara videntur, vt accidit ægrotantibus; propterea, quod sentiunt habentes linguam plenam huiusmodi humiditate amara. Tex.104

Species autem saporum sunt accipiendæ sicut in coloribus, quoad hoc, vt aliæ sint extremæ, aliæ intermediæ, seu aliæ simplices, aliæ mistæ; (intermedia enim ex extremis sunt, ideò hæ mistæ, illæ autem simplices dicuntur) simplices quidem contrariæ sunt, vt dulce, & amarum. Consequunter autem statim duæ aliæ species mistæ, sed his magis participantes, vt dulce sequitur pingue ad amarum, salsum. Alia horum media sunt, acre, & austerum, & acerbum, & acidum. Vnde octo sunt species saporum, nempe dulce, vt mel, ficus; amarum vt fel; pingue, vt lac; salsum, vt sal; acre, vt limon; austerum, vt castanea immatura; acerbum, vt sorbum, etiam non maturum, vel pyrum; acidum, vt acetum; ferè enim hæ videntur esse saporum differentiæ. Quare gustatiuum, vel sensus gustus est, quod est in potentia ad percipiendos tales sapores. Gustabile autem est factiuum actu ipsius, seu est, quod ipsum sensitiuum reducit de potentia ad actum. Tex.105.

Octo species saporis.

CAPVT VII.

De Tactu tangibilibus, ac medio.

Tex.106. DE tangibili autem, & tactu eadem ratio est, quoad vnitatem, & pluralitatem: si enim tactus non est vnus sensus, sed plures, necessarium est, & tangibilia sensibilia plura esse. Habet autem dubitationem, vtrum plures sint sensus tactus, an vnus.

Tex.107. Similiter quærendum est, quid sit sensorium tangibilis, vtrum in ijs animalibus, quæ habent carnem sit caro, in alijs verò aliquid proportionatum carni, an non; sed ipsa caro sit medium, primum autem sensorium sit aliud quiddam intra carnem. Quoad primam quæstionem, videntur plures sensus tactus; nam omnis vnus sensus vnius est contrarietatis, vt visus albi, & nigri; auditus soni grauis, & acuti; & gustus amari, & dulcis. In tangibili autem multæ insunt contrarietates, scilicet calidum, & frigidum: humidum, & siccum: durum, & molle, & quæcunque aliorum sunt talia, vt asperum, & lene, &c. ergo non vnus videtur sensus, sed plures.

Tex.108. Sed hæc ratio non videtur concludere, habet enim solutionem quandam. Nam etiam in alijs sensibus sunt plures contrarietates, vt in voce, vel obiecto auditus non solum sunt acutum, & graue, sed & magnitudo, & paruitas, & bonitas, & asperitas vocis, & huiusmodi alia. Sunt autem circa colorem similes aliæ differentiæ, vt album, & nigrum: splendidum, & non splendidum; ergo hac ratione non sunt ponendi plures sensus tactus, vel omnes alij sunt etiam plures; quare sicut contrarietates aliorum ad vnum obiectum reducuntur, vt contrarietates colori, ad qualitatem visibilem; odoris ad odorabilem, &c. ita quoque possumus dicere de qualitatibus tactus. Sed quid sit vnum subiectum, vel obiectum commune sicut auditui sonus, sic tactui, non est manifestum.

Tex.109. Quoad secundam quæstionem; vtrum scilicet, sensus tactus sint intra carnem, an non, sed mox ipsa caro sit sentiens, est dubitatio. Neque enim videtur sufficiens signum, quod caro ipsa sentiat: eo quod fiat sensatio, simul atque in carnem aliquod subtilissimum extenderit, vt cum extensam super ipsam fecerit pelliculam aliquam, similiter mox cum tangibile tetigerit carnem cum pellicula coniunctam indicat fieri sensationem, vel simul fit sensatio, & tamen constat, quod in hac pellicula non est sensorium; ergo neque hac de causa caro iudicanda est esse sensorium, & si statim tacta, fiat sensatio; quia hoc accidere potest ob coniunctionem, quam habet cum sensorio ipso, sicut accidit de pellicula prædicta, quæ tamen non est ita coniuncta cum sensorio; quare si verè coniunctum aliquid cum ipso sensorio fuerit, vt de carne accidit, citius vtique pertinget sensus, ad cognoscendum tangibile, quamquam res vel caro ipsa coniuncta non sit sensorium.

Tex.110. Quapropter talis pars corporis, nempe caro videtur sic se habere, vt sit sensorium tactus propter naturalem coniunctionem, quam secum habet; sicut si aer, qui circa nos est, esset nobis adnatus, seu connaturalis, & pars nostri corporis, ne sciremus distinguere de medio visus, auditus, & odoratus, ab eorum potentijs, imò videremur vno quodam medio, ac sensu sentire, sonum, & colorem, & odorem, & vnus quidam sensus, auditus, visus, & olfactus; nunc autem quoniam determinatum, ac distinctum clarè est medium per quod fiunt motus, seu sensationes prædictorum sensibilium, & sensuum, etiam manifestum est, prædicta sensoria diuersa esse, quod cum sic in tactu, & medio ipsius non accidat, distinctionem inter vtrunque non discernimus.

Tex.111 In tactu igitur hoc medium nunc immanifestum est, ex aere enim, aut aqua, impossibile est constare animatum corpus; oportet enim solidum quoddam esse; relinquitur ergo mistum esse ex terra, & ex his alijs quoque elementis simul; nam tactus est intrinsecum quid animalis, & in partibus eius constitutus; quare medium ipsius erit aliquid, quale solet esse caro, & proportionale sibi in non habentibus carnem. Vnde necesse est, quod corpus, vel pars corporis connaturalis animali sit medium tactus, per quod fiunt sensus, seu sensationes, quæ plures sunt.

Tex.112. Cum autem superius dictum sit, gustum esse quendam tactum, nunc id opus est declarare. Dicimus ergo non esse vnum sensum, nisi materialiter, prout videlicet gustus ipse sentit in eadem parte corporis, vbi etiam tactus viget; formaliter autem sunt diuersi, & plures; quia diuersa obiecta, & sub diuersa ratione respiciunt; tactus enim qualitates primas respicit, sub ratione tangibilis, gustus, saporem sub ratione gustabilis; & sic plures sunt sensus. Indicat autem, quod plures sint tactus, qui in lingua est; nam omnia tangibilia sentit secundum eandem partem, qua sentit saporem; ergo si vnus & idem essent, idem accideret vbicunque est tactus, & sic per totum corpus sentiremus saporem. Si igitur alia caro à lingua sentiret saporem, videretur vnus, & idem esse sensus gustus, & tactus, nunc autem duo sunt, propterea quod non conuertitur; nam valet dicere, gustus est quidam tactus, seu vbi est gustus est tactus, sed non è contra; quare diuersi sunt, & si interdum in eadem parte corporis sint, idemq; medium habeant; quæ enim sunt vnum, & idem penitus conuertuntur, vt gladius, & ensis.

Gustus quomodo tactus.

Tex.113. Dubitabit autem aliquis; anînter tangibile, & tangens mediet aliquod corpus, quod si hoc erit, ipse tactus habebit etiam medium externũ. Videtur igitur, quod mediet; quod probatur tria supponendo. Primum; omne corpus profunditatem, seu tertiam magnitudinẽ, (quod idem est) habet. Secundũ; illa inter quę mediat aliquod corpus, non contingit vt ipsa se inuicem tangant. Tertiũ; humidum, et vdum non possunt esse sine corpore aliquo, sed omne humidum, & vdum, necesse est, vel esse aquam, vel ipsam habere. Quibus positis sic probatur intentum. Quæ tangunt se inuicem in aqua, cum extrema tangentia sicca non sint, necesse est, vt habeant aquam mediam, qua repleta sunt vltima tangentia extrema; si autem hoc est verum, impossibile est tangere aliud aliud in aqua; Quia ex suppositis inter quæ mediat corpus non se tangunt; nam corpus habet profunditatem, quæ tactum impedit extremorum, & vbicunque est humidum, vel vdum, est corpus; ergo cum ista extrema sint humida, non se tangent; vt etiam dictum est. Eodem autem modo, duo corpora non se tangent in aere; similiter enim se habet aer ad ea, quæ sunt in ipso, & aqua ad ea, quæ sunt in ipsa. Latet autem magis nos hoc in aere, sicut ea animalia, quæ sunt in aqua nesciunt similiter si vdum tangat vdum; tamen ratio in aqua, & aere eadem videtur; vnde concludi fortassis poterit, quod non fiat tactus sine externo medio, scilicet aere, vel aqua.

An ad tactum requiratur aer, vel aqua.

Vtrum

Tex.114. *Verum igitur omnium similiter fit sensus, nempe eodem modo per medium externum, vel internum, an aliorum aliter, sicut nunc nobis videtur, quod gustus quidem, & tactus sentiant tangendo immediatè, sine externo medio, alij autem sentiant suum obiectum eminus per medium externum? Hoc autem non est verum, quod scilicet alij sensus sentiant per medium externum, alij nullo modo ipso indigeant, imò ipse tactus (de quo minus videtur) externo indiget medio, vltra internum; vnde durum quidem, & molle, quæ sunt tangibilia, per alia media sentimus, quam per internum, sicut per externum medium sentimus sonatiuum, & visibile, & odorabile; sed differunt in hoc, quod alia quidem sentimus eminus, seu à longè, vt visibile, sonatiuum, & odorabile, alia cominus, seu propè, vt gustabile, & tangibile. Quapropter ob vicinitatem latet, quoniam omnia sentimus per medium, sed in his duobus latet, per medium dico externum; supponendo etiam internum nempe carnem, vt supra dictum est; nec est inconueniens duo esse media diuersa, & subordinata. Et quidem (sicut diximus prius) si per pelliculam, quæ nos lateret, sentiremus omnia tangibilia; similiter vtique nos haberemus in tangendo, sicut nunc in aqua, & in aere; putamus enim nunc ipsa tangere, & nihil esse tangibile per medium: per medium igitur externum etiam tangimus, sicut operationes aliorum sensuum exercemus.*

Tex.115. *Sed differt tangibile à visibilibus, & sonatiuis; nam hæc quidem sentimus, eo, quod medium mouet aliqualiter nos, postquam ipsum ab obiecto motum fuit: tangibilia autem non à medio incipiunt mouere, sed simul cum medio nos mouent; sicut per clypeum percussus, simul cum ipso clypeo ictum recipit; non enim clypeus percussus, percussit, sed simul accidit vtraque percuti, & clypeum scilicet, & hominem.*

Tex.116. Caro est solum medium tactum. *Omnino autem videtur, quod caro, & lingua sic se habeant ad sensorium tactus, sicut aer, & aqua ad visum, & auditum, & olfactum; ita vt sicut ipse aer, & aqua non sunt nisi media prædictorum, ita caro ipsa non sit sensorium tactus, sed medium tantum, & similiter ipso sensorio tacto non fiat sensatio, sicut neque si sensorium alterius sensus immediatè tangatur; vt si quis ponat corpus album super vltimum oculi, nempe super pupillam, non fit visio. Quare manifestum est, quod sensorium tangibilis non sit caro ipsa, sed intra ipsam existat. Sic enim vtique accidet, quod quidem accidere diximus alijs sensibus, scilicet, quod sensibilia posita supra sensum non faciãt sensationem, super carnem autem apposita, sensus tactus sentit; quare caro non est sensorium, quia sic sentiret, sed est medium tactus.*

Tex.117. *Tangibiles igitur sunt quatuor primæ qualitates, quæ sunt differentiæ corporis corruptibilis, prout corpus corruptibile est; differentias inquam accidentales, quibus tamen pro essentialibus interdum vtimur. Dico autem differentias (quæ elementa determinant, etiam accidentaliter) calidum, frigidum, humidum, & siccum, ac ipsis elementis primò conueniunt, quam mistis; ideò potius in comparatione ad elementa ipsa, differentiæ nuncupantur, quam in comparatione ad corpus corruptibile in communi. De quibus differentijs prius dictum est in ijs, quæ de elementis habuimus, in secundo de generatione. Sensorium autem ipsarum qualitatum, nempe tactiuum, seu organum, in quo inest primo sensus, qui vocatur tactus, est pars quædam animalis, in potentia ad huiusmodi qualitates percipiendas.*

Tex.118. *Sentire enim pati quoddam est; quare quod facit aliquid esse in actu, quale est ipsũ faciens, non faciet, nisi quod est in potentia huiusmodi; Vnde cum ipsæ quatuor qualitates reducant in actum sensum tactus, ac sensorium ipsum, erit potentia, vt dictum est. Quapropter calidum, & frigidum, aut durum, & molle, quæ sunt similia caliditati, frigiditati, duritiei, & mollitiei, quæ in nobis sunt, & eiusdem quoque intensionis non sentimus; quia ad ista non sumus in potentia, sed tantum sentimus exuperantias, seu excessus prædictorum; tanquam noster sensus existat velut in quadam medietate, & temperie, eius contrarietatis, quæ in sensibilibus corporibus reperitur, quę in excessiuo calido, & frigido, humido, & sicco consistit, & propter hanc mediam temperiem discernit, ac indicat sensibilia; Medium enim indicatorium est. Fit enim ad vtrumque ipsorum contrariorum, alterum vltimorum, seu alterum extremum contrarium; vt dum indicat calidum, habet rationem frigidi, & è contra.* Cur non sentimus qualitates similes nostris.

Et vt id quod debet sentire album, & nigrum, oportet neutrum ipsorum esse actu, potentia verò vtrunque; sic autem in alijs, ita & in tactu, non debet esse actualiter calidum, neque frigidum, vt vtrunque cognoscere, vel sentire possit. Tex.119.

Amplius autem, sicut visus est quodammodo visibilis, & inuisibilis; similiter autem reliqui sensus oppositorum sunt, sic & tactus tangibilis, & intangibilis est. Intangibile autem dicitur dupliciter; vno modo quod paruam omnino habet differentiam tangibilium; quomodo se habet aer; secundo modo dicuntur intangibiles exuperantiæ tangibilium, vt excessiuus calor, vel frigus, &c. hæc enim corruptiua sunt tactus, posset addi tertium videlicet, quod nullo modo tangi potest, vt res immateriales, & incorporeæ. Secundum igitur vnumquemque sensum exteriorem figura, seu in communi dictum est. Tex.120. Intangibile duplex.

CAPVT VIII.

Sensus recipiunt sensibilia sine materia. Cur sensibilium exuperantiæ corrumpant sensoria. Et quo pacto non sentientia à sensibilibus patiantur.

Oportet autem vniuersaliter de omni sensu accipere, quod est susceptiuum formarum sine materia, vt cera recipit signum annuli sine ferro, & auro: accipit autem ipsa cera signum aureum, aut æneum, sed non in quantum aurum, aut æs; quia nihil recipit de auro, vel ære. Similiter autẽ, & sensus vniuscuiusque patitur ab habente odorem, aut saporem, aut sonum, sed non in quantum vnumquodque illorum dicitur tale corpus, sed in quantum huiusmodi habet qualitates, & secundum rationem, seu formam accidentales; ita quod accidentia talium corporum, vel species ipsorum, non autem corpora ipsa recipiat; & hoc est omnibus sensibus commune. Tex.121.

Sensorium autem primum, seu organum sensus est, in quo est huiusmodi potentia sensitiua. Est igitur idem subiecto cum ipsa; sed secundum esse, & naturam alterum est; nam id, quod sentit, seu organum, in quo est sensus, magnitudo quædam est, non tamen hoc est esse sensitiuo, neque sensus magnitudo est, sed ratio, seu forma quædam, & potentia illius. Tex.122. Sensorium quid.

Manifestum autem ex his est, propter quid excessus sensibilium, vt excedens calor, vel frigus, vel sonus Tex.123.

Cur sensus corrumpuntur à sensibili magno. corrumpunt sensoria, vel potentias ipsas; si namq; motus sensibilium sit fortior sensorio, soluitur ratio, seu proportio, & temperies; hoc autem erat sensus; Causa est, quia sensus ipse consistit in quadam proportione, & temperie elementorum, saltem quoad organum, quia potentia sentiendi est virtus animæ. Temperies verò ab excessu corrumpitur. Sicut consonantia, & tonus destruitur percussis fortiter chordis, in quibus talis consonantia consistebat.

Tex. 124. Cur plantę non sentiūt. Et propter quid plantæ non sentiant, cũ habeant quandam partem animalem, nempe animam ipsam, & à tangibilibus patiantur, nempe à calido, frigido, &c. sicut ipsæ quoque animalia, etenim frigescunt, & calescunt. Causa enim est, non habere medietatem, seu temperiem prædictam, quæ in medietate consistit; neque tale principium, vel potentiam, quæ in hac temperie fundatur, & quæ apta est recipere formas, seu species sensibilium sine materia, sed proprium ipsarum plantarum est pati cum materia, hoc est per realem contactum corporum materialium agentium, & non recipiendo species sensibiles sine materia, & ab obiecto distante.

Tex. 125. Dubitabit autem aliquis, si aliquid quod non potest olfacere, patiatur ab odore, & quod non potest videre, à colore, similiter autem in alijs. Respondetur, quod cum olfactibile sit odor, necessariò odor ipse ad olfactum refertur, & olfactus ad odorem; nam olfactibile olfactus olfactibile est, & è conuerso; quare si quid facit, vel immutat olfactum, inquantum odor est, ipsum immutat, et quod ab odore immutatur, vel patitur, olfactus est. Et sic ea, quæ non possunt olfacere, nihil ab odore pati possunt. Eadem autem ratio in alijs, videlicet, quod nullum aliorum potest ab obiectis sensuum pati, vt à colore, vel sono, nisi inquantum fuerit sensitiuum.

Tex. 126. Quod autem hoc sit verum, simul manifestum est sic. Neque enim lumen, & tenebræ, neque sonus, neque odor quicquam faciunt in corpora inanimata, & non sensitiua; sed si aliquid ab ipsis effici videatur, hoc faciunt ea subiecta, in quibus vnumquodque horum est; vt aer agitatus est, qui cum tonitruo findit lignum, & non simpliciter sonus tonitrui. Sed de tangibilibus qualitatibus alia est ratio; ipsæ namq; agunt etiam in res inanimatas, & in plantas; imò sapores faciunt, vt herbæ; & alia habeant saporem ex commistione harum qualitatum. Si enim non agerent, à quo vtique paterentur, & alterarentur inanimata? Alio tamen modo agunt in animalia, alia verò in plantas, & in res inanimes; in illas namque agunt inducendo dolorem, vel delectationem, in istas sine his.

Tex. 127. Si igitur tangibilia agunt in plantas, & res inanimatas, ergo ne etiam obiecta aliorum sensuum faciunt, vel agunt similiter in ista? cur namque magis illa, quàm hæc? Respondetur, quod etiam hæc agunt, non tamen eodẽ modo, nec in omnibus corporibus; quia non omne corpus passiuum est ab odore, & sono; sed ea, quæ patiuntur, indeterminata sunt; hoc est transparentia, & rara vt aer, & aqua, & forma, seu species, vel actio illorum non permanet in istis, sed transit ad sensitiua; quare hæc obiecta agunt in corpora aliqua non sensitiua transeunter, & tanquam in medium; vnde corpora ipsa potius dici possunt per quæ agunt, quam in quæ agant; & sic agunt solum secundum quid, & potius non agere dicendum est; nam actio in aliquid dicitur ratione termini; quia vltimatè ad ipsum terminatur, & hac ratione non agere superius diximus; tangibiles verò qualitates terminant suas actiones ad corpora non sensitiua: ideo simpliciter agere dici possunt. At si quis dicat, si sentire est pati, seu recipere obiecta sensibilia, ergo aer, & alia corpora, quæ ab his obiectis quoquo modo patiuntur, sentient. Respondetur, quod non quælibet receptio obiecti est sentire, sed ea, quæ fit cum cognitione aliqua. Vnde aer habet odorem, vel olet tanquam passus aliquid ab odore, non tamen sentit odorem, quia non cognoscit. Sed adhuc instabit aliquis, quid igitur est odorare præter pati aliquid? Respondetur, quod non est simpliciter pati, sed sentire: vnde aer passus ab odore, non odorat, quia non sentit, sed fit sensibilis. Sentire non est simpliciter pati.

SVMMÆ QVARTÆ

CAPVT VNICVM.

Non datur sextus sensus, & redditur causa, cur non vnum, sed plures habeamus sensus.

QVod autem nõ sit alius sensus externus præter quinque prædictos, nempe visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum, ex his, quæ mox dicemus, aliquis credet. Nam, vel esset eiusdem rationis cum aliquo istorum, ita vt esset alter visus, vel alter tactus, & sic de alijs, vel rationis diuersæ; ita vt sicut visus differt ab auditu, ita iste ab omnibus quinque differet, sed neutro modo esse potest: ergo non est ponendus; probatur, quod non possit esse eiusdem rationis. Nam si hoc esset, non alia de causa esset, nisi quia aliquis istorum non esset sufficiens omnia, quæ ad suum obiectum pertinent, percipere; hoc autem est falsum: etenim omnis eius obiecti, cuius tactus est sensus, vel sensitiuum, etiam nunc sensum habemus; nam omnes passiones, vel qualitates tangibiles, inquantum tangibiles sunt, à nobis sunt sensibiles per tactum; ergo pari ratione omnia alia obiecta cuiusq; sensus ab ipso sunt perceptibilia, & sic frustra poneretur alter eiusdem rationis, nec alia de causa poni poterit; nam sensus ad percipienda obiecta ordinati sunt. Quare si daretur alter sensus, esset diuersæ rationis, quem tamen nos non cognoscimus habere; vnde dicendum esset, nos eo carere, sicut talpa caret visu, licet secundum se ponendus esset. Sed si aliquis sensus deficiat, necesse est, vt etiam nobis aliquod sensorium, vel organum desit, quia frustra esset organum sine proprio sensu. Sed hoc est falsum; ergo non datur sensus alterius rationis. Tex. 128.

Quod verò aliquod sensorium non deficiat, probatur. Tex. 129.
Nam quæcunque quidem nos ipsi tangentes sentimus, tactu sensibilia sunt, quem tactum habemus intra nos simul cum medio ipsius; (intelligendo cum tactu etiam gustum) quare medium tactus, & gustus internum erit, & caro, seu corpus mistum. Quæcunque verò sentimus per media externa, & non tangentes ipsa, simplicibus duobus corporibus sentimus, dico autem aere, & aqua; quapropter determinatis sensibus respondent determinata organa, & ipsis determinata media; nam organum cum medio habet proportionem, & connexionem, vt inferius dicetur; ergo si plura essent organa, plura quoque media essent, quod est absurdum; nam medium internum est pars materialis animalis, nempe caro, quæ multiplicari non potest; externa verò sunt elementa aliqua, quæ neque multiplicantur, vt satis in libris de generatione demonstratum fuit. Verum est tamen, quod si quidem per vnum medium plura existunt sensibilia, quæ ad inuicem genere differunt, necesse est,

est, quod habens sensoria huiusmodi, sit sensitiuum horum obiectorum per idem medium vnum, tamen sensoria ipsa secundum diuersam rationem, variasque qualitates, cum medio proportionantur, vt si per aerem sensoria fiant in actu, vel moueantur à diuersis obiectis, vt auditus à sono, visus à colore, hoc erit prout sensoria ipsa diuersis aeris qualitatibus participant; nam visio fit per aerem prout visus ipse participat diaphaneitate aeris; auditio verò, quia organum auditus participat humiditate; & sic organa, vel sensoria variantur secundum variationem medij, vel qualitatum ipsorum, at cum media ipsa, ac etiam qualitates sint inuariabiles, vt visum est in libris de generatione (aer namque humidus, calidus, & transparens est, & si variaretur corrumperetur) sequitur, quod neque sensoria variari poterunt, nec consequenter sensus; vnde plures non erunt. Si verò eiusdem obiecti, & sensus plura sint media (vt coloris, & aer, & aqua; vtraque enim perspicua sunt; vnde color percipi potest) hoc similiter eadem erit ratione, prout videlicet plura ipsa media, secundum aliquam qualitatem cum vno illo sensu communicant, vt color videtur per aerem, & aquam, quia vtraque sunt corpora perspicua, qua qualitate etiam oculus participat, & sic semper erit proportio inter organa sensuum, & media; vnde vnum sine altero, vel sine ipsius qualitatibus multiplicari non poterit; qui igitur habet vnum sensorium ipsorum, quæ per plura media sensibilia sunt, sentiet id, quod per vtraque est sensibile, ratione participationis in aliqua qualitate cum ipsis medijs, vt dictum est. Quare cum determinata sint media, & qualitates ipsorum, simul quæ cum sensorijs proportionem habcant, vnum sine altero multiplicari non potest.

Tex. 130. Quibus sensibus respondeant elementa. Quod verò media ipsa, vel elementa proportionentur sensorijs, nunc declaremus. Nam solum ex his duobus simplicibus elementis, nempe aere, & aqua, sensoria sunt (intelligenda tamen prædominanter: nam sensoria sunt partes animalis, quæ necessario sunt mista ex quatuor elementis, sicut qualibet pars misti, est mista); Vnde pupilla est aquæ, Auditus vero aeris, olfactus autem horum alterius, nempe aeris. Ignis autem, aut nullius simpliciter est; aut communis omnibus; nihil enim sine debito calore sensitiuum est. Terra autem, aut nullius est, aut in tactu maximè miscetur, non autem prædominatur, quia perfectio ipsius in temperie consistit, & idem dicatur de gustu. Quapropter relinquitur nullum iam esse aliud sensorium, nisi aerem, & aquam prædominanter videlicet in sensorijs, & sic non sunt plures sensus.

Tex. 131. Præterea: Perfectum dicitur cui nihil deest; sed multa sunt animalia perfecta; ergo nullo sensu carere debent; & sic, neque sunt, neque esse poterunt plures; quare vt experientia docet, hæc prædicta (nempe sensus omnes) quædam animalia habent; & denique omnes sensus habentur ab animalibus non imperfectis, neque mutilatis, imò cùm talpa sit de genere perfectorum animalium, videtur sub pelle habere oculos: ita vt pellis ipsa sit à natura sibi tributa, non ad auferendum visum, sed ad defendendum ipsum tum à puluere, & alijs offensionibus dum degit sub terram, cum ab ingenti lumine solis, dum è tenebris subterraneis ad lucem ingentem egreditur. Vnde, & si superius talpam visu priuatam posuimus, fuit causa exempli, & secundum vulgares.

Talpa habet oculos, & visum.

Tex. 123 Cùm igitur sensus debeant proprium organum habere, & organa ipsa sint medijs, vel elementis, aut qualitatibus ipsorum proportionata (vt satis declaratum est) sequitur, quod si non sit aliud corpus, neque qualitas, quæ nullius eorum corporum elementarium, vel ab elementis constitutum, quæ hic sunt, sit, nullus vtique deficiet sensus.

At verò neque ratione sensibilium communium potest esse aliquod sensorium, ac sensus à quinque prædictis distinctus; quia quæ vnoquoque sensu per se sentimus, & non secundum accidens, alium sensum per se diuersum non requirunt; sed motus, quietis, figuræ magnitudinis, & numeri, (quæ sunt sensibilia communia) est per se vnius sensus cognitio; ergo alium non requirunt; probatur minor. Nam hæc omnia motu, seu per immutationem sensus sentimus, vt magnitudinem visu percipimus, sic quod visus ipse per se ab ipsa immutatur: quare etiam sentimus figuram; nam magnitudo quædam est; similiter percipimus quiescens, eo quod non mouetur, nec situm variat; numerus verò percipitur negatione continui, & proprijs sensibilibus existens, hoc est ipsum non percipimus abstractum, à singularibus; vnusquisque enim sensus vnum, seu singulare percipit, non autem vniuersale; similiter etiam ab eodem visu motus cognoscitur, ergo. Tex. 133.

Quare manifestum est, impossibile esse, cuiuslibet horum communium sensibilium, esse proprium sensum, & eadem ratione neque omnium simul; ita vt sicut motus non habet proprium sensum distinctum à quinque prædictis, ita neque magnitudo, neque omnia alia simul, vel seiunctim. Nam si haberent alium sensum per se, sentirentur à quinque prædictis per accidens, quod falsum esse diximus; consequentia est nota; quia quod per se ab vno sensu sentitur, ab alio sentitur per accidens, vel nullo modo, vt nunc visu sentimus dulce per accidens, prout videlicet est coniunctum cum colore, qui per se visu percipitur, ipsum autem dulce per se percipitur à gustu: ideo igitur per se vnum, per accidens aliud sentitur: quia amborum habemus per se sensum, non tamen vtrumque semper ad proprium sensum ordinatur; quare cum concurrunt ad proprium sensum per se vnumquodque cognoscimus, vt dulce per gustum, coloratum per visum. Si igitur per se communia sensibilia percipiuntur à sensibus prædictis, alter sensus imaginarius, vel fictus, per accidens ipsa sentiret, quod sentire non est; vt visus re vera non sentit dulce, sed ei tribuitur ob coniunctionem quam habet cum colore; qua propter talis sensus frustra esset. Si verò illud obiectum, quod per accidens ab vno sensu sentitur, neque per se ab alio sentiri poneretur, tunc respectu externorum sensuum nequaquam vtique sentiretur, nisi simpliciter secundum accidens, ut sentimus Cleonis filium, non quia Cleonis filius est, sed quia albus, cui accidit ut sit filius Cleonis; ipse verò à nullo sensu externo sentitur; nam substantia non cadit sub sensu: Si inquam sic poneretur, multò magis esset absurdum, & frustra sensus alius à quinque externis. Nam communium sensibilium iam habemus sensum communem; (nempe prædictos, qui respectu istorum sunt communes) non secundum accidens, sed per se, ut dictum est; quare non debet eis assignari proprius sensus; quia per ipsum nequaquam utique sentiremus, nisi sicut dictum est nos uidere Cleonis filium, uel uidere dulce, quod est per accidens sentire, & cui frustra sensus assignatur, cum propriè sentire non sit. Est igitur duplex sentire per accidens, alterum, quod per se ab alio sensu sentitur, ut dulce per accidens sentitur à uisu, per se à gustu. Aliud quod nullo modo sentitur, (saltem à sensu externo,) ut Cleonis filius, uel substantia per accidens sentitur à uisu, qui

Tex. 134

Substantia non sentitur.

Per accidens sentire duplex est.

percipit

percipit albedinem, cum qua est substantia, per se vero à nullo sensu; & vtrusque modi per accidens non est sensus, nec esse potest, vt visus neque dulcis, neque substantia est. Ipsi autem sensus sentiunt sensibilia propria adinuicem secundum accidens, vt visus sentit per accidens proprium sensibile gustus, & è contra. Cum autem simul fit sensus per se duorum obiectorum propriorum in eodem existentium, altero sensu non concurrente, tunc fit sensatio talis per se, non secundum, quod ipsi sensus sunt sentientes, sed secundum, quod vnus alter est sensus communis internus, qui hæc duo obiecta indicat, & cognoscit, vt Visu respiciente bilem flauam fit statim iudicium, quod sit amara, & tamen gustus ibi non concurrit, qui de amaritudine iudicet, nec visus ipsam cognoscit, cum sub suo subiecto non cadat: nec vnius tantum sensus externi est dicere, vel cognoscere ambo esse vnum, vel diuersum; vnde hic erit alter quidam sensus internus, & communis, de quo dicemus inferius; imo cum ipse ex obiecto vnius, alterum indicet, sæpe decipitur; vnde si sit flauum, quod cognoscit, bilem opinatur esse.

Tex.135. Cur plures habemus sensus. *Inquiret autem aliquis, cur plures habeamus sensus, & non solum vnum. Respondetur id esse, vt minus lateant obiecta, quorum vnum sequitur, vel infertur ab alio, & ipsa quoque communia sensibilia. Si enim esset visus solus, & ipse esset albi coloris, laterent vtique magis alia obiecta, & viderentur idem esse omnia; propterea, quod consequuntur se inuicem simul color, & magnitudo; ita vt si color percipitur, cum magnitudine est, ideo idem crederentur; nunc autem, quod ipsa communia obiecta in alio sensibili sunt à colore, & ab alio sensu percipiuntur, vt magnitudo à tactu; etiam si absque colore esset, manifestum facit, quod aliud quiddam vnumquodque ipsorum est. Quæ enim sunt totaliter idem, ab eodem sensu, & eodem modo semper percipiuntur. Sunt igitur plures sensus, ad distincte diuersa obiecta cognoscenda.*

SVMMÆ SEXTÆ.

CAPVT VNICVM.

Quæritur an eodem sensu, quo sentimus, etiam percipiamus nos sentire. Et explanatio sensus, quem communem vocamus.

Tex.136. *QVoniam autem sentimus, quod videmus, & quod audimus, ideo quæritur; an eodem sensu id fiat, an alio; vt, an per visum videamus, & per eundem cognoscamus nos videre; an hæc secunda cognitio fiat ab alio sensu, & idem potest quæri de omnibus alijs externis sensibus; necesse est enim, aut visu sentire, quod ipse videt, aut alio sensu, & sic de auditu, & alijs. Videtur autem quod hoc fieri non possit ab alio sensu, quia idem erit cognoscitiuus duorum obiectorum, nempe visionis ipsius, & coloris, qui est obiectum visus; quamobrem, aut duo obiecta eiusdem erunt potentiæ, quod videtur absurdum, cum vnicuique proprium respondeat obiectum, aut ipsemet vnus sensus erit perceptiuus proprij obiecti, ac etiam sui ipsius, seu propriæmet sensationis, quod etiam absurdum videtur; nam nihil percipit nisi quod sub obiecto proprio continetur, vt visus solum colores, vel qualitates visibiles; & sensationes non continentur sub obiecto sensus, vt visio non est qualitas visibilis; nec auditio audibilis; ergo ab eodem sensu non poterit obiectum, & sensatio percipi. Vnde relinquitur, quod percipiatur ab alio. Sed contra; nam si alius sensus sit perceptiuus ipsius visionis, vel auditionis, &c. aut in infinitum procedet, aut tandem deueniendum est ad hoc, quod aliquis sit ipsemet perceptiuus sui ipsius, nempe suæ propriæ sensationis, simul cum obiecto; quare in ipso primo hoc faciendum est, absque alio progressu, ac statim dicere oportebat, visum, & colorem videre, & cognoscere, se videre, quod etiam falsum esse diximus, quia duo haberet obiecta.*

Præter quam quod, maior alia esset difficultas. Habet enim dubitationem, si sentire per visum, nihil aliud est, quam videre, nihil autem aliud videtur, quam color, aut habens colorem, vel qualitatem visibilem, sequitur, quod si aliquis videbit, id, quod est videns formaliter, nempe visionem ipsam, hæc habebit colorem, quod absurdum est, cum sit actio quædam, vel passio animæ, quæ coloris est expers (hoc etiam tactum fuit supra ob clariorem distinctionem, sed hic exactius). Tex. 137

Ex alia parte hæc ratio concludere non videtur; quia manifestum est, quod non est vnum, & idem ipsum videre, cum sentire, vel discernere visu; quare licet solum qualitates visibiles videamus, vt ratio probat, tamen visus alia quoque cognoscere potest; vnde non esset inconueniens, quod ipsemet visus cognoscat suam visionem; nam hæc videre non est: quod autem alia cognoscat, quæ nec visibilia, nec colorata sunt, patet; etenim cum non videmus, visu discernimus, & tenebras, & lumen, sed non similiter: nam tenebras discernimus tantum priuatiuè: lumen vero positiuè, per speciem eius. Amplius autem, & uidens ipsum nempe uisio est tanquam quid coloratum: nam unumquodque sensoriorum est susceptiuum sensibilis sine materia: unde abeuntibus sensibilibus, insunt sensationes, & imaginationes, seu species in ipsis sensorijs, quæ sunt sufficiẽtes repræsentare obiecta sensibilia, ac si colorata essent. Verũ ab alio sensu interno intercipiuntur: quia non cadunt sub obiecto, nec sunt priuationes; hac ergo de causa in absentia obiecta sensibilia discernimus, quæ tamen cognitio non oportet, ut sit in uisu, uel alijs externis sensibus nisi radicaliter, prout originem ab ipsis trahit: unde ipsis sensibus externis tribuitur ueluti instrumento, sine quo non fieret: discernimus igitur sensationes aliorum sensuum, sed non per ipsos, ut cognoscimus nos uidere, sed non per uisum, imò per sensum, quem uocamus communem, ut exactè in sequentibus uidebimus; dum autem dicitur, quod idem sensus esset perceptiuus duorum obiectorum, nempe obiecti ipsius, & sensationis, hoc non est inconueniens, de sensu superiori, ut est internus respectu externorum, & in ordine ad obiecta subordinata, ut est color, & species eius. Dum uerò dicitur, quod procederetur in infinitum, quia alter sensus perciperet sensationem illius, & sic de alijs, hoc non ualet: quia est deuenire ad unum, qui alias omnes percipiat, nec suam cognoscat, nisi ponamus tales sensus respectu hominis, in quo peruenitur ad intellectum, qui sensationes omnes cognoscit, & se cognoscere scit; est enim potentia spiritualis, quæ supra se reflecti potest. Concludendum est ergo, sensus non sentire proprias sensationes, sed hoc esse munus alterius, & si hoc eis tribuatur, erit instrumentaliter, ut dicimus, gladium interfecisse hominem, quia fuit instrumentum occisionis: & si alia ratione sensus externi sint instrumenta sentiendi suas sensationes, quam gladius. Quod autem sensus ipsi externi non percipiant proprias sensationes, adhuc declaratur. Nam actus ipsius sensibilis, & sen- Tex.138.

sus,

sus, vnus, & idem est; esse autem ipsorum non idem, nam respectu sensibilis dicitur actio, respectu sensus, passio; dico autem vt sonus secundum actum, & auditus secundum actum vnam efficiunt auditionem, & sic visus, & color; ergo actionec sensuum externorum fiunt ab ipsis sensibilibus præsentibus; quare cum sint absentia, non erit sensatio ipsius externi sensus, sed alterius; & diximus notanter, dum est sonus, vel color in actu fieri sensationem; ne credamus posse fieri vel sine obiecto, vel ipso existente in potentia. Datur namque, & sensuc, & obiectum, in actu, & in potentia. Accidit enim, auditum habentem, non audire, & habenc sonum non semper sonare, & tunc dicitur sensus, & obiectum in potentia, videlicet ad actum secundum. Cum autem potens audire operatur, & potens sonare sonat, tunc secundum actum auditus fic simul, & secundum actum sonus; quorum dicet vtique aliquic, hoc quidem auditionem esse, id scilicet quod fit ab auditu, illud verò sonationem, quod fit à corpore sonoro; ab vtroque tamen simul est operatio sensitiua; quod enim de vno sensu dicitur, id omnibus applicari debet loquendo de externic. Nec valet, quod sicut sensus est circa priuationem, vt visus circa tenebras, ita sit circa aliud obiectum, quia circa priuationem est non actio.

Tex.139. Si igitur motus, & actio, & passio est in eo quod mouetur, & patitur, necesse est sonum, & auditum, qui est secundum actum, in auditu esse, qui est secundum potentiam; actiui etenim, & motiui actus in patiente fit; vnde non est necesse mouens moueri, vel agens pati; nec per consequens auditionem, vel visionem esse in sono, vel colore, quæ agentia sunt. Corporic igitur sonatiui actus est sonus, vel sonatio; auditiui autem auditus, aut auditio; duplex est etenim auditus, & duplex sonus, nimirum in actu, & in potentia, vt dictum est; nos autem de actualibus loquimur.

Tex.140. Eadem autem est ratio in alijs sensibus, & sensibilibus. Sicut enim actio, & passio in patiente sunt, sed non in agente; sic, & actus ipsius sensibilis in ipso sensitiuo, quod est patiens, existit. Sed in quibusdam tam sensibilibus, quam sensitiuis, etiam nominati sunt actus, in ordine ad vtraque, vt respectu corporis sonori dicitur sonatio, respectu auditus auditio. In quibusdam autem alter eorum innominatus est; vt actus visus dicitur visio, sed actus coloris in visum, nomen non habet; non enim dicitur coloratio; similiter actus gustatiui dicitur gustatio; saporic autem innominatus est; neque enim saporatio, nec aliud nomen habecur.

Tex.141. Quoniam autem vnus quidem est actus sensibilis, & sensitiui; (materialiter loquendo) nam actus sensibilis ab ipso ad sensum procedit, esse autem formale ipsorum diuersum est; nam in sensibili dicitur actio, in sensitiuo passio; ideo secundum actum necesse est simul corrumpi, & saluari dictum auditum, atque sonum, & saporem, & gustum, & alia similiter; ita vt sapor non faciat actualiter sensationem, nisi gustus actualiter sentiat; nec color visionem, nisi visus videat, &c. quare posito sensibili in actu, & sensus erit in actu, & remoto, remouetur. Sensibilia autem dicta secundum potentiam, & similiter sensus, non est necesse sic se habere; non enim posito sensibili in potentia ponitur sensus, nec remoto remouetur, neque è contra de sensu ad potentiam, nisi quis sophistice eis vtatur, secundum rationes quasdam relatiuas.

Tex.142. Sed priorec Naturales Philosophi hoc non benè dicebant, qui neque album, neque nigrum sine visu, neque saporem sine gustu esse opinabantur. Nam sic quidem dicebant rectè; nimirum si de sensibili, & sensu actualibuc loquebantur; sic autem non rectè, loquendo videlicet de eis in potentia. Dupliciter enim dicto sensu, & sensibili, de alijc quidem secundum potentiam, de alijs vero secundum actum; in hic quidem, quæ sunt secundum actum, accidit quod dictum est ab ipsis; in alteris autem non accidit; sed illi simpliciter dicebant, nempe vniuersaliter, de dictis non simpliciter, nec in vniuersali.

Si autem vox quædam consonantia est, vox autem, & Tex.143.
auditus est vt vnum, & idem, prout videlicet sumuntur secundum actum, & est vt non vnum, & idem, prout sumuntur in potentia, & consonantia est proportio quædam; necesse est auditum proportionem quandam esse, seu consistere in quadam temperie, vt suo proportionetur obiecto. Et propter hoc vnumquodque exuperans, & acutum, ac graue corrumpit auditum, vel ipsum lædit; similiter autem id accidit excessiuis saporibus circa gustum; & coloribus circa visum, vt sunt fulgidum nimis, & opacum; & in olfactu fortis odor, & dulcis, & amarus, tanquam sensus proportio sit, quæ dissoluitur ab excessu. Vnde obiecta delectabilia quidem sunt, cum quæ sincera, & immista sunt, ducuntur ad proportionem, & temperiem quandam; vt dum acutum, aut dulce, aut salsum, alijs saporibus, vel odoribus miscentur; tunc enim, vel omnino delectabilia sunt, vel magis, cum scilicet ex ipsis mistum aliquod fit, & consonantia quædam, quam cum vnumquodque fuerit simpliciter acutum, vel graue. Tactui autem sunt obiectum calefactibile, & frigefactibile; sed sensus ipse ratio, seu proportio quædam est, exuperantia autem, aut ipsum dolore afficiunt, aut corrumpunt.

Vnusquisque igitur sensus obiecti proprij sensibilis est, Tex.144
inestque in sensorio, vel organo proprio, in quantum sensorium est, videlicet in quantum organum optimè adhoc dispositum est, & discernit differentias eiusdem obiecti sensibilis, vt visus quidem discernit album, & nigrum, gustus verò dulce, & amarum; similiter autem se habet hoc in alijc.

Quoniam autem album, & dulce, & vnumquodque Tex.145.
sensibilium secundum quod vnumquodque tale est, discernimus, seu cognoscimus quodam, nimirum determinato sensu, vt album, visu, dulce, gustu; & sentimus etiam quod differunt: necesse est vtique, vt id sentiamus, vel cognoscamus sensu; sunt enim sensibilia, nec per vnum eorum id efficere possumus, quia nihil ponit differentiam inter aliqua duo, vel plura, nisi ea cognouerit; at visus non cognoscit dulce, nec gustus album; ergo à neutro ipsorum potest de ipsis fieri iudicium, nec ab ambobus simul; quia iudicare est vna actio, quæ ab vna prouenit potentia: quare alter quidam sensus ab istis diuersus, qui sensationes, & obiecta ipsorum percipiat ponendus est, quod non tantum respectu visus, & gustus, sed omnium aliorum id fieri debet, propter eandem causam.

Ex quo manifestum est, quod caro non est vltimum sen- Tex.146.
sorium in animalibus, itaut numerando omnia sint tantum quinque, computandum carnem pro vltimo, (siue accipiatur quod caro sit propriè sensorium, siue non, modo nihil refert, sed tantum inferre intendimus non esse tantum quinque sensoria, vel sensus externos, siue internus; si enim caro esset sensorium vltimum, necesse esset discernere, vel iudicare sensibile, ipsum tangendo, quod falsum esse, manifeste apparet (de alijs sensorijs non ponitur dubitatio, quia magis notum est, ea non habere potentiam iudicatiuam inter obiecta diuersa; ideo

quia

quia aliquis credere posset, hoc esse munus tactus, ac ideo non esse multiplicandos sensus, propterea specialiter de ipso agitur.) Neque itaque contingit, quod iudicans obiecta diuersa ipsa iudicet separatis, seu diuersis potentijs, ita vt discernat inter album, & dulce discernat per visum, & gustum; sed oportet vtraque sibi manifesta esse aliquo vno sensu; si enim duobus iudicaret, idem esset, ac si ego hoc quidem, tu autem aliquid aliud sentires, & vterque, vel alter nostri de vtroque iudicare vellet, quod quidem est impossibile; manifestum est enim, quod alia ab inuicem sunt obiecta diuersa prædicta, sed oportet, vt vnus sensus dicat, vel cognoscat diuersitatem hanc; aliud enim est dulce ab albo; idem ergo sensus hoc dicit, vel cognoscit; quare, vt dicit, sic intelligit, ac sentit, seu sic cognoscit, & vnica facultate sentit; quare vnus erit sensus, & vnum organum sibi proprium. Quod igitur non possibile sit separatis sensibus separata obiecta diiudicare, palam est. Quod autem neque contingat iudicare in separato, vel diuerso tempore, hinc manifestum erit. Vt enim idem sensus iudicat, quod aliud sit bonum, aliud verò malum, sic & quando dicit vnum esse diuersum ab alio, tunc similiter vnum per se, & non secundum accidens debet esse ipsum quando, seu tempus, in quo fit iudicium (pro intelligentia est notandum, quod dicitur vnum tempus per accidens iudicandi, dum eodem tempore iudicamus res diuersas; diuersis temporibus apprehensas, vt si heri album, & nudius tertius nigrum apprehenderim; sed modo inter vtrunque iudicem, dicitur tempus per accidens; quia non attenditur omnimoda simultas, ex parte iudicij, & rerum apprehensarum; sed nunc dico, quod aliud est nigrum ab albo, non tamen, quod nunc aliud, & aliud apprehenderim. Per se verò est, quod simul diuersa apprehenduntur, & iudicantur) non autem diuersa, sed sic dicit, & nunc, & quod nunc apprehensum est, simul ergo; quare inseparabiliter debent apprehendi obiecta, & simul tempore inseparabili iudicari, quia de præterito, vel per accidens fortè memoria defecit, & tunc erit defectus in iudicando.

Tex.147. *At contra; nam videtur impossibile, simul secundum contrarios motus moueri idem, quatenus est indiuisibile, & in indiuisibili tempore; sed sic accideret, si simul dulce, & amarum, aut album, & nigrum iudicarentur à sensu, vel intellectu; sunt enim contraria; vnde contrarios habent motus, vel immutationes, ac per consequens non poterunt simul esse in ipsis potentijs, quæ indiuisibiles sunt, vel saltem modo indiuisibili recipiunt obiecta, quia ex eadem parte.*

Tex.148. *Respondetur, id quod iudicat, nempe sensum, secundum, quod est vnus numero, seu secundum magnitudinem, & entitatem esse indiuisibilem, & inseparabilem in plures partes, sed secundum esse virtutis esse diuisibilem, & sic contraria recipere. Est igitur dicendum quodammodo, quod quatenus diuisibilis est virtute, diuisa sentiat, & quatenus indiuisibilis est magnitudine non sentiat diuersa, & contraria; vnde ipso esse virtutis diuisibilis est, loco autem, & numero indiuisibilis; quare recipit contraria secundum virtutem, & non secundum partes diuersas.*

Tex.149. *Sed contra; quia non est possibile hoc, quod dictum est de duplici diuisione, vnde responsio est nulla; quia verum est, quod aliquid est diuisibile, & indiuisibile secundum diuersas rationes actus, & potentiæ. Idem enim est indiuisum in actu, & diuisibile in potentia, & contraria est hæc diuisio indiuisibilitati; at secundum esse actuale id esse non poterit, sed omnino debet esse diuisibile, aliter non est possibile simul album, & nigrum esse; quare si indiuisibilis secundum magnitudinem erit sensus, & intellectus, non poterunt pati, vel recipere formas, seu species diuisibiles contrarias obiectorum; & sic nulla est responsio prædicta; quia non tantum diuersum esse virtutis requiritur ad contraria recipienda, sed etiam diuisibilitas alia.*

Respondetur igitur, quòd sicut id, quod vocant quidem punctum, est aliquo modo vt vnum, aliquo vero, vt duo, vnum in re, duo vero, vel plura, prout est finis, & principium linearum. Sic se habet diuisibilitas respectu sensus: secundum igitur, quod in se talis potentia est, indiuisibilis est, & indiuisibili tempore, seu simul iudicat per vnum actum; secundum verò, quod ab ipso oriuntur principia aliorum sensuum, & ad ipsum terminantur, sic diuisibilis dicitur, & non vnus; bis enim vtimur eodem signo simil, hoc est, vtimur vno puncto bis ad trahendas ad ipsum duas lineas, & sic habet rationem duorum, vel diuisibilis, & similiter ipse sensus communis, prout est principium, & finis externorum sensuum, diuisibilis est. In quantum igitur vtimur vno termino, vel puncto pro duobus, ibi videlicet duas lineas terminando, duo esse puncta, anima iudicat, & separatæ, ac diuersæ lineæ videntur, in separato, & diuerso signo; in quantum vero vnum in se punctum consideramus, vnum, ac simul esse determinamus absque diuisione, vel ordine ad aliud. Sic sensus communis est, vnus in se, & diuersus prout est principium, & finis diuersorum sensuum; quæ tamen responsio, non multum differt à praecedenti, sed potius videtur declaratio ipsius; quid enim aliud est dicere, sensum communem secundum se esse indiuisibilem, & in ordine ad diuersos sensus, diuisibilem, nisi esse indiuisibilem, quantitate, & loco, virtute vero diuisibilem? vt supra dictum est. De principio igitur secundum quod animal dicitur sensitiuum esse, determinatum sit hoc modo. Tex.150.

SVMMA SEPTIMA.

Ponitur differentia inter intelligere, sapere, & sentire, & inuestigatur essentia Imaginationis.

CAPVT I.

Probatur non esse idem sapere cum ipso sentire.

Qvoniam autem duabus differentijs definiunt maximè animam, videlicet motu secundum locum, ac cognitione, quæ diuiditur in intelligere (quod est cognoscere per discursum) discernere (quod est sapere, seu prima principia cognoscere) ac sentire, quod est cognoscere per sensum. Videtur tamen intelligere, & sapere, velut sentire quoddam esse; nam per vtraque hæc anima ipsa discernit, & cognoscit aliqua eorum, quæ sunt, & sic eadem videtur cognitio, cum circa idem versari videatur. Et Antiqui sapere, & sentire idem esse aiunt, sicut Empedocles dixit; ad præsens enim (seu secundum cognitionem rerum existentium, quæ est sensitiua) sapientia augetur Tex.151.

augetur hominibus, & sic idem esse sentire, & sapere credit, & in alijs locis ait. Vnde eis semper sapere diuersa præstat, idest, eis præstat semper diuersa sentire, & sic idem vtrunque putat. Idem autem his verbis vult illud Homeri dictum, sic. Talis enim mens, vel intellectus hominum terrestrium est; qualem in dies inducit pater hominum, atque Deorum, id est sic se habet, sicut de die in diens eueniunt res, & hoc est sentire; nam tales res successiuæ sunt singulares, & sensibus subditæ; quare intelligere, & sentire in vnum confundit.

Tex. 151. *Omnes enim hi existimant intelligere esse corporeum, seu actu potentiæ corporeæ, & organicæ, sicut & ipsum sentire; quapropter vnum, & idem esse credebant; & pariter sicut dicebant animam sentire simile per simile, vt ignem per ignem, quem intra se habet; ita sapere simile simili asserebant; quemadmodum in rationibus primi libri de anima determinauimus. Sentire igitur, & sapere idem esse affirmabant, & simile simili cognosci. Vtrunque tamen est falsum, videlicet quod intelligere sit idem cum sentire, & quod simile simili cognoscatur. Nam quo ad cognitionem per simile (de differentia inter intelligere, & sentire dicemus postea) præter ea, quæ diximus in primò, adhuc alio modo deficiunt; quia nullam possunt assignare causam ignorantiæ; ex eo enim quod anima habet omnia in se, quia secundum ipsos ex omnibus constat, omnia cognoscet; & sic de ignorantia nullam possunt reddere causam. Et tamen oportuit simul de deceptione dicere; magis propria enim est animalibus (cum sit ex ipsis absque aliquo externo, scientia verò externo adminiculo indiget), & plus temporis in hac permanet anima, quam in scientia. Vnde necesse est si velint suam positionem saluare asserere, (vt quidam ipsorum dicunt) omnia, quæ videntur esse vera, & sic nullam esse ignorantiam praua dispositionis, de qua loquimur: ac per consequens nullam de ipsa esse assignandam causam, quam opinionem satis in 4. Metaph. impugnauimus; aut dicere debent tactum rei dissimilis, esse deceptionem; similis verò scientiam; vt cum ignem tangimus igne, scimus, vel cognoscimus naturam ipsius ignis; dum vero, per ipsum tangimus aquam decipimur; & sic poterit assignari causa deceptionis. Sed neque hoc stare potest: quia tunc non esset verum quod dicunt, scilicet, quod simili simile cognoscatur, imò esset contrarium: nam eadem est ignorantia, & scientia contrariorum, vt ea cognitione, vel particula animæ, qua scimus hunc esse ignem, debemus cognoscere ipsum non esse aquam, & qua ignoramus esse ignem, ignoramus quoque esse aquam, quia si sciremus esse aquam, sciremus quoque non esse ignem; cum ergo eadem cognitione, & scientia habeamus contrariorum cognitionem, non erit verum quod cognitio fiat per contactum similis, deceptio per contactum dissimilis, & sic neque hoc modo poterunt assignare causam deceptionis; quare insufficienter loquuntur.*

Tex. 152. *Nunc de sapere, & sentire dicamus. Quod igitur non idem sit sapere, & sentire manifestum est. Sentire enim animalibus inest omnibus, sapere autem paucis. Imò non tantum ipsum sapere, quod est cognitio primorum principiorum, ac causarum, omnibus animalibus non conuenit, & per consequens differt à sentire: Sed neque intelligere, quod est cognoscere per discursum, & in quo est, quod rectè, & quod non rectè (quod enim rectè intelligere dicitur, est prudentia, scientia, & opinio vera. Prudentia est cognitio mediorum ad finem in agibilibus. Scientia est cognitio necessariorum effectuum per causas. Opinio vera est cognitio rerum non necessariarum, sed probabilium.*

Scientia. Opinio.

Quod verò non rectè intelligitur sunt contraria horum; vt circa prudentiam, ignorantia meliori ad finem, circa scientiam, ignorantia causari: circa opinionem, defectus medij probabilis; neque hoc inquam intelligere est idem cum ipso sentire. Sensus enim propriorum obiectorum semper est verus, (vt visus non decipitur circa colorem) & omnibus inest animalibus. Intelligere autem contingit, & falsum; & nulli animali inest, nisi rationali.

Imaginatio autem aliud est ab externo sensu, & à ratiocinatione, vel intellectu. Verum est tamen, quod ipsa non fit sine sensu, & sine ipsa non fit existimatio, vel intellectio; quare est medium quoddam inter sensum externum, & intellectum, ita vt prius sit externus sensus, ac operatio eius, postea imaginatiua potentia, & eius operatio: ac tandem intellectus, & intellectio, loquendo secundum ordinem operandi, vel etiam secundum prioritatem naturæ: valet enim dicere, quæ habent intellectum habent imaginationem, & sensum externum, sed non è contra. Quod autem intellectio, & imaginatio non sint idem, manifestum est. Imaginatio namque in nobis esse potest cum volumus: est enim in potestate nostra ante oculos fingere imagines, sicut patet de his, qui in memoratiuis versantur; hi namque ad libitum simulacra faciunt, vt aliquid memoria mandent. Opinari autem, vel intelligere in nostra potestate non est: necesse est enim in intellectione, aut verum, aut falsum dicere: hoc autem fieri non potest, nisi præsente obiecto, vel secundum suum esse verum, repræsentato. Tex. 153. Imaginatio

Amplius autem, cum intelligimus aliquod difficile, aut terribile statim compatimur; similiter autem si fuerit res confidenda confidimus, aut alijs affectibus mouemur. Sed secundum imaginationes nihil mouemus, sed sic nos habemus, sicut qui in pictura considerant difficilia, & confidenda; his namque nihil mouentur: neque nos per imaginationem; quare cum per intelligere moueamur: per imaginari nequaquam, imaginatio, & intellectio different: quæ enim sunt idem easdem habent, & non habent motiones. Præterea: quæ sunt eadem, habent easdem species, & differentias, sed imaginatio, & intellectio non sic se habent: ergo differunt: probatur minor. Nam differentiæ, & species existimationis, vel intellectionis sunt, scientia, opinio, & prudentia, & similiter contraria horum, vt priuatiua: nempe ignorantia, opinio erronea, & imprudentia, de quorum differentia alibi erit exactus sermo, nempe in sexto Ethicorum, hæ autem non sunt imaginationis species, vt de se notum est, ergo. Tex. 154.

Species intellectionis

CAPVT II.

Probatur, imaginationem non esse sensum, nec scientiam, nec intellectum, nec opinionem; traditurque eius definitio.

NVnc autem dicendum est de ipso intelligere, quod à sentire diuersum est. Est tamen notandum, quod dupliciter intelligere dicitur: vno modo impropriè, pro quacunque cognitione sensitiua interna, seu pro quacunque imaginatione: alio modo pro existimatione, quæ est operatio propria intellectus, seu est intelligere ipsum, de vtroque tamen hic determinandum est, sed prius de imaginatione, Tex. 155. intelligere dupliciter.

cum

cum igitur de imaginatione determinauerimus, sic de intelligere dicendum erit. Si igitur imaginatio est, secundum quam phantasma, vel imago aliqua nobis apparet esse presens, (loquendo de imaginatione propriè dicta, & non si quid secundum translationem, vel metaphoram vocemus phantasma, vt accidit dum aliquas intellectiuas cognitiones imaginationes vocamus) videtur, quod ipsa sit vna harum potentiarum, vel habituum, secundum quos discernimus verum, aut falsum, sicut sunt sensus, opinio, scientia, intellectus; nam hæc phantasmata, & imagines etiam verum, & falsum repræsentare videntur. Ex alia parte secundum veritatem nullum istorum est, quod de singulis sigillatim probabimus.

Tex.156. *Quod igitur non sit sensus (nempe externus) manifestum est, ex his. Sensus enim, aut potentia, aut actus est; vt visus dum actualiter non videt dicitur simpliciter potentia, dum est videns dicitur actus, vel in actu. Sed imaginatio neutrum horum est; nam apparet aliquid per imaginationem etiam neutro horum existente; vt quæ apparent in somnijs per imaginationem sunt, & tamen tunc sensus externus in actu non viget, & potest etiam non esse potentia; vt cæcus potest per imaginationem percipere colores; (dummodo non fuerit cæcus à natiuitate) ergo imaginatio differt à sensu in actu, & in potentia. Postea sensus potentia semper adest animalibus perfectis, & non mutilatis; imaginatio autem non; (loquendo de imaginatione actu, nam de imaginatione potentia alia est ratio) ergo imaginatio non est sensus externus. Si vero imaginatio idem esset, quod sensus in actu, omnibus vtique contingeret bestijs, si quidem omnibus insit sensus; videtur autem hoc non esse verum, vt formicæ, aut api, aut vermi imaginatio non inest. Postea; sensus quidem veri sunt semper, imaginationes autem plures sunt falsæ; ergo. Amplius; cum per sensum circa obiectum sensibile operamur, non dicimus, quod homo, vel aliquid aliud videtur hoc nobis, sed certè cognoscimus hoc esse, imò potius nobis aliquid videtur incertè, cum non manifeste sentimus, quod est cum per imaginationem apprehendimus; tunc etenim est verus, aut falsus assensus cum dubitatione; vnde cum sensus sit determinatè verus, imaginatio autem cum dubitatione, non erunt vnum, & idem, sed diuersa. Amplius; claudentibus oculis, apparent tamen res visæ (quod quidem diximus etiam prius) hoc autem non est, nisi ab imaginatione; ergo ipsa differt à sensu in actu; quia tunc sensus non operatur.*

Imaginatio differt à sensu externo.

Tex.157. *At vero neque ipsa imaginatio erit vllus eorum habituum, qui semper verum dicunt, vt scientia, aut intellectus; est enim, & falsa imaginatio. Relinquitur igitur videre, si opinio sit; fit enim opinio vera, & falsa, sicut imaginatio; vnde differre non videntur. At neque opinio est; quia opinionem sequitur fides; non enim contingit opinantem non credere ijs, quæ credibilia sibi videntur; imaginationem autem fides non sequitur; ergo imaginatio non est opinio; quod autem fides non sequatur imaginationem, probatur; nam tunc vbicunque esset imaginatio, ibi posset esse quoque fides, quod falsum est; quia nulli bestiarum in esse potest; imaginatio autem multis. Amplius; omnem opinionem sequitur fides, vt dictum est; fidem autem sequitur persuasio; (acquiritur namque fides per persuasionem,) persuasionem autem ratio, cum ergo nec fides, nec persuasio, nec ratio sequantur imaginationem, & tamen sequantur opinionem; sequitur, imaginationem, opinionem non esse, & hinc est, quod nulli bestiarum inest fides, nec opinio, aut persuasio, aut ratio: imaginatio tamen inest.*

Imaginatio differt ab opinione.

Manifestum est igitur, quod imaginatio neque est opinio cum sensu, ita vt sit cognitio quædam opinatiua fundata in sensu externo; neque per ipsum sensum acquisita; neque quid aggregatum ex opinione, & sensu, veluti ex duabus partibus; manifestum inquam est, & propter hæc, quæ superius diximus de differentia inter imaginationem, sensum, & opinionem; Et quia, si opinio esset idem cum imaginatione, & sensu, non essee alia cognitio sensus, alia opinionis, alia imaginationis; sed illa, quæ quidem est imaginationis, & opinionis, esset eiusdem rationis cum illa cuius est sensus; imò totaliter eadem; dico autem quod si imaginatio est complexio ex opinione, & sensu, vnica tantum erit omnium cognitio; sicut si esset vna potentia, & circa vnum obiectum, vt visus est vna cognitio albi; non enim ex opinione quidem erit cognitio boni, ex sensu autem cognitio albi; sic namque non essent idem; quare secundum hanc positionem sequitur, quod apparere, vel imaginari nihil aliud erit nisi opinari, quod per se sensus sentit, & non secundum accidens; vnde imaginatio erit opinio fundata in sensu, & imaginari erit opinari, & sentire; quod quidem impossibile est. Tex.158.

Nam apparent quædam esse falsa secundum sensum, & imaginationem, de quibus simul aliquis existimationem, vel opinionem veram habet; vt sensui, & imaginationi apparet Sol vnius pedis; secundum opinionem autem persuasum est, eum esse maiorem terra habitata; ergo opinio cum sensu, & opinione non est idem, nam eodem modo cognoscerent. Accidit igitur, si opinio non differat à sensu, & imaginatione; quod eadem sit omnium cognitio, & sic quia sensus, & imaginatio existimant Solem vnius pedis, etiam opinio eum eiusdem quantitatis existimare deberet; quare opinans, aut debet abycire suam ipsius veram opinionem, quam habebat, vt sensui, & imaginationi conformetur, etiam rede quæ opinatur, falsa, & ipse non sit oblitus, nec dissuasus; aut si adhuc habet opinionem, & sit eadem cum sensu, & imaginatione, necesse erit eandem esse opinionem veram, & falsam; veram prout verum opinatur, falsam eo quod ponitur esse idem cum sensu, & imaginatione, qui in hoc casu sunt falsi; quæ omnia cum sint absurda, & impossibilia, non idem, sed diuersas esse, asserendum est. Opinio namque non fit falsa, eo quod sensus, vel imaginatio decipiatur, sed falsa fiet cum res, de qua est opinio mutata fuerit, & hoc latuerit opinantem. Tex.159.

Non ergo vnum aliquod horum est, neque ex his constat imaginatio. Vt autem cognoscamus quid ipsa sit, quatuor supponere oportet. Primum. Quod contingit moto aliquo, etiam aliquid aliud ab ipso moto moueri possit. Secundum; quod imaginatio videtur esse motio quædam; est enim cognitio, & passio causata ab aliquo obiecto. Tertium; quod ipsa imaginatio non fiat sine sensu, sed solum sentientibus, seu animalibus conueniat, & versatur solum circa obiecta, quorum est sensus; seu circa obiecta sensibilia. Quartum. Quod à sensu in actu potest fieri motus in alium sensum, vel potentiam, vt obiectum actualiter perceptum à visu, potest etiam percipi ab intellectu, vel phantasia. Tex.160.


Et huius motum necesse est esse similem sensui, seu cognitioni præcedenti sensitiuæ, prout vtraque ab eodem obiecto sensibili causatur. Quare imaginatio erit motus, qui neque sine sensu, neque non sentientibus inesse potest, quia primò obiectum externum mouet externum sensum, & ipse mouet imaginationem; & sic imaginatio est solum in sentientibus, & circa sensibilia Tex.161.

obiecta

obiecta, & quod habet imaginationem multa secundum ipsam potest facere, & pati, & contingit ipsam esse veram, & falsam; hoc autem accidit propter hæc, quia ipsa supponit, & sequitur sensationes sensuum exteriorum, qui possunt esse veri, & falsi; vnde ipsa similiter erit huiusmodi. Pro cuius clariori intelligentia est memoriæ mandandum, quod superius de obiectis sensuum diximus, videlicet, quod aliud sit sensibile proprium, aliud per accidens, aliud verò commune. Sensus igitur propriorum sensibilium semper est verus, aut quam paucissimum habens falsum, vt visus raro, vel nunquam decipitur circa colorem, prout color est. Secundò autem ponitur cognitio sensitiua eius obiecti, cui accidunt propria sensibilia, seu obiecti per accidens, & hic iam contingit, vt falsus sit; quod enim album aliquid sit, non est falsus sensus visus; si autem hoc, vel illud sit album, vt homo, vel leo, falsus est, quia hæc sub proprio obiecto non continentur, sed per accidens ab ipso cognoscuntur, ideo error contingit. Tertiò autem ponitur cognitio sensitiua respectu sensibilium communium, & eorum, quæ consequuntur ea, quæ accidunt ijs subiectis, quibus insunt sensibilia propria; dico autem, vt motus, & magnitudo, quæ accidunt sensibilibus; circa quæ maximè iam decipi contingit secundum sensum; quod intelligendum est pluries, prout semper apprehenduntur cum proprijs sensibilibus; nam (cæteris paribus) magis erratur circa sensibile per accidens, quam circa commune. Eo igitur quod imaginatio sequitur sensus veros, erit vera, saltem si simpliciter apprehendat; nam si obiecta componat, potest fieri falsa, etiam sensu existente vero; prout autem sequitur sensus falsos, & versantes circa sensibilia per accidens, & communia, ipsa quoque in simplici apprehensione erit falsa; & sic patet, quomodo, & cur sit vera, & falsa. Motus igitur ab actu factus, seu imaginatio, quæ fit ab ipsis sensibus existentibus in actu, differt à sensu externo in ordine ad quodcunque sensibile. Nam primus sensus, seu qui respicit primum, vel per se, & proprium sensibile verus est præsente obiecto sensibili; sed imaginatio potest esse vera, etiam absente; alij autem sensus prout respiciunt obiectum commune, & per accidens, possunt esse veri, & falsi, tam in præsentia, quam in absentia obiecti; & in præsentia maximè contingit falsitas, cum procul est sensibile; quare imaginatio in hoc differt ab externis sensibus, quod ipsa est respectu obiecti absentis, & dicitur vera, dum imaginatur aliquid eo modo, quo est; falsa verò è conuerso. At sensus externi non respiciunt obiectum absens, nisi negatione. Si igitur, quæ dicta sunt, nihil aliud habet, seu nulli alteri competunt, quam imaginationi, & ipsa imaginatio erit, quod dictum est, poterit sic determinatè definiri. Imaginatio est motus causatus à sensu existente in actu in interna potentia; vnde hæc definitio, & totus discursus est de imaginatione, prout est actus, vel sensatio quædam, per quem actum etiam propriam potentiam intelligere debemus, de qua non fit specialiter mentio, quia facile est eam cognoscere, cognito actu. Est autem potentia imaginatiua, Vis, seu facultas interna animæ organicæ, nata moueri ab externis sensibus existentibus in actu, seu ab obiecto externo à sensibus prius apprehenso. Imaginatio quid.

Quoniam autem visus maximè sensus est, & nomen à lumine accepit, quia sine lumine non est videre. Ideò quia imaginatio suo modo respicit, & videt, habuit nomen hoc imaginationis, quod Græcè lumini respondet. Et quoniam imaginationes immanent, & similes sunt sensibus externis in repræsentando obiectum, multa secundum ipsas operantur animalia; nam vtuntur ea loco intellectus, vt bestiæ: homines vero, quia intellectus interdum obruitur passione, aut ægritudine, aut somno, pariter ipsa vtuntur. De imaginatione igitur dictum sit. Tex. 162

Finis Paraphrasis Secundi Libri de Anima.



ANTONII ROCCI

De Scurcula Marsorum.

IN SECVNDVM LIBRVM ARISTOTELIS de Anima Quæstiones.

QVÆSTIO PRIMA.

Dicimus itaque vnum quoddam genus eorum, quæ sunt, substantiam; huius autem, &c. Tex. 2.

An diuisio substantiæ in materiam, formam, & compositum sit sufficiens, & quomodo.



Vlgatissima, ac alibi secundum diuersas occasiones limitata, hæc propositio duplici ex difficultate hic iterum examinanda proponatur; prima, ex eo, quod non videtur vniuersalis, nec bona. Secunda, prout nõ bene compertum est apud omnes, qua de causa, ac quo ordine, & participatione materia præsertim, nec non forma quoque substantiæ dicantur.

1. Arg. Quo igitur ad primam partem primæ difficultatis; non videtur vniuersalis; Quoniam nec substantiæ incorporeæ, vt Angeli, neque quædam corporeæ, vt cæli sub ipsa continentur. Non bona, quia bona diuisio debet

2. Arg. esse bimembris, & per opposita, quorum hæc vtroque caret; quæ etenim ad vnius naturam attinent, vel in ipso includuntur, opposita non sunt (non esse bimebrem ex se notum est) sic autem se habet materia, & forma respectu compositi; ergo. At quo ad secundam partem magis augetur difficultas.

3. Arg. Nam ens in potentia est aliquid non est tale, vt habet Arist. in 2. phys. tex. 11. materia autem est in potentia ad substantiam, ex hoc libro tex. præcitato, & ex 7. Metaph. tex. 83. vbi habetur ipsam non esse

4. Arg. quid, quod est non esse substantiam; Præterea. Si hæc omnia essent substantia, definitio substantiæ sibi competeret, quod quidem falsum est; forma etenim non per se primo, aut principaliter substat, imò est in materia veluti in proprio subiecto, & fundamento.

Resolutio. Pro intelligentia sciendum est primo, hanc diuisionem non esse vniuersalis substantiæ, vt optimè probat primum argumentum, sed esse solummodo substantiæ sublunaris; nam ipsa substan-

Sol. primi arg. tia communiter sumpta prima sui diuisione diuiditur in corpoream, & in incorpoream, seu in materialem, & immaterialem (idem enim sunt, dummodo materia non presse pro altera parte compositi sumatur.) hæc autem corporea, subdiuiditur in cælestem, & sublunarem: & ista deniq; in materiam, formam, & compositum. Sed difficultas vrget, quoniam videtur hoc, vel gratis, vel non Aristotelice dictum; ipse etenim hic simpliciter substantiam diuidere videtur, quod etiam facit in 7. Metaphys. tex. 7. & in 8. eiusdē operis tex. 3. cunctas sensibiles substantias materiam habere fatetur; quare etiam cælum includitur, & sic ipsum sub hac diuisione continetur, quod tamē negatum fuit. Attamen hoc nihil obstat, quoniam si ea, quę Philosophus præcitatis locis, alibiue sæpe ad hoc propositum attinentia pronunciauit, perpendantur, optimè, quæ dicta sunt, dicta fuisse conspicietur. In hoc ergo secundo de anima habet hæc verba; Dicimus itaq; vnum quoddam genus eorum, quæ sunt, substantiam, huius autem aliud quidem sicut materiam, &c. ex quibus patet, prius assignare substantiam in communi, deinde eā subdiuidere, & membrum, quod sublunarem dumtaxat cōpræhendit accipere; quod ex eo confirmatur, quia secundum subiectam materiam loqui fas est; at hic est inuestiganda substantia, quæ viuentia, vel animata respiciat; vnde, quod hanc rationem egreditur, hic adducendum non est; nec aliæ quam tres prædictæ ad hoc requiruntur. At in septimo Met. quadruplex genus substantiæ assignat, ac vnum ipsorum in hæc membra diuidit, quod quidem subiectum vocat, quod videlicet substat accidentibus corruptiuis, vel si hæc expositio non placet; dicatur, in Metaphysic. diuidere substantiam corpoream, quæ etiam cælum compræhendat sub materia; vnde sensus est, substantiam corpoream, diuidi in materiam, formam, & compositum; ita tamen, quod materia dicatur dupliciter, vno modo de altera parte compositi: & hæc habet immediatè relationem ad ipsum, & ad formam: alio modo de quocunque corpore quanto, quod est accidentium subiectum: & sic includitur cęlum; nec est aliquod inconueniens, membrum aliquod, iterum subdiuidi posse; imò hoc quod dicimus, ex præcitato textu elicitur; nō etenim in materiam, formam, & compositum simpliciter ipsam corpoream substantiam diuidit, sed cum limitatione, vel modificatione modo præ expositio; habet .n. hæc verba; Tale vero quodāmodo quidē materia dicitur, quodammodo verò forma: tertium vero, quod ex his est: quare ex illa particula (quodāmodo) videtur materiā non simpliciter insinnare, sed eo modo, quo diximus. Sed cur dicitur, etiā hoc de forma. Respond. vt formas quoq; assistentes (quæ sunt formæ secundū quid, & ad compositū attinentes) includeret. Id autem quod habetur in 8. Metaph. omnes videlicet sensibiles substantias materiā habere, consultò intelligendum; ac alijs ipsius dictis conformandum est. Asserit ergo in 2. de gen. & cor. tex. 7. substātias sensibiles, dici præcipuè tangibiles, ac qualitatibus

primis

primis præditas, secundum quam intelligentiam, cęlum non est sensibile; vnde ab illa substantia sic diuisa, ab omnibusque membris ipsius excludi posset. Vel dicatur, cęlum posse vocari materiam ratione molis, vel quantitatis, vt alibi expositum est. Patet ergo, qualis vniuersalitatis sit propositio, & qua de causa; Ad aliud accedendum est. Sciendum est, ergo secundo, non quamlibet diuisionem esse per membra formaliter opposita, nec bimembrem, nisi ad bonum sensum: sunt igitur membra cuiusque diuisionis opposita, si præcisè sumantur, hoc est vnumquodque sub sua peculiari ratione, vt materia sub ratione materiæ; forma vero formæ, &c. sic namq; numquam conuenient; nec etenim forma est materia, aut hæc forma, at alia de causa vniri simul non est inconueniens. Bimembris verò diuisio est per reductionem; sic nimirum, quod accipiantur partes sub ratione contradictionis, vna videlicet positiuè, alia negatiuè, vt elementorum aliud aqua, aliud non aqua; Sed vt verum fatear; hæc propriè non est diuisio; nam bona diuisio est distributio totius in suas partes: negatiua verò non sunt partes; quare dicendum est, illam non esse veram, aut bonam conditionem diuisionis, & fit a nonnullis, vt talis apponatur. Quo ad secundam partem sciendum est, substantiam in sua ratione vniuersali, prout ab omnibus accidentibus distinguitur, esse ens per se existens, hoc est alteri non inhærens, quo pacto, & perfectam, & imperfectam substantiam comprehendit, atque ad omnes ipsius partes se extendit; inhærere namque est solius accidentis; hæc autem inhæsio dupliciter cognoscitur, scilicet ex parte subiecti, quod quidem semper est completum: & ex parte naturæ ipsius, prout videlicet, id quod ad alicuius naturam non attinet accidens est: secundum quam speculationem, materia, forma, & compositum sunt sine controuersia, substantiæ, & si principaliter compositum tanquam totum, ad quod aliæ ordinantur: Vniuocè itaque de materia, forma, & composito substantia dicitur, si quidem secundum eandem rationem alteri non inhærendi, vel per se existendi (quod idem est) de eis verificatur.

Ad secundū arg.

Resol. secūdæ partis.

Sic igitur, quid dicendum sit, patet; nec argumenta sunt alicuius difficultatis: dum etenim dicitur, materiam non esse quid, intelligitur completum, & non aufertur ab ipsa ratio substantiæ, vt docet Philosophus hic, & in 7. Metaph. tex. 8. profert enim hæc verba, & item materia substantia est; quod pariter tradit in 2. Phys. textu 4. & alibi. Immo nec propriè Arist. asserit, materiam esse in potentia ad substantiam, sed si in potentia dicatur, intelligendum est ad substantiam perfectam, vel formam: Secundum huius partis argumentum neque valet, quia forma non est in subiecto, vt inhærens, sed vt perficiens essentialiter: quare naturam accidentis refugit, ac aliqui dicunt, eam esse in materia non propriè in subiecto, quia subiectum est ens completum, materia verò minimè; verum est controuersia de nominibus, sæpe etenim Philosophus, materiam subiectum vocat; posset etiam dici, tunc ab Arist. definiri substantiam primam, & completam, sed sat est vt supra dixisse, in prędicamentis exactius.

Ad tertium arg.

Ad quartū.

QVÆSTIO II.

Necesse est ergo Animam substantiam esse. Tex. 4.

An Anima sit substantia.

DVplici de causa id in quæstionem (quod fortè nonnullis incassum videtur) ad ducere decreui; nempe, vt quædam aliquorum opiniones examinentur, & quomodo ipsam animam substantiam esse, facilius colligatur. Duplex (quam sciam) extat de anima circa hoc opinio, videlicet Dinorchi, & aliorum qui animam Harmoniam esse fatebantur; & Galeni, qui (vt ei imponitur) primarum qualitatum temperiem esse putabat; vtraque tamen accidens esse asserit, (si secundum literæ corticem intelligatur) nam tam harmonia, quam temperies accidentia profectò sunt; illa etenim materialiter est tonus, formaliter vero proportio; hæc autem, vel qualitas vna, vel multarum collectio. Tamen (vt verum fatear) misterium sub his terminis eos condere velle arbitror: ita, vt qui harmoniam eam vocabant, nihil aliud dicere intenderent, nisi sic potentijs, sensibus, ac organis proportionaliter aptatam esse, vt non harmoniam, vel instar harmoniæ ordinatam, sed harmoniam ipsam quasi per excellentiam esse dicerent; quod ex eo magis confirmatur, quod Antiqui philosophica arcana vmbris, vel figuris tegebant, ne nimis apud vulgus vilescerent; pariter Galenus non esse simpliciter, vel formaliter temperiem fortè intellexit, sed vel concomitanter, vel per similitudinem, ad hunc videlicet sensum, quod sine hac temperie esse nequeat, sed ipsius vnionem necessariò exigat, quod tam de rationali, quam de alijs in ratione informandi verificatur. Melius, vel alio modo sequaces ipsius, interpretentur. Quomodocunq; autem res istorum se habeat; quod non sit substantia, sic probari potest. Quod adest, & abest à subiecto præter subiecti corruptionem, non est substantia, sed accidens: anima autē sic se habet, ergo. Amplius; ipsa non substat accidentibus, ergo non est substantia; probatur antecedens: nam omnes passiones, omnia ve viuentium accidentia, non animæ solius (dimittatur anima rationalis, quia nihil tollit) sed totius compositi sunt, vt passim in hoc secundo docet Philosophus.

Primū Arg. secundum.

Aliter tamen sentiendum est, videlicet animam esse substantiam, quod ex hoc cognoscitur, & comprobatur; nam dat esse substantiale, & essentialiter distinctum omnibus viuentibus, quod quidem accidentia efficere nequeunt. Amplius, forma, & materia sunt substantiæ, vt fusè probatum est in 2. phys. anima autem est forma, vt dicemus: ergo. Præterea actiones principales fiunt à forma essentiali: at hæ fiunt ab anima: ergo. Præterea. Si anima esset accidens per aduentum, & recessum eius, non necessariò viuentia producerētur, vel interirent; hęc namque vis accidentibus non insidet: cum autem hoc per animam contingat, eam esse substantiam, fatendum est. Sed an sit substantia corporea, vel incorporea; non etenim incorporea videtur, qu a recipit extensionem, quæ corpori repugnat, hoc autem notum est de animabus quamplurium brutorum, quod sufficit; loquimur namque de anima in communi, de qua (vt quod quærimus, verificetur) sat est de aliquibus verificari.

1. Concl.

Tertiū arg.

Respondetur tamen, ipsam esse incorpoream; probatur: nam aliter duo corpora essent simul, ipsa scilicet, & corpus, quod informat. Amplius. Corpus se tenet ex parte materiæ, vel est materia ipsa, licet non prima in ordine ad formam: si ergo anima esset corpus, potius à forma deberet informari, quam alterius esse forma, vel res materialis vicem, non autem rationem formæ sortiretur, quod est penitus absurdum. Attamen alia quædam adest non spernenda dubitatio. Quomodo videlicet anima nō possit dici corpus, vel corporea, si ipsa quoq; quantitati subest, res autem, vel substantiæ corporeæ dicuntur, aut saltem tales esse cognoscuntur per quantitatem, imò per hanc solū videtur Philos. corpus substantiales definire in primo de cælo tex. 2. & clarum est, nullam substantiam corpoream esse, nisi per quantitatem: si ergo quantitas molis (de qua est sermo) non magis materiam, quam formam respicit, imò determinatas quantitas à forma est talis, ac anima est forma, cur & forma in communi, & anima quoque in particulari corporea non dicitur? Respondetur, re vera quantitatem non solum in materia, sed in forma quoque, seu in composito immediatè fundari; nullum namque accidens, habet pro immediato

2. Concl.

fundamento nudam materiam, vt alibi probauimus: tamen, quia materia est principale receptiuum, maximè quantitatis, quæ symboleitatem cum ipsa habet, hinc est, quod potius denominatur res corporea à materia, quam à forma, & si negandum non sit, vtramque ad id concurrere, sed adæquatè ex ipsis constitutum est propriè corpus, vel corporeum, si ex materia, & forma constat; sin autem, sufficit habere inclinationem, cum actuali quantitate, sicut se habet cælum. Sic itaque vniuersaliter formæ corporeitatem non aufugiunt, si rectè philosophemur; de anima tamen secus dicendum est: nimirum quod cum ipsa inueniat corpus organizatum, & quantum, non sic quantitati subest nisi per accidens, prout videlicet, extensionem recipit, in hac, vel illa anima. Ex quibus sequitur, eos qui formam corporeitatis non concedunt, animam corpoream esse necessariò fateri debere, nec tantum aliquam, sed omnes, & etiam rationalem; si quidem forma, quæ est causa determinationis quantitatis, & rei non minus quam materia ipsi quantitati subijcitur, vt supra declaratum est. Qui verò corpus per se quantum absque anima cum Aristotele ponunt, hoc paradoxicum absurdum effugiunt; cum quibus asserendum est, quamlibet animam, prout ad corpus relationem habet, non corpoream, sed corporalem esse appellandam, cuius differentiam alibi assignauimus: anima autem rationalis, prout nec dependentiam, nec extensionem recipit non sic se habet, vt suo loco dicetur. Nunc autem argumenta soluamus.

Ad primum negatur minor: nam anima remota, vel statim vel serò ex ipsius remotione corrumpitur corpus, quod sufficit, quamuis non possit dici propriè subiectum, eo modo, quo est subiectum accidentium, sed potius materia, & altera pars compositi.

Ad secundum dicitur, quòd sicut est pars substantiæ completæ, ita partialiter substat; proportio enim attendenda est in rebus.

Ad tertium patet: non enim immediatè extensionem recipit.

QVÆSTIO III.

Quapropter anima est actus, &c. Tex. 6.

An definitio Animæ sit bona.

VT definitio prædicta secundum singulas particulas declaretur (non enim parum, sed multum ad vniuersam Philosophiam hoc refert) circa vnamquamq; obijcietur: obiectiones namq; solutę, efficaciorem efficiunt positionem, in cuius gratiam soluuntur; definitio itaque hæc est. Anima est actus primus corporis naturalis, potentia vitam habentis, tale autem, quod vtique sit instrumentale. Prima, ergo particula est actus: quod autem ipsa anima non sit actus, probatur: quod est subiectum,
1. Arg. ac receptiuum multorum, cum passionum, tum accidentium, & operationum, non est actus: nam esse subiectum, & receptiuum est proprium materiæ, vel potentiæ. Sed anima est prędictorum susceptiua, vt notũ est: ergo. Quod
2. Arg. verò non sit primus, Probatur, ille non est actus primus, qui alium supponit; sed anima supponit alium eiusdem corporis: ergo; probatur minor: nam ipsa anima aduenit solum corpori organizato, quod quidem esse nequit sine forma, vel actu; nuda etenim materia est organorum penitus expers. Quod autem non sit corporis naturalis,
3. Arg. probatur: quoniam animæ rationales separatæ possunt efficere corpus aereum (vt multis dignis Philosophis placet) ac ipsum informare; hoc autem non est naturale, sed artificiale, vel voluntarium: ergo definitio; quo ad hanc particulam vitiari potest, quod sufficit vt non sit bona; neque enim per se, neque per accidens à bona definitione aliqua particula auferri potest. Contra aliam particulam 4. Arg.
scilicet (potentia vitam habentis). Vbi actualiter adest anima, corpori videlicet iuncta, ibi non est vita in potentia; si quidē hæc actui repugnat: ergo dum ipsa est actus, corpus non habebit vitam in potentia, & si non sit actus, frustra actus dicitur. Contra vltimam, in qua dicitur, tale autem, quod sit instrumentale. Si etenim hoc esset ve- 5. Arg.
rum, vnumquodque animatum haberet organa distincta, quod quidem falsum esse in quibusdam vermibus, plantis, herbis, & seminibus, experientia comperitur. Quod autem vniuersaliter non sit bona, duplici Aristotelis testimonio comprobatur, alterum est ex tex. 11. 6. Arg.
aliud ex 12. istius libri; in priori namque asserit, Figura determinatum, & descriptum esse, quid sit anima; determinari autem figura, est superficialiter, vel solum adumbratè, & in communi, ac describere non est bene definire. Ex alio autem textu habetur; ex obscuris procedendum esse ad notiora: ergo supponit non dedisse claram cognitionem de anima: hoc autem bonæ definitioni opponitur: quare &c.

Hæc tamen argumenta peripateticam, & iam ferè ab omnibus receptam definitionem non inficiunt; vt autem clarior appareat, singulas particulas declaremus. Dicitur, ergo: animam esse actum, vt per hoc distinguatur à materia, quæ est in potentia ad ipsam, & alias formas recipiendas: per hoc etiam distinguitur ab Intelligentijs cœlo assistentes, quæ quidem non sunt propriè actus, vel formæ, sed per similitudinem, vt in 2. de cælo dictum est. Dicitur primus, idest substantialis; nam per ipsam animā viuentia recipiunt esse: quæ quidem cum sint substantiæ, non poterunt à non substantia vltimatè, & essentialiter constitui. Dicitur corporis naturalis: quoniam artificialia, pro vt talia sunt, nullatenus animari possunt. Dicitur potentia vitam habentis, per quam particulam excluduntur, & materia non disposita, & cadauera, quæ nullam naturalem potentiam habent ad vitam; quod enim est in dispositum, vel essentialem actum amisit, ad ipsum non est in potentia, vt alibi probauimus. Dicitur denique, instrumentale, vel organicum, vt corpora similaria excludantur: neque etenim aer, nec aqua, aut aliud huiusmodi simplex corpus, animari potest; ratio est, quia cum anima multas habeat potentias in corpore exercendas, sine multis eis respondentibus organis operari non posset: quare vtique esset frustra. Ex dictis paret optimam esse hanc definitionem, cuius genus est actus, reliqua locum differentiæ supplent; Argumenta soluenda sunt.

Ad primum negatur maior; ad probationem respondetur, quòd proprium materiæ est esse receptiuum formę substantialis, accidentalium autem est etiam actus, dummodo non sit purissimus: adde etiam, quod anima ipsa sola non est prædictorum receptiua, sed simul cum corpore, præsertim Anima in communi, dimissa prò nunc rationali, de qua dicatur, vt supra, puta non esse inconueniens, &c.

Ad secundum dicitur, animam esse actum primũ prioritate perfectionis, & intentionis, non autem originis, & executionis, sic etenim alium supponit, vt argumentum probat, & ex professo in sequenti videbimus.

Ad tertium (quicquid sit de illa maiori, quam tamen non existimo penitus improbabilem, & propter se ipsam, & propter authoritates Illustrium Philosophorum, inter quos oretenus Doctissimus P. Laurus Biliottus Fanensis, non sui solum authoritate, quam maximi facio, sed validissimis probauit rationibus, quas forsam in tractatu de animæ separabilitate in 3. libro adducam) ea tamen pars, in qua dicitur, ipsum aereum corpus ab anima informari posse, falsa est, vt enim aliquid verè informetur, debet esse naturaliter in potentia ad ipsam formam, ita vt ambo sint vnius compositi partes, quod non accidit in proposito; quare nec illa est vera informatio, nec sunt vera organa, siquidem dicuntur talia, quæ sunt instrumenta natura-

naturalia, vitalium operationum; quibus profectò Animæ prædictis corporibus vnitæ carent; quamuis aliquas motiones ad hæc attinentes efficere possint, vel videantur; vt motio Oris quasi comederent, respiratio, &c. Quæ tamen nullum vltimatum finem animalem consequuntur. Idem dicatur de quibuscunque spiritibus huiusmodi corpora assumentibus.

Ad quartum dicitur, animam vocari præcipuè actum à prima illa actuali informatione (quamuis semper idem nomen retineat, & meritò, quia semper actuat) in qua quidem prædispositam materiam cum quadam prioritate saltem naturę intelligere debemus; hęc autem est tunc in potentia, & ad ipsam formam, & ad omnia ipsius munera, quorum præcipuum est vita; quare sensus est; animam esse actum, vel informare corpus, ita dispositum, quod habeat proximam potentiam ad vitam; si etenim talis non esset, vel ex defectu dispositionis, vel ex recessu formæ, profectò non posset informari; intelligatur, ergo tunc actus ab illa prima informatione, quæ prædictam supponit; posset aliter quoque dici; nimirum actuatum corpus, vel completum viuens per animam esse in potentia ad operationes vitales, quæ etiam vita dicuntur, vt visum est in textu; tamen melior est alia responsio; quia non ad omnes operationes est in potentia; (statim enim cum informat, adest nutritio) neque hęc principaliter, sed secundario dicitur vita.

Ad quintum dicitur, omnia animata habere organa; vt in litera declaratum est; quamuis in aliquibus magis, vel minus distincta appareant: de seminibus autem si sint animata, vel non, peculiaris erit quæstio.

Ad sextum dicitur, Philosophum figura descriptam animam asserere, quatenus non ad omnes particulares animas, omnes ve potentias descendit (quod quidem vi definitionis non requiritur). Dum autem dicitur, ipsam vocare descriptionem. Respondetur, omnem definitionem posse descriptionem dici; nam descriptio est terminus genericus, qui declarationem denotat; & si quandoque prò imperfectiori sumatur, vt animal prò brutis; potissimum autem definitio descriptio dicitur, dum plures partes, vel proprietates, vel aliud additum ad maiorem claritatem apponitur (quæ solet vocari definitio per additamentum, atque quidditatiua etiam est) quod quidem accidit ad propositum. Dum autem dicitur, ex obscuris processisse. Respondetur; Definitionem in ordine ad cætera, quæ de re infima tractari possunt, esse obscuram, vel exilem notitiam, non tamen in comparatione solius essentiæ explicandæ, quod quidem sat est, vt clarior definito, ac clara quoque simpliciter dicatur.

QVÆSTIO IV.

Si autem aliquid commune in omni anima oportet dicere, erit vtique primus actus &c. Tex. 7.

An qualibet anima sit forma informans, vel actus primus, quod idem est.

PRæsens quæstio duas simul alias includere aliqui arbitrantur, nimirum de immortalitate animæ rationalis, & de vnitate intellectus: imò hanc secundam sic necessariò complectendam in hac esse autumant, vt sine ipsa nullatenus intelligi, nec determinari possit; nos autem qui de anima intellectiua, ac de ijs, quæ ad ipsam solum attinent in 3. cum Aristotele determinare intendimus, vtramque ab hac excipimus, nec necessariam connexionem habere arbitramur; nam, quo ad primam, siue ipsa anima rationalis sit forma informans, siue non, sit mortalis, vel immortalis, ex se restat examinandum. Quod vero non sequatur, intellectum esse, vel formam informantem, vel multiplicari, sicut animam rationalem, qui intellectum præcipuè agentem esse potentiam ab anima realiter distinctam asserunt (vt sic asserentes faciunt) facilè dicerent; quare ex se sunt penitus distinctæ quæstiones. Sed vt ad rem statim accedamus. Sciendum est primò, quod duplex est forma, vt diximus in 2. de cælo, quæst. 1. videlicet informans, & assistens; dicitur informans, quæ sic hæret materiæ, cuius forma dicitur, vt simul cum illa sit pars compositi; quod duobus signis cognoscitur; alterum est ex acceptione, vel deperditione essentiæ ipsius compositi; secundum ex operationibus. Ex primo namque aliqua depræhenditur vera forma, si adueniens, res esse essentiale acquirat, si recedat, amittat; forma namque est quod quid erat esse, vel, quod dat esse substantiale; ex secundo pariter signo id agnoscitur; nam cum omnes operationes sint à forma, sicut passiuitates principales à materia, si per aduentum alicuius, operationes cognouerimus, maximè proprias, & internas, & per recessum, desitionem, eam, quæ hoc confert, vel ob cuius recessum dimittitur, veram formam esse fatendum est, nec aliæ sunt naturales viæ ipsam formam indagandi, nisi ad diuinandum conuertamur.

Forma verò assistens, dicitur sic per similitudinem, quatenus nimirum modo quodam indissolubili vnitur alicui corpori mobili, ac id, quod vnitur non est adeò corporeum; vnde nomen potius formæ, quam materiæ meretur, vt Intelligentia respectu cæli, cuius officium est solum mouere, non autem dare esse; quapropter nauta naui assistens per quandam similitudinem, & ad exemplum solum, forma assistens à quibusdam, quandoque dicitur.

Secundo notandum, quod quamuis vniuersaliter de qualibet anima fuerit proposita quęstio, difficultas tamen est solum de anima rationali; de alijs autem nequaquam; ratio est, quia cum educantur de potentia materiæ, vel de virtute seminis (vt in sequentibus fusius dicetur) consequens est, vt informantes sint; nihil namque ex vi materiæ educitur, quod rationem formæ informantis non habeat. De anima ergo rationali Plato in Alcibiade, Simplicius lib. 1. de Anima tex. 7. Themistius lib. 2. c. 27. Philoponus, de Anima tex. 11. necnon Anaxarchus, & alij quamplures aliter sentiunt, videlicet ipsam non esse formam informãtem, sed assistentem solum; credunt etenim, animam rationalem esse per se substantiam quandam spiritualem completam, cui vt proprium munus ab institutore naturæ, vt corpus humanum moueret, ac regeret, vt ei libet, commissum sit; & sic corpus esse potius ipsius instrumentum, quam alteram partem, vel materiam putant; quinimo, ex hoc secundum ipsos sequebatur, verum hominem esse dumtaxat animam, corpus autem domicilium, quod nulli etiam ipsius carcerem vocant, vt videtur insinuare Pythagoras; transitum namq; animarum de vno in aliud corpus post mortem admittit, & secundum vniuscuiusque merita, vel demerita hanc effici transmigrationem affirmabat; ita vt animę hominum salacium in porcos, mitium in agnos, & sic aliæ in alia corpora transirent; quod est ibi veluti in carcere (saltem in aliquibus) manere, quamuis esse assistentes, vel informantes non determinauerit. Pro istis itaq; omnibus præcipua hæc argumenta confici possunt.

Primum. Omnis forma informans dependet à materia; sed anima rationalis ab ipsa non dependet, alioquin separari non posset; ergo; probatur maior; quoniam si forma à materia non dependeret, nec ad ipsam relationem haberet, (quod negat phylosophus in 2. phys. tex. 26.) nec ministerio ipsius indigeret, quod est adeò absurdum, vt in bona Philosophia inexcogitabile sit.

Secundum. Si anima esset vera forma, homo esset incorruptibilis; probatur consequentia; nam ex principijs incorruptibilibus fit etiam incorruptibile, sed materia est incorruptibilis, & etiam formale; ergo. Neque dicatur, corrumpi hominem ex recessu ipsius animae à corpore, vel materia; quoniam cum ipsa sit incorruptibilis, nullae praeuae dispositiones ei obessent; quare non esset causa, vt recederet, imò nec recedere deberet; siquidem cum materia omnis forma proportionem, habitudinem, & bonum aliquod habet.

Quartum. Si anima rationalis vnitur corpori, vt forma informans, illa vnio esset substantia, vel accidens. Non substantia, quia anima, dum separatur, vel vnionem dimittit, corrumperetur, si accidens, vel esset separabile, vel inseparabile. Si separabile, posset anima informare sine vnione; si inseparabile, nunquam a corpore seiungi posset.

Quintum. Ex materia, & forma fit vnum per se, ex hoc libro tex. 7. sed ex anima rationali, & corpore hoc fieri non potest; ergo; probatur minor; nam ex rebus diuersorum generum vna per se non efficitur; sed anima est de genere spiritualium, & incorruptibilium; corpus materialium, & corruptibilium, ergo. His tamen non obstantibus ponitur haec conclusio.

Concl. Omnis anima etiam rationalis, est forma informans; probatur primo auctoritate Philosophi in praecitato textu 7. actum enim primum communem omni animae esse statuit, & in 12. Metaph. tex. 17. ait, causas formales simul esse cum effectu; attamen nihil prohibere animam rationalem esse etiam post; quare causam formalem ipsam appellat. In secundo autem physicorum textu 26. eam formam (sed à materia separabilem) vocat: nec dicitur, loqui ibi de forma assistente; quoniam de hac non agit Physicus. Idem sentit, & rationibus quoque confirmat Scotus 4. sen. dist. 43. quaest. 2. Amplius: operationes alicuius propriae sunt a propria forma informante; intelligere, velle, amare, &c. sunt propriè operationes hominis, & ab anima; ergo. Imo quae saepè saepius communes à Philosopho nuncupantur, ideo dicuntur tales, quia etiam de ipsis anima participat, quod verum non esset, nisi esset forma informans. Praeterea. Per quod aliquid essentialiter ab alijs distinguitur, recipit esse, & ex cuius recessu corrumpitur, est essentialis forma informans; at haec omnia accidunt homini per animam rationalem; igitur. Nunc Argumentis satisfaciamus.

Ad primum dicitur, omnem formam habere aliquam dependentiam, vel habitudinem ad materiam, sic nimirum, quod ipsam perficiat, ac ab eadem sustentetur; Sed quo ad simpliciter esse, non qualibet à materia pendet, sic autem se habet rationalis anima in comparatione ad corpus.

Ad secundum negatur consequentia; ad probationem dicitur, materiam eius propinquam puta corpus corruptibile esse, quod sufficit. Dicitur etiam aliter, videlicet, non sat esse principia esse incorruptibilia, sed requiri debitam dispositionem ex parte formae, quae nisi adsit, deficit informatio (ex qua sequitur corruptio totius) quamuis non simpliciter forma pereat; nam & si in se forma sit incorruptibilis, cum tamen sit limitatae virtutis, & ratio eius sit informatiuitas, & vel aptitudo ad informandum, sine debitis dispositionibus id efficere nequibit.

Ad tertium dicitur, formam spiritualem aptam informare materiam esse virtualiter quantam; quod quidem melius examinabitur in quaestione propria; An scilicet anima sit tota in toto, &c. Ad quartum dicitur illam vnionem esse accidens separabile respectiuum, quod tamen separari nequit, stantibus extremis, ex quibus insurgit, sicut de qualibet relatione dicendum est.

Ad quintum negatur minor. Ad probationem dicitur, duplicia esse entia spiritualia, videlicet completa, vt Angeli; & haec sunt alterius generis, vel naturae à materialibus; vnde cum ipsis nunquam per se vnum efficient; Alia sunt incompleta, vt anima rationalis, & haec non sic genere differunt, quin simul ad vnum tertium constituendum concurrant; hic autem est admirabilis rerum ordo, & primi institutoris prouidentia; per media namque suprema infimis copulat; vt anima rationalis, quae est medium inter puras substantias, & infimas in hominis formatione, est vtriusque nexus, ita vt homo simul diuinus, & corruptibilis efficiatur; quamobrem omnes eius operationes aliquomodo corpori communicat, vt in 3. de immortalitate animae dicetur.

QVAESTIO V.

Non est autem quod abiecit animam potentia existens vt viuat, sed quod habet, semen autem, & fructus, &c. Tex. 16.

An semen sit animatum.

EX praecitato textu decimo solum propositam quaestionem de seminis animatione, sed alias quasdam ad hanc materiam attinentes conueniens est elicere, puta de formatrice virtute eiusdem; si lac, sanguis, spiritus, pili, ossa, vngues, & alia huiusmodi vitam possideant; nec non si mater in generatione actiuè concurrat, &c. Duplici de causa hoc loco id examinandum esse existimo, nimirum quia in his libris de Anima nullibi (quod reminiscar) de praedictis mentionem aliquam facit Philosophus; quamobrem praefixus ordo circa singulas quaestiones citandi textum (ex quo educantur) seruari nequit; & quoniam cum de anima, vel animatione in communi nunc agitur, quae talem simplicem animationem (hoc est sine ordine ad determinatas potentias) respiciunt, hic determinanda sunt; & quamuis omnia, vel quamplura, vnica quaestione complecti possent, distinctionis gratia, & vt taedium studendi ab adolescentibus auferatur, singula singulis examinabis. Ad rem igitur accedentes; sciendum est semen esse corpus imperfectum non per se primò à natura intentum, sed ad vlteriorem formam ordinatum, loquendo de semine propriè dicto; duplex namque est semen; quoddam immissum, sic nimirum, quod solum sit semen, nec alia de causa à natura intentum nisi ad aliud generandum, sic autem fortè se habent semina omnium animalium; Sed statim occurrit instantia de ouis, quae etiam ad nutrimentum videntur à natura directa. Respondetur tamen, ouum secundum se totum non esse simpliciter semen, sed in ipso continetur; nam patet (vt alibi diximus) sine coitu galli ex ouo pullum non nasci, nimirum quia caret semine; quare non ouum simpliciter semen est: & eodem modo de quibusdam similibus philosophandum est, vt statim dicemus. Alia ergo non sunt semina simpliciter, sed vel partes, vel effectus, cum hoc quod semen etiam contineant; sic autem se habent fructus, radices, ac rami quidam plantarum; de quibus fortè vtique melius erit dicere, quod contineant semen; & hoc erit corpus imperfectum, vt aliud; quia tamen à nobis non distinctè percipitur; ideo, vel totum fructum, vel radicem, vel ramum, aut similia loco seminis accipimus; sic itaque exactius speculando praedicta non esse semina (nisi vulgari modo, & impropriè) sed semen continere (quod eadem ampleċtatur diffinitione) dicamus. Ipsum itaque semen ex Arist. 1. de gen. anim. cap. 17. & Scot. 2. sen. dist. 20. qu. 2. in animalibus est superfluum alimenti; quod quidem generatur ex sanguine ad perfectam decoctionem reductum (in

Seminis natura.

(in sanguine autem carentibus ex proportionali fit) ita, vt ad albedinem reducatur, quod non tantum aduenit ex perfecta concoctione, sed adiuuatur ad hoc a vasculis, in quibus vltimatè recipitur, quæ quidem non solum virtute quadam digestiua, sed naturali albugine sic ipsum afficiunt, vt disertissimè differit Auerroes in Colliget: sed antequam ad hæc vltimata vascula perueniat, in priori quodam determinato virtuté generatiuá accipit. Sed statim aliquæ hic sese offerunt curiosæ dubitationes.

Cur salacia citò moriuntur, & aliæ curiosæ dubitationes.

Prima. Cur animalia salacia debilitantur, ac citius moriuntur, quam alia eiusdem speciei. Secunda. Cur oculi magis grauantur; ita vt quandoque id omnibus sensibiliter innotescat. Tertia. Cur in prima ætate semen non adsit. Quarta. Cur neque in vltima. Quinta. Cur nec infirmis. Sexta. Cur in emissione voluptatem afferat. Septima. Cur id accidat etiam sine ipso, puta in ijs, quæ eo carent.

Ad primam dicitur, ex magna sanguinis quantitate, parum effici seminis, ad cuius productionem spiritus vitales etiam concurrunt; quare sanguis per totum diminuitur; vnde sequitur diminutio caloris, & nutrimenti, quæ in sanguine fundantur, & sic habetur debilitas, & mortis acceleratio; Natura etenim conseruationis speciei (gratia cuius semen producit) prouida, alterū sanguinem ad aliud semen generandum post emissionem alterius præparat, parum de indiuiduo tunc curando; quare sanguis vndique accurrit; vnde diminuitur, simulque aliæ internæ operatrices potentię languescunt; quod aliqui animaduertentes, semen per vniuersum corpus effusum esse inconsultò enunciant; non etenim hoc est verum, sed debilitas accidit ex causa prædicta; similitudo autem inter filios, & patres (quam ad id comprobandum adducunt) aliam habet causam, quā in 2. Pys. q. vlt. tetigimus.

Ad secundam dicitur; oculos plenos esse subtilissimis spiritibus, qui simul ad prædictam expulsionem concurrunt; dum etenim semen emittitur, fit omnium spirituum, ac sanguinis concursus, & motio; quare impurum relinquentes sanguinem per subtilem pelliculam palpebrarum apparet nigredo, nempe sanguis impurus, & niger. Dum autem moderatè emissio fit, id non accidit, quia & sanguis, & spiritus sufficienter vtrique supplent; quin interdum prodest, superflua nimirum purgans.

Ad tertiam dicitur; Naturam tunc intentam esse ad augmentationem; quare totum nutrimentum ad ipsam dirigit, nil superflui pro generatione relinquendo.

Ad quartam respondetur, ob nimiam frigiditatem, vel paucitatem naturalis caloris non esse naturam ad id sufficientem; quamuis semper id efficere conetur; vnde nec vltima ætas penitus hoc munere destituitur. Natura itaque de omnibus curam gerit; vnde prius in indiuiduis in prima ætate speciem conseruat, nil curando si generent; in adulta autem, quia vtrumque potest, ad speciei conseruationem totis viribus insistit; ac tandem in vltima potius ad indiuiduum reddit.

Ad quintam similiter responderi potest, videlicet, infirmos conuenientibus viribus ad hoc necessarijs carere; quorum natura, vbi indigentia est, eos aduocat.

Ad sextam respondetur; omnem potentiam in excellentia, vel debita obiecti proprij proportione mirum in modum delectari (vt sic suauitate mirifica omnem operationes rerum naturalium ad optatum finem perducat) vt visum colore, vel pictura eleganti; auditum sono harmoniaco; gustum grato sapore; auditum autem suaui odore. Sic itaque dicendū est de tactu, cuius obiectum sunt qualitates sensibiles, cuius potentia præcipuè in venulis quibusdam residet: (vt fusius suo loco) cum ergo hæ qualitates ad conuenientem temperiem redactæ fuerint, ac vbi maximè viget tactus tetigerint, necessariò magna sequitur delectatio. Semen autem in optima est temperie, ac partes per quas vltimatè transit sunt singulariter dispositę ratione prędicta; quare, &c. Verum augetur voluptas, vel ex coadiuuante contactu, & calore, vel ex imaginatione, quæ magnam in operationibus animalium partem habet.

Ad septimam dicitur; loco seminis decurrere spiritus quosdam animales, qui pro posse vicem seminis supplent, voluptatem aliquam inferunt; hæc autem vt plurimum accidit per motum, qui calorem causando rarefacit meatus, spiritus, ac semen ipsum, vnde faciliter aditus patet; quandoque verò nimis vigens vi propria sanitas petit, & effunditur. Sed quandoque ob infirmitatem aliquam, vel debilitantur viæ; vnde retinere ipsum non possunt; vel ipsum liquescit, ac contineri nequit, vnde vt plurimum tunc causatur dolor, eo quod debita caret temperie; nam sicut qualitates bene temperatæ delectationem afferunt; sic tristitiam oppositæ.

His itaque breuiter in gratiam studiosorum, simulque curiosorum determinatis, ad principale quæstionis propositum redeundum est. Quod itaque semen animatum sit, est sententia Platonis in Timæo, Themistij. 1. de anima c. 21. nec non Galeni in libro de Merasmo c. 5. & aliorum quam plurium, quorum potissimæ rationes hæ esse poterunt.

Prima. Si semen non viueret, daretur effectus vniuocus sine vniuoca causa, vt homo genitus sine generante, quod est absurdum, & in intelligibile; probatur consequentia: nam dum producitur homo, vel aliud animal, pater potest non esse; in virtute cuius ergo animal illud producitur? non matris; quia hæc non est agens principale, & quædam generantur sine matre, ut fertur de ouis Ægypti, quæ solo calore fota pullos emittunt; non in virtute Solis, vel Cęli, aut Dei; sic nimirum quod tanquam causæ particulares id efficiant; sunt namque causæ vniuersales, nisi parum philosophicè, sed pueriliter ad puram creationem recurrere velimus; quare sequitur, nullum aliud id esse nisi semen. 1. arg.

Secundum. Quod nutritur est animatum, vt visum est in libris de Generatione. Semen nutritur ergo; minor de quibusdam (puta de fructibus) est nota; sed dicent, esse simul partes plantarum: ideo de puro semine loquamur. In nutritione fructuum, semen quoque cum ipsis nutritur, & augetur: nec refert, quod solum non nutriatur, quia hoc modo, neque partes; quæ cum toto nutriuntur, animatæ essent. Sed quod etiam nutriatur solum, probatur. In vtero namque feminæ semen à mare immissum, nutritur, ac adeo augetur, vt in corpus efformetur; neque dici potest, augeri virtute matris, quia ipsa solum præbet, & ministrat, vel præparat, ac apponit materiam; si autem internam nutritiuam virtutem ipsum semen non haberet, esset solum iuxta positio, nec per totum vniformiter nutriretur, & augeretur. Præterquam quod, cum non sit pars matris, sed corpus realiter ab ipsa distinctum, impossibile est, quod ab anima eius formaliter nutriatur; quoniam anima non exercet operationes internas, nisi intra proprium corpus; vel dicendum esset, plurium corporum esse actum, quod in 1. de Anima tex. 53. fabulosum Arist. appellat. Neque dicatur; animam matris non egredi è corpore, ex eo, quod corpus seminis est intra corpus eius, non in quam sic dicatur, quoniam illa est quædam continentia quasi localis, quæ non sat est ad participationem eiusdem animæ; aliter cibus, & alia intra corpus existentia animari possent; pars enim propria corporis animati id, quod ab anima animandum est, esse debet; aliter (vt etiam dictum est) duorum corporum vna anima esset actus. Hoc est fortissimum, quod pro hac opinione fieri possit argumentum. 2. Arg.

Tertia. Anima est tota in toto, & in qualibet parte, (vt dicemus) ergo est etiam in semine, quod, dum est in parte, vel non decisum, est pars ipsius; nisi dicatur in 3. Arg.

egressu

egressu mori; quod falsum est; nam habet virtutem veram seminis, puta generatiuam.

4. Arg. Quarta. Anima est actus corporis organici, &c. semen autem sic se habet; ergo anima est actus eius: quod sit corpus, & in potentia ad animam ex se notum est. Quod autem sit organicum, probatur. Quod habet diuersas facultates corporeas, est organicum, quod patet ex vi terminorum; at semen est huiusmodi; si quidem ex diuersis partibus eius diuersa effinguntur membra viuentis; quamobrem ad id diuersas facultates habet; non etenim possibile est esse factum, quod non habet facultatem, vt fiat. Quibus tamen non obstantibus oppositum cum Arist. in præcitato tex. 10. huius, ac in lib. 2. de gener. animal. c. 1. cum Scoto in 4. sent. dist. 44. q. 1. cum D. Thom. Alberto, & alijs determinandum esse censeo. Sit ergo conclusio responsalis.

Conclusio. Semen non est animatum, probatur. Nullum corpus similare, & indeterminatæ figuræ est animatum; nam anima est actus corporis organici; semen autem est similare, & figuræ indeterminatæ; nam quælibet pars seminis est semen (quod esse similare indicat) & à quolibet in quamlibet figuram recludi potest. Præterea in eodem semine, & homine essent actualiter multæ animæ eiusdem rationis, quod est impossibile; nam vnius corporis vna est anima, teste Philosopho in 1. de Anima tex. 53. Consequentia probatur; nam ex eodem semine plures produci possunt filij si in partes diuidatur, & in diuersis vteris recipiatur; quare omnes illæ animæ, & in renibus maris, & in ipso semine præfuissent.

Amplius. Nutrimentum non est animatum, imò ab ipsa anima consumitur; ergo multo minus excrementum eius; at semen est excrementum sanguinis (in comparatione videlicet ad indiuiduum, cuius est semen, quia in ordine ad speciem non est excrementum, sed à natura intentum) qui quidem est nutrimentum, vt vidimus in libris de Generatione, & Corruptione, ergo. Præterea. Si animatum esset, hæc anima esset vegetatiua, vel sensitiua, vel rationalis; non prima, quia ex se absq; alio nutriretur, augeretur, & generaret sibi simile (hæ namque sunt vegetatiuæ facultates ab ipsa inseparabiles) quod quidem falsum esse, omnibus notum est; ergo multo minus animatum est anima sensitiua, nec rationali; quia hæ operantur prædictas operationes melius, & alias nobiliores. Denique. Quoties semen ad generandum non dirigeretur, vel perueniret, toties homicidia fierent, vel casualia, vel voluntaria secundum propositum, quod quidem ridiculum est: consequentia est nota; nam semina illa citò pereunt, nec dicatur, esse animata sola anima vegetatiua, ideo nullum esse homicidium; quia tunc semen esset de genere plantarum; neque ex hoc concluderent, quod intendunt; ponunt namque semen animatum potissimum, vt simile sibi producat; at quomodo ex vegetatiua anima, homo produceretur? Si ergo animatum est, anima eiusdem speciei cum illo, cuius est semen, poni debet, aliter nihil prodest. Quod autem anima rationalis in semine non resideat, præter rationes prædictas est legum determinatio: hæ etenim ex viuis fontibus naturalis Philosophiæ circa hoc haustæ, crimen homicidij non esse determinant, si quis solius seminis, vel embrionis abortum procuret, & prosequatur; secus tamen rem se habere post animatum fœtum. Rationes autem ipsorum soluantur.

Ad primam negatur consequentia, ad probationem dicitur, animal generari in virtute potius; quæ tamen virtus est radicaliter, non formaliter in semine; quod est dicere; patrem tribuere virtutem semini, quæ excitata, vel adiuta, concurrentibus alijs causis, anima producitur; quare in semine non est anima formaliter, sed vis instrumentaria tantum, quæ nihilominus est sufficiens effectum vniuocum cum alijs causis (vt dictum est) efficere.

Ad secundam dicitur; quòd sicut semen ipsum radicaliter continet animam, sic quoque necessariò continet primas, vel vniuersales eius facultates, maximè quæ ad generationem attinent, vt sunt nutritio, & augmentatio; (media namque ad finem ordinata, dispositiones, vel aptitudinem ad ipsum consequendum habere debent, aliter essent frustra) has autem sic continet, vt se solo ad terminos perducere valeat; quamobrem dum dicitur, omne, quod nutritur, & augetur, est animatum, respondetur, verum esse si per se nutriatur; si autem non nutriatur per se solum, sed bene cum alio, vnum ex duobus asserere possumus; videlicet, quod sit per se animabile, & sic est semen; vel sit coanimatum, & sic est pars ipsius viuentis. Quod autem nullo modo solum nutritur, omni actuali anima caret; sic autem notum est de quocunque semine. Habitis itaque debitis auxilijs, vel à matre, vel ab alio supplente, semen nutriri negandum non esse censeo.

Ad tertiam dicitur; animã esse in qualibet parte principali, quo pacto non se habet semen; imò ipsum non est pars, sed excrementum, vt diximus.

Ad quartam negatur minor; ad probationem dicitur, diuersas facultates passiuas non inferre diuersitatem organorum, sed solam habitudinem ad ipsa; sicut patet in artificialibus; in eadem namque materia secundum diuersas partes diuersæ fieri possunt figuræ. Sed instatur; nam semen est actiuum, & ab Arist. in 2. Phys. tex. 31. reducitur ad causam efficientem. Respondetur, duplicem vim esse in semine, scilicet effectiuam, qua disponit materiam, in qua existit ad generationem; & materialem, vel passiuam, qua est aptum formari. Sed contra; nam causa efficiens, & materialis non coincidunt in idem numero, ex eodem 2. Phys. tex. 70. Respondetur id habere veritatem de materia prima tantum; hæc namque nunquam potest esse efficiens; de alijs quibusdam nequaquam.

QVÆSTIO VI.

An in semine sit virtus generatiua, & formatrix.

Virtus generatiua, & formatrix adeò mirabilis, ac potens apparet, atque in veritate existit, vt non tantum à semine imperfectissimo, ac simillimo materiæ, sed à qualibet creata virtute remouenda videatur; quis namque intelligere poterit, ex informi, imperfectissima, ac etiam fœtida massa, tot organa, sicque diuersa, talique inenarrabili ordine elici posse? Quamobrem à quibusdam non penitus inconsultò diuina appellata fuit; de qua aliquid pro posse breuiter dicamus. Sciendum est ergo primò, eandem penitus esse virtutem generatiuam, & formatricem, quod sic probatur; Idem est, quod assequitur finem, & ordinat media ad ipsum consequendum; at finis formationis est generatio; ergo formatio ipsa ab eadem virtute intenditur. Amplius, si diuersa esset virtus, naturale agens, vel finem non intenderet, vel solum imperfectum, quod rationi finis repugnat; finis namque est optimum. Probatur consequentia; nam formatio per se ipsa est imperfecta, eo quod ad aliud dirigitur, vel sola nihil valet, vt notum est; ad quid etenim organa, nisi ab anima ad operationes adhibentur? si ergo hæc sola ab aliqua virtute, vel agenti naturali intenderetur, patet quod proposuimus. Est itaque varia virtus vtriusque operis tanquam vnius effectus. Nunc vbi resideat, dicamus.

Quidam ergo vtpote diuinam à solo Deo immediatè prouenire putant; sed hi causalitates secũdarum causarũ

absque

absque necessitate euertunt: Deus etenim de lege ordinaria cum ipsis semper concurrit. Præterquam quod, si hoc ex sola Dei voluntate proueniret, non requireretur determinatum semen, sed ex quocunque id efficere posset; quod si aliqua ex parte seminis detur determinatio, iam habetur, quod quærimus. Præterea, nisi in ipso semine esset aliqua peculiaris virtus ad hoc, nulla vnquam prorsus esset filiorum ad patres similitudo, nisi semper ad miracula, vel Dei puram voluntatem recurreremus; consequentia est nota; quia sicut per semen filijs substantiam impertiuntur patres, sic rationabile est per eandem eis communicari similitudinem; imò nullum aliud adest medium. Alij autem hoc tribuunt alicui intelligentiæ, vel Angelo, sed hi magis errant; quoniam quæ ad Physicam generationem attinent, à Physico, vel naturali agente compleri debent. Imò cum nulla probabili ratione id comprobari possit, est penitus chymericum existimandum. Dicamus ergo, virtutem hanc in ipso semine insidere; quoniam nullibi conuenientius ponitur; quomodo autem hoc accidat videamus.

Sciendum est ergo, quod agens principale Physicum est etiam productiuum omnium dispositionum, quæ ad finem primariò intentum sunt necessariæ; vt ignis caliditatem, siccitatem, leuitatem, & raritatem ad ignem producendum producit; generatiuum igitur viuentis, quod quidem est aliud viuens, (pro nunc, & ad propositum) ante omnia producit semen, cuius præcipuum agens est anima, instrumentarium est calor; materiale remotum nutrimentum, propinquum sanguis, vel aliud proportionale; huic igitur omnes dispositiones ad finem assequēdum conferre debet; quare sicut sanguis ex omnibus partibus simul cum vitalibus spiritibus concurrit, ac agens sui simile efficere per ipsum in semen versum intendit; sic eandem semini virtualem quandam, vel potentialem sibi imperfectam sui, omniumq; partium confert similitudinem; potentialem inquam, & imperfectam; quia sic paucitatem capacitatis materiæ, atque incępti operis imperfectionem decet. Residet ergo virtus prædicta in semine in potentia tamen passiua, & propinqua; passiua; nam si actiua esset ex se sola absque alio coadiuuante generaret, & organizaret; datis namque agentibus, & patientibus debitè approximatis, & non impeditis sequitur actio; propinqua autem; quia si remota esset, ex semine hominis non tantum homo, sed quodlibet viuens effici posset, quemadmodum de prima materia (quæ quidem remota est) contingit: hæc itaq; passiua potentia reducitur ad actum ab alijs agentibus, nempe à matre, vel alijs; quod etenim est in propinqua potentia, faciliter ad actum reducitur. Verum crederem, non esse simpliciter, vel purè passiuam, sed cum hac habere aliquam actiuitatem, aliter non saluaremus, patrem esse generatiuum filij, nisi sicut potest dici generatiuum frumenti, qui grana seminat; nec esse semen de ipsius substantia actiuitatem saluaret, si omnem prorsus actiuitatem ab ipso semine auferamus; nec alia videtur ponenda, nisi quæ ad formationem, & generationem attinet, quamobrem dicendum sentirem (saltem ad exemplificandum eo modo, quo possum) similem esse passiuitatem seminis ei, quæ est sensuum; ipsi namque dicuntur passiui in ordine ad obiectum, vel speciem eius recipiendam, sed ad efficiendas sensationes actiuè quoque concurrunt; residet ergo hæc capacitas in semine, sed à virtute fota, cooperatur cum ipsa. Pariter dici potest de ijs, quæ ex putri gignuntur; materia namque debitè disposita virtutem seminis habet, & ab agentibus vniuersalibus locus matris suppletur; quę quidem agentia, non tantum hæc ex putri generabilia, sed alia quoque, secundum dispositionem patientium adiuuant. Neque est inconueniens, in corpore imperfecto potentialiter virtutem hanc mirabilem residere; hoc namque esse, si ei effectiuitas prima tribueretur, quæ agenti principali, potissimum autem primæ causæ, vel Deo tribuenda est. Hæc igitur de tam ardua materia, (de qua nemo quem viderim exactè determinat) breuiter mihi determinanda visum est. Si autem aliquis melius diceret, libenter ei assentirem.

QVÆSTIO VII.

An quatuor humores sint animati.

Arguitur primò, quòd sic; partes principales animalis sunt animatæ, quod quidem de se notum est: at humores sunt partes principales; ergo. Probatur minor; nam animalis corpus ex istorum humorum congerie coalescit, atque communiter dicitur, ex ipsis sicut ex quatuor elementis componi.

Secundò. Illud est animatum, in quo præcipuè consistit vita; sic autem se habet sāguis; ergo ipse potissimum animatus est; maior est euidens; minor verò facilè suadetur, si quidem ex remotione sanguinis statim animal perit; quod quidem non accideret, nisi sanguis ipse esset vitæ proximum fundamentum.

Tertio. Arist. 3. de hist. animal. cap. 19. id expressè velle videtur; habet enim hæc verba, palpitat intra venas sanguis omnium animalium, pulsuque simul vndique mouetur, solusque omnium humorum sparsus per totum corpus animalium est, & semper quamdiu vita seruatur sanguis vnus animatur, & feruet. His tamen non obstantibus oppositum statuendum est; sit ergo talis conclusio.

Quatuor humores non sunt animati, probatur. Nam vel essent animati anima propria, vel communi totius; non primo modo; quoniam in eodem viuēte essent plures animæ diuersæ, vel nō adinuicem subordinatæ, quod est absurdum, atque etiam, quia omne animatum est organicum, & dissimilare; neque secundo modo; quoniam, quod forma, vel anima alicuius informatur debet esse cum illo continuum; sic autem humores isti non se habent, imò continentur in proprijs locis veluti in vasculis, à quibus data porta egrediuntur, non secus atque liquores ex vasibus; quare sicut dicendum non esset, vinum continuari phialæ à qua continetur, sic neque humores corpori. Quæ quidem est sententia Arist. lib. 3. de part. animal. cap. 3. & 5. ac etiam lib. 3. de histor. animal. cap. 2. 19. & 20. Amplius de sanguine specialiter, de quo est maior difficultas (nam de alijs humoribus ferè omnes conueniunt.) Id quod est nutrimentum immediatum, viuentis, animatum esse non potest; sanguis autem sic se habet, vt in libris de Generatione visum est, & habetur ab Aristot. lib. 2. de part. anim. cap. 3. ergo. Probatur maior; quoniam si esset animatum anima, quæ est totius viuentis, iam esset pars eius; quamobrem, in nutritione suis proprijs partibus nutriretur, ac sibimetipsi auxilium, vel restaurationem quærenti, exitium moliretur, animam autem peculiarem, vt visum est non habet. Diximus autem notanter immediatum nutrimentum non esse animatum; quia prima sua forma necessariò ab alterante calore nutribilis mutata est, & in similarem quandam naturam conuersa; de nutrimento autem remoto secus dicendum esset, vt pariter dum animal alio nutriretur animali, si tunc fas sit hoc nutrimentum appellari. At circa hoc sunt duæ dubitationes. Prima. Non videtur verum, animalia sanguine prædita ipso sanguine solū nutriri; nam aliquę partes alijs nutriuntur humoribus, vt mammę lacte, stomachus chylo, & quamplures pinguedine. Secunda, cur non æqualiter omnibus applicetur: dantur namque aliquæ partes, quæ parum proportionaliter cum alijs nutriuntur, vel

augen-

augentur, vt in quamplurimis de genitalibus, vel ſemper, vel per aliquod tempus, in aliquibus autem præſertim pinguibus de pedibus apparet: hi etenim ad vaſtam quandam corporis molem deuecti, paruiſſimos retinent pedes, vt eſt in die videre. Ad primam dicitur, ſanguinem quidem eſſe vniuerſaliſſimum, & commune nutrimẽtum animalis; quod autem quædam partes alia quadam materia etiam ad ſanguinem attinente nutriantur, nullum eſt abſurdum; lac etenim, & adeps eſſentialiter à ſanguine non differunt, vt in ſequenti quæſtione dicemus: De chylo autem, qui eſt materia proxima in ſanguinem conuertibilis dicendum eſt, non penitus nutrire, ſed aliquam duntaxat efficere reſtaurationem, vel conſolidationem ſtomacho, ob conuenientes qualitates. Vel dicatur, vi innati caloris, ſubtiliores aliquas cibi partes ſtatim in ſanguinem conuertere. Ad ſecundam reſpondetur, genitalia quidem proportionaliter cũ alijs membris nutriri cæteris paribus; & quia ſemen aliquam præ alijs virtutem habet, hinc eſt, quod plus, vel minus ſecundum ipſius ſeminis virtutem, aliquã diuerſam maiorem, vel minorem accretionem ſuſcipere poſſunt. In alijs verò diſpar accrementum ex impedimento prouenit; calceis namque conſtrictis pedibus, vt prædictis accidit, illuc conueniens magna ſubſtantialis nutrimenti portio deſcendere nequit. Sed ad concluſionem redeamus, & ipſam iterum comprobemus. Si ſanguis eſſet animatus, etiam qui ex venis egreditur animatus eſſet; nam egrediens cum alio intra manente continuitatem habet; quæ autem ſunt naturaliter continua, eandem retinent formam. Accedit ad id confirmandum auctoritas Ariſtot. lib. 2. de partib. anim. c. 10. vbi aſſerit, ſanguinem non eſſe partem animalis; ergo non eſt animatus, quod confirmatur à Scoto in 4. ſentent. diſt. 10. quæſt. 1. à Galeno lib. 2. de elementis, à D. Thom. 1. par. quæſt. vlt. artic. 1. ad 3. & à quamplurimis alijs. Sed argumenta ſoluamus.

Ad primum, negatur minor. Ad probationem reſpondetur, ex iſtis coaleſcere corpus non tanquam ex partibus, ſed tanquam ex temperamentis, niſi vocemus partem, quidquid ad aliud neceſſariò conſtituendum requiritur, quæ eſt impropria acceptio.

Ad ſecundum negatur minor. Ad probationem dicitur, nihil aliud per id concludi, niſi ipſius ſanguinis neceſſitatem: ex hoc tamen animatum eſſe non ſequitur.

Ad tertium dicitur; Ariſtotelem dicere ſanguinem animari, prout miniſterio animæ ſubijcitur, non quod re vera ab anima informetur.

QVÆSTIO VIII.

An Lac, Adeps, & Medulla viuant.

QVæſtionem hanc breuiter ſine argumẽtis (eo, quod ex præcedenti pendet) expendemus. Sciendum eſt ergo ex Ariſtot. lib. 4. de Generatione anima. c. 8. Lac nihil aliud eſſe, niſi ſanguinem concoctum, non tamen quilibet ſanguis in lac cõcoquitur, ſed menſtruus tantum, quod ex eo patet, quod ſolum fęminæ viuiparæ lac edunt, vnde ſi non ex mẽſtruo efficeretur, ſed ex alio quouis ſanguine, etiam maſculi lac ipſum haberent. Præterea, poſt conceptum fętum menſtrui ſanguines deficiunt, quia ſanguis ille ad nutrimentum ipſius fętus aſſumitur; cum autem nutrimentum hoc ſit eiuſdem, vel parum differentis naturæ ante, & poſt, & poſt ſit lac, etiam tunc lac erit, & ſi fortè non ita purum, vel tali affectum colore. Amplius, dum fęminæ lacte abundant, vel penitus, vel in parte ſanguine menſtruo carent, quod non aliunde accidit, niſi quia ſanguis prædictus in lac conuertitur: hic autem ſanguis à virtute attractiua vberum illuc peruenit, atque à digeſtiua, quæ in ipſis reſidet, dulceſcit, & ſuauem accipit ſaporem. At quamuis de communi curſu ex ſanguine menſtruo fiat, interdum etiam aliter generatur, vt docet idem Philoſophus eodem 4. de Gener. animal. cap. 20. Caprarum namque vbera ter ante coitum confricata lac poſt tertiam peractã confricationem edunt; in prima namque cruorem; in ſecunda, veluti ſaniem; in tertia lac emittunt: imò maſculis quandoque etiam lac in vberibus gignitur. Sed fortè hic eſt humor paruus exilis, non verè lac; quomodocunque tamen ſit, ex concoctione accidit. Adeps autem eſt pariter ſanguis concoctus per bonitatem nutriendi, vt docet Philoſophus 2. de part. anima. cap. 5. Sed ſanguis hic per totum ſic digeri poteſt, lac autem ſolum ab vberibus propter finem nutriendi animal genitum, vel generandum; differt autem Adeps à Seuo, quamuis in natura principali conueniant; vtrunque etenim bonitate concoctionis, & alimenti præditum eſt, ac aeris, & ignis natura participat, ſed Seuum eſt magis terreum; vnde exiſtit, nec ſaporis, nec odoris delectabilis. Sed Adeps eſt magis aereus, ac melioris temperiei; quare animalibus cornigeris, quæ maximè ſunt terrea Seuum conuenit: vtrinque vero dentatis Adeps; & fortè ideo Adeps ad cutem reducitur, eo quod eſt magis aereus, ac facilè per conſequens ſurſum tendens, ſicut è contra Seuum ad inteſtina, quaſi ad centrum deſcendit. Axungia autem eſt pariter Adeps, ſed purior, quia eſt magis propè inteſtina, vbi potiſſimum viget calor. Quibus habitis ponitur concluſio. Adeps. Seuum. Axungia.

Neque Lac, neque Adeps, nec Seuum ſunt animata; Concluſio probatur; quia non differunt eſſentialiter à ſanguine; maior namque, vel minor concoctio cum accidentali mutatione coloris, vel ſaporis eſſentialem differentiam non facit. Hæc autem eſt expreſſa ſententia Ariſtot. in præcitato lib. de part. anima. cap. 5. imò ibidem dicit, nimis pinguia animalia citò interire, quia in pinguedine, vel Seuo non reſidet anima, &c. cum his connumeratur Medulla ex eodem lib. c. 6. nam pariter eſt ſanguis concoctus, ex quo oſſa nutriuntur. Sed eſt inſtantia; quoniam vbi ſenſus viget, ibi reſidet anima; at viget in Adipe, Seuo, & Medulla: nam ſi adeps pungatur fit dolor, vt experientia patet, & eodem modo credendum eſt de Seuo, & Medulla, quia non multum differunt; imò eo, quod ſunt magis intrinſeca animali, magis ſenſu participare debent. Reſpondetur, in adipe apparere ſenſum, at re vera in ipſo immediatè non reſidet, ſed potius in ſenſorio tactus, quod per adipem diffundi ſimul cum carne credibile eſt; neque etenim datur ſic purus adeps, vt omnis alia pars ad ſenſum tactus attinens ab ipſo excludatur, eodem modo de ſeuo, ac medulla dici poterit; nec eſſe magis interna ad hoc aliquid faciunt, aliter ſanguis eſſet magis animatus, quam caro, cum ſit magis internus, &c.

QVÆSTIO IX.

An pili, & vngues ſint animati.

CIrca hanc quæſtionem triplicem dicendi à tribus diuerſis Philoſophantium ſectis inuenio. Prima eſt quorundam aſſerentium eos animatos eſſe; ſi quidem nutriri, & creſcere, quæ ſolum viuẽtium opera his competunt, tamen vnumquemque ipſorum propriam, & ſolam vegetatiuam inſtar herbarum, animam habere; quorum materia proxima ſint humores, remota verò (ad ſimilitudinem terræ) ſit corpus; neque etenim animam totius compoſiti eos informare poſſe autumant, quate- 1. Aſſ.

gus

1. Arg. ltus oppositæ videntur vtrorumque operationes; decrescente etenim quandoque corpore, vngues, & pili augentur, necnon accretio, & diminutio corporis est determinato tempore: his autem nullum præfinitur.

3. Arg. Addunt etiam, irrationabile videri, animam ipsam rationalem in homine vsque ad terram extra corpus, secundum pilorum prolixitatem se extendere. Huius autem opinionis fuit D. Bonauent. in 4. sentent. distin. 44. quæst. 2.

Secunda est opinio asserentium, eos nullatenus animatos esse, nec veram habere nutritionem, vel augmentum, sed esse solum iuxta positionem, per aggregationem nouæ materiæ, quod ex eo manifestum esse volunt;

4. Arg. quia augmentum, & nutritio fiunt æqualiter per omnes partes; sic nimirum, quod vna aliam non pellat, sed nutrimentum absque discrimine per omnes distribuatur, quod quidem in prædictis non perspicitur: imò pars vna aliam pellit, vt patet si vnguis signetur: etenim illud ex tunc ad paucos dies circa summitatem, vel extremitatem reducitur; huius autem opinionis sunt Galenus, Fernelius, & alij.

Tertia tandem est opinio Scoti in 4. sent. dist. 7. quæst. vnica, art. 7. nimirum eos, re vera esse animatos, quam quidem ex Aristotelis fonte, puta ex 3. de hist. anim. c. 9. desumpsit, cui adstipulatur quoque D. Thomas, & alij.

Pro cuius intelligentia sciendum est; quod quamuis anima, vniuersum corpus informet, quoad partes, quæ natæ sunt informari, non tamen circa omnes munera omnia exequitur; quibusdam namque discurrendi, alijs sentiendi, nonnullis verò vegetandi solum vim confert; ita tamen, vt vis ratiocinandi alias duas inferat: sentiendi autem solum vegetatiuam: hęc verò nullam. Notandum est etiam, quod finis ipsius animæ est, vt nihil in corpore sit otiosum; quamobrem omnia ad aliquem dirigit finem, quorum communissimus, & vltimatus est ipsum viuens; alia ergo disponit, vt partes essentiales, alia, vt nutritioni accommoda, quædam ad ornamentum, nonnulla vt superflua, & inutilia penitus reijcit. Ea autem, quæ ornamenta sunt, potius vt effectus, quam partes ad corpus attinentes sunt habenda, non secus, quam fructus arborum. Quibus habitis sit conclusio.

Conclusio. Vngues, & pili sunt animati: probatur efficacissimo argumento nutritionis, & augmentationis, hoc etenim quidem nulli præterquam viuenti conuenit; neque dicatur esse simplicem iuxta positionem; quia, quæ sic se habent, neque eodem ordine, neque semper continuantur, præsertim si aliquid ipsorum sit durum, & siccum, vt accidit de pilis; adde quod in vnguibus sentitur dolor, non solum in carne, vt aliqui putant; ergo. Nunc soluamus argumenta, quæ immediatè contra hanc tendunt.

Sol. Arg. Dum ergo dicitur in secunda opinione augmentum per omnes partes fieri; respondetur, dupliciter, vno modo id esse verum respectu totius principalis cuius finis, & conseruatio per se a natura intenditur; de his autem quę solum ad ornatum sunt constituta, hoc non esse sic necessarium. Secundo, negari potest minor; hæc namque æqualiter crescunt, vel nutrimentum suscipiunt secundum proportionem, ita nimirum, quod partes magis humidæ plus, minus verò minus suscipiunt; sic namque has decet dispositiones. Id autē quod affertur de signo, & est vanum, quia id etiam in plantis accidit; nec alia de causa, nisi quia virtus distributiua in similaribus præcipuè secus humores aliquos defert, quod negari non potest.

Quod verò dicit prima opinio, (quam etiam probabilem censeo,) oppositas esse animæ operationes, quas in corpore, & in his prædictis exercet. Respondetur, non esse oppositas, sed diuersas, quæ nullum est inconueniens pro materiæ dispositione, & secundum diuersam finis necessitatem, diuersimodè diuersis terminis, & temporibus exerceri. Pariter non est inconueniens, effectus animæ rationalis secundum virtutem vegetatiuam in pilis vsque ad terram extendi, imò hoc conuenientius dicceretur, quam innumeras animas ipsorum sine organis fingere. Sed tres supersunt dubitationes. Prima. Cur post mortem pili, & vngues crescant, si habent esse ab anima. Secunda, quæ sit materia ipsorum proxima. Tertia si dentes sint animati. Cur pili, & vngues post mortē crescunt. Dentes an animati.

Ad primam secundum hanc positionem dicendum est nequaquam crescere, sed sic apparere ob carnis maciem; hac enim carne remissa, longiora alia videntur. Qui vero dicunt, propria anima vegetatiua animari, & hoc concedere debent, & ad longum tempus post mortem ineffabile augmentum; si quidem nec forma, nec ad id apta materia perit, quin potius pinguior, & aptior euadit.

Ad secundam dicitur pilos effici ex corpore excrementitio crasso, sicco, fuliginoso, qui per poros exiens ad longum porrigitur, & secundum rectitudinem, vel curuitatem ipsorum, recti, vel crispi efficiuntur pili; qui quidem humanæ per semen possunt proli communicari; ac ideo inter filios, & parentes esse in hoc etiam similitudo, qui secundum diuersam materiæ dispositionem, diuersos sortiuntur colores, vt nigri ex adustione, rubei ex sanguine, cani ex defectu caloris non potentis digerere humidum. Vnguium autem materia est excrementum neruorum, arteriarum, ligamentorum, & aliarum partium crassarum.

Ad tertiam affirmatiuè respondetur; dentes namque sunt de genere ossium, atque in ipsis dentibus non solum vegetatiua, sed sensitiua insidet facultas, vt ij, qui ipsorum dolore laborant, fateri possunt; imò refert Ioannes Valuerdus lib. 1. Anot. cap. 7. de dentibus, eos à radicibus vsque ad extremum habere foramē, per quod ingreditur vna vena, vnus neruus, & vnam etiam arteria, ac vsque ad mortem crescere, nunquam vedenuo, nasci post primam à natiuitate productionem, sed latentes apparere.

QVÆSTIO X.

An Spiritus sint animati, quid sint, quot, &c.

Priusquam ad quæstionis resolutionem accedamus, quid, quotuplices ve spiritus sint dicere opus est. Spiritus ergo sunt subtilissima quædam corpuscula ex purissimo sanguine confecta, vt ipsis mediantibus viuentium naturalis vis, & calor per vniuersum corpus, singulasque partes distribui possint; dicuntur ve spiritus ob eorum ingentem subtilitatem, vel quia per totū corpus veluti suauissima aura spirent, & pulsent. Pro quorum exactiori intelligentia imaginari debemus vitam viuentium omnium calore potissimum conseruari, ita vt fons vitæ appelletur; hic autem in aliqua determinata corporis parte originem habere debet, quæ quidē profectò est cor; vt igitur per vniuersum corpus diffundatur, vehicula exigit; (neque enim rationabile est sine discrimine, vel nondum omnia mēbra immediatè permeare, vel per vacuum diffundi) hęc igitur spiritus sunt, quorum officium, vel naturam ex thermulis, vel fornacibus quibusdam, quæ in cubiculis tempore hyemis adhiberi solent, melius conspicere possumus; sit igitur in aliqua determinata parte domus, vel cubiculi fornax, vel therma, vbi ignis ardet, ex hac autem tota domus, vel cubiculum calefit; non quod ignis per totum diffundatur, sed ex prædicto loco aeri proximo communicatur, qui per totum postea ipsum diffundit; sic spiritus prædicti aeri assimilantur, fornax autem cordi: hæc quo ad ipsorum Spiritus quid.

naturam

Spiritus naturalis, vel insiti. naturam breuiter dicta sint. Nunc de numero aliqua pariter breuiter dicamus. Diuiditur ergo spiritus prima sui diuisione in insitum, & influentem. Insitus (qui etiam dicitur congenitus, & complantatus) est, qui ab origine viuentis simul vi seminis, ex quo coagmentum ei, singulisque ipsius membris impertitur; neque etenim solum materia, vel semen, sed alia quoque ad viuendum requisita tribuenda sunt; quamobrem vehiculum caloris conferendum etiam fuit, hoc autem nunc spiritum vocamus. Influens autem est, qui ex præcedenti pendet, & gignitur, ad alia munera obeunda; sicut etenim ex primo semine, vel materia diuersa efficiuntur organa materialia, quæ diuersa quoque munera, ac nomina sortiuntur; ita ex primo radicali spiritu alios effici, aliudue munus subire, proprioque vocari nomine par est; hi igitur sunt vitales, & animales. Vitales à fonte vitæ per arterias decurrunt, per quos virtus pulsatrix, & motiua potissimum exercentur; quare quemadmodum viuentia viuere ex motu præcipuè dignoscitur, sic eadem ratione vitales hi spiritus nuncupantur. Animales autem sunt, qui per neruos principaliter virtutem operandi potentijs sensitiuis, & ministerialiter intellectiuæ viam, vel aditum pandunt; sic autem dicti, quia per sensus animalia ab alijs viuentibus internoscuntur. Naturales ergo spiritus (sic dicuntur quoque insiti) ad vegetatiuam potentiam pertinent, cuius munera sunt generare, nutrire, & augere, ad quæ omnia exequenda spiritibus ipsis, vt ministris vtitur; quare non solum animalibus, sed quibuscunque viuentibus conueniunt, quorum præcipuam sedem, vel fontem Aristotel. 3. de partibus animal. cap. 4. in corde collocat (loquendo de animalibus; in alijs intelligatur proportionale) ibi enim sanguinem gigni (quod etiam ad vegetatiuam attinet) credit; quamuis Plato in Timeo, Galenus lib. 6. de placitis cap. 7. & alij quamplures in iecore, & sanguinem, & spiritus istos generari credant. Vitales autem ex eodem Arist. loco supra citato, & pariter ex Platone ibidem, Galeno, & alijs in corde generantur, ac potentiæ motiuæ principaliter adscribuntur, quorum munera sunt, ministrare motum localem totius, & partium singularium, qui labore nimio consumuntur, quiete vero facilius (sicut vapor ex aqua calida) ex sanguine regenerantur. Animales tandem pariter gignuntur (secundum Philosophum loco supra citato de iuuent. & senect. cap. 2. & de somno, & vig. cap. 2.) in corde, quod omnium aliorum principium constituit; sed à Platone, Galeno, & alijs origo ipsorum collocatur in cerebro, quorum numero sunt sensitiuæ potentiæ ministerium exhibere; quare omnes sensationes, tam internorum, quam externorum sensuum ope horum spirituum complentur; imò quia intellectus, & voluntatis operationes sine sensibus effici nequeunt, pariter ipsi inseruiunt. His autem sic determinatis, sit quæstionis resolutio hæc.

Concl. Spiritus prædicti, tam videlicet naturales, quam vitales, & animales, animati non sunt. Probatur; quia substantia eorum non differt essentialiter à sanguine, sed accidentaliter tantum, vt vapor ab aqua, sed sanguis non est animatus; ergo, nec ipsi. Amplius; partes animatæ non facilè corruptioni subduntur, aliter viuens citò interiret; hi autem spiritus sic se habent, quemadmodum etiam facilè denuo producuntur; ergo. At si quæratur, cur hinc inde velociter decurrunt, ac si animali essent?

Respondetur, hoc accidere ex virtutibus attractiuis, & impulsiuis, nec non ex eorum leuitate, qua nati sunt facilimè vehi, vel agitari, vt notum est de aere, alijsque similibus.

QVÆSTIO XI.

An Mater in generatione actiuè concurrat.

Scotus in 3. sent. d. 4. quæst. vnica affirmatiuam partem sustinet, cum quo quamplures Medici potissimum verò Hippocrates, & Galenus conueniunt. Negatiuam tamen defendit Aristot. in primo de generat. animal. cap. 20. vbi fæminas verum semen emittere negat, multisque rationibus id probare contendit. Auic. lib. 19. de anim. cap. 3. D. Thomas, 3. par. quæst. 32. art. 4. nec non Auerroes 2. colliget. cap. 10. vbi narrat, se à muliere quadam veridica audiuisse, ipsam sine aliqua seminis emissione, vel pollutione, ac absque omni voluptate (secum coeunte viro) concepisse; quod quidem ego pariter à quibusdam alijs mulieribus ratum habui, idque eis pariter accidisse asserentibus: Si ergo semen, in quo actiua vis generandi insidet, non habent, vel non emittunt (sed solum vt præfati Philosophi fatentur, humore quodam concurrunt, ac materiam menstrui pro fætu coagulando præbent) nullam habebunt actiuitatem; loquendo videlicet de vi generatiua; quoniam fouere, calefacere, alimenta fætui ministrare, (quæ actiuitates quædam sunt) omnibus est manifestum, ab ijs haberi. 1. Arg.

Amplius, in quacunque naturali actione potissimum ve in generatione, agens, & patiens sunt distincta; sed masculus est agens, ergo mulier duntaxat est patiens, & sic actiuè non concurrit. 2. Arg.

Præterea, si fæmina haberet actiuam virtutem, cum passiuam quoque habeat, nec sibi materia deficiat, absque masculo generare posset, quod absurdum est. His tamen non obstantibus, ex certissimis quotidianis iam omnibus notis anatomicis experientijs, fæminas verum semen habere, & per consequens actiuè concurrere compertum est; quare affirmatiuè ad quæstionem respondendum esse puto; neque quod pro nunc Philosophum reliquerim, sum arguendus, quia veritatem simpliciter sequi proposui, à qua si ipse recesserit, & ab ipso recedam; nec tamen hoc ei ad inscitiam, tribuendum, sed potius ex defectu anatomicæ professionis, quæ eo tempore non vigebat. Quod itaque mater actiuè concurrat; probatur primò sic, ea quæ sunt eiusdem speciei easdem habent potentias; sed masculus, & fæmina sunt eiusdem speciei; ergo si mas habet virtutem actiuam generandi, pariter fæmina eam habebit. Respondent aliqui, fat esse, vt conueniant in potentia generandi, licet in actiuitate, & passiuitate differant; Sed contra, nam conuenientia specifica non infert simpliciter, vel indifferenter potentiam, sed potentiam eiusdem speciei; at actiua, & passiua eiusdem speciei non sunt, vt de se notum est: quare &c. Sed est instantia, quia si ita esset, masculus deberet habere potentiam in proprio vtero concipiendi sicut fæmina, aliter non esset eiusdem speciei, vt quidem ex prædictis potest inferri, quod si hoc non valet, neque vlla erit ratio de potentia actiua fæminæ. Respondetur, potentias passiuas non sequi formas specificas sic immediatè sicut actiuas, imò sequi potius materiam, cuius est pati; quamobrem ob diuersitatem potentiarum passiuarum non ritè colligimus diuersitatem specificam, nec ex identitate specifica, identitas passiuæ potentiæ, sed solum ex diuersa materiei dispositione accidit; quæ quidem materia eiusdem rationis, diuersæ tamen dispositionis absque essentiali variatione reperiri potest; sic conceptio in vtero est passiuitas, vel capacitas ex sola materia procedens. Præterea. Omnes fatentur matrem disponere, ac actiuè fouere, & alia necessaria præstare fætui; 3. Arg. Concl.

fætui; ergo ad generationem quoque concurrit; quia eiusdem est disponere materiam, & formam introducere, maximè si sit agens immediatum; aliter non ageret ob finem principalem, vel ipsum nunquam attingeret, quorum vtrumque naturali agenti disconuenit. Amplius. Filij interdum nascuntur similes matribus; ergo actiuè concurrunt: nam similitudo oritur ex facultate formatrice, & generatiua seminis, vt proprio loco dictum est. Neque sat est (vt aliqui respondent) quod mater disponat, & sic sui imprimat similitudinem; quoniam si verum est (vt quidem est) in semine tantum esse generatiuam, hanc, & assimilatiuam virtutem ex membris illius, cuius est semen, eductam, per aliquam accidentariam dispositionem variari non poterit; præterquam quod; dispositiones illæ accidentales, membra spermatica (quæ sunt similitudinis prædictæ fundamenta) attingere nequeunt. Denique. Nisi mater actiuè concurreret, non plus esset filij mater, quam terra frugum, vel quam vermium, qui ex eodem corpore nascuntur; his etenim etiam virtutes, & dispositiones, vt procreentur, tribuit. Argumenta alterius opinionis soluamus.

Ad primum igitur dum dicitur, fœminas interdum concipere sine sui pollutione, voluptate, &c. Respondetur (saluo semper meliori iudicio) hoc non esse inconueniens, propter diuersas indispositiones tunc accidentes; sed tamen non sequi eas nullatenus concurrere; postquam etenim semen maris in vtero exceptum est, potest paulatim, & insensibiliter cum semine fœminæ vniri, & sic ambo ad generandum concurrere.

Ad secundum dicitur, patiens intelligi rem productam, vel genitam; nec non etiam semen, & fœminam ipsam, cum quo tamen stat, vt ambo aliquam etiam habeant actiuitatem, vt alibi dictum est, & patebit ex solutione tertij argumenti.

Ad tertium igitur negatur consequentia; ratio est, quia illa actiuitas, ex se non est sufficiens, sed cum passiuitate ab agente externo essentialiter dependente coniuncta; sicut dictum est de sensibus, qui sine obiecto sentire nequeunt, & si omnis actiuitatis non sint expertes; imò in quibusdam piscibus, qui Rubeliones dicuntur (referente eodem, Philosopho 6. de hist. animal. cap. 13.) generatio solum ex fœminis accidit, vel saltem mares nondum cogniti sunt; quare actiuitas in generando patet, vel non est penitus, neque secundum philosophum reijcienda; cuius dictorum conciliationem, breuitatis causa dimitto, ac alijs relinquo. Sed quid dicendum de plantis? Respondetur, in ipsis proprie non dari masculum, nec fœminam, nisi per similitudinem, sed hæ sunt differentiæ animalium; quamobrem illę sine discrimine generare possunt.

QVÆSTIO XII.

Quarundam enim actus partium est ipsarum; Tex. 11.

An Anima sit tota in toto, & in qualibet parte.

1.Arg. EX præcitato Arist. textu, animam in toto corpore, sed in aliquibus dumtaxat partibus esse videtur; quarundam enim partium actus ab ipso appellatur; non ergo totius.

2.Arg. Amplius. Idem Philosophus in libro de animalium motu, cap. 7. asserit, sic se habere animam ad corpus, vt princeps ad ciuitatem; hic namque in aliqua determinata parte residens, vniuersi ciuitati legem imponit. Sic anima in corde manens, alijs membris esse, & operationem communicat. Quod quidem confirmatur authoritate etiam eiusdem Philosophi in de iuuentute; & senectute capitul. 2. & 3. vbi animam in corde residere affirmat, principium namque sensus in corde esse asserit; quod quidem principium proculdubio est sensitiua anima.

Præterea si anima esset in toto corpore, vel secundum se totam esset in qualibet parte; vel ipsius esset in corporis parte; non primo modo, quia multa sequerentur inconuenientia; neque secundo, quia sic anima rationalis esset diuisibilis; probatur consequentia prima: nam dum mouetur manus, vel aliud membrum reliquis quiescentibus, tota anima moueretur, & quiesceret; nam tota mouetur in manu, & quiescit in reliquis partibus; idem autem secundum se totum moueri, & quiescere simul contradictionem implicat, & est primum inconueniens. Secundum. Abscisso aliquo membro, tota remoueretur anima; si quidem est tota in qualibet parte; at animæ totius remotio, animalis mortem inducit, quod tamen non accidit ex hac remotione; ergo. Tertium. Animal posset diuidi in plura animalia per se subsistentia, quod est ridiculum; probatur consequentia; nam in quolibet membro tota anima seruaretur cum partibus organicis; hoc autem animal completum efficit; imò forte stantibus omnibus partibus simul adhuc vnitis, eadem ratione idem animal plura esset animalia. 3.Arg. 4.Arg. 5.Arg.

Denique. In præcedentibus, quamplures animalis partes animatas non esse determinauimus; ergo non est in toto corpore, nec tota in qualibet parte.

Secunda autem consequentia ex se notissima est; nam, quod est in pluribus partibus, ad diuisionem illarum est ipsum quoque diuisibile; quod quidem nulli rei spirituali, (vt est anima rationalis) competit. 6 Arg.

Pro intelligentia sciendum est, animam in communi posse tripliciter considerari, primo modo in ratione essentiæ, secundo in ordine ad potentias, tertio tandem secundum quandam commensurationem ad corpus; prima consideratio respicit puram quidditatem ipsius animæ, quæ quamuis sit forma, & materiam concernat, ab ipsa potest aliqualiter abstrahi; nec aliud erit, quam substantia quædam incompleta apta esse pars, & forma viuentis. Secunda vero diuersas ipsius facultates insinuat, sic nimirum, quod vim sentiendi, nutriendi, alias ve similes contemplemur. Tertia tandem quomodo corpori exstendatur, si videlicet pars parti, tota toti, aut alio pacto. Secundum quam triplicem acceptionem, tres quoque statuamus conclusiones.

Prima. Anima secundum rationem essentiæ, vel formæ est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte principali constitutiua; probatur; nam secundum hunc modum nihil aliud est, quam forma, quæ secundum suam rationem informandi in omnibus prædictis partibus esse debet, nec aliter esse potest; quamobrem cum hæc informandi ratio, cuilibet parti tota sit applicabilis, erit tota in omnibus partibus; quod de qualibet anima veritatem habet.

Secunda conclusio. Anima secundum potentias non est tota in omnibus partibus; sic videlicet, quod per totum corpus omnes habeat potentias, vel omnes in singulis partibus. Hæc conclusio de qualibet anima manifesta est; si quidem nec in potentia visiua est auditiua, nec aliter aliæ in alijs; verum totum collectiue sumptum omnes continet potentias, ad hunc sensum, quod omnes potentiæ sint in toto corpore, quamuis non in qualibet parte. Sed est quædam dubitatio. Nam cum potentiæ ab essentia, vel non distinguantur, vel sint penitus inseparabiles; quomodo esse poterit, quod anima secundum essentiam, vel rationem informandi (quod idem esse diximus) sit in toto corpore, & in qualibet parte, & tamen ibi potentiæ non resideant? Respondetur potentias ipsas dupliciter spectari posse, vno modo secundum puram

illam inclinationem fundamentalem, qua ad actus (remote tamen) ordinatur; & sic in qualibet parte animæ, seu in tota ipsius essentia reperiuntur. Aliomodo secundum vltimatam, vel proximam dispositionem operandi; quo pacto organa corporea requiruntur; & hoc modo solum, vbi huiusmodi sunt organa, potentiæ insunt. Imaginandum est etenim, animam esse veluti lumen, vel calorem quendam; ipsum etenim lumen quamuis eiusdem sit naturæ per totum, non tamen vbique eodem modo lucebit, sed secundum diuersam diaphanorum corporum dispositionem; pariter calor quædam indurat, alia liquefacit; quibusdam esse confert, à nonnullis ipsũ adimit.

Tertia conclusio. Nulla anima (seclusa rationali) est tota in qualibet parte tertio modo, vel commensuratiuè, pro cuius intelligentia sciendum est, nullam entitatem habere ex se partes extensas, nisi quantitatem; sed hanc extensionem ab ipsa quantitate accipiunt; hoc modo, quod vnicuique parti quantitatiuæ illius rei respondent; vt hæc albedo huius chartæ ex se extensa non est, sed ratione quantitatis; attamen merito ipsius quantitatis, sic albedo prædicta se habet, vt alia pars ipsius in hac parte, alia in alia recipiatur, quæ si separentur actu erunt; & eodem prorsus modo de qualibet substantia, quæ materialis, ac quanta dicitur, dicendum est; nec etenim credendum est, alio modo neque substantiam, nec accidens diuisibilitatem, & quantitatem habere; & si magis propriè substantiæ corporeitas, vel quantitas tribuatur; nam hoc prouenit, prout ipsa substantia est immediatum subiectum, & radix, & principium quantitatis. Anima itaque sensitiua, & vegetatiua sunt materiales quædam formæ, & corruptibiles; quamobrem materiæ, ac corpori quanto commensurari debent, & sic pars parti respondebit, non secus quam materiei, & partibus ipsius. Imò nulla est efficacior ratio ad probandum eas corruptibiles esse, nisi quia à materia dependent, quod quidem impossibile foret, si in omnibus partibus sensus reperiretur: hic etenim est modus independentię, & immaterialitatis. Oppositum autem de rationali animæ accidit; si etenim ipsa sit immaterialis, & immortalis, nullam à materia dependentiam habebit, nec per consequens diuisibilitatem; quamobrem vbique erit, & quia est in singulis partibus, vbique erit tota; qui quidem modus essendi est profecto mirabilis, nec alteri melius assimilatur, quam ei, quo Deus vbique esse dicimus: hoc tamen discrimine, pro nunc, quod anima comparetur solum ad corpus, Deus ad vniuersum, illa informat, hic autem solum assistit, & penitus dominatur, quod animæ non accidit.

Posset autem aliqualiter potius adumbrari, quam re vera hoc idem exemplis declarari. Si quis simul plura intelligeret, (quod fortè difficile non erit in rebus ordinatis, & per simplicem intellectionem) intellectio ipsa simul tota ad singula intellecta terminaretur; Imò hoc quoq; accidit de sensitiua cognitione; simul etenim plurium rerum fit eadem, & tota visio, quare ipsa est in toto obiecto viso, & tota in qualibet parte; si itaque animæ effectus sic se habere possunt, quid mirum si ipsa secundum essentiam sic se habet? Verum de potentijs ad actus proximos, dicendum est sicut de alijs diximus; ad hoc etenim, vt ad actum reduci possint, organis indigent; quare, vbi illa non sunt, neque ipsæ erunt; quod quidem etiam de intellectu verificatur; qui, & si organo non sit alligatus, ipsius tamen indiget ministerio, vt suo loco dicemus. Sed argumenta soluamus.

Ad primum dicitur, animam vocari actum quarundam partium, vt denotetur non omnes simpliciter ab ipsa informari; sed tantum, quæ verè sunt partes integrantes essentialiter ipsum corpus; quod quidem sufficit, vt totum constituatur, ac informari dicatur; hæ autem partes non informatæ sunt præcipuè quatuor humores, quæ re vera secundum naturæ necessitatẽ partes censendæ sunt, ad ipsius naturam necessario attinere; imò non tantum istæ, sed etiam accidentia, (& potissimum quatuor qualitates) sunt ei simpliciter necessaria. Quamobrem, qui ex hac necessitate, eas partes animatas colligunt, deficiunt; (quamuis asserant ab anima solum recipere esse, non autem animæ operationes, vel potentias) sic etenim accidentia prædicta etiam animari deberent.

Ad secundum dicitur; per attributionem animam in corde residere dicitur: quatenus videlicet est primum membrum, quod viuit, à quo primò incipiunt operationes, & motus. Sed quo ad rationem informandi nequaquam.

Ad tertium dicitur, animam rationalem esse totam in omnibus, & singulis partibus prædictis; alias autem alio modo, vt patuit in conclusionibus. Ad primum inconueniens negatur consequentia; committitur namque fallacia de secundum quid ad simpliciter; non enim valet dicere, mouetur in manu, & non mouetur in pede; ergo mouetur, & non mouetur; sicut diximus, dum si corpus pluribus in locis esse possit in 4. phys. quæsiuimus.

Ad quartum, (quod est secundum inconueniens) negatur consequentia; quia ex singulis, vel præcipuis partibus remoueri tota debet, vt animal pereat; vel dicatur, esse pariter prædictam fallaciam: vt tota remouetur à manu; ergo simpliciter totam remouetur, est error, vt supra.

Ad quintum (quod est tertium inconueniens) pariter consequentia negatur; totum namque organicum corpus in omnibus organis requiritur ad hoc, vt dicatur animal; preterquam quod cum anima rationalis in parte abscissa non remaneat, sed ipsam desinat informare, hac quoque ratione animal non esset.

Ad sextum patet; non enim omnes partes simpliciter informandæ sunt, &c.

Secunda consequentia est pro nobis.

QVÆSTIO XIII.

Sicut enim in plantis quædam diuisæ, videntur viuere. Tex. 20.

An Anima sit diuisibilis.

Qvemadmodum multiplex est diuisio, ita præsens quæstio multas habere potest difficultates: alia namque est diuisio in partes subiectiuas, seu totius vniuersalis; alia in partes essentiales, seu totius compositi physici, quod ex materia, & forma constat; alia in genus, & differentiã, seu totius metaphysici; quædam in partes accidentales, seu totius per accidens; alia totius integralis, in partes integrantes; alia in partes entitatiuas, quę est totius cuiusq; entitatem habentis; de quibus, & si fusè dictum sit in libris phys. hic tamen pro adolescentibus, & breuiter repetere, & ad propositum de anima applicare superuacaneum non existimo; quod quidẽ, vt distinctius, ac breuius euadat per aliqua dicta, vel propositiones, quę disputatione nõ indigent resoluamus. Prima propositio. Anima in cõmuni est diuisibilis in partes obiectiuas; patet; nã diuiditur in sensitiuam, rationalem, & vegetatiuã: imò quælibet ipsarum in particulares quoq; diuiditur: vt rationalis in omnes rationales; sensitiua in sensitiuas &c. Secunda. Diuisione totius essentialis physici quælibet anima est indiuisibilis; probatur; nam quod hoc modo diuiditur, ex materia, & forma constat: sed anima est forma; ergo aliam formam non habet; pariter in se considerata non continet materiam, vt partẽ sui; quia sic esset compositũ, & non pura forma. Tertia. Qualibet anima est diuisibilis in genus, & differentiam, seu diuisione metaph. probatur; quoniam genus eius est substantia; differentia est actus. Sed statim hic se se offert difficultas:

sic

sic etenim esset species, atque ens completum, quod ipsius naturæ repugnat; est enim pars speciei, & incompletum ens; consequentia est euidens, quia, quæ ex genere, & differentia constant, species, & entia completa sunt. Respondetur. Consideratione logica, esse ens quidem completum, & speciem; sed physica incompletam, & partem. Logicus namque quæcunque duos includunt conceptus, alterum, vt contrahibilem, alterum, vt contractiuum, species, & composita vocat; ita vt secundum hanc considerationem solum vltimæ differentiæ, & quæ sunt penitus primo diuersę species censenda non sint. Cum hoc autem stat, vt entia huiusmodi in natura ad aliud ordinentur; & secundum hunc modum non erunt species, vel entia completa, sed partes dumtaxat, & imperfecta entia; neque est inconueniens aliquid secundum diuersas rationes esse simplex, & compositum: vt elementa in ordine ad primam materiam dicuntur composita, & in ordine ad mista simplicia. Neque plures conceptus prædicti à diuersis formis, vel partibus sumi semper debent: sed sufficit, vt sumantur à diuersis essendi gradibus) quos includunt, vt in sequentibus dicemus. Quarta propositio. Diuisione totius per accidens quælibet anima est pariter diuisibilis; probatur, nam vnaquæque diuersas habet potentias, nec non actus, & accidentia, quæ ex ipsis potentijs fluunt. Quinta. Diuisione integrali, quælibet anima in se spectata est indiuisibilis; probatur: nam hæc diuisio est quantitatis, quam non habet in se anima; nec immediatè ipsam recipit. Si autem ad diuisionem corporis diuidatur hoc modo, dicetur postea; nam in hoc nodus præcipuus difficultatis consistit, sicut quoque difficultas est de diuisione in partes entitatiuas; imò hæ duæ diuisiones sic se habent, vt vnam alteram inferat physicè, & in rebus physicis loquendo; in his namque quantitas sine substantia non reperitur, nec substantia sine quantitate; quamobrem gratia quantitatis facta integralium partium diuisione, entitatiuarum sequitur; ita vt sub qualibet parte quanta, pars quoque substantiæ contineatur, ac ratione quantitatis dicitur diuisio per se, ratione substantiæ per accidens, imò forte eodem modo alijs accidentibus, sicut substantiæ, (& si secundariò) applicari posset; non etenim solum substantia ad diuisionem corporis quanti, sed color, aliaue huiusmodi, diuiduntur. Sed his dimissis; de substantia, solum est sermo, neque de omni, sed de anima tantum; An videlicet, diuiso corpore alicuius viuentis, etiam anima diuidatur; ita, quod alias pars animæ remaneat in aliqua parte corporis, alia in alia, quæ erit diuisio animæ in partes entitatiuas per se, per accidens in partes integrales corporis; ipsius vero corporis erit per se in integrales, & entitatiuas simul. Quæ quidem quæstio in communi de qualibet anima intellecta, qua-
1. Arg. tuor post se ducit Philosophantium opiniones. Prima est aliquorum asserentium quamlibet animam esse diuisibilem, etiam rationalem; nam (dicunt) quælibet forma debet proportionari materiæ. Omnis anima est for-
2. Arg. ma; ergo. Præterea, quod dat esse quantum, habet quantitatem, vel per se, vel secundariò: anima sic dat esse: ergo est diuisibilis, quia hoc est proprium quantitatis.

3. Arg. Amplius. Partes aliquæ omnium animalium videntur post decisionem aliquandiù viuere: nam palpitant, mouentur, voces etiam emittunt; ergo pars animæ in ipsis remansit, & sic diuisa fuit. Huius autem opinionis fuit Hierardus; quam secundum veritatem phylosophicam sequendam esse statuerunt Pomponatius, & Iandunus: Altera est opinio. Simplicij in primo de anima textu 47. hic etenim omnes animas indiuisibiles statuit, his ductus rationibus. In nutritione, vel eadem anima informat
4. Arg. nouam substantiam, quæ ex nutrimento fit, vel alia. Si eadem, ergo erat indiuisibilis: quia tam in hac, quam in illa materia esse potest; quæ quidem est conditio rei inextensæ. Si alia, esset aggregatio, ex præcedenti, & subsequenti composito, & non vera augmentatio; consequentia est nota, quia compositum perfectum alteri adueniens non facit vnum per se cum ipso, sed solum aggregatum, vel per accidens.

Amplius. Nisi quælibet anima esset indiuisibilis; non 5. Arg.
vtique, quod in vna parte accidit sentiret, quod tamen falsum est; vermis namque si in cauda pungatur, sentit, & similiter in alijs partibus. Tertia est opinio D. Th. 1. p. quæst. 76. art. 8. hic enim animam rationalem, simulque perfectorum animalium indiuisibilem putat; imperfe- 6. Arg.
ctorum autem, & plantarum diuisibilem, quod ex eo tantum esse autumat, quia partes plantarum, & animalium imperfectorum diuisæ viuunt: hominis vero, & aliorum animalium perfectorum nequaquam. Præter quā quod; nobilior anima nobiliores habet conditiones; at esse indi- 7. Arg.
uisibile est nobilius, vel minus materiale, quam esse diuisibile; ergo: cui etiam videtur fauere Arist. cap. 1. de senect. habet enim, in animalibus probe constitutis esse 8. Arg.
vnam animam, quam maximè fieri potest simplicem, & vnam: in alijs vero non.

Quarta tandem est opinio Scoti 2. sent. dist. 16. qu. 1. Auerrois 8. phys. com. 8. aliorumq; quamplurium; Omnes animas præter rationalem diuisibiles esse, cui quidem libenter adhereo; hisque suadetur rationibus. Formæ, quæ educuntur de potentia materia sunt diuisibiles; at omnes animæ (præter rationalem) sic se habeat; ergo. Probatur maior; nam educi de potentia materiæ est in ipsa contineri potentialiter, & ab ipsa dependere, ita vt quælibet pars formæ cuilibet parti materiei respondeat, ne vna sit sine altera.

Amplius. Nisi ad diuisionem materiæ diuiderentur, essent immortales. Probatur consequentia; nam mortale id est, quod ex eo, quod cum materia conseruari perpetuò non potest, perit; sic videlicet, quod materiei ope indigens, ab ipsa tamen destituatur; at si ad læsionem materiæ, maximè autem ad diuisionem, quæ est omnium maxima, nil lædatur, sed indiuisibile existat; profecto nec ab alijs passionibus corruptiuis mortaliter lædetur; & sic patet, quod immortale erit.

Amplius. Esse penitus indiuisibile, & immateriale (si rectè perpendatur) in substantijs sunt synonima; at omne immateriale est incorruptibile, ergo. Alia verò pars; puta, quod anima rationalis sit indiuisibilis, & per se, & per accidens, ex opposito ostendi potest; videlicet, quia est immortalis, & è materiei potentia non educta, vnde quamlibet effugit diuisibilitatem, cum numquam quantitati commensurari possit. Clarius autem in propria quæstione de immortalitate hæc ipsius indiuisibilitas patebit.

Sed tres remanent difficultates. Prima; quomodo indiuisibilis anima commensuretur diuisibili corpori, ac ei det esse quantum. Secunda. Scotus in 2. sent. dist. 18. in fine, omnes animas à Deo creari asserit. Quomodo ergo de mente eius omnes, (excepta rationali) de potentia materiæ educi dictum sit. Tertia; quomodo plantæ, & quædam animalia diuisa viuere possint.

Ad primam dicitur, quod anima rationalis secundum se totam omnibus residens partibus eminenter diuisibilitatem continet, vt Sol calorem; formaliter autem, quantitas ex alia accipitur forma, puta ex ea, quæ est propria corporis, vt postea dicetur. Secundum ergo hanc eminentialem continentiam, & perfectionem, non extensa operationes, quæ in extenso subiecto recipiuntur, efficit; ac secundum partium conuenientiam esse tribuit. Ad secundam respondebimus in propria quæst. in 3. de anima. Ad tertiam dicitur, plantas, aliquaue animalia, & vermes, ex imperfectione habere animas, quæ paucis indigent instrumentis, vel organis; quare facilius in partibus saluari possunt, sicut formæ simplices, & cum quædā plantæ diuisæ non viuant, ex defectu humidi radicalis prouenit, faciliter etiam generant, quia pariter virtus seminalis

per totum corpus diffusa est, vel saltem per multas partes, quamobrem in omnibus potest vigere; sed argumenta soluamus.

Ad primum dicitur; nobilissimam formam sua dignitate absque diuisibilitate, eminenter supplere hanc proportionem, vel commensurationem; vt dicimus suo modo de Deo; & de intelligentijs, vel Angelis dici potest.

Ad secundum posset negari maior, & minor; sufficit namque (pro maiori) aliquid esse quantum virtualiter, vt det esse quantum. Neque quantitas (pro minori) habetur immediatè ab anima, sed à forma corporis, imò ab anima ipsa supponitur.

Ad tertium de quibusdam conceditur, puta de plantarum, & imperfectorum animalium animabus. De alijs dicitur; spiritus quosdam excitatos ab existente anima, motum, ac vocem inceptam complere; cur vero in partibus animalium perfectorum non maneat anima cum sit diuisibilis, ratio est; quia ratione ipsorum perfectionis, maior, ac nobilior requiritur ordo, ac organorum apparatus, vt anima existat; quare hoc diruto, anima existere nequit.

Ad quartum dicitur, aliam animę partẽ, aliamue materiam in augmentatione prædictorum acquiri, non tamen est aggregatio; quia sic adinuicem se penetrant, ac partes partibus commiscentur ab interno principio, vt rationem aggregationis penitus aufugiant) quæ etenim aggregantur, sic distincta manent, vt solam habeant vnionem, vel copulationem, & ab externo principio.

Ad quintum negatur consequentia; mediantibus namque spiritibus, quod vni parti accidit, alteri communicatur.

Ad sextum de animalibus perfectis brutis patuit in solutione tertij argumenti: de alijs conceditur, eorum animas esse, & videri diuisibiles.

Ad septimum dicitur, animas brutorum etiam perfectorum non esse adeò nobiles, vt ad indiuisibilitatem pertingere possint: sed ad multorum organorum apparatum, aliasue bonas præ alijs dispositiones. Sed quæritur pro adolescentibus, quæ dicuntur animalia perfecta, & imperfecta. Respondetur, imperfecta vno modo dici, quæ generantur ex putri materia; alio vero, quæ non possunt sibi simile generare; sed hic accipienda sunt in primo sensu.

Ad octauum dicitur, animas prædictorum vocari ab Arist. maximè simplices quam fieri possit; quatenus illam actualem diuisionem cum permanentia aufugiunt, & à materia, alijsue materialibus formis magis videntur abstractæ, & immistæ.

QVÆSTIO XIV.

Anima autem est id, quo viuimus sentimus, &c. Tex. 24.

Quæritur de hac secunda diffinitione Animæ.

CIrca propositam quæstionem duæ sunt præcipuè difficultates. Prima. Cur dicatur esse per causam. Secunda. Cur dicatur propria. Quo etenim ad primam, non sic videtur, quatenus omnia, vel plurima, quæ in ipsa ponuntur, vel sunt effectus, vel aliam causam supponunt; effectus sunt viuere, intelligere, &c. causa supponit esse principium; adhuc videlicet sensum, quod omne determinatum principium creatum prius habet esse, quam sit alterius principium; cum autem omne esse dependens à causa habeat esse, patet quod dicimus; ex dictis etiam sequitur; illã priorem esse per causam potius, quam istã; quoniam actus est vera essentia animæ, ex qua sequitur vis principiandi. Ex secunda difficultate hoc habetur, quod cum animæ hæc definitio secundum singulas partes, disiunctim saltem omnibus animabus aptari poterit, propria dicenda non erit, sed communis.

Ad has dubitationes soluendas multi multa dicunt, nos autem, quod magis literæ, & veritati consonum videtur, breuiter aperiemus. Sciendum est ergo, quod quando aliquæ definitiones per terminos non adeo manifestos traduntur, possumus, vel debemus per clariores ipsas probare, vel ostendere, pręcipuè autẽ per ea, quæ necessariò cum definitionibus, vel cum forma conuertuntur, aut ipsam principaliter insinuant. Vt si aliquis quæreret, quid est homo, ac sibi respondeatur, animal rationale; cur (subdet,) vel vnde sciat ipsum esse rationalem: respondendum est; quia discurrit, intelligit, vel ratiocinatur; sic autem respondens, rationem aliquam, vel causam suæ non penitus receptæ definitionis assignat; & idem valet, hoc loco causa, quod ratio, vel probatio. Sic itaque de anima dicendum est. Dictum etenim fuit in præcedenti definitione, animam esse actum, &c. quæ quidem est vera, & quidditatiua ipsius definitio; attamen non omnibus compertum est, eam esse bonam, quare opus fuit causam, vel rationẽ assignare, posset namq; aliquis quærere, cur nam est actus: Cui per effectus, vel notas, ac conuertibiles ipsius actus proprietates satisfaciendum erit. Cum etenim omnes operationes sint à forma, vt supponitur declaratum in libris de generatione, si probauerimus, viuentium operationes omnes esse ab anima, profectò, ipsam esse actum, vel formam, infallibiliter ostendemus; & sic prædicta definitio prima corroborata manet; vnde hic causa accipi debet pro ratione, vel pro infallibili declaratione eorum, quæ dicta sunt; si autem cum quibusdam diceremus, esse demonstrationem per causam finalem; nam operationes sunt finis rei, non male diceremus, imò hæc respõsio cum præcedenti iuncta exactiorem reddit expositionem. Sic 1. Concl. itaq; resoluendo dicamus, quo ad primam difficultatem; hanc definitionẽ propriè non esse, nec eam, (vt in litera est videre) vnquam definitionem Philosophus appellat, sed est assignatio causæ, vel rationis prædictæ definitionis; quod melius patebit si quis diligenter totum illius capitis processum examinet; semper etenim diuersas animæ operationes, vel inuestigat, vel narrat, vt ex his, ad cognoscendum animam esse actum deueniamus; vtraque igitur nec inepte, nec inutiliter sic in vnum colligi possunt, ac quod diximus ostendi. Anima est actus corporis physici &c. probatur: nam principium operationũ est actus: sed anima est principium operationum, quia est principium, quo viuimus, intelligimus, &c. quę quidem sunt viuentis operationes, vt etiam fusè inibi declaratur. Nihil 2. Concl. tamen refert; quod in titulo capitis dicatur definitio propria, quia debet intelligi, vt dictum est. Ex hac expositione, (vt censeo) alia difficultas soluitur, dicitur namq; propria hæc definitio, vel declaratio, quatenus per veras datur proprietates omnibus notas, ita, vt nec sic errare possimus, nec etiam ambigere, si alijs competat, vel non; declaratio namque propria alicuius rei, ea quidem dicitur, quæ in re illa instar proprij conuertitur, vt omni faciliori modo, & sine errore in ipsam nos ducat; particulæ autem illæ, viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus; respectu animæ vniuersalis coniunctim accipiendæ sunt; ita quod sit sensus: vita, sensus, motus, & intellectio ab anima solum proueniunt, & sic ipsa tantum est omnium horum principium. At respectu subiectorum, vel viuentium accipienda sunt disiunctiue, vt sit sensus; Anima in aliquibus est principium vitæ tantum, vt in plantis: in quibusdam etiam sensus, vt in animalibus omnibus: in aliquibus etiam motus, vt in magis perfectis, ac in nonnullis intellectionis, vt in hominibus; quare hic vltimus gradus ordinatim omnes alios infert, non autem è contra. Quid igitur dicendum sit patet.

QVÆ-

QVÆSTIO XV.

Anima autem est id quo viuimus, &c. tex. eodem.

Quæritur de generibus animarum, ac de gradu viuentium, qui sint, & quot.

TRiplex esse genus animarum, scilicet vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum, ex cap. 2. huius secundi libri colligitur, & ferè ab omnibus iam receptum est: gradus autem viuentium quatuor enumerantur, vt patet ex præallegato tex. 24. nimirum tres prædictos, & motiuorum secundum locum. Ex quibus insurgit statim difficultas, ac vtrumque inepta, vel insufficiens assignatio videtur. Cur etenim non sunt tot genera animarum, quot sunt gradus viuentium, vel è contra? nonne quilibet gradus animam peculiarem requirit, vel, qui fieri potest, vt sine noua anima, viuentium distinctus gradus constituatur? 1. Arg.

2. Arg. Amplius. Quinq; sunt animæ potentiæ: ergo tot erunt animarum genera; si quidem cuilibet propria anima respondere debeat, non secus atque cuilibet passioni proprium subiectum.

Præterea. Non est bona diuisio cuius membra non sunt opposita, sed vnum aliud infert; hæc autem sic se habent ergo. Probatur minor; nam anima intellectiua est etiam sensitiua, hæc autem est quoque vegetatiua, quamuis non è contra. Pro intelligentia sciendum est, duplicem esse viam inuestigandi formas, nec non conuenientiam, & differentiam ipsarum, alteram ex ordine ad materias, aliam verò ex diuersis operationibus; forma etenim ad materiam ordinatur ex 2. phys. tex. 26. & eiusdem est operari, ex 2. de gener. & corruptione tex. 23. Ex materierum itaque diuersitate, quinque genera formarum vniuersaliter, & genericè loquendo sumi possunt; nam vel materia est simplex, ita vt nuda à forma absque præcedenti mistione informetur: & sic sumitur forma elementorum, quæ inter cætera potissimum materiæ immergitur; Vel hæc materia ex diuersis concurrentibus corporibus coalescit: & habetur forma mistorum, quæ elementorum mistionem supponit, ac per consequens pauloplus à materiei fæce secernitur. Vel præter hanc mistionem datur materia, quæ instrumentis, & organis apparatur: & huic respondere debet alia forma, scilicet vegetalium. Vel præter has meliorem habet temperiem, & dispositionem, ita vt distinctiora organa, admittat, & huic adaptabitur forma quarti gradus, quæ erit animalium. Vel tandem nobilissima erit materiæ dispositio organorumque diuersitas, cui perfectissima respondebit forma, nempe rationalis, vel intellectiua.

At si dicatur, tres vltimas materias non videri distingui nisi secundum maiorem, vel minorem dispositionem organorum, quæ est accidentalis quædam differentia; quamobrem ex hac genera formarum diuersa, vel nullatenus sumi possunt essentialiter distincta, vel non tantum different, quantum duo prima: vnde æqualiter contra se diuisa poni non debent.

Respondetur; quod cum materia ex se sit incognita, per exteriora notificari debet, præcipuè per dispositiones sensibiles, quæ potissimum figuram concernunt: ipsa namque figura in organorum apparatu consistens, quam maximè ad diuersitatem materialis substantiæ inducit; quanta autem, & qualis sit figuræ plantarum, ac animalium diuersa dispositio, omnibus notissimum est; hominis autem, & brutorum omnium, pariter est euidens. Neque ex sola figura, sed ex diuersa temperie, ad operationes obeundas pariter sumenda est differentia; vel cum præcedenti iungenda simulque, vel seorsum, prout opus erit, applicanda; sic namque magnum inter omnia euidentissimum perspicimus discrimen; vnde formarum diuersitatem colligemus, non quidem ex prima materia, quæ vel est penitus incognita secundum hanc viam, vel difficillimè cognitionis. Ex operationibus quoque diuersis, formæ diuersæ cognoscuntur; ad quarum examinationem priusquam accedamus, animaduertendum est, alias operationes esse proximiores formæ, quasdam remotiores; quod ex eo cognosci poterit, quod hæ ad illas ordinentur, & sint executione posteriores, verbi gratia in animalibus est sentire, & moueri localiter; quia tamen localis motus ad sensum ordinatur, & ex ipso dependet; nam nihil localiter mouetur, nisi præcognouerit; sensatio erit vicinior operatio, vel magis immediatè à forma procedens, quam motus; ex prioribus ergo, non autem ex alijs forma inuestiganda est. Quædam itaque simplices, vel paucas habent operationes, & hæ sunt formæ elementorum; ignis namque per se solum primario calefacit, quamuis secundario desiccet, rarefaciat, &c. quæ sunt potius, vel appendices, vel accidentia prædictorum. At aliæ formæ plures habent immediatas operationes; videlicet non tantum calefaciendi; sed etiam exiccandi odores, sapores, aliasue qualitates emittendi: & sunt formæ mistorum. Alijs autem additur interna virtus nutritiua generatiua, & augmentatiua, & sunt formæ vegetalium; quibusdam sentiendi, & sunt animalium; alijs tandem discurrendi, vel intelligendi; & est forma hominis. Quibus habitis duæ conclusiones ponantur. Prima. Animarum genera sunt tantum tria, scilicet vegetatiuæ, sensitiuæ, & intellectiuæ. 1. Concl. Probatur; quoniam inter viuentia (quæ solum per animas constituuntur) tria genera distinctarum materierum primarumue operationum colliguntur; ergo: declaratur minor de operationibus (de materiebus satis sit, quod diximus) generare, nutrire, & augere, sunt sic notabiles operationes, quæ necessariò animam, vt immediatum principium exigant, & alia non est, quam vegetatiua. Pariter nobilior est sensatio; ergo aliam requirit animam; intellectio autem sicut alijs prædictis præcellit, ita consequenter distincta, ac alijs nobilior ponenda est. Et quoniam in diuersis reperiuntur subiectis, realiter distinctæ, sunt infallibiliter censendæ; quamobrem tria erunt genera. Accipiatur autem hic genus pro natura: quia anima rationalis non est proprie genus, sed species specialissima: quamuis aliæ duæ sint genera subalterna animæ. Sed quæreret aliquis, cur non multiplicantur genera animarum, secundum multitudinem specierum viuentium, eo modo quo sumitur genus animæ intellectiuæ à sola rationali, vel specie specialissima. Respondetur, omnes animas vegetalium conuenire posse in illa principali ratione, in qua ipsarum vniuocatio consistit, puta vegetandi, pariter sensitiuas sentiendi; vnde multiplicandæ, sic non sunt nisi in species; cum anima autem rationali nulla alia conuenit; vnde ex se distinctum erit genus.

Secunda conclusio. Gradus viuentium sunt tantum quatuor, vt docet Philosophus in præcitato textu 24. vegetatiuorum, sensitiuæ nempè motiuorum secundum locum, & rationalium; pro cuius intelligentia sciendum est, quod gradus addit solum quandam perfectionem, & dignitatem naturæ; quæ quidem cum non proueniat (quatenus simplex gradus est) immediatè à forma, non constituit aliud genus in ratione animæ. Sunt itaque tria genera prædicta animarum constitutiua trium viuentium graduum: quibus additur motiuum secundum locum; ea enim viuentia, quę præter potentiam vegetatiuam, & sensitiuam, motiuam quoque retinent, in nobiliorem gradum, quam vegetantia, vel sentientia solum constituuntur; tamen quia motus non immediatè ab anima elicitur,

elicitur, sed cognitionem supponit, & ad ipsam ordinatur, non debet genus aliud distinctum animæ insinuare, vt ex prædictis patuit, & per hoc soluitur primum argumentum.

Ad secundum negatur consequentia; ab vna etenim essentia, plures possunt prouenire potentiæ, & si vnaquęque sit ab ipsa inseparabilis.

Ad tertium dicitur, membra illa sumenda esse cum præcisione, & sic sufficienter apponitur; sumatur, itaque anima vegetatiua ex se veluti ab alijs abstracta, sensitiua pariter, vt à vegetatiua contra distinguitur, & eodem modo de rationali dicatur.

QVÆSTIO XVI.

Potentiarum autem animæ, &c. Tex. 27.

An quinque tantum sint animæ potentiæ.

ARguitur primò, quòd non. Potentiæ differunt ab illo cuius sunt potentia; sed vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum, (quæ potentiæ ponuntur) non differunt ab anima vegetatiua, sensitiua, & intellectiua; immo in præcedenti quæst. de mente Philosophi nuncupatę fuerunt animæ.

Secundò; Quamplures dantur potentiæ à prædictis, nempè generatiua, augmentatiua, &c.

Tertio. Appetitiua vis in qualibet facultate, vel potentia inseritur: ergo non est per se distincta ab alijs. Antecedens est notum: nam ideò potentiæ in suum tendunt obiectum; quia ipsum appetunt; pariter videtur consequentia clara: nam ex vnitate colligitur identitas; nec non quia in qualibet potentia duæ continerentur, duoque esse deberent distincta organa, quorum vtrumque est falsum.

Quartò; Arist. de Anima tex. 48. principium, vel potentiam, motiuam tribuit intellectui, sensui, & appetitui; ergo non est per se ab alijs distincta.

Pro intelligentia sciendum est, potentiam esse facultatem quandam, qua ad aliquid efficiendum disponimur, si sit actiua, vel ad aliquid patiendum si passiua sit; vtraque tamen essentiam, vel naturam illius, cuius est potentia, supponit; nil etenim agere, vel pati potest, nisi prius existat, ac existere cum esse copulatur. Sed dimissis potentijs in communi, de ijs, quæ sunt viuentium, loquamur; dimittentes etiam inuestigationem pro nunc si sint purè actiuæ, vel passiuæ, vel vtroque modo. Sciendum est ergo secundò; potentias hic sic vniuersaliter accipiendas esse, vt ad alias non reducantur, sed sint omnibus alijs priores, & genericæ appellari possint; secundum, quam acceptionem resoluendo duas statuamus conclusiones.

Primę potentiæ sunt tantum quinque; probatur: nam distinguuntur secundum rationes formales obiectorum; (quamuis à posteriori vt dicemus) hæc autem non sunt, nec esse possunt nisi quinque; ergo. Probatur minor; nam, vel obiectum est coniunctum cum potentia: & sic est vegetatiua, cuius obiectum est nutrimentum, ex quo etiam fit generatio, nutritio, &c. ac ratio formalis eius in esse quantum, coniunctum, & simile aliqualiter, nutriendo consistit: Vel ipsum obiectum natum est percipi in quantitate, & per species sensibiles: & sic potentiam sensitiuam respicit, & per ipsam hæc specificatur. Vel natum erit appræhendi, vt quid immateriale, & per speciem intelligibilem: & hoc respicit potentiam intellectiuam. Aut est apprænhensibile, vt bonum, & ad appetitiuam vim attinet. Vel tandem erit penitus extrinsecum, & per corpus animalium acquisibile, ad ipsum bonum, & conseruationem ordinatum; & hoc modo ad motiuam potentiam attinet: quare neq; plures: nec pauciores sunt constituendæ genericæ potentiæ. Vt autem summatim obiecta percipiantur, sic reducantur. Aliud est obiectum apprænhensibile per internam coniunctionem; aliud per speciem sensibilem, & quantitatem; aliud per intelligibilem, & immaterialem; aliud sub ratione boni; aliud per motum. Primum respicit potentiam vegetatiuam, secundum sensitiuam, tertium intellectiuam, quartum appetitiuam, quintum motiuam.

Secunda conclusio. Particulariter loquendò plures sūt potentiæ: nam vegetatiua rontinet sub se nutritiuam, generatiuam, & augmentatiuam, quæ tamen ab eodem obiecto, nempe à nutrimento dependent; quia, vel nutrimentum ordinatur ad conseruandam speciem per semen ex ipso generabile; & sic respicit generatiuam, vel ad conseruandum viuens: & sic respicit nutritiuam, vel ad ipsum augendum, & concernit augmentatiuam. Sensitiua autem diuiditur in extrernam, & sic respicit visum, auditū, gustum, odoratum, & tactum: & in internam, quo pacto in sensum communem, æstimatiuam, phantasiam, & memoriam diuiditur: omnes namque sensus sunt potentiæ, sed non è contra. Intellectiua diuiditur in memoriam, & intellectum. Appetitiua in rationalem, & sensitiuam; illa vocatur voluntas: hæc autem appetitus sensitiuus, qui in irascibilem, & concupiscibilem secatur: Motiua deniq; in progressiuam, volatiuam, natatiuam, reptilem, & serpitiuam distinguitur: quarum omnium conditiones, effectus, & passiones, habitus, & actus, in sequentibus (ne hic multa simul congerantur) dicemus: Nunc Argumentis satis faciamus.

Ad primum dicitur, vegetatiuum sensitiuum, & intellectiuum, si per se sint, ita vt vnum ab alio non contineatur esse animas: vt vegetatiuum in plantis, sensitiuum in brutis, intellectiuum in homine: id autem, quod ab alio continetur, habet rationem potentiæ: quia tunc non est principale: vegetatiuum itaque in plantis est anima, in animalibus est potentia: sensitiuum autem in brutis est quoque anima, & in hominibus potentia: intellectiuum autem, quia à nullo continetur, est semper anima. Quamnis formaliter ex vi vocabuli, quodcunque ipsorum potentiam sonet; nam vegetatiuum dicitur, quod potest vegetari: sensitiuum sentire, &c. tamen sic fas est per posteriora, & notiora, priora, & obscuriora declarare.

Ad secundum patet: nam illę sunt particulares ad alias reducibiles, quod de prædictis minimè dici potest, si ipsarum præcisę rationes spectentur; alia namque est ratio vegetandi, alia sentiendi, &c.

Ad tertium dimisso pro nunc antecedenti, negatur consequentia: quamuis enim per omnes potentias appetitus vagaretur, non tamen esse idem cum illis dicendum esset: sicut neque est idem substantia cum accidenti: bene sequeretur, quod non haberet proprium organum, quod non est inconueniens, vt etiam patet de tactu, qui per totum diffunditur.

Ad quartum dicitur: ibi Philosophum potentias dirigentes, vel imperantes motum, non autem exequentem (de qua loquimur) enumerasse.

QVÆSTIO XVII.

Fames quidem calidi, & sicci, sitis autem frigidi, & humidi concupiscentia est. Tex. 18.

An prædictæ assignationes sint bonæ.

ARguitur primò, quod non. Dolor non est appetitus: sed fames, & sitis sunt dolores, ergo; maior est nota; minor verò experientia patet.

Secundò.

Secundò. Si fames sic se haberet, quo magis esset intensior, eo magis sicca, & calida appeteremus, ac per consequens ad ignea deueniremus; quod patet esse falsissimum, & contra experientiam; multoties namque ad extinguendam famem, cibos humidos, & frigidos, nec non suaues, ac dulces optamus, qui in bona quadam temperie (dominante præcipue humido) consistunt.

Tertiò; quæ dolorem afferunt, ad tactum pertinent; sed sic se habent fames, & sitis; ergo non sunt appetitus, sed potius tactus.

Quarto. Si sitis esset appetitus frigidi, & humidi, quæ calida sunt, sitim non extinguerent, quod quidem falsum est; nam vinum, quod non pauco pollet calore, maximè ad extinguendum sitim est aptum.

Quinto. Natura non appetit malum; sed appetendo frigidum malum appeteret; quare &c. probatur consequentia; quoniam vis ipsius naturæ præcipuè in calore consistit; ergo cum frigus sit sibi contrarium, & corruptiuum, notum est, quod sui ipsius interitum moliretur.

Pro intelligentia sciendum est, quod cum animalium vita in quatuor humorum, quatuor ve qualitatum temperie consistat, & præcipuè in calore, qui est omnium aliorum actiuissimum principium, dum per mutuam pugnam extenuantur, indigent restauratione, ne pereant: quæ quidem proportionaliter pro singulis efficiẽda est; sic itaque pro calido consumpto, vel diminuto, aliud est assumendo; pro sicco pariter siccum, & sic de alijs; quæ omnia complentur, vel acquiruntur mediante illo duplici appetitu famis, & sitis; per illam etenim calidum, & siccum; per hanc humidum, & frigidum expetuntur. Sed statim hic se se offerunt duæ difficultates.

Prima. Cur omnia mista, quæ pariter his sunt cõstituta qualitatibus, non indigent restauratione, vt conseruentur, ac similiter fami, & siti subduntur? Secunda. Cur id quoque non accidit plantis, quæ vt animalia nutrimento indigent? Ad primam dicitur, temperiem mistorum inanimatorum esse magis secundum excessum alicuius qualitatis, & in compacta magis materia, quæ diu absque noua restauratione caloris efficaciam sustinere potest, v. g. Lapis, ferrum, & cætera huiusmodi, cum præ dominio singulari terræ siccitatem, & frigiditatem, (quæ compossibiles, & cognatæ sunt qualitates) habent; quæ naturam compaginando, pauco innato calori ad longum tempus resistunt, ac proportionaliter de alijs discurratur. Animalia vero non sic se habere possunt; cum etenim sensibus sint vsura, in quadam temperie, quasi ad pondus consistere debent; nam ex excessu vnius qualitatis, nimia durities, vel superflua mollities, aut aliqua alia queuis parum apta ad munia sensuum obeunda efficeretur complexio; quamobrem non indigent tali appetitu, vel passione; sed dato dominio penitus superanti vnius aliam qualitatem intereunt.

Ad secundam dicitur defectum alimenti, & potus, seu refrigerationis etiam plantis accidere; vnde interdum hac de causa arescunt; tamen, quia fames, & sitis dolorem connotant; hic autem sensum requirit, ab ipsis remouentur. Vt autem nunc exactè (quo ad fieri hic à me potest) quid fames sit percipiatur, id quod habet Galenus lib. 1. de causis symptom. cap. 7. colligendum est. Sciendum est ergo, ex actione caloris fieri consumptionem nutrimenti, ex qua membra, (potissimum autem ventriculus) inania remanent; quamobrem quærunt vndecumque possunt alimentum sumere, & sic altera alteri insidiatur. Partes itaque ventriculi ad hoc efficiendum aliquatenus diuelluntur ex proprio loco, ac mutuo se tangentes attrahunt; ex quibus cum propter diuulsionem, tum propter mutuam corrosionem sequitur dolor; & cum natura ipsa malis imminentibus prouidere sit semper parata, appetit, quod ad hoc remedium adhibere potest. Id autem præcipuè ventriculo contingit; quia cum sit principium, ex quo ad alia membra nutrimentum vehitur; primo restaurandum est, primoque appetit; deficiente namque principio, alia, quæ ab ipso dependent, intereunt; Dici etiam posset, habere ipsum magis, quam alia membra aptiores ad id partes, & dispositiones. Quamobrem formaliter fames est appetitus ex indigentia nutrimenti causatus, atque cum dolore effectus, qui ex prædictis causis causatur; neque etenim verum puto esse formaliter dolorem, vt aliqui contra Arist. existimant; sed ex concomitantia potius: nec appetitus est finis, sed forma, quæ ad finem, nempe operationem, & terminum dirigit. De siti autem eodem modo, sed proportionaliter philosophandum est; est etẽnim appetitus quidam potus ex indigentia humidi, & frigidi causatus. Natura etenim ipsa, in crassam, & tenacem materiam nutrimenti, calorem tenaciter imprimit; hic autem cibum nimis interdum exsiccat; vnde causatur adustio, ac immoderatus calor, qui proxima membra carpit, & vrit: potissimum autem ventriculum, qui sibi proximè hæret; secundariò fauces, & œsophagum; nam calor ipse ascendens, quæ sibi primò occurrunt, primò officit; quamobrem ad hunc excessiuum calorem mitigandum, necnon ad facile iter alimento præbendum, est necessarius potus; ipse etenim colliquat, attenuat, ac per arctos pellit meatus, concoctionem pariter adiuuat; nam penetrando cibum, ac ipsum liquefaciendo, facilior aditus ad elixationem (quæ per calorem efficitur) præbetur; atque facilius succus ex eodem exprimitur nutrimento, ac tandem membrorum siccitatem contemperat, ad debitamque reducit dispositionem, si videlicet sit secundum debitam mensuram, & qualitates, aliter contrarios effectus efficit; suffocat namque, vel saltem minuit calorem, nimisq; colliquatum, ac parum solidum efficit nutrimentum, membraque ipsa nutribilia, &c. causatur quoque sitis ex quocunque aduentitio calore, vel laboris, vel febris, vel ex alio vino; vnde ebrij plus semper bibere optant, pariter ex humoribus salsis, &c. Sitis itaque est appetitus humidi, & frigidi, ob fines, & necessitates prædictas; ex quibus omnibus liquet, quomodo bene describuntur, & ad quid. Ac argumenta diluamus.

Ad primum dicitur, ad minorem; famem, & sitim non esse formaliter dolorem, sed solum concomitanter, vel causaliter.

Ad secundum negatur consequentia; ad probationem dicimus, verum quidem esse, si simplex calidum, vel siccum optaretur; sed intelligendum est cum proportione ad appetentis complexionem, & in comparatione ad ea, quæ per sitim appetuntur; ita vt sit sensus; famem esse appetitum calidi, & sicci conuenientium naturæ appetentis; vel quod, ita sit calidum, & siccum, vt frigiditatem, & humiditatem potus (qui per sitim optatur) superet.

Ad tertium dicitur, re vera esse appetitum potius tactum, quam alios sensus, vel potentiam respicientem; quamobrem non est formaliter, vel identicè tactus, sed solum concomitanter; nec quemlibet, sed tantum eum, qui in ventriculo, alijsque prædictis locis residet.

Ad quartum dicitur; non requiri simpliciter frigidum, actualiter, & virtualiter, sed sufficit actuale tantum; sic autem se habet vinum, quamuis neque virtualiter sit excessiuè calidum, sed secundum temperiem complexioni sanæ conuenientem.

Ad quintum negatur consequentia; quia moderatè appetit, vsque ad refrigerium, vel temperamentum, non autem vsque ad interitum.

QVÆ-

QVÆSTIO XVIII.

Nihil enim ad alimentum confert sonus, neque color, neque odor. Tex. 28.

An odor nutriat.

Videtur, quod sic, quod appetitum satiat nutrit; odor autem sic se habet; ergo: probatur maior; nam nisi id, quod satiat nutriret, adhuc appetitus desideraret, eo quod rem appetitam non obtinuisset; si ergo ex opposito amplius non appetit, signum est, quod intentum, seu nutrimentum habuit. Minor est nota de quamplurimis odoribus, & præcipuè de quibusdam edulijs non bene conditis; imò de optime conditis id quoque accidit, præcipuè post comestionem; sic enim implent, vt nauseam quoque inducant, quod aliud non est, quam supplere, vel super abundantiam facere præhabito nutrimento; si autem nutrire non posset, nec supplementum, nec superabundantiam facere; nam vtrunque per id, quod est eiusdem naturæ cum ipso nutrimento effici debet.

Amplius. Nisi odor nutriret, hoc ideo esset, quia vel est accidens, vel simplex, (dicitur namque, substantiam substantia nutriri, & non simplici, sed mista.) Sed hoc non est sufficiens, quia quamuis sit accidens, si præcisè sumatur, abstrahendo videlicet ipsum ab omni subiecto; at materialiter sumptus, puta pro fumosa exhalatione odorifera, de qua propriè intendimus, nec accidens est, nec simplex, vt de se notum est.

Præterea. Multa viuentia simplici aliquo nutriuntur elemento, vt plantæ terra; quidam pisces, & præcipuè conchæ aqua, (nec etenim instrumentum aliquod habent, quo cibum alium quærant) Chamaleon aere, &c. ergo multo magis hac fumosa odorifera vaporatione nutriri poterunt.

Oppositum tamen sentit Philosophus in præcitato textu, in 2. de gener. tex. 50. & de sensu, & sensili cap. 5.

Pro intelligentia sciendum est, quod nutrimentum, (vt diximus in libris de Generatione, & Corruptione) debet esse substantia mista; proportionaliter tamen; ita, vt perfectioribus viuentibus, perfectior aptetur mistio, &c. requiritur etiam, quod sit solidum, ita vt calido, & sicco participet ad restaurandum, quod per famem appetitur, & vt proportionetur membris, & ne nimis naturalis calor dispersa, liquida, frigida, ac rara colligendo fatigetur; debet pariter per determinata organa, vel vias transire, ac in vasculis primo ad ipsum recipiendum statutis recipi, vt ibidem fieri possit concoctio, atque ad alios artus distributio. (De quibus in quæstio. 21. primi de gener. in secundo eiusdem operis circa tex. 50. determinare pollicitus sum, sed è mente euanuit.) Ex quibus facilè, quid dicendum sit patere poterit; nimirum, odorem nullatenus nutrire; neque prout est accidens, neque quatenus pro fumosa illa vaporatione sumitur. Conclusio. Non primo modo; quia nutrimentum debet esse substantia quanta, &c. Non secundo, quia non habet conuenientem mistionem, densitatem, aliasve qualitates, potissimum autem, quia vt dicit Philosophus in lib. de sensu, & sensili, cap. præcitato, non fertur fumosa ipsa vaporatio ad stomachum, sed ad cerebrum, vbi nec concoctio, nec aliud ad nutrimentum præcipuè necessarium effici potest. Nec Argumenta aliquid probant, vt ex solutione patebit.

Ad primum respondetur, aliquam esse veram satietatem, per repletionem, & supplementum illius, quod optatur, & hæc nutrit; aliam esse nauseam, & hæc non nutrit; satiat autem ob connexionem horum sensuum, quorum passiones mutuò diuersa ratione communicari possunt, præcipuè eæ, quæ sunt odoratus respectu gustus, vt est in proposito.

Ad secundum patet per conclusionem præhabitam.

Ad tertium negatur antecedens; plantæ enim terra mista pascuntur, pisces aqua non pura nutriuntur, (si forte alium quoque cibum non capiant) nec chamaleon puro nutritur aere, sed aliis, quamuis non sit notum, vel quia maximè aeris attractu ad refrigerationem vtitur, eo nutriri dicitur.

QVÆSTIO XIX.

Similiter autem se habeat ei, quod de figuris, & quæ circa animam sunt, &c. Tex. 31.

An in eodem viuente sint plures animæ.

1. Opinio. In eodem viuente plures esse animas, potissimum autem in homine, tripliciter imaginari poterimus. Primò, quod in ipso sint plures animæ rationales, & præsertim duæ; quarum vna ad bonum, altera ad malum excitet; ad vtrunque etenim pronus est homo, ac indifferenter hoc, atque illud cum libertate, & discursu elicit, simulq; duas has innatas, ac inuicemq; pugnantes propensiones percipit; quod quidem anima vna effici non posse videtur; quomodo namque idem secundum idem contraria simul dictabit, cognoscet, & optabit? vel quo pacto idem sibimet aduersari poterit? duæ ergo, vt diximus videntur constituendæ; quæ quidem fuit olim Manichæorum opinio, vel hæresis. 1. Arg. Alio modo, quod in eodem homine sint tres animæ realiter essentia, ac situ distinctæ, scilicet vegetatiua, sensitiua, & intellectiua; 2. Opinio. sic videlicet, quod vnaquæque seorsum aliquam determinatam corporis partem informet, vt dicebat Plato in Timeo; intellectiuam namque in cerebro, sensitiuam in corde, & vegetatiuam in hepate collocabat, vt tria diuersa operationum munia subire posset; quod quidem 2. Arg. ex diuersorum organorum apparatu commonstrari posset in cerebro namque cognoscitiuæ sitæ sunt potentiæ, in corde, quæ ad irascibilem pertinent; vnde sensuum vis apparet; & in iecore, quæ ad concupiscibilem attinent; vnde vis generatiua, & nutritiua, & augmentatiua desumitur, vel viget; omnibus itaque prædictis propria anima respondere debet. Tertio tandem modo intelligi potest, quod tres animæ prædictæ totum corpus 3. Opinio. informent, ordine tamen quodam; ita vt vegetatiua sit veluti forma imperfecta, & in potentia ad sensitiuam, hæc autem ad rationalem; secundum quem modum intelligendi, nec rationes, nec authoritates deficiunt, quarum aliquas tantum principales adducemus.

Prima itaque ratio sit ista. Diuersæ, ac oppositæ operationes, diuersitatem formarum arguunt; sed in homine hoc sæpe accidit; aliud enim ratio, aliud sensus concupiscit; ergo id prouenit à diuersis formis. 3. Arg.

Secunda. Si anima sensitiua non esset à rationali in homine distincta, quod est ex sua natura corruptibile, incorruptibile fieret; & ex ratione sensitiua non sumeretur vniuocatio ad hominem, & alia animalia: probatur prima consequentia; quia anima sensitiua est ex se corruptibilis; si autem fieret idem cum rationali esset incorruptibilis sicut ipsa, vel rationalis esset corruptibilis, quod est falsum; Secunda consequentia declaratur: nam 4. Arg.

à corru-

à corruptibili; & incorruptibili non sumitur vniuocatio potissimum physica, vt hæc se habet; ergo si sensitiua in homine esset incorruptibilis, in alijs corruptibilis, haberet intentum, vel æquiuocè sensitiuæ dicerentur.

5. Arg. Tertia. Sicut se habet forma corporis in ordine ad animam, sic anima vegetatiua in ordine ad sensitiuam, & hæc ad rationalem; sed illa necessario est ponenda, vt in sequentibus dicemus; ergo, & ista; cur etenim magis duæ, quamplures formæ adinuicem ordinatæ repugnant?

6. Arg. Quarta; vnica forma dat vnicum esse; sed in homine triplex esse pronunciamus, secundum veritatem; nam dicimus habere esse vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum (supposito esse corporeo, quod à forma corporis effluit) ergo triplicem habet formam.

7. Arg. Quinta. Potentiæ tribuuntur formæ, & essentiæ, non autem alteri potentiæ, eo, quod æqualiter omnes ab essentia dependent. At si in homine esset vna solum anima, omnes aliæ essent potentiæ, & potentiarum potentiæ; scilicet sensitiua rationalis, & ipsius sensitiuæ vegetatiua.

8. Arg. Prima auctoritas desumitur ex Arist. 2. de gen. anim. cap. 3. vbi ait; hominem prius viuere vita plantæ, deinde vita animalis, ac denique vita hominis; ergo ibi sunt tres animæ; neque dicatur cum Thomistis, vnam in aduentu alterius corrumpi; quia inter se repugnantiam, vel contrarietatem non habent; imò potius vna alteri inseruit, & ad ipsam ordinatur.

9. Arg. Secunda Auctoritas ex eodem Philosopho libro de vita, & morte cap. 1. elicitur: dicit namque; necesse est vnam & eandem esse particulam in animali, qua animal est, & viuit; ipso autem esse plures, & diuersas; per quod insinuat diuersas formas, vel animas in eadem parte residentes, dare homini esse animal, & viuens.

10. Arg. Tertia ex 3. de anima tex. 1. ibi enim animam rationalem vocat partem animæ, quasi simul cum alijs totam rationem animæ compleat; si etenim anima esset, aliæ autem essent ipsius potentiæ, falsò, & impropriè partem nuncupasset.

Pro intelligentia sciendum est, quod ordo naturæ talis est, vt inferiora in superioribus contineantur, vel eminenter, vel virtualiter, ne frustra plus multiplicentur, & vt secundum entium gradum, ac nobilitatem clarior modus operandi effulgeat; vnde intellectiua potentia operari potest quicquid potest sensitiua, & plus; pariter causa prima quidquid potest secunda, & amplius; aliter nobiliora congeriem, vel aggregationem multorum potius, quam vnius naturæ nobilioris simplicitatem, & essentiam absque ordinis pulchritudine insinuarent. Quid enim ineptius cogitaretur, quam ex eo, quod intelligentiæ omnia, vel multa, quæ possunt inferiora, possunt, & plura, ex formis omnium ipsorum, veluti cumulum lapidum aggregari? nonne rectius, ac rationi magis consentaneum esset asserere, in simplici ipsarum natura, vim eminenter alias continentem vigere? Secundò sciendum, quod continere virtualiter contingit dupliciter (loquendo de continentia in esse reali) vno modo secundum productionem rei contentæ; sic nimirum quod ipsa à continenti produci possit, vt pater continet filium; Sol ranas, &c. Alio modo secundum virtutem contenti; sic nimirum quod omnes virtutes, quæ in contento reperiuntur, etiam adsint in continenti, vel quæcunque à contento fieri possunt, etiam ab eo, quod continere possint; quod si per vnam simplicem facultatem id fiat, erit eminentialis continentia; omnis etenim talis virtualis quoque dici potest, sed non è conuerso.

Tertiò notandum, quod animæ tres prædictæ, nempe vegetatiua, sensitiua, & intellectiua, possunt considerari tripliciter, scilicet præcisiuè, continenter, & abstractiuè. Primo modo sunt tria genera distincta realiter in diuersis animatis, atque adinuicem opposita, vel diuersa. Secundo, duæ sunt potentiæ alterius, scilicet vegetatiua sensitiuæ, & ambæ rationalis; & dū prædicantur de se inuicem; est prædicatio secundi modi per se, vel proprietatis de subiecto. Tertio tandem modo includunt rationem superioris, & inferioris; nam à sensitiua abstrahitur ratio animalis, à vegetatiua viuentis: quæ de homine in quid, & de alijs quoque inferioribus (non autem de animabus, vt aliqui arbitrantur) prædicantur. His autem declaratis per tres conclusiones, quæstioni satisfaciamus.

Prima. In homine non sunt duæ animæ rationales (contra primam opinionem) probatur; nam quælibet anima rationalis constituit hominem; & sic idem esset duo ex parte animæ, quod tamen ex parte corporis repugnaret; quoniam non tantum duæ formæ, sed duæ materiæ requiruntur. Amplius. Duæ formæ adinuicem non subordinatæ, simul esse non possunt; quia vna haberet rationem materiæ, vel esset in potentia ad alteram. Præterea; requirerentur distincti, ac diuersi organorum eiusdem rationis apparatus, vt plura capita, corda, &c.

Secunda conclusio. In homine non sunt tres animæ in diuersis partibus residentes, vt asserebat secunda opinio. Probatur; quia tunc homo esset vnum per aggregationem, & quod vna anima perciperet, alteri non communicaretur, vel quod sentitur in corde, ab ea anima, quæ est in cerebro non perciperetur. Imò essent plura constituta, simul tamen vnita, quod duas inuoluit repugnantias; altera est, quod nulla ipsarum formarum plenam, vel debitè dispositam, ac constitutam per se solam materiam haberet; secunda, quod diuersa secundum speciem continuata simul essent, imò vna anima cum corpore dimidium constitueret animal, alia aliud, vel etiam secundum minores partes, quod ridiculum est.

Tertia conclusio. Non sunt ponendæ plures animæ simul ordinatæ in eodem viuente, vt asserit tertia opinio, quæ est quorundam Auerroistarum, multorumque aliorum non parui nominis Philosophorum. Probatur. Nam, vna esset in potentia ad alteram; & sic forma haberet rationem materiæ. Amplius. Dum homo vegetatiua informatur, quæro in quo genere reperitur? non in genere hominis, vt patet; neque in alio genere, quia tunc esset essentialiter aliqua planta; nihil enim est in genere, quin sit sub specie etiam, & singulare, (de existentibus loquendo.) Præterea. Nobilior forma continet virtualiter operationes aliarum inferiorum; ergo frustra cum ipsa simul aliæ ponerentur. Amplius. Si vegetatiua esset realiter à sensitiua distincta, in generatione animalis, non generaretur anima sensitiua, vel animal, sed planta; probatur; nam generare est proprium vegetatiuæ, nec potest extendi ad producendum nobilius se ipsa, vt est animal, vel anima sensitiua. Præterea; hæc est expressa sententia Arist. in præcitato textu 31. vbi vniuersaliorem animam in particulari in potentia contineri asserit; Ac potentia idem sonat, quod vis, vel virtus; & sic continere est virtualiter, eo modo, quo diximus. Idem pariter, alijs tamen verbis habet in 1. de anima tex. 53. & 91. Eandem sententiam secutus est Scotus 2. sentent. d. 1. quæst. 6. & alibi. D. Thom. 1. par. quæst. 76. art. 3. Magnus Albertus, & alij quamplures. Sed sciendum est, quod sicut de homine secundum tres animas locuti sumus, sic quoque secundum duas, de brutis; & quemadmodum ab hoc tres remouentur; sic duę ab illis eisdem rationibus, & argumentis.

Ad præmonendum censeo, hanc statutam tertiā conclusionem, quamuis adeò probabilis sit, non esse ita demonstratiuam, ne omnes ipsius rationes, & auctoritates solui possint, imò opposita sua non caret probabilitate; quam si quis intelligere cupiat, legat, quæ circa hoc doctissime scripsit Illustrissimus Io. Baptista Contarenus in

suis

suis Peripateticis Quæstionibus tom.1.q.11. cap. 3. & 4. Zabarella lib.de facult. animæ, cap.8.& alij quamplures; Nunc autem argumenta soluamus (nostra vero soluantur ab alijs, quemadmodum solui possunt.)

Ad primum (quod est primæ opinionis) dicitur animam rationalem ratione libertatis ad opposita posse : & secundum diuersitatem obiectorum potest quoque diuersimode affici, & secum discurrere, ac suo modo pugnare, & contradicere ; in hoc namque ratio libertatis, præsertim consistit.

Ad secundum (quod est secundæ opinionis) respondetur, re vera esse plures operationes, pluresve organorum apparatus ; sed hoc non diuersitatem animarū, sed diuersas potentias vnius duntaxat arguere.

Ad tertium (quod est primum opinionis tertiæ) eodem modo respondetur ; nimirium suas operationes, solum diuersitatem potentiarum arguere.

Ad quartum negatur prima consequentia ; non enim corruptibile cum incorruptibili vnitur, vel identificatur; sed est virtus animæ incorruptibilis, quæ virtutem corruptibilium æquat, vel superat ; neque etenim est inconueniens, virtutem superiorem posse, quod potest inferior ; sic itaque virtus sensitiua rationalis animæ, quoad potentiam remotam, (vt dispositionem organorum, quæ propinquam concernit, excludamus) est incorruptibilis. Ex hoc pariter negatur consequentia secunda ; nam ratio vniuocationis, ex illa virtute sumitur, abstrahendo à corruptiblii, & incorruptibili.

Ad quintum negatur similitudo ; anima enim ipsa necessariò supponit dispositionem,& organizationem corporis, aliter ipsum informare nequiret ; sed ab vna potentia, vel anima superiori virtutes inferiorum suppleri possunt, vnde multiplicari non debent.

Ad sextum respondetur, varia illa genera, vel potius gradus essendi,sumi ex diuersis gradibus formatum,non ex diuersis formis, vt postea ex professo dicemus.

Ad septimum dicitur : omnes potentias quidem ab essentia pendere, sed inter se ordinem non excludere ; dicuntur tamen potentiæ animæ, & non potentiarum à præcipuo principio.

Ad octauum dicitur, quod viuere accipitur pro operari ; & sic est verum,quod dicit Philosophus; prius enim vegetales, postea animales, ac tandem rationales operationes educuntur, provt plures, vel pauciores requiruntur dispositiones.

Ad nonum respondetur ; plura esse ab eadem particula, vel anima sumi, secundum gradus essendi, vt in solutione sexti dictum est.

Ad decimum dicitur ; Arist. appellare animam intellectiuam partem in ordine ad totum compositum, & intransitiuè, id est anima, quæ est pars.

QVÆSTIO XX.

Circa eundem Textum quæritur.

An detur forma corporeitatis.

CVm de mente Aristot. plures animas in eodem animato minimè dandas esse statuerimus ; ratione cuiusdam sequelæ, statim examinandum videtur ; si saltem plures formæ, altera videlicet corporis (quæ corporeitatis dicitur, & de qua est difficultas) altera totius compositi (quam animam appellamus) sint constituendæ ; loquendo de vera forma, quæ est altera pars compositi, vt pro nunc formam totius dimittamus, de qua dictum est alibì. Cum autem de pluralitate animæ dictum sit,de alia differendum erit ; si quidem non pauciores, sed forte plures, quam præcedens continet difficultates, pluresque aduersarios habet ; At quamuis prolixa indigeret disputatione, pauca, quæ potissima apparebunt, duplici de causa duntaxat adducam : altera est, vt tædium auferam, secunda,quia quamplures optime de hac eadem controuersia secundum viam,qua ego quoque incedam, differuerunt, præsertim Illustrissimus Io. Bapt. Contarenus, loco supracitato, P. F. Philippus Faber Fauentinus in sua Naturali Philosophia Theorem.74. Iandunus, Zabarella, & alij. Quod igitur non detur forma corporeitatis, sed quod solum anima ipsa sit forma, ac det esse simul corporeum & animatum, sic Aduersarij ostendere conantur. Omne, quod aduenit enti in actu est accidens ; si ergo daretur forma corporis, ipsa cum materia ens in actu constitueret ; ex materia enim & forma, seu ex actu, & potentia vnum per se in actu constituitur ; quamobrem anima aduenieus esset accidens, quod cum sit absurdum, fatendum potius erit, ipsam animam aduenire materiæ, ac omnes formas, vel totale esse ipsi viuenti conferre. 1. Arg.

Præterea. Generatio vnius est corruptio alterius ; 2. Arg.
cum ergo aduenit, vel generatur anima, aliquid corrumpi debet, nec aliud videtur, nisi forma corporis ; ergo sola anima remanet, quæ omnes alias formas imaginarias supplet ; & pariter in corruptione viuentis nil aliud generari videtur, quam forma cadaueris ; ergo non præerat.

Item plures formæ plura supposita constituerent ; si 3. Arg.
quidem ex materia, & forma fit per se vnum suppositum, vel singulare substantiæ ; quamobrem idem viuens esset plura viuentia ; quod cum sit absurdum, vnica forma vnicuique viuenti est assignanda.

Amplius. Materia, & forma sic adinuicem ordinantur, vt vnica materia ad vnicam ordinetur formam ; 4. Arg.
quomodo ergo plures recipere poterit? nunquid habebit simul diuersas potentias, & quomodo profectò cogitari non potest.

Adhuc. Omnis forma confert aliquem motum,si quidem est natura, quæ est principium motus, sed corporis forma nullum præstat ; ergo frustra esset. Probatur minor ; nam in viuente duo tantum genera motuum reperiuntur, videlicet illorum, qui ab anima fiunt (de naturalibus loquendo ; nam violenti ad rem non faciunt) vt augmentatio, nutritio, progressio, &c. Et eorum, qui fiunt ab elemento prædominanti, videlicet à grauitate, vel leuitate ; quorum nullus à forma corporis fit, vt patet ; quare reijcienda est. His ergo, & alijs similibus argumentis sic mordicus, ac pertinaciter suam sustinent positionem, ne multa incredibilia, & digna risu dicere vereantur ; & re vera in omnibus controuersijs(hac vna dempta) probabilitas aliqua, vel saltem non tot absurda, perspiciuntur. Est igitur ex alia parte Scotus 4. sent. d. 11. q. 3. art. 2. alijque innumerabiles, qui oppositum magis philosophicè sustinent ; secundum quorum sententiam, hæc ponatur conclusio. Datur forma corporeitatis, seu (quod idem est) in quolibet viuente, præter animam datur etiam forma corporis ; ita, vt nec corpus ipsum sit pura materia, nec illam, quam retinet ex se distinctam, & organizatam naturam, vel formam à sola anima habeat. Probatur. Prius,quam anima corpori infundatur, ipsum debet esse organizatum, vt omnibus notum est; at illa organizatio non est in pura materia,vt etiam est apud omnes, vel meliores Philosophos receptum ; hoc ergo habet à forma non autem ab anima ; quia supponimus nondum aduenisse, quod ipsi quoque fatentur ; ergo à propria forma ; sed respondent, illam formam corrumpi in aduentu animæ ; contra. Corruptio fit solum inter contraria, non autem inter ea, quæ affinitatem, & ordinem habent adinuicem ; hæ autem formæ sic se habent ; nam forma corporis ad animam ordinatur, eique inseruit ; ad quid igitur propter ipsam

produci-

producitur, si ab ipsa statim corrumpenda est? vel quomodo in instanti tot organorum apparatus cum magna quantitate simul ab anima producitur; vel ad quid tanti temporis naturæ opus applicatum fuit, si inutile est, vel in instanti fieri potest? Amplius. In morte animalis remanet idem corpus, eisdem affectum accidentibus; Figura, partibus, &c. à quo igitur, vel quomodo sic penitus simile in instanti genitum est? vel ad quem finem? forsitam vt statim pereat; est enim valde corruptioni propinquum. Respondent, à causis vniuersalibus nempe à cęlo, & elementis, ob similitudinem, vel Symbolcitatem, quam habebat cum corpore præexistenti statim genitum fuisse; sed nimis cęlo tribuentes, partem, quam cęlestem Deus hominibus indidit, terrestri grossitie labefactant; quid etenim vnquam (dicant) etiam minimæ entitatis, sine præuijs dispositionibus longo, vel aliquo tempore habitis generari potest? quomodo ergo sic ingentia, & præstantia corporis, ex instantaneo animæ recessu, absque vlla sensibili dispositione fieri potuerunt? Aut, quænam vnquam conspicitur alicuius nouæ regeneratio (potissimum heterogeneæ) cuius genitum & in omnibus simillimum, ei corruptæ, ita vt non tantum rei essentiali, sed omnium accidentium, ac externorum ornatuum imaginem referat? ad quid etenim? vel quæ esse potuit cęlestis causa, vt cadauer ipsum vulneret, vestiat, equorum pedes ferris afficiat? &c. Aut quæ relinquetur via inter entia naturalia distinguendi, si in omnibus sensibilibus penitus conueniunt? vel cur parentes, vel amici defunctorum suorum corpora curant, si eadem non sunt? Dicunt esse eadem, ratione materiæ; ipsa etenim incorrupta eadem numero seruatur. Sed contra; nam, vel loquuntur de materia secunda, quæ est proximũ animæ susceptiuum, vel de prima. Si de secunda, iam formam corporeitatis concedunt; quia materia secũda non est sine forma, nec est alia forma (egressa anima) quam corporis. Si de prima: sequitur ridiculum paradoxon; Socrates namque esset idem numero cum Adamo, imò cum herbis, &c. Probatur consequentia; nam materia seminis prima, semper in infinitum ad alia genita transit, & cum semen generetur ex nutrimento, quod in animalibus saltem fieri potest per herbas, & animalia ipsa in cibum hominis possunt assumi: patet, quod dicimus. Sileant quæso, vel consilium in melius mutent.

Argumenta autem ipsorum facili diluuntur negotio.

Ad primum dicitur, duplicem esse actum, videlicet completum, qui ad vlteriorem formam non ordinatur: & quod huic aduenit est accidens, quia iam tota est rei essentia constituta; vnde aliud ad ipsam essentialiter pertinens addi non potest; sed necessario per consequens erit accidens. Alter est actus, vel forma incompleta, quæ ordinatur ad aliam perfectionem, in comparatione ad quam potentialitatem continet, vt est actus seminis corporis, &c. & quod huic aduenit non est accidens, sed essentialis, vel perfectissima forma.

Ad secundum dicitur, generationem vnius esse alterius corruptionem, & è contra, respiciendo de primo ad vltimum geniti, & corrupti, non autem si respiciamus intermedia; v. g. si generari debeat homo, aliquid corrumpitur, nempe semen; quod autem ex semine ad animam ordinatur, & mediat, sicut est forma corporis, non oportet, vt corrumpatur. Pariter in ipsius corruptione completa, quæ est omnium partium, & potissimum cadaueris, generantur vermes; non autem antea, vt in libris de generatione fusius declarauimus.

Ad tertium dicitur, plures formas non subordinatas, & completas, constituere plura supposita; sed si sint adinuicem subordinatæ, & vna sit completa, altera, vel alteræ incompletæ, idem suppositum constituere possunt.

Ad quartum dicitur, vnicam materiã vnicam immediatè recipere formam; sed illa accepta sic incompleta ad perfectiorem ordinari, & disponi potest, priori non dimissa; & sic secundum varias ordinatas dispositiones, varias, ac ordinatas potentias habere potent.

Ad quintum dicitur, quod sicut forma illa est veluti dispositio ad aliam perfectiorem, sic dispositiuè ad motum illius inclinationem præbet; nec etenim sine illius dispositione motus animales, & vitales fieri possent; dum autem remanet iam tendit ad corruptionem, & sic à dispositione, vel aptitudine declinat, habuit enim iam finem; quare alium motum non intendit; nam fine habito cessat motus. Imò si rectè percepissent, hoc argumentum occultassent; cum etenim ipsi dicant, formam cadaueris denuò generari, necessario fateri debent, habere aliquem ad proprium motum ad aliquid ordinatum; nam generatio tendit ad finem, & operationem, & non est recessio, vt corruptio, quod cum hoc dicere nequeant, eam denuò gigni dicere non debent.

QVÆSTIO XXI.

Circa eundem Textum.

An partes organicæ diuersas habeant formas.

CVm partes organicæ animati corporis diuersam inter se figuram, ac mistionem quoque sortiantur; aliæ etenim siccitate, aliæ humiditate, quędam alijs sunt affectæ qualitatibus, & temperiebus, ex quibus diuersæ videntur argui posse formæ, de hac diuersitate breuiter determinare oportet.

1. Arg. Quod igitur sic non differant; probatur; nam animal esset aggregatum ex pluribus animalibus specie distinctis; quod quidem est absurdum, & non intelligibile; probatur consequentia; nam si quælibet pars propriam habeat formam mistionis, propriam pariter habebit animam, & sic animalia constituentur.

2. Arg. Præterea, quæ sunt idem numero, specie non differunt; sed omnes partes eiusdem viuentis sunt idem numero, sicut est viuens ex ipsis constitutum: aliter vnum numero ex diuersis fieret vnitatibus, ac per consequens esset quantum discretum.

3. Arg. Denique; quæ adinuicem sunt continuata, diuersas formas habere non possunt, vt declaratum est in Physicis; partes autem omnes sic se habent; ergo.

Pro intelligentia sciendum est, duplicem esse formam; videlicet partialem, & totalem; partialis est imperfecta, & ad aliam ordinatur, non sub ratione informabilitatis, de qua locuti sumus in quęstione pręcedenti, sed sub ratione continuationis, & integritatis; sic videlicet, quod talis forma nata sit simul cum propria materia, propriave quantitate alteris vniri, ex quibus omnibus simul totum aliquod integratur; huic autem partiali formæ respondet partialis ratio speciei; nam sicut forma est, quæ dat esse specificum, sic ab ipsa identitas, vel diuersitas speciei sumitur; forma vero totalis est, quæ omnibus partibus simul respondet, vel quæ totum corpus constituit, & quam corporeitatis appellauimus; sed dicatur sic per excellentiam, quia aliæ etiam partiales corporeitatis sunt, quatenus corpus aliquod constituunt; vnde non accipitur hic forma totalis pro forma totius, nec forma partialis pro forma partis, de quibus alibi dictum est. Diximus autem partialem hanc formam efficere quandam rationem speciei imperfectam; totalem vero perfectam; quod vt intelligatur sciendum est, quod ratio specifica perfecta concernit totum aliquod compositum completum existens per se, & ad

aliud

aliud non ordinatum, nec alicuius pars existens, si sit substantialis, & physica; vt accidentia, & logicales considerationes dimittamus; de accidentibus namque sufficit, vt vnum non sit pars, nec passio, nec gradus alterius; Logicaliter autem multa abstrahūtur, ac rationem completam speciei sortiuntur (vt diximus de anima) sic autem se habet Homo, Leo, Equus, &c.

At imperfecta, vel incompleta ratio est inter ea, quæ diuersam recipiunt prædicationem in quid, diuersasque sortiuntur formas, affectiones, aliasque partiales dispositiones; ita vt quia ad aliud ordinantur, nec per se multum existere possunt, aut quia ad talem existentiam à natura non sunt ordinata, a vera speciei completa ratione deficiunt. Quibus habitis ponitur conclusio hæc.

Conclusio. Partes organicæ differunt secundum formam, & speciem incompletam tantum; probatur; quia diuersas habent quidditates; si etenim quæratur quid est os, quid est sanguis, vel caro, profectò non eodem modo respondebitur. Amplius. Plus differunt hæc caro ab hoc osse, quam hæc caro ab alia carne; sed hę differunt numero; ergo illa magis: nec alia erit differentia, quam specifica. Præterea, diuersæ operationes, figura, & mistura diuersitatem specificam insinuant; nec alia via naturalis est tutior huiusmodi diuersitatem, vel identitatem colligendi. Amplius, si os separetur à carne, diu etiam permanet; ergo habet aliquam sibi peculiarem formam; quia eam, quæ erat carnis, dimisit; neque est pura materia. Diximus differre solum secundum formam, & speciem incompletam; nam cum sint partes totius propriam perfectam speciem non habent, vt declaratum est; hanc autem opinionem commendat Scotus in 7. Metaph. q. 20. nec à Peripatetica doctrina est extranea. Sed Argumenta soluamus.

Ad primum negatur consequentia; omnes enim hæ partes simul copulatæ cum completa forma animæ, & corporis, ad constitutionem animalis requiruntur.

Ad secundum dicitur, has omnes partes esse idem numero constitutiuè, & per continuationem, non autem per rationem quidditatiuam, & specificam, vt diximus; modo quæ solum formam partialem, ac partialem rationem speciei sortiuntur, non inconuenit, vt ad vnam naturam singularem constituendam conueniant. Sed est dubitatio; an præter omnes istas partiales formas corporeitatis, detur alia forma totalis, quæ totum corpus constituat, & cui hæ partiales sint veluti materia.

Respondetur negatiuè; imò totum ipsum corpus mistū ex omnibus istis integratur; vnde dissimilare dicitur; neque propterea est vnum aggregatione; quia omnes illæ partes sunt adinuicem continuatæ, ordinatę ad vnum finem, & ad formam vltimam completam, quæ est anima; & hac quoque de causa non dicitur nisi vnum mistum, quāuis diuersæ sint partiales mistiones; sicut vnum totum ex partibus coalescens.

Ad tertium patet ex prædictis; quæ etenim continuata sunt formas diuersas specificas completas nō habent; sed incompletas, & partiales non repugnat.

QVÆSTIO XXII.

Circa eundem Textum.

An in composito naturali tot insint formæ substantiales, quot prædicata essentialia.

Formas multiplicandas esse iure statuimus, si autem quamplures à prædictis sint statuendæ, nunc examinandum est. Sunt etenim aliqui, præcipuè Auicebron, Iandunus, Paulus Venetus, & alij, qui tot formas ponendas esse circa idem compositum putant, quot sibi essentialia prædicata conueniunt; ita vt sicut de homine dicimus, quod est rationalis, animal, viuens, corpus, substantia, & ens, sic formas diuersas, quæ prædictis diuersis prædicatis essentialibus respondeant, assignant; Quorum præcipua argumenta sunt ista.

Primum. Vel illa essentialia prædicata respondent in re, cuius sunt prædicata, vel non; si respondent ergo tot erunt formæ, quot prædicata; clarum namque est, quod non se tenent ex parte materiæ; si non respondent, falsò de ipsis enunciarentur. Cui argumento fauet id, quod habet Aristot. 7. Metaphys. tex. 53. videlicet partes definitionis respondere partibus rei; omnia autem essentialia prædicata, in definitione, vt veræ partes explicitè, vel implicitè assumi debent, vt habetur in 2. Post. 1. Arg.

Amplius. Si per eandem formam, homo est animal, & rationalis; sequitur omne animal esse rationale; probatur consequentia; quia sicut inquantum rationale est animal, sic è conuerso, eo, quod est penitus eadem forma; at reduplicatiua infert vniuersalem; ergo si inquantum animal est rationale; omne animal erit rationale. 2. Arg.

Præterea. Idem non potest secundum idem esse causa conuenientiæ, & diuersitatis; sed homo per esse animal conuenit cum equo, & per esse rationale ab ipso differt; ergo rationale, & animal non sunt idem, sed potius diuersæ formæ. His tamen non obstantibus pars negatiua est amplectenda. Non itaque in eodem composito tot sunt formæ, quot essentialia prædicata; probatur; nam hoc pacto qualibet forma simplex etiam accidentalis plures includeret formas; nam de albedine, verbi gratia, dicimus essentialiter, quod sit color, qualitas, accidens, &c. Imò nihil daretur simpliciter simplex, vel primò diuersum, siquidem de omnibus essentialiter prædicatur ens. Amplius. Anima rationalis informaretur alia forma, & illa alia, quod est absurdum; probatur consequentia; nam de ipsa anima dicitur esse rationalem, spiritualem, substantiam, &c. Sed non ne quæ sine alijs, vel prius quam alia de aliquo dicuntur, habent rationem formæ? cum ergo prius de homine verificetur, esse ens, postea substantiam, &c. cur hæ plures non sunt censendæ formæ? 3. Arg. Conclusio.

Respondetur; has verificationes fieri, vel secundum abstractiones diuersas, vel secundum gradus essendi, vt melius patebit si argumenta soluamus.

Ad primum igitur dicimus, respondere prædicta prædicata pluribus gradibus essendi, non autem semper pluribus formis; in homine namque cum duplici forma, puta corporeitatis, & animæ, sunt plures gradus essendi; nam virtualiter omnia inferiora continentur; sic itaque cum anima det esse completum, continet vitam, substantiam, esse simpliciter, &c. vt gradus inferiores, vel ignobiliores. Non tamen negandum est, quibusdam prædicatis formas proprias respondere, vt animali anima, corpori forma corporis, &c. de omnibus autem est falsum, & absurdum.

Ad secundum negatur consequentia, ad probationem dicitur, reduplicatiuam valere, si sit penitus causa adæquata secundum esse, & omnes gradus essendi; quod quidem in proposito non accidit; nam per rationale constituitur homo in esse hominis, & secūdum gradum, quem continet, animalis, in esse animal.

Ad tertium per idem patet; secundum etenim gradum animalitatis conueniunt, & secundum differentias proprias differunt; vnde non sunt penitus idem.

QVÆ-

QVÆSTIO XXIII.

Priores enim potentijs actus, & operationes secundum rationem sunt. Tex. 33.

An potentiæ distinguantur, ac definiantur per actus, hi autem per obiecta.

HAbet Philosophus in præallegato textu 33. actus, & operationes esse priores potentijs secundum rationem, vel definitionem, & eodem modo subinfert ineodem textu, obiecta esse priora actibus, quod autem sic est prius est causa distinctionis, & definitiua illius, quo prius dicitur.

1. Arg. At quod obiecta, & actus non sic se habeant, probatur; nam nullũ externum est causa definitiua alterius, vel illius, cuius est externum; siquidem definitio est intrinseca definito; obiectum autem est externum potentiæ, ergo.

2. Arg. Præterea. Effectus, nec est prior, nec causa distinctionis, aut definitionis causæ; imò causam esse supponit; sed actus, & operationes sunt effectus potentiarum, vt de se notum est; ergo.

3. Arg. Amplius; si hoc esset verũ, innumerabiles essent potentiæ, quod quidem absurdum est. Probatur consequentia; quia quot interna principia definitiua, & distinctiua ponuntur, tot quoque constituuntur definita, & distincta; ita, vt si illa sint singularia, & ista; si vniuersalia, & hæc pariter; quemadmodum principium constitutiuum huius hominis hunc solum constituit, aliud vero alium, &c. at innumerabiles sunt actus, innumerabiliave obiecta particularia respectu eiusdem potentiæ, vt notum est; visus etenim hunc, illum, & alium colorem, per hunc, illum, & alium actum cognoscere potest; ergo.

Amplius. Si hoc ita esset, quamplures potentiæ distinctæ inter se confunderentur, vel fierent idem saltem ex parte obiecti, quatenus idem cognoscere, vel præcipere, vel attingere possunt: vt patet de voluntate, & intellectu, de sensibus externis, & sensu communi, vel de appetitiua, & cognoscitiua facultate; quicquid etenim intellectus intelligere potest, etiam voluntas potest, vel velle, vel nolle; pariter sensationes, & obiecta externorum sensuum à communi percipiuntur; ac tandem appetitus cognitionem sequitur, & ei adæquatur.

Pro intelligentia sciendum est, primò, quod potentiarum aliæ sunt subordinatæ, aliæ disparatæ. Subordinatæ dicuntur, quarum vna auxilium alteri præbet; vel alia non operatur, nisi præcedentis operationem supponat; quæ quidem, vel sunt eiusdem, vel diuersi generis; eiusdem generis dicuntur, si ambæ, vel plures, sint cognoscitiuæ, vel appetitiuæ (vnde hic genus pro modo operandi sumitur) vt sensus, & intellectus sunt potentiæ subordinatæ, & eiusdem generis: nam intellectus cognitionem sensitiuam supponit, & sequitur, & vterque est cognoscitiuus, quod quidem veritatem habet, tam de externis, quam de internis sensibus. Pariter appetitus sensitiuus, & rationalis, vel voluntas; sunt namque subordinati, saltem vt plurimum: & vterque in genere appetendi continetur. Disparatæ autem sunt, quarum operationes, & obiecta abinuicem non dependent, vel non ordinantur, vt visus, & auditus, &c.

Secundò notandum, quod duplices adhuc sunt potentiæ, quædam principaliter, vel solũ actiuæ: aliæ vero principaliter passiuæ. Primi generis sunt, nutritiua, generatiua, & augmentatiua; nam agunt in nutrimentum, nihil per se ab ipso, repatiendo; nisi fortè per accidens; quatenus nimirum frigiditas ipsius nutrimenti agit contra calorem stomachi, &c.

At secundis generis sunt omnes potentiæ sensitiuæ, & intellectiuæ, hæ etenim omnes ab obiectis patiuntur eorum species recipiendo, vt melius in sequentibus dicetur; omnes tamen tam primi, quam secundi generis obiectum respiciunt: in ordine ad quod, vel potius ad operationes circa ipsum exercendas potentiæ dicuntur; nam potentia dicitur quatenus operari potest.

Tertiò notandum quod duplex est obiectum cuiuslibet potentię videlicet materiale, & formale, seu potius est vnum ex ratione materiali, & formali constitutum; vt sonus sub ratione audibilis est obiectum auditus; sapor, vt gustabilis, &c. in quibus sonus, & sapor, materialis audibilis, & gustabilis: formalis obiecti locum habent. Quod quidem obiectum cuiusque potentiæ est triplex, scilicet adæquatum: per se, & inadæquatũ: & per accidens. Adæquatum est; sub cuius ratione vniuersali percipitur, vt sonus in communi, respectu auditus; per se, & inadęquatum est quodlibet sub ipso contetum, vt sonus acutus, &c. per accidens est, quod cum ipso coniungitur, vt si cãpana sonet, & ipsam audire dicamus, tunc campana est obiectum per accidens, & particulare auditus; vniuersale .n. est innominatum, ac ad innumerabiles se extendere potest.

Quartò notandum, quod potentia potest considerari dupliciter, vno modo fundamentaliter: prout est talis entitas, vel vis, & sic necessariò est quid absolutum; siquidem est fundamentum, & principium actionis, quod relatiuis competere nequit. Alio modo prout dicit formaliter rationem operandi, vel prout simpliciter consideratur sub hac reduplicatione principij, & sic profectò est relatiuũ; siquidem, nec esse, nec intelligi potest sine principiato, vt docet Philosophus in 1. phys. tex. 8. ac potentia alicuius rei possibilis potentia dicitur; quibus sic habitis per aliquas conclusiones quæstionem resoluamus.

Prima conclusio. Potentiæ animæ, tam subordinatæ, quam disparatæ, tam intellectiuæ, quam sensitiuæ, si fundamentaliter sumantur, nullatenus, nec ab obiecto, nec ab actibus, sed se ipsis immediate, & formaliter distinguuntur; probatur, quia in se sunt tales entitates absolutè, quæ in esse nec ab operationibus, nec ab externis obiectis dependent.

Amplius. Si essentialem constitutionem ab actibus, & obiectis acciperent, nunquam in esse constituerentur, nisi actualiter circa obiecta versarentur; vnde si aliquis per casum nunquam vidisset, quamuis non esset cæcus virtutem visiuam non haberet; si dicatur, differre secundum aptitudinem ad obiecta: Contra; nam omnis aptitudo supponit esse, & sic illud, intelligitur constitutum; si autem diceretur, tales potentias esse formaliter aptitudines, adhuc intentum non haberetur; quia hoc est falsum, eo quod sint vires operatiuæ, vel actiuæ; neque pura aptitudo, quæ est quædam dispositio naturalis, & idem realiter cum illo, cuius est aptitudo, potest, vel ab effectu, vel ab aliquo externo essentialiter constitui. Non igitur sic distinguuntur; sed ex propria entitate; quatenus nimirum visus est alia entitas ab auditu, &c. quæ quidem opinio Scoti in quolib. q. 13. & alibi, quam etiam confirmant omnia argum. in principio quæstionis habita.

Secunda conclusio. Potentię sic fundamentaliter considerate distinguuntur à posteriori, vel per notiora nobis ab obiectis, & operationibus. Hæc conclusio ex præcedenti patet; imò est eiusdem appendix; tamen sic probatur, substantiæ, aliæue quædam entitates, quæ sunt nobis difficilis cognitionis, per notiora nobis innotescunt, hęc autem sunt obiecta, & operationes; non etenim faciliter visum ab auditu distingueremus, nisi illum circa colorem, hunc circa sonum versari cognosceremus; quamobrem dum Philosophus asserit, operationes, & obiecta esse priora secundum rationem; idem valet, quod secundum ordinem cognoscendi; ita vt ratio accipienda sit pro notificatione, vel notitia.

Tertia conclusio. Potentię subordinatę distinguuntur, vel per rationes formales obiectorum, vel per diuersum, aut disparem modũ, quo circa ipsa feruntur; vt voluntas,

& intellectus distinguuntur quatenus intellectus est circa ens, vt verum, vel cognoscibile; voluntas, prout est bonum, vel appetibile, ad prosecutionem, vel fugam; intellectus circa quodcunque ens; sensus circa particularia; & sic est impar modus, vel vis circa obiectum; pariter appetitus voluntarius circa omnia appetibilia; sensitiuus circa sensibilia, sumendo semper distinctionem ab obiectis modo prædicto: scilicet a posteriori, &c.

Quarta conclusio. Potentiæ formaliter sumptæ, nempè sub hac præcisa ratione principij essentialiter, distinguuntur, & constituuntur ab obiectis, eo quidem modo, quo vnum relatiuum per aliud constituitur; nam nec esse nec intelligi possunt, sine illo cuius, vel circa quod dicuntur potentiæ; vnde sunt relatiua secundum esse, in substantia fundatæ; & quatenus contra hanc militant argumenta, soluenda sunt.

Ad primum igitur dicitur; relatiua per externa constitui, & definiri, vt patet; nam pater per filium, & filius per patrem constituitur.

Ad secundum dicitur, operationes formaliter sumptas esse effectus, quæ sub hac ratione causam: vt correlatiuum respiciunt, ac constituunt; quare tam operationes, quam obiecta, diuersa tamen ratione effectus rationem sortiuntur: operationes, vt verè effectus, obiecta vt cognoscibilia, vel attingibilia.

Ad tertium negatur consequentia; nam potentia in vniuersali sub hac ratione ad proprium adequatum obiectum refertur: non ad partialia, nec per accidens; sicut pater constituitur in esse, prout refertur ad filium: & si innumerabiles essent filij, tantum attamen vnus existeret pater.

Ad quartum patet, quod in illis obiectis est aliqua formalitas, vel modus diuersus, qui sufficit ad distinguendum.

QVÆSTIO XXIV.

Circa eundem textum.

An potentiæ animæ inter se, & ab anima realiter distinguantur.

Arguitur primo, quod sic. Accidens distinguitur realiter à substantia, vt notum est; sed hæ potentiæ sunt accidentia de secunda specie qualitatis, vt patet in præd. cap. de qualitate; anima autem substantia; ergo.

Secundò; actus, & potentia sunt in eodem genere, ex 9. Metaph. tex. 1. & 12. eiusdem operis tex. 26. at actus, vel operationes sunt in genere accidentium, ergo etiam potentiæ; quare sicut accidens à substantia realiter distinguitur, ita potentiæ ab anima.

Tertiò. Omnis effectus realiter distinguitur à sua causa; si quidem nil se ipsum producere potest; sed potentiæ ipsæ sunt effectus animæ, nam ab ipsa emanant: ergo.

Quartò. Quæ habent diuersitatem secundum diuersas partes corporis, vel situs, realiter distinguuntur; sed quam plures potentiæ sic se habent, vt notum est præcipue de organicis; alibi namque situatus est visus, alibi auditus, &c.

Quintò. Quod sine altero esse potest, realiter ab illo distinguitur; istarum autem potentiarum nonnullæ sic se habent; potest namque remoueri potentia visiua, auditiua remanente, &c. ergo.

Sextò. Nisi realiter distinguerentur, anima separata posset videre, audire, imò generare, nutriri, augeri &c. Probatur; nam vbi est potentia, ibi potest esse actus, vel operatio, aliter frustra diceretur potentia: quamobrem si tales potentiæ sint cum anima realiter identificatæ, habere poterunt operationes quoque prædictas.

Pro intelligentia sciendum est, quod potentiæ omnes animę ab ipsa principaliter fluūt, & in ipsa fundātur: aliter frustra animæ dicerentur; quamobrē ipsa anima est causa ipsarū in duplici genere causæ, videlicet efficiētis, & materialis; nam quatenus ab ipsa fluunt est causa efficiens, sed prout in ipsa recipiuntur, habet rationem susceptiui, vel causæ materialis, quod idem est. Sed cōtra hoc sunt aliquę difficultates. Prima; causa materialis non potest esse efficiens ex 2. phys. 70. quomodo ergo anima est vtroq; modo causa? Secunda. Potentiarum aliæ vocantur organicę, quæ nimirū immediatè fundantur, & fluunt à composito; alię non organicæ, quæ recipiuntur immediatè in anima: vt passim in litera est videre; non ergo omnium anima sola fundamentū est statuendum. Tertia Arist. in hoc 2. tex. 36 ponit animam esse causam in triplici genere, scilicet efficientis, formalis, & finalis: non ergo est materialis. Ad primam dicitur, causam materialem propriè dictam, vel veram materiam non posse esse efficientem, quia nullam habet actiuitatem: at quę dicitur causa materialis: quatenus solum est subiectum, vel receptiuum alicuius, non inconuenit, vt sit eiusdem quoq; effectiua; vt intellectus producit, & recipit suas operationes: pariter voluntas, &c.

Ad secundam dicitur, potentias ipsas dupliciter considerari, vno modo secundum immediatam dispositionem ad actum: & sic aliquæ in composito fundantur, alię verò in anima. Secundo sub ratione primæ originis: & sic omnes animam, vt proprium fundamentum, respiciunt.

Ad tertiam dicitur. Aristotelem causam materialem propriè dictam ab anima remouisse; non autem eam, quę solam rationem haberet susceptiui, ac quasi per similitudinem materia dicitur.

At quæstionem per aliquot conclusiones resoluamus. Potentiæ omnes animæ si fundamentaliter, vel secundum primam originem sumantur, non distinguūtur realiter ab anima: probatur; nam possent ab illa separari, vel destrui ipsa remanente; quod quidem implicat; probatur consequentia. Remota potentia v.g. generatiua ab ipsa anima, vel apta esset vti generatiua facultate, vel non, si dicatur, quod sic iam non esset remota potentia. Si respondeatur negatiuè, ita vt hoc implicaret, per nullam facultatem id fieri posset: & sic neque Deus hoc ei posset conferre, quod est absurdum; quamobrem remota non fuit talis potentia, & sic ab ipsa anima realiter distincta non est. Amplius. Anima est principium quo viuimus, sentimus, &c. si igitur, sentire, viuere, & intelligere sunt potentiæ, non erunt ab anima distinctæ, aliter ipsa non diceretur principium. Amplius. Nobilissima forma per se ipsam, seu per potentias, quæ non sint penitus ab ipsa diuersæ, finem proprium attingere debet: aliter esset imperfectissima, & indigens. Præterea. Anima est principium generationis per vim generatiuam; ergo est idem realiter cum ipsa vi. Consequentia probatur; nam aliter anima non esset principium; vel accidens produceret substantiam; potentia enim realiter à subiecto distincta, esset accidens. Denique multę formæ accidentales sunt principia immediata operandi; ergo id magis conuenit formæ nobilissimæ, & sic agendo per principia, quæ sint idem cum ipsa realiter, se ipsa operabitur.

Alias rationes vide in philos. p. Philippi Fabri Fauentini, simul cum positionibus aliorum.

Secunda conclusio. Potentiæ omnes animæ modo prædicto fundamentaliter sumptæ, & à se ipsis, & ab anima formaliter distinguuntur. Probatur; nam vnaquæque ipsarum, nec non anima ipsa diuersam habent conceptibilitatem, vel formalitatem ex natura rei, vt de se notissimum est; intellectus enim à sensu sic differt; pariter voluntas à generatiua, & sic de alijs; quod quidem notius erit, si aliquis definitiones, vel explicationes ipsarum tentauerit dicere; hoc autem formali distinctioni sufficit, vt in primo physic. 9. de dist. totius à partibus, dictum est.

Tertia

Tertia conclusio. Potentiæ animæ sumptæ cum propinqua, & immediata dispositione ad operandum, quædam realiter, & inter se, & ab anima distinguuntur, quædam formaliter tantum; distinguuntur realiter omnes organicæ, quia sunt in diuersis partibus; vnde alicui poterit accidere corruptio, vel priuatio, altera illæsa manente: hoc autem realem indicat distinctionem; & quoniam non tantum vna potentia sine alia tunc remanet, sed etiam anima ipsa sine potentijs deperditis, & inter se, & ab anima realiter distinguuntur. Formaliter verò distinguuntur non organicæ, sicut sunt intellectuales; hæ namque nunquam corrumpi, vel separari possunt; quamuis actus interdum impediantur. Est tamen notandum, quod omnes aliæ ab intellectualibus dicuntur organicæ, & si determinatum non habeant organum; sufficit namque, vt per corpus diffundantur, loquendo de potentijs propinquis; nam remotæ organum non habent. At contraria argumenta soluamus.

Ad primum negatur minor. Ad probationem dicitur, potentias de secunda specie qualitatis, esse quasdam naturales super additas dispositiones ad facilè operandum: non autem potentias, quæ naturam specificam sequuntur, vt sunt prædictæ de anima. Quod autem sic res se habeat, pateat ex litera Philosophi in eodem cap. de qualitate, vbi cursores, & pugillatores ad currendum, & pugillandum has habere potentias asserit; quare de accidentalibus prædictis loquitur.

Ad secundum dicitur, non actum, & potentiam esse in eodem genere dicit Philosophus, sed quod est in potentia, esse idem genere, imò specie, & numero cum se ipso existente in actu; vt Petrus in potentia non differt, vel non est alius à se, dum ad actum reducitur. Sed an potentiæ organicæ sint accidentia, eo quod ab anima, & à composito realiter distinguuntur. Respondetur negatiuè; sunt enim partes quædam compositæ mistæ substantiales; & sicut partes, à toto realiter distinguuntur.

Dubio.

Solutio.

Ad tertium dicitur, duplicem esse effectum, alterum physicum; & hic realiter à causa distinguitur, vt probat argumentum; alterum metaphysicum, & hic non distinguitur, vt accidit in proposito; vocatur autem effectus metaphys. qui sine motu producitur, vel re vera non producitur ab illo quod dicitur causa eius, sed ab alio tertio comproducitur; sic tamen vt aliud habeat rationem causæ, & fundamenti, ex quo eductum fuit, & in quo fundatur; sic itaque à producente anima potentiæ quoque productæ fuerunt; sed ipsa anima dicitur causa ratione prædicta. Effectus autem physicus verè, & per motum producitur, & realiter distinguitur.

Ad quartum dicitur; quod currit de potentijs organicis, de alijs nequaquam.

Ad quintum, eodem modo respondetur.

Ad sextum, negatur consequentia; non etenim sufficit potentia remota ad has efficiendas operationes, sed requiritur propinqua.

QVÆSTIO XXV.

Naturalissimum enim operum, quæ in viuentibus quæcunque, &c. Tex. 34.

An generare sibi simile sit naturalissimum opus viuentium.

Arguitur primo, quod non; nam per naturalissimum intelligeretur communissimum, vel perfectissimum, vel ad quod magis viuentia ipsa inclinantur; (nec alius poterit cogitari modus,) at nullo istorum sic dicitur; ergo. Non primo; quia nutriri est magis commune: si quidem omnia nutriuntur, non autem omnia generant; imò illud semper: hoc vero quandoque tantum, & rarò viuentibus conuenit. Neque est perfectissimum; nam perfectius est intelligere, & sentire; imò hoc diminuit perfectionem, adimendo partem substantiæ generantis, ac debilitatem, & vitæ breuitatem inducendo, vt alibi dictum est. Neque tandem dici potest naturalissimum ratione inclinationis naturalis; sic nimirum, quod ad hoc, magis quam ad alias operationes viuentia inclinentur; nam ad propriam conseruationem vnumquodque magis, quam ad aliud inclinatur, quæ quidem conseruatio potissimum per nutritionem acquiritur.

Respondetur tamen, propositionem prædictam habere veritatem, quo ad perfectionem simul, & vniuersalitatem cum inclinatione; ita videlicet, quod omnes istæ conditiones copulatim sumantur; seorsum namque sumptæ difficultatem efficerent; est ergo sensus ipsius; quod communissimum, & perfectissimum simul omnium viuentium opus, & ad quod ob eius perfectionem magis inclinantur, est generare sibi simile. Dicimus ergo, communissimum omnium viuentium; vt opera aliquorum viuentium tantum, vt intelligere, & sentire excludamus; hæc etenim solum aliquibus conueniunt, & si re vera perfectiora sint; dicimus perfectissimum, & communissimum simul, vt excludamus nutritionem, quæ est quidam magis communis, & si non magis perfecta; nam perfectum sumitur hic ratione finis, qui quidem est eo nobilior, quo magis diuinum esse imitatur, quod præcipuè pro nunc in æternitate consistit. Cum autem hæc per generationem acquiratur; si quidem per ipsam corruptibilia indiuidua æternam conseruant in specie naturam, patet quod sit opus perfectissimum, & communissimum, vnde dicendum est; inter communissima opera viuentium, perfectissimum est generare sibi simile: ex hac autem communissima ratione sequitur, quod sit quoque naturalissimum ratione inclinationis; quia quod perfectissimum est magis attrahit, vel ad ipsum magis res inclinantur, quamuis alia magis conferant ad indiuidui conseruationem. Patet ergo quid sit dicendum. Sed obiectiones soluamus. Ad primam conceditur, nutriri esse magis commune, sed non commune simul, & perfectum; neque refert quod non semper fiat generatio à particularibus generantibus: imò hoc est ob ipsius generationis perfectionem: si quidem semel habita intentum consequitur, ex 2. de cælo, tex. 64. perfectiora namque paucioribus actionibus suum consequi finem ibi asseritur. Ad secundam de intelligere, & sentire conceditur esse perfectiora; Dum autem dicitur, per generationem diminui substantiam, vel induci debilitatem; posset vtrumque negari, si moderatè fiat; nam semen est excrementum ad generantis naturam non simpliciter necessarium; nec moderata ipsius effusio obest, vt alibi dictum est. Potest etiam dici, quod quamuis vtrumque sit verum; non sequitur esse operationem minus perfectam ex parte finis, quod sufficit, vt dictum est; quod in multis etiam potest videri; quis enim cum vitæ discrimine summum consequitur honorem, & gloriam, ac honor vitæ præponendus, quandoque est. Pariter dum dicitur plus inclinari ad conseruationem per nutritionem, &c. Respondetur, hoc esse verum ratione necessitatis propriæ singularis viuentis, non autem in ordine ad totam naturam, & respectu finis nobilioris, & æterni.

QVÆSTIO XXVI.

Naturalissimum enim operum, quæ in viuentibus quæcunque perfecta, &c. Tex. 34.

An aliqua eiusdem speciei æquiuocè, & vniuocè generari possint.

PRæsens quæstio posset vniuersaliter moueri de quolibet generabili, tam viuente, quam non viuente; difficultas tamen est de viuentibus; an scilicet mus possit generari ex putri, & pariter ex coitu maris, & fæminæ, ita tamen, quod vterque sit eiusdem speciei, ac qui ex putri generatur æquiuocè generari dicitur, prout non est eiusdem naturæ in generante; qui vero ex coitu, vniuocè, quatenus cum generantibus ipsis eandem retinet specificam naturam. Auerroes igitur, ac quamplures ipsius sectatores negatiuam partem sustinent; quorum præcipua
1. Arg. argumenta sunt ista. Quæ sunt eiusdem speciei habent partes essentiales eiusdem speciei; (siquidem hæ essentialiter ad constituendam speciem attinent) at quæ ex putri, & ex semine (seu ex coitu quod idem est) nascuntur non sic se habent; ergo. Maior est nota, & minor quoque ex se patet, quis namque assereret vnquam, semen esse eiusdem speciei cum luto? si ergo materiæ, quæ sunt partes essentiales, specie differunt; habetur intentum.

Secundum. Si aliqua vniuocè, & æquiuocè generari possent, eadem intenderentur, & non intenderentur à natura, seu facta essent propter finem, & à casu, quod quidem absurdum est. Probatur consequentia, nam quæ generantur ex coitu per se intenduntur à natura, vel generante: quæ autem producuntur ex putri, ex tali materiei dispositione tantum fiunt, quod est à casu fieri.

Tertium desumitur ex Aristotele 5. de hist. anim. c. 1. vbi asserit, aliquos pisces ex putri materia ortos ab alijs specie differre.

Quartum. Sequeretur quod homo, equus, & alia perfecta animalia possent ex putri materia generari; Probatur consequentia; nam perfectioribus potius quam alijs plures debent competere modi suam naturam communicandi, ne deficiant, sed potius vt præstantiora abundent; cum autem hoc sit falsum, & contra experientiam; neque alia duplici generatione produci fatendum est; ac per consequens, quæ sic producuntur, ab alijs specie differre dicamus.

Quintum. Proprietas alicuius alteri non conuenit; at generare sibi simile est proprium viuentis; vnde habetur, naturam esse vim insitam rebus, ex similibus similia procreantem, quæ fortè elicitur ex præcitato tex. 34.

Pro intelligentia sciendum est, quod ex perfectione, vel imperfectione, aut ex maiori, vel minori perfectione rerum genitarum, colligitur facilis, vel difficilis modus generationis; quæ etenim imperfecta sunt, eo quod pauca ad ipsorum constitutionem requiruntur facilè, & à pluribus, ac diuersis generantibus produci possunt; quia difficile non est, vt quam plura agentia talem habeant virtutem; qua de causa elementa ipsa multis modis gignuntur; ignis namque, & ab igne, & à motu, & à repercussione radiorum gignitur. Faciliter namq; calor, qui est summa, & propinquior ipsius dispositio, simul cum siccitate ab omnibus his contineri potest, atque produci. Id autem, quod in rebus inanimatis dictum est, etiam viuentibus suo modo aptari potest; nam quo ad generationem vniuersaliter sumptam conueniunt; quatenus vtraque ab aliquo generantur, ex aliqua materia, & vniuocè, & æquiuocè, Differunt tamen in multis: nam ex parte generantis vniuocè viuentia ex determinata parte corporis generant: puta, vnde deducitur semen; quam partem non viuentia indeterminatam habent: vt ignis vnde cunque generat: similiter viuentia ex sua substantia materiam præbent generando; inanimata vero aliunde, nempe ab extra sumunt, vel supponunt; imo non tantum hanc, sed eam, quæ est augmentationis, & nutritionis fætui tribuunt; nec statim ipsa viuentia producunt; imò prius semen, vel aliam materiam; quod quidem accidit, dum verè viuentia ex viuentibus gignuntur; nam si fiant ex putri materia, hæc omnia ab agente vniuersali in tali materia supplentur; quare satis diuersus est modus generationis viuentium à non viuentibus, imò, & ipsorum quoque viuentium ex diuersa materia genitorum; atq; viuentium generatio dicitur propriè natiuitas; aliorum simpliciter generatio.

Secundò sciendum; quod in qualibet generatione, tam viuentium, quam aliorum duplices concurrunt dispositiones, quædam remotæ, aliæ verò propinquæ; remotæ materiam primò disponunt, ac vniuersales sunt; vt si ex putri generetur vermis; tales dispositiones remotæ erunt calor, humiditas, &c. At propinquæ sunt, quæ immediatè concernunt formam substantialem, & cum ipsa vniuntur; ex his autem sumitur distinctio, ex illis nequaquam. Quibus habitis ponitur conclusio hæc.

Eadem secundum speciem possunt æquiuocè, & vniuocè generari; non tamen omnia, sed aliqua tantum: nam quædam solum ex putrefactione gignuntur, vt docet Philosophus 6. hist. anim. cap. 15. & 16. vt anguillæ &c. Alia semper ex partu, vt omnia animalia perfecta: sicut homo, equus, &c. Aliqua tandem vtroq; modo, vt serpentes, mures, &c. De his, ergo dicimus, quod si ex putri, vel ex partu gignantur, non tamen specie differunt: probatur: nam eadem accidentia, præsertim, motus, figura, duratio vitæ, coitio, vox, ac alia huiusmodi eandem insinuant specificam naturam, nec alius modus super est talē identitatem naturaliter inuestigandi: imò si hic non valeret, ridicula, & paradoxa nimis in diem enunciare possemus, nimirum, equum aliquem non esse equum, quamuis omnibus, signis, & effectibus talis appareret: pariter de quocunque alio, & quidem efficacissimum, quod fieri possit argumentum est hoc. Quod autem sic se habeant, quæ ex semine, & putri nascuntur, omnibus compertum est: mures namque, qui ex putri, cum alijs, qui ex semine nascuntur, prædictas sortiūtur conditiones. Amplius, Arist. 7. Metaph. cap. 7. Aliqua ex semine fieri, ac alia eiusdem naturæ sine semine dixit: sicut in eodem libro tex. 22. aliqua ab arte, & à natura, sicut à natura, & à casu gigni asserit. Hanc opinionem amplectitur Scotus 1. sent. d. 2. q. 7. D. Th. & alij præstantissimi Philosophi, quam plures. Sed argumenta soluamus.

Ad primum dicitur ad minorem, quod, quamuis materia remota: sicut est semen, & lutum v. g. differat specie; habent tamen eandem materiam propinquam eiusdem speciei, puta corpus organicum; & ex hac, non autem ex illa distinctio sumitur.

Ad secundum dicitur, vtraque à natura intendi, & neutra à casu fieri: sed ex semine genita intenduntur à natura particulari, & vniuersali simul: quæ vero fiunt ex putri, ab vniuersali tantum: quę tamen particulariter operatur, ac particularem supplet.

Ad tertium dicitur, quod ibi Philosophus loquitur in comparatione ad alios, qui non sic generantur: non autem de ijs, quæ producuntur vtroque modo.

Ad quartum negatur consequentia: ad probationem dicitur, modos plures generationis attendendos esse secundum possibilitatem, vel facilitatem naturæ, non autem simpliciter: neque tamen propter hoc deficiet ipsorum generatio, quia sufficienter habetur modus, & alia.

Ad quintum dicitur, eam esse proprietatem in secundo modo, & attendendo similitudinem pro maiori conuenientia, quæ esse possit: aliter non nascerentur ex diuersis speciebus, vt mulus ex equo, & asina, &c.

QVÆ-

QVÆSTIO XXVII.

Quoniam autem eadem potentia animæ est vegetatiua, & generatiua. Tex.42.

An virtus generatiua nutritiua, & augmentatiua sint diuersæ potentiæ animæ vegetatiuæ.

1. Arg. PRædictas virtutes, vel facultates non esse diuersas ex eo probari potest, quod omnes circa idem obiectum versentur, videlicet circa nutrimentum; nam ex eodem generatur substantia, circa, quam versatur vis generatiua; quantitas, quæ ad augmentatiuam pertinet, nec non substantiæ pars deperdita, quæ attinet ad nutritiuam.

2. Arg. Amplius. Id est expresse de mente Philosophi in textu prædicto; eandem enim vegetatiuam, & generatiuam potentiam esse dicit.

3. Arg. Præterea. Eiusdem agentis, vel virtutis est generare substantia, & accidentia sibi conuenientia, præcipue quantitatem; nam est impossibile naturaliter, quod substantia sit, vel producatur sine quantitate; ergo nutritiua, quæ partem substantiæ generat, etiam partem aliquam quantitatis producet; & sic frustra est alia augmentatiua potentia. Item. Eiusdem rationis est producere

4. Arg. totum, & partem; sed illud producitur per generationem; ergo, & pars quoque; quare superflua erit nutritiua.

5. Arg. Adhuc. Non solum generantur, nutriuntur, & augentur viuentia omnia, sed diminuuntur quoque; ergo ponenda est potentia diminutiua.

6 Arg. Tandem. In semine duplex est virtus, videlicet decisiua, & formatrix; quarum vtraque ad vegetatiuam spectat, nec vna est eadem cum alia, vt de se notum est; quamobrem plures multiplicandæ sunt potentiæ; vel si hæ non multiplicantur, nec aliæ multiplicandæ sunt.

Pro intelligentia sciendum est, quod anima vegetatiua; dum sola in aliquo viuente reperitur, ita vt ipsi adæquate esse tribuat, sicut accidit plantis, ipsa est totalis forma, vel pars substantialis ipsorum viuentium; aliæ vero, vt generatiua, nutritiua, &c. sunt meræ potentiæ: (vt alibi dictum est, sed hic ad aliud propositum repetatur) dum vero est in alijs viuentibus, sub ratione vegetatiuæ particularis, quæ accretionem significat, non reperitur sed in potentijs particularibus cum nomine generico, vel vniuersali distribuitur; ita vt vegetatiua in brutis, vel in homine, quid commune ad generatiuam nutritiuam, & augmentatiuam significet; nec etenim alias operationes præter istas in comparatione ad vegetatiuam imaginari possumus; & hoc est, quod alibi dicemus, animas vniuersaliores, in particularibus rationem potentiarum indui: Idem dicatur de sensitiua; nam in brutis est anima, sed in homine in potentijs, & sensibus distribuitur, ita vt sola in ipsis reperiatur.

Secundò sciendum; quod distinctio formalis potentiarum sufficienter sumitur ex diuersis formalibus obiectis, ac ex actibus, seu operationibus: sicut distinctio realis ex remotione, vel desitione vnius cum permanentia alterius. Accipiantur hic quoque potentiæ, vel remote, vel propinque, vt alibi in q. 24. dictum est, & eodem modo de istis philosophemur, sed pro adolescentibus, distinctè conclusiones tres ponamus.

Prima. Potentiæ prædictæ in plantis si remotè, vel fundamentaliter sumantur, distinguuntur à se ipsis, & ab anima solum formaliter; de se ipsis patet, quoniam habent diuersas definitiones, opera, & obiecta, pariter est notum de anima, si quidem ipsa est principalis forma, vel pars viuentis, à qua tales potentiæ fluunt; quod autem ab alio fluit; non est penitus idem cum illo.

Secunda conclusio. In alijs viuentibus pariter à principali, cuius sunt, & à se ipsis fundamentaliter sumptæ formaliter solum distinguuntur; quod distinguantur formaliter, potest probari, vt præcedens; quod non alio modo, declarari poterit, sicut de potentijs alijs in quæst.24. dictum est; diximus notanter a principali anima, vt in brutis à sensitiua: in hominibus à rationali; quia vegetatiua est nomen commune illis, cuius natura ab ipsis potentijs separata non reperitur: sicut nullum vniuersale sine suis particularibus.

Tertia conclusio. Probabile est, has omnes potentias debitè dispositas, vel prout recipiunt immediatum organum, quo ad operandum vtuntur, realiter inter se, & ab anima distingui. Probatur; nam vna potest esse sine alia, ac anima sine hac, vel illa; nutritur enim aliquis, non tamen augetur, vel generat; pariter, aliquis generat, non autem nutritur, &c. Imò hac de causa disertissimi Medici alias facultates ad nutritiuam præcipuè attinentes, (vt sunt attractiua, expulsiua, retentiua, & similes) realiter differre dicunt, quatenus vna interdum vigente, aliæ suis destitutæ sunt viribus; nec valet dicere, hoc esse ratione impedimenti alicuius, nam magis propositum confirmatur; si etenim essent idem realiter, si vni ipsarum impedimentum accideret, & alteri. Sed est instantia; visus potest aliquem colorem respicere, & non alium, & tamen non sunt duo visus; quod tamen dicendum esset, si ex eo, quod aliqua desit operatio, arguatur distinctio potentiæ. Respondetur, hoc esse solum ex parte obiecti, quod si esset debitè præsens, vt supponimus de potentijs prædictis, argumentum valeret; ita vt si visus posset hunc colorem percipere, & non alium, non esset idem; sed si ex obiecto accidat, dicatur, vt supra. At Arg. soluamus.

Ad primum dicitur, versari circa idem obiectum materiale; sed non circa formale, vt alibi dictum est: hoc autem sufficit ad distinctionem etiam realem; non etenim æqua est diuersitas obiectorum, & potentiarum, sicut neque causarum, & effectuum.

Ad secundum dicitur, vocari eadem subiectiuè, vel respectu materialis obiecti, ac tandem realiter, prout fundamentaliter sumuntur.

Ad tertium dicitur, re vera substantiam, & accidentia ab eodem agente sæpe produci; sed interdum per diuersas potentias. Sic anima per nutritiuam, substantiam, per augmentatiuam, quantitatem gignit, vel eandem substantiam extendit.

Ad quartum respondetur, quod si pars pertineat ad idem totum generandum, quando generandum erat, maior est simpliciter vera; sed si sit respectu aliorum, res secus se habet; sic virtus generatiua non versatur circa id, cuius est virtus; nam ipsum generaret, sed circa aliud; at nutritiua circa id, cuius est.

Ad quintum dicitur, diminutionem esse priuationem, vel defectũ augmentatiuæ, sicut corruptio est priuatio generationis; quare inter potentias cõnumerari non debent.

Ad sextum negatur antecedens; nam virtus decisiua est veluti dispositio, vel motus ad formatricem, in qua generatiua vis insidet.

QVÆSTIO XXVIII.

Sensus autem in eo, quod est moueri, & pati aliquid accidit. Tex.51.

An potentiæ sensitiuæ sint purè passiuæ.

ARguitur primò quod non, quia si hoc esset, operationes ipsarum non dicerentur immanentes; cum autem sic secundum veritatem dicantur, non sunt passiuæ tantum.

Secundò. Si solum essent passiuæ excederentur innobilitate à potentiis animæ vegetatiuæ; siquidem actiuæ sunt, & actiuum est nobilius passiuo; quod autem non excedantur ex se notissimum est; nobilius namque est sentire, quam augeri, ac nobiliora sunt viuentia sensitiua, quam vegetatiua, non nisi ex parte animæ sensitiuæ, vel sensuum.

Tertiò. Si essent passiuæ, vel paterentur à se ipsis, vel ab obiecto, vel à specie sensibili; non à se ipsis: quia idem respectu eiusdem non potest esse agens, & patiens; non ab obiecto: quia agens debet esse simul cum patiente, at obiectum, vt plurimum distat; non à specie sensibili; quoniam cum sit accidens quoddam spirituale, non poterit agere in potentiam corpoream: nam debet esse commensuratio, vel proportio, præsertim si agens per receptionem sui agat, vt accidit in proposito.

Pro intelligentia sciendum est, quod ad quamlibet sensationem, vel operationem sensuum tria concurrunt, videlicet potentia ipsa sensitiua, obiectum sensibile, & species, quæ sensibilis vocatur; quod autem hæc semper necessariò concurrant, ita vt si vnum ipsorum deficiat, non possit fieri sensatio; probatur; nam potentia si abesset, nihil remaneret, quod ad sentiendum aptum esse diceretur; vel si non requireretur potentia, sed solum obiectum, & species sufficerent, vbicunque ipsum obiectum per speciem repræsentaretur, ibi fieret sensatio; quamobrem speculum, & alia corpora diaphana terminata, in quibus repræsentatur obiectum visibile, viderent; ac aer, vbi recipitur sonus, audiret, &c. Quod etiam sit necessarium obiectum, patet; quia ipsum est terminus specificatiuus sensationis; non enim visio nisi per visibile: auditio per audibile terminantur. At quoniam ipsum obiectum ex se non potest in potentias ingredi; non enim lapis est in anima dicit Philosophus, ideo requiritur species sensibilis; quæ nihil aliud est, quam similitudo, vel potius imago ipsius obiecti, nata repræsentare ipsum eo modo, quo est, in minori tamen
Species sensibilis quid. quantitate: sicut Cæsar à parua imagine: animalis; atque est accidens quoddam, quod effluit è natura obiecti naturaliter, non secus quam passio, vel qualibet proprietas à subiecto, nec est penitus immaterialis: imò aliquam habet extensionem maiorem, vel minorem secundum distantiam obiecti à potentia sensitiua, quæ tamen extensio à corpore subiecto recipit esse eo modo, quo accidentia extensa secundum subiectum, in quo sunt, dicuntur; si etenim ex se, haberet hoc; esset quanta, atque cum alio corpore non reciperetur, quod tamen est falsum; nam penetrat aerem, &c. Sed est instantia; quia videretur tunc accidens instar corporis decurrere de obiecto per spatium ad potentiam. Respondetur, nō propriè ab obiecto discedere per medium &c. Sed à virtute ipsius obiecti produci in medium successiuè, sicut lumen à Sole; posset etiam dici primam speciem produci immediatè ab obiecto, ab hac autem aliam, & sic consequenter tali tamen ordine vt prima sit maior, ac ipsi obiecto æqualis, altera minor, & sic semper: vt patet de circulis, quia lapide causantur, sed alter ab altero, quo vsque deficiat impetus, & eo etiam modo, quo ignis, vel flamma, flammā generat per contactum, vel continuitatem; qua quidem de causa prope obiectum æqualis species causatur, è longè minor, & sic semper, quo vsque euanescat; quia iam virtus productiua est diminuta, quo magis recessit à prima origine; & hac etiam ratione maiora obiecta in maiori distantia percipiuntur, quia fortius operantur, vel maiorem emittunt speciem, hæc autem alias, &c. Et fortè sic dici posset de lumine, aliter difficulter transitus accidentis de subiecto ad subiectum saluaretur; quæ quidem philosophia si alicui placeat, recipiat, sin autem, indefitionem exilis intellectus excuset. Sciendum est etiā, quod quamuis in sensationibus exteriorum sensuum obiectum verè præsens, vereque existens requiratur, in internis hoc necessarium non est, sed species obiecti vicem supplet; vnde multa absentia, vt præsentia per phantasiam perspicimus; attamen etiam ipsum obiectum necessarium fuit, vt primam sui speciem in externis sensibus imprimeret, à quibus interni eas acceperunt. Cum ergo species hæ in organis corporeis recipiantur, & maneant, non sunt censendæ spirituales, vt nonnulli arbitrantur; Verum tamen est, quod dicuntur intentionales non alia de causa, nisi, quia non sunt ita reales, vt obiecta; vel quia intentos ad sentiendum efficiunt sensus; Quibus habitis per tres conclusiones quæstionem resoluamus.

Prima. Sensus omnes in comparatione ad obiectum, & speciem sensibilem sunt tantum passiui; probatur; nam solum ab ipsis obiectis patiuntur recipiendo species sensibiles, ad quarum productionem non concurrunt, nec aliquid operantur, quod docet Philosophus in textu prædicto.

Secunda. In ordine ad operationes sensitiuas omnes sunt actiui: tam externi, quam interni: probatur: quia si nihil agerent visio, auditio, &c. essent effectus obiecti, vel speciei sensibilis; & sic rectè diceretur, color, vel species eius videt, &c. imò vbicunque tales species cum obiecto ponerentur, vel reciperentur; ibi à receptiuo fieret sensatio: & sic aer sentiret, &c. Amplius. Sensatio est operatio vitalis; ergo ab anima efficitur. Præterea in hoc 2. tex. 37. habetur animam esse principium sensationis. Atque ab eodem Philosopho q. Metaph. tex. 16. visio dicitur actio immanens.

Tertia conclusio. Causa principalis sentationis sunt sensus: minus principalis obiectum: instrumentalis species sensibilis. Probatur; nam potentia est, quæ verè efficit sensationem, vt diximus; hanc autem nisi adsit obiectum, vel eius species, efficere nequit; species autem ab obiecto dependet, vt instrumentum eius: cum aliqua tamen actiuitate; nam mouet, vel excitat potentiam: vnde sunt causæ omnes actiuæ essentialiter subordinatæ, & alterius ordinis, ita, vt vna non possit supplere causalitatem alterius; vt pater, mater, & semen, licet cum aliquo discrimine: in prima etenim productione, quæ est quasi conceptio, obiectum est quasi pater, quod speciem, vt semen in potentiam, quæ est quasi mater, emittit: at in sensatione, quæ est veluti partus, potentia plusquam matris vim habet: siquidem magis agit, quam obiectum: attamen producendo, & obiectum repræsentando, quasi filium similitudinem patris referentem gignit. Sed argumenta, quæ opposita sunt soluamus.

Ad primum patet: nam quatenus sensus sensationem eliciunt, non dicuntur pati, sed agere.

Ad secundum respondetur, quod quamuis in comparatione ad obiectum, & speciem sint potentiæ passiuæ, vt dictum est, alia ratione sunt actiuæ; præter quam quod, neque hac de causa essent ignobiliores alijs prædictis; nam agens est nobilius passo sibi correspondente, sed de alijs hoc non est necessarium.

Ad tertium dicitur, quod patiuntur ab obiecto, vt à principali agente: à specie, vt ab instrumentali; neque verum est, quod ipsa species sit penitus immaterialis, vt declarauimus.

QVÆSTIO XXIX.

Circa tex. eundem.

An detur sensus agens, distinctus realiter à passiuo.

ARguitur primò, quod sic: nam aliter idem esset agens, & patiens, & per consequens in actu, & in potentia, ac etiam in actu, & non in actu.

Secundò.

Secundò. Datur intellectus agens, & patiens, vt dicetur in 3. ergo multo magis hoc est dicendum de sensu; probatur consequentia; nam sicut intellectus est nobilior potentia, paucioribus in suis operationibus indigens esse deberet; cum ergo hæc duo principia expostulet, vt operetur, sensui, qui est imperfectior, magis aptari debent.

Tertiò. Sensus externi agunt in internos immittendo in eos species sensibiles; ergo alter sensus esse debet, qui ipsorum sensationem adiuuet, quia non minus interni, quam externi sunt indigentes.

Pro intelligentia sciendum est, quod sensus possunt comparari adinuicem, & ad suas operationes adinuicem sic, quod vnus sit prior alio, ac ad ipsum ordinetur, ad suas operationes, quatenus sunt causæ illorum. Si ergo primo modo considerentur, aliqui sensus sunt realiter agentes respectu aliorum præcipuè interni; nam phantasia adiuuat memoriam, & ipsa à sensu communi adiuuatur. Secus tamen de externis dicendum est; nam adinuicem non sunt subordinati. Si autem fiat comparatio secundo modo, non datur sensus agens, sed vnus, & idem (diuersa tamen ratione) est agens, & patiens, vt in præcedenti quæstione probatum est. Cum etenim obiectum cum specie sit debitè præsens, ex se absque alio sufficiens est quilibet sensus suam edere sensationem natura autem nihil facit superfluum, ad quid igitur alius sensus? Amplius, sentire formaliter est recipere simul, & producere sensationem; at idem potest esse productiuum, & receptiuũ in actionibus immanentibus, ac etiam in accidentibus, quæ à substantia in se ipsa producuntur; ergo vnus sensus id efficere potest respectu propriæ operationis. Præterea. Vel hic sensus agens sentiret, vel non; si sentiret, vel idem obiectum, quod sentit patiens, vel aliud. Si idem, superfluus esset; si aliud, esset sensus diuersus, nec alterius actiuus; vnde plures, quam consueti essent connumerandi. Sed diluamus argumenta.

Resol.

Ad primum dicitur, quod respectu actionis æquiuocæ nullum est inconueniens, quod idem sit agens, & patiens; vt aliquis se ipsum intelligit, amat, mouet, &c. Sed hoc esset inconueniens respectu actionis vniuocæ. Dicitur actio æquiuoca, cuius terminus est alterius naturæ ab agente. Vniuoca, quando est eiusdem naturæ; vt si homo hominem generet, calor calorem; &c. sunt actiones vniuocæ, nec idem potest esse agens, & patiẽs, nempe generans, & genitum, &c. At si homo intelligat, est actio æquiuoca: pariter sentiens, & recipiens sensationem; in quibus idem agere, & pati potest.

Ad secundum negatur consequentia, vel similitudo; nam intellectus circa vniuersalia negociaturus, abstractione indiget: & si sit nobilior potentia, nobilius quoque operatur; vnde non est magis indigens, cæteris paribus.

Ad tertium patet, quod de hac actione non loquimur; neque etiam est verum, omnes agere in alios, sed quidam solum speciem alijs præsentant; nec tamen sequitur, quod etiam ab alijs immutari debeant, sed sufficit, vt hoc fiat ab obiecto, vbi sistendum est.

QVÆSTIO XXX.

Dico autem proprium quidem, quod non contingit alio sensu sentiri, & circa quod non contingit decipi. Tex. 63.

An sensus circa proprium obiectum decipi possit.

ARguitur primò, quod sic. Nisi sensus circa proprium obiectum interdum deciperetur, vel decipi posset, sequeretur, quod ex ipso infallibilem, & immutabilem eliceremus veritatem; & sic omnes cognitiones, omnesq; scientias sine errore, ac etiam sine formidine, habere possemus; quod quam sit falsum, ex se notissimum est; consequentia patet; quia omnis nostra cognitio ortum habet à sensibus; ergo si in illis non sit deceptio, neque in intellectu erit, cum sit potentia nobilior, & ipsius sensus regula, & correctrix.

Secundò. Experientia patet, multos contingere errores circa propria obiecta; colorem etenim viridem, nigrum quandoque iudicamus: saporem dulcem, amarum, &c. ergo.

Tertiò. Error, vel deceptio consistit in affirmatione, & negatione; nam idem sonat error in cognitione, quod falsitas, quæ in affirmatione, & negatione consistit; at affirmare, & negare est opus intellectus; ergo non benè quæritur, si sensus erret, vel non, cum neutrum ipsorum sibi competere possit.

Pro intelligentia sciendum est, quod triplex est obiectum sensuum, videlicet commune, proprium, & per accidens; commune est, quod à pluribus sensibus percipi potest, vt figura, magnitudo, &c. Proprium est, quod ab vno solum percipitur, (loquendo de sensibus externis; nam interni sunt, quasi semper subordinati, & circa idem obiectum, vt dicetur,) vt color à visu, sonus ab auditu, &c. Per accidens autem est, quod cum aliquo istorum copulatur, vt substantia, vel accidens diuersum; substantiam inquam: quia videndo Franciscum, nempe figuram, colorem, & quantitatem eius, etiam ipsius substantiam, vel naturam videre dicimus, quod tamen est per accidens; pariter sapor comparatus ad visum est per accidens; sicut si videamus fructum aliquem dulcem, ac dulce videre dicamus; circa quæ contingere errorem omnibus est notissimum; ex similitudine enim cum melle aliquod mel esse iudicamus, quod quidem non est. Verum hæc deceptio est sensus communis, de tali obiecto iudicantis. Pariter de sensibilibus communibus error accidit; nam aliquid quiescere credimus, quod tamen mouetur, ac multitudinem aliquorum ita confusè interdum percipimus, vt vix vnitatem, vel confusionem cognoscamus; & sic accidit error circa ipsa, non tantum in modo; sed etiam simpliciter, puta vnum pro alio accipiendo; quod nunquam contingere potest de obiecto proprio; non etenim visus saporem, vel gustus colorem percipiet. Pro obiectis itaque sensibilibus proprijs sciendum est, quod possunt considerari sub propria, vel peculiari specifica ratione aliquorum; ac sub communi, & vniuersali; v. g. si omnia, quæ ab auditu percipi possunt, sub ratione soni percipi dicantur erit secundum rationem communem; si vero dicantur, auditum percipere sonum acutum, vel grauem, erit sub perceptione, vel modo considerandi particulari. Quibus habitis duę ponantur conclusiones.

Prima. Nullus sensus decipitur circa proprium obiectum sub ratione communi illius; vt visus nunquam decipitur circa colorem, ita nimirum; quod non colorem pro colore percipiat; probatur; quoniam tunc non esset amplius visus, sed alter sensus; percipiens namque saporem est gustus, atque potentiæ à proprijs obiectis specificantur: licet non à communibus, vel per accidens.

Secunda. Sensus circa obiecta particularia propria sæpe decipiuntur, nisi tres adsint conditiones; videlicet, debita approximatio obiecti, conueniens dispositio medij, ac bene disposita potentia, vel organum: si autẽ hæ adsint non decipientur. Probatur; quia nulla erit causa, vel occasio deceptionis, hac autem remota aufertur error. Ex parte itaque distantiæ error contingit, quia species diminuuntur, vt dictum est; quamobrem colorem rubeum, nigrum iudicamus; atque quadratam turrim sine angulis; imò non coloratam cum colore, vt patet de Cęlo.

Ex parte similiter medij diuersimodè affecti hoc accidit;

cidit, vt Solem rubeum, vel album, aut subobscurum videmus ob interpositos vapores inter nos, & ipsum. Pariter ex parte potentiæ id accidit; nam infirmus dulce amarum iudicat ob linguam amaro sapore affectam; lippus similiter errat circa colores, &c. Sed satisfaciamus Argumentis.

Ad primum patet, quod quandoque decipitur, & sic accidit defectus in intellectu; quamuis negari quoque posset consequentia; nam & si nunquam sensus deciperentur, adhuc intellectus decipi posset, eo quod multa à sensibilibus abstrahendo, simulque complicando non perfectè ipsa attingere, ac connectere potest, nec obstat, quod sit nobilior potentia; nam versatur circa plura, & difficillima cognoscibilia; quare sicut ex hoc nobilior cognoscitur; sic magis quoque in operando est defectibilis.

Ad secundum patet; nam id accidit ex distantia, & sub ratione particulari.

Ad tertiam dicitur duplicem esse errorem, scilicet complexum: & hic in affirmatione consistit; alter est incomplexus, qui consistit in simplice apprehensione; puta dum vnum loco alterius percipitur; verum est tamen, quod iudicium huius erroris ad sensum communem, vel etiam ad intellectum attinet.

QVÆSTIO XXXI.

Communia autem motus, quies numerus, figura, magnitudo. Tex. 64.

An sensibilia communia sint quinque.

QVinque esse sensibilia communia tradidit Philosophus in textu, videlicet, motum, quietem, numerũ, figuram, & magnitudinem, at tamen aliquæ se se offerunt contra hunc numerum obiectiones. Prima. Sensibile dicitur, quod potest mouere, vel immutare sensum; hoc autem quies efficere nequit, cum sit pura priuatio, quæ nullam habet actiuitatem: ergo non debet inter prædicta connumerari. Secunda. Dicuntur sensibilia communia, quæ ab omnibus sensibus percipi possunt, vt docet Philosophus hoc eodem præcitato textu 64. at hæc non sic se habent, vt cuilibet discurrenti patere potest; non enim auditus percipit figuram, nec magnitudinem: pariter neque gustus & sic facile reliqua singulis applicando sensibus, innotescent.

Tertia. Non tantum prædicta, sed quamplura alia à pluribus percipiuntur sensibus, nimirum situs, distantia, asperitas, lenitas, curuitas, &c.

Quarta. Motus est solum in fieri; ergo à sensibus apprehendi nequit; quia sensatio externorum sensuum solum ad obiecta existentia terminatur, vt dictum est alibi; cum ergo nulla pars motus existat; sed omnes fluant, patet, quod dictum est.

Pro intelligentia sciendum est, quod (secundum aliquos, quos nec approbare, nec reprobare intendo sensibilia communia dicuntur talia, quia vnumquodque est pluribus sensibus commune, vel à pluribus percipi potest; ita vt nullum peculiarem, vel sibi proprium respiciat; at non est necessarium quodlibet ab omnibus percipi; quamobrem idem valet commune, quod non proprium vnius tantum, non autem est idem, quod vniuersale, seu quod conueniat omnibus, vt tangit secundum argumentum. Aliud notandum est, quod hæc sunt quędam sensibilia generica, sub quibus quamplura alia partialia continentur, & ad quæ reducuntur; quomodo autem à sensibus percipiantur, dicetur in sequenti quæstione: nunc solum obiectiones soluamus, ex quorum solutione rata Aristotelis positio absque alia superflua prolixitate habebitur.

Ad primam ergo dicitur, quietem dupliciter spectari posse, videlicet formaliter, & connotatiuè; primo modo est pura priuatio, nec quatenus talis est sensum immutat, vt argumentum probat; at connotatiuè est res ipsa quiescens; vnde sensus est, quod à sensu aliquid quiescere (sicut etiam ipsum moueri) percipitur.

Ad secundam respondetur, non dicere Arist. singula singulis percipi posse, sed verba ipsius sunt hæc (huiusmodi enim nullius sunt propria, sed commune omnibus) quod est dicere; hæc vniuersaliter sumpta non sigillatim, sunt communia omnibus, ita vt conueniant omnibus sensibus, sed non omnia. At (vt verum fatear, & philosophando loquar) magis videtur extorsio, quam legitima sensus interpretatio; ideò dicamus cum Themistio, secundum mentem Philosophi re vera esse omnibus omnia communia (quamuis sic modo exposito defendi possit, & secundum etiam primum notabile.) Secundum igitur hanc viam negari potest, auditum non percipere magnitudinem, & pariter figuram soni; accipiendo proportionaliter magnitudinem, & figuram; quę positio, vt clarius percipiatur, per singulos sensus de singulis his sensibilibus discurramus. Visus itaque percipit magnitudinem, figuram, motum, quietem, & numerum rerum visibilium; hoc autem de se notissimum est, ideo non est immorandum. Auditus pariter magnitudinem, & paruitatem soni percipit, nec alia magnitudo est expetenda, nisi quæ rei sensibili conuenire potest; vel dicatur, quod percipit magnitudinem, puta spatium, per quod sonum transit; non enim eodem modo, qui in parua, & magna distantia fiunt, soni percipiuntur; pariter numerum, vel multitudinem sonorum, vt notum est; necnon motum ipsorum; velociter enim, vel tardè ipsos fieri, ac ad nos quoque eodem tempore, vel alio peruenire percipimus.

Propria positio (margin, beside "legitima sensus interpretatio; ideò dicamus cum Themistio")

Declaratur veritas. (margin, beside "positio, vt clarius percipiatur … gulis his sensibilibus discurramus")

Item cognoscit quietem, idest silentium, (eiusdem namque est habitus, & priuatio) aut etiam corpora olim sonantium, nunc non sonare; denique figura, hoc est pulchritudo, vel articulatio, aut consonantia soni, vel cantus, qui quoque figuratus dicitur, sentitur. Gustus quoque magnitudinem saporis, vel cibi: similiter, si quiescat, vel moueatur in lingua, vel palato; ac si sit figuræ acutæ, vel rotundæ, aut cuiusuis alterius: multo autem magis si plures, vel vnus sit cibus, vel sapor percipit, vt notum est; si dicatur hunc esse tactum, nihil valet; nam gustus ex affinitate cum tactu omnia, quæ sunt ipsius, participat, & nomen quoque. Odoratus etiam magnitudinem, vel odoris, vel spatij, à quo prouenit percipit, atque etiam numerum; si enim plures, vel pauciores sint odores, percipimus de motu, & quiete, nulla est difficultas; nam transeuntem, & stantem odorem perspicuè sentimus; figuram verò eam, quam odor habet percipit, nempe temperiem, vel proportionem, quæ est decor, vel figura eius. De tactu tandem nulla est difficultas; cognoscit namque aliquid moueri, vel quiescere; ac esse vnum, vel plura, huius, vel alterius figuræ, atque tantæ, vel tantæ magnitudinis; sic itaque patet solutio argumenti, & positio Arist. At est instantia; nam ipsemet Arist. in de sensu, & sensili cap. 4. habet hæc verba; magnitudo enim, & figura, asperum, & lene, amplius autem acutum, & obtusum, quod in molibus est, communia sunt sensuum, & si non omnium saltem visus, & tactus: quamobrem patet, hæc omnia non esse omnibus communia, vt dictum est. Respondetur, illum non esse locum determinationis, vel disputationis de hoc, ideo non expresse determinat, nec negat, sed vtitur illa dictione saltem, quæ non excludit, sed potius admittit; quasi alibi sit de hoc determinandum, puta hic; qui autem aliam vult recipere sententiam, pro se adducat.

Ad tertium dicitur, prædicta reduci ad illa quinque,

vt

vt distantiam, & situm ad magnitudinem, asperitatem, lenitatem, & vnitatem ad figuram, &c.

Ad quartam negatur consequentia; nã etiã sensationes proportionaliter in successione, vel fieri consistunt; vnde obiectis bene respondent. At pro numero est aduertendum, quod si formaliter sumatur, solum ab hominibus percipitur; si pro multitudine, etiam a brutis quibusdam; neque enim omnes sensus, neque omnia sensibilia sunt indifferenter circa quodcunque animal.

QVÆSTIO XXXII.

Per se igitur sensibilia sunt hæc. Tex. 64.

An sensibilia communia per se sentiantur, & quomodo.

ARguitur primò, quòd non. Nihil per se ab alia potentia cognoscitur, vel sentitur nisi sub adæquato ipsius obiecto contineatur, aliter potentia excederet obiectum, quod quidem intelligibile non est; at hæc sensibilia neque coniunctim, neque seiunctim sumpta sub aliquo determinato continentur obiecto, vt de se notissimum est; ergo.

Secundò, quod per propriam speciem non sentitur; non est per se sensibile, sed per aliud, ac per accidens; nam sentiri per se est non sentiri eo, quod aliud sentiatur; hæc autem communia sensibilia non sentiuntur per propriam speciem, sed per speciem sensibilium propriorum; ergo. Probatur minor; nam sensus per modum vnius coniuncti percipit singulare proprium cum communi sensibili, vt visus colorem hunc cum quantitate, vel figura; ergo id efficitur per vnam speciem: aliter non perciperentur per modum vnius.

Tertiò. Si hæc essent per se sensibilia, possent absque sensibilibus proprijs percipi, & è contra: vt quantitas à visu sine colore, & color sine quantitate; quod quidem cum sit absurdum, fatendum est, vnam esse speciem sensibilem puta obiecti proprij, qua etiam sentitur commune, & sic per propriam speciem non sentiretur, & per consequens neque per se.

Amplius. A numero, & à motu non potest abstrahi, vel sumi species; nam multitudo vnam speciem non facit, nec motus speciem quiescentem: & tamen species quælibet sensibilis vna, ac in sensu quiescens esse debet.

Circa hanc quæstionem Thomistæ ferè omnes, cum quibusdam inter D. Thom. & Scotum neutralibus, hæc communia sensibilia per se quidem sensibilia esse cum Arist. asserunt, attamen propriam speciem emittere negant; imò asserunt esse modos, vel limitationes propriorum sensibilium; ita videlicet, quod color per se, ac per propriam speciem à visu percipiatur, non tamen nisi sit ab aliqua quantitate determinatus; quamobrẽ quantitas illa sine alia specie eam, quæ est coloris, limitat, vel modificat, ac vna sola coloris remanet; quorum argumenta posita sunt in principio quæstionis, dempto primo.

Oppositum tamen sentit Scotus 4. sentent. d. 12. quæst. 3. quem sequitur Ægidius, Iandunus, Albertus Magnus. & alij quamplures (præter Scotistas) Philosophi præstantissimi; quæ quidem positio, cum magis probabilis appareat, operæ pretium duxi illam breuiter vnica distinctione (ab Aduersarijs quoque adhibita, sed malè applicata, vel intellecta) declarare. Per se igitur, (vt ad propositum spectat) quadrupliciter dicitur, scilicet per se primò, vel adæquatè; quo pacto dicimus hominem esse per se risibilem, quia adæquatè, & conuertibiliter est talis. Secundò, per se inadæquatè; quod videlicet conuenit alicui ex sua natura, sed non conuertibiliter cum ipso; quo pacto Socrates est per se risibilis. Tertio, quod opponitur ad per aliud; quo modo quo dicimus homo per se loquitur; instrumentum autem aliquod, vt tuba, &c. si voces formaret, per aliud hoc efficeret. Quarto tandem prout opponitur ad per accidens, vt per se ædificator ædificat: per accidens autem album, &c. Sed aduertendum est, quod modi priores alios inferunt præterquam quod primus in comparatione ad secundum; nam impossibile est, aliquid esse per se primò, & non per se primo tale; quod vero inferant alios declaratur. Quod enim est per se primò risibile, neque per aliud, neque per accidens erit, & sic erit quoque per se, prout opponitur ad per aliud, & per accidens; pariter, quod est per se secundi, neque per aliud, neque per accidens erit. Quod vero est per se, vt opponitur ad per aliud, etiam est per se, vt opponitur ad per accidens, vt quia homo per se loquitur, nunquam per accidens loquitur. Hoc autem per se, quod ad per accidens opponitur, nullum aliud infert. Sed notandum est etiam, quod per se, vt opponitur ad per aliud, non excludit instrumentum, sed aliud principale, aliter nulla forsan esset naturalis operatio; siquidem omne naturale agens indiget instrumentis, vt ignis quamuis per se calefaciat, requirit tamen calorem, quantitatem &c. diceretur tamen non per se, sed per aliud, si ex sua actiuitate propria talis actio non proueniret; sicut calefacit ferrum candens, vel aliud huiusmodi; hæc namque calefaciunt per aliud, puta per alienum calorem. Ex dictis manifestissimus aliorum elicitur error; dicunt etenim, aliquid esse per se tale non primò, sed per aliud, ac (vt ad rem veniam) sensibilia communia esse per se sensibilia non adæquatè asserunt, se per aliud, puta per speciem sensibilium propriorum, quod quam sit absurdum notissimum est ex prædictis; dicere namque Petrum esse per se risibilem, ac etiam per aliud, omnem superat captum: quod enim est per se tali modo, est ex sua natura tale; quod autem per aliud per naturam alienam, & sic patet expressa contradictio. Attamen melius ipsorum positiones reijcientur per oppositam determinationem.

Sit igitur prima conclusio. Sensibilia communia sunt per se sensibilia; hæc est sententia Aristot. & communis; quæ potest sic corroborari; Illud dicitur per se sensibile, quod immediatè ab aliquo sensu percipitur, hoc de se notum est; hæc autem sic se habent; nam visus immediatè respicit, & cognoscit quantitatem, figuram, &c. immediatè dico, quatenus re vera absque vllo auxilio interioris sensus ab ipso cognoscitur; quamobrem subinfero, ad ipsorum sensuum exteriorum cognitionem tam propriorum, quam communium obiectorum non esse opus sensus interioris, qui dicitur communis, sed ipsorum sensuum in ordine ad quos talia obiecta per se sensibilia dicuntur.

Secunda conclusio. Hæc sensibilia communia per propriam speciem distinctam à specie sensibilium propriorum cognoscuntur: imò hæc est præcisa ratio, qua per se cognosci dicuntur. Probatur; nam si cognoscerentur per speciem alienam, iam non per se cognoscerentur, sed per aliud, vel per accidens. Amplius. Vnaquæque species solum rem, cuius est species, nata est repræsentare, sicut imago id, cuius dicitur imago; quare species coloris non poterit repræsentare quantitatem. Si dicatur (vt dicunt) sensibilia communia tradere modum, non speciem distinctam. Contra; nam potius qualitas modificat quantitatem, quam è contra; ergo potius species obiecti proprij haberet rationem modi, quam species obiecti communis; (quod nunc pro re ponatur quantitas, quæ sufficit, nam pariter dicatur de alijs) sicut enim se habent res ad res, ita species ipsarum

tuor qualitatibus oriuntur, quorum vtrunque in vera coloris constitutione requiritur; quamobrem sicut lumen à colore differt, sic isti à coloribus veris. Differt autem lumen à coloribus, eo quod ipsum lumen ad præsentiam corporis luminosi adest, ac in instanti gignitur; in absentia vero in instanti recedit, sine contrario, sine vera successione, nec in productione, nec in desitione, quę omnia opposito modo circa veros colores se habent: nec etenim per solam præsentiam producentis fiunt, nec statim ob eius absentiam recedunt, nec sine contrarietate fiunt, vel pereunt; præterquam quod, sicut lumen est eiusdem speciei, sic etiam colores se haberent. Imò lumen actuat corpus diaphanum, vel indeterminatum, seu in corpore solum diaphano recipitur, color solum in terminato. Colores itaque apparentes, eo quod ex reflexione luminis fiant, à lumine ipso essentialiter non differunt. Sed, quod namque lumen est in collo columbæ, vt inde varij colores ex ipsius reflexione gigni possint? Respondetur, ibi esse sufficientem quendam splendorem, qui ad hoc sufficientissimus existit; vnde sicut colores a vero lumine causati ab ipso lumine non differunt, sic neq; hi à splendore hoc. Sed contra; nam splendor causatur ex repercussione luminis, lumen ex corpore luminoso: cum ergo ibi non sit corpus luminosum, neque lumen, neque splendor erit. Respondetur, omnia hæc ibi esse secundum quid, vel dicatur melius, ex lumine fieri splendorem in prædictis plumis, & coloribus, qui sufficiens est prædictas reflexiones, & colorum varietates ostendere; hi autem apparentes colores. Hi ab Aristotele in libello de coloribus circa principium simplices appellantur, ad differentiam aliorum, qui ex qualitatibus primis fiunt, atque misti, & veri dicuntur, de quibus aliqua breuiter dicamus. Sciendum est igitur, elementa ipsa suis qualitatibus, tam primis, quam secundis ad generationem rerum concurrere, atque secundum diuersas mistiones, diuersas quoque substantias, & accidentia constituere; quamobrē vbi dominatur ignis; ibi est etiam calor, & siccitas; nec non si sit depurgata fęx terrea, aderit nidor, vel splendor, naturam ignis insequens; pariter, vbi densitas, & opacitas cum siccitate terræ dominantur, fit color ater, vel obscurus: At vbi est aquæ, & aeris prædominium, ibi candor, vel claritas viget, nisi aliunde fit offuscatio, hæ itaque qualitates secundæ, puta raritas, densitas, diaphaneitas, opacitas, &c. simul cum qualitatibus primis actiuis, & passiuis sunt colorum productiuæ, ita vt secundæ veluti materia, vel qualitates applicabiles sint, primæ verò, vt agentes, nec non sicut substantia tota ab ipsis producitur elementis, sic per totam sunt colores prædicti, hoc, vel illo modo commisti, secundum dominium prædictarum qualitatum; quamobrem non tantum adsunt in superficie corporis colorati, sed per totum, vt notum est, dum quoduis coloratum corpus diuiditur, & si solum in superficie appareant, vt dicit Aristoteles. Ex dictis inferimus, dupliciter considerandum esse verum colorem, vno modo secundum suam essentiam, & sic est qualitas ex permistione primarum, & secundarum elementorum qualitatum in corporibus mistis causata, apta percipi à visu. Alio modo provt est solum visibilis, vel quatenus aptus est visum immutare, & sic definitur ab Arist. esse motiuum eius corporis, quod est actu perspicuum, quod est dicere. Color est talis naturæ, vt per suam speciem immutet corpus perspicuum, seu per ipsum perspicuū speciem immutat, quovsque ad opacum, vel ad oculos quoque terminetur. At si dicatur, nonne etiam lumen immutat perspicuum? Respondetur, lumen immutare, & actuare simul, sed color immutat tantum. Definitur etiam color in libro de sensu, & sensili cap. 4. hoc modo. Color est terminus perspicui in corpore definito. Quod est dicere, color est, qui terminat perspicuum in aliquo determinato corpore: Seu color est, qui quasi terminus corporis transparentis, in extremo ipsius transparentis corporis respicitur; ita tamen, vt ipse quoque color, in terminato, corpore existat, ac in superficie eius appareat, v. g. per aerem respiciendo visio non terminatur ad aerem, seu aerem non videt, imò terminatur ad corpus coloratum, vel ad colorem eius per aerem transeundo; quamobrem ille color est terminus illius aeris, qui perspicuus est, nec non in terminato corpore reperitur; quæ quidem definitio etiam in ordine ad visum datur; sic namque terminat, &c. nec mirum est, quia per notiora nobis in naturali Philosophia procedimus, ex quibus postea subtiliora indagamus. Sed quęret aliquis, non ne etiam quandoque in profundo corporis colores apparent, vt si sit chrystallum coloratum, &c. quomodo ergo dictum est, esse in superficie corporis terminati? Respondetur id esse verum dum corpus est verè terminatum, & non diaphanum; vel dicatur, reuera speciem coloris apparere, & esse in superficie, quamuis in profundo appareat; sed melius dicitur primo modo. Ex dictis elicitur; nec cęlum, nec elementa pura esse colorata, quia mistionem prædictam refugiunt; secus dicendum est, si ipsa elementa sint impura; pariter nullum corpus interminatum poterit esse coloratum; voco autem interminatum omne purè diaphanum, quamuis esset mistum, vt oculi, chrystallum, adamas, &c. Coloris *Species coloris.* autem species innumerabiles, & quasi semper multiplicabiles sunt; ita ex opposito in his, quam in alijs processisse videtur natura; si quidem compendio studens, determinatas quasi infallibili numero; ita quod nec minui, ne augeri possint sub quolibet genere species statuit, quod potissimum in substantijs elucet; colores autem provt ex naturæ instituto, vel ex hominum placito miscentur, in infinitum multiplicandos reliquit; attamen principales sunt septem, scilicet albus, purpureus, ruber, flauus, viridis, cęruleus, & niger, ad quos omnes alij reducuntur, vel ipsis (sicut omnes quoque albo, & nigro, vt extremis) participant. Ad purpureum namque reducitur croceus, violaceus, &c.

Ad rubrum, rutilus, sanguineus, igneus, flammeus, vinosus, puniceus, &c. Ad flauum reducitur, fuscus, pallidus, luteus, citrius, aureus, æneus, roanus, leonatus, cęreus, &c. Ad viridem; æragineus, herbaceus, &c. Ad cęruleum, glaucus, plumbeus, cęsius, &c. Nomina quoque à rebus acceperunt, vt cæruleus à Cęlo, croceus à Croco, &c.

QVÆSTIO XXXV.

Lumen autem est actus huius perspicui secundum quod est perspicuum. Tex. 69.

An lumen requiratur (ad hoc vt obiectum percipiatur) ex parte obiecti, vel medij, vel potentiæ visiuæ.

De natura, ac diuersitate luminis, nec non de quamplurimis ad naturam ipsius attinentibus, in secundo de Cęlo quæst. 14. sufficienter locuti sumus; nunc solum provt ad visionem concurrit differamus. Sed ante omnia, quid sit perspicuum, declarare oportet; nam cum lumen sit actus eius, atque actus ad potentiam, vel ad id, cuius est actus, ordinetur, sine ipso intelligi non poterit. Perspicuum ergo est triplex, videlicet purum transparens ex qualibet parte, seu de extremo ad extremum, ac omni prorsus colore, ac lumine ex se carens, sicut aer, aqua, adamas, chrystallum, &c. & hoc definitur ab Arist. in hoc libro tex. 68. sic perspicuum est, quod est quidem

quidem visibile, non autem secundum se visibile, vt simpliciter dicam, sed propter externum colorem, quod est dicere, hæc nunquam ex se videntur, sed dicuntur visibilia propter externum colorem; hoc est, dicuntur visibilia, prout visus per ipsa transiens ad externum colorem terminatur, vel species externi coloris per perspicuum transeuntes ad oculum terminantur; vt dum respicimus album, vel nigrum aliquod, hi colores sunt aeri externi; attamen per ipsum aerem videntur, & sic aer ipse dicitur visibilis, vel à visu transmeabilis; quamuis aliqua magis densa, vt aqua, chrystallum, &c. sint per externum colorem, & per lumen verè visibilia; apposito namque opaco, & adhibito externo lumine ex se videntur. Alia sunt perspicua, quæ semper lumine proprio, vel proprio colore, prædita sunt: vt ignis, vitrum, & chrystallum coloratum, &c. Ac tandem quædam sunt perspicua, quæ re vera non sunt per totum transparentia, sed solum lumine participant, & in superficie solum apparent, vt astra, ad quæ omnia colorata reduci possunt, quæ quidem ab Aristot. in lib. de sensu, & sensili cap. 3. perspicua terminata appellantur. At omnia vt actualiter videantur, vel sint medium visionis, lumen, vel proprium, vel extraneum requiritur. Necessarium igitur est, perspicuum præcipuè primum (nempe quod ex se omni caret lumine, & colore) vt obiecta visibilia percipi possint, tanquam per medium; sed ad actum reductum à lumine; quamobrem resoluendo dicamus, ipsum lumen principaliter ex parte medij necessarium esse.

1. Concl. Probatur; nam color ex se sufficiens est emittere speciem; ac potentia supponatur debitè disposita, solum deest dispositio medij; nempe si erit tenebrosum; quam ob rem à lumine disponi debet. Quod confirmatur per ea, quæ habuit Philosophus in hoc lib. tex. 66. colorem videlicet esse motiuum perspicui in actu; ergo hoc quod est medium, actuari debet, vt color appareat.

Secunda conclusio. Quamuis principaliter ex ratione medij requiratur lumen, attamen se tenet etiam adiuuanter ex parte obiecti; quod ex eo patet; nam si obiectum quoque illuminatum non sit, nunquam videbitur; ratio est, quia in principio actionis maxima vis, ac omnis debita dispositio requiritur; quamobrem in origine specierum visibilium ab obiecto debet esse sufficiens medij illuminatio; ita vt medium ex parte, qua tangit, vel est prope obiectum visibile, illuminatum præcipuè esse debeat, aliter non perspicietur.

Tertia conclusio. Quamuis & ex parte medij principaliter, secundariò verò ex parte obiecti sit necessarium lumen, attamen aliquis splendor penes potentiam esse debet; nam si medium prope ipsam esset in magna distantia tenebrosum, non perspiceret obiectum; præterquam quod, dum obiectum illustratum lumine, & colore perspicitur (aliquis ab ipso saltem causatus) adest pertenuis, sed sufficiens splendor.

Quarta conclusio. Lumen non dat esse formaliter coloribus. Patet ex prædictis; nam lumen recipitur in medio, colores verò in corpore terminato sunt. Amplius. Recedente lumine, corpora non essent colorata, & adueniente, omnia haberent eundem colorem, sicut idem est lumen.

QVÆSTIO XXXVI.

De oculorum constitutione.

ET si de his, quæ ad oculorum constitutionem attinent, nihil hic Philosophus, sed in de partibus, & histor. animal. disserat; non abs re tamen puto breuiter aliqua ex illis, alijsque locis hic pro tyronibus (præcipuè cum ad hanc materiam de visu directè faciant) apponere. Sciendum est itaque, oculos ex se consideratos esse corpusculos quosdam dissimilares, figuræ non penitus rotundæ, sed ad rotunditatem vergentis, perlucidos ingentis supra quoslibet externos sensus nobilitatis, eo quod in instanti innumeras rerum sensibilium, maximè verò distantium differentias percipiant, ex quibus per se omnis philosophandi notitia incipit, vt docet Philosophus in principio suæ Metaph. Componitur ex tribus humoribus, & quinque tunicis; quorum omnium radix est neruus, qui dicitur opticus, vel visiuus. Primus humor chrystallinus, vel glacialis appellatur, ex quo substantia, vel moles interna ipsorum oculorum conflatur. Alter humor dicitur vitreus, quia secundum colorem vitro cocto assimilatur, atque est sedes, vel basis ipsorum oculorum; ita vt non secus, atque lapis in calce in ipso oculi fixi sint, ex parte inferiori, seu secundum medietatem; nam altera medietas discooperta ad respiciendum relinquitur. Tertius est humor, qui dicitur albugineus, quatenus oui albugini assimilatur, qui humorem medium chrystallinum circundat, atque ipsum humectat, & refrigerat, calore namque chrystallinus pollet. Prima tunica dicitur aranea ob subtilitatem, quæ tamen est fortis, & transparens, nec non supra opacum posita, reddit imagines rerum, sicut speculum, atque ex ipsa, & chrystallino humore simul conficitur pupilla. Secunda tunica dicitur retina, quæ ex neruo optico procedens humorem vitreum circundat vsque ad telam araneam, ac retina dicitur, quoniam sicut rete diuersis arterijs, ac venis sanguine, plenis distensa est, quo quidem sanguine humor vitreus primo alitur, ex quo vitreo chrystallinus nutritur. Tertia dicitur vuea, quæ super araneam quoque extenditur, humorem chrystallinum, & pupillam secundò cooperiens, relicto tamen paruo quodam foramine, veluti centro in medio ipsius chrystallini humoris, atque vuea appellatur ratione coloris, figuræ, & foraminis, quibus grano vuę sine pedunculo assimilatur; nam quoad colorem granum vuæ subnigræ refert, vt nigredine magnum splendorem retardet, vel moderet; & pariter quoad figuram, vel rotunditatem; foramen verò illud ex quo a grano, abscisso pedunculo relinquitur, ab hoc quoque repræsentatur; & in ipso acies visus maximè viget, ex quo veluti à centro ad circumferentiam, vel ad circumstantia obiecta innumerabiles lineæ trahi possunt; ita vt binæ ad modum piramidis extendantur, quarum conus sit in oculis, basis in obiectis visis. Quarta tunica dicitur cornea, quia est fortis, vt cornu; hæc autem etiam prædictam cooperit, atque in hominibus, & equis diuersos refert colores, vt experientia constat. Quinta tandem, quæ oculum in suis concauitatibus fixum tenet, albuginem cooperit, dicitur alba, vel candida.

Obseruandum est etiam, quod ex cerebro per foramen caluariæ procedit neruus, quem diximus opticum, qui vsque ad concauitates oculorum perueniens, ibi bifurcatur, & vno ramo vnum, ex alio alium oculum, vt fundamentum sustinet, ita vt primo humor vitreus, vt dictum est, super ipsam fundetur, deinde tota reliqua oculi fabrica, ex hoc autem neruo sex fluunt musculi, qui ad sex oculorum motus subeundos inseruiunt; mouentur namque motu quasi recto, sursum, & deorsum, pariter ad vtrunque latus, puta versus nasi extremum, vel angulum, qui dicitur internus, & versus externum quoque; duo alij sunt motus semicirculares, vnus ab angulo externo versus internum, ita vt paulatim tēdat sursum, alter ab interno ad externum deorsum inclinando. Concurrunt etiam, vt partes externæ, vel potius, vt propugnacula ad ipsius oculi conseruationem, palpebræ, cilia, & supercilia. Qui autem exactius de his noscere cupit, legat Vesalium, Valuerdum, aliosque Anatomistas.

QVÆ-

QVÆSTIO XXXVII.

Est autem coloris quidem susceptiuum, quod sine colore &c. Tex. 71.

An visio fiat in humore chrystallino, vel alibi.

Quamplurimas partes ad oculi constitutionem in præcedenti quæstione conuenire statuimus; consequens est, vt in quanam ipsarum potentia visiua resideat, examinemus; at quamuis multæ sint: de duabus tamen, veluti de præcipuis est inter Philosophos controuersia; aliqui namque in neruo optico, quidam in humore crystallino residere arbitrantur. Sed quoniam pro humore chrystallino quæstionem resoluemus: argumenta, quæ in optico neruo manere ostendere conantur, adducamus.

1 Arg. Primum. Omne susceptiuum coloris debet esse sine colore; ex præcitato tex. 71. At humor chrystallinus est coloratus, ergo. Probatur minor ratione, & experientia; ratione; quia omne corpus mistum est coloratum: hic autem humor sic se habet; ergo; experientia, nam si pupilla oculi, vbi hic humor viget respiciatur, absque dubio colorata apparebit. Neruus autem opticus, cum sit magis terreus, vel non coloratus, vel non sic ad viuum existet.

2. Secundum. In præcedentibus determinatum est, nullum humorem esse animatum; at vbi est vis sensitiua debet esse formaliter anima; nam ipsa est, quæ primo sentit, &c. ergo, potentia hæc in tali humore non residebit.

3. Tertium. Si in tali humore fieret, quodlibet obiectum appareret duo, quod est contra experientiam; probatur consequentia; nam ad singulos oculos species obiecti visi immittuntur; ergo bis teneretur, vel vt duo simul perciperetur; clarum namque est, quod vterq; oculus per se videt.

Pro intelligẽtia sciendum est, quod duo in qualibet facultate concurrere possunt, alterum, vt fundamentum, vel basis; aliud verò, vt immediatum susceptiuum, vel propinqua dispositio; & ad rem fundamentum visionis necessariò est neruus opticus, si quidem super ipsum tota oculorum constitutio fundatur, vt dictum est; nec non, quoniam omnes potentiæ, vel à corde, vel a cerebro, vel partim ab hoc, partim ab illo procedunt; quod quidem per neruos, aut per alia proportionalia effici debet, hæc autem fundamentum sunt. Immediatum vero susceptiuum, vel potentia propinqua, (quæ potissimum potentia dicenda est, nam ab ipsa immediatè prouenit actus) est humor chrystallinus. Probatur; nam ibi potissimum visus viget, vbi potest repræsentari imago, vel species rei visæ; hoc autem accidit in humore chrystallino, si quidem instar speculi partem superiorem perlucidam; inferiorem opacam habet. Cuius oppositum de terreo, ac ferè nihil translucido neruo dici potest.

Amplius. Læso hoc humore, visus amittitur, atque circa ipsum remedia adhibentur, tum chrystalleis oculis, tum alijs quoque decentibus. Præterea. Sicut sunt distincti sensus, sic etiam organa distincta esse debent; at neruus est præcipuè organum tactus, vt dicetur; ergo ipse simpliciter, (siue vnus, siue multi) non est organum visus, at si alijs induatur dispositionibus, tunc non erit nisi fundamentum, vel potentia remota; quod autem plenè dispositum est, erit propinqua, & hoc est, quod dicimus, & intendimus. Argumenta autem facilè diluuntur.

Ad primum negatur minor; ad probationem dicitur, non omne corpus mistum esse coloratum, (nisi accipiatur color pro qualibet qualitate visibili,) sed solum non transparens, vt alibi dictum est. Ad experientiam dicitur, pupillam oculi (in qua præcipue viget visiua facultas) apparere nigram ob opacum oppositum, sicut etiam apparet speculum, ex quo potius eius diaphaneitatem, quam colorationem colligimus.

Ad secundum dicimus, purum humorem defluentem, animatum non esse; at hic non est purus humor, sed corpus mistum, vt adamas, cum prædominio humoris, à quo dominatur.

Ad tertium negatur consequentia; ad probationem dicitur ideo non videri duo obiecta, quia per diuersas species, diuersasque pyramides lineales idem natum est repræsentari; sicut si è diuersis locis, vel fenestris aliquid conspiceremus, non tamen plura videretur; pariter si idem bis semel respici posset, vnum tamen appareret, & eodem modo si simul à duobus oculis videatur; Sed nonne sunt duæ potentiæ, vna scilicet vnius, altera alterius oculi? Respondetur, esse duas partiales, vt patet; nam eruto vno oculo, alter cum potentia remanet, quod non accideret si essent penitus idem, vel vna potentia; dicuntur tamen vna ratione naturæ, quia nulla est discrepantia, vtriusque, vel etiam ratione totalitatis. Idem dicendum est de auditu, quibus natura bina fecit organa, ne cito perirent, vel melius proprijs fungerentur muneribus.

QVÆSTIO XXXVIII.

An in speculo videatur imago rei visæ, vel res ipsa.

Scotus 2. sent. dist. 13. q. 1. D. Th. de veritate q. 8. art. 5. & 15. nec non ante ipsos Auerroes de sensu, & sensili, alijque ipsorum sectatores, imaginem, ac rem simul, cuius est imago, in speculo percipi sustinent. Moderni tamen quam plures oppositum credunt, atque nullatenus imaginem, sed rem tantum aspici his argumentis ostendere conantur. Primum. Quicquid videtur, aut est color, aut est lux: hæc enim tantum sub visus obiecto continentur; ac imago prædicta neutrum horum est; nam in speculo neque verus color, neque vera lux a tali imagine imprimitur, vt notissimum est: ergo.

Secundum. Species visualis est homogenea, vel similaris, ac quælibet eius pars totum obiectum refert; atqui in speculo, in alia parte caput in alia pedes, cæteraque membra sese aspectui ingerunt; ergo illa non est species, sed obiectum.

Tertium. Imago diffunditur toto speculo, & tamen id quod aspicitur non in toto speculo cernitur. Imò si esset imago; res non appareret minor, vel maior, quam sit.

Quartum. Imago in sola superficie existere potest; at hæc etiam in profundo respicitur, ergo.

Quintum. Si imago videretur in speculo, vel videretur per propriam speciem visibilem (omnis namque visio fit per visibilem speciem) vel per alienam; non per propriam, quia vel esset eiusdem naturæ cum ipsa imagine, vel alterius; non eiusdem, nam species, vel esse notionale (quod idem nunc est) distinguitur ab eo cuius est species, vt natura diuersa; sicut simulacrum coloris distinguitur à colore; Amplius. Species hæ visibiles (sicut aliæ quoq; sensibiles) distinguuntur specie ab obiectis; quare si imago, & id cuius est, specie differant, pariter hæ species imagines debet ab imagine repræsentata differre specie. Quod autem non cernatur per alienam imaginem, vel speciem, ex eo suadetur, quia tunc visio, quæ circa speculum fit, non esset reflexa, si quidem à speculo ad oculum ducitur recta linea; quamobrem cum reflexa dicatur, quatenus imago in speculo repræsentata, non autem immediatè oculis obiecta videtur, erit eadem imago.

Sextum. Nullum accidens per se mouetur, præsertim motu locali; at hæ imagines per se mouentur, vt patet, ergo non sunt accidentia; ergo neque imagines, quia imagines accidentia sunt intra speculum, vt patet; ergo id, quod videtur, est solum obiectum.

Septimum. Si quod videtur, esset species in speculo recepta, sequeretur, quod ex quacunque parte videretur speculum, posset videri imago, sicut in tabula depicta accidit; at hoc est falsum, quia nisi directè speculum oculo obijciatur, imago non respicitur, vt intuenti manifestum est.

Octauum. Quod non videatur imago, & res simul sic probant; nam eatenus vtrumque respici diceretur, quatenus idem est motus in imaginem, & rem, quam imago repræsentat; quare cum ostensum sit ex prædictis argumentis, aspectum ad imaginem non terminari, solum ad obiectum terminabitur, & sic vtrunque non aspicitur. Hæc sunt prædictorum argumenta, quæ tamen suam positionem nec demonstratiuè, imò fortè nec probabiliter ostendunt, vt credunt, quod ex sequentibus manifestum erit. Exactius igitur de natura specierum sensibilium, & præsertim visibilis præter ea, quæ in superioribus diximus determinandum est.

Sciendum est itaque, ipsas visibiles species prouenire, vel educi ex obiecto visibili in medium, sicut lumen ex corpore luminoso; ita nimirum, quod orbiculariter multiplicentur, & in quacunque parte medij, diuisibiliter tamen; non etenim sunt penitus indiuisibiles, vt patet, dum modo extenso in aliquo corpore diaphano, terminato (vt in speculo) recipiuntur; præterquam quod, cum à corpore extenso proueniant, aliquam habere debent extensionem; Verum est tamen, quod hæc extensio non est terminata ad quandam mensuram sicut obiectum, imò variatur secundum oppositam proportionem ad distantiam, vel ad corpus diaphanum, in quo colliguntur; nam ratione distantiæ, quo magis distat obiectum, eo species minores sunt; vnde in paruo speculo, ciuitates, montes, in ò immensum cæli, ac terræ spatium conspicimus; è contra verò, si obiectum sit propè, vel ipsum solum, vel vix pars aliqua, conspicitur. Quod quidem ex eo accidere potest, quod à principio productæ ipsum melius imitantur, deinde aliæ ab alijs genitæ (vt dictum est alibi) & quo ad magnitudinem, & quod ad virtutem languescunt. Pariter accidit variatio ex parte corporis transparentis; in quibusdam namque speculis paruæ, in alijs magnæ, & monstruosæ videntur, quod ex diuersa diphancitate accidit; sunt etenim accidentia sic exilia, vel flexibilia, vt facile ad multas aptari possint figuras, vel terminos; qui modi sicut quamplurimi naturalia, vel nullatenus, vel malè explicari possunt. Multiplicantur diximus orbiculariter ex obiecto, quia ex hac figura, facilius fit vndecunque diffusio; obiectum vero ex qualibet parte natum est perspici.

At quamuis hoc pacto hæc fiat multiplicatio, in ordine tamen ad potentiam visiuam, & ad quodlibet corpus transparens, seruatur figura pyramidalis linearis; ita nimirum quod basis sit in re visa, cuneus in oculis; ita vnde imaginandum est, constitui pyramidem ex tribus lineis, quarum media dicitur à perspectiuis axis, & in centro pupillæ figitur, atque ad centrum obiecti terminatur, secundum quem fit præcipuè, ac magis directè visio; vnde ipso variato, variari videntur inuariata obiecta, & stabili ipso manente obiectis motis, immota respiciuntur; sic itaque montes, & arbores videntur moueri motis nobis in naui, quatenus hic axis variatur, quod pariter accidit, si alia causa id fiat, nempe compressione, ebrietate, &c. agitantur namque spiritus. Atque duabus nauibus simul, & æque velociter motis, neutra moueri videtur, quatenus non variatur axis. Per hanc quoque sagittarij oculum vnum claudentes scopum sagittis attingunt, ambobus namque oculis apertis, duæ educuntur axes, ex duobus oculis; quamobrem aliqualiter obiecti situs variari videtur.

Nec non directè melius quodcunque obiectum, quam lateraliter aspicitur, & in aliqua parua distantia, quam nimis propè oculum, vel nimis procul; nam axis hic instar veræ lineæ aliquam habere debet extensionem, summam verò non requirit, eo, quod species euanescunt. Similiter omnia rotari apparent ei, qui se in gyrum vertit, quatenus circulares quoque axes suo circumuntur modo, ac duo obiecta videntur, si oculi confricentur, ob axis pariter combinatam varietatem.

Sit secundo notandum. Quod species prædictæ non sortiuntur penitus naturam suorum obiectorum: sic namque essent obiecta ipsa, sed solum superficie tenus ipsa repræsentant; declinant autem præcipuè ratione oppositionis; nam & si duo sint obiecta contraria, atque simul existere nequeant, non tamen sunt contrariæ species, imò, & in eodem medio, & potentia omnes se compatiuntur, absque confusione, absque repletione, maximoque cum ordine, sicut inter omnia forsitan hoc est maximum, & imperceptibile naturæ miraculum.

Declinant quoque à natura artificialium imaginum, imò eo præstantiores existunt; quo arti natura præcellit; quamobrem omnia, quæ in artium imaginibus reperiuntur, adamussim his adaptare est eorum, qui crassa philosophantur Minerua. Quibus sic breuiter declaratis, ponitur hæc conclusio.

In speculo videtur imago, & obiectum cuius est; ita tamen, quod visio ipsa immediate in imaginem, vltimatè ad obiectum terminetur, & per consequens in speculo est quidem imago naturalis obiecti. Quod itaque ibi videatur imago; probatur. Nam, vel respicitur quod ibi est, vel quod non est; non potest dici, quod videatur id, quod ibi non est, quia est ridiculum; & circa sensus infinitæ contingerent allucinationes; ergo quod ibi est; at ibi non est verum obiectum; quia montes, & ciuitates in speculo non continentur; ergo imago ipsorum.

Præterea, in illis, quæ in speculis videntur, fit notabilis variatio, situs, figuræ, fracturæ, reflexionis, &c. quorum nullum tunc obiecto contingit, vt manifestissimum est; quare si id, quod aspicitur, esset simpliciter obiectum, illud in se esset sicut videtur, & ad placitum secundum diuersam speculorum constitutionem monstra effingere possemus, Amplius.

Hæc est expressa Aristotel. sententia (quomodocunque ipsum extorqueant aduersarij) in 3. de Anima, textu 38. & in 3. Meteor. cap. 4. illic namque ait, non lapidem, sed formam, vel speciem, aut imaginem eius in anima existere; quare si species rei est in anima, quia ibi repræsentari potest; pariter eadem ratione erit in speculo, cum ibidem etiam repræsentetur. In Meteor. autem; Antipherontem Oretanum suam imaginem in aere vidisse affirmat.

Quod vero in obiectum quoque visio vltimatè feratur, facili suadetur negocio; si quidem quælibet imago, quodlibet ve signum, siue naturale, siue voluntarium, præter se ipsum aliud quoque, (& fortè principaliter) repræsentat; nec huic aduersarij contradicunt. At nunc ipsorum argumenta soluamus, ex quorum solutione illustrior hæc positio euadet.

Ad primum dicitur, quicquid per se, & vltimatè, vt obiectum terminans visionem videtur, reuera esse colorem, vel lucem, &c. at quod videtur, vt alterius repræsentatiuum, non sic se habet, sed sufficit, quod sicut est alterius imago, sic coloris imaginem repræsentet; potest etiam dici, quod requiritur lumen; si etenim speculum in tenebroso loco existat, imaginem non reddit; quare siue proprio, siue alieno lumine imagines illæ sunt prædite; at melius dicitur primo modo.

Ad secundum negatur maior; species namq; ipsa sicut est similitudo obiecti, sic similitudinariam, sed ad id suffi-

sufficientem habet dissimilarem dissimilaris obiecti naturam; nec verum est, ex qualibet parte obiectum totale repræsentare posse, imò pars partem reddit, vt experientia patet.

Ad tertium ob sui ineptiam nihil quidem respondendum esset; quis etenim eiusdem quantitatis imagines semper cum rebus perspexit? aut quis non quotidie in pauco quadrato, gigantes, turres, montes, & vniuersum ipsum coloribus aspicit illustrata? quod si hoc ab arte (quę vix naturæ Simia appellari potest) efficitur, cur à præstantissima natura est auferendum?

Ad quartum pariter nulla esset adducenda responsio, si quidem etiam ex crassa prouenit imaginatione, & similitudine; nec etenim hæc est depicta, sed naturalis imago, quæ transparentia corpora vsque ad opacum permeat; quare ibi potius, vel in fundo apparere debet, quam in superficie; nisi esset speculum impurum, maculosum, vel non bene tersum, tunc namque in superficie appareret, eo quod non faciliter vltra fieret penetratio.

Ad quintum dicitur, imagines istas per proprias videri species, atque has species esse eiusdem naturæ cum his imaginibus; dum autem dicitur, species distingui ab eo, cuius sunt species, vt alias naturas; respondetur, id esse verum in comparatione ad primum obiectum, quod repræsentant, non autem in ordine ad se ipsas reflexas, imò vna aliam multiplicat siue directè, siue per reflexionem, vt dictum est alibi. Similiter dum dicitur, has species distingui per obiecta, respondetur verum esse, de veris, & vltimatis obiectis; neque etenim, hæ species repræsentant imaginem in speculo, vel in alio corpore diaphano, vt in aqua, &c. vt obiectum, sed vt imaginem ad obiectum directum.

Imago à speculo quomodo moueatur.

Ad sextum negatur minor; non enim mouentur, sed euanescunt, ac in alia parte iterum sine intermissione aliæ apparent, vt accidit de lumine, & etiam priuatiuè de vmbra.

Ad septimum negatur consequentia; requiritur namque recta linea ad perfectam visionem maximè harum specierum; imò in quamplurimis imaginibus materialibus, vel artificialibus, hoc quoque accidit.

Ad octauum dicitur, quod sicut prædictis argumentis non bene probatum fuit, solum ad obiectum visionem terminari, sic neque rectè infertur, quod intendunt.

QVÆSTIO XXXIX.

Patiente enim aliquid sensitiuo fit ipsum videre. Tex. 74.

An visio fiat per extramissionem radiorum.

Est opinio Platonis in Timæo, (quam multi insignium Philosophorum, ac Medicorum sequuntur; nempe Alexander, Seneca, Lactantius, Galenus, &c.) visionem fieri per extramissionem radiorum ab oculis, hoc modo; Ab oculis ipsis (dicunt) egrediuntur radij luminosi, qui vsque ad obiecta tendentes, simulque cum externo lumine iuncti, efficiunt obiecta ipsa actualiter visibilia, ac veluti manus quædam ipsam sic affecta; obiecta capiunt, ac animæ cognoscenda, vel aspicienda præsentant. Vel forsan absque hac manucaptione imaginantur, radios prædictos (quos visuales vocant, quatenus à visu egrediuntur) esse simpliciter instrumenta, quibus anima per oculos, obiecta visibilia attingit, eo quidem modo, quo per calamum scripturam, per malleum quamplurima artificialia efficimus; ita vt radij isti non præbeant vniuersaliter lumen visibili obiecto, licet fortè aliquid luminis radios hos participare non negassent.

Quod autem hi radij per quos visio fiat, necessariò sint ponendi, his, quæ sequuntur, alijs ve similibus argumentis ostendere nituntur.

Primum. Omne corpus lucidum radios luminosos emittit; oculi autem sic se habent, nam ignei sunt; ergo emittūt radios, hi autem tendunt in obiectum ab anima, ergo est sufficiens attingentia, ac illuminatio obiecti, animæque instrumentum conueniens; ergo sufficiunt ad visionem efficiendam, & si aliquid desit ab externo lumine, (quod hos radios non admit) suppletur.

Secundum. Sensus habet aliquam actiuitatem circa proprium obiectum, vt alibi declaratum est; ergo non solum imagines ipsorum recipiunt, sed re vera agunt, quod nullo alio modo, quam per prædictos radios effici potest. Confirmatur, quasi melius aliquid videre volumus, oculos acuimus, magno quandoque cum labore; ergo est ex parte oculorum actio in obiectum, & non solum specierum receptio: sic namq; apertos oculos dumtaxat habere sufficeret; quod patet esse insufficiens, & multoties nullam fieri visionem.

Tertium. Nebula à longe perspecta bene videtur, propè verò nequaquam; quod non aliunde prouenit, nisi quia radij in principio sunt fortiores, ac ipsam penetrant, postea ob distantiam hebetes fiunt.

Quartum. Obiectum visibile super oculos positum non videtur, quia radij visuales extendi nequeunt, nec alia aptior videtur assignanda causa.

Quintum. Nisi radij ponerentur vniuersa certissima, Perspectiuorum facultas periret; hæc namque omnia per hos radios visuales demonstrat; quod quidem passim efficit etiam Arist.

Sextum. Nisi per radios, sed per species receptas, fieret visio, tria sequerentur absurda. Primum, quod innumerabiles, vel fortè infinitæ species simul in eodem oculo, & eodem puncto medij essent, quod videtur ridiculum, ac summæ confusioni obnoxium. Secundum, quod semper absque intermissione ab obiectis manarent; vnde virtus ipsorum effectiua specierum (cum non sit infinita) deficeret. Tertium, quod hæ species ordine præpostero obiectum repræsentarent; nam si à facie erit verbi gratia similitudo perfecta secundum partem anteriorem ipsius faciei procedet; quare à posteriori respicienti eam in speculo, non facies, sed opposita pars apparebit.

Aristoteles autem in præcitato textu, sed expressius, & ex professo in de sensu, & sensili capit. 1. cum vniuersa schola Peripatetica oppositum sustinet, ac visionem per intus susceptionem, seu per receptionem specierum ab obiectis fieri defendit. Obiecta etenim ipsa, numquam sunt in natura otiosa, ac ex mirabili summi opificis sapientia, sui imagines in quocunque puncto respici possunt, nec non suarum quoque partium aliqua indiuisibilitate mittunt; quod quidem non solum ijs, quæ aliqua prædita sunt actiuitate conuenit; sed etiam quantitati continuæ permanenti, quæ actionum expers consueta est appellari; excluditur namque à reali actione, non autem ab hac notionali; per has igitur species in oculo receptas cum animæ quoque attentione, & actiuitate, non autem per emissos ab oculis radios visionem fieri meritò, & rationabiliter Peripatetici sustinent. Quorum potissimæ rationes, sunt hæ. Prima. Experientia omnibus compertum est, imagines ab obiectis emitti, vt apparet in speculis, in aquis, & in omnibus corporibus diaphanis terminatis, quæ quidem radios visuales non emittunt, quoniam non habent virtutem visiuam; neque Platonici ipsi hoc dicunt; ergo pariter recipi debent in oculis; his autem receptis sufficienter, repræsentatur obiectum, vt notum est, cui si animæ intentio applicetur, frustra, atque ficitij sunt alij imaginarij radij. Hoc est fortissimum. Amplius. Impossibile, & in

in imaginabile est, à parua oculorum pupilla, radios in tanta copia, sicque in immensum extendibiles educi, vt cælum, terramque attingant; nam siue esset lumen, siue aliud accidens, languesceret, ac sensus intellectus nobilitatem quasi in infinitum superaret; nam simul ad multa distinctè cognoscenda ipse intellectus non peruenit. Secus tamen dici potest, si solum species recipiat, quia receptio est passio. Amplius. Radij ipsi non dant lumen obiecto, vt patet, neque imagines delineant, neque eas ad oculos deferre possunt; quare si sic tandem per imagines visio fieret, commodius ab obiectis defluere, quam a radijs fieri potest.

At circa hanc materiam visionis aliquæ supersunt examinandæ curiosæ dubitationes. Prima. Cur animalia quædam, vt Feles, Lupi, &c. noctè vident. Secunda. Cur oculos habentes duplici per singulos pupilla præditos, sunt fascinatores. Tertia. Cur, qui paruos, & profundos habēt oculos, acutius vident. Quarta. Cur ex compressione oculi apparet fulgor. Ad primam dicitur; prædicta animalia, sufficientem ad videndum splendorem ab oculis emittere. Ad secundam (si sit verum, quod supponitur) dicitur; ex mala, & inordinata temperie binas habere pupillas per singulos oculos, atq; ex eadem fascinationes proficisci. Ad tertiam dicitur, ideo prædictos melius videre, quia species magis vniuntur, & minus lumen externum impedit; qua etiam de causa tempore meridiei, ex profundis puteis astra conspiciuntur. Ad quartam dicitur, oculos habere aliquod paruum lumen, quod ex compressione elicitur. At est alia dubitatio. Cur quædam animalia magis de nocte, quam de die vident. Respondetur, id accidere ob debilitatem ipsorum oculorum; à lumine enim magno offuscantur, vel debilitantur, à paruo nequaquam. At argumenta principalia soluamus.

Ad primum dicitur, oculos non esse igneos, sed aqueos, cum aliquali ignis, vel perlucidæ qualitatis dominio, quæ tamen ad efficiendum, quod intendunt, non sufficit.

Ad secundum dicitur, re vera sensus actiuitatem aliquam habere, quæ tamen in percipienda, & attingenda specie, per quam obiectum repræsentatur, consistit. Ad confirmationem dicitur, acui à nobis oculos, quia magis vnitæ recipiuntur species, atque anima instrumenta aptando magis intendit; oculis verò quandoque apertis deest intentio, vel applicatio animæ: vnde non videtur obiectum; imò si essent radij, magis apertis oculis egrederentur, ac visionem efficerent.

Ad tertium dicitur, nebulam à longè perspectam magis in latum accumulatam, ac densam apparere; quare intensiorem ostendit apparentem colorem; vnde facilius species emittit, faciliusque perspicitur.

Ad quartum dicitur, non videri obiectum super oculum, quia omnis sensatio fit per determinatum medium, vt postea dicetur, ibi autem medium hoc deest. Quod de visu præsertim est verum.

Ad quartum negatur consequentia; radij namque à perspectiuis adhibiti sunt ad declarationem, & per modum intelligentiæ, quasi digito obiectum ad oculos per lineas ferri ostendere velint; quod etiam eadem de causa interdum efficit Aristot. quamuis non desint perspectiui, qui hoc credant, sed hallucinantur, quo ad hanc partem, & si in alijs non errent.

Ad sextum negatur primum absurdum; non enim sunt infinitæ, neque confusæ species, sed tot, quot obiecta, & eodem modo ordinatæ.

Ad secundum negatur consequentia; virtus namque naturalis nunquam naturaliter operando defatigatur; neque est propter hoc infinita: quia effectus ex se infinitos, absque dependentia, diuersæ rationis, vel modo creatiuo non producit, quæ omnia infinita vis exigit.

Tertium absurdum pariter non sequitur; neque valet similitudo; quia species hæ sunt penitus simplices, sine parte priori, & posteriori, ideo quacunque ex parte obiectum e directo referunt. Sed remanet quædam dubitatio de Lachrimis; quo videlicet pacto ab oculis fluant. Lachrimæ.
Respondetur à caluaria procedere per duo foramina duos neruos ad oculos, scilicet opticum, qui terminatur bifurcatus ad centrum oculorum; alter vero procedit ad latus, qui quidem est oculorum motiuus, atque extremitatem oculorum tangit, & per hoc foramen nempe inter tunicam candidam, & palpebras lachrimæ ex cerebro fluunt, ex nimia lętitia, vel mæstitia, vel risu, aut fumo, alijsque huiusmodi excitantibus; nimia etenim lætitia dilatantur meatus à spiritibus exultantibus, atque calefacientibus, vnde humorem (non secus, quam vasa distillationis) eliciunt, per aptas vias. Mæstitia verò spiritus cohibentur, ac pori restringuntur; vnde humor exprimitur, sicut ex vua compressa; pariter risus ad lætitiam, fumus ad rationem caloris, reduci debent; omnes namque causæ humorum concitatrices, lachrimas mouere possunt; quod facilius accidit magis humidis, & timidis, vt pueris, & mulieribus, atque his, quorum venæ sunt laxiores. Apparent autem lachrimæ in mæstitia calidæ, in lętitia frigidæ, quia mæstitiæ tempore, calor confugit ad cor; vnde partes externæ frigidę lachrimas tepidas, vt calidas, percipiunt. Ac tempore lætitiæ, spiritus cum calore à corde per totum diffunduntur, & sic partes illæ calidæ lachrimas, vt frigidas sentiunt, & si calidiores tunc existant, à calore prædicto, quam in mæstitia. Ex dictis sequitur, aliquos mæstitia interire, quia plus quam possit cor, ac alia intestina constringuntur; vnde etiam manifeste apparet capitis, ac totius corporis in afflictis inclinatio, quia deest deferens calor. Pereunt pariter aliqui lætitia, quatenus cor, debito destituitur calore, qui ad extrema se dilatauit. Mœror, mæstitia, & lætitia quomodo.

QVÆSTIO XL.

Fit autem secundum actum sonus semper, &c. Tex. 77.

An sonus sit ictus, vel qualitas, vel aliud.

TRaditur differendi occasio ab Aristot. qui sonum ipsum ictum, seu percussionem, vel motum appellat; 1 Arg. 2.
Præterquam quod. Id, quod in successione consistit, vel paulatim acquirit esse, est profecto motus, vel aliquid ad ipsum pertinens; sonus autem sic se habet, vt patet; ergo. Amplius, vel esset qualitas prima, vel secunda; (aliud namque accidens esse, rationabile non est) non prima, quia solum notissimæ quatuor elementares primę dicūtur; neq; erit secunda, quoniā hęc ex primis insurgit; quo pacto nō se habet sonus; non enim ex calido, vel frigido, aut humido, vel sicco efficitur, sed ex corporibus duris, lenibus, &c. Denique omnis qualitas, vel est corruptiua, vel perfectiua: at neutra horum est sonus; quoniam solum primæ quatuor corruptiuæ dicuntur; nec esse potest perfectiua, nam validissima corpora quandoque dissipat.

Pro intelligentia sciendum est, quod sonus dupliciter considerari potest, videlicet materialiter, & formaliter, seu quidditatiue; cōsideratur materialiter, si omnia speculemus, quæ ipsū necessariò, vel in productione, vel in progressu suę durationis comitantur, quo pacto dicimus, odorē esse vaporosā exhalationem ex sicci supra humidum dominio prouenientem; quæ ideo materialis consideratio appellatur, quatenus quamplurima istorum materiā eius respiciunt, vel concomitantur. Sonus itaq; consideratur materialiter, si ex quibus fiat corporibus, vel motibus speculemur. At formalis consideratio est, si puram ipsius naturam veluti ab omnibus abstractam, meditemur.

Dici-

1. Concl. Dicimus, ergo primò, sonum materialiter sumptum, quatuor necessario includere, nimirum tria corpora, & motum aliquem; corpora inquam, quorum duo, vel ad inuicem se percutiunt (dummodo sint dura, lenia, &c. vt in textu visum est) vel vnum percutiat aliud, atq; etiam tertium interceptum, ex cuius fractura, vel attritione motus, ac sonus eliciatur; vt quando manus manum percutit, ac aer mediat, manifestissimè hæc corpora apparent; & interdum vnum dumtaxat corpus in varias partes se reflectens vicem trium gerere potest, vt dum vna pars aquæ aliam percutit, mediam etiam aliam includendo. Quod etiam requiratur aliquis motus ex eo patet, quia percussio ipsa sine motu nec esse, nec cogitari potest; imò est experientia notissimum, nullum fieri sonum, si nullum corpus mouetur. At est instantia, quoniam corpora se percutientia ad causam effectiuam soni potius, quam ad materialem attinent; ergo hæc consideratio non est secundum materiam soni, vt dictum fuit. Respondetur, causam effectiuam accidentium, etiam ad materialem pertinere; substantia namque efficit accidentia, & ipsorum est susceptiua. Vel dicatur, causam materialem esse, aut ad materiam pertinere, quicquid à pura quidditate, vel fine in accidentibus distinguitur; nec erit inepta applicatio si perpendatur.

2. Concl. Dicimus secundo. Sonum formaliter sumptum, esse qualitatem tertiæ speciei, nempè passionem; probatur ex ijs, quæ habet Philosophus in prædicam. cap. de qualitate; quæcunque enim ad immutationem sensuum attinent (dummodo sint sensibilia propria, nam secus de communibus dicendum est) ad tertiam speciem qualitatis attinere dicit.

Amplius. Nisi esset qualitas, aliud non videretur, quam motus; at esse non potest, quia motus est sensibile commune, (vt visum est) sonus est proprium, ergo.

Amplius. Pertingit sonus ad aures interdum absque motu, vt quamplurimis comprobari potest experientijs; ergo sonus non est formaliter motus.

Amplius. Quorum species, & differentiæ differunt, ea inter se differunt; sic autem se habent species, & differentiæ motus, & soni; nam hic diuiditur per acutum, grauem, &c. motus autem, per velocem, tardum, &c. At quæritur, cum omnis qualitas per alterationem acquiratur, quænam alteratio, motum præcedat; respondetur, supplendam esse per hunc terminum sonationem, sicut calor acquiritur per calefactionem. Sed argumenta soluamus.

Ad primum dicitur, Arist. appellare sonum ictum, materialiter, causaliter, vel comitanter, non autem quidditatiuè, & formaliter.

Ad secundum dicitur; re vera sonum pertinere ad motum concomitanter, sicut quamplures aliæ qualitates; calor namque successiuè acquiritur; non enim omnis qualitas acquiritur in instanti, sicut nec quælibet est permanens. At est quædam obiectio; quia alteratio qualibet sic sensim procedit, vt semper perfectiores addat gradus, cuius oppositum est in sono, imò in principio, vel statim fortior est, quam in progressu. Respondetur, alterationem, per quam acquiritur sonus, non esse ex additione graduum, sed ex dilatatione; quamobrem est quædam alia alterationis species à communibus, vel aliarum permanentium qualitatum.

Ad tertium negatur minor; alibi namque dictum est, dari qualitates quasdam neutras, quæ nec sunt primæ, nec ab illis fiunt, inter quas sonum connumerauimus.

Ad quartum dicitur, esse qualitatem perfectiuam; quod vero interdum quassatio accidat, hoc non est ex sono, sed ex corporibus vehementer motis, vt docet Aristotel. in litera.

QVÆSTIO XLI.

Amplius autem auditur in aere, & aqua. Tex. 79.

Quid sit subiectum, & medium soni.

Diximus in præcedenti quæstione, sonum effectiuè à corporibus sonantibus fieri; nunc autem, vbi recipiatur, vel tanquam in subiecto hæreat, breuiter expendendum est.

Quod itaque in corporibus ipsis sonantibus insideat, probatur. Nam ibi est accidens, quod denominat; vt quia albedo denominat parietem album, in pariete est: at sonus corpora sonantia denominat; dicimus namque, campanam sonare, vel sonoram esse, ergo.

Amplius. Accidens, vbi producitur, ibi existere debet, quia transitus de subiecto in subiectum sibi competere nequit; at producitur in corporibus sonantibus; ergo. Denique. Accidentia sortiuntur denominationem à subiecto, in quo existūt, vnde corporalia, si in corpore, cœlestia, si in cælo, spiritualia, si in anima maneant, dicūtur; at soni dicuntur, acuti, graues, armonici, delectabiles, &c. ex parte instrumentorum; ergo in illis existunt.

Pro intelligentia sciendum est, quod sonus est qualitas sensibilis, vel audibilis; quamobrem cum ab auditu percipiatur, nullatenus in corporibus sonantibus existere poterit; vel dicendum esset, ipsa sonantia corpora, cum auditu coniuncta esse, quod quidem absurdius est, & contra omnem experientiam; quamobrem præter ipsa corpora ponendum est aliquod inter ipsa, & auditum intercidens medium, quod sit ipsius soni vehiculum, & subiectum; atque talis naturæ, & conditionis esse debet, vt sit facilè permeabile; nam accidens ipsum (siuè sit sonus realiter, siuè species, de quibus dicetur postea) dispositionem congruam exigit, vt exemplis in alijs innotescere potest, neq; enim species visibiles, neque saporis, aut alterius cuius vis per quodcunq; transire possunt medium; nec tantum permeabile, sed quod cum auditu copulationem habeat, vt extrema medijs connecti possint. Quibus habitis per duas conclusiones respondetur.

Prima. Sonus non existit in corporibus sonantibus. Probatur, quia sic nullo modo ab auditu perciperetur, nisi cum ipsis corporibus coniunctus esset. Amplius. Ipse sonus, vel est qualitas, quæ in fieri consistit, vel motum concomitatur, vnde ictus appellatur; at neutro modo vbi producitur manere potest, vt de se notum est; ergo.

Præterea. Quandoque sonus impeditur à vento; ergo in corpore sonante non existit, quia contingit tunc, nullum ipsum habere impedimentum.

Secunda conclusio. Sonus existit in medio, quod quidem omne corpus permeabile esse potest. Quod existat in medio, ex præcedenti conclusione notum est; nam si in corpore sonante non existat, & cum auditu copuletur, profectò nullibi erit, quam in medio. Quod autem omne corpus permeabile esse possit medium, probatur, quia non tantum in aere, sed in aqua quoque auditur sonus, pisces namque sub aquis degentes, vocem piscatorum audientes fugiunt, vt experti testantur; de aere nulla est dubitatio; neq; dubitandum est de igne, siquidem ipse sit corpus rarum, & magis, quam aer penetrabile, atque ad hoc aptum. Quod verò etiam per alia transeat corporea, puta per terram, ligna, vitra, &c. quamplurimis experientijs comprobari posset; & superfluis dimissis, mugitus alituum in visceribus terræ facti sæpe sæpius audiuntur, vt dictū est in tractatu de terræ

 motu;

motu; pariter clausis omnibus, ita vt certum sit, aerem ingredi non posse, adhuc ingentes sonantium, vel strepitantium corporum audiuntur soni; at quomodo id accidat, dicetur in sequenti quæstione. Verum est tamen, quod aptius medium est aer, si quidem facilius cuilibet accommodatur auditui; atque veluti in medio, tum aquæ cum ignis, & terræ existens, facilis simulque suauis sit fluxionis, quod quidem videtur velle Aristot. in litera. At soluenda sunt Argumenta.

Ad primum negatur maior; sunt namque quędam accidentia, quæ externa dicuntur, quæ alienum denominant subiectum, vt tempus rem temporalem, locus rem locatam, &c. quæ tamen non sunt in re temporali, nec in re locata; nam tempus in primo mobili, locus in corpore locante existit; sic illa denominant corpora sonantia, in quibus non sunt; quamuis ea denominare possint, vt causas à quibus fiunt.

Ad secundum negatur minor, nam sonus producitur à corporibus sonantibus in medio, non in se ipsis.

Ad tertium dicitur ad maiorem accidentia, quandoque denominari à causa efficienti; vt ignitio ab igne, calor ab eodem, & sic in alio sit subiecto, quod pariter accidit de sono.

QVÆSTIO XLII.

Circa eundem textum.

An sonus, vel species eius vsque ad auditum perueniant.

CIrca hanc quæstionem quatuor sunt dicendi modi, atque à quadruplici Philosophantium classe recepti. Aliqui etenim sonum realiter vsque ad auditum peruenire putant, sic nimirum quod à percussione aeris per quam sonus gignitur, aeris particula percussa, atque realiter mota, vsque ad auditum sonum deferens perueniat; quæ est positio Auicennæ, & sequacium. Sed profectò facilè reijcitur; si quidem impossibile est, vnam paruam aeris particulam, in qua primo sonus realiter recipitur diffundi per immensum spatium, atque eodem tempore, in aures innumerabilium audientium peruenire. Secunda est positio Alexandri Aphrodisei; qui censet primam percussam particulam, aliam percutere, vnde alter à primo causetur sonus, atque ab hac secunda alter vsque ad omnium audientium auditum. Quæ positio pariter errat; quoniam non idem tunc sonus principalis corporis sonantis audiretur: sed alter alterius rationis v. g. campana sonat, atque hoç sono propinquior aer, ab illo verò propinquior alter percutitur, & sic consequenter, in prima illa particula campanæ sonus viget, & illic audiretur; at dum aer alium percutit non est percussio campanæ; quamobrem sonus aeris, non autem campanæ audiretur. Tertia est positio Simplicij, qui à prima corporum sonantium percussione totum aerem vsque ad auditum omnium moueri autumat. Sed hic contra experientiam loquitur; parua namque super aquam edita à piscatoribus vox, à piscibus auditur; & tamen manifestissime constat (ita vt oppositum non sit immaginabile) aquam illam nec vniuersam, nec partem moueri. Est quarta
Concl. tandem sententia D. Thomæ, Scoti, ac ferè recentium latinorum omnium; hi namque iure arbitrantur, fieri in principio soni aliquem realem aeris motum; si quidem ex percussione motus causatur; attamen ex obiecto, vel ex sono ipso postea multiplicari species, sicut species visibiles ex obiecto visibili: quæ est expressa quoque Arist. sententia in hoc secundo tex. 121. habet namque hæc verba:

Oportet autem vniuersaliter de omni sensu accipere, quod est susceptiuum formarum sinè materia; ac si diceret; esse receptiuum specierum, non autem obiecti realiter existentis, sicut in visu non est lapis, sed species eius; hæc itaque vt vera, & peripatetica doctrina amplectenda est. Pro cuius tamen intelligentia, obseruandum est, quod sicut species obiecti visibilis orbiculariter multiplicantur, ita vt vna aliam producat, ab se non dissimilem, sed re vera minus intensam, sic de speciebus soni loquendum est; quod enim circulariter fiat huiusmodi multiplicatio, ex se est manifestissimum; nam vox, vel sonus (dummodo impedimentum non adsit) ab omnibus indifferenter auditur; quod esse nequiret, nisi esset circularis multiplicatio: quod verò per species, & non realiter vsque ad extremum fiat, ex confutatione aliorum opinionum liquet; nec etenim credibile est, quod parua vox immensum aeris, ac aquæ tractum moueat; præter quam quod penetrat sonus, quo nec aer, nec aliud corpus penetrare potest, vt in omninò clausa receptacula, atque terræ concauitates, & ex ipsis ad nos; neque verum est, vt quidam somniant, per poros aerem illuc ingredi, & per aerem sonum; quia aer facilè à quocunque prohibetur corpore; præterquam quod, paruus tunc, ac subtilis ingrederetur sonus, qui longo diffunderetur tempore, secundum illius aeris diffusionem. Neque pariter cum quibusdam dicendum est; quod aer externam partem percutiens, illam internam quatiat, ac sonum gignat; ita nimirum, quod aer sonum deferens hunc huius domus parietem ex parte exteriori, hic autem ex interiori internum percutiat aerem, & sic sonare faciat. Si etenim, hoc esset verum, ingentem vim paruus paruę campanæ sonus haberet, ita vt terræ motum ferè superaret: præterquam quod motionem realem medij supponit, quam reprobauimus: ac etiam, quia non audiretur idem sonus, qui à primo corpore sonante prouenit; sed ille qui ex alijs repercussionibus causatur.

Dicatur itaque vt supra; puta species verè multiplicari; quæ tantæ sunt subtilitatis, & penetrationis, vt parietes, metalla, ac alia superari possint, vt experientiis quotidianis notum est; neque hoc mirum videri debet, si quidem mirabilia sunt naturæ opera; atque idem in alijs magis materialibus qualitatibus conspicimus: caliditas namque, humiditas, & siccitas, frigiditas, sapor, putredo, odor, & hanc quoque, & maiorem forsan efficiunt (vt in dic est videre) corporum validissimorum penetrationem. In hoc autem quoque species visibiles ab audibilibus superantur: quamuis in ratione instantaneæ velocitatis, & remotioris obiecti repræsentandi vincant: ratio est; quoniam sicut visibiles sunt magis immateriales, vel tenues; sic minus cum materialibus corporibus conueniunt, & ab ipsis facilè impediuntur. Vel dicatur, quòd sicut diuersam habent naturam; sic quoque modum se diffundendi. Sed cur species hę audibiles à ventis retardentur? Respondetur, retardationem hanc fieri respectu corporis realiter moti apud corpora sonantia, non autem in speciebus ipsis; qua de causa nulla accidit in visibilibus retardatio, quia in eis nullus adest realis motus.

QVÆSTIO XLIII.

Echo autem fit quando ab aere &c. Tex. 80.

An Echo sit idem numero cum sono, qui prius factus fuit.

ARguitur primo quod non, nam motus reflexus non est idem numero cum præcedenti vt in 8. Physic. probatum est; ergo neq; sonus hic cũ alio, si quidem per refle-

reflexionem efficitur, vt in litera visum est, nec aliquid refert, esse verum motum, vel non; sufficit namq; quod altero non continuetur, vt pluralitatem denotet.

Secundò. Si esset idem numero distinctus, atque articulatus appareret, quod tamen falsum esse experientia compertum est; vix namq; vltimæ syllabæ ex articulatis vocibus ab ipso Echo redduntur.

Pro intelligentia sciendum est; quod in obiectis sensuum species (etiam si infinitæ existerent) pro ipsis accipiendæ sunt; ita nimirum, quod vnaquęque ipsarum, atque omnes simul, vel seorsum sumptæ vnicum tantum obiectum, cuius sunt species penitus indistinctum, atque indiuisum repræsentent; aliter plures idem percipere nequirent sensibile; clarum namque est, speciem visibilem huius parietis, quæ est in oculo Petri, non esse in oculo Francisci; quia idem accidens numero in diuersis subiectis esse nequit, (dummodo sit absolutum, vt accidit in proposito) & tamen, idem numero paries, & a Petro, & à Francisco percipitur; & si per alias, & alias species vsque in æternum id fieret, semper idem perciperetur; eodem modo de sono philosophandum est; cum etenim ipse quoque per species percipiatur (vt superius probatum est) innumerabiles species, quæ ipsum repręsentare possunt, eundem penitus numero reddent.

Conclusio. Quamobrem (concludendo) cum species reflexæ sint quoque ipsius soni species (non secus quam imagines visibiles reflexæ à speculo idem afferant obiectum) non alterum afferent sonum, quam primum, nec per consequens erunt plures soni, sed vnus numero. Quod sic quoque confirmari potest. Si namque esset alter, à quo primo productus esset? nunquid ab antris articulatæ voces formantur? Vnus est itaque sonus realiter, sed quamplures sunt species, quæ ipsum repręsentare possunt. At tres supersunt dubitationes. Prima. Quomodo causetur Echo. Secunda. Cur solum vltimæ syllabæ audiantur. Tertia. An plores eiusdem soni effici possint.

Ad primam (licet satis dictum sit in textuum expositione) breuiter dicitur; ipsum causari ex repercussione specierum, eo quod inueniunt impedimentum, sicut accidit in reflexione imaginis in speculo, vel circulorum causatorum in aqua à lapide proiecto. Verum, corpora hæc esse debent dura, lenia, concaua, & ferè similis dispositionis cum corporibus sonantibus, sicut similem restituunt sonum; quamobrem, vbi oppositæ accidunt dispositiones, Echo non fit. At animaduertendum est, quod interdum ex vehementi motione sonantis corporis aliud propinquum sonat; vt ex sono campanæ, vel bombardæ, fit aeris crepitus, & tunc non est verè Echo; sed sonus primo dissimilis, nec propriè per reflexionem causatur, nec per consequens est idem cum primo.

Ad secundam dicitur, species illas ex reflexione integritatem amittere, sicut accidit aqueis prænominatis circulis; nec non quia species vna aliam pellit, vnde eam confundit; verum, melius dicitur primo modo, quia sic eadem ratione de speciebus non reflexis idem diceretur.

Ad tertiam affirmatiuè respondetur; sicut enim primus sonus reflectitur, sic quoque alij se habere possunt: verum semper essent debiliores, quousque euanescerent. At Argumenta soluamus.

Ad primum conceditur, motum reflexum non esse eundem, &c. tamen nihil concludit; quia quamuis sint aliæ, & aliæ species, eo quod sunt eiusdem obiecti, idem est, qui auditur sonus.

Ad secundum dicitur, defectum illum non arguere diuersitatem soni; sed imperfectionem repręsentantium specierum ob impedimentum prædictum.

QVÆSTIO XLIV.

Auditus autem connaturalis est aer, &c. Tex. 82.

De organo, atque potentia auditus.

Sicut de oculorum constitutione determinauimus, sic opere pretium est aliquid breuiter de organo auditus, ac deinceps de ipsa potentia dicere. Primò igitur (ab externis, & notioribus incipiendo) se se offerunt aures; quæ sic respectu auditus se habeant, vt supercilia in comparatione ad visum; sicut namque illa ad potentiam hanc extrinsecus tuendam, & ornandam à natura condita fuerunt, sic aures; quamobrem ex materia, nec valde dura (ne nimis resistendo frangerentur) nec nimis flaccida, vt competenter resistere aduersis possent, sed cartilaginea in mediocritate consistente constitutæ fuerunt; ac multis abundantes tortuosis anfractibus, vt facile sonus retineatur, ac ipsa auditiua potentia non lædatur, nec aliquid noxium facile ingredi posset; vndè etiam viscoso quodam humore paruum intus existens foramen refertum est, vt paniæ introire volentes bestiolæ caperentur, vel iter eis non pateret. At intra hoc foramen immediatè membrana quædam (quæ tympanum dicitur) reperitur, quæ circulariter se diffundit, ac a tribus ossiculis sustentatur, quorum vnum incudi, aliud malleo, tertium verò stapeclæ assimilatur. Intra hoc igitur tympanum clauditur aer, qui connaturalis auditui ab Aristotele appellatur, & vniuersa hæc constitutio super neruos è cerebro procedentes (sicut optici ad visum) fundatur, per quos etiam animales mittuntur ad auditum spiritus, & per eosdem species ipsius auditus, ad internos sensus feruntur. Hæc autem de constitutione dicta sufficiant. Remanet difficultas de potentia, vbi videlicet vigeat. Aliqui itaque in spiritibus animalibus, qui per prędictas vias decurrunt; alij in illis tribus ossiculis, quidam in tympano residere autumant. Sed nulla harum positio est bona; quia cum spiritus hi non sint animati, vt alibi diximus, potentiæ subiectum (in qua maximè anima viget) esse nequibunt.

Amplius. Hi cito intereunt, citòve regenerantur, quod de his potentijs dicendum non est; sępe sępius etenim homo surdesceret, atque naturaliter auditum recuperaret. Præterquam quod, hi sunt communes ministri omnium virtutum, precipuę motricis; quare auditui specialiter non sunt tribuendi, & sic defectus primæ positionis patet.

Nec secunda aliquod habet fundamentum; quoniam ossa sunt nimis terrea, & sensuum quoque expertia. Errat etiam tertia, quia membrana illa est quasi tegumentum potentiæ; quamobrem non erit propriè potentia, licet esse possit coadiuuans. Dicamus itaque cum Aristot. in præcit. textu, & in 2. de part. anim. c. 10. Potentiam in prædicto aere residere, quod ex eo probatur; quia potentia, & medium debent conuenire, vt habetur in litera; at hic conuenit cum aere externo, sicut humor chrystallinus cum aqua, &c.

Amplius, nihil aptius, quam hic poni potest ex sufficienti diuisione. Attamen duo annotanda sunt; alterum est, quod hic non est verè aer, sed substantia quædam aerea, seu subtilis, viuens, ac maximè aeri similis, vt humor chrystallinus, aquæ. Aliud notandum; quod quamuis in hac potissimum auditus resideat, integrum tamen organum ex omnibus prædictis partibus conflatur.

QVÆ-

QVÆSTIO XLV.

Vox autem sonus quidam est, &c. Tex. 87.

De formatione, & natura vocis.

Habuimus in præcedentibus, sonum ex corporibus percussis, intercepto aere, vel alio corpore ad id apto produci; nunc autem quomodo vox formetur, videndum est; cum etenim sit quædam species soni, ac differentiam perfectiuam addat, peculiares aliquas causas præter eas, quæ sunt soni expostulabit. Sciendum est itaque primò, vocem ipsam non competere, nisi animalibus; nam ex respiratione fit, vt in litera visum est, quam ob rem, quæ non respirant, vt pisces ferè omnes, ac insecta, quam plurimaue alia imperfectiorum animalium non vocem veram, sed sonum, vel bombum, aut strepitum, branchijs, vel alis, aut huiusmodi alijs instrumentis percusso intercepto aere edunt.

Causæ respirationis tres. Animalibus itaque respirantibus tribus potissimum de causis respiratio conuenit, videlicet ad refrigerandum cor, ad efformandos spiritus, & ad vocem formandam. Quamobrem, duæ sunt eis à natura tributæ viæ ab ore versus pectus vsque ad intestina procedentes; vna est circa medium colli ad ventriculum, quæ gula appellatur, per quam cibum emittunt, atque in eius superiori parte est amplior, necnon pars ipsa amplior dicitur Pharinx. fauces, & Pharinx. Sed altera via est quasi ad extremum colli, ex parte anteriori, quæ tendit in pulmonem, & per hanc recipitur aer ad prædicta tria munera obeunEpiglottis. da, ac ligula cooperitur, quæ dicitur Epiglottis, ne cibum per ipsam emittatur; attamen pro necessitate elevatur; hæc itaque via aspera dicitur arteria, prout anfractus inequales habet, ac summum ipsius dicitur guttur, & gurgulio. A pulmone itaque (qui est veluti follis eleuabilis, leuis, ac spongiosus,) per respirationem attractus, foras iterum pellitur, hic autem ad gurgulionem eductus ad placitum animalis detinetur; adiuuante ligula, ac alio iterum successiuè egrediente aere præcedens percutitur, atque vox causatur, non tamen sufficienter distincta; nam ad ipsam sic efficiendam, quatuor adhuc alia concurrunt, videlicet, palatum, lingua, labia, & dentes; nam in palato veluti in debita dispositam concauitate multiplex fieri potest aeris, ac pariter vocis repercussio, & modulatio: lingua autem se habet, vt plectrum, vel præcipuum instrumentum actiuum, & veluti digiti circa fistulas; ita vt ex diuersa motione, aut dispositione ipsius, diuersæ efformari possint voces distinctæ, vel indistinctæ; vnde qui eam nimis humidam, vel concisam habent, balbutiunt; Labia autem prout diuersimodè constringi, ac dilatari possunt ad diuersitatem vocum maximè conferunt; pariter conferunt dentes; nam quia duri, ac lenes existunt, summam vim ad repercussionem habent; at labia, & dentes in quibusdam, præsertim in auibus ab alio proportionali suppleri possunt. Causæ igitur principales vocis sunt anima, aer, sonus, & significatio. Anima est efficiens, aer materialis, sonus formalis, significatio finalis. At instrumentales sunt septem, nempe pulmo, aspera, arteria, gurgulio, palatum, lingua, labia, & quatuor dentes anteriores. Nec tamen alia minus principalia desunt instrumenta, puta musculi quam plures in gurgulione existentes, atque in lingua potissimum nouem enumerantur.

Vox quid. Ex dictis, quæ sit natura vocis facile colligere possumus: est itaque sonus ex repercussione aeris attracti de pulmone per arteriam ad gurgulionem, palato, lingua, dentibus, & labijs concurrentibus ad aliquid significandum; vnde quamuis Aristot. dicat, esse ictum, in sensu causali intelligendum est, quasi diceret, vocem esse sonum ab ictu causatum. At circa illam particulam (ad aliquid significandum) sciendum est, duplicem esse vocis significationem, nempe naturalem, & voluntariam: naturalis est, quæ ex instinctu naturæ ad aliquas naturales passiones repræsentandas prouenit, vt latratus canum, gemitus infirmorum, & hæc est omnibus animalibus vociferis communis; at significatio ad placitum est solum hominum. At pro complemento huius quæstionis, quinque sese offerunt examinandæ curiosæ dubitationes.

Prima. Cur pueri, mulieres, & eunuchi subtilem, vel acutam emittant vocem.

Secunda. An sonus fistulæ articulatus dici possit vera vox.

Tertia. An dictiones integræ à Psittacis, picis, alijsve auibus prolatæ, sint eiusdem rationis cum significatiuis ad placitum.

Quarta. Cur potentia loquendi, vel emittendi vocem inter alias potentias non enumeretur.

Quinta. Cur omnes eandem audientes vocem, idem significatum non percipiant.

Ad primam vniuersaliter responderi potest, id accidere, ex diuersa dispositione arteriæ, & gurgulionis ipsorum; vbi enim multus intercipitur aer, ac per magna egreditur foramina sonus, vel vox grauis efficitur, vbi ex opposito, acuta, vel subtilis; hoc autem secundo modo in pueris, mulieribus, & eunuchis accidit; At peculiaris difficultas est causa huius diuersitatis. Cui responderi potest sic. Naturam in omnibus prædictis secundum proportionem in quadam mediocritate organa vocis efformasse. At in adultis post seminis productionem, vel emissionem, venas omnes amplius dilatari, (vnde etiam facilius sudant, quam pueri, quia humor citius per apertas venas egreditur) quamobrem secundum proportionem, fit amplior gurgulio, & arteria, nec non spirituum perturbatio, quæ ex noua seminis productione accidit, perturbatum efficit in gurgulione retentum aerem, vnde incontinua quoque, & caprina vox editur, donec melius reguletur, & vsu, & dispositione. Cum autem pueri, & eunuchi seminis hac vbertate careant, mirum non est, si vocem grauem non emittant. At mulieres in noua seminis productione aliud patiuntur, puta dilatationes non omnium venarum, sed earum tantum per quas menstruus defluit sanguis; quare vocis grauitas non sic notabiliter accidit. Ex hac etiam diuersa organorum dispositione, diuersæ naturales quoque sunt voces.

Ad secundam affirmatiuè respondetur; nam si plena vox, & integra sonantis per fistulam audiatur, erit eadem, quæ ab ore sonantis prolata fuit; nec transitus fistulæ ipsam corrupit, nec sonus ipse variauit; si verò non audiatur integra, iam corrupta fuit, & in sonum redacta.

Ad tertiam respondetur negatiuè; quia non sunt ex instituto loquentis, vnde sunt æquiuocè, vt homo viuus, & pictus, vel imago, & id cuius est imago; vel dicatur, esse idem materialiter, non autem formaliter, vel ratione finis.

Ad quartam dicitur; potentiam dici talem in ordine ad obiectum; at quia potentia loquêdi, vel vocem edendi aliquod obiectum non respicit, sed potius, quæ ab alijs quibuscunque potentijs percepta fuerint, significat; hinc est, quod non potentia simpliciter, sed omnium potentiarum instrumentum significatiuum, vel expressiuum appellanda est.

Ad quintam dicitur, significatum ad placitum non à voce, sed à voluntate, & intellectu dependere. At significata naturalia, neque omnes percipiunt distinctè, sed confusè, sicut non omnibus ex effectibus nosse causam datum est.

QVÆ-

QVÆSTIO XLVI.

Causa autem est, quia sensum hunc non habemus certum, sed peiorem multis animalibus. Tex. 92.

An hominis olfactus sit peior, quam aliorum animalium.

ARguitur primò, quòd non. Omnis potentia, omnisque sensus naturam, & bonitatem formæ, vel essentiæ, cuius sunt, sequuntur; quamobrem cum hominis anima omnibus alijs præcellat, idem de omnibus eius sensibus, & potentijs in comparatione ad omnes omnium dicendum est.

Secundò. Ea est perfectior, vel magis apta potentia, quam aliæ, in qua exactior reperitur dispositio ad obiectum percipiendum; sic autem se habet odoratus in homine; ergo: probatur minor. Quoniam potentia odoratus est humida, & frigida, odor, calidus, & siccus: ergo ad ipsum est maximè in potentia, & dispositione.

Tertiò. Quamplures percipit, ac delectatur odoribus homo, quam bruta, vt quotidianis patet experientijs de innumerabilibus floribus, mistis, simplicibusve aromatibus, &c. ergo.

Quartò. Odoratus in brutis solum ad cibos conuenienter eligendos, prauosve fugiendos à natura tributus videtur: homini autem etiam ad peculiare oblectamentum; quod ex eo patet, quod quam plures gratum, & suauissimum habent odorem, & iniucundum, ac noxium saporem, vt habetur in litera; quamobrem plures percipit odores; quod quidem esse non poterit, nisi perfectiorem habeat olfactum. Oppositum tamen docet Philosophus.

Pro intelligentia sit primò notandum. Quod potentiæ omnes, vt facilè, distinctè; atque perspicaciter suum percipere possint obiectum, in quadam debita temperie inter extrema videlicet consistente, constitutæ esse debent. Si etenim aliquo sint dispositæ extremo, difficultas percipiendi oritur; nam si extremum sit positiuum, iam facta quasi repletione, alterum recipi nequit. Si verò sit negatiuum, ita scilicet, quod nihil ad obiectum attinens ibi sistat; vix disponi potest: vnde difficilis, vel nulla erit perceptio; v. g. Si lingua nimio abundet sapore, vt infirmis quandoque contingit, alios percipere nequit, eo, quod iam repleta, & impedita est. Si verò nimia scateat siccitate, adhuc difficultas erit in percipiendo, sed prius humectari debet, ac ad quandam temperiem, vel medietatem redigi; pariter oculi (de quibus minus videtur) si colorati penitus existerent, aliquem non perciperent colorem; Si autem penitus diaphani, ita nimirum, quod neque opacum appositum haberent, neque ad videndum essent idonei.

Sic itaque de odoratu philosophandum est; obiectum eius est odor, qui in calida, & sicca fumositate consistit; quamobrem organum ipsius nec nimis calidum, nec siccum, sicuti, neque nimis humidum, & frigidum existere debet; nam ex prima dispositione repletio, ex secunda nimia prouenit resistentia.

Secundò notandum. Quod humanum cerebrum est in comparatione ad ea, quæ sunt brutorum omnium, maximum, quod quidem rationabile est; quia cum sit, & internorum, & externorum sensuum sedes, quorum ministerio ad proprias cuiusque operationes etiam rationales transuehitur anima, vbi plures, excellentioresque tales adsunt operationes, ibi officina instrumentis, & materia ad id apta plena existere debet. Commune autem omnibus cerebris esse frigidissima, & humidissima in cõparatione ad alias partes. Causa est, vt vicissitudinem se adiuuandi cum corde seruare possint. Cor namque suo calore spiritus emittit ad cerebrum, & ipsum attemperat; è contra frigus emittens cerebrum ad cor, ipsum à summo refrigerat calore. Alia est etiam ratio, quia si spiritus à corde ad cerebrum immissi, (qui ad operationes sensuum sunt directi) locum hunc calidum inuenirent (cum ipsi calidissimi existant) ad adustionem, & intemperiem inducerent; vnde non sanæ, sed instar ebriorum, & phreneticorum ederentur operationes; quamobrem sic potius contemperati moderatas efficiunt.

Tertiò notandum. Quod odoratus quatuor affert odorantibus vtilitates; prima, vt per ipsum noxia à salubribus distinguantur; sunt enim quædam sic perniciosa, quæ si gustarentur, necem inducerent: quamobrem per odoratum suppletur, præcipuè à brutis. Secunda. Est corroboratio cerebri; in sua namque magna existens frigiditate, & quandoque excedente extranea, à bonis corroboratur odoribus, simulque grauitas, ac dolor capitis aufertur, vel minuitur, quæ vtilitas ex odore effectiuè, ex odoratu ministerialiter prouenit. Tertia est adiumentum ad respirandum. Quarta, est (præcipuè in hominibus) auxilium ad exonerandum superfluis excrementis caput; per nasum namque veluti per lambicum defluunt.

Quartò notandum. Quod bonitas, vel perfectio potentiæ attendi potest dupliciter; vno modo ex parte distantiæ obiecti; alio ex parte distinctionis; ita, vt primo modo dicatur potentia perfectior, quæ obiectum magis distans, vel paruum percipiat; alio vero, quod plura percipiat, pluresve eiusdem obiecti differentias cognoscat; v. g. si visus aliquis minimum percipiat colorem, vel maximè distantem, erit perfectior primo modo eo, qui sic percipere nequit. Vel alius sit visus, qui nec distantiam, nec paruum facilè percipiat; sed tamen data debita approximatione plures in eadem figura cognoscat, quam alter. Quibus habitis ponitur hæc conclusio:

Homo peiorem habet odoratum, quam multa animalia, & quoad percipiendos odores distantes, & quoad plures ipsorum cognoscendas differentias. Probatur; quia cum organum hoc apud frigidissimum, humidissimum, & magnum situatum sit cerebrum, summa afficitur humiditate, vnde non facile ab obiecto superari poterit; quare, qui humore catharreo abundant, minus odorant, eadem de causa.

Amplius. Raro odores, vel odorare somniamus; ergo species ipsorum non rectè imprimuntur, quod non aliunde accidit, nisi quia non bene perceptæ fuerunt à sensibus externis.

Quod autem nec plures differentias odorum percipiat, quam multa animalia, ex eo ostenditur; quia ad maiorem distinctionem perfectior exigitur potentia, quam ad obiectum e minus percipiendum; at odoratus hominis est ratione prædicta non sic optimè dispositus; ergo. Quod confirmatur auctoritate Philosophi in textu, qui solum iucundos, & molestos odores homines percipere asserit; ecce quod ad paucos ipsum restringit. At dici posset; omnes esse, vel iucundos, vel molestos, & sic omnes comprehendere.

Ad hoc respondetur, verum esse per se omnes odores esse tales; attamen in ordine ad inferendum voluptatem, vel tristitiam ipsi homini sunt pauci. Quod experientia confirmatur; nam quam plura animalia, odores ferarum, aliorumve multorum percipiunt; quorum nullum nos odorem sentimus. At notandum est, non omnia animalia habere perfectiorem odoratum, quam nos, sed aliqua, vt habetur in litera. Sed argumenta soluenda sunt.

Ad

Ad primum dicitur, non esse simpliciter verum, quod omnes potentiæ quoad operationem sequantur nobilitatem formæ, sic namque fortiores leonibus, velociores ceruis essemus. Sed hæ potentiæ sequuntur corporis temperamentum, & præcipuè organi.

Ad secundum dicitur, dispositionem potentiæ non in extremis, sed in temperie consistere.

Ad tertium dicitur, delectari quibusdam; sed hæc, & alia (quamuis forte sine huiusmodi delectatione) à brutis quibusdam percipi.

Ad quartum dicitur; illum esse finem præcipuum, quem assignamus; sed alios nobis esse incognitos; cur namque canis odoratu dominum cognoscit? Cur flores, &c.?

QVÆSTIO XLVII.

Videtur enim proportionem habere ad gustum, & similiter species saporis cum ijs, quæ sunt odoris. Tex. 93.

An odores proportionem cum saporibus habeant.

ARguitur primò, quòd non. Quoniam sapores quandoque sunt dulces, atque circa eandem materiam odores amari; ergo.

Secundò. Odores in prædominio sicci super humidum, sapores è contra, videlicet in prædominio humidi supra siccum consistunt; ergo.

Tertio. Quia si proportionem haberent, etiam ipsorum potentiæ conuenirent; quod quidem falsum est; nam gustus, qui est potentia saporis, per contactum, vel internum medium sensationem facit; at odoratus sine contactu, & per medium externum.

Pro intelligentia sciendum est; proportionem ad rem nihil aliud esse, nisi conuenientiam quandam, vel in immutandas potentias, vel in afferendas delectationes molestiam, vel cognitionem, vel alio modo, quæ quidem resoluendo sextuplex esse potest. Prima ex parte cognitionis; nam sapores sunt notiores odoribus; vnde ex ipsorum cognitione, nomina, & differentias odoribus imponimus; quamobrem dulces, amari, pingues, & alio vocantur nomine sicut sapores: causa autem, cur sapores sint notiores est, quoniam gustus est quidam tactus, quem certissimum habemus, incertum autem, & pessimum habemus odoratum; à perfectis autem, vel imperfectis potentijs, perfectæ quoque, vel imperfectæ eliciuntur cognitiones. Secunda proportio est in ratione mistionis; nam in vtriusque constitutione, vt præcipua materia humidum, & siccum conueniunt, quamobrem vtrique sunt qualitates secundæ, ex eisdem primis diuersimodè temperatis constitutæ. Tertia est ratione concomitantię; semper etenim res gustabiles odorem aliquem habent, quamuis non semper è contra. Quarta ratione finis; nam sæpe sæpius odores ad sapores, vel res saporiferas sumendas incitant; vt de odoribus edulium ante comestionem manifestum est. Quinta ratione cuiusdam tertiæ commistionis; si namque ex rebus odoriferis simulque gratum habentibus saporem, fiat mistio, aptissimum, ac naturæ conuenientissimum præbetur nutrimentum. Sexta tandem in ordine ad immutandas potentias; quia sicut dulcis odor sic dulcis sapor; vel sicut ille amarus, sic iste potentiam ferè æqualiter, voluptate, vel tristitia afficiunt. At est quædam dubitatio, si etenim à notioribus nobis incipiendum est in scientijs, & sapor est notior odore: cur ab hoc non incepit Philosophus? Respondetur, hunc ordinem seruabilem esse via inuentionis, seu in scientijs, quæ sine magistro acquiruntur; at vbi Doctoris sapientia obscura clarissima efficere est sufficientissima, altera seruari potest procedendi methodus, scilicet à dignioribus, vel nobilioribus; sic autem se habet odoratus respectu gusti, sicut è contra, ratione vtilitatis, vel necessitatis; hic etenim est omnium quinque prædictorum sensuum ordo; vt prior nobilitate sit necessitate posterior, & è contra. Quid ergo tenendum sit patet. Argumenta autem soluamus.

Ad primum dicitur, re vera differre prædicto modo odores à saporibus, attamen præhabitæ proportiones non idcirco inficiuntur, si quidem proportio sicut non est identitas, ita cum conuenientia diuersitatem admittit.

Ad secundum eodem modo responderi potest.

Ad tertium similiter. Et quidem in comparatione ad media, per quæ sensus obiecta percipiunt, conuenit odoratus cum auditu, & visu, gustus cum tactu; nam illi per externa, hæc per interna media percipiunt. Attamen gustus habet proportionem cum odoratu: quod intelligendum est ratione immutationis, vt dictum est in sexta proportione.

QVÆSTIO XLVIII.

Duri enim carne inepti mente, molles autem carne bene apti. Tex. 94.

An hoc sit verum.

ARguitur primò, quòd non. Mentis aptitudo, vel ineptam bonam, vel malam sequitur complexionem; at mollities ad malam pertinet; ergo, qui sic se habent, sunt mente inepti, sicut è contra apti esse debent, qui duri carne existunt. Probatur minor; nam mollities ex dominio humidi prouenit; hoc autem est paucæ, vel nullius actiuitatis, sed potius corruptionis fomes; quomodo, ergo ex ipso mentis ardor, & viuacitas, (quæ ad ipsius attinent perspicacitatem) colligi potest?

Secundò. Anima rationalis proprias habet operationes à sensibus non dependentes, aliter non esset immortalis; quamobrem cum sine ipsis operari possit, nihil sibi obest, vel prodest, talis, vel alterius temperiei esse corpus, in quo sensus fundantur.

Tertiò. Si prædicta propositio esset vera; qua magis aliqui carnis mollitie abundarent, eo ingeniosiores essent; quod quidem falsissimum esse, omnibus est compertum; Hi namque, vt plurimum, effęminati, molles, pusillanimi, inertes, absque virtute, absque spiritu, sed sæpe omnibus ferè immunditijs procliues se se verbis, & factis ostendunt.

Pro intelligentia sciendum est; quod anima rationalis licet ponatur immortalis, atque separabilis, nec non proprias habens operationes; attamen pro hoc statu nullam ipsarum exercere potest, sine præuio sensuum ministerio; ita scilicet, quod saltem in sua prima operatione eis necessariò vti debeat, quamuis fortè in alijs non ita opus sit; vt suo loco dicetur. Quare quemadmodum scriptor melius, vel peius characteres secundum dispositionem calami format; sic quoque anima intellectiua elicit actus secundum sensuum meliorem, vel peiorem agilitatem, vel dispositionem. At sensus omnes sicut organa mista supponunt, sic omnium ipsorum fundamentum est temperies, quæ præcipuè tactum, vniuersumque animalium corpus constituit. Ex optima itaque temperie, perfectus tactus, perfectique omnes sensus efficiun-

efficiuntur, ac ex perfectionibus istorum, aptius ad operandum ministerium menti, vel intellectui præbetur.

Secundo notandum; Quod hominis perfecta complexio in eo consistit, vt faciliter munera omnia sensuum internorum, & externorum exequi valeat: hoc autem præstò efficitur, si organa nec in duritie quadam consistant, vt species, aliasve functiones suscipere queant; nec in tali mollitie, & flaccendine, vt nullam vim retineant; sed mediam quandam temperiem exigunt; quæ quidem dominium ignis, & aeris includit, (supposita pro materia terra, & aqua; nam omnia quatuor elementa requiruntur) ignis ratione actiuitatis, & spirituum; aeris ob quandam mollem, sed agilem, atque subtilem, & absterfam mollitiem; hæc namque cedit, nec valde aufugit, vel resistit. Hi autem, qui hanc habent dispositionem, plenè candidum, vel pallidum colorem non habent, sed potius subnigrum, quodam tamen nitore, aut viuiditare fulgentem, qui tamen si ad albedinem quandoque flectatur, alios retinet igneos colores, vel sub rubeos, quæ complexio sanguinea est. In quibusdam verò ignis cum terra, sed præcipuè ignis dominatur; & hi subobscuri existentes, atque ex impresso igne in terrea siccitate, aridi, impatientes, iracundi, atque ferocissimi ingenij existunt, colericaque vocatur complexio. In quibus autem terra super ignem præualet, nullum adest ingenium, vel animi virilitas; sed inertes, tardi, & pusillanimes tetrique coloris existunt, quæ est melancholica complexio. At vbi aqua, super terram dominatur; ibi cum albo quoddam colore, flaccidaque mollitie, phlegmatica efficitur natura, quæ & si interdum dociles, & morigeratos efficiat, attamen acumen ingenij non præbet.

Quamobrem perfectissima complexio, ac ad operationes studiosas maximè conferens, prima est, puta sanguinea. Sed obseruandum est, quod interdum sic proportionaliter, hæ elementorum mistiones attemperantur, vt omnibus prædictis, quandam tertiam participantem naturam, ad omnesque prædictas operationes, & vires remissè inclinantem constituunt; atqui hi sunt etiam perfectæ temperiei, omnibusque rebus, & prosperis, & aduersis accommodantur. Licet excessum, vel singularitatem non retineant. Quibus habitis ponitur conclusio.

Conclusio. Molles carnes sunt apti mente; duri inepti. Probatur; nam debita mollities aerea, optimam præbet sensibus dispositionem, atque ex his mentis perspicacitas iuuatur. Præterea. Facta comparatione inter mollem, & duram cõplexionem, siue sit mollities aerea, siue aquea, adhuc molles (cęteris paribus) meliori sunt ingenio, magisque dociles; nam in duris, terra præcipuè viget, quæ aufert addiscendi facilitatem; suntque etiam asperi, & carne, & moribus, prout terreum non est bene digestum, sed ineptum, & rude. At obseruandum est, in his temperamentis, dari gradus; quare omnes eiusdem complexionis, non eodem pollent iudicio, quia circa eandem temperiem non eundem retinent gradum; atque eadem de causa, vel ob graduum diuersitatem, diuersas appetunt scientias, artes, vel facultates. Sed nonne Arist. in Probl. melancholicos alijs in nobilitate ingenij præponit?

Respondetur; ibi loqui de ijs, qui ad hanc naturæ participationem per habitum studendi redacti sunt, non autem, quod hanc habeant complexionem. At argumenta principalia soluamus.

Ad primum dicitur, mollitiem, quæ ex humido aereo cum igne dominante prouenit, sufficientem habere dispositionem ad prædicta, vt declaratum est.

Ad secundũ patet in primo notabili; nec etenim anima sine quocunque sensuum ministerio operatur.

Ad tertium negatur consequentia; ad probationem dicitur; quod si mollities ipsa esset totalis adęquata causa, & absque modificatione valeret de simpliciter ad magis, & ad summum; sed res non ita se habet; non enim mollities simpliciter est causa, sed aerea, vel temperata. Imò neque verum est, quod hi, qui hac prædicti sunt mollitie (quamuis ad aqueam tenderent) omnium vitiorum sint, vel pleni, vel proclines, sed cum aliqua cedente natura ad id per malas consuetudines, vel exempla, aut vim, facile impelluntur.

QVÆSTIO XLIX.

Est autem olfactus per medium, aut aerem, aut aquam. Tex. 97.

Quo pacto odor diffundatur, quodve eius medium exstat.

ODorem à re odorabili vsque ad olfactum (dum actualiter sentitur) proficisci, nemini est dubium; difficultas autem est, quo pacto hæc accidat diffusio, & per quod medium; an scilicet realiter odor ipse à re odorabili discedat, vel potius ipse odor immediatè ab ipsa prouenies, alium gignat, & ille alterum vsque ad finem; vel hæc sensatio per species sensibiles fiat, vt visio. Et quomodocunque id accidat, quodnam sit aptius medium deferens; an scilicet aer, vel aqua, vel aliud, in quibus omnibus, vt clarè, & ordinatim procedamus, per conclusiones aliquas respondebimus; termini enim sunt clari.

Prima conclusio. Odor realiter à re odorabili produci potest, ac realiter quoque vsque ad olfactum deferri. Probatur; nam à rebus odoriferis per calorem educitur fumus, vel odorosa exhalatio, vt ex Incenso, Styrace, & alijs notum est; hæc autem exhalatio vsque ad nares peruenit, ac odor quoque percipitur, vt notissimum est; ergo. Sed notandum est, quod quamuis odor sic ferri possit, non tamen est pura qualitas, ita vt accidens de subiecto migret, sed fertur simul cum corpore illo exhalante, seu cum illo fumo, qui quidem est corpus, attamen est realis odor, non autem intentionalis. Sed contra hanc conclusionem sunt duæ obiectiones. Prima. Si odor realiter vsque ad nares perferretur, & perciperetur, iam sensibile positum supra sensum faceret sensationem. Secunda. Idem Philosophus in hoc 2. tex. 121. habet; omnem sensum esse susceptiuum formarum sine materia, hoc est specierum tantum sensibilium; quomodo autem hic dicitur, materiam ipsam suscipi? &c. Ad primam dicitur, proportionem illam esse verissimam de omnibus sensibus, vt idem fatetur; neque id, quod dicimus est contra eam; nam & si fumus ille odorifer vsque ad nares feratur, & odor percipiatur (neutrum namque negari potest) attamen ipse fumus si sensum penetret, non sentiretur ex se; si tamen circumstet vsque ad pelliculam, per species percipitur; quod quidem accidit etiam in tactu, (& sit ad explicandum exemplum) qualitates namq; tangibiles vsque ad sensum peruenient, attamen ipsorum perceptio per species efficitur. Quamobrem realiter peruenire potest odor vsque ad olfactum, vel potius circa ipsum, sed per species sentitur; vnde etiam soluitur secunda obiectio.

Secunda conclusio. Non censeo magnum esse inconueniens, (vt alibi arbitrantur) odorem ab odore gigni, & per consequens alium eiusdem rationis cum præcedenti genitum modo prædicto, percipi. Probatur ratione, & exemplo: ratione sic; omnis qualitas actiua est sui

similis

similis productiua, vt calor caloris, frigus frigoris, &c. at odor est huiusmodi, quod ex præominio calidi, & ex eo, quod benè, vel malè afficit odorantis caput, vel cerebrum, patet.

Exemplo sic. Si quis accipiat rosam, vel pomum odoriferum in manu, aut alibi ipsum ponat, similis odori illius alter relinquitur, nec est verum, quod relinquatur fumosa vaporatio, quia hæc citò euanesceret, ac sursum tenderet; sed in poris, vel spiritibus manus, aut in circumiacente aere alter producitur; quod præcipuè notissimum est, dum corpora parum exhalabilia, hûc quoque ad longum tempus odorem relinquunt.

Tertia conclusio. Odoratio potest fieri etiam per solas species, ita videlicet, quod non diffundatur verus odor vsque ad nares, sed aliqua facta effusione, species multiplicentur: quemadmodum de sono dictum est. Probatur; nam ad summam distantiã (ad quam, vel per quam totam exhalationem diffundi non est possibile) odor effunditur; ergo hoc efficitur per species sensibiles. Sed contra hanc positionem tres sunt instantiæ. Prima, quia odor non statim ad olfactum peruenit, sed successiuè, & quandoque à contrariis ventis retardatur, quod speciebus accidere non potest, vt de visibilibus notum est. Secunda; quia plures odores miscentur, atque contrariantur, quod pariter speciebus accidere nequit; ipsæ etenim sine contrarietate, & permistione innumerabiles, atque diuersæ in eodem medio existunt, vt in tractatu de ipsarum natura, hoc eodem libro dictum est. Tertia. Nam omnis odor, vel prodest, vel obest capiti, quæ dispositiones à speciebus intentionalibus causari nequeũt. Ad primam dicitur, & odorem realem, effluẽtem a ventis impediri, vnde etiam retardantur species; imo species ipsæ cum sint crassiores visibilibus, aliquam pati possunt moram, vt etiam species soni. Ad secundam dicitur, eam immaterialitatem, & simplicem quasi spiritualem immistionem esse peculiarem obiecti visibilis, sicut nobilissimi sensus; aliæ vero species aliquam habent ab hac puritate declinationem; permiscentur etenim soni, & ipsorum species, magisve species odoris, cum impuriores existant; non tamen est omnimoda contrarietas, sed aliqualis negandum non est; sicuti neque negari debet aliqua mistio; & si non omnimoda, vt rerum. Ad tertiam, negatur, a speciebus affectus delectabiles, vel noxios gigni non posse; qui autem hoc minimè credunt, phantasticos à speciebus agitatos consultant.

Quarta conclusio. Medium odoris est aer, & aqua, patet de vtroque; nos enim per aerem, pisces per aquam odorem percipiunt, vt fusè tradit Philosophus in textu; attamen alia quoque corpora odorem penetrare (vt de sono diximus, etsi non ita efficaciter) negandum non esse puto, vt experientibus patere potest. De igne nulla est difficultas; si quidem sua raritate aditum his, similibusq; facilè præbere potest.

QVÆSTIO L.

Est autem odor sicci, &c. Tex. 100.

De natura, productione, & diuersitate odorum.

Circa naturam odoris; sciendum est, ipsam esse qualitatem secundam sensibilem, vel olfactibilem, in qua maximè super humidum siccum dominatur. In hac itaque definitione singulas particulas explicabimus, & eius natura patebit; Diximus ergo primò, ipsam esse qualitatem, probatur; nam quæcunque sensum, v. obiectum proprium immutant; qualitates sunt tertiæ speciei, vt docet Philosophus, in præd. cap. de qualitate; odor autem sic se habet, ergo.

Amplius; nullius alterius prædicamenti conuenientius, quam qualitatis ponitur, vt intuenti patere potest; ergo; At contra; nam odor est fumosa vaporatio, quæ quidem substantia est; ergo.

Amplius, quæ per respirationem odorant, debent remouere operculum, quod est in naribus, supra potentiam odoratiuam; hæc autem remotio, fieri nequit à qualitate, quia solum corpus aliud impellendo remouet.

Præterea. Effectus odoris vires qualitatis, ac accidentium superant; dum dolores, ac voluptates, morbos, vel sanitates, animalibus incutiunt. Ad primam dicitur, odorem esse solum subiectiuè fumosam vaporationem, non autem formaliter; quod est dicere, subiectari in tali exhalatione, sed secundum se esse qualitatem. Ad secundam dicitur, operculum remoueri ab aere per respirationem ingrediente, cũ quo fertur odor, vel species eius. Ad tertium respondetur, interdum odorem simul cum prædicta exhalatione aliquos prædictorum effectus edere, quandoque id efficit solus; secus, non ita vehementer, nec est inconueniens, si alias respiciamus qualitates; quid enim non potest calor, vel frigus? Dicitur, hanc qualitatem esse secundam; nam quæcunque qualitas ex primarum elementarium commutione conflatur in ordine ad ipsas, secunda dicitur; sic autem se habet odor (vt dicetur,) ergo. Dicitur, esse qualitatem sensibilem, seu olfactibilem, quod ex eo patet; nam sensum olfactus, immutat, & afficit. Dicitur denique in ipso odore, potissimum siccum dominari super humidum; quod quidem innumeris comprobari potest experientijs; tolle etenim aliquid penitus siccum, vt lignum, ferrum, &c. odorem quidem non emittet; accipe penitus humidum, vel aqueum, neque effundet; at si alicui humido siccum debitè apponas, odor profectò nascetur; igni namque redolent edulia; carbonibus incensum, calore Solis rosæ, violæ, &c. in quibus hanc proportionatam naturam, ex vi naturæ, & diuersæ temperiei possimum dari, fatendum est.

At est instantia; quoniam interdum res aliquæ simul sapidæ, & odoratæ existunt; quod quidem esse non posset, si odor dominium sicci supra humidum requireret; nam saper consistit in dominio humidi supra siccum; quo pacto ergo duæ contrariæ qualitates circa idem simul dominantur? Respondetur tamen, ibi non penitus interire partes vtriusque subiecti, quæ cum substantiæ sint, simul se compatiuntur; v. g. si apponatur in pulmentis crocum; odor in partibus ipsius non penitus consumptus, ac in terrestribus quoq; pulmentorum subiectatur, sapor vero in humidis. Vel dicitur; has qualitates non esse penitus, secundum aliquem gradum incompossibiles; sicut neque caliditas sic ad vnguem frigiditati opponitur. Ex dictis iam præcipua generatio odorum patere poterit, cui addenda est artificialis; per multorum etenim commistionem, quamplures alterius speciei produci possunt, vt est quotidie videre. Diuersitates autem ipsorum, etsi ferè sint innumerabiles, attamen species præcipuę, ex saporibus numerantur, vt docet Arist. in litera, c. de gustu. Verum quędam ipsarum parum propriæ odoribus aptantur, sicut patet de pingui, & salso; ac præter ipsas duo peculiaria potissimũ nomina sibi vendicãt, quæ potius passionem, quam speciei diuersitatem insinuant, hæc autem sunt graue, & acutum. Grauis dicitur, qui parum, vel tardè olfactum mouet. Acutus, qui citò, & velociter, ad similitudinem soni; dicuntur autem odores suaues, tristes, delectabiles, &c. Species autem saporis, in propria enumerabuntur quæstione, quæ cum odoribus combinentur, vel conferantur.

QVÆ-

QVÆSTIO LI.

Odoratiuum autem est, quod est in potentia, &c. Tex. 100.

De organo, & potentia olfactus.

ORganum olfactus his partibus, hisque sequentibus dispositionibus (si verum referunt Anatomici) construitur. A cerebro vsque ad vltimas fauces, vel foramina narium, procedunt duo canales in osse quodam spongioso bipartito incisi, quæ quidem foramina prope oculos terminantur, ac paulò infra ipsa, duo alia eorundem ossium tortuosè ad fauces, & palatum tendentia, cum quibus tunica quadam exangui iunguntur; per hos canales etiam neruuli quidam, vel potius neruorum ramuli, vsque ad nasum deriuantur; circa extremitatem autem horum canalium surgunt duæ carunculæ ad similitudinem extremitatum mamillarum, vnde processus mamillares dicuntur; quæ quidem carne quadam spongiosa teguntur, quæ deprimenda, & attollenda est in expiratione, & respiratione, quam Arist. operculum vocat; hi autem canales, præter id, quod aditum neruis præbent, etiã sunt aptissimę viæ, vt excrementa cerebri per ipsos traducantur; Sequitur denique nasus, qui altior residet, & vt nares prædictas cartilagineo cooperiat tegumento, & ad ornamentum inseruiat, ac sit veluti via odores ad potentiam olfactiuam ducens; quamobrem, quæ hunc longiorem, atque melius dispositum habent, longius atque acutius odorant.

Est itaque nunc difficultas, vbi nam resideat odorandi potentia; quidam namque ipsam in cerebro collocant; eo quod odoribus, vel delectatur, vel læditur; quæ quidem affectio videtur propriæ potentiæ; obiectum enim aliquod, solam sibi respondentem potentiam afficit.

Cerebrum an sensus. Alij dicunt, residere in neruulis prædictis; Cerebrum namque sensuum expers esse asseruntex Arist. 2. de part. anim. cap. 10. nec aliud videtur aptius. At plerique in processu mamillari residere arbitrantur, quæ quidem positio, cum rationabilior existat; rationibus fulciatur. Prima ratio. Ibi est potentia, vbi statim percipitur obiectum; sic autem se habent processus hi mamillares, si quidem statim percipimus odorem intra nares appositum. Secunda. Nerui sunt communes vniuerso corpori, & præcipuè tactui, ergo non sunt peculiariter aptandi olfactui. Tertia. Cerebrum, est frigidissimum, & humidissimum; ergo difficulter ab odore superari posset, & sic cum difficultate olfaceremus. Nec argumenta ipsorum concludunt; nam quamuis cerebrum delectetur, vel tristetur; hoc est per fumosas vaporationes, vel alia ratione, aut conditionibus cum odore iunctis; quæ possunt etiam per species contingere, si quidem per internos sensus transeuntes, diuersas efficere possunt dispositiones.

Neque est verum, cerebrum esse sensus expers, aliter, nec dolore, nec voluptate afficeretur; Sed parum habet sensationis, vnde sine sensu ab Arist. appellatur, quod enim parum distat, nil distare videtur.

QVÆSTIO LII.

Gustabile autem est tangibile quoddam. Tex. 101

An gustus, & tactus differant, & quomodo, vbi de organo quoque gustus agitur.

GVstum à tactu non differre tribus potissimum rationibus ex Aristotelis doctrina jam ferè ab omnibus desumptis comprobatur.

Prima. Potentiæ distinguuntur, per obiecta, præsertim, quæ vt disparatæ ponuntur. At obiectum gustus, & tactus non differunt, vt docet Philosophus in præcit. textu 10. gustabile namque tangibile quoddam esse dicit; ergo; imò siccum humidum, &c. à gustu sicut à tactu percipiuntur.

Secunda. Diuersi sensus habent inter se organa diuersa, & distincta; hi autem non sic se habent, nam tactus per totum diffusus est; ergo.

Tertia sumitur ex eodem Aristot. qui in 3. de Anima tex. 64. ac de sensu, & sensili cap. 4. alibiue sæpe, gustum quendam tactum appellat.

Pro intelligentia sciendum est; quod sensus tactus, eo quod sequitur naturalem temperiem, vel complexionem animalis, per vniuersum diffunditur corpus, ac in præcipuis ipsius partibus, etiam si sint aliorum sensuum sedes, viget; vt patet de oculis, in quibus potissimum apparet. Aliud est obseruandum; quod distinctio formalis potentiarum sumenda est ex ratione formali obiecti, non autem ex materiali, vt alibi dictum est. Est etiam animaduertendum, quod gustus cum tactu magis, quam cum alijs sensibus, conuenit, & ratione obiecti materialis, & ratione medij; nam ex parte materialis obiecti, percipit sapores gustus, quorum immediatum receptaculum, vel sedes est humidum, quod ad tactum attinet, ex parte medij: quoniam sicut tactus per medium internum, puta per carnem, sic quoque gustus suum percipit obiectum, & vterque per immediatam applicationem videlicet mathematico contactu, (qui est per simultatem extremorum) rem contangunt, hoc est tactus rem tangibilem, gustus gustabilem. Sciendum est denique, organum gustus communiter poni linguam, & palatum; atq; lingua ipsa veluti obtusa, ac quasi obrotundæ cuspidis piramidis, circa fauces per latas bases osseas diffunditur, & sustentatur, cuius substantia est rara, & spongiosa, vt facilè possit humoribus imbibi; tegitur quoque quadam subtilissima tunica, quæ etiam palatum cooperit. Nouem continet musculos à linea quadam media æqualiter diuisos, duas habet venas, duasque arterias, ac duobus neruis (quorum alter est altero durior) hæc constitutio innititur, supposito magis deorsum ossis prædicti fundamento. In radice autem ipsius sunt duæ glandulæ carneæ, ex quarum compressione saliua educitur, vel gignitur, palatum quoque à prædictis neruis perfunditur. Quibus positis, duas statuamus conclusiones. Prima. Sensus gustus differt à tactu. *1. Conclus.* Probatur; nam obiecta formalia ipsorum sunt diuersa; gustus namque circa saporem; tactus circa alias qualitates versatur, nec vnquam saporem percipit. At si dicatur, nonne gustus percipit humidum, & siccum, quæ ad tactum attinent? Respondetur, nequaquam sub ratione gustus, nisi sint sapida; sed si percipiat, erit tactus, qui ibi viget; vt alibi, vnde etiam lingua puncturam, ardorem, &c. sentiet propter tactum.

Amplius. Si essent idem; vbicunque vnus vigeret, & alter, vnde per totum corpus admotos perciperemus sapores, ac vulgatissimus, & iam ab omnibus receptus quinarius sensuum numerus periret.

Secunda conclusio. Sensus ipsius gustus residet in lingua, & palato, ita vt ex ambobus vnum integretur organum, cui vt vehiculum, ac distributiuum instrumentum inseruit saliua, quæ quidem conclusio experientia certissima patet; vnde superfluum est alias addere rationes. *2. Conclus.* Sed nonne Aristot. in de sensu, & sensili, gustum collocat in corde cum alijs sensibus. Respondetur, ipsum loqui radicaliter. At argumenta principalia diluamus.

Ad primum dicitur, gustabile esse quoddam tangibile, contactu mathematico; quia per medium internum, & per contactum percipitur; non esse autem tangibile, tactu qui est sensus; quod esset, si perciperetur à tactu sub ratione saporis; vnde ex hoc non valet cõsequentia ad

tactum potentiam, sed est æquiuocatio. Pariter nec percipit humidum, aut siccum, sed id efficit tactus in lingua, & palato exiitens, vt dictum eit.

Ad secundum negatur minor; tactus namque per totum diffunditur; sed gustus in parte determinata prædicta, quod sufficit.

Ad tertium dicitur; Arist. appellare gustum quendam tactum, quatenus fit per tactum mathematicum, & sic est prædicatio, vel veritas per concomitantiam.

Sed nonne Arist. de sensu, & sensili c. 4. animal non posse sine gustu esse affirmat, & idem in 3. huius operis tex. 68. de tactu profert. Nonne ex hoc identitas colligitur? Respondetur negatiuè, sed solum vtriusque (diuersa tamen ratione) necessitas: nam gustus ad cibum cognoscendum, & sumendum ordinatur; sine quo animal viuere nequit; quamuis, vt magis internum, & immediatum sit ei necessarius tactus; vnde alibi omnes alios sensus præter hunc, ad bene esse tributos appellat.

QVÆSTIO LIII.

Species autem saporis, sicut &c. Tex. 105.

De natura, origine, & speciebus saporis.

EX his, quæ de odoribus diximus, facilè erit quid de saporum natura determinandum sit, prænoscere. Sicut namque odorem qualitatem sensibilem ex dominio sicci super humidum; sic saporem pariter sensibilem qualitatem, ex dominio humidi supra siccum esse statuendum est, & eisdem rationibus, hanc quoque esse qualitatem, & secundam, vt illam comprobari potest; attamen propriam afferamus definitionem. Sapor igitur ex Arist. de sensu, & sensili, cap. 4. est passio facta ab humido aqueo in sicco terreo, immutatiua gustus ex potentia ad actum, cuius singulas particulas explicemus. Dicitur itaque passio; videlicet effectus, vel qualitas, quę nata est efficere passionem in sensum, vel ex sensuum affectibus insurgere; sic etenim passio, quæ est tertia qualitatis species ab Arist. in præd. cap. de qualitate describitur, vnde passio locum causæ formalis tenet; dicitur facta ab humido aqueo in sicco terrestri; ab aqueo, quoniam si aliud esset, nempe aereum, nimis esset subtile, ac per consequens insufficienter compactum; atque ad retinendum saporem ineptum; secus autem de aqueo accidit; hoc itaque aqueum humidum operando in siccum, in ipso residet, & sic est aliquo modo causa efficiens saporis, prout in siccum agit; sed quatenus ipsi sapori substernitur, rationem etiam materialis sortitur, nec est inconueniens sic se habere substantiam in ordine ad accidentia, ex ipsa, & ab ipsa producta, vt alibi dictum est; quamobrem humidum, & siccum simul sunt ipsius saporis materia totalis; ita, vt siccum sit receptiuum remotum, humidum quasi illius forma, sed in ordine ad saporem receptiuum immediatum; quamuis causa efficiens simpliciter sit calor, cuius est agere, atque digestionem harum secundarum qualitatum complere, qui tamen ab aliquo agente dependet, vt accidens à subiecto: quod quidem agens, vel erit quandoque elementum, vt ignis, vel ipsa quoque humida, & sicca corpora, quæ mutuo agunt.

Sed antequam vltra progrediamur, est manifestissima obiectio, contra id, quod dicitur, saporem ex dominio humidi accidere: nam quædam arida penitus, calida, & sicca corpora saporem habent ingentem, vt piper, zinziber, cinis, &c. ergo.

Respondetur. In prædictis quidem siccum dominari, attamen ibi etiam reperitur aliquis humor, qui siccum suo modo pro posse contrahens, ad saporem inducit. Vnde ex hoc est dominium quo ad saporem efficiendum, etsi in constitutione illorum corporum, magis vigeat siccitas. In vltima vero particula, in qua dicitur (immutatiua gustus de potentia ad actum) tangitur causa finalis; rerum namque omnium finis est operatio; quamobrem cum gustum (qui erat in potentia gustandi) ad actum reducat, patet quod dicimus; epilogando itaque, passio est causa formalis, humidum, & siccum materialis, calore efficiens, immutatio gustus finalis, & sic ex quatuor constat causis. Ex dictis quoque faciliter secunda quæstionis pars resoluitur; sapores namque ex humido, & sicco generantur, secundum diuersos gradus; nec vnum absq; alio sufficit, vt innumeris videri potest experientijs. Species autem saporis octo in textu connumeratæ fuerunt, videlicet dulce, amarum, pingue, salsum, acre, austerum, acerbum, & acidum, quibus addendum est acutum. Est itaq; dulce in melle, ficubus, vua, &c. Amarum in felle, absintio; pingue in lacte, medulla; Salsum in sale, &c. Acre, vel ponticum, in limone; Austerum, in fructibus immaturis. Acerbum, seu stipticum, in sorbis immaturis, acidum in aceto, Acutum in pipere. Sed est difficultas, an amarum, & dulce sint extremi sapores, vt vult Arist. vel vt Galenus, ponticum, & acutum ex 4. simplic. At si rectè iudicemus, vterque ipsorum bene dicit; secundum diuersas considerationes, quoniam in ordine ad gustum, cuius sunt immutatiua, dulce, & amarum extremi sunt sapores, si quidem omnes per participationem illorum dicuntur; atq; dulce gustui, & naturæ maximè fauet, amarũ summe repugnat.

Sed secundum temperiem, acutum in summo calido, ponticum in ingenti consistit frigore; quamobrem hic temperiem complexionum contemplabatur, bene dicit, & pariter ille, qui naturales considerabat affectiones.

QVÆSTIO LIV.

Si enim tactus non est vnus sensus, sed plures, &c. Tex. 106.

An sensus tactus sit vnus, vel plures.

ARguitur primò, quod sint plures. Vbicunque simul, & semel duo adsunt actus perfectissimi, ibi sunt duæ potentiæ, sic autem accidit circa tactum; ergo. Probatur maior, nam vnus actus perfectissimus adæquat totam potentiam; ergo alter non remanet eam adæquaturus, vel primus non erat perfectissimus, quod est contra suppositum. Probatur minor; nam tactus simul perfectissimè frigiditatem, & humiditatem aquæ sentit; neque dicatur, id efficere per vnum actum; quoniam, remota frigiditate sentitur adhuc humiditas, quod non accideret; quando etenim aliqua sunt vnum, vel idem, ad remotionem vnius, aliud quoque aufertur.

Secundò. Potentiæ, vel sensus per obiecta formalia distinguuntur; sic autem se habent frigidum, & humidum; ergo. Probatur minor; nam alia ratione vnum, alia verò aliud ipsorum immutat.

Tertiò. Vnus sensus est vnius contrarietatis, primæ vt visus albi, & nigri, auditus soni acuti, & grauis, &c. tactus autem non sic se habet, vt docet Arist. in textu; ergo.

Circa hanc difficultatem multi multa dicunt; Alij nãque vnum solum sensum tactum esse affirmant, alij duo, alij quatuor, alij plures; nam vnum respectu primarum qualitatum ponunt, alium respectu qualitatum quarundam secundarum (non etenim solum caliditatem, & frigiditatem cum alijs duabus percipit, sed etiam, asperum, lene, durum, molle, &c.) alterum respectu voluptatis, & tristitiæ, quendam propter famem, & sitim in stomacho, ac alium respectu titillationis., quibus (eum, qui est quatuor primarum qualitatum in duas

secundum

secundum earum duas contrarietates diuidentes) alium quoque superaddunt; & sic breuiter, quot à diuersis, vel simul, vel diuisim ponuntur, colligi possunt. Vt autem quid mihi secundum Peripateticam doctrinam videtur, aperiam; hanc statuo conclusionem.

Conclusio. Sensus tactus est tantum vnus; ad cuius probationem priusquam descendam, sciendum est, quod ipse tactus est comes animalium complexionis, vel temperiei, quia fortè in ipsamet temperie consistit; quamobrem sicut ipsa in diuersis partibus diuersa, vel aliquo modo modificata reperitur, sic quoque aliqua diuersitas tactus in diuersis corporis partibus sequitur; ratio est, quoniam sicut alij sensus, ad aliquod bonum animalibus acquirendum sunt ordinati, & secundum ipsius necessitatem munia ad hoc apta exequuntur; sic tactus simpliciter ad vitæ conseruationem est à natura tributus; quamobrem, quemadmodum plurima ad hanc pertinent, sic quoque pluribus in modis à diuersis obiectis natus est affici, ac sicut vnum corpus diuersis constitum organis, non propter hoc plura dicitur; sic neque sunt plures tactus, quamuis diuersis fungatur officijs. Quod itaque sit tantum vnus, probatur. Si essent plures, numerus quinarius sensuum non esset sufficienter assignatus.

Amplius. Ille est vnus sensus, cuius vnica est ratio formalis percipiendi obiectum; (impossibile namque est, duos diuersos, habere eundem percipiendi modum, conditionem, dispositionem, vel naturam.) Sic autem se habet tactus per totum corpus; solum namque mathematicè tangendo, (vnde tactus dicitur) sua percipit obiecta; quod si etiam gustus id habeat, est ratione participationis; vnde in hoc quidam tactus nuncupatur. Præterea. Si essent plures, ideo essent, quia sunt plures contrarietates circa ipsum; Sed illæ circa alios quoque sensus versantur; vt disertissimè soluit Arist. in textu, nec iterum dubitat, vt quidam credunt, sed de obiecto quærit, ac nondum manifestum esse asserit. Præterea. Neque, quod cum dolore, vel tristitia afficiatur, diuersitatem insinuat, quia hoc quoque omnibus alijs accidit sensibus; delectabiles namque sapores, odores, colores, atque soni delectant: iniucundi molestia sensus afficiunt. Præterea. Vnica est complexio, vel temperies adæquata cuiusque animalis; ergo vnus tactus, si quidem in illa consistit. Attamen in diuersos partiales, atque accidentaliter differentes diuidi potest, qui quidem simul collecti ad summum sunt quinque, videlicet primus respectu primarum, & secundarum exteriorum qualitatum, secundus famis, & sitis, tertius rerum venerearum, quartus titillationis, quintus doloris, ex noxijs; hi autem tres medij à primo differunt, eo quod à qualitatibus intra animal existentibus immutantur; primus vero ab externis, differunt quoque secundum diuersam quandam accidentalem dispositionem, ac præcipue ex diuersa accidentali obiecti tangibilis; nam quatenus hoc, vel illo modo se habet, voluptatem, vel tristitiam natum est efficere, atque hanc, vel illam secundum magis, & minus: omnes tamen sub eadem ratione formali tangendi conueniunt, vt notissimum est. Nullus namque ipsorum nisi per immediatum contactum percipit, atque ex diuersa obiecti dispositione, diuersæ efficiuntur affectiones, vel molestæ, vel iucundæ; in fame enim, & siti, est tactus qualitatum exsiccatiuarum, vel calefactiuarum circa ventriculum, vel palatum, &c. in venereis qualitatum in debita existentium temperie; in titillatione, spirituum decurrentium per arterias, atque ad aliquam ad hoc dispositam partem se terminantium; vnde titillatio est pruritus cum iucunditate, vel horrore, atque ipsa voluptas, quandoque scalptione augetur, eo quod fit rarefactio, vnde illuc in maiori copia spiritus accurrunt, qui sua temperie delectant; quandoque causatur dolor, eo quod partes illæ nimis lacerantur, ac ex discontinuatione sequitur dolor. Dolor autem qui ex vulnere, vel percussione causatur (qui etenim causantur alijs modis à qualitatibus tangibilibus disconuenientibus causantur) similiter ex tactu ab externo agente prouenit. At argumenta soluamus.

Ad primum dicitur, vnicum esse actum illum, qui simul vtraque percipit obiecta prout sub vno tangibili continentur, neque valet, si remoueantur humidum, adhuc percipitur frigidum, quod sint duo, sed solum concluditur, duo esse obiecta partialia; sicut visus simul album, & nigrum percipit, & vno remoto adhuc percipit aliud, nec tamen sunt duo visus. Imò si sensus non potest percipere humidum, neque frigidum percipiet; ex quo vnum solum esse, aptius colligitur.

Ad secundum negatur minor, humidum namque, & frigidum, etsi specie differant, conueniunt in ratione tangibilitatis; & hæc est quo ad hoc vna formalis ratio. Sicut etiam color albus, & niger specie differunt, & ad vnam ordinantur potentiam.

Ad tertium negatur maior, quam etiam negat Philosophus in textu; vel dicatur, omnia tangibilia reduci posse ad duo extrema, quæ sunt delectabile, vel tristabile.

QVÆSTIO LV.

Vtrum autem sit sentiens intus an non, sed mox caro. Tex. 109.

An caro sit organum tactus.

Sensus quæstionis est, si virtus tactiua, vel sensus tactus, (quod idem est) immediatè fundetur in carne, vt visus in oculis, auditus in auribus, &c. an alibi, vt in neruis, &c. Circa quam non desunt inter se pugnantes opiniones, omnesque pro se ipsis Aristotelem habere præsumentes. Carnem itaque esse organum immediatum tactus, inter præcipuos Philosophos asserunt Alexander, Auicennas, Conciliator, & alij innumerabiles; ad quorum argumenta priusquam deueniamus, sciendum est, non ita carnem sensorium tactus esse hos asserere, vt neruos excludant, sed hanc, & illam indifferenter hoc munere fungi. Argumenta itaque præcipua, quæ pro hac opinione effici possunt, hæc sunt.

1. Arg. Primum. Illud est ponendum organum tactus, quod magis est temperatum quatuor qualitatibus; at caro (& præsertim cutis nostra) sic se habent, vt omnes fatentur Medici; ergo, maior est nota; quoniam, ad hoc vt aliqua potentia excessus percipere possit, in temperie (quæ est quasi ipsorum denudatio) consistere debet; minor iam authoritate Medicorum comprobata est.

Secundum. Nisi caro esset sensorium, nihil aliud profectò ponendum esset, nisi neruus; at hic poni non potest; ergo. Probatur minor. Quoniam nerui sunt terrestres, ac ad sensationem incepti, ex Arist. t. de Anima tex. 79. Præterea. Viget tactus vbi nullus reperitur neruus, vt in iecore, corde, splene, & pulmone; Amplius; per totū corpus sentimus, & tamē non per totum diffunditur neruus; ergo. Item hoc videtur velle Arist. nam in 1. de hist. anim. c. 4. & lib. 2. de part. anim. c. 1. & 5. carnem sensoriū tactus constituit. Oppositā tamen sententiā defendit Scot. in 2. de Anima q. 2. D. Th. Auer. in hoc 2. com. 108. etsi oppositū alibi docuerit, Albertus, Galenus, & alij. Quæ quidem sententia cum sit verissima, & ipsius Aristot. expressa, sustinenda, declaranda, atque rationibus fulcienda est. Caro itaq; non est organum tactus, sed medium; organum vero est aliquid intra carnem, puta neruus, vel aliquid aliud loco nerui, per totum corpus instar rete extensum. Quod itaq; non sit caro, probatur primo; nam tunc sensibile positum supra sensum faceret sensationem, quod negat Aristotel. in textu. At respondent, in tactu

non esse inconueniens, quod faciat sensationem; vnde dicunt eam non verificari de quolibet sensu; quæ tamen responsio ab Aristot. reijcitur; habet namque in hoc lib. tex. 75. & alibi, habere veritatem circa quemcunque sensum. Amplius. Omne organum particularium sensuum debet continuari cum sensu communi, vt ipsius sensationes percipi possint; at solum neruus continuatur, non autem caro; ergo. Præterea, virtutes animales ibi vigere debent, vbi potest esse motus ad edendas operationes ipsarum; at tactus est virtus animalis, & nerui hanc habent aptitudinem; ergo. Item. Vbi plures sunt nerui, ibi maximè virtus tactiua viget, vt de genitalibus notum est; hoc autem non valeret, nisi ibi resideret virtus hæc veluti in proprio sensorio, vel organo. Est alia quædam sententia Simplicij, Themistij, & aliorum, qui in corde hunc sensum residere putant, quod confirmant ex Arist. in libro de senectute, & alibi. Sed si formaliter, vel extensiuè loquantur, decipiuntur; quoniam sicut ad vniuersam vitam animalium tuendam tactus tributus est, ita per vniuersum corpus diffundi debet; si autem loquantur originaliter, & ratione virtutis cuiusdam, vt loquitur Arist. sic non errant; sed non est sic quæstio hæc in controuersiam. At argumenta præcipua soluamus.

Ad primum dicitur, aliquid in summa esse temperie dupliciter, videlicet positiuè, sic nimirum quod quatuor qualitates, vel virtutes earum secundum plures gradus ibi vigeant; & hoc non est maximè aptum ad sensationem, quia solum extrema tantum perciperet, alia vero nequaquam; si quidem ab ipsis denudatum non esset, quo pacto fortè se habet caro, & cutis; vnde non est organum conueniens tactus. Alio modo priuatiuè, sic videlicet, quod paucissimis gradibus harum qualitatum sit abundans, sed quamplurium expers, & hoc est aptissimum, quo pacto se habent nerui; qui & si terrei dicantur, hoc est ratione soliditatis, & duritiei.

Ad secundum dicitur, re vera neruos ponendos esse: ad primam probationem respondetur, neruos non esse sic terreos, quin paruam quoque admittant temperiem: atque Arist. eos non sentire asserit, eo modo, quo supponebat Empedocles, videlicet quod simile per simile cognosceretur, quo pacto terram per terrea omni cognitione cognosci ponebat; & sic nerui cognoscere nequeunt; nam præterquam ad tangendum, sunt ad alias cognitiones inepti.

Ad aliam probationem dicitur; prædicta membra non habere quidem neruos distinctos, sed aliud proportionale; vnde caro neruosa dici possunt; & si non quo ad duritiem, saltem quo ad extensionem, & connexionem; nec etenim simpliciter neruum, sed ipsum, & proportionale posuimus.

Ad aliam probationem respondetur; neruos, vel ramos eorum per totum diffundi corpus, instar retis, vt patet in folijs arborum, & in figuris dissectionum; & quamuis non sit simpliciter per totum, est ita propè quamlibet partem etiam paruam, vt per totum esse videatur, & vbique vigeat. Ad auctoritates Aristot. Scotus dicit, tunc non bene naturam neruorum fuisse ab Arist. compertam, sed bene in his libris de anima, quos postremò edidit, quam expositionem alij quamplures confirmant. Dici etiam potest cum eodem Scoto, non simpliciter carnem sensorium tactus Aristotelem posuisse, sed sicut pupilla est sensorium visus; (quæ sunt verba eiusdem Aristot.) at ipsa pupilla non est præcisè organum, sed ad ipsum attinens, vt suo loco declaratum est; quare caro attinet, vt medium internum. Non tamen negandum est oppositam sententiam suam habere probabilitatem, sed multis Aristot. dictis vel directè, vel indirectè repugnat.

QVÆSTIO LVI.

Dubitabit autem aliquis, si omne corpus profundum habet, &c. Tex. 113.

An tactus requirat medium extrinsecum.

TActum internum expostulare medium (quod caro est) de mente Arist. statuimus. At quia etiam externum requiri dicere videtur, quomodo hoc sit verum statuendum est. Asserit ergo, quod si duo corpora se tangunt in aqua, inter vtrumque aqua ipsa mediat, vt patet ex humiditate, quæ sine aqua non existit; idem quoque, ac magis in aere id accidere dicendum est, siquidem est rarior, ac fluidior; quamuis hæc mediatio nos lateat. Sic itaque velle videtur Arist. quod si vnum corpus aliud tangat, vt lignum lapidem, homo hominem, &c. inter tangens, & tactum, seu inter ipsa tangentia, necessariò mediet aer, si in aere hoc accidet, vel aqua si in aqua, & tunc aer, & aqua, media extrinseca huius contrectationis dicentur. Vbi notandum est, quod tactus hic accipitur mathematicè, quatenus videlicet est simultas extremorum; vnde ad animalia, & ad res inanimatas extenditur, vt de se notum est; attamen dum medium externum interno addi dicimus, solum circa animalia loquimur; res namque inanimes, vel non sentientes (vt plantæ) sicut tactus sensum non habent, sic medio interno carent. Quod itaque vniuersaliter ad quemcunque contactum (nullo excepto) externum requiratur medium, sustinet Auerroes, Iandunus, ac alij quamplures. Quorum præcipua fundamenta ex ijs, quæ in præcitato textu tradit Philosophus, sumunt. Quibus addunt hæc duo quoque.

Primum. Nullum locatum patitur à proprio loco; nam locus est conseruatiuus, & connaturalis rei locatæ; ergo nihil potest immediatè tangi à circumstante, vel apposito corpore locante: aliter ab ipso pateretur; ergo multo minus ab alijs sine medio.

Secundum. Omnia extrema reducuntur ad vnionem per medium; at tangentia sunt extrema, vel extremitate se tangunt; ergo. Hæc tamen opinio sic vniuersaliter intellecta est fallissima; dum etenim aliquis sub aqua existit, frigiditatem, & humiditatem ipsius percipit, nec imaginabile est, aliquod medium interijci, quia maximè esset aer; qui tamen sub aquis detineri non potest. Pariter frigiditatem, & caliditatem aeris immediatè percipimus, nec aliud somniare possumus inter nos, & ipsum medium. Nec rationes ipsorum concludunt; nam Aristot. non loquitur vniuersaliter, vt dicemus in conclusionibus, neque est verum, nullum locatum à proprio locante non pati; patitur namque semper aliquo modo, vel ad benè, vel ad malè secundum ipsius locantis dispositiones; vnde aer patitur ab igne, aqua ab aere, &c. Similiter. Non omnia extrema indigent ad vnionem medio, sed solum contraria, vt calor si ad frigus reducatur per teporem transibit; non sic, quæ se quantitatiuè contangunt. Dicamus itaque, duo esse genera se tangentium; quædam secundum virtutem, vt ignis calefacit aliquid distans, atque virtute tangit, cælum hæc inferiora, &c. Quædam secundum quantitatem molis, vt dum digitus vnum alium pertingit, &c. & hæc, vel sunt fluida, aut vnum, aut ambo, vt aqua tanges lignum, aut aqua aerem; vel sunt sicca pariter vnum, vel ambo, vt in prædicto exemplo. Et si sicca, vel sunt aspera, vel lenia, seu secundum inæquales, vel æquales superficies; sufficit tamen inæqualitas vnius tantum ad inæqualitatem, sed vt sit æqualitas, ambo sic se habere debent. Ex his tres colligamus conclusiones.

Prima.

Prima. Quæ se virtualiter tangunt, omnia indifferenter medium requirunt; probatur; quia cum non sint propè, aliquod interponi debet, quod virtutem agentis ferat; quæ quidem conclusio nullam habet difficultatem, neque est controuersia; sed in gratiam adolescentium posita sit.

Secunda conclusio. Corpora fluida (siue vnum sit fluidum, siue ambo) immediatè se tangere possunt; probatur, nam ex eo quod vnum est fluidum, necessariò per totum aliud diffunditur, nec aliud permittit intermedium. Quod potest confirmari ex ijs, quæ sub aquis sunt, & quæ ab aere continentur, vt dictum est.

Tertia conclusio. Corpora dura, & lenia etiam immediatè se tangere possunt. Probatur; quoniam si lapis, v. g. non immediatè tangeret terram super quam existat, in aere maneret suspensus; quod quidem est ridiculum, & nullatenus imaginabile. Amplius, dum gladio aliquis vulneratur, nunquam ipse tangeretur, sed aer mediaret semper similiter dum percutitur, &c. quæ omnia sunt absurda.

Quarta conclusio. Corpora sicca, & inæqualia, non se immediatè per singulas partes tangunt; nam vbi est inæqualitas, ibi non potest esse extremorum simultas, vel contactus; quare ne detur vacuum, aliquod intercidit corpus, vt aqua, vel aer, aut etiam ignis si in ipso id contingeret. Hæc autem est expressa sententia Aristot. habet namque in præcitato textu hæc verba; Quæ vero tangunt se inuicem in aqua, cum extrema sicca non sint, necesse est aquam habere mediam, qua repleta sunt vltima; quare aqua ipsa, quæ humefecit ad replenda vltima (quæ repleri nequibant, nisi fuissent inæqualia) vt medium adhibetur, vbi autem hæc inæqualitas, nec fluxibile datur corpus consequenter de mente Philosophi, secundum prædictas conclusiones dicendum est.

QVÆSTIO LVII.

Apposita enim super sensoria non sentiunt. Tex. 116.

An sensibile positum supra sensum faciat sensationem.

Difficilis pro parte negatiua est præsens quæstio, vnde quamplures (Aristotele relicto) diuersam amplexi sunt sententiam, dicuntque solum habere veritatem de visu, qui eo, quod sine lumine videre nequit, ac lumen intra oculos non potest esse, sequitur, quod obiectum visibile super oculos positum sensationem non faciat, sed potius tenebras, vel opacitatem. Quod verò de alijs sensibus fallat, singulis experientiam propriam pro ratione applicando, verum esse patebit. Intra aures namque sonat aer, si digito comprimatur velut cornu, sicut fatetur Arist. cap. de sono, ac ex se notissimum est: pariter odorifera exhalatio intra nares ingrediens, non minus, sed quam maximè sentitur. Nec non sapores supra linguam impositos, ac naturales quoque sentimus. Ac tandem neruus si vbi tactus viget scindatur, summus sentitur dolor: imò: Quæ nam causa esse potest, vt tactus à quatuor qualitatibus appositis, & præcipuè à colore, & frigore (in quibus est magna actiuitas) non lædatur? nunquid est inalterabilis, & incorruptibilis? quod profectò somniari non potest.

Dicimus itaque, quod si propositio vt iacet sumatur, vel apparebit falsa, vel vix defendi potest; quamobrem solum quadam distinctione saluari posse existimo. Duplex est itaque sensibilis immutatio, naturalis videlicet, & animalis; naturalis dicitur, dum aliquid naturaliter à re tali sensibili secundum esse reale, vel secundum actionem physicam immutatur, absque eo, quod aliqua succedat cognitio, quo res omnes inanimatæ à primis quatuor prædictis qualitatibus, ac ab alijs quoque quamplurimis immutantur, siquidem calefiunt, frigefiunt, colorantur, odore, ac sono, atque sapore afficiuntur, quamuis nullam illarum affectionum percipiant. At immutatio animalis est, secundum quam aliquid immutatur intentionaliter, vel excitatur ad cognoscendum, seu sentiendum, quod solum animalibus conuenit. Sed notandum est, quod omnis animalis immutatio potest quoque vocari naturalis, quatenus à causis naturalibus, & naturaliter efficitur; licet non è contra; vnde accipiendæ sunt præcisiuè. Quibus habitis duas statuamus conclusiones.

Prima. Immutatione reali, ac naturali vnusquisque sensus à sensibili supra se posito immutari potest; probatur, quia agentibus, & patientibus debitè approximatis, sequitur actio. Amplius, cur magis ferrum lapis, &c. ab igne calefieri possunt, quam neruus? vel cur aqua recipit sapores, neruus vero in lingua existens nequaquam? Ac denique, conclusio hæc ab omnibus argumentis præhabitis confirmatur.

Secunda conclusio. Immutatione animali sensibile positum supra sensum non facit sensationem. Probatur, quia dispar est ratio patiendi rerum non sentientium, & sentientium, vel alter est modus actionis physicæ, alter animalis, at ille fit per applicationem immediatam obiecti sensibilis, ergo hic aliter, qui quidem est causatiuus cognitionis, nec alter erit quam per species sensibiles; quamobrem hæ species sunt, quæ sensationem faciunt; vnde sensus Arist. est; quod quamuis sensibile super sensum ponatur, non tamen credendum est, ipsum immediatè sensationem efficere (quod potissimum videretur ob approximationem) sed hæc sensatio à speciebus semper efficitur, nam hæ solum sunt aptæ efficere cognitionem; quamobrem sensatio, quæ est sensus immutatio, solum fit à speciebus, etsi actio realis, & physica ab obiecto reali effici quoque possit, ex quo sequitur corruptio, atque qualitatum contrarietas. Confirmatur; nam inter animam cognoscentem, vel sentientem, debet esse aliqua immediata proportio: hæc autem esse nequit cum materiali obiecto; ergo species, quæ magis ad immaterialitatem accedunt, ipsius vicem supplent. Amplius. Statim admoto obiecto fit sensatio, & tamen quandoque actio eius realis, non statim vsque ad sensum penetrat; ergo species ipsæ sensationem faciunt. Hæ autem species prout sunt magis, vel minus immateriales, sic longius, vel propius produci possunt; vnde saporis, & tangibilium ob ipsarum crassitiem maiorem approximationem requirunt. Est igitur sensus illius propositionis sensibile vt tale, quamuis supra sensum poneretur, & à sensu perciperetur, ipsum prout tale est, non esse causam immediatam talis sensationis, sed quatenus per species agit; etsi physicè ipsum quoque immutet, quæ actiones sunt ad hoc propositum penitus inseparabiles, & fortè duo modi, potiusquam duæ actiones: quod tamen sufficit. Sic igitur intellecta propositio, vniuersalem pro omnibus sensibus veritatem continet. Vnde si secetur neruus, & sensibile sit super ipsum, ratio sentiendi est à speciebus, & sic de alijs. At contra; nam hæc expositio non est ad mentem Aristot. quoniam sic nullum sensibile efficeret sensationem, quod tamen negat; imò hoc esse solius sensibilis supra sensum positi, asserit; Respondetur, id tribui potissimum sensibili, sic sensibus suprapposito, quatenus videtur magis ad id efficiendum aptum; vnde est quædam attributio potius quam proprietas. Omne itaque sensibile sensationem facit, sed per species sensibiles, & sine istis nullum id efficit, vt satis dictum est; & sic diuersa ratione efficit, & non efficit.

QVÆSTIO LVIII.

Oportet autem vniuersaliter de omni sensu accipere, quod sensus est susceptiuum formarum sine materia. Tex. 121.

An sensus sit receptiuus sine materia

PRæsens quæstio sicut ex præcedenti sequitur, ita ex ipsa faciem habere potest solutionem; attamen propter aliquas peculiares difficultates seorsim breuiter examinanda est. Quod itaque non rectè Philosophus id sensibus tribuat; probatur. Materia non est nata recipi, sed aliud recipere, cum recipere sit pati, quod est proprium ipsius materiæ: ergo, omne, quod recipitur sine materia, in alio recipitur, & per consequens non est proprium sensuum recipere sine materia. Amplius. Nullum agens in aliud agendo, sibi materiam communicat, sed formam, vel essentialem, vel accidentalem; quare frustra hoc specialiter de obiecto sensibili in comparatione ad sensus enunciatur; hoc tamen argumentum virtualiter à primo non differt; sed fit ad maiorem claritatem. Denique. Qualitates reales, vt calor, frigus, sapor, odor, &c. realiter à sensibus recipiuntur; ergo non solum ipsarum species, vel formæ.

Pro intelligentia sciendum est, quod forma hic accipitur pro specie sensibili, quæ eatenus forma dicitur, quatenus est magis immaterialis, quam obiectum, ac animam ipsam informat, vel perficit; obiecta autem magis materiæ assimilantur, quatenus molem cum reali materia coexistentem includunt. Aliud obseruandum est, quod hæc receptio speciei intelligenda est, quo ad actiones animales, non autem, quo ad physicas, vel naturales; nam hoc modo etiam obiecta ipsa quandoque, & ab aliquibus sensibus recipiuntur, vt in præcedenti dictum est. Quod autem hac consideratione sensus ipsas species recipiant, potest probari, vt secunda conclusio præcedentis quæstionis; sensatio namque, cum sit animalis actio, diuersimode fit, quam actio physica, & non nisi per species, ob proportionem, quam habent, cum anima, &c. Vnum tamen animaduertendum moneo, nimirum, quod Arist. hic asserit, vniuersaliter accipiendum esse de omni sensu, quod sit susceptiuum formæ sine materia; quamobrem erit quoque vniuersaliter verum de quocunque, quod sensibile supra ipsum positum non efficiat, sensationem; vnde, qui non de quibuscunque eam verificari autumant, manifestissimè contradicunt Aristoteli, & hoc est, quod diximus directè, vel indirectè ipsos eius doctrinam negare.

QVÆSTIO LIX.

Manifestum autem ex his, & propter quid sensibilium exuperantiæ corrumpunt sensoria. Tex. 123.

An sensus, & sensoria ab excellenti sensibili corrumpi possint.

ARguitur primò quod non. Nam in ipsis sensibus recipiuntur species sensibiles, vt in præcedentibus dictum est; hæ autem, vel sunt paruæ actiuitatis, vel non corruptiuæ, eo quod paruam quoq; habent actiuitatem. Secundò. Finis non corrumpit, sed perficit res ad finem ordinatas; at obiecta sunt fines potentiarum, saltem quo ad cognoscitiuam attingentiam; ergo.

Tertiò. Corruptio fit inter contraria; sed obiecta cum potentijs contrarietatem non habent, imò potius conuenientiam; ergo.

Pro intelligentia sciendum est, potentias sensitiuas, veluti harmoniam quandam in quadam bona (inter cæteras partes) temperie consistere, sicut quędam nobiliores animæ vires in ipsis resident; hæc autem temperies mediocritatem omnium extremorum includit; quia si vnũ aliud excederet, iam non esset temperies, sed exuperantia, & ad interitum potiusquam ad conseruationem dispositio; nam extrema ipsa mutuo se corrumpunt, vel lædunt. Quamobrem vndecunq; aliud adiuuetur, vel fulciatur extremum, ad prædictum pergitur inconueniens. Obseruandum est etiam id, quod habuimus in præcedentibus, nimirum, duplicem esse actionem obiecti in sensus, aliam naturalem, aliam animalem, secundum quam distinctionem, & hæc, & quamplures difficultatum solutiones complicari poterunt. Nunc ergo, vt distinctè, & ordinatè procedamus, per duas respondeamus conclusiones.

Prima. Obiecta quomodocunque excedentia, dum animali actione in sensus agunt, eos non corrumpunt; probatur, quia hæc est actio per species sensibiles, quæ tantam non habent actiuitatem, vt bene probat primum argumentum. Verum aliquas efficere affectiones non est negandum, vt alibi quoque docuimus.

Secunda conclusio. Actione naturali excedentium obiecta sensus, & sensoria corrumpere possunt. Probatur; nam excedens habet rationem extremi; hoc autem cum sit actiuum, media lædere potest. Atque obiecta ipsa actione naturali verè, ac propriè actiua sunt siue primò, siue secundariò. Vnde ingens lux, & calore, & disgregatione visum aufert; tenebræ intensæ idem frigiditate coniunctæ quandoque efficiunt; pariter ingentes soni mediante motu aerem aurium dissipant, atque sensorium lædunt, id quoq; circa odoratum efficit excessiuus odor, vel ratione caliditatis, vel siccitatis, &c. omnis namque actio secundarum qualitatum virtute primarum efficitur, (nisi sit purus motus) gustus quoque ab iniucundo læditur sapore; ac multo magis tactus à qualitatibus primis, quæ sunt potissimum actiuæ: E contra autem si obiecta hæc in debita sint temperie, delectationem (ad quam efficiendam ordinantur) efficiunt. At est obseruandum, quod primò læditur organum, ex cuius læsione malè affecta potentia (quæ organi temperiem sequitur) remanet. Sed soluenda sunt argumenta.

Ad primum patuit in prima conclusione. Ad secundum dicitur, obiecta in debita existentia temperie esse potentiarum finem, non autem prout sunt excessiua. Vel dicatur; obiecta prout cognoscibilia sunt esse fines; & hoc modo non lædere: sed quatenus etiam naturaliter agunt; & sic fines non esse.

Ad tertium dicitur, obiecta in ratione agendi naturaliter posse habere contrarietatem, vel excessum (qui locum contrarij supplet) respectu potentiæ; vt dictum est; at præter contrarietates potest fieri dissipatio à motu, vt accidit auditui.

QVÆSTIO LX.

Quod autem non sit sensus alius præter quinque, &c. Tex. 128.

An sensus externi sint tantum quinque.

ARguitur primò quod non. Potentiæ distinguuntur per obiecta; at plura quam quinque obiecta per sensus externos cognosci possunt, nempe quamplura materialia accidentia; ergo.

Secun-

Secundò. Vbi vna virtus sufficit, plures multiplicari non debent; sed sic se habet in proposito; ergo. probatur minor; nam anima cum sensu communi, & cerebro id supplere potest.

Tertiò. Ex parte mediorum non rectè colligitur hic numerus, vt colligere intendit Arist. nam duo media vni, duobus, & tribus seruire possunt sensibus, vt aer, & aqua, visui, auditui, & odoratui; quare non vniformiter media sensibus aptantur.

Quartò sensibilia communia sunt per se sensibilia; ergo melius eis proprius assignatur aliquis sensus, quam si vagari per omnes dicamus; nam hoc pacto inordinatus conspicitur naturæ ordo; at secus alio modo accideret.

Quæstio hæc probabilibus rationibus ab Aristot. in litera constituta fuit; vnde nunc alias quoque eiusdem etiam rationis (puto etenim demonstratiuas assignari non posse) pro maiori intelligentia, & robore breuiter adducamus. Sed priusquam id efficiatur; sciendum est, sensus externos dici, (vt alibi quoque dictum est,) qui organa exteriora habent, vel ab externo obiecto immediatè, & realiter existente, & per species sensibiles immutantur, & vocantur externi ad differentiam internorum, qui sunt, sensus communis, imaginatiua, &c. vt infra. Quod itaque sint solum quinque, nempe visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus, his rationibus probatur. Prima ratio.

Sensus, vel immutantur intentionaliter tantum, vel cum hoc etiam actio naturalis concurrit. Si solum intentionaliter constituitur visus; nunquam etenim obiectum naturaliter, vel physice in ipsum agit, nisi fortè per accidens. Si naturaliter, aut est transmutatio ex parte obiecti, aut ex parte organi; Si ex parte obiecti, aut contingit per motum localem, & sic pertinet ad auditum; sonus namque cum motu causatur, vel per alterationem, & sic attinet ad odoratum; alterato namque obiecto odorabili, odor diffunditur. Vel contingit ex parte organi, & hoc dupliciter, videlicet immediatè, & præcipuè à primis qualitatibus, & hoc modo tactum respicit, qui sic afficitur, vel mediante aliquo humore, atque à quibusdam qualitatibus secundis, & sic est gustus, qui à sapore per saliuam afficitur, nec plures sunt modi immutandi; ergo nec plures sensus. Secunda. Media sensibilium, vel sunt externa, vel interna; si externa, aut sunt diaphana, & sic pertinent ad visum, aut fluxibilia, & sic ad auditum, aut cum sicco humida, & hoc modo pertinent ad odoratum; aut interna, & sic, vel sunt in aliqua parte determinata, cum dominio humidi, & ad gustum attinent, aut per totum diffusa, & in debita temperie, & pertinent ad tactum. Tertia ratio. Prima accidentia sensibilia, seu quæ nata sunt extendi, & esse quanta sufficienter ab istis percipi possunt, nec aliquid superest, ergo. Antecedens patebit, si per singula prædicamenta discurramus. Quarta. Tot sunt constituendi sensus, quot ad diuersa pro animalium perfectorum necessitate obiecta requiruntur, nec sunt plura in genere, quam quinque; ergo; nam vel est indigentia rei absentis, & hæc per visum acquiritur; vel salutaris ad cibum, aut delectationem, & vtimur odoratu, vel ad passiones aliorum percipiendas, & requiritur auditus; aut ad nutrimentum est, & est gustus; vel ad simpliciter esse, seu vitam tuendam est, & est tactus. Quinta. Tot sunt constituendi sensus, quot sunt, vel esse possunt organa, hæc autem non videntur, nec existentia, nec necessaria, nisi quinque; ergo. At Argumenta soluamus.

Ad primum dicitur ad minorem, omnia obiecta sensibilia sub ratione formali sub quinque contineri; nempe sub ratione tangibilis, gustabilis, odorabilis, audibilis, & visibilis.

Ad secundum negatur, quod anima, & sensus communis cum cerebro vicem aliorum supplere possint; nam anima indiget diuersis organis, & sensibus, atque sensus communis ab externis species recipit; pariter cerebrum cum sit indisiunctum, & veluti materia est ad hoc parum aptum.

Ad tertium dicitur, non esse sumenda simpliciter media, sed cum dispositionibus prædictis, alijsque in expositione textuum allatis.

Ad quartum dicitur; sensibilia communia pertinere ad propria, ita vt vnum sine alio sentiri non potest; quare non sunt ad peculiarem sensum referenda.

QVÆSTIO LXI.

Quoniam autem sentimus, quod videmus, & audimus, necesse est, aut visu sentire, &c.
Tex. 136.

An sensus externi suas percipere possint sensationes.

ARguitur primò, quòd sic. Potentia cognoscitiua, quæ recipit sensationem, ipsam cognoscere debet; siquidem sensuum operatio in receptione consistit; at omnes sensus in seipsis suas recipiunt sensationes, vel operationes; (vnde immanentes actiones dicuntur,) ergo.

Secundò. Omnis cognitio fit per aliquam similitudinem cognoscentis, & cogniti, vt dictum est in primo de Anima; ergo facilius aliquid cognoscitur ab eo sensu, cum quo conuenit, quam ab alia potentia; & per consequens, cum sensatio propria alicuius magis conueniat cum proprio sensu, quam cum alijs potentijs, habetur intentum.

Tertiò. Vel potentia, quæ sensationem sensus exterioris percipit, est sensitiua, vel intellectiua; non sensitiua, quia eadem ratione eademmet, cuius est sensatio, esset cognoscens. Non intellectiua; quoniam bruta suas non perciperent sensationes, quod experientia falsum esse comperitur; nec etenim alia de causa aures tendunt, oculos aperiunt, ac immobiles figunt, nisi, quia sic melius audire, vel videre percipiunt.

Quartò. Sensus percipit priuatiua, vt docet Aristot. auditus namque est circa sonum, & silentium; ergo multo magis suas percipiunt operationes. Probatur consequentia; nam magis hæ operationes rationem perceptibilis obiecti participant, quam puræ priuationes.

Pro intelligentia sciendum est, certissimum esse operationes externorum sensuum a nobis percipi, si quidem nos, audire, videre, & alia huiusmodi operari indubitanter cognoscimus; neque dicendum est, hanc esse intellectus operationem; si quidem sine omni discursu, & circa sensibilia singularia absque vlla abstractione hæc nobis passim contingunt: atque etiam brutis accidere, fatendum est. Quare opus alicuius alterius sensus esse, dicere debemus. Animaduertendum itaque est etiam; quod sensus omnes externi interioribus subordinantur; ita, vt illi proximè intellectui inseruiant; hic autem omnium sit princeps.

Denique notandum est; quod ad hoc, vt aliquod positiuè ab aliquo externo sensu percipi per se possit, sub eius proprio, vel sub communi obiecto contineri debet; potentiam namque ad obiectum, & hoc ad illud referri, vel mutuo (diuersa habitudine) dirigi, alibi determinatum est, neque est imaginabile aliud per se cognoscere posse visum, nisi qualitatem visibilem, aut magnitudinem, vel numerum, &c. Quibus habitis ponitur conclusio.

Sensus externi suas sensationes non percipiunt; vt visus non percipit se videre, nec auditus se audire, & sic Conclusio.

de

de alijs; hæc est expressa Aristot. sententia in litera, quæ tamen sic etiam comprobari potest. Cum hæ operationes, neque sub proprio, neque sub communi contineantur obiecto; nec etenim visio est qualitas visibilis, nec magnitudo, aut numerus, &c. Idem dicatur de auditione, & de alijs patet, &c.

Amplius. Reflecti supra suam operationem est opus solius immaterialis potentiæ, puta rationalis; ergo sensitiuis non conuenit. Probatur antecedens; quoniam hæc reflexio fit cum aliquo discursu saltem virtuali, qui solum ad illam pertinet; Sed si dicatur; nonne voluntas, quæ non discurrit, supra se reflectitur? potest namque se velle habere volitionem, & hanc iterum diligere, & velle, & sic semper. Respondetur, ipsam esse quoque immaterialem, & rationalem, ac discursum adhibet intellectus, quamuis ipsum formaliter non efficiat; idem dici potest de intellectiua memoria. Sed quid dicendum de Phantasia; ipsa namque somniat, ac etiam somniare somniat, vt notum est, ergo reflectitur supra suam operationem; Respondetur, illam esse intellectus operationem, qui quidem interdum non plenè ligatur, pariter dicatur de discursu, qui in somno accidit, quamuis multæ fieri possint imaginum compositiones sine discursu, & sine intellectus operatione, vt accidit somniantibus brutis. An vero somniare sit solius Phantasiæ alibi dicetur. A quibus autem hæ sensationes cognoscantur, in sequenti quæstione determinabitur, nunc Argumenta soluamus.

Ad primum dicitur, vnamquamque potentiam sensitiuam suam recipere sensationem, ac propterea passiuæ sunt, & illæ sunt actiones immanentes; non tamen illa sensatio terminatur ad se ipsam, sed ad obiectum; vnde ipsa non cognoscitur, sed ipsum obiectum; imò neque cognoscitur species sensibilis, nisi in aliquo repræsentetur, vt visibilis in speculo; tunc etenim habet rationem aliquomodo imaginis, vel obiecti, vt alibi dictum est.

Ad secundum dicitur. Illam similitudinem inter cognoscens, & cognitum, non esse quidem conuenientiam veluti effectus cum causa, sed rei immaterialis, cum immateriali, vel formæ cum forma, hoc est specierum sensibilium cum anima; nam sicut anima est forma corporis, ita hæ species ipsius animæ, vnde formæ quoque dicuntur.

Ad tertium dicitur, vtranque esse posse, scilicet sensitiuam, & intellectiuam; nec valet consequentia, quod eadem ratione ab eodem sensu perciperetur; quia alter sensus est alterius ordinis, scilicet internorum, qui ad plura se extendunt.

Ad quartum dicitur, non propriè priuatiua à sensibus percipi, sed quatenus nihil percipiunt, priuationem percipere dicimus, quæ cognitio potius ad sensum communem attinet.

QVÆSTIO LXII.

Neque itaque separatis contigit discernere discernens, &c. Tex. 146.

An detur sensus communis, quod sit eius officium, & sedes.

TRes partes præsens quæstio continet, quarum singulas breuiter, & faciliter absque multa inuestigatione expendemus. Quo igitur ad primam sciendum est, quod via inuestigandi aliquam potentiam ex operationibus sumitur; si etenim aliqua conueniat viuenti operatio, quæ capacitatem notarum potentiarum superet, ad alias confugiendum; nam omnis actus, & operatio ab aliquo determinato principio prouenit; hoc autem potentiam nuncupamus. Cum itaque diuersæ sint sensitiuæ operationes, quæ vires externorum sensuum penitus excedunt, alter dandus est, qui quidem super ipsas possit: & hunc communem appellamus. Cuius natura, & necessitas melius patebit, si ad eius munera descendamus. Septem igitur notiora colligi possunt.

Primum est percipere obiecta omnium externorum sensuum, quod quidem efficitur per easdem species sensibiles, quibus ipsi externi sensus vtuntur; nec etenim solum in organis externorum sensuum manet, sed vltrò progrediuntur, atque huic sensui præsentantur.

Secundum est ipsorum quoque sensationes percipere; cognoscimus namque nos videre, audire, &c. ergo ab alia potentia sensitiua interna: nam externæ id efficere nequeunt, vt in præcedenti dictum est; hæc autem cognitio fit per proprias species ipsarum sensationum.

Tertium est iudicare inter sensibilia diuersa diuersorum sensuum, puta inter dulce, & album; clarum namque est, hoc iudicium in nobis reperiri, nec est alicuius sensus externi, si quidem visus non se extendit ad saporem, aut gustus ad colorem, &c. iudex autem ambo extrema cognoscere debet; quamobrem iudicium sensitiuum est effectus sensus communis; nec non etiam æstimatiuæ: de qua postea, præter intellectiuum, quod intellectus est passio, vel opus. Quod quidem ex bonitate, vel malitia sensitiui, non parum commodi, vel incommodi refert. At credendum non est, hoc sensitiuum iudicium cum discursu iudicare, sed sola apprehensione; non secus, quam visus simul album, & nigrum conspicit. Iudiciũ sensitiuum, & intellectiuum.

Quartum est inseruire phantasiæ; hæc namque ab ipso species, & motiones recipit, quibus mediantibus operatur.

Quintum esse radix, & principium, aut origo omnium externorum sensuum; ab ipso namque oriuntur, vt melius dum de eius sede differemus, patebit.

Sextum est officina somni; si quidem in ipso somnus efficitur; nam si eius ministerium impediatur, vsus externorum sensuum statim adimitur; vnde cessat per ipsos operari animal, & hoc quidem dormire est; hoc autem ministerium multipliciter impediri potest; nam vapores à potu, & cibo, aut ab humido naturali, aut à colliquamento vi caloris geniti ianuam ipsius obstruunt, pariter, ex labore, attentione, delectatione, alijsve huiusmodi spiritus externorum sensuum ad ipsum confugiũt, ac impediunt, nec non sensus externos viribus destitutos relinquũt, vnde necessariò accidit ipsorum motuum, & operationum cessatio.

Septimũ est incipere insomnia; nam ex ipso ad phantasiam mittuntur species, vnde insomnia efficiuntur. Nunc de eius sede dicamus. Aristot. itaque in libro de sensu, & sensili, cap. 12. in 2. lib. de partibus animal. cap. 1. & 10. ac de animalium motu, cap. 9. ipsum in corde collocat. Nam ex corde primo vita animalium incipit, hæc autem consistit in sensu, ergo ex ipso sensus omnes principium capiunt (non enim solum de communi sensu, sed de alijs omnibus id enunciat.)

Amplius. Cor est neruorum principium; ergo, & sensuum, qui super neruos fundantur. Præterea. Cerebrum est discontinuatum ab alijs partibus, & vt in vase contentum; ergo non est principium sensuum, quia principium debet continuari cum re principiata, nec de alijs partibus est controuersia. At Galenus lib. 7. de decretis ipsum sensum cõmunem, ac principium omnium sensuum in cerebro statuit, certissimis anatomicis experientijs, innixus; ex his namque omnes neruos originem ducere constat. Dicamus itaque resoluendo cum Scoto in 2. de Anima quæst. 10. ipsum sensum communem, sicut omnes alios,

alios, primam originem habere à corde, quod eſt vniuerſaliſſimus vitæ fons; complementum vero, vel vltimata perfectio, (vnde immediatè ſenſus profluere poſſunt) eſt in cerebro, quod quidem nō eſt penitus diſcontinuatum, vt putabat Ariſtot. ſed aliquibus ligatur nexibus. Sciendum eſt itaque in quadam concauitate intra oculos, & palatum, hunc ſenſum ſuum habere organum, ad quem nerui externorum ſenſuum concurrunt, & præcipuè oculorum, aurium, narium, & guſtus, ex quibus incipiunt, & proſequuntur, tanquam à communi principio, vel cauſa; vnde communis dicitur ratione cauſalitatis, & operationis, prout eſt cauſa omnium, & operationes omnium cognoſcit, & iudicat, non autem ratione vniuerſalitatis, & prædicationis.

QVÆSTIO LXIII.

An vero impoſſibile eſt ſimul ſecundum contrarios motus moueri idem. Tex. 147.

An ſenſus ſimul contraria percipere poſſit.

ARguitur primò, quòd non. Nam nihil duobus motibus contrarijs moueri poteſt; at ſimul duo contraria ſentire eſt ab ipſis moueri; ergo.

Secundò, vel illa contraria ſunt æqualis virtutis, aut inæqualis. Si æqualis, vnum alterum impedit, vnde neutri fit ſenſatio; Si inæqualis, quod maiorem vim habet, alterum impedit, & ſic vnum ſolum ſentitur.

Tertiò. Si ſimul duo contraria perciperet, aut hoc eſſet, vnico actu, aut pluribus; non vno, quia neque intellectus (qui eſt efficacior) id poteſt; neque pluribus, quia vnius potentiæ naturalis vnicus tantum poteſt eſſe actus formalis, & eiuſdem rationis.

Quartò. Ariſtot. de ſenſu, & ſenſili ait, vnum ſenſum vna ſenſatione diuerſa ſentire obiecta, ſimile eſt, vnam lineam terminari eodem extremo ad diuerſa puncta; cum ergo hoc ſit impoſſibile, & illud erit. Oppoſitum tamen determinat Philoſophus in præcitato textu, & inde.

Pro intelligentia itaque memoriæ mandandum eſt, quod alibi de ſpeciebus ſenſibilibus determinauimus, videlicet, eas obiecta ſenſibilia ſic repræſentare, vt quamuis ipſa inter ſe ſint contraria, hæ tamen nullam, nec in medio, nec in potentia repugnantiam retineant.

Aliud obſeruandum eſt, quod vnaquæque potentia nata eſt ferri immediatè in quodlibet cōtentum ſub proprio obiecto, ſaltem ſub ratione ſimplicis apprehenſionis, & inconuenientia talis obiecti; dummodo ſint debita diſpoſita, & approximata ſine aliquo impedimento; quia non eſt maior ratio de vno, quam de alio. Ex quibus concluſionem hanc ſtatuimus. Quilibet ſenſus ſi-
Concluſio. mul contraria percipere poteſt. Probatur; nam vnuſquiſque ipſorum eſt reſpectu duorum contrariorum, vt docet Ariſt. in cap. de tactu, & maximè verum eſt de ſenſibus externis, de quibus maior videtur difficultas.

Amplius. Cum duo contraria ſimul eidem ſenſui obijciuntur, aut ambo ſentiuntur, aut vnum tantum, aut neutrum. Si ambo, habetur intentum; ſi vnum tantum, eſt contra rationem, cum non ſit maior ratio de vno, quam de alio; neutrum eſt impoſſibile, quia ſic obiectum ſenſum impediret, nec aſſignari poteſt ratio, cur neutrum percipiatur. Præterea. Experientia patet, eodem tactu ſimul calidum, & frigidum ſentiri, eodem viſu album, & nigrum, &c. Sed ſoluenda ſunt Argumenta.

Ad primum dicitur, illos non eſſe contrarios motus, quia non ſunt veri motus, nec ſpecies per quas ſentiuntur ſunt verè contrariæ.

Ad ſecundum negatur aſſumptum; non etenim illæ ſpecies ſunt contrariæ, & ſic ſiue æqualis, ſiue inæqualis virtutis ſint, non ſe impediunt.

Ad tertium dicitur id effici vnico actu ſenſus, cui plures obiecti reſpondent, ſicut plures lineæ, quæ ad idem terminantur centrum; dum dicitur, id non poſſe efficere intellectum; de ſimplici apprehenſione negatur; de alijs non eſt par ratio; nam eſt perfectior intellectio, vel cognitio, quæ non maiorem expoſtulat potentiæ conatum.

Ad quartum dico, Ariſt. nihil aliud intelligere velle, niſi quod illa obiecta non ſentiantur, vt plura, ſed prout conueniunt in vnico communi. Vel dicatur, non eſſe plures motiones; vnde vni lineæ, ac vni ſibi reſpondenti termino ex parte potentiæ aſſimilantur.

QVÆSTIO LXIIII.

Imaginatio enim aliud eſt à ſenſu, aliud à ratiocinatione. Tex. 153.

De numero, officio, atque organis internorum ſenſuum.

EX prædictis, alijſque paſſim in Philoſophia occurrentibus, internos ſenſus neceſſariò conſtituendos eſſe colligitur; hi autem dicuntur, qui nec in exteriori parte corporis organa poſſident, nec immediatè ab externis exiſtentibus obiectis mouentur; ſed ipſis interdum non exiſtentibus, à relictis ſpeciebus moueri poſſunt; & ab hac interna motione potius quam ab internis organis interni dicuntur; aliter guſtus, & tactus, quorum organa externa non ſunt, exteriores dici non deberent. De numero itaque ipſorum non eſt omnium eadem ſententia; aliqui namque quinque, alij quatuor, alij tres, quidam duos, ac nonnulli vnum ſolum conſtituunt. Qui itaque ipſos plurificant hac ratione mouentur, quod vnus poſſit eſſe ſine alio, vel operationes vnius cum aliorum non ſint ſemper neceſſariò iunctæ, ex quibus diuerſitatem quoque ſenſuum colligimus, & hæc quidem eſt optima via aliquid à poſteriori indagandi, atque ab alijs diſtinctum eſſe percipere; quæ etenim ſunt penitus idem realiter, ſi vnum perit, & aliud, vt patet de homine, & rationalitate; ex oppoſito, quæ realiter diſtincta ſunt, non ſe mutuò perimunt; quamobrem cum ſic has potentias ſe habere contendant, meritò eas plurificant. Qui autem oppoſitum ſentiunt, diuerſitatem ſolum munerum eidem tribuunt; vnde multiplicando opera, potentiarum vnitatem ſaluāt. At vt ad rem deueniamus, hi quinque ad ſummum conſtituuntur; videlicet ſenſus communis, imaginatiua, æſtimatiua, phantaſia, & memoria; officia ſenſus communis in præcedentibus declarata fuerunt, quibus tamen addendum eſt, quod ſolum in præſentia obiecti, vel paulo poſt retinendo ipſa exequatur. At contra; nam dictum eſt, per ipſum effici ſomnos, & inſomnia, quæ ſolum in abſentia obiecti complentur. Pariter dictum eſt hic, internos ſenſus nuncupari, qui in abſentia obiecti ab intra operantur. Reſpondetur ſomnos fieri, quatenus ipſe ſenſus impeditur; vnde propter hoc non opus erit, vt in abſentia obiecti operetur. Pariter, diximus eſſe in ſomniorum principia prout ſpecies ſenſibiles alijs internis ſenſibus miniſtrat, quæ quidem adminiſtratio ſat eſt; quod in præſentia etenim obiecti incipiat; dum etenim ſenſus externi ſua percipiunt obiecta, interni quoque laborant, & eadem

apprehen-

apprehendunt ordinatim, ita vt vnus alteri conferat, secundum approximationem, vel elongationem ab externis sensibus. Operari verò in absentia obiecti, non est omnium internorum sensum; sed bene moueri ab intra. Post hunc sequitur imaginatio, cuius munus est in absentia obiecti imagines, seu species sensibiles retinere; clarum namque est, post amotum obiectum adhuc imaginem eius quasi viuum in nobis manere, quod quidem non accidit sensibus externis: vt visus non videt nisi præsens: pariter nec audit auditus, &c. Neque est opus intellectus; siquidem hæc est operatio circa singularia, & sensibilia, atque etiam brutis competit; aliter nec propriam habitationem, nec dominium, aut aliud antea cognitum inuenirent: est ergo internus sensus.

At si hoc solum sit imaginatiuæ munus, manifestum erit quod dicimus, sensum videlicet communem in præsentia solum cognoscere, aliter officium imaginatiuæ sibi vsurparet, & per consequens ipsa imaginatiua frustra esset. Hinc autem proxime accedit phantasia, quæ omnia prædicta componit, & diuidit, ac maximè viget in somnis, quamobrem cum tunc neque ab ordine sensuum, neque ab existentia obiectorum dirigatur, quamplurima inordinatè componit, monstra impossibilia fingit, &c. vt dicetur in paruis naturalibus; sequitur æstimatiua, quæ iudicium peculiariter appellatur, cuius munus est ex rebus sensatis cognitionem non sensatæ elicere, vt ouis ex lupi sensata cognitione, inimicitiam (quæ sub externo sensu non cadit) elicit, pariter amicitiam cum alia oue, vel agno filio, &c. postremo loco ponitur memoria, quæ omnium prædictorum est conseruatrix. Hic igitur est horum sensuum numerus; quibus ordinatim organa assignant in cerebro; sic nimirum quod sensus communis sit in parte anteriori capitis, nempe in fronte, cui succedat imaginatio, & sic consequenter vsque ad occiput, siue posteriorem partem capitis, vbi memoria residet. Quorū quidem organa per membranulas quasdam distingui affirmant. Quæ quidem positio limitari potest quoad numerum, & situm: nam imaginatio videtur penitus è medio tollenda, siquidem cum solum species retineat, superflua est: nam vnaquæque operatura potentia species retinere debet; quamobrem cum id sit vniuscuiusque munus (excepto sensu communi) ponenda non est; At contra, nam Aristot. in hoc secundo tex. 161. & inde expresse imaginationem ponit. Respondetur, ibi per imaginationem intelligere phantasiam; hæc namq; quatenus imagines retinet, imaginatio nuncupatur, at quatenus eas componit, & diuidit dicitur phantasia: vnde nec nomen, nec effectum imaginatiuæ auferimus, sed esse distinctā à phantasia negamus; quam ob rem, vel imaginatiuam phantasiam, vel è contra nominemus nihil refert. Tribuitur autem munus retinendi imagines phantasiæ per quandam attributionem; quia videlicet magis eis vtitur; nam re vera omnes retinent præter sensum communem, & inter quaslibet, propriissimè memoria, vt manifestissimum est experientia. Quatuor igitur prædictos constituerem sensus, quorum organa ex anatomicis experientijs hoc ordine collocari possunt; videlicet sensus communis supra palatum, vt dictum est, cuius organum in humido multo consistit, vt facilè species recipere possit; æstimatiua propè oculum dextrum, cuius organum debet esse pariter humidum; phantasia propè sinistrum, atque eius organum est temperatum, spiritibus plenum, & non obliquum; memoria in medio cerebri, cuius organum est magis siccum. Quod vt intelligatur, sciendum est, quod est quædam diuisio per membranulam ab occipite vsque ad sinciput capitis, & ex vna parte versus sinciput est vna cauitas, ex alia propè oculos alia, quibus subsidet tertia, ac alia quædam est in medio cerebri, in quibus hos sensus residere credibile est, & sic limitatus situs ab alijs positus; At pro maiori intelligentia sciendum est; hos omnes sensus, mutuo adinuicem sibi operam præstare, ac alterum alterius ministerio vti, vt notissimum est; excepto sensu communi, qui alijs internis auxilium præbens, nihil ab ipsis recipit, sed potius cum externis in hoc communicat; Quod vero alijs sic se habeant, ex eo patet, quod memoria operum phantasiæ æstimatiuæ, sensus communis, & aliorum quoque meminit. At phantasia ipsa ex memoriæ conceptaculis, ex æstimatiuæ speciebus, & alijs multa componit, & molitur. Pariter æstimatiua suas elicit ex omnibus prædictis cognitionem; vnde non forte adeò irrationabiliter aliqui vnicam esse potētiam enunciant; aliter daretur quidam regressus, & quasi reflexio, quę sensitiuum captum superare videtur. Sed re vera non propter hoc sunt è prædeterminato numero remouendæ; nam clarū est, & ex organorū diuersitate, & diuersis operationibus, quarū vna est sine alia (aliquis namq; iudicio, & non memoria; alter hac, & non illo; quidam solum phantastica pollet imaginatione, &c.) esse diuersas esse potentias iure colligi posse; hęc namque est aptissima via distinctionum indagandi, nec tamen est regressio, instar illius, quæ est intellectus, sed quædam communicatio, quæ per spiritus in proprijs conceptaculis residentes, & hinc illuc discurrentes prestatur. Vnum tandem moneo, æstimatiuam in hominibus, cogitatiuam à quibusdam appellari; imò hanc esse animam informantem ipsius dicunt; intellectum vero esse separatum, diuinum, &c. sed de his in tertio.

QVÆSTIO LXV.

Si igitur imaginatio est secundum, quam phantasma aliquod nobis fieri dicimus. Tex. 155.

An phantasia, vel alter internus sensus discurrat.

Non quærimus hic si bruta ratione participent; de hoc namque determinauimus in 2. Phys. q. 8. Sed nunquid aliquis internus sensus siue hominis, siue brutorum discurrere possit. Quod itaque possit, probatur. 1. Arg. Nam dormientes discurrunt, vt notum est; neque dicatur (vt supra etiam dictum fuit) intellectum non esse penitus ligatum; nam ex eo falsum esse apparet, quod per somnium operantibus nihil culpæ, vel meriti tribuitur, cuius oppositum accideret, si ratione vterentur, vel intellectus ligatus non esset.

Secundò. Phantasia componit, & diuidit, vt dictum est; at hæc actio includit discursum; non etenim hominem esse animal affirmare possumus, nec equum non esse asinū, nisi feratur cognitio de vno in aliud obiectum; hoc autem est discurrere; ergo.

Tertiò. Procedere de notis ad ignota est cum aliquo discursu; æstimatiua autem sic se habet; si quidem ex sensatis, ad insensata transit, vt dictum est.

Quartò. Omnis doctrina acquiritur per discursum; at quamplurima bruta sunt disciplinabilia; ergo, nec refert ad rem, illam non esse veram doctrinam; sat namq; est, vt de vnius in alterius cognitionem deueniant.

Quintò. Canis prędam persequens; si ad biuium peruenerit, vbi ipsam non conspiciat, altera relicta via, aliam capit, quod solo discursu effici potest.

Pro intelligentia sciendum est, duplicem esse discursum, alterum ex propositionibus; quarum vna saltem sit vniuersalis, atque virtualiter erit discursus syllogisticus; & hic quidem nullatenus alteri potentiæ, quam intelle-

ctiuæ

ctiuæ competere potest; nam vniuersalia comprehendere est opus potentiæ immaterialis, ac à sensibilibus abstrahit.

Alter vero est discursus singularis, qui sensibilium notionem non excedit, nec causæ rationem includit, sed solum, quæ immediatè ex sensibilibus colligi possunt; & hic à phantastica virtute non est penitus auferendus; hac namque bruta viuunt, & quamplures etiam homines parum ratione pollentes, vt docet Arist. in textu. Neque dicatur, hanc esse rationem; quia sic ab ipsius natura distat, vt vix eius referat vmbram; ratio etenim de quibuscunque discurrit causam, vel perfectè, vel imperfectè noscit; cuius oppositum hic accidit; solum namq; ex quodam naturæ instinctu, quæ elici ex sensibilibus possunt, eliciuntur, absque vlla causali, vel rationali cognitione. At obseruandum est. Imaginatiuam in homine nobiliorem esse, quam in brutis; vnde perfectius operatur, ac magis intellectui approximari videtur. Talis est itaque discursus adumbratus internorum sensuum; vt dictum est, præcipuè phantasiæ, ac æstimatiuæ quoque. Sensus autem communis id non efficit; sed per simplicem apprehensionem de externis obiectis iudicat. Sed Argumenta soluamus.

Ad primum dicitur; vel in dormientibus non esse verum discursum, vel intellectum non esse penitus ligatum; sicut namque aliæ potentiæ internæ vigilant, sic potest intellectus; quamuis ex ligatione externorum sensuum, & impedimento internorum (non etenim sunt in omnimoda dispositione in somnis) non bene vigeat, quod sufficit, ne liberè operetur; verum est tamen, quod, vt plurimum ligatur; nam cum sit nobilior, ac fere omnibus sensibus, vt ministris vtatur, vno deficiente, cessat operatio ipsius. Quandoque autem nec plenè alij sensus ligantur; imò relinquuntur interdum viæ ex sensu communi ad motum, & si aliæ ad sentiendum sint obstructæ, & tunc dormientes, & simul somniantes ambulare possunt; præcipuè in quibus magnopere vis imaginatiua viget.

Ad secundum dicitur, non esse illum discursum rationalem, sed quendam singularium, ex vi naturæ. Idem dicatur ad tertium, quartum, & quintum; neque etenim illæ sunt veræ doctrinæ, nec veri rationales discursus, de quibus loquimur, vnde dicantur secundum quid, & æquiuoci.

QVÆSTIO LXVI.

Si vero idem esset, quod actus, omnibus vtique contingeret bestijs imaginationem inesse; videtur autem non, vt formicæ, aut api, aut vermi. Tex. 156.

An Apes, Formicæ, Vermes, &c. habeant imaginationem.

ARguitur primò, quod non, auctoritate Arist. hic.

Secundò. Omnia, quæ imaginationem habent, debent habere ipsius distinctum organum, quod quidem in vermibus, alijsve huiusmodi, quæ (videntur habere corpora similaria) assignari non potest.

Tertiò. Quæ imaginatiua pollent, & memoriæ, & disciplinæ sunt capacia; hæc autem his non accidit; ergo.

Pro intelligentia sciendum est; duplicem esse imaginatiuam; alteram solum ad ea, quæ ad viuendum sunt necessaria; aliam, quæ ad capacitatem, vel disciplinam pertinet. Prima omnibus animalibus conuenit, vt docet Arist. in hoc secundo tex. 20. imaginationem namq; sensum comitari asserit; at sensus præcipuè tactus est in omnibus; ergo. Confirmatur; quia si imaginatiua carerent, de rebus ad viuendum necessarijs sibi consulere nequirent; nec etenim omnia sunt semper eis debitè præsentia; quare per phantasiam, (quæ ipsorum simulacra eis repræsentet) inuestiganda sunt. At sciendum est, hanc imaginationem non habere distinctum organum, sed per totum diffundi, maximè in imperfectis, & acephalis, seu sine capitibus, vt sunt vermes: neque propterea debet dici non organica; quia pariter neque tactus organicus esset. Perfecta itaque, vel quæ capacitatem aliquam disciplinæ includit ab ipsis remouenda est.

Et ex consequenti etiam auferenda est vera prudentia, quæ solis hominibus conuenit, cum supponat ordinationem mediorum ad finem per vniuersalia cognita, & si metaphoricè nonnulla bruta prudentia dicuntur: Argumenta autem solum de perfectis concludunt, ideò alia non egent solutione.

Finis Secundi Libri de Anima.

ANTO-

ANTONII ROCCI

De Scurcula Marsorum.

IN TERTIVM LIBRVM ARISTOTELIS de Anima Paraphrasis.

SVMMÆ LIBRI I.

IN Prima agitur de potentia animæ Intellectiua.
In Secunda de potentia animæ motiua.
In Tertia, quæ potentiæ animæ, quibus animalibus sint necessariæ, declaratur.

SVMMÆ PRIMÆ CAPVT PRIMVM.

De Intellectus passibilis essentia. Ipsius impassibilitatem non esse similem ei, quæ sensus. Et quando intellectus hic dicatur esse in actu.

Tex.1. E parte autem, vel potentia animæ, qua ipsa discurrendo cognoscit, ac etiam sapit, seu primas, & altissimas causas comprehendit, (videlicet de intellectu) considerandum est; siue ipse intellectus sit separabilis secundum magnitudinem ab alijs partibus, vel potentijs; ita vt in aliqua determinata parte, & organo corporis resideat, (vt aliqui in cerebro ipsum esse affirmabant,) siue solum sit ratione separabilis; ita videlicet, vt simul cum alijs potentijs reperiatur, (vt vegetatiua est simul cum sensitiua in animalibus,) definitio autem, vel ratio ipsius à cæteris diuersa sit, nihil refert; de hac etenim separabilitate nihil ad præsens determinandum erit; sed considerandum de ipso erunt duo; videlicet, quam habeat differentiam ab alijs facultatibus, & quomodo tandem fiat ipsum intelligere.

Si igitur est ipsum intelligere sicut sentire, (ita vt sicut
Tex.2. sentire est ab obiecto sensibili existente in actu ad sensum existentem in potentia, ita intelligere ab obiecto intelligibili in actu sit ad intellectum in potentia;) aut pati aliquid vtique erit ab ipso intelligibili obiecto, sicut etiam sentire videtur pati ab obiecto sensibili, aut aliquid aliud tale erit; sic videlicet, quod non sit propriè pati, sicut neque sentire est pati, nisi æquiuocè; hoc est, non corruptiuè, sed perfectiuè tantùm, vt in secundo de Anima tex. 51. dictum est.

Tex.3. Si igitur ipse intellectus intelligendo non patitur passione corruptiua, vt dictum est; impassibilem ergo oportet esse tali passione, sicut est etiam sensus ab obiecto sensibili, & sibi proportionato; vterque tamen debet esse susceptiuus formarum, seu specie, ita vt sit in potentia ad ipsas nempe intellectus ad intelligibiles, sensus ad sensibiles; neuter autem sit hoc, seu in actu respectu talium specierum; aliter eas non reciperet; nam recipiens debet esse denudatum à natura recepti. Similiter igitur se habere debet sensitiuum ad sensibilia, & intellectiuum ad intelligibilia quoad rationem recipiendi species ab obiectis, & quoad esse in potentia, alia enim ratione differunt, vt videbimus. *Recipiẽs debet esse denudatum à natura recepti.*

Necesse est itaque, quoniam omnia intelligit, immistum esse, seu in potentia ad omnia intelligibilia, sicut dicit Anaxagoras, vt omnibus dominetur, hoc autem est, vt omnia cognoscat. Nam alienum apparens intra, vel iuxta potentiam, prohibet ne aliud percipiatur ab ipsa, & ipsam quoque obstruit; vt color si existat in oculis eos obstruit, sic vt alios colores percipere nequeant. Tex.4. *Intus apparens prohibet extraneum.*

Quare neque ipsius intellectus vlla est natura, nisi hæc, quod sit possibilis, seu in potentia ad omnia intelligibilia percipienda. Qui igitur vocatur animæ intellectus (dico autem intellectum, quo ipsa anima intelligit, & indicat) nihil est actu eorum, quæ sunt, antequam intelligat, hoc est nullum habet intelligibile in actu, vel species eius ante intellectionem. Tex.5.

Vnde neque rationabile est, ipsum mistum esse cum corpore, ita vt sit organicus: nam haberet etiam qualitates corpori conuenientes, vel fieret qualis, nempe calidus, aut frigidus, quod impossibile est, quia tunc non esset in Tex.6. *Intellectus non est organicus.*

potentia

potentia ad omnia, nec omnia intelligere posset; non enim intelligeret calorem, vel frigus, aut alias qualitates, quas haberet, sicut tactus non percipit suas proprias qualitates, vel temperiem. Imò si esset cum corpore mistus, ei manifeste inesset aliquod determinatum organum, sicut inest sensui; nunc autem nullum tale est, quia esset nobis manifestum. Quare bene vtique quidam dicunt, animam esse locum formarum, seu receptaculum specierum omnium rerum, nisi quod non tota anima, & secundum omnes eius potentias sic se habet, sed solum intellectiua; sensitiua etenim est locus specierum sensibilium; neque ipsa intellectiua actu habet omnes species, vt ipsi credebant: asserebant namque à principio suæ productionis, omnes habuisse omnium species innatas, ac omnia scire, & addiscere esse reminisci; quare in hoc deficiunt; (quæ est opinio Platonis) non enim actualiter habet omnes species, sed in potentia tantum. Patet ergo quomodo ipsum intelligere fiat. Nunc quomodo sit diuersum à sentire examinandum est.

Tex.7. Quod autem non similis sit impassibilitas sensitiui principij, seu sensus, & intellectus, manifestum est ex sensorijs, vel organis sensuum, & ex sensu ipso, in comparatione ad intellectum. Sensus enim non potest sentire ex vehementi sensibili, vt auditus non potest percipere sonum ex magnis sonis, neque olfactus olfacere ex fortibus odoribus, & visus videre ex splendididissimis coloribus: sed vel destruitur, sensus ipse, vel saltem læditur. Sed intellectus cum intellexerit aliquid valde intelligibile, vt Deum, vel intelligentias, non minus intelligit inferiora, sed & magis. Ratio diuersitatis est; nam sensus in sentiendo non sine corpore est, seu non sentit sine organo corporeo, quod cum in temperie quadam consistat, ab exuperanti læditur, vel corrumpitur. Intellectus autem separabilis est, ita vt in suis operationibus ab organo corporeo non dependeat, quare sic corrumpi, vel lædi non potest.

Intellectus quomodo differt à sensu.

Intellectus est separabilis.

Tex.8. Cum autem ipse intellectus, qui in potentia erat ad intelligibilia singula factus est, sic videlicet, quod species singulorum in se habeat, tunc dicitur intellectus in actu, vt sciens dicitur in actu, qui habitum, & scientiam habet rerum scibilium; hoc autem tunc accidit, cum ipse intellectus potest operari per se ipsum, quia videlicet non indiget obiecto aliquo externo, sed per species intelligibiles; quas actu habet ex se sufficiens est. Est tamen tunc quoque in potentia quodammodo, non tamen similiter, vt erat antequam addisceret, aut inueniret, quia tunc erat in potentia ad actum primum, seu scientiam; nunc solum ad secundum, seu operationem. Et potest tunc intelligere se ipsum, nam considerando suas operationes venit in cognitionem causæ, ac se considerantem esse percepit, seque ipsum intelligit; alio namque modo non potest pro hoc statu, quia omnis nostra cognitio habet ortum à sensu, sed ipse sub sensu non cadit; operationes vero eius ad sensibilia, vel terminantur, vel eius vtuntur, & sic aliquo modo sub sensum cadunt, & denique ad cognitionem intellectus conducunt.

Intellectus in actu.

Intellectus quomodo intelligit seipsum.

CAPVT II.

Quo pacto intellectus res materiales, quomodoue res abstractas, & seipsum intelligat, & cur non semper.

Tex.9. Quoniam autem aliud est magnitudo, & magnitudinis esse; & aqua, & aquæ esse, & sic in multis alijs; nam magnitudo, aqua, & aliæ res physicæ intelliguntur cum materia determinata, & cum proprijs accidentibus, & passionibus: esse autem, vel quidditas ipsorum ab omnibus istis abstrahit; vnde differunt, saltem ratione; nam subiecto idem sunt; nec enim quidditas carnis à carne ipsa separata realiter reperitur, nec aqua ab aqua, & sic de alijs; quæ tamen distinctio non conuenit omnibus; in quibusdam enim idem est esse carni, & carnem; seu idem est natura, & quidditas, (caro, & esse carnis est solum gratia exempli) maximè in rebus immaterialibus, & fortè in sola prima Intelligentia, in qua nec accidens, nec materia reperitur; vnde pura quidditas omnia includit. Ad propositum; etsi anima intellectiua, vel intellectus, sit simul subiecto cum sensitiua, & vnam fortè integrent naturam rationalem, tamen secundum quidditatem est diuersa; & sic alio principio, aut aliter se habente alia, & alia discernit; nam sensibilia per sensum, intelligibilia per intellectum; vnde sensus, & intellectus differunt; & diximus notanter, aut alio discernit, aut aliter se habente, ad demostandum, quod non semper alia potentia discernit diuersa, sed eadem, diuersimode se habens, nam intellectus, & intelligibilia, vel vniuersalia per modum abstractionis percipit, & singularia sensibilia respiciendo phantasmata, & sic aliter eadem potentia se habens, alia discernere potest. Quod autem aliud sit esse caro, & quidditas eius; & sic de alijs, patet. Caro enim non sine materia est, sed sicut simum se habet, ita vt sit hoc in hoc, quia includit materiam, puta narem, & sic caro propriam concernit materiam, quidditas vero eius ab ipsa determinata præscindit, quod satis supra declarauimus, sed hic ob continuitatem idem repetere voluimus.

In separatis à materia, idem est, quid est esse eo cuius est.

Sensitiuo igitur principio, ac reliquis alijs potentijs, & principijs cognoscitiuis, (quorum ratio, vel compositio, ac temperies quædam est ipsa caro, vel in carne consistit, ita vt sint organica,) anima ipsa indicat calidum, & frigidum, ac reliqua sensibilia omnia; alio autem principio (nempe, aut separabili existenti, ita vt sit totaliter diuersum à sensu, & nullo modo ab organo corporeo dependeat,) vel aliter se habente, (sic videlicet, quod non sit realiter à sensu distinctum, ac si esset alia anima, sed sit eiusdem animæ potentia: de quo modo non determino,) & alio modo se habeat in operando: quia scilicet non dependet ab organo, & circa vniuersalia, & immaterialia versatur, & sic non differat à sensu, alia anima, sed vt potentia diuersa, vel vt eadem anima diuersimode operans, sicut linea circularis vna, & eadem existens, aliter se habet ad se ipsam extensam: hoc inquam principio intellectiuo anima ipsa indicat esse, vel quidditatem carnis, & aliorum sicut sensitiuo carnem, & res singulares sensibiles discernit. Tex.10.

Iterum autem in ijs rebus, quæ in abstractione sunt, sicut Tex.11.

res mathematica, vt triangulus, quadratus, & alia; sit cognitio sensitiua ab anima cum materia; nam considerantur, sicut simum (hoc est indeterminata materia, nempe in quantitate continua, in qua ipsum rectum est, sicut simitas in naso,) quæ est consideratio recti singularis, vel à sensu externo, vel ab imaginatione, vel phantasia. Ipsum autem quid erat esse, seu quidditas ipsarum rerum mathematicarum (si tamen in mathematicis quidditas distinguitur à re, itaut sit alterum recto esse, vel quidditas eius, alterum rectum ipsum) alio principio, vel aliter se habente anima discernit, nempe intellectu, qui, quomodo dicatur alter, vel aliter se habens, superius declaratum est, (hæc autem quidditas recti vocetur causa exempli dualitas more Platonico, qui dualitatem rectum ipsum vocabat, pro vt duabus lineis clauditur) Altero itaque, aut aliter se habente quidditatem iudicat. Omnino ergo, vt separabiles sunt res à materia secundum abstractionem, & quidditatem, sic contingit separari, seu esse distincta ea principia cognoscitiua, quæ circa animam intellectiuam sunt; & sic quia intellectu quidditatem, & vniuersalia cognoscit, sensu particularia, & materialia, erunt diuersæ potentiæ sensus, & intellectus.

Tex. 12. *Dubitabit autem vtique aliquis, si intellectus simplex, seu immaterialis est, & impassibilis, vt supra dictum est, & nulli quicquam habet commune (hoc est non communicat in aliqua materia cum alijs rebus naturalibus, sed est totaliter immistus, sicut dicit Anaxagoras) quomodo intelliget, si intelligere pati quoddam est; nihil autem potest esse agens, nec patiens, nisi in quantum est aliqua communis materia vtriusque, tam scilicet agentis, quam patientis, vt visum est in primo de generatione, & corruptione textu 54.*

Tex. 13. *Amplius autem, est alia dubitatio, si ponatur, quod ipse intellectus intelligibilis sit, vt supra dictum fuit. Nam, vel est intelligibilis, prout intellectus est, vel alia ratione; non prout est intellectus; nam sic omnibus intelligibilibus inerit intellectus, si non secundum aliud ipse intelligibilis sit; probatur consequentia; nam dictio reduplicatiua infert vniuersalem conuertentem, vt si dicam homo in quantum animal est sensitiuus; valet inferre; ergo omne sensitiuum est animal, & sic omne intelligibile esset intellectus, quod est absurdum; nam omnia intelligibilia essent vnum specie, seu de natura intellectus, Non inquantum aliud; quia sic aliquid mistum habebit, quod ipsum facit intelligibile sicut alia, postquam ratione sui intelligibilis non est; at ipsum esse mistum repugnat ijs, quæ superius diximus: qua propter nullo modo intelligibilis videtur.*

Tex. 14. *Ad primam dubitationem respondetur, quod pati quidem diuisum est prius in secundo de anima textu 57. secundum aliquod commune; videlicet, quod omne passibile est in potentia: non tamen oportet, quod vnumquodque tale communicet in materia, quia quod patitur alteratione perfectiua, potest esse expers materia: sicut accidit de intellectu; quod vero alteratione corruptiua patitur, hoc in materia communicat. Intelligit igitur, ac patitur intellectus ab obiecto, quoniam ipse est quodammodo in potentia ad intelligibilia omnia, sed actu nullum habet intelligibile antequam intelligat. Esse igitur in potentia sufficit ad quamcunque passionem. Est tamen notandum. quod dicitur esse in potentia quodammodo, quia esse in potentia ad recipiendas species intelligibiles, non est esse in potentia essentiali, secundum quid, & accidentali. Hoc igitur modo intellectus quodammodo est in potentia; ita vt oportet ipsum sic esse respectu intelligibilium, vt tabula, in qua nihil est scriptum actu, sed omnia apta sunt ibi scribi; quod quidem, (vt diximus) accidit in ipso intellectu, in quo nata sunt recipi species omnium intelligibilium.*

Duplex est pati.

Intellectus est quasi tabula rasa.

Tex. 15. *Ad secundam dubitationem respondetur; quod ipse intellectus etiam intelligibilis est, sicut ipsa intelligibilia; in his enim, quæ sunt sine materia idem est, quod intelligit, & quod intelligitur; & sic cum intellectus ipse sit immaterialis ipse se ipsum intelligere potest; scientia namque speculatiua, & ipsum scibile idem esse potest subiectiuè: ita quod ipsum scibile sit sciens, & in eodem sit scientia, sicut accidit, dum intellectus se ipsum scit. Patet ergo, quod se ipsum intelligit; dum autem dicitur, aut intelligibilis est, prout est intellectus, aut in quantum aliud. Respondetur, quod in quantum ens; dum sub infertur; ergo non est totaliter purus, vel immistus. Respondetur, re vera non esse tantam in ipso puritatem, quæ conceptum entis excludat, vel fortè ratio entis simplicitati non repugnat, de quibus fusè alibi.*

In ijs, quæ carent materia idem est intelligens, & quod intelligitur.

Tex. 16. *Cur autem non semper se intelligat, alibi consideranda est causa. Nunc tamen breuiter dici potest, hoc ideo esse, quia non se immediatè intelligit, sed per suas operationes; quæ quia ab externo obiecto dependent, ac etiam à phantasmatibus, & organis; (quod postea melius examinabitur,) quæ omnia, vel non adsunt, vel aliquod est impedimentum, se ipsum intelligere semper nequit. Nunc iterum pro solutione secundæ dubitationis aliquid addamus: videlicet quod, in habentibus materiam vnumquodque intelligibilium est solum tale in potentia; quare illis quidem non inerit intellectus. Intellectus enim talium, (quæ videlicet intellectum habent) est potentia quædam sine materia, & hic quidem per se intelligibile erit; materialia igitur sunt intelligibilia in potentia, quia indigent abstractione, ac alia præcedenti cognitione sensitiua; immaterialia vero quatenus ex se, sunt actu inintelligibilia, & si ex parte nostri intellectus non statim intelligi possint.*

Cur intellectus semper non intelligat se ipsum.

Intellectus est potentia sine materia.

CAPVT III.

De intellectu agente. Et in actu, & potentia.

Tex. 17. *QVoniam autem circa omnem effectum naturalem, reperitur aliquid, quod quidem se habet, vt materia vnicuique generi, quod est in potentia ad recipienda omnia illa, quæ fieri debent; Alterum autem vt causa, & factiuum, quod à faciendo omnia, quæ in tali materia recipi possunt, dicitur. Quod sanè ars quæque respectu propriæ materiæ passa est, (seu id sibi conuenit) ita vt in ipsa assignanda sit materia, quæ receptiua sit formæ artificialis, & artifex, qui sit ipsius forma efficiens. Cum autem intelligere sit naturalis effectus animæ intellectiuæ, necesse est in ipsa has existere differentias: ita vt aliud sit agens, aliud vero patiens, seu aliud sit intellectus possibilis, vel passiuus, alter vero actiuus.*

Tex. 18. *Est igitur quidam talis intellectus, qui omnia fit, (seu, qui est receptiuus specierum omnium intelligibilium, ac per consequens omnia fieri dicitur, accidentaliter tamen, sicut quod recipit albedinem fit album.)*

Qui-

Quidam vero, quia omnia facit (nempe efficit omnes res actualiter intelligibiles per abstractionem,) & est, vt habitus, vel forma quadam (prout dat esse actualiter intelligibile rebus ipsis) atque eadem ratione dicitur lumen; nam sicut lumen facit, colores existentes quodammodo in potentia, (idest non simpliciter, sed vt videantur) in actu visibiles; sic ipse agens intellectus facit actu intelligibilia, quæ tantum in potentia talia erant.

Tex. 19. Intellectus agens separabilis.

Et hic intellectus separabilis est (hoc est non alligatus organo corporeo,) & immistus, (seu non constans ex principijs rerum, vt ipsas intelligere possit, sicut aliqui Antiquorum credebant in primo de anima,) & impassibilis (passione videlicet corruptiua, & fortè omni, cum ex se sit solum agens, atque ex sua natura, & substantia actio, seu agens existit.) Quod autem sit separabilis immistus, & impassibilis, probatur, nam semper honorabilius est agens, patiente, & principium efficiens, materiali; sed

Intellectus possibilis separabilis.

intellectus possibilis, qui est patiens, & veluti materia, est separabilis, immistus, & impassibilis, vt in textu 7. & inde probatum est; ergo multo magis iste. Nunc autem de intellectu in actu, & in potentia aliquid dicamus.

Intellectus in actu est simul cum scientia, idem.

Dicimus ergo, quod intellectus in actu, simul est, & non est cum scientia, & re scita, prout scita actualiter est, ita vt tunc dicatur in actu, quando habet actualiter scientiam de aliquo; quare scientia in actu, intellectus, & res scibilis idem sunt; (videlicet accidentaliter, & per quandam aggregationem) nam intellectus recipit scientiam, & fit idem accidentaliter cum ipsa, & quia in ipsa respicit obiectum scibile: ideo aliquo modo vnitur, & aggregatur, ac suo modo fit idem quoque cum ipso.

Tex. 20.

Scientia verò, & intellectus secundum potentiam, non simul sunt cum rebus scibilibus, sed respectu vnius, & eiusdem indiuidui; hic intellectus, & scientia in potentia prior tempore est, quam intellectus, & scientia in actu;

Actus est prior potentia.

prius est enim aliquis in potentia ad sciendum, quam sit in actu. Omnino autem, seu in vniuersali, neque tempore ipsa potentia præcedit actum, imò actus est prior potentia. Cum ergo idem sit intellectus in actu cum re scita, & scientia, modo exposito, & reducatur in actum ab ipso intellectu agente, sequitur, quod ipse sit lumen habitus, & forma, non tantum rerum intelligibilium, vt diximus, sed etiam ipsiusmet intellectus possibilis, qui in actum reducitur. Dum igitur in actu est, non aliquando quidem intelligit, aliquando autem non, sed semper.

Intellectus agens separatus est.

Hic igitur intellectus agens separatus est, (seu non alligatus organo corporeo,) vt etiam supra de ipso, ac passibili quoque diximus, separatus est inquam solum in hoc, quod quidem est, (seu solum quo ad suam substantiam, & essentiam) sic inquam solum est res immortalis, & perpetua, non autem secundum operationes, cuius ratio est, quia dependent ab imaginatione, quæ corruptibilis est. Quare, etsi ipse intellectus sit separabilis à

Non reminiscimur post mortem. Intellectus passiuus corruptibilis, quomodo.

corpore, & incorruptibilis, tamen non reminiscimur post mortem, quia intellectus passiuus, seu vis imaginatiua corruptibilis est; & sine hac nihil intelligit eorum, quæ prius mediante ipsa intellexerat; quare ea iterum intelligere nequit, quod est reminisci, & si fortè alio nobiliori modo intelligat.

C A P V T IV.

De obiectis intelligibilibus, & quibus operationibus ipsius intellectus intelligantur.

Tex. 21.

Tres opiniones intellectus.

Prima.

OPerationes autem intellectus, ac ipsius quoque obiecta nunc declaranda sunt. Est igitur prima ipsius intellectus operatio intellectio indiuisibilium, seu apprehensio simplicium: videlicet rerum non compositarum simul per modum propositionis, vt apprehensio hominis, leonis, &c. hæc autem intellectio in ijs rebus est, circa quæ non est falsum, nam considerando simpliciter hominem, vel leonem, falsum non dico, neque verum.

Secunda.

In quibus autem falsum, & verum est, quædam iam compositio est conceptuum, tanquam existat vnum quid; & hæc est secunda intellectus operatio, quæ vocatur duobus nominibus, nempe compositione, & diuisione; compositio fit affirmando, vt homo est viuens; diuisio negando, vt homo non est lapis. Quare quia prius apprehendimus aliqua, quam ipsa adinuicem componamus, vel diuidamus, simplicium apprehensio est prima operatio. Quæ operationes possunt secundum opinionem Empedoclis assimulari operationibus naturalis generationis: dixit namque ipse. Verè multorum quidem capita sine ceruice germinauerunt; (& eccè prima operatio) postea composita sunt concordia; (ecce secunda.) Sic, & hæc ab intellectu apprehensa separata componuntur, vt prius apprehenditur incommensurabile, atque seorsum etiam diameter, deinde fit compositio, quod diameter sit incommensurabilis lateri; vel apprehenditur lac, & seorsum dulce, postea componimus, ac lac dulce esse pronunciamus.

Tex. 22.

Si autem eorum, quæ facta, aut facienda sunt ipse intellectus cointelligat tempus, sic videlicet, quod ipsa intelligat facta, vel facienda, secundum tempus præsens, (& hoc significat, quod cointelligat, idest simul ea intelligat, quasi essent simul eodem tempore) tunc inquam ipse intellectus componens est verus; atque falsus: (ita vt compositio, & diuisio, veritas, & falsitas non solum sint ex parte rerum, sed ex diuersitate temporis; vt non solum sit verum dicere, quod homo est animal, & falsum, quod ipse sit lapis, sed etiam si de homine olim currente, nunc autem non eum currentē esse asseram; vel si pro tempore, quo cucurrit eum non cucurrisse dicam; quare, & respectu temporis potest sumi compositio, & diuisio, ac etiam veritas, & falsitas.) Falsum enim in compositione semper est, quodcunque tempus accipiatur; etenim si album non album dixerit intellectus, ipsum non album composuit; & sic falsitas in compositione, ac in diuisione quoque consistit (contingit .n. non solum compositione, seu affirmando omnia dicere, sed etiam per diuisionem, nempe negando; vnde sicut componendo, vel affirmando dicimus hominem esse animal; sic idem diuidere, ac negare possumus. Idem quoq; de vero dici potest, quod nimirum in compositione, & diuisione consistat, respectu rei; ac etiam temporis præteriti, & futuri. (Vnde non solum falsum est, aut verum, quod Cleon albus est pro nunc, sed quod erat, aut erit; ita vt veritas, & falsitas, respiciant tempus præsens, præteritum, & futurum, vt dictum est. Quod autem omnia facit vnum, seu omnia simul componit, ac etiam diuidit, est intellectus.

Nunc iterum redeamus ad declarandam primam intellectus operationem, quæ est indiuisibilium apprehensio.

Tex. 23. *Indiuisibile autem quoniam dupliciter dicitur, scilicet, aut potentia, aut actu. (Indiuisibile potentia est, quod nullo modo diuidi potest, vt punctum vnitas, &c. Actu verò est, quod diuidi potest, sed intelligitur non diuisum: vnde fortè indiuisum, melius, quam indiuisibile dici deberet; huiusmodi autem sunt omnia continua, vt linea, longitudo, corpus, & alia, quæ per modum vnius intelliguntur; quapropter dum dicimus, primam operationem intellectus esse indiuisibilium apprehensionem, de vtroque indiuisibili intelligi debet, & maximè de indiuisibili in actu) nihil prohibet intelligere indiuisibile, cum longitudinem ipse intellectus intellexerit, indiuisibilis est enim actu, & in tempore indiuisibili intelligitur, (hoc est tota simul) similiter enim tempus diuisibile, & indiuisibile est, sicut longitudo; quare dum longitudo ipsa tota simul, & vt quid indiuisibile intelligitur, tempore indiuisibili (hoc est non in diuersis temporibus) id fit. Non igitur possumus dicere, quid, vel quam partem in vtroq; dimidio temporis intelligebat anima; non enim est hæc partium diuersa apprehensio, si non diuisa sit nisi potentia, sed hoc esset, si actualiter diuisa esset, & partes seorsum intelligerentur. Seorsum autem vtranque partem intelligens, dimidiarum partium diuidit apprehensionem, & simul quoque diuidit tempus tunc, eo modo quo diuidit longitudines, ita vt sicut longitudines, vel longitudinis partes diuersis apprehendit intellectionibus, ita sibi respondent diuersa tempora. Si verò intelligit longitudinem, vt constantem ex vtrisque partibus, ita, vt totam simul cum partibus intelligat, hoc fiet in tempore, quod ex vtrisque partibus constat; & (vt vnico dicam verbo) tempus proportionatur intellectioni, & rei intellectæ, quo ad diuisibilitatem, vel non.*

Indiuisibile duplex.

Tex 24. *Quod autem non secundum quantitatem indiuisibile est, sed dicitur indiuisibile ratione formæ, (quia videlicet vnitas, & indiuisibilitas eius ratione formæ est, vt homo, & alia entia naturalia; ipsa namque ratione formæ indiuisibilia sunt, sic quod vnus homo non diuiditur in plures, nec vnus leo, &c.) intellectus intelligit, & tempore indiuisibili, & indiuisibili animæ intellectione. At si quis dicat; hæc omnia esse diuisibilia. Respondetur; quod ratione intellectionis secundum accidens tantum diuisibilia sunt hæc, quæ intellectus intelligit, & tempus similiter in quo intelliguntur; secundum accidens dico, quia intelliguntur in quantum indiuisibilia, (hoc est vnica apprehensione, & si pluribus erit, hoc est per accidens,) & sic ratione prædicta sunt indiuisibilia, & si prout sunt entia naturalia quanta sint per se diuisibilia. Verum est tamen quod in ipsis reperitur aliquod indiuisibile actu, & potentia, sed fortè non separabile ab ipsis; quod quidem indiuisibile continuat, & facit esse vnum tempus, & longitudinem, & in omni continuo reperitur, atque in tempore est nunc, in longitudine punctum.*

Indiuisibilitas formæ quæ.

Tex. 25. *Hæc autem indiuisibilia, vt punctum, & omnis diuisio, (dicitur diuisio indiuisibilis, vt punctum lineæ, nunc temporis, mutatum esse motus, prout per ipsum fit diuisio, & continuatio) monstrantur, seu intelliguntur sicut priuatio; & similis ratio est in omnibus priuatiuis, vt quomodo malum cognoscitur, aut nigrum: contrario enim quodammodo cognoscitur, vt malum in ordine ad bonum, nigrum ad album, sic indiuisibile. Intellectus autem, qui hæc prædicta priuatiua cognoscit, in ordine ad positiua oportet, vt sit intellectus in potentia, & quod in ipso insint res, vel species ipsarum cognoscibilium in potentia. Vnde quia priuatiua non habent proprias species, neque ex se habebunt cognoscibilitatem, nisi in ordine ad positiua. Si verò alicui intellectui, vel menti non inest contrarium causarum (hoc est, non inest potentia, quæ actui contrarium, & diuersum habet modum causandi) ipsa se ipsam immediatè cognoscet, & omnia alia in se, non autem in ordine ad aliud; quæ quidem actus purus est, & penitus separabilis, sicut mens diuina. Nunc iterum ad aliquid de secunda operatione dicendum accedamus.*

Priuatio cognoscitur per habitum.

Indiuisibilia priuatiua vnum.

Mens diuina quomodo intelligat.

Est autem dictio, seu compositio, & diuisio quidem, dum aliquid de aliquo affirmamus, & negamus, atque omnes talis vera est, aut falsa. Intellectus autem operatio in communi non omnis est vera, aut falsa; Sed intellectus qui versatur circa ipsum quid est, seu circa apprehensionem simplicem, secundum ipsum quid erat esse, seu secundum talem simplicem apprehensionem, verus est, & non enunciat aliquid de aliquo; vnde falsitatem dicere nequit; sed vt visio proprij obiecti semper vera est, sic ista intellectio; si autem asserere velit aliquid esse album, aut non, non semper erit verum quod dicit. Sic autem se habent in cognoscendo res sine errore quacunq; sine materia sunt, nempe Deus, & intelligentiæ, vt nos circa primas apprehensiones, ita vt sicut circa illas non erramus, ita ipsæ circa omnia. Est tamen notandum, quod duplex est veritas, quædam complexa, & hæc solum in compositione, & diuisione consistit, vt supra dictum est; (nam de simplici apprehensione diximus, non respicere veritatem, nec falsitatem) alia incomplexa, quando videlicet aliquid re vera apprehendimus, & hæc etiam simplici apprehensioni tribuitur: imò, & sensibus quoque, & hoc modo dicitur hic, quod in simplici apprehensione intellectus semper est verus, & sic euitatur contradictio, quod quomodo sit, melius, alibi quidem videbitur. Patet igitur, quæ sint intellectus operationes, & quot; duas namque distinctè assignauimus, scilicet simplicium apprehensionem, ac dictionem, quæ compositionem, & diuisionem claudit; tertia verò virtualiter intelligitur, & ab omnibus recipitur, scilicet discursus. Redeamus nunc paulisper ad aliquid breuiter dicendum de intellectu in actu, seu sciente. Tex. 26.

Circa quid, ditatem nō est falsitas.

Intelligentiarum est intellectio sine errore.

Veritas duplex.

Tertia operatio intellectus.

Scientia igitur rei idem est secundum actum cum re ipsa, atque cum intellectu; idem inquam accidentaliter; nam scientia recipitur in intellectu, & faciunt vnum per accidens, & recipiunt scibile; vnde aliquomodo cum ipsis aggregatur, vt etiam supra dictum est; scilicet in Textu 19. scientia vero, & intellectus secundum potentiam priores sunt tempore, quam scientia, & intellectus in actu respectu vnius indiuidui. Tex. 27.

Sciētia sciēs & scibile idem sunt.

Omninò autem, seu vniuersaliter, neque
tempore, hæc quæ sunt in potentia
sunt priora actu; nam omnia
quæ fiunt fiunt ex ali-
quo existente actu,
vt intelle-
ctus
discipuli in potentia existens ad scientiam,
præceditur ab intellectu docentis exi-
stente in actu, & omnia ab a-
ctuali intellectu
diuino.

Ab ente in actu omnia præceduntur.

CAPVT

CAPVT V.

De proportione inter ſenſum, & intellectum. De intellectu practico, & ſpeculatiuo, & quomodo intelligantur abſtracta.

Tex. 28. *Videtur autem quod obiectum ſenſibile faciat ſenſitiuum principium, ſeu ſenſum qui eſt in potentia, vt ſit in actu, vt color facit viſum qui poterat videre, actualiter videntem; (quod non eſt propriè mouere potentiam ipſam, ſeu ſenſum; non enim ſenſus ipſe patitur, neque alteratur paſſione, vel alteratione corruptiua ab ipſo obiecto.) Quare ſi debeat motus vocari, erit hæc alia ſpecies motus ab ijs, quæ in phyſicis aſſignatæ fuerint; motus enim illic definitus erat actus imperfecti, prout ſcilicet ipſum mobile etiam dum mouetur actualiter, eſt in potentia ad motum, & ſemper imperfectionem claudit, vt ibi fuſè*
Motus duplex. *dictum ſuit; actus autem, qui ſimpliciter perfectus eſt, alius eſt ab imperfecto; ſed ſenſatio qualibet eſt actus perfectus, ac perfecti, cum per ipſam ſentiens fiat ſimpliciter in actu etiam durante ſenſatione; ergo eſt alius. Sentire igitur ſimile eſt ipſi dicere ſolum, & intelligere; (hoc eſt aſſimilatur ſimplici intellectus operationi, quæ vocatur dicere, & intelligere) cum autem ſenſus ipſe apprehenderit in obiecto iucundum, aut moleſtum, quod fit per æſtimatiuam virtutem, tunc eſt ſicut intellectus affirmans, aut negans, ac per conſequens aſſimilatur ſecundæ operationi ipſius; poſt autem apprehenſionem iucundi, ac moleſti, ſenſus ipſe perſequitur, aut fugit; perſequitur inquam iucundum, fugit vero moleſtum, quæ ſunt actiones appetitiuæ, ac etiam intellectui conueniunt; & tertiæ aſſimilatur operationi.*
Tex. 29. *Et eſt delectari, aut dolere, agere medietate ſenſitiua, (ideſt imaginatiua) ad bonum, aut malum proſequendum, vel fugiendum, inquantum bonum, vel malum*
Delectatio. *ſunt, & præcipue habito fine; vnde delectatio eſt poſt con-*
Triſtitia. Deſiderium. Timor. *ſecutionem boni, ante vero dicitur deſiderium. Triſtitia, vel dolor eſt dum malum eſt præſens; dum vero abeſt, dicitur timor. Et fuga quoque, & appetitus, qui eſt ſecundum actum, hoc ſunt, nempe ſenſuum effectus. Neque aliud ſunt appetitiuum, & fugitiuum, neque ab inuicem, neque à ſenſitiuo, ita, vt ſint potentiæ diuerſæ, ſed eſſe aliud eſt, ſeu eſt alia ratio vtriuſque, in ordine ad obiectum diuerſimodè apprehenſum; nam ſi apprehendatur ſub ratione conuenientis, dicitur ſimpliciter appetitus, vel deſiderium, quod ſequitur proſecutio; ſi verò ſub ratione diſconuenientis, eſt appetitus, vel deſiderium euitandi, & dicitur fugitiuum; vnde patet quod vtrumque ſub ratione appetitus continetur, & ſic diuerſæ potentiæ non ſunt.*

Tex. 30. *Cogitatiuæ autem animæ (ſeu intelligenti per diſcurſum) phantaſmata ſic ſe habent, vt obiecta ſenſibilia ſenſui; ita vt ſicut ſenſus à ſenſibilibus mouetur, ita ipſa à phantaſmatibus. Cum autem affirmauerit, aut negauerit, aliquid eſſe bonum, vel malum, tunc perſequitur, aut fugit,*
Intellect. practicus. *atque intellectus practicus dicitur. Quapropter nunquam*
Anima non intelligit ſine phantaſmate. *ſine phantaſmate intelligit anima ipſa, prout ſic malum, vel bonum apprehendit, vel etiam quocunque modo, non tamen ſemper immediatè; vt videbimus, in quæſtionibus.*

Tex. 31. *Sicut enim aer fecit pupillam huiuſmodi (nimirum in actum, imprimendo ſibi ſpeciem coloris) ipſa autem pupilla ſic quoque fecit aliud (nempe ſenſum internum, vt imaginatiuam) & idem ſimiliter fecit auditus, & alij ſenſus externi, ita, vt vltimum ipſorum ſit vnum principium ſenſitiuum internum, & vna medietas (prout ferè omnibus participat) quod quidem eſt vnum re, ſed ſecundum eſſe, vel rationem plura, quatenus eſt omnium index, ac terminus; (quod quidem vt diximus eſt imaginatiua, vel ſenſus communis,) ſicut igitur omnes externi ſenſus ad ſenſum hunc communem, vel imaginatiuam ſe habent, ſic phantaſmata ad intellectum. Quod autem detur ſenſus internus, quo anima diſcernit, quomodo differt dulce, & calidum, dictum eſt quidem prius, dicendum autem iterum eſt hic.* Senſus communis. *Eſt enim vnum quid ab alijs diſtinctum, ſic tamen vt terminus eorum; omnes enim ſenſationes externorum ſenſuum ad ipſum terminantur.*

Et hæc (nempe intellectus, & ſenſus communis) ſunt Tex. 32. *vnum, proportione, (prout videlicet eodem modo mouentur à proprijs obiectis) vel ſunt vnum numero, ſeu ordine quem habent ad vtrumque obiectum, vt illa quoque obiecta habent adinuicem; eſt enim ordo talis inter hunc ſenſum, & intellectum, quod quicquid ipſe cognoſcit, cognoſcat etiam intellectus, ſed non è contra, & ſic ſeruatur ordo inter obiecta ipſorum; nam obiectum ſenſus, etiam obiectum intellectus eſſe poterit; quare patet, quomodo tam inter potentias, quam inter obiecta ſit ordo; (qui vocatur numerus ob quandam analogiam, nam in numero ordo maximè reperitur) ſi autem velis dicere ſimpliciter intellectum, & communem ſenſum eſſe vnum numero, intelligendum hoc eſſet, prout ſunt in eodem ſubiecto, vel homine, quod tamen literæ non conſonat. Quod autem ſint vnum ſecundum ordinem (vt declaratum eſt) patet; nec refert dubitare contra hoc, ex eo, quod ipſe ſenſus communis iudicat ea, quæ ſunt eiuſdem generis, aut contraria, vt album, & nigrum; hæc namque prædictam ordinis vnitatem non auferunt, imò eam potius confirmant. Quod ſic probatur. Sit igitur Album, quod vocetur A reſpiciens nigrum, vt ſuum oppoſitum, quod quidem nigrum vocetur B, & ſimiliter ſit phantaſma albi, quod vocetur C, ad phantaſma nigri, quod vocetur D, ſicut igitur album, & nigrum ſe habent, ita phantaſma albi, & phantaſma nigri; quare, & permutatim (hoc eſt ſicut ſe habet album ad ſuum phantaſma, ita nigrum ad ſuum.) Si igitur CD, nempe phantaſma albi, & phantaſma nigri vni obijciuntur ſenſui, nempe communi, ſic ſe habebunt, vt AB, ſeu vt album, & nigrum, & ſic tam album, & nigrum, quam phantaſmata ipſorum vni inerunt ſenſui; quare hic ſenſus erit idem quidem, & vnum principium ſenſitiuum, eſſe autem non idem, ſed ratione diuerſum, prout diuerſa cognoſcit; ergo eadem ratione illud ſimiliter erit vnum, videlicet intellectiuum principium, quod etiam diuerſa reſpicit obiecta; quare notum eſt, quomodo ſint vnum ſecundum numerum, vel ordinem. Eadem autem ratio eſt ſi accipiantur obiecta aliorum ſenſuum, vt A quidem dulce ſit, B vero album; eodem etenim modo à ſenſu communi, & ab intellectu cognoſcerentur, & ſic ſeruatur idem ordo, & proportio. Sicut igitur imaginatio, vel ſenſus communis (pro eodem nunc accipiantur, poſtea examinabimus quomodo differant) mouetur ab obiectis, vel ſpe-* Intellectus intelligit per phantaſmata. *ciebus ſenſuum externorum, ita intellectus à phantaſmatibus. Intellectiuum igitur principium formas, ſeu res immateriales, vel ſpecies in phantaſmatibus intelligit. Quomodo igitur inter ſenſum, & intellectum detur proportio, manifeſtum eſt.*

Tex.33. *Et sicut in illis sensibus, (seu potius ex illis) determinatum est ipsi sensui communi persequendum, aut fugiendum esse, sic extra sensum, (nempe intellectui,) cum in phantasmatibus repræsentatum fuerit aliquid iucundum, vel molestum, determinatur persecutio, vel fuga, & ad hanc, vel istam mouetur; vt sentiens signum face datum, quod ignis sit, sensu communi cognoscit, at videndo eum, qui se mouet contra ipsum, intellectu comprehendit, quod hostis est, (antiquitus enim accensis facibus pugnabant,) & sic sensus communis ab obiectis externorum sensuum mouetur, intellectus verò à phantasmatibus. Quare ipse intellectus aliquando ijs phantasmatibus, (aut intelligentijs, seu speciebus intelligibilibus,) quæ sunt in anima, tanquam videns vtitur, ac ratiocinatur, & deliberat futura secundum præsentia, quæ sibi apparent.*

Tex.34. *Et cum ipse intellectus dixerit (seu determinate cognouerit,) quod in obiecto per phantasmata sibi præsentato sit iucundum aliquid, vel molestum, fugit, aut persequitur, & omnino in actione est, atque practicus dicitur. Practicum igitur intellectiuum principium circa verum, & falsum, prout prosequendum, vel fugiendum est, versatur; vnde in actione consistit. Quod verò sine actione est, etiam est verum, & falsum, seu circa verum, & falsum versatur, ac speculatiuum dicitur; ideò est eiusdem generis cum bono, & malo, (seu cum practico intellectu, qui est circa bonum, & malum,) sed ipso simpliciter, & aliquo determinato differunt: nam intellectus speculatiuus est simpliciter circa verum, & falsum: practicus autem circa verum, & falsum aliquod determinatum ad bonum, & malum.*

Intellectus practicus, & speculatiuus.

Tex.35. *Ipse autem speculatiuus intellectus intelligit quoque ea, quæ in abstractione esse dicuntur, vel quæ considerantur tanquam abstracta, vel separata à materia sensibili, sicut sunt entia mathematica. Vt enim, si intelligat simum secundum quod simum, non intelligit ipsum separatim, nam simum includit determinatam materiam, nempe nasum; si quis autem intelligeret simum sub ratione caui, vel curui, sine carne, in qua cauum est, intelligeret actualiter, (nempe sine potentia, vel materia) nam cauum abstrahit à materia nasi: sic mathematica, quæ reuera à naturalibus non sunt separata, (non enim reperitur quantitas nisi cum naturali substantia) tanquam separata intelligit ipse intellectus, cum applicat suam operationem, seu dum ipsa intelligit actualiter.*

Quomodo intelliguntur entia abstracta.

Tex.36. *Omninò autem intellectus, qui secundum actum intelligit, res ipsæ est (accidentaliter tamen, prout cum ipsis copulatur mediantibus speciebus intelligibilibus, vt etiam supra declaratum est in textu 19. & 27.) & sic actualiter conformatur, & rebus abstractis, & non abstractis, maximè cum ipse vtraque natura participet; est enim in se immaterialis, vel abstractus, & ex alia parte cum materia vnitus, & sic non abstractus. Vtrum autem contingat, vt aliquod totaliter à materia separatum (sicut sunt intelligentiæ) intelligat, cum non sit à magnitudine separatus, an non, considerandum est posterius.*

Intellectus immaterialis, ac materiæ vnitus.

CAPVT VI.

Anima est quodammodo res omnes, & præcipuè forma, nec sine phantasmatibus intelligit.

NVnc autem, quæ de anima dicta sunt recapitulantes, dicamus iterum, quod ipsa anima est quodammodo entia omnia. Probatur; nam ea, quæ sunt, aut sensibilia, aut intelligibilia sunt (quæ non est diuisio immediatè per membra opposita; nam omnia sensibilia sunt etiam intelligibilia; intellectus enim potest cognoscere quicquid cognoscit sensus, & plus: sed sic intelligitur, quod quædam sunt intelligibilia tantum, vt res vniuersales, ac substantiæ immateriales; quædam verò sunt sensibilia, & intelligibilia simul; & hæ per quandam attributionem simpliciter sensibilia dicuntur; illa vero simpliciter intelligibilia, & sic diuisio ad bonum sensum redigi potest,) sed per scientiam est quidem quodammodo omnia scibilia, vel intelligibilia; nam per ipsam vnitur rebus per species intelligibiles, & fit omnia per accidens (ac ideo dicitur quodammodo) per sensum autem fit omnia sensibilia, quia mediante sensibili specie fit vnum cum ipsis (etiam accidentaliter) & sic est quodammodo omnia. Tex.37.

Quomodo autem hoc fit, diligentius adhuc inquirere oportet. Est igitur notandum, quod scientia, & sensus secantur, vel diuiduntur, aut distinguuntur sicut res; ita vt sicut res scibiles, vel sensibiles quædam sunt in actu (dum actualiter sentiuntur, vel intelliguntur,) quædam vero in potentia; (dum possunt sentiri, vel intelligi) similiter sensus, & intellectus; dicitur namque vterque in potentia dum res non actualiter sentit, aut intelligit, sed in potentia tantum; qui vero actu ad eas res, quæ sunt actualiter intellecta, vel à sensu cognita, refertur. Animæ autem sensitiuum principium, & id, quod scire potest, (nempe intellectiuum) ex se potentia sunt ad res omnes, & sic intellectus est in potentia, vt fiat omne scibile: sensus vero omne sensibile, prout rerum species recipere possunt, & sic accidentaliter vniri. Necesse est enim, aut ipsas res, aut formas, seu species ipsarum in anima esse; ipsas igitur esse non est possibile; non enim lapis intellectu, vel sensu perceptus in anima est, sed forma, aut species eius. Quare anima sicut manus est; manus enim instrumentum instrumentorum dicitur (non quod ipsa sit omnia instrumenta, sed prout omnia ipsa sunt in sua potestate, ut ministrentur, & fiant,) & eodem modo intellectus dicitur forma formarum, & sensus forma sensibilium, prout ille est receptiuus, & cognoscitiuus omnium formarum abstractarum, hic autem omnium sensibilium (non autem, quod ille sit realiter omnes formæ intelligibiles, hic omnes sensibiles, ut etiam dictum est.) Tex.38.

Scientia secantur sicut res.

Manus est instrumentum instrumentorum.

Quoniam autem neque est ulla res naturalis sine magnitudine sensibili (hoc est singulari, & re uera existenti in natura, & licet sensibilia separata, nempe quantitates mathematicæ, quæ intelligibilia, & in abstractione dicuntur esse, sic separata uideantur: re uera tamen in formis, seu naturis sensibilibus sunt; & similiter sic se habent quæcunque sunt habitus, & passiones sensibilium) sed prædicta in quantitate sensibili fundantur; ob hoc qui Tex.39.

non

non sentit aliquid, nihil vtique addiscet, nec intelliget; quare cum speculamur necesse est simul phantasma aliquod speculari, phantasmata autem velut sensibilia sunt; præter quam quod, sunt sine materia; existunt etenim in phantasia, vel sensu interno, in quo non potest esse materia rerum, quarum sunt phantasmata. Intellectus igitur phantasmata respiciens (quæ aliquo modo sunt sensibilia, naturalia) speculatur, & dicimus notanter naturalia, quia de immaterialibus alia fortè est ratio, vt videbimus. Notandum est tamen, quod imaginatio est aliud à dictione, vel intellectione affirmatiua, & à negatiua similiter; nam complexio intellectionum est verum, & falsum, quod de imaginatione dici non potest, cum in simplici apprehensione consistat. Sed dubium est, quomodo primæ intellectiones, nempe apprehensiones simplicium differant, vt non sint phantasmata, vel imaginationes, cum etiam ipsæ in simplici apprehensione consistant, sicut imaginationes. Respondetur, quod neque hæ intellectiones phantasmata sunt, quia phantasmata sunt rerum singularium, & sensibilium tantum; hæc autem esse possunt, & vniuersalium, & intelligibilium, tamen non sine phantasmatibus.

Speculantes phantasmata speculamur.

Imaginatio quomodo differt ab intellectione.

SVMMA SECVNDA.

De potentia animæ motiua.

CAPVT I.

Redarguitur quædam animæ diuisio, & inuestigatur quid sit motiuum localiter animalis.

Tex. 40. *QVoniam autem animalium anima secundum duas potentias definita fuit, scilicet cognitiua (quod est opus intellectus, & sensus) & motiua secundum locum; de sensu igitur, & intellectu determinata sint tot. De mouente autem quidnam sit animæ, speculandum est. Vtrum vna quædam pars, vel potentia ipsius separabilis magnitudine, (ita quod sit in aliqua determinata parte corporis, ab alijs partibus, & potentijs diuersa) aut solum ratione ab alijs potentijs distincta sit mouens, an potius tota ipsa anima. Et si pars aliqua est, vtrum propria quædam sit, præter consuetas dici, & dictas (nempe intellectiuam, vegetatiuam, &c.) an sit vna aliqua harum.*

Tex. 41. *Insurgit autem mox dubitatio, quomodo oporteat potentias animæ dicere, & quot sint. Quodam enim modo indeterminatæ videntur, & non tantum eæ, quas quidam dicunt, determinantes tres tantum, scilicet ratiocinatiuam, irascitiuam, & concupiscitiuam (cuius opinionis est Plato, qui rationalem in cerebro posuit, irascitiuam in corde, & concupiscitiuam in iecore) alij autem duas sibi tantum potentias assignant, nempe eam, quæ rationem habet, (seu ratiocinatiuam) & eam, quæ ratione caret, (seu irrationalem) sed vtraque opinio est falsa; nam secundum differentias per quas has potentias adinuicem separant, aliæ videntur assignandæ, ac distinguendæ partes, vel potentiæ, quæ quidem plus distant, vel differunt quam prædictæ, de quibus nunc dictum est; vnde præcipuè nutritiua inter alias connumeranda erat, quæ sic ab alijs differt, & sic necessaria est, vt plantis, & omnibus animalibus insit, apponenda quoque erat sensitiua, quam aliquis non facilè ponet, nec rationalem, nec irrationalem. Adhuc autem connumeranda erat imaginatiua, quæ secundum suum esse quidem ab omnibus alijs diuersa est.*

Cui autem harum potentiarum eadem, vel diuersa sit imaginatiua ipsa, habet multas dubitationes; (si quis ponat diuersas potentias animæ, vt ponere debet) quare non est sic inconsultò determinandum de potentijs, nulla habita mentione de ipsa imaginatiua. Ad hæc autem restat agendum de appetitiua, quæ ratione, & virtute alia videbitur vtique esse ab omnibus prædictis; & inconueniens vtique est hanc diuellere, vel remouere, ita vt cum alijs non connumeretur; nam in ratiocinatiua potentia reperitur appetitus, qui voluntas dicitur, & similiter reperitur in potentia irrationali, qui dicitur concupiscentia, & ira, secundum diuersa obiecta; nam concupiscentia est appetitus boni, ira appetitus vindictæ, seu remouendi malum imminens; quare cum sit per se potentia quædam, quæ simul in rationali, & in irrationali potentia reperitur, de ipsa erat facienda mentio, ac videndum, si diuersa, vel eadem esset cum alijs. Si autem aliquis dicat, appetitiuam non esse potentiam, sed animam quandam per se, & ideo inter potentias connumeratam non fuisse, sed esse tres animas diuersas, scilicet rationalem, irrationalem, & appetitiuam, adhuc magis errat; nam clarè patet, quod in vnaquaque duarum (scilicet in rationali, & irrationali) est appetitiua quoque, vt dictum est supra; ergo in illis non est anima, quia animæ esset anima, sed potentia, & virtus. Tex. 42.

Et etiam est difficultas de potentia, de qua nunc præsens sermo instabat, quid scilicet sit mouens animal secundum locum; seu quæ sit potentia motiua localiter; motus enim secundum augumentum, & decrementum, qui omnibus viuentibus inest, videtur nutritiuum, & generatiuum principium. De respiratione autem, & expiratione, & somno, & vigilia posterius perspiciendum est; habent enim, & hæc dubitationem multam. Tex. 43.

Sed de motu secundum locum, quid nempe sit mouens animal secundum progressiuum motum, considerandum est. Quod igitur non sit nutritiua potentia, manifestum est; nam hic motus localis semper fit propter aliquod cognitum, & aut cum imaginatione, aut cum appetitu rei cognitæ est; nihil enim non appetens, aut fugiens mouetur, nisi violentia; (quod est intelligendum de motu, qui fit à principio interno, ad opposita loca, sicut est motus animalium, non de motu rerum inanimatarum, qui fieri potest non violenter, & naturali appetitu, vt notum est, non autem appetitu supponente cognitionem) sed in nutritiua non reperitur talis appetitus, nec imaginatio; ergo ipsa non est principium motus localis. Amplius cum in plantis sit nutritiua potentia, ipsæ vtique motiuæ essent secundum locum, & haberent aliquam partem instrumentalem, vt pedes, vel aliud ad motum hunc (quia natura nihil facit frustra: vnde frustra esset potentia motiua, nisi adessent instrumenta ad mouendum apta; hoc autem cum sit falsum, clarum erit, quod nutritiua potentia non sit localiter motiua.) Tex. 44.

Similiter autem neque sensitiuum principium est motiuum localiter; nam sic omnia animalia cum sensitiua sint, localiter mouerentur, quod falsum est; multa enim sunt animalia, quæ sensum quidem habent, manentia autem, & immobilia sunt assiduè, vt spongiæ, conchæ, &c. Tex. 45.

At si quis dicat, ea animalia ideò non moueri, quia carent determinatis organis, quibus moueri debent, licet

motiua

motiua secundum se sint, sicut esset homo carens pedibus. Hoc nihil valet, quia natura neque facit frustra quicquam, neque deficit in necessarijs, nisi in orbatis, & in imperfectis; hæc autem animalia perfecta & non orbata sunt, cuius signum est, quod generant sibi similia, & augmentum habent, & decrementum, quæ omnia sunt conditiones animalis perfecti; cùm igitur perfecta sint, nec localiter moueantur; signum est, quod sensitiuum principium non est motiuum secundum locum; vel dicendum esset, quod natura frustra fecisset principium hoc mouendi, si nunquam moueret; vel quod defecisset in necessarijs, non tribuendo eis organa apta ad motum, quæ omnia sunt absurda.

Natura nec frustra aliquid facit, nec deficit in necessarijs.

Tex.46. *At verò neque ratiocinatiuum principium, quod vocatur intellectus, est mouens, siue sit speculatiuus, siue practicus. Speculatiuus enim nihil speculatur agibile, neque dicit de fugiendo, & persequendo quicquam, & tamen motus localis semper est, aut fugientis, aut persequentis aliquid. Sed neque cum speculatur aliquod huiusmodi agibile, efficit motum; imò neque præcipit, aut persequi, aut fugere, vt patet dum sæpe intelligit terribile aliquod; non enim tunc iubet timere, sed cor mouetur ad timendum, ex seipso; si verò contempletur aliquod delectabile, neque ipse mouet corpus, sed pars aliqua alia corporea ex se mouetur; & sic patet, quod intellectus speculatiuus non sit motiuus secundum locum. Quod autem neque practicus, nunc probemus.*

Tex.47. *Nam præcipiente intellectu, & dicente ratione, vt aliquid fugiamus, aut persequamur (quod est operari per intellectum practicum) non tamen per hoc corpus mouetur, sed in quibusdam sequitur oppositum ei, quod ratio præcepit; quidam enim non secundum præceptum rationis operatur, sed secundum concupiscentiam, vt incontinens. Et omnino autem videmus, quod qui medendi artem habet, non per artem simplicem medetur, prout scilicet manet in intellectu practico tantum, quamuis ipse præcipiat; tanquam aliud quippiam principatum obtineat agendi, vel mouendi per scientiam, & non ipsa scientia, vel intellectus existens sciens scientia practica. Quare intellectus practicus nullatenus erit principium motiuum. At vero neque appetitus sensitiuus est dominus motus huius, licet superius dictum sit, multos moueri à concupiscentia; si enim ipse esset sufficiens mouere, omnia ab ipso mouerentur, & secundum ipsum regularentur, quod falsum est; nam continentes licet sint per sensum appetentes, & concupiscentes aliquid sensibile, & delectabile, tamen non operantur ea, quorum appetitum habent, sed sequuntur rationem, vel intellectum; & sic neque intellectus speculatiuus, neque practicus, neque appetitus, vel concupiscentia, sunt sufficientia principia mouendi localiter animal. Ideò, quæ sint, inuestigandum est.*

CAPVT II.

Determinatur de principio motiuo secundum locum.

Tex.48. *Videntur autem duo hæc esse mouentia principia secundum locum, scilicet appetitum, & intellectum (accipiendo intellectum pro quacunque cognitione interna, ita vt etiam imaginationem ponamus pro intellectione quadam,) & sic (recapitulantes) cognitio tam intellectiua, quam imaginatiua, cum appetitu, qui voluntarium, & irrationalem includat, sunt principia motiua localiter animalium. Quod autem etiam imaginatio sit motiua, patet; nam multa animalia sine scientia, ac intellectiua cognitione sequuntur imaginationem, non dico irrationalia, sed homines, & in alijs animalibus non intellectio, neque ratio est, sed imaginatio: & tamen localiter mouentur. Vtraque ergo hæc principia motiua sunt secundum locum, & intellectus, & appetitus.*

Intellectus autem motiuus est, non speculatiuus, sed qui propter aliquod opus ratiocinatur, & qui actiuus, vel practicus est (qui tamen non essentialiter differt à speculatiuo, vt etiam supra dictum est, sed accidentaliter tantum, nempe ex parte obiecti, vel finis; finis namque speculatiui est veritas simpliciter, practici autem veritas ordinata ad opus) quod autem appetitus, & cognitio sint principia motiua, probatur; nam omnis appetitus est propter aliquod consequendum; illud autem circa quod versatur ipse appetitus, est principium actiui intellectus, seu mouendi intellectum practicum in homine, in brutis imaginatiuam; & sic est talis ordo, quod intellectus simpliciter, vel imaginatio apprehendit aliquod obiectum sub ratione boni, vt infirmus apprehēdit sanitatem, & tunc appetitus statim ea desiderat, ac intellectus practicus ordinat actiones, & motus ad ipsam consequendam, ita vt quod est vltimum in apprehensione, sit principium actionis; v.g. apprehenditur primò sanitas, deinde medicina, postea Medicus, ac tandem motus quo inueniri possit, & ab hoc incipitur actio, & suo modo applicetur ad alia. Quare rationabiliter hæc duo videntur mouentia, nempe appetitus, & intelligentia, vel imaginatio. Appetibile enim mouet appetitum, & propter hæc intelligentia, vel imaginatio etiam mouet, quia appetibile est quoque principium mouendi; ipsum tamen non connumeratur inter mouentia, quia non mouet effectiuè, de quo motu est sermo, sed sub ratione finis, vel obiecti, quæ est motio metaphorica. Tex. 49.

Finis speculatiui veritas, practici opus.

Vltimum executionis est primum intentionis.

Non tantum intellectus est principium motiuum sicut appetitus; imò etiam imaginatio, vt sæpe dictum est, quæ tamen non mouet sine appetitu. Licet ergo sint duo mouentia, tamen sic sunt subordinata, quod vnum est principale mouens, nempe appetitiuum; si enim duo essent æqualiter mouentia, intellectus, scilicet, vel imaginatio, & appetitus, secundum communem vtique aliquam formam, vel rationem, aut dispositionem mouerent, sicut si duo homines æqualiter trahunt nauem, hoc est secundum communem virtutem trahendi; quapropter vnus non dependet ab altero in trahendo, nisi accidentaliter, propter pondus, quod si diuideretur, vnusquisque suam traheret portionem; sic igitur si appetitus, & intellectus, vel imaginatio æqualiter mouerent, vnum ab alio non dependeret, quod falsum est; nam intellectus ab appetitu dependet, nec videtur mouere sine ipso. At si quis dicat homo mouetur per voluntatem, hoc est pro nobis; nam voluntas appetitus est. Cùm igitur homo secundum rationem mouetur, tunc secundum voluntatem præcipuè mouetur; quare ratio, vel imaginatio non mouent sine appetitu: appetitus autem mouet præter rationem; concupiscentia enim appetitus quidam est, ac sæpe pręter rationem mouet; quare patet, quod principale motiuum est appetitus. Tex.50.

Preterea. Omnis intellectus prout versatur circa prima principia, rectus est: appetitus autem, & imaginatio, est recta, & non recta, cum autem non semper fiat motus rectus, seu secundum prima recta principia ab intellectu apprehensa, sed secundum inclinationem sensuales, signum est, quod intellectus non pręcipuè mouet, sed appetitus Tex.51.

Intellectus rectus.

sensiti-

sensitiuus cum imaginatione, quæ circa particularia versatur, ac sępe errat, sed ipsa quoque ab appetitu mouetur. Bonum agibile. *Vnde semper quidem mouet appetibile, vt obiectum, quod quidem est bonum, vel apparens bonum, non autem omne, sed agibile, (est autem agibile, quod per actiones obtineri potest, & quod potest aliter se habere, hoc est, potest etiam non obtineri, ac variabile existit.) Monet igitur appetibile sub ratione obiecti: appetitus autem ab ipso motus physicè, & effectiuè mouet, & sic semper ipse est primum mouens.*

Tex. 52. *Quod igitur huiusmodi potentia animæ, quæ vocatur appetitus, moueat, manifestum est. Nunc paulisper redeamus ad potentias animæ enumerandas, vt magis appareat error eorum, qui duas, vel tres tantum assignabant, vt supra visum est. Qui igitur diuidunt animę partes, si secundum potentias diuidant, & separent, ita vt non species animarum, sed propriè potentias considerent, valde multas esse videbunt, scilicet nutritiuam, sensitiuam, intellectiuam, deliberatiuam, appetitiuam, & alias in pluribus superioribus locis enarratis; hæ enim plus differunt ab inuicem, quam concupiscitiua, & irascitiua, quas solum animę potentias ponebant; nam istæ duę ad eandem pertinent potentiam, nempe ad appetitum.*

Tex. 53. *Quoniam autem appetitus fiunt contrarij adinuicem, (hoc autem accidit cum ratio, vel appetitus voluntatis, & concupiscentia contrariæ sunt) ideo non vnum esse appetitum numero in homine fatendum est, sed plures; nam idem non contrariatur sibi ipsi. Fit autem hæc contrarietas appetituum in habentibus sensum, & intellectum, ob differentias temporis; intellectus enim quia respicit in obiecto aliquod malum futurum: & si nunc appareat esse bonum, retrahere iubet motum ab hoc, concupiscentia autem propter bonum præsens, nunc iubet prosequi; & sic est inter ipsas potentias contrarietas; vt cognoscens intellectus infirmi, quod potio pręsens delectabilis sit in futurum nocitura, prohibet; concupiscentia verò solum pręsentem delectationem respiciens, nunc eã desiderat; videtur enim ipsi concupiscentiæ, quod iam declarabile est, & simpliciter delectabile, & bonum simpliciter eße semper, propterea quod ab ipsa non videtur futurum tempus, & malum quoque futurum.*

Tex. 54. *Sunt igitur in homine plura mouentia numero, vt appetitus rationalis, & concupiscitiuus, at specie quidem vnum est mouens, scilicet appetitiuum, in quantum appetitiuum, quod sub tali ratione, voluntarium, & sensitiuum comprehendit. Primum autem omnium mouens est obiectum appetibile; hoc enim mouet, & non mouetur, quod est proprium primi mouentis, non tamen mouet effectiuè, vt pluries diximus, sed mouet sub ratione finis (pro vt videlicet sit intellectum, aut imaginatum, hoc est apprehensum ab intellectu, vel imagina●ne sub ratione boni, vel finis.) Quoniam autem tria sunt, quæ in motu reperiuntur; vnum quidem mouens immobile; secundum autem quo mouet, nempe instrumentum; & tertium quod mouetur: mouens autem duplex, aliud quidem immobile, aliud autem mouens, & motum, vt abũdè in Physicis declaratum est, hæc omnia possunt applicari ad hunc motum animalium. Mouens igitur immobile est quidem agibile bonum, nimirum obiectum per actionem prosequendum; mouens autem, & motum, est ipsa appetitiua potentia, quę mouetur ab obiecto, & mouet animal; (mouetur enim ipsa potentia, quę appetit, secundum quod appetit, & appetitus ipse motus quidam est, vel potius actus quidã, qui motui assimilatur; nam sensationes omnes non sunt propriè motus vt visum est supra in tex. 28. & alibi) quod autem mouetur est animal, quo verò instrumento ipse appetitus mouet, iam hoc est quid corporeum; nempe pars aliqua animalis. Vnde in operibus communibus animæ, & corporis (videlicet in libris de partibus animalium) de ipsis considerandum est.*

Nunc autem vt in summa, vel breuiter dicam; mouens instrumentaliter est vbi potest esse principium simul, & Tex. 55. *finis motus, vt cõmissura ossium, hic enim reperitur conuexum, & concauum, quorum vnũ est finis, aliud verò principium motus; vnde aliud quidem quiescit, aliud verò mouetur, ratione quidem diuersa existentia, quia vnum habent rationem mobilis, aliud immobilis, vel vnum concaui, aliud conuexi; magnitudine verò inseparabilia sunt, nam sunt continuata, vel concatenata adinuicem. Omnia enim pulsu, & tractu mouentur, ideo debent esse duę partes sic connexæ, vt virtute vnius pellatur aliqua animalis pars, virtute alterius trahatur altera: quapropter sicut in motu circulari oportet aliquod intelligere manens, nempe centrum, vel axem, aut polum, & hinc incipere motum; sic in animalium motu.*

CAPVT III.

Quid sit mouens in animalibus imperfectis, & quomodo. Ac quædam etiam de homine dicuntur.

OMninò igitur sicut dictum est, in quantum animal appetitiuum est, sic sui ipsius motiuum est; appetitiuum autẽ non sine imaginatione est; imaginatio autem omnis, aut rationalis est, aut sensitiua; (accipitur namq; hic imaginatio, pro quacunque interna cognitione, ita vt etiam ad intellectum se extendat) hac igitur imaginatione sensitiua non tantum homo, sed alia quoque animalia participant; considerandum autem est, & de imperfectis animalibus, quibus videlicet solum inest sensus tactus, vt sunt vermes, &c. Quid scilicet sit mouens ipsorum; vtrum contingat imaginationem inesse his, aut non, & similiter concupiscentiam. Videtur enim dolor, & voluptas ipsis ineße; nam si pungantur retrahuntur: (ecce signum doloris) si aliquod conueniens inueniãt, vt cibum, quiescunt, & assumunt; (ecce signum voluptatis) si igitur hæc ipsis insunt, & concupiscentiam inesse necesse est; nam concupiscentia ipsa est respectu boni prosequens; vnde etiam concernit voluptatem: & mali fugiendi, & sic respicit dolorem, qui causatur à malo, quod euitari non potest. Si autem concupiscentia eis conuenit, habebit quoque imaginationem; nihil enim potest per concupiscentiam optari, nisi aliquomodo cognoscatur; hoc autẽ fit per imaginationem. At imaginatio quomodo vtique eis inerit, cum ipsa determinatum requirat organum, & circa determinata obiecta, quæ talibus aptari non possunt? Respondetur tamen, quod sicut mouentur indeterminatè, hoc est non præfixè ad aliquod obiectum cognitum, similiter hæc omnia quidem eis indeterminatè insunt: sic videlicet, quod non habent determinatum organum, nec distinctionem obiecti, nisi præsentis, & solum sub ratione sibi conuenienti, vel disconuenienti. Tex. 56.

Sensitiua igitur imaginatio (sicut dictum est) alijs animalibus ab homine inest. Deliberatiua autem, seu rationalis, vel voluntarius appetitus in rationalibus solum re- Tex. 57.

peritur;

peritur; vtrum enim aget hoc, an hoc (quod est deliberare) iam rationis est opus, & necesse est opus ipsum vno debito medio ad finem ordinato mensurare; plura etenim esse possunt, quorum maius semper persequitur ipsa ratio; quare ex pluribus phantasmatibus vnum deducere potest, & sic discurrere, ac opinionem habere, qui sunt rationis, ac deliberationis effectus, & à brutis longè absunt. Et causa cur ipsa bruta opinionem non videantur habere, est, quoniam eam potentiam, quæ circa syllogismum versatur (nempe rationem) non habent, hæc autem (puta rationalia) ipsam habent. Quapropter appetitus sensitiuus in brutis non habet secum deliberatiuum: etsi in hominibus vterque sit; qui etiam sæpe simul pugnant, ita vt sensitiuus vincat aliquando, & moueat voluntatem, aliquando autem illa hunc, sicut sphæra cœlestis superior vincit, ac mouet inferiorem, quod accidit secundum debitum ordinem, & continentiam; appetitus autem sensitiuus vincit rationalem, cum ordo est præposterus, ac incontinentia facta est; natura autem semper superior, (nempe ratio, vel rationalis appetitus) principalior est sensitiuo, ac vt plurimum ipsum mouet, adeò vt tunc tribus lationibus moueatur animal, scilicet motu voluntatis, appetitus sensitiui, & corporis.

Tex. 58. *Scientificum autem principium, (nimirum intellectus speculatiuus) non mouet hominem, sed tantum practicus intellectus est, qui mouet, simul videlicet cum appetitu, ac minus principaliter, vt supra dictum est. Qui quidem intellectus si circa vniuersalia versetur, vocatur simpliciter ratio, si vero circa singularia, dicitur existimatio; ratio namque dicit, quod oportet rem tali medio agere, existimatio vero, quod hoc tale particulare, & quod ego sim talis; hæc igitur opinio, vel existimatio, quæ est circa singularia mouet, non ea, quæ vniuersalis est, vel vtraque, sed vniuersalis quidem quiescens magis, hæc autem minus.*

Intellectus, & existimatio idem, quid.

SVMMA TERTIA.

Quæ animæ potentiæ, quibus animatis necessariò insint.

CAPVT I.

Nutritiuam animam omne viuens necessariò habet, sensum verò tactus, ac gustus habet solum animal.

Tex. 59. *NVtritiuam igitur animam necesse est habere à generatione vsque ad corruptionem omne quodcunque viuis, vel animatum est, probatur. Nam necesse est, quod genitum est, augmentum habere, & statum, & decrementum; hæc autem sine alimento esse, est impossibile; nam augmentum fit dum plus conuertitur de alimento in substantiam aliti, quam fuerit per calorem naturalem deperditum; status dum æquales; decrementum dum minus. Alimentum autem ad potentiam nutritiuam refertur vt eius obiectum; necesse est igitur inesse nutritiuam potentiam in omnibus, quæ augmentantur, diminuuntur, & sunt in statu, ac denique in omnibus viuentibus.*

Tex. 60. *Sensum autem non est necesse inesse omnibus; nam hic maximè esset tactus, quem simpliciter necessarium inter sensus posuimus, qui tamen non inest: ergo multo minus alij; probatur minor; nam neque ea, quorum corpus simplex est (seu quibus maximè prædominatur corpus simplex, quoad qualitates aliquas alteratiuas, non autem quoad grauitatem, vel leuitatem, nam sic etiam in animalibus prædominatur terra; huiusmodi autem sunt planta, quæ vt in summa dicam non habent temperiem talem, qua per tactum sentire possint) contingit habere tactum, neque sine hoc possibile est esse vllum animal; quare cum hæc animalia non sint, sed tantum viuentia, sensum habere non possunt. Preterea. Quæ habent sensum, sunt susceptiua formarum sine materia (seu specierum sensibilium) multa autem viuentia non sunt huiusmodi, vt ipsæmet plantæ; ergo. Animal autem necesse est habere sensum. Probatur, (supponendo, quod natura nihil faciat frustra, sed quæcunque ab ipsa fiunt, sint ordinata ad aliquem finem, ita vt etiam casus, & fortuna sint de genere eorum, quę sunt propter aliquid, seu ad ipsum pertinent; nam nihil dicitur à casu, & fortuna, nisi in his, quę agunt propter finem, licet aliud eueniat, vt satis dictum est in 2. Physic.) Si igitur omne progressiuum corpus non haberet sensum, corrumperetur vtique, & ad finem non perueniret, qui est naturæ opus; quomodo enim aletur, nisi per sensum, ac speciem sensibilem percipiat alimentum etiam à longè? ne igitur frustra natura fecerit animal progressiuum, dedit ei sensum, vt alimentum inuestiget (manentibus autem inest alimentum ex loco vnde nata sunt) cur autem quędam animalia non progressiua sensu etiam participent, inferius dicetur; quare hæc ratio solum est de progressiuis.*

Natura nihil facit frustra.

Tex. 61. *At si quis dicat non esse omnibus animalibus necessarium sensum; nam ratione cognoscendi alimentum in hominibus est sufficiens intellectus, nec alia de causa sensus ponitur; ergo superfluus est. Respondetur non esse possibile, quod corpus aliquod habeat quidem animam, & intellectum cognoscitiuum, sensum autem non habeat, maximè si ponatur, quod huiusmodi animal non sit mansiuum, sed progressiuum, & generabile, atque corruptibile, sicut re vera omne animal est; at vero neque si ponatur aliquod animal ingenerabile, (sicut Plato, qui Dęmonia posuit animata aerea, & ingenerabilia) sine sensu ponendum est. Quare enim omne animal non habebit sensum? aut enim animæ melius erit non habere, aut corpori; nunc autem neutrum est. Anima enim non magis intelligit sine ipso. Corpus vero nihil erit magis, vel melius si absque sensu ponatur. Ad id quod dicitur, hominem posse percipere obiectum sine sensu, sed solum per intellectum, & sic sensus est superfluus. Respondemus, hoc esse falsum: nam intellectus existens in corpore non intelligere potest sine phantasmatibus, & sine sensu, maximè res singulares, & sensibiles.*

Non datur anima intellectiua sine sensu.

Dęmonia.

Intellectus non intelligit sine sensu.

Tex. 62. *Nullum ergo corpus non manens, sed quod progressiuum est, habet animam sine sensu. At vero si habet sensum, necesse est esse corpus, aut simplex (ita vt in ipso sit summum prædominium alicuius elementi, vt supra dictum est) aut mistum, ac in debita temperie constitutum; impossibile autem est esse simplex; tactum enim non haberet, qui in temperie consistit, & quem necesse est habere omne animal.*

Tex. 63. *Hoc autem ex his manifestum est. Quoniam autem animal corpus animatum est; corpus autem omne est tangibile; tangibile autem dicitur, quod tactu sensibile est.*

Cùm igitur corpus animalis sit tangibile, poterit faciliter offendi à qualitatibus tangibilibus, vt à nimio calore, vel frigore: quare vt eas euitare possit, debet ipsas cognoscere, hoc autem fit per sensum tactus; necesse est igitur

animalis

animalis corpus esse tactiuum, si debeat conseruari animal. Alij enim sensus per alia media (nempe externa) sentiunt, vt olfactus, visus, auditus, ac etiam obiecta ipsorum sunt aliquo modo externa animalibus, sic videlicet, quod ipsa animalia non destruunt, nec lędunt, nisi fortè per accidens, scilicet si fuerint iuncta cum tangibilibus; quare non est necessariũ, vt omne animal sensus hos habeat, nam sine ipsis viuere potest; tangens autem nisi habeat sensum tactus, non poterit hæc quidem fugere (scilicet corruptiua) illa autem accipere (scilicet necessaria ad conseruationem) si vero hoc efficere non poterit, impossibile est ipsum animal saluari. Quapropter hac ratione etiam gustus necessarius est, quia est tactus quidam, est enim circa alimentum, quod est corpus tangibile; ideò vt ipsum discernere possit, si sit nociuum, vel salubre, necessarius est. Sed circa prædicta est dubitatio; nam etiam planta, atque alia corpora omnia, sunt tangibilia, & à qualitatibus tangibilibus alterabilia, & corruptibilia, ac etiam à natura conseruari debent; ergo vt qualitates nociuas euitare possint, deberent quoque tactu pollere, vt de animalibus dictum est. Respondetur, non esse parem rationem; nam animalia in quadam temperie ad pondus consistunt, quæ facile dissoluitur ex alteratione vnius qualitatis, ideò cognitione indigent. In plantis autem, & alijs corporibus est singulare prædominium alicuius elementi, & qualitatum eius; vnde hac de causa etiam simplicia nuncupata sunt sæpe, & ab ipso elemento, vel qualitate eius absque alia cognitione facile aduersarijs resistunt.

Gustus est animalibus necessarius.

Tex. 64.

Odor non nutrit.

Sonus autem, & color, & odor non alunt, neque faciunt augmentum, aut decrementum; sed alimentum, quod est obiectum gustus, hæc omnia efficit. Quamobrem necesse est, gustum tactum quendam esse, qui est sensus obiecti tangibilis, & nutritiui. Hi igitur (nempe tactus, & gustus) necessarij sunt animali, atque manifestum est, quod non est possibile sine tactu animal esse, nec etiam sine gustu, cum sit quidam tactus, vt dictum est. Alij autem sensus propter bonum sunt, & non simpliciter necessarij omni generi animalium, sed cuidam tantum, nempe progressiuo; si enim debeat saluari, non solum debet sentire tangendo, sed etiam à longe, vt nutrimentum inuenire possit, atque alia conuenientia sequi, nociuaque fugere.

Tex. 65.

Tria sũt ad faciendam sẽsationem necessaria.

Fiet autem sensatio aliorum sensuum à gustu, & tactu, si ipsa potentia sensitiua, vel animal fuerit per medium aliquod, seu iuxta illud, vt in aere, vel aqua: eo, quod medium ipsum à sensibili obiecto patiatur, & moueatur; ipsum autem animal, vel potentia sensitiua ab ipso medio, simul tamen cum specie sensibili in ipso recepta; ita vt tria sint in hac mutatione: obiectum, quod habet rationem mouentis immobilis; medium, quod mouet, & mouetur; ac potentia, quæ mouetur solum. Sicut enim mouens secundum locum, vsque ad permutationem, (seu vsque ad vltimum mutatum esse) mouet, & pellens alterum, facit, vt pellat, & talis motus est per medium aliquod, (scilicet mediante, eo, quod mouetur, & mouet) vel per spatium, aut locum: In quo est talis ordo, quod primum mouens pellit, & non pellitur; vltimum autem solum pellitur, & non pellit; medium autem vtrunque; nam pellit, & pellitur; quæ tamen media possunt esse multa. Sic in alteratione, vel sensatione prædicta accidit: præterquam quod alterans manet in eodem loco, quod non accidit in motu locali, in quo, vt plurimum mouens in mouendo mouetur. Vt autem quomodo sensationes prædictæ fiant melius percipiatur, aliud apponetur exemplum. Si quis in ceram impresserit figuram sigilli, vel alterius cuiusuis imaginis, vel characteris, vsque ad talem partem mota erit, quousque imprimens impressit; quæ quidem impressio fit magis, vel minus profundè, prout magis, vel minus durum fuerit corpus, in quo fit; Vnde lapis nihil recipit de impressione, sed aqua vsque procul (hoc est de extremo, ad extremum, & si ob fluxibilitatem figuram non retineat) aer autem ad plurimum, seu facilius, & velocius mouetur, & agit in aliam partem, si maneat, & vnus, vel continuatus sit. Sic igitur obiectum imprimit speciem suam in aere, vsque ad profundum: quapropter iterum hic aer visum ipsum mouebit; sicut vtique si sigillum cera succederet vsque ad finem, seu ad vltimam eius extremitatem. Vnde de visione loquendo, melius est dicere, aerem pati à colore, & figura, vsquequo sit vnus, vel coniunctus cum visu, quod accidit, dum corpus, vel pupilla oculi est leuis, & bene disposita: quam dicere visum egredientem pertingere ad obiectum, ac refrangi ad oculos, vt asserebat Plato.

visus nõ fit per extramissionem.

CAPVT II.

Corpus animalis non potest esse simplex. Sensus tactus est ei simpliciter necessarius, alij vero sunt ad bene esse.

Tex. 66.

QVod autem impossibile sit simplex esse animalis corpus (dico autem, vt igneum, aut aereum) manifestum est. Nam sine tactu nullum alium sensum contingit habere animal; corpus enim animalis omne tactiuum est; sicut dictum est in præcedentibus; at ipse tactus consistit in temperie quatuor qualitatum, vel elementorum; (vt in capite de tactu patuit) ergo corpus animalis, quod est tactiuum, in eadem est temperie, & sic simplex non erit; quapropter, & ipsum, ac organum quoque, vel sensorium tactus in mistura quatuor elementorum consistit. Alia autem elementa seorsum possunt constituere sensoria aliorum sensuum, præter terram; vt aqua facit sensorium visus, aer auditus, ignis odoratus; (modo exposito in proprijs locis) omnia enim hæc principia sensitiua faciunt sensationem per aliud sentiendo; (nempe per medium externum simplex) vt per aerem, vel aquam; ideo in simplici quoque elemento consistere possunt, saltem prædominanter, vt suis dictum est locis; nam medium, & organum habent proportionem; tactus autem non per externum medium simplex est sentiens, sed tangendo ipsa tangibilia; quapropter, & hoc nomen habet. Quare cum medio simplici externo non vtatur, in sentiendo, neque simplex esse poterit, & per consequens neque in simplici corpore. Attamen alij sensus etiam tactu sentiunt sua sensibilia, sed per alia (videlicet per medium externum, ac speciem sensibilem) vt visus suo modo tangit colorem, prout mediante aere, qui ipsum visum tangit ipse tangit speciem visibilem, quæ habet vicem obiecti, vel coloris: idem dicatur de auditu, & olfactu, quorum tangere est secundum quid, & per alia; tactus autem videtur solus per se ipsum immediatè tangere. Quare cum non tangat per medium vnum aliquod simplex, nullum huiusmodi elementorum erit vtique corpus animalis, sed omnia simul, & sic ipsum corpus simplex non erit. Neque itaque corpus ipsius animalis, atque organum tactus erit terreum, sed ex sola terra constitutum. Nam ipse tactus est, sicut medietas omnium tangibilium, ac sensorium ipsius est susceptiuum non solum differentia-

Omnes sensus tangendo sentiũt, quomodo.

rum

rum quæcumque terræ sunt, sed & calidi, & frigidi, & aliorum omnium tangibilium; ergo debet esse in potentia ad omnia ista percipienda; ac per consequens in temperie omnium istorum; nam ipse tactus, (vt sæpe dictum est) exuperantias tantum tangibilium sentit, ac ideò in temperie consistere debet; non igitur ex terra, neque ex singulari dominio eius constituitur, & propter hoc ossibus, & capillis, & huiusmodi partibus non sentimus, quia terra sunt, seu in ipsis maximè terra prædominatur. Et plantæ etiam ob hoc nullum habent sensum, quia terræ sunt. (At si quis dicat, in plantis dominari aerem, vt patet ex earum leuitate; natant enim super aquam. Respondetur, quod dominium elementorum in aliquo potest attendi ex diuersis ipsorum elementorum qualitatibus, vt ex leuitate, grauitate, caliditate, duritie, &c. in plantis igitur ratione leuitatis dominatur aer, ratione autem densitatis, ac duritiei terra: modo densitas, & durities impediunt sensum, cuius oppositum est in animalibus, quæ fortè grauiora sunt plantis, tamen rariora, ac molliora, vnde sensitiua sunt.) Est igitur tactus, vel sensorium eius constitutum in temperie quatuor elementorum, ac eiusdem temperiei cum corpore animalis; vnde est fundamentum omnium aliorum sensuum. Et sine tactu nullum possibile est alium sensum esse: hic autem sensus non est neque terræ, neque vllius alterius elementorum solius, sed omnium simul, vt diximus.

Ossa, & capilli nō sentiunt, & quare. Plantæ cur non sentiunt.

Nullus sensus sine tactu.

Tex. 67. *Manifestum est igitur, quod animalia priuata hoc solo sensu, necesse est mori. Neque hunc possibile est habere, quod non est animal; neque animal necesse est alium habere præter hunc. Et propter hoc quidem alia obiecta sensibilia suis exuperantijs, vel excessibus, non corrumpunt animal, vt color, & odor, & sonus, sed solum sensus, nempe visum, olfactum, & auditum; nisi interdum secundum accidens, puta si simul cum sono pulsio fiat, & ictus, & à rebus visis, & odore alia moueantur, quæ tactum corrumpunt, & sapor quoque, secundum quod accidit gustum tactiuum esse; sic ipsum corrumpit, vt accidit dum inter sapores, vel edulia, aut pocula miscentur venena. Tangibilium autem exuperantia, vt calidorum, frigidorum, & durorum corrumpit animal.*

Animalia priuata tactu moriuntur.

Obiecta sensum, quę ipsos nō corrumpant.

Omnis enim exuperantia sensibilis corrumpit sensum; quamobrem, & tangibile tactum, hoc autem determinatum est ipsum viuere: sine enim tactu demonstratum est, quod impossibile est animali esse. Quo circa tangibilium exuperantia non solum corrumpit sensum, sed animal; quia necesse est solum hunc sensum habere animal. Alios autem sensus habet animal, sicut dictum est, non vt sit, sed vt bene sit. Vt visum ad hoc, quod per aerem, & aquam videat: omnino autem, & in communi, vt videat in perspicuo; Gustum autem propter iucundum, atque molestum, vt scilicet sentiat id, quod in alimento est, ac concupiscat, & moueatur, & si provt est tactus quidam, simpliciter necessarius sit. Auditum autem, vt significetur aliquid ipsi. Linguam autem, (quæ non sensus, sed omnium sensuum instrumentum est,) vt significet aliquid alteri. Tex. 68.

Fines sensuum.

Finis Paraphrasis Tertij Libri de Anima.



ANTO-

ANTONII ROCCI

De Scurcula Marſorum.

IN TERTIVM LIBRVM ARISTOTELIS de Anima Quæſtiones.

QVÆSTIO PRIMA.

Quare neque ipſius vlla eſt natura, niſi hæc, quod poſſibilis. Tex. 5.

An intellectus ſit pura potentia, vel aliquam habeat actualitatem.



DVplex eſt intellectus, ſcilicet agens, & poſſibilis; (vt poſtea ex profeſſo dicetur) difficultas non eſt de agente, ſed de poſſibili: hic namque cum capacitatem, vel puram paſſiuitatem reſpectu ſpecierum intelligibilium connotare videatur, difficultatem facit, an ſit ens in actu, vel in potentia. Quod itaque non ſit pura potentia, vt videtur velle Ariſt.
1.Arg. probatur. Nā (vt dicit ipſe Ariſt. ratio eſſet, quia recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti; at hoc nihil valet, quia intellectus ipſe nullam rem realiter recipit, ſed ſolum ſpecies ipſorum: (non enim lapis eſt in anima, ſed ſpecies eius) ſufficit itaque, vt nullam habeat ſpeciem, quamuis eſſet actualiſſimus.

Amplius. Tactus, qui quatuor primis qualitatibus conſtituitur, ipſas quoque percipit; nec non quilibet ſenſus magnitudinem cognoſcit, licet vnuſquiſque ſit quantus, ſeu magnitudinem habeat; ergo pariter intellectus.

Pręterea. Si ex eo eſſet in potentia ad omnia, quia omnia cognoſcere poteſt, eſſet etiam in potentia ad ſe ipſum; nam etiam ſe poteſt cognoſcere, ex hoc libro tex. 8. hoc autem eſt abſurdum.

Pro intelligentia ſciendum eſt, res omnes ad alias relatas ſecundum oppoſitionem ad illas ſortiri denominationem; v. g. ſi homo comparetur ad Intelligentias, dicitur materialis, ignobilis, caducus, &c. ſi vero comparetur ad bruta, vel plantas, & ſpiritualis, & præſtans, & diuinus appellatur; pariter tepidum in ordine ad calidum frigidum, & in comparatione ad frigidum calidum dici poteſt; hoc pacto quoque diximus in 1. phyſic. materiam in ordine ad formas vocari potentiam, ſed in reſpectu ad purum non eſſe actum quendam ſibi tribuimus. Aliud obſeruandum eſt, quod quemadmodum anima eſt forma, vel actus corporis; ſic cognitiones, & ſcientiæ ſunt forma animæ, præcipuè rationalis. Probatur, nam forma, & finis idem ſunt; at finis rationalis animæ eſt ſcire, vel cognoſcere: ergo.

Amplius, quod vltimate perficit, ac complet eſt forma; ſic autem ſe habent cognitiones, & ſcientiæ; vnde antequam ipſa anima intelligat, eſt veluti tabula in qua nihil eſt depictum; Non tamen credendum eſt, eſſe formas ſubſtantiales, quia formæ vltimatę non eſt eſſentialis forma; nec accidentia poſſunt alicui eſſe ſubſtantia; verum quia inter accidentia ſunt præſtantiſſima, & finis ratione optimi habent, per quandam attributionem ſimpliciter tales nuncupari poſſunt. Aliud denique animaduertendum eſt, quod, quæ ſunt in potentia ad formas reales, dicuntur potentialia in genere entis; quæ vero ſunt in potentia ad cognitiones, & ſcientias, nec non ad ſpecies, per quas ipſæ ſcientiæ, & cognitiones acquiruntur (media namque ad finem pertinent) dicuntur potentialia in genere cognoſcibilia; è contra autem, quæ actu realem formam habent, dicuntur entia actualia in genere entis; quæ vero plenam habent cognitionem omnium, actualia dicuntur in genere cognoſcibilium; nam ſicut illæ à realibus, & ſibi conuenientibus formis actuantur, ita hæ à ſuis; vnde intellectus actu ſæpe ab Ariſt. vocatur, qui eſt cognoſcens, & ſciens. Quibus habitis ponuntur duæ concluſiones.

Prima. Intellectus paſſiuus ex ſe non eſt pura potentia in genere entis, ita nimirum, quod non ſit aliquid, ſed eſſe poſſit. Probatur: nam omne receptiuum alicuius debet eſſe actu; quod etenim nihil eſt, nihil recipere poteſt; at intellectus ipſe eſt receptiuus, & ſpecierum, & cognitionum omnium, ergo. 1.Concl.

Amplius. Quod eſt pars entis poſitiui non eſt in pura potentia; ſed ſic ſe habet intellectus, ex hoc libro textu primo; pars namque animæ ponitur. Denique. Si homo in principio ſuæ natiuitatis, (quando magis in pura potentia hic intellectus apparet) hunc actualem non haberet, duo ſequerentur abſurda, alterum eſt, quod à brutis eſſentialiter non differret; aliud, quod ipſe intellectus eſſet purum accidens, eo quod adueniret enti completo.

Secunda concluſio. In genere intelligibilium intellectus eſt pura potentia; probatur; quia nec aliquod ipſorum, nec ſpecies, quæ ipſa intelligibilia repræſentant habet, ſed ad omnia eſt in potentia. Quæ quidem eſt expreſſa ſententia Ariſt. in textu etenim quarto habet hæc verba; Neceſſe eſt itaq; quoniam omnia intelligit, immiſtum eſſe, ſicut dicit Anaxagoras, vt dominetur, hoc autem eſt, vt cognoſcat &c. cum ergo in ſequenti textu ſubinferat (quare neque vlla ipſius eſt natura, niſi hæc, quod poſſibilis) ſi ad præcedentia referendum ſit, (vt docet, nam eſt ipſorum conſequentia) ſolum de hac potentia intelligibilium loquitur. At argumenta diluamus.

Ad primum dicitur, quod quamuis res reales, & ipſarū

ſpecies in multis differant, conueniunt tamen (præter alia) in hoc, quod ſi ſpecies ipſæ adſint, res adeſſe non poſſint ſaltem in ratione repræſentandi, & in comparatione ad propria obiecta. Dicimus in ratione repræſentandi, quia ſecundum exiſtentiam, & actualem vnionem in quibuſdam non inconuenit; nam qualitates tangibiles realiter poſſunt tangere ſenſum, & tamen ſpecies ipſarum faciunt ſenſationem, vt alibi dictum eſt. At quoniam ipſæ ſpecies differunt natura à rebus, atque ipſarum proprietas eſt obiectum repræſentare, hinc eſt, quod tali ratione nunquam ſimul ſunt, vel eſſe poſſunt cum obiecto; ſic itaque oculus, qui coloratus eſt, ſpecies coloris eiuſdem recipere nequit. Diximus in comparatione ad obiectum proprium, quia ſpecies obiectorum communium ſimul cum natura ipſorum obiectorum exiſtunt; nam ſicut ſunt communia in modo ſe pluribus præſentandi, ſic quoque ratione in pluribus eſſendi; vel ſicut habent communitatem cognoſcibilitatis, ſic quoque exiſtentiæ; illud namque ex hoc ſequitur.

Ad ſecundum dicitur, tactum habere quatuor qualitates ſecundum temperiem quandam, vel in eſſe remiſſo, & hoc pacto ipſas qualitates non percipit, ſed ſolum ſecundum eſſe intenſum. De magnitudine, quæ cognoſcitur a ſenſu, iam reſponſum eſt ſupra; nam magnitudo eſt ſenſibile commune; idem dicatur de alijs communibus ſenſibilibus, nam ſenſus figuram, motum, quietem, & numerum ſaltem ſecundum organa, (vt patet de viſu, & auditu) habere poſſunt, quæ tamen omnia per ſe ſentiunt.

Ad tertium negatur conſequentia; ſufficit namque, quod ſit in potentia ad ſui ſpeciem, vel cognitionem; excluſiua namque ſe ipſam ſemper includit, vt ſi dicam: nihil habeo, nihil poſſideo, nihil diligo, ſemper intelligitur præter me; quia omnes iſtæ actiones ſupponunt eſſe illius, à quo fiunt; ſic intellectus eſt in potentia ad omnia; ergo ad ſe ipſum, eſt error. Sed tamen eſt dubitatio, quoniam ſi poteſt ſe intelligere, hoc efficiet per ſpeciem ſui; at ſpecies, & res non poſſunt eſſe, ſimul: ergo.

Reſpondetur. Speciem ſui ipſius non ſibi repugnare; ſicut namque res non repugnant, ſic neque ſpecies, præſertim cum diuerſos habeant coexiſtendi modos. Hoc etiam pacto ſeparatus à corpore ſe ipſum intelligeret: nec non alios quoque eiuſdem naturæ, quia ſpecies aliqua, alteram eiuſdem naturæ non adimit, vt qui albedinem vnam per ſpeciem videt, aliam quoque per ſpeciem pariter eiuſdem naturæ, (ſed numero differentem) videre poteſt.

QVÆSTIO II.

Vnde neque rationabile eſt ipſum miſtum eſſe cum corpore, &c. Tex. 6.

An intellectus aliquod habeat organum.

ARguitur primò quod ſic. Quod reſidet in determinata corporis parte, determinatum habet organum; nempe partem ipſam. At intellectus reſidet in cerebro; ergo. Probatur minor duplici ſigno; aliud eſt, quod ex magno, vel paruo, bene, vel male diſpoſito cerebro, pariter de intellectu iudicamus; quinimo quandoq; vnum pro altero ſumimus. Secundum eſt; quoniam læſo cerebro, offenditur intellectus; vnde in ſomnis ex paſſionibus in ipſo factis ligatur; & ex malè affecto accidunt deliria, quæ ſunt intellectus alienationes.

Secundò. Niſi intellectus eſſet organicus, per quamlibet partem corporis intelligeret; hoc autem eſt abſurdum, & ridiculum; quis namque intelligit per manus, vel pedes? probatur conſequentia; nam totum organum determinat virtutem, & diſpoſitionem operandi potentiæ; ergo, quæ non ſic determinantur, per ſingulas corporis partes operari poſſunt. Pro intelligentia ſciendum eſt, quod eſſe potentia organica, vel potentiam habere organum (quod idem eſt) nihil aliud eſt niſi ſic ab organo aliquo dependere, vt neque ſine ipſo operari poſſit, neque ab eo ſeparabilis ſit; imò omnes eius operationes organo aliqualiter proportionari debent, ſic videlicet, quod ſint, & circa ſingularia ſenſibilia, & coeſtenſæ, vt de qualibet organica exemplificari poteſt; viſus namque ſolum ſingularia cognoſci (& ſi ratio cognoſcendi ſit communis vt alibi dicetur, hoc eodem libro) ac operationes eius ſibi aliquo modo coeſtenduntur, nec non ſpecies quoque diuiſibiliter in ipſo recipiuntur. Ex dictis ſequitur, non eſſe neceſſarium ad hoc, vt aliqua potentia ſit organica, quod ſolum in vna parte corporis determinetur; nam tactus non ſic ſe habet (niſi omnes partes, in quibus reſidet, pro vna computare velimus) ſed ſat eſt, quod dependeat in eſſendo, operando, &c. Iſtis ſic breuiter declaratis; ponitur hec concluſio.

Intellectus poſſibilis (de quo eſt ſermo) non eſt potentia organica; hæc eſt expreſſa Ariſt. ſententia in præcitato Textu 6. Amplius. Omnis potentia organica debilitatur ſi organum debilitetur; Sed intellectus non ſic ſe habet, vt docet philoſophus in primo de Anima Tex. 65. Sed contra; nam ex læſione phantaſiæ amittitur vſus rationis, & per conſequens læditur etiam intellectus. Reſpondetur, hoc eſſe ratione ordinis tantum; quia etenim intellectus vtitur veluti ianuis, internis ſenſibus; ſi ipſi malè afficiantur, fiunt perturbationes in intellectu: at cognoſcitur præſertim, eum ab eis non dependere, quatenus non omnes illorum conditiones imitatur; (vt ſe habere deberet, ſi organicus eſſet) debilitatis namq; omnibus ſenſibus, (vt ſenibus accidit) magis vis intellectiua viget. Præterea. Nulla virtus organica poteſt cognoſcere vniuerſalia; at intellectus ipſa cognoſcit: ergo. Denique. Nulla organica virtus ſupra ſe ipſam reflectitur, ſeu nulla ſe ipſam cognoſcit, vt alibi declaratum fuit: at intellectus poteſt ſe ipſum cognoſcere: ergo. Sed ſoluamus argumenta.

Ad primum negatur minor: non etenim in cerebro intellectus reſidet, ſed totus in toto corpore, & pariter in qualibet parte, quemadmodum de anima rationali dictum eſt. Dum autem probatur, in cerebro reſidere per duo ſigna, dicimus ad primum, quod quamuis interdum non benè operetur ex mala cerebri diſpoſitione, hoc ideò accidit, quia vtitur ipſo cerebro ſpecialiter, vel potius potentijs ſenſitiuis, quæ cum ipſo reſident veluti ſibi externis, ſed tamen neceſſarijs inſtrumentis, ſine quibus agere nequit, eo quidem modo, quo ſcriptor vtitur calamo: neque etenim virtus eius in calamo reſidet, attamen ſine ipſo ſcribere nequit, & ſi aliqua maior coniunctio ſit intellectus cum ſenſibus, quam ſcriptoris cum calamo, prout ad eandem naturam illi, ad diuerſam hi pertinent: quamobrem organa ſenſuum ratione eſſentialis dependentiæ ſunt intellectui extranea; at ratione vnionis, & vſus, aliquo modo intrinſeca, & neceſſaria pro hoc ſtatu ſibi exiſtunt. Idem dici poteſt ad ſecundum ſignum: nam ex neceſſarij inſtrumenti defectu, ſequitur actualis impeditio principalis agentis: quamuis non ex omnibus, vt declaratum eſt.

Ad ſecundum dicitur, quod quamuis intellectui non repugnaret ex ſe vbique intelligere, attamen id ſolum pro nunc præſtare poteſt in ijs dumtaxat partibus ex quibus ſibi aptum ad hoc miniſterium commodatur, hoc autem efficitur à ſenſibus, quorum ſedes in cerebro ſita eſt.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Sensitiuum autem non sine corpore est, hic autem separabilis est. Tex.7.

An intellectus possibilis sit separabilis.

DVplicem sensum præsens habet difficultas. Primus est, si ipse intellectus sit a corpore separabilis, ac solus sine ipso existere possit; alter est; an corpori hærens, sit solum assistens, vt nauta naui, vel sit forma, seu virtus formæ ipsius. Secundum primum sensum erit peculiaris quæstio de immortalitate animæ rationalis; cum etenim ipse intellectus sit idem realiter cum illa; si ipsa separabilis, vel immortalis erit, & ille, vel è contra. At in secundo sensu; quamuis in secundo de anima omnes animas verè formas informantes esse statuerimus, adhuc peculiares remanent examinandæ difficultates, vt nihil dubij (prout breuitas, & adolescentium captus fert) relinquatur. At priusquam vltra progrediamur, statim se se offert difficultas, videlicet: quod si intellectus consideretur vt assistēs, etiam considerabitur immortalis, eo quod solum assistens à corpore non pendet, & sic non erit duplex istius quæstionis sensus; imo idem erit quærere, an sit assistens, & immortalis. Respondetur negatiuè. Nam aliquid potest esse assistens, & mortale, sicut si poneretur intellectus per se corruptibilis absque dependentia ad corpus, vel sicut aer respiratus cordi, vel internis corporis partibus assistit, & tamen corruptibilis ex se est. Quod itaque sit solum assistens, & non informans tribus argumentis probatur: Primum. Omnis forma informans proportionatur materiæ; at intellectus hic non proportionatur corpori; ergo. Probatur minor, quoniam, tunc esset singularis, conditionibusque materiei innixus, & per consequens vniuersalia nequiret intelligere. Secundum. Ab Arist. ponitur immistus, separatus, & impassibilis, vt patet in litera; quæ quidem sibi repugnarent, si esset informans, nam forma miscetur materiæ, atque cum ipsa patitur, si fortè non sit etiam causa principalis patiendi, quemadmodum dicitur præcipua natura, quæ est principium passiuum omnium mutationum. Tertium. Si esset informans, non esset immortalis, quoniam omnis forma à materia in esse, & in conseruari dependet.

Circa hanc difficultatem non desunt opiniones: Plato namque, ipsum intellectum, similue animam rationalem assistentem ponit; cuius etiam sententiam secutus est Plutarchus, & ante istos Pythagoras; hic namque transmigrationem admittit animarum, ac eas veluti in carcere existentes, arbitratur. Nec aliæ quamplures desunt, quę tamē, quia intellectum agentem, ac magis animam ipsam rationalem simul complicant, vbi de illis differemus, dabitur latius, & distinctius differendi occasio. Nunc tantum ad conclusionem accedamus.

Intellectus itaque possibilis non est assistens, sed informans. Probatur. Nam pars formalis animæ non est assistens; sic autem se habet intellectus, ex hoc libro tex. 1. ergo; dicit namq; Arist. De parte autem animæ, &c. formalis additur, nam anima est forma, vt ipsemet docet. Amplius. In 2. phys. tex. 26. habetur, considerationem physicam esse vsque ad eas formas, quæ sunt in materia, sed separabiles, vt est anima rationalis; cum ergo sit forma, informabit: nam assistens est forma secundum quid. Præterea. Actus primus est verè forma; sed anima rationalis, sic se habet; ergo. Maior est Arist. in 2. de Anima textu 6. & minor est eiusdem textu 7. Denique. Differentia essentialis est forma; (nam assistens, non facit sic essentialiter differre, imò est extraneum ei cui assistit,) at intellectus est huiusmodi; igitur.

At sciendum est, secundum viam eorum, qui potentias animæ præcipue rationalis ab ipsa realiter non distingui asserentium, (vt nos sustinemus facilè) est hanc positionem saluare; At qui defendunt, ipsas potentias esse realiter distinctas, nec non accidentia de secunda specie qualitatis, quamuis hoc idem tueri credant, vniuerso aberrant Cælo; nam & si animam rationalem informantem formam constituant; ergo (inferre) sic quoque se habet intellectus; negatur meritò, & optimè consequentia, quia illa est substantia, hic vero accidens ab ipsa realiter distinctum; nisi dicerent, ipsum esse in forma, vt accidens, eo quidem modo, quo aliæ qualitates sunt animæ accidentia, qui sensus sicut non est bonus, sic neque ipsi eum admittunt, sed veram essentialem corporis, ac hominis formam esse fatentur; quomodo autem id accidens esse possit, vnusquisque ex se consideret; At argumenta soluenda sunt.

Ad primum negatur minor, ad probationem respondetur aliquid dici materiale dupliciter; vno modo, quod materiei vniatur, & sic potest dici intellectus materialis, quemadmodum etiam omnis forma ad materiam refertur. Alio modo, quod secundum se materiam includat; & sit corporeus; intellectus itaque primo modo materialis, nullum habet impedimentum ad cognoscenda vniuersalia, quia est immaterialis, secundo modo, quod quidem sufficit, ad prædicta efficienda.

Ad secundum dicitur, vocari immistum, & separatum prout est spiritalis, nec de potentia materiæ eductus, quamuis ei proportionetur; impassibilis vero dicitur passione corruptiua, nec obstat, quod sit natura, & principium mutationum, quia est talis in ordine ad compositum; natura enim dicitur principium eius in quo est, non sui ipsius.

Ad tertium negatur consequentia; solum etenim formæ ex materiæ potentia eductæ in separatione corrumpuntur.

QVÆSTIO IV.

Cum autem sic singula factus est, vt sciens dicitur, &c. Tex.8.

De obiecto intellectus.

PRæbetur de hac materia differendi occasio ab Arist. in præcitato tex.8. vbi ait, tunc intellectum esse scientem, quando singula factus est, seu quando iam species rerum receperit; quare conueniens est, ac ferè ad omnes facultates, ac difficultates vtillimum, vsq; ad quod obiectum extendatur, vel quid sit eius adæquatum cognoscibile obiectum. Pro cuius resolutione sciendum est, duplex esse obiectũ ipsius intellectus, aliud attingibile, aliud inclinationis: atq; vtrumq; pariter est duplex, scilicet motiuum, & terminatiuum. Dicitur obiectum attingibile, quod pro hoc statu, seu in hac vita, aut ex ministerio sensuum (omnia namque hæc idem significant) percipi potest. Obiectum autem inclinationis est ad quod ipsa potentia intellectiua naturaliter inclinatur, seu, quod capacitatem eius non excedit; quæ quidem duo obiecta sic se habent, quod attingibile est etiam inclinationis, non autem è conuerso. At obiectum motiuum dicitur, quod ex se natum est absque alio cognosci, seu natum est absque alio mouere intellectum ad sui cognitionem. Terminatiuum verò dicitur, quod natum est terminare tantum intellectum; seu quod natum est cognosci ab ipso, (est enim terminare se intellectui præsentare, vt cognitum) absque eo, quod moueat, sed motio prima ab alio efficitur; quod quidem intelligendum est præcisiue, quatenus scilicet opponitur motiuo; aliter hoc est vniuersalius illo; nam quicquid mouet terminat, sed non è contra. Alij tamen dicunt, obiectum terminatiuum esse

species siue sensibiles, siue intelligibiles, ille sensuum, hæ intellectus quatenus immediatè in prædictis potentijs recipiuntur; sed errant, & secundum veritatem, & secundum ipsorum quoque fundamenta; nam (quo ad veritatem) non dicitur terminus, vel terminatiuum, nisi extremum, vel quod vltimatè perficit; at species ipsæ non sic se habent, imò sunt media obiectum repræsentantia. Pariter secundum ipsorum fundamenta est error; quoniam defendunt, in speculo non videri imaginem, vel speciem rei visibilis, sed obiectum, quod est terminus; ergo species non sunt obiectum terminatiuum, & sic sibi contradicunt; quod est adeò ipsis ferè in omnibus consuetum, vt à casu, & sine connexione sequentium ad præcedentia, vt plurimum loqui videantur; neque circa eorum nugas, & mordacitates (in quibus doctrinæ vim consistere credunt) immorabor; si quidem addiscentibus solum puram à me cognitam veritatem dilucidare intendo. Nonnulli autem quadruplex ponunt alio modo obiectum, scilicet formale quod, formale quo, materiale, & accidentale. Formale quod dicunt esse id, quod adæquate attingitur; vt sonus respectu auditus, &c. Formale quo, est mediante quo attingitur, vt species visibiles, ac lumen respectu coloris. Materiale est aliquod inferius adæquati obiecti, vt albedo, vel nigredo, respectu coloris: inferiora etenim vicem materiæ gerunt. Accidentale est, quod accidit ipsi formali, vt si sub colore cognoscatur Socrates. Quæ quidem acceptiones, etsi non sint ex se reijciendæ, attamen ad rem non faciunt; sed in ordine ad sensus considerandæ, & applicandæ sunt. Quibus habitis, ponuntur quatuor conclusiones.

Prima. Obiectum attingibile quatenus motiuum, & terminatiuum includit, (nam & quod mouet, & quod terminat intellectum, ab ipso attingitur) est quidditas rei sensibilis; quæ quidem est sententia Scoti in 3. sent. q. 3. & in quolib. q. 14. Sed priusquam ipsam confirmemus: sciendum est; quod per quidditatem rei sensibilis nihil intelligitur nisi quicquid ex cognitione sensitiua elici potest; vnde idem valet hic quidditas, quod entitas, quæ quid etiam dicitur: quare sensus est, obiectum adæquatum nostri intellectus pro hoc statu, esse rem sensibilem, siue sit sensibilis per se, siue per aliud, & per accidens, siue immediatè, siue mediatè. Probatur; quoniam ordo potentiarum talis est, vt nobilior, & vniuersalior, ignobiliores, ac particulares supponant, vt intellectus sensus internos; hi autem externos, vel (quod idem est) omnis nostra cognitio ortum habet à sensibus; ergo nihil percipi ab intellectu potest; nisi ab ipsis ei ministretur; quæ autem sic se habent, sunt aliquo prædictorum modorum sensibilia; ergo. Sed contra, nam intelligimus Deum, ens reale abstractum, entia rationis; priuationes, & negationes, quæ substantias, sensibilia non sunt. Respondetur: Deum esse sensibilem per aliud, puta per effectus sensibiles; non etenim naturaliter ipsum cognoscimus nisi per motum, alios ve sensibiles effectus, idem dicatur de substantia, quæ est sensibilis per aliud, & per accidens, nempe per accidentia ipsa; pariter ens abstractum, ac intelligentiæ sunt per aliud sensibilia, nempe per singularia, & effectus. Entia verò rationis similiter à sensibilibus ortum habent; non etenim cognoscimus speciem, vel genus, nisi ex rebus sensibilibus, & existentibus: idem dicatur de priuationibus, negationibus, & fictitijs; illæ namque per habitum, hæ per affirmationem, ac vltimæ per res veras intelliguntur. Quidam tamen locis huius conclusionis, ponunt quidditatem rei materialis; sed non benè dicunt; quomodocunque capiant, & ad libitum distinguant materiam; quia ipsa non est ratio, vnde sensus cognitionem incipiat, sed melius est, vt diximus, & absque aliqua instantia.

Secunda conclusio. Obiectum adæquatum inclinationis, vel ex natura potentiæ intellectiuæ, est ens, in quantum ens. Probatur. Intellectus natus est excedere omnẽ sensitiuam cognitionem, si quidem à sensibus non dependet; ergo omnia cognoscibilia percipere poterit. Amplius. Naturale desiderium non est frustra; at optat cognoscere ex se substantias separatas; ergo. Præterea. Obiectum scientiæ non debet superare capacitatem intellectus, aliter non esset scientia (hæc namque est cognitio in ipso) sed ens in quantum ens est obiectum Metaphysicæ; ergo etiam intellectus. Sed est instantia, quia hoc pacto Deus esset naturaliter cognoscibilis saltem ab intellectu separato, quod est falsum; nam est infinitus, & per consequens finito improportionatus. Respondetur; Deum esse speculum voluntarium; ideo nisi velit, nunquam cognoscetur; si tamen velit, erit cognoscibilis, non sub ratione infinitatis reduplicatiuè, vel comprehensiuè, sed specificatiuè, & apprehensiuè solum, quod sufficit, vt sub obiecto contineatur.

Tertia conclusio. Obiectum motiuum solum est ens absolutum, prout opponitur relato, & dependenti. Probatur: nam solum, quæ referuntur, vel ab alio essentialiter dependent sine illis cognosci non possunt, siuè pro hoc, siuè pro alio statu; de his, quæ dependent accidentaliter, secus dicatur.

Quarta Conclusio. Obiectum terminatiuum tantum est ens ad aliud, siuè sit relatiuum, siuè dependens; patet ex opposita præcedenti conclusione; Sic autem se habent omnia relatiua, omnes proprietates, priuationes, negationes, entia rationis, & fictitia.

QVÆSTIO V.

Et ipse autem seipsum tunc potest intelligere. Tex. 8.

An Intellectus se ipsum intelligere possit.

ARguitur primò, quod non. Omne cognoscens debet esse denudatum à cognito, vt visus à colore, &c. at intellectus non denudatur à se ipso; ergo.

Secundò. Nihil potest esse simul motiuum, & mobile, quia esset in actu, & in potentia, cum ergo res cognita, vel cognoscibilis sit motiua, & cognoscens mobile, sequitur, quod aliquod se ipsum cognoscere nequeat.

Tertiò. Si posset se ipsum intelligere, vel id efficeret per suimet speciem, vel per alienam; non primo modo, quoniam cum cognitio quælibet, pro hoc statu, à sensibus incipiat, non poterunt hi rei immaterialis speciem suscipere; non secundo, quia non ipsius, sed aliorum naturam repræsentaret: nam species est imago, vel repræsentans id, cuius est species.

Circa hanc quæstionẽ multi multa dicunt; quorum positiones recensere methodum breuem, quam proposui, esset egredi. Sciendum est itaq; quod aliquid cognoscibile est secundum quatuor scibiles quæstiones assignatas ab Arist. in principio 2. Post. videlicet, quo ad si est, quid est, quia, & propter quid; nam quærere, & cognoscere possumus, si aliquid existat, vel in natura esse possit, & hæc est quæstio, & cognitio si est. Pariter, definitionem, vel naturam possumus inuestigare, & est cognitio quid est; similiter indagamus proprietates, & est quæstio quia; ac tandẽ, quæ sint ipsarum causæ, & est propter quid, quę omnes quæstiones possunt intellectui adaptari. Secundo sciendũ, quod duplex est cognitio, quæ circa vnamquamq; dictarum quæstionũ versari potest; scilicet recta, & reflexa. Dicitur cognitio recta, quia aliquid directè cognoscitur; siuè intuitiuè, siuè abstractiuè, siuè per discursum, nihil refert, quopacto (vnico verbo) omnia pręter se ipsum intellectus intelligit. Dicitur reflexa prout ex eo, quod multa cognoscantur, ipse intellectus cognoscẽs, se cognoscere cognoscat, ac etiam esse percipiat; ad similitudinem motus reflexi, vel circularis, in quo ex eodem sumitur principium, & finis. Quibus habitis, ponuntur duæ conclusiones.

Prima.

Prima. Intellectus potest se ipsum intelligere secundum omnes quatuor quæstiones scibiles; quod se ipsum intelligere possit est manifesta sententia Arist. in textu. Quod verò ad omnes scibiles quæstiones extendatur, ordinatim de singulis probatur. Nam quo ad si est, nulla est dubitatio; cum, etenim operetur, ac sciat nullam operationem nisi ab agente actualiter existenti fieri posse: sequitur, quod se hoc modo cognoscat; At quo ad quid est etiam patet; nam ipsius definitionem assignamus. Verum est tamen; duplex esse quid est; alterum immediatum; quod videlicet essentialia, & conuertibilia prædicata explicat; & hoc de ipso non habetur; quoniam non tot essent philosophicæ quæstiones, & controuersiæ de eius immortalitate, vel separabilitate, &c. habita namq; exactissima quidditatiua alicuius rei cognitione, cætera consequuntur. Pariter proprietates eius saltem aliquæ sunt satis notæ, atq; à Philosophis ferè sine errore recensentur, quod quidem, & nos faciemus, dum de muneribus eius pertractabimus. Denique; causæ harum proprietatum non sunt penitus incognitæ, imò à plerisque, siuè clarius, siuè obscurius assignantur; nec etenim perfectissima cognitio (sicut neque de alijs) est expetenda. Amplius. Omnes prędictę quæstiones respiciunt obiecta sensibilia, quæ ad obiectum naturalis attingentiæ pertinent; ergo de ipso pro hoc statu habere possumus. Sed quid dicendum, si esset separatus, vel in alio statu. Respondetur etiam affirmatiuè, ac melius; quia tunc ab omnibus soluitur impedimentis.

Secunda conclusio. Intellectus non cognoscit se ipsum cognitione directa, sed reflexa; probatur: nam cognoscit se alia intelligere; ex qua operatione se esse intelligit; ex quibus quid sit, ac alia sibi conuenientia speculari poterit. Et hoc est, quod dicit Aristotel. in præcitato tex. 8. videlicet; cum sit sciens, ac singula factus se ipsum intelligere potest. Nihil namq; aliud vult, nisi quod per species rerum receptas, ac per operationem circa ipsas, in se reflecti potest, & dicitur cum singula factus fuerit, hoc est cum omnia sciuerit, se ipsum potest intelligere, supple cognitione perfecta, quæ omnes quæstiones scibiles amplectatur; (secus tamen si solum quo ad si est cognoscendus esset, diceretur) nam nisi singula genera rerum cognoscat, quid possit, quæ ve sit virtus eius non percipiet. Sed soluamus Argumenta.

Ad primum dicitur, maiorem non esse veram; vnusquisque etenim (experientia teste) se ipsum cognoscit. Sed veritatem habet de sensibus, qui supra se reflecti non possunt; imò neque est vniuersaliter verum, quoniam oculi se possunt in speculo videre, & vna pars tactus aliam percipere. Sed vera intelligentia est, quod sensus vt sentiant, non debent habere realiter proprium obiectum intra se, nec species eius; sic neque intellectus has habet; nam de obiecto alia est ratio de ipso, & de sensibus.

Ad secundum dicitur, maiorem esse falsam de motione æquiuoca, & perfectiua, nec secundum idem est in actu, & potentia, vt alibi dictum fuit.

Ad tertium dicitur, se intelligere per propriam speciem. Ad improbationem respondetur, operationes intellectus excludi ab ingressu per sensus, ex quibus operationibus propria elicitur species; imò per multas quoque alienas species discurrentes, aliam alicuius elicimus, vt per species accidentis, eam, quæ est substantiæ, &c. quamobrem, quamuis alienæ species cognitionem intellectus sibimet ministrarent; ex istis propria elici posset; propria videlicet, quæ alijs non competat; non quod adęquatè quidditatiuè ipsum repræsentet, vt prius dictum est in prima conclusione.

QVÆSTIO VI.

Quoniam autem aliud est magnitudo, & magnitudinis esse. Tex. 9.

An essentia realiter distinguatur ab existentia.

ARguitur primò quod sic. Perpetuum differt realiter à corruptibili; at essentiæ omnes sunt perpetuæ, existentiæ quamplures corruptibiles; ergo: maior est nota; probatur minor; Scientia est de æternis, & incorruptibilibus ex primo Posteriorum; at præcipuè essentiam, vel quidditatem rei per ipsam contemplamur; ergo. Quod autem quamplures existentiæ corrumpantur, in omnibus corruptibilibus notum est; dum enim corrumpuntur, desinunt existere; quare hoc sufficit adhoc vt aliqua saltem essentia ab existentia realiter distinguatur.

Secundò, quod est indifferens, vel in potentia ad aliquid, distinguitur realiter ab illo; nam ex eo, quod est in potentia, vel indifferens sine alio esse potest; At essentia est indifferens ad hanc, & illam existentiam, & pariter est in potentia ad illas, vt essentia hominis ad existendum in Socrate, & Platone; ergo.

Tertiò. Gradus intrinsecus distinguitur realiter ab illo cuius est gradus; at existentia est gradus, vel modus intrinsecus; ergo. Probatur maior; nam gradus albedinis, vel alterius qualitatis ab ipsa realiter differt; vnde separari potest; ergo pariter de alijs philosophandum est. Minor est nota, & alibi declarata.

Quartò. Arist. in hoc libro tex. præcitato, aliud esse magnitudinem, & magnitudinis esse, aquæ, & aquæ esse affirmat; vbi per magnitudinem, & aqua existentem, per esse ipsarum essentiam insinuat. Atque primo Posteriorum cap. 1. si est, & quid (nempe pro existentia, & essentia) diuersas constituit pręcognitiones; quibus respondere debet diuersitas in re, & per consequens realis.

Pro intelligentia sciendum est, quod per essentiam nihil aliud hic intelligitur, nisi natura rei, quæ per quidditatiuam diffinitionē assignatur vt essentia hominis est animal rationale; quę etiam in ratione abstracta considerari potest, ac diceretur in homine humanitas, in equo equinitas, &c. Verum eorum, quæ veram non habent definitionē, eo quod sunt simplicia, vt Deus, &c. quidditas, vel simplex natura pro essentia accipienda est: & sic ad sermonē vniuersalem, quæstio redigi potest. Existentia autem est illa actualitas, qua ipsa essentia ponitur, vel reperitur existens in natura; v. g. Dum Petrus re vera viuit, habet tunc cum essentia, vel natura etiam existentiam: quæ verò non sunt, existentia carent. Notandum est etiam; quod essentia consideratur dupliciter, vno modo secundum esse reale; alio secundum esse cognitum; vt Petrus existens habet suam realem essentiam, vel partes; essentiales, & verā humanitatem. At secundum esse cognitum est quatenus solum mente consideratur; vt dum quidditatem rosæ non existentis, vel hominis, aut alterius percipimus. Pariter eodem modo considerari potest existentia; nam dū quid ipsa sit, speculamur, habet esse cognitum: dum verè est, reale; (etsi magis ex vsu communi loquentium realis, vt plurimum simpliciter dicatur) imò quicquid potest habere esse reale, potest quoque habere esse cognitum: nam hoc ex illo sequitur: peculiariter tamen id applicare volumus ad rem propter quasdam hallucinationes partem affirmatiuam sustinentium. Aliud tandem animaduertendum (vel potius iterum memoriæ mandandum) est: videlicet, realem distinctionem sumi dupliciter, vno modo pro diuersitate rerum existentium, & hæc proprijssima est acceptio, alio vero pro diuersitate eorū, quorum vnum sine alio esse non implicat, siue aliud existat, siuè non: quo pacto diximus, priuationem à materia

realiter distingui, ens rationis à reali &c. quæ non est sic, propria huius distinctionis acceptio. Sed ad resolutionem accedamus.

Prima conclusio. Essentia realis non distinguitur realiter à reali, & vera ipsius existentia; probatur. Quoniam nec esse, nec intelligi potest, esse aliquam realem essentiã, & non existere; vel quod homo, aut humanitas verè sit, & non habeat esse existentiæ; sic namq; haberet esse, & non esse; esse; eo quod sic supponitur; non esse, quatenus existentia eius auferri posset. Amplius. Quæcunque realiter distinguuntur, vnum potest esse sine alio, dum modo non sit externum impedimentum, vel essentialis dependentia. Sed essentia realis non potest esse sine existentia, ergo; probatur minor, quia tunc non esset in natura: si quidem esse est existere, & hoc est manere extra causas, & intellectum, si autem non existat, non erit realis, sed cognita: hęc autem est essentia secundum quid, & in mẽte, quemadmodum non essentia vera Leonis est in mente, quamuis cognoscatur, vel ibi sit in esse cognito. Amplius. Si posset esse essentia sine existentia, nec non esset verè realis, (cum distinctio realis inter entia realia sit) essent entia realia, & perfecta priusquam existerent; nec non, quia aduersarij has essentias æternas ponunt, sequeretur ab eterno omnia habuisse esse reale, & sic nihil crearetur, quia creare est de nihilo in esse produci. Aliqui hanc nostram conclusionem, sic etiam probant. Essentia realis sine existentia non esset substantia, nec accidens, & per consequens in nullo prædicamento, quia prædicamenta sunt entia realia; vnde hæc propositio non est vera, homo est substantia, vel animal, nisi homo existat. Sed non benè in hoc dicunt, quoniam prædicamenta, & prædicationes accipiuntur secundum esse cognitum, atque ab omni reali existentia abstrahunt; & quamuis sint entia realia, sunt tamen, vt cognita, & non vt existentia.

Secunda conclusio. Essentia secundum esse cognitum (non distinguitur realiter proprijssimè, sed minus propriè ab existentia reali, & cognita. Quod non distinguatur proprijssimè, probatur: quia hæc distinctio est inter ea, quæ sunt verè entia realia, ac possibilia ex se existere; at essentia cognita non sic se habet; ergo. Quod verò alio modo realiter distinguantur; probatur: nam vna potest esse sine alia; cognosco etenim essentiam rosæ, ipsa non existente: ecce essentia cognita sine existentia, & hęc est realis distinctio, modo prædicto. Pariter cognoscere possumus essentiam, non cognoscendo existentiam, abstractè; & sic essentia pariter cognita à cognita existentia (modo prædicto) realiter differt.

Tertia conclusio. Essentia realis distinguitur ab eius reali existentia formaliter tantum; patet: nam habent diuersas conceptibilitates, vel modum; vnde si ad puram distinctionem ex natura rei reuocarentur, non esset inconueniens. Sed de his satis; nam alibi dictum est, puta in 1. Phys. q. 6. Sed soluamus Argumenta.

Ad primum dicitur, essentias rerum corruptibilium esse solum perpetuas secundum esse cognitum, non autem secundum esse reale, & sic distinguuntur, vt dictum est in secunda conclusione.

Ad secundum eodem modo respondetur; solum namque essentiæ cognitæ, vniuersales, vel abstractæ, sic indifferentes, vel in potentia sunt; vt dicimus de genere, &c. sed secundum esse reale semper cum existentijs sunt; imò, & si per indifferentiam sint communicabiles, (quemadmodum de naturis communibus diximus in primo Physic.) non tamen identitas realis cum existentijs aufertur.

Ad Tertium negatur maior de simplici intrinseco modo, & similiter accepto cum illo, cuius dicitur modus: (nam secundum esse cognitum huius, vel illius nihil refert, modo prædicto) gradus autem albedinis, est potius pars, & si gradus ob paruitatem, (& interdum causa exempli) dicatur.

Ad quartum dicitur, sat esse distinctionem formalem ad saluandas prædictas vtriusque loci differentias.

QVÆSTIO VII.

In quibusdam enim idem est esse carni, & carnem, &c. Tex. 9.

An idem sit quidditas, vel quod quid est, cum illo cuius est.

Diximus de mente Arist. in præcedenti quæstione, magnitudinem significare existentiam, hoc est existentem, vel singularem magnitudinem; esse verò magnitudinis, quidditatem, vel essentiam; at quia ijs, quę existunt attribuitur, quod habeant essentiam, & quidditatem; quæri ex eodem loco potest; si ipsa essentia sit idem cum illis, vt humanitas cum Petro, &c. at quoniam in rebus materialibus distinctionem videtur ponere, in immaterialibus nequaquam (nam quamuis per carnem, & carnis esse exemplificet, de rebus materiæ expertibus loqui intendit, vt patet ex litera, & ex expositione à nobis circa ipsam adhibita) ideo est peculiaris difficultas; si essentia, vel quidditas v. g. alicuius Intelligentiæ, vel Angeli sit idem cum illo, vel non. Sed vt plene scire cupientibus satisfaciamus, de qualibet quidditate breuiter aliqua dicemus. Sciendum est itaque, duplicem esse quidditatem, videlicet rerum materialium, seu corporearum; ac immaterialium, seu spiritualium: dicantur autem nunc res materiales omnes corporeæ.

Aliud obseruandum est, quod quidditas ipsa est pura, & simplex natura, nullum accidens, nullamue proprietatem includendo, siuè sit vniuersalis, siuè particularis, vel melius, siuè consideretur in vniuersali, siuè in particulari; vt humanitas, vel hæc humanitas, aut equinitas, vel hæc equinitas solum humanitas, & equinitas sunt. Animaduertendum est etiam, quod quidditas ipsa potest comparari ad singulare, cuius est quidditas, & ad vniuersale, quod modo concreto pronuncietur, vt humanitas in ordine ad Petrum, vel ad hominem. Atque potest cogitari, vt eadem adæquate, vel inadequatè; quibus declaratis per tres conclusiones quæstioni satisfaciamus.

Prima. Quidditas rei materialis in comparatione ad singulare, cuius est quidditas, (vt humanitas in comparatione ad Petrum) non est idem cum ipso adequatè, sed benè inadæquatè. Probatur prima pars; nam quod est adequatè idem est conuertibile; non sic autem se habet quidditas respectu rei singularis; ergo.

Amplius; quamplura includuntur in singulari materiali indiuiduo, quæ sunt extra quidditatem ipsius, videlicet indiuidualis differentia, ac omnia accidentia, vel partes, quæ necessariò ad ipsius constitutionem, existentiam, & conseruationem requiruntur. Probatur secunda pars. Nisi quidditas esset idem, (sed inadequatè) cum illo cuius est; non diceret naturam eius, imò esset Idea Platonis. Amplius. Vnaquæque res est talis per suam essentiam: quomodo ergo potest non esse idem. Præterea. Prima cuiusque rei constitutio est eius essentiæ; ergo hæc est intimius, quod esse possit, & per consequens, idem.

Secunda conclusio. Quidditas rei materialis est idem adequatè cum illo, cuius est quidditas, vniuersaliter sumpto, vt animal rationale cum homine (debet namque quidditas concretè quoque quo ad fieri sumi, quod commodè efficietur per definitionem, vel aliud supplens: nam si accipiatur humanitas, v. g. non erit bona locutio.) Probatur itaque conclusio; nam homo in communi nihil aliud includit nisi, quæ ad essentialem ipsius naturam

naturam pertinent; hoc autem idem efficit eius quidditas; ergo. Imò hoc forte est etiam de mente Aristot. in præcitato textu, quod eius verbis mirificè consonat; nam in materialibus loquitur, & si ratione exempli, vt diximus, sumi possint; nec non quoniam vniuersalia per abstractionem fiunt suo modo immaterialia, provt conditiones quasdam singulares, & materiei proprias non continent.

Tertia conclusio. In ijs, quæ sunt penitus ex sua natura immaterialia, vt intelligentiæ, secundum mentem Aristot. idem est quidditas per se, & adæquatè cum ipsis. Probatur, quia præter naturam, vel quidditatem nullum accidens, aut aliud extraneum ipsi quidditati includunt, sed sunt puri actus. Sed nonne, si singulares sunt, (vt re vera sunt) differentiam indiuidualem, (quæ est extra quidditatem) includunt? Respondetur illam differentiam esse idem cum quidditate, sicut differentia constitutiua speciei est idem cum specie, & per consequens non facit aliquam diuersitatem, quatenus quidditas illa ipsam includit, nec alijs est communicabilis, vel plurificabilis. Veritatem tamen exactissimam habet cum prima Intelligentia, quæ est Deus; hic namque est purissimus, & summe simplex, de alijs autem Theologi ambigerent, & præsertim Scotus, qui Angelos in eadem specie multiplicari posse sustinet; sed philosophicè loquimur, & secundum Arist. quam viam ipse quoque Scotus secutus est.

QVÆSTIO VIII.

Sensitiuo igitur calidum, & frigidum iudicat.
Tex. 10.

An singulare sensibile sit per se ab intellectu cognoscibile.

TRadit nobis disserendi de hoc occasionem Aristot. qui à sensu hæc singularia sensibilia cognosci asserit, de quo & si aliqua in quæst. 2. primi Physic. diximus, hic quoque exactius (sed breuiter) determinandum est. Thomistæ itaque credunt, singulare sensibile per se intelligibile non esse, sed solum per reflexionem ad phantasmata, ipse namque intellectus (dicunt) primo vniuersalia cognoscit per proprias species, & immediatè, eas species à phantasmatibus ortum habuisse, & per consequens à singularibus percipit; & sic ipsa singularia per conuersionem, vel reflexionem solum, & quasi secundariò cognoscit, non autem per se, & directè. Quorum aliqua præcipua argumenta sunt hec. Primum. Quicquid per se cognoscitur ab intellectu passiuo, sibi ab agente ministratur; nam respectu ipsius dicitur patiens; at ipse agens solum abstrahit vniuersalia à singularibus; ergo passiuus solum vniuersalia per se cognoscit.

Secundum. In natura nihil est frustra; si ergo intellectus singularia per se cognoscit, frustra est sensus, qui circa eadem versatur.

Tertium. Species rerum sensibilium, & præcipuè singularium sunt quantæ, vt alibi dictum est; ergo recipi nō possunt, in subiecto nō quanto, sicut est intellectus, quia recipiens, & receptum commensurantur.

Quartum. Arist. 1. Phys. tex. 49. & in hoc libro tex. 9. atque 5. Metaph. cap. 11. singulare à sensu, vniuersale ab intellectu cognosci statuit.

Quintò. Diuersarum potentiarum diuersa sunt obiecta; at obiectum sensus est singulare; ergo idem non erit ipsius intellectus per se.

Pro intelligentia sit primò notandum, quod singulare dicitur cognoscibile dupliciter, videlicet cognitione abstractiua, & intuitiua; abstractiua cognoscitur, si ab omni eius existentia, cęterisq; accidentibus, quæ ad ipsam attinent abstrahatur, solum natura specifica cum differentia indiuiduali contrahente relicta; vt si consideretur Petrus, quatenus est homo quidam singularis, vel hic homó, nihil de existentia cogitando. Intuitiua, si cognoscatur, provt existens, quæ quidem duplex quoque esse potest; videlicet existentiæ solius, quæ naturam specificam includat, (non enim sine hac datur existentia) vel etiam omnium necessariorum accidentium, videlicet figuræ, quantitatis, qualitatis, &c.

Aliud obseruandum est, quod duplex est singulare, scilicet sensibile, vel materiale, & insensibile, vel spirituale; difficultas est de materiali tantum, nam eo, quod sensibile est, ad sensum pertinere videtur; immateriale autem magis cum intellectu proportionem habet: vnde de ipso non sic discordant Philosophi. Sed ad conclusionem deueniamus.

Prima. Singulare sensibile est per se cognoscibile intuitiua, & abstractiua cognitione intellectiua; probatur: nam omne ens est per se cognoscibile, vt alibi dictum est: at singulare est ens, siue in abstracto, siue vt existēs; ergo. Amplius. Quo magis aliquid habet actualitatem, eo est magis cognoscibile; sed sic habet singulare; siquidem, & differentiam indiuidualem (si sit abstractum) & existentiam, cum alijs accidentibus actualibus ad vniuersale addit; ergo. Præterea. Intellectus ponit differentiam inter vniuersale, & singulare; ergo vtrunque cognoscit. Pariter de singularibus ad vniuersalia inductionem facit, ac scientia, & intellectus practicus ad singularia terminantur. Imò, & quomodo, quid est ipsum singulare, vel abstractiuè, vel intuitiuè, determinari poterit nunc, & ab omnibus, nisi cognoscatur? Præterea. Quod est fundamentum, & origo cognitionis, maximè cognosci debet; sic autem se habet singulare. Amplius. Quicquid potest inferior potentia, potest superior, & plus; si ergo sensus potest singulare cognoscere, & hoc poterit facilius intellectus. Denique. A singularibus vniuersalia abstrahuntur; at ab eo, quod non cognoscitur, nihil abstrahi potest; ergo.

Secunda conclusio. Singulare non cognoscitur reflexè, sed immediatè, & per propriam speciem. Probatur; nam si propriam non haberent speciem, sed solius vniuersalis, iam ipsum non repræsentaretur; siquidem species est solum repręsentatiua illius, cuius est species; at cognoscitur vt ab vniuersali distinctum; ergo per distinctam speciem. Amplius. Neque ratio singularitatis, neque sensibilitatis, speciem propriam auferunt. Sed (cum sint entitates) adiuuant; ergo. Præterea. Dum qualibet cognitio à principijs incipit, ipsa principia primò, & per se cognoscuntur, sed omnis cognitio intellectiua incipit à singularibus sensibilibus; ergo hæc per se, & immediatè, non alio modo ab ipso intellectu cognoscuntur. Ad Argumenta.

Ad primum negatur minor; illuminat namque phantasmata, ac spiritualiora reddit, vt suo loco fusè dicetur.

Ad secundum negatur consequentia; nam intellectus indiget instrumentis, vt ex ipsis alia elicere possit; quare frustra non sunt.

Ad tertium dicitur, illas species purgari, & fieri spirituales, & intelligibiles, virtute intellectus agentis; vnde in patiente recipi possunt, & actione perfectiua, ac æquiuoca in ipsum agere.

Ad quartum dicitur, Arist. vniuersale solum intellectui tribuere; & sic dicitur esse circa vniuersale; vnde exclusio teneri debet circa obiectum, non autem circa potentiam, ita vt sit sensus; vniuersale solum ab intellectu cognoscitur, non autem, intellectus cognoscit vniuersalia tantum; sensus autem circa singularia; at quomodo, dicetur in sequentibus.

Ad

Ad quintum dicimus; maiorem esse veram de penitus disparatis, & eiusdem generis, non autem de subordinatis, vt alibi declaratum fuit.

QVÆSTIO IX.

Circa eundem Textum.

An obiectum sensus sit singulare, vel vniuersale.

QVod sit singulare videtur expressa sententia Arist. & in tex. 45. primo Post. & in 2. Phys. & 5. Metaph. & alibi sæpe; imò videtur iam connumeranda inter per se notas propositiones; videlicet intellectus est circa vniuersalia, sensus circa singularia.

Præterea. Actiones sunt suppositorum, seu singularium ex 1. Metaph. cap. 1. sed obiectum sensus agit in ipsum; ergo.

Amplius. Nisi sensus pro obiecto respiceret singulare, idem haberet obiectum cum intellectu; imò esset eiusdem virtutis; siquidem, & singulare, & vniuersale perciperet, sicut ille. Item. Omne quod existit per se in actu est singulare; at obiectum sensus sic existit; ergo.

Pro intelligentia sciendum est primo, quod in quolibet ente singulari in natura existenti, quod sub aliqua specie directè continetur, duo reperiuntur, videlicet natura ipsa speciei, & singularitas ipsius; vt in Petro est humanitas, & singularis, vel indiuidualis ipsius differentia; si enim esset humanitas tantum, non esset Petrus, sed natura quædam communis; pariter si ibi esset solum singularitas, non esset homo; imò nulla reperitur singularitas, quin sit alicuius naturæ communis contractiua; neque communis aliqua datur existens natura sine contrahente singularitate, aliter esset Idea Platonis. Id quod exemplificando diximus de Petro poterit cuilibet alteri, tam substantiæ, quam specifico accidenti aptari, vt in hac albedine, est natura specifica albedinis (nam includitur quidditatiuè in quolibet singulari,) & ipsa singularitas. Est itaque præsentis quęstionis difficultas, si sensus, dum proprium obiectum percipit, feratur in naturam illam communem cum singulari existentem, vel in illam singularitatem; ita vt vnus cognoscat colorem, provt color est; vel quatenus est hic color, vel singularis.

Secundò sciendum, quod in quolibet agente duo concurrunt, scilicet ratio, vel præcipua causa agendi, & conditio agentis: præcipua causa, vel ratio est virtus, vel forma ipsius; at conditio sunt aliæ dispositiones requisitæ, vt ratio agendi in homine est anima, conditiones sunt membra, ac dispositiones quamplures, & præcipuè singularitas; sicut enim separata non datur aliqua communis natura, sic quoque (quamuis esset agens, vel causa principalis agendi) nisi singularis existat, agere nequibit; & sic singularitas est conditio peculiaris agendi. Quibus habitis per duas respondeamus conclusiones.

Prima. Obiectum sensus non est aliquod singulare, sed natura communis (quæ habet vnitatem minorem vnitate numerali) quod est dicere, non esse ex se singularē formaliter, nec actualiter vniuersale completum, sed ad vtrunque indifferens, vt alibi dictum est, vt obiectum auditus est sonus in communi non autem hic vel ille, neque omnes collectiuè sumpti. Probatur. Nam vel est obiectum sensus, quatenus commune, aut quatenus singulare; si primo modo habetur intentum; si secundo, vel erit hoc singulare, vel illud, vel omnia simul collecta; sed provt singularia, & discreta sunt; non hoc, vel illud, quia non est maior ratio de vno, quam de alio; & si vnum esset obiectum, aliud non perciperetur; quia nihil percipitur ab aliqua potentia, nisi sub eius obiecto contineatur, non omnia simul collecta; quia cum nunquam simul omnia percipiantur, nunquam saluaretur ratio propria obiecti, quæ in quadam vnitate cum virtute motiua potentiæ consistit. Pręterquam quod: si aliud singulare adderetur, iam percipi non posset; nam excederet, vel esset extra adæquatum obiectum; neque dicatur, esse omnia singularia illius obiecti, siue existant, siue non: vnde nuper existens non variat; quia si ab existentia abstrahatur, vel non sunt amplius illa singularia, vel non ad sensum pertinebunt, quæ solum ad existentia fertur. Pręterea. Omnis motio est à natura, vel ab agenti naturali, seu forma; hæc autem non est singularitas; ergo. Amplius. Si potentia cognosceret suum obiectum sub ratione singularitatis, à quolibet alio singulari ipsum distinguere posset; hoc autem in multis est falsum; non enim visus radios diuersos Solis, aut plures mistos colores distinguit; ergo. Præterea. Vnius potentiæ vnicum est obiectum sibi proportionatum; at non potest esse vnum numero; ergo natura. Denique hæc est expressa sententia Arist. in 2. Post. c. vlt. circa finem; habet enim hæc verba, Sentitur etenim singulare, sensus vero ipsius vniuersalis est, vt hominis, sed non Calliæ hominis, quid clarius? Hanc quoque amplexus est Scotus 2. sent. dist. 3. q. 1. & alij quamplures.

Secunda conclusio. Sensus nihil potest percipere, nisi sit singulare, vel singularizatum; probatur; nam cum sit quantus, & organicus, non percipit, nisi res quantas; hę autem solum sunt singulares, & existentes; quamobrem singularitas est conditio necessaria obiecti, vt percipiatur. Amplius. Sensus realiter, & primò mouetur ab obiecto; hoc autem efficere non potest natura communis cum non detur separata; ergo requirit conditionem singularitatis. Præterea. Sensus, & intellectus differunt; ergo habent diuersos cognoscendi modos; at intellectus potest intelligere vniuersalia absque omni singularitate, vel existentia; ergo sensus id efficere nequit, & sic singularia percipit, aliter sibi adæquaretur. Ad Argumenta.

Ad primum dicitur, re vera semper sensum actualiter percipere singularia; & si ratio percipiendi non sit ipsa singularitas, vt dictum est: hoc autem sufficit vt vniuersaliter dicatur, sensum circa singularia esse; cui addendum est in modo percipiendi, vel sub hac conditione, non autem sub ratione obiecti, vt declarauimus.

Ad secundum dicitur, actiones esse suppositorum, vel singularium concretè; hoc est nihil potest agere, nisi sit singularizatum; sed præcipua agendi ratio est à natura cum singularitate iuncta.

Ad tertium dicitur. Sensum non percipere, nisi vniuersale remotum existens, & cum singularitate; at intellectus intelligit hoc, & non existens, & completum, & rationis, & omnia omnium sensuum, vnde patet discrimen.

Ad quartum dicitur, omne quod existit esse singulare per contractionem, vel vnionem, non autem formaliter, vel quidditatiuè; vt humanitas, quæ est in Socrate in se est humanitas tantum, licet ratione differentiæ indiuidualis, sit singularitati iuncta; & sic neque puram naturam communem, neque puram singularitatem percipit sensus; sed singulare, quod vtramque includit; sed ratio percipiendi est natura, conditio est singularitas, vt iam pluries dictum fuit.

QVÆ-

QVÆSTIO X.

Circa eundem Textum.

An singulare sit cognoscibile sub propria ratione singularitatis.

1. Arg. OMnia argumenta, quibus probauimus in quæst. 6. huius libri, singulare esse per se cognoscibile, adduci possunt ad demonstrandum, quod ipsum sit cognoscibile sub propria ratione singularitatis; quoniam, si cognoscibile est, vel cognoscitur, vt contra distinctum ab vniuersali, vel non; si primo modo; ergo sub ratione singularitatis; hæc etenim solum contra vniuersale distinguit; si secundo; ergo non cognoscitur, vt singulare, & sic malè ibi dictum fuit, quod cognoscatur. Amplius. Quid obstat ipsa singularitas cognitionibus; nũquid non continetur sub ente; non est actualitas, &c.? Oppositum tamen sustinet Scotus 2. sentent. d. 3. q. 11. & alibi. Distinguit tamen de cognitione, videlicet pro hoc statu, & pro alio; de alio non loquitur; quoniam cum ibi non sit ministerium sensuum (supponatur namque cognitio animæ separatæ) nullum erit impedimentum ad omnia cognoscenda. Sed difficultas est, pro hoc. An scilicet intellectus noster in corpore existens veram rationem singularitatis cognoscere possit, siue notitia abstractiua, siue intuitiua hoc est, an percipiat, singularitatem Petri, prout talis est, &c. Sit igitur de mente ipsius Scoti talis conclusio.

Conclusio. Singulare sub propria ratione singularitatis cognosci non potest, neque intuitiua, neque abstractiua notitia. Probatur. Quoniam omnis nostra cognitio ortum habet à sensu; ergo solum, quæ sibi ab ipsis ministrantur, sub ipsa cadunt. At singularitas sub propria ratione non potest elici ex sensibus, ergo. Probatur minor; nam à sensibilibus singularibus abstrahitur solum ratio speciei, & singularitatis in communi; possum namque considerare hominem particularem; sed quæ sit illa ratio singularitatis, cognosci non potest; nam licet apprehendatur, vt singularitas; non tamen vt hæc, & huius: imò singularitas, vt sic alijs quoque conuenit. Præterea si ex se cognosci posset; etiam distingui posset à quocunque alio; hoc autem falsum est; nam remotis extrinsecis accidentibus, vnum indiuiduum ab alio non cognoscitur; si etenim Petrus locum, situm, figuram, colorem, vocem, & cętera non haberet, seu si hæc omnia per quamcunque potentiam in alio ponerentur; ipse non cognosceretur, vel alter pro ipso sumeretur, etiam relicta actuali numerali ipsius differentia. At posset dici, quod ex illis accidentibus, cognosci potest singularitas, sicut ex ipsis cognoscitur quoque substantia. Sed hoc non est verum, nisi sub ratione communi singularitatis, non autem vt hæc. Sed quæritur, quomodo singulare abstractiuè cognosci possit, vel quæritur, si cognoscitur, cum singulare, & abstractum opponantur. Respondetur; cognosci abstractiuè singulare est, si eius vera singularitas sub propria ratione perciperetur, quamuis non existeret. Intuitiuè si existeret; vnde abstractiua opponitur intuitiuæ notitiæ, non autem vt vniuersalis singulari. Amplius. De principio indiuiduationis sunt maximè, & ferè inestricabiles difficultates, ita vt vix intelligi possit determinatio, & tamen solum de singularitate in communi quæritur; ergo multo minus id cognosci poterit circa particularem. Cognoscimus itaque singularia sensibilia, & intelligibilia, sed non sub propria ratione singularitatis particularis, sed modo indeterminato, & vago, ac per propria sensibilia accidentia, vt tradit quoque Porphyrius in cap. de specie; & hoc pacto distinctè ipsa cognoscere dicimus, prout idem valet distinctè, quod non cum alijs; sed non prout sonat adæquatè, vel perfectè secundum omnem modum cognoscibilitatis; quare, & definitiones rei singularis est communis, & aliæ cognitiones sunt per accidentia, de quibus modis non quærimus; non enim est difficultas, si cognoscamus aliquem hominem, vel Petrum, aut indiuiduum differre ab vniuersali; sed quæ sit singularitas adæquata Petri, quæ Francisci, &c. si dicatur Petreitas; erit ignotum per ignotius exponere; si dicatur, singularitas, vel differentia sua; de hac quærimus, quod sit; nam sic singularitas est communis. Sed Argumenta soluamus.

Ad primum dicitur, cognosci quidem singulare, vt contra distinctum ab vniuersali: ergo sub propria ratione singularitatis; negatur consequentia; nam (à simili) cognosco hominem distinctum ab equo; non tamen opus est eorum differentias exactè cognoscere, vt accidit rusticis.

Ad secundum dicitur, ipsam singularitatem ex se esse intelligibilem, & contineri sub obiecto adæquato intellectus, sub ratione potentiæ, quod est ens; attamen non oportet, vt pro hoc statu attingi possit; quia ex sensibilibus non potest elici; quare difficultas, vel impossibilitas cognoscendi est ex parte nostri intellectus, non autem ex parte rei.

QVÆSTIO XI.

Circa eundem Textum.

An substantia sub proprio quidditatiuo conceptu sit à nobis cognoscibilis.

ARguitur primò, quod sic; quod per veram definitionem est cognoscibile, proprio, & quidditatiuo conceptu cognosci potest; substantiæ autem quam plures sic se habent, vt de homine præsertim notum est; ergo.

Secundò. Si substantiæ hoc modo non cognoscerentur, omnis vtique scientia periret, quod quidem falsissimum est. Probatur consequentia; quoniam scientiæ sunt per causas proprias, & immediatas, & præcipuè per formales, quæ ad quidditatem potissimum attinent; ergo, si hæ non cognoscerentur, neque ipsæ substantiæ cognosci possent; & per consequens neque accidentia; nam à substantia, & in esse, & in cognitione dependent.

Tertiò. Ex primo de Anima; accidentia conferunt ad cognoscendam magnam partem ipsius, quod quid est, & ex primo Post. de subiecto, oportet præcognoscere quid est, & si est; quamobrem quidditates cognosci possunt; nam si accidentia conferunt, sequitur, quod alio modo ipsarum cognitio possit suppleri; ad impossibile namque nihil dicitur conferre.

Substantias esse quidditatiuè cognoscibiles, sic nimirum quod essentialia, vel quidditatiua prędicata sibi tribuere possimus, nemo est, qui eat inficias; si quidem omnibus principijs repugnaret; at, quod immediata essentialia vera prædicata, earum pro hoc statu cognoscantur, nemo optimè defendere poterit; quamobrem Scotus 1. sentent. dist. 3. quæst. 3. negatiuam partem meritò defendit: cuius sententia ex eisdem principijs corroborari potest, & primò sic. Cùm omnis nostra cognitio ortum habeat à sensibus, & hi solum ab accidentibus, primò per species sensibiles moueantur, non poterit intellectus, naturam specificam, & quidditatiuam substantiæ

stantiæ

ſtantiæ cognoſcere; nam ipſa accidentia (quicunque adhibeatur alter diſcurſus, vel abſtractio) ad cognitionem prædictam inducere nequeunt.

Amplius. Sumantur omnes definitiones (vna duntaxat hominis excepta; ſi tamen excipienda eſt) nullius adæquata, & propria apparebit eſſentialis differentia: ſed vel paſſiones, vel effectus, vel quamplura in multis diſperſa accidentia. Confirmatur; nam Ariſt. in 2. Poſt. definitionem ex multis differentijs, quouſque definitum adæquetur, conflandam eſſe ſtatuit; ac ſi daretur aliqua immediata, & adæquata fruſtra atque ſuperfluum eſſet, alias addere. Præterea. Si aliquid per ſe quidditatiuè perfectè cognoſcitur, remoto quocunque alio cognoſci poſſet; at remotis effectibus, & accidentibus à ſubſtantia, nullatenus cognoſceretur, ergo. Verum eſt tamen, quod quandoque veram, & quidditatiuam definitionem vocamus eam, quæ adæquatè cum definito conuertitur, quamuis per diuerſa, & multa aggregetur prædicata; nec non dicitur propria, & vera, quatenus nec falſitatem continet, nec alteri conuenit; quæ quidem (prout hominibus datum eſt) nata eſt eo modo, quo poteſt eſſe ſufficiens principium humanarum ſcientiarum, vel hominibus poſſibilium; nec etenim habetur perfecta ſcientia in hoc ſeculo, vt dictum eſt in quæſtione prima Proœmiali primi Phyſicorum; patet igitur quid dicendum ſit. Sed ſoluamus Argumenta.

Ad primum negatur minor; imò ſiſtendo in propoſito, negari poſſet eã hominis definitionem eſſe verè quidditatiuam, & immediatam; licet ſit è melioribus, quæ tradi poſſint; nam rationalitas ipſa, quæ propria à nobis videtur differentia, nec bene eſt comperta, quid, vel quomodo ſit; neque eſt notiſſimum, ſolum homini conuenire, ſiquidem intelligentiæ ſint quoque rationales; & quamuis aliqui eas ſolũ intellectuales appellent, & quod intelligãt ſine diſcurſu (quem eſſe proprium rationis putant) hoc non eſt ab omnibus conceſſum, & per conſequens eſt probandum; at ſi probatione indiget, inter notiſſima connumeranda non eſt.

Ad ſecundum patet ex præcedentibus; ſat namque eſt ad noſtram ſcientiam, noſtro modo per ea, quæ poſſumus principia cognoſcere.

Ad tertium eodem modo reſponderi poteſt; cognoſcimus etenim, quod quid eſt, atque accidentia ad hoc conferunt, ſed tamen non eſt ita immediatum, vt quærimus, ſed vt poſſumus cognoſcere.

QVÆSTIO XII.

Quomodo intelliget ſi intelligere pati quoddam eſt. Tex. 12.

An intellectio, volitio, &c. ſint qualitates, vel actiones, aut aliud quid.

INcidentaliter alibi de propoſita quæſtione verba fecimus: attamen quia aliquas continet ſoluendas difficultates, ex profeſſo pertractanda eſt. Quod igitur non ſint qualitates (vt ſuſtinet Scotus in quolib. quæſtio. 13. 1. Arg. art. 1.) Probatur. Nam quod habet eſſe ſucceſſiuum, non eſt qualitas, ſed motus, vel tempus; hæc namq; duo tantum entia ſucceſſiua ſunt: hæ autem ſic ſe habent, vt notum eſt; ergo.

2. Arg. Amplius. Ariſtoteles eas vocat paſſiones in præallegato textu, & alibi.

3. Arg. Præterea, Ad qualitatem eſt alteratio; ſed ad has non eſt, vt habet Ariſt. in 7. Phyſ. tex. 20.

4. Arg. Denique. Quo in aliud formaliter, vel immediatè operamur eſt actio; ſic autem operamur per iſtas, puta in obiectum; ergo. Imò ab omnibus vocantur actiones immanentes; & præſertim à Gilberto Porretano in genere actionis collocantur.

Pro intelligentia ſciendum eſt, quod aliquid ſecundum diuerſas rationes, vel reſpectus, diuerſas quoque ſortiri poteſt denominationes, & ſi in vnico eſſe natura ipſius conſiſtat; verbi gratia, aliquid eſt cauſa, & effectus, reſpectu diuerſorum, pater, & filius, ſimile, & diſſimile, agens, & patiens, &c. pariter de prædictis philoſophari poſſumus; nam qualitates, & paſſiones, & actiones, & relationes, (diuerſa tamen ratione) eas appellare poſſumus; ſed ratio vel natura ipſarum fundamentalis qualitas eſt; reliqua ſunt, vt addita, vel ſecundum effectum, aut ſimilitudinem; quod itaque formaliter ſint qualitates (reliqua poſtea declarabimus) probatur.

Primo. Vera, & nobiliſſima perfectio viuentis in qualitate conſiſtit; at hæ ſic ſe habent; ergo. Probatur maior; nam qualitas eſt veluti forma cuius proprium eſt perficere. Concluſio.

Amplius, actio quatenus talis eſt, non eſt niſi in fieri, & ad aliud terminatur; ergo non poterit complere perfectionem, in eo, cuius dicitur actio; quamobrem qualitas eſſe debet; nam hæc eſt forma illius cuius eſt qualitas. Sed contra; nam Ariſt. 2. Phyſic. tex. 58. fęlicitatem vocat non qualitatem, ſed actionem; ergo prædictæ rationes nihil concludunt. Reſpondetur, vocari actionem per concomitantiam, & ne crederemus, omnes qualitates, licet bonas eſſe fęlicitatem, ſed quæ ſunt vitales, & intellectuales, quę cum applicatione, & conatu animæ, & per conſequens cum actione fiunt; vnde ad differentiam aliorum qualitatum actiones quoque dicuntur, vt dicetur.

Præterea (ad principale) diſpoſitio eſt qualitas; at hæ ſunt verè diſpoſitiones; nam per intelligere, velle, ſpeculari, &c. ad ſcientias habendas diſponimur. Amplius. Actio eſt ſecundum quam in id, quod ſubijcitur agere dicimur: ſic nimirum, quod aliquid patiatur, verè; hoc autem ad rem non accidit; ergo. Denique. Actio & paſſio ſunt cum motu reali, vt dictum eſt in 3. Phyſic. hæ vero nullum huiuſmodi motum includunt; ergo, imo quieſcens anima fit ſciens, & prudens ex 7. Phyſic. tex. 20. ſunt itaque qualitates perfectiuæ ſpirituales, ac vitales animæ; ſed quid dicendum de ſenſationibus, vt eſt audire, videre, &c. Reſpondetur eiſdem rationibus ad prædictas reducendas, ac etiam qualitates appellandas eſſe; ſi quidem (& ſi non ita perfectè) perficiunt. Dicuntur autem actiones triplici de cauſa, prima; quia non acquiritur naturaliter, vt aliæ qualitates, ſimul videlicet cũ ſubiecto vel per præcedentem operationem; ſed ipſæmet immediatè ab agente fiunt, ac nullam aliam actionem ſupponunt. Secunda; quia ſicut actiones, ſolũ operante agente perſeuerant: ita hæ quoque ſe habent, vel conſiſtunt in fieri, ſicut actiones. Tertia; nam reſpiciunt terminum, vel obiectum, quemadmodum actiones ſuum verum, & cum nihil extra agens producant, dicuntur immanentes; & hac de cauſa ad diſtinctionem aliarum qualitatum; & quia à principio vitæ fiunt, conſuetum eſt eas potius actiones, quam qualitates appellare. Dicuntur quoque paſſiones, & præſertim paſſim ab Ariſtot. ſed habito reſpectu ad obiectum; ab ipſo namque potentiæ (quarum hæ ſunt qualitates) motæ ad eas producendas excitantur; quamobrem, cum recipere ſit pati, & hæ fieri nequeant, niſi per receptionem ſpecierum ab obiecto; paſſiones per concomitanciam appellantur: Vocantur quoque relationes, prout ad obiectum ſemper referuntur; vt viſio eſt alicuius viſibilis, vel ad aliquod viſibile, intellectio ad intelligibile, &c. atque Ariſt. in 7. Phyſ. hac de cauſa ad eas non eſſe per ſe motum aſſerit; vt illic declarauimus. Sed ſoluenda ſunt Argumenta.

Ad

Ad primum dicitur, entitatem verè successiuam dici, cuius pars post partem acquiritur; ita nimirum, quod in prima parte non cótineatur tota perfectio, sed per aliam in progressu acquiratur, (vnde motus semper est actus entis in potentia) quo pacto solū motus, & tempus sunt entia successiua. Alia verò licet consistant in fieri, quatenus ab agente, & obiecto dependent; habent tamen statim totam possibilem perfectionem, & per continuationem non aliam acquirunt, sed solum perseuerantiam: & hæc non sunt verè successiua, & si dicantur in fieri; sic autem prædictæ qualitates se habent (nam intellectus in principio, sicut in progressu æquè cognoscit, visus videt, &c.) quibus aliæ quoque connumerari possunt, vt illuminatio, &c.

Ad secundum patet: & Arist. specialiter eas vocat passiones respiciendo obiectum à quo excitantur, & de quo erat difficultas.

Ad tertium dicitur ad istas esse alterationem perfectiuam, quæ dicitur alteratio secundum quid; neque id negat Arist. sed solum de corruptiua loquitur, vt ibi est videre.

Ad quartum iam responsum est; illa etenim ratione actiones dici possunt; sed alia, & præcipua sunt qualitates. Atque à Gilberto non collocantur simplieiter in prædicamento actionis, sed de multiplicitate actionis loquens ad æquiuocationes tollendas, distinctionemq; afferendam, de his qnoque mentionem facit.

QVÆSTIO XIII.

Quoniam autem in omni natura, est aliquod, &c. Tex. 17.

An ponendus sit intellectus agens, & quæ sint eius munera.

IN magna circa hoc opinionum varietate, quid probabilius videtur, breuibus seligam. Quo igitur ad primam partem, non desunt, qui penitus è medio intellectum agentem auferendum esse putent; inter quos est præcipuè Durandus 1. senten. d. 3. q. 5. & alij quamplures. Quorum potissimæ rationes sunt illæ.

1. Arg. Prima. Non datur sensus agens ad producendam sensationem; ergo neque dari debet intellectus ad producendam intellectionem. Antecedens patuit in præcedentibus; consequentia probatur; quoniam sicut intellectus est efficacior sensu, sic absque multis adminiculis potest ad suum finem peruenire.

2. Arg. Secunda. Si daretur intellectus agens, ideo esset, ne idem simul ageret, & pateretur; at hoc in actionibus, & passionibus æquiuocis non est inconueniens, vt alibi visum est; nam idem potest se ipsum mouere, intelligere, diligere, &c.

3. Arg. Tertia. Hic intellectus poneretur ad operandum circa phantasiam, vel circa intellectum possibilem; non circa phantasiam, quia produceret in ipsa aliquid materiale, vel aliquid immateriale; non primum, quia nihil prodesset; ex eo namque assignatur intellectus agens, vt efficiat res immateriales, ac intelligibiles, vel spirituales, neque secundum; quia cum phantasia sit organica, & corporea, non est capax, vel receptiua alicuius immaterialis; nam recipiens, & receptum proportionari debent. Neque est ponendus propter intellectum passiuum; quoniam ipse de se est sufficiens recipere speciem intelligibilem à quocunque, & præsertim ab obiecto, à quo sufficienter causatur; vnde dicitur in Textu, eius proprium esse omnia fieri, idest omnia recipere. Hæc autem opinio quamuis improbabilis non sit, attamen est contra Arist. & contra communem iam ferè ab omnibus receptam sententiam.

1. Concl. Quod itaque detur intellectus agens, probatur. In omni actione naturali requiritur agens, & patiens, secundum debitam proportionem; at intelligere est actio naturalis; ergo sicut datur patiens intellectus, sic quoque dari debet agens; Sed posset responderi: agens esse obiectum, ideo superuacaneum esse intellectum hunc; contra; nam obiectum non excedit quidditatem sensibilem, vt alibi visum est; hæc autem cum sit materialis, & quanta, non poterit ex se agere in intellectum possibilem, qui est spiritualis, & indiuisibilis; quamobrem per agentem fit proportionatum, vt melius; dū de eius muneribus dicemus, patebit. Amplius. Principium actiuum, & passiuum non sunt penitus idem; sed cum vtrunque ad intellectionem concurrat, habetur intentum.

2. Concl. Hic autem intellectus non distinguitur realiter ab anima, neque à passiuo, sed formaliter tantum; probatur; quoniam nulla potentia distinguitur realiter ab eo cuius est potentia, eo modo, quo in proprio quæsito determinatum est. Amplius contingeret, animam esse sine intellectu, vel hunc sine illa; quorum vtrunque est absurdum. Præterea. Differentia non distinguitur realiter ab illo, cuius est differentia; sed intellectus hic est differētia animæ nostræ magis, quam possibilis; ergo. Præterea. Secluso quocunque extraneo, vel realiter distincto, data quoque præsentia obiecti, vt decet, anima rationalis potest se sola intelligere, vel non; si potest, iam intellectus ab ipsa non est realiter distinctus, quia per intellectum intelligit; si non potest: ergo non est per se, & ex sua natura intellectiua, sed per aliud, & hoc forte volebat Durandus.

3. Concl. Quoad secundam partem. Tria sunt munera ipsius intellectus agentis; scilicet illustrare phantasmata, efficere species intelligibiles, & ad intellectionem concurrere. Pro intelligentia primi, & secundi sciendum est; species sensibiles, singulares, & suo modo materiales recipi in phantasia; hæ autem sic se habentes, ex se non sufficiunt mouere intellectum possibilem, quia materiale, & quantū in spirituale agere nequit; quamobrem indigent illuminatione, seu quod ad esse magis spirituale reducantur; intellectus igitur agens veluti Sol suo lumine, & operatione ipsas ad esse spirituale reducit; ita nimirum quod ex esse potentiale, & materiale eis spirituale, & intelligibile tribuat; quamobrem non remanent amplius species sensibiles; imò illo esse dimisso, virtute agentis intellectus quasi nouæ formæ ex potentialitate, vel materia phantasiæ eductę nouum esse sortiuntur, nec amplius in ipsa phantasia resident, sed in intellectu possibili recipiuntur; vnde actioni intellectus agentis in producendo species has intelligibiles, respondet passio, vel harum receptio possibilis. Sed quomodo hæ species de phantasia in intellectum transeunt? Respondetur, esse vnam animam, quæ simul omnes vires iunctas habet; vnde nullus est verè transitus, nisi secundum nostrū modum intelligendi. Ex dictis duæ iam declaratæ sunt intellectus agentis operationes; videlicet illuminatio, & productio specierum intelligibilium, quæ forsitan melius vna duntaxat diceretur, sicut pro vna numeratur actio, quæ dispositionem, & complementum includit; verum vt communem sequeremur consuetudinem, sic distinguere libuit. Tertia operatio, vel munus, est concurrere actiuè ad intellectionem producendam; nam ipse simul cum specie intelligibile agit in intellectum possibilem repręsentando obiectum cognoscibile, & hoc est actiuè ad intelligendum concurrere; quare talis est ordo, quod intellectus agens, sit causa actiua præcipua intellectionis; obiectum in speciebus repræsentatiuum sit pariter actiua, sed minus principalis; possibilis passiua, & recipiens: ipse itaque passiuus intellectus, dicitur talis duplici de causa, & quia recipit species intelligibiles, &

quia

quia recipit pariter intellectionem, ad quas necessariò concurrit; & quoniam accidentia denominant, potius subiectum, in quo existunt, quam agens, à quo producuntur, hinc est, quod ipse passiuus dicitur intelligere potius quam actiuus. Quod autem ipse intellectus actiuus ad intellectionem concurrat; probatur; nam eius est omnia facere; quod quidem non esset, nisi ad intellectionem concurreret. Amplius; assimilatur arti ex tex. 17. & ars est, quæ facit formas artificiales in materia. Præterea, dicitur nobilius passiuo, quod quidem nullatenus esse posset, si solum velut instrumentum ad intelligendum concurreret, atque actione vitali, quæ est intelligere, careret. Præterea. Omnes concedunt, abstractionem à singularibus esse operationem eius; ergo ipsa singularia intelligit. Verum quia omnes istæ operationes terminantur, & recipiuntur vltimatè in intellectu possibili, hinc est, quod verè dicere nequimus, quod ipse faciat ea, quæ sunt potentia intelligibilia, actu intellecta; quia sic superfluus esset intellectus possibilis; sed quod fiant actu, intelligibilia. Sed contra; nam intelligere est actio immanens; si ergo esset ab intellectu agente, & reciperetur in patiente, iam esset transiens. Respondetur, quod hoc esset verum, si illi duo intellectus realiter differrent, quod quidem falsum est; nam sunt vnus, & idem realiter, duas habentes vires. Ad Arg. principalia.

Ad primum negatur consequentia; nam sensus, eo quod est materialis, & quantus, potest statim ab obiecto moueri; non sic autem intellectus, ideò indiget auxilio, & lumine.

Ad secundum dicitur; illam non esse rationem præcisam; sed alias supra assignatas; nempe illustrare phantasmata, producere species, &c. quæ à passiuo fieri non possunt.

Ad tertium dicitur; quod ponitur propter vtrunque, neque in phantasia, sed ex phantasia species immateriales educuntur, nec in ipsa, sed in intellectu possibili recipiũtur; qui quidem non ex se potens est ab omni obiecto immutari, vt dictum est. At quæritur, quomodo ex re materiali possint educi species immateriales; respondetur, id non esse inconueniens virtute agentis nobilissimi; vt ex vilissima materia, præstantissimæ educuntur formæ; præsertim cum non sint ita spirituales, vt actionem agentis, & captum recipientis superent.

QVÆSTIO XIIII.

Circa eundem Textum.

An intellectus agens sit vnus numero in omnibus hominibus.

QVæstio hæc si ad præcedentia conferatur, nullam continet difficultatem; ex eo namque, quod omnem animam formam informantem, ac omnes formas singulares, & proprias respicere materias, potentiasq; non distingui realiter ab anima statuerimus, consequens est, vt ipse intellectus hoc pacto se habeat, vel animam cuius est potentia sequatur. Attamen quia auctoritas Auerrois non est parui apud Philosophos momenti, neque sic indicta causa iudicanda, propter ipsam aliqua de hac re differamus. Ipse igitur in hoc 3. de Anima com. 5. intellectum, hunc agentem separatum, seu assistentem ponit, ac vniuersalem, vel vnum omnibus hominibus conuenientem; ita vt distinctionis gratia, sic eius positio explicari poterit. Dicit ergo, homines quoslibet singulares, propriam vel peculiarem habere animam informantem, per quam à se inuicem, & à brutis essentialiter distinguuntur; quam quidem animam cogitatiuam ab hac vltima perficiente potentia vocat; atque organicam, corruptibilem, & ex potentia seminis eductam putat, cuius munus, vel vis sit solum singularia sensibilia cognoscere, quodam tamen nobiliori modo, vel magis distinctè quam bruta, vnde proximè ad intellectum accedat. Post hanc ponit aliam assistentem (vt intelligentiæ cęlis) quæ sit intellectiua, sempiterna, & vna in omnibus, ita videlicet, quod sit veluti causa vniuersalis actiua intellectionis; & quemadmodum causæ vniuersales cum particularibus concurrunt, neque hæ sine illis agere possunt; sic neque fiat ab homine intellectio, nisi disposita cogitatiua veluti materia, & intellectus hic cum ipsa concurrat, & eo quidem modo, quo nos quoque dicimus, non intelligere aliquid intellectum sine conuersione ad phantasmata, & istis dispositis intelligere; sic de assistente hoc secundum ipsum philosophari, vel potius paralogizare debemus; quamobrem vnus secundum existentiam, plures ratione causandi, vel vniuersalis nuncupatur; ratione inquam causandi, prout ad diuersas hominum intellectiones concurrit, secundum quas plures quoque dicuntur intellectiones: quemadmodum ab vna causa vniuersali, vnaque eiusdem operatione plures fiunt à particularibus particulares denominationes. Sic itaque breuiter, & facili quo potui modo explicata sit hæc inintelligibilis positio. Quam ante ipsum habuit Themistius, sed cum hoc discrimine, quod intellectus esset essentialiter homo, quod quidem non recepit Auerroes. Quod itaque intellectus sit vnus numero, in omnibus his argumentis probatur.

Primum. Aristot. primo de Anima tex. 82. ait intellectum, esse antiquissimum, & secundum naturam dominum; ergo, non producitur, & sic est sempiternus, &c. 1. Arg.

Amplius, in præcitato textu 20. dicit, hunc solum esse diuinum, & separabilem; ergo à corpore independens, & non multiplicabilis est; quoniam entia diuina, & incorruptibilia non sunt multiplicabilia. 2. Arg.

Atque 2. de anima tex. 21. asserit, non esse actum corporis, ac in 2. de gen. anim. cap. 3. de foris venire, quæ informanti competere nequeunt. 3. Arg.

Rationibus quoque sic idem probatur, prima. Omnis forma, quæ informat correspondet materiæ; at intellectus non sic se habet, quoniam vtique esset, quantus & extensus; ergo. 4. Arg.

Secunda. Infiniti essent, vel fierent intellectus, vt homines in infinitum multiplicantur. 5. Arg.

Tertia, si intellectus esset singularis, non posset cognoscere vniuersalia; ergo est vniuersalis; consequentia patet; nam cognoscens, & cognitum proportionem habent. 6 Arg.

Quarta. Omnis forma, dependet à materia: at hic non dependet; ergo. 7. Arg.

Quinta. Quorum est eadem penitus indistincta cognitio, & eodem modo, vnus est eorum intellectus; at sic se habet cognitio principiorum respectu omnium; siquidem eodem modo ab omnibus cognoscuntur; ergo. 8. Arg.

Sexta doctio non est actio actiua; attamen per ea addiscitur; ergo hoc non aliunde euenit, nisi propter vnitatem intellectus docentis, & addiscentis. Quamplura alia argumenta diuersis in libris videri possunt. At quod non ita res se habeat (præter rationes quas adduximus de informatione animæ, quæ directè huic quoque difficultati aptari possunt) alias peculiares adducamus. Prima. Si intellectus hic non esset verè forma, vel potentia ipsius, nullatenus homo diceretur rationalis, vel intellectualis: Probatur; quia à causa extrinseca, & vniuersali non fit particularis, & intrinseca, vel essentialis denominatio. Secunda; homo ipse non esset liber; quare nec merita, nec demerita sibi tribuenda essent; probatur antecedens; nam ratio operandi sumitur ex propria forma; hæc autem est pura cogitatiua secundum ipsum; 9. Arg. Conclusio.

quæ

quæ eum formaliter intellectum non includat, nec sequentes habebit operationes. Tertia. Arist. 12. Metaph. tex. 17. ait formam informantem esse simul cum effectu præter mentem, vel intellectum; ergo ponit ipsum esse formam. Aliqui addunt, quod eodem modo omnes essemus docti, omnia intelligeremus simul, ac in somnis, &c. Sed in hoc crassa philosophantur minerua; diuersitas namque omnium horum (responderet Auerroes) ex diuersitate aliarum causarum, nempe cogitatiuæ accideret, sicut ex diuersis secundarum causarum dispositionibus diuersimodè vniuersalis modificatur, vel impeditur. Sed ipsius Arg. soluamus.

Ad primum dicitur, intellectum vocari antiquissimũ, & dominum secundum Empedoclem; hic namq; sic eum ponebat; & tamen ab elementis contineri affirmabat; quamobrem eum in redargutionem inducit.

Ad secundum dicitur, vocari diuinum, & separabilem, prout à materia non pendet; & per idem dicitur, non esse actum corporis, vel non habere organum determinatum; & pariter hac eadem de causa, vel quia non educitur de potentia materiæ, dicitur deforis venire, vnde solutum est etiam tertium.

Ad quartum dicitur, intellectum respondere materiæ ratione vnionis, coniunctionis, & informationis, licet non secundum quantitatem, quod non est necesse.

Ad quintum dicitur, non fore infinitos simpliciter, sed in fieri, quod non repugnat.

Ad sextum negatur consequentia; sufficit namque, quod sit spiritualis, & per species intelligibiles singulares in essendo, & vniuersales in repræsentando cognoscat.

Ad septimum dicitur, maiorem esse veram de forma ex vi materiæ educta.

Ad octauum negatur minor; sunt enim plures cognitiones numero distinctæ ab eodem notissimo obiecto procedentes.

Ad nonum negatur assumptum; per actionem namq; sit ministerialis perfectiua dispositio in discente, etsi intellectus eius sit principale agens.

QVÆSTIO XV.

Circa eundem. De Animæ rationalis immortalitate.

PRoposita inter omnes arduissima difficultas, & secundum mentem Arist. & secundum rationes Philosophicas, secundum fidei catholicæ veritatem pertractari potest. Sed vt omnia sine confusione pro posse ab adolescentibus breuiter percipiantur; sciendum est primo, quod quamuis Arist. re vera dubius circa hoc videatur, vt optimè docet Scotus in 4. sent. d. 43. q. 2. ac quamplures ipsius sectatores egregiè defendant; mihi tamen ipsum ad affirmatiuam partem trahere duplici de causa libet, altera est, quia magis ad hanc inclinare videtur, vt ex ipsius verbis patebit; secunda, quod cum tantæ sit apud omnes auctoritatis, atque tyrones facilè ipsius doctrina veluti irrefragabili imbuantur, quod ipse dubium asserit, simpliciter incertum esse asserere, non pertimescent; Secundo sciendum, quod Philosophia est cognitio certissima rerum per causas; quamobrem si veritatem ipsa dicat, quicquid oppositum ipsi pronunciabitur, falsum erit; vnde si ipsa, animam mortalem constituet, & oppositum docet Fides, errabit; vel Philosophia esset opinio, vel error; quoniam igitur veritas veritati non contradicit, ac pro vera recipitur Philosophia, certissimaque, & impermutabilis veritatis est fides; quod ab vna determinatur, secundum alterius principia esse statuendum est. Sic itaque, & Arist. dicta, & rationes, quæ possunt pro tuitione naturaliter fieri pro immortalitate animæ concludendo adducam, quæ vt magis innotescant de more oppositas prius apponam ab Aristotel. auctoritatibus incipiendo. Sed priusquam id aggrediar animaduertendum, & nunc, & sæpe, & pro me, & pro alijs moneo, omnes adducendas auctoritates quamuis ex fontibus Arist. elicitas à quamplurimis alijs adduci; neque etenim ego solus ipsum perlegi, vel obseruaui; non tamen (quod sæpe inertes putant) ex alienis scriptis rescribuntur. Quod itaque ipsa sit secundum Aristot. mortalis, probatur primò ex vltimo Textu primi phys. De physicis namque, & corruptibilibus formis in posterius se tractaturum asserit; at inter formas præcipuè agit de hac rationali; ergo.

Secundò, in 2. physic. textu 12. formam non esse separabilem à materia nisi per intellectum enunciat; ergo non est anima rationalis separabilis à corpore, & per consequens neq; immortalis. Idem confirmat 4. phys. tex. 17.

Tertiò. Moueri secundum accidens corruptibilium est solum; ex 8. phys. tex. 52. At anima rationalis sic mouetur, nempe ad motum corporis; ergo.

Quartò. Ex primo de Anima tex. 13. habetur, quod si sine imaginatione intelligere nequeat, non erit separabilis; & in hoc libro, tex. 39. affirmat, oportere intelligentem phantasmata speculari, quod est per imaginationem intelligere; ergo.

Quintò. Ex hoc tertio tex. 20. intellectus passiuus dicitur corruptibilis; hic autem est potentia animæ nostræ, & idem realiter cum ipsa.

Sextò. In 6. phys. probat Aristot. nullum indiuisibile posse moueri; at anima rationalis est indiuisibilis; ergo separata esset immobilis, & sic in natura otiosa.

Septimò. In 2. Met. textu vlt. habet partes formales compositi non remanere; sed elementares, vel materiales tantum; at anima est pars formalis; ergo.

Octauò. Ex primo de cælo pluribus in locis, & præsertim tex. 102. & 126. habetur, omne quod incipit esse, desiturum esse; at anima rationalis incipit; ergo. Nunc rationes adducamus, & sit causa ordinis nonum arg.

Nonò igitur. Nihil potest manere sine suo prædicato quidditatiuo, & essentiali, vt homo sine animali, &c. at si anima separari posset, sic maneret; probatur, quia quidditas, vel primum genericum prædicatum eius est actus; at tunc actus non esset, quia actus alicuius dicitur, & est actus, puta corporis; neque dicatur, esse actum in potentia; vel non esse actualiter actum; quia est implicatio; & quemadmodum non possumus dicere esse hominem, & non esse actualiter animal, sic esse animam, & non esse actualiter actum.

Decimò. Forma, & materia adinuicem referuntur, ex 2. phys. tex. 26. quæ autem sic se habent, vnum sine altero esse non potest.

Vndecimò, vel maneret extra corpus naturaliter, vel præter naturam; non primo modo; quoniam sic hominis interitus esset naturalis; seu à natura intentus, quod est falsum, quia natura non intendit malum; præterquam, quod, pars vel dimidium hominis non manet naturaliter sine toto ad quod ordinatur. Non præter naturam; quia nullum tale est perpetuum.

Duodecimò. Si anima à corpore separata manere posset; vel melius se haberet, vel peius, naturaliter loquendo. Si melius: ergo melior, ac eligibilior esset mors, quam vita; nec sicarij, aut se ipsos interficientes, damnandi essent. Si peius; hoc à natura non intenderetur, quia finis eius est optimus.

Tertiodecimò. Intelligere non fit sine phantasmate, vt supra dictum est, & in sequenti dicetur: sed post mortem phantasia, ac alijs quoque organis carebit: ergo non intelliget: ergo erit otiosa.

Quartodecimò. Cum sit creatura, alicui subdet potestati, & præsertim diuinę: vnde pęnas, & præmium secundum operationes malas, vel bonas recipiat; at nullum

incorruptibile, & spirituale est passibile; ergo pœnas pati non posset, & sic Dei iustitia frustraretur.

Quintodecimo posset naturaliter dari resurrectio mortuorum, quod est contra Fidem, & Philosophiam. Probatur consequentia; quoniam cum ipsa anima rationalis sit essentialiter libera, ad libitum posset corpus ingredi, & sic benè, vel male dispositum ipsum sustentare, atque mouere; neque dicatur, à Deo impediri; quoniam ipse non impedit, sed adiuuat secundas causas in ipsarum operationes. Aliæ quoque adduci possent rationes, & auctoritates circa hoc, sed hæ sufficiant, atque ad resolutionem accedamus; & sit hæc vnica Conclusio.

Concl. Anima rationalis, tam secundum Arist. quam secundum veram Philosophiam, & multo magis secundum Fidem est immortalis; probatur primo pro Arist. ex auctoritatibus, vel dictis eiusdem; deinde philosophicè rationibus; fidei autem sufficiat, vt sic dicat; tanta est enim eius dignitas, vt nihil sibi addendum sit.

Auct. Arist. Prima itaque Aristot. auctoritas sumitur ex 2. physic. (Liceat exordiri vnde liber) tex. 26. ibi enim vsq; ad formas in materia existentes, sed ab ipsa separabiles, nempe vsque ad animam rationalem (vt declarat) Physici opus esse considerare; Ecce, quod anima rationalis separabilis ponitur.

Secunda; in primo de anima tex. 65. Intellectus videtur innasci substantia quædam existens, & non corrumpi.

Tertia. Ex eodem tex. 66. ipsum intelligere, marcescit alio quodam interius corrupto, ipsum autem (supple principium intellectiuum) impassibile est.

Quarta. In eodem. Intellectus autem fortassis diuinius quid est, & impassibile.

Quinta in eodem. tex. 82. Intellectum antiquissimum, & dominum secundum naturam ponit, ac in eodem textu paulo ante, nihil præstantius ipso esse affirmat, quod vtique non esset, si corruptibilis existeret.

Sexta in eodem libro textu 92. intellectum ab aliqua parte corporis non contineri asserit; at, si esset forma corruptibilis, contineretur.

Septima. In 2. de Anima textu 11. ait, partes aliquas animæ separabiles esse, nihil prohibere, quia nullius corporis sunt actus affirmat, & de intellectiua loquitur; quam dicit non esse actum, hoc est dependentem, vt alibi exposuimus.

Octaua, ex eodem; textu 21. Videtur (inquit) genus aliud animæ esse, & hoc solum posse separari sicut perpetuum à corruptibili.

Nona Ex eodem textu 32. De speculatiuo intellectu alium esse sermonem dicit, nempe metaph. at illic solum de separatis agitur.

Decima. In hoc 3. textu 4. vocat ipsum immistum, quod confirmat in 6.

Vndecima. In eodem tex. 7. expresè habet; ipsum intellectum separabilem esse; & loquitur de possibili, & in comparatione ad sensum.

Duodecima. Ex eodem tex. 19. habentur hæc verba; & hic intellectus separabilis est, & immistus, & impassibilis.

Tertiadecima. In tex. 20. eiusdem libri. Separatum (dicit) autem est solum hoc, quod quidem est, & hoc solum immortale est, & perpetuum.

Quartadecima. In eodem tex. 45. intellectum non lædi à vehementi intelligibili dicitur, at quod non læditur est incorruptibile.

Quintadecima, ex 12. Metaph. tex. 16. habetur, formas non manere sine materia, nisi mentem, vel animam rationalem.

16. Concl. Sextadecima. ex mor. ad Nicom. cap. 11. ait, ea, quæ huic mundo accidunt, neque tristitiam, nec beatitudinem animabus defunctorum afferre; quamuis ea ab ipsis cognoscantur.

17. Concl. Decimaseptima ex 2. de gener. anim. cap. 3. ait enim ibi, intellectum non communicare cum corpore, ob id, quod sine illo esse potest. Hæc sunt igitur præcipua circa hoc Arist. testimonia; sed aliquas quoque afferamus rationes.

Prima. Omnis forma corruptibilis dependet, & in esse, & in operari à materia; imò hæc est adæquata corruptionis causa, immersio videlicet in materia, à qua si separatur, manere non poterit; at anima rationalis non immersa est corpori; probatur: nam operationes, inclinationes, & dispositiones eius sunt circa immaterialia, vniuersalia, & separata à sensibus; nam intellectus ex sua natura natus est apprehendere omne ens: voluntas omne bonum, &c. Prima ra.

Secunda. Plus differt anima hominis ab anima equi, vel alterius bruti, quam vnius bruti ab anima alterius: at animæ omnes brutorum sunt corruptibiles; ergo ea, quæ est hominis nequaquam: aliter non esset adeo ingens discrimen. 2. Concl.

Tertia, ex operationibus diuersis, formas diuersimodè materiæ implicitas colligimus, vt quia sunt magis materię immersæ formæ elementorum, quam plantarum infimæ sunt ipsarum operationes, & pariter deteriores sunt plantarum, quam animalium; at hominum materiæ captum superat; ergo ab ipsa materia ipsa anima est penitus independens. Aliter; cur bruta non discurrerent, non contemplarentur, non addiscerent &c. profectò non aliunde, nisi quia ipsorum formæ limites materiæ non egrediuntur; quare ex opposito, cum hæc efficiat homo; oppositum de eius anima sentiendum est. 3. Concl.

Quarta. Vniuersale specificum desiderium non debet esse frustra; sed omnes homines naturaliter scire, ac beari desiderant; quod quidem cum in hac vita à nemine obtineri possit, alia profectò datur, animæ scilicet separatæ. 4. Concl.

Quinta. Nisi esset animæ immortalitas; miserabiliores essemus cunctis viuẽtibus; si quidem perpetuis agitati curis, molestijs, necessitatibus, animi, ac corporis anxietatibus, & solicitudinibus, nullo vnquam fruimur bono, nisi malo admisto, nulla suppetit, nec ad necessitates tollendas, vbertas, vt alijs viuentibus contingit; quod quidem paucis ex antiquissima quadam scriptura Aristoteli tributa explicatur. Fœde (inquit) intraui hunc Mundum; anxiè vixi, conturbatus egredior. 5. Concl.

Sexta. Si animæ immortalitas auferatur, leges, religiones, virtutes, cultusque omnes perirent, vel superuacanei essent; sufficeret namque more brutorum virga, & ferro effrenatos dirigere: cætera dimittenda essent. 6. Concl.

Septima. Quod est veluti axioma omnibus ferè cognitum, ab omnibusque gentibus, vt inuiolabile receptum, ex lumine supra naturali, & infallibili ortum habere fatendum est. Sic autem se habet hæc de animæ immortalitate credulitas; Gręci etenim, Iudei, Barbari, Idolatrę, Maumethani, (vt sapientum, & Christianorum sententias omittam) cęterique omnes, (demptis insipientibus paucis) hanc habent, & habuerunt de anima nostra credulitatem, & fidem. 7. Concl.

Octaua. Inter sensum, & rationem est ferè perpetua pugna; ergo oppositum optant, oppositasque habent dispositiones, & naturas; ergo cum sensus sit materialis, & corruptibilis, aliter erit ratio, quæ superiora petit. 8. Concl.

Nona. Quemadmodũ in Politicis; qui alijs præest, est alterius ordinis, & dignitatis: sic, qui præest omnibus naturaliter, est alterius naturę. Sed homo præest brutis quibuslibet; quæ omnia sunt corruptibilia: ergo ipse secundum animam incorruptibilis erit, sicut per ipsam præest. 9. Concl.

Decima. Quod nobis vtilius est, magis credibile est esse; sic autem se habet hæc de anima immortalitas; nam si ipsam immortalem, ac in alia vita præmia, vel pœnas recepturam esse credamus, & secundum hanc credulitatem operabimur, si verè immortalem inueniemus, nihil mali, sed magni solatij inde hauriemus. Si autem erit mortalis; nec aliquid erit mali. At si è contra; 10. Concl.

ipsam

ipsam mortalem existimemus, & immortalem reperiamus, magnum erit doloris, & confusionis chaos. At soluemus argumenta.

Ad primum dicitur, animam dici formam corruptibilem tripliciter illic ab Arist. primò ratione separabilitatis; quia separatur à corpore, & definit esse actualiter forma; quod est aliquo modo corrumpi. Secundo, ratione corporis informati, quod cùm sit corruptibile, sic forma eius quoque denominari potest; sicut etiam dicitur materialis, & corporalis. Tertiò ad differentiam formarum separatarum, quæ à Platone positæ fuerunt, vt sunt ideæ, hæ namque dicuntur simpliciter incorruptibiles; quatenus nullo modo corruptibilibus iunguntur; de quibus dicetur in Metaph. & hæc est vera intelligentia si perpendatur.

Ad secundum respondetur dupliciter. Primò, quod non loquitur de omni forma. Secundò, quod nulla forma, prout actualiter forma est, à materia separatur; sed quatenus aliud aliquid habet per quod non sit solum forma, vel à materia dependens separari potest; sic autem est anima rationalis, ratione intellectus, & voluntatis. Idem dicatur ad locum 4. Phys.

Ad tertium dicitur; ibi Philosophum per corruptibilia intelligere omnia sublunaria; quæ ex se sunt, vel ex concomitantia talia dicuntur.

Ad quartum dicitur, duplicem ad rem esse intellectus operationem; nempe primam, apprehensiuam, vel immediatè ex sensibus, & externis obiectis elicitam; & hæc non potest esse sine imaginatione; alia est secunda, vel ab his abstracta; & hæc potest esse sine imaginatione; de prima loquitur Arist.

Ad quintum dicitur; ibi per intellectum passiuum intelligere imaginatiuam, quæ ad memorandum sensibilia concurrit, aliter sibi contradiceret; nam in tex. 7. intellectum passiuum expresè separabilem, & immistum posuit.

Ad sextum dicitur; ibi loqui de indiuisibili in genere quantitatis, vt suo loco declaratum est.

Ad septimum dicitur, quod loquitur de formis mistorum ex elementis tantum, non autem se extendit vsque ad hominem.

Ad octauum dicitur; omne quod incipit per generationem, desiturum esse: non alio modo; quod quidem ipse Aristot. expresè (epilogando) declarat; postquam enim omnia generabilia esse corruptibilia, & è contra longo sermone monstrauit, in textu 136. materiam esse horum causam affirmat; at materia est solum eorum, quæ generantur, & sic ista desinunt; anima autem non sic se habet.

Ad nonum dicitur ad minorem: actum dupliciter dici, vno modo ab actuali entitate, absque potentialitate; & sic anima semper est actus etiam separata, quia est eius quidditatiuum prædicatum; alio modo ab actuando, vel informando: & hoc pacto non est ei prædicatum essentiale; vnde ab ipsa separari potest.

Ad decimum dicitur, esse relatiua secundum dici, quæ separabilia sunt ad inuicem.

Ad vndecimum respondetur, aliquos esse status naturales subordinatos, ita vt vnus alteri succedat, quemadmodum virilitas iuuentuti: sic itaq; primus naturalis status animæ est in hoc mundo: alter in altero; vt sicut per corpus, & sensus conuenit cum brutis: sic eis conuiuat naturaliter; ita quatenus per mentem conuenit cum intelligentijs, eis pariter conuiuat; at quoniam primus non est instantaneus; ideo vsque ad finem conseruari debet, & sic mors non intenditur tunc à natura; sed circa finem non esset negandum, vt in libris de gener. declaraui. Pariter, tunc non habet rationem actualis partis, etsi inclinationem habeat ad corpus.

Ad duodecimum dicitur, se habere melius naturaliter (vt Dei iustitiam, vel pœnas, quarum consideratio est moralis, dimittamus) non tamen sequitur consequentia: quoniam ordo naturæ expostulat, vt per debita media fiat transitus. Similiter: quia nullus est suæ, vel alterius vitæ dominus, sicarij sunt damnandi.

Ad tertium decimum dicitur, intelligere pro hoc statu non esse sine phantasmate in prima apprehensione: at in alio ab intellectu suppletur. Nunc etenim ex sensibus incipit cognitio, tunc statim ab intellectu.

Ad quartumdecimum dicitur; re vera ex sua natura, & naturaliter immateriale esse impassibile, sed si ad potentiam diuinam comparetur ab ipsa pati, & in nihil redigi posse; quomodo autem ab igne corporeo cruciari possit, siue per applicationem, siue per species, siue per metaphoram, theologicum est.

Ad quintumdecimum negatur consequentiam: ratio est, quia forma respectu suæ materiæ nunquam habet rationem causæ efficientis; quamobrem cum forma ab agente in materiam ex ratione talis ordinis inducatur, nunquam se sola poterit; permissu itaque Dei id effici posset; & re vera Doctissimus P. Laurus Biliottus, experientijs, & theologicis rationibus id fieri posse in congressu quodam demonstratiuè ostendit. Imò quam plures (quos ego perlegi non indignos Auctores) quos spiritus vocamus, animas esse affirmant, ac Lares, Lemures, & Laruas, secundum diuersas operationes appellant: quæ omnia prolixum esset recensere: Verum tunc neque verè informant, sed assistunt, & hoc fortè erit eis naturale: informare autem nequaquam, ob defectum efficientis causæ, vt dictum est.

QVÆSTIO XVI.

Circa eundem Tex. 20.

An anima rationalis educatur de potentia seminis, vel creetur.

VI consequentiæ præcedentis quæstionis nullam haberet hæc præsens difficultatem; si quidem si immortalis sit anima, profectò ex materiæ potētia non educitur, neque ab illa dependet; nam ratio corruptibilitatis est dependentia à materia, incorruptibilitatis independentia, vt alibi dictum est. At propter quasdā peculiares obiectiones, ad aliquave dubia enodanda, & ne omnia simul complicemus, ex professo seorsum determinanda est.

Quod itaque ex materiæ, vel seminis virtute ipsa anima fiat, probatur. Omne agens vniuocum, potest aliud eiusdem naturæ producere: at homo hominem generans est vniuocum agens, quia est eiusdem naturæ cum genito; ergo: sed productio principaliter attenditur ex parte formæ; ergo ipsam formam efficit: quod autem ab agente naturali per determinatam materiam, & dispositiones efficitur, nullatenus creatur, sed ex materia gignitur. 1. Arg.

Amplius. Homo generans non deberet dici pater geniti, nisi animam produceret. Probatur consequentia; quia, quod solum ministrat materiam non est pater, vel præcipuum agens, vt patet ex alijs generationibus. Praterea. Si anima creatur immediate à Deo, nullam haberet à corpore humano dependentiam; vnde posset corporibus brutorum infundi sicut humanis, quod quidem absurdum, & paradoxicum videtur. Item; Deus (nisi miraculosè) agit solum per causas secundas; at hæc actio non est creatio; ergo productio animæ est miraculosa, sed ordinaria, & naturalis. Denique. Eiusdem est inducere formam, & materiam disponere, vt docet Auer. At homo disponit materiam corporis; ergo animam quoque inducit. 2. Arg. 3. Arg. 4. Arg. 5. Arg.

Pro intelligentia sciendum est, quod causa vniuersalis

ſemper cum particularibus concurrit: vnde vniuerſalis non diceretur, niſi particulares reſpiceret: neque eas concomitatur ſolum, ſed in ratione influendi præuenit; attamen rationi conſentaneum eſt, quod non eodem modo cum omnibus concurrat, ſicut neque eundem habent omnes cauſalitatis; quædam namque ob imperfectionem effectus producendi, ex ſe communiſſimo tantum ſuppoſito influxu eos edere poſſunt; quo pacto ignis ignem, calorem calor producit, &c.

Alia verò ſunt altioris ordinis, in quorum productione magnoperè naturales cauſæ operantur; vltima tamen perfectio primę ſolum reſeruatur: quamobrem, & in veritate effectus ipſarum ſecundarum dici poteſt, & peculiariter primæ, & vniuerſali tribuendus eſt; exemplum eſt ſatis accommodum de diſcipulo, qui pingere diſcit; hic namque prout à magiſtro edocetur, figuras efformat; in aliquibus autem vltima perfectio ab ipſo magiſtro tribuitur; de ijs ergo, quæ à diſcipulo (præſidente, & docente magiſtro) fiunt, dicimus, opus eſſe illius diſcipuli; in alijs autem effectum potius tribuimus magiſtro. Hoc igitur modo philoſophandum eſt de anima rationali; diſpoſitio etenim eſt à naturalibus agentibus, vltimum complementum à Deo; quamobrem nec ſimpliciter de potentia ſeminis educitur: ſi quidem non id ab ipſo attingi poteſt; neque tantum ſimpliciter creatur, aliter nullam requireret præcedentem diſpoſitionem, ſed quemadmodum ſtatus hominum eſt omnium aliorum præcedens, ſic modus ipſius productionis; quamobrem patet, quid ſit dicendum; videlicet; eam non pe-
Concl. nitus de potentia ſeminis educi; neque ſimpliciter, aut omnino creari. Id quod de rationali anima dicimus, Scotus in quarto ſentent. diſtin. 43. quæſt. ſecunda de omnibus aſſerit alijs animabus; omnes etenim modo prædicto à Deo creari ſtatuit; nec etenim ſemen, neque genitorem ad id ſufficienter agere credit; quæ ſententia modo expoſita eſt veriſſima, atque Philoſophiæ conſona; ſi autem ſimpliciter eas creari diceret, vt aliqui exponunt, (ſed meo iudicio malè) defendi non poſſet; imò ſecundum hanc conſiderationem in libris de cęlo ipſam confutaui, non autem ipſum, nec mentem eius; ſed potius alienas extorſiones.

Quod itaque ipſa rationalis anima penitus ex ſeminis virtute non educatur: probatur, primo auctoritate Ariſtotel. libro ſecundo de generatione Anim. cap. tertio; ait enim ibi, omnem animam produci virtute ſeminis, præter intellectiuam (pro Scoto autem dici poſſet, ſemen magis proximè attingere alias animas, quamuis non penitus, vnde ei tribuitur illarum creatio.)

Amplius. Omne agens naturale ſecundum ſe ex diſpoſitionibus materiæ quantæ effectus producit: hi autem ſunt neceſſariò materiales, & quanti; anima autem non ſic ſe habet; ergo. Ex dictis infertur, animas rationales non præceſſiſſe corpora, quorum ſunt formæ, vt arbitrabatur Pythagoras, & ſequaces, neque ab homine mediante anima creari, neque ab alia quauis creatura, vt ab Angelis, &c. nam (quo ad primam partem) forma non poteſt præcedere materiam, cum in ipſa fundetur, & ſine eius diſpoſitionibus fieri nequeat. Nec agens materiale (pro ſecunda parte) ipſam attingit; nec tandem, aut vniuerſalis concurſus, aut creatio ad Angelos, aliaſue creaturas pertinet. Ad argumenta.

Ad primum dicitur ad maiorem, ſat eſſe ad agens vniuocum, vt immediatas poſſibiles attingat diſpoſitiones:

Ad ſecundum negatur conſequentia: ad probationem dicitur, hominem non ſolum materiam miniſtrare, ſed immediatas alias diſpoſitiones, nec non ex ſuamet ſubſtantia materiam præbere.

Ad tertium dicitur, quod conſequentia eſſet vera, ſi ſimpliciter crearetur abſque vllo ordine, ſed alia ſupponit, vt viſum eſt.

Ad quartum patet in corpore quæſtionis.

Ad quintum reſpondetur, illam propoſitionem eſſe veram de formis per veram generationem attingibilibus, non de immaterialibus, ſicut eſt anima: vel dicatur, tribui quoque agenti naturali introductionem; ſed non plenam.

QVÆSTIO XVII.

Circa eundem textum.

An eadem anima à diuerſis agentibus diſpoſitiuè ſaltem produci poſſit.

DIximus de productione animæ, nunc extra propoſitum non erit examinare, ſi eadem anima, vel potius idem animal à diuerſis agentibus, & eiuſdem generis, atque ordinis produci poſſit; dicimus à diuerſis agentibus totalibus; quia plura partialia concurrere nulli eſt dubitatio; pariter dictum eſt eiuſdem generis, & ordinis: quoniam in diuerſo genere, diuerſoque ordine quilibet effectus plura eiuſmodi requirit agentia, quæ omnia fusè in 1. physic. tractatu de cauſis expoſita fuerunt. Senſus itaque eſt; An ſicut Petrus verbi gratia à Franciſco genitus eſt, ſic quoq; potuiſſet generari à Paulo, vel alio quouis homine, non tamen bis, nec eodem tempore, ſed ſolum indifferenter ab hoc, & illo: Atque vniuerſaliter de quocunque effectu id poſſumus inuesti- Concl.
gare. Scotus itaque ſecundæ ſentent. diſtin. 10. quæſt. 2. affirmatiuam partem ſuſtinet, cuius poſitionem, vt veriſſimam declaremus, & rationibus comprobemus. Sciendum eſt ergo, ſolum ea, quæ ſunt de eſſentia, vel intrinſeca natura rei inuariabilia eſſe inuariata re, cuius ſunt: hæc autem ſunt (phyſice loquendo) materia, & forma, vel aliæ eſſentiales partes rei compoſitæ à priori: ſed a poſteriori ſunt omnia, quæ cum tali natura realiter identificantur, vt proprietates, &c. Metaphyſicè vero ſunt omnia eſſentialia prædicata, ac ea, quæ ad ſecundum per ſe modum pertinent. Aliqua verò quemadmodum intrinſecè rei naturam non conſtituunt, ſic quoque variabilia ſunt. Aliud obſeruandum eſt, quod in agentibus quibuſdam precipuè viuentibus poſſumus duo conſiderare, videlicet virtutem, vel puram actiuitatem, ac materiam, vel ſubſtantiam, ſiue ſemen, quod ad formandum fœtum miniſtrant; in hac ergo poſitione debemus ab omni materia præſcindere, & ſolum actiuitatem contemplari; quibus declaratis, quod prædicta Scoti poſitio ſit vera, probatur. Agentia eiuſdem rationis, virtutis, vel actiuitatis, aut naturæ eundem poſſunt effectum producere; nec etenim intelligibile eſt; quod ſi hic artifex potuit hanc domum efficere, alter id non potuiſſet, quod ſi hoc eſt verum, & fortè ab omnibus compertum in artificialibus, multo magis valebit in naturalibus, quorum operationes ſunt præſtantiores.

Amplius. Extrinſeca variari poſſunt non variatis intrinſecis; ſed agens eſt extrinſecum reſpectu rei productæ; ergo. Præterea. Idem terminus per duos, & plures motus acquiri poteſt, puta per rectum, circularem, & mixtum; ergo. Denique. Quamplura poſſunt eadem ſecundum numerum reparari, vt in libris de generatione viſum eſt, neque idem neceſſario eſt, quod reparat cum primo conſtituente; ergo. Sed contra hanc poſitionem aliquę ſe ſe offerunt obiectiones.

Prima. Viuentia quamplurima, dum ſibi ſimile per generationem producunt, non ſolum cum actiuitate, ſed etiam cum propria ſubſtantia concurrunt; cum ergo hæc pertineat ad naturam geniti, vel generandi, idem ab alio generari non poſſet; & per conſequens non debet ſimpliciter aſſeri, vt facit Scotus idem à diuerſis generantibus fieri poſſe. . . .

Secun-

2. Arg. Secunda. Sequeretur, quod idem essentialiter dependere possit à pluribus, quod est impossibile in eodem genere: quoniam si ab vno penitus essentialiter dependet, reliqua sunt sibi veluti extranea, & contingentia.

3 Arg. Tertia. Arist. in 2. Phys. tex. 38. ait, effectuum vniuersalium causas esse vniuersales; singularium singulares, huius hanc; si vero idem à pluribus producibile esset, iam non haberet determinatam, & singularem causam.

4. Arg. Quarta. Ad veritatem numeralem motus requiritur vnum mouens ex 8. Phys. tex. 49. ergo multo magis ad acquisitionem termini vnius, vel alicuius producendi.

5. Arg. Quinta. Ex 8. Metaph. tex. 12. habetur, agens diuersum, diuersamque materiam effectum sequi diuersum. Et idem confirmatur in 12. eiusdem operis tex. 11.

6 Arg. Sexta. Nisi diuersitas agentis numeralis ad diuersitatem singularium effectuum requireretur, homo posset ab equo produci, & è contra. Probatur consequentia; quoniam sicut particulares effectus requirunt particulares dispositiones, sic vniuersales, vel communes: ergo si illæ possunt sine variatione variari, & istæ. Hæ tamen obiectiones positionem hanc non offendunt, vt ex ipsarum solutione patebit.

Ad 1. Ad primam ergo dicitur, re vera ratione seminis, vel materiei, idem à diuersis generari non posse; quoniam variata materia (quæ est pars essentialis: præcipuè propinqua, nam remota est omnibus generalibus communis) idem remanere non potest; Ex quibus infertur corollarium, quod anima Petri non posset informare corpus Francisci, nec è contra; vnde etiam patet error ponentium transmigrationem animarum de corpore in corpus; nisi secundum assistentiam, & peculiari Dei permissione.

Ad 2. Ad secundam negatur consequentia; dependentia namque esset vnius causæ eiusdem speciei, licet determinatæ, & singularizatæ; quod autem esset hoc, vel illud agens, est per accidens; vt Petrus dependet essentialiter ab homine agente vno, non ab hoc, vel illo, vt alibi dictum est.

Ad 3. Ad tertiam patet per idem; requiritur namque causa particularis ad particularem effectum: at siue sit hæc, siue illa, nihil refert.

Ad 4. Ad quartam iam patuit in expositione illius textus; loquitur namque ibi de vnitate motus prout regularitatem includit, &c.

Ad 5. Ad quintam dicitur, agens diuersum secundum speciem efficere effectum diuersum; vel id esse communiter verum, non quod aliud sit impossibile; aut dicatur, quod agens diuersum cum diuersa materia simul id efficit.

Ad 6. Ad sextam negatur consequentia: ad probationem dicitur, agentia eiusdem speciei habere modum causandi similem, ac persimiles inducere dispositiones, vnde idem potest sequi effectus; sed quæ sunt alterius speciei non sic se habent, & sic patet discrimen.

QVÆSTIO XVIII.

Circa eundem.

An omnes animæ rationales sint inter se æquales.

DVplex est æqualitas, scilicet molis, & virtutis, quæ naturalem supponit; non est controuersia de prima; nam sicut anima rationalis est quantitatis expers, sic æqualitate, & inæqualitate (quæ in ipsa fundantur) caret. Difficultas namque est de æqualitate, vel inæqualitate virtutis, vel perfectionis naturalis; An scilicet omnes animæ sint essentialiter æquè perfectæ, nullo habito respectu ad corpus, vel ad accidentia. Quod igitur sint penitus æquales, probatur. Primo auctoritate Arist. 3. Metaph. tex. 11. Ait namque, in genere esse prius, & posterius; in specie nequaquam, sed omnia indiuidua esse æqualis perfectionis. 1. Arg.

Amplius in 7. Phys. tex. 31. in genere latere æquiuocationes dicitur, hoc autem est, sub ipso contineri species secundum diuersas perfectiones; quamobrem si hoc quoque in specie accideret; non bene illud generi duntaxat tribueretur. 2. Arg.

Præterea. Vnica speciei specialissimæ definitio vnicam indicat essentiam, & naturam, vnde vocatur species athoma, vel indiuisibilis; si autem sub ipsa plures, & diuersæ continerentur indiuiduales perfectiones, iam in illas esset diuisibilis. Item, differentiæ essentiales sunt sicut numeri, vt habetur in Metaphysic. at addita vnitas numero, variatur species; ergo pariter si indiuidua essentialiter differrent, iam specificè differrent. Denique. Si hæc differentia in animabus ponenda esset; similiter in cæteris indiuiduis tam substantiæ, quam accidentis dicere id deberemus; nam etiam differunt inter se, vt hæc anima ab illa; at hoc est absurdum; quoniam tandem deueniendum est ad penitus simplicia, vel primo diuersa, quæ nullam essentialem admittere possunt differentiam. His tamen non obstātibus, negatiuam partem magis philosophicam esse censeo; nimirum animas intellectiuas, non esse inter se æquales naturæ, virtutis, & dignitatis. Probatur: nam prius non dependet à posteriori; at anima est prior corpore, si quidem non ex ipso educitur, sed à Deo creatur; ergo ex ipso differentiam potissimam non sumit, & multo minus ex accidentibus, vel dispositionibus eius; nam substantia est prior natura, & tempore accidentibus. Amplius; potius accidentia ex substantia pendent, quam è cōtra; ergo ex diuersitate ipsorum, diuersitatem primam in substantijs colligere debemus. Præterea; est adeo ingens hominis ab homine differentia, vt solum ad accidentia id referre videantur incredibile; præterquam quod ipsis accidentibus conueniens non tribueretur fundamentum; Differentia autem inter omnes, vel quam plures est adeo per se nota, vt per pauca intuenti videbitur, non minus homines inter se (dempta figura) quam species ab alijs speciebus differre; imò in singularibus hominibus natura specifica alicuius compendio clausa videtur; si quidem alijqui penitus Angelicam referunt, alij Equinam, alij aliorum, vt ex eorū effectibus liquet. Præterea. Vnumquodque indiuiduum per suam differentiam indiuidualem cōstituitur in esse: hæc autem non potest esse eadem cum alia, aliter idem esset plura indiuidua: ergo diuersa: ergo diuersitatem in cōstituto facit. Amplius. Arist. 2. de gen. animal. cap. 3. asserit, corpus esse magis, vel minus perfectum, secundum animæ perfectionem, & loquitur de qualibet anima, & cuiuslibet indiuidui. Denique. Si æquales in essentia essent, inter se solum accidentaliter differrent; Attamen negandum non est, magnam quoque differentiam, sed à posteriori sumere ex corporibus, atque ex eorundem dispositionibus. Neque prætereundum est Articulum Parisiensem damnasse asserentes Animam Christi, non esse perfectiorem anima Iudæ: nec tantum loquitur in accidentalibus, vt aliqui exponunt, sed simpliciter, & secundum naturam: nec refert, quod non cogat, sat namque est, vt sit hominum sapientium sententia. At aliorum argumenta soluamus. 3 Arg. 4. Arg. 5. Arg.

Ad primum dicitur, in genere esse prius, & posterius secundum differentias specificas, & quidditatis: quæ quia magis inter se differunt, nobis notam essentialem differentiam insinuant. At differentiæ indiuiduales neque sic differunt, neque sic innotescunt; vnde ad quandam æqualitatem communem redigi possunt.

Ad secundum eodem modo respondetur: æquiuocari namque dicuntur species in genere, ob maiorem insignem diuersitatem: non sic indiuidua, ob maiorem conuenientiam.

Ad tertium, respondetur, vnicam definitionem specialissimæ esse indiuisibilem secundum differentias specificas, & vniuersales, quæ scientificæ sunt; sed secundum indiuiduales nequaquam.

Ad quartum dicitur, maiorem esse veram de differentijs specificis, quidditatiuis, & vniuersalibus.

Ad quintum dicitur, omnia indiuidua composita suam admittere differentiam intrinsecam, sed simplicia, & primò diuersa se ipsis differunt, & ibi est status.

QVÆSTIO XIX.

Circa eundem.

De principio indiuiduationis.

NEque prætermittenda, nec alibi aptius, quam hic difficultas hęc de indiuiduationis principio per tractanda est; cum etenim intellectus separatus dicatur, per quid vniatur, vel singularis fiat directè quærere possumus; ac, vt vniuersaliter loquamur, de quolibet quærimus; & sic sensus quæstionis est; per quid aliquod singulare in esse singulari, & indiuiduo constituatur; vt per quid Petrus est Petrus, vel hic homo, an videlicet per animam, vel per corpus, vel quantitatem &c. hoc autem, per quod sic constituitur principium dicitur indiuiduationis, de quo quærimus.

At quamuis multa, ac nimis prolixa dici possent, vt ab omnibus dicuntur: de more, quæ magis sunt necessaria breuiter, & clarè recensebimus; & ante omnia aliquas aliquorum adducemus opiniones, cum præcipuis rationibus, & confutabimus; deinde statim ad resolutionem accedemus.

1. Opinio. Est igitur, prima opinio, quæ communiter tribuitur Auerroi; videlicet, principium indiuiduationis esse formam; non etenim Petrus in esse Petri constituitur, nisi per suam animam, vel formam. Amplius. Materia est communis omnibus generabilibus, & corruptibilibus; forma verò vna est vnius materiæ, si quidem separabilis non sit: ergo ipsa forma dat vnitatem. Præterea. Forma est, quę efficit hoc aliquid ex Arist. 2. de Anima tex. 2. ergo. At licet hæc opinio videatur satis rationalis, non tamen est irrefragabilis, vel penitus vera. Quoniam non solum materia est communicabilis pluribus, verum magis ipsa forma; quę quidem dicitur causa vniuersalitatis, vt dictum est cum Arist. in libris de cælo. Si autem dicatur, formam vniuersalem esse causam vniuersalitatis, particularem indiuiduationis, nihil dicitur; primò, quia est petitio principij, secundò, quia redit eadem difficultas: quæ nam videlicet sit causa, vt talis forma sit particularis, & indiuidua: imò primò quærimus de indiuiduatione animæ, quæ forma est. Neque rationes eius concludunt; quoniam (quo ad primam) Petrus per animam constituitur primò in esse hominis: per hanc animam in esse Petri: at quærimus quod sit principium hanc animam constituendi, & sic remanet eadem difficultas. Ad secundam dicitur, materiam esse omnibus generabilibus communem, per realem transitum, & transmutationem sub diuersis formis; at per indifferentiam forma quoq; multis communis est; anima namque rationalis ex se est indifferens ad hunc, & illum hominem. Ad tertiam dicitur, formam efficere hoc aliquid, idest substantiam completam: non simpliciter singularem.

Materia signata, quid.

2. Opinio. Alia est opinio D. Thomæ, quem multi Thomistæ sequuntur: hic asserit, materiam signa tam esse indiuiduationis principium: per hanc autem materiam intelligit materiam quantitate determinatam, (ad differentiam, interminatarum;) ita vt sententia ipsius sit hæc: formam ex se esse indifferentem, atque pluribus multiplicabilem, attamen ex eo, quod in aliqua determinata materia recipitur, fit singularis, vt anima rationalis non habet ex se repugnantiam vt magis huic, quam alteri homini det esse; fit tamen singularis, & hæc prout in tali corpore recipitur, & sic ipsum corpus, vel signata materia est principium, vt anima, & homo constituatur singularis. Quæ opinio videtur inniti Aristotelicis fundamentis; in 5. enim Metaph. textu 12. habetur vnum numero esse, cuius materia est vna. Et in primò de cælo textu 92. aliud esse cælum simpliciter, & hoc cælum asserit, illud enim vt forma, hoc vt materiæ iunctum intelligitur; ergo, singularitas est à materia. Idem videtur velle in hoc tertio de anima textu 9. ait namque aliud esse carnem, & carnis esse, &c. vbi per carnem intelligit singularem, & materiæ iunctam, & sic materia est causa singularitatis. Attamen neque positio hæc vera est; quoniam materia de se nata est contrahi, & limitari, vnde non potest esse præcisa causa limitationis, & contractionis; neque dicatur, id non esse verum de materia signata, quatenus intelligitur singularis; quoniam quærimus, per quid fiat singularis: at si dicunt, per quantitatem, vel accidentia, seu dispositiones, non bene dicunt; quoniam nullum posterius est causa essendi alicui priori, sed ipsum supponit esse; at hæc omnia sunt posteriora ipsa materia; ergo. Neque auctoritates Arist. sunt pro ipsis; aliud namque nolunt, nisi quod materia in rebus corruptibilibus sit occasio indiuiduationis; ita vt sensus eius sit; omne quod est vnum numero, habere formam receptam in materia: seu quia verè existit, nec est vniuersale, aut abstractum, loquendo de corruptibilibus; vnde ipsorum numeralem occasionem non autem causam adæquatam assignat.

Tertia est aliorum opinio, qui asserunt; Principium indiuiduationis esse quantitatem; quam sic probare nituntur. Diuidi est proprium quantitatis; at per principium indiuiduationis vnumquodq; ab alio diuiditur; ergo. Amplius. Fiunt diuersæ generationes rerum ob diuersitatem materierum; hæ autem diuersæ non sunt nisi ob diuersas quantitates; ergo quantitas est prima diuersitatis radix. At hæc opinio facilè conuincitur per ea, quæ superius diximus; quantitas namq; cum sit accidens non tribuit esse substantiæ nisi accidentale, & secundum quid; nos autem quærimus de principio, quo aliquid constituitur in esse substantiali, & indiuiduo. Neque rationes ipsius concludunt. Nam per quantitatem aliquid diuiditur ab alio quantitatiue, non autem entitatiue, vt loquimur. Pariter, neque verum est, materias esse diuersas solum ob quantitatem diuersam, sed ex sua entitate, sumpta occasione, & dispositione à quantitate actualiter, & à Posteriori id præstante; neque causa principalis diuersorum generationum est materia diuersa, licet possit esse concausa; agentis namque, atque formæ diuersitas quoque requiritur. Quarta est quorundam, qui credunt existentiam esse indiuiduationis principium. Probant. Quoniam res vniuersales non existunt; ergo existentia eas trahit ad singularitatem, & per consequens est huiusmodi principium. At hi principium quoque petunt; quærimus namque propter quid res existant singulares; at ipsi respondent propter existentiam; non ne est idem per idem? Amplius; aliquid dicitur, & verè intelligitur indiuiduum absque eo, quod existat; vt notum est: nam natura Platonis peculiaris absq; existentia nunc intelligi potest, & in prædicamentis collocatur; ergo ipsa non pertinet, vt principium ad hoc indiuiduum; aliter since illo intelligi non posset. Præterea. Existentia est vltima quædam actualitas, vel effectus rei; ergo supponit rem ipsam habere suum esse essentiale. Neque ratio ipsorum concludit; quoniam existentia trahit solum ad singularitatem actualem, vel præsentem, vel temporis, non autem, ad esse simpliciter indiuidui.

Quinta opinio est quorundam asserentium, negationem esse indiuiduationis causam, quod est dicere, nullam aliam

3. Opinio.

4. Opinio.

5. Opinio.

aliam esse causam, vt res sint singulares, nisi quia nullus adfuit abstrahens intellectus; vnde potius quærendum est (dicunt) quid sit principium vniuersalitatis; nam omne, quod generatur ex se singulare est. At isti supponunt, non dari naturam communem, & indifferentem ex parte rei; quare mirum non est, si in alijs, quę ex istis sequuntur, decipiuntur; nos autem, qui eam sustinemus, vt declaratum est in 1. Phys. facilè eorum positiones refellere possumus. Neque etenim verũ est, quod omne, quod generatur sit quidditatiuè singulare; licet cum singulari sit iunctum, vt inibi dictum fuit; ideo illic recurratur. Est tandem opinio Scoti 2. sentent. dist. 3. quæst. 1. & alibi. Principium indiuiduationis esse vltimam realitatem rei indiuiduæ. Quæ positio, vt intelligatur; sciendum est, quod quemadmodum genus est in potentia, vt contrahatur per differentias ad species; sic quoque species est in potentia, vt per aliquas differentias contrahatur ad indiuidua; neque etenim idem potest esse contrahens, & contractum, quia esset in actu, & in potentia eiusdem; neque poterit indiuisibiliter esse omnibus idem, quoniam omnia essent vnum numero; hæc itaque contrahentia dicuntur differentiæ vltimæ, & indiuiduales, atque primò diuersæ; vltimæ inquam, quia non sunt amplius contrahibiles; indiuiduales, quia constituunt indiuiduum, & primò diuersæ, quoniam in nullo quidditatiuè conueniunt; vt in quæst. de vniuocatione entis declarauimus; quamobrem patet quomodo à veris differentijs specificis, vel genericis differant; vocantur à nonnullis Scotistis hęcceitates, prout conducunt rem ad esse hanc, vel ad hoc esse singulare, & peculiariter eas appellant Petreitatem Petri, Sorteitatem Sortis, &c. Hæ autem differentiæ, quæ & formalitates quoque nuncupari possunt, ponendæ necessariò sunt circa quamcunque communem, vel pluribus communicabilem naturam, aliter non possit assignari ratio, cur singulares fierent; quamobrem siue id, quod est communicabile sit materia, siue forma, id circa ipsum quærendum est. Attamen quia ratio contrahendi vltimata tribuitur formæ hinc est, quod ipsum contrahens, rationem vltimam, & indiuidualem contrahendi sibi vendicabit. Ne autem formam, vel differentiam propriè dictam cum hac confundamus (siquidem vtraque ipsarum sit communicabilis) vltima realitas formæ appelletur cum Scoto. Sit igitur conclusio.

Opinio vera.

Conclusio.

Vltima realitas formæ est principium indiuiduationis formæ, ac totius compositi. Declaratur; est v. g. producenda anima rationalis, hæc ex sua natura est indifferens, vt sit Petri, Francisci, & aliorum; vnde habet rationem formæ communis per indifferentiam, aduenit sibi in eodem instanti, quo producitur vltima hæc differentia, vel realitas formæ, & sic in esse indiuiduali constituitur; vt homo per rationalitatem in esse specifico; hæc autem aduenicns corpori, ipsum trahit ad esse indiuiduale huius hominis, & pariter compositum constituit; vnde omnium simul est vltimatus, & indiuidualis terminus. At corpus ipsum per animæ informationem, ab vltima realitate formæ corporeitatis constitutum fuit, & sic vnaquæque res formam habens, per hanc vltimã ipsius realitatẽ indiuiduatur; Materia verò sola non datur; Res autem aliæ omnes communicabiles proportionaliter contrahuntur; at primo diuersa, vel simpliciter simplicia, se ipsis differunt, & indiuiduantur. Quod autem hæc positio sit bona, ex pauca aliarum rationabilitate constat. Amplius. Quæcunque in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt, reuocanda sunt ad primo diuersa, quæ sint principia diuersitatis, hæc autem sunt hæ differentiæ; ergo.

Præterea. Sicut se habet genus ad speciem, ita species ad indiuidua; at illud contrahitur per aliquas differentias communicabiles; ergo hæc per incommunicabiles. Item. Duo homines particulares in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt; at conueniunt in humanitate, in corpore, materia, existentia, quantitate, &c. ergo solum differunt, per vltimas has differentias; ergo hę sunt ipsorum constitutiuæ; nam eadẽ est differẽtia, quæ constituit, & facit differre. Verum à posteriori per plura simul in vno aggregata accidentia, vnum ab alio differt, vt docet Porphyrius, cap. de specie. Hæc sic breuiter pro addiscentium captu, de hac difficillima materia dicta sufficiant.

QVÆSTIO XX.

Indiuisibilium igitur intellectio, &c. Tex. 21.

An tres sint operationes intellectus.

ARguitur primò, quod non. Ab Aristot. solum fit mentio de duabus; ergo.

Secundò. Hæ connumerantur quatuor, videlicet simplicium apprehensio, compositio, diuisio, & discursus; ergo.

Tertiò. Compositio, & diuisio propositiones affirmatiuas, & negatiuas respiciunt; at omnes propositiones possunt simplici apprehensione cognosci; ergo hęc operatio pertinet ad primam, & sic non ponit in numero.

Pro intelligentia sciendum est, quod cum intellectus sit agens quoddam naturale, ex simplicibus ad composita, ac tandem ad vltimos effectus procedere debet; sic namque in omnibus suis operibus natura procedit; vnde in productione animalis, ex elementis ad corpus, ex hoc ad totius cõstitutionem accedit, atque hoc completo reliquas confert perfectiones. Intellectus itaque primò rem simpliciter apprehendit; quæ apprehensio ex parte intellectus dicitur conceptus formalis; quasi formaliter, vel actualiter concipiat, vel apprehendat; ex parte rei apprehensæ dicitur obiectiuus, quatenus res ipsa concepta obijcitur intellectui concipienti, veluti obiectum, ac terminus eius; postquam autem res hoc pacto seiunctim cognouerit, diuersimodè eas vnit, vel disiungit, seu eas componit, & diuidit; sicut natura ipsa, vniendas vnit, respuenda respuit; quæ, & si duæ videantur operationes, in hac tamen vnitate conueniunt, quæ est res simul conferre, siue per vnionem, siue per diuisionem; vnde compositio, atque diuisio, & si duæ sint operationes particulares, vnica hac comprehenduntur, quæ collatio dicitur. Ex istis multa incognita pertingere potest, & hic erit discursus; neque verum est, quod sit idem cum compositione, & diuisione, si quidem illę simpliciter per vnionem, vel separationem fiunt; hęc autem exigit notam illationis.

Conceptus formalis, & obiectiuus.

Conclusio

Ex dictis patet, tres esse intellectus operationes, neque plures, neque pauciores. At animaduertendum est; quod quamuis istæ operationes sint reales, atque physicæ considerationis; attamen si considerentur, vt per terminos, vel propositiones, aut syllogismos sunt explicandæ, vel potius ex istis connotantur, ad Logicum attinent, prima namq; operatio terminos, secunda propositiones, tertia syllogismos respicit; quamobrem nonnulli subiectum Logicæ adęquatum eas esse dicunt, de quo alibi. Sed Argumenta soluamus.

Ad primum dicitur. Aristot. de tertia quoque (licet non sic explicitè) loqui, vt in litera, & in expositione est videre.

Ad secundum patet; neque enim negari posset, quatuor esse particulares, sed illæ duæ ad vnum reducuntur, vt dictum est.

Ad tertium dicitur; aliud esse efficere propositiones

affirma-

affirmatiuas, & negatiuas; aliud illas iudicare, vel apprehendere; fieri enim nequeunt simplici apprehensione: imò prius vnus, postea alter terminus concipitur, at postquam factæ sunt, vnico intuitu apprehendi possunt; & tunc non est compositio, neque diuisio, sed apprehensio simplex. Sed contra; quia apprehensio simplex est rei simplicis, vel vnius, non autem plurium, vel compositarum. Respondetur, esse vel vnius rei vt vnius, aut simul apprehensæ, vt docet Arist. in Tex. 23. ait namque, dum totum simul cum partibus apprehenditur, habet rationem vnius apprehensionis.

QVÆSTIO XXI.

Si autem factorum, aut futurorum tempus cointelligens est, &c. Tex. 22.

An detur memoria intellectiua.

1. Arg. QVod non detur, probatur. Nam quotiescunque memorari volumus, idolum vel imaginem rei, quam per memoriam inuestigamus, concipimus; hęc autem est actio sensus interni, quoniam sicut prædictæ imagines sunt diuisibiles, & quantæ, sic quoque in organo, & potentia corporea recipiuntur.

2. Arg. Amplius. Aristot. de memoria, & reminiscentia nullam facit de hac intellectiua mentionem.

3. Arg. Præterea. Vel est eiusdem rationis cum sensitiua, vel non. Si eiusdem, hæc vel illa est superflua; si alterius; iam non memoriæ officio fungetur, nec nomen ipsius merebit, nisi æquiuocè. Oppositum tamen sustinet Scotus 1. sentent. dist. 3. quæst. 6. imò est ferè iam omnium Philosophorum sententia. Pro intelligentia sciendum est, quod dicitur memoria potentia, memoria habitus, & memoria actus; memoria potentia est vis, vel facultas animæ, qua in obiectum præteritum, vel tempore præterito cognitum ferri potest; At memoria, quæ dicitur habitus, est qualitas ex frequentatis actibus memorandi, ac ex multis receptis speciebus causata. Sed memoriæ actus est ipsemet actus memorandi, quæ fortè melius diceretur memoratio: hæ autem tres acceptiones conueniunt, tam intellectiuæ, quam sensitiuæ. Aliud notandum est, quod nulla operatio, vel habitus ipsius memoriæ esse potest, nisi per species in tali potentia receptas; omnes namque potentiæ cognitiuæ per species operantur, vt alibi dictum est. Sed ad resolutionem accedamus.

Conclusio. Datur itaque memoria intellectiua, quæ aliud non est, quam ipsemet intellectus, quatenus est capax specierum intelligibilium, & per ipsas in præteritum cognitum obiectum ferri potest; & ab aliquibus dicitur esse obiectum cum intellectu, sed tamen malè; quoniam sic omnis intellectiua cognitio esset memoria, cum vtrumque adsit; bene forte diceretur, si adderetur ad obiectum, quod fuerit olim cognitum; ab Arist. autem vocatur intellectus in habitu; hoc est intellectus plenus specierum intelligibilium, per quas facilè potest in res præteritas ferri. Quamobrem existimandum non est, esse potentiam realiter ab intellectu distinctam, sed forsitan solum ratione; ita vt quatenus intellectus ipse intelligit, intellectus dicatur; quatenus vero ad præterita, vel olim cognita se extendit, nuncupetur memoria; qua fortè de causa, non curauit Arist. de ipsa mentionem facere; attamen quia verè, & perfectè fungitur memorandi officio, potest absque scrupulo memoria vocari. Quod itaque detur; probatur certissimis, & quotidianis experimentis; memoramur namq; multorum vniuersalium, discursuum, demonstrationum, &c. quæ à sensu percipi nullatenus possunt; ergo.

Amplius. Potentia superior potest quicquid potest inferior eiusdem generis & plus; sed per sensum memorari possumus; ergo, & per intellectum. Item Arist. ipse in præcitato Textu 22. de memoria loquitur, & sermo eius est de anima intellectiua; ergo cum ipsa hæc copulanda est; aliter esset transitus de genere in genus. Denique, concedit, reminiscentiam esse opus intellectus in libello de memoria, & reminiscentia; ergo ad eundem pertinebit memoria, si quidem reminiscentia est cum discursu; hic autem supponit eiusdem potentiæ apprehensionem circa terminos, quorum oblita erat. Quid autem sit reminiscentia, & quomodo à memoria differat, dicetur in proprio tractatu. Nunc Argumenta soluamus.

Ad primum non negatur, intellectum opem, & ministerium à sensibus haurire; non tamen sequitur, ipsum per se non operari, licet quandoque tam in simpliciter intelligendo, quam in memorando etiam sine ipsis, vt dicetur.

Ad secundum dicitur; sat ibi fuisse de intellectu locutum fuisse; dum etenim ipsum recordari asserit, (quod fusè facit in hoc libro) memoriam intellectiuam statuit.

Ad tertium respondetur; esse nec eiusdem, nec penitus diuersæ rationis; sed nobilioris, eo modo quo intellectus sensibus præcellit; nec tamen altera est superflua, quia sensitiua intellectiuæ ministrat; illa eius insufficientiam supplet.

QVÆSTIO XXII.

Falsum enim in compositione semper est, &c. Tex. 22.

An veritas, & falsitas in compositione, & diuisione consistant.

ARguitur primò, quòd non. Veritas est passio entis; ergo vbicunque est ens, ibi est veritas, & vbi ipsum non est, ibi est falsitas; & sic non solum in compositione, & diuisione.

Secundò. In 2. de Anima Tex. 63. & inde sensu, & sensili, sensus circa propria obiecta vera esse, asseritur; ergo, cum hi non componant, neque diuidant; (loquimur namq; de sensibus externis) veritas, & falsitas non in sola compositione, & diuisione consistent.

Pro intelligentia sciendum est, quod duplex est veritas, scilicet incomplexa, & complexa, vel entis, & cognitionis; Prima dicitur omnis actualis conformitas rei ad sibi conuenientem naturam ad intellectum, diuinum, & aptitudinalis ad aliũ. Declaratur; dicitur, verus homo, si naturam verã humanam habeat; falsus, si pictam, vel alio modo; pariter dicitur verum aurum, si talem habeat naturam; falsum si aliam, vel apparentem; vnde falsitas veritati opponitur; neque simpliciter ac propriè aliquid falsum dicitur, nisi ad verum referatur, ac aliquam ipsius similitudinem referat; neque etenim de lapide dicemus esse falsum aurum, sed fortè de auricalco, aut alijs similibus: quamobrem tres sunt huius veritatis conditiones. Prima, quod in conformitate ad propriam naturam consistat, falsitas in difformitate cum aliqua conuenientia. Secunda, quod habeat actualem conformitatem ad intellectum diuinum, quoniam res omnes veræ ideis in mente diuinis, ex quibus creatæ fuerunt, actualiter respondent. Tertia, quod aptitudinaliter ad alium intellectum conformitatem hanc habeat: nam

res

res ipsæ natæ sunt apprehendi eo modo, quo sunt, & si aliter apprehendantur, vel apprehendi possunt; tunc erit falsitas. Hæc autem omnia sunt ex parte rei; quare sunt rei, vel entis veritas, & falsitas appellandæ. At veritas intellectus, vel complexa est conformitas actualis ipsarum rerum ad ipsum intellectum, cum actuali intelligentia ipsius; falsitas est actualis rei difformitas cum ipsius apprehensione, siue cum assensu, siue cum dissensu. Possumus etenim aliquod falsum apprehendere, & ei, vt vero assentire, ac etiam dissentire, & esse indifferentes, sed tunc non est veritas, neque falsitas; sed potius simplex quædam apprehensio; at quoniam omnis assensus, & dissensus cum cõpositione fit: hinc est, quod veritas, & falsitas complexa in compositione consistunt. Vnde patet quid sit dicendum. Pro maiori tamen intel-

Conclusio. ligentia tria sunt adhuc adnotanda. Primum, quod hæc veritas est obiectiuè in intellectu, fundamentaliter in rebus; imò res veræ hoc pacto dicuntur, quatenus sic ab intellectu concipiuntur, & in se consideratæ sunt entia, vt ab intellectu cognoscibiles sunt veræ. Secundum quod veritas, & falsitas instrumentaliter sunt etiam in verbis, scriptis, & signis. Tertium, quod ex ipsa veritate in rebus, & obiectiua potest causari habitus, qui subiectiuè, & fundamentaliter sit in intellectu, sicut sunt cognitiones, scientiæ, & omnes habitus; qui quoque veri dicuntur sumpta denominatione à conformitate prædicta; oppositi dicuntur falsi. Ad Argumenta.

Ad primum dicitur, illam esse veritatem incomplexam; tamen ad intellectum referri, nec fortè poterit dici humanitus veritas, nisi ab intellectu affirmetur, vel negetur sic esse; & diximus humanitus, vt Deum excipiamus.

Ad secundum eodem modo respondetur; sensus namque dicuntur veri, prout apprehendunt obiectum verè existens, & sine deceptione; sed hæc est veritas pariter incomplexa, entis, & fortè secundum quid.

QVÆSTIO XXIII.

Nihil prohibet intelligere indiuisibile, cum longitudinem intelligit, &c. Tex. 23.

An intellectus possit plura simul intelligere.

Arguitur primò, quòd sic. Sensus potest plura simul sentire; vt visus album, & nigrum; auditus sonum acutum, & grauem; ergo multo magis intellectus, qui perfectior est.

Secundò. Potentia, quæ comparat aliqua adinuicem simul, ea cognoscere debet; at intellectus comparat, vnde etiam dicitur potentia collatiua; ergo.

Tertiò. Nisi simul plura intelligeret, nihil scire possemus. Probatur consequentia; nam scire est effectum per causam, cognoscere, & quoniam illius est causa; si ergo solum effectum cognosceremus, & non etiam causam simul, patet, quod verum scire non esset.

Quartò. Vel esset repugnantia ex parte rei cognitæ, vel ex parte intellectus cognoscentis; non primò modo, quoniam res ipsæ sunt per species cognoscibiles: hæ autem species non habent repugnantiam, vt simul sint, neque ex parte intellectus; quoniam sicut est capax multarum specierum; ita quoque cognitionum, quæ ei ab illis ministrantur.

Pro intelligentia obseruandum est, quod in præcedentibus diximus; nimirum triplicem esse intellectus intelligentiam, vel operationem, nempe simplicium apprehensionem, compositionem, &c. Aliud obseruandum est, quod sub simplici apprehensione continetur cognitio quidditatiua, hæc namque, & si per plures terminos explicetur; tamen id efficitur sine affirmatione, & sine negatione; vt animal rationale est quidditatiua hominis cognitio nulla apposita copula, neque negata, neque affirmata. Denique animaduertendum est, quod cum intellectus sit vnica vis, vel agens naturale, non poterit habere virtutem infinitam, sed limitatam: imò circa quæcunque intendat, non erit adeo intensa cogitatio sicut si seorsum vnumquodque contemplaretur. Quibus habitis per tres respondeamus conclusiones.

Prima. Simplici apprehensione, prout neque ad quidditatiuam extenditur, intellectus potest plura simul intelligere; hoc etenim de se notissimum est, & probatur efficaciter ab omnibus argumentis in principio quæstionis; atque est sententia Scoti in 1. sent. d. 3. q. 6.

Secunda. Cognitione quidditatiua, plura simul perfectè, & actualiter intelligere nequit; diximus perfectè, & actualiter, quia imperfectè, & virtualiter non est inconueniens. Quod autem modo prædicto non possit; probatur, nam intelligere aliquid quidditatiuè, omnem conatum, omnesque intellectus vires requirit; ergo ad alia hoc modo intelligenda non remanet pro tunc facultas. Amplius. Vnusquisque in se, quod dicimus experiatur: (& erit efficacissima probatio) quis namque (si verum fateri velit) dum perfectè equi naturam, & quidditatem actualiter speculatur, vel intelligi potest, eam, quæ est Leonis eodem modo cognoscere possit?

Amplius. Id videtur expresse velle Arist. 2. Top. cap. 4. contingit (ait) vnum intelligere, scire verò plura. Vbi per scire habitus scientiales intelligere debemus; horum namque plures in nostro intellectu esse possunt. Quod autem plura quidditatiuè imperfectè, & virtualiter cognoscere possimus, patet; nam intelligendo quidditatem Leonis, adumbratè, & cum aliqua intentione alteram respicere possumus: hoc autem est virtualiter de proximo cognoscere, non autem actualiter, & perfectè.

Tertia conclusio. Intellectione discursiua, plura cognoscere non possumus; in hoc tamen sensu, quod non cognoscamus actualiter, alium diuersum discursum. Hæc sicut præcedens, & efficacius probari potest; dum etenim intellectus perfectè alicui discursui intendit, alterum non comprehendit; vt ex se luce clarius est. Verum, quæ ad eundem discursum pertinent, ac fortè alia simul simplici apprehensione cognoscere potest, ac simul etiam complicare, & conferre: aliter nunquam concluderet, nihilve sciret, vt probat tertium Argumentum.

At modo ipsa argumenta prout contra has conclusiones faciunt, soluamus.

Ad primum dicitur, etiam intellectum plura simul apprehendere posse, non autem perfectè quidditatiuè, nec per discursum: quia omnimoda ipsius virtus requiritur ad hæc cognoscenda.

Ad secundum dicitur, comparationem supponere interdum simplicem comparabilium apprehensionem, & tunc simul ipsa intelliguntur. At dum est comparatio, vel quidditatum, vel discursuum, vnica virtuali cognitione, cum velocitate actualis ad ambo, vel plura comparabilia fit intellectio sufficiens. Sed quæritur, quænam est hæc virtualis cognitio? Respondetur, esse cognitionem non perfectè actualem, sed veluti in radice, & facilè de proximo ad actum perfectum reducibilem.

Ad tertium patet ex dictis: in scientijs namque, & actualiter apprehensiuè, & virtualiter quidditatiuè plura cognoscimus, & præsertim causam, & effectum.

Ad quartum dicitur, repugnantiam ad perfectè intelligendum esse ex limitatione, & actiuitate finita intellectus nostri. Neque est par ratio de receptione specierum, aut de intelligentia simplici; quia illę potentiam solum

solum passiuam expostulant, quæ interminata est capacitas; hæc autem non totum requirit intelligentis conatum. Sed nunquid simplici apprehensione possimus infinita intelligere; Respondetur negatiuè, propter ipsius intellectus finitatem; imò neque ad multa se extendit, atque ea facilius intelligit simul, quæ ordinem, vel connexionem, vel alium respectum habent,

---

QVÆSTIO XXIV.

Quapropter nunquam sine phantasmate intelligit anima. Tex. 30.

An possimus intelligere sine phantasmate.

ARguitur primò, quòd sic. Si etenim sine ipso intelligere nequiremus, anima non esset separabilis, vt visum est de mente Arist. in tractatu de animæ rationalis immortalitate.

Secundò. Nobilius non dependet ab ignobiliori; at intellectus est nobilior quocunque sensu; ergo ab ipso non dependet, & per consequens sine ipso operari, vel intelligere potest,

Tertiò. Phantasmata sunt imagines rerum singularium, & materialium; at intelligimus etiam vniuersales, & immateriales.

Pro intelligentia sciendum est, quod ordo cognoscendi intellectus est iste; obiectum primò mouet sensus externos; hi autem internos, atque isti (adiuuante intellectu agente) mouent intellectum possibilem; huiusmodi autem ordinis congruentia est ex hoc, quod licet intellectus sit potentia spiritualis, est tamen forma materiæ: quare ipsi proportionari, & secundum conditiones eius omnes, vel quampluses efficere operationes debet; quamobrem per sensus externos primò operatur: hi autem feruntur immediatè in obiectum aliquod materiale sensibile; nam circa immateriale sunt improportionati: hæc itaque ratio est, vt sic modus cognoscendi sumatur, cui addi potest, quod naturaliter illæ potentiæ prius operationes edere debent, quæ circa conseruationem suppositi versantur; alia etenim veluti extranea in comparatione ad hoc existimanda sunt; quod quidem experientia patet; nutritio namque à principio natiuitatis, vel conceptionis vsque ad interitum (eo quod est simpliciter necessaria) durat; quæ tamen cum substantiam rei immediatè concernat, non potest esse externa potentia; sed bene ab alijs externis materia sibi ministranda est; ex opposito autem, intellectus, voluntatis, ac memoriæ vsus, longum post tempus accedit; ex dictis tres elicere possumus conclusiones.

Prima. Intellectus in prima rei apprehēsione, necessariò semper phātasmata speculatur. Probatur; nā ex ipsis elicit species intelligibiles, quod efficere non posset, nisi ipsa contemplaretur. Amplius. Primæ intellectiones ex obiectis externis ortum habent; hæc autem species sensibiles in externis sensibus, ac phantasmata in imaginatione producunt, ex quibus intellectio incipit.

Secunda conclusio. In quibusdam alijs intellectionibus intellectus necessariò non vtitur immediatè phantasmatibus; hęc conclusio sufficienter probatur ab argumentis in principio quæstionis. Attamen, quia omnes intellectiones ex ipsius phantasmatibus, siue mediatè, siue immediatè originem habuerunt, hinc est, quod simpliciter asserere possumus nos non intelligere sine ipsis; quemadmodum si diceremus, aliquem non posse vnquam loqui sine nutrimento; non quod ipso vtatur immediatè, sed quia vt fundamentum necessarium supponitur.

Tertia conclusio. In qualibet intellectione, etsi phantasmata non necessariò concurrant, attamen magnopere iuuant; siquidem colligatio, vel vnio potentiarum efficaciorem reddunt operationem; vnde & si Deum, vel ens contemplamur, facilius id efficimus si aliquid illorum in phantasia fingamus, quam alio modo: & secundum hanc vtilitatem, possumus quoque vniuersaliter asserere, semper intelligentem phantasmata speculari; quamobrem, & si intellectus simpliciter ex sensibus non pendeat, vtitur eis sicut ministris, sine quibus non bene agit.

QVÆSTIO XXV.

Vtrum autem contingat aliquod separatorum intelligere, &c. Tex. 36.

An possimus distinctè intelligere substantias abstractas, vt intelligentias, &c.

SVbstantias separatas distinctè concipi, potest intelligi dupliciter; primò quidditatiuè, sic nimirum, quod perfectè ipsarum quidditas per immediata prædicata cognoscatur, & hoc pacto, neque ipsæ, neque aliæ quęuis substantiæ à nobis pro hoc statu cognosci possunt, vt in proprio quæsito visum est. Secundo modo intuitiuè, vel quoad existentiam, ita videlicet, quòd naturalibus rationibus ipsas esse probare possimus, & hoc modo affirmatiuam partem defendimus. Nam Arist. in 8. Physic. efficacissimis rationibus primum Motorē esse ostendit, quod quidem per rationes quoque Metaphysicas ostendi potest; nam ens diuiditur per dependens, & independens; at quod dependet aliud exigit; ergo ad illud deueniendum est; omnes autem res materiales ab aliquo dependere debent; siquidem in se non habent causam necessariam suæ conseruationis; ergo ab immateriali, non ab accidenti, quia substantia ab accidenti non pendet; ergo à substantia immateriali, & sic habetur intentum.

Amplius. Ens diuiditur per corporeum, & incorporeum; ergo, sicut hoc datur, & illud. Pariter per contrahens, & necessarium. Adhuc per motus quoque non vnitas tantum, sed pluralitas, secundum pluralitatem orbium mobilium motores colligere possumus; quod quidem insinuat Aristot. in 8. Physic. dum vnius motus esse vnum motorem asserit; atque in 12. Metaph. ostendit, vbi secundum numerum orbium, intelligentiarum multitudinem colligit. Ex dictis elicitur contra aliquos, non solum per motum, sed alia via substantias abstractas inuestigabiles esse, aliter Physica esset prior, & subalternans respectu Metaphys. saltem secundum aliquas partes. Probatur consequentia; nam de subiecto principali ipsius Metaphys. ostenderet, si est; ac Metaphys. ipsa acciperet hoc, vt cognitum ab ea; at illa facultas cuius principia, vel præcognitiones ab alia probantur, est ei subalternata, & posterior. Sed animaduertendum est, quod hæc cognitio dicitur intuitiua, non quod simplici intuitu, vel apprehensione fiat; fit namque discursu, atque est terminus eius; sed prout terminatur ad existens; intueri namque est rem existentem perspicere, siue sensibus, siue intellectu, siue simplici apprehensione, siue discursu. Dicitur quoque notitia distincta; non quod distinctè, & quidditatiuè per ipsam prædictas substantias cognoscamus; sed quia ipsas cognoscimus ab alijs distinctas, vt alibi dictum est. At duæ remanent difficultates. Prima si intelligantur per propriam speciem, vel non. Secunda. Si in hac vita possent ab intellectu cognosci sine ministerio sensuum.

Ad

Ad primam dicitur, per proprias cognosci species intelligibiles, licet non immediatè intellectui præsententur. Sed est talis ordo, quod ex sensibus, & sensibilibus intelligibilia indagamus, & simul species ipsorum. Quod autem per proprias (quæ videlicet alteri non conueniant) intelligantur, ex eo cognosci potest, quod ipsas ab alijs distinctas, ac alterius naturæ esse percipimus, neque relatiua, aut priuatiua existunt, vt alienis indigeant speciebus.

Ad secundum respondetur negatiuè; ordo namq; potentiarum animæ inuariabilem includit naturaliter dependentiam. Sed nonne quamplures extasim patientes Angelos, aliosve spiritus, absque sensuum ministerio perspiciunt? Respondetur, vel id esse naturaliter, & tunc crederem esse opus phantasiæ, vt accidit in somnijs, licet cum maiori conatu, & magis alijs potentijs destitutis; vel est supernaturale; & tunc nullum est absurdum; omnis enim ordo naturæ à supernaturali pendet.

QVÆSTIO XXVI.

Non enim lapis in Anima est, sed forma. Tex. 38.

An dentur species intelligibiles, quid sint, &c.

1 Arg. QVod species intelligibiles ponendæ non sint, sic probari potest. Vel hæ species repræsentarent res eo modo, quo sunt, vel alio; non alio, quia essent causa deceptionis, cuius oppositum est sentiendum, si quidem ad sciendum sunt ordinatæ; non eodem; quoniam cum per ipsas res materiales, vel quantas intelligamus, erunt suo modo diuisibiles, vt de sensibilibus dictum est; quamobrem in intellectu indiuisibili recipi nequibunt.

2. Arg. Amplius. Cum ipsæ species sufficienter repræsentent obiectum, sequeretur omnia, quorum species habemus semper à nobis intelligi; quod quidem est falsum, & contra experientiam.

3. Arg. Denique. In nulla intellectione indigeremus phantasmatibus, quod falsum esse superius ostendimus; consequentia est euidens; nam ipsæ sufficerent ad mouendum intellectum, sibique obiectum præsentandum.

4 Arg. Oppositum tamen, & secundum veritatem, & secundum Aristot. sentiendum est; ipse namque in præcitato Textu 38. & circa principium eiusdem libri Tex. 6. & alibi, has species ponendas esse affirmat. Quem sequuntur Auuerroes, Scotus, D. Thomas, & maior, atque melior Philosophorum pars. Quod his rationibus confirmari potest. Prima. Dum intellectus intelligit vniuersalia, vel ipsa sunt realiter in intellectu, vel nihil, vel species sensibiles, vel tandem intelligibiles; non ipsa realiter, vt notum est; dum etenim intelligo hominem, non est in me, &c. Neque nihil, quia nulla esset ratio intelligendi; nec species sensibiles, quia hæ vniuersale nō monstrant; ergo ibi sunt species intelligibiles. Amplius. Sensus omnes per species operantur, vel cognoscunt, vt suo loco declaratum est; ergo multo magis sic cognoscit intellectus. Probatur consequentia; nam maior est proportio inter sensum, & res sensibiles, quam inter intellectum, & intelligibilia, (siquidem, multo, & omnia quanta, vel materialia intelligibilia sunt, quæ cum immateriali potentia non sic conueniunt) quamobrem cum sensus sine specie cognoscere nequeat, neque id efficiet intellectus. Præterea. Nisi species hæ in intellectu essent, in nostra potestate non esset intelligere, neque aliquid per continuum exercitium, & laborem addiscere mus, nec potentia ad intelligendum magis hoc, quam illud determinaretur. Probatur prima consequentia. Nā omnis intellectio fit ab intellectu, & obiecto; ergo cum intellectus est absens, nec aliud vicem, vel imaginem eius supplens adesset, iam intelligi non posset; præcipuè si esset vniuersale, vt phantasmata excludamus. Probatur secunda consequentia; nam si nihil post studium in intellectu relinqueretur, iam semper eodem modo sciremus nihil, nec aliud remanere potest, quam istæ species cum quadam agilitate potentiæ. Probatur tertia; nam intellectus est indifferens ad intelligenda omnia; ergo determinari debet, nec ab alio conuenientius, quam ab his imaginibus, vel speciebus. Sed pro vberiori intelligentia, aliquæ sunt examinandæ dubitationes. Prima. Quid sint hę species intelligibiles. Secunda, quorum sint. Tertia. Cur non semper actualiter intelligimus ea, quorum sunt species. Quarta. Quomodo ad intellectionem concurrant. Quinta. Quo differant ab ipsa intellectione, obiecto, & verbo. Species intelligibiles quid. Quorum.

Ad primam dicitur, esse imagines rerum, ab esse materiali, & extenso, virtute intellectus agentis ad spirituale redactas, atque in intellectu possibili receptas. Sed quomodo res spiritualis potest res materiales repræsentare; dicetur in solutione primi Argumenti.

Ad secundam dicitur, esse omnium horum, quæ possunt sola concipi, vel cognosci; ita videlicet, quod sicut aliquid solum sine ordine ad aliud percipitur, sic propriam habeat intelligibilem speciem; quamobrem non solum vniuersalia, sed singularia per propriam speciem etiam cognoscibilia sunt; modo non sint alijs iuncta; sicut namque intellectus singularia cognoscit, sic species ipsorum habet, quamuis multis interdum inuolutas dispositionibus, & accidentibus. Quæ verò ab alio dependent, vel essentialiter referuntur, propriam non habent speciem, sed vel cum alijs, vel nullam, vel modum speciei; sic autem se habent relatiua secundum esse, entia rationis, proprietates, vel passiones, priuationes, & negationes.

Ad tertiam dicimus; Ideò nos non semper actualiter intelligere, quia requiritur applicatio intellectus, nec ipsæ solæ species sufficiunt; Facilius autem, vel sæpius ea intelligimus, quæ sunt magis cognoscibilia, vel familiaria: vnde fortius impressas habent species, quæ etiam efficacius mouent.

Ad quartam respondetur, concurrere instrumentaliter, & loco obiecti.

Ad quintam dicimus, differre ab intellectione realiter, vt instrumentu n ab effectu, nam intellectio est effectus eius, vt instrumenti; quod autem realiter differant, ex eo patet, quod manent species sine intellectione, & hoc pacto quoque distinguuntur ab obiecto, cuius sunt imagines, effectus, & instrumenta; imagines, quia ipsum repræsentant; effectus, quia ab ipso gignuntur; & instrumentum, quia per ipsas agit in intellectum. Differunt autem à verbo pariter, sicut causa instrumentalis ab effectu; Verbum etenim dicitur terminus intellectionis, vel dictionis; dum enim aliquid intelligimus, terminatur intellectio illa ad conceptum, rei intellectæ; & hæc vltima terminatio, vel effectus, vel terminus repræsentans vocatur verbum mentale, sicut, quod ore explicatur, dicitur vocale; quamobrem verbum est effectus intellectionis, intellectus, obiecti, & speciei, secundum diuersum modum; nam intellectus, & obiectum sunt causæ principales, species instrumentales, intellectio est via, vel quasi actio. Sed soluamus Argumenta principalia. verbum.

Ad primum dicitur; has species repræsentare res eo modo, quo sunt; nec oportet esse materiales, sed sufficit, vt sint nobiliores; sic namque plus possunt, & eminentiori modo.

Ad secundū patet; requiritur nāq; præter species sufficiēter repræsentantes intentio, vel applicatio intellectus.

Ad

Ad tertium negatur consequentia; nam ordo potentiarum talis est, vt mutuò adinuicem se adiuuent; sic igitur species intelligibiles, quamuis possint mouere intellectum, adminiculo indiget, non essentialiter, nec semper; vt alibi dictum est.

QVÆSTIO XXVII.

Alij autem eam, quæ rationem habet, & eam quę ratione caret. Tex. 41.

An potentiarum animæ aliquæ rationales, aliquæve irrationales dici possint.

PRo resolutione sciendum est, quod Arist. vsus est hac distinctione in 1. Ethic. cap. 13. hic autem solum Antiquorum (ad rem) dicta recenset. Potentiæ itaque dici possunt rationales, vel essentialiter, vel per participationem; & pariter ex opposito vtroque modo possunt irrationales appellari, vel quia essentialiter non sunt tales, vel quoniam nullatenus ratione participant, atque possunt sic dici priuatiuè, vel negatiuè. Potentiæ itaque essentialiter rationales sunt intellectus, & voluntas; (cui addi posset memoria intellectiua, si defenderetur, esse ab his distinctam, sed re vera non distinguitur ab intellectu, vt suo loco traditum est) intellectus itaque est essentialiter rationalis; nam quidditas eius rationalitatem includit; imò hac quoque de causa ratio appellatur, & ex eius radice, discursus, vel argumentatio, cæteraque ab ipsa immediatè pendentia rationes sæpissimè appellantur. At voluntas dicitur quoque rationalis dupliciter; & quia est idem realiter omnimodè cum intellectu, vel anima rationali præcisè sumpta; & quoniam nihil agit, nisi simul concurrente ratione: vnde si effectus eius causalitate intellectus indiget, & causa causæ innititur. Imò omnes actiones voluntariæ rationales, & irrationales dicuntur, prout secundum rectam, vel non rectam rationem fiunt. Sed quæritur, quæ sit nobilior potentia, voluntas, an intellectus. Respondetur; voluntatem, quia habet simplex imperium super omnia; intellectus autem est, quasi consiliarius, & lumen, quo mediante operatur; quamobrem intellectus simplices operationes, nec pœnam, nec præmium expostulant, nisi quatenus à voluntate imperantur.

Notandum est etiam, quod ratio, & intellectus in homine nullatenus differunt; & si fit communis vsus, vt intellectus dicatur, dum simplici intelligentia cognoscit; ratio autem, dum discurrit. Diuiditur ratio (rationem tantum) in superiorem, & inferiorem portionem; dicitur portio superior; dum tendit in Deum, vel in ea, quæ ad ipsum attinent. Inferior, dum alia respicit. Pariter diuiditur, in rectam, & non rectam. Recta superior est, quæ secundum leges diuinas ostendit voluntati, quod sit agendum. Inferior, quæ secundum legem Naturæ, vel humanas. Non recta, quæ ab his declinat.

Potentiæ rationales per participationem sunt omnes, quæ imperio voluntatis subduntur, ac quorum sunt actus imperati; vt omnes quinque sensus, aliquæ internæ potentiæ, nempe imaginatiua, sensus communis, memoria, &c. Sed harum aliquæ magis, aliquæ minus huic subduntur dominio; nec in omnibus, vt de se notum est; facilius namque obedit visus, quam cogitatiua; pariter potentia motiua; attamen quia vel in operatione, vel in modo aliqualiter ei conformantia rationales participatiuè plus, vel minus dici possunt; atque dicuntur ex alia partes irrationales, provt non sunt essentialiter tales. At irrationales simpliciter sunt, quæ nec rationem includunt, nec ipsi obediunt; quemadmodum sunt omnes potentiæ animæ vegetatiuæ in homine, vt nutritiua, generatiua, augmentatiua, &c. Et dicuntur irrationales priuatiuè, non quod aptæ sint habere rationem in se, sed solum ratione suppositi; & ferè eo modo, quo diximus, aliam esse priuationem in genere, aliam in specie, &c. Irrationales purè negatiuæ sunt potentiæ brutorum.

Videntur autem duo hæc mouentia, aut appetitus, aut intellectus. Tex. 48.

De Potentijs motiuis.

FVsè quidem de motu, ac eius potentijs in expositione libelli de animalium motu dicemus. Nunc solum compendiosè, quæ ad ipsum attinent colligamus. Sciendum est itaque, sex conuenire ad causandum motum animalium (siue sit progressiuus, siue natatiuus, vel reptilis, &c.) videlicet obiectum, potentiam cognoscentem, appetitum, & tria instrumenta corporea, puta cor, spiritus, & musculos. Obiectum inquam, quia cum omne agens sit propter finem, & motus animalium terminum intendat, profectò ad obiectum ibit, aliter moueretur à nihilo, quod est absurdum; hæc autem est motio metaphorica, quoniam reuera non actualiter pellit. Sequitur potentia cognoscitiua; obiectum etenim cognosci debet; hæc autem siue sit intellectus, siue imaginatio, vel etiam sensus externus nihil refert. Omnes etenim hæ potentiæ cognoscunt suo modo; nam percipiunt obiectum sibi conueniens; nec non sic ab eius qualitatibus afficiuntur, vt sint sufficientes eas distinguere; necnon ad prosecutionem, vel fugam appetitum excitare, & potissimum intellectui propriam ministrare cognitionem.

Post hanc est appetitus, vel rationalis (qui dicitur voluntas) vel sensitiuus tantum (qui in irascibilem, & concupiscibilem distribuitur) hic itaque in sibi præsentatum obiectum fertur, vel vt ad bonum cõsequendum, vel vt ad malum fugiendum; vnde præcipit motum prosecutionis, vel fugæ; eius est etenim præcipere, siue cum libertate, vt præcipit voluntas; siue naturaliter, vt alter appetitus; accipiatur autem hic præcipere largè, pro quacunque determinatione; Ex his statim mouetur cor non localiter, sed spiritus animales excitando; hi namque cum sint subtilissimi, (etsi inanimati) faciliter hinc illuc decurrunt, atque agilitatem præbent; vltimum tandem executiuum ipsius motus sunt musculi, qui partes diuersas simul colligantes, veluti cardines aptitudinem, & immediatam habent dispositionem, vt vim impultricem è corde manantem recipiant, ac alijs communicant. Constituuntur autem ipsi ex venis, neruulis, carne, & arterijs, vt in debita quadam temperie existentes, duritie non sint inepti, vel immobiles; nimia verò mollitie nimis cedentes, vel flaccidi: illud si ossei, vel nerui puri existerent, accideret: hoc, si ex carne, & venis solum constarent; hæc itaque de his præcipuis motibus dicta sint. Sed restant dubitationes de quibusdam particularibus puta de risu, fletu, tussi, & sternutatione. Quibus omnibus vniuersaliter respondetur, hos omnes motus effectiuè fieri à prædictis decurrentibus spiritibus. At peculiariter: Risus causatur ex puritate spirituum: hi etenim, vel ex aliqua lætitia, vel ex contactu, aut admiratione rarefiunt, ac purificantur (omnia namque, quæ sunt in nobis, primum motiuum nata sunt sequi, & velati omnibus numeris absolutissimum multarum fidium instrumentum concordari;) vnde maiorem petunt locum, & sic fit dilatatior, & maior, vbi plus effici potest; quamobrem præcipuè accidit circa os, quod est ianua, vbi terminantur.

Lachrimas sæpissimè excitant, nam decurrentes humores impellunt; qui pariter, vnde possunt egrediuntur, ad hoc autem aptissimi sunt oculi. Quod autem communiter dicitur, splen esse causam risus, non est verum, nisi per accidens, quatenus videlicet fęces ex iecore sumens, puriores reddit animantes spiritus; sed in se est veluti totius corporis latrina, ac omnium fęcium ex corde, & iecore procedentium receptaculum. Vnde qui nimis ipso abundant, terrei, vel plumbei sunt coloris, & si ad risum sint, vt plurimum proni; quod accidit eo quod facilius, fęces prædictæ recipi in capacissimo vase possunt; quare quoad hoc prodest; sed ex nimia redundanti prædicta materia, aliæ accidunt non bonæ dispositiones, & colores.

Fletus. Fletus pariter ex spirituum motu causatur; hi namque ex męstitia, quæ frigiditati iungitur, comprimuntur, ac humores comprimunt, & pellunt, simulque cum ipsis exitum petentes, lachrimas propellunt, ac os patefaciunt.

Tussis. Sed tussis ex motu pulmonis spiritum quoque emittentis ad respirationem causatur. Contingit namque, vt frigidi quandoque humores cerebri abundantes descendant vsque ad interiora, atque ibi conglutinati pulmonem opprimant; hic autem se liberare appetens, concutitur; vnde fit talis motus, vel maior, vel minor. Interdum in arteria aspera dicti humores insident; & tunc ab aere respirato cientur.

Sternutatio. Sternutatio autem procedit, dum aliqui humores frigidi, in spiritus statim resoluuntur; hi autem cum sint rariores maiorem petunt locum, vnde statim erumpunt; hinc est, quod si ad Solem aspiciamus, facilius id patimur; pariter quamplurimis rebus calidis, & mordacibus hoc efficimus eadem de causa. Ad easdem causas alio modo dispositas alij motus reduci debent, vt Stertio, Pulsio, Suspiria, &c. hæc namq; nempe suspiria (de alijs alibi dictum est) causantur ex eo quod animus, atque

Suspiria. cor nimis alicui rei graui intendens, atque laborans aeris respirati à pulmone magna parte vtitur, ac calefactam, veluti magnum hiatum, in magna copia foras emittit.

QVÆSTIO XXIX.

Diuidentibus autem animæ partes, &c. Tex. 52.

De quibusdam præcipuis habitibus, ac passionibus Animæ.

POtentiæ animæ diuidi possunt in rationales, sensitiuas, & naturales. Rationales sunt intellectus, & voluntas. Sensitiuæ sunt sensus externi, & interni cum motiua localiter. Naturales sunt omnes, quæ ad vegetatiuam spectant. At rationalium, & sensitiuarum, aliquæ sunt cognoscitiuæ, aliquę appetitiuę. Cognoscitiua rationalis, est intellectus, appetitiua voluntas. Sensitiuarum (dēpta motiua) omnes sunt cognoscitiuæ, excepta item vna, quæ appetitus sensitiuus dicitur. De his autem omnibus passim in pręcedentibus cum in textuum expositione, tum in quæstionibus diximus; nunc solum de quibusdam ipsarũ habitibus, & passionibus aliqua pro adolescentibus dicamus; & potissimum de his, quæ ad rationalem, & ad appetitum sensitiuum pertinent. At priusquam hoc aggrediamur; quæ differentia sit inter rationalem, & sensitiuum appetitum, consentaneum est dicere; sed antea in quibus conueniant. Est igitur ipsorum conuenientia in tribus. Primum in principio operandi; vterque enim aliquam supponit cognitionem: voluntas eam, quæ est intellectus: appetitus sensitiuus eam, quæ est imaginationis. Secundo, conueniunt in ratione obiecti; nam vterque bonum sequitur, malum refugit. Tertio in quibusdam passionibus, vt est amare, odio habere, &c. Differunt autem in sex. Primo, quia voluntas potest esse circa vniuersale, eo quod cognitionem intellectus sequitur; at appetitus sensitiuus semper est circa singularia, vel singularizata. Secundo. Voluntas est essentialiter libera, atque est in sua potestate velle, & nolle hoc, vel illud, quod quidem efficere nequit sensus. Tertio, ratione habituum; plurium etenim est capax voluntas, quam appetitus sensitiuus; nam omnes virtutes morales in ipsa fundantur. Quarto, ratione dominij; nam voluntas appetitui huic, & alijs imperat, cohibet, vel retardat. Quinto, ratione benè, vel malè operandi; solum etenim voluntati merita, & demerita tribuuntur. Sextò, quod ipsa voluntas potest supra se reflecti, vt velle se voluisse, &c. Alij tres alias differentias addunt, videlicet, quod voluntas eligat; sed hæc continetur sub secunda; nam si est libera, eligit. Pariter, quod appetitus non possit sine voluntate. At hoc pertinet ad quartam. Similiter, quod non subdatur cęlesti influxui, quod etiam ad secundum attinet; si etenim libera est, ab aliquo cogi non potest. Nunc ad habitus accedamus. Habituum itaque, alij sunt intellectus, alij voluntatis, alij appetitus sensitiui. Intellectus itaque habitus præcipui sunt quinque, nempe, sapientia, intellectus, scientia, ars, & prudentia. Sapientia est cognitio altissimarum causarum, vt Dei, aliorumque entium abstractorum. Intellectus est cognitio primorum principiorum, quæ vocatur nomine intellectus, quatenus solo ipsius lumine acquiritur. Scientia est cognitio certa per causas. Ars est recta ratio, vel regula rerum factibilium; dicuntur res factibiles, quæ sunt extra operans, vel circa externam materiam; vt ædificatio, scriptio. Prudentia est recta ratio rerum agibilium; dicuntur res agibiles, quæ manent in operante, vel quæ ad morales spectant. Hæ autem adhuc omnes diuidi possunt in speciales; nam sapientia, vel erit naturaliter acquisita, puta per naturales rationes, & sic est Metaphysica, vel innititur fidei, & sic est Theologia. Pariter. Intellectus, vel erit circa principia naturaliter nota, vel reuelata, &c. Scientia autem diuiditur in realem, & rationis: & illa in practicam, & speculatiuam, de quibus in 1.q.1. Phys. Ars in liberales, & mechanicas secatur. Liberales sunt, Grammatica, Rhetorica, Logica, Astrologia, Musica, Aritmetica, & Geometria; & si iste sit vsus communis potius, quam bona diuisio; quædam namque harum sunt meræ scientiæ. Artes Mechanicæ sunt: Lanificium, Nemoraria, Militaris, Nautica, Agricultura, Medicina (nempe operaria,) & fabrilis. Prudentia pariter circa omnia versari potest; vnde est veluti radix, condimentum, & lumen omnium humanarum operationum. At præter hos habitus, qui circa certam veritatem versantur, sunt alij tres, puta fides, opinio, & suspitio; quibus veluti priuatiuè opponitur error; ex quo etiam fit habitus erroneus. Habitus voluntatis sunt quatuor principales; puta Iustitia, Prudentia, Fortitudo, & Temperantia; qui dicuntur Cardinales; nam sunt bases, fundamenta, & cardines omnium moralium virtutum; si quis namque per singulas discurrat, ad hos reduci perspiciet; dicuntur autem habitus prout radicatæ sunt; virtutes, quatenus hominem probum efficiunt. Sed nonne prudentia posita fuit habitus intellectus? respondetur, duo includere prudentiam; nempe præuisionem futurorum; & sic est habitus intellectus, atque dispositionem, & ordinem; & sic attinet ad voluntatem. Appetitus autem sensitiui sunt alij habitus communes, & sine ordine, tam ad bonum, quam ad malũ, vt iracundię, audacię, continentię ludi, ebrietatis, &c. quę possunt saltem adũbratè brutis quoque cōpetere, vt speculanti notum erit. Attamen in hominibus cũ voluntatis habitibus sępe sępius miscentur. Sed nũquid dictæ potentiæ carent habitibus? Respondetur, eas quoque aliquos habere, vt

patet de imaginatione, memoria, &c. Attamen, quia virtutes, & vitia non ita immediatè respiciunt, de ipsis non fit, nec facienda est mentio. Nunc ad passiones accedamus. Sunt itaque passiones animæ, quæ aliquam faciunt mutationem in potentijs, & pertinent potissimum ad voluntatem, & ad appetitum sensitiuum; ratio est, quia hæ duæ potentiæ sunt executiuæ, & dominæ; vnde eis contingit secundum has affectiones moueri, ad bonum prosequendum, vel malum fugiendum; sunt itaque aliquæ appetitus concupiscibilis, aliæ irascibilis, & omnes simul conueniunt voluntati, quæ sicut est nobilior, sic eminenter passiones, & cetera appetitui conuenientia continet. Appetitus itaque concupiscibilis ad bona prosequenda, malave fugienda est animalibus tributus. Irascibilis ad remouenda impedimenta, quibus bona consequi, vel mala euitari non possunt; vnde dicitur esse circa obiectum arduum; passiones itaque concupiscibilis sunt sex, videlicet tres circa bonum consequendum, & aliæ tres circa malum fugiendum; primæ sunt amor, desiderium, & delectatio. Secundæ, sunt odium, fuga, seu auersio, & tristitia. Amor est inclinatio, vel complacentia rei conuenientis, atque diuiditur in concupiscibilem, & honestum; primus versatur circa delectabilia, & vtilia; alter circa bonum honestum; ipse autem amor est radix, & origo omnium aliarum passionum; cuius adæquatus effectus est zelus; qui est desiderium, vel cupiditas remouendi omnia, quæ a bono conuenienti ipsum possunt auferre, vel distrahere, &c. Post autem conceptum bonum, innascitur desiderium ipsum consequendi. Si tandem obtineatur, sequitur voluptas, vel delectatio, quæ est veluti terminus, & quies prædictorum. Si autem eadem potentia versetur circa malum fugiendum, prima passio eius est odium illius mali: si autem tale malum videtur imminens sequitur alia passio, quæ dicitur fuga, vel auersio. Cùm tandem iam aduenit, sequitur tristitia, vel displicentia. Irascibilis autem quinque sunt passiones. Prima est spes circa bonum arduum consequendum. Secunda est audacia, quæ est motus, vel maior quædam propensio, & dispositio ad remouendas difficultates circa malum superandum, vel bonum adipiscendum. Quibus adeptis, vel ad finem redactis, sequitur delectatio, vnde non ponitur passio alia ab ea, quæ fuit concupiscibilis; hæ itaque passiones ordinantur ad prosecutionem remediorum, vel boni acquisibilis, vel mali euitandi. At si nec illud acquiri, neque hoc vitari posse videatur; tres insurgunt aliæ passiones, videlicet desperatio, timor, & ira; desperatio eo, quod remedium possibile non apparet; timor ob certitudinem irreparabilis mali; ira ob ipsum iam præsens.

Finis Tertij Libri de Anima.



ANTO-

ANTONII ROCCI

De Scurcula Marſorum.

IN PARVA NATVRALIA Ariſtotelis Paraphraſis.

De Senſu, & Senſilibus.

CAPVT PRIMVM.

Quæ partes animæ communes dicantur, de quibus naturalis habet conſiderare. Quoque modo ſinguli ſenſus animalibus inſint.

Q Voniam autem de anima ſecundum ſe ipſam (hoc eſt eam definiendo) determinatum eſt prius, & maximè in ſecundo de anima, ac etiam de qualibet virtutum, vel potentiarum ſecundum partem ipſius; (hoc eſt prout ab ipſa anima prouenıunt, ac virtutes ipſius ſunt, non habito expreſſo tractatu de corpore, vel de viuentibus) conſequens igitur eſt facere conſiderationem de animalibus, & omnibus viuentibus, videlicet, quæ ſint propria operationes ipſorum, ſeu ſingularium ſpecierum, quæ verò communes omnibus viuentibus, & hoc modo de potentijs animæ prout ſunt virtutes ipſius, ac prout ſimul corpus reſpiciunt, determinatum erit. Quæ igitur dicta ſunt de anima ſecundum ſe, ſubijciantur (ſeu accipiantur vt manifeſta) de reliquis autem dicamus, & primum de primis, ſeu communibus. Videntur autem maximæ, vel præcipuæ paſſiones animæ, tam propria animalium, vel viuentium particularium, quam communes, eſſe communes animæ, & corporis. Cum igitur omnia hæc non ſolum animæ ſint paſſiones, ſed ipſis quoque participet corpus, alia eſt efficienda tractatio de ipſis; prout ſic ſunt communes, ab ea quæ de anima tantum habita eſt. Paſſiones igitur communes videntur iſtæ, puta ſenſus, & memoria, & ira, & deſiderium, & omnino appetitus, & ad hæc voluptas, & dolor; etenim hæc ferè inſunt omnibus animalibus (& dicitur ferè, quia non ſimpliciter omnibus inſunt omnes) Adhæc autem, alia ſunt paſſiones communes omnium viuentium, alia verò conueniunt quibuſdam animalibus tantum. Quarum quidem exiſtunt maximè quatuor ſolum numero coniugationes; (præter prædictas) ita vt ſingulariter ſint octo, (loquẽdo videlicet de his, & quæ communes ſunt, & de quibus in libris de anima non determinauimus, aliter plures eſſent) velut vigilia, & ſomnus; (quę animalibus omnibus conueniunt, non autem plantis) iuuentus, & ſenectus; (quæ ſunt communes animalibus, & plantis) expiratio, & reſpiratio; (quæ conueniunt ſolum animalibus, quæ habent pulmonem) & vita, & mors: (quæ ſimiliter omnibus viuentibus in ſublunari mundo conueniunt) De quibus conſiderandum eſt, quid eſt vnumquodq; eorum, & propter quas cauſas accidunt. Non autem tantũ de prædictis debet naturalis Philoſophus conſiderare, ſed etiam debet cognoſcere prima principia de ſanitate, & infirmitate; quia nec ſanitas, nec infirmitas accidere poſſunt non viuentibus; quare cum ſolum viuentibus conueniant, ac de ipſis ad naturalem agere attineat, etiam de ſanitate, & infirmitate (ſaltem in vniuerſali, & quo ad prima principia) agere debet; qui .n. ſubiectum per ſe conſiderat, proprietates quoq; illius conſiderare debet. Quare ferè plurimi naturalium Philoſophorum finiunt ſuam Philoſophiam ad ea, quæ principia ſunt Medicinæ. Et ſimiliter plurimi Medicorum, videlicet qui magis philoſophicè artem Medicinæ proſequuntur incipiunt artem Medicinæ ex ijs, quę de rebus naturalibus dicta fuerunt, ſeu ex Philoſophia naturali. Quod autem omnia dicta ſint communia animæ, & corpori, non immanifeſtum eſt. Omnium enim horum, alia quidem cum ſenſu accidunt, vt ſenſatio, memoratio: alia vero per ſenſum, vt deſiderium, ira; hæc namque ſenſitiuam cognitionem ſupponunt. Quędam autem paſſiones exiſtunt, vt ſomnus, qui eſt ligamentum ſenſus; & vigilia, quæ eſt eius ſolutio: quædam habitus, vt ſanitas: alia cuſtodiæ, & conſeruationes, vt reſpiratio, vita; hæc verò corruptiones, & priuationes, vt mors, infirmitas. Quod autem ſenſus conueniat animæ per corpus, manifeſtum eſt, & per rationem, & abſque

Paſſiones cõmunes animæ, & corporis, quæ & quot.

Naturalis debet conſiderare principia ſanitatis, & infirmitatis.

Philoſoph. naturalis definit vbi incipit Medicina

Et Medicina incipit à naturali philoſophia.

ratione: per rationem sic. Omne patiens à corporeo est corporeum: sed sensus patitur à sensibili corporeo, vt visum est in secundo de anima: ergo corporeus est: absque ratione etiam notum est; quia omnes sensus saltem externos videmus organicos, atque corporeos; esse cum igitur sensus ipsi sint corporei, ac ab anima præcipuè oriantur, (vnde denique sunt animæ, & corpori communes) etiam passiones ipsorum communes erunt. Sed de sensu, & ipso sentire, quid sit, quare hæc passio (nempe sentire, quod in patiendo consistit) accidit animalibus, dictum est prius in ijs, quæ diximus de anima; (videlicet, ideò eis conuenire, quia sunt in quadam temperie, ac dispositione, quod possunt recipere species sensibiles sine materia). Ita vt animalibus necessarium sit inesse sensum, prout vnumquodque animal est; per sensum enim determinamus animal esse, & per non sensum non animal; sic quod animal sit substantia animata sensitiua; non animal verò, quod sensitiuum non est: propriè autem secundum vnumquodque animal assignandi sunt sensus tactus, & gustus; hi enim sequuntur omnia animalia necessario; tactus quidem propter dictam causam in ijs, quæ diximus de anima, quia videlicet temperies eius in quatuor qualitatibus consistit, sicut temperies tactus, ita vt ferè vna sit vtriusque complexio: gustus verò propter alimentum; nam ipsum animal mediante gustu discernit iucundum, atque molestum circa escam; ita vt hoc quidem fugiat, illud verò prosequatur; & omninò cuius est passio, vel effectiuum passionis in parte gustatiua, seu in gustu; quapropter hac de causa omnibus animalibus est necessarius; quæ tamen est necessitas ad bene esse, vt in fine tertij de anima dictum fuit. At quatenus est quidam tactus, necessarius simpliciter est. Sensus autem, qui per exteriora media sentiunt, in sunt progressiuis animalibus: quemadmodum odoratus, auditus, & visus insunt omnibus quidem habentibus, causa etiam salutis, vt præsentientia alimentum, ipsum prosequantur, mala autem, & corruptiua fugiant. Animalibus autem habentibus prudentiam, vt homini prædicti sensus insunt, non tantum ad prædicta munera exequenda, sed etiam gratia alicuius boni maioris: multas enim cognoscunt, & annunciant rerum differentias, ex quibus eis aduenit prudentia rerum contemplabilium, & agibilium, atque ad omnia hæc sensus isti requiruntur. Horum autem sensuum prædictorum, visus secundum se melior est ad necessaria vitæ acquirenda, quam auditus; ad intelligendum autem auditus secundum accidens melior est, quam visus; secundum accidens dico, quia visus secundum se etiam ad intelligendum, vel cognoscendum melior est. Multas enim differentias, & omnimodas potentia ipsa visus annunciat, quia omnia corpora colore, vel qualitate alia visibili participant; tam inquam corpora cælestia, quam sublunaria, ac ideo ad omnia ipsa cognoscenda se extendit, imò sensibilia communia maximè per ipsum sentiuntur: (& dicitur maximè, quia ab alijs quoque cognoscuntur) dico autem communia sensibilia, figuram, magnitudinem, motum, quietem, numerum. Visus igitur cognoscit differentias multarum rerum, & sic per se ad cognitionem maximè facit, & plus quam auditus; nam auditus ipse est cognoscens solum differentias soni, & in paucis animalibus est cognoscens eas differentias, quæ sunt vocis. Per accidens verò auditus plurimam confert partem ad prudentiam, seu ad intellectiuam cognitionem; sermo enim audibilis existens causa est disciplinæ, vel scientiæ, non secundum se, sed secundum accidens: prout videlicet ipse sermo ex nominibus constat, vnumquodque verò nominum, nota est, vel significatiuum rerum, quod tamen accidit ex impositione: sed visus per se immediatè in rerum cognitionem inducit; tamen quia laborem multum, ac tempus, & inuestigationem requirit, hinc est, quod plura, & citius per auditum, quam per visum discuntur. Quare qui à natiuitate sunt priuati vtroque sensu, diuisim scilicet, ita vt aliqui sint cæci, alij verò surdi, & muti (ponuntur surdi, & muti, quia omnis surdus necessario est mutus, licet non è contrà; ratio est, quia surdus nunquam audiuit sermonem, vnde ipsum apprehendere non potuit, ac per consequens nec pronunciare; quomodo enim pronunciabit, quod nescit? Mutus verò, qui ex aliqua indispositione etiam à natiuitate talis est, potest audire; non enim sunt duo sensus isti sic connexi, vt ablato vno, alter auferatur, vt aliqui credunt, sed causa est ab externo, vt dictum est) cæci sunt prudentiores, & doctiores surdis, & mutis, quia facilius per sermonem addiscunt, quam videntes per visum. De virtute itaque quam habet vnusquisque sensus dictum est.

Animal quid.

Tactus, & gustus simpliciter necessarij.

Homini cur in sunt sensus.

Visus melior est quo modo.

Cæci possunt esse doctiores surdis.

Surdi sunt muti.

CAPVT II.

De sensorijs, ex qua videlicet constent materia, opiniones aliorum, & propria; & in qua corporis parte sint constituta. Et an visio fiat per extramissionem, vel non.

IN quibus autem sensorijs, vel instrumentis, aut organis corporis nati sint fieri sensus, nunc examinandum est. Quidam igitur Antiquorum quærunt dispositionem, & naturam organorum secundum elementa corporum; ita vt organum tactus terræ, gustus aquæ, auditus aeri, visus vero igni tribuant; non potentes autem ad quatuor solum elementa quinque existentes sensus, ac sensoria reducere, dubitant de quinto, nempe de odoratu: ac alij pro organo ipsius ponunt corpus quoddam medium, densius aere, aqua vero subtilius, quod fumus, vel vapor dicitur, quod tamen ab alijs non recipitur. Omnes autem in hoc conueniunt, quod organum visus ex igne sit constitutum, quod accidit, quia ignorant causam cuiusdam passionis ipsi organo accidentis. Cum enim constringitur, & mouetur oculus, videtur ignis lucere. Quod quidem in tenebris natum est accidere, aut etiam in luce, dummodo palpebræ sint superuelatæ, vel clausæ: fit enim tunc visus, & oculus in tenebris: quapropter semper in tenebris accidit. Cum igitur ignis in oculo perspiciatur, signum est (dicebant ipsi) organum hoc ex igne constitutum esse. Hoc autem, quod dicunt, habet aliam dubitationem contra se ipsos. Si enim non contingit, quod videntem visibile quoddam, aut sentientem aliquid, lateat; necesse erit oculum se videre, atque nos id cognoscere; quare cum ignis secundum ipsos sit semper in oculis, semper ab ipsis videretur, maximè secundum suam positionem, qui dicunt simile simili cognosci, vt igne existenti in anima, vel oculo cognoscitur ignis: terra vero terra; (nam secundum nos hoc non valeret, quia sensibile intra sensum non facit sensationem, & sic etiam si oculus ex igne constaret, hunc ignem non videret: quare arguimus ad hominem, secundum scilicet sua fundamenta,) ratione ergo, qua oculus videt ignem dum constringitur in tenebris,

Sensus respondent elementis secundum Antiquos.

tenebris, deberet semper ipsum videre, cum sit semper sibi præsens; quare ergo quiescente illo oculo, ac igne, id non accidit? non aliunde quidem nisi quia ex igne non constant oculi, nec si constarent, ipsum ignem perspicerent, vt dictum est. Causa igitur huius dubitationis, ac putandi ignem visum esse, hinc sumenda est. Lenia enim, nempe tersa, & polita in tenebris nata sunt fulgere, non tamen lucem facere (maior est enim lux, quam fulgor) id autem, & quod vocatur nigrum, & medium oculi, nempe pupilla, lenis apparet, ac ideo fulgere potest.

Cur oculi fulgeat.

Apparet autem fulgor iste cum mouetur oculus, quia tunc accidit, vnum fieri quasi duo (hoc est, fulgorem illum quasi diuidi ab oculis, & iterum tanquam ab extra sibi præstari, & videri) quod fit à celeritate motus, ita, vt videatur aliud esse videns, & visum. Quare etiam non fit nisi celeriter fiat motus, & cur in tenebris solum hoc accidat, causa est, quia lene solum in tenebris motum natum est fulgere; in luce etenim ab ipsa offuscatur, vt patet de capitibus quorundam piscium, & de atramento, seu parte nigra sepiæ, qui est piscis Venetijs maximè notissimus, & cum oculus lente moueatur non accidit, vt vnum, & idem videatur esse duo, nempe videns, & visum; fit namque ista diuisio à velocitate motus. Hoc igitur modo se videt oculus, quemadmodum in refactione, (seu quemadmodum se videt in speculo,) prout ad se ipsum refrangitur, & non ratione ignis in ipso existentis, vt opinabantur Antiqui. Nunc rationibus ipsos oculos non esse ignem, nec visionem extramittendo fieri probemus. Quoniam si ignis esset in oculis, vel ipsi essent ignei, vt dicit Empedocles, & in Timæo à Platone scriptum est, accideret oculos ipsos etiam in tenebris videre, exeunte lumine ab ipsis, ac medium illuminante, quemadmodum exit ex lanterna. Cur igitur non videret visus in tenebris? Dicere autem, quod lumen egrediens in tenebris extinguatur, sicut dicit Plato in Timæo (ipse enim posuit, quod lumen egrediens ex oculis si lumen aliud extra inueniat conseruatur, si tenebras, extinguitur) vanum est omninò. Quæ enim extinctio luminis est? aut quomodo fiet? extinguitur enim solum calidum, & siccum, (qualis videtur esse ignis, qui est in carbonibus, & flamma,) aut humido, aut frigido; at in lumine neutrum apparet existens, quia ipsum nec calidum, nec siccum est; & similiter tenebræ cum sint pura priuatio, nec frigidæ, nec humidæ erunt; ergo neutro istorum modorum extingui poterit. Si autem dicatur, quod lumen ipsum in tenebris non extinguitur, imò inest quidem, sed propter debilitatem eius latet nos; hoc non valet, quia debile lumen igneum dupliciter extinguitur, nempe à maiori lumine, & ab aqua, (si videlicet simul cum lumine etiam ignis ipse in aqua ponatur.) Si igitur lumen oculorum sit igneum, & debile, oportebat per diem, & aquam ipsum extingui, & existenti in aqua, vel natanti maximè fieri tenebras; flamma enim, & ignita corpora patiuntur hoc; nunc autem nihil tale accidit; ergo neque verum est, egredi lumen debile igneum ab oculis. Empedocles autem videtur existimare, aliquandò quidem videre oculos exeunte lumine ab eis, sicut dictum est prius; ait enim. Vt quando quis progressum meditans præparat lucernam hyemalem per noctem, (seu lumen ignis ardentis.) Adaptat inquam omnes laternas prohibitrices ventorum. Hæ quidem laternæ dispergunt, vel impediunt spiritum, vel vim flantium ventorum. Lumen autem extra dissiliens, vel disrumpens, quantum magis expansum fuerit illustrat pauimentum indomitis radijs (qui in domiti dicuntur, prout veluti effrenati per immensum spatium se extendunt) sic se habet antiquum lumen (nempe à prima oculi origine productum) quod in membranis coercitum, vel restrictum est: nam per subtilia velamina, seu pelliculas oculorum diffunditur per circularem pupillam, ita vt ab ipsa quasi de centro ad circumferentiam dilatetur. Hæ autem membranæ repellunt quidem profundum aquæ circumfluentis (ponit namque cum igne aquam, vel humidum, vt nutriri possit, ita vt in superficie, vel pupilla oculi sit ignis, intra vero aqua) lumen autem extra progreditur quantum magis expansum fuerit, vel quantum habuerit virtutem maiorem se expandendi. Aliquando quidem sicut diximus, oculos videre ait; aliquando autem, ijs defluxibus, seu corporibus fluentibus ab ijs, quæ videntur; & sic in sua positione non est constans, vel & vtraque vna tantum constitui debet secundum ipsum: ita vt visio fiat, quia oculus aliquid extra mittit nempe radios, vel lumen, & simul aliquid ex obiecto ad ipsum peruenit. Democritus autem prout dicit organum visus aquam esse, vel in temperie maximè aquam prædominari, bene dicit. Prout vero putat, ipsum videre nihil aliud esse, quam recipere imaginem rei visæ, non benè. Hoc enim accidit, quoniam oculus lenis est, ac etiam diaphanus cum terminatione opaci, vt etiam accidit speculo, & alijs; quare non ipso refrangi solum fit visio, sed in vidente tantum hoc reperitur, in quo præter refractionem concurrit virtus visiua, aliter speculum quoque, ac multa huiusmodi innanimata viderent; visio igitur à virtute videntis fit supposita debita oculorum dispositione: passio vero, seu receptio imaginis refractio est, quæ accidere potest omnibus corporibus diaphanis, & terminatis, vt aqua vitro, &c. Sed omnino de imaginibus apparentibus, & de ipsarum refractione in corporibus lenibus nondum ipsi Democrito manifestum erat, vt videtur. Incongruum autem est, quod ipsi non occurrisset, vt dubitaret, quare solus oculos videt, nullum autem aliorum in quibus apparent simulacra, vel imagines rerum, si etenim videre est huiusmodi simulacra recipere, omnia recipientia viderent, vt dictum est: quod tamen est absurdum, & indignum dictu. Quod igitur organum visum sit aquæ, vel in prædominio aquæ consistat; verum quidem est, non tamen accidit ipsum videre, vel recipere imagines rerum visibilium concurrente etiam virtute uisiua, secundum quod oculus aqueus est, sed secundum quod perspicuum; visibile enim non aquæ specialiter, sed perspicui sub ratione perspicui motiuum est; quod quidem perspicuum aeri quoque commune est; quare hac de causa non esset necessarium, vt oculus esset aqueus, sed sufficeret, quod esset perspicuus; tamen quia aqua est magis unita quam aer, nam aer facilius dissipatur, ac etiam quia ipsa aqua est magis susceptibilis specierum uisibilium, nam est magis spissa, ideo pupilla, & oculus aquæ sunt, & non aeris.

Empedocl. Plato.

Empedocl.

Democr.

visio non fit per extramissionem. vide etiam inferius in hoc met capite.

Quod autem sit aqueus, est in ipsis operibus manifestum. Cum enim corrumpuntur oculi, uidetur manifestè, quod aqua defluit ab ipsis, & in oculis nouiter formatis, ut infantium, & embryonum, uidetur oculus exeedens frigiditate, & splendore, quæ duo aquæ conueniunt. Præterea; album oculi in animalibus sanguine præditis est pingue, & crassum; quod propter hoc est, ut humidum, uel aqua oculi à calore pinguedinis permaneat inconcretilis, seu non congelabilis; nam congelatio ipsa hebetaret uirtutem uisiuam, & receptionem specierum. Ideò inter partes corporis minime est frigens oculus; nullus enim unquam eo, quod intra palpebras est, riguit, uel friguit, aut rigidus à frigore factus fuit. Animalium uero exanguium oculi sunt duræ

Oculi sunt aquei.

pellis; & hæc facit protectionem humidi aquei ne dissipetur, vel congeletur, ideò pinguedinem supplet. Nunc examinemus, an fiat visio per extramissionem. Irrationabile verò omnino est, exeunte quodam ab oculis, visum ipsum videre, & aut id, quod egreditur extendi vsque ad astra, aut quadantenus, seu per aliquod spatium determinatum visum prodeuntem coniungi cum exteriori lumine, vel specie visibili, sicut quidam dicunt. Quare duæ sunt circa hoc opiniones, altera est aliquorum asserentium, totam visionem fieri per extramissionem, ita vt ab oculis exeant radij quidam, qui per totum cælum, ac per omnia visibilia extendantur, quæ vt nimis irrationalis dimittenda esset; tamen breuiter sic impugnatur. Quod egreditur ab oculis, vel est quid corporeum, vel incorporeum; non primum, quia esset penetratio multorum corporum simul; patet: nam cælum, & omnia hæc inferiora videmus, dummodo non sit impedimentum, vnde cæli quoque ab hoc corporeo à visu egrediente penetrarentur. Non secundum; quia vel hoc esset quid reale eductum de virtute visiua, & hoc esse nequit, nec fortè cogitari potest; omne enim reale non corporeum est accidens, quod non transit de subiecto in subiectum. Restat, ergo quod sit quid intentionale, vt sunt species visibiles, & lumen, quæ intentionalia dicuntur; (non quod fiant ab intentione nostra, vel intellectu, sed prout aliquo modo recedunt à simplici esse reali rei; non enim species lapis, est lapis) hæ autem absq; inconuenienti videntur suo modo egredi ab obiecto, & diffundi, ideò rationabilius hæc poni possent ab oculis egredi. At quod hoc etiam sit falsum probatur. Nam nec lumen, nec radij ab oculis egrediuntur: sic namq; omnia, quæ vident illuminarent; ac de nocte sicus de die omnia videremus, nec possunt esse species visibiles: nam experientia docet, eas ab obiectis prouenire; vnde etiam in speculis, & in quocunq; terminato perspicuo apparent; vnde non ab oculis, nec aliud fingi potest. Alia est opinio Platonis, qui posuit lumen egrediens ab oculis non se extendere vsq; ad res visas, sed vsq; ad aliquod determinatum spatiū, ita vt postea lumini externo coniūgatur, & sic ex vtrisque fieri visionem. Sed neq; hic benè dicit, nam melius isto lumine est aliud, quod poni potest coniungi in principio oculi (hoc est quod lumen externū perueniat vsq; ad oculi superficiem) aliter prius quam lumen ab oculis egrediens externo coniūgatur, extingueretur ob eius debilitatem, vt ipsemet asserit, in tenebris lumen oculorum extingui; quare melius est vniri simul in superficie oculorum. Sed quomodocunque ponatur coniunctio luminum, falsum est quod dicitur; quid enim est coniungi lumen lumini, vel quomodo hoc possibile est? non enim quodlibet coniungitur cuilibet; coniunctio namque est solum corporum per contactum extremitatum; lumina enim intenduntur tantum, ac suo modo miscentur, & non coniunguntur. Et etiam si ponatur interius lumen coniungi cum exteriori in superficie oculi, impossibile est; quomodo enim hoc esse potest? membrana enim, vel pellicula oculi est inter vtrunque, quæ coniunctionem impedit. Nunc autem de hoc secundum veritatem determinemus. Quod igitur sine lumine impossibile sit videre, dictum est in alijs, nempe in libris de anima. Sed siue lumen in aliquo alio corpore ab aere sit, siuè aer ipse sit illuminatus, aut aliud, quod est inter rem visam, & oculum, nihil refert. Sed hoc est verum, quod motus qui à re visa fit, per medium ipsum illuminatum facit videre, concurrente etiam virtute visiua; dico autem fieri motum, non tamen localem, sed secundum quandam alterationem perfectiuam, quæ est speciei sensibilis ex obiecto ad visum, qui fortè est etiam instantaneus. Et rationabiliter quod intra oculos est, aqueum est; aqua enim perspicua est; visio vero per perspicuum fit; sicut igitur exterius non videtur sine lumine in perspicuo recepto: ita nec interius. Perspicuum igitur oportet esse oculum, atque necesse est aquam esse, propter spissitudinem, & conseruationem; quia aer, qui est etiam perspicuus non est talis, vt supra dictum est; nec cælum esse potest, quia ipsum non ingreditur compositionem rerum corruptibilium. Diximus, oculum esse perspicuum interius; quia anima non est in vltima superficie oculi videns, neque sensorium videndi, sed manifestum est, quod interius est. Quare necessariò perspicuum est, & receptiuum luminis, quod est interius oculi. Et hoc etiam in his, quæ accidunt manifestum est; iam enim quibusdam vulneratis in bello iuxta tempora, ita vt abscissi essent meatus oculi, qui videlicet coniunguntur cum principio visiuo, accidit fieri tenebras, sicut dum lucerna extincta est, eo quod, quasi lucerna quędam, abscissum fuit perspicuum, quod ab exteriori lumine illuminabatur; quod quidem accidit eo, quod per vulnera abscinditur, vel separatur ea pars oculi, quæ vocatur pupilla à principio visiuo; vnde licet ipsa sit illuminata à lumine externo, non tamen ipsum communicare potest virtutem visiuæ, & sic fit obtenebratio; quare patet, quod lumen recipi debet interius ad hoc, vt visio fiat; nec tamen per lumen intelligi debet immediata repercussio lucidi ad oculos; nam manifestum est, quod ipsi existentes in tenebris vident; sed debemus intelligere speciem visibilem illuminatam; obiectum enim vt videatur debet necessariò esse illuminatum. Quare si quidem in his sensibus accidit, sicut diximus; manifestum est, quod si oportet secundum hunc modum attribuere, & assignare vnumquodque sensorium, seu organum vni elementorum: visiuum quidem oculi, aquæ existimandum est tribui debere: sensitiuum vero sonorum aeri: odoratum autem igni, non tamen simpliciter potentia isti; nam diximus in secundo de anima, textu 130. ignem, aut nullius esse sensus, aut omnium communem: sed quod potius in actu odorandi sit prædominium ignis ex parte odoris; quia tamen ipse odor requiritur, hinc est, quod nunc ignem ad odoratum pertinere asserimus. Quod enim est odoratus in actum (idest potentia actualiter odorans) hoc erat potentia odoratiua, ita vt eadem potentia reducitur in actu à suo obiecto; sensibile enim, quod est obiectum sensus, facit agere sensum, seu ipsum in actum reducit, vnde operari potest; quare necesse est, vt ipse sensus prius in potentia existat, quam in actu; odor verò est fumosa euaporatio; (materialiter scilicet, prout in ipsa fundatur) fumosa autem vaporatio ab igne est, seu habet ignem prædominantem; & sic potentia odoratus ab igne in actum reducitur; & hoc quoque modo odoratui in actu, & non potentiæ prædominatur ignis. Quapropter potentia ipsa odoratus est frigida, quia proprium organum eius est in loco circa cerebrum, qui frigidus est; materia enim frigidi est in potentia calida, & oculi generatio eundem habet modum; à cerebro enim constat oculus; cerebrum autem frigidissimum, & humidissimum corporis partium est; vnde hæc temperies conuenit oculo sub ratione aquei. At si quis diceret, quod eadem ratione visus respiceret ignem, vel calidum pro obiecto, sicut odoratus; respondetur, non esse parem rationem; quia in potentia visiua magis viget calor actualis, quam in odoratu, vt supra dictum est, quod oculus nunquam friget; ideo cum odoratus sit actualiter frigidi organi, calidum respicit; visus autem non sic se habet, sed vtitur materia aquea, solum ad constitutionem, non autem

Plato.

Potentia odoratus est frigida. Pariter visiuo.

Cerebrum frigidissimum & humidissimum.

Sensus quibus elementis respondeant secundum Arist.

ad

ad qualitates. Tactiuum autem terra est (quod intelligendum est quoad materialitatem, seu molem; nam quoad simplicem prædominium est falsum, quia vbi terra prædominatur, tactus non viget, vt patet de capillis, ossibus, vnguibus, &c. præterquam quod, supra dictum est, organum tactus in temperie quadam elementorum consistere, vt super abundantias percipere possit.) Gustatiuũ verò species quædam tactus est, ideò ipsi quoque eodem modo terra prædominatur, quæ cum ex sua natura sit sicca, gustui conuenit, qui est receptiuus saporis, qui est humidus; at clarum est, quod recipiens debet esse in potentia ad receptum, & per consequens in opposita dispositione; & sic gustus debet habere organum siccæ temperaturæ; modo tamen exposito in secundo de Anima Tex. 104. videlicet, quod non sit ita siccum, quod humectari nequeat, nec ita humidum, vt non sit in potentia ad saporem; quare (vt vnico verbo dicam) in temperatura aliqua est, cum aliquali prædominio terræ maximè quoad molem, & aliqualem siccitatem; terra igitur, quæ est frigida, & sicca, prędominatur organis gustus, & tactus; & ideò iuxta cor sensorium est ipsorum; cor enim oppositum est cerebro; ita vt sicut cerebrum est corporis partium frigidissimum, & humidissimum, ita cor calidissimum omnium partium est; in siccitate non opus est, vt sic exactè respondeat; vt igitur frigiditas terræ dominantis in gustu, & tactu temperetur, apud cor sensoria ipsorum constitui debent. Sed hic insurgit dubitatio; nam tactus videtur diffusus per totum corpus, vt experientia docet: & gustus fundatus in lingua, vt in 2. de Anima Tex. 88. dictum est; ergo non in corde. Respondetur, quod à corde tradunt principaliter originem, etsi quoad effusionem, vel functionem munerum alibi vigeant. De sensitiuis quidem partibus corporis hoc modo sit determinatum.

Cor calidissimum.

Tactus fundatur in corde.

CAPVT III.

Explicatur natura luminis, atque perspicui; necnon de generatione, & mistione colorum agitur.

DE sensilibus autem ijs, quæ secundum vnumquodque sensorium dicuntur (seu quæ sunt propria sensibilia) puta de colore, sono, odore, sapore, & tangibili, vniuersaliter dictum est, quæ sit actio ipsorum in ijs, quæ de Anima, & quid sit ipsum operari secundum vnumquodque sensorium, vel sensum; quid autem in particulari oporteat dicere quodlibet eorum, scilicet, quid color, quid sonus, quid sapor, & similiter de obiecto tactus considerandum est (non autem hic de omnibus simpliciter; nam de obiecto tactus, & in libris de Generatione, in 4. Meteor. ac de sono in 2. de Anima, sufficienter dictum est) & primum de colore. Est igitur vnumquodque horum dupliciter dictum, scilicet in actu, & in potentia. In actu dicitur cum actualiter à sensu perceptum est; in potentia verò cum percipi potest. Quod igitur actu color est, & sonus, & quomodo sit idem, vel aliud vnumquodque horum cum sensibus, qui sunt secundum actum, seu cum sensibus operantibus, dico autem cum visione auditione, &c. dictum est in ijs, quæ egimus de Anima; nimirum, quod visibile, vel audibile in actu, sunt idem cum actuali visione, & auditione, idem, scilicet accidentaliter, & per quandam vnionem; ipsa autem provt sunt in potentia nullo modo sunt idem. Quid autem vnumquodque eorum quod sensum in actu facit, vel natum est facere, sit existens nunc dicamus, idest determinemus de ipsis secundum propriam naturam, non provt sunt apta mouere sensum, etsi interdum ad maiorem explicationem id quoque commiscere benè sit. Quemadmodum igitur in illis libris de Anima dictum est de lumine, sic nunc dicamus, scilicet, quod sit color perspicuum (secundum quandam proportionem, ita vt sicut color est actus corporis colorati, ita lumẽ est actus perspicui) secundum accidens (provt videlicet ipsum perspicuum non habet ex se lumen, sed ab alio.) Nã quando inest aliquod igneum, vel lucidum in perspicuo, præsentia quidem illius lumen est, vel lumen ab eius præsentia causatur; priuatio verò talis pręsentiæ est causa tenebrarum; vnde patet, quod lumen ipsum est in perspicuo per accidens, seu per aliud. Quod autem dicimus perspicuum non est proprium aeris, vel aquæ, nec alicuius sic dictorum corporum, sed est quędam communis natura, & virtus, quæ separata quidem non est à singularibus corporibus, ita vt sit vniuersale quoddam per se existens sicut credebant Platonici; sed est in ijs dictis corporibus, nempe in aere, & aqua, atque in alijs multis, vt in cęlo, vitro, lapidibus quibusdam, &c. ita quod in alijs sit secundum magis, in alijs verò secundum minus. Vnde sunt aliqua corpora secundum in se tota receptiua luminis, vt aer, aqua, & hæc simpliciter perspicua nuncupantur. Alia vero sunt, quæ semper lumen ex se habent, vt Sol, Astra, &c. & hæc sunt perspicua semper in actu: ita quod non sint receptiua luminis provt ipso carent, sed ipsum actualiter, & inseparabiliter semper habent. Alia denique sunt perspicua secundum quid, provt habent aliquam partem, nempe superficiem receptiuam luminis, & hoc modo omnia corpora sunt perspicua; quæ acceptio est impropria, aliter non oporteret distinguere inter perspicua, & non perspicua, sed causa maioris claritatis posita est. Quemadmodum ergo corporum necesse est vltimam superficiem esse, ita quoque huius perspicuum; & sicut quædam corpora ex se determinatam habent superficiem (vt sunt omnia dura, alia verò ex alio, vt quæ fluunt, sicut est aer, & aqua) de perspicuo dicendum est. Luminis igitur natura in indeterminato perspicuo est (loquendo de perspicuis horum inferiorum; nam cęlum est perspicuũ, & terminatum est, ac lumen quoque habet,) & similiter loqui debemus secundum plura; nam vniuersaliter non est verum; multa enim sunt corpora perspicua ex se terminata in istis inferioribus, vt vitrum, christallum, &c. Sensus igitur est, quod in istis inferioribus lumen, vt plurimum recipitur in corporibus, quæ de se determinata non sunt (& si ab alio sint quoque terminata, nullum enim datur corpus actualiter non terminatum.) Cùm igitur omnia corpora terminata sint, ac vltimam habeant superficiem, palam est, quod ipsius quoque perspicuum, vel transparens, quod in corporibus reperitur (accipitur hic perspicuum non pro corpore, aliter esset petitio, sed pro qualitate, vel transparentia ipsa,) erit vtique quidem aliquod vltimum, vel aliqua superficies. Quod autem hoc vltimum perspicui sit color (materialiter videlicet, provt color in ipso fundatur) e[x] ijs, quæ accidunt manifestum est; quia non videntur corpora colorata pręterquam secundum superficiem. Vnde color, aut in extremitate corporum, aut extremitas ipsa est. Quare & Pythagorici superficiem colorem vocabant, sed errabant; nam ipse color est in extremitate, vel superficie corporis, sed non est extremitas ipsa, quia talis extremitas, vel superficies est de genere quantitatis, & color

de ge-

de genere qualitatis; imò nec solum in extremitate est, sed dicitur sic esse in ordine ad visum, quia videlicet non videtur color, nisi in extremitate, licet re uera per totum corpus sit; vnde eandem naturam oportet existimare esse, quæ exterius coloratur, et interius. Videntur autem aer, et aqua colorata; etenim aurora colorata videtur, seu potius aer circa mane; qui tamen non sunt veri colores, sed ex lumine sic apparent. Vnde in istis quidem in indeterminato accidit fieri corpore, seu non secundum determinatam superficiem; quare non eundem colorem habere, nec aerem, nec mane apparet accedentibus, ad ipsa propè, et procul. In corporibus verò terminatis ex se, nisi à continenti aere, vel alio fiat realis transmutatio, est etiam determinata causa, et apparentia coloris. Manifestum est igitur, quod idem est susceptiuum coloris ibi, et hic, nam vtrique est subiectum ad id aptum. Perspicuum ergo secundum quod inest corporibus plus, aut minus in omnibus color facit participare. Quoniam autem in extremitate est color, huius vtique perspicui erit aliqua extremitas.

Color quid.

Quare color erit vtique extremitas perspicui, seu qualitatis visibilis in corpore terminato (quæ est definitio coloris, prout visibilis est; nam etiam in profundo corporis sunt ipsi colores, vt supra dictum est.) Quod verò sit extremitas, patet. Nã ipsis perspicuis puta aquæ, et si quid aliud sit tale, ac denique quibuscunque videtur aliquis color proprius inesse, secundum extremitatem similiter omnibus inest, saltem in ordine ad visum, vt dictum est. Est tamen notandum, quod color non est in superficie corporis perspicui subiectiuè, sed per vnionem, ac contiguitatem quandam; imò subiectum eius est corpus opacum, vt hæc albedo huius parietis non est in aere, qui est corpus perspicuum, per quod videtur, nisi prout vltima aeris superficies vnitur cum superficie parietis, sed re vera in pariete ipso subiectatur; et sic potest discurri de alijs coloribus; vnde dum dicitur, colorem esse extremitatem perspicui, debet intelligi solum per contiguationem, et non subiectiuè, ac similiter de ueris coloribus, et prout videri possunt, aliter definitio claudicat, nec potest defendi.

Color quid.

Vnde color simpliciter secundum se est qualitas secunda, apta videri. Contingit autem inesse in perspicuo terminato, vel coniuncto cum corpore opaco respectu coloris, id, quod perspicuo non terminato respectu luminis accidit, et respectu tenebræ etiam; ita vt sicut hoc quidem nempe corpus lucidum in aere facit lumen, et absentia eiut tenebras, vel priuationem luminis: ita de colore in corpore terminato dicendum est. Quemadmodum igitur in aere ex præsentia corporis lucidi efficitur lumen, ex absentia tenebra: ita in corporibus prædictis innascitur album ex participatione luminis, vel qualitatis elementi lucidi, vt est ignis, vel aer, aut aqua, et nigrum, veluti ex priuatione; non quod nigredo sit pura priuatio, cum sit vera qualitas; sed quia minus perfectam habet aliquo modo rationem priuatiui, vt in Physicis dictum est; ideo nigrum respectu albi priuatiuum dicitur. Postquam de natura coloris, ac de ipsis extremis puta de albo, et nigro dictum est, nunc de medijs agamus, et primo quomodo generentur.

Colores medii quomodo fiant.

Contingit igitur, si secus inuicem ponantur album, et nigrum, ita quod vnumquodq; eorum sit inuisibile propter paruitatem, quod color, qui ex ambobus constat visibilis fiat: nam maior est quantitas, in qua ipse fundatur: qui quidem neque poterit videri, vt album, neque vt nigrum; quoniam autem hoc, quod ex albo, et nigro constat necesse est habere quidem quendam colorem, seu ipsummet esse colorem; neutrum autem horum, scilicet neque album, neque nigrum possibile est esse, necesse est mistum quendam esse, et aliam speciem quandam coloris, ab albo, et nigro. Est ergo existimandum plures esse colores, quam album, et nigrum, qui videlicet ex vtroque constat; nec refert, quod ipsi sint pauci, vel magni, visibiles, vel inuisibiles ob paruitatem. Nam licet supra dictum sit ex inuisibilibus visibilem fieri, per hoc tamen non negatur, ex visibilibus, et magnis quoque fieri, sed insinuatur quædam virtus motiua visus maior, in maiori colore. Multos autem contingit esse colores medios secundum varias proportiones, quas habent album ad nigrum, vel è contra; ita vt possint secus inuicem iacere, seu poni, vt tria iacent, vel ponantur, aut proportionantur ad duo, quæ est proportio sexquialtera, et tria ad quatuor, quæ est proportio sexquitertia: et similiter secundum alios numeros. Alios autem omnino fieri contingit secundum nullam proportionem, sed secundum excessum quendam, et defectum incommensurabilem, seu indeterminatum; ita vt non possimus in eis aliquam determinatam proportionem assignare; sed solum maiorem excessum, vel defectum albi, aut nigri. Et eodem vtique modo existimandum est, se hos medios colores habere, sicut se habent consonantiæ, ita vt eos existimemus esse delectabilissimos, qui in numeris proportionatissimis, seu in perfectissimis proportionibus consistunt; quemadmodum ibi consonantias similiter delectabilissimas dicimus, quæ maximè sunt proportionatæ; videntur autem huiusmodi colores purpureus, et puniceus, et pauci quidem sunt tales, quod quidem accidit ex hac causa, quod paucæ sunt tales consonantiæ: qui autem colores non in numeris sic proportionatis consistunt, alij sunt, et minus perfecti. Vel etiam dici potest, omnes colores in numeris esse, seu habent inter se ordinem, ac differentiam veluti numeralem; sic videlicet, quod sicut numerus ternarius differt à quaternario, vel quinario, ita vt vnus color ab alio; sed tamen aliquos, ordinem numeralem exactè seruare: videlicet quos perfectos dicimus; alios autem esse inordinatos, et ipsos inordinatos, quando non puri sunt, eo, quod non sunt in numeris, seu non perfectè seruant ordinem numeri, fieri tales, nempe ordinatos ex aliqua alia mistione, vt fuscus ex admistione albi fit clarior, etc. Vnus igitur modus generationis colorum hic est. Alter modus est, quando vnus color per alium apparet, quemadmodum interdum Pictores faciunt alterum colorem super alterum manifestiorem, seu fortiorem superponentes; quemadmodum quando volunt aliquid facere apparere in aqua, vel in aere, vt si pisces natantes in aqua pingere uelint, ponunt primo colorem piscium, et postea alium debiliorẽ, qui aquam repræsentent, quasi supra pisces, et sic pisces apparet, velut sub aqua. At si quis dicat, ista est etiam quædam mistio, ideo non videtur differre à primo modo. Respondetur, hanc non esse propriè veram mistionem, sed quandam suprapositionem substantiarum, in quibus sunt ipsi colores; hic autem modus pluribus, iuxta positionibus fieri accidit; vt si iuxta ponantur vitra varia colorata, apparet color ab omnibus diuersis; similiter in collo columbæ, etc. qui duo modi fortè verum colorem non efficiunt, sed apparentem ex diuersa refractione luminis causatum, et hoc modo etiam Sol, qui secundum se quidem albus videtur, per caliginem, et fumum puniceus apparet. Multi autem sic erunt colores eodem, scilicet modo producti, quo nunc diximus; proportio enim erit vtique quædam eorum, qui in superficie sunt, ad eos, qui sunt in profundo, secundum magis, vel minus, vnde diuersi fiunt. Quidam autem et omnino non sunt in proportione; quare non sunt delectabiles,

nec

nec ex ipsis medius aliquis fieri potest, saltem delectabilis. Dicere autem sicut Antiqui dicebant, colorem esse defluxionem quandam, & videri propter talem causam, incongruum est. Est enim opinio Democriti, & sequacium, quod à corporibus visibilibus fiat defluxus imaginum ipsarum, quas imagines corporeas quoque ponebant, atque idem cum colore rerum visibilium; & sic colores defluxus corporeos, & imagines rerum visibilium esse credebant, quod vt diximus, incongruum est; quia sic ponentes esse colores, necessariò fateri debent, quod sensatio visus, seu visio ipsa per tactum fiat; nam ipsa defluentia corpora, & colores, prout sunt corpora, oculos ingredi non possunt: vnde ipsos simpliciter tangere deberent, & sic sensus visus à tactu non distingueretur. Imò sicut sine lumine tangimus, sic quoque sine ipso videremus. Quare mox est melius dicere, fieri sensum, seu sensationem visus eo, quod medium inter sensum, & rem sensibilem, seu inter visum, & rem visibilem mouetur ab ipso obiecto sensibili per speciem quoque sensibilem, quæ corpus non est, ac motu quodam alteratiuo, alteratione perfectionis, vt supra dictum fuit; quam dicere id fieri tactu, & defluxionibus. In his igitur coloribus medijs, qui secus inuicem ponuntur, si dicamus cum Antiquis nihil aliud ipsos esse, quam defluxiones, &c. necesse esset, quod sicut accipiuntur, vel accipi possunt magnitudines inuisibiles iuxta se inuicem positas, ita oporteat accipere tempus insensibile, vt lateant motus, seu defluxus ipsi peruenientes ad nos, ac motus multorum obiectorum vnus putetur esse; propterea, quod omnia ipsa obiecta simul appareant, quæ omnia sunt absurda; quia nec motus localis corporum potest esse in instanti, nec plures motus simul diuersorum corporum possunt esse vnus; imò plurificantur ad pluralitatem mobilium. In hoc autem modo à nobis posito nulla est necessitas, absurda prædicta sequi; sed color, qui est in superficie rei visæ immobilis existens, mutatione secundum locum, & motus à colore alio supposito, seu qui sub ipso est (loquimur namque de coloribus mistis eo modo, quo superius diximus, quod efficiunt Pictores supponentes vnum colorem alteri,) motu videlicet alterationis non similem faciet motum, nec cum defluxionibus prædictis, neque cum colore suprapposito; non primo modo, quia hic non est motus localis, sed alterationis, & modo intentionali, non secundo; quia sua propria specie distincta à specie suprapositi coloris visum immutat; quare alter videtur ab ipso, & ab extremis coloribus, ex quibus constat, ita vt non sit albus, nec niger. Quare, si non contingit vllam magnitudinem esse inuisibilem, seu quamlibet saltem secundum aliquam distantiam esse visibilem; hac talium visibilium magnitudinum aggregatio, erit vtique mistio quadam colorum absque vllo inconuenienti, vt probatum est. Et illo etiam modo, nempe per positionem colorum iuxta se inuicem nihil obstat, quin appareat aliquis color communis eis, qui iuxta se inuicem positi sunt: appareat inquam talis color ijs, qui procul respiciunt. Quod autem nulla sit magnitudo inuisibilis, in ijs, quæ posterius dicemus, considerandum est. Si autem detur mistio corporum, non solum secundum hunc modum, secundum quem putant quidam, videlicet, quod sit aggregatio eorum minimorum, quæ iuxta se inuicem ponuntur, ac nobis per sensum immanifesta sunt, sed totaliter omniquaque misceantur, ita, vt qualibet pars misti sit mista, sicut diximus in primo de Generatione Tex. 82. & 86. Illo enim modo (videlicet per minima iuxta posita; quæ secundum sensum non distinguuntur) miscentur hæc solum, quæcunque contingit diuidere vsque ad minima, quemadmodum homines, equos, aut semina; hominum enim, homo singularis minimum quid est; equorum verò equus, seminum verò granum aliquod (faciendo diuisionem per partes subiectiuas; nam per integrales, vel essentiales, & homo, & equus, & granum, etiam si particularia sint diuiduntur;) quare ex positione horum secus se inuicem, fit quædam multitudo mista vtriusque, videlicet hominum, & equorum; non tamen est vera mistio, quia non qualibet pars est mista, vt ad veram mistionem requiritur; vnde hominem vnum, vni equo non dicimus mistum esse. Quæcunque verò non diuiduntur ad minimum, horum non contingit mistionem fieri secundum hunc modum, sed eo, quod mista sint omniquaque, quæ quidem maximè, & propriè misceri nata sunt. Quomodo autem hoc fieri possibile sit, in eis, quæ de mistione habuimus in libris de Generatione dictum est. Nunc autem paulisper id repetere voluimus, distinctionis alicuius gratia. Vnde inferimus, quod necessitas, quæ est eorum corporum, quæ miscentur eadem est, vt colores misceantur; atque manifestum est, hanc esse causam principalem, cur multi sunt colores, videlicet mistionem corporum coloratorum; ex mistione namque subiectorum prouenit mistio accidentium; quare neque supernatatio, seu positio vnius coloris super alium, vt faciunt Pictores; nec iuxta se inuicem positio, vt diximus de vitris, veram mistionem efficiunt, sed apparentem tantum, vt etiam tetigimus; nam colores, qui vere misti sunt, ac reales, non procul quidem videntur tales, propè autem non, vel è contra, sed vndecunque semper eodem modo apparent, dummodo impedimentum aliquod non adsit, vel ex parte medij, vel ex parte potentiæ visiuæ; prædicti verò apparent diuersi secundum diuersam approximationem; vnde veri non sunt, sed ex refractione varia luminis causati. Multi autem erunt colores, quoniam multis proportionibus contingit sibi inuicem misceri ea corpora, quæ miscentur; quare hi quidem in numeris consistunt, hoc est in determinata proportione; hi autem constituuntur secundum excessum solum vnius extremi coloris ad alium, & alij eodem modo, quo supra diximus; quo quidem modo potest etiam dici secundum proportionem in coloribus secus inuicem positis, ac in supernatantibus, seu suprapositis. Et de ijs quidem corporibus, quæ miscentur in alijs determinatum est. Quæ verò de causa species colorum terminata, & non infinitæ sint, & saporum, & sonorum similiter, posterius considerandum est. Quid igitur sit color, & qua de causa multi sint colores, dictum est. De sono autem, & voce prius in ijs, quæ de anima dictum est.

C A P V T IV.

De saporis essentia, generatione, mistione, ac speciebus. Antiquorumque increpatio de sensibilibus.

De odore verò, & sapore nunc dicendum est, ferè enim eadem est passio; vterque etenim est de tertia specie qualitatis, atque causatur ex permistione humidi, & sicci cum aliquo prædominio calidi; non tamen vterque eorum est totaliter in eisdem conditionibus, & natura, aliter nullo modo differrent; sed in odore est maior abundantia sicci, in sapore vero humidi: quia tamen multum conueniunt,

ueniunt, vt dictum est; ideò simul de ipsis agendum proponitur. At quia odor doctrina expostulat, vt à notioribus nobis incipiamus, ideò à sapore incohandum est. Manifestius est enim nobis saporum genus, quam odoris. Huius autem causa est, quoniam pessimum habemus inter cætera animalia odoratum; imò pessimum ipsum quoque habemus in comparatione aliorum sensuum, qui in nobis sunt; cuius causa est, quia organum, vel potentia odoratus fundatur immediatè apud cerebrum, quod in homine magnum, ac maius, quam in alijs animalibus est: hoc autem cum sit frigidissimum, et humidissimum hebetat organum, atque ad sentiendum non bene habilis fit ipse sensus; tactum verò certissimum inter omnia animalia habemus; ratio est, quia tactus ipse sequitur immediatè complexionem, & temperiem animalis; homo verò est nobilissimæ complexionis; ergo perfectissimum habet tactum: & per consequens etiam gustum, cum ipse quidam tactus sit. Cùm autem eo facilius res cognoscantur à nobis, quo potentia cognitiua est melius disposita, & perfectior, sequitur, facilius nos sapores, quam odores cognoscere; ideo ab ipsis, vt à notioribus incipiendum est. Pro determinatione igitur aliquid de subiecto saporum, quod est aqua secundum aliorum opiniones, & veritatem, dicendum est. Aqua igitur natura vult insipida esse, vnde si saporem aliquem habeat, id sibi ab extrinseco accidit. Causa autem cur sit insipida est, quia est purum elementum, sapor autem ex mistione fit, præterquam quod, receptiuum saporis debet esse à sapore denudatum, vt quodlibet recipiens est denudatum à natura recepti, vel potius recipiendi. Cùm ergo ex ipsa fiant sapores, est difficultas, quomodo id fieri possit. Circa quod tres existunt opiniones; prima est Empedoclis asserentis; Necesse esse, aquam in se ipsa habere genera saporum, insensibilia tamen propter paruitatem partium ipsorũ, quæ sunt veluti principium, & radices. Secunda est Democriti, & Anaxagoræ; hi etenim dicunt, aquam non habere actualiter sapores, sed in ipsa materiam talem inesse, quæ sit veluti omni seminarium saporum, & omnia quidem saporum genera ex aqua fieri, non tamen ex eadem parte, sed alia ex alia. Tertia est opinio aliquorum dicentium, aquam nullam habere differentiam in se, vel dispositionem, aut qualitatem facientem eam esse causam saporum, sed ab agente externo hoc penitus prouenire, ac si quis dicat Solem, vel aliquod calidum horum causam esse. Nunc has opiniones impugnemus, & primo primam. Horum autem, quæ ab istis dicuntur, si ponatur ita esse de generatione saporum, sicut Empedocles dicit, multum erit apertum mendacium. Videmus enim sapores transmutari à calore, & non ab aqua, quod præcipuè est manifestum in fructibus: si enim auferantur ea folia, quæ in arboribus circa fructus sunt, ita vt fructus ipsi vertantur ad Solem, & ab ipso igniantur, diuersi fiunt sibi sapores, tanquam non facti sint tales ab aqua, sed accidit eos sic transmutari à virtute Solis, eo quod cooperimentum foliorum, quod est circa fructus ablatum fuit; similiter videmus eos resudantes propter tempus, vel diuersum calorem, ac dispositionem cœli, vel aeris, vnde austeros ex dulcibus fieri accidit, & amaros, ac denique omnimodos: & similiter cum decoquuntur, eos transmutari perspicimus in omnia (vt ita dicam) saporum genera; quare non in aqua sapores sunt, vt ipse asserit, sed aliunde fiunt supposita aqua ipsa, vt materia; & sic patet, quod prima opinio sit falsa. Quod verò neque secunda rectè dicat, probatur. Nam impossibile est aquam ipsam esse materiam omni seminarij, seu omnium generum saporum, ita vt secundum vnam partem sit vnius saporis materia, secundum aliam alterius; nam ex eadem materia, & eadem quoque parte ipsius, videmus diuersos sapores factos esse, sicus accidit, ac notum est ex esca. Restat igitur videre, si ideò fiant sapores, ac aqua in ipsos transmutetur, eo quod aliquid ab extrinseco patiatur, quæ est tertia opinio. Quod igitur non à virtute solum calidi aqua accipiat hanc virtutem, vel qualitatem, quam dicimus saporem, manifestum est. Nam aqua est corpus subtilissimum inter omnia corpora humida, (quæ scilicet sensibiliter sunt talia, ad excludendum aerem, qui est humidior aqua, non tamen sic sensibiliter humectat) imò est subtilior ipso etiam oleo. At si quis dicat subtilius corpus, est quod magis penetrat, & protenditur, huiusmodi autem est oleum plus quam aqua; ergo. Respondetur, quod oleum protenditur, ac penetrat plus quam aqua propter eius viscositatem; nam cum partes eius sint viscosæ, & quasi concatenatæ, ac difficiliter separabiles ab inuicem, vna trahit aliam, & sic si vna diffunditur, totum quoque sic facit, & magis quoque penetrare videtur licet re vera non sit subtilius, sed crassius aqua; nam ipsa aqua eo, quod fragilis, ac diuisibilis est, ideo non tota protenditur; nam vna pars aliam non sequitur, & hac de causa difficilius est seruasse aquam in manu, quam oleum; nam partes aquæ diuiduntur, & singula per se ex digitis, vel ex alia parte diffunditur, oleum verò non sic diuiditur: vnde nisi totum diffundatur, (quod difficile est) non disperditur, vel non defluit è manu. Est igitur aqua subtilissima: ideo cum ipsa calescit non apparet crassari; quare manifestum est, quod alia quadam vtique erit causa, vt sapores habeat, puta mistio alicuius alterius corporis; sapores enim omnes crassitudinem habent magis, quam aqua; quare ipsa sola cum calido non est causa sufficiens; vnde calidum ipsum multo minus est causa totalis, sed potius est concausa. Modo secundum veritatem de ipsis saporibus agamus. Apparent igitur sapores quicunque sunt circa fructus plantarum existentes in terra, hoc est accipientes qualitates ex terra, conuenienter tamen ab aliquo humido, atque calore disposita. Quare multi Antiquorum Physiologorum dicunt, talem esse aquam, qualis fuerit terra, per quam transit; ita vt omnem saporem in aqua existentem ex terra originem duxisse crederent. Quod quidem manifestum videtur maximè ex salsis aquis; est enim sal causa salsedinis, & ipse est species quædam terræ; ergo hic sapor à terra prouenit; & similiter aquæ, quæ colantur per cinerem amarum existentem, amarum quoque faciunt saporem. Sunt quoque fontes multi, hi quidem amari, illi vero acidi; alij autem omnimodos alios habent sapores, qui omnes ex varijs terræ qualitatibus fiunt; vnde ipsa terra est causa saporis, maximè in aqua; nec tamen ipsa sola, sed calor quoque concurrit; nec simpliciter ipsa, imò interdum sufficit, vt hoc ab aliquo terrestri adusto fiat, vt salsedo maris, fuliginis, &c. Rationabiliter itaque ijs, quæ in terra nascuntur, maximè fit saporum genus; pati enim natum est humidum à suo contrario nempe à sicco, sicut quodlibet à suo contrario patitur; ideo cum humidum sit materia saporum, debet à contrario reduci in actum, nempe à sicco ipso. Quare ab igne patitur quoque aliquid: sicca enim est natura ignis, sed tamen proprium ignis calidum est, terræ vero siccum, vt dictum est in ijs, quæ de elementis, nempe in secundo de Generatione, & Corruptione; ideo aqua ipsa magis à sicco terreo, quam igneo patitur, dum ad saporem reducitur; ac per consequens, quæ in terra nascuntur, vt fructus ob viciniatem,

Pessimũ habemus odoratum.

Tactum certissimum.

Aqua natura.

Recipiens denudatum est à natura recepti.

Empedocl.

Democr. Anaxag.

Aqua est subtilior oleo.

Positio vera de saporibus.

nitatem, sapores faciliter accipiunt; includunt namque materiam humidam, quæ à sicca vicina terra patitur; quæ quidem actiones, & passiones ab ipsis elementis proueniãt, non solum sub ratione substantiarum, sed ob qualitates admuicem contrarias. Qua igitur ignis est, & qua terra, vel aliud quicquam, nihil natum est agere, vel pati; qua autem inest contrarietas in eis, hæc omnia agunt, & patiuntur. Quemadmodum ergo qui lauant colores, & sapores in aqua, faciunt talem se habere ipsam aquam, puta coloratam, & saporosam; sic natura ipsa siccum, & terreum miscens humido, vel per siccum, & terreum colans aquam, aut simul mouens, vel admiscens calida aliqua, vt digerentia, facit ipsum humidum quale quid, seu facit ipsum quale, qualitate saporis. Et hoc est sapor; passio videlicet, vel qualitas facta à dicto sicco terrestri in humido aqueo concurrente aliquo calore; quæ passio est alteratiua gustus, quem secundum potentiam existentem in actum reducit. Sensibile enim ducit sensitiuum, quod erat in potentia præexistens ad hoc, seu actum, vel operationem, supponendo videlicet sensitiuam virtutem praexistere, non autem acquiri per sensibile; non enim sentire est, vt discere, in quo nouus acquiritur habitus, & facultas speculandi, sed est, vt speculari; ita vt sicut speculari scientificè supponit habitum scientiæ, ita sentire supponit potentiam sensitiuam. Quod autem non cuiusque sicci sapores sint passio, aut priuatio (dicitur passio pro saporibus magis perfectis, vt dulce, pingue, &c. priuatio vero pro imperfectis, qui priuationi similantur, vt amarum, acerbum, &c.) sed tantum sicci nutritiui, oportet sumere hinc, quod nec siccum sine humido, nec humidum absque sicco saporem efficit, sed vtrumque; hoc autem est quod nutrit animalia, & plantas; alimentum enim ipsis viuentibus nullum eorum est seorsum, sed mistum ex vtroque; cum autem in hac mistione consistat sapor, sequitur, quod diximus, ipsum videlicet non consistere in quolibet sicco, sed in sicco nutritiuo. Non tamen credendum est, quod soli sapores nutriant, cum ipsi sint pura accidentia, & solum ad condimentum alimenti; sed per sapores debemus intelligere substantias sapores habentes, dum eos nutrire dicimus. Vnde eius cibi, qui offertur animalibus, ea, quæ quidem tangibilia inter ipsa sensibilia (sic videlicet quod sint etiam gustabilia) non tantum nutritionem sunt facientia, sed etiam augmentum, & decrementum; Horum enim causa est, secundum quod calidum, aut frigidum est id, quod ipsis animalibus offertur pro cibo; hæc enim faciunt augmentum, & decrementum; calidum videlicet augmentum, cuius proprium est dilatare, frigidum vero decrementum, cuius proprium est condensare. Quod tamen effectiue, & instrumentaliter intelligi debet; nam materialiter augmentum fit à quantitate cum substantia, decrementum à defecta ipsius, effectiuè autem, & principaliter ab anima. Cibus igitur, vel alimentum prout quantum, & calidum est, auget, prout substantia est, ac dulce, nutrit; id etenim quod offertur animalibus nutrit secundum quod gustabile; quod autem est gustabile, vel dulce est, vel aliquam habet dulcedinem, quare omnia nutriuntur dulci, vel simpliciter, vel mistim. Oportet igitur de ijs determinasse in ijs, quæ de generatione, & corruptione; nunc autem dictum sit quantum necesse fuit tetigisse ipsa. Calidum autem augmentat, & struit nutrimentum, & leue quidem attrahit, amarum autem, & salsum relinquit propter grauedinem. Quod itaque facit in exterioribus corporibus exterior calor, scilicet Solis, hoc idem facit calor internus, qui reperitur in natura animalium, & plantarum. Sed externus calor attrahit vapores dulces sursum, vt patet de aquis plunialibus attractis de mari in mediam regionem aeris, quæ dulces sunt; relinquit vero salsum, & amarum, vt notum est de aqua ipsa marina, quod propter grauedinem accidit, vt in meteorologicis dictum est. Sic igitur calor animalium attrahit sursum, vel ex ventriculo quasi ex centro ad omnes partes nutrimentum (non enim sursum simpliciter hic accipi debet, aliter partes inferiores, vt pedes, crura, &c. non nutrientur, sed debet sumi veluti circumferentia; dicitur sursum in ordine ad centrum, & sic omnes partes sint veluti circumferentia, ventriculus vero centrum) id scilicet, quod dulce, atque leue est, relinquit autem salsum, & amarum, vt sunt excrementa; quapropter nutriuntur dulci omnia animalia. Licet autem solo dulci animali nutriantur, tamen ipsi dulci commiscentur alij sapores ad cibum pro condimento, eodem modo sicut salso, & acido accidere videtur, quia ipsa vt plurimum dulci miscentur; hæc autem, quæ dulcia non sunt, præter condimentum, miscentur quoque: propterea quod sua grauedine retrahunt dulce, ne totaliter accedat ad membra, eo, quod nimis sit nutritiuum, ac per consequens nimis repletiuum; vnde Oppilationes, ac aliæ infirmitates generari possunt, est similiter ipsum dulce supernatatiuum, & leue, vnde totum attraheretur sicut dictum est, nisi alius admisceretur sapor. Quemadmodũ autem medij colores fiunt ex mistione albi, & nigri, ita medij sapores ex dulci, & amaro. Et secundum proportionem etiam, eo, quod magis, vel minus vnusquisque medius est participans extremorum, siue secundum numerum, vel proportionem, quam habet, siuè secundum motus, vel dispositiones, siuè indeterminate secundum alium excessum, uel defectum, sic diuersi causantur medij colores, magisque aut minus delectabiles, eo modo, quo de coloribus diximus. Qui enim misti delectationem faciunt, hi solum in numero, ac debita proportione consistunt. Pinguis ergo sapor ipsius dulcis est, seu magis eius natura participat. Amarum verò, & salsum ferè idem sunt. Acris verò, & austerus, & acerbus, & acidus sunt verè in medio, seu medij sapores. Ferè enim æquales saporum species, & colorum sunt, ideo eodem modo sunt distinguendi. Septem enim sunt vtrorumque species, si quis liuidum colorem à nigro non distinguat, sicut rationabile est, quamuis in 2. de anima tex. 101. vt distincta species posita sit distinctionis gratia, vnde octo connumerata sunt, neque est contradictio. Relinquitur enim flauum quidem albi esse, quemadmodum pingue est dulcis; puniceum autem, & purpureum, & viride, & ceruleum sunt in medio albi, & nigri; alij vero colores minus principales sunt misti ex his; vnde patet proportio, vel conformitas colorum ad sapores; & quemadmodum nigrum est priuatio albi in perspicuo, ita amarum, & salsum sunt priuationes dulcis in nutritiuo humido, non autem simpliciter priuationes, cum sint veri colores, & sapores positiui, sed sic dicuntur ratione imperfectionis, vt sapè dictum est. Quare cinis inter corpora combusta est amarissimus omnium, nam ex ipso exhalatum est dulce. Est tamen notandum, quod licet dulce sit ex prædominio calidi, vt dictum est, hoc tamen non est simpliciter verum, nam in cinere, & calce maximè dominatur calor, & tamen amarissima sunt; debet igitur intelligi, dulcem saporem consistere in hoc, quod calor perfectè digesserit humidum, quousque ad debitam temperiem ipsum reduxerit; non autem, quod ipsum exsiccauerit, tunc namque amarum efficitur, vt dictum est de cinere, & calce. Modo autem opiniones Antiquorum de saporibus examinemus, & primo ea, quæ

de

Sapor quid.

Sapor non nutrit.

Calidi est rare facere. Frigidi condensare.

Omnia nutriuntur, dulci.

Dulce est nimis nutritiuum, & supernatatiuum.

Species saporum.

Septem species saporũ & colorũ.

Dulce ex prædominio calidi.

Opin. Antiquorum de saporibus. Democr.

de sensibilibus in communi dicebant. Democritus igitur, & plurimi Philosophorum, quicumque de sensibus loquuntur, incongruissimum quid faciunt; omnia enim sensibilia tangibilia esse affirmant. Et tamen si hoc esset, manifestum est, quod vnusquisque aliorum sensuum, tactus quidam esset; hoc autem quod sit impossibile, non difficile est discernere. Amplius autem deficiunt in hoc, quod vtantur sensibilibus communibus omnium sensuum, vt proprijs. Nam omnes colores, & sapores, atque odores, & sonos, & tangibiles quoque qualitates reducebant ad communia sensibilia, quasi ab eis distincta non essent; vnde prædicta propria sensibilia in tantum sentiri dicebant, in quantum sunt figuræ, vel magnitudines, &c. Magnitudo enim, & figura, & asperum, & læne, amplius autem acutum, & obtusum, quod in molibus, vel quantitatibus continuis reperitur, sunt communia sensibilia sensuum; nam licet non ab omnibus percipiantur, tamen percipi possunt à visu, & tactu, quod sufficit, vt sint communia. Cùm ergò ipsi asseruissent, omnia propria sensibilia in figura, & magnitudine, vel in esse acutum, vel obtusum, asperum vel læne consistere; clarum est quod propria sensibilia cum communibus confundebant. Communia igitur sunt sensibilia hæc; quare sensus particulares de his decipiuntur, de proprijs autem non decipiuntur, velut visus non decipitur de colore, nec auditus de sonis. Quidam autem propria sensibilia ad ista communia reducunt, quemadmodum facit Democritus. Nam album quidem, & nigrum ad læne, & asperum reducit; quia putabat, ideo nigrum esse, quia partes eius sunt inæquales; vnde vmbram inter se, vel obscuritatem causant; ac per consequens asperum esse dixit. Album verò esse læue dicebat, quia partes ipsius sũt æqualiter situatæ, vnde non se impediunt in receptione luminis; & sic album læne esse putabat, cuius est habere partes æquales, vel æqualiter situatas. Ad figuras autem reduxit sapores; nam sicut in figuris inuenitur acutum, & obtusum, ita quoque in saporibus; sed hoc æquiuocè est, ideò deceptus fuit. Sed hic est dubitatio; nam licet album, & nigrum ad læne, & asperum reducant, non propter hoc sequitur, quod propria sensibilia ad communia reducantur; nam asperum, ac læne non sunt sensibilia communia, vt expressè patet, si quis ea numeret; sunt etenim ista solum, numerus, figura, magnitudo, motus, & quies. Respondetur, sic esse secundum veritatem, sed ipsi ponebant etiam inter ista asperum, & læne. Vel dicatur, quod asperum, & læne reducuntur ad ista, nempe ad magnitudinem; & sic album, & nigrum quoque reduci credebant. Quod autem sapores non sint reducendi ad figuras, vel communia sensibilia probatur. Quoniam nullius sensus externi est cognoscere communia sensibilia, ac si proprium eius obiectum essent; aut si aliquo modo hoc dici debet, id magis pertinebit ad visum, qui est omnium nobilissimus, & efficacissimus; ergo non est dicendum, gustum cognoscere sapores prout sunt figuræ, vel sensibilia communia; cum etenim semper à solo gustu percipiatur, si ponatur quod sit sensibile commune, poneretur etiam, quod gustus communia sensibilia perciperet, vt propria, quod iam falsum esse diximus. Licet enim sensus particulares in communia quoque obiecta ferantur, tamen hoc non est tanquam in propria, nec id magis fit à gustu, sed potius à visu. Si enim gustus magis ipsa perciperet, tunc omnes minimas differentias ipsorum cognosceret; nam circa vnumquodque genus sensibilium, minima discernere pertinet ad certissimum sensum. Quare si gustus certissimus poneretur, oportebat ipsum maximè sentire, alia communia, & aliarum figurarum vltra saporem esse maximè indicatiuum; quod falsissimum esse, apparet. Amplius; sensibilia propria omnia quidem habent contrarium, vt in colore, nigro contrariatur album: in saporibus dulci amarum: lumini tenebræ, saltem priuatiuè, vel secundum variam participationem à coloribus. Figuræ autem, quæ ex multis angulis constat, cui nam circulari contraria erit? profectò nulli: ergo ipsa figura non est proprium sensibile, & per consequens non à solo gustu percipitur. Amplius, cum infinitæ existant, vel existere possint figuræ, (quia per multitudinem angulorum in infinitum multiplicari possunt, sicut numerus) necesse est quod sint, vel esse possint sapores infiniti specie diuersi, quod falsum est: nam ipsos sentiremus; at si diceretur, hoc non esse necessarium; contrà: quam ob causam hic quidem saporum sensum faciet, vel immutabit, hic verò non faciet? profectò nulla. De sapore igitur, & gustabili dictum est; alia namque passiones saporum propriam habent considerationem in Physiologia de plantis.

C A P V T V.

De odoris essentia, ac eius speciebus, & à quibus, & quomodo percipiatur. Quodque animalia odore minimè nutriantur, contra nonnullos Pythagoricos.

EOdem verò modo oportet intelligere circa odores, sicut circa sapores; ita vt sicut in saporum generatione aliquid actiuum, aliquid vero passiuum concurrit, ita, & hic; differunt tamen in materia, quia saporum subiectum est solum aqua, odoris autem est quid commune aeri, & aquæ. Quod igitur siccum terrestre facit in humido ad generationem saporum, hoc facit in alio genere videlicet odorum, in alia quoque materia, videlicet in aqua, & aere similiter; nec tantum ex parte materia est diuersitas, sed etiam ex parte forma, ac diuersæ temperiei, aliter non differrent: nam ex parte formæ non autem ex parte materiæ attenditur differentia rerum præcipua. Commune igitur aeri, & aquæ nunc quidem dicimus esse ipsum perspicuum, non secundum quod perspicuum: sic namque est luminis receptiuum, sed secundum quod est lauabile, vel mundabile à sapida siccitate, seu prout est receptiuum saporis. Quod verò, tam aqua, quam aer sint odoris susceptiua, probatur, & specialiter de aqua, quia de aere non est difficultas. Nam non solum in aere, Testacea animalia quæ. *sed & in aqua odoratio est: quod manifestum est in piscibus, & testaceis: (dicuntur testacea, quæ testa cooperta sunt, siue aquatica, siue terrestria, vt ostreæ, conchæ, testudines, lumachæ, &c.) videntur enim odorare existentia in aquis dum ad cibum currunt: nec dicatur, quod odorent per aerem intra aquam existentem, nam falsum hoc est, aer enim intra aquam non existit, imò si simul cum aqua genitus fuerit, statim ob leuitatem superuatat, seu supra aquam ascendit, nec ipsi pisces respirant: quapropter aere existente intra aquam non indigent. Si quis ergo ponat, (vt poni debet, aquam, & aerem vtraque humida, ac odoris susceptiua: nihil aliud erit odor, quam natura sapidi, & sicci in humido recepta: odorabile vero, quod talem* Odor. *habet naturam. Quod verò à sapido sit passio, vel qualitas:*

verò

ista, quæ dicitur odor, per signa quædam probatur, tam affirmatiuè, quam negatiuè; seu tam per habentia, quam per non habentia odorem. Elementa enim velut ignis, aer, aqua, & terra, inodorabilia sunt, quia tum siccitates, tum humiditates eorum non sunt sapidæ, nisi aliquod mistum in eis odorem faciat. Propter quod, & mare habet odorem: habet enim saporem, & siccitatem, & sal magis est odorabile nitro, quia est etiam magis sapidum. Quod patet ex hoc, quod ab eo per artificium quoddam effluit oleum, vndè humorem, ac saporem, qui in humido aqueo fundatur habet, nitrum autem est magis terreum. Amplius, lapis est inodorabilis, quia insipidus est. Ligna autem sunt odorabilia, sapida enim sunt, & horum aquosa minus. Amplius inter metalla aurum est inodorabile, nam insipidum est; æs autem, & ferrum odorabilia, quia aliquem etiam habent saporem. Vnde quando humidum eorum fuerit exustum, excrementa omnium horum inodorabilia fiunt. Quare signum est, quod odor, in humido sapido fundatur. Argentum verò, & stannum magis odorabilia sunt, quam aurum, minus verò, quam ferrum, & æs; sunt enim magis aquosa, quare minus odorari possunt; nam etsi odor in humido sapido fundetur, ac sapor in humido aqueo, debet tamen esse aliqua siccitas terrestris; & sic pura, vel multum aquosa, vel non odorant, vel parum. Quibusdam autem videtur, quod odor non sit passio ex sicco terrestri dominanti super humidum aqueum, & aereum, sed quod ipse sit fumida euaporatio communis existens terræ, & aeri, vnde aquam excludunt: atq; omnes Heraclitei conueniunt in hoc de odore. Quare, & Heraclitus ipse, qui principia omnium fumum esse existimabat, sic dixit, quod si omnia ex fumo fierent, vel in ipsum resoluerentur, nares vtique omnia discernerent. Ad odorem autem manifestandum omnes Antiqui deferuntur in hoc, quod alij tanquam euaporationem ipsum ponunt, alij verò vt prædicti tanquam exhalationem, ac denique alteri, tanquam quid mistum ex vtraque: nec tamen credendum est, idem esse vaporem, & exhalationem; nam vapor est humiditas quædam; Fumida vero exhalatio (sicut dictum est in meteorolog.) est communis aeri, & terræ. Vnde ex vapore construitur quidem aqua, si condensetur; ex exhalatione autem quædam species terræ, vel aliquid terrestre. Sed neutrum horum videtur verum. Vapor enim aqua est, fumida vero euaporatio in qua odor quamplurimum esse videtur, vt experientia testatur non potest in aqua esse, & tamen (vt dictum est) animalia, quæ in aquis sunt odorant; ergo non omnis odor in fumida euaporatione consistit. Amplius, exhalatio si ponatur odor, similiter dicetur vt de fluxionibus, secundum eos qui dicunt, odores esse defluxiones quasdam corporum, quæ vsque ad visum pertingant; quod autem similiter dicetur patet; nam sicut defluxiones prædictæ currunt vsque ad oculos, ac ipsos tangunt, secundum quod sic opinantes ponebant, ita exhalatio cum sit corpus quoddam deberet fluere ex corpore odorabili vsque ad odoratum, ac ipsum tangere. Si igitur illa quæ de talibus defluxionibus dicta sunt non benè, nec ista benè dicuntur; non enim ad hoc vt fiat odoratio requiritur realis defluxus exhalationis de corpore odorabili ad odoratum: sic namque ad paruam distantiam omnia odorarent; quod patet esse falsum de quibusdam animalibus, vt de vulturibus, coruis, &c. atque omnia corpora odorabilium ad paucum tempus consumerentur resoluendo se in talem exhalationem; quæ cum omnia falsa esse sit manifestum, asserendum est, non omnem odorem sentiri per realem exhalationem ad nares defluentem, sed per species sensibiles, supposita aliqua exhalatione, vel perspicuo, vt dictum est supra, in quo ipse odor fundetur. Quod ergò contingat humidum, tam aquæ, quam aeris recipere odorem, ac pati aliquid à sapida siccitate non immanifestum est; etenim aer ex sua natura humidus est, quare à sicco pati potest; vnde qui humidum aquæ tantum, vel solum aeris materiam odoris ponunt, errant. Adhuc autem, si similiter in aqua faciat, & in aere id, quod est odoris effectiuum, nempe siccum sapidum, & terrestre; sicut siccum, quod lauatur, vel in aqua miscetur, ac sapores conficit, manifestum est, quod proportionales oportet esse odores saporibus. At verò in quibusdam etiam accidit, vt se concomitentur; etenim acres, & dulces sunt odores, & austeri, & acerbi, & pingues sicut sapores, & saporibus amaris attribuat quis odores, quos amaros non vocet, sed putridos; quarè quemadmodum amari sapores sunt ægrè potabiles, ita ea quæ sunt putrida, ægre spirabilia sunt, seu difficilis attractionis per respirationem; vnde patet proportio. Manifestum est ergo, quod illud quod in aqua fit sapor, hoc in aere, & in aqua fit odor. Et propter hoc frigus, & gelatio, & sapores hebetant, & odores delent. Calidum enim quod mouet, & generat odores, & sapores, aufertur ab infrigidatione, & gelatione. Nunc de speciebus ipsius odoris determinemus, qui quidem odor cum sit accidens non poterit vtique distinctè cognosci, nisi in ordine ad subiectum, seu corpus odorabile: ideò de ipso agamus. Species igitur corporis odorabilis sunt duæ: (non enim sicut quidam dicunt, non dantur species odorabilis, sed dantur) determinandum igitur est quomodo sunt, & quomodo non sunt. Aliud igitur est odorabile ordinatum secundum saporis species, vt dictum est, ita vt sit suaue, & triste secundum accidens: non videlicet prout odorabile simpliciter, sed quoniam est quædam passio nutrimenti. Vnde appetentibus nutrimentum ipsum, odores ipsius suaues, apparent, & sunt: plenis autem, seu futuris, & nihil egentibus, neque odores ciborum sunt suaues: neque cibus ipse, qui hos odores habet. Quare isti quidem odores ad nutrimentum ordinati habent (sicut diximus) suaue, & triste quid, secundum accidens, seu secundum aliud, hoc est ratione nutrimenti: propter quod sunt communes omnibus animalibus progressiuis, quæ per odorem escam indagant, vt nutriri possint: animalia verò immobilia per simplicem gustum hoc efficiunt. Et sic patet, quæ sit prima species odorabilis, ac odoris, quæ videlicet ad nutrimentum animalium ordinatur. Alia verò species est eorum, quæ secundum se sunt talia. Quidam igitur odores secundum se ipsos suaues sunt, quemadmodum florum: nihil enim magis, vel minus ad cibum inuitant, nec conferunt quicquam ad desiderium cibi, sed contrarium magis: nam sæpe adulia his odoribus nimis affecta non retinent bonos sapores. Vnde verum est, quod poeta quidam nomine Stratis vituperans Euripidem nimis exquisita cibaria expostulantem dixit. Quando lens decoquitur, non infundas vnguentum. Qui autem tales virtutes odorum ad cibum non ordinatorum, nec ad potum commiscent, vim faciunt per vsum, vel consuetudinem quandam ipsi voluptati, vel delectationi, donec vtique ex duobus sensibus fiat sibi aliquid per ipsum vsum suaue, tanquam sit vnum solum delectabile, & ab vno sensu percipiatur, re vera tamen in se tales odores delectabiles sunt. Hoc igitur odorabile, quod secundum se est delectabile, vel triste, proprium hominis est: qui autem odor secundum sapores ordinatus est, est etiam aliorum animalium, sicut dictum est prius. Et illorum quidem

Odorabilis species duę.

Stratis Poeta.

odorum, qui nutrimentis sunt coniuncti, atque habent esse suaue, & triste secundum accidens, seu secundum ipsum nutrimentum diuiduntur species secundum sapores; ita vt dicatur acutus odor, & similiter sapor, idem potest dici de pingui, acerbo, &c. Istius autem odoris, qui non est talis per cibum, non iam sic species in ordine ad sapores diuiduntur; propterea quod natura ipsius est secundum se suauis, & tristis. Causa autem cur proprius sit hominis talis odor, est propter frigus, quod circa cerebrum est. Frigido enim ex sua natura existente cerebro, & sanguine, qui circa illud est, in angustis venis existente, ac per consequens subtili, & puro, atque de facili infrigidabili (propter quod euaporatio cibi facta à calore stomachi ad cerebrum ipsum, infrigidata propter locum cerebri, facit hominibus morbos quosdam quos vocant fluxiones, seu rheumaticas infirmitates) ad auxilium sanitatis facta est ista species odoris; cum enim odor sit calidus, mitigat frigiditatem cerebri, atque ad bonam reducit dispositionem, dummodo etiam iste odor sit moderatus, aliter alterat, & malè disponit. Nullum igitur aliud est opus ipsius odoris, quam hoc quod quidem facit manifestum. At si quis dicat, hoc beneficium posset fieri cerebro ab odore existenti in cibo, ideo superfluus est alter. Respondetur. Quod cibus suauis existens, interdum, vel ex eo, quod est nimis siccus, vel quia nimis humidus, sæpè morbosus est. Qui autem odor à corpore secundum se ipsum odorifero prouenit, ac suauis est, semper vt ita dicam vtilis est, quomodocumque se habeat, seu quomodocumque sit suauis, tam multum, quam parum. Dixi tamen, quod sit semper vtilis, vt ita dicam, ad denotandam moderationem; odores verò secundum se tristes, sunt veluti priuationes, & vt per ipsos alios cognoscamus, & fortè ob alium vsum nobis incognitum. Cum igitur suauis odor sit vtilis ad contemperandum cerebrum; ideò odoratio fit per respirationem, non omnibus animalibus, sed hominibus, & inter irrationalia, quæ sunt sanguine prædita etiam quadrupedibus, & auibus, quæ participant magis naturam aeris; sic etenim respirando attrahunt aerem, atque odorem simul. Ascendentibus namque odoribus ad cerebrum propter leuitatem caloris, qui in ipsis est, sanius, vel melius se habent, quæ sunt circa locum hunc; virtus namque odoris ex sua natura calefacit, nam calida est. Vtitur autem natura respiratione ad duo vt ex proposito quidem, seu ex principali intentione ad adiutorium thoracis, seu pectoris, vel ad refrigerandum cor existens in pectore: at extra propositum (saltem principale) ad odorem; respirante enim homine, aer ipse attractus tanquam ex transitu facit motum per nares, ac secum ad cerebrum odores vehit. Proprium autem naturæ hominis est genus talis odoris, quia inter omnia animalia maximum, & humidissimum cerebrum habet, præcipuè secundum proportionem suæ magnitudinis; propter hoc enim, & solus homo, vt ita dicam inter animalia sentit, & gaudet odoribus talium florum. Eorum enim calor, & motus, vel dispositio, ad excessum eius humiditatis, & frigiditatis, quæ in tali loco sunt, commensuratus est. Alijs verò animalibus, quæcunque pulmonem habent, natura dedit sensum odoratus per respirationem operantem, vt aliud genus odoris percipiat, nempe quod confert ad nutrimentum, ne duo sensus faciat, alterum scilicet respirandi, alterum odorandi; nam sufficit ipsis respirantibus vnum organum, & sensus ad vtrumque; ita vt sicut hominibus est sensus respirationis, & vtrorumq; odorabilium simul, ita his existit sensus ad respirationem, & ad alterum solum, vel vnum odorabile, quod est cum nutrimento. Non tamen est credendum, quod alia animalia non percipiant alios odores, sed paucos; ideo, ac si non perciperent determinatur. Animalia verò, quæ non respirant, quod quidem habeant sensum odorabilis, manifestum est. Etenim pisces, & omne genus insectorum, exquisite odorant, & procul, quod accidit propter speciem odoris nutritiuam, seu coniunctam cum nutrimento, quæ remota est multum à propria esca, & percipitur ab eis, vt per hoc escam inueniant, quemadmodum apes faciunt ad mel, & genus paruarum formicarum, quas vocant quidam senipas, seu sex pedum, & inter marinos pisces purpuræ (sunt autem hi pisciculi quidam parui, ex sanguine quorum tinguntur lanæ, & panni qui purpuræ dicuntur,) & multa talia animalia acutè sentiunt escam propter odorem. Quomodo autem sentiant non similiter manifestum est, sicut in hominibus. Quapropter vtique dubitauerit aliquos, quo sentiant odorem, si spirantibus quidem omnibus sit ipsum odorari vnico modo puta per respirationem: (hoc enim videtur accidere omnibus respirantibus) illorum autem nullum respirat, sentiunt tamen; ideo difficultas est de ipsorum odoratu, nisi aliquis dixerit, quod præter quinque sensus datur alius quidam in istis, quo odorem percipiant. Hoc autem impossibile est; olfactus enim est odorabilis obiecti, illa vero animalia hoc odorabile sentiunt; ergo odoratum habebunt, & non alium sensum diuersum à quinque; habent igitur odoratum, atque odorem percipiunt, sed fortè non eodem modo sicut faciunt respirantia. Sed spirantibus quidem aer per nares ingrediens aufert superuenientem pelliculam, quæ est veluti cooperculum quoddam odoratiuæ potentiæ, quod fit per respirationem, vel attractionem aeris; quare nisi respirent, non sentiunt; non respirantibus autem ablatum est hoc cooperculum, quemadmodum accidit in oculis; quædam enim animalia habent palpebras, quæ nisi eleuentur non possunt videre, quædam verò (puta quæ duros habent oculos) palpebras, vel cooperculum in oculis non habent; quare ad videndum non indigent aliquo quod reuelet, sed statim vident: ex eo tamen spatio, vel distantia: vnde possibile est eis videre: sic igitur de odoratu dicendum est: scilicet quod animalia respirantia, vt odorare possint indigent remotione cooperimenti, quod est in potentia odoratiua, ea vero, quæ non respirant, quia huiusmodi cooperculum non habent statim sine respiratione, ac sine eleuatione cooperculi odorant, præsente, ac debitè approximato obiecto odorabili. Similiter autem est alia differentia accidentalis circa odores, qui per se sunt delectabiles, vel tristabiles in ordine ad nutrimentum. Nam vnumquodque animal irrationale non ægrè fert odorem eorum, quæ secundum se ipsa, & non in ordine ad nutrimentum fœtida sunt, nisi quid accidat quod cum tali odore corruptiuum existat, quod esse poterit, vel ex nimia siccitate, vel calore, aut fumo suffocante: ab his enim corrumpitur, similiter vnumquodque animal, & non à simplici odore: & quemadmodum homines à fumo carbonum patiuntur grauedinem capitis, & corrumpuntur sæpè, sic à virtute sulphuris, vique bituminosorum corrumpuntur alia animalia, & fugiunt propter passionem: ipsam autem secundum se ipsam graueolentiam, vel molestiam odoris non curant; quamuis multa ex terra nascentia fœtidos habeant odores, nisi quid ipsis conferat ad gustum, vel ad edulium: homines vero odores secundum se iniucundos ægrè ferunt, atq; ab ipsis patiuntur, & corrumpuntur interdum: Vnde patet differentia. Nunc autem ipsum

sensum

Odor maxime prodest capiti.

Purpura.

Quomodo odorant nõ respirantia.

Quomodo respirantia.

sensum odoratus ad alios comparemus. Cum igitur numerus impar habeat vnitatem mediam inter duos numeros pares, vt quinarius, habet duos binarios, ac mediam vnitatem; numerus autem sensuum sit impar, puta quinarius; rationabile est, vt vnum habeat sensum medium, qui extremis participet. Videtur ergò sensus odoratus medius inter tactiuos sensus, qui sunt gustus, & tactus, & inter eos, qui sunt sensitiui per alia (nempe per media externa) sicut est visus, & auditus, ac per consequens vtrique aliquomodo participet. Quare odorabile est quædam passio nutritiuorum, quæ quidem nutritiua cum ad gustum, & tactum pertineant, ipse odoratus de gustu, & tactu participabit aliquo modo, prout videlicet obiectum eius, cum eorum obiectis coniunctum est; atque ad idem genus materialiter pertinet, prout obiectum ipsum in eadem materia fundatur, saltem loquendo de odore conferente ad nutrimentum; hæc autem nempe gustabilia, & nutribilia in eodem genere sunt, quia vtraque est nutrimentum sub diuersa ratione, ac in ipsis odor fundatur; ergo. Et audibilis quoque, & visibilis obiecti ipse odor particeps est, nam sicut fit auditio, & visio per aerem, & aquam, ita quoque odoratio. Quo circa odorabilia in aere, & aqua odorantur; quare odorabile est commune aliquid horum amborum; ac ideo in tangibili, ac gustabili materia odor inest, & in medio audibili, & perspicuo, vel visibili. Quare rationabiliter mistio, quæ odorem efficit, assimilata est naturæ siccitatis existentis in humido, & fusili, vel in materia, quæ diffundi potest, quasi sit quædam tinctura, & lotura, ac per tincturam est similitudo cum coloribus, per loturam cum saporibus. Quomodò igitur species oportet dicere, & quomodò non oportet ipsius odorabilis intantum dictum sit. Quod autem quidam Pythagoricorum dicunt non est rationabile; nutriri namque dicunt quædam animalia odoribus. Primum enim videmus, quod oportet cibum esse compositum, vel mistum ex quatuor elementis, nam simile simili nutritur, vt dictum est in 2. de gen. textu 50. at ea, quæ nutriuntur sunt mista; ergo, & cibus talis esse debet; vnde, & superfluitas mista fit cibi, aut in ipsis animalibus; quorum excrementa habent internum vas, vel receptaculum, aut extra, sicut accidit plantis, quarum excrementa sunt gummæ, & alia multa, quæ internum receptaculum non habent. Cum ergò odores misti non sint ex quatuor elementis, sed sint eaptum accidentia, ac qualitates secunda, sequitur, quod nutrire non possint. Amplius non tantum accidentia non sunt nutritiua, sed neque substantiæ, vel elementa simplicia, vt etiam tactum est; quare neque aqua inmista existens vult, vel potest sola nutrire; corporeum enim aliquod ex quatuor elementis mistum oportet esse constituendum ad nutritionem, vt simili nutriatur simile. Adhuc, si aqua sola nutrire nequit, multo minus rationabile est, aerem corpulentum fieri, seu conuerti in corpus mistum nutriri; est enim rarior aqua. Adhæc autem; manifestum est, quod omnibus animalibus est proprius determinatus locus receptiuus nutrimenti, vel cibi; qui quidem est stomachus, à quo corpus ipsum trahens accipit; at sensorium, vel locus receptiuus odorabilis, vel odoris, non est stomachus; sed in capite reperitur, atque intrat ipse odor cum spirituosa euaporatione, seu cum aere, qui quidem neque in stomacho recipitur, sed ad spiratiuum vadit vtique locum, puta ad pulmonem; ergo neque ratione odoris, neque ratione aeris cum ipso recepti fit nutritio animalis; nam præter alia absurda prædicta, in loco determinato cibi reciperetur, quod falsum esse patet. Quod igitur odorabile secundum quod odorabile non confert ad nutrimentum, (nisi ad extitandum animalia, vt ipsum quærant) manifestum est. Quod autem conferat ad sanitatem, & ex sensu, seu cognitione sensata, & ex dictis patet. Quarè quod est sapor in nutrimento, & ad nutrienda ordinatus, hoc est odorabile ad sanitatem, sed ille vt condimentum se habet ergo etiam hic condit, vel benè disponit sanitatem; secundum vnumquodque igitur sensorium determinatum sit hoc modo.

Odoratus alijs sensibus participat.

Animalia quædam secundum Pythag. odore nutriuntur.

Reprobatur.

C A P V T VI.

Difficultatis solutio, an qualitates sensibiles in infinitum diuidantur. Et quarè sensibilium finitæ sunt species.

Dubitabit autem aliquis, si omne corpus in infinitum diuisibile est (vt in physicis diximus) numquid qualitates sensibiles, quæ in ipso corpore sunt, vt color, sapor, odor, sonus, grauitas, frigidum, calidum, leue, durum, molle, & aliæ similes in infinitum quoque sint diuisibiles, ad diuisionem ipsius corporis; an hoc sit impossibile. Videtur autem quod impossibile sit. Vnumquodque enim ipsorum, seu vnaquæque ipsarum sensibilium qualitatum est actiua sensationis, nam in sensum agere potest; omnes enim prædicta dicuntur sensibiles, in eo, quod possunt mouere sensum. Quare necessarium esset, sensum in infinitum quoque diuidi secundum suam virtutem per proportionem ad magnitudinem; ita vt sicut magnitudo in infinitum diuiditur, ita ipse sensus; & magnitudinem maiorem, ac minorem, ac aliam quoque minorem perciperet vsque in infinitum; ac per consequens omnem magnitudinem sensibilem esse oporteret, quod est inconueniens impossibile est enim, album, aut aliud quodcunque obiectum sentire, nisi quantum determinata quantitate existat. Ex alia parte videtur, quod qualitates ipsæ sensibiles sint in infinitum diuisibiles, sicut corpus; quod sic probatur. Si enim non sic sint diuisibiles, continget vtique esse aliquod corpus, nullum habens colorem, neque grauitatem, neque talem aliquam aliam passionem; quare; nec omnino sensibile erit; hæc enim omnia sensibilia sunt per se, quæ corpus, sensibile esse, efficiunt; vnde ipsis remotis non erit sensibile, quod tamen necesse est, quia non constat ex partibus mathematicis, quæ considerantur quantæ sine vlla naturali qualitate; probatur consequentia, videlicet quod si qualitates istæ sensibiles non diuiderentur in infinitum, daretur aliquod corpus naturale insensibile. Diuidatur corpus hoc in infinitum, qualitates autem nequaquam, tunc clarum est, quod oportet peruenire ad aliquas partes corporis, quæ tales qualitates non habeant, ac per consequens insensibiles sunt; istæ autem cum sint partes, necessario componunt aliquod totum; (vnumquodque enim componitur ex his, in quæ diuiditur) ergo illud totum erit quoque insensibile, nam sequitur naturam partium integralium, & sic habetur intentum. Amplius 2. si tales partes non sint sensibiles, non poterunt ab anima cognosci, quod falsum est; nam ipsa nata est cognoscere omnia, ex 3. de anima textu 37. & inde, probatur consequentia; nam quò hæc diiudicabimus, aut cognoscemus? sensu videlicet, vel intellectu? non sensu, quia insensibilia ponuntur: neque intellectu, quia intelligibilia non sunt; nam

Nihil sentitur nisi in quantitate determinata.

intellectus ipse non intelligit ea, quæ extra animam sunt, materialia, & singularia, nisi cum sensu existant sensibilia. Et dicitur notanter extra animam, ac materialia, & singularia, quia vniuersalia, quæ in anima existunt, ac singularia immaterialia, vt Deus, & intelligentia, non per sensum cognoscuntur. Sed si hæc ita se habent, scilicet, quod qualitates sensibiles non sint in infinitum diuisibiles, videntur facere confirmationem illis, qui indiuisibiles faciunt magnitudines; sic enim soluetur vtique sermo iste difficilis; nam asserendo corpora non diuidi in infinitum, clarum erit, quod neque qualitates sic diuidentur, & è conuerso; nam qualitates ipsæ semper ad diuisionem corporis diuiduntur, & ad diuisionem illarum, corpus quoque diuiditur. Sed quod corpus non sit diuisibile in infinitum impossibile est, vt dictum est, in ijs, quæ diximus de motu, in 6. phys. Cum solutione autem istarum dubitationum simul manifestum erit, quare finitæ sunt species coloris, & saporis, & sonorum, & aliorum sensibilium. Quorum enim sunt vltima, necesse est finita esse ea, quæ sunt intus. Omne autem sensibile habet contrarietatem, veluti in colore album, & nigrum, in sapore dulce, & amarum, & in alijs vtique omnibus sunt vltima contraria; ergo & ipsa, & intermedia species finitæ sunt. Nunc autem videamus si tales qualitates sint in infinitum diuisibiles, diuisione quantitatiua, seu ad diuisionem subiecti: pro cuius intelligentia, supponendum est primò, quòd continuum diuiditur in partes infinitas inæquales, seu proportionales: in partes verò æquales diuiditur secundum finitas, tantum, quod satis declaratum est in 3. phys. tex. 59. Secundò supponamus; id quod secundum se continuum non est, sed solum per accidens, sicut sunt omnes qualitates, esse diuisibile per se, in species finitas, vt supra declaratum est. Quibus habitis accedamus ad declarandum intentum. Quoniam ergo passiones, seu qualitates sensibiles, possunt vt species considerari, ac etiam prout in ipsis existit continuitas, ratione corporis quanti, in quo sunt, vtroque modo determinandum esset, nisi quod prout species sunt, superius

Pars in actu & in potentia.

determinauimus, quod scilicet in infinitum diuidi nequeunt; nunc ergò alio modo aspiciendæ sunt. Prout igitur sunt in continuo, sumendum est de ipsis, quod aliud est esse in actu, aliud verò in potentia; in actu dicitur pars per se separata, vel considerata, vt talis; in potentia autem, quæ non vt separata est, nec vt talis censetur, ac eadem quoque distinctio principaliter applicari debet continuo ipsi, in quo inest, secundariò accidentibus in ipso repertis. Possunt etiam considerari tales qualitates prout sensum immutare possunt, ac etiam prout sunt talia entia, vel accidentia in se, nullo habito respectu ad sensum, ac vtroque modo quæstio soluenda est. Dicimus, ergo quod qualitates ipsæ sensibiles in ordine ad sensuum immutationem non sunt diuisibiles in infinitum, loquendo maximè de partibus in actu probatur; nam non qualibet pars actualiter sentitur, vt experientia notum est. Vnde quamuis visus superueniat, ac videat totum granum milij, tamen millesima pars ipsius in toto grano confusè visa, per se actualiter latet, nec videtur. Et similiter quamuis auditus audiat totum sonum continuum existentem, sonus tamen qui in diesi consistit (quod est minimum melodiæ) ab auditu ipso non percipitur in actu; distantia enim eius intermedij, quod ad vltima sensibilia comparatur, latet. Similiter autem, & in alijs sensibilibus, quæ parua omnino sunt, latent, ita quod actualiter cognosci non possunt; potentia namque sensibilia sunt, actu autem non, nisi quando separata fuerint; etenim in linea bipedali inest pedalis in potentia, quæ tunc est in actu, cum separata fuerit. Concludi igitur potest, quod qualitates sensibiles in ordine ad sensum, atque actualiter considerata, non sunt diuisibiles in infinitum; ipsæ verò in potentia sunt fortè in infinitum diuisibiles; quoniam non possumus assignare aliquam partem minimam in toto, sed omnes simul sensum immutant; dum autem dicimus, partes tales in potentia in infinitum procedere, quo ad immutationem sensus, simul cum toto intelligendum est; non autem quo ad actualem separationem ab ipso; sic videlicet, quod vnaquæque, quæ in potentia dicitur possit per se separari, & separata existens actualiter percipi à sensu, hoc namque falsum est. Separatæ enim partes sic in paruitate superabundantes, rationabiliter vtique resoluerentur in continentia, vt in aquam, vel aerem; veluti minimus sapor in mare infusus, non per se manet, sed resoluitur. Vnde hoc modo neque in infinitum proceditur. Quinimo, quoniam neque ab exuperantia, seu virtute excellenti sensus, ipsa qualitas exuperans in paruitate secundum se ipsam sensibilis est, nec si separata ponatur, sentiri poterit; vnde licet ex se esset sensibilis, tamen ob sensus debilitatem non perciperetur. Exuperantia autem, vel virtus excellens inest in exquisitiori potentia, quæ tamen non sic est exquisita aliqua vt ad omnia sensibilia per se pertingat, sed sufficit, vt simul cum aliquo toto determinato quanto ipsa cognoscat, ne sit frustra. Quare nec tale sensibile separatum actualiter sentiri poterit, sed tamen erit sensibile; nam & potentia tale erat in toto, & actu erit adueniens, dum ponitur separatum; defectus igitur erit ex parte sensus. Possunt igitur pro exacta resolutione huius difficultatis quinque elici conclusiones ex dictis. Prima. Qualitates sensibiles prout sunt simpliciter entia, & accidentia quædam in subiecto quanto existentia, sunt diuisibilia in infinitum, ad diuisionem subiecti, aliter daretur corpus aliquod naturale insensibile, quod est absurdum, vt supra in principio capitis deductum fuit. Secunda. Qualitates ipsæ in ordine ad immutandum actualiter sensum, non sunt diuisibiles in infinitum, quæ conclusio satis declarata fuit paulo ante. Tertia. Ipsæ existentes in potentia in toto in ordine ad immutationem sensus, sunt in infinitum diuisibiles, quia nunquam potest assignari minor. Quarta. In ordine ad actualem separationem, ac per se existentiam, & sensibilitatem non diuiduntur in infinitum, nam corrumperentur. Quinta diuisione specifica, seu generis in species in infinitum non diuiduntur. Hæ conclusiones satis patent ex supradictis, sed ad maiorem distinctionem eas hic distinctè elicere volui. Quod igitur quædam magnitudines, & passiones, vel sensibiles qualitates lateant, & propter quam causam, & quomodo sensibiles, & quomodo non, dictum est. Cum autem iam qualitates ipsæ sic per se inexistentes sint, ac tantæ magnitudinis, vt actu sensibiles sint, non solum in toto à sensu percipi possunt, sed seorsum, & has sic consideratas necesse est finitas esse secundum numerum, ac per consequens finitos sonos, & colores, & sapores.

CAPVT

CAPVT VII.

Vtrum sensibilia omnia prius medium, quam sensum afficiant, an aliqua simul, & quando eadem res à pluribus sentiri possit.

DVbitabit autem vtique aliquis, vtrum sensibilia, vel motus, aut alterationes per ipsa factas (quomodocunque fiat sensatio, siue per defluxiones, siuè per alterationes, vt supra determinauimus) cum operantur, in medium prius perueniant, quam ad sensum; quemadmodum odor videtur facere, & sonus; animal enim propinquius corpori odorabili prius sentit odorem, quam remotius; & sonus posterius peruenit ad auditum, quam ictus percipiatur à visu; prius namque aliquid percutere videmus, deinde sonum percipimus. Vnde patet, quod sonus ipse per aliquod tempus decurrit ad auditum, & sic prius medium, quam sensum immutare videtur. De sono igitur, & odore non videtur difficultas, sed clare patet, prius medium, quam sensum mouere. Dubitatio igitur remanet de colore, vel de qualibet visibili qualitate (de gustabili autem, & tangibili non est difficultas, quia non mouent per medium externum, ac quoniam satis in 2. de anima tex. 115. & alibi de ipsis determinatum est.) An igitur obiectum visibile, & lumen prius perueniant ad medium quam ad visum, sicut dicit Empedocles de lumine Solis; quod nimirum prius perueniat ad ignem, & ad aerem, quam ad nostrum visum, & ad terram. Videbitur vtique hoc rationabiliter accidere, ac verum esse, quod sic probatur. Omne, quod mouetur, aliunde aliquò necesse est moueri; quare cum non sit simul in termino à quo, & ad quem, aliter simul moueretur atque motum, & non motum esset, necesse est esse quoddam tempus medium in quo mouetur ab altero termino ad alterum; tempus autem omne diuisibile est: quare etiam motus, & spatium diuisibilia erunt, vt declarauimus in 6. Physic. & sic tempore aliquo mensurabuntur; vnde non simul ipsum mobile erit in terminis extremis. Quarè radius ipse solaris, quando nondum videbatur, sed ferebatur de cælo ad terram in medio erat. At si quis respondeat huic rationi, non prius peruenire sensibilia ad medium, quam ad sensus, quia absque vlla successione à sensibus percipiuntur, vt omne animal simul audit, & audiuit, & omnino sentit, & sensit, & non est generatio eorum sensationum successiua, sed sunt absq; hoc quod fiant. (Est autem esse absque fieri, quod in instanti absque præcedenti fit dispositione, vt illuminatio &c.) tamen, & si ponatur, quod tales sensationes sint absque fieri, nihilominus non tollitur, quin sensibilia obiecta prius per medium transeant, quam ad sensus perueniant: nam sensatio ipsa attenditur in præsentia, & vltima approximatione obiecti, quæ potest supponere præteritam successionem, quemadmodum, & sonus, licet ponatur percipi in instanti, tamen facta percussione, ex qua ipse causatur, nondum tamen statim fit apud auditum. Manifestat autem hoc, quod dicimus, & literarum transfiguratio; non enim videtur, quod aliquis audiuerit dictum si procul sit, quia aer per quem fertur vox loquentis transfiguratur, vel ex ipsius aeris motu proprio, vel ventum, vel alterius vocis; vnde amittit etiam figuram verborum sibi impressam, & sic videtur quod fiat latio vocis per medium aeris, & consequenter prius medium, quam sensus immutetur. Ergò ne sic se habet color, & lumen? Et videtur, quod sic, quasi eadem ratione de sono. Non enim quomodocunque se habent, & in quacunque distantia, aliquid quidem videt, aliud autem videtur, licet quæ vident æqualia sint in virtute visiua, & quæ videntur sint æqualis visibilitatis, nihil enim oportet, quod vtrumque sit, vbi vis, sed esse debent in determinata distantia, & situ, aliter non bene, vel æqualiter videbunt, & videbuntur, sed à longè, vel nihil, vel multum imperfectè; quod non aliunde prouenire videtur, nisi quia per medium ipsum species visibilis debilitatur prius quam ad visum perueniat; ergo medium prius mouere videtur, quam sensum, sicut de sono dictum est. Debent ergo videntia, & visibilia esse æqualia sub ratione videndi, si debeant æqualiter videre, & videri; vnde non simpliciter æqualitas sufficit: nam æqualibus aliquibus factis, non differt, vel prope, vel longe esse, sed hic loquimur de æqualitate virtutis videndi, mouendi, & situs, qua seruata erit visio, vt dictum est, sicut in distantia indebita erit defectus. Respondeamus igitur resolutiuè ad prædictas dubitationes. Dicimus ergo, quod prius medium, quam sensus immutetur. Quemadmodum enim aer, & aqua, continua quidem est; tamen motus amborum sunt diuisibiles, seu varij, & diuersi motus in ipsis fieri possunt, eo quod sunt fluxibiles, ac faciliter diuisibiles. Quapropter sic accidit de sono, & sapore; ipsi namque diuersimode mouent media; & hac de causa contingit, vt primus, & postremus sentientium aliquo modo idem audiant, & odor ab vtrisque odoretur, aliquo verò modo non, primus namque, seu propinquior perfectè sentit, postremus autem imperfectè, quia (vt dictum est) non est idem motus, qui ad vtrumque pertingat. Videtur autem quibusdam esse dubitatio de his. Impossibile enim dicunt quidam esse, vt alijs, & diuersi idem audibile audiant, odorabile odorent, aut visibile videant, non enim possibile esse credunt multos, & seorsum existentes, audire, & odorare idem. Quod enim vnum solum sensibile est, si à pluribus sentiretur simul, ipsum esset seorsum à se ipso, nam esse debet, vbi sentitur. Quorum dubitationi respondetur, quod mouens primum, seu principale sensibile, vt tintinabulum circa sonum, vel thus circa odorem, aut ignis circa esse visibile, idem, & vnum numero sentiunt omnes; id autem quod iam proprium, & immediatum vniuscuiusque sensibile non est idem numero, sed alterum, seu diuersum, specie autem; sunt autem huiusmodi particularia sensibilia species primi sensibilis, quæ omnes ipsum totum repræsentant, sicut si plures essent imagines Iouis; quare per has species multi simul vident, & odorant, & audiunt idem. Sunt autem hæc particularia sensibilia non corpora, sed passiones, aut qualitates, & motus quidam primi sensibilis, non tamen sunt sine corpore, quia omne accidens est in determinato subiecto, ac nisi sit spirituale subiectum eius est corpus; sic ista sunt in aere, vel aqua, quæ corpora sunt, etsi ipsa non sint corpora; Si etenim corpora essent, non vtique accideret hoc, quod diximus, scilicet, quod per ipsa ab omnibus, vel pluribus idem obiectum sentiretur; nam solum corpus tale perciperent, ac vnusquisque proprium cognosceret, & non omnes idem. Sed dices, quomodo tales species, vel accidentia exeunt de talibus corporibus, ac migrant de ipsis ad media, & ad sensum, cum id naturæ accidentis repugnet. Respondetur, non propriè migrare, sed virtute talis obiecti sensibilis produci in medio. Patet ergo quomodo sonus, & odor, immutent, prius medium, quam sensum. De lumine autē, et colore alia est ratio, nam

Esse absque fieri.

Quomodo eadem vox à pluribus audiatur.

nam per id quod est esse aliquid simul, lumen est, & non est aliquis motus ipsius successiuus. Cuius ratio esse potest, quia cum sonus, & odor sint qualitates permanentes, ac naturaliter affectiuæ subiecti, possunt ipsum successiuè immutare. Illuminatio cur in instanti. *Lumen autem cum solum à corpore luminoso dependeat, ita, vt sine ipso nihil permanere potest, non immutabit successiuè partes subiecti, sed ad præsentiam corporis luminosi totum simul immutabitur. Alia ratio. Omnino autem nec similiter in alteratione se habet ratio successionis, sicut in motu locali. Lationes namque rationabiliter medium prius attingunt, quam extremum; sonus autem videtur esse motus cuiusdam, quod fertur localiter, nempe aeris percussi; ergo meritò fit successiuè; idem dicatur de odore. Quæcunque vero alterantur non amplius similiter successiuè mouentur; contigit enim simul totum alterari, & non dimidium prius, velut aquam omnem simul gelari; quod maximè habet veritatem de quibusdam alterationibus perfectiuis, vt est intellectio, visio, illuminatio, &c. Quarè cum illuminatio, ac perceptio coloris sint quædam alterationes non est necesse, quod successiuè fiant, sicut fit motus odoris, & soni. Notandum est tamen, quod non omnes alterationes sinè successione fiunt: nam interdum, quod calefit, aut gelatur, contiguum à contiguo patitur: atque pars prima ab ipso alterante primò transmutatur, alia verò ab ipsa prima, & non necesse est simul, & subitò: Nec tantum odor, & sonus successiuè perueniunt per media ad sensum, sed etiam ipsum gustare esset quemadmodum odor, si in aqua essemus, atque adhuc remotius ipsum gustabile sentiremus sensu tactu, quam gustaremus, hoc est discurreret ad nos successiuè; hoc tamen non accidit de facto, quia non sumus apti ipsum sentire per medium externum, licet ex se non sibi repugnet; nam in externo reperiri potest, vt accidit si esset sapida aqua, in qua essemus. Rationabiliter autem accidit, quod sensus, quorum sensibilia habent aliquod medium inter ipsa, & sensoria, non simul ab ipsis sensibilibus patiantur, sed successiuè, & per medium, præterquam in lumine, quod in instanti mouet, propter id, quod dictum est. Eadem de causa de ipso videre respectu cuiusque visibilis dicendum est; lumen enim facit ipsum visibile, ac visum videre; vnde proportionaliter se habent.*

CAPVT VIII.

An contingat duo simul eodem, & indiuisibili tempore sentire, & quomodo. Et quod omne sensibile magnitudo est, & non indiuisibile.

Est autem alia quædam dubitatio talis circa sensus; vtrum contingat duos simul sensus sentire in eodem, & indiuisibili tempore, sic videlicet, quod simul visus videat, & auditus audiat. Et similiter quæritur, an idem sensus simul duo obiecta sentire possit, vt auditus duos sonos, &c. Videtur igitur, quod non, quod probatur, duas præmittendo suppositiones. Prima. Maior motus semper minorem depellit, vel impedit, quod exemplo ab experientia ducto confirmatur. Si enim aliqui fuerint vehementer in aliquid intendentes, vel maximè timentes, vel audientes multum sonum, non sentiunt obiecta visibilia, seu non vident, etiam si res ipsæ visibiles delatæ sibi fuerint sub oculis, seu valdè propè, ita vt faciliter ex se videri possent, quod non aliunde prouenit, nisi quia minor motus visionis à maiori, vel intentionis, vel timoris, vel auditionis impeditur, qui omnes sunt motus suo modo, quod sufficit, nam multo magis valet de motibus propriè dictis. Secunda suppositio. Vnumquodque magis, vel distinctius potest sentiri simplex, quam mistum, velut à gustu vinum intemperatum, quam temperatum, & mel, & color, & neten, seu vox sola, quam in diapason, vel consonantia, quia hæc mista obscurant se inuicem: hanc autem mutuam obscurationem faciunt solum ea, ex quibus vnum aliquod fit, seu quæ sola nata sunt misceri, & vniri. Quibus positis probemus intentum. Et primò de vno sensu respectu duorum obiectorum; si itaque maior motus depellit minorem, necesse est si simul sint; & ipsum maiorem etiam minus sensibilem esse, quam si solus esset; minor enim, qui cum ipso miscetur aufert aliquid ab ipso, vt patet ex secunda suppositione, in qua dictum est, omnia simplicia magis sensibilia esse. Et diximus notanter si simul sint, hoc est si possint misceri, ac aliquam habere æqualitatem; si etenim vnus eorum fuerit valde excedens, non simul erunt, sed minor auferetur, vt patet ex prima suppositione. Si ergo æquales fuerint, ac diuersi existentes, neutrius erit sensus; obscurat enim alter alterum, nec simpliciter vnus solus potest sentiri. Quare, aut nullus erit sensus ipsorum æqualium sensibilium, aut alius ex vtrisque constans, quod quidem fieri videtur ex his, quæ temperantur, in quocunque misceantur: hæc namque propriam non retinent naturam, sed tertiam quandam constituunt: ita talia mista sensibilia, non per se distinctas efficiunt sensationem secundum numerum ipsorum mistorum, sed vnam solum ex ipsis resultantem. Quare manifestum est, quod non contingit eundem sensum duo simul obiecta sentire; nam si fuerint inæqualia maius obscurat minus, si æqualia, aut nihil sentitur, aut aliquid ex vtrisque mistum: vnde non erit propria vtriusque sensatio, sed quædam alia. Quoniam autem ex quibusdam quidem fit aliquid, ex quibusdam verò non (ex illis aliquid vnum fit, quæ sunt contraria; commiscentur enim per alterationem illa, quorum extrema sunt contraria, vt colores ex albo, & nigro; sapores ex dulci, & amaro, &c. quæ etiam sunt eiusdem generis, atque sub eodem obiecto sensibili continentur, ac ab eodem sensu percipi possunt. Quæ vero non sunt contraria, nec eiusdem generis, &c. non sunt nata efficere vnum, nisi fortè per accidens: non enim ex albo, & acuto vnum fieri potest, nisi secundum accidens, prout possunt esse simul in eodem subiecto; non autem fit ex illis per se vnum sensibile, sicut ex sono acuto, & graui fit consonantia: hæc igitur ex quibus vnum fieri nequit, sub alio, & alio sensu continentur, illa autem ex quibus fit continentur sub eodem) Ex quibus vnum aliquid fit iam dictum est, non posse simul distinctè ab eodem sensu percipi. De ijs verò, ex quibus vnum non fit, similiter dicimus non simul contingere ipsa à diuersis sensibus sentiri. Probatur; æquales enim existentes motus delebunt se inuicem, nec vnum tertium mistum efficient, quoniam vnus non fit ex illis. Si verò sint inæquales, fortior faciet sensationem, ac alter cessabit, vt patet ex prima suppositione. Præterea; magis vtique rationabile est, quod anima vno sensu simul duo obiecta sentiat, quorum videlicet vnus sensus solus est perceptiuus velut auditus percipiat sonum acutũ, & grauem, quam simul sit perceptiua duorum totaliter diuersorum per duos diuersos sensus, puta per auditum, & visum cognoscat sonum, & colorem: magis enim simul ipse motus vnius obiecti est sui ipsius impressiuus in anima, quam motus duo, ac duorum obiectorũ,

puta

puta visus, & auditus; nam plus opponuntur, ac maiorem attentionem requirunt. Sed vno sensu non possumus simul duo eiusdem obiecti sentire, vt supra probatum est; ergo nec duo diuersa, diuersorum sensuum. At si dicatur, quod duæ species eiusdem obiecti possunt sentiri mistæ simul, vt dictum est; ergo simul sentiuntur. Respondetur, quod mistura vult esse vnum quid, ac per consequens non sentitur, vt duo, neque sunt duæ sensationes; vnius enim licet misti, vnus est sensus, vnus autem simul est ipse, sicut obiecta perceptibilia. Quare necessaria mista simul sentit, quia vna sensatione secundum actum sentit ipsa; vnius enim obiecti numero, est vnus sensus numero secundum actum, & vna quoque sensatio; vnius vero obiecti specie, est vnus sensus, & sensatio non actu, sed potentia, hoc est plures sensationes ab eadem potentia prouenientes. Si ergo est vnus sensus secundum actum, seu actualiter sentiens, vnum dicet esse mista; quare si plura simul cognoscet, hoc non fiet, vt plura, & distincta, sed oportebit esse mista, & apprehendi, vt vnum. Quando ergo non fuerint mista duo erunt sensus secundum actum, ac per consequens non simul percipi poterunt, quia secundum vnam potentiam, & indiuisibile tempus, vnam necesse est esse operationem, & vnius quoque obiecti. Vnius enim obiecti, quod semel percipitur, vnus est vsus, vel operatio, ac motus potentiæ. Vna ergo est potentia, vnus actus, vnicum tempus, in quo vnicum sentitur obiectum; non ergo contingit duo simul obiecta sentiri vno sensu. At vero si ea, quæ sub eodem sensu simul percipere est impossibile, si sint duo obiecta, palam est, quod adhuc maius secundum duos sensus contingit simul sentire, velut album, & dulce, à visu, & gustu. Videtur enim, quod anima in nullo alio iudicet, aliquid esse vnum numero, nisi ex ipso simul apprehendere; quapropter quæ simul apprehendit, nunquam vt duo cognoscet, loquendo maximè de cognitione sensitiua. Quod autem aliqua sint vnum specie, cognoscit anima, non ex eadem apprehensione, sed ex pluribus ab eodem sensu prouenientibus, & eodem modo; vt quia eodem modo ab hac, & illa nigredine idem visus afficitur, eas eiusdem esse speciei anima censet. Dico autem hoc, quod scilicet ea, quę sunt eiusdem speciei ab eodem sensu, & eodem modo percipiuntur ad differentiam eorum, quæ sunt alterius speciei, ac ab eodem quoque cognoscuntur sensu, sed non eodem modo, vt album, & nigrum aliud specie existens; idem iudicat sensus, nempe visus; & dulce, & amarum idem ipse, puta gustus; diuerso tamen modo; nam aliter album, aliter nigrum visum immutant, aliter dulce, aliter vero amarum gustum, vt ab ipso visu alius est gustus, & aliter vtrumque contrariorum vterque sentit, vt dictum est; nam album à visu, vt habitus, ac perfectio percipitur, nigrum, vt priuatio, vel imperfectio, pariter de dulci, & amaro respectu gustus dicatur. Eodem autem modo omnes sensus cognoscunt cognata sibi ipsis, nempe proportionalia sibi obiecta, sicut gustus amarum. Patet ergo quod anima non potest per diuersos sensus diuersa obiecta sentire simul tempore, quia plus differunt, quam obiecta eiusdem sensus, quę tamen simul percipere nequit, quia non est idem modus sentiendi; & tamen impossibile est, quod vna, & eadem sensatio numero non eodem modo se habeat. Amplius. Si verum contrariarum contrarij sunt motus, simul autem contraria in eodem indiuisibili non contingit esse, atque sub vno sensu contraria sunt obiecta, vt sub gustu dulce, & amarum, non vtique contigit ea simul sentire, quia motiones, vel sensationes eorum etiam contraria erunt. Similiter autem palam est, quod neque, quæ non sunt contraria simul sentire contingit; nam aliquo modo contrarietatem participant, vt quædam in coloribus rationem albi, quædam vero nigri participant, & alijs similiter, velut saporum, hi quidem dulces sunt, hi vero amari, aut ipsis participant. At eadem ratione neque quæ verè mista sunt, simul sentire contingit (rationes enim, vel proportiones habent eorum, ex quorum mistione fiunt, sicut in consonantijs notum est, vt Diapason est proportio duorum ad vnum, & dicitur dupla; & Diapente, quæ est trium ad duo, & vocatur sexquialtera; in ijs enim proportiones, & rationes diuersorum numerorum, atque vnitatum reperiuntur, & sic quoque in mistis ex contrarijs obiectis,) nisi sentiantur vt vnum quid; sic autem fit vna proportio extremorum, aliter autem non. Erit enim proportio simul hæc, quæ obiectorum dicitur, veluti multi ad paucum, vel imparis ad par, vel pauci ad multum, vel paris ad impar, in quibus omnibus tamen ratio aliquomodo vtriusque extremi contrarij reperitur; vnde vt duo sentiri non poterunt; hæc igitur, licet sint eiusdem generis, & sub eodem obiecto, tamen sentiri simul non possunt. Si ergo aliqua plus distent ab inuicem, & differant, quam alia (dico autem ea, quæ cognatè, seu proportionaliter dicuntur in ratione mouendi cum alijs, sed sunt diuersa genere, vt album, & dulce,) clarum erit, quod multo minus simul sentientur, quam ea, quæ sunt eiusdem generis; quare si non hæc, neque illa. Quod autem dicunt quidam eorum, qui circa consonantias versantur, quod reuera non simul percipimus sonos diuersos, nec simul pertingunt nostrum auditum: videntur tamen simul pertingere; quia tempus inter medium latet, ex eo quod propter breuitatem insensibile fit; Vtrum rectè dicatur, an non? Si enim rectè dicunt, fortè vtique aliquis dicet nunc quoque nos putare posse, simul videre, & audire, contraria, non quod ita sit, sed quia intermedia tempora latent. Sed hoc quod dicunt non est verum; neque enim contingit, vllum tempus esse insensibile, neque latere, sed omne contingit sentire. Si enim quando aliquis sentit se ipsum, vel alium in continuo tempore, non contingit tunc latere, quod ipse sit sentiens, neque tempus ipsum latere contingit, quod per operationes cognoscitur. Est autem aliquod operans semper in continuo tempore, licet ponatur esse tantum, quantum insensibile possit iudicari. Si ergo aliquis tempus ipsum per suas, vel alienas operationes non percipit, manifestum est, quod tunc latebit vtique, si ipse est, aut si se ipsum cognoscit, et si videt, aut si sentit, vel non sentit, quæ omnia cum sint absurda, tempus ipsum non latebit. Amplius; si erit aliquod tempus propter paruitatem insensibile, nec vtiq; erit tempus aliquod, nec res vlla, quam sensus sentit, vel in quo non sic insensibiliter percipiatur, quia in aliqua parte ipsius, vel quia alicuius obiecti aliquid videt semper; ergo qua ratione aliquod tempus imperceptibile est, eadem totum ipsum, ac quodlibet obiectum erit huiusmodi; si quidem vt dictum est, est aliqua magnitudo, & temporis, & rei insensibilis omnino propter paruitatem. Quæ quidem consequentia melius sic declaratur. Si enim aliquis totum aliquod obiectum videt, vel sentit per aliquod continuum totum tempus, vt per vnam horam continuam, & non ipsum sentit in aliqua parte ipsius temporis, & ponatur (vt ipsi dicunt) quod aliqua pars ipsius temporis sit imperceptibilis; auferatur igitur ipsa temporis pars, in qua non sentiebat, quæ vocetur C B; ergo in aliqua parte ipsius totius temporis, vel aliqua pars ipsius rei sensibilis non sentie-

sentiebat; vnde frustra ponitur in toto tempore sentire; sic namque esset sentire tantum secundum partem; velut dicimus, quod aliquis terram videt totam, eo quod aliquid ipsius videt, & in anno ambulat, quia ambulat in aliqua parte ipsius, at vero in alia parte, quæ sit C B nihil sentit. Dicitur ergo in toto tempore sentire, & totam rem, eo quod in aliqua parte huius temporis, nempe in A B sentit; eadem autem ratio erit, si in aliqua alia parte sentit, puta in A C; semper enim in aliqua parte temporis, & aliquid tantum sentit; non autem totum ipsum, quod sit A C B. Cùm ergo sentire secundum partem temporis, non sit sentire secundum totum, includet quamcunque partem; quare nulla erit insensibilis. Cùm ergo in toto aliquo tempore sentire rem, & tempus ipsum contingat, nullum erit tempus imperceptibile. Omnia igitur obiecta sensuum sensibilia sunt, sed non videntur secundum propriam quantitatem, quod accidit, vel propter aliquod impedimentum potentiæ, vel propter distantiam, vt patet de Sole; magnitudo enim ipsius à longinquo videtur, quod sit quatuor cubitorum; sed non videtur, quantaque, seu propriè quanta sit determinatè; sicut ex opposito, aliquando indiuisibile percipitur à sensu, ac si indiuisibile non esset, velut cum partes existentes in toto simul cum ipso sentiuntur, quorum tamen quælibet separata sensibilis non esset ob defectus nostri sensus. Dicta autem est causa de hoc in præcedentibus, videlicet in cap. sexto. Quod quidem igitur nullum sit tempus insensibile, manifestum est ex his. Postquam vidimus, hanc solutionem de imperceptibilitate temporis non esse bonam ad declarandam difficultatem positam in principio capitis, an scilicet contingat eodem tempore plura obiecta ab eodem, vel diuersis sensibus sentiri, nunc secundum veritatem, quo modo res se se habeat considerandum est. Primum igitur videre oportet, vtrum sic contingat animam diuersa obiecta sentire simul quidem, atque per eandem potentiam, quæ sit actualiter indiuisa, non tamen penitus indiuisibilis, sed sic, vt quodlibet continuum; quod quidem actualiter est indiuisum, potentia verò diuisibile; ita vt potentia ipsa sit diuisibilis, quasi in plures partes, & facultates, quibus contraria sentiat, sicut ipsa quoque anima in plures diuiditur potentias, & principia sensitiua, vnde altero principio aliud sentire contingat. An hoc sit impossibile. Videtur igitur impossibile esse, quod primum patet ex hoc; nam ea, quæ secundum vnum sensum sentiuntur, vt per visum, si per aliam partem ipsius sentiantur, ipse visus habebit plures partes easdem specie; nam quæ ipse visus sentit sunt etiam eiusdem speciei in ratione videlicet visibilitatis; quare etiam visus huiusmodi erit; nam potentiæ distinguuntur per obiecta, vel à posteriori declarantur tales, quod tamen sufficit; hoc autem quod plures sint partes visus eiusdem speciei impossibile est. Si autem aliquis dicat, quod sicut sunt oculi duo ad videndum, ita nihil prohibere, quod in anima sint duæ, vel plures potentiæ visiuæ, auditiuæ, &c.

Vnum est principium visiuũ duorum oculorum.

hoc nihil valet, eo quòd forte ex his duobus oculis vnum sit solum principium visiuum, & vna est operatio ipsorum; in illis autem duabus potentijs, si aliquid vnum erit; ad quod ipsæ reducuntur, vt ad principale, quod ex ambabus constet, illud erit sentiens, & sic vna erit potentia; si autem illæ potentiæ separatim se habent, & non reducuntur ad vnum, non erit simile exemplum de duobus oculis, qui ad vnum principium visiuum reducuntur; quare hoc, vel illo modo deficiunt. Si ergo potentiæ ipsæ sensitiuæ partibiles sint, sensus ipsi plures erunt, sicut si quis differentes dicat esse in eodem homine scientias, quæ inter se tamen diuersæ sunt; at non possunt esse plures, quia neque operatio sensitiua erit sine virtute, quæ secundum se ipsam operatur; neque virtus sine sensu; at operatio, & virtus circa idem obiectum sunt; ergo sensus quoque circa idem erit, ac per consequens non erit multiplicandus, quia frustra multi ponerentur, cùm vnico obiecto, vnica sufficiat potentia. Præterea. Si anima ipsa vno indiuisibili principio sentit ea, quæ sunt diuersi generis, manifestum est, quod indiuisibili aliquo principio sentiet alia, quæ sunt eiusdem generis; magis enim contingebat, quod hæc, quæ sunt diuersi generis per plura principia sentiret, quam quę sunt altera, seu diuersa inter se, sed in eodem genere. Declaratur antecedens. Si itaque anima ipsa alia quidem parte sentit dulce, alia verò album; nam dulce per gustum, album per visum, aut ex istis duabus partibus, vel potentijs, aliquid vnum est, aut non, sed necesse est, quod vnum sit; nam pars, vel potentia sensitiua est, ex qua veluti diuersi riuuli particulares emanant sentiendi facultates; vna igitur est potentia sensitiua, quæ plura diuersa genere sensibilia percipit; si enim aliter dicatur, nimirum, quod obiectum eius est quoque vnum, quæram, cuius nam vnius obiecti illud sensitiuum principium erit; nullum namque vnum ex istis diuersis obiectis fieri potest. Necesse ergo est vnum esse aliquod animæ principium sentiendi, quo omnia sentit, sicut dictum est prius in libris de Anima: aliud autem genus peculiare sensibilium, per aliud vnum peculiare principium. Secundum igitur, quod principium commune sensitiuum est indiuisibile secundum actum, est vnum respectu diuersorum sensibilium, & dulcis, & albi, quando verò secundum actum diuersum factum fuerit, est alterum, seu non vnum, sed plura. Quod est dicere, dari vnum commune sensitiuum principium, quod fortè præcipuè apparet in eo, qui sensus communis dicitur, qui tamen secundum varias operationes fit plures accidentaliter in actu, vt aliam actualitatem habet, dum iudicat de dulci, aliam, dum discernit album, &c. Quare quemadmodum in rebus ipsis contingit, ita & in anima; idem enim & vnum numero album, & dulce est, & alia multa; vnde quamuis tales passiones, vel qualitates ab inuicem non sint separabiles, habent tamen diuersum esse, ac quidditatem. Similiter ergo ponendum est in anima. Idem scilicet, vt vnum numero esse sensitiuum omnium sensibilium, ipsum tamen esse formale alterum, & alterum est, ita vt sit aliqua facultas ipsius, quæ sit horum, quæ genere differunt, vt sensus ipse communis, alia vero horum, quæ differunt specie, vt uisus, auditus, &c. Quare ipsa anima sentiet vtique simul plura obiecta, eodem tempore, & vno principio secundum subiectum, & esse reale; ratione verò non eodem, quia variæ sunt ipsius virtutes, & facultates.

Concludendum est ergo, quod eadem potentia potest simul plura obiecta sentire, & similiter plures potentiæ possunt simul plura obiecta percipere; quis namque negaret, aliquem figuram aliquam respicientem, simul omnes, vel plures eius colores non respicere? aut aliquem alterum alloquentem, & audientem, non simul ipsum videre? Conclu.

Ad Argumenta.

Ad primum, dum dicitur, quod si æquales sint motus duorum obiectorum, se impediunt adinuicem; respondetur, hoc non esse verum in motibus intentionalibus, seu qui fiunt per species sensibiles; & similiter si vnus sit fortior alio, non tamen semper aufert minorem. Ad Arg.

Ad

Ad secundum de obiectis diversorum sensuum eadem responsione responderi potest. Verum est tamen quod anima interdum omnes vires ad aliquod obiectum applicat, vt alia non sentiat, hoc tamen est per accidens, sed revera plura potest simul sentire.

Ad tertium, dum dicitur. Vno sensu non possint plura obiecta sentiri; ergo neque pluribus plura, patet, quod assumptum est falsum. At si quaeratur, an vnico actu idem sensus plura obiecta percipiat; Respondetur affirmatiuè, quia omnia simul habent rationem vnius obiecti, & vnius termini. Verum est tamen, quod non ita perfectè plura sicut vnum. Atque omnia sensibilia debent magnitudinem aliquam habere. Quod autem omne sensibile cum magnitudine est, & non est indiuisibile sentire, manifestum est. Etenim vnde quidem visibile obiectum non videtur infinita est distantia; quia videlicet, dato termino, ex quo videri possit, vltra illum potest fieri progressus in infinitum vnde non videtur; distantia autem vnde videtur finita est; similiter autem dicatur de audibili, & odorabili, & de quibuscunque sentiuntur non tangendo. Est itaque aliquid vltimum distantiae, vnde non videtur obiectum, & primum vnde videtur; hoc itaque vltra, quod non contingit sentire obiectum existens, necesse est indiuisibile esse, citra autem necesse est sentire. Si itaque aliquod indiuisibile erit sensibile, si ponetur in vltimo termino distantiae, erit quidem visibile, & inuisibile. Visibile prout in termino visibilitatis, ponitur inuisibile ex supposito; hoc autem est impossibile. De sensorijs igitur, & sensibilibus, quomodo se habent, & communiter, & secundum vnumquodque sensorium dictum est. Reliquorum autem, primo considerandum est de memoria, & reminiscentia.

Finis Libelli de Sensu, & Sensilibus.



ANTO-

ANTONII ROCCI
De Scurcula Marſorum
PARAPHRASIS
IN LIBELLVM ARISTOTELIS de Memoria, & Reminiſcentia.

CAPVT PRIMVM.

Quarum rerum ſit Memoria, & cuius animæ partis.



E Memoria autem, & meminiſſe, dicendum quid ſint, & propter quam cauſam fiunt, & cui animæ parti, ſeu potentiæ ipſa memoria accidit, & ipſum reminiſci. Non enim idem eſt memoria, & reminiſcentia, ſicut non idem ſunt memoratiui, & reminiſcitiui. Sed frequenter magis memoratiui quidem ſunt, qui tardi exiſtunt ingenio: magis autem reminiſcitiui, qui veloces, & dociles. Cuius diuerſitatis cauſa eſt, nam tardi ingenio ſunt duri; vnde faciliter retinent ſpecies rerum, etſi difficulter imprimantur, retinere autem ſpecies abſque obliuione, eſt memorari. Qui autem ſunt dociles, exiſtunt molles carne, & cerebro, vnde ſpecies faciliter euaneſcunt, ſed propter optimam diſpoſitionem, & habilitatem faciliter diſcunt, atque diſcurrunt, & reminiſcuntur. (Poſſunt autem eſſe alij in tertio genere, qui nec nimiam duritiem, nec mollitiem habeant, ſed in quadam media temperie ſint conſtituti, & hi memoratiui ſimul, ac reminiſcitiui, & ingenioſi eſſe poſſunt.) Hoc tamen ad propoſitum ſufficiat, quod memoria, & reminiſcentia non ſunt idem: aliter memoratiui ſemper eſſent reminiſcitiui, & è contra, quod falſum eſt; videndum eſt ergo, quid vtraque ſit, & quomodo differant; quod vt ordinate fiat, exordiemur ab obiectis; potentiæ namque per obiecta cognoſcuntur. Primum igitur accipiendum eſt, qualia ſint memorabilia; ſæpe enim decipit hoc, neque cum futurum contingit meminiſſe, ſed ipſum eſt opinabile, & ſperabile; Vnde erit vtique, ſcientia quædam ſperatiua; dum videlicet ex aliquibus cognitis cauſis, aliquos bonos effectus prævidemus, ac ſperamus; quæ tamen non eſt ita certa, & infallibilis, ſicut eſt ſcientia propriè dicta, ſed eſt quemadmodum quidam diuinatiuam eſſe dicunt, qua multa futura prædicuntur, ſed non omnino certitudinaliter. Neque ipſa memoria eſt rei præſentis, ſed ſenſus circa iſta verſatur; ipſo namque ſenſu, neque futurum, neque præteritum cognoſcimus, ſed tantum præſens. Memoria autem præteriti eſt; Præſens autem cum adeſt, vt cum aliquis videt hoc album, nullus vtique dicet eum meminiſſe, neque quod per intellectum conſideratur, cum eſt conſiderans, aut intelligens memorari dicitur, ſed illud, quod videt, ſolum ſentire dicitur; hoc autem quod per intellectum comprehenditur, ſcire ſolum. Cùm autem aliquis habet ſcientiam, ſeu cognitionem intellectiuam, vel ſenſum, ſiue ſenſitiuam ſine actibus, ſeu operationibus in præſentia obiecti, ſic dicitur memorari alicuius rei, vt quod trianguli ſint æquales duobus rectis; quæ memoratio poteſt eſſe ex vi intellectiua, & ſenſitiua; vt cum memoratur eius, quod didicit, aut ſpeculatus fuit, intellectiua; dum vero quod illud audiuit, aut vidit, aut aliquid tale, ſenſitiua eſt. Semper enim, cum animal agit ſecundum ipſum meminiſſe, ſeu dum meminit, ſic in anima dicit, quod hoc prius audiuit, aut ſenſit, aut intellexit; quapropter memoria eſt tantum reſpectu actionis præteritæ ſenſitiuæ, vel intellectiuæ, & non ſimpliciter rei præteritæ; quod enim triangulus habeat tres angulos æquales duobus rectis præteritum non eſt, cum ſit æternæ veritatis; & tamen de ipſo ponitur memoria, prout videlicet, memoramur eius præteritæ apprehenſionis, non ſub ratione formali apprehenſionis, ſed vt repræſentatiua alicuius prius cogniti. Eſt igitur memoria neque ſenſus, neque exiſtimatio, vel intellectus, ſed horum alicuius, aut habitus, aut paſſio: habitus ſi habent rationem permanentis: paſſio ſi tranſeuntis, cum factum, vel tranſactum fuerit tempus. Ipſius autem nunc, vel præſentis temporis in ipſo nunc non eſt memoria, ſicut diximus; eſt enim præſentis quidem ſenſus, futuri verò ſpes, præteriti autem memoria. Vnde omnis memoria eſt poſt tempus præteritum; quare quæcunque animalia tempus ſentiunt, hæc ſola meminerunt, & iſto principio animæ memorantur, quo tempus ipſum ſentiunt, vel cognoſcunt. Quoniam autem de imaginatione prius in ijs, quæ ſunt de anima, dictum eſt, & quod intelligere non eſt ſine phantaſmate; accidit enim eadem paſſio in intelligendo, quæ quidem accidit in deſignando figuras Geometricas; in deſcriptione namque Geometricæ nulla vtentes determinata quantitate, deſcribendo tamen triangulum, ipſa determinata quantitate vtimur: & ſimiliter intelligens, quamuis non debeat intelligere aliquod

Memoratiui tardi.

Reminiſcitiui dociles.

Potentiæ cognoſcuntur per obiecta.

Quæ ſint memorabilia.

Memoria ſenſitiua, intellectiua.

quantum

quantum, vel singulare phantasiabile, & sensibile, maximè dum vniuersalia speculatur; ponit tamen ante oculos quantum; intelligit autem non secundum quod quantum, sed vniuersali ratione, vt intelligendo hominem in vniuersali, format sibi idolum alicuius particularis, quod ad auxilium intellectionis pertinet, ob connexionem potentiarum. Si autem natura, quæ ab intellectu cognosci debet, sit rerum quantarum infinitarum, vel indeterminatarum, tamen si consideretur quid, vel quotuplex sit quantitas, ipse intellectus ponit quidem quantum determinatum, licet intelligat solum secundum quod quantum in communi; vt in definienda linea præfigit sibi aliquam lineam particularem, vel pedalem, vel bipedalem, &c. propter quam igitur causam non contingit intelligere aliquid sine continuo, seu phantasmate repręsentante magnitudinem aliquam, neque sine tempore, quæ non sunt in tempore; alia ratio est, nempe in Metaphys. vbi de gradibus intellectus agetur. Nunc tamen breuiter dici posset, hoc esse ex ordine, & auxilio mutuo potentiarum adinuicem in operando.

Cur non intelligamus sine phantasmate.

Magnitudinem autem, & motum cognoscere necesse est, eo principio cognoscitiuo, quo & tempus cognoscitur: hæc autem omnia externis sensibus cognoscuntur, atque etiam sensu ipso communi per phantasmata sibi repręsentata, vnde patet, quod phantasma ipsum sit ipsius sensus communis passio, ac per consequens ad ministerium intellectus ipse etiam communis sensus concurrit; quare manifestum est, quod cognitio horum singularium in absentia obiecti est à primo principio sensitiuo, seu à sensu communi, qui dicitur primum principium sensitiuum, prout ab ipso oriuntur omnes externi sensus, ea autem memoria, quæ est rerum intelligibilium non sine phantasmate est. Quare intellectiui principij secundum accidens est phantasmata cognoscere, & sic per ipsa rerum sensibilium memorari: per se autem est primi sensitiui. Vnde alijs quibusdam inest animalibus, & non solum hominibus, qui habent opinionem, & prudentiam; si autem intellectiuarum partium, vel potentiarum ipsa memoria esset, non vtique inesset multis aliorum animalium, fortè autem nulli mortalium præterquam homini (dicitur autem fortè, quia multi dubitant, an quędam animalia habeant intellectum, contra quos modò non est disputandum.) Attamen neque omnibus brutis memoria ipsa sensitiua inest; propterea quod non omnia habent sensitiuam temporis cognitionem, seu cognitio ipsorum non se extendit ad præteritum, sed vix à præsenti obiecto mouentur; aliqua autem neque localiter, sed metaphoricè tantum, sicut sunt animalia immobilia; semper autem cum agit memoria, sicut prius diximus, ideò simul sentit aliquid, eo quod vidit hoc, aut audiuit; vnde sicut ibi, sic prius, & posterius in tempore sunt. Cuius igitur potentiarum animæ memoria sit, manifestum est, quod illius cuius est imaginatio, & per se memorabilia sunt illa, quorum est per se imaginatio, sicut res sensibiles, atque materiales; secundum accidens autem, quæ non sunt sine imaginatione, sicut res intelligibiles; quare memoria intellectiua indiget sic sensitiua, vt sine illa operari nequeat.

CAPVT II.

Quomodo rei absentis fiat memoria. Qui immemores esse dicantur, ac ipsius memoriæ definitio.

DVbitabit autem vtique aliquis, quomodo existente quidem præsente quadam passione, dum memoramur; re autem de qua memoramur absente, meminit ipsa anima eius, quod non præsens est, & non potius præsenti passione afficitur, ac ipsam, vt præsentem iudicat, absque consideratione rei præteritæ. Respondetur, manifestùm esse, quod oportet intelligere aliquam talem passionem factam esse per sensum in anima, & in aliqua determinata parte corporis animata, velut picturam, cuius organicæ sensitiuæ partis dicimus memoriam esse habitum; motus enim factus à sensibilibus in sensum imprimit in phantasia velut figuram quandam rei sensibilis: sicut qui cum annulis sigillant, in cera figuram imprimunt. Vnde & alijs quidem, qui sunt in motu multo, vel ob passionem corporis, vt ebrij, infirmi, vel animi, vt irati, mæsti, aut propter ætatem, vt pueri, & senes non fit memoria, sed imagines rerum sensibilium fluunt, tanquam si quis in aquam fluentem incidat, vel applicet motum, & sigillum.

Pueri, & senes ebrij, infirmi, &c. cur non memorentur.

Alijs autem propterea quod frigida sunt, & labilia sicut antiqua ædificia, quæ facilè ruunt, aut opposito modo propter duritiem eius, quod accipere debet passionem; non gignitur figura. Quapropter, & valde iuuenes, senes immemores sunt; fluunt enim illi quidem propter augmentum; hi vero propter decrementum. Similiter autem, & multum veloces ingenij, & multum tardi neutri videntur memores; illi verò humidiores sunt, quam opportunum sit; hi verò duriores; illis igitur (puta velocibus) non remanet phantasma in anima; duros verò non tangit, seu eis non imprimitur. Sed si quidem tale accidens est circa memoriam velut pictura quædam, vtrum hanc præsentem passionem meminerit anima, an illud à quo facta est, puta obiectum absens, cuius figura ipsa repręsentatiua est. Si enim hanc pręsentem passionem memorabimur, nihil vtique absentium meminerimus, quod est contra prædicta. Si verò absens obiectum, quomodo sentientes hanc præsentem passionem, meminerimus, quod non sentimus, & quod absens est? rationabilius est namque id magis memorari, quod magis sentimus, cum memoria ipsa sit vis quędam sensitiua, vt dictum est. Et si sensus huius absentis sensibilis est in nobis similis figurę, aut pictura, propter quid erit memoria alterius, & non huius ipsius figuræ? figuram namque respiciens, potius in ipsam fertur, quam in aliud per ipsam repræsentatum, atque animal quod per memoriam agit hanc præsentem passionem speculatur, & sentit. Quomodo igitur rei non præsentis meminit anima? poterit vtique videre, & audire non præsens; vtraque enim est sensitiua cognitio; ergo par est ratio de vtraque; quare si vnum est inconueniens, videlicet, quod videamus, vel audiamus absens, & aliud quoque erit. Assignandum igitur nunc est, quomodo contingat, & accidat hoc. Vt enim in tabula pictum animal, & animal pictum est, & imago viui, & idem vnum ipsum est ambo, non tamen amborum est idem esse formale; potest namque considerari, vt animal pictum, & vt imago; sic oportet considerare phantasma, quod in nobis est, & ipsum aliquid

quid

quid secundum se esse, & etiam alterius phantasma, vel imaginem; inquantum quidem secundum se ipsum speculamentum, aut phantasma est; inquantum verò alterius repræsentatiuum, vt imago, & memoriale est. Quare cum motio, vel impressio ipsius operatur; siquidem inquantum secundum se est apprehenditur ab anima, sic anima sentit ipsum, vt intellectum, vel cognitum aliquod, vel vt phantasma, quod adesse videtur; si autem inquantum alterius repræsentatiuum, sic anima ad absens obiectum cognoscendum inducit, sicut accidit in pictura; aliquis enim ipsam vt solam imaginem speculatur; alter verò rem per ipsam figuratam; vt si sit figura Corisci, & seipsum non videat, imaginem vt Coriscum apprehendit; quare tunc est alia passio, & affectus huius speculationis à præcedenti. Et similiter accidit de imaginibus repræsentatis in anima; vt quando imaginem sicut animal pictum quis considerat in anima, hoc quidem fit tanquam solum cognitum, vt passio quadam; quando verò vt alterius significatiuum, tunc ibi sic habet, vt imago, & memoriale, seu actus memorandi, atque absens obiectum cognoscendi. Et ob hoc aliquando factis nobis in anima huiusmodi motibus ab eo, quod prius sensimus, si secundum sensationem prioris sensibilis hoc accidat, & si est memoria, aut non, dubitamus quandoque. Aliquando autem accidit intelligere, & reminisci, quod aliquid audiuimus prius, aut vidimus. Hoc autem accidit, cum speculans ipsum phantasma secundum quod phantasma est, permutatur ad considerationem alterius, videlicet rei cuius est phantasma. Fit autem aliquando contrarium, vt accidit

Ecstasis Antipherontis. *Antipheronti Oritæ, & alijs, qui ecstasim patiebantur; phantasmata enim dicebant esse, quasi res factas, & quasi ipsas res meminissent. Hoc autem fit, cum talis non imaginem, vt imaginem considerat rei, seu percipit, sed credit aliquam esse veram imaginem rei præsentis, & rem ipsam quoque præsentem esse, quæ tamen non est. Meditationes autem memoriam conseruant atque vtiles sunt ad reminiscendum. Hoc autem nihil aliud est, quam speculari sæpè prædicta phantasmata, prout sunt imagines rerum prius apprehensarum, & non secundum se tantum. Quid igitur est memoria, & meminisse, dictum est; nimirum,*

Memoria quid. *quod ipsa est habitus, seu conseruatio phantasmatis, non prout phantasma est, sed prout est imago illius cuius est phantasma. Dictum quoque est cuius partis, vel potentia animæ, earum quæ in nobis sunt sit, quod scilicet est primi sensitiui, puta sensus communis, quo sensu etiam tempus sentimus. Sic ergo integra definitio memoriæ reducatur. Est conseruatio phantasmatis in sensu communi, prout aliud absens repræsentat.*

CAPVT III.

Quid sit ipsum reminisci, nec esse memorari, aut de nouo addiscere. Quandoque, & in quibus fiat rebus.

DE ipso reminisci autem reliquum est dicere. Primum igitur quæcunque in disputatiuis rationibus vera sunt, oportet ponere, vt existentia vera, vt prolixas nunc disputationes euitemus. Non igitur reminiscentia est resumptio memoriæ, sic videlicet, quod nihil aliud sit, quam pluries memorari: nec est acceptio, vel prima cognitio rei cognoscibilis, Cùm enim aliquis primum addiscit, non resumit memoriam vllam, quia nulla antea apprehensio facta fuit; nihil autem resumi potest, nisi prius assumptum fuerit; vnde reminiscentia non est prima cognitio, vel acceptio rei, quæ à principio accipitur. Cùm enim factus fuerit habitus, aut passio, tunc memoria est; quare simul cum passione, quæ denuo fit, ipsa memoria non gignitur, sed postea; ergo multo minus reminiscentia. Adhuc autem cum passio primum facta est in vltimo, et indiuiduo tẽporis iam inest patienti; & similiter cum primum facta fuerit scientia inest scienti, (modo enim non curamus distinguere inter scientiam, & quemcunque habitum) memoria vero est rei præteritæ sicut ipsum quoque reminisci; ergo supponit notitiam habitam, & per consequens non est prima acceptio rei. Nihil tamen prohibet meminisse secundum accidens, eorum quæ ad præsens scimus prout aliquod potest intercidere tempus, atque obliuio. Meminisse autem secundum se non est ante factum tempus; meminit enim nunc, quod vidit, aut passus fuit prius, non quod nunc patitur, nisi fortè per accidens, vt dictum est. Amplius autem manifestum est, quod meminisse non est, quod reminiscens memoretur, dum à principio sentit, aut patitur aliquid, sed cum resumat scientiam, quam prius habuit, aut cognitionem sensitiuam, aut habitum cuius memoriam dicebamus, & hoc modo memorari est reminisci aliquid eorum, quæ dicta sunt; vnde ipsum meminisse accidit memoriam sequi; quia videlicet ex vario discursu rei oblitæ, qui fit per reminiscentiam, aduenit tandem memoria, veluti terminus reminiscentiæ. Neque itaque hæc simpliciter, si ante extiterint cognita, ac oblita, & iterum cognita fiant, sufficiunt ad reminiscentiam, sed aliquo modo contingit resumere, quæ prius oblita fuerunt, aliquo verò non; nam quis ita oblitus esse poterit, vt nihil sciat penitus, & hic si iterum res oblitas cognoscat, non debet dici, quod reminiscatur, sed quod iterum addiscat; his enim discere, & inuenire contingit eundem idem. Oportet igitur, quod reminisci differat ab addiscere, & inuenire, & aliquo maius principium in reminiscendo existat, quam in addiscendo; reminiscens namque fundamenta cognitionis rei oblitæ habet. Contingunt autem reminiscentiæ, quoniam aptus est naturaliter hic motus, vel discursus fieri post hunc, procedentes ex prima impressione rei cognitæ; qui quidem motus, vel necessariò, vel contingenter se consequuntur; si enim ex necessitate vnus alium sequatur, manifestum est, quod cum principium reminiscitiuum fuerit motum primo motu, mouebitur etiam alio sequenti; vt si quis reminiscatur hominem, statim animal esse reminiscitur. Si autem non ex necessitate, sed contingenter, & ex consuetudine alter motus alterum sequitur, vt plurimum ipsa anima secundo motu mouebitur; vt si quis velit reminisci quid tali die effecerit, incipiat ab operibus consuetis, & alia denique per ordinem in memoriam venient: quæ tamen consuetudo non æqualiter fit in omnibus; accidit enim quosdam, qui semel consueuerunt magis memorari, vel reminisci, quã alios sæpe motos, vel assuetos, quod accidit, vel ex diuersa complexione (vt supra de memoria dictũ est) vel ex obiecto magis admirabile, vel nouo, quod fortius facit in anima impressionem: vnde quædam semel videntes, magis meminimus, quam alia, quæ sæpè vidimus. Cùm igitur reminiscimur mouemur secundum quendam primorum motuum prædictorum, quousque vtique moueamur vsque ad illum motum post quem sequitur memoratio rei oblitæ. Vnde post primam apprensionem alicuius rei oblitæ, quod consequenter est, venamur, quæ reminiscentia potest multipliciter fieri, & incipere: vt

possimus

possumus meditari ab ipso nunc, vt si velimus scire quid fecerimus heri, incipiamus ab actionibus hodiernis, vel huius horæ, & sic retrorsum secundum consequentiam motuum, & actionum; aut possumus incipere ab aliquo alio tempore; vt si quis ad memorandum quid fecerit hodie potest discurrere de actionibus, quas fecit circa matutinum, &c. Similiter possumus incipere à simili, vt videndo hominem doctum, vel album, statim sibi similem alias cognitum reminiscimur, aut à contrario; vt considerando de Hercule, statim subuenit de Antheo, aut à propinquo, vt ex memoria patris, vel fratris, filius, vel alter frater memoriæ occurrit. Propter hoc igitur fit reminiscentia; quia motus, vel cognitiones prædictorum se consequuntur, ac aliquam habent connexionem. Vnde prædictorum alij quidem motus sunt ijdem, vt similium; aliorum autem simul, nempe contrariorum, & relatiuorum; quæ simul cognoscuntur; aliorum autem partem alij habent, vt in cognitione propinquorum, qui adinuicem participant, & ex vno ad alium cognoscendum deuenimus; quare in ijs propinquis, illud residuum, quod deest apprehensioni, ac aliud sequitur, paruum est ratione cognitionis, quia facilè ex præcedenti cognoscitur, prout ipsum consequitur. Quærunt igitur hoc modo, qui reminisci volunt; imò non quærentes, sed casu sibi aliquid istorum considerantes, sic alia quoque reminiscuntur; propterea, quod cum post vnum motum alter fit; vt plurimum autem præcedentibus motibus factis, quales diximus, fiebat ille, qui est vltimus, & terminus reminiscentiæ. Istorum autem, qui sic inuoluntariè modo prædicto reminiscuntur, non est propriè reminiscentia, sed abusiuè sic dicitur; nam propriè dicta est cum voluntario discursu. Nihil autem oportet anxiè considerare, vel quærere, quomodo, vel cur interdum potius meminimus ea, quæ procul sunt, vt quæ facta fuerint ante viginti annorum, sed quæ sunt prope non sic reminiscimur. Manifestum enim est, quod idem est modus, quo superius diximus accidere, vt fiat reminiscentia. Fit igitur hæc memoratio rerum, quæ procul sunt, quomodo accidit, vt motus rerum præsentium ducant ad præteritos, & distantes; vnde ipsa anima dicit, quod res distans consequenter se habet ad præsentem; vt ex aliquo præsenti spectaculo, præteritum ex multo tempore reminiscimur, quod autem sic consequenter se habet, apprehenditur interdum ab anima absque inquisitione, & absque eo, quod voluntariè sit reminiscens, consuetudine enim quadam consequuntur motus, hic post hunc. Et cum igitur ipsa anima reminisci vult, hoc faciet (videlicet, quæret accipere principium motus, post quem alter erit.) Vnde citissimè, & optimè fiunt reminiscentiæ, si à principio negotij incipiamus; sicut enim se habent res adinuicem in eo, quod est consequenter esse, sic se habent motus, & discursus; quare cum res posteriores sequantur priores, & non è conuerso, sic aliquo modo post principium apprehensionis correspondens principio rei, alia quoque sequuntur, non tamen in omnibus sic infallibiliter accidit, quin interdum oppositum contingat. Et quæcunque ordinationem habent aliquam sunt facilè reminiscibilia; sicut Mathematica Theoremata, quorum secundum ex primo sequitur; quæ autem prauè disposita sunt, difficulter reminiscimur. Differt autem reminisci ab hoc, quod est iterum addiscere in hoc, quia qui reminiscitur, poterit quodammodo per se ipsum moueri ad cognoscendum aliquod, quod sequitur principium aliquod in memoria retentum. Cùm verò hoc principium non habet, sed per alium, puta per docentem notitiam acquirit, non adhuc meminit, sed addiscere iterum dicitur. Sæpe autem iam quidam non potest reminisci, si nihil retineat eorum, quæ prius cognouit, ac reminisci tentat; quærens autem per alia media potest eiusdem rei esse conscius, sed tunc non reminiscitur, sed inuenit. Hoc autem accidit ei, qui multa mouet per animum, qui ob multitudinem motuum, tam mouet, quousque moueat huiusmodi motu, quem consequitur res, quam reminisci vult; meminisse enim est inesse potentiam mouentem. Quod quidem mouere sic fieri debet, vt ex ipso principio mouente, & ex motibus alijs, quos habet in mente, moueatur ad vltimum præfixum terminum, sicut dictum est. Oportet autem acceptum esse principium, à quo incipiamus reminisci, vt dictum est; quapropter à locis vbi res acciderunt videntur aliqui reminisci aliquando, & sic locum pro principio sumunt; causa autem cur à determinato principio eos incipere oportet, est, ne incidant in errorem; nam velociter ab alio in aliud veniunt, vt à lacte in album, ab albo autem in aerem, & ab hoc in humidum, à quo meminit autumni, ille videlicet, qui quærit hoc anni tempus. Videtur autem id esse vniuersale, ac commune, vel magis ad propositum reminiscentiam incipere, quod est medium omnium, ex quo videlicet ea omnia, quæ volumus inferre, sequuntur; si enim non prius per alia media reminiscimur, cum in hoc medium venerimus, reminiscimur; at si per hoc non reminiscimur, nullo modo iam reminisci poterimus, neque aliunde; vt si quis intellexerit hæc, quæ per istas literas velut distincta intelligibilia designantur. A B C D E F G H, quarum omnium ponatur velut principium ipsum A. Si igitur non in E reminiscitur, in H memoratus est; hinc enim puta ab ipso A ad ambo motum esse contingit, & similiter in D, & in F. Si igitur non horum aliquod quærit, sed aliquid aliud in C veniens reminiscetur, si videlicet D, aut C inquirit, quemadmodum in G veniens reminiscetur si G, aut F inquirit; si autem non veniet ad reminiscendum, quod intendebat per has literas intermedias, vel potius per significata, in A veniat, seu ad principium omnium, & sic semper procedere oportet à principijs. Est igitur sensus, quod positis multis obiectis cognitis, & ordinatis, interdum absque ordine ex memoria vnius, ad reminiscendum aliud accedimus; interdum verò aliud, vel quod quærimus, vel quod non; ordinatim tamen à principio, & causa illatiua aliorum incipere oportet. Causa autem eius, quod accidit, vt interdum ab eodem principio reminiscamur alicuius rei, interdum autem non, est, quia ab eodem principio contingit ad plura motum esse, seu vt ad plura ducamur, prout scilicet non est vnius rei solius principium; vt ab ipso E possumus duci in F, aut in D. Si igitur non mouetur per antiquum, seu per id quod magis solet aliquis moueri, inconsuetius, ac quasi præter ordinem naturæ mouetur; nam consuetudo ipsa est tanquam natura. Vnde quæ sæpe intelligimus citò reminiscimur; sicut enim natura hoc post hoc ordinatim, & faciliter efficit, sic operatione consuetudinis id effici contingit; quare sicut ipsa natura facit, quod sæpe est, seu res ordinarias, ita consuetudo. Quoniam autem sicut in ijs, quæ naturaliter eueniunt, fiunt aliqua, quæ sunt extra naturam, scilicet casualia, & fortuita, adhuc magis in ijs, quæ secundum consuetudinem fiunt, hoc accidere oportet; ita vt sæpe sæpius res inconsueta eueniant; nam in istis non similiter natura, vel ordo eius inuariabilis inest; ergo si in naturalibus, quæ aliquo modo sunt inuariabilia, inest quid extra naturam, quid mirum si

Consuetudo est tanquam natura.

hic insit interdum aliquid extra consuetudinem? quare per consuetudinem agens mouetur aliquando illuc, nempe ad rem consuetam, aliquando aliter, præsertim cum per aliquod impedimentum, vel incuriam retrahitur illinc, seu ex consuetudine illuc, nempe ad inconsuetum, aliquo, puta impedimento. Et propter hoc cum memoriter aliquid dicimus, cum opus est nomen aliquod meminisse, simile quidem illi meminimus, ac in illud solacizamus, vel erramus. Reminisci igitur hoc accidit modo. Maximè autem in reminiscendo oportet cognoscere tempus, (puta præteritum, cuius est, & memoria, & reminiscentia) aut cum aliqua determinata mensura, puta si tres esse dies, quibus aliquid fecimus reminiscamur, ex quo in aliud ducamur, aut infinitè, seu indeterminatè; vt si tantum memoremur, hoc ante hunc annum fecisse: de tempore autem ante hoc memoriam non habeamus. Est autem aliquid in anima, quo iudicat maius, & minus tempus, quod quidem rationabile est vt efficiat, sicut etiam iudicat maiores, & minores magnitudines. Intelligit autem anima ipsa magnas magnitudines, & procul existentes, non extendendo illuc cogitationes, sicut radios, vel lineas quasdam, vt quidam dicunt, visum extendere radios ad res visas; nam si hoc modo anima ipsa intelligeret, solum res existentes intelligeret, quia extensio illa realis per contactum ad res intellectas non posset esse, nisi ad res existentes; quod etenim non existit, tangi non potest. Sed ipsa anima intelligit similiter res cum non sint; non igitur anima ipsa magnitudines intelligit se extendendo ad ipsas, sed ratione, vel proportione quadam mouebit se ad intelligendum; sunt enim in ipsa similes figuræ, & motus rerum, secundum quos proportionaliter mouebit se, seu intelliget. Eodem modo philosophandum est de intellectione temporis, puta quod ipsum intelliget anima, prout est maius, vel minus, non se extendendo ad illud. Sed hic insurgit dubitatio. Cùm anima intelligat magnitudines non se extendendo ad ipsas, sed per speciem, vel similitudinem ipsarum; quo igitur differret, cum maiores intelligit? videtur enim nihil differre; quia cum magnitudo maior, & minor sint eiusdem speciei, erunt quoque similes, ac eandem similem habebunt sensibilem speciem, vnde non erit, quo vt diuersæ cognoscantur. Respondetur, intelligere maiores, & minores magnitudines, quia illas intelligit, quæ sunt minores omnium, puta, quia respicit species sensibiles, quæ sunt minores rebus cognitis, ac maiores, & minores repræsentant, ita quod vnaquæque species proprium obiectum repręsentet: omnia enim, quæ intus sunt minora sunt, & proportionaliter se habent ad ea, quæ sunt extra. Potest enim fortasse accipi aliquid proportionale in intelligendis formis diuersis in ipso intellectu, sicut in intelligendis distantijs, puta magnitudinibus, & temporibus; ita vt sicut per vnam speciem repræsentatur in mente forma, vel natura hominis, vel equi, aut huius, vel istius hominis, & per aliam, alia; sic per varias species, diuersæ repræsentantur magnitudines, & tempora: quæ diuersæ proportiones per Geometricas manifestari sic possunt. Sicut igitur si secundum ipsam lineam designatam per A B, & aliam, quæ sit B E, mouetur secundum quandam partem, faciet quandam proportionem, quæ sit A D; nam talis pars lineæ, & alteri est proportionalis, puta ipsi A C, & etiam alteri, quæ sit C D; at similiter aliæ possunt capi proportiones; quid ergo magis aliæ, quam aliæ partes adinuicem proportionantur, vel cur magis facit proportionem C D, quam F G? & similiter sicut A C, ad A B, se habent, sic H ad M se habet, seu sicut se habent proportiones in eadem linea, sic diuersarum; secundum has igitur simul mouetur ad mensurandum, & efficiendas proportiones ipse Geometra. Si verò F G velit intelligere, seu si velit intelligere duas partes minores, etiam maiores intelligere poterit, puta B E, sed loco partium minorum, maiores intelliget; sic namque maiores ad minores proportionaliter se habent; sic igitur in anima secundum diuersas species, res maiores, atque minores intelliget; vnaquæque enim proportionaliter suum obiectum repræsentat. Cùm igitur in anima sit simul motus, vel repræsentatio rei præteriti, & temporis, tunc memoria agit, ac quidem memoratur. Si autem aliquis putet meminiße, non faciens considerationem rei præseritæ, atque temporis, non verè meminit, vel decipitur. Nihil enim prohibet aliquem falli in memorando, ac videri non esse memoransem, sicut è contra agentem per memoriam, seu re vera memorantem, non putare se memorari; sed dum meminit latere, prout videlicet id non obseruat, non est inconueniens, sed re vera memoratur: hoc enim erat ipsum meminisse, apprehensio rei præteritæ cum præterito tempore, post obliuionem, siue id animaduertatur, siue non; tempus igitur simul, & res præterita requiritur ad memoriam. Quare si solus motus, vel apprehensio, quæ rei est, sine ea, quæ est temporis, sit, aut hæc sine illa, non meminit. Quæ verò est temporis duplex est; aliquando enim ipsum animal memorans, non meminit mensura, vel determinato tempore; vt quod tertia die hoc fecerit, quod tamen aliquando fecit; interdum autem etiam mensura meminit. Vtraque tamen est memoria, sed altera perfecta, alia verò imperfecta. Vnde possumus dicere, quod aliquis habens memoriam rei præteritæ, ac temporis re vera meminit, quamuis non memoretur mensura temporis. Consueuerunt enim dicere homines, quòd meminerint quidem, quando tamen nesciunt, cum ipsum quando non cognoscant, secundum quantam quandam determinatam mensuram. Quod igitur non idem sint memoratiui, & reminiscitiui, in prioribus dictum est; nam memoratiui retinent cognitionem rerum præteritarum sine obliuione, & sine discursu, reminiscitiui cum vtroque.

C A P V T IV.

Memoriæ, ac reminiscentiæ alia differentia, ac reminiscentiam ipsam esse corpoream passionem, item qui magis, minusve memoria valeant, ostenditur.

Differt autem memorari ab ipso reminisci, non solum secundum tempus, sic videlicet, quod ipsa reminiscentia cum sit via ad memoriam, ipsam tempore præcedat; sed ex parte etiam subiectorum; nam ipso meminisse, vel memoria multa alia animalia participant, ipso autem reminisci nullum, vt ita dicam, quæ cognoscuntur animalium, nisi homo. Causa autem est, quia ipsum reminisci, vt syllogismus quidam est. Quod enim prius, aut vidit, aut audiuit, aut aliquid huiusmodi passus fuit, syllogizat reminiscens, & est, vt inquisitio quædam, quæ sine discursu fieri nequit; hoc autem (nempe inquirere, & discurrere) solum illis, quibus inest eße consultatiuum, seu deliberatiuum naturaliter conuenit: etenim ipsum

Solum homo reminiscitur.

consultare

consultare syllogismus quidam est; quare quibus inest consultare, inest syllogizare, & discurrere; homo vero tantum est huiusmodi; ergo homo solum reminiscitur, cùm reminisci sit syllogizare, & discurrere. Tripliciter ergo differunt ab inuicem memoria, & reminiscentia.

Memoria triplicier differt à reminiscētia.

Primò ex parte dispositionis; non enim ijdem sunt reminiscitiui, & memoratiui. Secundò ex parte temporis; nam reminiscentia præcedit memoriam. Tertiò ex parte subiecti, quia reminiscentia est solum in hominibus; memoria verò in alijs animalibus, etsi fortè non in omnibus. Quod autem ipsa reminiscentia sit corporeum quid, vel passio per organum corporeum exercita, ac inquisitio quædam existens in tali singulari phantasmate ad præteritum memorandum, signum est, quod dum aliqui reminisci non possunt, turbantur non solum animo, sed corpore, ita vt sæpe colorem mutent, quod non aliunde euenit, nisi quia aliquod corporeum laborat. Si namque solum intellectus defatigaretur, aliquod corporeum non pateretur, saltem sic euidenter, & immediatè, ac per se; nam per accidens potest etiam ad laborem mentis, vel intellectus defatigari corporeum organum; dum igitur aliqui reminisci volunt, turbantur: imò dum valde cohibere, vel impedire tentant cognitionem ipsam reminiscendi, nihil minus turbantur, & maximè melancholici; hos enim maximè mouent phantasmata; eo enim quod terrestris sunt naturæ, maximè impressionem phantasmatum retinent, quas etiam si velint remouere non possunt.

Cur reminiscamur etiā renitentes.

Causa autem eius, quod non sit in potestate eorum, vt cessent inuestigare reminisci postquam cęperunt, est, quia sicut non est in potestate eorum, qui proiecerunt aliquid, vt sistant, sic reminiscens, & inuestigans, non habet amplius potestatem cessandi; nam mouet aliquod corporeum, puta phantasiam, in qua passio, vel motus iam impressus est; vnde ad libitum deleri non potest. Maximè autem turbantur illi, quibus humiditas fuerit circa locum sensitiuum, puta circa cerebrum, & circa cor; non enim ipsa humiditas fluxibus mota facilè cessat, sed mouetur, ac durat, quousque ad memoriam accedat, quod quæritur, & rectè procedat motus inquisitionis vsque ad terminum inuentum. Melancholici ergo ob duritiem agitantur, & non cessant, vt dictum est.

Phlegmatici, & Melancholici, quomodo memorentur.

Phlegmatici verò, vel humidi, ob motum fluxibilem, sed differunt, quod illi difficiliter mouentur, vel motum incipiunt, sed diutius durant; hi verò faciliter incipiunt, & facilius cessant, vt aqua faciliter fluit, & desinit, terra difficiliter vtrunque, si præcipuè moueatur lateraliter, vel aliquo modo violenter, si namque esset prius motus naturalis vtriusque, aliter dicendum esset. Quod autem diximus alio signo manifestatur; nam cum iræ, & timores commoti fuerint, licet irati, vel timentes contra moueantur, seu conentur iram, atque timorem deponere; non tamen istæ passiones sedantur, sed ad idem, quod prius contra conantem eas repellere mouent. Et similis est passio hæc reminiscentiæ nominibus, & cantibus, & orationibus, cum per os sit aliquid ipsorum vehementer, ac voluntariè, cum attentione, & delectatione; cessantibus enim, & nolentibus amplius canere, vel orare, subit iterum canere, aut dicere, eo quod motus prioris imaginationis maneat in organo corporeo.

Habentes caput magnū non summe moratiui.

Qui autem habent membra superiora puta caput, pectus, &c. maiora inferioribus, atque sunt similes nanis, minus memoratiui sunt, quam contrarij: propterea, quod grauitatem multam habent in sensitiuo, scilicet in cerebro, & corde; vnde motus, & imagines diu permanere non possunt, sed confunduntur, nec elabuntur, neque in reminiscendo facilè rectè procedunt propter prędictam confusionem.

Pueri, & senes.

Omnino autem valde iuuenes, vt pueri, ac valde senes immemores sunt propter motum; senes enim in decremento, illi vero in augmento multo sunt. Amplius autem, pueri similes sunt nanis vsque ad longam ætatem, non scilicet quoad staturam, sed quoad proportionem membrorum; nam sicut superiora membra nanorū sunt maiora inferioribus, sic puerorum membra se habent, ac vtrisque eadem de causa nimia humiditas inest. De memoria igitur, & ipso meminisse, quæ sit natura ipsorum, & qua parte, vel potentia animæ meminerint animalia, & de ipso reminisci quid sit, & quomodo fiat, & propter quam causam, dictum est.

De Memoria, & Reminiscentia Finis.

ANTONII ROCCI

De Scurcula Marsorum

PARAPHRASIS IN LIBELLVM ARISTOTELIS de Somno, & Vigilia.

CAPVT PRIMVM.

Quæ sint de Somno, & Vigilia consideranda. Quibus animantibus insint, cuius potentiæ animæ sint passiones. Et aliqualiter declaratur quid sit Somnus.



E Somno autem, & Vigilia considerandum est, quid sint, et vtrum sint passiones animæ tantum, vel tantum corporis, an vtriusque communes, & si communes, cuius particulæ animæ, & corporis communes sint; & propter quam causam insint animalibus; & vtrum omnia ipsa animalia participent ambobus ipsis, an alia quidem somno, alia verò vigilia solum, an alia quidem neutro, alia verò vtroque. Adhæc autem quid est somnium, & propter quam causam dormientes interdum quidem somniant, interdum autem non; vel si semper accidat dormientibus somniare, sed non meminerint, & si hoc fiat, (vt videlicet somniantes semper, interdum meminerint, interdum non) propter quam causam fiat. Et vtrum per somnium contingat futura præuidere, an non contingat, & si contingit qualiter hoc fiat; & vtrum possint præuideri agenda ab homine solum, an ea, quorum Dęmonium habet causam; & vtrum possimus præuidere, quæ à natura fiunt, vel facienda sunt, an ea solum, quæ fiunt à casu. Primum igitur hoc manifestum est, quod somnus, & vigilia circa eandem potentiam animalis versantur; probatur; nam priuatiuè opposita, quæ extrema immediata sunt, tam in rebus naturalibus, quam in alijs circa idem susceptibile videntur fieri, & esse passiones eiusdem; dico autem, vt sanitas, & ægritudo circa eandem temperiem humorum; pulchritudo, & turpitudo circa corpus, vel corporis lineamenta, & dispositionem; robur, & imbecillitas circa vires; visus, & cęcitas circa visum; auditus, & surditas circa auditum. At somnus, & vigilia priuatiuè opponuntur; nam somnus videtur quædam priuatio vigiliæ; ergo sunt circa idem. Amplius autem ex his manifestum est, quod dicimus; eo enim, quo cognoscimus vigilantem, hoc etiam cognoscimus eum, qui somno premitur; putamus enim sentientem vigilare, ac vigilantem omnem existimamus esse, aut eo, quod eorum, quæ extrinsecus percipiuntur, aliquid sentit, aut eorum, quæ in ipso sunt (seu intrinsecè) aliquem motum perfectè cognoscit; ita videlicet, quod illum vigilare putamus, qui vel videt, vel audit, vel odorat, &c. hi namque sunt motus externi sensuum, aut quia intelligit speculatur, vel contemplatur, qui sunt motus interni animæ, non autem de phantasiari, vel imaginari est loquendum; quia ista operationes etiam in somno vigent, vt dicemus; atque cum tales non exercent operationes, eos dormire putamus supponendo videlicet eos viuere. Si ergo vigilare in nullo alio consistit, quam in eo, quod est sentire, manifestum est, quod ea potentia, qua quidem vigilantia animalia sentiunt, eadem dormientia dormiunt; & sic somnus, & vigilia sunt circa idem. Quoniam autem sentire non est proprium animæ, neque corporis; (cuius enim est potentia, huius est, & actus, & è contra) qui verò dicitur sensus in actu, vel sensatio est quidam motus animæ factus per corpus, vel organum corporeum; vnde si sentire fit per organum corporeum, etiam sensus ipse corporeus erit, manifestum est, quod vigilia, & somnus neque sunt propria animæ passio, neque corporis inanimati, quia sunt passiones sensus: at inanimatum corpus impossibile est sentire; neque animam solum sine corpore; vnde erit passio commucti, seu communis vtriusque simul. Cùm autem in alijs (puta in libris de Anima) determinatum sit de ijs, quæ dicuntur particulæ, vel potentię animę, ac de nutritiua quidem diximus, quod separatur ab alijs potentijs; nam in plantis sine sensitiua, motiua, & intellectiua reperitur; aliarum autem nulla sine ipsa existit, manifestum est, quod quibuscunque quidem viuentibus, quę solum augmento diminutioneque participant, vt plantæ, non conuenit somnus, neque vigilia; non enim habent particulam, vel potentiam sensitiuam, neque si ipsa sensitiua potentia ponatur, separabilis loco à nutritiua, (vt ponebat Plato, qui sensitiuam in corde, vegetatiuam in hepate constituebat) neque si hoc modo non sit separabilis; nam secundum potestatem, seu variam virtutem, ac secundum

Dęmonii.

cundum esse, vel definitionem separabilis est, quod sufficit, vt semper simul non sint. Similiter autem credendum est, quod nullum animal est, quod semper vigilet, aut semper dormiat, sed eisdem animalibus insunt hæ vtræque passiones. Pariter autem si est animal habens sensum (vt omne animal habet) contingit hoc ei, quod nunquam neque vigilet, neque dormiat, vtraque namque hæc passio nata est inesse vicissim circa sensum primi sensitiui, seu circa sensum communem, qui omnibus animalibus conuenit. Neque contingit alterum horum semper inesse eidem, veluti aliquod genus animalium semper dormire, vel semper vigilare. Amplius; quorumcunque est aliquod opus determinatum secundum naturam; quando excesserit tempus in quanto possint hoc opus facere, necesse est, vt ab ipso deficiant, vt necesse est oculos videntes quiescere, vt aliquando non sint facientes hoc; similiter autem, & manum, & aliud omne, cuius est opus aliquod. Si igitur sentire est opus alicuius, & hoc vtique excedat tempus in quanto ipsum animal erat potens sentire continuè, deficiet, & non amplius faciet hoc, saltem pro aliquo tempore. Quare si vigilare definitum est, eo, quod sensus externi soluti sunt, seu operantur, atque contrariorum immediatorum, vnum necesse est inesse in proprio susceptibili, aliud vero non; vigilare autem contrarium est ei, quod est dormire, necesse est (deficiente sensu externo ab operatione) alterum inesse, omni non operanti per sensus externos. Quamobrem si huiusmodi passio est somnus, qui quidem est impotentia propter excessum vigilandi (vigilandi autem excessus, quandoque ab ægritudine, quandoque absque ægritudine sit) impotentia, atque dissolutio, seu somnus, atque vigilia similiter erit, ac omne quod vigilat, dormiet; impossibile enim est semper agere; quare impossibile est semper vigilare; similiter autem neque dormire semper quicquam contingit. Somnus enim passio sensitiuæ particulæ est, vt vinculum, & immobilitas quædam; vnde necesse est omne dormiens habere sensitiuam particulam; sensitiuum autem est, quod potest sentire secundum actum. Agere autem sensu propriè, & simpliciter impossibile est simul dormientem; ideò necessarium est somnum omnem excitabilem esse, atque impossibile erit, vt aliqua semper dormiant. Animalia igitur penè omnia somno communicant, & natabilia, & volatilia, atque pedestria. Etenim omnia piscium genera, atque mollium (dicuntur molles pisces, in quibus nec spina, nec os apparet, vt ostreæ, conchæ, &c. si fas est hæc nuncupare pisces) visa sunt dormire, & alia omnia, quæcunque habent oculos; etenim quæ duros habent oculos, & insecta, manifestum est, quod dormiunt; breuis autem somni sunt huiusmodi omnia, ideòque latebunt vtiq; quædam sæpe; vtrum participent somno, vel non. Testaceorum autem, sicut sunt testudines, lumachæ, &c. secundum sensum quidem nondum factum est manifestum, si dormiunt; si cui verò verisimilis dicta ratio est (quæ probat omnia animalia ab operationibus externis interdum desistere, quod est dormire) per eam suadebitur, ipsa quoque testacea interdum somno detineri. Quod igitur somno communicent omnia animalia, manifestum est ex his; animal namque definitum est, eo, quod sensum habet, sed somnum dicimus esse aliquo modo immobilitatem, & veluti vinculum sensuum, & vigiliæ solutionem, ac remissionem, vel remotionem talis vinculi; cum ergo somnus, & vigilia sint passiones sensuum natæ vicissim inesse, necessariò omne animal vtroque participat, quia non datur subiectum absque propria passione. Est tamen notandum, quod diximus somnum esse aliquomodo vinculum, & immobilitatem sensuum; quia non indissolubiliter eos ligat, nec penitus omnes sensus, vnde ly aliquo modo notanter appositum est. Plantarum autem nullam possibile est communicare aliqua harum passionum; nam sine sensu quidem non existit, neque somnus, neque vigilia; quibus verò inest sensus, & tristari, & gaudere conuenit. Quibus verò hæc, & concupiscentia etiam inest; plantis autem nihil horum inest; ergo neque somnus, & vigilia. Neque eis debet tribui somnus prout habent potentiam nutritiuam, ita vt ab ipsa desistant per somnum: quia ipsa particula, vel nutritiua potentia opus suum facit magis in dormiendo, quam in vigilando; nutriuntur autem, & augentur animalia tunc magis, (puta quando dormiunt) tanquam ad nutritionem, & augmentum nihil indigeant sensu; vnde ab hac operatione in somno desistere non oportet, & consequenter propter hoc non debemus ponere, plantas dormire, cùm ab operatione huiusmodi non sit sistendum, neque in somno, neque in vigilia.

Omnia animalia dormiunt, nullum semper.

Somnus quid.

Molles pisces.

Testacea.

Plantæ non dormiunt, nec vigilãt.

Potentia nutritiua viget in somno.

CAPVT II.

Cuius sensus passio sit somnus ipse.

Qvare autem dormiunt, & vigilant animalia, & propter qualem quendam sensum, vel quales sint isti (si propter plures hoc eueniat) considerandum est. Quoniam verò quædam animalia habent sensus omnes, quædam verò non habent; vt visum non omnia habent; tactum autem, & gustum habent, nisi sit aliquod animalium imperfectum, vt spongia, &c. hæc namque non habent gustum prout est sensus discretiuus iucundi, & molesti cibi, & si prout est quidam tactus ipsum quoque habeant; dictum est autem de his in ijs, quæ de anima; impossibile autem simpliciter est, quod animal dormiens sentiat aliquo sensu externo; quare necesse est, quod omnibus sensibus ipsis hæc passio non sentiendi in vocato somno manifestè insit; nam si hoc quidem sensu dormiet; hoc autem non, per quem non dormit, ipsum sentiet, & sic dormiendo sentiet; quod impossibile est. Somnus igitur est vinculum omnium externorum sensuum. Quoniam autem secundum vnumquemque existit, aliquod proprium opus, aliud vero commune: proprium quidem, vt visui videre, auditui autem audire, & alijs secundum eundem modum. Commune est secundum quandam communem potentiam sequentem omnes sensus, ac opus commune omnibus habentem, qua quidem anima ipsa sentit, atque indicat, quod videt, & audit; nō enim visu quidem cognoscit, quod videt, nec ipso iudicat vtique, aut potest discernere, quod alia quidem dulcia sunt ab albis: imò nec ipso visu, nec gustu, nec ambobus, sed quadam communi particula omnium sensoriorum, & sensuum. Nam est quidem sensus vnus, & principale sensorium vnum, atque omnibus particularibus commune; non tamen sic est commune, vt sit eiusdem naturæ cum alijs, vel alij eadem inter se participent natura; nam sensus cuiuslibet generis est aliud, ac diuersum esse ab vnoquoque, sicut sunt etiam diuersa obiecta; vt visus habet aliud esse ab auditu, sicut aliud est esse soni, & coloris; sic sensus iste communis, & si aliorum sit origo, ac sensationes ipsorum percipiat, differt secundum se ab alijs. Hæc autem potentia simul maximè inest tactiuo principio; nam sequitur naturam animalis, animal verò in esse sensitiuo consistit,

consistit, non in quolibet sensu, sed tactu; multa namque animalia, nec vident, nec audiunt, nec odorant; quapropter tactus ipse, ac sensoriũ eius separatur ab alijs sensorijs: alia verò ab hoc inseparabilia sunt; & sic omnia animalia, quæ omnes, vel plures sensum habent, etiam tactu, ac per consequens sensu cõmuni prædita sunt, sed non è contra; dictum est autem de ipsis in ijs, quæ de anima speculationibus; manifestum igitur est, quod vigilia, & somnus est passio huius sensorij; quapropter omnibus inest animalibus; etenim tactus solus omnibus inest, quem communis sequitur sensus. Nam si ipsum dormire fieret animalibus, eo quod sensus omnes particulares aliquod patiuntur, inconueniens esset, non enim decet, vt illi sensus, qui neque necesse est, vt simul agant, neque simul agere possint, simul vacent, & immobiles simul existant; contrarium enim rationabilius accideret eis, videlicet, quod quia non simul operantur, non simul quiescant, & sic esset somnus cum aliqua operatione externi sensus, quod falsum esse, patet. Rationabiliter ergo se habet dicere de his, quemadmodum nunc dicimus, videlicet, quod ex passione sensus communis patiantur, & ligentur; nam cum principale aliorum omnium sensoriorum, & ad quod tendunt alia, patitur aliquid, necessarium est, reliqua omnia compati; illorum autem particularium, cum aliquod impotens est, non necesse est, hoc impotens fieri. Manifestum autem ex pluribus signis est, quod somnus non consistit in eo, quod sensus externi otiosi sunt, neque in eo, quod anima non vtatur ipsis, neque in non posse sentire; nam manifestè in animæ defectionibus tale quid accidit; animæ namque defectio est impotentia sensuum; neque tunc somnus est. Fiunt autem amentiæ quædam huiusmodi, quæ vsum, & operationem sensuum auferunt, nec tunc dormitur. Amplius autem, quibus in collo venæ stringuntur, insensibiles fiunt: nam impediuntur spiritus, qui ad sensus externos feruntur, nec tamen dormiunt. Sed tunc somnus, atque dormire accidit, quando est impotentia vsus horum sensuum, non in quouis sensorio, neque per quamuis causam, sed quemadmodum dictum est nunc, in primo sensorio, quo animal sentit, omnia hæc accidunt. Cùm enim hoc quidem impotens fuerit, necesse est sensoria omnia impotentia esse ad sentiendum; cum verò aliquod illorum particularium fuerit impotens, non est necesse, hoc esse.

CAPVT III.

Propter quid inest animalibus, somnus, & vigilia, & in qua parte fiant corporis.

PRopter quam verò causam accidat dormire, & qualis sit passio, dicendum est. Quoniam autem plures sunt modi causarum; nam alia est causa finalis; alia efficiens; alia verò materia; alia forma, de omnibus quærendum est. Primum igitur quoniam dicimus naturam facere aliquid gratia alicuius, seu propter finem, qui quidem est bonum aliquid, & aliarum alia præcipua causa; ideò prius de ipso determinemus. Dicimus ergo omni, quod est aptum moueri, nec id potest semper, & continuè, cum delectatione, vtilem, atque necessariam esse quietem; quia ergo animalia non possunt semper cum delectatione moueri, vel agere per sensus externos, ideò quies aliqua est eis necessaria, ac somno ipsi propter veritatem coaptamus hanc translationem requiei, ac ipsum sic vocamus, tanquam requies sit; nam sicut sentire non est propriè moueri, ita sistere ab operationibus sensitiuis non erit propriè quiescere; vocetur tamen quies; quare somnus ipse, vt causa finalis est propter requiem, atque salutem animalium. Causæ finalis somni, & vigiliæ. *Sicut vigilia alia ratione est quoque finis, & melior; nam omnibus sapere, & sentire finis est; illis dico; quibus aliquod horum inesse potest, vt hominibus sapere, ipsis verò, & alijs sentire; cum autem neutrum horum sine vigilia effici possit, ipsa vt finis necessaria erit, non tamen vltimatus, cum ordinetur ad alia. Optima igitur est vigilia, sicut finis est quoque optimum. Amplius autem, necessarium est vnicuique animalium inesse somnum; dico autem hoc esse necessarium ex suppositione, videlicet, quod si animal erit habens suam naturam, ex necessitate ei quædam inesse oportet, quæ ad ipsam conseruandam sint apta, & his existentibus, alia existere. Data ergo natura animalis, necesse est ipsam sensitiuam esse, ac actualiter sentire, nec non à talibus operationibus interdum sistere; & sic istis suppositis erit quies, vel somnus. Amplius autem, quæ sit causa efficiens, vt quali motu, & actione in corporibus facta accidat vigilare, & dormire animalibus, post hæc dicendum erit. Vt autem communem assignemus causam omnibus, est notandum, quod alijs animalibus, quemadmodum exanguibus existimandum est causas huius passionis esse easdem, vel proportionales cum his, quæ sunt sanguine prædita; ita vt si in istis sanguis, verbi gratia ponatur, in illis debet poni humor, qui locum sanguinis supplet; ijs verò, quæ sanguine prædita sunt, eadem est tribuenda causa, quæ quidem hominibus tribuitur; quare ex his suppositis omnia speculandum est.* Causa efficiens. *Quod igitur principium sensus sit ab eadem parte in animalibus, à qua quidem est principium motus, determinatum est prius in alijs, scilicet in libris de partibus animalium; ipsa verò pars est quasi fons, trium determinatorum locorum puta cerebri, stomachi, & ventris, atque locus eius est medius inter caput, & inferiorem ventrem: quæ quidem pars est proculdubio cor. Sanguine igitur præditis hoc, quod dicimus est pars quædam circa cor (non enim cor solum est horum principium, sed ipsum cum quibusdam circumstantibus) omnia enim prædita sanguine cor habent.* Omnia prædita sanguine cor habent. *Vnde principium motus, & sensus principalis, seu communis hinc est. Principium igitur motus, ac omnino spiritus, qui refrigerationis est causa, manifestum est, quod hic est. Et natura ipsa tribuit respirationem, ac refrigerationem faciendam cum humido ad salutem eius caloris, qui est in hac particula. Dicetur autem de ipsa postea separatim, scilicet in libro de inspiratione, & respiratione. Exanguibus verò, & insectis, & non suscipientibus aerem reperiuntur hæc in proportionali parte cordis: in ipsis namque videtur aer quidam complantatus inflans, & considens ad calorem refrigerandum, palam autem est hoc in totipennibus, vt Vespis, & Apibus, & Muscis, & quæcunque huiusmodi sunt, quæ ex eo, quod per totum corpus elata videntur totipennia dicuntur.* Totipennia. *Quoniam autem non est possibile mouere, aut facere aliquid sine robore, aut vi; robur autem efficitur à detentione spiritus, vel aeris; ideò conueniens est, vt animalibus insideat, ac respirantibus quidem deforis aduenit; non respirantibus autem ea vis spiritus conuenit, quæ sibi complantata, seu connaturalis est; ideò alata cum mouentur videntur edere bombum, seu sonum quendam, vt patet de Apibus, Muscis, Vespibus, &c. Quod accidit ex nutritione spiritus offendentis, seu percutientis ad præcinctum totipennium, seu ad pellem*

quandam diuidentem partes superiores ab inferioribus, quæ percussa ad similitudinem tympani sonat. Mouetur autem omne facta aliqua sensatione, vel proprij sensibilis, vel alieni, puta sensibilis per accidens in primo sensorio, seu sensu communi; ita vt radix motus sit à sensu communi apprehendente aliquod obiectum, vel per se, vel per accidens. Quarè ipse est principium motuum, ac præcipuè sensationum externorum sensuum. Si verò somnus, & vigilia sunt passiones huiusmodi potentiæ manifestum est, in quo quidem loco animalis, & in qua particula, vel potentia prima fiant; vnde causæ ipsorum sic patent; efficiens est vis ipsius animæ residens in sensu communi, sic videlicet, quod vigiliæ sit efficiens positiuè, somni vero priuatiuè, prout desinit agere. Finalis vigiliæ est sapere, ac sentire; somni est salus, & quies animalium; Formalis vigiliæ est ipsummet vigilare, vel sentire; somni, est priuatio quædam sentiendi. Materialis receptiua vtriusque est ipse sensus communis, vel organum eius; at præcipuè somni sunt vapores ascendentes ad cerebrum, ac meatus, qui de sensu communi ad externos tendunt obcurantes: qui quidem fortè etiam habent rationem causæ efficientis, quod diuersa consideratione non inconuenit, vt qualitates primæ, prout materiam disponunt ad causam materialem attinent, prout vero agunt ad efficientem. Diximus in superioribus, fieri motum ab animalibus ex apprehensione alicuius obiecti à sensu communi; ideò posset quis dicere, hoc non esse verum, quia etiam in dormitione, quando hic sensus non viget, fiunt huiusmodi motus locales. Respondetur, verum esse, quod mouentur quidam dum dormiunt, & faciunt multa, quæ vigilantium sunt, non tamen hoc efficiunt absque phantasmate, & aliquo sensu, somnium enim est quodammodo sensamentum; quare ipse sensus communis in somno non totaliter ligatur, sed tantum vt operationes externorum sensuum impediantur; imò neque semper penitus impediuntur, vt patet de quibusdam leuiter dormientibus, qui vocem audiunt, ac respondent; datur ergò magis, & minus in hoc sensus communis vinculo. Dicendum est autem postea de ipso. Modò tamen sit notandum, quod licet nunc dixerimus, sensum communem esse principium motus localis in animalibus, ac in tertio de anima id tribuerimus appetitui, ac voluntati, cum quibusdam corporeis instrumentis; hæc tamen non inter se pugnant; nam sunt mouentia subordinata; ita vt sensus communis, seu imaginatio (quam modo distinctam non ponimus) apprehendit, quod etiam potest efficere intellectus; appetitus vero, vel voluntas præcipit; instrumenta corporea exequuntur. Cur vero expergefacti somnia meminerunt, acta vero vigilum, vt si ambulauerint, vel locuti fuerint non meminerunt, in problematicis sermonibus dictum est.

Quatuor causæ somni, & vigiliæ.

Cur dormiētes moueantur, ambulent &c.

CAPVT IV.

Declaratur exactius causa efficiens somni, ac vigiliæ, completaque ipsius somni traditur definitio.

Consequens autem est ad ea, quæ dicta sunt, aggredi quibus dispositionibus factis, & vnde denique sit principium passionis vigilandi, ac dormiendi in animalibus. Pro cuius determinatione quinque sunt supponenda. Primum. Necessarium est animali, cum sensum habet, seu statim quod corpus eius organicum ab anima informatur, vt tunc primò suscipiat nutrimentum, & augmentum; hoc enim experientia palam est. Secundum. Vltimum nutrimentum, (quod videlicet immediate nutrit, & in substantiam nutriti conuertitur) omnibus sanguine præditis est ipsa quidem natura sanguinis, exanguibus vero aliquid proportionale, vt humor, &c. Tertium. Locus sanguinis per quem immediatè fertur ad substantiam nutriti sunt venæ. Quartum. Principium venarum est cor; hoc autem, quod dicimus palam est ex dissectionibus, seu ex anathomia. Quintum. Ipsius nutrimenti forinsecus ingredientis in susceptiua loca, puta in stomachum, hepar, & ventriculum fit euaporatio in venas, ibi vero permutatim in sanguinem vertitur, & vadit ad principium nempe ad cor. Dictum est autem de his in ijs, quæ diximus de alimento in libro de animalibus, nunc autem repetendum est de ipsis huius gratia, vt principia motus speculemur, & quid patiente particula sensitiua, vel sensu communi, accidat vigilia, & somnus. Non enim est somnus qualibet impotentia ipsius sensitiui, vt dictum est; etenim amentia, & præfocatio aliqua, & animi defectus facit huiusmodi impotentiam; imò quibusdam, qui animi defectum fortiter passi sunt, iam facta fuit imaginatio aliqua veluti somnium, qui tamen non dormiebant. Hoc igitur aliquam dubitationem habet, quomodo contingere possit. Si enim contingit dormire eum, qui animo deficit, continget vtique phantasma sibi apparens esse somnium; quod nihil aliud videtur, quam phantasma apparens dormientibus; sed impossibile est ipsum dormire, vt iam dictum est; ergo neque hoc esse somnium, & è conuerso; videlicet quod sicut impossibile est hoc esse somnium, ita & hos dormire. Multa autem sunt, quæ dicunt se vidisse, vel somniasse, qui vehementer animo defecerunt, & qui visi sunt mortui esse; de quibus omnibus existimandum est eandem esse rationem, nimirum eos non dormire, nec somniare, sed benè phantasmata aliqua respicere in hac mentis alienatione. Nam vt diximus, non qualibet impotentia ipsius sensitiui somnus est. Sed hæc passio (nempe somnus ipse) fit ex euaporatione, quæ accidit circa nutrimentum; necesse enim est, quod euaporat, aliquò vsque impelli (scilicet vsque ad cerebrum) deinde conuerti, & permutari in naturam densiorem, & frigidiorem sicut Euripum, seu mare, à quo ascendunt vapores calidi vsque ad mediam aeris regionem, ac ibi conuertuntur in nubes, & aquam, atque postea descendunt. Calidum n. cuiusq; animalium ad superiora natum est ferri; cum autem in superioribus locis fuerit, ibi à frigore condensatur, ac multum simul iterum reuertitur,ferturque deorsum, & reuertendo obstruit meatus, & venas, seu ianuas sensuum externorum, atque somnus causatur. Et ideò maximè fiunt somni à cibo; nam repente tunc multa humiditas, & corpulenta sursum fertur. Constans igitur grauat, & facit dormitare; cum verò deorsum fluxerit, & reuertendo repulit calorem ad internas corporis partes, (scilicet ad cor) tunc fit somnus, & animal dormit. Signum autem horum sunt cibi somniferi; omnes enim grauedinem capitis faciunt, & similiter potabilia, & esculenta, vt papauer, mandragora, vinum, lolium. Et qui deorsum feruntur, & dormitant, hoc videntur pati, & non possunt leuare caput, & palpebras. Et post cibos maximè talis fit somnus, multa enim est euaporatio, quæ fit à cibis. Amplius autem fit somnus ex laboribus quibusdam: nam labor quidem generat

Animal statim genitū nutritur.

Vltimum nutrimentū est sanguis.

Locus sanguinis sunt venæ. venarū principium est cor.

Quomodo non dormientes somnient.

Diuersæ causæ somni.

generat calorem, qui colliquatiuus est humorum: vnde ad cerebrum facilè, & abundanter ascendunt; colliquamentum verò fit quemadmodum nutrimentum inconcoctum, quod scilicet incipit resolui, ac multas emittit fumositates, nisi frigidum sit, quod accidit dum nullatenus concoctum est. Et morbi quidam illud idem faciunt, quicunque videlicet proueniunt à superfluitate calida, & humida, vt accidit febricitantibus, & lethargicis. Amplius autem idem patitur prima ætas; pueri enim dormiunt vehementer, eo quod totum nutrimentum sursum fertur. Signum autem est, quod magnitudo superiorum membrorum, excedit inferiora in prima ætate, eo, quod ad hæc superiora membra fiat augmentum. Propter hanc verò causam, & epileptici fiunt; somnus enim similis est Epilepsiæ, qui quidem est morbus caducus, & causatur ex multis vaporibus ascendentibus ad cerebrum, & inde per venam descendentes maiori excessu, quam par sit; quare diu venæ remanent obstrusæ, & similiter arteria, per quam fit respiratio; quamobrem mortui patientes videntur, atque cum per easdem causas fiat, qua fit somnus, est ei similis; & ideò multum principium huius passionis accidit dormientibus, qui quidem sæpius hanc patiuntur, quam vigilantes. Cum enim multus fertur spiritus, vel vapor sursum, vt dictum est, descendendo rursum venas inflat, quibus coarctat meatus, quo respiratio fit, quod præcipuè accidit in somno. Ideo pueris non conferunt vina, neque nutricibus: differt enim nihil forsitan ipsos bibere, vel nutrices, sed oportet bibere aquosum, & modicum; vaporosum est etenim vinum, huius autem magis nigrum; quapropter pueris maximè nocet, cum ipsi naturaliter in partibus superioribus magnis abundent vaporibus; ita enim superiora membra plena sunt alimento pueris, quod quinque mensibus neque vertunt collum; quemadmodum enim ebrijs sursum fertur humiditas multa, sic istis, ideo ad naturalem aliam excessiuam vini addere non oportet. Rationabile autem est, hanc passionem, seu abundantiam humorum in partibus superioribus esse causam; quare fœtus primum quiescunt in matricibus, vel sine motu penitus, vel cum modico, & rarò; sunt enim à magna illa humiditate ferè semper somno detenti. Et omnino amatores somni sunt, qui tenues, & occultas habent venas, & naniformes, & magna capita habentes. Nam venæ horum sunt angustæ, ita, vt humiditas, quæ descendit à cerebro condensata non facilè diffluat, sed diù maneat, ac sensus ligatos detineat. Naniformibus verò: magnaque capita habentibus sursum impetus multus, & vaporatio fit, vnde faciliter, ac multum dormiunt. Manifestas autem habentes venas non somnolenti sunt propter amplitudinem venarum, quæ faciliter non obturantur; nisi aliquam aliam passionem habuerint contrariam, vt infirmitatem, vel laborem &c. Neque melancholici sunt somnolenti; infrigidatus est enim locus eorum interior, vnde euaporationes multas effectrices somni efficere nequit, propterea edaces sunt, & duri, nam corpora eorum disponuntur tamquam nihil fruantur de nutrimento, sed transit quasi per viam non transmutatum in eorum substantiam: quapropter aliud statim cupiunt, & sic sunt edaces, atque quia parum nutrimenti recipiunt, ideo pinguedinem non habent: vnde solum ossibus, neruis, ac alijs duris partibus abundantes, duri, atque macri sunt. Atra verò bilis, seu humor, qui dicitur nigra melancholia, cum naturaliter sit frigida, nutritiuum locum frigidum facit, & alias particulas vbicunque huiusmodi excrementum, seu melancholia ipsa (vocatur excrementum, quia ex superfluo alimenti gignitur) cum sua potestate, vel cui fuerit; quare patet, quod diximus; est namque hæc confirmatio præcedentis rationis. Vnde ex ijs, quæ dicta sunt, manifestum est, quod somnus est quidam conuentus, vel aggregatio caloris intrò, & naturalis circumobsistentia, vel antiparistasis, ob prædictam causam; calor namque sursum mittit vapores, ac vapores ipsi infrigidati deorsum mittunt calorem, & eccè antiparistasis, seu reciprocatio. Cum autem calor internus cordis maximè in somno vigeat, ideò multus est motus internus dormientis; viget namque nunc nutritiua facultas, quæ nutritionem, augmentationem, ac materiam aptam ad generationem efficit. Ex alia verò parte, quia vapores ascendunt ad caput, & ibi infrigidantur, ipsum quoque caput decidit, & infrigidatur, & propter frigiditatem concidunt palpebræ; quare superiora membra extrema maximè remanent infrigidata, interiora verò, & inferiora calida, vt quæ circa pedes, & quæ intrinsecus. De interioribus partibus iam dictum est; causa verò cur externæ posteriores sint calidæ est ista, quia calor internus cordis dilatatur, maximè, quando non inuenit impedimentum; ideo quia circa partes inferiores nullum adest impedimentum illuc extenditur, ac ideo non statim in principio dormitionis accidit pedes, vel alias inferiores partes calefieri, sed in successu; imò interdum, si nimia sit frigiditas in his partibus à calore superari nequit, vnde semper frigidæ remanent, nisi aliundè adiuuentur. Partes vero superiores à vaporibus impediuntur; ideo non sic calefiunt.

Pueri cur facilè fiant Epileptici.

Pueris non conferunt vina.

Cur fœtus quiescant in vtero.

Amatores somni.

Melancholici edaces duri, & macri cur.

Somnus quid.

Quæ frigidæ, quæue calidæ partes fiant in dormiendo.

CAPVT V.

Dubitationis solutio. Quo pacto Somnus infrigidatio sit, cum causæ multæ eum producentes sint calidæ.

QVanquam somnus sit infrigidatio vaporum, vt supra dictum est, dubitabit tamen vtique aliquis, quomodo id esse possit, eo, quod post cibum fortissimus fit somnus, atque vinum somniferum est, & alia huiusmodi caliditatem habentia; est autem non rationabile somnum quidem esse infrigidationem, causas autem dormiendi caliditatem. Vtrum ergò hoc accidat, quia quemadmodum venter vacuus existens calidus est, repletio vero ipsum infrigidat propter motum, seu propter appositionem frigidi nutrimenti; sic meatus, & loca, quæ in capite sunt infrigidantur, cum sursum fertur euaporatio frigida. Hæc tamen solutio non est sufficiens, quia suppositum est res calidas ingredi corpus animalis, at solutio supponit oppositum, ac cerebrum esse calidum. Est igitur alia solutio, quod quemadmodum his, qui perfunduntur calido, subito horror fit, ita & ibi ascendente caliditate ad cerebrum; frigiditas enim ibi existens, quæ per antiparistasim congregatur, magis infrigidat, & quod est secundum naturam calidum, facit languescere, & secedere, seu recedere ad obturandos meatus, & sensus, vnde sequitur somnus. Ista quoque responsio est insufficiens, eo quod causam somni ponit solum frigiditatem per antiparistasim, quasi ea, quæ est per se in cerebro absque alia fortificatione non sufficiat. Est igitur tertia solutio. Quod multo incidente frigido nutrimento à calore cordis subleuatur ad cerebrum, qui infrigidat, quemadmodum ignis cum

sibi

sibi superponuntur ligna, infrigidatur quousque appositum sit concoctum, ac in naturam ignis conuersum, sic nutrimentum infrigidat, & obstruit. Fit enim somnus, quemadmodum dictum est, dum corpulentum sursum fertur à caliditate per venas ad caput. Cum vero amplius non potest manere, quod eleuatum fuit, sed multitudine excedit locum, & virtutem retinentem, iterum repellitur, & deorsum fluit; ideò cadunt homines subtracto calore, qui sursum ferebat, cadit in quam homo, quia cadere supponit esse rectum: solum autem inter animalia rectus est homo, & cadens quidem desipientiam facit, seu deficit sentire, & sapere; postmodum vero facit, vel recipit imaginationem, & somnia. Neq; hæc solutio sufficiens est, quia supponit etiam ipsa, nutrimentum esse frigidum, vt de frigidis lignis igni appositis exemplificat. Quare omnes tres dictæ solutiones contingentes sunt quidem, vt fiat infrigidatio; neque per se veram infrigidationis causam explicant. Dicamus ergo resolute, locum existentem circa cerebrum dominum esse infrigidationis, quemadmodum dictum est in alijs. Omnium enim membrorum, quæ in corpore sunt, frigidissimum ipsum est, non habentibus vero cerebrum, ponatur loco ipsius, quod proportionale est.

Solutio.

Quemadmodum igitur humidum, quod euaporat à Solis caliditate cum venerit ad supremum locum, puta ad mediam regionem aeris, propter frigiditatem ipsius, infrigidatur, & cum constiterit deorsum fertur factum rursus aqua; sic in euacuatione calidi ad cerebrum excrementia quidem euaporatio in pituitam, seu phlegma, vel materiam frigidam, & densam consistit (ideo distillationes videntur ex capite fieri, maxime ex naribus)

Distillationes narium.

nutritiua vero, & non morbosa (quæ namque facit distillationes, morbosa est, nam catarros generat, & alios morbos) deorsum fertur per venas, quæ consistens refrigerat calidum naturale, ac meatus obstruens somnum efficit. Ad infrigidandum vero vaporem calidum, & ad non facilè suscipiendam euaporationem, (sic videlicet, quod non facilè cerebrum replcatur) confert tenuitas, & angustia venarum, quæ circa cerebrum sunt. Infrigidationis igitur hęc est causa; quamquam euaporatio abundet caliditate.

CAPVT VI.

De Expergiscentia.

Expergiscuntur autem animalia, cum materia illa vaporosa concocta fuerit, & caliditas multa impulsa ad angustum locum, seu ad venas ab eo frigore, quod circumstabat, quæ eiicerit ipsum frigus; tunc enim dissoluit vaporem illum congelatum, qui sensum impediebat, & causabat somnum; vnde succedit vigilia, atque cum sanguis corpulentior discretus, vel separatus fuerit à puriori. Est enim transmissiuus quidem sanguis, & purissimus, qui in capite est; crassissimus autem, & turbidissimus, qui in inferioribus partibus. Omnis autem sanguinis principium sicut dictum est hic, & in alijs, est cor. Est autem notandum quod in corde ipso sunt tria loca, vel thalami quorum duo recipiunt sanguinem impurum, tertius vero ipsum purificat.

In corde sunt tres loci recipientes sanguinem.

Primus est à parte dextra, qui recipit sanguinem à vena, quæ dicitur Aorta; & est principium venarum non pulsatilium, quæ multo sanguine, & pauco calore, & spiritu plenæ sunt;

Vena aorta.

alter est sinister, qui recipit sanguinem à vena magna, & est principium venarum pulsatilium, quæ plus abundant spiritu, ac vitali calore quam sanguine, & vocantur communiter arteriæ.

Vena magna.

Tertius verò est in medio, qui ab vtroque recipit sanguinem, & in ipso fit discretio puri sanguinis ab impuro; purus autem mittitur ad partes superiores, impurus ad posteriores, per alias determinatas venas.

Arteriæ.

Pro cuius clariori intelligentia est etiam notandum, quod triplex est interna digestio: (quidam namque ponunt etiam eam fieri in ore, vnde sic esset quadruplex.) Prima in stomacho, vbi colligitur primo nutrimentum, vt digeratur (ventriculum enim est quasi receptaculum tantum, & locus, vbi primo colligitur, sed non habet propriè vim digestiuam, nisi fortè aliqualiter participatam à stomacho) atque diuiditur ibi crassum à subtili, crassum mittitur ad intestina, subtile verò ad hepar. Secunda est in hepate, in quo sanguis ille subtilis melius digeritur, & mittitur ad cor. Tertia tandem est in medio thalamo ipsius cordis, vbi fit vltima discretio, & separatio puri ab impuro; qui quidem hunc sanguinem ab alijs duobus recipit, illi vero à stomacho, & hepate, per venas prædictas nempe per aortam, & magnam. Sed determinare quidem de his, alijs sermonibus est conuenientius, puta libris animalium, vel Medicinæ. Quia vero post oblationem nutrimenti, sanguis qui primo recipitur in medio thalamo cordis est indiscretus, vel impurus, ideo fit somnus, quo vsque sanguis ipse secernatur, vel purificetur, & quod est ipsius purissimum, sursum, quod vero turbidissimum deorsum fertur. Cum autem hæc distributio, & purificatio acciderit, expergiscuntur animalia, quia absoluta sunt à grauitate alimenti. Quæ igitur sit causa dormiendi, dictum est, (quod nimirum à corpulento vapore, qui sursum fertur vi caloris naturalis cordis fit reciprocatio quædam, ita vt ipse vapor infrigidetur, & tandem à calore cordis calefiat, quod accidit circa finem somni, at fit comprehensio, vel ligatio ad primum sensorium, seu sensum communem,) & quid sit somnus, (quod est comprehensio, vel quasi vinculum primi sensorij, vt non possit agere) quod quidem ex necessitate fit videlicet propter salutem; requies enim animalia conseruat.

Digestio quotuplex.

Finis Libelli de Somno, & Vigilia.

ANTO-

ANTONII ROCCI

De Scurcula Marſorum

PARAPHRASIS

IN LIBELLVM ARISTOTELIS de Somnijs.

CAPVT PRIMVM.

Somnium non eſſe ſentientis ſimpliciter, nec opinantis, nec intelligentis, ſed ſentientis vt imaginantis.



Oſt hæc autem quærendum eſt de ſomnijs, & primo cui earum partium, quæ animæ ſunt, appareant, vtrum ſcilicet intellectiuæ potentiæ, an ſenſitiuæ; his enim ſolum cognoſcimus aliquid eorum, quę in nobis ſunt; (ſeu quæ poſſunt à nobis cognoſci, vel quorum ſpecies habemus) at per ſomnium aliqua hoc modo cognoſcimus; ergo videtur, ipſum ad vnam iſtarum potentiarum attinere. Quod autem non ſit paſſio ſenſitiuæ potentiæ, probatur. Si itaque vſus viſus eſt viſio, & auditus ipſum audire, & omnino, ſenſus ſentire (qui quidem ſenſuum vſus ſunt tam circa ſenſibilia propria, quam circa communia; ſunt autem communia, veluti figura, motus, & magnitudo, & alia huiuſmodi; propria vero veluti color, ſonus, ſapor, & alia.) Omnia vero conniuentia, ſeu oculos clauſos habentia, ac omnia dormientia ſunt impotentia ad videndum, audiendum: ſimiliter autem ad reliqua alia obiecta prædicta percipienda; manifeſtum eſt, quod non ſentimus aliquid in ſomnis; Non ergo ſenſu ſomnium ſentimus: nec per conſequens eſt paſſio ſenſitiuæ facultatis. Quod verò non ſit paſſio, vel habitus intellectus, probatur; Quia ipſa ſomnia, vel res per ipſa repræſentatas intelligeremus ſapientia, vel ſcientia, vel prudentia, vel intellectu, vel arte, nullo iſtorum modorum eſt dicendum, quia hi ſunt habitus, qui verum determinate, & ſine errore dicunt, ſomnia verò vt plurimum ſunt falſa, & erroribus plena; relinquitur ergo, quod id fiat opinione, quæ poteſt eſſe vera, & falſa. At verò neque opinione. Non enim quod nobis in ſomnis per ſomnium aduenit, vel repræſentatur dicimus hominem eſſe, ſed & album, & pulchrum, atque alio modo accidentibus ſingularibus ſenſibilibus affectum; de quibus opinio ipſa nihil vtique neque verè, neque falsè pronunciabit ſine ſenſu, vel cognitione præſenti ſenſitiua, ſed tunc non adeſt iſta cognitio ſenſus, vt ſupra probauimus; ergo non opinione cognoſcimus in ſomnis. In ipſis .n. accidit hoc facere, puta ſingularia ſenſibilia cognoſcere; ſimiliter enim quod homo eſt, quod albus eſt, qui aduenit, videmur videre, nec tamen ſenſibus tunc vtimur; quare neque opinatiuo intellectu; hic enim circa ſingularia verſans, ſenſus miniſterio vtitur. Ex alia parte non videntur ſomnia ipſa penitus abſque intellectu, vel intellectione euenire. Nam pręter ſomnium adhuc dormientes, & ſomniantes aliquid aliud intelligimus. Quemadmodum enim in vigilando, ſentientes aliquid de eo, quod ſentimus, ſæpe etiam cogitamus aliquid aliud, ſic & in ſomnijs præter phantaſmata, alia aliquando intelligimus. Manifeſtum autem erit alicui hoc, ſi quis adhibeat mentem, & tentet meminiſſe cum ſurrexerit. Iam vero quidam, & viderunt ſomnia huiuſmodi eſſe veluti ea, quæ videntur ſecundum memoratiuum, ac intellectiuum præceptum; ita vt videantur in ſomnis proponere, quæ ordinatim ab intellectu proponuntur; ac etiam accidit eis ponere aliud quippiam ante oculos loco phantaſmatum, ac præter ſomnium, quod quidem ſit proſequendum, vel fugiendum: hoc autem ſine intellectus operatione non videtur effici poſſe. Quare manifeſtum eſt, quod neq; omne phantaſma, quod in ſomnis apparet, ſomnium eſt, & quod in ſomno intelligimus ea, quæ opinione, ac intellectu opinamur. Palam autem eſt intantum de omnibus ijs, quę diximus: nam eodem ſenſu quo vigilantes in ægritudinibus decipimur, eodem in ſomno fieri paſſionem, & ſomnia; imò ſanis quoque, & ſcientibus Sol videtur eſſe pedalis, quod ex deceptione ſenſus accidit. Cum igitur deceptio, quæ fit circa ſenſibilia in vigilando, ſit eadem cum ea, quæ fit circa ipſa in dormiendo, & illa non euenit niſi mediante ſenſu, ſequitur, quod ea, quæ dormiendo fit, etiam per ſenſum accidet, & ſic ſomnia non ſunt ſine ſenſu. Concludimus ergo, quod ſiue imaginatiua vis animæ ſit idem, ſiue diuerſum à ſenſitiua, nihilominus non fit operatio eius, ac ſomnium quod eſt ipſius quoque paſſio abſq; videre, & ſentire aliquid, non tamen quod actualiter dormiendo videamus, ſed phantaſia ipſa, in qua remanent ſpecies ſenſuum particularium, vtitur eis, ac ſi realiter ipſi ſenſus externi operarentur; ac ideo decipitur ſæpe, quod non inconuenit,

Habitus intellectus veri.

quia

quia etiam sensus particulares circa obiecta communia, & per accidens decipiuntur: datur enim videre videntis, & audire audientis perperam, seu falsum circa verum aliquod, licet id, quod arbitratur intellectus, in has deceptiones corrigendas non sit falsum. Operatur igitur in somno phantasia ipsa, non autem sensus particulares. Nam in somno ipso positum pro certo est, nihil oculum videre, neque auditum audire, neque omnino sensum sentire. Est ergò verum, nihil quidem visum videre, & tamen verum non est, quod nihil sensus patiatur, sed contingit, & visum pati aliquid, & alios sensus; sic videlicet, quod passi sint ante actuale somnium, ex quorum remanentibus aliquibus speciebus somnia fiunt: vnde qui nunquam species alicuius rei habuit, vel in se, vel in suo simili, de ipso somniare non potest, vt fortè accidit cæcis natis de coloribus. Singulum enim horum sensuum obiectum applicat se quidem, quodammodo ad sensum internum, puta ad phantasiam, ac si esset obiectum vigilantis, non sic autem vt verè vigilantis se habet, quia deest operatio, ac motio externi sensus. Sic igitur patet, quod somnia ipsa etsi non sint operationes sensuum externorum, non tamen sine ipsis suppositis fiunt. Potest etiam dici, ipsummet intellectum eodem modo per præcedentem suam operationem concurrere, ita vt res ante intellectæ, eo, quod per phantasmata intellectæ fuerunt, possint dormientibus se præsentare: & hinc est, quod quemadmodum in vigilantibus opinio, seu intellectus ipse dicit, quod aliquid est falsum, quandoque verò detinetur, & sequitur phantasma, (ita vt quod sibi ab ipso monstratur credat verum, vt accidit idiotis, qui Solem esse pedalem credunt, eo quod sensus, & phantasia sic sibi ostendit) ita etiam in somnis ijdem fiant à somniantibus discursus, licet sine ordine vt plurimum, quod à confusione phantasmatum procedit. Quod igitur passio hæc, quam somniare vocamus non est opinantis, neque intelligentis, manifestum est: diximus namque esse operationem sensuum, & si intellectum modo exposito interdum supponat. Sed neque est operatio sentientis simpliciter: videre enim vtique esset, & audire simpliciter. Sed qualiter oportet esse, & secundum quem modum considerandum adhuc exactius est. Ponatur ergò (quod & manifestum est) nempe somnium ipsum esse passionem sensus communis, si quidem eiusdem est passio somnus: ergo & somnium; quia vtrumque circa idem subiectum versari debet: non enim alicui quidem alteri animali inest somnus, alij verò alicui somniare, sed eidem. Quoniam verò de imaginatione in ijs, quæ de anima dictum est, ideò ea hic ad propositum applicare oportet. Dicimus ergo imaginatiuam potentiam esse quidem idem cum sensu communi, licet secundum esse formale differant; esse enim quidditatiuum ipsius sensus communis, & imaginatiuæ aliud est; nam imaginatio est motus factus à sensu secundum actum; hoc est, sensatio interni sensus causata ab obiecto percepto à sensu externo: ac ipsa imaginatiua potentia (actus namque solus ipsius præcedenti definitione definitus fuit) est huius obiecti receptiua. Somnium verò phantasma quoddam videtur esse in eodem sensu receptum. Vnde eadem potentia, prout recipit imagines rerum simpliciter à sensibus sibi repræsentatas, dicitur imaginatiua; prout verò easdem recipit in somno dicitur phantasia; sicut tales imagines dicuntur phantasmata, & si sæpe imagines ipsæ cum phantasmatibus indistinctè sumantur, vnum scilicet pro alio; sed prout indicat inter sensibilia externorum sensuum, atque est eorum origo, dicitur sensus communis. Est igitur vna potentia realiter, diuersa munera exercens, vel formaliter in tres distincta. Patet ergo, quod somnus, & somnium circa idem sunt, videlicet circa sensum communem, qui est phantasmatum receptiuum; nam phantasma, quod in somno apparet, somnium dicimus; manifestum igitur est, quod sensitiui principij est proprium somniare, non autem cuiuslibet, nam externi sensus non somniant, sed huius, cuius est imaginari, seu imaginatiuæ potentiæ.

Quod nunquam cognouimus non somniamus quomodo.

Imaginatiua est idem cum sensu communi. Imaginatio.

Phantasia & imaginatiua.

CAPVT II.

Passiones, quæ fiunt à sensibilibus in sensorijs, etiam eis absentibus aliquomodo manent. Sensoria etiam ipsa quippiam agunt, & in sentiendo sæpè deceptiones contingunt.

QVid autem est somnium, & quomodo fit, ex ijs, quæ circa somnum accidunt, maximè vtique cognoscemus, Sensibilia enim secundum singulum sensorium in nobis efficiunt sensum, vel sensationem; & passio, quæ fit ab eis, non solum inest in sensorijs, dum sensus agunt, sed, & dum abierunt; similis enim passio in his sensuum passionibus est ijs, quæ proijciuntur, licet ipsum quod prius ea mouit, non amplius ea tangat, tamen mouentur; nam ipsum, quod primò mouit, aerem quendam, vel aliud medium simul cum re proiecta mouit; & rursus hic cum mouetur, aliud, & hoc vtique modo quousque quidem omnia steterint, faciunt motum, & in aere, & in alijs humidis, vel medijs fluxibilibus, atque cedentibus. Similiter autem oportet putare hoc euenire in alteratione; nam, quod calefactum est à calido, proximum calefacit, & distribuit vsque ad vltimum, quod est principium quietis. Quarè in quo est ipsum sentire, quod est secundum actum alteratio quædam sensus, necesse est hoc accidere. Ideò passio ipsa est non solum in sentientibus sensorijs in actu, sed quiescentibus remanent adhuc species, & in profundo organi, & superficie tenus; (seu remanent aliqualiter species in superficie, vel sensu externo, & in profundo, seu in sensu interno.) Quod autem in sensibus externis in absentia obiecti, aliqua passio maneat, notum est; nam transferentes sensum de vno in aliud obiectum, sequitur passio obiecti præcedentis, vt si quis de Sole se transferat ad tenebras, accidit eum nihil videre, propter adhuc subsistentem motum, vel alterationem in oculis à lumine factam. Et si vnum colorem multo tempore aspiciamus, vt album, vel viridem, eiusmodi videtur colorem habere quodcunque à visu respiciatur. Et si ad Solem aliquod aliud splendidum respexerimus, obseruantibus videbitur directè, quod clausis oculis accidit videre primum quidem huiusmodi colorem, quem ante reuera videramus, deinde permutatur in puniceum, postea in purpureum, quousque in nigrum venerit, & euanuerit. Et illis quoque, qui permutantur ab ijs, quæ mouentur, velut à fluminibus, maximè autem ab ijs, quæ citissimè fluunt, videntur, quod ea, quæ quiescunt, moueantur; quod accidit, quia imago motus illius remanet adhuc in visu. Fiunt autem à magnis sonis surdastri, & à validis odoribus difficilè odorantes, & in similibus. Hæc itaque manifestè accidunt hoc modo, quia nimirum simulacra prædictorum sensibilium remanent in absentia ipsorum. Quod maximè accidit circa sensibilia magna, & vehementia; nam circa modica non ita se habet, sed statim post

vnum,

vnum, potest aliud immediatè cognosci. Quod autem sensus ipsi simul cum sensorijs cito modicas differentias sensibilium sentiãt, signum est, quod in speculis accidit: de quo vtique quis per se inuestigans dubitabit. Simul autem ex hoc cognito, manifestum erit, quod visus differt à speculo; nam speculum ipsum tantum patitur ab obiecto; ideo si aliquod vehemens patiatur, vt statim dicetur, non potest illam passionem superare, cum nullam habeat actiuitatem circa ipsum; cuius oppositum dicendum est de oculis, vel potentia visiua; nam quemadmodum visus ipse patitur ab obiecto, sic facit aliquid circa ipsum; nunc ad exemplificandum de speculis accedamus. In speculis igitur valde nitidis cum mulieres menstruatæ respiciant, fit superficies speculi, vt nubes sanguinea, & si quidem nouum sit speculum, non facilè est abstergere huiusmodi maculam; si vero vetus, facilè. Causa verò cur impressio fiat in speculo est, quoniam non solum visus patitur aliquid ab aere dum obiectum discernit, sed & facit aliquid, & mouet ipsum, quemadmodum faciunt alia splendida; nam visus splendidorum, & habentium colorem est; mouent igitur oculi aerem tripliciter, primo prout splendidi sunt, & sic quoque specula mouent; secundo ratione spirituum quorundam subtilium, qui ab oculis exeunt è corpore, tanquam à partibus subtilioribus, vel rarioribus, & sic menstruatæ inficiunt speculum, & hoc modo speculum non agit: mouent tertiò non aerem, sed obiectum per virtutem visiuam, sic videlicet, quod non solum species illius recipiunt, sed circa ipsum operantur, sentiendo, & neq; in hoc speculum communicat. Ad propositum tamen, quod oculi ab obiectis vehementibus patiantur, & non à debilibus, accipiatur signum à speculis, quæ ab obiectis ordinarijs non inficiuntur, sed bene à vehementibus, vt à menstruis; siue hoc sit ratione solius obiecti, siue alterius secum coniuncti, nihil ad propositum refert. Oculi igitur mulieris cum fiunt menstrua rationabiliter inficiuntur, sicut alia pars quælibet corporis: etenim naturaliter existunt pleni venarum, in quibus abundat feruor sanguineus tempore menstrui. Ideò cum fiunt menstrua propter turbationem, & sanguineam ebullitionem: oculi sic afficiuntur; sicut nobis quoque in emissione seminis aliqua conturbatio accidit tamen, quæ sit talis differentia, & oculorum turbatio, incertum est, licet re vera insit: nam eadem est natura seminis, & menstruorum; menstrua autem sunt in maiori abundantia, ideò efficiunt differentiam manifestam. Aer igitur mouetur ab ipsis oculis, & inficitur, & ille aer, qui supra specula est, mouet aerem contiguum existentem speculis ipsis, ac ipsum qualem quendam facit, & talem, vt ipse patitur: hic vero contiguus mouet, & afficit speculi superficiem. Nunc autem assignemus causam, cur specula nitida facilius inficiantur, quam alia. Quemadmodum enim vestes, quæ maximè mundæ sunt citissimè inquinantur; nam purum exactè monstrat quicquid exceperit, & præsertim minimos motus, vel dispositiones varias à suis. Aer verò, vel speculum, eo quod planum sit, qualemcunque tactum maximè sentit. Oportet verò intelligere aeris tactum, tanquam attritionem esse, & tamquam extersionem, & ablutionem; ita vt sicut attritio est aliquorum simul, sic contactus, & motus aeris est aliquorum sæpè; abstersio verò, & ablutio semper aliquam communicant dispositionem corporibus propinquis; ideò hoc maximè accidit speculo, quia propter munditiem eius maximè hic effectui est. Non exeundi vero celeriter hanc maculam ex nouis speculis, causa est, quod vnumquodque eorum purum sit, & lene; serpit enim macula illa per huiusmodi specula in profundum, & in omnes partes; nam ex eo quidem quod purum est, in profundum serpit, eo autem quod lene, in omnes partes. In veteribus verò non manet, quoniam non similiter per totum ingreditur macula, sed potius iuxta superficiem. Quod igitur à paruis differentijs obiectorum fiat citò motus ad sensum, & quod colorum sensorium, puta visus non solum patiatur, sed contra agat, manifestum est ex his. Quod autem ea, quæ diximus sint vera, præcipue, quod specula inficiantur, ab aere infecto à menstruata, attestantur ea, quæ circa vina, & quæ circa vnguenta eueniunt; nam quod præparatum est oleum, citò accipit proximorum corporum odorem. Et vina hoc ipsum patiuntur; non enim solum recipiunt odorem eorum, quę intra ipsa mittuntur, vel commiscentur, sed eorum, quæ propè vasa ponuntur, vel adnascuntur. Ad eam autem considerationem, quæ à principio huius capitis mota fuit redeuntes, ponatur vnum quidem, quod ex ijs, quæ dicta sunt, patet; quod recedente sensibili extrinsecus, manent simulacra, quæ sensibilia sunt. Ad hoc enim probandum omnia prædicta exposuimus: ac idem pro maiori intelligentia adolescentium etiam supra conclusum fuit. Adhæc autem, quod facilè decipimur circa sensus, cum in passionibus existimus, manifestum est, differenter tamen; alij enim in alijs, veluti trepidus in timore, & qui amat in amore; ita vt videatur à modica quidem similitudine, ille quidem hostes videre, hic verò dilectum. Et hæc vtique quantò passibilior quis fuerit, tantò à minori similitudine videntur, vt vehementer timens etiam vmbram timet, & fugit. Eodem verò modo in ira, & in omnibus concupiscentijs facilè decipiuntur omnes, & magis quantò vtiq; in passionibus magis fuerint; ideò febricitantibus interdum animalia videntur in parietibus à modica similitudine linearum compositarum. Et hæc quidem aliquando sic intenduntur cum passionibus, vt si vehementer non laborent, non lateat eos, quod falsum est id quod vident, vel videre credunt. Si vero maior sit passio, accidit, vt moueantur ad ipsa credenda. Causa verò vt hæc accidant; quod scilicet aliquandò vera, interdum autem falsa iudicentur, est, quia non per eandem potentiam iudicat ipsa anima, quæ princeps est, per quam phantasmata ipsa fiunt, & repræsentantur; huius vero signum est, quod videtur quidem Sol pedalis, contradicit autem sæpe aliquid aliud imaginationi. Sic imaginatio, vel phantasia in laborantibus infirmitate iudicat ea, quæ apparent esse vera, ratio vero contradicit; nisi sit vehemens passio, quia tunc ipsa quoque ratio offuscatur, & decipitur. Accidit autem sæpè, quod vnus sensus ab alio corrigatur, vt permutatione digitorum facta supra corpus per contactum velocissimum, quod est vnum, vel vnus digitus duo videntur, attamen non dicimus, quod sint duo, nam per visum vnum tantum esse percipimus, & sic tactum corrigimus, visus enim est certior tactu. Cur autem fallimur, causa alia est præter dictas; quoniam non solum cum sensibile mouetur, apparent quælibet moueri, sed etiam cum sensus ipse mouetur, si eodem modo moueatur, quemadmodum mouetur à sensibili; dico autem velut terra videtur nauigantibus moueri, dum mouetur visus ab alio, puta à naui, & sic oculus motus supplet vicem obiecti mobilis ad ipsum.

Triplex motus visus.

Cur oculi mulieris menstruatæ inficiantur.

Vas recipiunt odores.

visus certior tactu.

CAPVT

CAPVT III.

Motus, qui fiunt à ſenſibilibus, non ſolum in vigilia, ſed etiam in ſomno apparent; Multarumque rerum, quæ circa ſomnum accidunt, redditur cauſa.

EX his itaque dictis manifeſtum eſt, quod non ſolum in vigilando apparent motus, vel imagines, quæ à ſenſibilibus fiunt, & quæ extrinſecus eueniunt (vt ſunt ſimulacra ſenſuum externorum,) & quę intrinſecus (ſeu ex interna natura corporis, vel potius ſenſus eiuſdem interni corporei, vt eſt ſenſus communis,) ſed etiam quando fit paſſio hæc, quę vocatur ſomnus, tunc magis apparent. Per diem enim hæ internæ imagines repelluntur (dum videlicet operantur externi ſenſus, & intellectus) & euaneſcunt, quemadmodum iuxta magnum ignem minor, & dolores, & voluptates paruæ ſecus magnas, dum verò maiora quieſcunt, ſupernatant & parua. Nocte igitur propter vacationem particularium ſenſuum, & impotentiam ipſorum agendi, eo quod ab ipſis exterioribus ad id, quod intrinſecus eſt (puta ad ſenſum communem) fiat caloris refluxus; vnde deſtituti calore agere nequeunt; ad principium ſenſus (nempe ad communem) ipſæ imagines deferuntur, & fiunt manifeſtæ, cum ſedatur turbatio; vel agitatio vaporum aſcendentium ad cerebrum; quod accidit circa principium dormitionis. Et per conſequens ſedatio circa finem. Oportet autem exiſtimare ſic fieri imagines iſtas in ſomno, vt modicas vertigines, vel figuras circulares, quæ in fluminibus feruntur; has namque ſæpe quidem ſimiles, ſæpe verò diſſolutas in alias figuras propter repulſionem conſpicimus. Ideo poſt cibum, & omninò iuuenibus exiſtentibus, veluti pueris non fiunt ſomnia; multus enim motus eſt propter eam caliditatem, quæ à cibo eſt. Quare quemadmodum in aqua ſi vehementer moueat quis, quandoque nullum apparet ſimulacrum, quandoque verò apparet quidem, diſtortum autem omninò, ita vt appareat alterius modi, quam quale eſt; quod ſi aqua quieuerit, pura, & manifeſta imago apparet. Sic ſe habent in dormiendo phantaſmata, & reliqui motus, qui proueniunt à ſenſibus; interdum quidem cum vehementer ſit motus, qui dictus eſt, exterminantur omninò imagines, interdum verò conturbatæ apparent viſiones, & monſtruoſæ, & deteriora ſomnia fiunt, velut accidit melancholicis, & febricitantibus, & vinolentis. Omnes enim huiuſmodi iſtorum paſſiones, cum ſpirituoſæ, vel vaporoſæ ſint, multum faciunt motum, & perturbationem. Cùm autem in animalibus ſanguinem habentibus ſedatur hæc perturbatio, & ſecernitur ſanguis purus ab impuro, atque conſeruatus eſt motus, vel imago, quæ prouenit ab vnoquoque ſenſu particulari (vt viſibilium à viſu, audibilium ab auditu, &c.) amata fiunt ſomnia, & apparere aliqua, & reuera videri videntur; ita vt propter ea ſimulacra, quæ quidem à viſu deferuntur ad ſenſum communem videre videamur; propter ea verò, quæ ab auditu, audire; ſimiliter autem ab alijs ſenſorijs. Ex eo enim quod ab ipſis ſenſorijs progreditur, dum vigilamus, motus ad principium commune, ac ibi ſpecies ipſorum remanent, putatur videre, & audire, & ſentire; & quia viſus in vigilia interdum videtur moueri, qui non mouetur; & quia ſimiliter tactus duos motus eſſe annunciat, qui eſt vnus, ſicut diximus ſupra, ita accidit quoque in ſomno, omninò enim quod ab vnoquoque ſenſu particulari prouenire poteſt, dicit ipſum principium commune, ſeu quicquid apprehenditur, & indicatur à particularibus, poteſt apprehendi, & iudicari à ſenſu communi, niſi alius præſtantior (puta intellectus) contradicat, quod ſæpe in vigilia accidit, in ſomno, vel nunquam, vel rarò. Apparet igitur omninò ita eſſe, ſicut communi ſenſui repræſentantur imagines; putatur autem ab ipſo intellectu non omninò ita eſſe, quod apparet; niſi ipſum principium intellectiuum, quod diiudicat, detineatur, vel non moueatur proprio motu, quod euenit in ſomnus, vbi dominatur phantaſia, atque hoc idem accidere poteſt in infirmitatibus, & amentijs. Quemadmodum verò diximus, quod alij propter aliam paſſionem facilè vigilando decipiuntur; ita dormiens propter ſomnum videtur decipi; quia videlicet ſibi videntur moueri ſenſoria, & alia accidentia circa ſenſus, vt in vigilia accidit. Quare modicam habens ſimilitudinem, quod apparet, cum alio, videtur illud aliud, ſicut amans quamlibet rem rei amatæ ſimilem illam eſſe credit. Cùm enim animal dormit, deſcendente plurimo ſanguine ad principium ſenſitiuum commune, condeſcendunt etiam, ſeu fluunt motus, vel imagines, quæ in organis particularibus ſunt, ad ipſum, quorum aliæ actualiter ipſum mouent, aliæ verò in potentia tantum, illæ ſcilicet, quæ ſunt ab alijs impeditæ. Sic autem ſe habent, vt accidit in motu facto in aqua ex proiectione lapidis; vnde varij circulares motus proueniunt, ex quibus vnus quidam ipſorum ſupernatat; ſi verò hic corrumpatur, alter apparet. Admuicem itaque ſe habent prædictæ imaginationes ſic, vel etiam quemadmodum ſe habent fictæ ranæ ligneæ aſcendentes in aqua liquefacto ſale. Ponatur v. g. ſal in magna quantitate in aqua, ita vt aqua ipſa inſpiſſetur, & ſub ſale ranæ ligneę. Liquefacto ſale, aſcendunt, ſed tamen mutuò ſe confundunt, ita inſunt in potentia imagines aſcendentes ad ſenſum communem, ac cedente aliqua ipſarum, quę alteram prohibebat, altera apparet, & ſic agunt. Et ſolutæ in exiguo reliquo ſanguine, habent ſimilitudinem imaginum mouentium ab extra ipſa externa ſenſoria, atque citò à fluxibilitate materiæ, in qua ſunt, permutantur; quemadmodum, quæ apparent in nubibus, quæ ſimilia ſunt hominibus, & centauris. Horum autem vnumquodque eſt (ſicut diximus) reliquiæ eius rei ſenſibilis, quæ in actum ſenſus externos mouit. Et abeunte etiam ſenſibili, eſt verum dicere ab anima vigilante, quod ſimulacrum rei ſenſibilis remanens eſt tale, qualis eſt res ſenſibilis, vt imago Coriſci eſt talis, qualis Coriſcus, ſed re vera cognoſcit, quod non eſt Coriſcus. Cùm igitur anima ſentiebat per ſenſus externos (ſeu vigilabat) potentia ipſius, quæ princeps eſt (nempe ratio) quæ diiudicat, non dicebat imaginem illam in ſenſu communi repræſentatam eſſe Coriſcum, ſed per hoc ſimulacrum illum Coriſcum verum apprehendebat. Quod itaque ſentiendo, vel vigilando dicit hoc anima ipſa, nimirum aliā eſſe imaginem, vel phantaſma Coriſci, & Coriſcum ipſum, hoc idem dicet in ſomno, ſi non omninò detineatur à ſanguine (hoc eſt ſi non ſit penitus ſanguis impurus, & agitatus, qui ſomnia clara efficit;) vnde quaſi ſentiens, vel vigilans videtur moueri à motibus, vel imaginibus, qui ſunt in ſenſorijs, & videtur quidem hoc, quod eſt tantum ſimile, vel ſimulacrum alicuius, eſſe id quod non ſimulacrum, ſed verum eſt, & tanta ſomni eſt potentia, quod facit hoc latere. Quemadmodum igitur ſi quem lateat digitus ſuppoſitus oculo, non ſolum vnum apparebit eſſe digitum ſub oculo, ſed duo putabit,

Pueri non ſomniant, cur.

Cur infirmis appareant monſtra.

Somnia amata, quando, & cur.

qui est unus. Si verò non lateat, apparebit quidem esse duos; non putabitur autem, quia ratio corrigeret sensum (fit autem hæc apparitio duarum digitorum, vel aliarum rerum, si inter medios oculos aliquid opponatur è directo nasi, & oculi vicissim paulatim claudantur, & fiant veluti cæcutientes; tunc enim una res duæ apparent, quod euenit ex diuersa distantia, qua se in uno, vel in alio loco simul eadem res videtur esse; hoc autem facile est per experientiam cognoscere) sic, & in somnijs; si sentiat quidem quod dormit, (quod accidit dum sensus, vel ratio non est perfectè ligata, vel etiam id somniari potest) atque etiam comprehendit passionem circa quam est sensatio sensitiui, seu sensus communis, dicit autem in seipso, quod hoc quidem sibi apparet, puta Coriscus, vel aliud, non est autem Coriscus; & sic sæpe dormiendo dicit aliquid in anima, quod somnium est, quod apparet; si verò lateat, & dormiat, nihil contradicit imaginationi, sed somnium ipsum veluti rem veram existimat.

Somniamus omniate.

Quod autem vera dicimus, & quod sint motus imaginarij in sensorijs, manifestum est, si quis attendens cogitur meminisse, quæ patimur, & obdormiscentes, & expergefacti. Interdum enim simulacra, quæ apparent dormientibus, apprehenduntur à vigilantibus, vt motus, vel simulacra in sensorijs ipsorum. Quibusdam enim puerorum, & omninò quibuscunque perspicientibus, & si sint tenebræ interdum simulacra apparent multa, quæ mouentur, ita vt frequenter timentes velentur, seu oculos claudant.

Cur videamus vigilantes phantasmata.

Ex his itaque vniuersis oportet colligere, quod somnium est quidem phantasma aliquod apparens in somno; nam simulacra, quæ modo dicta sunt apparere vigilantibus, non sunt somnia, neque si quid aliud videtur solutis sensibus externis (seu vigilantibus.) Neq; omne, quod in somno apparet est phantasma, vel somnium.

Somnium quid.

Nam primum quidem in aliquibus accidit sentire aliquomodo, & sonum, & lumen, & saporem, & tãgere, languidè tamen, et veluti procul. Iam n. in dormiendo respicientes, & mox excitati, quod debiliter videbant lumen lucernæ dormientes, vt arbitrabantur, expergefacti statim cognouerunt, quod lumen lucernæ erat, & gallinaceorum, & canum debiliter audientes vocem, expergefacti cognouerunt manifestè, id esse verum.

Correspondemus dormientes.

Quidam verò, & respondent cum interrogantur. Nullum autem istorum est somnium; sed accidunt, quando sensus non sunt perfectè ligati. Contingit enim in ipso vigilare, & ipso dormire, quod altero eorum simpliciter existente, alterum aliquo modo insit, quorum neutrum somnium dicendum est, vt aliquis dormiens imperfectè, tamen aliquomodo vigilat, & aliquis imperfectè vigilans, aliquomodo dormit. Quare neque quæcunque notiones, vel cognitiones, quæ fiunt in somnis sunt somnia, vt de prædictis patet, præter phantasmata. Imò neque omne phantasmatum præcedentia ipsa aliquod etiam phantasma efficit. Sed phantasma, quod est ex motu simulacrorum cum in dormiendo fuerit, ac quatenus dormitur, hoc est somnium; quamobrem dormiendo necesse est, vt somnia fiant.

An omnia animalia somnient.

Nunc autem determinemus, an omnibus contingat somniare. Respondetur negatiuè. Iam enim quibusdam accidit, vt nullum somnium viderint in vita, rarum quidam huiusmodi est, accidit tamen. Et aliquibus quidem omninò perseuerauit hoc non somniare; quibusdam verò accedente ætate, accidit somniare, cum prius nullum somnium viderint. Causam autem quare non fiat simile alijs oportet arbitrari, quod neque ijs, qui post cibum dormitauerint, neque pueris fit somnium.

An semper.

Quibuscunque enim hoc modo constat natura, vt multa ascendat euaporatio in superiorem locum, quæ cum iterum deorsum fertur facit multitudinem motus conuenienter, istis nullum apparet in somno phãtasma, quia à multitudine euaporationis turbantur omnia. Procedente verò ætate, nihil inconueniens est apparere somnia; permutatione enim aliqua facta, vel per ætatem, vel per passionem, necessarium est accidisse contrarietatem hanc.

Libelli de Somnijs Finis.

ANTO-

ANTONII ROCCI

De Scurcula Marsorum

PARAPHRASIS IN LIBELLVM ARISTOTELIS de Diuinatione per Somnium.

CAPVT PRIMVM.

Somniorum Diuinationis causam dubiam esse. Somniorum verò alias causas, alia signa, alia esse accidentia euentuum.



DE Diuinatione verò ea, quæ in somnijs fit, & dicitur accidere à somnijs, neque eam contempsisse facilè est, neque suasum esse (seu neque facile est ei fidem præstare.) Nam quod omnes quidem, vel plures existimant, ipsa somnia habere aliquam significationem, præstat fidem, tanquam ab experientia dictum. Et quod de quibusdam fiat diuinatio in somnijs non est incredibile; habet enim aliquam rationem. Ideò de alijs somnijs similiter vtique quis arbitrabitur. Videre autem nullam dari rationabilem causam secundum quam vtique fiant, hoc facit vt ipsas diuinationes non credamus. Nam dicere, Deum quidem esse, somnia mittentem, præter aliam irrationabilitatem; inconueniens est, eum non ipsa mittere optimis, & prudentissimis, sed quibuslibet indifferenter.

Deus non mittit somnia.

Ablata verò quę à Deo causa, nulla aliarum conueniens esse videtur, quæ s. naturaliter cognosci possit. Primam enim originem reperire, cur nonnulli præsagiant de ijs, qui ad Herculeas degunt columnas, aut ad Borysthenem, nostræ profectò mentis superat captum. Cùm igitur non sit rationabile, somnia à Deo mitti, rationabile erit, nihil determinatè significare, & per consequens fallacem esse diuinationem per somnium. Vt autem quid in hac re conueniens sit, manifestemus (prædicta namque gratia discussionis posita sunt) ac quid ipsa somnia, & quomodo significare aliquid possint cognoscamus, sic discurramus. Necesse igitur est, somnia, vel causas, vel signa, vel accidentia esse eorum, quæ fiunt, ac per ipsa significari videntur; ita vt omnia sint huiusmodi, vel aliqua, vel vnum solum. Dico autem causam aliquam esse alicuius, quæ illud efficit, vt Lunam dicimus causam esse eclipsis Solis, quia re vera ipsam eclipsim efficit, interponendo se inter Solem, & visum nostrum. Similiter labor est causa febris. Signum autem est, quod aliquid significat, & si ipsum non efficiat; vt fumus est signum ignis, atque signum defectus, vel eclipsis Solis est, quod Stella, quæ Solem comitatur, vel non multum distat ab eo subintrat Lunam, seu nobis à Luna absconditur, vnde sequitur, quod Sol hoc idem pati debeat. Pariter asperitas linguæ est signum febriendi. Accidentia verò dicuntur quæcunque nullam habent connexionem cum effectibus, vt aliquo ambulante eclipsetur Sol: neque enim signum eclipsandi hoc est, neque defectus aliquis. Ideò nullum accidentium neque semper fit, neque vt plurimum determinatè. Nunc autem prædicta ad propositum applicando, dicimus resoluendo, quod somniorum aliqua quidem sunt causa, alia verò signa, velut aliqua eorum, quæ circa corpus accidunt. Dicunt enim & Medicorum elegantes, quod oportet valde intendere somnijs; vt scilicet ex ipsis complexionem infirmorũ, ac dispositionem ad ægritudinem, vel sanitatem cognoscamus; vnde secundũ ipsos patet, ea esse aliquorum morborum signa. Conueniens autem sic est existimare, vel discurrere per ista somnia non tantum artificibus puta Medicis, sed etiam considerantibus aliquid, & philosophantibus. Nam motus, vel simulacra nocturna, quæ in die accidunt, latent, nisi magna valde fuerint, & fortia, & hoc accidit, quia sunt secus maiora, puta secus alios motus, qui in vigilando fiunt, vt videre, sentire, &c. In dormiendo autem contrarium accidit; etenim parua magna videntur esse. Manifestum est autem hoc ex ijs, quæ in somnis accidunt frequenter: arbitramur enim fulgura cadere, ac tonitrua fieri, cum paruus sonus fit; & melle, & dulcibus saporibus perfrui, minima pituita defluente ad gustum, vel linguam; & ambulare per ignem, & calefieri vehementer, cum paruus calor circa quasdam partes fit. Cùm autem expergiscimur, manifestum est, hæc hoc modo se habere. Quare quoniam parua sunt principia omnium, manifestum est, quod ista sunt signa ægritudinum, & aliarum passionum, quæ in corporibus debent fieri. Manifestum ergo est, quod necessarium est, hęc esse magis euidentia in somnis, quam in vigilando. Vnde somnia ipsa possunt esse naturalia signa rerum futurarum, & sic per ipsa diuinare possumus. At verò neque irrationabile est,

Cur parua in somnijs videantur magna.

quædam phantasmata, quæ quidem in somnis apparent, esse causas propriorum actuum cuiusque somniantis, quemadmodum enim debentes agere, & in actibus existentes, aut si operati fuerimus, sæpe recta somnia, & his operibus correspondentia dormiendo intuemur, & agimus; causa autem est, quia præparatus existit motus à diurnis inchoationibus: sic rursus necessarium est, eos motus, qui in somno sunt esse principium, & causam frequenter diurnorum actuum, eo quod præparata sit antea operatio, & horum cogitatio in phantasmatibus nocturnis repræsentatur, hoc itaque modo. Sic ergo contingit quædam somnia esse rerum futurarum signa, & causas, & hoc modo per ipsa Diuinatio contingit. Plurima verò accidentibus assimilantur; maximè autem omnia transgredientia nostram facultatem, & quorum non est origo in nobis, sed de nauali bello, & de ijs, quæ procul accidunt, sunt. De his enim eodem modo se habere verisimile est, vt quando alicui memoranti de aliquo contigerit hoc factum esse. Quid enim prohibet, & in somnis ita accidere? magis autem verisimile est multa huiusmodi somnia accidere, quam ratione causæ, vel signi. Quemadmodum igitur meminisse de aliquo, neque signum, neque causa est accedendi ipsum, sic ibi somnium non est causa euenisse aliquid somnianti, neque signum, sed casus. Ideò multa somnia non eueniunt; fortuita enim neque semper, neque frequenter fiunt.

CAPVT II.

Somnia non à Deo, sed aliunde mitti. Cur aliqua eueniunt somnia, aliqua verò non. Cur etiam aliqui sint rectè somniantes, & qui veri sint somniorum interpretes.

OMninò autem quoniam quædam aliorum animalium præter hominem somniant, à Deo vtique missa non erunt somnia, neque facta sunt gratia aliquid futurum præuidendi. Sed potest fortè dici à vulgaribus, quod & si à Deo missa non sint, Dæmonia tamen ea mittunt, & sic præuidere per ea possimus; hoc autem nihil est; nam ipsa Dæmonia non habent naturam Diuinam, seu non sunt Dij; vnde futura præcognoscere nequeunt, nec nobis annunciare. Quod igitur à Deo non mittantur, signum est; nam homines valde degeneres, puta rudes, & ignobiles, vel vitiosi præuidentes sunt, atque rectè somniantes, tanquam Deo non mittente; Ipse namque propter suam summam bonitatem, & iustitiam iustis hoc donum concederet, potius quam impijs. Sed quorumcunque quasi loquax natura est, & melancholica multimodas visiones vident. Eo enim quod secundum plura, & multifariam moueantur, aliquod assequuntur, & sic præuidere videntur, sicut quidam tota vi cum alijs contendentes de aliquo rapiunt illud, quod à casu accidit; nam quemadmodum dicitur, si multa iacias, aliàs aliud iacies, & in his hoc aliquid accidit, sic multa somniantibus, aliqua vera, sed à casu eueniunt. Quod autem multa naturaliter per somnia significata non eueniant, nihil est inconueniens. Neque enim eorum signorum cœlestium, quæ sunt in corporibus ipsis cœlestibus, vel circa ipsa apparent, effectus, vel significata eueniunt; velut quando sunt signa aquarum, vel ventorum significatorum per nubes, areas, &c. Si enim alius motus vehementior isto, à quo prædicta significata effici debebant, acciderit, illud à quo pro futuro factum est signum, non fit, seu non remanet signum. Et multa consulta benè, quæ fieri expediebat, dissoluta sunt, propter alia præstantiora initia. Omninò enim non omne fit, quod futurum erat, neque est idem dicere, quod aliquid erit, & aliquid futurum erit; nam primum proculdubio eueniet, non autem secundum. Nihilominus dicendum est, esse aliqua principia ipsorum non eueniendorum, à quibus tamen non facta sunt, ita vt possint dici principia impedita, & frustra; quare similiter nata sunt esse aliqua signa aliquorum, quæ nunquam facta erunt, vel sunt. Et sic quamuis interdum asperitas linguæ sit signum febris; vel somnium aliquid naturaliter significet, non tamen opus est, vt significata eueniant, quia impediri possunt. De ijs verò somnijs, quæ huiusmodi non habent in nobis principia qualia diximus, neque à nobis aliquo modo dependent, sed distantias, vel in temporibus, vel in locis, vel in magnitudinibus supponunt, vt de bello nauali, &c. vel licet horum nihil supponant, tamen quia non habent principia in ipsis somniantibus, vt si rusticus somniet esse rex, &c. nihil possumus præuidere neque tanquam per signum, neque velut per causam, nisi præuisio fiat ab accidente, seu casualiter, quod quidem magis conueniens est asserere, quam vt dicit Democritus, qui causas harum præuisionum ponit esse simulacra rerum, de quibus somniamus, ac defluxiones ipsorum ad nostrum sensum communem; qui dupliciter errat, primò ponendo hos reales defluxus corporum ad sensum, quem supra reprobauimus in libro de sensu, & sensilibus; secundo, quod huiusmodi simulacra sint sufficientia causare præuisionem; hoc etenim falsissimum esse patet; quia sic omnia, quæ somniamus aliquid nobis determinatè verum ostenderent. Fiunt igitur somnia rerum distantium per earum imagines, vel similia. Quemadmodum enim, cum quis mouit aquam, vel aerem, aer ipse, vel aqua aliud mouit, & quiescente primo mouente, accidit tamen huiusmodi motum venire vsque ad aliquid, etiam si id, quod primo mouit non sit præsens; sic nihil prohibet, motum aliquem, seu imaginem rei sensibilis pertingere sensum communem, à rebus sensibilibus à quibus illa simulacra fiunt, & defluxiones (vt dicit Democritus, quem modò non impugnamus) peruenire vsque ad animas somniantes. Et quocunque fuerint pertingentes, magis sensibiles esse noctu, eo quod motus, qui in die deferuntur, dissoluuntur; magis enim sine turbatione est aer noctis, eo quod silentiores sint noctes, & in corpore facere sensum propter somnum, eo quod & paruos motus, qui intrinsecus sunt, sentiunt dormientes magis, quam vigilantes. Hi verò motus phantasmata faciunt, ex quibus præuident futura de huiusmodi somnijs. Et ideò accidit passio hæc quibuslibet, & non prudentissimis; in die enim vtique fierent, & sapientibus, si Deus esset mittens. Sic autem rationabile est, quoslibet præuidere; nam cogitatio horum non est curis affecta, sed tanquam deserta, & nuda omnibus, & mota ducitur secundum, quod mouens ipsam ducit, ac per consequens totis apparentibus in somno intendit, vnde faciliter præuidet. Et quod quidam, qui in excessu mentis præuident, causa est, quoniam proprij motus non infestant, sed longè proijciuntur; extraneos ergo maximè sentiunt. Accidit autem, familiares quosdam de familiaribus rectè somniantes esse, ac maximè præuidere, eo quod familiares maximè pro se inuicem solliciti sunt; quemadmodum .n. propè existentes, maximè se cognoscunt, & sentiunt, quam alios, ac & motus, atq; nocturnas imagines;

Dæmonia non mittũt somnia.

Interpretes somniorũ.

Erit, & futurum erit, non idem.

Cur in excessu mentis fiat præuisio.

imagines ; motus enim , & imagines cognitorum notiores sunt alijs . Melancholici autem propter vehementiam cogitandi bene de somnijs coniectant , sunt enim vehementes in cogitatione , quemadmodum iacientes fortiter eminus , ac ipsi faciliter quoque imaginantur propter permutationem , de simili ad simile , citò hærens . Quemadmodum enim poemata cuiusdam Philegidę furiosi cogitant , & dicunt hærentia simili , vnde ad aliud facile transeunt , veluti Venerem cogitando ad Amorem transferuntur ; sic melancholici copulant phantasmata in somnia visa ad primum simile , sibi per ipsa repręsentatum . Amplius autem , propter vehementiam cogitandi non expellitur eorum motus ab alio motu . Artificiosissimus autem est iudex somniorum , qui potest similitudines inter somnia , & res significatas inspicere ; recta enim somnia iudicare vnusquisque potest , puta quæ sunt clara , & euidentia ; at difficultas est de obscuris , de quibus non rectè interpretantur , nisi qui similitudines cognoscunt . Dico autem similitudines , quoniam similia accidunt phantasmata in somnijs eis simulacris , vel imaginibus , quæ in aquis sunt , vel apparent , ex aspectu alicuius se ad aquam præsentantem , sicut prius diximus . In ipsa enim aqua , si multus fiat motus , non fit imago , vel simulacrum simile rebus veris . Promptus igitur erit imagines apparentes in aqua iudicare sufficienter , qui potest citò inspicere , & sentire dissipata , & distorta simulacra , quod sint hominis , vel equi , aut cuiuscunque . Et ibi (puta in simulacris , quæ apparent in somnijs) aliquid simile potest somnium efficere , nempe distortas imagines , ac etiam rectas repræsentare , ac qui similitudines cognoscit distortas iudicat , qui verò nequaquam , minimè ; motus enim impedit rectum somnium. Quid igitur est somnus , & somnium , & propter quam causam vtrunque horum fit ; amplius autem de ea diuinatione , quæ ex somnijs est , dictum est .

Somniorum interpretes.

De Diuinatione per Somnium Finis.



ANTONII ROCCI

De Scurcula Marsorum

P A R A P H R A S I S IN LIBELLVM ARISTOTELIS de Motu Animalium.

C A P V T P R I M V M.

Declaratur causa, cur agendum sit de animalium motu. Item quod necessarium sit, dum animal mouetur, vnam partem ipsius quiescere. Ac denique aliquid esse ad quod innixum animal ipsum moueatur.



E motu autem animalium, ac de quibuscumque quidem, quæ circa vnumquodque genus ipsorum animalium existunt, & quæ differentiæ, & quæ sint causæ singulorum, quæ ipsis accidunt considerandum est alibi, scilicet in libris de Generatione Animalium. Vniuersaliter autem de communi causa eius, quod moueri est quocunq; motu (hæc quidem.n. animalia volatione mouentur, hæc autem gressu, vel ambulatione, alia verò secundum alios modos tales, vt secundum natationem, vel serpitionem) considerandum nunc est, non determinando videlicet quot sint species motus animalibus conuenientes; neque provt per diuersa organa exercetur; sic etenim de ipso agitur in libro de progressu Animalium. Sed considerabimus hic de ipso, provt effectiuè est ab anima concurrente aliqua parte corporis, non specificando de organis particularibus. Quod quidem igitur principium aliorum motuum est, quod ipsum se ipsum mouet, huius autem, quod est penitus immobile, & quod ipsum primum mouens necessariò sit immobile determinatum est prius, quandoquidem de motu sempiterno egimus, vtrum scilicet detur, vel non detur sempiternus motus, & si sit, quis sit, in 8. Physic. Oportet autem non solum in rationibus istis hoc vniuersaliter accipere, quod scilicet detur primus motor immobilis, qui sit aliorum motuum causa, & per consequens etiam sit causa motuum animalium. Sed opus est determinare propriam rationem, & inuenire proprium motorem in singularibus, & sensibilibus, propter quæ vniuersales quærimus sermones, & alia in quibus putamus oportere ipsos vniuersales sermones adaptare, nempe singularia, ita vt vniuersalia determinentur gratia ipsorum singularium. Manifestum est igitur (pro determinatione) in his singularibus, quod impossibile est moueri aliquid, nullo quiescente, ac primum quidem hoc manifestum est in ipsis animalibus. Oportet enim si moueatur aliqua particula, quiescere aliquam, & propter hoc iuncturæ animalibus insunt. Vtuntur enim animalia iuncturis, quemadmodum centro circuli Mathematici, & tota pars, in qua est iunctura, fit vna, & duæ, & recta, & curuata, atque ipsa transmutatur de potentia ad actum: & è contra propter iuncturam fit vna, si consideretur, vt membrum quoddam, duæ si provt ex vna parte mouetur, ex alia quiescit mediante iunctura, & eadem ratione fit curua, & recta, vt patet de brachio, digito, &c. Sic igitur, vt sphęræ linea se habet; provt enim linea est, vna est: pro vt vero ex vna extremitate ponatur tangere centrum, & quiescere, & alia verò circulariter ferri, habet rationem duarum; sic inquam membra animalis se habent. Reflexo autem, & moto membro, hoc quidem signum mouetur, hoc autem manet eorum, quæ in iuncturis sunt. Quemadmodum vtique partes diametri, vel lineæ descripta in circulo modo prædicto; pars quidem A, puta circa centrum designata maneat; quæ autem est circa circumferentiam, & sit D mouetur, & fiat ex motu ipsius circulus, vel pars eius, quæ sit A, & G; idem potest dici de ipso centro, de quo simpliciter videtur exemplum literæ; nimirum, quod in se sit vnum, sed provt est principium, & finis circulationis habet modum duorum, & ad propositum dicta sint de iuncturis. Differt autem secundum veritatem centrum à iunctura, sed causa exempli id ponimus; nam centrum secundum omnem modum videtur indiuisibile esse. Etenim moueri aliquid (vt aiunt) fingunt in ipsis centris, sed re vera nihil in eis mouetur: sic namque essent diuisibiles. Iunctura autem diuisibilis est, & quę in ipsa describuntur, non solum sunt in potentia, sed etiam in actu; vnde aliquando quidem intelliguntur, vt vnum, puta cum totum membrum per iuncturam continuatum intelligitur; aliquando autem partes diuiduntur, puta cum aliquid ipsius iuncturæ quiescit, aliud verò mouetur.

Sed

Sed equidem principium primum vndè incipit motus, in quantum principium semper quiescit, mota particula inferiori (dicitur in quantum principium; nam alia ratione, prout videlicet est pars totius, moueri potest cum toto) vt puta brachio quidem moto, quiescit cubitus, toto autem membro, humerus, & tibia quidem mota, genu, toto verò crure, coxa. Quod quidem igitur vnumquodque in se ipso aliquid oportet habere quiescens, (vnde videlicet est principium eius quod mouetur, & ad quod appulsum ipsum totum integrum mobile mouebitur, secundum partes, vel membra aliqua) manifestum est. Sed tamen omnis quies, quæ in ipso animali est, insufficiens est, nisi aliquid extra sit simpliciter quiescens, & immobile. Dignum autem est, quod sapientes considerent de hoc, quod dicimus; habet n. speculationem non solum quantum ad animalia, sed ad totius vniuersi motum, & lationem pertinentem. Quemadmodum enim in ipso vniuerso oportet aliquid immobile esse, si futurum sit moueri, similiter adhuc magis extra animal debet esse aliquid immobile, ad quod innixum moueatur, quod mouetur. Si enim cedet semper id, supra quod animal mouetur, profectò non mouebitur, vt puta qui in terra, aut in arena progrediuntur, non procedent vlterius neque gradientur, nisi terra maneat, neque volatio, aut natatio fieret, nisi aqua, aut aer resistat. Necesse autem est, hoc diuersum esse ab eo, quod mouetur, & totum à toto, & partem nullam esse eius, quod mouetur; sin secus fuerit, non mouebitur. Testimonium autem eius, quod diximus, est id, quod dubitatur, & soluitur; quare si quis quidem nauem ad extra pellens, seu aliquis existens extra nauem, pellit eam attingendo malum, aut aliquam aliam partem, facilè eam mouet; si autem qui existens intra ipsam nauim, hoc tentet facere, non vtique mouebit; neque vtique Eurus, neq; Boreas flans intrinsecus ex naui, si fuerit flans secundum modum ipsum, ita vt intra nauem existat (vt aliqui pictores pingunt; ex ipsa enim naui ventum emissum ostendunt) non mouebit; siuè enim remissè aliquis proijciat ventum, siue vehementer, sic vt impetum faciat maximum, siue aliquid aliud proiectum, aut pulsum, è naui fuerit, non poterit eam mouere, quia non datur sic aliquod quiescens cui mouens innitatur; necesse est enim vt primum ad quiescens inixum aliquam ipsius particulam pellat, deinde iterum hæc pars, aut ipsum totum, puta id cuius est pars ad aliquod extrinsecum firmatum maneat; quod verò in naui existit, ac ipsam pellit, & in naui firmatum rationabiliter non mouet nauem, quia necesse est id, ad quod mouens firmatur, manere, aliter accideret idem esse, quod mouetur, & ad quod firmatur: quod est impossibile; extra autem nauem existens pellens ipsam, aut trahens, mouet, quia terra, vbi mouens firmatur, est immobilis, neque est vlla pars nauis. Sicut ergo in motu nauis accidit, quod aliquid debeat quiescere, sic in motu animalis; non potest igitur animal moueri, nisi sit aliquod immobile, sicut neque vniuersum moueretur, nisi esset vnus motor immobilis; quare alia ratione est immobile quid respectu vniuersi, alia respectu animalis; nam primo modo, est agens nobilissimum, & primum, secundo est aliquid materiale, & patiens, nisi diceretur, quod etiam in motu cæli aliquid materiale quiescit, puta terra, vt dictum est in 8. phys. & sic similitudo esset propria, maximè accipiendo vniuersum pro cælo, quod non est inconsuetum.

CAPVT II.

An Cælum à motore corporeo moueatur, vel non, & an ipsius Cęli sit pars. Quod incidentaliter examinatur, ad remouendos errores aliquorum.

DVbitabit autem aliquis, vtrum si detur aliquod, quod mouet totũ cælum, sit immobile, atq; ipsum non sit aliqua cæli pars, neque in cælo maneat. Respondetur quo ad duas primas partes affirmatiuè, videlicet esse verum, quod motor cæli sit immobilis, & non sit pars ipsius. Prima pars probatur; si enim mouet ipsum cælum, id, quod ab alio motum est, vel mouetur, necesse est, quod aliquid immobile tangat, in quo firmetur, dum mouet, & hoc immobile nullam esse partem ipsius mouentis, sed aliquid extrà ipsum, vt in præcedenti capite expositum est, atque exemplificatum de naui, de maribus, &c. similiter necesse est, nullam partem esse eius, quod mouetur; sic namque totum ipsum cælum non moueretur; quare circa hoc rectè dicunt aliqui, videlicet, quod sphæra cælestis circulariter mota, nulla eius particula manet, quia vel esset necessarium manere totam, (si supple pars non sit diuisibilis, seu separabilis, nec alterius naturæ ab ipso toto) aut si ipsa sola pars quiescat, necesse esset distrahi continuitatem ipsius, seu diuidi, sic quod vna pars maneat, altera verò quiescat, & sic patet secunda pars, videlicet quod mouens immobile non sit pars cæli. Sed quod quidam putant, polos ipsius cæli quandam habere virtutem motricem, seu super ipsos firmari motorem, non bene dicunt, eo quod ipsi nullam habent magnitudinem, sed sunt puncta, & extrema axis; at super indiuisibile non potest mouens inniti, maxime si ponatur corporeum, vt ipsi de motore cæli affirmant. Quod vero puncta ipsa ex se habeant actiuam virtutem mouendi, absurdum est, & ridiculum; sunt etenim accidentia de genere quantitatis, omnium actionum expertia. Cum hoc enim quod alicuius talium punctorum nulla est substantia, impossibile est vt moueant, atque etiam impossibile est à duobus motoribus ipsum cælum moueri; polos autem duos faciunt. Quod igitur aliquid, ita se habeat in ordine ad vniuersam cæli naturam, quemadmodum se habet terra ad animalia, & ad alia quæcunque per ipsam mouentur, ex talibus vtique quis dubitabit. Qui enim fabulosè faciunt Atlantem Cælum sustentare, ac in terra habentem pedes, videntur vtique à vera intelligentiæ duxisse fabulam, quasi ipse Atlas sit veluti diameter, vel axis immobilis, qui etiam voluat cælum circa polos; hoc autem quod dicunt rationabiliter accidit, quia terra ipsa circa quam cælum voluitur manet; intendunt ergo per hanc Atlantis figuram significare, quod detur motor cæli immobilis, qui est Atlas, & quod etiam super aliquod immobile firmetur, puta super terram, eo modo quo omnia, quæ per ipsam mouentur, super ipsam firmantur. Sed hoc dicentibus necessarium est dicere, ipsam nullam esse partem totius cæli, cuius tamen oppositum sentiunt. Adhuc autem virtus mouentis, & virtus quiescentis debent æquari; est enim aliqua determinata multitudo vigoris, & virtutis, secundum quam manet, quod manet, & secundum quam mouens mouet. Et est quædam proportio ex necessitate inter ipsa, sicut reperitur proportio inter contrarios motus, & quietes,

Atlas quid significet.

quietes, ita vt quando fuerint æquales sunt impassibiles adinuicem. Quod est dicere, quod mouens sit talis virtutis in agendo, vt non superet rem immobilem super quam firmatur, sed ipsa sit ei æqualis in resistendo: nam mouendo aliud, pellit quoque id supra quod firmatur, vt quis trahens nauem, pellit terram; qua propter si trahendo ipsam figeretur in aliqua alia parua nauicula, non posset trahere, imò potius nauicula illa pelleretur, quia non est æqualis resistentia virtuti pellentis, & sic debet esse proportio quiescentium, & mouentium. Propter quod siuè Atlas, siue aliquid tale est quod mouet id, quod est alterum, vel diuersum ab his, quæ in terra firmantur, sicut putant esse cælum, non oportet magis virtutem eius extendere, vel esse maiorem ea mansione, vel virtute quiescendi, qua terra est manens, aliter à virtute eius impellente mouebitur terra à medio, & à proprio loco; sicut enim pellens pellit, sic pulsum pellitur similiter secundum virtutem. Vt si quis existens in naui, manu vel alio quo vis instrumento aliam nauem pellat, si virtus eius impulsiua sit maior virtute resistitiua nauis, in qua est, & minor nauis, quam impellere intendit, non illam mouebit, sed potius eam in qua manet, sic si virtus Atlantis sit maior resistentia terræ super quam firmatur, ac etiam resistentia cæli sit maior ea, quæ est terræ, vt rationabile est, ipsam terram potius pelleret, è proprio loco, quam cælum, vel vtrumque. Quod autem est primus motor cæli, quiescit, seu est immobile, vt probauimus in 8. Physic. Quarè virtus eius cum sit prima, erit amplior, vel maior, aut saltem similis, & æqualis quieti, atque similiter erit maior, vel æqualis corporis moti, quod non mouet. Si ergo firmaretur super terram, tantam oportebit esse virtutem terræ in quiescendo, quantam totum cælum habet in resistendo, ac similiter mouens ipsum in mouendo. Si autem hoc est impossibile, cum sit infimum omnium elementum: impossibile quoque erit, moueri cælum ab aliquo tali eorum, quæ intra cælum, puta in terra firmantur. Est autem quædam alia dubitatio circa motus partium vniuersi, nempe circa elementa, quam aliquis vtique considerabit, vt existentem conuenientem dictis. Si enim aliquis motor virtute ipsius motus, seu in vi mouendi excedat quietem terræ, palam est, quod mouebit ipsam à medio, vt supra ostensum est. Nec dicere oportet, quod virtus, à qua inest potentia terræ, vt quiescat, sit infinita, ideò superari non potest, quia neque terra ipsa est infinita; quare neque grauitas eius, neque quæcunque virtus, vel motiua, vel resistitiua. Quibus habitis vnum aliud supponamus, & statim deueniemus ad intentum. Quoniam autem impossibile dicitur multipliciter, vt visum est in primo de cælo, & alibi; ad propositum autem dupliciter, scilicet simpliciter, &, secundum quid; non enim simpliciter dicimus esse impossibile vocem videri à nobis, & eo, qui sunt (ponantur exempli causa esse, quæ exempla non ponuntur, vt vera sint) in Luna; vocem namque videri est impossibile ex necessitate, siue simpliciter; hoc autem quod natum est videri, & non videri est impossibile secundum quid, scilicet secundum distantiam inter nos, & rem visam, quę posset remoueri; vnde patet, quod non est simpliciter impossibile. Cælum autem incorruptibile quidem esse, ac omninò indissolubile putamus quidem ex necessitate, & simpliciter esse. Nunc ex suppositis inferamus, quod secundum hanc rationem, (qua posuimus terram moueri, si motor cæli firmatur super ipsam) accidit ipsum cælum non esse necessariò incorruptibile. Probatur consequentia; quia secundum hanc positionem natus esset esse motus maior, quam sit sufficiens ad mouendum cælum, puta ille, à quo, & ipsum cælum, & terra quiescens, & ignis, & alia nata essent moueri; quoniam si motor in mouendo cælum, moueret, vel pelleret terram, illa pelleret aquam, hæc autem aerem, hic verò ignem, & ipse quod sursum est corpus puta cælum, alio motu à circulari; & sic vniuersum, ac cælum ipsum dissolueretur, nec esset simpliciter incorruptibile. Si quidem igitur sint excedentes motus, dissoluerentur hæc abinuicem. At si quis dicat huiusmodi motus mouentes terram, & alia elementa non esse quidem, ideo non sequitur absurdum prædictum, quod scilicet vniuersum dissoluatur, hoc nihil valet; nam licet de facto non sint, tamen ex præcedenti ipsorum positione contingunt esse, quod sufficit; neque dicatur motum terræ (si fieret) esse infinitum, ita videlicet quod nunquam perueniret ad tangendum cælum, vel elementa ipsaque dissoluenda, quia per infinitam distantiam moueretur, ac nunquam cælum pertingeret; hoc enim falsum est; non enim contingit esse infinitum motum, non circularem, propterea quod non contingit corpus esse infinitum, neque infinitum spatium; contingeret itaque ex dictis dissolui cælum, vt illatum fuit. Quod enim prohibet hoc accidere, si quidem non est impossibile. Neque enim impossibile est aliquid, nisi oppositum eius sit necessarium, vt impossibile est hominem esse lapidem, quia est necessarium ipsum non esse lapidem. Sed non est necessarium (posito prædicto motore, modo prædicto super terram firmato) quod terra quiescat, nec elementa, ac cęlum dissoluantur; ergo non est impossibile hæc dissolui. Sed de hoc quidem dubio, alibi habetur sermo, puta in libris de cælo.

C A P V T III.

Quæ sint ea, in quibus motor aliquorum firmari debet, quæ verò non: tam in animatis, quam in inanimatis, & in alijs etiam motibus à locali, quid dicendum sit aperitur.

V*Trum autem oporteat aliquid immobile esse, & quiescens extra id, quod mouetur, & nulla pars illius existens, aut non, & hoc vtrum sit necesarium sic in omni existere, aut non. De cælo igitur primò determinantes dicimus. Forte vtique videri inconueniens esse, si principium mouendi ipsum, (puta eius motor) sit intra ipsum cælum, sic videlicet, quod in eodem cælo firmetur; sic namque moueretur ad motum ipsius, sicut existens, ac mouens nauem cum ipsa quoque mouetur, atque etiam aliquo modo ab ipso cælo dependeret, atque posterior esset, quod est impossibile. Quarè qui sic existimant, vt nos dicimus, credere poterunt, rectè ad hoc propositum sequentia carmina ab Homero dicta fuisse.* Sed non vtique trahetis de cælo ad terram Iouem supremum omnium, neque si valdè Laboretis omnes apprehendere Dij, omnesq; Deæ. Omnino enim immobile à nullo contingit moueri. *Quorum sensus est, quod si omnes virtutes omnium intelligentiarum, quæ per Deos, & Deas significantur, laborarent in mouendo primum motorem, frustra laborarent, cum sit penitus immobilis; ergo multò minus à cælo moueri poterit, & tamen moueretur necessariò si in ipso firmaretur, vt probatum est. Vnde ex hoc soluitur olim dicta dubitatio, vtrum scilicet contingat, an non contingat*

dissolui

dissolui cæli constructio, ex motu videlicet eius, cui innititur, vt exposuimus ad mentem aliorum de terra; cui quidem negatiuè respondemus, si ex immobili ortum est principio, quod nullius indiget sustentatione. In animalibus autem non solum sic extrà ipsa immobile aliquid oportet existere, sed in ipsis, quæ secundum locum à se ipsis mouentur aliquid internum quiescens nempe pars existere debet supra quam firmentur. Oportet enim ipsius moti cuiusq; animalis, hoc quidem quiescere, hoc autem moueri: vt si aliqua partium moueatur, alia quiescere debet; innititur enim altera alteri: (puta mota, manenti) De inanimatis autem quæcunque mouentur, vt dum ignis sursum ascendit, terra vero deorsum; vel è conuerso, dubitabit vtique aliquis, vtrum omnia habeant in se ipsis quiescens, & mouens, & aliquod aliud extrinsecum, cui necessarium sit inniti, vel firmari. Respondetur, impossibile esse, inanimata ipsa, puta ignem, aut terram, aut aliquid huiusmodi habere aliquid intra se quiescens; sunt enim eiusdem naturæ homogeneæ in toto, ac partibus, atque continua, quæ conditiones diuersitatem prædictam partium non admittunt: imò solum reperiuntur in iis, quæ à se ipsis mouentur ad opposita loca, sed hæc inanimata non sic, imò à quibusdam primis mouentur; omnia namque hæc ab alio mouentur, vt visum est in 8. Physic. Principium autem sic motorũ, videlicet quod aliquid quiescat, & aliquid moueatur, habent tantum ipsa se ipsa mouentia, puta animalia. Talia enim omnia necesse est intra se ipsa habere quiescens, & etiam extra ad quod innitantur. Si autem est aliquod superius, & primum mouens ipsorum, immanifestum est ex præsenti sermone, sed hoc declarauimus in 8. Physic. Innanimata ergo non indigent nec interno, nec externo principio quiescente; de interno satis declaratum est; de externo est notum, quia elementa præcipue in naturalibus motibus nullo indigent, vt si ignis de terra ad cælum ascenderet, cui inniti deberet? & similiter si terra, vel lapis de cęlo ad centrum. Alia autem quæcunque mouentur, omnia ad exteriora innixa mouentur, & respirantia, & expirantia: (hoc est, non tantum in motu locali, sed etiam in motu expirationis, & respirationis) Nihil enim differt magnam proiicere grauitatem, quod accidit dum localiter mouentur, aut paruam, quod quidem faciunt spuentes, tussientes, inspirantes, & expirantes; in omnibus namque istis motibus aliquid quiescit, aliquid vero manere debet. Vtrum autem solum in mouente se ipsum secundum locum, oporteat aliquid manere, aut etiam hoc accidat in alterato ipso, & augmentato, (hoc est dum fit motus alterationis, & augmentationis) de ea autem generatione, quæ est à principio (seu quæ est principium rei) ac etiam de corruptione, altera est ratio. Cum enim generatio sit via ad esse totale, non potest aliquid rei generabilis supponere, & similiter corruptio cum sit desitio ipsius esse totius, nullam incorruptam partem supponere potest. Præterea, si motus generationis, & corruptionis est ille quem dicimus primum (accipiendo videlicet eos coniunctim, prout non sunt respectu eiusdem generabilis, sic quod fiat eius generatio per corruptionem alterius, aliter si accipiatur corruptio respectu eiusdem, ipsa erit motus postremus; sint igitur corruptio, & generatio ad idem ordinata, sed vnius sit corruptio, alterius generatio, & sic habebunt rationem primi) hæ quidem forte causæ erunt aliorum motuum: vnde nihil supponere possunt. Quemadmodum autem in vniuerso primus motus est localis, sic in animali cum fuerit perfectum erit primus similiter localis, ac per consequens generationem, & corruptionem maximè supponet; vnde istis nihil datur prius; quare nec aliquid quiescens; si namque aliquid non sit, nec moueri, nec quiescere poterit. Quarè, & augmentationis ipsum animal sibi ipsi causa erit, & similiter alterationis; si quidem quando genitum fuerit augetur, & alteratur; vnde etiam in his aliquid quiescere poterit, loquendo de augmentatione, & alteratione, quæ fiunt animali iam genito, atque animato corpore; prima namque augmentationes, & alterationes (quæ videlicet fiunt circa semen, vel Embryonem) ab alio fiunt, & per alteras externas causas, scilicet à sanguine, & calore naturali feminæ. Generationis autem, & corruptionis, nequaquam possibile est, quod aliqua res sit causa sibi ipsi; nam mouens debet præexistere, vel esse prius eo, quod mouetur, & generans eo, quod generatur, nihil autem est prius se ipso; ergo nihil se ipsum est generans. Corruptionis vero contrarium est causa, sed nihil est contrarium sibimet ipsi. De anima quidem siue moueatur, siue non, & si mouetur quomodo mouetur, prius dictum est in determinatis de ipsa.

Inanimata ab aliis mouentur.

Mouens est prius quod mouetur. Nihil prius se ipso. Nil sibi cõtrarium.

CAPVT IV.

Quæ sint prima, & instrumentalia principia motus, ac quietis, in quibuslibet animalibus.

Quoniam autem inanimata omnia mouentur ab altero. De primo autem moto, & semper moto (puta de cælo (secundum quem modum moueatur, & quomodo moueat primum mouens determinatum est prius in iis, quæ de prima Philosophia, hoc est in 8. Physic. atq; in libris de cælo;) qui dicuntur prima Philosophia, vel in ordine ad partes posteriores, & sic est prioritas quædam ordinis; vel ratione dignitatis, prout agunt de primo motore, atque communicant aliquo modo cum Metaphysica, quæ de ipso quoque agit, & simpliciter prima Philosophia nuncupatur; vnde isti libri per participationem sic dicuntur) reliquum est considerare, quomodo anima moueat corpus, & quod est principium instrumentale motus animalis. Aliorum autem motuum (præter eum, qui est motus totius, puta cælum) ipsa animalia causa sunt, aliorum inquam quæcunque non mouentur ad inuicem, seu à se ipsis naturaliter, vt ignis sursum, terra deorsum, sed illorum omnium, quæ violenter, vt sunt omnia proiecta; quæ ideo mouentur, quia mutuo se offendunt (hoc est quia pars pulsa aeris, vel alterius medij, alteram pellit) propter quod motus omnes ipsorum finem habent, seu terminum; nam etiam motus animatorum habent finem; ergo etiam, quæ ab ipsis procedunt. Omnia enim animalia, & mouent, & mouentur gratia alicuius; quare id gratia cuius fit motus, hoc est ipsis omnibus terminus. Nunc autem de principiis principaliter mouentibus determinemus. Videmus igitur, mouentia animal esse intellectum, phantasiam, & electionem, & voluntatem, & concupiscentiam; hæc autem omnia reducuntur ad duo vniuersalia, nempe ad appetitum, & intellectum, seu cognitionem (quæ ad intellectiuam, & sensitiuam extendatur) etenim phantasia, & sensus; (hoc loco eundem locum habent cum intellectu; indicatiua enim omnia sunt, ideo loco omnium, ponatur generice potentia cognoscitiua interna ad differentiam externorum sensuum, quorum non est mouere, sed simpliciter apprehendere) differunt autem ista secundum differentias alibi dictas (scilicet in libris de anima.) Voluntas autem, & ira, &

Mouentia quot.

concu-

concupiscentia, omnia sunt appetitus; electio autem communis est intellectui, & appetitui, & sic duo sunt vniuersalia, & principalia mouentia, puta appetitus, & vis interna cognoscitiua, quæ in plura particularia diuiduntur, vt visum est. Quoniam autem potentiæ referuntur ad propria obiecta, & in ordine ad illa operantur, ideò de ipsis obiectis quoque mentionem facere debemus. Sunt igitur ipsa prima mouentia immobilia, quæ tamen metaphoricè mouent, vt alibi dictum est. Quarè mouet primum ipsas potentias animæ, quod appetibile, & quod intelligibile est, non tamen omne intelligibile, & omne appetibile, sed quod est finis operabilium, seu quod per operationes consequi possumus. Propter quod tale est bonum, quod mouet, sed non

Non omne bonum mouet.

omne quod bonum, in quantum enim est aliquid aliud gratia huius, & in quantum est finis eorum, quæ alterius alicuius gratia existunt, sic mouet, seu sic mouet, prout per alias operationes ad ipsum ordinatas obtineri potest; quia verò omnes operationes sunt circa singularia, ideò hoc mouens bonum singulare esse debet; apprehensum etenim in vniuersali non mouet. Nihil autem referat nunc, siue hoc bonum sit verum, siue apparens. Oportet enim ponere, & apparens bonum boni locum habere, & similiter sic se habere delectabile bonum; est enim hoc delectabile bonum solum apparens. Ex dictis itaque infertur, palam esse, quod est quidem aliquid, quod similiter quidem semper mouetur, à semper mouente, sicut animalium vnumquodque à mouente mouetur, aliter tamen; nam id quod à semper mouente mouetur vniformiter mouetur, & perpetuo, quod est cælum, non sic autem animalia, propter quod hoc quidem semper mouetur, motus autem animalium habet terminum; quapropter habent etiam diuersos fines; nam finis motus cælestis est bonum sempiternum vniuersi; sempiternum autem bonum, est verè, & primum bonum. Porro huic non conuenit aliquando quidem bonum esse, aliquando autem non; diuinius enim, & honorabilius inquam est, eo quod nunc aliter se habere potest, quam prius, seu est diuinius bono variabili. Datur igitur primum mouens in ratione obiecti, tam respectu animalium, quam cæli, quod tamen non motum mouet; in animalibus autem appetitus, & appetitiuum mouet motum, quia mouentur ab obiecto, & mouent animal; vltimum autem motorum puta corpus non necesse est mouere. Manifestum autem ex his, quod motus localis rationabiliter sit vltimus inter omnes motus, qui fiunt in animalibus; mouetur enim localiter, & procedit animal, aut appetitu, aut electione, facta aliqua alteratione secundum sensum, vel phantasiam; hæc autem alteratio supponit generationem, debitum augmentum, & postea sequitur motus localis: vnde patet, quod diximus.

CAPVT V.

Quo pacto animal moueat per intellectum practicum, & speculatiuum.

QVoniam intelligens, quandoque quidem operatur, quandoque autem non, & mouet ipse intellectus quandoque, interdum autem non in speculando, sic quod aliquando speculetur, aliquando non; videtur similiter accidere de mobilibus intelligentibus, & syllogizantibus, hoc est, sicut intellectus speculatiuus interdum speculatur, & syllogizat, interdum non; sic se habet practicus in syllogizando circa operabilia, qui dicitur mobilis, prout ab obiecto ad operandum mouetur, & est sermo in plurali (vt plures tales esse intellectus huiusmodi comprehendamus.) Est tamen differentia in operatione vtriusque, puta speculatiui, & practici, quia finis speculatiui est Theorema, vel contemplatio, seu veritas, (cum enim duas propositiones intellexerit, conclusionem intellexit, & composuit semper in speculatione manens) Practicus autem ex duabus propositionibus elicit conclusionem, quæ est operatio, seu circa operabilia, & sic finis eius est opus.

Finis speculatiui est veritas. Practici opus.

Vt puta cum intellexerit, quia omni homini ambulandum est, ipse autem intelligens est homo, ambulat confestim, si autem quod nulli homini nunc ambulandum est, statim quiescit, & hæc ambo facit, nisi aliquid prohibeat, aut ad oppositum compellat, vt si sibi proponat faciendum esse bonum, ac domum vt homini bonum comprehendit, facit domum statim. Interdum autem ipse practicus intellectus per duos syllogismos ad intentam conclusionem accedit; vt tegumento indigeo; vestimentum est tegumentum; ergò vestimento indigeo; sed id, quo indigeo faciendum est; ergo vestimentum est faciendum, & conclusio, quod vestimentum sit faciendum est operatio. Si autem vestimentum esse debet, operatur à principio; in qua tamen operatione exequenda, necesse est aliquid aliud esse primum, ex quo incipiatur; vt ante vestimentum debet esse pannus, & ante pannum, pecunia, qua ematur; si autem hoc, & hoc erit (puta si pecunia, & postea pannus) operatur statim. Quod quidem igitur conclusio practici intellectus sit operatio, manifestum est. Propositiones autem factiuæ per duas species fiunt, scilicet per bonum, & per possibile, nam si aliquid apprehendatur, vt bonum, sed impossibile, operatio non sequitur, & similiter, si vt possibile, & non bonum. Contingit autem interdum, quod inferatur statim conclusio ex vna sola præmissa, & hoc quando altera est manifesta: quemadmodum enim quidam interrogantium, ex vna habita præmissa intentum educunt, sic intellectus alteram propositionem (eam scilicet, quæ est manifesta) supponens, non est insistens (seu non moratur ad aliud considerandum) puta si ambulare bonum esse homini censeat, eo quod ipse sit homo pro comperto habet, non iam immoratur ad ambulandum, sed statim ambulat. Propter quod, & quæcunque non ratiocinantes operamur, velociter operamur, quia dimittimus discursum; vnde etiam sæpe erramus. Cum enim per sensum, aut per intellectum aliquis operatus fuerit circa finem, statim ipse facit, vel exequitur, quod appetit. Pro interrogatione enim, aut intelligentia, fit operatio appetitus statim. Vt concupiscentia dicit, potandum mihi est, atque sensus, vel intellectus, vel phantasia dicit, istud esse potabile, statim bibit; quod si non bene consideretur, an sit bonum, vel non, potest contingere error, & damnum. Sic quidem igitur ad moueri, & operari animalia impetum faciunt. Vltima autem vel proxima, & immediata causa mouendi (loquendo de principalibus; & quæ ad animam pertinent, ad excludenda instrumenta corporea) est ipse appetitus, qui quidem fit, vel reducitur in actum appetendi, aut per sensum, aut per phantasiam, aut per intelligentiam præsentantem sibi obiectum appetibile. Eorum enim, quæ appetunt operari, hoc quidem propter concupiscentiam, aut iram, hoc autem propter appetitum, seu voluntatem hæc quidem faciunt; (seu per externas operationes exequuntur) hæc autem agunt; (seu per internas exercent) omnes autem hæ potentiæ rationem habent appetitus; vnde patet quod ipse est immediatum principium operationis.

CAPVT

CAPVT VI.

De causis motuum animalium instrumentarijs. Quomodo scilicet primum mouens organice moueat, & moueatur à principali mouente.

Quemadmodum autem automata, (seu machinæ artificiales, quæ per se ipsas moueri videntur, vt horologium) mouentur modico facto motu, solutis strigilibus (seu vinculis,) & se ipsis inuicem mouentibus, atque similiter sicut mouetur currus, quem qui insidet, mouet in rectum impellendo equos, vel ipsum trahendo, & iterum circulo mouetur, eo quod inæquales habeat rotas; minor enim ipsarum, quasi centrum fit, quemadmodum etiam accidit Clynderis, vel horologijs, sic & animalia mouentur; habent enim organa talia, quæ habent naturam neruorum, & ossium, ita vt ossa se habent, vt in curru lignum, vel ferrum, nerui autem vt vincula, vel funes, quibus solutis, & remissis mouentur rotæ. In animalibus ergò, anima est quasi auriga: virtus sensitiua residens in organis est quasi equi; ossa vt ligna, vel rotæ; nerui vt funes, quibus trahuntur; & totum animal vt currus cum auriga, & equis. Differunt tamen hi motus artificialium à motibus naturalibus animalium; nam in automatis quidem, & curribus non est alteratio, etiam si rotæ, quæ intra sunt fiant minores, & iterum maiores, & si idem, quod prius erat maius, vel minus circulo moueatur; possunt namque fieri tales mutationes per solam appositionem, vel detractionem quantitatis. In animali autem potest idem maius, & minus fieri, & figuræ permutari augmentatis partibus propter calorem, & spiritum, & rursum contractis, & alteratis propter frigiditatem. Alterant autem animal phantasia, & sensus, & meditationes; sensus enim in actu (puta sensationes) ex se statim sunt alterationes quædam: phantasia autem, & intelligentiæ, quia similitudinem rerum habent, & afferunt, habent rerum virtutem; aliquo enim modo species intellecta calidi, aut frigidi, aut delectabilis, aut tristabilis, talis existit, qualis vnaquæque rerum, ac per consequens ad similitudines rerum alterat, propter quod tremunt, & timent intelligentes solum. Hæc autem omnia passiones, & alterationes sunt. Alteratis autem in corpore partibus, hæ quidem organa fiunt maiora, hæ autem minora; caliditate enim dominante, maiora fiunt; frigiditate verò minora. Quod autem modica mutatio facta in principio animalium (nempe in corde) multas, & magnas deinceps faciat differentias, non immanifestum est, si exemplum in artificialibus inspiciamus. Velut gubernaculo, vel temone nauis, secundum aliquid modicum transposito, fit magna transpositio proræ, ac totius nauis, eo quod ab ipso, vt à principio in motu dependet. Sic secundum caliditatem, aut frigiditatem, aut secundum aliam talem passionem, cum fiat alteratio circa cor, & si in hoc membro id accidat secundum magnitudinem, vel partem eius insensibilem, vel modicam, multam facit corporis differentiam in ruboribus, & palloribus, & tremoribus, & timoribus, & horum contrarijs; quod ideo accidit, quia fit alteratio in principio, à quo cætera pendent. Principium quidem igitur (quemadmodum dictum est) motus in operabilibus est obiectum prosequibile, & fugibile, seu delectabile, & triste. Hæc autem, eo quod repræsentantur potentiæ cognoscitiuæ, excitant eas ad meditationem ipsorum, quam quidem meditationem, & phantasiam ex necessitate consequitur caliditas, & frigiditas. Tristabile enim fugibile, delectabile autem prosequibile est. Sed hoc accidens circa modica, puta circa parum delectabile, & parum tristabile latet: Sunt igitur tristabilia, & delectabilia omnia ferè cum frigiditate aliqua, & caliditate, hoc autem palam est ex passionibus; audaciæ enim, & timores, & motus ad venerea, & alia corporalia, tristabilia, & delectabilia sunt; hæc quidem sunt secundum partem cum caliditate, aut frigiditate; vt ira est cum caliditate circa cor; timor cum frigiditate circa extremitates membrorum; verecundia cum caliditate circa easdem extremitates, maximè circa faciem; quædam verò sunt per totum corpus. Memoria autem, & spes quasi idolis vtentes his speciebus delectabilium, & tristabilium, aliquando autem minus, aliquando autem magis causæ eorundem effectiuæ sunt; prout magis, vel minus intensè operantur. Quarè membra, quæ intus sunt rationabiliter sic condita sunt, & copulata cum ijs, quæ sunt extra, atque sunt principia organicarum partium, vt adinuicem permutentur; vnde ex condensatis fiunt humida, & ex humidis compacta, & mollia, & dura ex inuicem; his autem accidentibus; secundum hunc modum, & adhuc activo, & passiuo talem habentibus naturam, qualem in multis locis diximus (videlicet, quod quando contingit, vt sit hoc quidem factiuum, hoc autem passiuum, & nihil deficiat vtrique ipsorum, eorum, quæ in ratione, vel conditione agendi, & patiendi requiruntur, confestim hoc quidem facit, hoc autem patitur) sequitur, quod multæ sint alterationes, & motus in animalibus secundum totum, vel secundum partes corporis. Propter hoc autem simul (vt ita dicam) intelligit animal, quò incedendum est, & incedit, nisi quippiam impediat; passiones enim idoneè præparant organicas partes: appetitus autem passiones præparat; ipse vero præparatur à phantasia: hæc autem disponitur, aut per intellectum, aut per sensum: simul autem fit operatio, & cito, quia adest factiuum, & passiuum eorum, quæ secundum naturam adinuicem sunt nata agere, & pati.

Animal similatur curru in motu.

Delectabile, & triste sunt cum caliditate, & frigiditate.

CAPVT VII.

Declaratur quid sit primum mouens in animalibus, & in qua corporis parte situm habeat.

Primum autem mouens animal (scilicet vis, vel potentia animæ per quam immediatè incipit motus) necesse est esse in aliquo principio, seu organo corporeo. Quod autem iunctura sit quidem principium vnius partis, & finis alterius, dictum est prius, Quarè contingit, vt natura possit ipsa vti vt vno, & vt duobus. Cum enim aliqua pars moueatur, hinc necesse est, quod vnum signorum extremorum (nempe vna pars iuncturæ) quiescat, aliud vero moueatur, & tunc vtitur ipso, vt duobus. Quod enim id quod mouetur, oportcat inniti quiescenti, dictum est: dum vero totum membrum simul cum iunctura mouetur, vt vno vtitur, ex quo sequitur, quod ipsa iunctura non est principium, in quo resideat primum mouens, quia ipsa non solum principium motus, sed etiam finis est, Mouetur quidem igitur, & non

& non mouet extremum brachij; eius autem partis iunctura, quæ in cubito est aliquid quidem mouet, aliquid vero mouetur, eo quod ipsa iunctura reperitur in ipso toto brachio moto, & mediante qua mouetur: necesse autem est, esse aliquod immobile, quod vtique dicimus, potentia quidem vnum esse signum, (seu esse vnam potentiam, & vnam partem determinatam,) operatione autem fieri duo, pro vt vna pars eius mouetur, altera verò quiescit. Quare si animal esset brachium, hic vtique alicubi esset principium animæ mouens; nam habemus, vnde principium motus sumamus; quapropter si id similiter in toto animali cognosceremus; haberemus intentum. Quoniam autem contingit, aliquid inanimatorum sic se habere ad manum, vt manus se habet ad iuncturam (puta si quis moueat baculum in manu existentem, ipsa manus sic enim mouet, vt ipsa à iunctura mouetur;) manifestum sanè est, quod in neutro extremo baculi consistit anima, neque videlicet in illo, quod immediatè à manu mouetur, neque in altero; ita quoque in manu, eo quod mouetur à iunctura existimandum est esse principium mouendi, ac vniuersaliter concludendo, vbi est ratio mobilis, vel moti, non est ponendum principium mouens. Lignum enim habet principium, & finem ad manum; itaq; propter hoc si in baculo non est mouens principium ab anima, neque in manu erit. Similiter enim se habet extremum manus ad corpus, seu ad nexum, & hac pars ad cubitum, sicut baculus ad manum. Nihil enim differunt, quæ sunt adnata, seu naturaliter connexa, ab his, quæ ita non sunt; fit enim baculus veluti pars manus auferibilis; necesse est igitur in nullo esse principium mouens, quod est terminatio, vel finis motus alterius; neque si est aliquid aliud ab illo magis extra, velut extremitatis baculi principium est in manu, huius autem in corpore. Si autem neq; in manu, quia superius adhuc principium est, neque hic, (puta in baculo) erit. Adhuc enim manente cubito mouetur totum; quod deorsum est, ac ipsi cubito continuum; quod accidit, quia virtus totalis in ipso cubito non residet, sed aliqua pars in iunctura, quæ continuatur ad reliquam brachij partem. Quoniam autem animal similiter se habet à sinistris, & à dextris, & simul contrarijs motibus mouetur, vt non sit necessarium, quod semper in quiescendo dextro, moueatur sinistrum, neque è contra; semper autem principium motuum amborum in superiori loco sit, necesse est principium animæ mouentis in medio esse. Amborum enim extremorum medium est vltimum. Similiter autem se habet hoc principium ad motus omnium partium, tam ad eos, qui fiunt sursum, quam ad eos, qui fiunt deorsum, vt se habere putamus eos motus, qui fiunt à capite ad eos, qui fiunt à spina in animalibus habentibus spinam; videlicet, quod motus à spina, à capite procedunt, & non è contra. Et rationabiliter accidit, quod primum mouens sit in medio; etenim primum sensitiuum hic dicimus esse, ac consequenter ibi esse debet principium motus. Nam alterato propter sensum loco, qui circa principium est, & permutato continuè, simul permutantur extensæ, & conductæ partes, vt ex necessitate propter hoc fiat motus in animalibus. Mediam autem corporis partem, necesse est vnam esse potentia, seu subiecto, operatione autem necesse est fieri plures: etenim simul mouentur membra à principio hoc, & altero quiescente, alterum mouetur. Dico autem in omnibus partibus, seu inter omnes, quæ sint ABG, ipsum B, seu vna pars mouetur, mouet autem A, seu alia; sed adhuc oportet quidem aliquid quiescere, si futurum sit hoc quidem mouere, hoc autem moueri. Vnum igitur subiecto est ipsum A, operatione autem duo erit, quia quiescit, & mouet. Quarè hanc totam potentiam, necesse est, non punctum, vel rem indiuisibilem, sed magnitudinem aliquam esse. Sed adhuc contingit, & G simul moueri cum B; quamobrem vtraque principia, quæ sunt mota in A, necesse est, quod moueant. Oportet igitur aliquid aliud esse præter hæc mouens, & non motum. Innituntur quidem igitur extrema, & principia eorum, quæ in A mouentur; quemadmodum vtique, si dorsa contra nitentes moueant crura. Sed mouens ambo; necesse est esse vnum: hoc autem est anima diuersum quid existens à magnitudine tali, in hac autem existens.

CAPVT VIII.

Præter principale mouens in animalibus, oportet esse mouens organice, & quod sit, & in qua corporis parte declaratur.

Secundum rationem igitur, quæ causam motus in animalibus assignat, dicendum est, quod appetitus est medium, nempe, quod mouet motum: mouet namque animal, mouetur verò ab obiecto, & sic inter vtrumque mediat. Pars autem animalis, quæ quidem mouetur, non est autem nata aliam partem mouere, potest pati tantum, & moueri, secundum alienam virtutem (scilicet partis, à qua mouetur) huiusmodi autem sunt corporis extremitates, vt pedes, vel manus, vel potius eorum digiti. Nunc autem quid sit mouens organicè, inuestigemus. Pro cuius maiori facilitate est notandum, quod mouens hoc necesse est habere quandam potentiam, vt ab alio possit moueri, & virtutem ad aliud mouendum. Secundò notandum, quod omnia animalia spiritum quendam congenitum habent, quo roborantur, ac vigent. Qui quidem nihil aliud est, nisi quædam substantia subtilis aerea, à calore naturali genita, & alimento, vel alio humido, eo modo quo fumi, vel venti à Sole generantur, ex humido, & sicco, vt in meterologicis dictum fuit. Quæ autem sit conseruatio huius complantati spiritus cum per calorem naturalem fuerit, vel debilitatus, vel consumptus, dictum est in alijs, scilicet in libris de partibus animalium. Quibus habitis concludimus, spiritum hunc esse mouens organice, ita quod principaliter ab anima moueatur, ipse verò corpus mouet mediantibus organis, puta neruis, ossibus, &c. Hoc autem mouens visum est similiter se habere ad principium animalis, puta ad cor, quemadmodum in iuncturis signum mouens, & motum se habet ad immobile. Quoniam autem principium vitæ his quidem animalibus residet in corde, alijs autem in proportionali, propter hoc, & spiritus hic congenitus videtur existere in habentibus cor, in corde, in non habentibus, in proportionali. Vtrum quidem igitur idē sit spiritus semper, aut fiat semper alius, alter est sermo, qui pertinet ad libros de generatione animalium; idem est dubium de alijs partibus. Videtur autem hoc principium motiuum benè naturaliter se habere, ad hoc vt moueat, & exhibeat virtutem mouendi alijs partibus. Opera enim motus animalium sunt pulsus, & tractus; quare oportet, quod organum principale motus possit augeri, & breuiari, & constringi; talis autem est natura spiritus; ideo organo proportionatur, ac tales operationes commodè exercere potest.

Spiritus animalium.

Opera animaliū sunt pulsus, & tractus.

potest. Etenim sine violentia contrahitur, & tractiua, & pulsiua vis propter eandem causam, & habet leuitatem ad ignea, vel ad partes leues, & leuitatem ad contraria, scilicet ad grauia; est namque de natura aeris, qui indifferens est ad varios motus. Oportet autem, quod mouere debet esse tale, puta indifferens ad grauitatem, & leuitatem, seu ad mouendum sursum, & deorsum ex sua natura, & non ex aliqua alteratione. Obtinent enim secundum excessum, vel prædominium alterius naturalia corpora inuicem has alterationes; vt leue deorsum fertur à grauiori deuictum, graue autem sursum à leuiori. Qua quidem igitur parte mota, anima ipsa moueat, dictum est, & propter quam causam.

Animal similatur ciuitati.

Existimandum autem est, constare animal; quemadmodum ciuitatem bene legibus rectam; in ciuitate enim quando semel stabilitus fuerit ordo, nihil opus est separato monarcha, quem oporteat adesse per singula eorum, quæ fiunt, sed vnusquisque minister facit, quæ ipsiusmet sunt opera, vt ordinatum est, & fit hoc propter consuetudinem. In animalibus autem hoc idem fit propter

Anima non est in vnoquoque membro.

naturam, & quia natum est vnumquodque sic constantium facere proprium opus; vt nihil opus sit in vnoquoque esse animam, (quod intelligendum est, quoad vim principalem motiuam, secundum quam residet in corde, sed quoad substantiam, & informationem, in omnibus præcipuis partibus est) sed ipsa existente in quodam principio corporis, alia viuunt, eo quod adnata sunt, seu prout sunt connexa principio prædicto (quod etiam intelligendum est de viuere, quod consistit in operatione, non autem de ipso, prout significat tantum habere animam, quia sic omnes partes per se viuunt) ac faciunt proprium opus, propter naturam ipsorum quæ sunt nata operari. Quomodo igitur mouentur voluntarijs motibus animalia, & propter quam causam, dictum est.

C A P V T IX.

De motibus quarundam partium in ipso animali, tum voluntarijs, tum non voluntarijs.

Mouentur autem quædam partes in aliquibus animalibus motibus inuoluntarijs, plurimis autem non voluntarijs. Dico autem eos esse motus inuoluntarios, qui contra uoluntatem fiunt; ita vt etiam si oppositum voluntas præcipiat, fiunt, vt sunt motus cordis à timore, vel ira causati, & motus pudendorum, multoties enim apparente aliquo obiecto, non tamen iubente intellectu, vel voluntate, imò interdum renitente, mouentur hæ partes. Non voluntarios autem dico eos, qui non dependent à voluntate; tamen non sunt contra imperium, vel inclinationem eius; quinimò sibi conformantur, & si dominium super ipsos haberet, præciperet, vt fierent; huiusmodi autem sunt omnes interni naturales motus, & operationes potentiarum, nempe augeri, nutriri, respirare somnum habere, vigilare, & quicunque alij tales sunt; nullus enim horum domina simpliciter est, neque phantasia, neque appetitus; & dicitur notanter, quod non sit domina simpliciter, quia nec eos penitus ordinare, nec omninò impedire potest, aliquo tamen modo potest, vt experientia patet. Sed quoniam animalia necesse est alterari naturali alteratione; alteratis autem partibus, hæc quidem augeri, hæc autem decrementum pati, vt iam moueantur, & permutentur, secundum eas partes, quæ natæ sunt habere transmutationem adinuicem, sequitur, quod ipsum animal moueatur, vel partes eius. Causæ autem motuum sunt caliditas, & frigiditas, quæ deforis accidunt intrò, ac etiam intus sunt huiusmodi qualitates naturales; quapropter dicti motus partium facti præter rationem, incidente alteratione dictarum partium fiunt. Nec tantum realis caliditas, & frigiditas externa, vel interna sunt istarum alterationum causæ, sed etiam species ipsæ rerum. Intellectus enim, & phantasia (vt dictum est prius) afferunt ea, quæ sunt factiua harum passionum; species enim factorum afferunt, quæ habent aliquomodo virtutem suarum causarum. Maximè autem inter omnes partes animalis hæ prædictæ, puta cor, & genitalia faciunt notabiliter motus inuoluntarios, propterea quod velut per se animal quoddam separatum sit vtraque pars. Causa autem huius est, quia vtraque habet humiditatem vitalem inter alias; hæc autem ad motum est accommodatissima. Cor quidem igitur manifestum est propter quam causam ita se habeat; habet enim in se principia sensuum, vnde maximè dispositum ad motum quem alijs præbet, esse debet. Pars autem genitalis, quia est signum talis animalis, seu quasi figura eius, etenim exit ex ipsa velut animal quoddam nimirum virtus spermatis, seu seminis; vnde virtualiter debet habere principium motus ex se. Motus autem & principio à partibus procedunt, & partibus à principio rationabiliter eueniunt, & ad se inuicem sic pertingunt ob naturalem connexionem. Oportet enim intelligere A, seu cor principium; motus igitur secundum vnum quodque elementum inscriptorum (seu secundum vnamquamque partem determinatarum) ad principium pertingunt, & à principio moto, & permutato, ipsæ mutantur; quoniam ipsum abundans multa virtute est. Imò principium quidem ipsius motus B, puta alicuius partis, vel potentiæ particularis, ex eadem in eandem redire potest; vt cum alteratur visus pertingit ad cor, & inde ad visum alterandum reuertitur, & similiter principium ipsius G ad G, seu auditus ad auditum, & sic de alijs; quod autem est amborum, ad ambo redire potest. Item à B, ad G, seu ex vna potentia particulari ad aliam, vt ex visu ad auditum; nam alterato visu, alteratur cor, per quod auditus alterari etiam potest, neque similiter ad A, seu ad cor omnes alterationes partium possunt venire vt ad principium, ab ipso autem corde ad partes, vt à principio. Quod autem quandoque fiat motus inuoluntarius in partibus eadem cogitantibus, quandoque verò non, causa est, quia quidem interdum inest passiua disposita materia, quandoque autem non tanta, aut talis. De partibus quidem igitur vniuscuiusque animalium, & de anima, adhuc autem de sensu, somno, & memoria, & communi motu diximus causas, reliquum autem est de generatione animalium dicere, quod post aliquos libellos paruorum naturalium fiet.

Libelli de Animalium Motu Finis.

ANTONII ROCCI

De Scurcula Marsorum

PARAPHRASIS

IN LIBELLVM ARISTOTELIS de Longitudine, & Breuitate Vitæ.

CAPVT PRIMVM.

Declaratur intentio, ac nonnulla animalia longæ, aliqua verò breuis Vitæ esse.



VR autem nonnulla animalia sint quidem longæua, alia verò breuioris vitæ, & omninò de longitudine, & breuitate vitæ perscrutandæ sint causæ. Principium autem considerationis necessarium primò ex eo sumitur, quod est dubitare de ipsis; (seu necessariò incipere debet eorum consideratio à dubitatione) hic namque est ordo seruandus in rebus immanifestis. Non enim est manifestum, vtrum sit eadem, vel diuersa causa conueniens animalibus, & plantis, quoad esse longæ, vel breuis vitæ; etenim plantarum hæ quidem annuam, illæ autem diuturnam habent vitam. Adhuc autem, vtrum eadem viuentia, vel animalia sint longæ vitæ, quæ sunt ex sua natura magis sana, an hæ conditiones separatæ sint; ita vt quod breuis vitæ est, sit valetudinarium, vel sanum aut sanatiuum, quod verò longæ, ægrotatiuum. An secundum quosdam quidem morbos vicissim inuenitur, vt fiant sanatiua corpora ijs, quæ breuis sunt vitæ. Secundum quosdam autem nihil prohibet valetudinarios esse longæ vitæ existentes. De somno autem, & vigilia dictum est prius. De vita autem, & morte dicendum est posterius; similiter autem de morbo, & sanitate, quantum attinet ad naturalem philosophiam. Nunc autem de causa eius, quod est, hæc quidem viuentia esse longæ, hæc autem breuis vitæ, sicut dictum est prius, considerandum est. Sunt autem quędam habentia hanc differentiam viuendi secundum totum suum genus, in comparatione ad aliud, & similiter ea, quæ sub vna specie sunt alia ad comparata se quoque differunt. Dico autem secundum genus quidem differre, vt hominem ab equo; (non accipitur hic genus Logicè, sed pro natura) longioris enim vitæ est hominum genus, quam equorum. Secundum speciem autem homines; sunt enim homines hi quidem longæ vitæ, illi autem breuis, alteri secundum altera loca distantes; quæ enim gentes in calidis nascuntur locis longioris sunt vitæ (dummodo calor non sit excessiuus intolerabiliter, quia absumit humidum vitale, ac breuissimam efficit vitam, vt de quibusdam sub æquinoctio degentibus legi, vix ad triginta annos peruenire, ob nimium calorem, qui eos absumit, & destruit) quæ autem in frigidis breuioris vitæ. Et eundem quoque locum habitantes differunt similiter aliqui hac differentia ad inuicem, quod alij videlicet longioris, alij verò breuioris vitæ sunt, cuius causa examinanda est.

In calidis regionibus habitantes diu viuunt.

CAPVT II.

Quæ res facilè, vel difficiliter corrumpantur. Et quomodo ignis in sua sphæra corrumpatur, cum ibi contrarium adesse non videatur.

OPortet autem accipere, quid facilè corruptibile in natura constantibus, & quid non facilè sit. Pro cuius intelligentia sciendum est; quod ignis, & aqua, & his cognata, (seu commista) vt aer, & terra sunt sibi inuicem causa generationis, & corruptionis, eo quod non habent eandem, sed contrariam virtutem; ignis namque calidus, & siccus est, aqua verò frigida, & humida, &c. Quare qualibet alia, quæ ex istis constituta sunt rationabile est participare naturam horum, siue sint naturalia, vt bouo, Leo, &c. siue artificialia, vt domus, arca; namque consistunt in compositione ex multis elementis; nam artificialia (de quibus maior apparet difficultas) ex naturalibus constant; ergo si naturalia sunt ex elementis, & similiter artificialia erunt, & si illa sunt corruptibilia, & ista. De alijs igitur (puta de rebus, quæ ex elementis non constant, nec res naturales, sed secundum naturam dicuntur, vt accidentia) alia ratio est; sunt enim & propriæ determinatæ corruptiones multis entibus, & vt scientiæ, sanitati, & ægritudini; hæc enim corrumpuntur non ex contrarietate virtutum elementarium, cum ex illis non

Artificialia ex elementis.

constent,

constent, neque ex corruptione tantum proprij susceptiui, vel subiecti, quia non corruptis, sed saluatis subiectis interdum ista deficiunt, vt corruptio quidem ignorantiæ est reminiscentia, & disciplina; scientiæ autem, obliuio, & deceptio. Secundum accidens autem consequuntur naturales corruptiones aliorum; (puta suorum subiectorum) corruptis enim animalibus, corrumpitur scientia, & sanitas, quæ in animalibus sunt; hoc autem est per accidens corrumpi; dicitur namque sic aliquid, quod ad corruptionem alterius deficit. Quapropter, & de anima dubitabit vtique aliquis ex prædictis. Si enim ex sua natura non est per se subsistens, sed quemadmodum scientia est in anima, sic & anima in corpore; erit vtique ipsius alia corruptio præter corruptionem, qua corrumpitur corrupto corpore; sicut est quædam corruptio propria scientiæ, præter corruptionem subiecti in quo est. Quare quoniam non videtur esse talis corruptio animæ sine corpore (loquendo semper de animabus corruptibilibus, vt sunt animæ brutorum) dicendum est, quod aliter ipsa se habeat ad corpus, quam scientia, vel aliud accidens ad animam, vel ad aliud subiectum, quia ipsa se habet, vt actus primus; ideò conueniens est, quod ad corruptionem eius corpus corrumpatur; ab actu namque primo est dependentia eius, cuius est actus; accidentia verò sunt actus secundi, à quibus subiectum non dependet, sed è conuerso; vnde dispar est ratio corruptionis in vtrisque, & accidentia corrumpuntur saluato subiecto. Anima verò corrupta corrumpitur corpus, siue statim, siue mediate, nihil refert; conueniunt tamen in hoc, quod subiecto vtriusque corrupto, (tam scilicet animæ, quod est corpus, tam alterius accidentis) & anima ipsa, & accidens corrumpuntur. Fortè autem vtique aliquis dubitabit rationabiliter, vtrum sit aliquis locus, vbi possit manere incorruptibile id, quod corruptibile est, vt ignis sursum in sphæra; videtur enim quod sic, quia vnumquodque corrumpitur à suo contrario, vt in sphæra propria; ignis non habet contrarium; ergo. Probatur minor; nam contrarium igni est aqua, vel potius qualitates vtriusque, sed ibi non est aqua: at si dicatur, quod etiam aer in humiditate sibi contrarius est, hoc nihil valet, quia saltem in suprema regione, quæ orbi Lunæ contiguus est, non corrumpitur, cum illuc aer non pertingat; nec à cælo corrumpitur, quia ipsum nullam habet qualitatem lædentem, imò est causa conseruationis vniuersi. Cùm igitur in proprio loco non habeat contrarium, videtur, quod corrumpi non possit, neque per se, neque per accidens; per se enim corrumpuntur, quæ secundum suas qualitates contrarium habent, vt humidum à sicco. Corrumpuntur autem secundum accidens, quæ quidem insunt contrarijs, seu quæ sunt cum ipsis contrarijs coniuncta, eo quod ipsa contraria corrumpuntur; interimuntur enim contraria abinuicem, vt destructo humido à sicco; quicquid in ipso humido est, corrumpitur; ignis autem non habet qualitates per seipsum in propria sphæra corrumpentes, vt visum est, neque per accidens. Quia secundum accidens nulla substantia corrumpitur, nec aliquod contrarium habet, hoc enim est proprium eorum, quæ in subiecto sunt, & de ipso accidentaliter dicuntur, cuiusmodi sunt accidentia: substantia verò de nullo subiecto prædicatur, seu in nullo subiecto est. Quare cui non est contrarium, vbi non est, neque per se, neque per accidens; impossibile vtique erit corrumpi, & per consequens in sua sphæra ignis corrumpi non poterit cum contrarias qualitates per se ibi non habeat, nec sit accidens, quod ad corruptionem subiecti desineret esse. Quid igitur ipsum erit corrumpens, si solum corrumpi aliquid accidit à contrario, hoc autem non reperitur circa ignem in sua sphæra, aut nullo modo, aut illic, quod sufficit ne corrumpatur. Respondetur tamen; hoc quod dicitur esse aliquomodo verum, aliquo non. Verum quidem, quod difficilius corrumpatur; non verum, quod penitus sit incorruptibile, & quod nullum habeat contrarium; impossibile enim est materiam habenti non existere aliqualiter contrarium; nam omninò quoque quidem inesse alicui, calidum, aut rectum, vel aliud accidens contingit, sic videlicet, quod in qualibet parte sit calidum, aut frigidum, aut rectum. Quod verò quodcunque sit calidum, aut rectum, aut album, ita vt oppositum non inueniatur puta nec frigidum, nec curuum, nec nigrum, est impossibile, quia nulla fieret actio inter res naturales; omnes namque fiunt ob diuersas, ac contrarias passiones, & accidentia in ipsis rebus existentia; vel si dicatur, quod tamen actiones, & operationes erunt, ponendæ essent passiones separatæ, puta Ideæ calidi, frigidi, &c. quod absurdius est, vt in Metaphys. videbitur. Si igitur quando simul fuerit actiuum, & passibile, hoc quidem semper agit, hoc autem patitur, impossibile est non transmutari ad inuicem; quapropter cum ignis contrarium habeat, necesse est, quod agat, & patiatur, ac per consequens transmutetur. Præterea, & si quodlibet aliud contrarium remoueatur, qui in contrarium agat, necesse tamen est, quod excrementum, seu superfluum, aut virtus excessiua eiusdem agat in minorem; superfluum enim ipsum, vel virtus maior contraria est minori: ex contrario autem semper est transmutatio; ipsum autem excrementum, vel virtus excedens (quæ modo à nobis ponitur) non est alterius rationis à prædicta, sed est velut reliquia prioris, quia additur ad illam sub ista ratione contrarietatis. Cùm igitur hæc contrarietas saluetur in igne, sequitur, quod corruptibilis sit. Si verò omne quod actu contrarium est expellitur, hic incorruptibilis vtique erit, vel non? Respondetur negatiuè; quia à continente corrumperetur; si igitur sufficiens sit continens corrumpere, ex dictis sit resolutum, quod intendimus: sin minus; supponere oportet, quod in vnoquoque habente materiam inest aliquid actu contrarium, & excrementum fit, seu excessus virtutis maioris ad minorem; quapropter, & minor flamma comburitur à multa secundum accidens, quia alimentum (puta fumum) quem ipsa maior flamma consumit in multo tempore ipsum maior flamma consumit citò; & sic patet, non esse verum, quod nulla substantia per accidens corrumpi possit, vt supra argumentum assumpsit. In ijs igitur, quæ ab aliquo alimento dependent potest reperiri virtus ad corrumpendum ex parte maioris virtutis, vt flamma maior comburendo pabulum minoris, eam corrumpit. Quæ verò his carent à continente corrumpi debent, non immediatè tanquam à proprio, (dum continens contrarium non est, vt accidit de cælo respectu ignis,) sed ratione motus disgregantis, atque aliarum qualitatum diuersa intendentium generare, vt motus, & qualitates, vel influentiæ cælestes ad conseruationem Vniuersi sunt ordinatæ, quæ conseruatio fieri nequit sine elementorum corruptione, & generatione; quapropter ignem generare, & corrumpere possunt. Vnde in agentibus superioribus non requiritur formalis contrarietas ad corrumpendum alia, sed sufficit virtualis, & eminens. Vel dicatur, quod igni non deest verum contrarium; nam aer ipse vaporibus infrigidatur, quibus natus est frigefacere partẽ infimam ignis, hæc autẽ, aliam, & sic consequenter. Quapropter omnia elementa semper in motu sunt, & fiunt, aut corrumpuntur. Continens

Anima alia corruptio à corpore.

An corruptibile alicubi fieri possit incorruptibile.

Solum accidentia habẽt contrarium.

Substantia non dicitur de subiecto, nec est in ipso.

Materiã habens contrarium habet.

Actiones omnes fiunt ex contrarijs.

Virtus maior agit in minorem.

Flãma maior consumit minorem.

Elementa semper in motu.

Cælum corrumpit hęc inferiora, quomodo.

autem cælum, aut cooperatur, aut contra operatur modo exposito. Cooperatur inquam, dum ad conseruationem contenti facit; contra operatur, dum opposito modo se habet, quod non solum de primo ipso continente calo verificatur, sed de quolibet alio continente; sicut quod de igne dictum est, potest cuilibet naturali corruptibili corpori aptari. Et propter hoc transposita durabiliora quidem interdum fiunt, etiam si secundum suam naturam essent paucioris durationis, aliquando verò breuioris durationis, secundum dispositiones, & accidentia locorum, ad qua transferuntur, habito etiam respectu ad ipsorum complessionem, & temperiem: vt si aliquis temperatæ complessionis de regione nimis calida, vel frigida ad temperatam transferatur, diutius durabit; si autem è temperata ad excessiuas è contra. Hoc autem tamen est verum, quod nunquam æterna fieri possunt, quæcunque contraria habent, vel ex materia constant. Confestim enim materia contrarium habet, vnde corruptio sequitur. Quare si quidem sit contrarietas respectu ipsius vbi, vel loci, seu potius secundum qualitates in ipso existentes transmutantur corpora de maiori in minorem durationem secundum locum, seu secundum loci dispositiones ad conseruationem attinentes. Si autem sit contrarietas respectu quanti (quia videlicet in vno loco viget maior vis augmentatiua, quam in alio) transmutantur secundum augmentum, vt patet, quod plantæ eiusdem speciei sunt maiores hic, quam alibi, & è contra. Si autem sit contrarietas passionis, vel diuersarum qualitatum, similiter secundum diuersa loca alterantur, vel permutantur; vnde aliqui fructus hic sunt sapidi, alibi verò insipidi. Et sic patet, quomodo respectu diuersarum loci proprietatum, diuersimodè transmutantur, vel variantur corpora.

Nil materiale potest fieri æternum.

CAPVT III.

Non ex multis, quæ apparent assumenda est causa longitudinis, & breuitatis vitæ, sed ex alijs, quas esse veras constat, & quæ sint exactissimè declarantur, maximè in animalibus.

SVnt autem neque pergrandia viuentia incorruptibiliora, seu longioris vitæ: equus enim est maior homine, atque etiam est vitæ breuioris ipso. Neque parua, plerunque enim animalia insecta per annum solum viuunt; quod tempus paucum est. Neque plantæ omninò sunt longioris vitæ animalibus; quædam enim solum per annum viuunt. Neque sanguine prædita; apis enim, qui sanguine caret, durabilior est quibusdam sanguine præditis. Neque exanguia; mollia enim annua quidem sunt, atque exanguia. Neque quæ in terra; etenim quædam plantæ, ac quædam animalia pedestria per annum solum viuunt. Neque quæ in mari; etenim ibi sunt breuis vitæ, & ostreacea, & mollia. Omninò autem in comparatione ad omnia viuentia in plantis reperiuntur, quæ sunt longissimæ vitæ, vt palma, & Cupressus. Deinde in animalibus maximè in sanguine præditis, tam in exanguibus, & in pedestribus, quam in aquatilibus. Quare in copulatis (puta in illis, quæ sunt simul sanguine prędita, & pedestria) sunt longioris vitæ, quam in alijs, vt homo, & Elephas. Et vtique quæ maiora sunt (secundum maiorem partem loquendo) sunt longioris vitæ, quam minora; etenim alijs animalibus, quæ longioris vitæ sunt accidit maior magnitudo, quam alijs sicut dictis (puta homini, & elephanti) conuenit, vt equus plus viuat, quam canis, similiter bos, quam ouis, &c. quæ tamen non debent mensurari secundum Geometricam proportionem; bos namque est maior equo, & minus viuit: similiter sus est maior fele, & minus pariter viuit; sensus est, quod in plurimum, quæ secundum aliquam notabilem magnitudinem excedunt, plus viuunt. Causa autem de his omnibus hinc vtique aliquis contemplabitur. Oportet enim accipere, quod animal ex sua natura est humidum, & calidum, & ipsum viuere tale est, quod in humido, & calido debitè temperatis consistit; vnde senectus, quæ à vita recedit est frigida, & sicca, aliquo modo, & multo magis id, quod mortuum est sic apparet. Non est autem credendum, quod corpus viuentium tantum prædictis duabus qualitatibus constet; namque falsum est; ex eo enim quod mistum perfectum ex omnibus quatuor elementis, vel eorum qualitatibus constabit; materia igitur corporum animalium est hæc, calidum, frigidum, siccum, & humidum, interque calidum, & humidum magis ad vitam conferunt, alia sunt vt temperamentum ipsorum, ideò primo loco, vt materia posita sunt. Cùm igitur senescentia vita (vt diximus) recedant, necesse est ea exiccari, quod accidit ex defectu naturalis caloris, & humidi vitalis; vt autem vita conseruetur, debet manere calor, atque humidum, quod non sit facilè exiccabile; & propter hoc animalia pinguia imputribilia sunt, seu non de facili ægrotant, ac diutius viuunt, nisi multa sit pinguedo, aliter est oppositum. Causa autem est, quia sunt participantia aeris, aer autem ad alia elementa comparatus est quasi ignis, ratione caloris, leuitatis, & raritatis; ignis autem non fit putridus; ergo neque aer, saltem in comparatione ad aquam, & terram, & per consequens, quæ ipso participant, vt pinguia, eodem modo se habent. Neque rursum paucum oportet esse humidum; est enim facile siccabile, quod paucum. Quapropter, & magna, & animalia, & plantæ (vt vniuersaliter dicatur) longioris sunt vitæ, quemadmodum dictum est prius; rationabile namque est, maiora plus habere humidi. Non solum autem propter hoc longioris sunt vitæ; duæ enim ad hoc concurrunt causæ, puta quantum, & quale: quare non oportet solum esse copiam humidi, sed & hoc debet esse calidum, vt neque facile gelabile, neque facile exiccabile sit. Et propter hoc homines sunt magis longæ vitæ, quam quędam animalia maiora. Longioris enim vitæ sunt, quæ deficiunt in copia humidi, si pluri ratione, (vel proportione) excedant secundum quale (vel calidum) quam deficiant secundum humidi quantitatem. Est autem aliquibus calidum pingue, quod simul facit non facilè siccabile, & non facilè infrigidabile. Quædam autem alium habent humorem, scilicet humidum aqueum, & ista sunt citò putrescibilia. Item; quod futurum est non leuiter corruptibile, oportet non esse excrementitium, seu superfluitatem humidi habere, quæ nata sit in excrementum conuerti, vt in semen, menstruum, &c. interimitur enim quod tale est, aut morbo, aut natura; contraria enim est excrementi virtus, & corruptiua, aliqua quidem totius naturæ, alia verò alicuius partis. Quapropter salacia, seu quæ multum vtuntur coitu, & quæ multum abundant semine citò senescunt; semen enim excrementum est, & magis exiccat emissum, quam retentum, cum enim sit humidum ex eius absentia fit exiccatio. Et propter hoc mulus est longioris vitæ equo, & asino ex quibus genitus est, & fœminæ masculis, si salaces sint mares. Quapropter & passeres masculi,

Causa longitudinis vitæ.

Pingue diutius viuunt. Vide in 2. de par animal c. 5. & & in 2. de anima q. 8.

Duæ conditiones longæ vitæ.

Vtentes coitu citò moriuntur, quo modo. Semen retentum minus nocet. Labor ad senectutē cōducit citò.

sculi,

fculi, breuioris vitæ sunt fœminis, quia sunt salaciores. Adhuc autem quicunque masculi laboriosi sunt, propter laborem senescunt; magis exiccat enim labor, senectus autem sicca est. Naturaliter autem (vniuersaliter loquendo) mares sunt longioris vitæ fœminis: causa autem quia calidius animal mas est fœmina. Eadem autem animalia in calidis locis longioris sunt vitæ, quam in frigidis, propter eandem causam; propter quam quidem inter animalia frigida maiora ea sunt, & maximè conuenit notabilis magnitudo secundum naturam ijs, quæ in calidis locis viuunt, quam alijs. Quapropter, & serpentes, & lacertæ, & squamosa magna sunt in calidis locis, & in rubro mari ostreacea; calida enim humiditas augmenti, & vitæ causa est. In frigidis autem locis humidum, quod in animalibus est, magis est aqueum; quapropter facile gelabile. Quare animalium, quæ vel pauci sunt sanguinis, vel omninò exanguia in ijs locis, quæ ad Vrsam sunt frigidissima, vel quædam non fiunt, neque pedestria in terra, neque aquatilia in mari, vel quædam fiunt quidem; minora autem, & breuioris vitæ: aufert enim gelatio augmentum. Fiunt etiam animalia, & plantæ breuioris vitæ ob defectum alimenti. Vnde alimentum non sumentia, & animalia, & plantæ corrumpuntur; consumit enim ipsum se ipsum vnumquodque, prout calor naturalis agit in humidum, ac substantiam ipsius viuentis. Quemadmodum enim multa flamma comburit, & corrumpit paucam, eo quod alimentum consumit, sic naturale calidum, quod est primum concoctiuum consumit materiam in qua est. Aquatilia autem gressibilibus minus longæ vitæ sunt, non quia sunt humida simpliciter, sed quia aquosa; tale autem humidum facilè corruptibile est, quia frigidum, & gelabile de facili, & exangue propter idem, nisi magnitudine recompenset; neque enim pinguedinem habet, neque dulce; in animali enim quod pingue, ac nutritiuum est, dulce est. Quapropter apes longioris vitæ sunt alijs quibusdam maioribus animalibus, eo quod dulci nutriuntur, puta melle.

Cur quæ carent nutrimento deficiant.

Aquatilia breuis vitæ.

Dulce nutritiuum.

CAPVT IV.

De causa longitudinis, & breuitatis vitæ in plantis.

IN plantis autem sunt, quæ longissimæ vitæ, & magis, quam in animalibus. Primum quidem quia sunt minus aquosæ; quare non facilè sunt congelabiles. Deinde habent pinguedinem, & viscositatem, & siccæ, & terrestres existentes, tamē non habent facilè siccabile humidum; de hoc autem quod est naturā arborum esse durabilem, oportet accipere propriam causam: habent enim propriam distinctam in ordine, & comparatione ad animalia, præterquam ad insecta, cum quibus communicant. Nouæ enim semper plantæ fiunt; quapropter diuturnæ; semper enim fiunt altera gemina, hæc autem senescunt (de eadem videlicet planta loquendo) & radices similiter, sed non simul, sed aliquando quidem solus stipes, & rami perierunt, alteri autem adnati sunt. Cùm autem siccæ fuerint radices, aliæ ex existenti generantur, & sic semper permanet hoc quidem corruptum, illud autem factum; quapropter sunt longæ vitæ. Assimilantur autem plantæ insectis animalibus (sicut dictum est prius;) diuisæ enim partes viuunt, & duę, & multæ fiunt ex vna planta. Insecta autem vsque ad ipsum viuere perueniunt etiam diuisa, multò autem non possunt tempore; non enim habent instrumenta, neque ipsa pars potest facere principium operationis, quod in vnoquoque organo esset. Quod autem in planta diuisum est, potest: vbique enim habet radicem, & germen saltem in potentia. Quapropter ab hoc semper prouenit hoc quidem nouum, illud autem senescens, ac parum differunt in eo, quod est esse longæ vitæ sic, quemadmodum, & quę asplantantur. Etenim in asplantatione aliquis dicet eadem aliquomodo accidere, quæ accidunt in diuisione; quod enim asplantatur, est particula quædam plantæ, sicut quod diuiditur. In asplantatione igitur separatis partibus accidit hoc, ibi autem, (supple dum sunt in planta istæ partes) per continuationem idem accidit. Causa autem est, quia vbique inest principium existens potentia ad has operationes. Accidit autem idem in animalibus, & plantis; in animalibus enim longioris vitę sunt mares, vt in pluribus; horum autem membra superiora, maiora sunt quam inferiora: magis enim naniformis est mas, quam fœmina, causa autem est, quia in superiori parte est calidum, in inferiori frigidum. Et plantarum, quæ sunt capite graues, longioris sunt vitę: tales autem sunt, quę non sunt annuæ, sicut herba quędam: sed arborosæ, superius autem plantę, & caput radix est; annua autem ad inferius (puta circa ramos, & fructum) accipiunt augmentum. Sed de hoc quidem secundum se dicemus in ijs, quæ de plantis, nunc autem de alijs animalibus dicta est causa, de longitudine, & breuitate vitæ. Reliquum autem nobis est considerare, de Iuuentute, & Senectute, & Vita, & Morte; his enim determinatis finem vtique habebit methodus, quæ de animalibus est.

Cur masculus habeat maius caput, quam fœmina.

Libelli de longitudine, & breuitate Vitæ Finis.

ANTONII ROCCI

De Scurcula Marſorum

PARAPHRASIS

IN LIBELLVM ARISTOTELIS de Iuuentute, & Senectute, Vita, & Morte, ac Reſpiratione.

CAPVT PRIMVM.

Viuentium omnium vnam, eandemque numero eſſe partem, qua viuunt, ratione verò plures, & diuerſas, eamque in medio eſſe.



E Iuuentute autem, & Senectute, & Vita, & Morte nunc dicendum eſt; ſimul autem de Reſpiratione neceſſarium forte erit cauſas dicere; quibuſdam enim animalibus propter hoc accidit viuere, & non viuere. Quoniam autem de Anima in alijs determinatum eſt, & manifeſtum eſt, quod non eſt poſſibile ſubſtantiam ipſius eſſe corpus, cum ſit actus, & forma; ſed tamen manifeſtum quoque eſt, quod in aliqua parte corporis exiſtit,(quo videlicet ad principium operandi; eſt enim ſic in corde, quo verò ad ſubſtantiam, & rationem informandi eſt tota in toto, & tota in qualibet parte,) & in hac aliqua, quæ ſit ea, quæ habeat virtutem in alias partes, ſicut ſe habet cor, ex quo origo viuendi ad alias partes emanat. Aliæ igitur animæ, aut partes, aut virtutes (qualitercumque oporteat vocare) dimittantur nunc. Quæcunque autem ſimul animalia, & viuentia dicuntur, ita vt vtrumque conſecuta ſunt,(puta eſſe animal, & viuere) neceſſe eſt eandem, & vnam habere particulam, ſecundum quam viuunt, & ſecundum quam appellamus animal. Animal enim ſecundum quod animal, impoſſibile eſt non viuere; includit namque animam ſenſitiuam, atque vegetatiuam in quibus vita conſiſtit; non tamen ſecundum ſimplicem rationem vitæ neceſſarium eſt, quod aliquod ſit animal; plantæ enim viuunt quidem, non habent autem ſenſum; per ſentire autem animal à non animali diſtinguimus, & ſic multa viuunt, quæ non ſentiunt, nec animalia ſunt. Numero igitur neceſſarium eſt vnam

Nō idem eſt animal, & viuens.

eſſe, & eandem hanc particulam, quæ aliquid eſt animal, & viuit; nam conſtituitur in eſſe animalis per animam ſenſitiuam, hæc autem virtualiter vegetatiuam continet; ita quod in eodem non ſunt duæ animæ, ſed vna ſe habet vt potentia alterius, puta vegetatiua ſenſitiuæ, vt in 2. de Anima tex. 31. dictum eſt, & ſic realiter eſt vna anima,

In eodem animali nō ſunt plures animæ.

quæ conſtituitur in eſſe animalis, & viuentis, ſed ſecundum eſſe formale, & quidditatiuum ſunt plures, & diuerſæ; alia namque eſt quidditas, vel formalitas vegetatiuæ, alia verò ſenſitiuæ, ac ideò non idem eſt animal eſſe, & viuere. Quoniam igitur propriorum ſenſuum particularium externorum vnum aliquod commune eſt ſenſorium, & ſenſus, in quem neceſſarium eſt, quod ſenſus ſecundum actum, (ſcilicet ſenſus ipſi externi ſentientes) terminentur; nam ipſe eſt eorum principium, & index; hoc autem ſenſorium ipſius communis ſenſus erit medium in animalibus inter eam partem, quæ anterior vocatur, & eam, quæ poſterior (anterior autem pars dicitur in quo ſenſus ſunt, vt viſus, auditus, & guſtus, poſterior autem eſt pars oppoſita) adhuc autem diuiſo corpore ſecundum partem ſuperiorem, & inferiorem in quolibet viuente(omnia enim viuentia habent ſuperius, & inferius) quare, & plantæ palam eſt, quod nutritiuum principium habebiunt vtique in medio horum, & ſic principium viuendi in omnibus in medio corporis eſt ſituatum; nutritiuum enim eſt viuendi principium, ac idem realiter cum vegetatiuo, & in eodem loco eſt ſenſus communis, ſaltem quoad primam radicem, puta in corde in habentibus cor, in alijs autem in proportionale, ac denique vis viuendi in omnibus circa medium conſiſtit, magis autem propter partes ſuperiores. Eſt tamen notandum, quod non eodem modo dicitur ſuperius, atque inferius in nobis, & in plantis; (maximè loquendo in ordine ad vniuerſum) particulam enim ſecundum quam ingreditur alimentum, ſuperius vocamus, ad ipſam reſpiciendo, quaſi ſit nobilior, ſed non ad totum, vel cælum ambiens; deorſum autem ſecundum quam ipſa viuentia excrementum emittunt primo; quare contrario modo hoc ſe habet in plantis, & in animalibus. Homini enim inter omnia animalia maximè conuenit propter rectitudinem

Senſus communis eſt principium ſenſuū omnium.

Superius, & inferius differunt in viuentibus, & in vniuerſo.

dinem statura habere eam particulam, quam sursum dicimus correspondentem ad eam, quæ sursum totius vniuersi dicitur, puta habere sursum versus cælum, quod in ordine mundi sursum simpliciter est. Alijs autem animalibus hoc conuenit intermediè; neque enim versus cælum totaliter caput habent, neque penitus centrum respiciunt. Plantis autem immobilibus existentibus, & accipientibus ex terra alimentum, necessarium est, semper deorsum hanc habere particulam; proportionales enim sunt radices plantis, & quod vocatur os animalibus, per quod alimentum illæ quidem ex terra accipiunt, hæc autem ex se ipsis. Tribus autem existentibus partibus, in quas diuiduntur omnia perfecta animalia, vna quidem qua suscipiunt alimentum, vna autem qua excrementum emittunt, tertia autem horum media, in qua fit alimenti concoctio; hæc in maximis animalibus vocatur pectus, in alijs autem proportionale; dearticulata, seu distincta est magis alijs, quam alijs. Quæcunque autem ipsorum animalium sunt progressiua, adiunctas habent particulas alias, quæ ad hanc administrationem totius inseruiant totamque ferant corporis molem, huiusmodi autem partes sunt crura, & pedes, & aliqua alia membra habentia eandem, vel proportionalem virtutem cum istis. Sed principium quidem nutritiuæ animæ in medio trium particularum secundum sensum esse videtur, & secundum rationem. Per sensum enim patet; quod multa animalia ablatis vtrisque particulis, & ea, quæ vocatur caput, & susceptiua alimenti, quæ est pars inferior, viuunt cum ea sanè cum qua fuerit medium. Palam autem in insectis, vt vespis, & apibus hoc accidere. Et multa quoque non insectorum diuisa possunt viuere propter nutritiuam. Talem autem particulam actu quidem habent vnam, virtute autem plures. Eodem enim modo, quo & plantis ipsis, quibusdam animalibus hæc constituta sunt; etenim plantæ diuisæ viuunt separatim, & fiunt multæ arbores ab vno principio. Propter quam autem causam plantarum hæ quidem non possunt diuisæ viuere, hæ autem asplantantur, & viuunt, alter erit sermo, puta in libro de plantis, sed similiter se habent secundum hoc, & plantæ, & genus insectorum. Necesse autem est, & nutritiuam animam in habentibus quidem eam esse actualiter vnam, virtute autem plures. Similiter autem sic se habet sensitiuum principium in istis insectis; partes enim ipsorum diuisæ sensum habere videntur. Sed vt seruetur natura, plantæ quidem possunt, hæc autem non possunt, quia sic diuisa non habent instrumenta apta ad salutem, & quia indigentia sunt, aliqua quidem instrumenti capientis, alia verò suscipientis alimentum, alia verò amborum. Assimilantur enim hæc animalia dum integra sunt multis animalibus imperfectis, quæ simul coaluerint, vel conglutinata sint; ita vt sicut vnumquodque horum, aliquod peculiare habet organum, & ex omnibus fiunt omnia diuisa verò vnum vni conuenit, sic partes diuisæ non omnia retinent necessaria organa ad viuendum, sed alicuius indigent, vnde conseruari nequeunt. Animalia autem optimè cõstituta, hoc non patiuntur, videlicet diuisionem, remanente vita in qualibet parte, propterea quod natura ipsorum, vt possibile est, maxime vna est, ac per consequens indiuisibilis, hoc etenim est de ratione vnitatis. Quapropter licet quædam diuisæ particulæ paruum quendam faciant sensum, non tamen propriè viuunt, nec animam habent, sed hoc accidit, quia retinent aliquam animalem passionem, nempe spiritus quosdam motiuos, qui non statim pereunt abscedente anima; quare separatis visceribus faciunt motum, vt testudines corde ablato. Adhuc autem ratione in plantis palam est, & in animalibus, quod principium viuendi, seu nutritiuum sit in medio. In plantis quidem considerantes eam generationem, quæ in seminibus est, ac pariter insitiones, & asplantationes id manifeste videbunt. Ex seminibus enim omnibus generatio accidit ex medio. Binaluijs enim, (seu duplicibus quibusdam velut copulatis particulis) existentibus omnibus ipsis seminibus, ea parte, qua ipsæ particulæ coaluerunt, vel vnitæ sunt semen continetur, & medium est vtriusque particularum; hinc enim ramusculus oritur, & radix nascentium; principium autem horum medium est. In insitionibus autem, & asplantationibus hoc maximè accidit circa nodos; est enim nodus quoddam principium rami, simul autem, & medium. Quare, aut hoc auferunt, aut in hoc inserunt, vt aut ramus, aut radices ex hoc generentur, tanquam principium germinis, & radicis in medio existat.

Motus post mortẽ ctr. Testudines sine corde.

CAPVT II.

Cor in animalibus primò fit, principiumque est sensitiuæ, nutritiuæ, & augmentatiuæ virtutis, ac in eo vita ipsorum conseruatur.

ET animalium sanguine præditorum cor fit primò; hoc autem palam est ex ijs, quæ cum adhuc fierent, nobis videre contingit. Quare in exanguibus necessarium est proportionale cordi fieri primò. Quod autem cor sit venarum principium, in ijs, quæ de partibus animalium dictum est prius, & quod sanguis in sanguine præditis est vltimum alimentum, ex quo fiunt partes ipsorum animalium. Manifestum est igitur, quod virtus oris ministrat vnam quandam operationem, vel digestionem alimenti; alteram autem virtus ventris, cor autem principalissimum est, & finem ipsi digestioni imponit; (notandum est tamen quod per ventrem, stomachum, & hepar, intelligere debemus cum ipso; nam in istis quoque fit digestio, vt alibi dictum fuit) Quare necesse est, quod in sanguine præditis principium sensitiuæ, & nutritiuæ animæ in corde sit; nam opera aliarum partium circa alimentum sunt gratia huius operis, seu digestionis, quæ fit in corde, ac ideo in ipso est finis perfectæ operationis digestiuæ, & per consequens immediatum principium vitæ. Oportet enim principale opus compleri ad id, cuius gratia cætera operantur, sed non ad ea, quæ huius gratia sunt, vt Medicus ad sanitatem terminat actionẽ, non autem ad medicamenta, quæ ad sanitatem ordinantur. At verò quod principale est inter sensus, in hoc quoque (nempe in corde resideat, maximè in sanguine præditis) manifestum est; in hoc n. necessariũ est esse commune sensorium omnium sensoriorum, si ipsum est (vt diximus) principium sensitiuæ potentiæ. Duos autem sensus manifestè huc tendentes videmus, scilicet gustum, & tactum; quare necessarium est alios huc quoque tendere; in hoc enim (puta in sensu communi, qui est in corde) contingit fieri motum, ac principium in alijs sensorijs, & gustus, & tactus nihil tendunt ad eum locum qui sursum est, puta ad caput; ergò cor est omnium principium. Si autem sine his (videlicet sine tactu, & gustu) animalia esse non possunt, sed viuere omnibus in hac particula præcipuè tactus positum est, palam est quod sensitiuum principium necessarium est omnibus animalibus, quæ scilicet animal est, & hæc viuere dicimus,

Principium sensuum est in corde.

In corde est sensus communis.

dicimus, quæ autem sensitiuum, hoc animal corpus, vel corporeum esse dicimus, quia sensus organicus, vel corporeus est. Cum igitur animal sine tactu esse non possit, atque ipse fundetur in corde, etiam sine corde non poterit viuere, & sic ipsum est principium vitæ, & sensuum in animalibus cor habentibus, in alijs verò aliquid aliud proportionale. Propter quid autem hi quidem sensus (puta gustus, & tactus) manifestè tendunt ad cor, alij autem sunt in capite, (quapropter videtur quibusdam, animalia sentire per cerebrum) causa in alijs dicta est seorsum, nimirum in libro de partibus animalium, nunc tamen breuiter dici potest, ideò esse, quia immediatè pertinent ad vitam, & salutem animalium; vnde proximiores esse debent principio vitæ. Per ea igitur, quæ apparent, palam ex dictis est, quod in hac parte, quæ est mediatiuum corporis, sensitiuæ animæ principium est, & augmentatiuæ, & nutritiuæ. Per rationem autem idem confirmari potest. Quia videmus naturam in omnibus ex possibilibus facere optimum; in medio autem animatæ substantiæ existente principio vtroque (scilicet sensitiuo, & nutritiuo) maximè vtraque particula, seu potentia, (tam videlicet sensitiua, quam nutritiua) perficiet suum opus, tam digerendo alimentum, (quod ad nutritiuam attinet) quam suscipiendo species externorum sensuum; (quod pertinet ad sensitiuam) penes vtrumque enim ipsorum principium cor sic erit, & est talis medij regio, regio principis. Præterea vtens, & quo vtitur differre debent, non solum secundum diuersam potestatem, & virtutem, sed etiam secundum modum operandi; quemadmodum se habent fistulæ, & manus mouens ipsas; ipsa namque manus est vtens, atque virtute, & modo agendi à fistulis differt. Si igitur determinatum est animal, eò quod habeat animam sensitiuam, ac ipsa anima debeat exercere sensationes (quod est vti) per aliquod principale instrumentum; hoc autem non potest esse nisi cor; palam est quod ipsum erit principium aliorum ab anima distinctum, ac vt omnibus suam virtutem communicare possit, in medio existens. Necessarium igitur est sanguineis animalibus habere hoc principium sentiendi in corde, exanguibus autem in proportionali particula. Est tamen notandum, quod cor ipsum cum sit præcipuum omnium organum, & instrumentum, potest alijs vti, & præcipuè calore, qui ad vitam est necessarius, vt manus vtitur calamo, imò sine ipso nihil efficeret. Quapropter omnes particulæ, & totum corpus animalium habent quandam caliditatem naturalem; vnde viuentia quidem videntur calida, morientia autem, & priuata vita frigida. Necessarium autem est huius caliditatis principium esse in corde; (supple in ijs, quæ sanguinem habent; exanguibus autem in proportionali.) Omnia enim viuentia conficiunt, & concoquunt alimentum naturali calido, maximè autem id efficit, quod est principalissimum, nempe cor. Quapropter alijs quidem partibus infrigidatis, remanet vita. Eo autem calore, qui in corde est, extincto, corrumpitur animal omnino, quia hinc principium caliditatis omnibus dependet, & anima tanquam ignita, seu calore indigens in his particulis cordis præcipuè residet. Exanguium quidem in proportionali; sanguine autem præditorum in corde; necesse est igitur simul vitam existere, & huius calidi conseruationem, & eam quam mortem vocamus, esse huius caloris corruptionem.

Natura ex possibilibus optimum facit.

CAPVT III.

Ignis, ac naturalis calor à duabus causis corrumpuntur, sed calor quadam refrigeratione conseruatur.

AT verò ignis duas videmus corruptiones, marcorem scilicet, & extinctionem; Vocamus autem eam quidem, quæ à se ipso est marcorem, eam autem, quæ à contrarijs extinctionem; & illam quidem senectutem, hanc verò violentiam. Accidit autem ambas corruptiones propter idem fieri; deficiente enim alimento, quo calidum nutritur (puta humido) ita vt ipsum calidum amplius alimentum non habeat, fit corruptio ignis, quæ vocatur marcor, & senectus. Contrarium autem (puta frigidum) cessare faciens concoctionem (puta nimis incrassando, & infrigidando alimentum) prohibet, quod ignis nutriatur, & fit eius corruptio, quæ extinctio dicitur; & sic patet, quod eadem de causa saltem remota, nempe ex defectu, vel imperfectione alimenti, vtraque fit corruptio. Quandoque autem marcescere accidit, cum amplior congregatur calor, propterea quod non respirat, neque refrigeratur, citò enim sic consumit alimentum, cum multus congregetur calor, & præuenit consumere, antequam adsit exhalatio. Quapropter non solum marcescit minor secus maiorem ignem; sed & ipsa per se lucerna flamma imposita in maiori flamma comburitur, sicut quodcunque aliud combustibile. Causa autem est, quia alimentum quidem existens in flamma præoccupat prehendere maior flamma, priusquam adueniat alterum; ignis autem perseuerat semper fiens, & fluens sicut fluuius, sed latet propter velocitatem. Palam igitur est, quod siquidem oportet seruari calidum (id autem necessarium est, si vita conseruari debet) oportet fieri quandam refrigerationem eius calidi, quod in principio est, puta in corde, quod est principium vitæ, & caloris in animalibus. Exemplum autem huius accipi potest ex eo, quod accidit in suffocatis carbonibus, si enim cooperti continue fuerint in eo vase, quod vocatur suffocatorium (quod est sine foraminibus, & spiraculis) extinguuntur citò. Si autem per vices quis faciat frequenter ablationem, & impositionem ipsius cooperimenti, manent igniti multo tempore; nam respirare (vt ita loquar) possunt. Occultatio autem per cinerem facta ipsum ignem seruat; neque enim respirare prohibetur propter raritatem cineris, & copia caloris in ipso existentis, obstat ei aeri, qui in circuitu est, ne extinguatur. Sed de causa quidem hac, quod contrarium accidit occultato, & suffocato igne (hic enim marcescit, ille permanet pluri tempore) dictum est in problematibus, & hic quoque breuiter tactum fuit, quia videlicet suffocatus non respirat, occultatus à cinere respirat. Quoniam autem omne viuens habet animam; ipsum autem viuens non existit sine naturali caliditate, vt diximus, ac caliditas refrigeratione indiget; quare omnia viuentia indigent quoque refrigeratione. Plantis quidem (de quibus maior apparet difficultas) per alimentum, & continens, nempe aerem vel aquam, sufficiens fit auxilium refrigerationis, ad naturalis calidi conseruationem. Etenim alimentum ingrediens facit refrigerationem, sicut & hominibus, cum primum cibum sumpserunt. Quare Ieiunia calefaciunt, & sitim faciunt,

Marcor. Extinctio senectus, violentia.

Ignis semper est in fieri.

Cinis igne conseruatur.

Omnia viuentia indigent, refrigeratione.

immotus

Ieiunia calefaciunt, & sitim inducunt, cur.

immotus enim existens aer semper calefit à naturali calore; alimento autem ingrediente refrigeratur motus, donec vtique ipsum alimentum aßumpserit concoctionem, seu fuerit concoctum, vel saltem cœperit; tunc etenim facit caliditatem, sicut dum ligna in igne apposita accensa fuerint. Si autem, aut continens excedat frigiditate propter anni tempus, cum sit fortè gelu, plantæ exsiccantur, aut si æstate fortes accidunt æstus, & humidum, quod trahitur ex terra, non possit refrigerare; corrumpitur tunc inquam marcescens calidum, (sicut à frigido extinguitur;) & dicuntur sphacelismum, seu decidentiam pati, & syderata, seu defluentes fieri arbores his temporibus. Quapropter, & genera quædam lapidum frigiditatem radicibus subdunt quidam, & aquam in vasibus, vt radices refrigerentur plantarum. Animalium autem, quoniam, hæc quidem sunt aquatilia; hæc autem in aere viuunt, ex his elementis, & per hæc acquirunt refrigerationem; aquatilia quidem ex aqua, aerea verò ex aere; quo autem modo, et qualiter id accidat, dicendum est ab ijs qui diligenter ista considerant.

CAPVT IV.

Veterum de respiratione opiniones; Ac varietas respirationis ex varietate pulmonis accidit.

D*E respiratione autem pauci quidem aliqui priorum naturalium Philosophorum dixerunt: qua autem de causa, seu propter quem finem existat animalibus, aliqui quidem nihil enunciauerunt; alij autem dixerunt quidem, sed non benè, sed inexpertè, maximè circa ea, quæ ipsi respirationi, ac respirantibus accidit. Præterea, omnia animalia aiunt respirare, hoc autem non est verum. Quarè necessarium est de his opinionibus primò aggredi, vel agere, eas examinando cum suis fundamentis, ne videamur absentes inaniter (hoc est non examinata eorum ratione) accusare. Quod igitur omnia animalia, quæ habent pulmonem, respirent, manifestum est. Sed horum ipsorum, quæcunque quidem exanguem, & laxum habent, minus indigent respiratione; quapropter multo tempore possunt non respirando permanere, iuxta corporis robur. Pulmonem autem laxum habent omnia ouipara in aquis degentia, præter pisces, vt genus ranarum; præterea mures amnici, seu viuentes in fluuijs, atque testudines, quæ multo tempore manent in humidis, pulmo enim ipsorum modicam habet caliditatem; nam ipsum sic laxum habentia paucum habent sanguinem; inflatus igitur ipse pulmo per motum refrigerat, & facit permanere multo tempore sic refrigerata ea quæ sunt pauci sanguinis, & caloris. Si autem cogat ea, quis detinens longo tempore sub aqua, ita vt respirare nequeant, suffocantur omnia; nullum enim talium suscipit aquam ad refrigerationem, sicut facit piscis. Habentia autem pulmonem refertum sanguine omnia magis indigent respiratione propter copiam caliditatis. Aliorum autem quæcunque non habeant pulmonem, nullum respirat.*

Quæ animalia respirẽt, quæ non, & quomodo.

CAPVT V.

Democriti, Anaxagoræ, ac Diogenis de piscium respiratione confutantur opiniones.

D*Emocritus igitur Abderita, & quidam alij, qui de respiratione dixerunt, nihil de alijs determinauerunt animalibus, (idest, solum quid est, ac quomodo ipsa respiratio fiat, determinauerunt) an verò omnia animalia respirent, vel non, nihil dixerunt; nisi sunt tamen dicere de respiratione, ac si omnia animali respirarent. Anaxagoras autem, & Diogenes omnia expressè respirare dicentes, de piscibus, & ostreis dicunt, quomodo respirent, & ait Anaxagoras quidem, cum emittunt aquam per branchias, trahentes eum aerem, qui in ore ex aqua à calore naturali fit, pisces respirare, aerem autem illum inter os generari affirmat, ne detur vacuum, (non enim esse vacuum vllum existimat) quapropter si dum aquam emittunt ex aliquibus partibus corporis per branchias, non generetur aer, vacuum in illis partibus esset; remanet igitur (secundum ipsum) aer, qui calorem naturalem refrigerat, & hoc est ipsorum respirare. Diogenes autem ait, quod cum emittunt aquam per branchias, ex aqua quæ est circa os, trahunt aerem pro vacuo replendo, quod est in ore, tanquam in aqua existat aer. Hæc autem, quæ ambo isti dicunt, sunt impossibilia. Primò enim dimidium rei auferunt, propterea quod dicunt commune in vno solo membro inspirationis, hoc enim de quo loquuntur, respiratio propriè vocatur; duo membra enim inspiratio habet; huius namque hoc quidem membrum vocatur respiratio, aliud autem expiratio, de qua quomodo talia animalia expirant, nihil dicunt. Neque secundum suam positionem dicere possunt; non etenim ponunt nisi viam vnam respirationis; quapropter cum respirauerint, hac via qua respirauerunt iterum oportet eos expirare, & hoc semper vicissim facere; quare oportet simul suscipere aquam per os, & expirare aerem, quod esse nequit, quia hæc duo sibi inuicem obuiantia impediunt alterum alterum. Deinde cum emittunt aquam, tunc expirant per ora, aut per branchias; quarè accidit simul respirare, & expirare; tunc enim aiunt ipsum respirare fieri, simul autem respirare, & expirare impoßibile est. Quarè si necesse est respirantia expirare, expirare autem non contingit vllum ipsorum (vt dicunt) palam est, quod neque vllum ipsorum respirare poterit. Præterea, dicere, quod trahant aerem ex ore, aut ex aqua per os, impoßibile est; non enim habent arteriam, propterea quod pulmonem non habent, sed statim venter penes os est; quare neque habent arteriam, quæ est pulmonis instrumentum, ac per consequens neque aerem attrahunt, vel si attrahere dicantur, necessarium erit, quod per ventrem trahant (seu, quod venter ipse attrahat) quod falsum est; Hoc namque, & alia facerent animalia; quod autem non faciunt; & si illa aquatilia essent extra aquam, manifeste vtique hoc facerent, videntur autem non facere hoc. Præterea, omnibus respirantibus, & trahentibus spiritum, vel aerem, videmus quendam motum fieri particulæ trahentis; in piscibus autem hoc non accidit; nihil enim videntur mouere omnia, quæ circa ventrem sunt, nisi branchias solum, & in aqua, & in siccum incidentes cum palpitant. Præterea; cum omnia respirantia suffocata in aquis moriuntur, fiunt ampullæ,*

Inspiratio est genus ad expirationẽ & respirationem.

Pisces carẽt pulmone, & arteria.

ampullæ, aere exeunte violenter, vt si quis cogat manere sub aquis testudines, aut ranas, aut aliquod aliud talium generum; in piscibus autem hoc non accidit, neque id cognoscitur ab experientibus omnem modum viuendi, ac moriendi piscium; tanquam re vera non habeant deforis aerem vllum, qui sit ab ipsis emissus, vel expiratus. Præterea, eo modo quo dicunt ab ipsis piscibus fieri respirationem, contingit accidere hominibus existentibus in aqua, vel sub. Si enim pisces trahunt ex ea aqua, quæ est in circuitu oris, aerem, propter quid hoc non vtique facerent, & homines, & alia animalia? Eum igitur aerem, qui ex ore est, seu circa os, similiter vtique ipsi homines, atque alia animalia traherent, vt pisces, vnde sub aqua nunquam suffocarentur. Quare si quidem illa essent possibilia, & hæc essent. Quoniam autem non sunt, palam quod neque in illis est. Adhæc autem; propter quam causam ipsi pisces in aere moriuntur, & videntur palpitare, sicut quæ suffocantur, si quidem respirant? non enim vtique ob alimenti indigentiam hoc patiuntur. Causa autem, quam assignat Diogenes insulsa est; ait enim quod existentes in aere trahunt valde multum aerem, & propter hoc moriuntur, in aqua autem moderatum. Etenim in pedestribus oportebat possibile hoc accidere; nunc autem nullum pedestre animal suffocatur, eo quod valde respiret. Præterea, si omnia animalia (vt dicunt) respirant, palam est, quod insecta animalium respirant; quod tamen falsum est, videntur enim multa ipsorum decisa, non solum in duas partes, sed & in plures, viuere, vt quæ vocantur Scolopendræ, vel centipedæ, quæ qualiter, aut in quo organo, vel modo contingat respirare, difficile est videre. Causa autem maximè non dicendi bene de ipsis, est quia inexperti erant, quæ intus sint partes animalium, & non accipiebant, quod natura faciat omnia gratia alicuius determinati finis; quærentes enim cuius gratia respiratio animalibus conueniat, & in particulis hunc finem inspicientes, vt in branchijs, & pulmone, inuenissent vtique citius causam, non enim ad respirationem aptas esse branchias inspexissent, sed ad aliud, sicut è contra pulmonem ad respirationem aptissimum.

CAPVT VI.

Democriti de Respiratione opinio, ac ipsius impugnatio.

DEmocritus autem eo quod ex respiratione aliquid accidit animalibus respirantibus, etiam quid ipsis ex ipsa accidat, dicit, inquiens probibens ne anima ipsa extrahatur, vel expellatur à corpore; non tamen dicit, naturam fecisse ipsam respirationem vt gratia huius, sic videlicet, quod finis respirationis esset non extrusio, seu retentio animæ in corpore; omninò enim sicut, & alij naturales Philosophi, & iste nihil tangit talis causæ finalis, sed id quod asserit, veluti accidens quoddam esse existimat. Dicit autem quod anima, & calidum sunt primæ figuræ sphæricarum; est enim opinio ipsius corpora indiuisibilia, quæ vocat athomos, esse principia rerum, vt in 1. phys. visum est; inter quæ corpora ponit quædam esse sphæricæ figuræ, atque ad motum aptissima, vnde ex ipsis ignem componi affirmabat, ac animam ex igne, & mediate quoque ex huiusmodi sphæricis corpusculis, vnde animam ipsam, & calidum, seu ignem primas sphæricas figuras esse existimat (nam tam ignem quam animam, ad motum aptissima esse putat, vt fusè in primo de anima visum fuit) Segregatis igitur ipsis rotundis athomis, quæ anima sunt à corpore, cum continente, extrudente, & expellente per compressionem, eo modo quo madefecta, & compressa spongia emittit aquam; inquit auxilium fieri per respirationem; in aere enim ait multum numerum esse talium corpusculorum sphæricorum, quæ vocat ipse intellectum, & animam. Respirante igitur animali, & ingrediente aere, simul ingredi hæc corpuscula dicit, quæ prohibent exitum aliorum intus existentium, ac per consequens etiam prohibent exire animam existentem in animalibus; & quia eam impediunt, & quoniam ipsæmet athomi sunt animæ (vt dicit) quæ egredientem, vel egressam supplent, secundum partem saltem; quia non in vna athomo solum animam consistere credit, (vnde simul, ac statim exiret) sed in multis. Et propter hoc in respirando, & expirando constitutum esse inquit viuere, & mori. Cum enim continens comprimens præualuerit, & non amplius de foris ingrediens potest prohibere exitum athomis intus existentibus, ac animali non potente respirare, tunc accidere mortem animalibus, inquit. Mortem enim esse inquit exitum talium figurarum ex corpore, ex continentis expressione; corpus vero continens est aer, & in aquatilibus, aqua.

Mors secundum Democrit.

Causam autem, quare omnibus quidem necessarium sit mori, dixit, non tamen quando, & quotupliciter contingat; dupliciter namque mors accidit, puta naturaliter, & violenter, secundum naturam quidem per senectutem mori animalia dicuntur; violenter autem præter naturam, de quibus tamen nihil declarauit, quamuis oportebat; quoniam aliquando quidem manifeste apparet id fieri ex aliqua causa, vt dum aliquis interficitur, vel suffocatur; aliquando autem non videtur, ideò oportet perscrutari, vtrum eadem, vel alia causa sit, & intrinseca, vel extrinseca mortis violentæ, sicut etiam naturalis, quomodo accidat explicandum est. Non dicit autem neque de principio respirandi, quæ causa sit, vtrum intrinsecus, an extrinsecus; neque enim verum est, quod intellectus, qui foris est seruet auxilium animæ exeunti; sed principium respirationis, & motus vitalis intrinsecus fit; non autem quod ipsum continens inferat vim, seu violenter athomos detineat mittendo alias impedientes. Præterea; inconueniens est simul continens extra existens comprimere corpus animalis, & ingrediens ipsum dilatare, idem enim secundum idem non est causa contrariorum; at expresse patet, quod ingressum dilatat; ergo extra non comprimit.

Idem non est causa contrariorum.

Quæ igitur ipse de respiratione dixit, & quomodo, ferè hæc sunt. Si autem, quæ prius diximus de respiratione, oportet putare vera esse, ac non omnia animalia respirare; putandum est, hanc causam moriendi quam ipse Democritus assignat per compressionem aeris fieri, non de omni morte verificari; sed solum in respirantibus. Quinimò neque in his bene dicit, hoc autem quod dicimus, palam est ex his, quæ accidunt, & talibus, quorum omnes habemus experientiam. Tempore enim æstiuo, vel calido cum calefimus magis, & respiratione magis indigemus, & crebrius respiramus omnes. Cum autem corpus, quod circa nos est, puta aer sit frigidus, & constringat, & comprimat corpus (frigidi namque est constringere, vt patet de congelatione) accidit tunc magis nos detinere spiritum, vel aerem intra nos, quamuis secundum ipsum Democritum oportebat tunc aerem deforis intrò ingredientem prohibere compressionem.

Frigidi est condensare.

Nunc autem fit contrarium. Quando enim multum valdè congregatum fuerit calidum, ac aer rarefactus est (calidi enim est rarefacere) circa non expirantia, nec emittentia tales athomos, tunc indigent respiratione;

Calidi rarefacere.

necessa-

necessarium autem est inspirantes respirare. Aestuantes autem frequenter respirant, tanquam refrigerationis gratia respirantes, quod tunc potius faciunt, quando vt dicitur, ignis facit ad ignem, seu calidum apponitur ad calidum. Cum ergo potius quando aer est calidus, & rarefactus indigent animalia respirare, quam dum est frigidus; atque rarus non comprimit, sed potius dum est frigidus, sequitur quod non accidat respiratio ipsa propter continens comprimens, vt Democritus dicit, sed è conuerso.

CAPVT VII.

Platonis de Respiratione opinio, & impugnatio.

IN Timæo autem scripta circumpulsione à Platone velut causa respirationis animalibus pedestribus, & perfectis; de alijs animalibus nihil determinauit, quomodo videlicet ipsis accidat salus interni caloris, vtrum eodem modo, sicut prædictis, an propter aliam aliquam causam. Si enim solis pedestribus conuenit id, quod causa respirationis existit, dicendum erat, quare ipsis solis conueniat. Si autem alijs quoque contingat, sed alius est modus respirandi ipsis, de hoc determinandum erat, atque etiam discutere oportebat; si possibile sit, vel non, quod omnia animalia respirent. Cum ergo ista omnia dimisisset, insufficienter locutus est. Præpterea; modus causa quem in respiratione pedestrium animalium assignat, & circumpulsionem vocat, fictitius est. Ait namque, calido aere exeunte extra animal per os, aerem ambientem, vel circundantem ipsum animal (qui quidem aer fertur, vel continuè agitatur, cum sit ex sua natura facilè ad omnes loci differentias mobilis,) pulsum incidere per raras, & porosas existentes carnes in eundem locum, ex quo calidus exierat, & hoc accidere ait, ne detur vacuum, ac circumobsistentibus inuicem (puta calido, & frigido aere mutuo sibi aduersantibus) respirationem, atque vacui repletionem fieri. Calefactum autem iterum exire per eundem locum, & alium frigidum ingredientem ab extra circumpellere, seu repellere intrò per os aerem exeuntem calidum; & hoc vtique respirantes, & expirantes, facientes perseuerare semper, seu semper viuere animalia, dum hoc efficere possunt. Vocari autem circumpulsionem credit, prout vnus aer impellit alium, puta egrediens ingredientem, & è conuerso; in qua mutua impulsione fit quadam reluctantia ad modum circuli, vt accidit de ventis, qui turbines dicuntur; & ideo non impulsionem, sed circumpulsionem vocat. At præter quam quod, hæc positio insufficiens sit, vt vidimus; adhuc alia de causa est falsa. Accidit enim sic putantibus dicere, quod prius fiat expiratio in animalibus, quam respiratio, quod ex hoc patet; nam respirationem fieri dicunt, vt repleatur vacuum, ex quo aer expiratus exierat; ergo prius oportet aerem internum exire, quod est expirare, quam externum ingredi, quod est respirare. Sed hoc est falsum, cuius signum est; nam respiratio, & expiratio fiunt adinuicem vicissim, dum animal viuit; vnde tunc discernere nequimus, quæ sit prior, vel posterior; morientia autem animalia expirant; quare necessarium est, quod principium vitæ fuerit respiratio; nam mors, & vita sunt contraria; ergo habent contrarios motus, & principia; & sic, si ex expiratione fit mors; ex respiratione incipit vita. Præterea; cuius gratia respirare, & expirare conueniant animalibus, nihil dixerunt, qui modo prædicto dicebant; sed enunciant de ipsis, quasi de aliquo, quod animalibus per accidens conueniat; quamuis hæc principalia principia sunt viuendi, & moriendi: cum enim respirare non possunt, tunc accidit fieri corruptionem expirantibus; ac per consequens non per accidens eis conueniunt, sed ob determinatum aliquem finem. Insuper; inconueniens est, quod exitus aeris calidi per os, atque ingressus à nobis cognoscatur, ingressus autem aeris frigidi in pectus, ac exitus eiusdem calidi ab eodem pectore ignoretur. Inconueniens est etiam, quod introitus calidi aeris sit respiratio, vt alij quidam dicebant; apparet enim contrarium; quod enim expiratur, est calidum, quod autem inspiratur, frigidum. Quando autem calidum fuerit anhelantes animantes respirant, quia enim aer ingrediens non refrigerat sufficienter, accidit, quod sæpè aerem trahant, vt ex multiplici tractione refrigeratio fiat, & consequenter ab aere attracto per respirationem fit refrigeratio; vnde calidus esse nequit, saltem in comparatione ad calorem animalium, quamuis in se calidus remisse sit.

Cur fiat respiratio celer, aere existente calido.

CAPVT VIII.

Respiratio non fit causa alimenti, contra aliquos.

AT verò neque existimandum est fieri respirationem causa alimenti (vt aliqui putant) tanquam internus ignis, vel naturalis calor alatur spiritu, vel aere respirato, & animal respirans quidem, & assumens aerem adijciat externum aerem interno, tanquam super ignem accensum fomitem, vel escam: postquam vero internus ipse calor altus fuerit, fiat expiratio, quasi emittatur superfluum, vel excrementum alimenti. Nam contra hunc sermonem hæc iterum dicemus, quæ quidem contra priores diximus. Etenim si hoc esset verum, id non tantum quibusdam animalibus, (nempe respirantibus) oporteret accidere, sed alijs quoque; aut saltem aliquod proportionale; omnia enim habent caliditatem vitalem: quapropter si ipsa aere nutritur, & hic per respirationem assumitur, vel omnia animalia respiratione indigerent, (quod supra improbauimus,) vel aliquid aliud proportionale haberent, quo aerem attrahant, vt nutriri prædictus calor possit, quod nullatenus videtur, nec rationabiliter poni potest, & maximè viuentibus sub aqua, quo aer non penetrat. Deinde ex aere fieri calorem naturalem, quomodo secundum ipsorum positionem nunc dicere oportet, fictitium est: magis .n. ex alimento hunc fieri videmus. Vnde per hoc accidit, quod animal accipiat alimentum, & excrementum emittat: quia videlicet ipsum alimentum non est totaliter simile saltem in principio animali alendo, ideo oportet, quod ad similitudinem reducatur, quod fit per alterationem, ac remotionem partium superfluarum, quas excrementitias vocamus: hoc autem in alijs, quam in alimento non videmus fieri: ergo nihil aliud quam ipsum nutrit calorem naturalem, & per consequens non aere.

CA-

CAPVT IX.

Empedoclis de Respiratione sententia, & ipsius redargutio.

Dicit autem de Respiratione Empedocles, non tamen cuius gratia fiat; neque de omnibus animalibus quiequam facit manifestum, determinando, vtrum respirent, vel non; & de ea respiratione, quæ per nares fit, dicens, putat de præcipua dicere, vnde defecit. Fit namque respiratio ex pectoribus per arteriam, ac etiam per nares; imò hæc narium à prædicta dependet, ita vt ipsis naribus sine illa non contingat respirare; & si animalia priuata sint ea respiratione, quæ fit per nares, nihil patiuntur, si verò priuentur ea, quæ fit per arteriam, moriuntur; vnde patet quod sint diuersæ, & quæ per nares fit sit minus principalis; vtitur namque ea ipsa natura præter propositum (hoc est non præcipuè ad salutem animalium,) sed ad odoratum tantum in quibusdam animalibus, ita vt nares ipsæ sint organum odoratus præcipuè, ac respirationem quoque adiuuent. Quapropter cum, vel ratione odorandi, vel commodius respirandi sint nares, consequens est, quod ferè omnia animalia odoratu participent; nam respiratio, & odoratio disiunctim sumptæ (puta hæc, vel illa) ferè omnibus conueniunt; at quia in natura nihil est frustra, habito organo ad odorandum apto, consequens est habere etiam sensum odoratus, non tamen omnibus odorantibus est idem instrumentum; quædam enim habent in naribus operculum, quædam vero nequaquam, vt in libris de anima, atque de sensu, & sensibilibus visum est. Fieri autem ait respirationem, & expirationem; propterea quod in corpore animalium venæ quædam sunt, in quibus est quidem sanguis, non tamen sunt penitus sanguine plenæ; habent autem meatus, vel poros in superficie animalis, & circa, vel apud eum aerem, qui extra animal est, pori sunt minores partibus corporis, partibus autem aeris maiores: vnde corporis partes, puta sanguis (secundum propositum) exire nequit, sed aer introire potest. Quapropter cum sanguis sit natus moueri sursum, & deorsum per quaslibet corporis partes, cum quidem fertur deorsum, influere aerem, ac fieri respirationem inquit; sursum autem procedente excidere ipsummet aerem foris, & fieri expirationem, assimilans, quod accidit ipsis clepsidris; Sunt namque vasa quædam quibus hortulani ad irrigandas herbas vtuntur; quorum superior pars, vnum tantum habet foramen, inferior vero (puta fundus) multa; hæc igitur si ex inferiori parte immergantur in aquam, ipsam ex illis foraminibus recipiunt, & expellitur aer, qui exit foramine superiori, si verò ex aqua eijciantur, recedit aqua, & ex eodem superiori foramine accedit aer: sic inquit Empedocles de sanguine accidere. Cum enim sursum per venas fertur expellitur aer, qui exit per poros superiores, & hoc est expirare; dum verò ipse sanguis deorsum tendit atque venas vacuas reliquit ex parte superiori, aer ingreditur, & hoc est respirare. Cuius verba metro expressa sunt ista.

Præcipua respiratio per arterias.

Omnia animalia odorant.

Sic autem respirant omnia, & expirant. Omnibus
Priuatæ sanguine.
Carnium fistulæ (seu venæ) extremum per corpus
tensæ sunt.
Et ipsis oribus crebris perforatæ sunt sulcis.
Narium vltimæ summitates per totum, vt limpidum quidem.
Occultent. Aetheri (seu aeri) autem facilè iter biuijs
diuisum fit.
Hinc postea cum irruerit tener sanguis.
Æther resonans descendit fluxu vehementi.
Cum autem resilit, iterum respirat. Ceu cum
puella.
Clepsydris Ludens bene deducti aeris.
Cum quidem fistulæ transitum formosa obstruens
manu.
In aquæ tingat tenerum corpus argenteæ.
Neque in vas adhuc imber ingreditur, sed prohibet
ipsum.
Aeris moles intrò cadens ad foramina spissa;
Donec detexerit crebrum fluxum, sed postea.
Spiritu deficiente, ingreditur pulchra aqua.
Eodem quoque modo cum aqua quidem occupet
profunda aeris.
Transitu obstructo humana manu, siue meatu.
Aether extrinsecus intrò irruens imbrem arcet.

Circa portas Isthmi (dicitur Isthmus pars angusta terra clausa inter duo maria, quorum duo tantum hoc modo in vniuerso esse dicuntur, puta Corinthi, & Tracia, hic verò accipitur metaphoricè pro vase terreo) resonantia extrema obtinens.

Isthmus.

Donec manu remittat, tunc autem iterum contra
quam prius Spiritu ingruente subeffluit aqua
munda.
Similiter tener sanguis, perturbans per vices.
Cum quidem retrocedens irruerit ad intimum.
Alter illicò fluxus descendit, fluctu proruens.
Cum autem resilit, rursus expirat æquale retrò.

Dicit igitur hæc de respiratione. Respirant autem quemadmodum diximus, manifestè respirantia per arteriam, per os simul, & per nares. Quarè si quidem de hac respiratione dicit; necessarium est quærere, quomodo ratio causæ dicta ab ipso congruit, videtur enim contrarium accidere. Animantes namque eleuantes locum (puta pectus) respirant, seu aerem recipiunt, quemadmodum folles in ærarijs; (seu in officinis fabrorum) nam rationabile est, quod est, quod calidum extollat, & eleuet pectus, atque sanguis ipse habet locum calidi, vel est calidus; comprimentes verò, & constringentes pectus expirant, vel aerem emittunt; quemadmodum folles ibi (idest in officinis, vel alibi) faciunt. Verum tamen folles quidem non per idem suscipiunt aerem, & iterum emittunt, respirantes autem secundum idem. Vndè patet error ipsius, qui asserebat per respirationem comprimi pectus, per expirationem verò dilatari; oppositum namque est. Si autem de ea sola respiratione, quæ per nares fit, dicit, plurimum aberrauit; non enim est respiratio narium propria, sed fit per canalem, qui circa guttur est; ea videlicet parte, qua extremum palati in ore comperforatis naribus procedit; pars quidem ipsius aeris hanc, alia autem per os, exiens similiter, & ingrediens. Quæ igitur ab alijs de respiratione dicta fuerunt, talia, & tantas habent difficultates.

CA-

CAPVT X.

Cunctis animantibus refrigeratio necessaria est ad salutem.

QVoniam autem dictum est prius, quod ipsum viuere, & habitus, seu radicatio, ac permanentia animæ in corpore, cum caliditate quadam est (nam concoctio per quam fit alimentum animalibus neque sine anima, neque sine caliditate est, igne enim, vel calore operantur omnia viuentia) propter quod quidem, in quo primo loco corporis, & in qua prima parte huius loci necessarium est esse tale principium caloris; hic animam ipsam nutritiuam (quæ prima est, & origine, & natura) necessarium est existere (modo alias exposito, videlicet quo ad operandum, non quo ad informandum, quia sic existit in toto corpore.) Iste autem locus medius est inter membrum suscipiens alimentum, & illud per quod excrementum emittitur. Exanguibus igitur hæc particula innominata est; sanguineis autem cor dicitur: alimentum enim ex quo iam fiunt membra animalium, est natura sanguinis, seu sanguis ipse. Sanguinis autem, & venarum, idem principium esse necessarium est: vnum enim eorum est gratia alterius, vt vas suscipiens est causa rei suscipiendæ, sic venæ sunt sanguinis susceptiuæ; vnde ad ipsum ordinatæ sunt, ac vnum principium habere debent; ordo enim dicit dependentiam ab vno.

Ordo dicit dependẽtiã ab vno.

Principium autem venarum in animalibus sanguineis est cor: non enim per hoc venæ ipsæ transeunt, (sic namque haberet rationem medij, vel via) sed ex hoc pendent omnes; hoc autem nobis manifestum factum fuit ex dissectionibus, seu ex anotomia. Alias igitur virtutes animæ, vt sensitiuas, intellectiuas, &c. impossibile est existere sine nutritiua; propter quam autem causam dictum est prius in ijs, quæ de anima. Hanc verò impossibile est existere sine naturali igne, vel calore; in hoc enim natura igniuit ipsam, (seu esse eius, quod igni in motu, & subtilitate assimilatur, in calido consistit) corruptio autem ignis, vel caloris, (quemadmodum dictum est prius,) est duplex, puta extinctio, & marcor. Extinctio quidem, quæ à contrarijs fit; quapropter simul totus vnicus aliquis ignis à frigiditate aeris continentis extinguitur, (aer autem per accidens est frigidus, non per se) ac celerius adhuc cum fuerit diuisus, quia facilius superatur; virtus namque diuisa est debilior. Hæc igitur corruptio violenta est, atque similiter in animatis atque in inanimatis est (si sint mista, ac calore habeant) de animalibus palam est. Etenim cum animal diuiditur instrumentis, vt gladio, sanguis, in quo consistit calor congelatur propter frigoris abundantiam, & moriuntur.

Cur in mortuis congeletur sanguis.

Marcor autem accidit propter copiam caliditatis. Etenim si calidum, quod circum est, excedat internum, & alimentum, perquod fit refrigeratio non accipiatur, corrumpitur, quod ignitur, non frigescens, sed marcescens. Quare necesse est fieri refrigerationem; si animal debet salutem acquirere; hoc enim (puta refrigeratio) auxiliatur animali contra hanc corruptionem.

***

CAPVT XI.

Quo in loco, & per quam viam fiat refrigeratio diuersis generibus animalium.

QVoniam autem animalium hæc quidem aquatilia sunt, alia autem in terra faciunt conuersationem; horum autem, tam aquatilium, quam terrestrium, quæ pauca sunt, ac omninò exanguia, (facta ex continente aere, vel aqua infrigidatione) sufficiens recipiunt auxilium contra corruptionem huius ipsorum naturalis caloris; modicum enim habentia calorem modico indigent auxilio; quapropter breuis vitæ ferè omnia talia sunt; ad ambo .n. (videlicet, tam ad vitam, quam ad refrigerationem) modicam habent propensionem, vel virtutem. Quæcunque autem insectorum longioris sunt vitæ (exanguia enim sunt omnia insecta) his sub septo transuerso (quod est pellicula quædam diuidens ipsa animalia per longum ex parte posteriori puta ventris) diuisio quædam est, vt per subtiliorem membranam, vel pelliculam instar ventabuli refrigerentur; magis enim existentia calida, ampliori indigent refrigeratione, vt apes; apum enim quædam viuunt etiam septem annis, & alia quoque, quæcunque bombum, (vel sonitum quendam indistinctum continuatum, & vniformem) edunt; vt vespa, scarabei, & cicadæ; etenim sonum faciunt spiritu, vel aere, in prædicta pellicula repercusso, velut anhelantia.

Apum vita.

Cum enim in ipso septo transuerso connaturalis aer eleuatur, & considet, accidit ad membranam fieri attritionem ex exteriore aere percutiente, & interno adiuuante; mouent enim locum hunc hæc animalia, quemadmodum respirantia deforis pulmonem, & pisces branchias. Simile enim accidit, atque si quis aliqua respirantium suffocet, & detineat; etenim hæc sic suffocanda facient pulmonis eleuationem; at his quidem, quæ suffocantur, motus talis pulmonis non facit sufficientem refrigerationem; illis autem facit sufficientem, cuius causa est, quia illa nata erant recipere maiorem refrigerationem, quam ista. Et attritione aeris ad membranam faciunt bombum, quemadmodum diximus, qualem efficiunt pueri per arundinem perforatam, quando supra os, vel foramen arundinis superposuerint membranam tenuem; propter hoc enim illæ, quæ inter cicadas sunt canentes (non etenim omnes canunt) canunt, calidiores enim sunt, & est ipsis scissura sub septo transuerso; non canentibus autem hoc non est scissum. Et sanguine etiam præditorum, & pulmonem habentium, pauci autem sanguinis habentium, & laxum, quædam horum possunt multo tempore sine respiratione viuere; quia pulmo habens paucum sanguinem, & aquosum, habet multam eleuationem; proprius enim motus ad multum tempus est sufficiens refrigerans; tandem autem viuere non possunt, sed suffocantur non respirantia, quemadmodum dictum est prius. Corruptio enim caloris, qui non refrigeratur, marcor, & suffocatio dicitur, & quæ sic corrumpuntur suffocari dicimus. Quod autem insecta animalia non respirent, dictum est prius: ac experientia manifestum est in paruis animalibus, vt in muscis, & apibus; in humidis enim, vel aquis, multo tempore supernatant, imò sub aqua ipsa aliquantulum viuunt; nisi sit multum calida, vel frigida, (tunc namque ab istis qualitatibus interficiuntur) quamuis alia, quæ modicam habent virtutem crebrius exigant respirare; vnde si ista semper respirarent, non possent diu in aqua manere. Sed corrumpuntur hæc insecta

CAPVT IX.

Empedoclis de Respiratione sententia, & ipsius redargutio.

Dicit autem de Respiratione Empedocles, non tamen cuius gratia fiat; neque de omnibus animalibus quicquam facit manifestum, determinando, vtrum respirent, vel non; & de ea respiratione, quæ per nares fit, dicens, putat de præcipua dicere, vnde defecit. Fit namque respiratio ex pectoribus per arteriam, ac etiam per nares; imò hæc narium à prædicta dependet, ita vt ipsis naribus sine illa non contingat respirare; & si animalia priuata sint ea respiratione, quæ fit per nares, nihil patiuntur, si verò priuentur ea, quæ fit per arteriam, moriuntur; vnde patet quod sint diuersæ, & quæ per nares fit sit minus principalis; vtitur namque ea ipsa natura præter propositum (hoc est non præcipuè ad salutem animalium,) sed ad odoratum tantum in quibusdam animalibus, ita vt nares ipsæ sint organum odoratus præcipuè, ac respirationem quoque adiuuent. Quapropter cum, vel ratione odorandi, vel commodius respirandi sint nares, consequens est, quod ferè omnia animalia odoratu participent; nam respiratio, & odoratio disiunctim sumptæ (puta hæc, vel illa) ferè omnibus conueniunt; at quia in natura nihil est frustra, habito organo ad odorandum apto, consequens est habere etiam sensum odoratus, non tamen omnibus odorantibus est idem instrumentum; quædam enim habent in naribus operculum, quædam vero nequaquam, vt in libris de anima, atque de sensu, & sensibilibus visum est. Fieri autem ait respirationem, & expirationem; propterea quod in corpore animalium venæ quædam sunt, in quibus est quidem sanguis, non tamen sunt penitus sanguine plenæ; habent autem meatus, vel poros in superficie animalis, & circa, vel apud eum aerem, qui extra animal est, pori sunt minores partibus corporis, partibus autem aeris maiores: vnde corporis partes, puta sanguis (secundum propositum) exire nequit, sed aer introire potest. Quapropter cum sanguis sit natus moueri sursum, & deorsum per quaslibet corporis partes, cum quidem fertur deorsum, influere aerem, ac fieri respirationem inquit; sursum autem procedente excidere ipsummet aerem foris, & fieri expirationem, assimilans, quod accidit ipsis clepsidris; Sunt namque vasa quædam quibus hortulani ad irrigandas herbas vtuntur; quorum superior pars, vnum tantum habet foramen, inferior vero (puta fundus) multa; hæc igitur si ex inferiori parte immergantur in aquam, ipsam ex illis foraminibus recipiunt, & expellitur aer, qui exit foramine superiori, si verò ex aqua eijciantur, recedit aqua, & ex eodem superiori foramine accedit aer: sic inquit Empedocles de sanguine accidere. Cum enim sursum per venas fertur expellitur aer, qui exit per poros superiores, & hoc est expirare; dum verò ipse sanguis deorsum tendit atque venas vacuas reliquit ex parte superiori, aer ingreditur, & hoc est respirare. Cuius verba metro expressa sunt ista.

Præcipua respiratio per arterias.

Omnia animalia odorant.

Sic autem respirant omnia, & expirant. Omnibus
Priuatæ sanguine.
Carnium fistulæ (seu venæ) extremum per corpus
tensæ sunt.
Et ipsis oribus crebris perforatæ sunt sulcis.
Natium vltimæ summitates per totum, vt limpidum quidem.
Occultent. Aetheri (seu aeri) autem facilè iter biuijs
diuisum fit.
Hinc postea cum irruerit tener sanguis.
Æther resonans descendit fluxu vehementi.
Cum autem resilit, iterum respirat. Ceu cum
puella.
Clepsydris Ludens bene deducti æris.
Cum quidem fistulæ transitum formosa obstruens
manu.
In aquæ tingat tenerum corpus argenteæ.
Neque in vas adhuc imber ingreditur, sed prohibet
ipsum.
Aeris moles intrò cadens ad foramina spissa;
Donec detexerit crebrum fluxum, sed postea.
Spiritu deficiente, ingreditur pulchra aqua.
Eodem quoque modo cum aqua quidem occupet
profunda aeris.
Transitu obstructo humana manu, siue meatu.
Aether extrinsecus intrò irruens imbrem arcet.

Circa portas Isthmi (dicitur Isthmus pars angusta terra clausa inter duo maria, quorum duo tantum hoc modo in vniuerso esse dicuntur, puta Corinthi, & Tracia, hic verò accipitur metaphoricè pro vase terreo) resonantia extrema obtinens. Isthmus.

Donec manu remittat, tunc autem iterum contra
quam prius Spiritu ingruente subeffluit aqua
munda.
Similiter tener sanguis, perturbans per vicos.
Cum quidem retrocedens irruerit ad intimum.
Alter illicò fluxus descendit, fluctu proruens.
Cum autem resilit, rursus expirat æquale retrò.

Dicit igitur hæc de respiratione. Respirant autem quemadmodum diximus, manifestè respirantia per arteriam, per os simul, & per nares. Quarè si quidem de hac respiratione dicit; necessarium est quærere, quomodo ratio causæ dicta ab ipso congruat, videtur enim contrarium accidere. Animantes namque eleuantes locum (puta pectus) respirant, seu aerem recipiunt, quemadmodum folles in ararijs; (seu in officinis fabrorum) nam rationabile est, quod est, quod calidum extollat, & eleuet pectus, atque sanguis ipse habet locum calidi, vel est calidus; comprimentes verò, & constringentes pectus expirant, vel aerem emittunt; quemadmodum folles ibi (idest in officinis, vel alibi) faciunt. Verum tamen folles quidem non per idem suscipiunt aerem, & iterum emittunt, respirantes autem secundum idem. Vndè patet error ipsius, qui asserebat per respirationem comprimi pectus, per expirationem verò dilatari; oppositum namque est. Si autem de ea sola respiratione, quæ per nares fit, dicit, plurimum aberrant; non enim est respiratio narium propria, sed fit per canalem, qui circa guttur est; ea videlicet parte, qua extremum palati in ore comperforatis naribus procedit; pars quidem ipsius aeris hanc, alia autem per os, exiens similiter, & ingrediens. Quæ igitur ab alijs de respiratione dicta fuerunt, talia, & tantas habent difficultates.

CA-

CAPVT X.

Cunctis animantibus refrigeratio necessaria est ad salutem.

Qvoniam autem dictum est prius, quod ipsum viuere, & habitus, seu radicatio, ac permanentia animæ in corpore, cum caliditate quadam est (nam concoctio per quam fit alimentum animalibus neque sine anima, neque sine caliditate est, igne enim, vel calore operantur omnia viuentia) propter quod quidem, in quo primo loco corporis, & in qua prima parte huius loci necessarium est esse tale principium caloris; hic animam ipsam nutritiuam (quæ prima est, & origine, & natura) necessarium est existere (modo alias exposito, videlicet quo ad operandum, non quo ad informandum, quia sic existit in toto corpore.) Iste autem locus medius est inter membrum suscipiens alimentum, & illud per quod excrementum emittitur. Exanguibus igitur hæc particula innominata est; sanguineis autem cor dicitur: alimentum enim ex quo iam fiunt membra animalium, est natura sanguinis, seu sanguis ipse. Sanguinis autem, & venarum, idem principium esse necessarium est: vnum enim eorum est gratia alterius, vt vas suscipiens est causa rei suscipiendæ, sic venæ sunt sanguinis susceptiuæ; vnde ad ipsum ordinata sunt, ac vnum principium habere debent; ordo enim dicit dependentiam ab vno. Principium autem venarum in animalibus sanguineis est cor: non enim per hoc venæ ipsæ transeunt, (sic namque haberet rationem medij, vel viæ) sed ex hoc pendent omnes; hoc autem nobis manifestum factum fuit ex dissectionibus, seu ex anotomia. Alias igitur virtutes animæ, vt sensitiuas, intellectiuas, &c. impossibile est existere sine nutritiua; propter quam autem causam dictum est prius in ijs, quæ de anima. Hanc verò impossibile est existere sine naturali igne, vel calore; in hoc enim natura igniuit ipsam, (seu esse eius, quod igni in motu, & subtilitate assimilatur, in calido consistit) corruptio autem ignis, vel caloris, (quemadmodum dictum est prius,) est duplex, puta extinctio, & marcor. Extinctio quidem, quæ à contrarijs fit; quapropter simul totus vnicus aliquis ignis à frigiditate aeris continentis extinguitur, (aer autem per accidens est frigidus, non per se) ac celerius adhuc cum fuerit diuisus, quia facilius superatur; virtus namque diuisa est debilior. Hæc igitur corruptio violenta est, atque similiter in animatis atque in inanimatis est (si sint mista, ac calore habeant) de animalibus palam est. Etenim cum animal diuiditur instrumentis, vt gladio, sanguis, in quo consistit calor congelatur propter frigoris abundantiam, & moriuntur. Marcor autem accidit propter copiam caliditatis. Etenim si calidum, quod circum est, excedat internum, & alimentum, per quod fit refrigeratio non accipiatur, corrumpitur, quod ignitur, non frigescens, sed marcescens. Quare necesse est fieri refrigerationem; si animal debet salutem acquirere; hoc enim (puta refrigeratio) auxiliatur animali contra hanc corruptionem.

Ordo dicit dependētiā ab vno.

Cur in mortuis congeletur sanguis.

CAPVT XI.

Quo in loco, & per quam viam fiat refrigeratio diuersis generibus animalium.

Qvoniam autem animalium hæc quidem aquatilia sunt, alia autem in terra faciunt conuersationem; horum autem, tam aquatilium, quam terrestrium, quæ pauca sunt, ac omninò exanguia, (facta ex continente aere, vel aqua infrigidatione) sufficiens recipiunt auxilium contra corruptionem huius ipsorum naturalis caloris; modicum enim habentia calorem modico indigent auxilio; quapropter breuis vitæ ferè omnia talia sunt; ad ambo .n. (videlicet, tam ad vitam, quam ad refrigerationem) modicam habent propensionem, vel virtutem. Quæcunque autem insectorum longioris sunt vitæ (exanguia enim sunt omnia insecta) his sub septo transuerso (quod est pellicula quædam diuidens ipsa animalia per longum ex parte posteriori puta ventris) diuisio quædam est, vt per subtiliorem membranam, vel pelliculam instar ventabuli refrigerentur; magis enim existentia calida, ampliori indigent refrigeratione, vt apes; apum enim quædam viuunt etiam septem annis, & alia quoque, quæcunque bombum, (vel sonitum quendam indistinctum continuatum, & vniformem) edunt; vt vespæ, scarabei, & cicadæ; etenim sonum faciunt spiritu, vel aere, in prædicta pellicula repercusso, velut anhelantia. Cum enim in ipso septo transuerso connaturalis aer eleuatur, & considet, accidit ad membranam fieri attritionem ex exteriore aere percutiente, & interno adiuuante; mouent enim locum hunc hæc animalia, quemadmodum respirantia deforis pulmonem, & pisces branchias. Simile enim accidit, atque si quis aliqua respirantium suffocet, & detineat; etenim hæc sic suffocanda facient pulmonis eleuationem; at his quidem, quæ suffocantur, motus talis pulmonis non facit sufficientem refrigerationem: illis autem facit sufficientem, cuius causa est, quia illa nata erant recipere maiorem refrigerationem, quam ista. Et attritione aeris ad membranam faciunt bombum, quemadmodum diximus, qualem efficiunt pueri per arundinem perforatam, quando supra os, vel foramen arundinis superposuerint membranam tenuem; propter hoc enim illæ, quæ inter cicadas sane canentes (non etenim omnes canunt) canunt, calidiores enim sunt, & est ipsis scissura sub septo transuerso; non canentibus autem hoc non est scissum. Et sanguine etiam præditorum, & pulmonem habentium, pauci autem sanguinis habentium, & laxum, quædam horum possun multo tempore sine respiratione viuere; quia pulmo habens paucum sanguinem, & aquosum, habet multam eleuationem; proprius enim motus ad multum tempus est sufficiens refrigerans; tandem autem viuere non possunt, sed suffocantur non respirantia, quemadmodum dictum est prius. Corruptio enim caloris, qui non refrigeratur, marcor, & suffocatio dicitur, & quæ sic corrumpuntur suffocari dicimus. Quod autem insecta animalia non respirent, dictum est prius: ac experientia manifestum est in paruis animalibus, vt in muscis, & apibus; in humidis enim, vel aquis, multo tempore supernatant, imò sub aqua ipsa aliquantulum viuunt, nisi sit multum calida, vel frigida, (tunc namque ab istis qualitatibus interficiuntur) quamuis alia, quæ modicam habent virtutem crebrius exigant respirare; vnde si ista semper respirarent, non possent diu in aqua manere. Sed corrumpuntur hæc insecta

Apum vita.

in aquis non propter defectum respirationis, (licet dicantur suffocari,) sed quia repletur venter eorum aqua, atque corrumpitur, vel hebetatur, aut nimis infrigidatur naturale humidum, in quo est calor cum vita, & quod reperitur in illo septo transuerso; at non verò semper moriuntur, & si motum amittant; quapropter in cinere demorata resurgunt; cinis namque calidus, & siccus est; vnde aufert frigidum, & humidum, ac ad pristinam vitam reuocat.

Quædam in cinere immissa mortua resurgunt.

Animalium autem, quæ in aqua viuunt, quæcunque exanguia sunt, pluri tempore viuunt extra aquam in aere, quam ea, quæ habent sanguinem, & ad refrigerationem suscipiunt aquam, vt sunt pisces. Propterea enim, quod habent modicum calidum, aer sufficiens est ad multum tempus ea refrigerare; vt accidit crustaceis, & polypis, non tamen prorsus sufficiunt ad viuendum, quia sunt pauci caloris. Vnde multi pisces viuunt in terra immobiles tamen, & inueniuntur defossi, seu excauati sub terra; quæcunque enim non omnino habent pulmonem, aut exanguem, minus indigent refrigeratione. De exanguibus igitur, quod alijs quidem continens aer, alijs verò aqua auxiliatur ad vitam, dictum est.

Qui pisces extra aquã plus viuãt, & cur.

In sanguine autem præditis, & habentibus cor, quæcunque quidem ipsorum habent pulmonem, omnia suscipiunt aerem, & refrigerationem faciunt per respirationem, & exspirationem. Habent autem pulmonem animalia, quæ intra se generant, vel concipiunt animalia, & dicuntur viuipara, vt homo, equus, &c. & non solum, quæ foris animal generant sicut sunt ouipara, vt gallina, anseres, &c. At alia, quæ dicuntur cartilaginea; hæc quidem animal pariunt; sed non in seipsis, & ouiparorum, & pennata, vt aues, & corticata, vt testudines, & lacertæ, & serpentes, atque pennata generant animal sanguine præditum, mediante ouo, ac per consequens pulmonem magis habent sanguineum; aliorum verò plurima habent pulmonem laxum; quapropter respiratione vtuntur rarius, quemadmodum dictum est prius.

Quæ animalia pulmonem habeant.
Viuipara.
Ouipara.

Vtuntur autem respiratione omnia quæcunque morantur, & degunt in aquis (dummodo videlicet non sint pisces, sed alia quædam animalia, quæ etiam in terra viuere possũt) vt hydrorum genus (Hydrus est genus serpentium) & ranarum, & Crocodylorum, & mures aquatiles, & testudines marinæ, & terrestres, & vituli marini; omnia enim hæc pariunt in sicco, & dormiunt aut in sicco, aut in humido extollentia os propter respirationem.

Hydrus.

Quæcunque autem branchias habent omnia refrigerantur suscipientia aquam, habet autem branchias genus eorum, quæ cartilaginea vocantur, & aliorum, quæ sine pedibus; sunt autem pisces omnes sine pedibus; etenim, quæ habent, secundum similitudinem alarum habent. Pedes autem habentium, vnum habet branchias solum eorum, quę visa sunt, qui vocatur cordulus.

Pisces quidam respirantes.

Pisces omnes sine pedibus.

Simul autem pulmonem, & branchias, nullum visum est vnquam habens. Causa autem est, quia pulmo quidem gratia respirationis ab aere est, (videtur enim & nomen accepisse pulmo secundum græcum idioma, propter susceptionem spiritus) branchiæ autem ad refrigerationem faciendam ab aqua; vnum autem ad vnum opportunum est instrumentum, & vna refrigeratio sufficiens est omnibus. Quare quoniam nihil frustra videmus facientem naturam; duobus autem existentibus ad refrigerandum instrumentis, alterum vtique esset frustra; propter hoc hæc quidem habent branchias; altera verò pulmonem; ambo autem nullum. Quoniam autem vnumquodque animalium indiget alimento ad substantiale esse, ad salutem autem refrigeratione, eodem instrumento vtitur natura ad ambo hęc; & quemadmodum in quibusdam ipsa natura vtitur lingua ad sapores, & ad interpretationes; sic in habentibus pulmonem; vtitur parte, vel membro vocato ore, & ad cibi confectionem, & ad exspirationem, & respirationem; non habentibus autem pulmonem, neque respirantibus, os quidem seruit ad confectionem cibi; ad refrigerationem autem, & indigentibus refrigeratione existit natura branchiarum. Qualiter igitur dictorum instrumentorum virtus facit refrigerationem, posterius dicemus. Ad non impediendum autem cibum, similiter, & respirantibus accidit, & suscipientibus aquã; neque enim respirantes simul suscipiunt cibum, alioqui contingeret suffocari ingrediente alimento, aut sicco, aut humido ad pulmonem per arteriam; post enim gulam sita est arteria, per quam alimentum progreditur in vocatum ventrem. In quadrupedibus igitur, & sanguine præditis, arteria habet operculum quoddam velut ligulam, quæ distinguit inter alimentum, & aerem respiratum. Auibus autem & in ouiparis quadrupedum non est, sed contractione idem faciunt; suscipientia enim cibum, hæc quidem constringunt, illa autem superponunt ligulam; progresso autem, hæc attollunt, illa autem dilatant, & suscipiunt spiritum ad refrigerationem. Habentia autem branchias, dimittentia per has aquam, per os suscipiunt cibum; arteriam enim non habent; quare hac quidem parte nihil vtique læduntur ab inter lapsu, vel descensu humidi cibi ad ventrem, etiam si cum ipso cibo ingrediatur aqua. Quapropter velocem faciunt emissionem, & susceptionem alimenti, & dentes acutos habent, & omnia ferè sunt serratis dentibus; non enim ipsis contingit comminuere cibum.

CAPVT XII.

Quo pacto aquatilia quædam animalia pulmonem habentia refrigerentur, & cibum capiant.

Circa cetacea autem aquatilium, dubitabit vtique aliquis, (habent enim & illa secundum proportionem ad prædicta quo respirent, vel non; vel quomodo refrigerentur, aut cibum capiant) vt circa Delphinos, & Balenas, & aliorum quæcunque habent instrumentum quoddam, quod fistulam vocant, ac per ipsum aquam suscipiunt, & emittunt vt videbimus. Ratio dubitationis est, quia superius diximus, ea quæ suscipiunt aquam, nec pulmonem habere, nec respirare: in his tamen contrarium apparet; aquam etenim suscipiunt, & respirant: non enim refrigerationis gratia suscipiunt aquã; hoc enim (puta suscipere aquam) accidit ipsis respirantibus, quæ habent pulmonem; quapropter Delphini dormiunt extollentia os, vt aerem suscipiant, & stertunt, quæ passio ex repercussione aeris respirati in arteriam humoribus aliqualiter occupatam accidit. Insuper, si capiantur retibus, & sub aqua detineantur, citò suffocantur; propterea quod sub ipsa aqua respirare non possunt, & supernatantia videntur esse hæc animalia in mari propter respirationem, & fortè ob eandem causam, dum de proximo futura est ingens tempestas in magna multitudine super mare videntur, quia videlicet tempestas ista ab exhalationibus subterraneis, quæ calidæ sunt commouetur; (vt in Meteorologicis, tractatu de terræmotu visum est) vbi autem maior abundat caliditas, maior est indigentia respirationis, ac ad aerem minus calidum est currendum; non igitur suscipiunt

Delphini cur supra mare apparentes tempestatem significent.

scipiunt

suscipiunt aquam vt refrigerentur, & suppleatur locus respirationis, sed quoniam sibi necessarium est quaerere, & accipere alimentum in aqua, necessarium est, quod simul cum alimento aquam suscipiant, & emittant. Et propter hoc omnia praedicta fistulam habent; suscipientia enim aquam, per fistulam ipsam emittunt, quemadmodum pisces per branchias. Quod autem haec animalia non suscipiant aquam ob refrigerationem, signum est positio fistulae, quia ad nullum membrum sanguine praeditorum terminatur, sed ante cerebrum positionem habet, & emittunt aquam: quod si ob refrigerationem id esset, deberet haec fistula terminari ad cor, vel proportionale, quod refrigerari indiget, & non ad cerebrum, quod est frigidissimum. Propter hoc idem, & mollia, & crustata, vt locustae marinae, & cancri aquam suscipiunt; nullum enim ipsorum refrigeratione indiget; pauci enim caloris sunt, imò exanguia; quare sufficienter refrigerantur à continente aqua, sed propter alimentum, ne simul ipsum suscipientibus influat aqua, & exitum non habeat. Crustata igitur velut cancri, & locustae iuxta asperam (seu per corticem) emittunt aquam per applicamenta, seu per plicaturas, & concauitates quasdam; sepia verò, & polypi per concauum, quod est super vocatum caput. Scriptum est autem de ipsis magis diligenter in ijs operibus, quae scripsimus de animalium historijs. De susceptione igitur humidi dictum est, quod accidit propter refrigerationem, & propter ea, quod aquatilia animalia secundum suam naturam oportet ex aqua alimentum suscipere,

CAPVT XIII.

Quo pacto fiat refrigeratio in animalibus, & respirantibus, & non respirantibus. Interpretatio Empedoclis de causa diuersarum habitationum ipsorum animalium, & de situ cordis in animalibus ipsis.

De refrigeratione autem quo fit modo, & respirantibus, & habentibus branchias, diximus. Quod igitur quaecunque animalia habent pulmonem respirent, prius dictum est. Propter quod autem quaedam ipsorum hanc particulam habeant, & propter quid habentia indigeant respiratione, causa quaerenda est. Causa igitur habendi quidem est; quod nobiliora animalia maiorem assecuta sunt caliditatem; simul enim necesse est affecuta esse animam nobiliorem; proportionaliter namque se habet anima ad calorem; vnde animalia plus habent de caliditate, quam plantae; honorabiliora enim haec sunt, quam natura plantarum. Quapropter, & maximè habentia pulmonem sanguineum, & calidum, sunt etiam maiora magnitudine. Et animal, quod purissimo, & plurimo sanguine vsum est, ac statura erectissimum, est homo, & partem superiorem, ad sursum ipsius Vniuersi correspondentem habet ipse solus; propterea, quod talem habet hanc particulam, puta pulmonem, magis sanguineum. Quare putandum est multitudinem caloris esse causam substantiae (seu vt sit) huic particulae, puta pulmoni, & alijs partibus ad respirandum ordinatis, vt arteriae, &c. quemadmodum quamcunque aliam particulam gratia alicuius existere, existimare debemus. Habent igitur animalia pulmonem gratia huius. Quae autem sit causa ex necessitate dicta, scilicet materialis (cur talis causa dicatur ex necessitate, dictum est

Cur homo sit erecta statura.

in 2. Physic. tex. 87.) quae etiam dicitur causa naturalis motus, prout secundum materiam diuersam ipsi quoque variantur; grauia enim sursum, leuia verò deorsum mouentur, nunc examinandum est. Oportet igitur putare talia consistere animalia, quemadmodum multa, quae non sunt animalia, consistunt sunt; haec enim ex ampliori terra, quam alijs elementis sunt; vt plantarum genus; haec autem ex aqua, vt genus aquatilium; genus autem volatilium, & pedestrium, sic diuiditur, vt quaedam, quidem ex aere, alia verò ex igne magis. Quare secundum quod in aliquibus magis vnum, quam aliud elementum praedominatur; sic proportionaliter sunt motus ipsorum ad proportionata loca; singula igitur ipsorum in proprijs locis elementorum praedominantium habent ordinem. Empedocles autem non rectè circa hoc (puta de loco rerum naturalium, ac animalium) dixit, dicens, animalia calidissima, & ignem habentia plurimum, aquatilia esse, seu in aquis viuere, vt fugiant excessum eius caliditatis, qui in natura ipsorum reperitur, ne videlicet ab ipso destruantur, & quoniam calida deficiunt ex frigido, & humido, eo quod contraria existunt; ideo dixit ipsa aquatilia esse maximè calida; sic namque non superantur, sed ad temperiem ab ipsis contrarijs reducuntur, & conseruantur in hoc loco aquae, quam quidem minus calidam esse, quam sit aer asserit, sed in hoc non errauit. Omninò igitur absurdum est, quod dicit, ipsa videlicet animalia aquatilia omnia in sicco facta fuisse, ac permutasse locum ad aquam; ferè enim sine pedibus plurima ipsorum sunt. Narrans autem constitutionem ipsorum à principio; genita quidem esse in sicco ait; fugientia autem venisse ad humidum; quod sine pedibus fieri nequit, vel saltem sine aliquo organo, vel parte quod vicem pedum suppleat, vt accidit reptilibus, atque serpentibus, vermibus, &c. at neque in piscibus aspicuntur; nam dum sunt extra aquam, ac viui, hoc modo mouerentur, quod falsum est. Praeterea neque videntur calidiora esse, quam pedestria; alia namque ipsorum aquatilium sunt exanguia omnino; alia verò pauci sanguinis, ac per consequens pauci caloris; nam sanguis est caloris in animalibus praecipuum fundamentum. Pro resolutione igitur sumenda est consideratio, qualia oportet dicere calida, & frigida secundum suam naturam; qualia verò ex aliquo externo, vt ex loco, vel alio; hac namque differunt multum, & indistincta locutio de eis in errores inducit. Causa igitur de qua dixit Empedocles, aliquo quidem modo habet quaesitam rationem; nam verum est, quod excessiuum calidum à frigido temperatur, non tamen quod ipse ait, simpliciter verum est: quia de duplici praedicta caliditate, & frigiditate, vel dispositione non distinxit. Quae enim habent excessum habituum (hoc est talium qualitatum acquisitarum ab externo) loca contraria, & anni, & tempora conseruant, vt si quis in aliqua regione frigidissima frigidas qualitates, & habitus sumpserit; in calida conseruatur, & ad temperiem reducitur; quia qualitates istae sunt externae, & non naturales; si verò naturales esset oppositū dicere oporteret; natura namque maximè conseruat in proprijs locis; non enim est idem materia animalium, ex qua vnumquodque ipsorum constat, & qualitates naturales, quae ipsam sequuntur, cum habitibus, & dispositionibus ab externis causis acquisitis; ideò diuersa sunt rationes, & ex transitu de vna ad aliam diuersa sequuntur inconuenientia; nam qualitates naturales seruantur in locis sibi similibus, & non in contrarijs. Dico autem, vt si quid ex cera constituisset naturam non vtique in calido ponens seruasset, neque si quid ex glacie,

Empedocl.

Sanguis caloris innati meatum.

Quomodo loca conseruent locata & qualia.

corruptum enim vtique citò fuisset propter contrarium; liquefacit enim calidum, quod à contrario constitutum fuit. Neque si quid ex sale, & nitro constituisset, in aquam vtique ferens deposuisset; corrumpit enim humidum, quæ à sicco, & calido constituta sunt. Si igitur materia omnibus corporibus est humidum, & siccum, rationabiliter, quæ quidem ex humido constituta sunt, in humido sunt; quæ autem ex sicco, in sicco. Propter hoc arbores non in aqua nascuntur, (& si interdum nasci videantur, non est verum; nam radices earum sunt fixæ in terra, & ex radicibus attenditur natiuitas) sed in terra; quamuis secundum eandem Empedoclis rationem, deberemus asserere, eas nasci in aqua; propterea quod ipsæ valde siccæ sunt, vnde in contrario loco nasci deberent, nempe in aqua, quæ est humida; quemadmodum praignea (ait ille) in aqua simpliciter viuere, quia est frigida, & sic ignea ad aquam venirent prout frigida; sicca verò alia ratione: non enim propter frigidum venirent, vel nascerentur in illa; sed quia humida est. Naturales igitur rerum dispositiones ex natura materiæ procedentes, in quali quidem loco sunt, tales existentes sunt; quæ quidem in aqua, humidæ; quæ autem in terra siccæ; quæ autem in aere, calidæ. Habitus tamen (vel qualitates ex externa causa acquisitæ) diuerso modo se habent; qui quidem excedentes sunt caliditate, in frigido conseruantur; qui autem frigiditate, in calido positi seruantur magis; locus enim reducit ad mensuram, vel temperiem ipsius habitus excessum. Quæ igitur sunt qualitates naturales rerum, oportet quærere ex locis proprijs vniuscuiusque materiæ, vel corporis naturalis, ac secundum permutationes communis temporis anni, quæ in locis fiunt; nam hoc modo ipsæ quoque alterationem suscipiunt; vt tempore hyemis, sunt frigidæ; tempore verò æstatis calidæ, &c. & sic semper conditiones locum sequuntur, & secundum illas conseruantur; habitus verò (vel qualitates ex externo acquisitos) cōtingit contrarijs esse in locis, & ibi conseruari, vt calidum in frigido; vel è conuerso, materiam autem (seu qualitates ipsam sequentes) impossibile est sic se habere, vt declaratum est. Quod igitur non propter caliditatem naturæ, hæc quidem aquatilia, hæc autem pedestria animalia sunt; quemadmodum Empedocles ait, & cur hęc quidem non habent pulmonem: hæc autem habent, tot dicta sint. Propter quid autem pulmonem habentia suscipiunt aerem, & respirant, & maximè ea animalia, quæ habent ipsum pulmonem sanguine præditum, nunc videndum est.

Quomodo pulmo sit causa respirationis.

Causa igitur respirandi in habentibus pulmonem est, quia pulmo ipse est laxus, & plenus fistulis, seu paruis venis, ac inter partes, quę vocantur viscera, maximè vtique sanguinea, hæc particula (puta pulmo) est. Quæcunque itaque habent ipsam sanguine præditam celeri quidem indigent refrigeratione, propterea quod ignis, vel caloris animalis parua est propensio, vel aptitudo ad durationem sine refrigeratione. Intrò autem per totum necesse est aerem ingredi propter copiam sanguinis, & caliditatis, hæc autem ambo (puta citò ingredi, & per totum) aer quidem potest facilè facere; propterea enim quod habet tenuem naturam, & per totum, & celeriter penetrans, refrigerat; aqua autem contrarium; eò enim quod crassa est, nec celeriter penetrare potest, neque per totum.

Cur aer sit ad respirandum cęteris aptior.

Et cur, quę habent pulmonem sanguineum maximè respirant, ex his, quæ diximus palam, est; quod enim calidius existit, ampliori indiget refrigeratione. Simul autem ad principium caliditatis, quæ est in corde progreditur aer faciliter: nam ab ipso pulmone attractus faciliter per meatus quosdam transit ad cor sibi propinquum. Quo autem modo cor perforationem, vel meatus habeat ad pulmonem tendentes, oportet contemplari ex ijs, quæ dissecantur, seu ex anatomia, & ex Historijs de animalibus. Refrigeratione igitur omnino indiget natura animalium propter feruorem animæ in corde; hanc autem refrigerationem, faciunt per respirationem quęcunq; animalium nō solum habent cor, sed etiam pulmonem. Habentia autem cor, pulmonem autem non, quemadmodum pisces, propterea quod aquatilis est ipsorū natura, aqua faciunt refrigerationē per branchias. Quomodo autem se habeat positio cordis ad branchias, per visum quidem ex dissectionibus oportet contemplari; ad certitudinem autem ex Historijs, vt autem in summa dicatur, & nunc, se habet hoc modo. Videbitur autem, quod non eodem modo se habeat cor in animalibus pedestribus, & piscibus; habet se tamen eodem modo. Quæ enim inclinant capita, hic cor habet partem acutam, quoniam autem non eodem modo capita piscium, & pedestrium vergunt, hinc est, quod aliquo alio modo differunt, nam acutum cordis in piscibus, magis vergit circa os, quam in pedestribus. Tendit autem ex extremitate cordis fistula veninerua, seu quasi vena, & neruus ad medium, vbi adinuicem omnes branchiæ copulantur, quæ quidem vena maxima quidem est. Hinc autem, & inde à corde protenduntur alteræ in extremitatem singularum branchiarum, per quas refrigeratio fit ad cor, decurrente semper aqua per branchias. Eodem autem modo respirantibus pectus sursum, & deorsum mouetur frequenter suscipientibus spiritum, & emittentibus, vt branchiæ piscibus.

Pisces in pauca aqua suffocātur, & animalia respirantia in pauco aere.

Et respirantia quidem in aere pauco, & eodem; aquatilia vero in pauca, & eadem aqua suffocantur; celeriter enim, & aer, & aqua fit calida: sanguinis enim contactus calefacit vtrumque; calidus autem existens sanguis prohibet refrigerationem, & non potentibus mouere respirantibus quidem pulmonem, aquatilibus autem branchias propter passionem, aut propter senectutem, tunc accidit mors.

C A P V T XIV.

De causis vitæ, ac mortis, earumque definitiones, iuuentutis item, senectutis, atque vigoris.

Est igitur omnibus animalibus commune generatio, & mors. Modi autem differunt specie; non enim corruptio est indifferens (vel vnius tantum modi) sed habet aliquid commune; vnde ad plures particulares diuiditur. Alia namque est mors violenta: alia verò secundum naturam. Violenta quidem, quando principium extrinsecum fuerit. Secundum autem naturam, quando in ipso viuens erit, & consistentia partis sit talis, vel ad corruptionem disponitur ex principio prædicto; sed non est aduentitia aliqua passio. In plantis igitur vocatur ariditas, in animalibus senectus. Mors autem, & corruptio conuenit similiter quidem omnibus animalibus non imperfectis. Imperfectis autem aliquomodo similiter conuenit, sed non totaliter: nam sicus diuersæ sunt istorum generationes, ita corruptiones esse debent. Imperfecta autem dico nunc, vt oua, & semina plantarum, & quęcunque sunt sine radicibus: hæc namque, vel animam non habent nisi in potentia; vel habent imperfectissimam: (loquor nunc dubitatiuè, quia suo loco id exactè examinabitur) omnibus igitur corruptio fit propter calidi defectum. Perfectis autem accidit hoc in quo est principiū substantiæ, & vitæ:

& vitæ; hoc autem est, quemadmodum dictum est prius, pars illa, in qua sursum, & deorsum copulantur; plantis quidem est medium inter germen, & radices, animalibus sanguineis, cor; exanguibus autem proportionale. Horum autem viuentium, quædam habent in potentia multa principia viuendi, non autem actu; quapropter quædam insectorum diuisa viuunt, quia sic in potentia existunt. Et inter sanguine prædita, quæcunque non viuacia valde sunt, multo tempore viuunt exempto corde, vt testudines, & mouentur pedibus adhuc existentibus pusillis, vel truncatis, propterea quod natura ipsorum non sit bene composita; similiter, vt accidit insectis; non enim habent vnum summum principium in quo anima resideat, sed quasi vagabunda per totum errat, & in istis non debet intelligi quod diximus in secundo capite huius libelli circa finem; videlicet quod dempto corde, vel calore ipsius nulla alia pars viua remaneat, quia de perfectioribus animalibus locuti sumus. Habentibus autem vitam deficit principium viuendi, cum non refrigeratur calidum communicans ipsi principio virtutem; quemadmodum enim dictum est multoties, contabescit, seu marcescit ipsum à se ipso. Quando igitur animalibus respirantibus pulmo, non respirantibus vero branchiæ obdurescant propter temporis longitudinem, desiccatis, & factis terrestribus, non possunt has partes mouere, neque eleuare, & contrahere; tandem autem facta intensione caloris (ex antiperistasi, seu restrictione) marcescit. Causa mortus. *Quapropter paruis passionibus aduenientibus in senectute, celeriter moriuntur. Propterea enim quod paucum est calidum: velut plurimo euaporato in multitudine vitæ, si qua vtique intensio fiat particulæ, citò extinguitur, quemadmodum momentanea, & parua existente flamma in humido, citò fit extinctio propter paruum motum.* Mors in senectute sine dolore. *Quapropter mors, quæ in senectute est, sine dolore est: nulla enim violenta ipsis passione contingente moriuntur: sed fit solutio animæ à corpore omnino insensibilis. Vno igitur modo accidit mors ob defectum caloris naturalis, & humidi ab ipso consumpti. Et quicunque morborum faciunt pulmonem durum, aut apostematibus, aut excrementis, aut excessu caliditatis ægritudinalis, quemadmodum in febribus, crebrum spiritum, & anhelitum faciunt, propterea quod non possunt pulmonem longè tollere sursum, & deprimere: tandem autem quando amplius non possunt mouere, mortem causant expirantibus. Generatio igitur est prima participatio nutritiuæ animæ cum calido.* Generatio. Vita. Iuuentus. Senectus. Status. Mors. Violenta. Naturalis. *Vita autem mansio huius. Iuuentus autem est augmentatio primæ particulæ refrigerabilis, seu est augmentio caloris naturalis circa cor. Senectus autem huius decrementum, status autem horum medium. Mors autem, & corruptio, violenta quidem calidi extinctio, & marcor; (corrumpitur enim vtique propter ambas has causas) quæ autem secundum naturam, est marcefactio huius eiusdem caloris facta propter longitudinem, & perfectionem temporis. In plantis igitur ariditas: in animalibus autem vocatur mors. Mors autem, quæ quidem in senectute accidit est marcor huius particulæ propter impotentiam refrigerandi, quæ à senectute prouenit; non enim pulmo est sufficiens ad ministrandam refrigerationem, eo quod induratus sit, nec vires naturales alimentum præbent, ex quo alia fit restauratio, & refrigeratio. Quod igitur est generatio, & vita, & mors, & propter quas causas in sunt animalibus, dictum est.* Cur pisces extra aquã moriantur. *Palam autem ex his quoque est, & propter quam causam respirantibus quidem animalibus accidit suffocari in aqua, piscibus autem in aere. Illis enim per aquam refrigeratio fit, his autem per aerem quibus vtraque priuantur permutantia loc m. Causa itaque refrigerationis est motus, non respirantibus quidem branchiarum, respirantibus autem pulmonis, quæ cum eleuantur, & considunt, hæc quidem expirant, & respirant: illa autem suscipiunt aquam, & emittunt. Præterea, constitutio, vel forma instrumenti, quo fit refrigeratio hoc se habet modo, quo dictum est, vnde ad id est aptissima.*

CAPVT XV.

De saltu, pulsu, ac respiratione cordi accidentibus.

Tria autem sunt, quæ accidunt circa cor, quæ videntur eandem naturam habere, habent autem non eandem, saltus, pulsus, & respiratio. Saltus igitur est compulsio, vel constrictio calidi, quod in ipso est, propter excrementitiam, aut colliquatricem refrigerationem: Saltus. *refrigeratio namque excrementitia, vel externa, & superflua restringit calorem cordis, qui compressus fortior fit, & agitatur, vt patet de exhalatione inclusa in nubibus, atque hoc idem facit refrigeratio colliquatrix, seu diminutiua naturalis superficialis caloris, vt accidit in morbo, qui vocatur palpitatio, ac in febribus, quas dicimus frigidas, & in alijs morbis, & timoribus, etenim timentes infrigidantur secundum superiora, vel partes externas. Calidum autem fugiens, & contractum facit motum, vt dictum est, dum in paruum collectum est, ita vt aliquando superante penitus frigore extinguantur animalia, & moriantur propter timorem, & propter passionem aliam morbosam. Pulsatio autem est accidens cordis, quam semper videtur facere continuè cùm animal viuit, & similis tuberculis, seu apostematibus, vel nascentibus est,* Pulsus. *quæ faciunt motum cum dolore, (in hoc autem non assimilantur, quia pulsatio cordis non est cum dolore, sed similitudo ex alijs attenditur) propterea quod præter naturam est permutatio sanguinis circa ipsas; nihil namque aliud est apostema hoc, quam superfluitas humidi indigesti causata ex superfluitate materię, vel ob oppilationem meatuum, & ex aliqua virtute attractiua; quapropter semper fit, vel crescit, quo vsque concoctio superauerit; est autem hæc passio similis bullitioni; bullitio enim fit, cum humidum, vel aqua inflatur à calido; eleuatur enim propterea quod amplior fit moles à calore rarefaciente, & eleuante.* Apostema. *Quies autem in tuberculis fit, (seu tunc cessant crescere) quando putrefacta fuerint, quod accidit quando humidum est nimis crassum; ita vt perspirare, seu resolui non possit per poros carnis, interdum tamen resoluitur, cum videlicet humidum est subtile, & tunc euanescit sine putrefactione; finis autem, & quies bullitionis est excidentia, seu exitus aquæ per terminantia, seu per orificium vasis. Sic igitur de pulsione cordis philosophari possumus. In corde enim semper ex alimento accidit humidum, ac per caliditatem tumescit, & fit pulsio; calor namque agit, & pellit ipsum, atque vltimam pelliculam cordis eleuat, & hoc semper fit continuè: affluit semper etenim humidum: ex quo fit sanguis naturalis: primo enim in corde hoc fit. Palam autem est hoc in generatione à principio videlicet formationis fœtus, nondum enim distinctis venis videtur habere sanguinem, vnde ipse est primus, ac materia à calore cordis causa. Et propter hoc pulsat*

magis

magis iunioribus, quam senioribus, fit enim exhalatio amplior iunioribus, & pulsant venæ omnes, & simul inuicem Omnes venæ pulsant. *propterea quod pendent omnes à corde; mouet autem semper cor, quare illæ semper, & simul inuicem mouentur, quando mouet. Resultatio igitur, seu motus saltus est à frigido compellente. Pulsatio autem est inflatio humidi calefacti. Respiratio autem fit, cum augetur calidum in quo est principium nutritiuum, puta in corde: quemadmo-* Respiratio. *dum enim alia membra indigent alimento, & ipsum cor magis, quam alia indiget; etenim ipsum est causa alimenti alijs; necesse est itaque calidum amplius factum eleuare instrumentum respirationis, nempe pulmonem. Oportet autem existimare constitutionem instrumenti huius similem esse follibus, qui in ærarijs sunt, (non longè enim est, neque pulmo, neque cor, vt suscipiat figuram talem) duplum autem esse, quod est tale instrumentum, instar duorum follium; oportet enim in medio esse nutritiuum naturalis virtutis. Eleuatur igitur hoc instrumentum maius factum, seu à calore dilatatum; cum autem eleuatur, necesse est, quod eleuatur particula, quæ ipsum continet, scilicet pectus. Quod quidem videntur facere respirantes; eleuant enim pectus, propterea quod principium huius particulæ (nempe calidum quod est principium eleuandi pulmonem) existens in ipso pectore, hoc idem facit. Cum enim eleuatur, quemadmodum folles, necessarium est induci aerem, qui deforis est, ac frigidus exijt, qui refrigerans extinguat excessum ignis, vel caloris. Quemadmodum autem crescente pulmone, eleuabatur hæc particula, nempe pectus, & ipso quoque decrescente, necesse est pectus considente exire aerem, qui ingressus fuit, & iterum ingredi frigidum, exeunte tamen calido propter contactum calidi existentis in particula hac; quod maximè contingit in habentibus pulmonem sanguine refertum; necesse etenim est, fistulas, quæ in pulmone sunt incidere veluti in multos canales, illas præcipuè, quæ protensæ sunt, ita vt videatur totus pulmo esse plenus sanguine, vnde maximè indiget refrigeratione. Vocatur autem ingressus quidem aeris respiratio, exitus autem expiratio, & semper sanè hoc continuè fit, quandiu vtiq; animalia viuant, & moueant hanc particulam pulmonis continuè; & propter hoc in respirando est ipsum animalium viuere constitutum. Eodem autem modo fit motus branchiorum à piscibus. Cum enim eleuetur calidum, quod in sanguine per partes distributum est, eleuantur, & branchiæ, & pertransit aqua, ac respirationi assimilatur; descendente autem ad cor per meatus, & refrigescente, considunt, & emittunt aquam, ac expirationi comparatur. Semper autem cum eleuatur id calidum, quod est in corde, suscipiunt iterum refrigescentem aquam. Quapropter respirantibus finis viuendi, & non viuendi in respirando; his verò in suscipiendo aquam constitutus est. Et de vita quidem & morte, & de cognatis huius speculationis ferè dictum est de omnibus.*

De Iuuentute, Senectute, Vita, & Morte, ac Respiratione finis.

De Sanitate, & Morbo Initium.

De sanitate morboque non solum Medici, sed & Naturalis Philosophi est causas quadantenus dicere. Quatenus verò hi differant, & quatenus diuersa contemplentur, latere non oportet; etenim quod hæc naturalis tractatio sit quidem aliquomodo confinis Medici, ac Philosophi naturalis, id quod efficitur testatur; nam & Medici quicunque diserti, ac diligentiores de natura dicunt, principia ex Naturali Philosophia sumere dignantur; & inter eos, qui de natura tractant elegantissimi ferè vsque ad medicinalia principia desinunt. Medici ex Philosophia incipiunt. Philosophi ad Medicinam terminant.

Reliqua desiderantur.



Finis Tertiæ Partis, ac vniuersæ Naturalis Philosophiæ.



INDEX RERVM NOTABILIVM.

Quæ in vniuersa naturali Philosophia continentur.

In quo post paginarum numerum, a, primam columnam; b, vero secundam indicabit.

Ex octo Physicorum.

B

C

D

Deno-

E

F

G

H

I

L

M

Ex quatuor Libris de Cœlo: duobus de Generatione, & Corruptione; & quatuor Meteorologicorum.

Impossi-

Veritatis

Ex tribus Libris de Anima, simul cum Libello de Sensu, & Sensilibus, reliquisque tractatibus sequentibus.

Odo-

V

F I N I S.

